





ANGLIA SACRA,

SIVE

COLLECTIO HISTORIARUM,

Partim antiquitus, partim recenter ſcriptarum,

DE

ARCHIEPISCOPIS & EPISCOPIS ANGLIÆ,

A prima Fidei Chriſtianæ ſuſceptione ad Annum MDXL.

Nunc primùm in Lucem editarum.

PARS PRIMA

De ARCHIEPISCOPIS & EPISCOPIS Eccleſiarum Cathedralium, quas Monachi poſſederunt.



LONDINI:
Impenſis RICHARDI CHISWEL ad Inſigne Roſæ Coronatæ in Cœmeterio S. Pauli. MDCXCI.

Reverendissimo in Christo

PATRI ac DOMINO

D. WILHELMO

Providentiâ Divinâ

Archiepiscopo Cantuariensi,

Totius Angliæ Primati.

Illustrissime Præsul,

OPUS alieno ferè labore compositum, adhuc imperfectum, nullâque seu Scriptorum elegantiâ seu Editoris judicio commendatum, Vestræ Clementiæ nuncupare vix ausus fuissem; nisi argumenti dignitas audaciæ crimen amoliretur. Æquum est enim Angliæ Episcopos à throno Cantuariensi patrocinium quærere, & totius Angliæ Primatem Episcopis & vivis præesse & defunctis patrocinari. Certè favorem vestrum non incassum ambiunt Præsules longâ serie præcedentes; qui eodem, quo vos, amplissimo munere, eâdemque vitæ sanctimoniâ Ecclesiam Anglicanam rexerunt & ornârunt. Temporis quidem injuria nobis abstulit notitiam sanctissimorum Episcoporum, qui fidem Christianam Britanniæ primùm intulerunt (quod Apostolicis temporibus factum fuisse argumentis non vanis ducti credi-

mus) quique à primis Fundatoribus susceptam propagârunt & tutati sunt; donec gens infœlix ab Anglis expugnata, sedes mutare & in montana Insulæ loca secedere coacta fuerit. Desideratur à nobis Historia optimorum Præsulum, qui hanc Insulam quingentis ferè annis fide, miraculis, aliisque virtutibus illi sæculo familiaribus, sequenti raris, illustraverunt. Nobis igitur Historiæ Ecclesiasticæ certitudo & sacri Ordinis successio à primâ Sedis Cantuariensis fundatione petenda est. Illa siquidem nostræ Genti, eradicatâ barbarie atque superstitione avitâ, Religionis & Literaturæ elementa tradidit; illa transmissis per Insulam Verbi divini Prædicatoribus, & ordinatis Episcopis, fidem Christianam orbi Britannico postliminiò induxit, eandemque inviolatæ hactenus authoritatis beneficio mille centum fermè annis conservavit. Vestræ itaque Sedi, tanquam Religionis apud nos & Purpurati Ordinis matri, hos omnes, quos præsens Volumen laudat & sequentia sunt laudatura, Episcopos debemus. Horum plures eandem vobiscum Provinciam administrârunt, vestrâque virtute tuendam transmiserunt: omnes autem ordinis atque muneris similitudine conjuncti sunt. Singulorum memoriam aut tenebris ereptam aut luce clariori à me donatam fuisse, tibi non ingratum opus esse confido. Nullum, sat scio, favoris officium denegabis iis, qui Ecclesiam, quam dignissimè regis, Anglicanam fundârunt & auxerunt; qui populos, quibus præes, à Diaboli seu vitiorum tyrannide sanctissimo labore eduxerunt; a quibus Ordinem, quem ornas, Episcopalem longâ successione devolutum accepisti; quorum dignitatis hæredem te Deus constituit. Plura quidem illis, Ecclesiam, plebem, Ordinem, atque dignitatem, debes; sed nec minori ipsos beneficio astrinxisse censendus es, qui Ecclesiam

ab

ab illis fundatam fortissimè tueris, &, nisi aliorum invidia obstiterit, infractam ad posteros transmissurus es. Sed neque minimi antecessoribus Episcopis præstiti beneficii loco ascribendum est, quòd auspiciis atque autoritate tuâ ipsorum memoria seu tenebris priùs involuta lucem accipiat, seu alienis erroribus vitiata restauretur. Illi suam tibi dignitatem contulerunt, Ecclesiam quam regas fundârunt, autoritatem & opes quibus prodesse possis transmiserunt: tu vicissim illorum famam apud posteros renovâsti, neve illis bonorum operum memoria intereat effecisti. Etsi enim meis vigiliis Opus istud elucubratum fuerit, mihique quòd imperfectum & argumento longè impar prodeat sit imputandum; quicquid tamen honoris Ecclesiæ matri, quicquid incrementi Præsulum Anglicanorum famæ ex illo accesserit, tibi rectiùs acceptum referri debet; qui mihi ad hoc aliaque Opera (quibus utilitati publicæ pauxillum conferre studui) aggredienda otium & animos fecisti; qui me nullis meritis sed neque amicis intercedentibus commendatum ad clientelam tuam ascivisti, rebus sacris obeundis adhibuisti; voce, præmiis & exemplo ad urgenda literarum studia provocâsti; maximis denique, quibus mortales obstringi possunt, beneficiis devinxisti. Puduit sanè juvenem studiis non invigilare, & quacunque meliùs posset viâ Ecclesiæ prodesse; cùm in Amplissimo Præsule, cui exhausta jamdiu erant omnium literarum studia, eodemque sene plusquam septuagenario, maximisque Ecclesiæ & Reipublicæ curis impedito, indefessam legendi scribendiq; diligentiam viderem. Alias quidem virtutes tuas mihi inferioris subsellii viro duntaxat admirari, hanc solam imitari licuit. Tu ne alterius (impari licèt) diligentiæ otium, argumentum atque præmium deesset, voluisti. Faxit Deus, ut summum, quem in Ecclesiis Britan-

Britannicis tenes, locum diu obtineas, in Ecclesiæ commodum, in Reipublicæ utilitatem, in bonorum omnium solamen, utque mihi, quod postremo orandum est loco, Opus vestris auspiciis inchoatum iisdem absolvere liceat. Sic animitus vovet

Clementiæ Vestræ

Ex Ædibus vestris Lambethanis, iv. Cal. Augusti MDCLXXXIX.

Sacellanus obsequentissimus

ET

Cliens humillimus

HEN. WHARTON.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
PARTEM PRIMAM
Angliæ Sacræ.

De ratione totius Operis, & Scriptoribus in eo editis.

I. CUM ad rei literariæ incrementum vitæ à teneris annis institutæ ratio, ad Ecclesiæ Anglicanæ honorem sacrum quo (licèt indignus) fungor munus pro viribus promovendum impellant; nullum refugiendum esse decrevi laborem, ex quo emolumenti aliquid utrique vel alteri possit accedere. In eâ igitur statione positus, in qua & otio non indigeo, & amplissima librorum cujuscunque generis fit copia, & ad omnia, quæ in gente nostrâ supersunt, archiva aditus non difficilis datur, loco atque tempore opportunis utendum duxi, & aliquod aggrediendum opus, quod ad aliam stationem translatus frustra tentarem. Ad illustrandas itaque Ecclesiæ Anglicanæ antiquitates & res gestas, statui antiquas de rebus nostræ gentis ecclesiasticis Historias & Monumenta quamplurima è tenebris, quibus involuta delitescunt, educere & luce publicâ donare.

II. Civiles Anglorum Historias plures eruditissimi viri evulgandas curârunt, & hodienum curant. Ex Ecclesiasticis autem Historiis paucissimæ prodierunt. Vix in Historiæ enim justæ censum venit amplissima Chartarum & Instrumentorum Ecclesiasticorum congeries, quam Cl. V. Gulielmus Dugdale in Monastico suo Anglicano dedit. Plures tamen ejusmodi Historiæ supersunt; non omnibus quidem obviæ, & in Bibliothecarum forulis seu Ecclesiarum archivis abditæ, luce autem dignissimæ, & in Ecclesiæ honorem, in rei antiquariæ augmentum, plurimum collaturæ. Has conquirere & quascunque melioris notæ evulgare statui; ut si quis aliquando, tanto operi non impar, Historiam nostræ gentis Ecclesiasticam aggressus fuerit, illi materia atque monumenta non deessent. Quas enim Harpsfeildius, Alfordus, Smithæus, Fullerus

aliique hactenus scripserunt Historias Ecclesiasticas, longè infra argumenti dignitatem subsederunt.

III. Ista quidem Operis hujus primùm suscepti unica fuit ratio. Dum eo autem animo Bibliothecas excuterem, & monumenta Ecclesiæ antiqua undique congererem; plures de Archiepiscoporum & Episcoporum Angliæ Vitis Historiæ sese obtulerunt. His perlectis, aliisque quorum uberrima facta est copia monumentis adhibitis, postea in mentem venit accuratam Episcoporum Angliæ Historiam ex iisdem consarcinari posse. Atque hoc longè utilius & orbi literato gratius fore videbatur; si ejusmodi Historiam, non adeò elimatam quidem, nec Ughelli aut Sammarthanorum æmulam, aliis tamen antea scriptis multoties uberiorem ac certiorem, emitterem. Primam interim intentionem de antiquis Historiis Ecclesiasticis evulgandis dimittere nolui; cùm difficile non fuerit opus eâ methodo disponere, ut insigniores quæ supererant rerum Ecclesiasticarum Historiæ exhiberentur, & Historia Episcoporum satis ampla methodo non incertâ simul prodiret. Huic itaque perficiendo operam dedi, & in volumen secundum rejectis Historiis, quæ Episcoporum certæ alicujus Sedis successionem non tradiderunt, Episcoporum, quorum Sedes Cathedrales Monachi possederunt, Historiam juxta Provinciarum & antiquitatis ordinem hoc primo volumine congessi; de reliquis Angliæ Episcopis tertium volumen forsan aliquando editurus.

IV. Frustra quis à nobis exspectabit, ut Hierarchiæ Anglicanæ Historiam eâ ubertate atque certitudine contexamus, qua suam Itali, suam & Galli contexuerunt. Apud hos enim Ecclesiarum & Cœnobiorum Archiva ut plurimùm manent integra: quæ nobis fœlicitas hominum maleferiatorum sacrilegio ablata est. Neutiquam Anglis olim defuerunt Scriptores, qui res gestas memoriæ commendarent seu in tabulas referrent: quinimo nulla Orbis Christiani regio nostram Scriptorum numero antecelluit. Horum autem pars minima ad nos transmissa est; haud ita temporis injuriâ tamen quàm sacrilegio intercepta. Perierunt pars maxima, quando avarâ sæculi superioris iniquitate Monasteria eversa sunt, Ecclesiæ Collegiatæ demolitæ, Bibliothecæ utrarumque direptæ, laceratæ, vilissimis usibus vel etiam flammis damnatæ. Atque utinam Ecclesiæ Cathedrales sacrilegorum rapinam effugere potuissent! Harum etiam aliquot Archiva homines nequissimi mutilârunt, distraxerunt, fœdârunt. Id in plurimis avaritia & impietas, in nonnullis superstitio effecit. Comperi enim Episcopum quendam ante centum & quod excurrit annos, avitæ superstitionis delendæ prætextu

textu, omnia Ecclesiæ suæ monumenta & Registra igni tradidisse.

V. Præclarè tamen cum Ecclesiâ Anglicanâ actum fuisset, ni in literaturæ & pietatis excidium Puritanorum gens pullulâsset. Insana ista, quodque magis indignamur, indocta tenebrionum colluvies, abducto ante quadraginta annos in partes suas popello, Episcopos & Canonicos Sæculares Ecclesiarum Cathedralium custodes sedibus suis ejecerunt, Ecclesias à mille retro annis cultui divino sacras polluerunt, Ecclesiarum tabulata diripuerunt, detruncârunt, nonnullibi etiam flammis cremârunt. Factum id ab astutioribus, ne Episcopi & Canonici aliquando restituti Chartulariorum suorum subsidio prædia & fundos ecclesiasticos repetere possent, ab aliis autem stultâ superstitione & literarum odio. His enim Patres omnes ante Reformationem nostri atque ipsimet etiam Sanctissimi Religionis Christianæ apud nos Fundatores pro Antichristianis habentur; & antiqua religionis monumenta, seu sacra ædificia, seu scripta in sacris locis asservata, tanquam totidem idolatriæ vestigia, sunt exosa. Ipsam etiam Anglicanam Ecclesiam, quòd Apostolicæ disciplinæ & primævi in sacris obeundis decoris observantissima cum stultis insanire nollet, superstitionis & idololatriæ apud vulgus insimulant; nondum illam à pristinis sordibus repurgatam ad Christianæ simplicitatis normam accessisse, ritus Antichristianos adhuc usurpare. Hisce offuciis viri maleferiati credulam plebem obcæcant, in Schisma pessimum abducunt, & in sanctissimæ Matris excidium incitant. Si disciplinam Antichristianam quæras; causabuntur Ordinem Episcopalem, qui ab ipsis Apostolis exordium sumens, per omnia sæcula honoris prærogativam & Ecclesiæ clavum tenuit, & quamdiu in terris futura sit Ecclesia, tenebit. Si cæremonias tanto clamore impugnatas petas; narrabunt tibi Crucis signum, quod in Primitivâ Ecclesia in honore fuit, neque in nostrâ desuevisse, incusabunt infulas Sacerdotales non minùs simplices quàm decoras; præscriptam orantibus, quam neque ipsi negare audent esse piissimam, Liturgiæ formulam; & Divini Numinis adorationem genibus flexis inter Eucharistiæ symbola suscipienda factam. En criminum portenta, quibus Schismatici nostrates Ecclesiam optimam impugnant; eandemque patrum nostrorum memoriâ strenuè calumniando in supremum discrimen adduxerunt. Tunc quidem Numen, cujus inscrutabilia sunt judicia, sceleri prosperitatem indulsit. Non sine insigni tamen providentiâ factum credo, quòd Ecclesias Cathedrales, quas ipsas superstitionis arces nuncupare solebant, in potestatem suam redactas Puritani funditus non everterint, neque in omnibus Archiva & tabulata pessumdederint.

rint. Quòd si Deus, qui priscos Christianos Ethnicis persecutoribus cruciandos sæpiùs concessit, Ecclesiam Anglicanam à Schismaticis opprimi iterum permiserit; vix aliud est exspectandum, quàm ut omnia apud nos antiquitatis & religionis monumenta intereant. Præclarum superstitionis suæ non immutatæ indicium illi dederunt; quando tumultu in Provinciâ Somersetensi anno 1685. excitato, archiva Episcopatûs Wellensis maximo studio conquisita igne combusserunt. Atque istud quidem ad hoc opus aggrediendum argumentum non leve fuit; ne per invalescentem indies Atheorum & Puritanorum colluviem exulante à nobis religione Catholicâ, aliorum conatus præverterentur.

VI. Historiam nostram, seu potiùs farraginem Historicam, in anno 1540. terminavi; quando Canonicis Sæcularibus loco Monachorum in Ecclesias Cathedrales introductis, & restauratâ, quæ plurium sæculorum incuriâ collapsa fuerat, disciplinâ insignem mutationem res ecclesiastica subiit. Ordo quidem Episcopalis continuâ serie ad nos transmissus viget, præclaris etiam numeri, virtutis & eruditionis incrementis auctus. Præsulum autem ab hoc termino succedentium res gestæ hominum memoriâ nondum exciderunt, neque ad antiquæ Historiæ (quam nunc illustrandam suscipimus) ætatem assurgunt. Erit tamen quandoque, quod sperare liceat, qui Episcoporum Reformatæ Ecclesiæ Anglicanæ vitas & res gestas scripto consignaverit. Sanè tunc universo orbi Christiano constabit huic Ecclesiæ nunquam defuisse Præsules sanctitate conspicuos, doctrinâ illustres, omnibus numeris consummatos; quinimo sæculis postremis illi præsedisse Episcopos, decessoribus suis antiquioribus pietate non impares, eruditione superiores, mediis autem utrâque præstantiores. Quod non eo animo dictum velim, quasi Episcopi intermedii summis ingenii & virtutis dotibus præditi non fuerint; è quibus aliqui Sanctorum albo meritò sunt ascripti, plures ob incomparabilem doctrinam stupori erant; nonnulli etiam antecessoribus palmam præripuerunt, successoribus quibuscunque haud facilè imitandi. His siquidem annumerem Johannem Peckham Archiepiscopum Cantuariensem & Robertum Grosthead Episcopum Lincolniensem; quorum si quis Vitas latiùs tradiderit (quod mihi aliquando in animo fuit) optimam is Christiani Præsulis normam dabit. Tot tantorumque virorum ab Ecclesiâ Christi, ac præsertim Anglicanâ, egregiè meritorum tempora & res gestas luce aliquali donâsse maximæ mihi voluptati fuit, atque aliis (sic voveo) non inutile erit.

VII. Hi-

VII. Historias de Episcopis Angliæ plures conscripserunt. In his primo loco commemorandus venit *Willelmus Somerset*, Cœnobii Malmsburiensis Monachus & Bibliothecarius; qui *Gesta Pontificum Anglorum* ab anno 596, ad 1125. circiter quatuor libris complexus est. Extabant eo tempore in præcipuis Angliæ Ecclesiis & Monasteriis Catalogi Episcoporum uniuscujusque Sedis, quales hodienum asservatos vidi quamplurimos. Catalogum itaq; in Monasterio Malmsburiensi repertum Willelmus descripsit; quicquid de antiquioribus Episcopis invenire poterat apposuit, de recentioribus quæ sibi erant comperta aut ab aliis delata tradidit. Quod dolendum est autem, Catalogo admodum vitioso ipse usus est; & vir illustris D. Henricus Savilius Historiam illius ex mendosissimo Codice descriptam evulgavit *Londini* 1596. f. Willelmi Historiam Simeon Dunelmensis abbreviâsse dicitur. Extat quidem ejusmodi Abbreviatio in Bibliothecâ Lambethanâ, nullius planè pretii.

Baleus de Scriptor. Angl. Cent. 2. c. 98.

VIII. Proximo post Willelmum loco de Præsulibus Angliæ Commentarium edidit *Radulphus de Diceto*, Decanus Londinensis; cujus *Abbreviationes Chronicorum* & *Imagines Historiarum* inter x. Scriptores Historiæ Anglicanæ editæ habentur. Historiam is de Præsulibus Angliæ à S. Augustini adventu exorsus, ad Johannis Regis Coronationem (cui ipse anno 1199. interfuit) deduxit; & de Episcopis etiam Wallensibus, quos Malmsburiensis prætermiserat, quæcunque invenire poterat congessit. Opus tamen luce indignum judicavi; ideò quòd omnia ferè ante annum 1120. ex Bedâ & Malmsburiensi hauserit, quæcunque autem ab anno 1120, ad 1199. habet, in Historias suas prædictas iisdem verbis retulerit; si Archiepiscoporum Cantuariensem demas Historiam, quæ proinde in secundi voluminis calce locum habebit.

IX. Plures alios gesta Pontificum Anglorum literis olim commisisse perquam verisimile est. Nulla enim gens Historicorum feracior Angliâ fuit. Plurima certè compendia, tabulas, Indiculos, aliaque ejusmodi, de Episcopis Angliæ vidi, justæ tamen Historiæ titulo indigna. *Johannem Everisden* Monachum Buriensem *de Regibus & Episcopis Angliæ* commentatum fuisse Baleus prodidit. Excerpta ex illius Chronico manu Johannis Jocelini facta perlegi; neque aliud opus fuisse arbitror, quamvis ea solummodo quæ ad Cœnobium Buriense spectabant Jocelinus descripserit. Tempus Eversdeni paulò certiùs Baleo Placita Parlamentaria dabunt. In his enim legitur Abbatem S. Edmundi ad Parlamentum Carleolense anno 1307. citatum misisse Procuratorem suum Johannem de Eversden

Cent. 5. c. 40.

P. 323.

Com-

Cent. 8. c. 25. Commonachum ſuum. Præter hunc *Nicolaus Montacutus* circa annum 1460. de Epiſcopis Angliæ conſcripſit librum, quem in Bibliothecâ Collegii Etonenſis poſt centum annos aſſervatum fuiſſe Baleus & Jocelinus produnt. Ejuſdem de Pontificibus Romanis librum in Bibliothecâ Lambethanâ inſpexi, & nullius eſſe pretii deprehendi.

De Script. Ang. cap. 96.

X. Hactenus de antiquis hujus argumenti Scriptoribus. Poſtquam autem literæ meliores apud Angliam refloreſcere & antiquitatis ſtudia vigere cœperunt; primus omnium Polydorus Virgilius, Archidiaconus Wellenſis, vir undequaque doctiſſimus, & Anglicanæ Hiſtoriæ peritiſſimus, de Præſulibus Angliæ commentatus eſt. Opus nondum prodiit, nunquam forſan prodire dignum, inter exules Anglos aſſervatum. Vix enim alia præter nuda nomina atque tempora complecti videtur. Notitiam ejus Stapletonus dedit hiſce verbis. *Habemus omnium Epiſcoporum, quos annis penè mille Anglia habuit, paratum catalogum & ordinem, à Polydoro Virgilio deſcriptum.*

Princ. Doctr. l. 13. c. 7.

XI. Majori molimine Hiſtoriam de Pontificibus Angliæ adornavit *Johannes Lelandus*, Antiquarius noſtræ gentis longè eruditiſſimus; qui Henrici VIII. Regis juſſu atque authoritate omnes Eccleſiarum & Monaſteriorum (antequam ſubverterentur) bibliothecas & archiva rimatus, quæcunque ad Antiquitates Anglicanas illuſtrandas faciebant, in adverſaria conjecit: & ex his poſtea, otium nactus, plurima egregia de rebus Anglicanis Commentaria contexuit. Opus ejus aliis uberius de Scriptoribus Angliæ Baleus compilavit, & in Centurias ſuas ferè integrum deſcripſit. Plurima ejuſdem adverſaria in Bibliothecis Oxonienſi, Cottonianâ atq; aliis aſſervantur. Opus autem de Pontificibus nondum vidi. Simplicem ejus mentionem Baleus facit, qui alia ferè omnia ſcripta illius viderat. Ampliorem illius notitiam ipſe Lelandus exhibuit in Commentario ſuo in Cygneam Cantionem. *De Antonio* (inquit) *Dunelmenſi Epiſcopo fuſiùs in Opere, cui titulus de Pontificibus Britannicis, dicemus. Nam illorum res geſtas magnâ curâ exquiſivi, & majori propediem in ordinem redigam.*

Cent. 8. c. 81.

XII. Poſt viginti circiter annos Hiſtoriam Angliæ Eccleſiaſticam molitus eſt *Nicolaus Harpsfeildius*, Archidiaconus Cantuarienſis, ſed Archidiaconatu exauthoratus anno 1559. quòd juramentum de ſuprematu regio agnoſcendo præſtare nollet. Exauthorationi annis 24. ſuperfuit, otio interim, quiete & rerum neceſſariarum copiâ fruens; carcere quidem (quod vult Pitſeus) adeò non conſtrictus, ut Archiepiſcopus Cantuarienſis erudito labori favens, omnium Sedis

dis suæ Registrorum usum ipsi indulserit. Integro hoc tempore Ecclesiasticæ Historiæ conscribendæ incubuit; eidemque Episcoporum Angliæ successionem & res gestas ordine intexuit. In antiquioribus Episcopis Bedam, Malmsburiensem, Florilegum & Florentii Indiculum describere contentus, nuda plerumque nomina apposuit, de verâ successione atque Chronologiâ parum sollicitus. In sequentibus quæcunque apud Historicos sibi familiares & Registra occurrebant, apposuit; adeò tamen ut per integra plerunque sæcula nuda Episcoporum nomina habeantur, & in his tam crassi errores sæpiùs inveniantur, ut mirum sit hominem, cui neque industria nec ingenium defuit, tam miserè labi potuisse. Prodiit Historia illius *Duaci* 1622. *fol.*

XIII. Proximus Historiam de Episcopis Angliæ universis contexuit *Johannes Pitsius*, exul Anglus, Commentario *de Illustribus Angliæ Scriptoribus* edito satis notus. In hoc Opere ad Catalogum suum, quem composuit, de Archiepiscopis Cant. de Episcopis Londin. Dunelm. &c. Lectorem sæpissimè remittit; & in Prolegomenis suis se Catalogos suos Regum, Episcoporum, Apostolicorumque virorum Angliæ aliquando editurum spondet. Nam *omnia suæ gentis monumenta* (sic Author Vitæ ejus habet) *quæ vel ad Ecclesiasticam Hierarchiam vel ad reipublicæ politiam pertinere videbantur, diligenter observans, & in Adversaria conjiciens, quatuor magna volumina collegit, Regum unum, alterum Episcoporum, tertium virorum Apostolicorum, quartum Illustrium virorum.* Frustra autem aliquis Historiam Pontificum Angliæ meditatur, cui ad Registra omnia & Ecclesiarum archiva aditus non patet. Gloriantur quidem Angli exules haberi penès se nobilissima nostræ gentis monumenta, à Monachis aliisque exulibus sæculo postremo in exteras regiones avecta. Si quis tamen ex Alfordi Annalibus aliorumque exulum circa res Anglicanas conatibus conjecturam fecerit; vanam esse jactantiam facilè reperiet. Vix enim ulla ab his citata monumenta seu Historias inveniet, nisi quæ nostrates typis domesticis evulgârunt, aut Harpsfeildius in Opere suo protulerat. Quod Pitseum imprimis attinet, is intolerandæ arrogantiæ indicia dedit manifesta. Se enim sua de Scriptoribus Anglicis potissima ex Lelandi Collectaneis hausisse, Balei autem Centurias vix levi inspectione dignatum esse, præ se fert; quamvis mihi abunde compertum sit illum Lelandi opus nunquam vidisse, sed quæ Baleus ex Lelando non ingratus compilavit, ipsum ex Baleo ingratissimum descripsisse.

P. 59.

P. 818.

XIV. Fæliciùs in hoc argumento desudavit R. P. *Franciscus Godwinus*, Episcopus Landavensis ac postea Herefordensis; qui Commentarium

mentarium de Præſulibus Angliæ vernaculo ſermone edidit *Londini* 1601. 4°. auctiorem 1615. Latinè verſum 1616. 4°. opus tum ob rerum memoriæ conſignatarum præſtantiam tum ob eximiam ſtyli elegantiam laude digniſſimum. Vitas Pontificum Anglorum à primâ fidei ſuſceptione ad annum 1616. juxta Provinciarum ordinem complectitur. Breve poſtmodum ſupplementum unius vel alterius ſchedæ anno 1621. Author dedit. Ampliorem tamen Hiſtoriam de ſui temporis Præſulibus vir eruditus meditatus eſt, quam paginâ 333. editionis Latinæ hiſce verbis pollicetur. *Erit fortaſſis tempus, quando me ad ſperatam in cœlis patriam traſlato, de meorum temporum Pontificibus ſcripta (quæ jam nunc meditor) edi poſſint, ſine vel metu offenſæ vel adulationis ſuſpicione.* Voto quidem perficiendo tempus illi non deerat, neque enim ante initium anni 1633. vivis exceſſit; nil tamen ejuſmodi ab eo ſcriptum ſupereſt. Narrare ſolebat amico cuidam meo filius ejus Carolus Godwyn, Eccleſiæ Monumethenſis Vicarius, patrem auctiorem longè Commentarii ſui editioonem molitum, morte præreptum fuiſſe; nil autem prælo paratum invenire potuit. Vereor ne & nova illa, quam molitus eſſe dicitur, editio famâ magis quàm re auctior fuerit. Vidi enim ipſius Epiſcopi Codicem, in cujus orâ additiones & emendationes ſuas appoſuerat. Stylum quidem millenis ferè locis emendaverat, vix centenis autem Hiſtoriam ſeu auxerat ſeu correxerat. Sanè Author Reverendus de ſtyli magis nitore quàm de rerum geſtarum temporumve certitudine ſollicitus fuiſſe videtur: ut in illo potiſſimùm expoliendo integros viginti annos, quos Operi præſenti ſeſe impendiſſe in Præfatione dicit, exegiſſe non immeritò cenſeri poſſit. Vix ſeſquiannus enim præteriit, ex quo Præſulum Anglorum Hiſtoriam illuſtrandam ſuſcepi; meque duplo plura atque certiora inveniſſe non vanâ opinione ductus confido; quin & Hiſtoricorum loca, ex quibus ille ſua hauſerit, in ſingulis ferè lineis notavi. Hoc enim inter alia habemus, quod de Godwino conqueramur, illum Authorum quos ſequitur nomina non appoſuiſſe, quin & pluries datâ operâ diſſimulâſſe; ut alii poſtmodum ab ipſo mutuari cogerentur, quod ipſe à prioribus parum gratus accepit. Nollem quidem plagii crimen viro erudito inferre; vix tamen ſine indignatione quadam inſignem ejus erga Illuſtriſſimum *Antiquitatum Britannicarum* Authorem ingratitudinem memorare poſſum. Ex hoc certè integram ferè Archiepiſcoporum Cantuarienſium Hiſtoriam, non minimam etiam Epiſcoporum ſequentium Hiſtoriæ partem, ſtylo arte familiari immutato, deſcripſit; vix tamen ſemel niſi carpendi & obtrectandi animo ejuſdem nomen protulit. Si quando autem res ita ferat, ut Hiſtoriæ alicujus ſeu ſententiæ Author neceſſariò ſit laudandus; verba illius hiſce formulis, *Addit nonnemo, Dicunt nonnulli,*

Opi-

Opinantur quidam, &c. inducere solet. Adeò Authori huic clarissimo aliquid se debere profiteri noluit. Sic etiam Camdenum, sic Baleum, sic alias injuriâ affecit. Neque enim contentus fragmenta ab his prolata ex Historiâ Dunelmensi, Radulpho de Diceto, Lelando, & aliis, surripuisse, & tanquam ex autographis (quæ revera nunquam vidit) hausta Commentario suo intexuisse; integras plerunque de Episcopis narratiunculas ex aliis, Camdeno præcipuè, stylo levissimè mutato & Authoribus dissimulatis, congessit. Sic etiam in Consecrationibus & Translationibus Episcoporum ab anno 1559, ad sua tempora exhibendis, omnia ex Registris Archiepiscopalibus hausisse videri voluit. Reipsâ tamen ex Jocelini Indiculo Episcoporum tempore Matthæi Parker Archiepiscopi consecratorum & confirmatorum, & Masoni Opere vernaculo *de Ministerio Anglicano* securus accepit; quod Registra consulenti facilè constabit. Omnia enim Jocelini & Masoni sphalmata descripsit. Ante hæc tempora quidem Registra Archiepiscopalia Historiæ suæ contexendæ adhibuit; adeò raptim autem & festinatò pervolvit, ut vix unicam horam singulis Registris impendisse videatur. Nonnullibi etiam fides desideratur. Quod si Episcopi enim alicujus testamentum certo die probatum inibi legerit, & diem illius obitualem alibi non invenerit, obitum ejus illo die sæpissimè reposuit; quamvis morti & tabularum supremarum probationi plures plerunque dies nonnunquam etiam septimanæ intercedere soleant. His adde maximam in re Chronologicâ incuriam, defectusque & errores (qui ubique occurrunt) gravissimos; & illum omnem posterorum diligentiam vicennali suo labore minimè prævertisse liquebit. In temporibus etenim antiquorum Episcoporum designandis Florilegum, Hovedenum & Florentium (quodque magis infaustum erat) commentitiarum Ingulfi Chartarum subscriptiones, nullo examine adhibito, sequi solet; annum modò à S. Michaelis Festo, modò à Natali Dominico, modò à Calendis Januarii, sæpissimè autem ab Annuntiatione B. Virginis, pro diverso Authorum, quos sequitur, calculo exorditur; in nullis itidem tabulas Astronomicas & Calendarium consuluit, utrùm dies, quem consecrationi Episcoporum posuit, fuerit Dominicus. Denique Episcoporum successionem in plerisque ita mancam dedit; ut in unicâ Asaphensi Historiâ annos inter 1140, & 1540. duos qui Episcopatum neutiquam obtinuerunt immiserit, novem autem Episcopos penitus prætermiserit.

In fronte Antiq. Britan.

XV. Ultimo loco commemorandus venit (ideo quòd non de universis Angliæ Episcopis sed Archiepiscopis duntaxat Cantuariensibus scripserit, qui tamen ad elucidandas Ecclesiæ Anglicanæ antiquitates

quitates plus omnibus contulit) RR. P. *Matthæus Parker*, Archiepiscopus Cantuariensis. Huic præsertim restitutam Historiæ Anglicanæ lucem debemus; ab hoc unico Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ notitiam & monumenta accepimus. Ipse omni doctrinæ genere cumulatissimus, antiquitati Anglicanæ illustrandæ plurimùm insudavit; aliisque ut eandem susciperent provinciam author fuit. Libros è Monasteriorum & Ecclesiarum Bibliothecis projectos, discerptos, & per tabernas, per fœda loca dissipatos conquisivit, melioris notæ Historias luce publicâ donavit; viros eruditos ad parile studium incitavit, eosdemque voto suo obsequentes præmiis lautissimis & dignitatibus Ecclesiasticis provexit; alios in familiam suam ascivit, quos ad antiquitates nostræ gentis enucleandas muneribus provocavit, & exemplo præivit. Hac ratione inducti plures isti Operi incubuerunt, Georgius Acworth, L. D. Willelmus Lambard Juris Anglicani peritus, Willelmus Darell Canonicus Cantuariensis, Robertus Talbot Canonicus Norwicensis, Laurentius Nowel Hospitii Lincolniensis Jurisconsultus, Franciscus Thynne, Thomas Yale L. D. Registrarius Archiepiscopi principalis, ac postea Decanus de Arcubus; aliique quamplures; quorum industriâ excerpta ex antiquis nostræ gentis Historiis & monumentis amplissima facta & in libros digesta vidi. Præ aliis autem omnibus eminuit Johannes Jocelinus, Antiquarius Archiepiscopi domesticus; cujus operâ in conscribendâ Historiâ *de Antiquitate Britannicæ Ecclesiæ* seu *de Vitis Archiepiscoporum Cantuariensium* Archiepiscopus usus est. Innumeras is pervolvit Historias, Saxonicæ linguæ notitiam primus ex recentioribus obtinuit; volumina multa Collectaneorum propriâ manu descripsit; Vitas Archiepiscoporum pluries digessit, modò tenuiori, modò uberiori stylo, antequam ea quam cernimus Historia prodiret; cui ultimam adhibuisse manum Matthæum Archiepiscopum opinor. Prodiit demum Historia tanto molimini non impar, tanto nomine non indigna; quæ in Ecclesiæ Anglicanæ rebus ab anno 596, ad 1575. tradendis alias (quæ hactenus scriptæ sunt) omnes fide, elegantiâ, ac gravitate longè superat. Maximam illi quidem injuriam fecerunt Typographi tum Londinenses tum Hanovienses. Verùm editionem perfectiorem, manuscriptis Authoris additamentis auctam, brevi exituram fore speramus.

XVI. In Historiâ Archiepiscoporum Cant. tradendâ omnem ferè nobis diligentiam Jocelinus præclusit. In Birchingtoni itaque Historiâ notis illustrandâ, seu ad annum 1540. continuandâ, gesta moresque Archiepiscoporum describere frustra fuisset; cùm ex *Antiquitatibus Britannicis* ea meliùs peti possint. Unicum id agendum restabat; ut temporum ratio, quam Jocelinus aut neglexit aut conturbavit,

turbavit, uberiùs atque certiùs traderetur. Feci id itaque in Dissertatione *de verâ Successione Archiepiscoporum Cant.* quam juxta methodum postea receptam in Annotationes ad Birchingtoni Historiam distribuisse usque ad annum 1374. & reliquam partem Continuationis loco subjecisse forsitan præstitisset. Quo minùs id facerem improvisa corporis invaletudo in causâ erat, quæ dum Birchingtoni Historia typis exprimeretur, à studiis me avocavit. Quòd si prælo iterum emitti hoc Opus aliquando contigerit; velim Historiam Radulphi Dicetensis de Archiepiscopis Cant. ab anno 596, ad 1199. (quæ in secundi voluminis Calce modò collocatur) ad primi frontem transferri. Hanc excipiant Continuationes Stephani Birchingtoni ab anno 1199, ad 1374. Willelmi Chartham ab anno 1374, ad 1381. distributâ inter singulos vice Notarum paginis suppositarum Dissertatione nostrâ ad annum 1381. subjectâque ad calcem reliquâ; loco etiam suo interpositis singulis additamentis & emendationibus, quæ in Voluminis hujusce fine reperiuntur.

XVII. De Scriptoribus in hac primâ Parte editis æquum est ut nonnulla præmittamus; quòd proximè faciendum est. Qui primum tenet locum, *Stephanus Birchington* Ecclesiæ Cantuariensis Metropoliticæ Monachus fuit, vico de Birchington in Insulâ Taneto oriundus. Mentio ejus habetur apud Thomam Cawston Monachum Cantuariensem, qui Historiam de Monachis Ecclesiæ Christi Cant. duplicem scripsit, viz. quo die singuli professi fuerint ab anno 1207, ad 1486. & quo die singuli obierint ab anno 1286. Iste Birchingtonum anno 1382. solenni ritu professionem fecisse refert. Longè tamen antea se Monachorum Cantuariensium consortio adjunxisse Stephanus censeri potest. Obitum ejusdem Obituarium Ecclesiæ Cant. his verbis exhibet: *xii. Cal. Septembr. obiit Stephanus Brychinton, Sacerdos & Monachus nostræ Congregationis.* Historiam Archiepiscoporum Cantuariensium ab illo scriptam fuisse, atque hanc, quam, nunc primùm edimus, ipsius esse ex Jocelino didici. Iste librum illius frequentissimè citat; & in Johannis Stratfordi Vitâ multa ex Birchingtoni Historiâ adducit, quæ in nostrâ totidem verbis reperiuntur. Plura ejusmodi ad Historiæ nostræ marginem notata occurrunt; plura alia notaveram, à Typographo perperam omissa. Quinimo idem Author Edwardi Regis & Johannis Archiepiscopi invectivas in Historiâ suâ reponens, præfatur eas se à Birchingtono accepisse, & apud alium Historicum commemoratas non invenisse. Ille autem, quo Jocelinus usus est Codex, nostro uberior fuit. In antiquioribus enim Archiepiscopis multa ex Birchingtoni Historiâ citat, quæ in nostrâ desiderantur; eundemque in Sudburii & Courtneii Archiepiscoporum Vitis laudat. Duplicem

In Archivis Eccl. Cant.

Antiqu. Britan. p. 224.

plicem

plicem itaque Historiæ suæ editionem Birchingtonus adornavit. Prima, quæ in anno 1368. desiit, nunc prodit, ex Codice Bibliothecæ Archiepiscopalis Lambethanæ ejusdem ætatis descripta. In eodem Codice habentur Historiæ de Regibus Anglorum, de Pontificibus Romanis, & de Imperatoribus Romanis. Illa desinit in anno 1367. ista in anno 1378. hæc in anno circiter eodem. Ab eodem Authore, à quo Historia sequens de Pontificibus Cant. omnes fuisse profectas jurare ausim. Tanta styli ac methodi similitudo in singulis intercedit. Quatuor istæ Historiæ extabant simul olim penès Willelmum Reede, Episcopum ab anno 1368. Cicestrensem; qui easdem resectis epistolis, invectivis, & narrationibus longiusculis, abbreviavit, verbis tamen in his quæ manebant minimè immutatis. Abbreviatio extat in Bibliothecâ Cottonianâ. Ex eâ variantes Lectiones descripsi, quæ ex adverso primæ paginæ conspiciuntur. Aliam postmodum Historiæ de Archiepiscopis Cant. editionem auctiorem & ad annum circiter 1382. deductam Stephanus dedit; cujus facta est Jocelino copia, nobis frustra quæsita. Hujus Scriptoris notitiam Pitseus ex unico Jocelino hausit; quamvis id iniquus plagiarius pro more dissimulaverit. Plagii autem crimen turpissimo errore non injustè luit. Stephano enim aliud Opus ascribit, *Episcoporum Eliensium Catalogum.* Si testem quæras, nullum laudabit. Erroris autem fontem digito monstrare possum. Legerat vir incautus apud Jocelinum nonnulla; quibus ex Birchingtono pariter ac Historiâ Eliensi narratis iste testem utrumque in margine simul adhibuerat hoc modo, *Steph. Birch. Catal. Episc. Eli.* Hinc arrepto errore Pitseus Birchingtonum Catalogi Eliensis authorem posuit; quod Jocelino nunquam in mentem venit. Quæ ex utroque Jocelinus narravit, apud utrumque in hac primâ Collectionis nostræ parte reperiri possunt. Pitsei errorem Gerardus Johannes Vossius secutus est; quod extraneo homini facilè ignoscendum erat.

Julius B. 3.

Append.cent.4 c. 39.

P. 246,248.

De Histor. Lat. l. 3. c. 2.

XVIII. Vita, quæ sequitur, Simonis Sudburii Archiepiscopi Cant. desumpta est ex prolixo Opere cui titulus est *Speculum Parvulorum,* in Bibliothecâ Lambethanâ asservato. Illi eadem manu scripta præfigitur istiusmodi nota *Liber compositus & perquisitus Dompni Willelmi Chartham Monachi hujus Ecclesiæ anno Domini MCCCCXLVIII.* Monachum Cantuariensem authorem fuisse ostendunt plurima, quæ in Ecclesiâ Cantuariensi post annum 1400. facta ibidem narrantur. Plures Monachos Cantuarienses hoc nomine insignitos invenio. Apud Historiam enim Thomæ Cawston quidam Willelmus Chartham habitum Monasticum induisse legitur 1329. 9. Octobr. alius anno 1418. alter 1430. quartus 1473. quintus 1487. Ex his

alter

alter obiit 1488. 14. Cal. Sept. cujus obitum eo die etiam Obituarium Cant. memoravit; & alium cognominem 7. Cal. Febr. obiisse retulit.

XIX. Excerpta subjeci quædam de Roberto Winchelse Archiepiscopo ex Chronico Ecclesiæ Cant. circa annum 1306. scripto, quod penès RR. in Christo Patrem D. Wilhelmum Archiepiscopum Cant. habetur. Id eo animo feci, ut ex iis lucem acciperet Birchingtoni de Roberto Historia; quæ encomiastico magis quàm Historico more scripta, rerum gestarum causas atque tempora minùs accuratè distinxit.

XX. Dies Obituales Archiepiscoporum Cant. ex Martyrologio (Martilogium sequiores vocant) & Obituario Ecclesiæ Christi Cant. quæ in volumine quodam Bibliothecæ Lambethanæ pulcherrimè exarata extant, descripsi. Martyrologium à Romano in paucis discrepat, nisi quòd Sanctorum omnium Anglorum nomina suis quæque diebus apposuerit, Obituarium autem Monachorum omnium, Archiepiscoporum, Benefactorum Ecclesiæ Cantuariensis & aliorum spirituali societate Cantuariensibus conjunctorum à primâ Ecclesiæ fundatione ad annum circiter 1530. dies obituales, additis plerunque insigniorum elogiis, juxta mensium & dierum ordinem complectitur. Ejusmodi Obituaria in singulis ferè Cœnobiis majoribus asservabantur; in quæ Monachorum & Benefactorum obitus referre solebant; & quamprimùm Codex nominibus repleri cœperit, eadem in alium Codicem describere. Hinc ex vetustioribus Ecclesiæ Cant. Obituariis bina in Bibliothecâ Cottonianâ habentur; aliud recentius in Bibliothecâ Arundellianâ, omnium autem novissimum in hac nostrâ Lambethanâ; quod proinde reliqua omnia complectitur, utpote post annum 1517. conscriptum, & obitus etiam usque ad annum 1538. sequentes suis locis manu alienâ adjungens. Hæc Archiepiscoporum elogia obitualia indecoris hiatibus diduxisse Typographum plurimùm piget.

Nero C. 9.

XXI. Historiam Controversiæ inter Archiepiscopos Cant. & Ebor. de Primatu in calce voluminis Lambethani, quod Birchingtoni Historias complectitur, scriptam inveni. Author, qui è Cantuariensi cœtu prodiisse videtur, omnia quæ Anselmi & Radulphi Archiepiscoporum tempora spectant ex Eadmero verbatim desumpsit. Aliam longè fabulam de hac controversiâ texunt Historici Eboracenses. Veritatem autem penès Cantuarienses fuisse, Sedemque Eboracensem Cantuariensi ab anno 1664, ad 1119. subjectam fuisse luculenter ostendemus, si quando Eboracensium

Pon-

Pontificum historiam aggressi fuerimus. Codex noster plurimis inquinabatur mendis.

XXII. Formulas plures Professionum obedientiæ canonicæ Sedi Cantuariensi à Suffraganeis Episcopis olim factarum subjeci. Quando primùm Suffraganei Metropolitanis suis obedientiam profiteri cœperint, parum constat. Id autem omnibus notum est, à primævis Ecclesiæ sæculis receptum fuisse morem, ut Patriarchæ ad thronos suos recenter evecti fidei suæ formulas seu Symbola aliis Patriarchis scripta transmitterent; ut ex his se catholicè sentire & catholicam communionem fovere ostenderent. Sic etiam Metropolitani Patriarchis, sic Episcopi Metropolitanis suis literas non absimiles destinare solebant. Invaluit postea consuetudo, ut iisdem scriptis Episcopi Suffraganei catholicam fidem & canonicam subjectionem profiterentur. Antiquiores itaque, quas exhibemus, formulæ utriusque professionem continent. Postremò resectâ fidei confessione, formula in nudam obedientiæ professionem transiit. Ex Professionibus ante Normannorum adventum nullam vidi autographam. Plusquam centenas autem bene prolixas, omnesque ab invicem diversas, perlegi in Registro quodam Ecclesiæ Cant. pulcherrimo congestas. Extant ferè totidem in Codice quodam Cottoniano, manu elegantissimâ ante annos 500. juxta temporis ordinem digestæ. Ex his nonnullæ in Codice Cantuariensi desiderantur; longè autem plures in hoc habentur, quæ in illo frustra quæruntur. Ex Professionibus post Conquestum factis innumeras ferè in Archivis Ecclesiæ Cant. autographas vidi. Tunc primùm formula omnibus Episcopis communis esse cœpit. Solebant itaque Clerici & Officiales Archiepiscopales plura ejusmodi Instrumenta nitidè scripta comparare, relicto ad inscribendum Episcopi professuri nomen chasmate. Huic Episcopus inter consecrationem suscipiendam nomen propriâ manu inscripsit; dein formulam clarâ voce legit, lectamque Archiepiscopo in manus tradidit. Eandem Archiepiscopus Monachis Cantuariensibus in archiva Ecclesiæ referendam consignavit. Quòd si Episcopus ab alio, vel extra Ecclesiam Cant. consecratus fuerit; professionem Archiepiscopo similem facere, quamprimùm illi obvius esset, tenebatur; Ecclesiam quinetiam Metropoliticam adire, & renovatam Professionis formulam super altare summum reponere. In horum instrumentorum tergo Monachi seu Notarii, Clericive, præsentes solebant inscribere Episcopi consecrati seu confirmati & Archiepiscopi consecrantis seu confirmantis nomina, consecrationis tempus, locum, aliasque circumstantias insigniores, Episcoporum etiam assistentium & testium præsentium nomina. Ex his consutis & juxta temporis seriem

Cleopatra E. 1.

ſeriem diſpoſitis Monachi plurimos immenſæ prolixitatis rotulos contexuerunt: quales in Eccleſiâ Cant. nonnulli hodienum ſuperſunt. Horum plures, ſimul ac ante-Normannicas Profeſſiones, in Regiſtrum quoddam tranſcripſit Johannes Cranborn circa annum 1360. qui nonnulla de Epiſcopis ſui temporis ſcitu digna intexuit. Pauca de Epiſcoporum Profeſſionibus uſque ad annum 1400. manus recentior appoſuit. Johannes autem Clericus erat Simonis Mepham Archiepiſcopi Cant. Capellâ de Cortynton in Dioceſi Sarum ab ipſo donatus anno 1331. & profeſſioni Johannis Aſſavenſis Epiſcopi anno 1353. factæ intererat.

XXIII. Catalogum Henrici de Eſtriâ & Annales Roffenſes nactus ſum, poſtquam Diſſertationem de verâ ſucceſſione Archiepiſcoporum Cant. ſcripto commiſiſſem. Illa itaque appoſui; ut Chronologia Archiepiſcoporum noſtra ex iis ſeu robur ſeu medelam acciperet. Sanè maximè mihi gratulatus ſum, quòd in S. Auguſtini obitu deſignando ſuffragium obtinuerim Annalium Roffenſium, qui ante quingentos annos ſcripti plurimam fidem meruerunt. Radulphi Dicetenſis Indiculum ex binis Codicibus Lambethanis perpulchris hauſi.

XXIV. Diſſertationem *de verâ ſucceſſione Archiepiſcoporum Cant.* operis inſtituti ratio exegit. Huic aliam *de duobus Elfricis* adjunxi. Pigebat ſummopere hiſtoriam Elfrici Grammatici, qui de Eccleſiâ Anglo-Saxonicâ tranſmiſſis ad poſteros ſcriptis quamplurimis tam præclarè meruit, adeò conturbatam, involutam, ac ferè ignotam eſſe. In deſignandis illius tempore, dignitate, & rebus geſtis, me ſententiam planè novam iniviſſe fateor; tot tamen tantiſque argumentis firmatam, ut non facilè aliis rejicienda fuerit. Nullum ferè argumentum nobis adverſatur, niſi quòd ætas penè centenaria Elfrico juxta calculum noſtrum ſit concedenda; ætas quidem rara, quæ tamen apud nos exemplo non caret, quamque Herewaldus Landavenſis Epiſcopus eodem ſæculo ſuperavit.

XXV. Annum obitûs S. Auguſtini Cant. & Elfrici hiſtoriam certâ luce donâſſe ad elucidendam Eccleſiæ Anglicanæ Hiſtoriam magni erat momenti. Subjeci itaque monumenta quædam antiqua, quæ calculum ſeu ſententiam à nobis ſuperiùs poſitum confirmant. Primum in his locum tenet Chronicon breve; quod ad calcem Hiſtoriæ Hugonis Floriacenſis manu perantiquâ ſcriptum inveni in Bibliothecâ Lambethanâ. Prima ejus pars ſc. ad annum 734. ex Bedæ Hiſtoriâ & Epitome verbatim deſumpta eſt, additis duntaxat annorum numeris, qui apud Bedam plerunque deſiderantur,

tur. Pars posterior ab anno 1065, ad 1163. de rebus Scotorum præsertim agit; ut Scotum quendam authorem habuisse meritò quis suspicetur. Eundem Cœnobii S. Crucis Edinburgensis Monachum fuisse indigitant quæ de isto Cœnobio ejusque Præpositis uberiùs narrantur.

XXVI. Succedit Historia Abendoniensis, quæ Elfrici temporibus definiendis aliisque difficultatibus expediendis plurimum contulit. Illam decerpsi ex Annalibus Mariani Scoti seu potiùs Florentii Wigorniensis, in Bibliothecâ Lambethanâ asservatis. Codex, qui manu longè elegantissimâ exaratus est, ad Cœnobium Abendoniense olim spectabat; & à Monacho quodam ejusce Cœnobii ista additamenta suis quæque annis intertexta accepit. Chronicon quoddam ab orbe condito ad annum 1083. Marianus Scotus, Monachus Moguntinus, novâ methodo conscriptum evulgaverat; quod in Angliam brevi perlatum, Monachis nostris adeò probatum est, ut id in singulis ferè Monasteriis describerent. In his *Robertus Herefordensis Episcopus, omnium liberalium artium peritus, Cronicam Mariani Scoti diffusam defloravit; ut magis valere videatur Defloratio, quàm ingentis voluminis diffusio*: prout habet Johannes Tinmuthensis in Historiâ Aureâ. Robertus ille anno 1095. obiit. Defloratio ista (sic mea fert sententia) loco integri Mariani edita est *Basileæ* 1559, & in Historicorum Germanicorum Collectiones postea translata. Genuinum Mariani Chronicon Florentius Monachus Wigorniensis anno 1117. transcripsit, res Anglicanas singulis annis maximâ fide ac diligentiâ intexuit, & ad sua tempora deduxit. Florentii anno 1118. defuncti laborem exceperunt alii Wigornienses Monachi; resque annis sequentibus gestas apposuerunt. Hujus Historiæ Wigorniensis exemplar nactus Monachus quidam Abendoniensis anno 1131. eam in Cœnobii sui usum eleganter descripsit, additis his (quæ nunc primò evulgamus) laciniis. Quæcunque ille de Ethelwaldo habet, ex *Vitâ* ejus per Wlstanum Cantorem scriptâ (extat ea apud Mabillon. Sæc. Benedict. V. p. 608.) ferè hausit; reliqua de suo dedit. Nusquam meliorem Historiæ Mariani ac Florentii codicem exstare arbitror. Qui Florentii enim Annales postea descripserunt, plurima Mariani resecuerunt, atque ipsos Florentii numeros sæpissimè vitiârunt. Manco ejusmodi ac vitioso Codice usus est vir nobilissimus Gulielmus Howardus, qui Florentii Chronicon primus evulgavit *Londini* 1592. 4°. Noster autem Abendoniensis habet Mariani tractatum *de computo Paschali*, Chronico suo vice Præfationis præmissum, & ejusdem *de Concordiâ Evangelistarum* librum satis prolixum, primæ ac secundæ Chronici partibus ad illustrandas D. N. J. Christi res gestas interpositum.

L. 22. c. 3.

situm. Cæterùm ingratus essem si dissimularem Historiam Ecclesiasticam Anglicanam, præsertim antiquiorem, Monachorum Abendoniensium diligentiæ plurimùm debere. Ex nullo enim Cœnobio plures prodierunt Annales Saxonici, Latini, Latino-Saxonici, rerum antiquitus gestarum monumenta, Historiæ, Chartularia, & librorum melioris notæ apographa.

XXVII. Chartam Ethelredi Regis Wlfsino datam ad definienda Wlfsini tempora exhibui ex Instrumento autographo in Bibliothecâ Cottonianâ *Otho A.* 17.

XXVIII. De Epistolâ sequenti Alexandri Papæ aqua mihi hæret. Spuriam esse tum ex insolitâ salutationis formulâ in initio, tum ex tempore malè posito in fine, constat. Nondum enim Thomas thronum Archiepiscopalem conscenderat, quando hæc epistola scripta dicitur. Illam autem ex Codice ante annos circiter 270. scripto accepi; ut mirari subeat, in quem finem & à quo conficta fuerit. Thomas quidem alter erát Archiepiscopus Cant. tempore Alexandri V. Papæ; qui variam subinde fortunam expertus est. Verùm in hac Epistolâ ille qui vapulat Archiepiscopus iis designatur indiciis, quæ nulli nisi Thomæ Becket conveniunt. Incredibile forsan videatur Papam huic Thomæ, pugili suo fortissimo, ejusmodi contumelias inferre voluisse. Quamvis ortâ primùm inter ipsum & Regem contentione, nondum Thomas Papæ innotuerat; vereor etiam ne in utrâque aulâ tam Regis Angliæ quàm Pontificis Romani eo tempore stultitiæ notam subierit, & Archiepiscopali Sede indignus haberetur. Sic enim Petrus Blesensis in epistolâ circa annum 1173. scriptâ, Reginaldum Bathoniensem Electum à suspicione cædis Thomæ purgans, habet. *Beatus Martyr suspenderat patrem suum Episcopum Sarisberiensem. Nec mirum eo tempore videbatur, si filius afflicto patri compatiens, quandoque duriùs aut minùs consultè de dicto Martyre loquebatur. Nam & nos insensati vitam ipsius putabamus insaniam; & finem illius sine honore. Quicquid faciebat caritatis obtentu & zelo justitiæ, in crimen odii & invidiæ vertebatur, &c. Si ergo Bathoniensis Electus, sicut & nos omnes, vitam Martyris quandoque habuit in derisum; non est quod ei debeat imputari in crimen.* Gilbertus etiam Londinensis Episcopus Thomæ, antequam exularet, in os palàm dixit. *Stultus hactenus fuisti; & ab hac stultitiâ, ut video, de cætero non recedes.*

Epist. 45.

Alanus in Quadrilogio c. 30.

XXIX. De Roberto Winchelse Archiepiscopo Cant. Birchingtonus multa supra contulerat. Epistolam itaque de canonizatione ejus impetrandâ, præclarum adeò de sanctitate illius testimonium

rejicere nolui. Paucis post obitum annis fama increbuit de miraculis ad sepulchrum illius factis. Harum certam sibi relationem transmitti Thomas Lancastriæ Dux, magnus Angliæ Seneschallus, à Conventu Cantuariensi petiit literis (quas vidi) Gallicè scriptis. Idem de his miraculis Papam mox certiorem reddidit; & Robertum Sanctorum catalogo inferri enixè postulavit. Rescribit Johannes Papa fieri id non posse, antequam miraculorum veritas solenni examine instituto comprobata fuerit. Ad examen hujusmodi instituendum Walterus Archiepiscopus, jubente Papâ, potestatem dedit Londinensi & Cicestrensi Episcopis 1319. 14. Novembr. Neque aliud postea in hac causâ factum reperio. Epistolam Walteri & Suffraganeorum à nobis editam Registrum quoddam Ecclesiæ Cantuariensis dedit.

Archiva Eccl. Cant.

XXX. Ecclesiæ Wintoniensis historiam fusè præ aliis digessit Thomas Rudburn Ecclesiæ ejusdem Monachus. Novi Monasterii Wintoniensis, quod ab Hidâ nomen accepit, fuisse Monachum Baleus malè tradidit. Ecclesiæ enim Cathedralis S. Swithuni Cœnobitam fuisse tum ex plurimis Historiæ *Majoris* locis tum ex Prologo ad Historiam *Minorem* liquet. Balei errorem Pitsius & Vossius transcripserunt. *Junior* dictus est iste Thomas, ut à Thomâ Rudburno seniore, Episcopo Menevensi, qui sub ejusdem sæculi initium Chronicon de rebus Anglicanis contexuit, distingueretur. Perperam tamen Johannes Jocelinus in Commentario MS. *de Historicis Angliæ*, Rudburnum Seniorem Novi Cœnobii Wintoniensis Monachum fuisse retulit; & Historiam Junioris Majorem Vossius Seniori inscripsit. Scripsit ille Junior primùm Historiam brevem de fundatione, incrementis, atque Episcopis Ecclesiæ Wintoniensis, à Lucio Rege ad tempora Henrici VI. Regis. Istam Cl. Usserius in Opere suo de Antiquitatibus Britannicis titulo *Historiolæ Wintoniensis* sæpiùs laudavit; nosque illam modò eodem modò *Epitomes Historiæ Majoris* nomine insignitam crebrò citavimus; partesque ejus primam ac postremam in Opere sequenti p. 179, 180, 181, 285, 286. exhibuimus. Justa est enim *Historiæ Majoris*, quantum ad Ecclesiæ Wintoniensis res spectat, Epitome, iisdemque ferè verbis utitur: ut ab eodem Authore, quantumvis nomen illius in fronte non gerat, fuisse profectam dubitari nequeat. Scripta autem ante *Historiam Majorem* fuit, tempore Henrici Beaufort Episcopi, qui anno 1447. obiit. Circa annum 1440. scriptam fuisse Usserius non malè conjecit. Habetur in Bibliothecâ Cottonianâ *Galba A.* 15. Præcedunt in eodem Codice Annales breves Ecclesiæ Wintoniensis à Bruto ad Henricum VI. Regem; qui *Historiæ Majoris* quoad res civiles narrandas epitomen

Cent. 7. c. 95.

Cap. 879.

De Hist. Lat. l. 3. c. 9.

Cap. 89.

L. 3. c. 5.

Antiqu. Brit. c. 6. p. 66.

men constituunt, eosdemque Authores sc. Vigilantium *de Basilicâ Petri*, Dolensem *de gestis Dacorum super Anglos, &c.* passim citant. Scripti sunt anno 1454. quod ex innumeris ferè locis constat: unicum ponam. *Dedicata est Ecclesia Wintoniensis anno CLXIX. iv. Cal. Novembr. A primâ fundatione & dedicatione Winton. Ecclesiæ fluxerunt anni MCCLXXXV.* Post Ethelwaldi Episcopi tempora paucissima habent de Ecclesiâ Wintoniensi, in successione Regum Angliæ narrandâ insumpti. Præter hæc justam de rebus Anglicis Historiam Rudburnus scripsit à Bruto ad annum 18. Henrici III. Regis, viz. Christi 1234. cui *Breviarium Chronicorum* titulum fecit: nos *Historiam Minorem* eam passim appellavimus. Inibi Regum Britonum à Bruto ad Codwalladrum, Saxonum etiam in unaquaque Heptarchiâ successionem & res gestas contexuit. Totus est in Historiâ Civili. Pauca admodum habet de Episcopis Winton. præter nudam illorum successionem, & quæ de Alwyni Episcopi & Emmæ Reginæ purgatione fusiùs narravit. In hac autem narrandâ Annales Wintonienses ferè verbatim descripsit. In posterioribus annis unicum penè Matthæum Paris sequitur; & de Episcopis Winton. post annum 1150. paucissima dedit. Ubique autem tempora infœlicissimè digessit. Insigniores hujus ab *Historiâ Majore* diversitates in Annotationibus exhibui. Facta est enim illius copia ex Bibliothecâ Cottonianâ *Nero A. 17.* Scripta est ea ante Historiam Majorem. Sic enim legitur in ejusdem Prologo: *Et quæ hîc leviter pertranseo, in majori nostrâ Cronicâ opitulante Dei clementiâ supplebo.* Et iterum ad annum 1189. de Henrici II. Regis obitu loquens ista habet. *Et ista sufficiant in præsenti nostro Libello Minori. Plura dicenda sunt in Cronicâ nostrâ Majori, ut patebit intuentibus, & etiam de cæteris Anglorum Regibus.* Demum itaque Rudburnus stilo uberiore & diligentiâ longè subtiliori *Historiam Majorem* composuit. Eam neque Baleus nec Jocelinus nec Lambardus, viderant; qui tamen perlectâ *Historiâ Minori* ejusmodi Opus à Rudburno adornatum fuisse collegerunt. Illam nos ex Codice Lambethano evulgavimus; resectis ut plurimùm iis quæ aliunde hauserat, indicatis tamen singulis ex quibus hausta sunt fontibus. Inutile enim fuisset amplissima aliorum Historicorum fragmenta, quæ historiæ suæ Rudburnus intexuit, exhibuisse; cùm ad Ecclesiam Wintoniensem neutiquam spectarent, & ex Authoribus suis jamdiu vulgatis meliùs peti possint. Codex Lambethanus & in fronte & in fine mutilus integram Rudburni Historiam nobis denegavit; neque Codex alter in Collegio Corporis Christi Cantabr. asservatus aliquid subsidii tulit. Incertum igitur manet, à quo tempore exorsa fuerit & in quo desierit *Historia Major.* Mihi tamen videtur initio ejus perpauca deesse, & ex

Historiolâ Wintoniensi non malè restituta esse. In hoc opere Rudburnus ad annum 1071. continuam Ecclesiæ Dunelmensis historiam à primâ Sedis Episcopalis fundatione ad annum 1083. dedit. Illam inter alias Ecclesiæ Dunelmensis Historias edere nobis aliquando in animo fuit. Postea autem collatâ Simeonis Dunelmensis Historiâ, illam ex hac (paucissimis demptis) congestam esse deprehendens, omittere consultius duxi. Deest quidem apud Simeonem Willelmi Episcopi de Monachis introducendis Charta. Verùm hanc paulò corruptiorem tamen, Monasticon Anglicanum dabit tom. 1. p. 42. Historiam suam Dunelmensem Rudburnus his verbis claudit. *Ista quæ hîc scripsi de Dunelmensi Ecclesiâ, habui in libro Privilegiorum ejusdem Ecclesiæ ex accommodatione M. Roberti Nevyle Dunelmensis Episcopi.* Robertus Sedi Dunelmensi præfuit ab anno 1438, ad 1457. Atque hinc Rudburni ætas non malè definiri potest. Illam Baleus & Baleum secuti Pitsius & Vossius ad annum 1480. producunt; hac ratione moti, quòd Johannes Rossus, qui anno 1491. obiit, se Rudburni præsentiâ aliquando usum fuisse scripserit. Quem *de rebus Hidensis Monasterii* Baleus Rudburno inscripsit, librum ex errore superiùs indicato natum arbitror.

XXXI. Chronicon Cœnobii Wintoniensis Ecclesiæ succedit. Id ex Codice Cottoniano *Domitian A.* 13. descripsi. Partem ejus priorem, ab initio sc. ad annum 1086. Cl. V. Willelmus Dugdale ex eodem Codice evulgavit in Monastico Angl. tom. 1. p. 31. In his Annalibus, (quod de Roffensibus etiam & Wigorniensibus dicendum est) omnia retinui quæ ad Historiam illius Ecclesiæ vel etiam ad totius Ecclesiæ Anglicanæ vel Sedis alicujus Episcopalis aut Cœnobii faciebant, nisi quæ nullius planè pretii lectuque indigna viderentur. In iis quæ historiam sæcularem spectabant, hanc rationem inii, ut adhiberentur omnia alicujus momenti, quæ apud alios Historicos vulgatos desunt, vel in his uberiora sive diversa habentur; quæ autem apud Historias publici juris factas prostant, vel certiùs, aut sine insigni differentiâ traduntur, mitterentur. Authorem fuisse Monachum Wintoniensium ex plurimis Annalium locis constat.

XXXII. In sequenti Historiæ Wintoniensis Continuatione mirabitur forsan Lector me Episcoporum omnium Wintoniensium res gestas stilo latiori prosecutum non esse. Sanè ingratum mihi semper erat ea omnia, quæ antea ab aliis dicta fuerant, convasare, laudemque aliis debitam subfurari. Nos tempora præ aliis certa dedimus, res aliis intactas narravimus. Si quis uberiora

riora velit, fontes omnibus patentes petat. Willelmi Wickham & Henrici Beaufort Episcoporum vitis eleganter atque ubertim scriptis, laudem Godwinus meruisset; nisi Willelmi historiam se ex Jocelino verbis nonnihil immutatis hausisse ingratus dissimulâsset. Aliorum Episcoporum res, antequam ad Sedem Winton. transferrentur gestæ, rectiùs in primarum Sedium historiis quærendæ erunt. Sic Adami Orleton historia apud Herefordenses, Petri Courtney & Ricardi Fox apud Exonienses Episcopos justiùs est collocanda. Stephani Gardineri Vita latiùs est enarranda; si quando Episcoporum post Reformationem degentium historiam susceperimus.

XXXIII. Epistolas tres de Monachis Ecclesiâ Cathedrali Wintoniensi non ejiciendis accepi ex Codice Cottoniano *Vitellius E.* 4. manu pervetustâ scriptas. Narrat Eadmerus Episcoporum Angliæ conatum de eliminandis ex Ecclesiis Cathedralibus Monachis tempore Willelmi I. Regis factum. *Omnes circiter*, inquit, *qui ex Clericali Ordine per Regem Willelmum in Angliâ constituti Pontifices erant, Monachos qui in nonnullis Episcopatibus Angliæ ab antiquo vitam agebant, inde eliminare moliti sunt; & Regem ipsum in hoc sibi consentaneum effecerunt; in quo tam se effectu potituros certi extiterant, ut Walchelinus Episcopus adunatos penè quadraginta Clericos, Canonicorum more tonsurâ ac veste redimitos haberet; quos ejectis Monachis Wentonæ Ecclesiæ, cui præsidebat, mox intromitteret. Sola mora hæc peragendi, nondum requisita ab Archiepiscopo Lanfranco licentia fuit.* Lanfrancus autem, qui è grege Monastico prodierat, totis viribus obnixus Episcoporum conatum elusit, & Monachis Ecclesiarum suarum possessionem asseruit. Hac spe dejecti Episcopi, Monachos ab Ecclesiâ saltem metropoliticâ Cant. ejicere moliti sunt, Rege ac Principibus conspirantibus. Omnibus tamen prævaluit industria Lanfranci; qui ab Alexandro Papâ Ecclesias Monachis confirmari & anathema adversaturis incuti obtinuit. Sequitur Alexandri Bulla in Codice Cottoniano. Cùm autem apud Eadmerum & inter Lanfranci Epistolas & in Conciliorum tomis ea habeatur; missam feci.

Hist. Nov. l. 1. p. 10.

XXXIV. Lantfredi Epistola præfatoria extabat inter alias Epistolas vetustissimâ manu semi-Saxonicâ exaratus in Bibliothecâ Cottonianâ *Vespasian A.* 14. Integer autem Lantfredi liber in alio eximiæ antiquitatis atque pulchritudinis Codice *Nero E.* 1. habetur. Titulum habet *De Miraculis S. Swithuni.* Agit autem solummodo de miraculis post obitum illius patratis: de rebus enim à Swithuno vivente gestis se perparum scire Lantfredus fatetur. Inter alios libros Saxonicâ linguâ scriptos, quos penè se extitisse

Joce-

Jocelinus refert, memoratur *Depositio Swithuni per Lantfredum.* Commentarium itaque Lantfredi, saltem partem ejus nonnullam, ab alio Saxonicè versam esse conjicio. Ipse autem Lantfredus circa annum 980. claruisse à Pitseo atque Vossio non malè dicitur.

XXXV. Ernulfus Roffensis Episcopus, qui Sedem ab anno 1114, ad 1124. tenuit, librum compilavit de Ecclesiæ Roffensis fundatione, dotatione, chartis, placitis, aliisque rebus ad eam spectantibus. Codicem in Archivo Ecclesiæ Roffensis asservatum Decanus & Capitulum Roffense benignitate summâ mihi transmiserunt. Plurimis nostræ gentis Antiquariis *Textûs Roffensis* titulo innotuit. In fronte libri hanc inscriptionem manus antiquissima apposuit *Textus de Ecclesiâ Roffensi per Ernulfum Episcopum.* Continet autem plura monumenta tam Latinè quàm Saxonicè scripta, viz. Leges Ethelberti, Alfredi, Guthrunni, Edwardi, Edmundi & Ethelredi Regum, Saxonicè; Exorcismum Ordalii, Leges Canuti Regis, Constitutiones Willelmi I. Regis, Excerpta ex decretis Pontificum, Institutiones Henrici I. Regis anno 1101. latas, successionem Pontificum & Imperatorum Romanorum, Pontificum Jerosolymitanorum & quatuor Sedium Patriarchalium, Nomina Archiepiscoporum & Episcoporum Angliæ à S. Augustino per singulas Sedes distributa, Latinè; Judicia civitatis Lundoniæ, Genealogiam Edwardi Regis ab Adamo, Genealogias omnium Angliæ Heptarcharum ab Adamo, Saxonicè; Privilegia, Chartas, Ordinationes, &c. Ecclesiæ Roffensis Latinè & Saxonicè. Nulla habentur in Codice, Ernulfi ætate inferiora; si demas 13. nomina in Catalogo Archiepiscoporum Cant. & 15. nomina in Catalogo Episcoporum Roff. quæ ab alienâ manu diversis sæculis accesserunt; ut ex literis & atramento constat. Quædam enim manus Episcoporum sex Ernulfum sequentium nomina adjecit; cui alia manus recentior Episcoporum novem succedentium nomina apposuit. His addenda sunt pauca quædam de rebus tempore Johannis & Ascelini Episcoporum gestis, post folium 203. congesta. Cætera omnia manu Ernulfo coævâ scripta sunt. Leviora forsitan hæc videri possent; ni quis ea quæ ad Historiam Roffensem ex hoc Codice adnotantur inspexerit. Ista enim nos præfari debuisse tunc facilè liquebit. Cæterùm aliis ingenii monumentis Ernulfus inclaruit. In his extat Epistola ad Walkelinum Wintoniensem Episcopum de *Incertis Conjugiis* præclara; quam R. P. Lucas Dacherius in Spicilegio suo evulgavit tom. 2. p. 410. Habetur eadem Ernulfo inscripta in Codice vetustissimo Bibliothecæ Lambethanæ, vix unico apice à Dacherianâ diversa. Turpissimè verò hallucinatus est Baleus; qui Opera

Cent. 2. c. 70.

quædam

quædam Arnulphi Lexoviensis Episcopi & Arnoldi Bonævallis Abbatis Arnulpho Roffensi Episcopo inscripsit, eundemque permiscuit cum Arnulpho Presbytero, quem Romanorum Clericorum insidiis Honorii II. Papæ tempore Platina refert fuisse sublatum, dum in Romanæ Curiæ vitia acrius inveheretur. Reipsâ enim Arnulphus ille Concionator toto cœlo diversus erat à Roffensi nostro, qui ante incœptum Honorii Pontificatum obiit. Veritas autem Baleo parum curæ erat, dummodo Romanæ Ecclesiæ inimicorum numerum augere posset. Cæterùm nos insigniora Ecclesiæ Roffensis monumenta ex Ernulfi farragine delectu habito exscripsimus, & nunc primùm evulgavimus.

Vita Honor. 2.

XXXVI. Annales Ecclesiæ Roffensis accepti sunt ex Historiâ amplissimâ, quæ in Codice Cottoniano *Nero D. 2.* elegantissimè exarato reperitur. Ei manus recentior titulum apposuit; *Historia Ecclesiastica Monachi Roffensis.* Ab orbe condito ad annum Christi 1307. manu perpetuâ deducitur. Dein aliâ manu subjungitur Continuatio ab anno 1307, ad 1377. multò succinctior. Prima pars eadem planè est cum Historiâ, quæ Matthæo Westmonasteriensi inscripta prodiit; si ea demas, quæ ad Ecclesiam Roffensem spectantia nos excepimus, & nunc primùm publici juris fecimus. Pars secunda de rebus Ecclesiæ Roffensis nil omnino habet. Chronicon istud, saltem Additamenta Roffensia, Edmundo de Hadenham deberi ex Willelmi Lambardi Collectaneis didici. In his enim multa ex Chronico Roffensi Edmundi de Hadenham ad annum 1307. deducto proferuntur, quæ cum nostris verbatim conveniunt. Chronicon Roffense ab anno 185, ad 1377. aliquis sæculo superiore descripserat manu pessimâ & lectu difficili. Codex (in Bibliothecâ Cottonianâ modo asservatus *Nero C. 3.*) Johanni Jocelini olim fuerat; cujus annotationes frequentes in margine reperiuntur. Multa iste prætermiserat. Jocelinus itaque manu propriâ omnia Chronici Roffensis quæ de rebus Ecclesiasticis agunt in Collectanea sua transcripsit; de rebus autem Roffensibus nil omnino dimisit. Hujus Excerpta ad annum 1377. pertingunt. Nil tamen de Roffensi Ecclesiâ post annum 1307. in iisdem occurrit: ut eodem vel simili planè Codice Jocelinus usus fuerit. Ad calcem ejus Jocelinus ista subnotavit. *Præscripta omnia desumpta sunt ex Historiâ Roffensi; quam (ut verisimile est) tres Monachi ejusdem Ecclesiæ, sese ordine in opere succedentes, composuerunt. Non est enim unus tonus totius orationis, non idem stilus, quinetiam triplex constructionis ratio. Horum Monachorum primus deduxit Historam à mundi initio ad obitum Henrici III. viz. annum Domini 1273. quando apparet Monachum claruisse. Alter adjecit historiam*

historiam Edwardi I. filii præfati Henrici, qui obiit anno Domini 1307. *Reliquam persecutus est Monachus tertius.* Ista usquequaque vera non sunt. Vix enim fieri potuit, ut tertiæ partis author fuerit Monachus Roffensis; cum in eâ nil de Ecclesiâ Roffensi habeatur. Paulò aliter Jocelinus in Libello MS. de Historicis Angliæ, cap. 77. *Matthæus Westmonasteriensis, ejusdem Cœnobii Monachus, qui à collectis Chronicorum floribus etiam Florilegi nomen est sortitus——collegit Historiarum Flores in tribus libris----- usque ad annum MCCCVII. ------ Scripsit etiam Additiones lxx. annorum, quibus Historiam priorem continuavit; quæ sic incipiunt* Sequuntur tempora duorum Regum. Cap. 78. *Historia Roffensis est omnino eadem cum Historiâ Matthæi Westmonasteriensis, nisi quando agat de rebus Ecclesiæ Roffensis. Ita uter ab altero Historiam mutuatus sit, difficile est mihi affirmare. Habet hanc totam Historiam Ecclesia Roffensis, &c. Post eam Historiam Roffensem sequuntur in libro Additiones lxx. annorum; quas arbitror esse quæ attribuuntur Matthæo Westm.* Additiones ejusmodi à Matthæo scriptas fuisse Jocelinus ex unico Baleo hausit, Baleo non aliud argumentum erat, quàm quòd eas Calci Historiæ Matthæi ad annum 1307. deductæ subjectas in eodem Codice invenerit. Cùm verò aliâ planè manu, methodo diversâ, & contractiori stylo scriptæ fuerint; ab alio authore confectas esse veriùs quis suspicabitur. Baleum sequuntur Pitsius & Vossius; atque ille Additiones hasce à Matthæo in parte suâ priori ad annum 1259. memorari adjicit. Sanè Matthæus ad librum Additamentorum lectorem remittit. Additamenta autem ista ad eadem tempora, non sæculum sequens, spectant, & Matthæo Parisio debentur, cujus verba Florilegus incautus exscripsit. Horum etiam gratiâ Matthæi Westmonasteriensis ætatem Baleus & Baleum secuti ad annum 1377. producunt. Mea autem fert sententia Matthæum circa annum 1307. claruisse, & in eodem Historiam suam terminâsse. Certè hanc, quæ sub Matthæi nomine typis impressa circumfertur, eo tempore scriptam fuisse & in anno 1307. ultimam authoris manum subiisse constat ex plurimis Codicibus coævis, ex aliorum Continuationibus ab hoc anno deductis, præsertim autem ex Continuatione Adami Merimuth, qui ab anno 1313. rebus maximis gerendis interfuit, & Historiam Matthæi nomine modò vulgatam ab anno 1307, ad 1343. produxit. Historiam verò suam Matthæus neque à Monacho Roffensi nec à Wigorniensi, qui multa illi habent communia, accepit. Nil enim de utrâvis Ecclesiâ intexuit; quod fieri, vix potuisset, si utriusvis scrinia compilâsset. Neque enim Monachi in describendis in pugillares suos aliorum Annalibus res ad Authoris primi Cœnobium spectantes subticere solent. Ut alias enim mittam, ipse Matthæus Westm. qui mediam

Cent 6. c. 31.

mediam Chronici sui partem ex Matthæo Paris hausit, multa de Cœnobio S. Albani dedit ; & Monachus Wigorniensis, Annalium Wigorn. author, Annales Wintonienses Chronico suo intexens, amplam Ecclesiæ Wintoniensis historiam simul exhibuit. Restat itaque vero maximè simillimum Matthæum Annales suo Marte elucubratos ad annum 1307. deduxisse, aliisque pro suo lubitu augendos vel ulteriùs producendos transmisisse.

XXXVII. Annales Roffenses ab anno 1314, ad 1350. dedit Codex Cottonianus *Faustina B. 5.* Author res gestas Hamonis Episcopi Roffensis literis consignare aggressus, juxta annorum seriem digessit ; & ad res minutissimas descendens, alia etiam tam in Ecclesiâ quàm republicâ eodem tempore gesta interponens, spissum opus confecit. Nos delectu habito insigniora duntaxat Hamonis gesta, quæque in Historiâ Ecclesiasticâ & Civili magis utilia videbantur, excerpsimus ; nil autem luce dignum prætermisisse spondemus. Authorem fuisse Hamonis clientem familiarem ex innumeris locis constat. Eundem Notarium publicum fuisse ipsemet sæpiùs indicat. Ferè omnia enim acta fuisse dicit *in præsentiâ mei Notarii publici infrascripti.* Nomen tamen suum nullibi apertè exhibet. In Historiâ istâ duo Notarii publici rebus Ecclesiæ Roffensis interfuisse commemorantur Willelmus de Dene & Gilbertus de Segeford. Crebriùs illius parciùs istius nomina occurrunt. Demum Willelmo hanc deberi historiam me certiorem reddidit Johannes Jocelinus in Commentario de Historicis Angliæ. Cap. 73. *Willelmus. Dene* (inquit) *fuit Ecclesiæ Roffensis Notarius publicus ; qui scripsit Historiam ab anno Domini MCCCXV, ad annum MCCCLVIII. in qua pertractat res gestas Ecclesiæ Roffensis & Episcoporum Roffensium qui illo tempore sedebant.* Incipit anno Domini MCCCXV. cedente Fr. Johanne de Grenestede. Codex autem noster (quod plurimum dolendum est) in anno 1350. desiit. Willelmus Hamonis Episcopi famulitio ab anno 1314, ad exitum vitæ adhæsit.

XXXVIII. Libellus Monachorum Roffensium de electione Episcopi in Registro *Islip* fol. 224. extat. Indultus olim Archiepiscopis Cantuariensibus fuerat Sedis Roffensis patronatus ab Angliæ Regibus. In aliis autem omnibus Ecclesiis Cathedralibus patronatu regio servato, Monachi seu Canonici Episcopum defuncti vel translati loco eligendi licentiam à Rege petere consueverunt. Monachi itaque Roffenses Sede post Johannis Episcopi obitum anno 1360. vacante, spreto Archiepiscopo eligendi licentiam sibi dari à Rege postulârunt, morem in aliis Ecclesiis recep-

ptam prætexentes. Reclamante & patronatum Ecclesiæ Roffensis ad se spectare contendente Archiepiscopo, procaces Monachi Patronatum Regis esse affirmare non erubuerunt; & ad id probandum hunc Libellum Regi obtulerunt. Ex eodem Registro f. 223. *Jura Ecclesiæ Roffensis* accepi.

XXXIX. Historia de Episcopis Norwicensibus justò brevior est. Quicquid tamen inveniri poterat, exhibuimus. Extat in Bibliothecâ Cottonianâ *Nero C.* 5. Historia Anglicana bene prolixa, & in tres libros divisa. Primus (qui in Codice desideratur) agebat de rebus Britonum. Secundus de Regibus Saxonum & Normannorum usque ad annum 1298. agit. Tertius *de Archiepiscopis & Episcopis Angliæ* inscribitur; si Sedem autem Norwicensem demas, nil habet ex Malmsburiensis Historiâ de eodem argumento non emendicatum, præter nuda Episcoporum ab anno 1125, ad 1292. nomina. Codex ante 400. circiter annos scriptus videtur. In calce illius nota manu eâdem apposita testatur triplex hoc Opus anno 1292. conscriptum fuisse à Bartholomæo de Cotton Monacho Norwicensi. Parti itaque secundæ historiam sexennalem, tertiæ septennalem Author postea adjecit. Ex secundâ parte exscripsi omnia Ecclesiam Norwicensem spectantia, factoque *Annalium Norwicensium* titulo edidi. Ex tertiâ parte integram Norwicensium Episcoporum Historiam desumpsi. Aliud hujusce Historiæ exemplar in Bibliothecâ Lambethanâ reperitur, nulli Authori inscriptum, & sine aliqua divisionis notâ ad annum 1445. productum, ulteriùs etiam producendum, ni Codex mutilatus fuisset. Partis posterioris ab anno 1299. inchoatæ Authorem fuisse Monachum quendam Norwicensem ex pluribus ejusdem locis non obscurè colligitur.

XL. Historiæ Lichfeldensis ad annum usque 1347. quinque exemplaria mihi præsto fuerunt. Primum ex Bibliothecâ Cottonianâ *Cleopatra D.* 9. ante 300. annos exaratum. Secundum, ejusdem circiter ætatis, ad calcem Chronici insignis Lichfeldensis (quod amicus quidam possidet) reperitur, In his nullam invenire potui variationem; adeóque Historiæ textum ex iisdem expressi. Reliquorum variantes lectiones in marginem rejeci. Duo enim alia exemplaria habet Bibliotheca Cottoniana: tertium mihi transmisit vir optimus Lancelotus Addison S. T. D. Lichfeldensis Decanus: Singula Authoris nomine destituta erant. Nomen ejus hoc modo expiscatus sum. Codex Cottonianus *Vespasian E.* 16. in usum Canonicorum Lichfeldensium à Gulielmo Whitloco exaratus est anno 1569. Iste Præfationem eidem præmisit, notas appo-

apposuit, & Continuationem ab anno 1347, ad sua tempora deductam subjecit. In Præfatione ista habet: *Exscribi curavi præcipuam partem illius Chronici, quod visendum patet à lævâ subeuntibus ostium australe Cathedralis Ecclesiæ. Continet enim tam fundationem ipsius Ecclesiæ quàm instaurationem & successionem Episcoporum.* Addit nota manu recentiore Anglicè apposita: *Ista Chronica verbatim concordat cum illâ, quæ in Ecclesiâ asservabatur, tabulis ligneis insculpta parieti affixis prope australe ostium. Hanc Baronis Brooks satellites dilacerârunt.* Anno enim circiter 1643. impii Puritani Diocesis Lichfeldensis duce Brookesio, armis contra Carolum I. Regem piissimum motis, Ecclesiam Cathedralem Lichfeldensem obsederunt, & post diuturnum certamen expugnârunt. Expugnatæ ornamenta omnia diripuerunt, partes ejus fragiliores manibus sceleratis effregerunt, firmiores bombardarum ictibus dejecerunt; Registra & Archiva omnia, cum sacris vestimentis atque libris, ignibus injecerunt. Quòd se partem duntaxat Chronicæ ligneæ Whitlocus exscripsisse dicat, huc referendum est. Constabat illa duplici tabellâ: altera, cui titulus erat *De Episcopis Merciensis Ecclesiæ*, Episcoporum successionem complexa est; altera brevior Regum Heptarchiæ Saxonicæ & Monarcharum Angliæ usque ad annum 1320. successionem dedit. Hujus rei testem habeo Franciscum Thynne, Antiquarium sæculo postremo non indiligentem. Is Collectaneis suis intulit Chronicon breve Lichfeldensis Ecclesiæ; cui intextam esse dicit Tabellam quæ in navi Ecclesiæ servatur, tabellam autem ad annum 1320. pervenisse. Chronicon verò istud de Episcopis Lichfeld. nil omnino habet, soli Regum successioni enarrandæ insumptum; adeò ut tabella memorata de Regibus duntaxat egerit necesse est. Idem Thynnus sibi famâ delatum refert Historiam hanc extare *in antiquo libro cujusdam Thomæ Chesterton Canonici ejusdem Ecclesiæ, qui Ecclesiæ anno* 1303. *donabatur.* In hoc quidem nonnihil lapsus. Chronicon autem suum à Willelmo Whitlocke Canonico Lichfeldensi se 1583. 3. Dec. accepisse dicit. Porrò ut ad Codicem Whitloci Cottonianum revertamur; post Rogerum de Northburgh Episcopum succedit Continuatio brevis Historiæ Episcoporum Lichfeld. usque ad initia Elizabethæ Reginæ; his præmissis, *Confratribus suis Gulielmus Whitlocke S. D. Hactenus ex veteri decerpsi quæque Tabellâ. Quod superest, vobis lectio nostra dabit.* Sic quidem Codex Cottonianus. Codex autem Addisonianus, qui anno circiter 1570. scriptus est, multo uberior est, ac justam Ecclesiæ Lichfeldensis à primâ fundatione ad istum annum Historiam complectitur. Author eadem, quæ Whitlocus supra, de Historiâ Merciensi (sic antiquam Episcoporum Historiam in anno 1347. finitam appellare liceat)

præfatur; multa itidem de fundatione fidei Christianæ in Angliâ adjicit; dein Historiam Merciensem verbatim exscribit, nonnullibi tamen apponens ea quæ Beda uberiùs refert, & observationes suas ecclesiasticas (exigui ut plurimum pretii) interserens. Singulis autem juxta temporum seriem intermiscet Historiam Regum Merciorum, ac postmodum Anglorum & Normannorum. Post annum 1347. nullum quem sequatur Authorem habens, suis verbis Historiam usque ad annum 1559. contexuit. Amplior est multò ista Historia Continuatione Whitloci supra memoratâ; ita tamen ut integra Historia minor, ne verbis quidem mutatis, ex Majore conflata fuerit; si duo vel tria additamenta excipias. Totidem enim in Minore comparent, quæ in Majore desiderantur. Pronum est itaque arbitrari Gulielmum Whitlocum Codicem Addisonianum in usum proprium conscripsisse; postea autem à Concanonicis suis rogatum, ut Historiam Ecclesiæ Lichfeldensis in Archivis ejus servandam daret, cùm integræ suæ Historiæ Majoris transcribendæ tædium subesset, Codicem Cottonianum contexuisse, additis post annum 1400. paucis, quæ ei tunc primùm in mentem seu notitiam venerant, in Historiâ Majore antea non repositis. Ex Codice Addisoniano nos omnia ad Ecclesiam Lichfeldensem ante annum 1347. spectantia, quæ in Historiâ Merciensi locum non habent, excerpsimus, & titulo Additamentorum ipsi subjecimus. Dein Historiam sequentem (omissâ Regum successione) expressimus, interjectis etiam Historiæ Minoris Additamentis. Historiam autem Merciensem ex Codicum antiquorum fide evulgavimus. Authorem ejus Gulielmus Whitlocus in Historiâ suâ Majori indicavit; dum ad finem Vitæ Alexandri Episcopi (quam ex Historiâ Merciensi recitaverat) ista subdit. *Hæc verbatim ex libro Thomæ Chesterfeld Canonici Lichfeldensis scripto circa annum Domini MCCCL.* Rem confirmat Registrum *Stafford.* Cant. in quo legitur Johannem Archiepiscopum Cant. Thomæ Chesterfeld L. B. Canonico Lichfeldensi 1347. 24. Martii commisisse custodiam Spiritualium Episcopatûs Coventrensis & Lichfeldensis, quæ in potestatem suam tunc (nescio qua ratione Sede Lichfeldensi tunc plenâ) devenerant.

XLI. Epistolam Leonis III. Papæ ad Kenulphum Regem, atque aliam Episcoporum Angliæ ad Leonem, descripsi ex Codice Cottoniano longè antiquissimo, literis Saxonicis exarato, *Vespasian A.* 14. Epistola Kenulphi ad Leonem, cum aliâ Leonis ad Kenulphum responsione, de eodem argumento, apud Malmsburiensem exstant *lib.* 1. *de gest. Reg. cap.* 4.

XLII.

XLII. Chronicon Ecclesiæ Wigorniensis à Christo nato ad annum 1308. deducitur. Pars prior ad annum usque 1190. res gestas brevissimè perstringit; sique Episcoporum Wigorn. successionem demas, pauca habet. Postea stylo uberiore adhibito amplam rerum historiam congessit. Ab anno circiter 900, ad 1050. series annorum est perturbatissima; Codicis etiam partes Bibliopegæ vitio dislocatæ. Post annum 1270. multa habet cum Florilego verbatim communia Wigorniensem tamen potiùs ex Florilego quàm Florilegum ex illo descripsisse suspicor; ideò quòd in iis quæ communia sunt multa repetantur, quæ Wigorniensis supra aliis verbis narraverat. Historiæ Wigorniensi Florilegi Historia in singulis annis nusquam immutata subnecti solet. Porrò ab anno 1270, ad 1280. inclusivè omnia ferè sunt communia Annalibus Waverleiensibus, nisi quæ ad Wigorniensem Ecclesiam spectant. Ab anno autem 1281, ad 1287. Florilegus & Waverleiensis Historici nostri annos uno anticipant; ita sc. ut quæ noster anno 1282. facta narrat, illi in anno 1281. reponant; & sic in sequentibus. Rectiùs illi. Chronicon à pluribus sese invicem excipientibus concinnatum fuisse clarissimè constat. Ut Præfationem enim mittam, ad annum 1219. sic legitur: *Terra matris meæ traditur H. fratri meo, &c.* Similiter & in aliis ejusdem locis. Codex, quo usus sum, in Bibliothecâ Cottonianâ *Caligula A.* 10. asservatur. In eo exscribendo plurima minoris momenti rejeci, insigniora atque antea inedita exhibuisse contentus.

XLIII. Vitam S. Wlstani brevem antiquitatis ergò dimittere nolui. Author ejus Hemmingus Monachus Wigorniensis opus de Ecclesiæ Wigorniensis dotatione, privilegiis & possessionibus contexuit libris quinque. Extat etiamnum exemplar autographum, ab Ecclesiâ Wigorniensi ante centum annos subreptum, & in Bibliothecam Cottonianam denuo translatam *Tiberius A.* 13. Ex eo nonnulla evulgavit Cl. V. Gulielmus Dugdale in Monastico Angl. tom. 1. Nomen atque tempus suum multis ejusdem locis Author ipse prodidit. Sic enim fol. 138. b. habet. *Hunc Libellum de possessionibus hujus nostri Monasterii ego Hemmingus Monachus & Sacerdos quamvis indignus, & conservus servorum Dei habitantium in Monasterio sanctæ Genitricis Mariæ sito in urbe quæ Anglicè Wigorneceaster nominatur, multorum antiquorum hominum & maximè Domini Wlstani Episcopi piissimi patris nostri edoctus relatione, composui.* Et fol. 188. b. *Hunc libellum piissimus & reverentissimus Wlstanus hujus sanctæ Sedis Episcopus scribi fecit, utilitati consulens successorum suorum.* Vitam, quam damus, S. Wlstani inibi habetur f. 186.

XLIV.

XLIV. Acta Synodi S. Wlstani; & Compositio de electione Prioris Wigorn. ex monumentis utrique coævis, in Archivo Ecclesiæ Wigorn. asservatis, hausta sunt.

XLV. Historiam Episcoporum Bathon. & Wellen. subministravit Codex Cottonianus *Vitellius E.* 5. quem Franciscus Thynne ex Laurentii Noelli apographo scripsit in ædibus Willelmi Lambarde apud Hallinge in Cantio anno 1592. In hoc Codice duplex Episcoporum Bathon. exstabat Historia, altera brevior, uberior altera. Habuit illa nonnulla, quæ in istâ desiderantur. Utrique inter-positæ erant, quas Noellus aliunde corrogaverat, Chartæ nonnullæ Saxonico-Latinæ de terris, quas Eadredus & Eadgarus Reges servis suis vel Cœnobiis Somersetensibus contulerunt. Utraque Historia reperitur etiam in magno libro Cartarum Ecclesiæ Wellensis penès Decanum & Capitulum Wellense fol. 296, &c. Meum itaque Apographum ex Codice Cottoniano factum cum Wellensi Cartulario contuli; & ex ista multa à Noello omissa & corrupta restitui atque emendavi. Ex Historiâ autem Minori, quæcunque Majori defuerant, huic intexui.

XLVI. Historiam de controversiâ inter Episcopos Bathon. & Monachos Glaston. idem Laurentius Noellus descripserat, ex Laurentii autem apographo Franciscus Thynne in eundem Codicem Cottonianum transtulerat. Authoris nomen deerat. Id aliunde obtinui. Extat siquidem in Bibliothecâ Cottonianâ *Tiberius A.* 5. justa Cœnobii Glastoniensis Historia à primâ ejus fundatione ad annum 1334. Codex enim in hoc anno mutilatus ulteriùs non pertingit; quamvis ad annum usque 1400. historiam suam Author deduxerit. Is Johannes erat Monachus Glastoniensis; qui in Præfatione præmissâ testatur, se in Historiâ Glastoniensi contexendâ Willelmi Malmsburiensis verba ab initio ad annum 1126. secutum esse, dein ab 1126, ad 1290. Adami de Domersham Monachi Glastoniensis historiam transcripsisse, ab anno autem 1290, ad 1400. historiam suo Marte prosecutum esse. Scripsit enim Willelmus Malmsburiensis Cœnobii Glastoniensis Historiam; cujus plurima supersunt exemplaria. Factâ hujus collatione deprehendi Johannem verba ejus rarissimè immutâsse. Collatâ etiam Historiâ Glastoniensi Noellianâ & illa Johannis Historiæ parte, quam se ex Adamo transtulisse testatur, perfectam utriusque concordiam inveni; nisi quod Noellus brevitati studens aliqua prætermiserit. Ex his quæcunque controversiam inter Episcopos Bathon. & Monachos Glaston. agitatam spectabant restitui. Reliqua autem

autem utriusque Codicis missa feci. Adami ætas ex ipsius Historiâ certissimè constat. Se etenim pro Monasterio suo appellationem anno 1272. interposuisse testatur.

Pag. 984. l. 49.

XLVII. Historiæ Eliensis plura exemplaria mihi præsto erant. Ut Registra enim, Chartularia & alia Ecclesiæ Eliensis monumenta mittam, quæ in annotationibus ad Episcoporum historiam concinnandis subsidium tulerunt; illius, quam evulgamus, Historiæ quatuor exemplaria adfuerunt. Primum atque optimum in Bibliothecâ Lambethanâ asservatur; quod Robertum Stewarde Priorem Eliensem olim habuit possessorem. Secundum in Bibliothecâ Collegii Corporis Christi apud Cantabrigiam manet, charactere pessimo conscriptum, & in anno 1434. terminatum. Huic convenit tertium; quod in Bibliothecâ Cottonianâ *Titus A.* 1. extat, simili charactere scriptum, eodemque anno finitum. Quartum in eâdem Bibliothecâ *Nero A.* 15, 16. habetur; quod in anno 1486. clauditur. Ex primo Historiæ textum, ex reliquis variantes lectiones descripsimus. Historia ipsa plurium Authorum labore concinnata est; de quibus proximè est agendum.

XLVIII. Thomas primam Historiæ Eliensis partem conscripsit. Is à primâ Ecclesiæ fundatione exorsus, in Ricardi Abbatis ultimi obitu anno 1107. defecit. Prolixum ejus Opus extat in Bibliothecâ Cottonianâ (*Domitian A.* 15.) Bodleianâ Oxoniensi, & alibi. Partem ejus priorem Cl. Mabillonius edidit Act. Benedictin. Sæc. 11. p. 739. Generalem autem totius Operis Præfationem vir eruditus nequaquam viderat. Ea operis à Thoma instituti rationem exhibet, nonnullaque de Eliensi Insulâ scitu non indigna tradit. Illam proinde ex Codice Cottoniano describere & hic loci subnectere operæ pretium duxi.

" Cùm animadverterem excellentiam Elyensis Insulæ, & ani-
" mo versarem quæ ob merita sanctarum Virginum in eâ quies-
" centium collata & conscripta sunt admiranda opera, & even-
" tus Insulæ ac gesta magnorum; animum contuli ad ea quæ mi-
" nùs per seriem annorum & temporum & Regum atque Domi-
" norum Insulæ inclita gesta, quæve dispersè vel confusè Angli-
" co stilo incerta sunt, & bona facta atque miracula Sanctorum
" Sanctarumque ibidem Deo militantium secundùm ordinem in
" hac Historiâ explicare temptavi. Apud nos enim hujusmodi
" congesta per ordinem & insimul historialiter scripta adhuc mini-
" mè habentur, nisi vita & miracula Sanctarum illic quiescenti-
" um, de Historiis, de Chronicis, de scriptis Anglicis & Latinis,
" de

" de teſtamentis, de relatione collecta fidelium. Unde exarare
" cœpi aliqua; ne quæ dignè prædicanda ſunt, inſcripta remane-
" rent, quaſi incognita ſeu vetuſtate conſumpta atque abolita.
" Nam diu expectatus Philoſophus aut bonus Hiſtoriographus,
" dum ſtilum advertere temptaverit, in multis materiam non in-
" veniet. Et ſi fortè quis Opuſculum iſtud exprobare temptave-
" rit; oramus ut manum myrram diſtillantium adponat, & opus
" Poetæ ſuſcipiat; ut in memoriam poſteris, ſi explicaverit, re-
" linquatur. De cætero parvitatem ſcribendi & prolixitatem
" tractandi ne cauſetur, quæſo; ſciens in brevi velut repentè
" facta plurimorum & tempora comprehendi non poſſe, niſi
" lectorem magis faſtidiret & ingrueret. Nam & regio An-
" glorum cùm una terra ſit, plures in eâ per provincias vario
" ſub eventu principabantur; & contigit, ut ad regnandi emo-
" lumentum primùm Ducibus, deinde Regibus ſufficeret una
" eademque Britannia. Sed niſi flexibilem ſeriem Lector ſe-
" dulò intendat, nunc de uno, nunc de altero regno, ac Regum
" nomina; variè differentem ordinem non facilè advertet. Id-
" circo Hiſtoriam in tres libros diſtinctè per capitula partiri ag-
" greſſus ſum, ac ſingula in ſuis locis & quorum temporibus
" contigerunt enarrare. Liber verò primus conſtat de ſitu In-
" ſulæ & de glorioſâ Reginâ Etheldredâ & de ſuccedentibus ei
" ſanctis Virginibus, quibuſve infortuniis Inſula ſubjacuit uſque
" ad ingreſſionem Monachorum in Ely. Secundus autem de
" temporibus Monachorum in Ely, & de libertate loci, & quo-
" modo Eccleſia renovata fuit, & de obſidione Normannorum
" uſque ad tempora Epiſcoporum, quod nunc eſt. Et quo-
" niam ad hujuſmodi narrationem divertere Fratrum ſollicitudo
" & gratia provocaverunt me; neceſſarium reor opus memora-
" bile caritatis, & quæ ſumus experti, volumini commendare;
" quo puritas caritatis operi inſerta propenſiùs eniteſcat, pul-
" chrâ varietate diſtincta; & ſic initium experiar, cooperatorem
" omnium invocans Deum.

Explicit Prologus; incipit de ſitu Elienſis Inſulæ.

" Omnes præclari & nobiles ſuum penitus oppidum decorare
" & magnificare contendunt; & ſtatum Provinciæ atque ſuo-
" rum facta majorum memoriæ digna literis commendare non-
" nulli intendunt. Quod rectè fit. Nos autem majorum facta
" ſequentes, priuſquam interius progrediatur Hiſtoria, videtur
" congrui ordinis de loci nomine narrationem incipere; quia
" Ely ſtagnenſium maxima Inſularum, quam omnino dignam
" titulo

" titulo prædicare incipimus, opibus & oppidis magnificam, ſil-
" vis, vineis & aquis æquè laudabilem omni fructu, fœtu ac ger-
" mine uberrimam. Dicimus autem Ely Anglicè, i. e. à copiâ
" anguillarum, quæ in eiſdem capiuntur paludibus, nomen ſum-
" ſit; ſicut Beda Anglorum diſertiſſimus docet: quæ immutato
" nomine meliorando Ely nuncupatur modò; ſcilicet *Digna Dei*
" *domus, cui nomen convenit ejus.* Inter civitates regionis An-
" gliæ decentiſſima atque nominatiſſima, miraculis famoſa, Reli-
" quiis glorioſa, utile & quietum videtur præferre habitaculum.
" Et ut verè fatear, validâ virorum præmunita manu atque belli-
" coſa, animis & armis hoſtibus ad reſiſtendum parata. Sed ne
" auditorem nimis faſtidiret de domeſticis animantibus, de feris
" ſilvarum, de volucribus, de piſcibus multis & magnis, qui per
" circuitum ſæpe capiuntur in aquis, quæ maria vocantur, quanta
" ibi copia ſit diceremus. In libro autem hujus Operis ſecundo
" juxta ſeriem, ubi legitur à Normannis Inſula fuiſſe ſubacta, ſin-
" gula memorantur. Et quid amplius? Interiùs ubere glebæ ſatis
" admodum læta, hortorum nemorumque amœnitate gratiſſima,
" ferarum venatione inſignis, paſcuis pecorum & jumentorum
" non mediocriter fertilis, & piſcoſis fluminibus maximis undique
" circumdata. Non enim Inſula maris eſt, ſed ſtagnorum refu-
" ſionibus & paludibus inacceſſa, navigio adiri poterat. Sed quo-
" niam volentibus illuc ire quondam periculoſum navibus, nunc
" facta via eſt per paluſtre arundinetum pedibus tranſitui. Reſtat
" autem Inſula in longitudine milliaribus vii. à Cotingelade uſque
" ad Litleporte, vel ad Abboteſdelf nnnc verò Biſcopeſdelf vo-
" citatum, & in latitudine iv. hoc eſt à Cherchewere uſque ad
" mare de Straham cum adjacentibus Inſulis per girum, præter
" Dudintone quæ ex Inſulâ eſt, in qua villulæ ſunt & nemora
" cum inſulanis pertinentiis, cum aliis non ſine ſemine incolis,
" cum paſcuis uberrimis. Nominatur etiam ad prædictam Inſu-
" lam Chateriz, ubi Abbatia eſt Sanctimonialium, & pagus
" Witleſeya, atque Abbatia Monachorum de Thorneiâ. Dicitur
" autem Inſula nunc eſſe in Comitatu Cantebrigiæ duorum Cen-
" turiatuum, ſed unus eſt, cum appendiciis quæ deforis ſunt.
" Atque his metis juxta antiquitus infra ſe conſtare perhibetur at-
" que dinoſcitur, hoc eſt, à mediate pontis Detro uſque ad Up-
" were, & à Biſcopeſdelf uſque ad fluvium juxta Burch quod vo-
" catur Nien, in provinciâ Girviorum. Girvii ſunt omnes Au-
" ſtrales Angli in magnâ palude habitantes, in qua eſt Inſula de
" Ely. Sed veriùs ſecundùm Bedæ atteſtationem de provinciâ eſt
" Orientalium Anglorum, in ejuſdem ingreſſu provinciæ ſita.
" Antiquitus autem, ut fertur, villa apud Cratendune, id eſt Val-

" lem Crati, sita fuit, ab urbe quæ nunc est milliario distans; ubi
" ferramentorum utensilia & Regum numisma multoties reperitur
" antiquorum; & quòd illic hominum diu fuit habitatio, nonnul-
" lis designatur indiciis. At Deo amabilis Ætheldreda acceptâ
" jure dotis Insulâ à Tonberto primo sponso suo, postquam illic
" mansionem elegit, prope fluentis alveum in loco eminentiore
" habitacula posuit. Illic deinceps constructâ urbe potiùs ac de-
" centiùs habitatur. In primitivâ etenim Ecclesiâ nascentis fidei
" & Christianitatis, in honore semper Virginis Mariæ Monasteri-
" um ibi fuerat fabricatum per B. Augustinum Anglorum Aposto-
" lum; cujus operis Rex Ædelbrihtus primus fundator extitit; in
" quo ministros Deï officium complentes instituit; quos Pendæ
" Regis exercitus, patriam atque viciniam devastans, inde postea
" fugavit, locumque in solitudinem commutavit. Talibus ita-
" que fundatoribus Elge Monasterium primitus fundatum est; ut
" in antiquis legimus scriptis; quanquam B. Etheldreda post lon-
" gam desolationem suum hîc mereatur primatum, ubi Christo
" servante usque impræsentiarum habetur Ecclesia; quam Sedem
" Episcopalem postea factam novimus, & ipsius Metropolem fo-
" re provinciæ. Ab omnium namque judicio & potestate Insula
" admodum libera est; quòd neque Episcopus neque alicujus ex-
" actionis minister sine advocatione Fratrum se intromittat, vel
" rem Sanctæ inquietare præsumat: quod per privilegia & muni-
" menta suis locis pleniùs inseremus, dignum ducentes priùs histo-
" riam tractare famosæ Insulæ, quæ floruit ac floret Christo patro-
" cinante, præsentiâ, beneficiis atque miraculis sanctarum fœmi-
" narum, Etheldredæ videlicet, Withburgæ, Sexburgæ, Ærme-
" nildæ, quarum suffragiis fœliciter gratulatur. Continentur illic
" etiam Sanctorum Sanctarumque plurimarum Reliquiæ; quæ
" post ipsas Christo famulantes in Ecclesiâ successerant usque ad
" tempora Danorum, videlicet Inguare Pagani Regis ac socio-
" rum ejus, qui habitatricibus partim peremptis partim fugatis lo-
" cum penitus subverterunt. Sunt autem in gremio Insulæ xii. Ec-
" clesiæ cum villis campestribus & modicis insulanis; quæ ab anti-
" quo ad Cœnobium tanquam Capellæ ad matricem Ecclesiam
" pertinent; nec extra Cœnobium nisi serò ad Ecclesias facta sunt
" Cœmiteria, sed apud Ely ex totâ Insulâ defunctorum sepelieban-
" tur corpora.

XLIX. Proximo loco sequitur *Vita Sanctæ Virginis & Reginæ Etheldredæ*, Vitæ à Mabillonio evulgatæ planè consona, iisdemque Sectionum numeris distincta. In fine ejus sic scribitur: *Explicit Liber primus de Historiâ Elyensis Insulæ, in Vitam beatissimam Virginis Etheldredæ,*

theldredæ, & quomodo fabricavit illic Ecclesiam, & à quibus destructa fuit. Pertingit iste Liber usque ad initia Edgari Regis, quo regnante Ecclesia Eliensis ab Ethelwoldo Episcopo restaurata est & Monachis repleta. Verbis ejus postremis Author se Historiam Eliensem *libro sequenti* persecuturum esse pollicetur. Primo tamen atque secundo libris in Codice Cottoniano intercedunt duæ aliæ Historiæ de S. Etheldredâ. Prior titulum habet, *De secundâ Translatione S. Etheldredæ Virginis, quæ facta est à Ricardo Abbate, cum cæteris Virginibus.* Capitulis sex constat. Capitulo secundo Author ætatem suam indicat his verbis: *Hæc de translatione sacratissimæ Virginis Reginæ Etheldredæ ad æternam referimus memoriam; quod fidelium innumeri adhuc superstites, & patres nostri qui viderunt & adfuerunt, narraverunt nobis.* Facta est autem Translatio anno 1106. Historiam istam Cl. Mabillonius se inter Acta Benedictinorum Sæculi undecimi editurum spondet. Posterior inscribitur *de Miraculis S. Etheldredæ*; & Capitula 54. complectitur. Capite secundo Author de Ethelwoldi Episcopi donis mentionem injiciens, ista addit. *Alias quoque terras quamplurimas ab aliis emens Ecclesiæ adjecit; quas per singula numerare otiosi negotii est, cùm proprio alibi contineantur volumine.* Unus igitur idemque Author singularum istarum Historiarum extitit. Liber enim Historiæ Eliensis, qui librum hunc de Miraculis S. Etheldredæ proximus excipit, secundus Ethelwoldi donis enarrandis ferè totus insumitur. Postea itidem cap. 34. ad supradicta in *Libro suo primo de Virtutibus ipsius Virginis S. Etheldredæ edito,* Lectorem remittit. Ex pluribus hujus libri locis constat Authorem sub Hervei & Nigelli Episcoporum præsulatu in Ecclesiâ Eliensi vitam Monasticam egisse, Nigello autem superfuisse. Capite enim 29. Nigelli anno 1169. defuncti obitum narrat iisdem, quibus Historicus à nobis vulgatus, verbis. Capite 51. Gaufridum Episcopum, qui anno 1174. successit, memorat. Capite ultimo plura de seipso tradit; sibi sc. fuisse patrem *literarum peritum, qui sedulò Scripturarum expositiones necnon Sanctorum gesta & vitas meditator assiduus legebat, & ea scire volentibus affectuosè disserebat*: hunc librum de Vitâ S. Etheldredæ Anglico idiomate scriptum sibi tradidisse, ex quo tempore summa erga S. Virginem devotio ipsum incessit. Denique capitulo 28. nomen ipsius prodit, se B. Etheldredæ meritis febre liberatum esse narrans. *Quoddam,* inquit, *quod contigit miraculum in instanti tempore in meipso Thoma nomine B. Etheldredæ meritis & intercessione, dignum duxi omnibus exponere.* Libro de miraculis S. Etheldredæ proximè succedit Liber Historiæ Eliensis secundus, hoc titulo insignitus: *Liber secundus in Historiâ Eliensis Insulæ, & quomodo Ecclesia est restaurata vel a quibus ditata.* Procemium ejus sic incipit. *In præcedente monstratum*

tum est opere, qualiter in Ely S. Etheldreda & post illius sequaces fabricaverunt, sive illic Deo complacentes vixerunt; vel a quibus locus ille fuerat desolandus, liquidè apparet. Tandem importunè compellentibus me quibusdam ex nostris, ne ab incœpto vacarem, sed gesta nostræ Insulæ, ut spospenderam, exsequerer——ad rogata exequendum festino, & in unum congesto volumine applicare sive majora seu minora, ut res expostulat, præsertim qui locum restauraverunt, & illorum testamenta; quæ vix & maximo labore exquisivi, & ea de vulgo in Latinum commutavi; sed singula in diversis sparsa locis demum collegi.——Operæ pretium est Sanctorum facta memorari; ex quorum collegio Domini Confessor Ædhelwoldus doctrinâ & sanctitate extitit: qui Ecclesiam nostram à Danis destructam restauravit, magna illic & dignè memoranda gessit, quæ non plenè in Libro Vitæ illius exarata sunt. Quæ dum vir egregius & prudens Herveus, primus Elyensis Episcopus, ut relatu digna compererat, de Anglico in Latinum transferri fecit. Sicque opere expleto, Librum de terris S. Edhelwoldi nominavit. Constat autem iste Liber de tempore Monachorum, prospera eorum sive adversa plenè denuntians. Capitulis 69. Liber iste absolvitur; & Historiam Ecclesiæ Eliensis ab anno 970, ad annum circiter 1025. tradit. Aliud ejusdem exemplar extat in Bibliothecâ Cottonianâ *Titus A.* 1. cui subjicitur insigne Registrum Chartarum, donationum & privilegiorum, Ecclesiæ Eliensi concessorum ab anno circiter 1070, ad 1170. Porrò in eâdem Bibliothecâ *Vespasian A.* 19. reperitur Liber antiquus de Vitâ S. Ethelwoldi, ab eodem Authore contextus. Prologus illi præmissus ista habet. *De quo* (Æthelwoldo) *si cui minùs claret, & pleniùs scire desiderat; legat Librum, qui de ortu & vitâ necnon de obitu ejus contextus est; & inveniet liquido, quanti meriti quantæque sanctitatis fuerit. Quædam verò insignia ejus quæ gesserat in vitâ suâ, in illo libro non sunt contexta, nec erant stilo exarata Latino. Quæ dum vir prudens & egregius Herveus, venerabilis Eliensis Ecclesiæ Episcopus, relatu digna comperibat; rogatu quorundam Fratrum mihi injunxit, ut ea de Anglico idiomate in Latinum sermonem transferrem. Cui præcepto nullatenus contraire ausus parui, & injunctum opus suscepi, ac pro facultate meâ ad unguem perducere curavi.* Is autem Liber à secundo Eliensis Historiæ libro diversus non est; nisi quòd in prioribus Capitulis res gestæ phalerato atque uberiori stilo exprimantur, & carmina encomiastica de S. Ethelwoldo plurimis subjiciantur. Thomas in Prologo generali Historiam suam in tres libros distribui dixit; tertii autem libri argumentum neutiquam tradidit. Quinimo se libro secundo *de obsidione Normannorum* egisse, *& quomodo Insula à Normannis fuerit subacta* docuisse, & Historiæ filum usque ad tempora Episcoporum perduxisse testatur. Ejus autem, qui superest, libri secundi Historia in omnibus Codicibus in anno circiter

circiter 1025. clauditur : ita ut pars ejusdem potior desideretur. Nescio an tertius sit Historiæ à Thomâ conscriptæ liber, qui Vitæ S. Ethelwoldi in Codice Cottoniano *Vespasian A.* 19. proximè succedit, manu antiquâ satis, longè tamen aliâ. Titulus huic est: *Liber tertius in Historiâ Eliensis Insulæ, constans de duorum temporibus Episcoporum* (sc. Hervei & Nigelli) *quid plus vel minus utile gesserint plenè insinuans.* Quisquis autem Librum hunc tertium contexuerit, semet omnia ex Ricardi Historiâ desumpsisse sæpiùs agnoscit. Sic enim post narratam Nigelli Episcopi intronizationem scribit. *Prætermitto plurima, quæ in Opusculis fratris nostri Ricardi, historiarum studiosissimi, diserti & eloquentissimi viri, pleniùs referuntur.* Et Capitulo ii. *Hæc quidem latiùs scriberem. Sed quoniam in venerabilis jam dicti patris Ricardi Opusculis plenè inveniuntur, ad alia festinamus.* Ricardum Ecclesiæ Eliensis Priorem fuisse Baleus ex Lelando, Pitsius & Vossius ex Baleo, referunt; atque alia quædam ingenii monumenta ab illo scripta memorant, ætatem verò ejus in anno 1220. malè reposuerunt. Ricardus enim Prior Eliensis alius non erat; quàm qui Prioratum anno 1177. adeptus, ante annum 1195. obiit. Atque hic quidem Historiam Eliensem supra laudatam scripsisse optimè censeri potest. Historia enim in anno 1169. terminatur; & Ricardus in Ecclesiâ Eliensi à teneris annis vitam degens, rebus gerendis interfuit. Siquidem in vetusto Ecclesiæ Eliensis Registro Epistolam Monachorum Eliensium inveni ad Eugenium Papam annos inter 1149, & 1154. scriptam adversùs Henricum Clericum, Archidiaconi Eliensis filium nothum, qui terras quasdam Monachis injustè subtraxerat. In hac Monachi Ricardum sic laudant. *Misimus ad S. V. per Dominum Ricardum Monachum nostrum, bonæ vitæ & honestæ conversationis à pueritiâ Monachum.* Postea anno circiter 1173. Henrico Rege jubente, ut eligendi Episcopi causâ *quinque vel sex de honestioribus Ecclesiæ Eliensis personis* ad seipsum in Normanniam transirent, scriptis ad Regem literis Conventus Eliensis indicavit se misisse Solomonem Priorem suum, Ricardum Subpriorem, A. Sacristam, Johannem Camerarium, &c.

Cent. 3. c. 82.

Cap. 65.

Ibid. cap. 101, 103.

L. Hactenus de Thomâ & Ricardo Eliensibus, & ipsorum Historiis. Historias hasce integras edidisse labor insanus fuisset. Se itaque fœliciter obtulit illa, quam evulgamus, utriusque Epitome, ab Authore anonymo concinnata. Illam tamen Thomæ atque Ricardi nominibus inscribendam esse duxi; quoniam ex illorum monumentis, ne verbis quidem mutatis, integra fuerit conflata: quod diligenti singulorum collatione facilè patuit. Pars prior à primâ Ecclesiæ fundatione ad annum 970. ex primo Thomæ libro descripta est. Ad partem autem secundam, quæ

ab

ab anno 970, ad 1107. pertingit, contexendam in ſubſidium venerunt ejuſdem Liber de miraculis S. Etheldredæ, Liber de tranſlatione ejuſdem, & Liber Hiſtoriæ Elienſis ſecundus ad Epiſcoporum tempora deductus. Hiſtoria de Vitis Hervei & Nigelli ex Libro Hiſtoriæ Elienſis tertio ſuprà memorato conflatus eſt, adhibitis inſuper Libro Thomæ de miraculis S. Etheldredæ, & antiquo Eccleſiæ Elienſis Regiſtro, de quo mentio ſuperiùs eſt facta. Cæterùm Author in epitome ſuâ adornanda verba Hiſtoricorum quos ſequitur (Thomæ ſc. & Ricardi) ubique retinuit; & utrobique judicio ſatis laudando uſus, omnia ferè ſcitu digna intexuit; magis tamen laudandus, ſi omnia lectu indigna rejeciſſet. Hiſtoria *de Converſione Abbatiæ Elienſis in Epiſcopatum* quatuor priora Libri tertii Hiſtoriæ Elienſis Capitula conficit. Bullæ & diplomata ejuſdem in antiquo Regiſtro ſæpiùs laudato reperiuntur. Illam ex utroque Codice Johannes Seldenus evulgavit in *Spicilegio* ſuo ad Eadmerum p. 212. Noſtram etiam Hiſtoriæ Elienſis antiquæ epitomen uſque ad annum 970. Gulielmus Dugdale in Monaſtico Anglicano tom. 1. p. 87. antea edidit, pluribus tamen locis mutilam & hiulcam. Cæterùm ne locum inſignem de utroque S. Scripturæ inſtrumento ab Alfredo Rege Anglicè converſo, à Caio, Jocelino & aliis ex Hiſtoriâ Elienſi citatum apud noſtram fruſtra quærat, monendus eſt Lector illum apud Thomam libro Hiſtoriæ genuinæ primo, cap. 39. reperiri, & in Vitâ S. Etheldredæ à Mabillonio editâ haberi pag. 739.

LI. Hiſtoria Epiſcoporum Elienſium ab anno 1169, ad 1486. à duobus Monachis Elienſibus ſeſe invicem excipientibus conſcripta eſt. Quonam verò anno horum primus deſierit, haud ſatis conſtat. Codex enim Cantabrigienſis, atque ille, quo uſus eſt olim Godwinus, in anno 1434. defecerunt. Sic etiam Codex primus Cottonianus. Singuli autem manu recentiore deſcripti, parum lucis in hac re conferunt. Charactere paululùm antiquiore exaratus eſt Codex Cottonianus ſecundus. Atque hic quidem in anno 1388. deficit. Dein aliâ manu Hiſtoria ad annum 1434. ſcripta deducitur; cui ad annum uſque 1486. diverſa manus ſuccedit. Si quis itaque Hiſtorici ſecundi exitum in anno 1434. poſuerit, atque huic tertium, Hiſtoriæ ad annum 1486. productæ authorem, ſubſtituerit; non refragabor.

LII. Poſtremam Hiſtoriæ Elienſis partem dedit Robertus Stewarde, Prior ultimus Elienſis; de quo Hiſtoria Priorum Elienſium conſulenda eſt. Iſte Codicem Lambethanum olim poſſederat, eundemque diligentiâ ſuâ egregiè auxit, ſuppletis aliorum Codicum ſubſidio

ſubſidio lacunis, appoſitis unicuique Epiſcopo armis gentilitiis tam verbo quàm picturâ delineatis, ſubjunctis plurimorum hiſtoriæ beneficiis & donis Eccleſiæ Elienſi collatis, productâ denique hiſtoriâ ab anno 1486, ad ſua tempora. Plures ille melioris notæ Codices poſſedit, ab Eccleſiâ Elienſi in propriam (ut videtur) Bibliothecam tranſlatos. In ſingulis ferè inſignia ſua gentilitia depingi fecit. Horum complures in Bibliothecâ Lambethanâ & Cottonianâ reperiuntur.

LIII. Hiſtoriam Eccleſiæ & Epiſcoporum Dunelmenſium à primâ fundatione ad annum 1097. ſtilo uberrimo conſcripſit Turgotus Prior Elienſis. Illam poſt quinquaginta ferè annos Simeon Monachus Dunelmenſis exſcripſit, & tribus vel quatuor ſolummodo locis leviter immutatam nomini proprio inſcripſit. Hujus inſcripta nomini prodiit inter Scriptores x. Anglicanæ Hiſtoriæ edita *Londini* 1652. De Hiſtoriâ, & vero ejus atque adulterino pariter Authoribus Johannes Seldenus in Præfatione ad x. Scriptores fusè egit. Mihi itaque Hiſtoria Epiſcoporum Dunelmenſium à primâ Sedis fundatione ad annum 1097. proprio Marte contexenda erat, & Haguſtaldenſium intexenda. Ricardi enim Haguſtaldenſis Hiſtoria de Epiſcopis Haguſtald. quæ unica extat, ibidem evulgata eſt. In adornandâ Dunelmenſium hiſtoriâ uſus ſum Turgoti commentario genuino, ſc. Simeonis interpolationes nondum paſſo; qualis in vetuſto & pulcherrimo Codice Cottonianæ Bibliothecæ *Fauſtina A.* 5. extat.

LIV. Turgoti Hiſtoriam de Eccleſiâ Dunelmenſi ab anno 1097, ad 1144. produxit Monachus Dunelmenſis ignoti nominis; ſive is Simeon Dunelmenſis Eccleſiæ Præcentor, ſive quiſpiam alius fuerit. Medio certè ſæculo undecimo Simeon floruit, & Turgoti Hiſtoriam in pugillares ſuos integram deſcripſit. In plurimis autem Codicibus iſta Continuatio parti Hiſtoriæ Dunelmenſis priori ſine ullâ diſtinctione vel intercapedine, continuato itidem capitum numero, ſubjuncta reperitur. Ut quod ſentio autem dicam; vereor, ne Simeon ante hunc annum obierit. Baleus quidem atque illius ſequaces illum anno 1164. floruiſſe tradunt. Clauſis verò plerunque oculis Scriptorum Anglicorum ætates Baleus definivit; & Hiſtoria Simeonis *de geſtis Regum Anglorum* in anno 1129. terminata Authorem brevi poſt tempore defunctum eſſe ſuadet; præſertim cùm Johannes Haguſtaldenſis Hiſtoriam illius continuare anno circiter 1154. ſuſceperit; quod Simeone adhuc ſuperſtite vix auſus fuiſſet. Johannis equidem ætas haud ita conſtat. Ipſum tamen rebus, quas narrat, geſtis coævum fuiſſe plurima ejus loca demonſtrant; quod

Cent. 2. c. 98.

&

Præf. ad x. Script. p. 26.

& Seldenus antea observavit, ut mirum sit virum eruditissimum Ricardi Prioris Hagustaldensis ætatem in anno 1190. statuere potuisse. Johannis enim ipsius Historia docet Aschetillum Priorem primum Hagustald. anno 1130. obisse, huic Robertum Biseth successisse, & Ricardo lampadem anno 1143. tradidisse. Johannes itaque post Ricardum Prioratu functus est; adeò ut si ætatem ipsius in anno 1160. cum Baleo, Pitseo, Seldeno & aliis reponamus, Ricardi obitus longè ante annum 1190. statuendus erit. Ut ad Continuationem autem Historiæ Dunelmensis ab anno 1097, ad 1144. redeamus; pars ejus prior, sc. usque ad mediam paginam 710. cum Continuatione inter Scriptores x. Anglicos à Twisdeno editâ verbatim convenit. In sequentibus à Twisdenianâ planè diversa est, ac multò auctior; quamvis hæc in anno 1144. illa in 1154. claudatur. Non possum itaque non suspicari Simeonem Dunelmensem utramque suam Historiam sc. *tam de gestis Regum*, quàm *de Ecclesiâ Dunelmensi*, ad annum 1129. deduxisse, & in hoc anno utramque terminâsse. Eousque enim Continuatio Twisdeniana atque nostra conveniunt. Reliquam utriusque partem diversi Authores, quibus Simeonis Historiam continuare propositum fuisse videtur, conscripserunt. Nostra ex Codice Cottoniano *Titus A.* 2. descripta est. Complectitur ille Codex integram Dunelmensem Historiam ab anno 635, ad 1345. in unum corpus ex pluribus congestam, & in Capitula 184. distributam. In his primum habet locum Simeonis Dunelmensis (veriùs Turgoti) Historia ab anno 635, ad 1097. capitulis 96. comprehensa. Succedit Continuatio à nobis jam primùm edita, capitulis ii. constans. Dein Gaufridi de Coldingham Historia capitulis 24. proximis conficitur. Capitula 53. postrema Roberti Historiam exhibent. Mitto libellum de miraculis S. Cuthberti, his, loco non suo, interpositum. Eadem planè Historiarum Collectio ibidem extat *Vespasian A.* 6. nisi quòd in anno circiter 1152. mutilata deficiat.

Cent. 3. c. 31.

LV. De Gaufrido nulla apud Baleum vel Pitsium mentio habetur. Fuit is Sacrista Monasterii de Coldingham in Scotiâ; Monachis tamen Dunelmensibus jure merito annumerandus. Erat enim Cœnobium Coldinghamense cella Monasterii Dunelmensis; & ex eo acceptos quoscunque habuit Monachos ad idem post aliquod tempus aliis succedentibus remittere solebat. Historiam iste suam ab anno 1144, exorsus, in anno 1214. terminavit. Rebus, quas narrat, gestis testem oculatum adfuisse ex pluribus Historiæ locis patet. Hujus nonnulla, quæ ad Ecclesiam Dunelmensem minùs spectabant, & ab aliis Historicis vulgatis uberiùs sunt tradita, pauca tamen, prætermisi. Historiam Dunelmensem à primâ Sedis fundatione

datione ad hæc circiter tempora longè majori molimine congessit Author quidam anonymus; qui præter Turgoti, Simeonis, Continuatoris nostri & Gaufridi, quas verbatim exscripsit, Historias, farragini suæ intexuit innumera ferè instrumenta, Chartas, Bullas, & Brevia, ad cujusque Episcopi vel Ecclesiæ illo tempore res gestas spectantia, quicquid itidem Willelmus Malmsburiensis, Rogerus Hovedenus & Johannes Tinmuthensis de Episcopis & Sanctis Dunelmensibus habent. Opus in anno 1194. clauditur, & in Bibliothecâ Cottonianâ (*Claudius* D. 4. asservatur. Ex eo ad Historiam Dunelmensem elucidandam nonnulla hausi. Author post medium sæculum 14. scripsit.

LVI. Robertus Gaufridum excepit, & Historiam ejus ad 1336. produxit; quo demum anno semet opus suum absolvisse Author in fine testatur. Nomen ejus tum titulus Operis fronti in Codice MS. præmissus exhibuit, tum in Historiâ suâ ad annum 1307. ipse prodidit, se Monachum in Ecclesiâ Dunelmensi tunc fuisse adtestatus. Porrò Robertum istum de Graystanes cognomen traxisse, & non alium ab infœlici illo Episcopo, qui anno 1333. ritè electus & consecratus, dignitate suâ frui non est permissus, fuisse multa suadent. Robertus ex Subpriore in Episcopum electus fuerat: Subprioratu Monachi seniores fungi solebant. Noster autem Historicus ante annos saltem 26. vitam Monasticam in Ecclesiâ Dunelmensi tunc egerat. Robertus Episcopus brevi post annum 1334. vitam clausit, ex Willelmi Chambre, Walsinghami & aliorum fide: & Historici nostri opus in anno 1336. abrumpitur. Porro noster Roberti Episcopi electionem & dejectionem narrans, nullas ei laudes contulit; quod, modò alius ab Episcopo esset, iniquissimum planè fuisset. Is enim erat Robertus Episcopus; qui ob eximias virtutis & eruditionis dotes cumulatissimam laudem meruit; adeò ut judice ipso Ricardo Bury, qui Episcopatum illi præripuit, supra omnes mortales Papatu, multò magis Episcopatu Dunelmensi, dignus fuerit. Laudes quidem Roberto Episcopo cumulare Historicus meritò erubuit; sic tamen electionem ejus & exautorationem narravit, ut Scriptorem propriam tunc egisse causam Lector facilè deprehendat. Cæterùm ab initio ad annum 1285. Robertus sua ferè omnia descripsit ex Ecclesiæ Dunelm. Annalibus, qui in Bibliothecâ Cottonianâ *Julius* D. 4. asservantur. Exordiuntur Annales isti à Bruti, primi Britannorum (sic fabulæ volunt) Regis temporibus, & in anno 1285. desinunt. De rebus Ecclesiæ Dunelmensis ante annum 1070. pauxillum habent; dein historiam ejus justam exhibent. Ab anno 1204. uberiori stilo texuntur, adhibitis etiam bullis, diplomatibus, aliisque rerum gestarum instrumentis breviori-

Vid. pag. 767.

 bus.

bus. Ab anno autem 1272, uſque ad finem ſtilo longè uberrimo contexti, omnia cujuſcunque generis inſtrumenta, & in his prolixiſſimum litis inter Willelmum Archiepiſcopum Ebor. & Conventum Dunelmenſem de juriſdictione anno 1280. motæ proceſſum, complectuntur. Ab Annalium fine ad ſua tempora Robertus Hiſtoriam, utpote de rebus ſibi viſis & probè cognitis, proprio Marte concinnavit. Nimiâ autem ubertate uſus, quampluríma perexigui momenti fuſiùs retulit. Delectu itaque habito inutilia rejeci; alia compendio reddita charactere diverſo exprimi feci: me tamen omnia luce digna propriis Authoris verbis exhibuiſſe Lectori ſpondere auſim.

LVII. Hiſtoriam, quæ ſequitur, Dunelmenſem ab anno 1333, ad 1559. productam Willelmo de Chambre inſcripſi, autoritate fretus Codicis Cottoniani, in quo Roberti Hiſtoriæ manu recentiore exarata ſubjicitur pars prior Vitæ Ricardi de Bury Epiſcopi Dunelmenſis; quæ ab Hiſtoriæ noſtratis initio vix unico verbo diſcedit; eâdemque manu appoſita nota teſtatur fragmentum illud ex Willelmi de Chambre Hiſtoriâ Dunelmenſi deſumptum eſſe. Quiſnam verò fuerit ille Willelmus, quove anno Hiſtoriam ſuam terminaverit, mihi planè incompertum eſt. Hiſtoriæ iſtius copiam fecit Bibliotheca Bodleiana Oxonienſis. Codex autem, ex quo exſcripta fuit, nullius Authoris nomen præ ſe tulit. Plura Author admiſcuit ſcitu parum digna. Ea, libertate familiari uſus, prætermiſi.

LVIII. De Additamentis & Emendationibus, in Voluminis iſtius calce collocatis, nil opus eſt præfari. Errores ſuos fateri atque emendare virum ingenuum decet. Lectorem tamen monitum velim, maximam ſecundi voluminis partem typis expreſſam fuiſſe, antequam hæc conſcripta eſſent; adeò ut ſi quando repugnantia levis in utriuſque Chronologiâ interceſſerit, primæ potiùs parti ejuſque appendici fidem adhiberi poſtularem.

LIX. Ingenui eſt errores ſuos, grati animi beneficia aliena agnoſcere. Mihi in hac palæſtrâ deſudanti ſubſidium tulerunt multi; qui loco poſtremo exorandi ſunt, ut beneficia ſua laudari permittant. Certè ſuam Bibliothecis, ex quibus maximè profeci, laudem tribuere nulla verecundia obſtabit. Multa mihi dedit Bibliotheca Archiepiſcopalis in Ædibus Lambethanis aſſervata; quæ cùm ampliſſimâ librorum tum impreſſorum tum manuſcriptorum ſupellectile inſtructa ſit, plurima etiam de rebus noſtræ gentis eccleſiaſticis monumenta autographa complectitur. Huic accenſenda ſunt

Regiſtra

Regiſtra Sedis Archiepiſcopalis Cantuarienſis; ex quibus Epiſcoporum ferè omnium Provinciæ Cantuarienſis ab anno 1278. tempora, ſæpe & res geſtæ, certiſſimè ſunt accepta. Quamvis enim hodienum extra Palatium Lambethanum in Archiepiſcopalis Curiæ primariæ ſecretario reponantur; in illo tamen & conſcripta ſunt, & ad adultum uſque ſæculum ſuperius in eodem cuſtodita. Ex his duo, ſc. Archiepiſcoporum *Mepham* & *Statford*, interiiſſe mihi perquam dolebat. Hujus quidem jactura olim facta eſt, id enim neque Jocelinus nec Harpsfeildius unquam viderunt; alterum autem noſtro ſæculo eſt deperditum; eo enim ſub ſuperioris ſæculi finem Yaleus uſus eſt. Præter iſta, Regiſtri *Bourchier* pars longè potior interiit. Poſt Lambethanam Bibliothecam profuit illa ex adversâ fluminis ripâ in ædibus Cottonianis poſita; quæ Codicum Manuſcriptorum numero atque pretio omnes noſtræ gentis longè ſuperat. Iſta mihi ſemper patuit egregiâ humanitate generoſi poſſeſſoris *D. Johannis Cotton*, Baronetti, viri non magis ob clariſſimam ſtirpis nobilitatem quàm eximiam virtutem & penitiſſimam utriuſque linguæ ac cujuſcunque melioris literaturæ ſcientiam ſummo honore recolendi. Denique, ut alias mittam, Bibliotheca Collegii Corporis Chriſti in Academiâ Cantabrigienſi plurima quantivis pretii monumenta atque Hiſtorias ſuppeditavit. Hanc primus idemque maximus antiquitatis Anglicanæ reſtaurator D. Matthæus Parker Archiepiſcopus Cantuarienſis fundavit; & in eam omnia ferè meliora atque antiquiora, quæ diligentiâ atque ſumptu maximis undique conquiſiverat, monumenta tranſtulit. Illam mihi reſeravit, & plurimorum Codicum exſcribendorum copiam fecit ejuſdem Collegii Præſes, vir ſcriptis eruditiſſimis orbi literario notiſſimus, *Johannes Spencer*, S. T. P. Decanus Elienſis, Collegii Sociis aſſenſum humaniſſimè adhibentibus.

LX. Ex Bibliothecis quæcunque accepi, labore proprio eruenda erant. Fuerunt autem viri plures doctiſſimi, qui multa ſuo labore eruta atque conquiſita mihi tranſmiſerunt vel præſenti communicârunt; atque his me maximè debere profiteor. In his eſt Præſul omni laude major RR. P. *Willelmus Lloyd*, Epiſcopus Aſſavenſis; qui Diſſertationem meam de verâ ſucceſſione Archiepiſcoporum Cant. obſervationibus ſuis augere & emendationibus ad veritatem propiùs adducere dignatus eſt; multaque de Epiſcoporum Aſſavenſium Hiſtoriâ, aliis antehac incognita, ex Adverſariis ſuis ſuppeditavit. *D. Johannes Battely*, S. T. D. Archidiaconus Cantuarienſis, Eccleſiæ Metropoliticæ archiva ſummâ diligentiâ rimatus, quæcunque è re noſtrâ fore arbitratus eſt, collegit. *D. Matthæus Hutton* S. T. P. poſtquam omnia Eccleſiarum Eboracenſis

censis & Wellensis Registra & Chartularia labore incredibili pervolvisset, & compendio reddita in pugillares suos transtulisset, Collectanea sua, quæ volumina plusquam viginti confecerunt, mihi benignissimè transmisit. Plurimam illa lucem mihi in primâ hac Operis instituti parte concinnandâ contulerunt, majorem adhuc in parte tertiâ adornandâ datura. Denique *D. Willelmus Hopkins*, S. T. B. Canonicus Wigorniensis, qui perlectis Ecclesiæ Wigorniensis Registris & antiquis tabulis, multa mihi præclara excerpta, nonnulla etiam majoris pretii integra monumenta, suâ manu descripta donavit.

Ad vitandam ambiguitatem monendus est Lector, me in notis ad antiquas Historias & in Historiis proprio labore concinnatis initium anni à Calendis Januarii ubique duxisse; nisi ubi res mensibus Januario, Februario, vel Martio, *anno exeunte* gestæ dicantur.

INDEX

INDEX SEDIUM

Archiepiscopalium & Episcopalium,

Quarum Historia in hac primâ parte traditur.

Ex Provinciâ Cantuariensi.

INDEX HISTORIARUM IN Hac Primâ Parte EDITARUM.

Quæ antiquitus scripta sunt, charactere Romano, quæ recenter, Italico, inferiùs exprimuntur.

De Sede Cantuariensi.

Charta

De Sede Wintoniensi.

De Sede Roffensi.

De Sede Norwicensi.

De Sede Coventrensi & Lichfeldensi.

De Sede Wigorniensi.

De Sede Bathoniensi & Wellensi.

De Sede ELIENSI.

De Sede DUNELMENSI.

Errata

Errata Typographica.

Librum, postquam prælo exierit, non perlegi. Nonnulla autem Typographorum Sphalmata obiter notata subjeci, eaque à Lectoribus emendari peto.

PAG. 86. *lin.* 45. *pro* iv. Non. *lege* iii. Non. *P.* 91. *col.* 2. *l. ult.* *l.* si cavos. *P.* 103. *col.* 1. *l.* 12. *pro* 989. *l.* 988. *P.* 109. *col.* 1. *l. antepenult.* *pro* consecratum *l.* intronizatum. *P.* 130. *l.* 40. *pro* 908. *l.* 980. *P.* 133. *l.* 17. *pro* demonstrant *l.* demonstravit, *Ibid.l.* 23. *pro* 787. *l.* 987. *P.* 139. *l.* 36. *pro* Bisto *l.* Bristo. *P.* 408. *l.* 35. *pro* Tostes *l.* Tostes. *P.* 551. *l. mediâ*, *pro* ejus *l.* Sedis. *P.* 555. *col.* 1. *l.* 46. *lege* Wintoniensis & Scireburnensis. *P.* 530. *l.* 11. *pro* Diocesin *l.* Diocesi. *P.* 554. *l.* 27. *pro* consecratus *l.* consecratos. *P.* 538. *l.* 44. *pro* 1489. *l.* 1488. 18. Sept. *P.* 565. *l.* 29. *pro* vii. *l.* viii. *P.* 578. *l.* 22. *pro* hæc *l.* hoc. *P.* 591. *l. mediâ*, *pro* MCLIV. *l.* MDLIV. *P.* 473. *l.* 42. *pro* Oswaldus & Wlstanus *lege* Oswaldus & Aldulfus, *P.* 478. *l.* 16. *pro* Cicestr. *l.* Cestr. *P.* 486. *l.* 45. *pro* Henrico *l.* Hugone. *P.* 489. *l.* 34. *pro* Henricus *l.* Hugo; *sic etiam p.* 491. *l.* 24. *P.* 491. *l. ult.* *pro* Johannes *l.* Jocelinus. *P.* 612. *l. antepenult.* *pro* quadam *l.* quædam. *L. ult.* *l.* Quadragesimali. *P.* 619. *l. antepenult.* *pro* proditionibus *l.* proditionis.

In Præfatione.

Pag. 17. *lin.* 3. *pro* alias *lege* alios. *P.* 21. *l. penult.* *pro* 1664. *l.* 664. *P.* 23. *l.* 3. *l.* elucidandam. *P.* 25. *l.* 29. *l.* filius. *P.* 27. *l.* 12. *l.* Cadwalladrum, *l.* 21. *l.* *exhibui.* *P.* 29. *l.* 22. *l.* Wentanæ, *l.* 35. *l.* exaratas. *P.* 32. *l. ult.* *l.* alios. *P.* 33. *l. ult.* *l.* receptum. *P.* 37. *l. penult.* *l.* Vita.

STEPHANI BIRCHINGTONI

Monachi Cantuarienſis

HISTORIA

DE

Archiepiſcopis Cantuarienſibus

A primâ Sedis fundatione ad annum MCCCLXIX.

ACCEDUNT

Dies Obituales Archiepiſcoporum Cantuarienſium ex Obituario Cantuarienſi.

Hiſtoria Controverſiæ inter Sedes Cantuarienſem & Eboracenſem de Primatu, authore Anonymo.

Diſſertatio de verâ ſucceſſione Archiepiſcoporum Cantuarienſium.

Succeſſio Priorum Eccleſiæ Cantuarienſis.

Alia ad Sedem Cantuarienſem ſpectantia.

Variantes Lectiones ad Historiam Stephani Birchingtoni, descriptæ ex Codice Cottoniano *Julius* B. 3.

PAG. 1. *lin.* 4. DXCVII.	DXCVI.
l. 13. *post* sacravit	& ad Orientalem plagam civitatis
l. 16. *post* successorum	suorum
P. 2. *l.* 24. Ethelblaudo	Ethelbaldo.
l. 33. Ecclesia	Sedes.
P. 3. *l.* 3. Geulade	Genlade.
l. 13. Bridun	Bredon.
ibid. in Kalendis	iii. Kalendis. *Sic etiam Codex Lambeth.*
l. 21. xvii. & obiit vii.	xvi. & obiit viii.
P. 4. *l.* 9. *post* Plegmundus	qui
l. 12. xxxiv.	xxiv.
l. 14. Wallensis	Wellensis.
l. 29. *post* utrique	Ecclesiæ
l. 32. etiam	*deest.*
ibid. xxviii.	xviii.
l. penult. ··· nis	Danis.
P. 5. *l.* 5. cùm	nec
l. 7. demolitur	demolitis.
l. 10. decimantur	detinentur.
l. 21. iii. Calend.	iv. Calend.
l. 27. Normannorum	Normannus.
P. 7. *l.* 13. xiii. Cal.	xiv. Cal. *Sic etiam Codex Lambeth.*
l. 26. Pontif. sui anno xv.	sedit annis xv. &
P. 8. *l.* 30. *post* xxii.	obiit.
l. 38, & 44. Archiepiscopatum	Archiepiscopum.
P. 9. *l.* 9. deflecti	avelli.
l. 19. iste pervectores	Iste provectiores.
l. 20. pulchrâ	publicâ.
l. 25. consensu	consessu.
l. 33. execrationi	consecrationi
l. 35. appellationis	appellationem.
P. 10. *l.* 17. *post* annis ii.	mensibus xi.
l. 26. menses	mensibus.
l. 38. decente eum Chr.	docente eum Chr. matre sua.
P. 11. *l.* 7. Sebaudiâ	Sabaudiâ.
l. 24. *post* Robertus	de
l. 27. xlvi.	xlv.
P. 12. *l.* 46. effectum	affectum.
P. 15. *l.* 5. deputari	deputârunt.
P. 17. *l. antepenult.* menses	mensibus.
P. 18. *l.* 20. Catharinæ	Andreæ.
l. 21. Edwardus	Edmundus.
l. 26. Hanoviæ	Hanoniæ.
l. 31. *post* extremum	anno Domini MCCCXXVIII.
l. 39. *post* Veneris	in
P. 19. *l.* 18. MCCCXXIII.	MCCCXXXIII.
P. 20. *l.* 9. Gregorii	Georgii
l. 11. Hamonii	Hamonis.
l. 48. Septembris	Decembris.
P. 40. *l.* 51. Cistr.	Cicestr.
l. 53. Exon.	Oxon.
P. 41. *l.* 1. Warkele	Barkele.
l. 2. Feres	Ferrers
l. 4. Burgersh	Burwarsh.
l. 45. *l.* 25. v. Id.	Id.
l. 30. primi	*deest.*
l. 38. Werghane	Wergrave.
l. 44. MCCCLXXI.	MCCCLXII.
P. 45. *l.* 25. demolitans	demolitas.

Stephani Birchingtoni
HISTORIA
DE
VITIS
Archiepiscoporum Cantuariensium.

S. AUGUSTINUS.

SAnctus *Augustinus*, Natione Romanus, Monachus, primus fuit Cantuariensis Archiepiscopus, missus cum sociis fermè XL. à B. Gregorio Papâ ad prædicandum Verbum Dei genti Anglorum, Anno Domini DXCVII. qui Regem Ethelbertum potentissimum usque ad flumen de Humbre fines sui imperii extendentem ad fidem Christi suis prædicationibus convertebat. Qui postquam gratiam baptismatis susceperat: amore Dei B. Augustino & Successoribus suis Archiepiscopis dedit Palatium suum & Curiam suam, & jure perpetuo habere concessit; ubi Sedem Archiepiscopalem sibi & Successoribus haberet. Et Rex ad Rayculphum, quod secus mare situm est, transiens, pro se & successoribus suis Sedem Regalem paravit. Hic Augustinus regio fultus adminiculo, Ecclesiam, quam antiquo Romanorum opere in palatio Regis olim fuisse factam didicerat, in nomine Salvatoris D. N. Jesu Christi sacravit. Cantuariæ fecit Cœmeterium extra muros; ubi Rex Ethelbertus rogatu Augustini parvo post intervallo temporis Monasterium in honore Beatorum Petri & Pauli fabricavit; in quo dicti Augustini & Successorum corpora necnon Monachorum & aliorum fidelium Doroberniæ possent honorificè sepeliri. Augustinus in Natale Domini die plusquam X. millia Anglorum, absque parvulorum & mulierum infinito numero in aqua, quæ dicitur *Swalwe*, sacri baptismatis lavacro regeneravit. Et ipse Augustinus ab Archiepiscopo Arelatensi ordinatus secundum missa B. Gregorii Papæ; qui ei misit pallium per Mellitum, Justum & Paulinum Anno DCI. Qui quidem Augustinus Anno Domini DCIV. ordinavit Episcopos Mellitum & Justum ad prædicandum provinciæ Orientalium Saxonum, qui Thamesi fluvio dirimuntur à Cantiâ, & ipsi Orientali mari contigui. Quorum Rex Segbertus nepos Ethelberti Regis sancto prædicante Mellito fidem Christi accepit. In cujus Metropoli Civitate Londoniensi ipse Rex Ethelbertus fecit Ecclesiam S. Pauli. Sanctum verò Justum in ipsâ Cantiâ, quam gens Anglorum Rovecestriam nominat, Episcopum ordinavit: ubi Rex Ethelbertus Ecclesiam in honore S. Andreæ Apostoli rogatu Augustini à fundamento construxit. Sanctum Laurentium Presbyterum ordinans Archiepiscopum

copum

copum pro se, parvo post tempore migravit ad cœlum VII. Cal. Junii, feriâ tertiâ: qui sedit Annis XVI. & sepultus est in Monasterio Beatorum Petri & Pauli extra muros Cantuariæ.

LAURENTIUS.

Laurentius, Natione Romanus, Monachus, successit Augustino; quem ipse adhuc vivens ideo ordinavit; ne eo defuncto status Ecclesiæ tam tenera & rudis inciperet vacillare: secundum quod B. Petrus fundatâ Romæ Christi Ecclesiâ Clementem sibi successorem dicitur consecrasse. Laurentius Archiepiscopus sedit annis V. III. Nonas Februarii obiit; & sepultus est, ubi Augustinus.

MELLITUS.

Mellitus, Romanus Monachus, priùs Londoniensis Episcopus, successit, ordinatus à B. Augustino. Sedit annis V. Obiit VIII. Cal. Maii. Sepultus est, ubi B. Augustinus.

JUSTUS.

Justus, Episcopus Roffensis, Monachus Romanus, successit: cui Papa Bonifacius sic scripsit: *Auctoritate B. Petri firmamus præcipientes; ut in Dorobernia Civitate in posterum Metropolitanus locus totius Britanniæ habeatur.* Hic Justus Archiepiscopus genti Northumbrorum Paulinum Episcopum ordinavit. Quo prædicante ibidem, Eadwinus Rex baptisma cum gente suâ suscepit, anno Regni sui XI. Qui Rex Eadwinus Sedem Eboracensem S. Paulino donavit. Qui Eadwinus Anno ætatis XLIV. à Pagano Rege Merciorum & Cedwallâ Rege Britonum in gravi prælio est occisus. Sanctusque Paulinus assumptâ secum Reginâ Ethelburga rediit Cantuariam navigio; & à Justo Archiepiscopo honorificè est susceptus & Ethelblaudo Rege Cantuariæ filio Ethelberti. Deinde Paulinus ab Archiepiscopo Justo suscepit Episcopatum Roffensem. Justus sedit annis III. & obiit IV. Idus Novembris; & in dicto Monasterio Petri & Pauli sepelitur.

HONORIUS.

Honorius, Romanus Monachus, successit; cui Papa primatum Ecclesiæ Dorobernensis confirmavit. Et sedit annis XXVI. & obiit II. Cal. Octobr. Vacavit Ecclesia anno uno, mensibus sex.

DEUSDEDIT.

Deusdedit successit, & sedit annis X. & obiit II. Idus Julii. Vacavit Ecclesia annis III. & sepultus est in dicto Monasterio.

THEODORUS.

Theodorus, Natione Romanus, Monachus, Tharsis Siciliæ natus, successit; cui Vitalianus Papa Primatum Dorobernensem confirmavit. Hic Græcâ & Latinâ linguâ eruditus, ob harum eminentiam vocatus est Magnus Theodorus, Hic Sanctum Wilfridum Archiepiscopum Eboracensem emergentibus causis deposuit, & iterum eundem restituit. Hic anno ætatis suæ LXXXVIII. obiit; & sedit annis XXII. mensibus III. diebus XXVI. Vacavit Ecclesia anno uno. Et sepultus est in dicto Monasterio. Huc usque Archiepiscopi fuerunt Monachi Romani.

BRIC-

BRICWALDUS.

Bricwaldus, Primus Anglicus, ordinatus à B. Godwino Metropolitano Episcopo Galliarum, successit; qui erat Abbas de Geulade tunc, & nunc Recolure dicitur: cui Sergius Papa primatum totius Britanniæ confirmavit; & tribus Regibus tunc in Angliâ regnantibus, viz. Athelredo, Alfredo & Adulpho, super Confirmatione Primatûs Ecclesiæ Cantuariensis destinavit. Et iterum super eodem primatu scripsit Episcopis Angliæ universis. Hic sedit annis XXXVII. mensibus VI. diebus XXIV. & obiit V. Idus Januarii.

TADWYNUS.

Tadwynus successit, consecratus in Civitate Doroberniæ à Daniele Wentano & Ingwaldo Londoniensi & aliis duobus Episcopis: cui Gregorius Papa primatum totius Britanniæ confirmavit. Hic presbyter Monasterii quod vocatur Bridun fuit de provinciâ Merciorum. Iste sedit annis III. & obiit in Kalendis Augusti.

NOTHELMUS.

Nothelmus Ecclesiæ Londoniensis Presbyter, successit. Hic à B. Gregorio pallium suscepit; & sedit annis V. & obiit XVI. Calend. Novembris.

CUTHBERTUS.

Cuthbertus, primò Herefordensis Episcopus, successit. Hic primò sepulturam Ecclesiæ Christi Cantuariensi infra Civitatem à Romanâ Curiâ impetravit; & primus sepelitur ibidem: & sedit annis XVII. & obiit VII. Calend. Novembris.

BREGWINUS.

Bregwinus, Vir magnæ religionis, [successit] & sedit annis III. & obiit VIII. Calend. Septembris.

LAMBERTUS.

Lambertus, Abbas S. Augustini, successit, à Beato Papâ Paulo Stephani Papæ prædecessoris sui germano, Pallium suscepit.

ATHELARDUS.

Athelardus Abbas successit; qui primò fuit Wyntoniensis Episcopus: cui Leo Papa scripsit super Primatu Ecclesiæ Cantuariensis, & obiit Anno XIII.

WLFREDUS.

Wlfredus Monachus successit, qui recepit Pallium à B. Leone Papâ; & sedit Annis XXXVIII.

FLEOGILDUS.

Fleogildus, prius Abbas, successit; & sedit anno uno, & obiit III. Calend. Septembris.

CHELNOTHUS.

Chelnothus Decanus successit; qui à B. Gregorio Papâ Pallium recepit. Sedit annis XLI. & obiit.

ATHELREDUS.

Athelredus, Episcopus Wyntoniensis, successit de dono Regis Athelredi, eò quòd priùs Monachus fuit Ecclesiæ Christi: & sedit annis XVIII. Vacavit Ecclesia annis duobus.

PLEGMUNDUS.

Plegmundus fuit Magister Aluredi Regis, bene literatus, successit; qui jussu Papæ Formosi destitutas Ecclesias Episcoporum per Angliam instituit Episcopos, & in Urbe Dorobernii VII. Episcopos uno die consecravit: & sedit annis XXXIV.

WLFELMUS.

Wlfelmus, Episcopus Wallensis, successit; & sedit annis X. & obiit.

ODO.

Odo, Wyntoniensis Episcopus, successit; qui fuit de stirpe Daniticæ gentis oriundus; qui Edwardum fratrem Athelstani, & eo mortuo Eldredum apud Kyngeston. coronavit in Reges Angliæ. Idem Odo apud Rypon. profectus, Reliquias S. Wilfridi Cantuariam transtulit: & electus est in habitu Clericali, & perpendens tot Sanctos Monachos in Archiepiscopatu præcessisse, mari transito apud Floriacum Monachalia suscepit; & in Angliam rediens, Archiepiscopus ordinatus est: & sedit annis .... & obiit ....

S. DUNSTANUS.

S. *Dunstanus* priùs Wigorniensis Episcopus, quem Alphegus cognomento Calvus, Wentanus Episcopus Monachatûs & Presbyteratûs gradu decoravit. Item Dunstanus Eadgarum coronavit in Regem, & Edwardum filium Edgari, ac Ethelredum, in Reges Anglorum apud Kyngeston. Et iste Dunstanus primò fuit Abbas Glastoniensis, postea Episcopus Wygorniensis, & deinde Episcopus Londoniensis, non relinquens Wygorniensem Ecclesiam, sed utrique præsidens, & utramque Ecclesiam iste rexit. Hic pallium à Papâ Johanne recepit. Perduravit Dunstanus septem Regum temporibus; serviens Deo in fide ac etiam sanctitate: & sedit XXVIII. annos; & obiit XIV. Calend. Junii.

ETHELGARUS.

Ethelgarus, primò Abbas Wyntoniensis, & postea Episcopus Cicestriensis successit. Sedit annis duobus.

SIRICIUS.

Siricius Danegeld, priùs Wyntoniensis Episcopus. Hic incœpit tributum X. mille librarum argenti dare pro pace habendâ cum ... nis pro Christianis. Hic sedit annis V. & obiit.

ALURICUS.

ALURICUS.

Aluricus, prius Abbas Abendoniensis, & deinde Episcopus Wiltoniensis, successit. Sedit annis XI.

ALPHEGUS.

Alphegus, Wyntoniensis Episcopus, successit: cùm diu dabantur Danis XXXVI. M. libræ argenti Et tandem multis provinciis Anglorum flamma demolitur. Rex Etheldredus & primates Angliæ miserunt Legatos, pacem à Danis petentes. Tum ipsi debacchantes & quasi furibundi acriter Cantuariam obsederunt. Demum Urbs capitur; Elphegus ligatur; Ecclesia Cantuariensis comburitur; & Monachi & plebs decimantur. Elphegus in carcerem detruditur apud Grenwych; ubi post VII. menses variis cruciatus tormentis, tandem furentium manibus lapidatur. Sed illos Danos ira Dei consumpsit. Hic Archiepiscopus primò Abbas Bathoniensis fuit; & sedit annis VII. & Martyrio occubuit.

LIVINGUS.

Livingus Cognomento Ethelstanus, Episcopus Wellensis, successit. Sedit annis VII.

ATHELNOTUS.

Athelnotus, Filius nobilis viri Agelmari, hic *Bonus* vocabatur, successit; & à Benedicto Papâ Pallium recepit. Hic corpus S. Elphegi de Londonia Cantuariam transtulit; & sedit annis XVIII. & obiit III. Calend. Aprilis.

EADSINUS.

Eadsinus, Haroldi Regis Capellanus, successit; & sedit annis XI. & obiit.

ROBERTUS.

Robertus, Episcopus Londoniensis, genere Normannorum, successit; qui expulsus est de Angliâ; & sedit annis duobus.

STIGANDUS.

Stigandus, Capellanus Regis Willelmi primi. Hic in Habitu Clericali primus Archiepiscopatu functus est. Hic fuit post Wyntoniensis Episcopus, qui dimisso Anglorum Orientalium Episcopatu sublimiorem gradum Wyntoniensem Ecclesiam invaserat. Regis innocentis simplicitatem circumveniens, vivente Roberto Cantuariensi, Archiepiscopatum Cantuariensem obtinuit. Iste Stigandus in Concilio apud Wyntoniam celebrato, anno Domini MLXX. jubente & præsidente Rege Willelmo Bastardo, Domino Alexandro Papâ consentiente & per Legatos suos Hermenfredum Sedunensem Episcopum & Johannem & Petrum Cardinales suam auctoritatem exhibente, degradatur ex tribus causis: quia Episcopatum Wyntoniensem cum Archiepiscopatu tenebat injustè; & quia vivente Archiepiscopo Roberto, qui ab Angliâ vi expulsus

expulsus est, ejus Pallio, quod Cantuariæ remansit, in Missarum celebratione usus est; & quia à Benedicto, quem Romana excommunicavit Ecclesia, eò quòd pecuniis Apostolicam Sedem invasit, pallium recepit. Hic sedit annis XVII. & Wyntoniæ incarceratus obiit. Vacavit Ecclesia annis duobus.

LANFRANCUS.

Lanfrancus primò Prior Beccensis, & deinde Cadomensis Abbas, natione Lombardus, omnium liberalium artium & divinarum Scripturarum & sæcularium literarum scientiâ peritissimus, successit, compellente Rege Willelmo primo, eligentibus eum Monachis Ecclesiæ Cantuariensis senioribus; & consecratus est à VII. Suffraganeis & aliis. Eodem anno Thomas Eboracensis Archiepiscopus ex priscâ consuetudine ab Archiepiscopo Lanfranco consecrandus venit Cantuariam. Cumque Lanfrancus ab eo professionem scriptam de professione suâ cum juramento obedientiæ secundùm morem Antecessorum suorum exposceret; respondit se nunquam facturum; nisi de hâc rescriptas auctoritates legeret, & testes hujusmodi iniquitatis & rationes audiret. Tandem Lanfrancus hoc ostendit ei; & ipse aspernans omnia, non sacratus abscessit. Quod Rex audiens, graviter æstimans Lanfrancum injusta petere, & scientiâ literarum magis quàm ratione & veritate confidere. Et paucis postea diebus ad Curiam Regis veniens, à Rege audientiam postulavit; & dictis ejus rationibus Regis animum mitigavit. Anglici verò, qui rem noverant, Archiepiscopi assertionibus testimonium perhibebant. Et ita Edicto Regio communique omnium Decreto est statutum, debere Thomam ad Ecclesiam Cantuariensem matrem redire, professionem facere, Lanfranco tradere secundùm consuetudinem antiquam: in quâ professione sibi & successoribus suis absolutè nullâ conditione interpositâ, sibi obedientiam promitteret faciendam. Et sic ille Thomas rediit; quæ jussa sunt, implevit; & sacratus abscessit. Hic Lanfrancus Romam pro pallio veniens, & se Papæ Alexandro offerens cum humili prostratione ad pedes ejus, mox ab illo Papâ ad osculum erigitur. *Cui*, dixit Papa: *Honorem exhibuimus.* Duo Pallia ei dedit, ob signum amoris præcipui, quorum unum recepit ab altari; alterum ipse Papa, unde Missas celebrare consueverat, tradidit manu suâ. Cùm autem in Paschali Solempnitate ventilata fuerit causa de jure & primatu Cantuariensis Ecclesiæ super Eboracensem Ecclesiam, hoc decernente ipso Papâ: quæ causa post ventilata fuit apud Wintoniam in Regis Sitâ, in Castro postea apud Wyndesore. Et dicta Causa finem accepit in præsentiâ Regis, Episcoporum, Abbatum, diversorum Ordinum, congregatorum in Festo Pentecostes in Curiâ Regis, & in scriptis redacta, Sigillo Regio munita; quæ in Ecclesiâ Cantuariensi servatur, signis Regis Willelmi, Matildis Reginæ, Huberti S. R. E. Cardinalis, Alexandri Legati Papæ, & ipsius Thomæ Ebor. Archiepiscopi, XIII. Episcoporum & Abbatum XII. subscriptis. Hic multas bonas consuetudines fecit; easque perpetim observari debere statuit & præcepit. Hic sedit annis XIX. & obiit V. Cal. Junii. Vacavit Ecclesia quinquennio. Sepelitur ibidem.

ANCELMUS.

Ancelmus, Abbas Beccensis in Normanniâ, successit. Hujus tempore Rex venales fecit Ecclesias: & inter Regem & Ancelmum pro statu Universalis Ecclesiæ laborantem discordia suscitatur. Qui Rex XXX. Cœmeteria in pascua ferarum redegit. Ab Ancelmo Gyrardus Thomæ Eboracensis Archiepiscopi successor, factâ professione de obedientiâ, consecratur. Hic [pro] tuitione Ecclesiæ Universalis persecutione Regum Angliæ passus est exilium binâ vice; & sedit annis

annis XVI. & obiit XI. Calend. Maii, anno ætatis suæ LXXVI. Vacavit Ecclesia annis V. & humatur in Ecclesiâ Cantuariensi.

RADULFUS.

Radulfus, Episcopus Roffensis, primò Abbas Saginensis in Normanniâ, successit: & inter eum & Thurstanum Capellanum Regis tunc Electum Eboracensem Episcopum, Radulfo professionem facere recusantem, causa per annum integrum est versata. Rex autem Henricus protestatus est ipsum professionem facere debere, aut Archiepiscopatu Eboracensi carere. Sed rebellio Thurstani finem non fuit sortita; eò quòd iste Archiepiscopus paralysis morbo correptus, & tribus ferme annis usque ad obitum suum in hujusmodi infirmitate laborans, curari non poterat quovis modo. Unde Thurstanus in suâ obstinatione robustior factus, arbitrabatur sibi cuncta cessisse Et sedit annis VIII. mensibus VI. & obiit XIII. Cal. Novembr. feriâ quintâ.

WILLELMUS CORBOYL.

Willelmus Corboyl, Vir eximiæ religionis, Canonicus & Prior S. Osithæ de Chit, successit, & Pallium à Calixto Papâ accepit. Qui legatus post Concilium Generale apud Westmonasterium ab eo celebratum omnium Episcoporum & Abbatum Angliæ, pro utilitate [Ecclesiæ] Anglicanæ, Cantuariensem Ecclesiam dedicavit, post horribilem combustionem, IV. Nonas Maii; præsentibus non solùm Anglis, sed & exterarum provinciarum Episcopis & Abbatibus, ac Rege Henrico & Reginâ & Primoribus Regni. David Rex Scotorum affuit, & Nobilium multitudo. Et acta est hæc Consecratio anno Domini MCXXXIV. Rex autem in dotem præfatæ Ecclesiæ Christi Capellam suam, Regina suam Ecclesiam S. Martini Dovorriæ, cum omnibus pertinentiis suis & provectibus, tam in terrâ quàm in mari; & suâ Cartâ liberè confirmavit. Iste Archiepiscopus Pontificatus sui anno XV. in pace requievit. Vacavit Ecclesia annis II. mense I. & in Ecclesiâ Cantuariensi humatur.

THEOBALDUS.

Theobaldus, Abbas Beccensis, successit, consecratus Cantuariæ ab Alberico Ostiensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato ad altare Christi Cantuariensis Anno Domini MCXXXIX. VI. Idus Januarii, astantibus & cooperantibus omnibus ferè Episcopis Angliæ. Post Consecrationem suam XII. Monachos de Ecclesiâ Christi Cantuariensis misit ad novam Ecclesiam Dovorræ; & eis præposuit priorem Ascelinum Ecclesiæ Cantuariensis Sacristam. Prædictus Albericus Legatus celebravit Concilium apud Westmonasterium auctoritate Innocentii Papæ: Post mensem Theobaldo transfretante Romam pro Pallio profecturo. Tandem à Româ est reversus Archiepiscopus, & Primas totius Angliæ, & Apostolicæ Sedis Legatus. Et anno Domini MCXLVII. Apostolicis scriptis vocatus est ad Concilium ab Eugenio Papâ Remis celebratum; & petitâ à Rege Stephano licentiâ sed non obtentâ, per multos labores accessit. Egit verò Episcopus Henricus, frater Regis, invidiâ stimulante; ut si Archiepiscopus transfretaret, proscriberetur à Rege: Si verò ad Concilium non veniret, propter contemptum suspenderetur à Papâ vel deponeretur. Rex commotus, post multos sermones inter ipsum & Archiepiscopum per internuncios habitos, tandem Rex Archiepiscopum, quia terram absque licentiâ exivit, Angliam celeriter coegit exire. Postea redditûs Archiepiscopi & maneria & omnia quæ habebat, rapiebantur; hominesque illius spoliabantur sine misericordiâ bonis suis. Quod audiens Archiepiscopus, apud Goseford

ford in Norfolchiâ accedens, & tantum nefas tolerare non valens, totam terram Angliæ interdixit; sed apud Framelyngham in Norfolchiâ inter ipsum & Regem reformatâ pace, cum honore & lætitiâ Archiepiscopus Cantuariam est perductus. Hujus autem temporibus Conventus totus Cantuariensis Ecclesiæ ex quibusdam causis omnia Maneria sua cum Advocationibus Ecclesiarum in Maneriis posuit sub ordinatione dicti Archiepiscopi; ipsisque Monachis ad tempus victualia ministravit. Et tandem ad rogatum dictorum Monachorum ipse Archiepiscopus eisdem dicta sua Maneria omnia liberavit, penès se & successores suos Advocationes Ecclesiarum hujusmodi retinens in perpetuum. Hic Archiepiscopus consecravit Rogerium Cantuariensem Archidiaconum ad regimen Eboracensis Ecclesiæ apud Westmonasterium VI. Idus Octobr. lectâ prius professione suâ Archiepiscopo Cantuariensi de obedientiâ sibi & suis Successoribus faciendâ; astantibus Richardo Londoniensi, Roberto Lincolniensi, Gilberto Herefordensi, Waltero Roffensi, & multis aliis Episcopis tunc ibidem. Et statim idem Archiepiscopus contulit Archidiaconatum Cantuariensem Thomæ Beket de Londonia Clerico suo; cujus pater Gilbertus, mater verò Matildis dicebantur. Hic Theobaldus coronavit apud Westmonasterium Henricum filium Matildis Imperatricis in Regem Angliæ, assistentibus Archiepiscopis duobus, & Episcopis XIV. & Comitibus, Baronibus & aliis in multitudine copiosâ. Considerans hic Archiepiscopus mutabilitatem juvenis Regis, luporum Aulicorum cupiditatem; & prædictum Thomam Archidiaconum Cantuariensem in agendis virum expertum & strenuum, in consiliis providum, in bonitate conspicuum, & in omni opere providum & discretum, & talem Aulæ Regiæ necessarium; ejus ope & opere sperans inter regnum & sacerdotium vinculum pacis fore firmum; ut idem Thomas officium Cancellariæ haberet, egit idem Archiepiscopus quantum potuit erga Regem. Thomas Cancellarius Angliæ factus, omnes Anglicos fascessiâ superavit & gloriâ; ut in brevi Rector & Magister. Hic Theobaldus XIV. Calend. Maii, Pontificatûs sui anno XXII. anno Domini MCLXI. [obiit] & vacavit Ecclesia anno I. mense I. diebus XIV.

THOMAS BEKET.

Thomas Beket, Archidiaconus Cantuariensis & Henrici Regis Cancellarius, ac præpositus Beverlaci, & Canonicus in diversis Ecclesiis, tunc in Angliâ potentissimus, & in omnium oculis gloriosus, sapientiâ præditus, nobilitate cordis omnibus admirabilis; inimicis & æmulis terribilis, utpote Regis amicus, & in regno secundus. Hic à Wiberto Priore Ecclesiæ Christi Cantuariensis assensu totius Conventûs ejusdem in Archiepiscopatum est electus, Rege Henrico tunc in transmarinis partibus existente. Factâ autem Electione, statim idem Thomas constituit sibi Magistrum qui ejus errata corrigeret, & si fortè in aliquo excederet. Et Sabbato in Ebdomadâ Pentecostes in Presbyterum ordinatus, & in crastino die S. Trinitatis ab Henrico Wyntoniensi Episcopo consecratus est; quia Sedes Londoniensis tunc vacabat, qui de jure antiquo [b] Archiepiscopatum consecrare deberet. Consecratus igitur III. Nonas Junii, anno ætatis suæ circiter XL. astantibus omnibus ferè Suffraganeis Ecclesiæ Cantuariensis præsentibus tunc ibidem. Hic post Consecrationem suam instituit Festivitatem principalem S. Trinitatis annis singulis in perpetuum celebrandam, quo die primam Missam suam celebravit. Alexander Papa Imperatoris Frederici impetum ferre non valens, navibus advectus primò apud Montem Pessulanum applicavit; secundò apud Senonas in Galliâ venit; ad quem misit Archiepiscopus literas rogans & petens, ut sibi & Ecclesiæ Pallium mitteret; & ex antiquo jure debitam & consuetam dignitatem

[b] Archiepiscopum.

dignitatem Metropolitani omnibus conſervaret. Nuncii Papam benignum invenientes, accepto pallio, in Feſto S. Laurentii ſunt reverſi. Anno Domini MCLXIII. congregati ſunt præſules & proceres Regni Angliæ apud Clarindonam in Feſto S. Hilarii, ubi Henricus Rex quæſivit à Clero ſuas avitas Conſuetudines obſervari. Ac ipſi cum ſuo primate ſeorſim loquentes, ex condicto reſponderunt, ſe velle illas conſuetudines ſalvo ordine ſuo & jure Eccleſiæ obſervare. Et Rex indignatus juravit verbum illud; *ſalvo ordine meo*, penitus amovendum. Sed Epiſcopi primati ſuo inhærentes firmiter, à propoſito ſuo non potuerunt [deflecti.] Converſi tamen minis Regis & terroribus, Archiepiſcopum, qui à promiſſo propoſuit reſilire, eò quòd promiſſionem factam Regi ſuſpectam habuit, deprecantur flebiliter; ut ſui animi pertinaciam relaxaret. Unde miſeratione compunctus Archiepiſcopus, Regis voluntati parere annuit; & promiſit in verbo Sacerdotii de plano ſe velle Conſuetudines illas cuſtodire. Similiter promiſerunt Epiſcopi & juraverunt. Dicebatur enim quòd Rex Papæ & Cardinalibus promiſit; quòd nichil in præjudicium quæreret Eccleſiæ, ſed ſolùm coram ſuis Optimatibus honorari. Sed ſtatim Archiepiſcopo cecidit in verbo; & in brevi ad cor rediens, fortior ſurrexit in opere; & quæ eſſent illæ Conſuetudines [a] neſcientes, ſed pravas eſſe [b] ſuſpicantes, eò quòd tantâ inſtantiâ petebantur. Rex ait iſte [c] pervectores & Avi mei inveſtigate conſuetudines, ut ſcripturâ pulchrâ redigantur. Qui cùm pravitates & actus veteres revolviſſent, XVI. articulos protulerunt; quos brevitatis causâ hìc dimittimus exarandos. Cumque conſuetudines illas nollet Archiepiſcopus confirmare; iratus eſt Rex valdè, eò quòd eum ſolum videret ſuis petitionibus reſiſtere. Et curiali judicio Epiſcoporum conſenſu condempnatus eſt; ut ſua mobilia in Regis manum ponerentur. Fugiens igitur Thomas de nocte, & ſubiens exilium, apud S. Bertinum & Senonenſem Civitatem aliquamdiu hoſpitatus, tandem coram Papâ & Cardinalibus cauſam ſui exilii cum lacrimis explicabat; & Papâ jubente apud Pontiniacum ferè per biennium morabatur: & tandem pace factâ rediit ad ſuam Eccleſiam, & Martyrio occubuit. In eâdem ſedit annis VIII. Vacavit Eccleſia anno uno.

[a] l. neſciens.
[b] l. ſuſpicans.
[c] f. progenitorum.

RICHARDUS.

Richardus, Prior Dovorræ, ſucceſſit; qui cùm omnia [d] execrationi ſuæ neceſſaria fuiſſent parata; Eccleſiæ literæ novi Regis ex adversâ parte allatæ ſunt; & propter quandam [e] Appellationis in literis contentam fatigatus eſt multis laboribus & expenſis; & Romam veniens, contra ſe fortes adverſarios invenit; quia cum Rege ſeniore quidam cum juvene, & quidam cum Electo [ſtabant.] Propterea Electus deſperatus quaſi de electione redire volens, revocatur ab Alexandro Papâ & ab eo conſecratur Dominicâ, quâ cantatur *Miſericordia Domini*: & recepto Pallio, Legatione & literis privilegii munitus, versùs Angliam iter flexit: & apud Weſtmonaſterium Concilium celebravit. Et cum Dominus Hugucius celebraret Concilium, Archiepiſcopus Cantuarienſis obtineret dextram in ſedendo; Rogerus Ebor. Archiepiſcopus innatâ arrogantiâ reſidere ad ſiniſtram reſpuit; inter Hugucium Legatum & Cantuarienſem Archiepiſcopum irreverenter natibus innitens, ſedere niſus eſt, adeò [ut] in Primatis ſui gremio reſideret. Ab Epiſcopis, Clericis & Laicis turpiter apprehenſus, in terram dejectus eſt; & cùm baculis & pugnis impeteretur; Archiepiſcopus exiliens, reddens bonum pro malo, ab olim Cantuar. Eccleſiæ inimicum ſurripuit tantæ cladi. Et cùm ipſe Cantuar. Archiepiſcopus poſtea in Villâ de Wrotham nocte ſobrius membra ſopori dediſſet in lecto ſuo; in viſu noctis apparuit ei perſona terribilis & mageſtativa, dicens ei ſemel & ſecundo: *Tu quis es?* Cui cùm Archiepiſcopus timore percuſſus non reſponderet;

[d] l. conſecrationi.
[e] l. appellationem.

deret; ſubjunxit illa perſona dicens: *Tu es, qui diſſipâſti bona Eccleſiæ tibi commiſſa: & ego diſſipabo te de terrâ,* Quo dicto diſparuit, & Archiepiſcopus non dormivit iterum; nec mirum. Et cùm Roffam tenderet, cauſas tractaturus; quibuſdam familiaribus ſuis, quæ videret, cuncta enarravit. Sed vix ultimo verbo dicto ſubitò circumcinxit eum frigus & ægritudo; ut vix ad Villam de Hallynges veniret; ubi collicâ paſſione vexatus, ſpiritum exhalavit, anno XI. à conſecratione ſuâ; & humatus eſt in Eccleſiâ Cantuar. Vacavit Eccleſia Cantuar. menſes IX. diebus XII.

BALDEWYNUS.

Baldewynus, Epiſcopus Wygornienſis ſucceſſit; & pallio ſibi tranſmiſſo, intronizatur in Sede ſuâ Cantuar. & in Terrâ Sanctâ in obſidione Civitatis de Achon obiit, & ſepultus eſt. Poſtquam hic Archiepiſcopus Jeruſalem [iter] arripuit; rumor invaluit de Gaufrido Ebor. Electo de mandato Papæ in Franciâ conſecrando. Unde Epiſcopi ſtupentes Eccleſiæ Cantuar. dignitatem minui, appellarunt. Huic autem Baldewyno Lucius Papa III. ſic ſcripſit: *Tibi Baldewyno Pallium tranſmittimus per Notarium n ſtrum Raymundum.* Hic ſedit annis V. Vacavit Eccleſia annis II.

REGINALDUS.

Reginaldus, Epiſcopus Bathon. ſucceſſit; & miſſi nuncii ad Papam, confirmata eſt Electio benigne; & pallio ſibi tranſmiſſo, Hic ægrotare cœpit in veniendo Cantuariam apud Dogmerefeld; & cucullum induens, ſub titulo Cantaur. Eccleſiæ quievit in pace.

HUBERTUS.

Hubertus, Epiſcopus Sarum, ſucceſſit; & pro pallio petendo miſſi ſunt Nuncii ad Papam, & pallio accepto à Cœleſtino Papâ unâ cum Papæ Legato Cantuariam ſunt reverſi. Hic ſedit annis XI. menſes VIII. Vacavit Eccleſia anno I. & in Eccleſiâ Cantuarienſi eſt humatus.

STEPHANUS.

Stephanus, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ſucceſſit; qui per Monachos Eccleſiæ Cantuarienſis in Archiepiſcopum eſt electus, & conſecratus à Papâ. Hic B. Thomam Martyrem tranſtulit; & ſedit annis XXII. & vacavit Eccleſia anno I. & in Eccleſiâ Cantuarienſi ſepelitur.

RICHARDUS.

Richardus, cognomento Magnus, qui prius fuit Cancellarius Lincolnienſis, ſucceſſit; & ſedit annis II. Vacavit Eccleſia annis II. Paſtore deſolata.

EDMUNDUS.

Edmundus de Abendonia, Theſaurarius Sarum, ſucceſſit. Hic in omni munditiâ & ſanctitate decente eum Chriſtianiſſimâ degens; Dominicâ, quâ cantatur Officium: *Exultare Jeruſalem* [f] extitit conſecratus. Hic poſt multas perſecutiones & injurias, inſurgentibus contra eum Monachis Eccleſiæ ſuæ Cantuarienſis, ſibi lites voluntate magis quàm neceſſitate inferentibus; & Magnatibus terræ ſibi undique injuriantibus; ipſe aſcendens ex adverſo, de

Concilio

Concilio Suffraganeorum suorum in pacis Ecclesiæ perturbatores sententiam Excommunicationis tulit. Et ob hoc & alia exilium passus, apud Pontiniacum per Papam commendatus, ibidem quievit [a] in Domino; & sedit annis VIII. & ab Innocentio Papâ IV. Canonizatus est anno Domini MCCXLVI. Et vacavit Ecclesia annis III. mensibus II.

[a] Obiit anno MCCXL. XVI. Cal. Decembr. Sic Matthæus Paris ad an. 1240. Author Vitæ ejus apud Surium. Martyrologium Ecclesiæ Christi Cantuariensis MS. Monachus Pontiniacensis, qui Vitam ejus operosè descripsit inter annos 1240. & 1247. MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, & Antiquitates Britannicæ. Ut falsus sit Author Vitæ ejus vetustæ MS. in Collegio S. Trinitatis. Cantab. qui obitum ejus ponit XVI. Cal. Novembr. & Sepulturam XI. Cal. ejusdem Mensis.

BONIFACIUS.

Bonifacius, filius Comitis de Sebaudiâ, & procurator Belvacensis Ecclesiæ in Burgundiâ, successit; & consecratus est Lugduni à Papâ Innocentio IV. Hic pauperum amator erat; & magnum thesaurum pro Ecclesiâ Christi construendâ in navi Ecclesiæ congregavit; qui morte præventus, pro animâ suâ ea quæ sic congregârat, fecit pauperibus erogari. Hic acquietaverat Archiepiscopatum de XXII. millibus marcarum, in quibus tenebatur per prædecessores suos Stephanum, Richardum Magnum, & S. Edmundum Archiepiscopos. Unde de Aulâ nobilissimâ, quæ in palatio Archiepiscopi Cantuariensis sita est, solebat Bonifacius inter familiares suos quasi ludendo dicere, Eya per Christum, prædecessores mei Aulam istam cum magnis expensis fecerunt; sed expensas ad illam construendam nisi de summâ mutuatâ non invenerunt. Videtur quidem mihi, quòd ego illam Aulam feci; quia illorum debita persolvi. Iste Archiepiscopus cum Reginâ & Edwardo primogenito suo perrexit versus Vasconiam; & postea rediit ad partes suas Sebaudiæ; & ibidem mortuus est in Castro vocato S. Elenâ. Hic sedit annis XXVI. Vacavit Ecclesia annis II.

ROBERTUS [b] KWARDEBY.

[b] *rectius* Kilwarby.

Robertus Kwardeby, de Ordine prædicatorum, successit, præfectus in Archiepiscopum per Papam Gregorium X. Viterbii, & in Ecclesia Cantuariensi fuerat consecratus. Postea factus est Cardinalis Episcopatûs Portuensis à Nicolao Papâ III. & sedit annis VI. Vacavit Ecclesia XLVI. septimanis.

JOHANNES de PECCHAM.

Johannes de Peccham, de Ordine Minorum, vir magnæ eloquentiæ, divinarum Scripturarum Doctor peritissimus, consecratus est à Papâ in Curiâ Romanâ. Hic apud Lamhethe Provinciale Concilium celebravit; & bis Cantuariensem Provinciam visitavit; & sedit annis XIII. Vacavit Ecclesia anno uno, mensibus IX. diebus IV.

ROBERTUS de WINCHELSEE.

Robertus de Winchelsee, Magnus Theologus, successit, anno Domini MCCXCV. electus à Conventu Cantuariensi qui priùs in Ecclesiâ Londoniensi fuit Archidiaconus Essexiæ, à Papâ Cœlestino, qui dicebatur ante Papatum Petrus de Murrone, in Romanâ Curiâ consecratus. Hic vir Dei Robertus in ætate puerili fuit toto corpore speciosus, omnibus amabilis & gratiosus, bonæ indolis, docilis & ingeniosus, Grammaticamque didicit

cautus excellenter; adeò quòd in brevi nullus temporibus anterioribus in eâ sibi existeret coæqualis: Sic vitâ, conversatione, moribus & literaturâ cæteros antecellens; quòd communi vaticinio futurus Archiepiscopus clamaretur. Itaque in adolescentiâ Parisiis studio literarum intendens, ibi in facultate illâ Artium Liberalium sic profecit: quòd in brevi Magister Artium fieret ex prærogativâ nobili meritorum: & citò post in Rectorem totius Universitatis concorditer crearetur: dictosque status tam providè gesserat; quod multis retroactis temporibus nullus erat, qui hujusmodi status laudabiliùs exerceret. Inde ad universitatem transiens Oxoniensem, ibi ad statum Magistralem in Theologiâ vocatus ex condignis meritis & assumptus. Et postea Officium Cancellariatûs Universitatis Oxoniensis sibi impositum administrans, malas observantias tangentes ad diminutionem statûs Studentium, bonos inducendo, tam prudenter se habuit; quòd inde [a] commendabiliter omnibus reddebatur. Postmodum Archidiaconatum Essexiæ in Londoniensi Ecclesiâ assecutus & residens in eâdem, ejusdem Ecclesiæ nocturnis & diurnis officiis deservivit devotè; Lecturam Theologiæ ibidem ordinare resumendo, verbum Dei prædicando frequenter, Archidiaconatum tam per se quàm per suos in puritate vitæ & conscientiæ fœliciter gubernando. Tandem vacante Sede Cantuariensi Metropoliticâ, Prior & omnes de Capitulo Spiritûs Sancti gratiâ eundem concorditer elegerunt: de quâ Electione Rex, Magnates, Clerus & populus in Domino exultarunt. Cui quidem Electioni sibi præsentatæ post triduum vix annuit & consensit. Postmodum idem Robertus apud Sedem Apostolicam pro confirmatione Electionis hujusmodi constitutus, in puritate vitæ & moribus, in literarum eminentiâ sic effulsit: quòd majores ejusdem firmiter tenebant, se non vidisse de Regno Angliæ virum in tot meritis sibi parem: adeóque ad summi Pontificatûs honorem tunc vacantem ipsum reputaverant dignum fore. Ubi post creationem Papæ fuit Electio confirmata, & in Archiepiscopum consecratus, & fuit divulgatum, quòd Papa eum Cardinalem intendebat fecisse: Robertus Archiepiscopus considerans dispendium summum Cantuariensis Ecclesiæ, ex causis voluntatem Papæ optinuit immutari, migrandique ad suam Ecclesiam sibi licentiam impertiri. Deinde ad Ecclesiam suam veniens, in vitâ, moribus & cæteris virtutibus, non solùm ut prius, sed plus solito coruscavit; & circa curæ pastoralis officium diligenter insistens, subditos suos à lasciviâ ad devotionem, ab erroribus ad virtutes fœliciter inducendo: adeò quòd populi multitudo ad sermonem ejus audiendum à locis multùm distantibus confluebat; summè delectabile reputantes ipsum dicentem audire, suis doctrinis instrui ac etiam informari. Et vix potuit de passione Christi aut ejus morte dicere, legere vel prædicare quicquam nisi cum lacrimis, quæ astantes ad lacrimas excitabant. Unde cùm sibi à Sede Apostolicâ attributum fuisset; ut Landavensi Ecclesiæ diutiùs vacanti de Episcopo provideret; eidem de Magistro Johanne de Monemuta, Doctore in Theologiâ, præ cunctis regni probitate meritorum suorum indicio celsiore providit. Et decem Beneficia opulenta Magistris Regentibus in Theologiâ, & paulò minus contulit Bacalaureis studentibus in eâdem. Et in aliis Beneficiis, quæ contulit, non sequens carnalitatis effectum, [ad] preces, minas vel munera mentis oculum non convertit. Et si quenquam promovere intendisset, si pro eo rogaretur, statim propositum immutavit. Aliorum etiam Scolarium facultatum indigentibus quibusdam 40. Solidos, quibusdam 20. annuatim fecerat ministrari. Pauperibus etiam Religiosis Mendicantibus quibusdam XX. marcas, quibusdam X. ac plus & minus contulit intuitu caritatis. In eleemosynarum largitione pauperibus hostiatim mendicantibus, debilibus & ægrotis tantam abundantiam tribuit; quòd Prælatos alios excellebat: unde quolibet Die Dominico & feriâ quintâ per annum cuilibet pauperi viventi fecit dari; quorum numerus tempore

[a] l. commendabilis.

tempore cariſtiæ ad MMMM. vel circiter ; & fertilitatis tempore ad tria millia ſe extendebat ; ut communiter credebatur. Et præter hæc in quatuor Feſtis ſolempnioribus Beatæ Mariæ CL. denarios totidem pauperibus ad laudem S. Virginis erogari fecit ; & in feſto conceptionis ejuſdem , & in 4. Vigiliis antedictis, & in omnibus Feſtis Apoſtolorum, & aliorum Feſtorum feſtis duplicibus C. denarios, & totidem [a] fecit miſericorditer diſpenſari. Inſuper languidis & confectis ſenio & pauperibus mulieribus in puerperio jacentibus unum panem frumenteum cum dimidio ferculo carnium & piſcium, ubi degebat, fecerat aſſignari. Et præter hæc egenis non valentibus mendicare pro pudore, in locis quibus degebat per quatuor milliaria circumquaque vicinis fecit inquiri ; quorum aliquibus de 1. denario, & aliis de 2. & aliis de 3. & 4. & aliis de 12. ſecundùm onera liberorum [b] ejuſdem fecit, per annum ſæpiſſimè provideri. Veſtes ſuo veſtitui deputatas pauperibus viris ægrotis & aliis egenis diſtribuit. Itaque ultra duas robas ſibi noluit reſervare ; & ſibi ſæpiùs juſſit meliora veſtimenta fieri ; ut de his poſſet uberius reſpicere indigentes. Et ſi quicunque pro culpis ſubditorum aut pœnis pecuniariis inflictis fuiſſent ſubditi multati, eas noluit imburſari ; quin potiùs religioſis, pauperibus & in aliis piis operibus erogari. Caſtitatis ſervans mundiciam, & cum mulieribus niſi in confeſſione loqui noluit vel tractatum habere ; manus etiam ſuas ab omni [c] onere fœtido tenuit impollutas. Et licèt in judiciis & congregationibus quandam præeminentiam appetere videretur ; Collegam ſuorum ſe exhibuit Clericorum. In omnibus Horis Canonicis interfuit ; & Miſſas ſolempniter decantare voluit, dum tamen ſoſpes eſſet, & à principio verbi ad finem perſonaliter intereſſe : ita quòd nullius niſi ſolius Dei timuit poteſtatem. His igitur & aliis occupationibus expeditus, ſolebat ſolus in conclave modicum intrare, oſtium [d] obſervando ; nolens ut quiſquam quid ibi faceret, exploraret. Et communiter ſuſpicabatur à ſuis, quòd ſe affligeret ibidem aliquando pœnitentiâ corporali ; eò quòd poſt ejus obitum in utroque femore ſuo oſſa patuerant denudata, caro ejus livida, & humor ſanguineus ſanguine mixtus apparebat ; quibuſdam conjicientibus hoc de terrâ ſeu lecto duro ; & aliis ſuſpicantibus, quòd carnis aculeos ad refrænandum taliter inflixiſſet. Fuit inſuper in menſâ affabilis & benignus, jocundus ; adulatores, proditores & jaculatores & vaſtatores odiens & deteſtans. Et cùm vir eſſet corpulentus & bene complexionatus , ad ſubeundum onera curæ paſtoralis multipliciter incumbentia, ne præ nimietate laboris arceretur ; aliquotiens ad neceſſariam ſui corporis ſuſtentationem gulæ fugiens appetitum, uteretur lautioribus alimentis ; nihilominus in animo temperantiâ æqualiter poſt prandium ſicut ante ſtabilis & rectus. Et cùm ante ſe delicata cibaria ponerentur ; ea debilibus & ægrotis ſenibus & mulieribus in puerperio decubantibus poſt modicam deguſtationem, & multotiens his non tactis, fecit communiter aſſignari, non obſtante murmure Proviſorum ſui hoſpitii cibaria delicata ad ſuorum & ſervientium epulas ſatagentium reſervare, & hujuſmodi egenis de groſſioribus providere ; quos ob id arguere conſuevit, dicens : Sanis bene convenit cibus groſſus ; infirmis cibus nutritivus ac etiam delicatus ; & omnia cibaria incomeſta ſuæ eleemoſynæ fecit integrè reſervari ; nec aliquis hoſpitii ſui audebat de appoſitis cibariis cuiquam quicquam intervertere. Virginem Mariam amore ſpiritualiſſimo prædilexit ; & ipſam poſt Deum præ Sanctis omnibus honorabat. Unde Salutationem Angelicam finitis occupationibus neceſſariis, per numerum digitorum ſuorum, quocunque ſe diverteret, ſemper dixit : quæ quaſi ad numerum infinitum extendebant. Unde poſt ejus obitum accidit admirandum ; quòd qui Domini ſui devoti ſtantes juxta funus ejus, dum dictam Virginis Salutationem more ipſius dixiſſent ; oculatâ fide dixerant ſe vidiſſe pollicem manûs dicti defuncti diſcurrere per articulos digitorum,

[a] *Deeſt aliquid, ſeu panes, ſeu* veſtimenta.

[b] l. eiſdem.

[c] l. opere.

[d] l. obſerando.

rum, prout ipse, dum vixit, consuevit facere cum devotione corporis & cordis.

Videntes autem humani generis inimici dictum virum Dei in commisso sibi regimine tam fœliciter prosperari, ex hoc condolebant, [&] ad reprimendum, animum Regis Angliæ contra dictum Archiepiscopum illum inflammarunt; eò quòd ipse Archiepiscopus quibusdam exactionibus & talliis, quas ab Ecclesiâ Anglicana & clero ejusdem decreverat faciendas, noluit idem Archiepiscopus, sicut nec potuit, his conscientiâ consentire: adeò quòd ipse Archiepiscopus à gratiâ, pace & protectione Regis extrapositus, est à suis possessionibus & bonis omnibus destitutus; loco nullo, ubi caput reclinaret, aut unde victualia, equitaturam & alia necessaria sumeret, sibi dimisso: Ita quòd oportuit ipsum & suos pedibus proficisci, & ex inopiâ victualia mendicare; nisi quidam viri misericordes de suâ adversitate compatientes, sibi & suis necessaria caritatis intuitu ministrassent. Ex his ipsius viri animus in petrâ Christo firmiter radicatus, pacem Regis transitoriam parvipendens, ad annuendum voluntati Regis in præmissis flecti non potuit vel induci. Cúmque per aliquos magni statûs viros, Regis Consiliarios, se sibi amicos & benevolos, tranquillitatis & honorum Ecclesiæ zelatores existere minus veraciter confingentes, eidem Archiepiscopo persuasum fuisset; ut protectionem Regiam pro bonis suis ab ipso primitus expetitam per aliquem de suis permitteret impetrare, & sic Regis benevolentias mereri, prædictaque recuperare, & inter suos vivere in quiete: aliis verò consimilis statûs viris offerentibus, ut eidem Archiepiscopo huiusmodi protectionem impetrari facerent, eam quoque pro nichilo sibi dari. Sed vir Dei conspiciens hos & illos latenti veneno coronari, per capitis declinationem cætera corporis membra suo desiderio facilius inclinare, caputque cum membris pœnis gehennalibus mancipare: cùm tot mortibus dignus esset, quot subditorum membra perderet per exempla: noluit alicui de dictis consiliis, ne tanta temeritas traheretur exquisitis coloribus in exemplum, remordente in his suâ conscientiâ, consentire; protestans coram eis [quod] in Ecclesiâ suâ morari sibi licuit cum Conventu, & ibidem liberationem percipere consuetam, protectionem hujusmodi per se vel alium nullatenus impetraret, aut impetratam seu impetrandam aliqualiter acceptaret. Hanc igitur protestationem coram suis Suffraganeis ac Clero suarum Diœcesium & provinciæ inspectu fecit publicè innovari; inhibens omnibus & singulis suis subditis sub gravibus pœnis, ne quis Protectionem hujusmodi sumeret aut in fraudem Canonis impetraret. Curiales verò his auditis, conjicientes quòd ex dictæ liberationis confidentiâ cum eodem Conventu voluit commorari, quæque per dampna & gravamina contra eum machinata ipsius animum non poterant immutare aut ipsum ad tristitiam provocare; Sed ex his magis hilarem & constantem & jocundum; plurimum tristabantur; & ad ipsum pervertendum & excludendum à spe liberationis hujusmodi inauditam crudelitatem invenerunt. Nam quidam viri crudeles & malefactis famosi, quodam die Mercurii, die Cinerum, Prioratum Ecclesiæ Christi Cantuariensis pompaticè ingredientes; & cùm Conventus ejusdem Refectorium ad prandendum introibat, ad coquinam Conventualem ibidem transeuntes, omnia victualia ad sustentationem Conventûs de potestate Ministrorum dicti Conventûs rapuerunt, & sub clausurâ firmiter obserârunt. Inde ad Cellarium, bracinum, granaria, grangias & lardarium, & ad cæteras transeuntes Officinas; Celerarios, Grantarios, & omnes alios Monachos administrationibus hujusmodi præsidentes de officiis expulerunt; & omnia locorum eorum hostia obserârunt & sigillârunt; sicque serata & signata per mensem & ampliùs tenuerunt. Ita quòd per totum tempus prædictum idem Conventus ex octoginta Monachorum personis congregatis pro se & suis victualia & alia sibi necessaria capere non sinebant;

sed

sed eis sumere volentibus hostiliter restiterunt; honorabilium sacerdotum & aliorum Ordinum facies non erubescentes, aut [a] differentes venerabili senectuti. Et non habentibus Monachis locum, ubi reponerent eorum capita, ex mendicatis suffragiis adquisitam Capellam B. Nicolai in dictâ Ecclesiâ ad hoc [b] deputari necessario; quod nunquam antea fuit visum. Quumque idem Conventus Statui pristino restitutus fuisset; eorum bonorum sic ablatorum maxima [pars] hostiis reseratis humanis usibus inutilis existebat. Janitores quoque portis Prioratûs pro libito collocârunt. Unde ejusdem Provinciæ tota Gens & alii per eandem de diversis partibus transeuntes, tam horribile factum pensantes, & ipsius causam immunitati & honore Sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ aut Conventui supradicto, cunctas Regni Ecclesias tam in obsequio servitii divini, quàm in hospitalitate, eleemosynarum largitione ac cæteris pietatis operibus præcellenti, considerantes non [c] differri, sed plus quam aliam Regni Ecclesiam ad tantam penuriam tantumque desolationis opprobrium absque culpâ aut causâ rationabili descendisse; quæ eis solebat esse refugium, omnes recipere cum honore, omnibus quæ congruè oportuit, victualia & alia vitæ necessaria miserabiliter mendicare; tot fletibus & gemitibus totam Villam Cantuariensem repleverunt; quòd à sæculo non est visum factum cum tantâ fuisse lacrimarum amaritudine deploratum. Audiens igitur dictus Archiepiscopus hujusmodi perditionis filios factum tam horribile perpetrâsse [in] ipsius Patris contumeliam, sed etiam personam suam propriam subtractionem victualium & famem nimiam victumare; ut ipsum hoc [d] timere compellerent, à rectitudine veritatis & conscientiæ deviare. Sc. quatenus hoc suam personam propriam concernebat [perum curavit] quatenus tamen præmissa ad magestatis injuriam, & Conventûs sui subversionem & necem redundabant; dictæ miserabiliter fleverat & tristabatur; præsertim cùm nil sibi remansisset, unde illorum indigentiæ subveniret. Idem quoque Monachi versâ vice videntes se non posse paternam inopiam sublevare, plus de Patris quàm de suâ propriâ gravabantur. Sicque vicissim alter alterius detrimenta tot suspiriis, ululatibus & lacrimis deplorabant; quòd [e] videbat iterum impletum illud Propheticum, [f] *Vox in Rama audita est ploratus & ululatus multus; noluit consolari, quia non sunt.* Et ne de negligentia culparetur; Regi totius facti seriem in præmissis, ac etiam pœnas & pericula, in quas & quæ operatores & fautores & incentores præmissorum inciderant, intimavit. Et ut hujusmodi errores & gravamina, & præcipuè Priori & Conventui suo illata, faceret revocari; exhortationibus cœlestium præmiorum, terroribus pœnarum infernalium cum reverentiâ debitâ monuit & induxit. Rex igitur his auditis, præmissa Priorem & Conventum concernentia, doluit vehementer, dicens: Hæc de suâ conscientiâ nullatenus processisse. Unde misit hoc concitò revocari. Sed gravamina in his Archiepiscopo irrogata non revocavit; quin potiùs conturbatiùs intulit, quòd eidem Archiepiscopo alia tollerentur. Sed Archiepiscopus dixit Regi reverenter, se tot ablationibus antea denudatum, quòd nil aliud ad perdendum sibi superfuit nisi vita; quam pro Dei & Ecclesiæ honore perdere ad minimum reputavit. Videns Archiepiscopus supervacuum apud Regem induratum ampliùs insistere hâc de causâ, ab ejus præsentiâ se subtraxit, Deum per se & alios exorando, ut hos errores corrigere sibi gratiam infundere dignaretur. Tandem considerans Rex dicti Archiepiscopi constantiam & ejus conscientiam, & animarum periculum grave se & suos incidisse, ob hoc didicit, ex salutaribus monitis & dictis se malignorum consiliis ad hæc fuisse temerè circumventum; pacem suam & protectionem & gratiam & omnia sibi oblata gratis sibi restituere imperavit. Et cum per majores de Concilio Curialium iterum eidem Archiepiscopo fuisset persuasum; ut de tantâ gratiâ sibi acceptâ, flexis genibus quanto devotionis affectu potuit, Regi gratias exhiberet, suæque submitteret

[a] viz. deferentes.
[b] l deputarunt.
[c] viz. deferre.
[d] l timore.
[e] l. videbatur.
[f] Jerom. XXX. 15.

ret voluntati ; ſed vir Dei conſiderans, quod non decuit, ut in Prælaturâ tantâ ſervetur humilitas ; quòd ex hoc regendi auctoritas invaleſcat, incentivumque tribuat delinquendi : ſpreto eorum Conſilio, ſibi cælitus Conſilium inſpiratum [ſequens] Regi gratias egit in hunc modum. *Benedictus Altiſſimus, Dominè Rex, qui lumen oculorum menti veſtræ ſuâ per luſtravit gratiâ ; ut cognoſcere poſſitis veſtrum ſtatum, & eligere quod vobis proficit ad ſalutem.* Quibuſdam Curialibus has gratias indignas tanto beneficio reputantibus, gratias petentibus ampliores, reſpondit coram Rege ; quòd dictæ gratiæ meritò debebant Regi ſufficere pro injuriis, quas receperat ab eodem. Unde Bonifacius Papa, intellecto quòd idem Archiepiſcopus pro defenſione ſuæ Conſtitutionis tot perſecutionum genera pertuliſſet ; recommendationis gratiâ dixit publicè de eodem ; quòd ipſe ſolus Eccleſiæ Anglicanæ pugil erat invincibilis, inflexibiliſque columpna.

Cumque in amicitiâ & gratiâ Regis aliquantulùm permanſiſſet ; hoſtis antiquus hoc à ſe proprium habens, ut quos improborum actuum perpetratione dejicere non valet, divinâ ſibi potentiâ reſiſtente ; eorum opinionem & famam invidiæ ſtimulo per ſuos dilaceret, & ſubvertat omnium virtutum & ſuarum operationum dulcedinem, & ſanctitatem retorſit in amaritudinem & devia vitiorum. Unde quia ipſe Prælatis & proceribus Regni [a] per ambulationem de Foreſtâ, & quædam alia jura regali potentiâ uſurpata, petentibus pro ſe & utilitate publicâ, ſe conjunxit : Regis æmulus, & ſuorum æmulorum fautor & temerarius cenſebatur. Quod pro honore Regis & Regni totiuſque ſtatûs efficere certabat, totis ſemper viribus zelabat ; hoc ad oſtentationem præeminentiæ notamque ſupercilii & inanis gloriæ retorquebant. Zelum veritatis & juſtitiæ congruæ in maleficiis, ne traherentur ad conſequentiam, puniendis ſeveritatis & vindictæ deſiderium reputabant. Et de genere eorum ſi aliqua faciebat ; hoc eum feciſſe ad humanæ laudis habendum præconium mendaciter ſimulabant. Et per hoc & alia plura, in quibus ipſum notabilem proclamabant, cor dicti Regis ad tantum odium & inimicitias tam graves contra eundem Archiepiſcopum iterum inflammârunt ; quòd Rex ipſum hoſtem & ſuum inimicum cenſuit manifeſtum. Et dicto Archiepiſcopo innocentiam ſuam in Regis perſonæ planiſſimè declaranti, inſultando cum iracundiæ impetu magno dixit ; quòd ipſe Archiepiſcopus aut ipſemet regnum Angliæ vacuaret. His etiam non contenti dictæ malignitatis diabolicæ Principes, quin potiùs ad pravitatis ſuæ fulcimentum graviorem malitiam cumulantes, ad ſummi Pontificis audientiam ex confictâ ſanctitate mendaciter detulerunt dictum Archiepiſcopum nedum contra Regem ſed contra ſtatum Apoſtolicum ſacrorumque Canonum inſtituta multipliciter exceſſiſſe ; propter quod meruit, ut dicebant, ad Sedem Apoſtolicam perſonaliter evocari canonicè puniendus. Quorum callidis commentis Summus Pontifex fidem adhibens excitatus, ſæpiùs dictum Archiepiſcopum ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium ſuſpendebat ; & coram eo fecit ad certum terminum perſonaliter evocari. Quas quidem Suſpenſionem & Citationem idem Archiepiſcopus ſuſtinens reverenter, depoſitis omnibus ſuæ Prælaturæ inſigniis, effuſis orationibus ad Deum, ut hæc & alia gravamina, quæ ſæpius pertulit innocenter, in remiſſionem ſibi cederent peccatorum ; iter ſtatim arripuit ad Curiam antedictam ; & in termino ſibi aſſignato apud Sedem Apoſtolicam conſtitutus. omnibus poſſeſſionibus ſuis primitus deſtitutus, de innocentiâ ſuâ & veritate plurimùm confidens, ſæpiùs obtulit ſe paratum omnibus mandatis Apoſtolicis obedire. Ubi ex nimiâ fatigatione per æſtûs intemperiem ſæpiùs ad dictam Papæ Curiam accedendo ibidemque diutiùs morando, morbum tam gravem noſcitur incurriſſe ; quòd omnem membrorum ſuorum vigorem diutius perdidit atque motum : ubi cùm quidam magnæ potentiæ viri debilitatem corporis, ſuorumque Perſecutorum potentiam, favorem

[a] ſ. propter.

& gratiam eis impertitam, multaque alia incommoda & dispendia ponderantes, ut aut à persecutoribus suis redimeret sibi pacem, aut ultro statui suo cederet, ipsum Archiepiscopum obnixiùs hortarentur; spem sibi promittentes, quòd ad Ecclesiæ alterius regimen ex Papali gratiâ infra tempus modicum transferretur: dictus Archiepiscopus attendens se per electionem Canonicam tam puram & concordem, à Sede Apostolicâ discussione habitâ confirmatam, Domino inspirante ad statum prædictum ascendisse, seque nullius culpæ conscium, ex quâ suo displicuit Creatori: de ipsius inspiratoris misericordiâ & caritatis quam fovit potentiâ roboratus, respondit se nullam pertimescere potestatem: protestans & quasi vovendo promittens, quòd pro pace prædictâ aut restitutione suâ procurandâ nunquam daret aut pro se dari promitteret munera cuicunque, nec etiam statui cederet aut se submitteret gratiæ cujuscunque; Christo Matrique suæ & B. Thomæ Martyri totum statum suum specialiter recommendans; adjiciens quòd omnibus æmulis invitis & renitentibus, ad Ecclesiam suam cum gaudio & honore ex dispositione divinâ infra certum tempus, quod limitaverat, remearet. Tandem cùm summo Pontifici tam per insinuationes Domini Edwardi Regis Angliæ, multorumque Magnatum dicti Regis, vitæ ejus, morum, conversationis & famæ plenam notitiam habentium, quàm ex aliis informationibus sufficientibus, & documentis literisque constitisset; veridicum & perfectum dictum Archiepiscopum esse, virumque bonum & constantem, & Ecclesiæ Anglicanæ & Regno plurimum profuturum, quodque omnibus insinuatis de eodem quæ ob æmulis suis typo maliciæ noverat processisse: [a] pœnitens erat innocens & immunis, Summus Pontifex de hujus innocentiâ Archiepiscopi, quæ tam evidenter enituit [certior factus, ad dignitatem.] Archiepiscopalem & ad omnia bona sua cum omnibus proventibus & fructibus medio tempore quacunque authoritate occupatis & perceptis plenariè restituit, & fecit restitui cum effectu.

[a] l penitus.

Tandem biennali exilio dicti Archiepiscopi consummato, ad Angliam cum gloriâ est reversus: & ex ejus in Angliam reversione omnes Regni incolæ Deum præ gaudio collaudabant. Ipse etiam Regnum ingressus, licèt corporali vigore debilis, spiritu tamen fortis ad caritatem, veritatem & justitiam, ac etiam ad Ecclesiæ & Angliæ Regni pacem, utilitatem & honorem confovendum absque acceptatione personarum cum summâ conscientiæ puritate præ cunctis se exposuit indefessè; & ad omnium virtutum exercitia sublimiùs re-ascendit. Hic contra Abbatem & Conventum S. Augustini Cantuariæ super Appellationibus Ecclesiarum vocatos, meliùs & pleniùs per Bullæ declarationem quàm consuevit, viriliter impetravit. Hic non timuit Principem nec Magnatem neque hominem, præter solum Deum. Regem Angliæ in Parliamentis & Consiliis super suis abusionibus redarguit; & ad omne bonum, quod potuit, monuit & induxit: non permittens ipsum errare, quatenus scire potuit, quin ipsum reprimeret; ut ab oppressionibus populi & malefactis suis desisteret, & bonis operibus inhæreret. Hic tempore suo suam quasi totam Provinciam jure Metropolitico visitavit; & Ecclesiam suam Cantuariensem usque ad finem vitæ suæ rexit nobiliter; non parcens ipsam opprimentibus & injuriantibus: quin correctionem debitam apponeret contra illos. Hic sedit annis XIX. Vacavit Ecclesia menses IX. hebdomadâ unâ. Et XI. die Maii anno Domini MCCCXIII. obiit; & in Ecclesiâ Cantuariensi honorificè est sepultus.

WALTERUS REGINALDI.

Walterus Reginaldi, de Windesore, Clericus Regis Angliæ, ad ipsius preces factus est primò Wygorniensis Episcopus, & deinde primo die Octobris, anno Domini MCCCXIII. apud Prioratum de Gransello juxta Maulasaunum Vasionensis Diœceseos per Clementem Papam V. Pont. sui anno VIII. spretâ electione concordi de Magistro Thomâ de Cobbeham Theologiæ Doctore in Cantuariensem Archiepiscopum, fuit ad preces ipsius Regis ad Cantuariensem Episcopatum promotus. Hic dedit Manerium de Caldecote, quod fuit membrum dicti Archiepiscopatûs, Monachis Cantuariensibus pro solaciis eorundem. Hujus autem temporibus fuit gravis contentio inter Regem Angliæ, Nobiles & Barones suscitata; cujus prætextu multi ex ipsis & militibus Angliæ morte turpissimâ perierunt. E quibus Thomas Comes Lancastriæ decapitatus fuit apud Pontefractum XXII. die Martii, anno Domini MCCCXXI. Et postea omnes quasi Consiliarii dicti Regis anno Domini MCCCXXVI. morte turpissimâ similiter perierunt; viz. Walterus de Stapulton tunc Exoniensis in Chepe London. decapitatus fuit XV. die Octobris dicto anno. Et Hugo Despenser Comes Wintoniensis in vigiliâ Apostolorum Simonis & Judæ apud Bristol. tractus, suspensus & decollatus fuit. Et Hugo Despenser filius & Camerarius dicti Regis apud Hereford in Vigiliâ S. Catharinæ fuit tractus, suspensus & penitus laceratus. Et Edwardus Comes Arundel. XVII. die Novembr. apud Salop. decapitatus fuerat dicto anno. Et Magister Robertus de Baldok Cancellarius Domini Regis captus fuit & postea mortuus est in prisonâ de Newgate London. Hic Archiepiscopus Edwardum filium dicti Regis primogenitum patre suo vivente in Regem Angliæ & Philippam filiam Comitis Hanoviæ in Reginam Angliæ primo die Februarii apud Westmonasterium coronavit. Et tempore istius Archiepiscopi fuit tempus Rysflariorum London. in dictâ Civitate, & extra circumquaque. Hic tempore suo jure Metropolitico Lincolniensem Diœcesin & partem Norwicensis Diœceseos visitavit. Et sedit annis XIV. mensem I. In vigilia S. Edmundi Archiepiscopi apud Mortelak diem suum clausit extremum; & in Ecclesiâ Cantuariensi per Johannem Stratford tunc Episcopum Wyntoniensem honorificè est sepultus.

SIMON de MEPHAM.

Simon de Mepham, Doctor Theologiæ, Canonicus Cicestrensis, dicto Archiepiscopo successit per electionem canonicam & concordem Prioris & Capituli Cantuariensis: cujus Electio fuit per Johannem Papam XXII. apud Avinionem anno Domini MCCCXXVIII. sicut Canonica confirmata. Hic celebravit Concilium in Ecclesiâ Londoniensi die Veneris Festo Conversationis S. Pauli: In quo provincialia Statuta quædam edidit utilia pro libertate Ecclesiæ Anglicanæ, quæ incipiunt: *Zelari oportet.* Hic visitavit jure Metropolitico Diœceses, Roffensem, Cicestrensem, Sarisburiensem, Bathoniensem & Wellensem. Et cùm vellet Diœcesin Exoniensem jure Metropolitico visitasse; impeditus fuit nequiter vi armatâ per Joannem Grandisono Episcopum Exoniensem, ne visitacionem suam hujusmodi impenderet, sicut ad officium suum pertinuit: Sicque Archiepiscopus ille literis Regiis & aliis turbationibus illicitis de dictâ recedere Diœcesi, infecto Visitationis hujus negotio, est compulsus: Et accessit apud Maghfeld. Ibidem XII. die Octobris, anno Domini MCCCXXXIII. diem suum extremum clausit. Hic sedit annis V. mensibus VI. diebus XII. Et corpus ejus VII. Cal. Novembr. traditum fuit in Ecclesiâ Cantuariensi sepulturæ.

JOHANNES

JOHANNES *de* STRETFORD.

Johannes de Stretford, Legum Doctor eximius, qui primò fuit Lincolnienſis Archidiaconus, & poſtmodum per proviſionem Apoſtolicæ Sedis Joannis Papæ XXII. in Epiſcopatum Wyntonienſem vacantem poſt mortem Rygandi de Aſſerio apud Avinionem decedentis die Dominicâ in Feſto SS. Johannis & Pauli anno Domini MCCCXXII. à Fratre Vitale Albanenſi Epiſcopo Cardinale fuerat conſecratus, cum officio Miſſæ: *Multæ tribulationes juſtorum*, ſibi bene conveniente & aptato; prout in ſequentibus apparebit. Nam cum licentiâ Papæ & Cardinalium ad Angliam poſtmodum veniens, ad procurationem Roberti de Baldock, Cancellarii Angliæ, dictum Epiſcopatum Wyntonienſem affectantis, innumeras tribulationes & perſecutiones in diverſis Angliæ partibus contra juſticiam eſt perpeſſus: adeò quòd nullus ſibi victualia vendere, aut domos ad inhabitandum vel morandum conducere ac accommodare audebat. Et per unum annum & ampliùs variis Brevibus Regiis fuit nequiter impeditus. Tandem nullis cauſis, propter quas offenſam Regis deberet incurrere, in ipſo repertis, ad Regis gratiam eſt admiſſus apud Thonebrugge in Vigiliâ Apoſtolorum Petri & Pauli, anno Domini MCCCXXIII. & ibidem fidelitatem & homagium fecerat dicto Regi, qui ſtatim præcepit Temporalia ſibi liberari. Quo facto, tam in partibus transmarinis, quàm alibi, tanquam ipſius Nuncius pro ipſius jurium defenſione labores ſuſtinuit indefeſſos.

Poſtea per Iſabellam Reginam Angliæ adverſus Hugonem & Hugonem Deſpenſer patrem & filium concepto rancore, ipſa cum Edwardo filio ſuo primogenito cum multitudine armatorum Hannoniæ, anno Domini MCCCXXVI. VI. die Octobris Angliam eſt ingreſſa cum principali Conſiliario Rogero de Mortuo Mari, ipſos uſque ad necem hoſtiliter ſequebatur. Quo anno cœpit tempus Ryfflariorum in Anglia; & Walterus de Stapelton. Epiſcopus Exonienſis in Chepe London. XV. die Octob is decapitatus eſt; ut prædicitur. Poſtmodum apud Sarum anno Domini MCCCXXIX. ipſo Rogero de Mortuo Mari in Comitem Marchiæ præfecto, ipſe dictum Epiſcopum Wyntonienſem tunc in Monaſterio Monialium de Wiltonia hoſpitatum de Concilio quorundam ab hâc luce perimere ordinavit. Sed dictus Epiſcopus de hoc præmunitus, ſecretè à dicto Monaſterio cum paucis de ſuis noctanter aufugit; in campis per totam noctem latitans; & in craſtino in Manerio ſuo de Honiton pro tempore Concilii ſibi cum magnâ inſtantiâ liberatur. Ibi mors ſibi fuit certitudinaliter præparata; ſed iterum ipſe de hoc præmunitus ſecretè, quodam die Dominico, quo ipſe Rogerus Comes Marchiæ fuit factus, de dicto Manerio aufugit, apud Wyntoniam veniens; & ibidem quibuſdam familiaribus ſuis ipſum ſpernentibus præ timore apud Waltham Manerium ſuum accedens, ibi fuit ad inſidias dicti Rogeri [mors] ſibi iterumintentata. [a] Quo in nemore de Hordereſwode præ timore latitans, in Manerio ſuo degens, ipſe poſtea à ſuorum æmulorum furore in pace dimiſſus eſt. Et in craſtino S. Catharinæ ipſe Epiſcopus poſt mortem dicti Rogerii Cancellarius Angliæ effectus eſt, & Eccleſiam Wyntonienſem rexit uſque ad annum Domini MCCCXXXIII, & conſecrationis ſuæ XI. quo tunc fuit ad Eccleſiam Cantuarienſem tranſlatus.

[a] I. Qui

Nam ſede Cantuarienſi Metropolitica per mortem dicti Simonis vacante; Prior & Capitulum Cantuarien. ipſum Johannem tunc Wyntonienſem Epiſcopum eodem anno in craſtino Commemorationis Animarum in Archiepiſcopum Cantuarienſem unanimiter poſtularunt. Et VI. Cal. Decembr. dicto anno Johannes Papa XXII. de dictâ poſtulatione inſcius, eundem Johannem Apoſtolicâ Authoritate de dicto Archiepiſcopatu providit; & interveniente

veniente consensu Cardinalium, præfecit ipsum in Archiepiscopum & Pastorem. Sicque currente consensu unanimi tam Romanæ Curiæ quàm Prioris & Capituli Cantuariensis & Domini Edwardi Regis Angliæ, in Archiepiscopum est præfectus; & super suâ præfectione hujusmodi anno Domini MCCCXXXIII. primo die Februarii apud Certeseye literas Apostolicas suæ translationis recepit. Et quinto die Februarii apud Wodestoke fuit ad Temporalia dicti Archiepiscopatus admissus; & XI. die dicti mensis Literæ Apostolicæ super Translatione hujusmodi in Ecclesiâ Cantuariensi coram Clero & populo ibidem publicatæ fuerunt. Et subsequenter in Festo S. Gregorii eodem anno apud la Rue in Comitatu Pontini Anno Domini MCCCXXXIV. ubi tunc pro Rege & Regni Angliæ negotiis fuerat, per manus Hamonii Roffensis Episcopi pallium Archiepiscopale accepit.. Et dicto anno die Dominica in Festo S. Dionysii fuit solempniter intronizatus in Ecclesia Cantuariensi, præsentibus provinciæ suæ Cantuariensis Episcopis, Domino Johanne Eltham germano Regis Angliæ, aliis proceribus & magnatibus præsentibus tunc ibidem.

Eodem anno Papa Johannes obiit apud Avinionem IV. die Decembris, & XX. die dicti Mensis, Dominus Jacobus Fornerius, Abbas, Monachus, Presbyter Cardinalis in Papam eligitur; & XXVII. die mensis ejusdem in Papam coronatus, & Benedictus Papa XII. vocatus est. Qui exortâ discordiâ inter Regem Angliæ Edwardum & Philippum Valoys dicentem se Regem Franciæ; quod ad ipsum Edwardum ex propinquitate sanguinis dicebatur pertinere; Dominus Papa Benedictus pro reformatione pacis inter dictos Reges Dominos P. titulo S. Praxedis & Bertrandum de Monte Faventio S. Mariæ in Aquino Diaconum Cardinalem Legatos & Nuncios suos misit. Ipsique Cardinales II. die Decembr. anno Domini MCCCXXVII. venientes, & usque ad XI. diem Julii, anno Domini MCCCXXVIII. moram traxerunt in Angliâ. Et IV. denarios de marcâ pro Procurationibus suis à Clero receperunt; nil quoad pacem hujusmodi proficientes ibidem.

Tum autem idem Archiepiscopus, à tempore Translationis suæ usque ad annum VII. tam in partibus Angliæ circa officium Cancellarii Regis & Regni Angliæ, quàm aliqua alia negotia temporalia procuranda, tum propter juvenilem ætatem dicti Regis, tum propter effœminatorum in Regno Angliæ dominationem in Regno Angliæ reprimendam, ac etiam in partibus Franciæ negotia Angliæ expedienda, multipliciter occupatus hujusmodi negotiis sæcularibus, & non Ecclesiasticis, ut debebat; mundus, cui per idem tempus serviebat, volens sibi pro impensis præmium reddere & laborem, invidit, multosque & magnos elegit incentores discordiæ; per quos in corde Regis & Curialium odii seminarium magnum sparsit. Ita siquidem his procurantibus, gravi dissentione eidem Archiepiscopo nondum notâ, supra dorsum ejus in partibus exteris fabricârunt; diversa flagitia impingentes, sibique insurrexerunt tanquam testes iniqui; in omnibus ex adverso malignas facientes interpretationes de eo; dicentes ipsum esse Regis & Regni Angliæ proditorem; & nonnulli in mortem ipsius Archiepiscopi in Flandriæ partibus machinarunt. Verùm non solùm Milites sed & Clerici hoc fecerunt: & pro his nequiter terminandis ipsi in necem dicti Archiepiscopi conspirantes, duxerunt Regem ad Angliam in Vigiliâ S. Andreæ Apostoli, anno Domini MCCCXL. ad Civitatem Londoniensem latenter circa mediam noctem; & intrare fecerunt Turrim Londoniensem. Et primo die Septembris anno prædicto credentes ipsum Archiepiscopum apud Lamheth. fuisse; ibidem, sicut Deus voluit, tunc non erat, sed apud Cherrynge, frustrati erant à proposito quoad ipsum. Alios tamen dicto die in Civitate Londoniensi, videlicet Dominum R. Episcopum Cicestrensem Cancellarium, Rogerium Coventr. & Lichfeld. Episcopum Thesaurarium, Dominos Johannem de S. Paulo, Michaelem de Wath, & H. Stretford, Clericos Cancellarii

larii Regis; Dominos Thomam de Wake, Johannem de Stonore & Richardum de Wylughby Milites, Justiciaros Regis, & J. de Pulteney Militem, & quosdam Advocatos subitò arrestari fecerunt; dictis Episcopis duntaxat exceptis. Et secundo die dicti mensis Decembris in Festo Regressionis S. Thomæ ab exilio, idem Archiepiscopus in Manerio suo de Cherrynge existens, inopinatè recessit ante diem; & venit eodem die ad Ecclesiam Cantuariensem bene pro futuris evitandis periculis; [a] priùs tamen pro professione Monachorum dictæ Ecclesiæ eodem die faciendâ, sicut priùs ordinaverat, accessisse.

[a] l. prætendens.

Die verò secundo mensis Decembris Dominus T. Scrope principalis Consiliarius Regis, & Henricus Lincolniensis Episcopus, in ea parte Consiliarii, ut creditur, die Lunæ sequenti, qui ipsius Archiepiscopi facti sunt hostes in capite, [&] multa illicita ordinarunt, ut creditur, contra eum, apud Gaunt in Flandriâ dies suos clauserunt extremos. Sicque dictus Archiepiscopus à duobus inimicis suis fuerat ex Dei Providentiâ liberatus. Et eodem secundo die Decembris Dominus Nicholaus de Cantilupo Miles ex parte Regis cum literis Credentiæ apud Cantuariam venit quasi horâ vesperarum; & præfatum Archiepiscopum in Camerâ Prioris inveniens, sibi Credentiam suam in præsentiâ Johannis Farendon, Notarii publici, astantibus ibidem multis, exposuit; atque dixit: Domine Archiepiscope, bene scitis, qualiter Mercatoribus de Lovayn in certâ pecuniâ certo die solvendâ pro Rege, estis obligati. Ex parte Regis vobis facio summonitionem: quòd paretis vos ad transfretandum: & præcipio vobis, quòd die Dominicâ proximâ sitis cum Rege Londoniæ ad recipiendum onus vestrum. Et super his responsum petiit idem Miles. Et Archiepiscopus dixit; quòd hujusmodi negotia erant ardua & onerosa; & super his deliberare vellet, & sibi respondere per unum de suis. Et post paucos dies misit sibi super his Literas responsales & exhortatorias; ut juxta juramentum suum pacem Regni Angliæ conservaret; Paresque Magnates & populum dirigeret in pace & quiete; ipsum Regem salubriter monitis fecit moneri: sed literæ dicti Archiepiscopi non fuerunt auditæ. Postea in Festo passionis anno Domini MCCCXL. quod Festum tunc die Veneris contingebat, idem Archiepiscopus in Ecclesiâ Cantuariensis Missam celebrans, post Offertorium verbum Dei populo prædicans, assumpsit pro themate: *In diebus suis non timuit principem*, Eccl.cap. XLVIII. & in suo Sermone per gradus S. Thomam multipliciter commendavit. Et in fine Sermonis seipsum de curis sæcularibus potissimè circa negotia Regis & Regni Angliæ procuranda, à tempore præfectionis suæ in Archiepiscopum inculpavit; & de oppressionibus Cleri & Communitatis Angliæ ac solutationibus Decimarum ad opus Regis procuratis meritò condempnavit: errorem suum circa hæc & alia sæcularia publicè recognoscens; totam vitam suam linguâ maternâ de negligentiis in Officiis divinis [&] sæculi occupatio nibus in genere recitavit; à Populo circumstante petens veniam lacrimando. Et hoc asseruit publicè; se velle jura & libertates Ecclesiasticas & viros Ecclesiæ, quatenus sibi Deus dederit, protegere; & in Parliamento Clero & Communitati assistere; his & non aliis intendere, officiumque Pastorale exequi, prætermissis sæcularibus, divino præsidio mediante. Et quia in odium capitis dicti Archiepiscopi quidam juxta latus Regis sibi malevoli existentes, quosdam Clericos Cancellarii Regis ac etiam Justiciarios & Milites contra Magnam Cartam indebitè arrestando, ac ipsum Archiepiscopum de proditione nequiter diffamando, necnon plura alia contra Magnam [Cartam] & libertates Ecclesiasticas attemptare notare præsumpserunt: idem Archiepiscopus volens, sicut dixit, quicquid de eo acciderit, contra præsumptores hujusmodi insurgere, Majoris Excommunicationis articulos stante Clero Civitatis Cantuariensis sacris induto vestibus & candelas in manibus suis gestante,

ſtante, cruce erectâ, in genere publicavit. Et contra omnes, Primò, qui Eccleſias ſuo jure privare, aut per maliciam infringere vel turbare præſumunt, libertates & liberas conſuetudines Cantuarienſis Eccleſiæ violaverint ſeu diminuerint; & contra privilegia eidem indulta ſcienter venerint, aut contra ea fecerint: immò illos qui pacem & tranquillitatem Regis & Regni Angliæ injuriosè perturbare præſumunt, & ad hoc dederunt Conſilium vel favorem. Secundò quòd [a] cùm nullus liber homo in Magnâ capiatur vel impriſonetur, aut diſſeiſiatur de libero tenemento ſuo, ſeu utlagetur, aut alio modo deſtruetur; inter cætera contineatur: [b] Tertiò quidam contra dictas Cartas libertatum & de Foreſtâ temerè venire & eas infringere moliuntur; monuit omnes, qui hujuſmodi Cartas [&] Statuta ediderint, vel edita ſervaverint, conſuetudines introduxerint, vel ſervaverint introductas, ſcriptores ſtatutorum necnon Conciliarios, & qui ſecundum eas præſumpſerint judicare; quòd debitè ſe corrigant ſub pœnâ excommunicationis. Quartò, qui Clericis Laicos tradit infeſtos opidò; qui ipſos capiunt invitos, ac quò abire voluerint liberè non permittunt: quos monuit ſolempniter & in ſcriptis. Quintò, cum omnes & ſinguli, qui in Cantuarienſi Provinciâ alicui crimen falsò imponunt, cùm ſuper hoc priùs non fuerat infamatus, cujus impoſitionis prætextu ſtatus ipſius læditur, majoris Excommunicationis ſententiâ innodantur in Concilio Oxonienſi; ac delinquentes ſcienter in Archiepiſcopos, Epiſcopos, Patres ſpirituales, Chriſti Legatos, Eccleſiæ columpnas, ex dignitate offenſorum culpam graviorem committunt: monuit, ut ea emendarent ſub pœnâ Excommunicationis Majoris. Et ſubſequenter idem Archiepiſcopus hujuſmodi Excommunicationis ſententias mandavit & fecit per totam Provinciam publicari †.

[a] l. cùm in Magna Chartâ, ut

[b] Vox iſta otioſa eſt.

Demum IV. die Januarii, anno Domini MCCCXL. Dominus Radulphus Baro de Stafford, Seneſcallus Hoſpitii Regii, veniens Cantuariam cum literis Credentiæ quorundam Comitum dicto Archiepiſcopo directis, ſibi exponens credentiam; per quam petiit declarationem Articulorum Excommunicationum in Eccleſiâ Cantuarienſi publicatarum. Cui dictus Archiepiſcopus, [reſpondit] quòd hujuſmodi Excommunicationes, quas in genere publicavit, non fuerant latæ per eum, ſed Canones & Sanctorum Patrum Conſtitutiones, contra malefactores hujuſmodi providè promulgatæ. Nec opus tunc erat dictas Excommunicationes aliter declarare: contra Canones ac Sanctorum Patrum conſtitutiones eas declarant. Et idem Baro monuit dictum Archiepiſcopum; ut ad præſentiam dicti Regis accederet; [c] & ſuper negotiis ipſum Regem & Regnum ſuum tangentibus tractaturus. Et ſic receſſit idem Baro unà cum Magiſtro Johanne de Burton Advocato & Johanne Farendon Notario; quos ad hoc de London. ſecum duxit. Et poſt hoc audiens idem Archiepiſcopus, quod Concilium Regis ipſos Clericos de Cancellariâ artare voluit, ac etiam illos de Clero ad Parliamentum Regis, necnon nonam garbarum vellerum & agnorum, ſicut Prælati & Magnates Regni Angliæ Regi conceſſerant in ſubſidium guerræ ſuæ: mandavit Suffraganeis, quòd ab illis viris Eccleſiaſticis, qui Decimam tenebantur ſolvere juxta condictam hujuſmodi, Nonam hujuſmodi ſolvere non permitterentur quovis modo.

[c] dele.

Poſthæc die Dominicâ, ſc. XVIII. die Februarii, anno prædicto, venit Cantuariam principalis incentor diſcordiæ, Dominus Willelmus Kildesby, cum quibuſdam Mercatoribus Brabantiæ, circa horam nonam dicti diei: & poſt prandium Mercatores hujuſmodi, ex parte Ducis Brabantiæ ad dictum

† Epiſtolam illius hac de re ad Suffraganeos mandatoriam habes apud Walſingham. Hiſt. Angl. ad an. 1340.

Archiepiſ-

Archiepiſcopum miſſi, ut dicebant, ad Prioratum Cantuarienſem, ubi tunc fuerat, acceſſerant; cum Willelmo de Natyngdon & Galfrido Baron, Notariis, petentes colloquium habere cum Archiepiſcopo ſupradicto. Et Dominus Thomas Brokhulle Miles, unâ cum Simone de Cherrynge Notario, ex parte dicti Archiepiſcopi ad eos miſſus, illis ore tenus intimârunt, primò, ſecundò & tertiò, quòd libenter intrarent ad dictum Archiepiſcopum cum Willelmo de Natyndon. ſed cum Galfredo Baron ſibi ſuſpecto nullo modo ad ipſum Archiepiſcopum ingreſſum haberent. Sicque ipſi finaliter receſſerunt. Et habito poſtmodum cum Willelmo de Kildesby modico tractatu, dicti Nuncii ex parte Ducis Brabantiæ abſque mandato regio, quod nunquam factum fuerat vel viſum in Angliâ, Proclamationes ſuas in ſtratâ publicâ ad Crucem extra portam Prioratûs Cantuarienſis præſente populo ac etiam ſummonito, quòd ipſe Archiepiſcopus ad Flandriam accederet, de debitis Regis Angliæ, pro quibus obligatus fuerat, ſatisfacturus, & ibi moraturus quouſque omnia debita fuerint perſoluta. Et hoc facto, Willelmus de Kildesby à Civitate Cantuarienſi & alii ſubitò receſſerunt.

Subſequenter die Mercurii in Feſto Cinerum, XXI. die menſis Februarii, dicto Anno, idem Archiepiſcopus in pulpito Eccleſiæ Cantuarienſis prædicans verbum Dei, aſſumpſit pro Themate: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Joel. II. inducens populum ſibi commiſſum ad confitendum celeriter peccata ſua infra Hebdomadam proximè ſequentem. Confitentibus peccata Indulgentiam XX. dierum conceſſit: & finito Sermone dixit populo aſtanti, quòd quædam Literæ Regiæ fuerant Priori Eccleſiæ Cantuarienſis contra eum directæ, quas petiit publicari. Et ſtatim Prior hujuſmodi Literas per Fratrem J. de Edecrone Monachum in audientiâ legi fecit. Quibus lectis articulatim effectus earum in linguâ maternâ publicati fuerunt: quibus Archiepiſcopus ad omnia circumquaque ſuam innocentiam & excuſationem ſeriatim [a] allegans. Et his peractis, idem Archiepiſcopus monuit populum circumſtantem; ut pro Rege & Reginâ Angliæ ac liberis ſuis intercederent apud Deum. Et idem Archiepiſcopus indulſit Chriſticolis cunctis pro ſtatu Eccleſiæ Anglicanæ, dictorum Regis & Reginæ, [&] liberorum, devotè rogantibus; ac etiam omnibus, qui prædicationem audierunt, de peccatis ſuis verè pœnitentibus & confeſſis conceſſit XL. dies. Et die Jovis, in Cathedrâ S. Petri, conſimiles Regias Literas contra dictum Archiepiſcopum contemptas Abbati & Conventui S. Auguſtini Cantuarienſis directas, idem Abbas ſingula contenta in his Literis Regiis populo aſtanti expoſuit ac publicavit in odium dicti Archiepiſcopi; ut ſic fieret à cordibus Anglicorum remotus.

[a] l. allegavit.

LIBELLUS FAMOSUS.

EDwardus Dei gratia Rex Angliæ & Franciæ, & Dominus Hiberniæ, Priori & Capitulo Cantuarienſi ſalutem. Veteribus probatur hiſtoriis, ut ex his quæ quotidie geruntur clariùs eluceſcit, quomodo multi [b] bonitate Principum & honore qui in [c] eos collatus eſt in ſuperbiâ abutentes, nituntur interdum malitiæ ſuæ commentis Regum ſtudia laudabilia [d] dampnare. Et ut manifeſtiùs quod dicimus cunctis fidelibus innoteſcat; à veſtrâ & eorum

Eandem Epiſtolam Johannes Tinmuthenſis inſeruit Hiſtoriæ ſuæ Aureæ, MS. lib. 23. cap. 43. ex quâ proinde Lectiones, quæ ſequuntur, variantes deſcripſi. [b] probitate [c] eis. [d] depravare.

memo-

memoriâ non credimus excidisse, quòd nos dudum in annis adolescentiæ ad Regni solium exaltati, in ejusdem suscepto regimine, sanis consiliis dirigi cupientes, quia Johannem tunc Wintoniensem, nunc vero Cantuariensem Archiepiscopum fidelitatis & discretionis virtute credebamus aliis præeminere, ejus Consilio super his quæ animæ nostræ saluti expediunt, & Regni nostri augmentum & conservationem respiciunt, spiritualiter & temporaliter usi sumus. In [d] tantam familiaritatem est à nobis susceptus, ac illam in se humanitatem expertus; ut pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post Regem secundus. Cùmque [e] Regnum Franciæ ad nos fuisset jure successorio devolutum, & à Domino Philippo de Valesio de facto notoriè occupatum: Idem Archiepiscopus nobis importunâ instantiâ persuasit, cum Principibus Almanniæ & [f] aliis contra dictum Philippum fœdus inire, & guerrarum dispendiis exponere nos & nostra; promittens & affirmans quòd expensas ad hoc necessarias de terrarum nostrarum proventibus, & aliis [g] quæsitis subsidiis abundanter fecerit ministrari: adjiciens insuper quod solummodo de personis ad bella doctis & strenuis soliciti essemus, quia [h] ipse pecuniam necessariam pro nostris necessitatibus & ipsorum [i] necessariis stipendiis efficaciter procuraret: Unde nos mare transito, manum ad ardua misimus, & circa bellicos apparatus immensas ut oportuit expensas fecimus: & confœderatis nobis in maximis pecuniarum summis nos obligavimus, de promisso nobis auxilio ut præmittitur confidentes. Sed heu quum in illusoris baculo arundineo, cui juxta sententiam propheticam, † *si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus & perforabit eam*, fiduciam posuimus, & subtracto nobis (utinam non fraudulenter) sperato subsidio, necessitate compulsi sub usuris gravissimis quasi importabilia contraximus onera debitorum: & sic retardatâ expeditione ulteriori coacti sumus ab inchoatis magnanimiter hostium aggressibus eâ vice desistere & in Angliam remeare. Ubi expositis præfato Archiepiscopo nostris ærumnis multiplicibus, & infortuniis memoratis, convocatoque super hoc Parliamento, Prælati, Proceres, cæterique fideles ejusdem regni nostri, nonæ partis garbarum, agnorum, & [k] vellerum suorum, præter decimam nobis à Clero concessam, tale nobis dedere subsidium; quod si fideliter collectum fuisset congruo tempore, & obtentum; ad expeditionem dictæ guerræ, debitorum solutionem, & inimicorum confusionem, non modicum adminiculum præstitisset: & fortè secundùm multorum opinionem verisimiliter suffecisset. Idem Archiepiscopus ad dicti subsidii collectionem & aliorum nobis necessariorum [l] administrationem iterum promisit efficaciter interponere partes suas. Unde nos ejus promissionibus inhærentes, resumptis viribus navigio ad hoc congregato versus Flandriam navigantes, commisso gravi prælio nautico cum hostibus qui in nostram & totius gentis Anglorum perniciem [m] procuraverant, misericordissimâ ejus clementiâ qui ventis [n] in mari imperat, non nostris meritis obtinuimus de tantorum hostium multitudine innumerosa [o] victoriam & triumphum. Quo peracto cum prægrandi exercitu pro jurium nostrorum recuperatione exinde [p] progredientes castrametati sumus prope civitatem fortissimam Tornacensem, in cujus obsidione aliquandiu [q] jugiter occupati, & continuatis expensis, & laboribus fatigati, præstolantes in silentio nobis promissum adjutorium sperabamus indies ministerio dicti Archiepiscopi in tot & in tantis nostris necessitatibus relevari. Tandem spe conceptâ frustrati, licèt per plures nuncios & diversas literas plenè significavimus præfato Archiepiscopo, & aliis Consiliariis nostris sibi adhærentibus, nostras indigentias & peri-

† Isa. XXXVI. 6.

[d] & in. [e] postmodum. [f] *deest*. [g] aliunde [h] quòd. [i] *deest*. [k] velleris. [l] sub. [m] conjuraverant. [n] & [o] numerosâ. [p] aggredientes. [q] *deest*.

cula

cula varia, quibus expoſiti propter defectum promiſſi ſubſidii memorati utilitatem inſuper & honorem quos ex ſuccurſu pecuniæ conſpeximus nos poſſe faciliter obtinere, nullum tamen emolumentum ab eis recipere potuimus; quia ſua non noſtra negotia curantes, & commoda propria procurantes, frivolis excuſationibus, & fucatis verborum phaleris,[p] ſimiles[q] irriſoribus, qui (ut Eſaias ait) deridendo ludificant dicentes: *Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* Unde proh dolor factum eſt, ut dum triumphandi ſuper inimicos noſtros arridetur nobis gratioſiſſime ſpes propinqua, prævalente penuria cogeremur inviti treugis[r] initis conſentire, cum verecunda noſtræ expeditionis retardatione & exultatione non modica æmulorum. Reverſis igitur nobis in Flandriam, cum eſſemus pecunia vacui, & æris alieni mole preſſi, nec ſupereſſet quicquam in noſtris aut noſtrorum marſupiis unde poſſemus neceſſitatibus noſtris conſulere, & debita ſtipendia noſtro obſequio militantibus erogare: compulſi ſumus uſurarum[s] voragini nos immergere, & humeros ſupponere cumulatis[t] oneribus debitorum. Tandem convenerunt ad nos amici fideles peregrinationis noſtræ comites, &[u] tribulationis participes, cum quibus tractatum habuimus diligentem ſuper optatis remediis, quibus à tanta infortuniorum tempeſtate poſſemus commodius reſpirare. Viſum eſt omnibus præfatæ retardationis eventum[x] triſtabilem & egeſtatis noſtræ incommoda multiplicia culpa vel deſidia, ne dicamus malicia, præfati Archiepiſcopi: de cujus diſcretione tota Regni noſtri diſpoſitio pendere videbatur, & cæterorum Officialium quos ejus Conſilio ſuper[y] Regni negocia conſtituimus, accidiſſe, & vehementer[a] injuriantes, ac contra nos[b] tacite murmurantes, ſuper[c] quòd dictorum Archiepiſcopi & Officialium inſolentiam Regia manſuetudo tanto tempore[d] pati voluit incorrectam, ſunt publice proteſtati, quòd niſi ſuper his[e] congruum remedium celeriter adhiberetur, oporteret eos[f] ſe noſtris obſequiis ſubtrahere, & ab inito fœdere retroire. Et hoc utique in regni noſtri ſubverſionem, & noſtram perpetuam ignominiam, & nationis Anglicanæ[g] perpetuum opprobrium redundare: quod avertat temporibus noſtris Clementiſſimi Patris benignitas, in cujus ſoliditate fixa eſt[h] inviolabiliter anchora noſtræ ſpei. Unde nos ad diſciplinam & correctionem hujuſmodi noſtrorum Officialium mentis aciem dirigentes, quoſdam ex eis, quos ex cauſis probabilibus de mala adminiſtratione, juſticiæ ſubverſione, ac ſubditorum noſtrorum oppreſſione, acceptorum munerum corruptione, ac aliis offenſis gravibus ſuſpectos habuimus: à ſuis fecimus officiis prout nobis licuit amoveri: alios quoque inferioris gradûs in[i] his culpabiles ſub tuta cuſtodia detineri, ne ſi[k] libertate ſolita potirentur, ſupplantaretur eorum aſtutiâ executio juſtitiæ, & deluderetur callide inquiſitio veritatis: quoniam * eam ex dicti Archiepiſcopi animi latebris eò certius & plenius elicere crederemus, quo nihil eorum quæ ad informationem noſtram in hac parte conferre poterant, ipſum veriſimiliter latere debuerat, cui totius Reipublicæ noſtræ adminiſtrationem, & ſummam rerum gerendarum à multo tempore duximus committendam: ſibi per fidelem noſtrum Nicolaum de Cantilupo ad hoc ſpecialiter deſtinatum mandavimus, quod ad noſtram præſentiam,[l] qui ejus perſonali colloquio perfrui volebamus, Londinum venire maturiùs non tardaret. Ipſe vero ſemper tumidus in proſperis, & timidus in adverſis,

[p] Suam deſidiam, ne dicamus fraudem vel maliciam, palliabant. [q] deluſoribus. [r] deeſt. [s] voragine nos ſubmergere [t] generibus. [u] tribulationis noſtræ. [x] triſtibilem. [y] regni noſtri. [a] mirantes. [b] deeſt. [c] hoc [d] relinquere. [e] his faceremus con. rem. cel. adhiberi. [f] eos de [g] ſempiternum. [h] immobiliter. [i] præmiſſis [k] liberatione. * cùm. [l] quia.

ſis, trepidans timore, ubi non erat timor, [a] nec mortis periculum per aliquos nobis aſſiſtentes intentatum & comminatum, ſi ab Eccleſia Cantuarienſi recederet imminere minus veraciter allegavit: quia hoc teſte Deo [b] ex pura conſcientia nunquam in mentem noſtram cecidit: nec alicujus nobis aſſiſtentis ut credimus tetigit cogitatum, [c] quanquam Clero & populo Regni noſtri malignitatis ſuæ ſe merito reddidit odioſum. Nos autem qui cunctos ad noſtram præſentiam accedere [d] volentes, præcipuè noſtris [e] ob hoc literis vel nunciis convocatos, plenâ volumus ſecuritate gaudere: ad convincendam ejus maliciam dilectum & fidelem noſtrum Radulphum de Stafford hoſpitii noſtri Seneſchallum, ad [f] eum deſtinavimus, ut ei ſecurum conductum offerret, & faceret. Nihilominus [g] Regias literas de conductu ei fecimus præſentari, iterato mandantes, quòd ad nos perſonaliter accederet, ſolicitudinem noſtram informaturus ſuper [h] noſtris negotiis, quæ longo tempore geſſerat, ut præfertur. Ipſe verò precum & mandatorum noſtrorum lenitate contempta, vultu & animo indignato reſpondit, quòd ſe noſtris conſpectibus ſeu colloquiis nequaquàm conferret, niſi in pleno [i] Parliamento, quod his diebus [k] poterit nullatenus convocari.

Sicque idem Archiepiſcopus quem Regalis benignitas beneficiis & honoribus magnificis ampliavit, & in ſuæ familiaritatis ſacrarium & unanimitatem amicitiæ, & vinculum fœderis accerſivit, ſuper quem ſicut patrem chariſſimum totus noſter ſpiritus & animus requievit: qui [l] etiam dum ejus voluntatibus per omnia acquievimus, ſophiſticæ dilectionis faciem [m] ſuæ mandatis benevolentiæ palliatam more patris amabilis nobis prætendere conſuevit, ſubitò in vitricum oneroſum & gravem crudeliter eſt converſus: & beneficiis acceptis ingratus, [n] timoris arrogantiâ [o] beneficiatorem perſequitur: & illam nobis retributionem impendit, quam juxta vulgare proverbium, Mus in pera: Serpens in gremio: Ignis in ſinu, ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere. Nam licèt in nobis ad Regale faſtigium jure hæreditario divina cooperante gratia ſublimatis deteſtabile ſemper ſit ac fuerit abuti potentiæ magnitudine, qui ſummis deſideriis affectamus clementia & lenitate cum moderamine juſticiæ gubernare [p] ſubjectos, ut optata cunctis mortalibus pace fruantur: ipſe tamen noſtram innocentiam, ac Conſiliariorum, & Officialium noſtrorum Regalem juſticiam [q] perſequentium fidelitatem & diligentiam convitiis lacerat: publice prædicando, & ſuis literis patentibus in diverſis partibus publicari mandando, quod poteſtate Regia modernis temporibus contra juſticiam opprimitur populus, Clerus confunditur, & [r] Eccleſia variis exactionibus, collectis, & talliis prægravatur. Et [s] quia nomen boni paſtoris, quo hactenus ſemper caruit, cum ſit revera juxta communem opinionem & confeſſionem propriam [t] publice emiſſam notoriè mercenarius, fallaciter nititur uſurpare. Fucatum zelum vulpinæ calliditatis fuco perizomate palliatum, ad liberationem Eccleſiæ cujus vexationes, ſi quas in rebus vel perſonis noſtro tempore ſuſtinuit, præfati Archiepiſcopi duntaxat remiſſioni & callidis adinventionibus, ac reprobis conſiliis ſunt veraciter aſcribendæ, nequiter ſimulat ſe habere; & quaſdam excommunicationis ſententias in libertatis Eccleſiaſticæ, & Magnæ Chartæ violatores in genere dudum latas, ad ſugillandam opinionem noſtram Regiam & præfatos Miniſtros Regios defamandos, ac [u] ſeditionem in populo nobis commiſſo proditoriè ſuſcitandam, & devotionem Comitum, Procerum, & Magnatum

[a] ſibi mortis [b] &. [c] & quanquam. [d] deeſt. [e] ad [f] ipſum. [g] Regias ſuper hoc nichilominus literas patentes ſigillo Regio conſignatas. [h] regni [i] Parliamento noſtro. [k] ex cauſis rationabilibus nullatenus expedit convocari. [l] &. [m] fuco mendacis ben. [n] tumoris. [o] beneficium. [p] ſubditos. [q] proſequentium. [r] regnum. [s] quòd [t] publice ut fertur. [u] Seditiones... ſuſcitandas.

Regni [a] nostri, Majestati Regiæ subtrahendam, specificatis nonnullis articulis præter & contra solitum modum in Concilio Provinciali traditum mandavit per suas literas in pluribus locis insignibus publicari. Quamobrem nos volentes (ut tenemur) integritati famæ nostræ prospicere, & præfati Archiepiscopi maliciæ obviare, [b] paratisque nobis & nostris ab ipsis laqueis cautiùs declinare providimus, præter ea quæ superius expressa sunt , ut ad præsens de multis ejus actibus perversis taceamus, aliqua deducere in publicam notitionem. Nempe ejus improvido consilio & [c] suasu in minore ætate constituti, tot donationes prodigas & alienationes prohibitas ac gratias fecimus excessivas, quòd per eas ærarium nostrum totaliter est exhaustum , & fiscales redditus sunt enormiter diminuti : ipsumque munerum acceptione corruptum, magnas pecuniarum summas nobis debitas quibusdam sine rationabili causâ cùm id nulla necessitas vel utilitas exposcebat comperimus remisisse, & plurimos [d] proventus & redditus qui pro nostris utilitatibus & necessitatibus conservari debuerant, suis suorumque usibus applicasse, & aliis personis male meritis erogasse. Qui etiam nedum munerum sed & personarum [e] acceptor contra votum nostrum,& præstitum nobis fidelitatis solitum juramentum ad officia publica in terris nostræ ditioni subjectis,dignis & bene meritis postpositis & [f] repulsis, indignos admisit, multaque alia animo infrunito temere attentare præsumpsit, in status nostri detrimentum, & dignitatis Regiæ læsionem, ac populi nobis subditi damnum non modicum & gravamen, potestate [g] sibi traditâ, & commisso sibi officio abutendo ; quæ si in elatâ obstinatione & obstinatâ rebellione, & continuatâ perstiterit, congruis loco & tempore intendimus apertiùs declarare. Vobis firmiter injungendo mandamus, quòd hæc [h] omnia singillatim & clarè in locis quibus expedire videritis publicetis, & faciatis per alios publicari piam intentionem quam habemus ad subducenda incommoda & promovenda commoda subditorum;ipsis juxta datam à Deo vobis sapientiam [i] efficaciter commendantes & in his taliter vos habentes, quòd vestram debeamus solicitudinem meritò commendare. Teste meipso apud Westm. XII. die Febr Anno Regni nostri Angliæ XV. [k] Regni vero nostri Franciæ secundo.

---

[a] *deest.* [b] paratosque nobis & nostris ab ipso laqueos. [c] succursu. [d] plures. [e] acceptores. [f] repulsos. [g] *deest.* [h] omnia & singula. [i] *deest.* [k] *desunt.*

Excusatio Archiepiscopi, ad Libellum famosum.

Reverendo Domino suo Edwardo Dei gratiâ Franciæ & Angliæ Regi Illustrissimo Johannes permissione divinâ Ecclesiæ Cantuariensis minister humilis suus olim temporaliter,nunc autem magis in Domino, animæque & corporis salutem & omni tempore perseverare in bono, ac reniti viriliter suggestionibus malignis & pravis quæ corrumpunt faciliter bonos mores. Duo sunt quibus principaliter regitur iste mundus: sacra pontificalis auctoritas & regalis ordinata potestas, in quibus est pondus tantò gravius & sublimius Sacerdotum. Quantò & de Regibus illi in divino reddituri sunt examine rationem , Et ideo scire debet Regia Celsitudo ex illorum vos dependere judicio, non illos ad vestram posse dirigi voluntatem. Quis enim dubitat Sacerdotes Christi Regum & prinicipum, omniumque fidelium, patres & magistros censeri ? ‘ Nonne miserabilis insaniæ esse dignoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi subjugare conetur ? plurimique pontificum alii Reges, alii Imperatores, excommunicasse testatur auctoritas canonica scripturarum.

Et si speciale aliquid de personis Principum inquiratis, Beatus Innocentius Archadium Imp. excommunicationis vinculo innodavit, quia concessit Johannem Chrysostomum violenter à sede suâ expelli. Sanctus etiam Ambrosius Mediolan. Archiepiscopus pro culpâ, quæ aliis sacerdotibus non adeo videbatur enormis, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicationis percussit mucrone. Qui postea præstitâ satisfactione condigna meruit ab eodem absolvi: & de tempore certiori & de consimilibus exempla plurima possunt poni. Ideo qualescunque Pontifices, & si errore humanitus accidente, non tamen contra religionem fidei nullatenus excedentes, nullatenus videntur à potestate seculari posse vel debere percelli. Boni principis est contritas & concussas Ecclesias restaurare, ac novas ædificare, sacerdotes Dei honorare, & cum reverentiâ summâ tueri, adinstar pii principis Constantini dicentis, cùm ad eum fuisset delata quæstio Clericorum. Vos à nemine judicari potestis secularium Judicum, qui estis solius Dei reservati judicio juxta asseverationem Apostoli dicentis: *Spiritualis homo à nemine judicatur.* Consideret igitur vestra Serenitas, quanta & qualis sit filii pœna divino jure & humano debita & inflicta patris verenda inhumaniter detegentis, patremque innocentem nequiter diffamantis, cui filius ut præmittitur tenetur impendere reverentiam & honorem. Paganorum Principes templorum & Idolorum suorum Pontificibus, quos Flamines appellarunt, non modicum honorem exhibuerunt & exhibent suo more. Quantò magis Christi Ministros & Pontifices revereri tenentur Christianorum Principes veri Dei, fideique Christianæ cultores? Sed proh dolor, ordine præpostero & turbato, honor nobis occasione dignitatis, cui præsidemus licèt indigni, tanquam patri vestro exhibendus, conversus est in opprobrium, devotio in blasphemiam, & reverentia in contemptum. Dum vestras regias regio sigillo signatas Epistolas, quin veriùs libellos famosos per æmulos & inimicos nostros amarè dictatos & scriptos, crimina varia & multa enormia contra nos in infamiam nostri falsò fabricata convitia continentes, sicut ex ipsorum lectione luculenter poterit apparere, Suffraganeis omnibus nostræ Cantuar. Provinciæ, Decanis, Abbatibus, Prioribus & ipsorum Capitulis aliisque viris Ecclesiasticis publicandos, in nostram utinam & non divinam injuriam demandastis. Ut sic ipsorum subditorum nostrorum erga nos devotio tepesceret, & verteretur obedientia in contemptum. Ex quo inopinabili, ne dicamus facto detestabili, cunctis intuentibus ostenditur manifestè, quòd Regia potestas quæ à Deo procedit secundùm dicta Salomonis Regis. *Audite Reges & intelligite, discite judices finium terræ, quoniam data est à Domino vobis potestas, & virtus ab altissimo est infusa.* Ipsum Dominum Deum in personis ministrorum & suorum sacerdotum non solùm in divinæ legis injuriam judicare præsumunt, sed contra Dei legis humanæ & rationis naturalis ordinem, patrem suum spiritualem & Parem terræ majorem, non vocatum, non convictum per recordum vestrum, ut vulgaribus verbis illis utamur, condemnare videmini inauditum, in animæ vestræ periculum, & nostrûm omnium Parium Regni terræ Angliæ præjudicium manifestum ac perniciosum exemplum. Nec quisquam calumniando causetur, quòd propter criminis conscientiam quæramus subterfugia, ne per vos objiciendorum ineamus certamen. Novit enim Altissimus, quòd præ cunctis mortalibus vos videre corditer affectamus; ut vestri regnique pericula, subditorum vestrorum affectiones & corda, adulatione omnimodâ circumscriptâ vestræ Celsitudini intimemus; & ut gesta vestra utinam laudabilia aliis cederent in decorem juxta illud Sapientis, *Componitur orbis Regis ad exemplum:* & etiam ut visâ facie nostrâ reduceretis ad memoriam servitia, quæ dum in vestris ageremus obsequiis, devote & fideliter [præstitimus] juxta animi nostri conscientiam; Sic Deus nos adjuvet in examine ultimo, quando omnes astabunt ante tribunal Christi recepturi prout gesserint in suo corpore bonum sive malum

1 Cor. II. 15.

Sap. VI. 2.

malum. Et maxime ut coram vobis, Prælatis, Proceribus & Paribus Regni famam noſtram Epiſtolis & libellis veſtris prædictis turpiter laceratam, ac etiam ſuggillatam, purgatam, veram, & puram, ſicut eſt Deo teſte, duceremus in publicam notionem. Sed propter quorundam principalium Conſiliariorum veſtrorum vobis aſſiſtentium notorias nobis minas mortis illatas, qui in terrâ iſtâ non ſunt ſicut Joſeph in Ægypto, ſed ſicut tyranni dominantur in ſolio his diebus juxta dictum Sapientis : *Multi tyranni ſederunt in ſolio, & inſuſpicabilis portavit diadema.* Exiſtente ſic gladio in manibus furioſorum non ſuperba elatione vel inobedientia ducti, ſed currenti cedendo furori ipſorum hucuſque ad vos acceſſum noſtrum diſtulimus, nos metu qui in conſtantiſſimum caderet excuſante; parati tamen in omnibus parêre veſtræ Majeſtati, honore Dei & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ ſtatu & ordine noſtris in omnibus ſemper ſalvis. Sane ne medii temporis intervallo hujuſmodi tyrannorum poteſtate durante ad quam evellendam Oriens ex alto vos juvare dignetur, ut impleatur dictum Sapientis : *Oportebat tamen illis ſine ceſſatione ſupervenire interitum exercentibus tyrannidem*, infamiæ noſtræ clamor amplius invaleſcat ad detegendam innocentiam noſtram, ſingulis articulis in ipſis libellis famoſis contentis, non ſophiſticè ſed veraciter in formâ quæ ſequitur reſpondemus.

Eccleſ. XI. 5.

Sap. XVI. 4.

Continent ſiquidem Epiſtolarum veſtrarum ſeu Libelli Famoſi primordia probris plena, quòd vobis dudum in annis adoleſcentiæ ad Regni ſolium exaltatis, in ejuſdem ſuſcepto Regimine ſanis conſiliis dirigi cupientes, noſtro conſilio ſuper his, quæ animæ veſtræ ſaluti expediebant & Regni veſtri augmentum & conſervationem reſpiciebant, ſpiritualiter ac temporaliter uſi fuiſtis ; quódque poſtmodum Regno Franciæ ad vos jure ſucceſſorio devoluto & à Philippo de Valeſio de facto notoriè occupato, Regiæ majeſtati perſuaſimus, importune fœdus inire cum Alemannis pro recuperando jure veſtro ; quódque ſolummodo de perſonis ad arma doctis & ſtrenuis cogitaretis, Quia nos pecuniam neceſſariam pro veſtris veſtrorumque neceſſitatibus & ſtipendiis provideremus : & quia hujuſmodi ſubſidio caruiſtis, vos graviſſimo debito ſupponere oportuit uſurarum. Ad hæc Sereniſſime Princeps, nobis tacentibus & linguâ minimè palpitantibus, facti notorietas congruum novit dare reſponſum. In principio enim regiminis veſtri, dum Eccleſiæ Wintonienſi præfuimus, quorum conſilio regebatur Majeſtas Regia, conſtat regno. Novit enim qui nihil ignorat, quòd cum quæſtio de regno poſt mortem Regis Caroli fratris Sereniſſimæ Matris veſtræ in Parliamento tunc apud Northampton celebrato, tractata & diſcuſſa fuiſſet ; quódque idem regnum Franciæ ad vos jure hæreditario extiterat devolutum : & ſuper hoc fuit ordinatum quod duo Epiſcopi Wygorn. tunc, nunc autem Wintonienſ. ac Coventren. & Lych. in Franciam dirigerent greſſus ſuos, nomineque veſtro Regnum Franciæ vendicarent, & Philippi de Valeſio coronationem pro viribus impedirent. Qui juxta ordinationem hujuſmodi eis legationem injunctam tunc aſſumentes, greſſus ſuos verſus Franciam direxerunt : quæ quidem legatio maximam guerræ præſentis materiam miniſtravit. Nulla fuit tunc diſpoſitio noſtra penès vos & adoleſcentiam veſtram vel alios in ſpiritualibus & temporalibus vos regentes accepta ; quia tunc de Regiis negociis non intromiſimus quovis modo , ſed in curia Regia, qua de causâ novit Deus, omnibus fuimus odioſi. Poſtmodum verò Regalibus mutatis temporibus, ex quo veſtræ placuit Majeſtati quòd veſtra negotia una cum aliis veſtris Secretariis tractaremus ; pro pace inter duo Regna Angliæ ſcilicet & Franciæ faciendâ, conſiderando animarum , corporum rerumque pericula ex guerrarum voragine imminentia, inſtitimus toto poſſe ; plurieſque mare propterea tranſeuntes non abſque periculis multis , laboribus, & expenſis cum Prælatis variiſque proceribus Regni veſtri ipſius Philippi quæſivimus præſentiam perſonalem ; menſuramque omnem

omnem non dicamus sufficientem sed superhabundantem ante hæc tempora satis publicatam pro pace habenda obtulimus cum effectu. Ipso verò Philippo obturante more aspidis aures suas & nos audire nolente, missi fuerunt ad eundem ex parte vestra duo Legati Spirituales, scilicet Dunelmensis & nunc Winton. pro pace hujusmodi procuranda, & ex alio latere bonæ memoriæ Hugo Lincoln. Episcopus & Wilhelmus de Monte acuto, & Wilhelmus de Clynton. nunc Comites Sarum & Huntingdon; qui nec pacem poterant procurare nec guerræ dilationem aliquam obtinere. Sed ipsis nunciis adhuc in transmarinis partibus existentibus dictus Philippus de Valesio ad omnes partes maritimas commissiones varias mox transmisit ad interficiendum & destruendum homines & naves Angliæ ubicunque in mari poterant inveniri, manum armatam nihilominus ad invadendum terram vestram Vasconiæ cum omni festinatione mittendo. Sicque per ipsum Philippum & non per vos guerrâ inchoatâ juxta deliberationem & consensum Parliamenti vestri apud Westm. tunc ea occasione convocati & non solius nostri, occasione gravis sævitiæ & obstinationis animi indurati Philippi prædicti Anglicos invadentis & mensuram omnimodam recusantis, & pro vestro jure in Regno Franciæ adipiscendo per dictum Philippum nequiter occupato cum Alemannis & aliis fœdus inire ordinatum extitit & consensum. Pro vestris verò & vestrorum stipendiis in hac parte solvendis in Concilio quodam apud Staunford tunc propterea convocato cum certis mercatoribus terræ vestræ nobis præsentibus conventiones certæ factæ fuerunt: de quarum forma in Cancellaria apparere poterit satis claré. Quæ si observatæ fuissent una cum aliis subsidiis per Clerum & populum in subsidium guerræ vestræ & magnis lanarum custumis; non solum nostro sed omni Consiliariorum vestrorum arbitrio pro tota guerra hujusmodi satisfecissent: dum tamen omnia ad hoc ordinata subsidia bene disposita & ordinata fuissent. Et satis novis vestra Majestas, quòd conventiones prædictæ per nos nec violatæ nec immutatæ fuerunt, quódque ad manus nostras subsidia illa nullatenus devenerunt. Si ergo infortunium aliquod propter defectum pecuniæ contigerit, quod nos tædet; hoc illis qui dictas conventiones fregerunt & dicta subsidia male expenderunt & dilapidaverunt, & non nobis qui portavimus pondus diei & æstus, est totaliter imputandum. ex eo maximè quòd post primum vestrum transitum non remansimus in hoc regno; Sed cum Reverendis patribus Dominis Cardinalibus & Dunelmen. Episcopo pro pacis reformatione in Franciam præcessimus, ad vos tunc in Brabantia moram facientes occasione prædicta eundo & redeundo vicibus iteratis. Et demum dicto pacis negotio tanquam desperato totaliter derelicto, vobiscum in Brabantia per aliqua tempora moram traximus, nobis utique satis gravem. Vestræque necessitatis participes effecti, pro debitis gravissimis sub magnâ usurarum quantitate contractis, de quibus in Epistolis vestris plenior fit mentio, unà vobiscum & aliis Prælatis ac Proceribus vestri regni Angliæ & pro vobis diversimodas, utinam non in præjudicium status vestri, affectione paterna quocunque circumscripto obligationes fecimus valde graves. Sicque, Serenissime Princeps, non in illusoris baculo arundineo spem vestram nostris consideratis operibus posuistis, sicut in Epistolis vestris dicitur, sed in baculo firmissimo illi simili in quo Jacob Jordanem transivit, & cum duabus turmis gloriose est reversus. Cum quanta enim gloria vice secunda vestra decorata est reversio, novit Deus: utinam continuetur ad Dei laudem honoremque vestrum temporibus secuturis.

Subsequenter & mirabile majus nobis imponitur in dictis Epistolis; quòd retardata expeditione vestra ulteriori coacti fuistis ab inchoatis magnanimiter hostium aggressibus ea vice desistere, in Angliam remeare, convocatoque

Convocatoque Parliamento Prælati, Proceres cæterique fideles ejusdem regni vestri nonæ partis garbarum, agnorum & vellerum suorum præter decimam vobis à Clero concessam pro expeditione guerræ vestræ subsidium concesserunt. Ad cujus subsidii collectionem & aliorum vobis necessariorum administrationem efficaciter promisimus interponere partes nostras. Cujus promissionis occasione post gloriosissimam victoriam vobis in mari à Deo concessam castrametati juxta civitatem Tornacens. In cujus obsidione per aliqua tempora fatigati spe recipiendi subsidium memoratum cogente penuria cogebamini inviti treugis initis consentire.

Princeps Serenissime, ut cum Reverentiâ devotâ loquamur: Vestra non ignorat Excellentia, quòd totius nonæ subsidium ante transitum vestrum secundum, creditoribus vestris variis pro primo anno de consensu vestro ac totius Consilii vestri extitit totaliter assignatum, prout ex ipsis assignationibus luculenter poterit apparere. Et ut assignationes prædictæ firmiter servarentur, pluries post transitum vestrum secundum literatorie præcepistis.

Ex quo potest manifeste liquere, quòd ad obsidionem prædictam, cujus etiam obsidionis initium ignoravimus, nihil Deo teste transmittere potuimus nec promisimus destinare. Nec nobis imputari potuit dicti subsidii retardata solutio, cujus terminorum satisfactio in Parliamento extitit ordinata. Et ideo his & aliis causis nos & alii Consiliarii vestri præmissa pensantes, vestræ nunciaverant Majestati, quòd sine vestra præsentia vobis subvenire minimè potuerunt. Non ergo dici potuerunt illusores Consiliarii vestri dicentes: *Manda remanda*, &c. Sed servi veraces & perfecti. Non ficta sed verissima nunciantes, secundum illud Evangelii: [a] *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Et sic fiet Domino concedente. Modicum etiam vel nihil de subsidio prædicto ante vestram secundam reversionem extitit persolutum, sed omnia ad ministrorum vestrorum præsentium manus devenient. Utinam ad honorem vestrum bene inposterum disponantur.

[a] Joan. VIII. 32.

Ad hæc Domine metuende, quod in vestris inseritur Epistolis, quòd reversis vobis in Flandriam post obsidionem hujusmodi non fuit aliquid in vestris vel vestrorum marsupiis unde potuistis vestris necessitatibus consulere, & stipendia debita vestro militantibus obsequio erogare: Compulsi fuistis usurarum voragini vos immergere, visumque fuit amicis vestris fidelibus & peregrinationis vestræ participibus hujusmodi incommoda & infortunia, culpa, vel desidia, & ut prætenditur malitia nostra & aliorum vestrorum Officialium contigisse, quorum ducti consilio, ne à vestro recederent juvamine remedium volentes ponere in præmissis, quosdam vestros Officiales amovistis. Alios sub tuta custodia detineri fecistis, Credentes per informationem de commissis per eosdem plenius informari. Per Dominos Nicholaum de Cantilupo primò, & Radulphum de Stafford hospitii vestri Senescallum secundò, nobis postmodum demandastis, ut ad vestram præsentiam personalem ea occasione maturius accedere curaremus; nobis nichilominus propter timorem varium à nobis prætensum salvi & securi conductûs literas Regias destinando. Nos tamen precum & Regiorum mandatorum lenitate contempta vultu & animo indignato prætenditur tale dedisse responsum, quòd nos aspectibus & colloquiis vestris nequaquam offerremus nisi in pleno Parliamento coram Proceribus & Paribus vestri Regni. Quod Parliamentum ut testantur Literæ certis de causis non expedit facere istâ vice. Reverende Domine veritate considerata perspicua præmissorum, levis est responsio ad eadem. Non enim justo Dei judicio nobis imputari potuit in Flandriam vestra reversio; cum nulla ut præmittitur, præcesserit nostra promissio, & per consequens de fraudis vel negligentiæ commento nostro conqueri non poterunt vestro obsequio militantes. Novit enim Altissimus, quòd tunc & omni tempore quo vestro operam

operam dedimus officio, fideliter & diligenter vestra prosecuti fuimus negocia & mandata: & juxta vulgare dictum: Ultra posse viri non vult Deus ulla requiri. De eo verò quòd fideles amici & vestræ peregrinationis Comites super his affectant congruum adhiberi remedium: credendum est, prout verba sonant, quod justo præcedente processu non voluntario sed maturo ut culpabiles pro culpa pœna legitima percellant.

Quòd autem Clerici à judicio secularis potestatis exempti Laicique liberi contra leges & regni consuetudines ac contra formam Magnæ Chartæ capiantur & detineantur inimici, quantum qualeque sit eorum facinus qui hæc agunt; non potest esse incognitum Regiæ Majestati, cum pericula animarum ex his contingentia non solum sacris constitutionibus sint expressa, sed per nos & Suffraganeos nostros per totam nostram Provinciam divulgata sint, & tam clero quàm populo publicata. Et certe Domine Princeps multum timemus; quòd processus in terra vestra facti & habiti his diebus, utinam legitimi & maturi, populi vestri corda (quod absit) à vobis avertent, nisi celerius adhibeatur remedium opportunum.

Nuncii verò vestri qualia ex parte vestra nobis nunciaverunt, non possunt esse tacita vel occulta, ut puta coram Notariis & testibus publice nunciata. Quorum primus, videlicet Dominus Nicolaus de Cantilupo, literas Regias credentiæ sub secreto sigillo secum deferens, credentiamque suam exponens. Nobis injunxit, nosque citavit, ut in Brabantiam infra octo dies tunc sequentes pro certis vestris Regiis debitis quibus fuimus obligati transfretando celeriter dirigeremus gressus nostros, illuc continuè moraturi donec plenè solverentur debita supradicta. Sane alius nuncius, Dominus Radulphus de Stafford quasi peregrè proficiscens & nullam secum literam deferens, nobis dixerat nudo verbo sic. Cito te, quod te trahas versus Regem. Asserens similiter nudo verbo quod minantium insidias non oportuit nos timere. Si ergo nunciata hujusmodi insertis in Epistolis vestris in ea parte clausulis consonantia fuerint, judicet justus judex. Videbuntur cuique circumspecto repugnantia continere, in Brabantiam videlicet divertere & in Anglia pro informationibus hujusmodi obtinendis jugiter permanere. Sciat vestra Serenitas, quòd non timor vanus, superbia, inobedientia, contemptus, vel criminis conscientia à faciei vestræ visione delectabili nos retraxit. Sed causa justissima superius allegata, æquo libramine ponderata. Et ut cum reverentia debita loquamur, licet literæ Regiæ conductus ad Consilia vestra veniendi, morandi & revertendi sufficientes prima facie viderentur, si ad vestra Consilia fuissemus vocati, sicuti non fuimus: Eodem tamen die quo porrectæ fuerant nobis literæ memoratæ, directæ fuere literæ Regiæ Vicecomiti Cantuar. quod nos venire faceret coram vobis & Concilio vestro London. ad respondendum super contemptu hujusmodi Breve de veniendo. Quo tamen zelo justitiæ vestræ conceptum fuerat, novit Deus. Licèt ergo Regius conductus in suo casu liberam nobis tribueret recedendi facultatem, natura tamen Brevis hujusmodi coactam nobis imposuit necessitatem inimicorum nostrorum manibus remanendi. Quod non decuit nec decuisset Regiam Majestatem. Semper tamen, sicut prædiximus, parati fuimus & erimus in præsentia vestra Prælatorum, Procerum ac Parium terræ ad objicienda nobis singula respondere, Statu nostro & ordine semper salvis. Illi autem qui Parliamenti Convocationem impedire nituntur, occasionem non causam legitimam prætendentes, declarationem nituntur effugere veritatis, testante veritate quæ dicit[b]: *Omnis enim qui male agit, odit lucem.*

[b] Joan III. 20.

Ad

Ad illud autem quod inseritur in Epistolis vestris, videlicet nos Regalis benignitatis beneficiis & honoribus magnificis ampliatos, super quem ut patrem charissimum vester animus requievit; nosque vobis in vitricum onerosum crudeliter esse conversum, beneficiorum acceptorum immemorem & ingratum, illamque retributionem impendimus, quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere. Tacita falsitate, veritate expressa, ad ingratitudinem hujusmodi nobis Reverentia vestra salva minus veraciter impositam, & magis ex odio dictantis Epistolam quam mittentis, taliter respondemus: ad vocem veritatis. [a] *Omnis qui dereliquerit propter me patrem vel matrem, uxorem aut filios, domum vel agros, centuplum accipiet, & vitam possidebit æternam.* Præmissa dicentem invocamus in testem, quod à tempore illo quo vestris insudavimus obsequiis, in tantum juxta scientiam ab Altissimo nobis datam cum omni fidelitate, & diligentia sicut præmisimus, negociorum vestrorum expeditioni pro honore vestro & salvatione Regni vestri animum nostrum dedimus adeo integrum ad eadem; quòd non solùm patrem & parentes, & uxorem, id est, Ecclesiam nostram & filios spirituales, domuum & agrorum nostrorum emendationem & culturam reliquimus atque curam; sed die nocteque de vobis & negociis vestris soliciti multoties transivimus noctes insomnes, nostris laboribus transmarinis & cismarinis aliqualiter non parcentes, utinam non in periculum animæ nostræ, corpus exinanivimus; bona nostra temporalia expendendo quasi pauperes facti sumus.

[a] Marc. X. 29.

Et si ista sunt facta vitrici, judicet qui mentiri nescit Omnipotens verax Deus: vobis enim semper fuimus pater gratus, filiis autem nostris spiritualibus, quod dolentes referimus, occasione vestri vitricus onerosus. Mus enim in pera vestra non fuimus, quia in vestris obsequiis non vestra sed nostra corrosimus, quod sentimus; serpentis prudentiam exercendo, non veneni malitiam in gremio effundendo. Ignemque divini amoris & charitatis in sinu vestro non comburentem, sed juxta nobis datum à Domino intellectum illuminantem affectu sedulo accendendo. Pro quibus, ex quo deest humana retributio, nobis retributionem impendat qui est bonorum omnium retributor.

Nec nostram apud Altissimum minuere poterit retributionem Regalium beneficiorum ampliatio nobis imposita ex malitia ut convicimus dictatoris, præsertim cùm Magnificentiam Regiam non deceret talia improperia recitare. Non enim per Principum Secularium quorumcunque collationem vel procurationem beneficiis & honoribus magnificis, quibus hactenus potiti sumus, aliqualiter ampliamur, sed per gratam Dei munificentiam, [b] qui de bonis collatis nulli improperat, & omnibus tribuit affluenter.

[b] Jac. I. 5.

De illo verò, quod nobis velamine quodam impingitur, nos Regis innocentiam, suorumque Consiliariorum & Officialium Regalem justitiam prosequentium & fidelitatem & diligentiam lacerare, publicè prædicando & literis demandando, quòd potestate Regia modernis temporibus contra justitiam populus opprimitur, Clerus confunditur, & Ecclesia exactionibus variis & talliis prægravatur, Si præmissa veritati nitantur, Altissimus bene novit. Vestram enim innocentiam conservare & aliis publicè prædicare mente & spiritu studuimus incessanter omni postposita fictione, pro qua conservanda Deum hactenus deprecati sumus & quotidie deprecamur; & ut subditi nostri pro statu vestro incolumi conservando & fœliciter dirigendo effunderent orationum suffragia, nostris patentibus literis pluries direximus & in posterum faciemus.

Si tamen quorundam vestrorum Officialium præsumptione damnabili absque vestra, ut credimus, conniventia contra justitiam populus plus solito sit oppressus, Clerus & Ecclesia taxationibus variis & talliis prægraventur,

singulis evidenter apparet; cùm jam à viris Ecclesiasticis exigatur quod nullatenus concesserunt. Novis etiam legibus non voluntariis & inusitatis sic populus vester regitur his diebus; quòd ipsius substantia vix ad victum sufficiens ad ultimam (nisi Deus avertat) paupertatem in vestrum opprobrium deducetur.

Nec talia ad vestram seu Officialium vestrorum, cùm in specie nullum nominaverimus, innocentiam lacerandam diximus, proposuimus, seu publicavimus intentione sinistrâ; sed ut per ea Regia Majestas remedium apponeret eo citius opportunum, ne per illicita gravamina populi vestri affectio devotionem consuetam, quod absit, [a] averterent amorem in odium divertendo.

[a] l. amitteret.

Et quia Serenitas Regia nobis imponere per suæ literæ dictatoris malevolam voluntatem videtur, quòd nomen boni Pastoris quo semper caruimus juxta communem opinionem & confessionem propriam, qua nos Mercenarium nominavimus, nitimur usurpare, fucatum zelum vulpinæ calliditatis fuco perizomate palliatum ad liberationem Ecclesiæ; cujus vexationes si quas in rebus vel personis vestris temporibus sustinuit, nostris duntaxat remissioni & callidis adinventionibus ac reprobis Consiliis sunt tantummodo ascribendæ.

Ad quæ [b] respondemus veritas, sicut materia subjecta permittit. Nam veritas bonum Pastorum se nominat dicens: [c] *Ego sum Pastor bonus.* Nullusque alius dicere se potest bonum pastorem, testante ipsâ veritate quæ dicit: [d] *Nullus est bonus nisi solus Deus.* Si ergo prædicando publiceè diximus nos bonum pastorem non esse sed mercenarium; juxta doctrinam diximus Salvatoris dicentis: [e] *Cùm omnia præcepta feceritis, dicite vos servos inutiles.* Et ipsa novit veritas quod nunquam fallaciter seu alio quæsito colore nomen boni pastoris quæsivimus usurpare, sicuti non sumus nec esse possumus; sed rejectis calliditate vulpinâ & perizomate antiqui peccati velamento, tales quales sumus pro necessitatis vestræ relevamine & Regni vestri utilitate, quin potius salvatione, cum cæteris Prælatis & Cleri nostræ Provinciæ Procuratoribus interposuimus partes nostras, & concedi procuravimus tallias & subsidia alia in Cleri prædicti onus maximum & gravamen, quod per vos nulla culpa nobis possit impingi, communi proverbio attestante. *Si culpent alii: te me laudare necesse est.*

[b] f. respondet.
[c] Joan. XI. 14.
[d] Matth. XIX. 17.
[e] Luc. XVII. 10.

Super eo quod nobis imponitur, quòd quasdam Excommunicationum sententias in libertatis Ecclesiasticæ & Magnæ Chartæ violatores in genere dudum latas ad suggillandam opinionem Regiam, & ministros Regios diffamandos, ac seditionem in populo proditoriè suscitandam, & devotionem Comitum, Baronum, Procerum, & Magnatum Regni vestræ Majestati Regiæ subtrahendam, mandavimus per nostras literas in locis pluribus insignibus publicari. Quia præmissa proditionis crimen in caput nostrum retorquere videntur, quo casu Rex nullus vel Dominus Temporalis judex noster competens esse potest, sicut satis superius est ostensum; protestamur palam & publicè per præsentes, quod per dicta vel dicenda in nullo statui nostro præjudicare intendimus in hac parte, sed Judicis cujuscunque Secularis examen totaliter declinare. Extrajudicialiter tamen ad nostram innocentiam detegendam bene fatemur nec possumus diffiteri; quòd excommunicationum quasdam sententias in libertatis Ecclesiæ & Magnæ Chartæ violatores & alios, à sanctis Patribus olim latas, in genere denunciavimus & per alios fecimus nunciari. Regiam tamen personam Reginæ & liberorum suorum, quatenus potuimus, excipiendo specificè atque claré. Quibus neminem diffamavimus, cùm nullum nominaverimus in eisdem. Nec per hoc in populo, salvâ dictantis Reverentiâ, seditionem proditoriè procuravimus, qui vobis in omnibus est in præsenti obediens [nec devotionem] subtrahi fecimus, qui vobis

vobis intendunt per omnia, ſicut decet: prout mundus totus poterit intueri. Sed nobis qui novit omnia teſtis erit quod Magnates & populares Regni veſtri quatenus nobis fuit poſſibile ſemper induximus publicè & privatim, ut vos intimè diligerent, vobis in agendis publicè aſſiſterent, & vos toto poſſe juvarent.

In fine verò Epiſtolarum veſtrarum multa videntur contra nos ad ſuggillationem famæ noſtræ dicta, & generaliter recitata, videlicet quòd vos in minori ætate conſtituti improvido noſtro Conſilio donationes prodigas, alienationes prohibitas, gratiaſque feciſtis aliquas exceſſivas, ita quòd per eas ærarium veſtrum totaliter eſt exhauſtum: ulterius aſſerentes quòd munerum acceptione corruptos magnas pecuniarum ſummas vobis debitas ſine cauſa rationabili remiſiſſe, pluresque fiſcales redditus & proventus noſtris noſtrorumque uſibus applicaſſe; quodque non ſolum munerum ſed etiam perſonarum acceptor exiſtens contra votum veſtrum & præſtitum vobis fidelitatis ſolitum juramentum, ad officia publica, in terris veſtræ ditioni ſubjectis, dignis & bene meritis poſtpoſitis & repulſis, indignos admiſimus; multaque alia animo infrunito temere attentare præſumpſimus in Statûs Regii detrimentum, & dignitatis Regiæ læſionem, in damnum populi & gravamen: poteſtate nobis traditâ, & commiſſo nobis officio abutendo.

Præmiſſâ iterum proteſtatione hujuſmodi, quòd Regia Majeſtas in his perjurium per viam criminis nobis ut videtur imponit, quo caſu judex noſter non eſtis, ſicut nec eſſe poteſtis. Ad generalia tamen generaliter reſpondemus, quod juxta diſcretionem nobis à Deo datam in veſtris exiſtentes Officiis, Regiæ Majeſtati veſtræ fideliter deſervivimus, ſanaque Conſilia judicio noſtro vobis dedimus in agendis: donationibus prodigis ac alienationibus prohibitis, gratiiſve exceſſivis, ſeu magnarum pecuniarum ſummarum vobis debitarum remiſſionibus ſine causâ rationabili per vos factis, munerum corruptione, odio, amore vel favore, nullum fallaciter præbentes aſſenſum, ſed honorem veſtrum & commodum in his & aliis pro viribus conſervando. Et quia donationibus variis aliquoties reſtitimus, à Regiis ſervitoribus reportavimus ſæpius malas grates. Et ſi in ſpecie conſtiterit de præmiſſis ſingulis; congruum daremus reſponſum.

Noſtræ enim memoriæ non occurrit ad præſens, quòd donationes aliquas magnas nobis præſentibus & ſcientibus fecerit Regia Celſitudo. His dumtaxat exceptis, quas certis Comitibus per vos nuper creatis denuo ex conſenſu Parliamenti in Regio veſtro Palatio tunc apud Weſtmonaſt. celebrati, largitione Regia contuliſtis, quas tunc credidimus & adhuc credimus non in præjudicium Regium factas eſſe, ſed & ad veſtrum cedere commodum & honorem. Docet enim rerum experientia, qualem locum pro vobis & regno hactenus tenuerunt, quantaque pro vobis paſſi ſunt & patiuntur ad præſens. De exceſſivis verò gratiis ſeu remiſſionibus Regiâ liberalitate factis non recolimus in præſenti niſi de remiſſione debitorum toti populo veſtro Anglicano, in ultimo Parliamento veſtro nobis tunc præſentibus apud Weſtmonaſt. convocato, voluerit intelligere Veſtra Serenitas; quæ eâ occaſione ex conſenſu Regio & totius Parliamenti conceſſa fuerat veſtra majori utilitate penſata, ut Communitas nonam concederet ſupradictam, nec alio modo conſentire voluit dicta Communitas ad nonæ prædictæ ſubſidium faciendum: quod nobis ratione prævia non poterit imputari.

Dictis vero generalibus juxta juris exigentiam ſpecialius declaratis, ad declarata reſponſa dabimus ſatis clara. Unum tamen non omittimus, de quo miramur nobis objectum, quod noſtris & noſtrorum uſibus Regios applicavimus redditus & proventus: quia novit in cœlo juſtus judex reſidens, quod nec terras Regias, redditus vel proventus aliquos nobis vel noſtris hactenus applicavimus, nec unquam applicare voluimus; ſed in veſtris & parentum

vestrorum negotiis, pro quibus triginta duabus vicibus mare transivimus, & versus Scotiam eundo multoties & redeundo, aliisque variis vestris agendis in tantum de nostro expendimus, quod de marsupiis nostris dici potuit sicut superius dicitur: *Modicum ibi, modicum ibi.* A principio enim guerræ usque in diem præsentem ab ærario Regio nihil recepimus trecentis libris exceptis. Sicque malum excogitatum contra nos proponitur; laborum, expensarum, & nostræ gratitudinis nullus memoriter recordatur. Ideo dicere potero cum Job: [a] *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera.* Certè quasi arena maris hæc gravior appareret. Personarum verò acceptatores, Deo teste, nunquam fuimus; sed Regiam utilitatem semper præponere cupientes, ad officia publica quibuscunque terris & locis vestræ ditioni subjectis dignos præfecimus & præfici procuravimus, quatenus humana conditio mores hominum scire permisit juxta scientiam & possibilitatem desuper nobis datam, dona vel munera propterea à nemine admittentes. Et siquis dicere voluerit & probare, quòd munera vel pecuniam ab aliquibus receperimus occasione præmissâ; parati erimus querelantibus omnibus & etiam specificandis quandocunque Regiæ placuerit Majestati secundum legem Regni & consuetudinem respondere: Honore Dei, statu & ordine nostris in omnibus semper salvis. Scientes, Serenissime Princeps, quod si sanâ conscientiâ Consilii vestri arcana vobis revelare liceret, ostenderemus apertissimè toti mundo, quibus omnium præmissorum defectus justo Dei ac hominum veracium judicio imputari debet. Hæc ad Libellum famosum responsa sufficiant in præsenti: & utinam propter honorem Regium nunquam scriptus & publicatus fuisset. Quin licet famam nostram suggillare prima facie videatur; consideratis tamen considerandis & scriptis in illo, non sine proditionis Regis & Regni maculâ & animæ suæ periculo justo judicio evadere poterunt qui libellum hujusmodi dictaverunt, seu in his præbuerunt consilium vel consensum, vel in eo contenta ad nostram injuriam recitarunt, seu ad nostram infamiam publicarunt. Quod corde perfecto considerare dignetur Majestas Regia: quam incolumem & sibi placabilem conservare Rex ille dignetur per quem Reges regnant & Principes dominantur.

[a] Job VI. 2.

Rex contra dictum Archiepiscopum fecit postea publicari alias literas.

Literæ Excusatoriæ Domini Regis contra Archiepiscopum.

EDwardus Dei gratiâ Rex Angliæ & Franciæ & Dominus Hyberniæ, Episcopis Angliæ salutem. Cicatrix cordium superbia quæ semper ascendit, plerumque morbos generat ex remediis, & ex medicina languorem. Et hoc probat Johannes Captuariensis Archiepiscopus & ejus fastidiosa præsumptio; qui cùm pridem de nobis & nostris quædam sinistra, sicut incusatoriis literis super hoc vobis & aliis directis plenius continetur, publicè prædicasset, & ea mandasset in locis pluribus insignibus publicari; jam prioribus injuriis injurias cumulans graviores, excusationes nostras veras, quas ad medelam læsæ dignitatis & famæ Regiæ providimus nostris literis intimari: nititur exquisitis machinationibus impugnare, & per novas literas vobis & aliis destinatas calumnioso calamo stiloque mendaci gravius & durius diffamare. Et licet sit de more Summorum Pontificum, Cardinalium, & Prælatorum inferiorum affatus & Regias literas benignè accipere; ipse tamen dictas excusatorias nostras justa & vera, quod congruis loco & tempore clare probare proponimus, continentes, detestabiles & libellos famosos intitulat: in nostro nomine maculam falsam ponens, quia si quis gerens salutis publicæ custodiam,

ſcripta probare crimina ſit paratus, ſi aſſertionibus ſuis opitulata fuerit veri fides, à culpa famoſi carminis excuſatur, & habetur ex hoc laude dignus. Ipſe etiam non ſervato more majorum, qui Principes ſuos colere ſolent & diligere, & pro eis obſecrationes, orationes, poſtulationes, ac gratiarum actiones à ſe & aliis fieri, facere, & ipſos inſtruere in ſpiritu lenitatis; contra nos & laterales noſtros in elationis ſpiritu temerariæ factionis & inventionis perverſæ telam orditur, iniquitatem ſuam prolongando, & quærens ſolatium miſerorum plures habere conſortes in pœna, & quod deterius eſt, in peccato. Suffraganeos ſuos & alios devotos, & fideles noſtros mendacii ſermonibus in noſtros præcipitare ſategit irreverentiam & contemptum; & quamvis apud Deum non gradus elongatior, ſed vitæ melioris actio comprobetur, glorians in altitudine ſtatus ſui ſibi tanquam Chriſto legato reverentiam exigit, quam nobis à ſe debitam non impendit. Quinimo cum ipſe & alii Regni Prælati, qui de nobis Eccleſiarum ſuarum recipiunt Temporalia, ex debito fidelitatis juratæ fidem, honorem & reverentiam debeant exhibere, ſolus ipſe pro fide perfidiam, pro honore contumeliam, & contemptum pro reverentia reddere non veretur. Unde etſi parati ſimus & ſemper fuerimus Patres Spirituales ut convenit revereri; eorum tamen offenſas, quas in noſtri & regni noſtri periculum redundare conſpicimus, non debemus conniventibus oculis præterire. Conqueritur idem Archiep. contra ſe abſentem inauditum, & indefenſum crimina quædam in præfatis literis noſtris excuſatoriis objecta fuiſſe, & ſe capitalium ſcelerum judicatum; acſi nos ut fatue prætendit, proceſſerimus criminaliter ad ſummam contra ipſum: quod utique non eſt verum, cum ſolius excuſatoris vices dumtaxat implevimus neceſſitate compulſi, ne famam noſtram negligere videremur. Sed videat calumnioſus reprehenſor, ſi in caput ſuum hæc querela juſte valeat retorqueri, qui nos Regem ſuum & Conſiliarios noſtros abſentes, & inauditos, & indefenſos, nec convictos, oppreſſores & tranſgreſſores falsò & malitioſè verbis aſſertivis deſcripſit. Eum meritò culpa redarguit, qui reprobatum à ſe crimen incurrit, & in quo alium judicat ſeipſum condemnat, dum in eodem ipſe reprobus invenitur. Ad hoc licet non noſtris utilitatibus ſed propriis cupiditatibus ſtuduerit inſervire; improperat tamen & jactat ſe Regiis negotiis, ut verbis ejus utamur, laborum faſtigio deſudaſſe, unde Dei & hominum timet graviſſimas offenſas multipliciter incurriſſe. Et hoc juſtè timere poterit, cum in illorum ſorte cenſeatur, qui juxta Propheticum improperium docuerunt linguas ſuas loqui mendacium: & ut iniquè agerent, laborarunt. Cæterum ad alia quædam fabuloſa & fucata verba in ipſius literis Archiep. comprehenſa, licèt ea poſſemus rationibus luce clarioribus confutare, ne ſermonem protrahamus, duximus ad præſens non dare reſponſum. Sed quia non decet cum homine contentioſo funem trahere, nec ejus perverſitatibus conſentire; vobis in fide & dilectione, quibus nobis tenemini, firmiter injungendo mandamus; quòd non obſtante quocunque mandato ipſius Archiepiſcopi, cui in derogationem honoris & juris Regii contra fidelitatis juramentum nobis præſtitum obedire non debetis, ad publicationem eorum, quæ in præfatis literis noſtris excuſatoriis continentur, juxta ipſarum ſeriem procedatis. Et quia de conſervatione jurium & prærogativarum noſtrarum Regalium, quæ progenitorum noſtrorum Regum digne recolenda prioritas magnificè defenſavit, ſumus, ut debemus, ſoliciti; ac idem Archiepiſcopus ad concitandum contra nos Clerum & populum, & ad impediendum expeditionem guerræ noſtræ, quam per ejus Conſilium aſſumpſimus, quaſdam denunciationes & publicationes ſententiarum, excommunicationum, ac monitiones injurioſas, ac juri coronæ & Regiæ dignitati noſtræ præjudiciales, cùm per eas nitatur in multis articulis à nobis auferre juriſdictionem nobis notoriè competentem, cujus cùm ſimus Rex inunctus, capaces eſſe dignoſcimur, & qua nos & progenitores noſtri

noſtri ſcientibus & tolerantibus Summis Pontificibus ac Prælatis & Clero Regni noſtri uſi ſumus pacificè ab antiquo, fecit & per alios fieri & publicari mandavit, in Majeſtatis noſtræ læſionem & jurium ac prærogativarum noſtrarum Regalium derogationem manifeſtam: vobis diſtrictè & ſub incumbenti periculo prohibemus; ne publicationes, denuntiationes ſeu monitiones hujuſmodi indebitas, & juribus ac prærogativis Regiis derogatorias & præjudiciales, vel alia per quæ fideles noſtri contra nos concitari, vel expeditioni guerræ noſtræ in ſubverſionem noſtri & fidelium noſtrorum poſſit, quod abſit, aliqualiter impediri, ad mandatum ipſius Archiepiſcopi vel alterius cujuſcunque per vos vel alios faciatis, vel quantum in vobis eſt, ab aliis fieri permittatis. Et ſi quid per vos attentatum fuerit, celeriter revocetis. Teſte meipſo apud Turrim London. 31. die Martii, Anno Regni noſtri Angliæ XV. regni vero noſtri Franciæ ſecundo.

Qualiter Archiepiſcopus receſsit de Cantuariâ versùs Parliamentum.

CUmque idem Archiepiſcopus pro ſuis æmulorum vitandis inſidiis in Eccleſiâ Cantuarienſi à ſecundo die Decembris in Feſto Regreſſionis S. Thomæ Martyris ab exilio, uſque in diem Mercurii XVII. diem Aprilis, anno Domini MCCCXLI. continuam moram traxiſſet; ipſe ſummonitus ad Parliamentum apud Weſtmonaſterium in quindenâ Paſchæ tenendum, & habitâ Protectione Regiâ ſalvi conductûs de veniendo & redeundo, continuatis dietis ſuis per Maneria Archiepiſcopatûs, tandem idem Archiepiſcopus in Feſto S. Georgii, qui fuit primus dies Parliamenti, venit apud Lamheth. Sed illo die non ad Parliamentum acceſſit; & in craſtino una cum London. & Ciceſtr. Epiſcopis, & magnâ multitudine Clericorum & Armigerorum apud Weſtmonaſterium [venit]; & in introitu hoſtii Magnæ Aulæ obviavit eidem Archiepiſcopo Dominus Radulphus Baro de Stafford, Hoſpitii Regii Seneſcallus, & Dominus Johannes Darſy, Camerarius Regis, cum Servientibus Armorum, dicentes ſibi ex parte Regis; quòd objicienda ſibi primò in Scaccario Regis reſpondere deberet, antequam Parliamentum intraret. Et ipſe Archiepiſcopus reſpondebat ſtatim eis; quòd ad hoc tunc diem non habuit, ſed ad intereſſendum Parliamento Regi unà cum Paribus dicti Regni. Nichilominus ad placendum Regi, intravit Scaccarium; & Articulis ſibi expoſitis, dixit ſe velle deliberare ſuper ipſis. Et hoc peracto, ad Cameram Regis depictam acceſſit; & ibi in loco Parliamenti aſſignato ſedebat, cum London. Ciceſtr. Coventr. & Lichfeld. ac Menevenſi Epiſcopis; quibus dixit: quòd hæc eſt cauſa adventûs noſtri. Et primò pro honore, juribus & libertatibus Eccleſiæ Anglicanæ. Secundò, pro utilitate publicâ & commodo Regni & populi. Tertiò, pro honore Regis, & bono Reginæ ejus. Quartò, ad purgandum ſe in pleno Parliamento ſuper criminibus ſibi impoſitis & publicatis. Quintò, quòd vocatus ad Parliamentum per Breve Regis, venit ad faciendum quod ſibi incumbit. Et quaſi hora nona tunc erat; ex præmunitione Robertus Bourſer Cancellarius Angliæ prorogavit diem uſque in Craſtinum. Dicti Epiſcopi ad propria redierunt. Et in Feſto S. Marci Evangeliſtæ, idem Archiepiſcopus rediit apud Weſtmonaſterium, intrans Cameram depictam; & ſedebat ibi cum Epiſcopis. Sed Rex tunc præſentiam ſuam non exhibuit; & unuſquiſque ad propria remeavit. Et die Jovis ſequenti idem Archiepiſcopus intravit Scaccarium, ſuper Articulis ſibi objectis Regis Conſiliarios informavit; nil aliud faciens illo die. Die Veneris poſt Feſtum S. Marci, idem Archiepiſcopus apud Weſtmonaſterium rediens,

diens, obviârunt ſibi in oſtio Magnæ Aulæ Domini Johannes Darſy. Egidius de Bello-campo, Radulphus de Nevyle; præcipientes ſibi, ut Scaccarium intraret, ſuper Articulis ſibi objectis informationem facturus pleniorem. Quibus reſpondit; quòd ad Parliamentum citatus erat, & ideo locum Parliamenti intrare vellet, & non Scaccarium illâ vice: & ſic receſſit ad Cameram Depictam: ibi ſedens cum Radulpho London. Roberto Ciceſtr. Simone Elien. Roberto Coventr. Radulpho Bathon. Thoma Herford. Roberto Sarum, & H. Meneven. Epiſcopis: ad quos Rex non curavit venire: & Adam Epiſcopus Wynton. & Bouſſer, & Johannes Darſy intrantes ad eos, ex parte Regis injunxerunt Archiepiſcopo, quòd obediret & humiliaret ſe Regi; aſſerentes, quòd in eo gratiam inveniret. Quibus Archiepiſcopus dixit; quòd ſemper fuit ſibi obediens & erit, ſalvo ordine ſuo & ſtatu. Et poſt hæc idem Wynton. Epiſcopus erga Cantuarienſem [dixit] quòd Literas Regias famoſas contra eum publicatas, per ipſum, ut dicitur, factas non concepit; ſed ſe excuſavit ore tenus. Cui Archiepiſcopus dixit nihil: ſed juxta aſſignationem, omnes ad propria receſſerunt. Et die Sabbati ſequenti, in Feſto S. Vitalis idem Archiepiſcopus apud Weſtmonaſterium rediens, venerunt ad eum duo Servientes Armorum, dicentes Archiepiſcopo iſta verba: Pater, non capiatis pro malo. Inhibitum eſt nobis, ne vos Cameram Depictam Regis, ubi Rex Parliamentum ſuum tenet, ingredi permittamus: quibus ipſe Archiepiſcopus dixit moleſtè: [Amici mei, Dominus meus Rex me Johannem Archiepiſcopum ad hoc Parliamentum per Breve ſuum vocavit; & ego major poſt Regem primam vocem habere debens, jura Eccleſiæ meæ Cantuarienſis vendico; & ideo ingreſſum iſtius Cameræ peto. Sed iidem Servientes ſibi & Epiſcopis London. & Ciceſtr. ſecum aſtantibus negârunt expreſsè. Et Archiepiſcopus Crucem ſuam bajulans, ſe à dicto loco nullatenus receſſurum aſſeruit, donec à Rege aliud in præceptis haberet]. Et modico facto intervallo, acceſſerunt ad Archiepiſcopum Johannes Darſy ſenior, Egidius de Bello-campo, Johannes Darſy junior, & Thomas Medham, Milites. Et voce furibundâ Johannes Darſy ſenior dictum Archiepiſcopum ſic alloquitur: En quid facis hîc? Cui Archiepiſcopus reſpondit: Ego ex Brevi Regis ad hoc Parliamentum vocatus, pro jure Eccleſiæ meæ vindicandæ hîc ſto & ſtabo ad ingrediendum Parliamentum. Cui Johannes Darſy malefico vultu dixit: Utinam ibi ſtes perpetuò, & nunquam recedas. Ad hæc Archiepiſcopus malitiam eorum conſiderans, dixit: Hîc eſt corpus paratum; de quo facere poteris, quod volueris. Animam meam ſpero reddere Creatori. Cui Tyrannus. Non ſic, non ſic: non tu ita dignus, nec nos ita fatui; ſed tu inobedienter ad Ligium Dominum tuum venis. Cui Archiepiſcopus. Ego tanquam obediens Domino meo Regi humiliter venio; & Crucem meam hîc in manibus meis geſto: Et paratus ſum hîc pro jure Eccleſiæ meæ mortem ſubire. Cui Tyrannus: Non es dignus Cruce illâ, quam geſtas, nec ingredi Parliamentum; quia ſemper fuiſti malus, & falsò deſerviſti Domino tui Regi. Et quicunque dixerit, quòd Dominus Rex non ſit ſeniori ductus Conſilio, quàm fuit tempore tuo; mentitur per os ſuum: & hoc probabitur, ſi ſit opus, in corpus cujuſcunque, corpore tuo ſalvo propter honorem dignitatis. Et conſequenter alius Tyrannus Egidius dixit Archiepiſcopo. Tu maledicte in malâ horâ fuiſti natus; quòd tu nobiliorem hujus mundi Principem & negotia Regni Franciæ impedis, & impediviſti à diu. Cui Archiepiſcopus [Maledictio Dei & B. Mariæ, & S. Thomæ, & mea, qui dictum Regem impedierunt taliter, ſit ſuper eorum capita nunc & ſemper, Amen.] Cui Johannes & Egidius: Tunc illa maledictio ſuper caput tuum veniet. Et Archiepiſcopus dicto Johanni dixit: De verbis tuis probroſis non curo. Sic maledicti Milites cum indignatione populi receſſerunt. Et idem Archiepiſcopus cum Epiſcopis prædictis adhuc ante oſtium Cameræ expectantes.

Verba iſta ex Byrchingtono citat Parkerus, Antiq. Britan. pag. 236.

Iſta itidem ex Byrchingtono citat Parkerus ibid.

tes. Tandem exierunt Comites Northampton. & Sarum. quibus ibidem Archiepiscopus sic alloquitur: Ego Archiepiscopus Cantuariensis vocatus ad Parliamentum Regium veni, sicut teneor; sed ingredi non [a] deberent. Rogo vos Dominos, quòd hoc Domino Regi intimare velitis; ex parte meâ ipsum rogantes, quòd jus Ecclesiæ Cantuariensis dignetur servare. Qui quidem Comites hoc sibi annuentes, idem Archiepiscopus postmodum cum Episcopis, & cum Domino Simone Eliensi Episcopo crucem dicti Archiepiscopi de manu suâ capiente, parvam Aulam Westmonasteriensem est ingressus; & ibidem cum Co-episcopis suis per aliquod tempus mansit. Tandemque cum ipsis Prælatis & Paribus Regni Cameram Depictam & Albam ingrediens; ubi tractatu pacis habito ab eodem Archiepiscopo Rex Angliæ se retraxit. In quo quidem tractatu Adam Wynton. Episcopus cæcus, tanquam amator discordiæ, tunc dicti Regis Consiliarius principalis, de falsitate per Pares prædictos convictus fuit super eo, quod falsò imponebatur dicto Archiepiscopo; quòd ipse, dum erat Regis Consiliarius, quandam declarationem Homagii Regis Angliæ faciendam Regi Franciæ ex capite suo absque consultu fecisse [b] debebat, quòd idem Wynton. nichil scivit de tractatu aliquo nec recoluit; quia tunc fuit Nuncius Regis unâ cum Domino W. Ayreminine tunc Episcopo Norwicensi, & cum Domino Comite Hanoniæ, Henrico de Percy, Johanne Sordych, ad tractandum cum Rege Franciæ; & deputatus ab eo super negotio antedicto. Et quia Rex Angliæ non venit ad tractandum super his cum Proceribus suis; ipsi Nuncii discordes ab invicem recesserunt. Die Dominicâ sequente idem Archiepiscopus apud Lamhetham pausavit in pace. Et eodem die Domini Johannes Darsy & Willelmus Kyllesby, totius discordiæ incentores, coram Majore, Aldermannis ac Communitate Londoniæ, in Capitulo Westmonasteriensi congregatis, tractatu habito, plures Articulos fabricarunt, & contra eundem exposuerunt Archiepiscopum; ut sic contra eum dictam Civitatem malitiosè excitarent. Et die Lunæ sequenti, ultimo die Aprilis, simili modo Communitati Angliæ hujusmodi Articuli, per conspirationem, ut præmittitur, fabricati, fuerant publicati: ut sic ipse Archiepiscopus totius Communitatis Angliæ perderet voluntatem; volentes ipsum Archiepiscopum exulem fore à cordibus Anglicorum; personasque Ecclesiasticas & totum populum avertere ab eodem: nil aliud ipso die in Parliamento agentes. Primo die Maii, anno Domni MCCCXLI. idem Dominus Archiepiscopus veniens bene manè apud Westmonasterium [de omnibus Articulis sibi undecunque impositis in pleno Parliamento se optulit purgaturum. Unde electi fuerunt XII. Pares Regni Angliæ; viz. London. Herford. Bathon. & Exon. Episcopi; necnon Arundel. Sarum. Huntingdon. & Suffolc. Comites: ac etiam Domini Henricus de Percy, Thomas de Wak, Radulphus Basset, & Radulphus de Nevil Barones;] ut ipsi habitis in eâ parte informationibus dicerent Regi, quod consultius sit agendum. Die Mercurii sequenti, idem Archiepiscopus in Albâ Camerâ Westmonasterii coram Rege existens, iteratò petiit, quòd de sibi impositis se posset in pleno Parliamento purgare. Sed dicti Regis Consiliarii nolebant ipsum audire. Unde idem Archiepiscopus dixit, *Imminente periculo, necessitate laborare*, volens se coram omnibus excusâsse publicè. Sed dicti Regis Consiliarii verba sua interrumpentes non permittebant ipsum ulteriùs prosequi; quòd continuantes Parliamentum usque in Crastinum tunc sequentem. Die Jovis in Festo Inventionis Sanctæ Crucis, anno prædicto coram Rege, in pleno Parliamento apud Westmonasterium, idem Archiepiscopus cum London. [c] Cistr. Sarum. Bathon. Coventr. Herford. Exon. Meneven. Dunelm. & Karolien. Episcopis, necnon Arundel. Sarum. Huntingd. Exon. Meneven. Pembrok. Suffolk. & Anegos, Comitibus; ac Westmonast. S. Augustini Cantuariens. S. Albani, S. Edmundi, & de Wynchestr. Abbati-

[a] *Sensus legendum postulat* non permittor.

[b] l. dicebat.

Ista etiam ex Byrchingtono citat Parkerus ibid.

[c] Cicestr.

Abbatibus, ac etiam Dominis de Wak, de Percy, de Warkele, Henrico de Spenser, Henrico de Feres, Petro de Monteforti, Richardo Talebot, ac Johanne de Gray, Baronibus; ac domino Johanne Darsy, Camerario Regis, Bartholomæo de Burgersh, & cum Majore London. ac Baronibus Quinque Portuum, ac Militibus Communitatis Angliæ, coram Domino Rege stantibus, & pro dicto Archiepiscopo supplicantibus; Rex idem Archiepiscopum ad suam admisit gratiam, & ipsum super criminibus sibi impositis excusatum habuit undequaque.

Reassumptio Archiepiscopi ad Concilium Regis.

POstmodum post dies paucos Dominus Rex reassumpsit eundem Archiepiscopum, tanquam prudentiorem & sagaciorem totius Regni Angliæ, ad suum Privatum Concilium; & factus est ei principalis Consiliarius in agendis, anno Domini MCCCXLII. [apud] Hogges in Normanniâ. Anno Domini MCCCXLVI. idem Rex Angliæ pro recuperatione juris sui quod ad Regnum & in regno Franciæ ex successione hæreditatis obtinebat, XVII. die Julii cum Exercitu suo applicuit apud Hogges in Normanniâ: & ibidem præsens erat Bertrandus Senescallus Franciæ; qui sub pœnâ capitis sui erga Dominum Philippum de Valeys dicentem se Regem Franciæ manuceperat; quòd cum ducentis viris armatis dictum portum de Hogges viriliter custodiret, ne rex Angliæ cum suo exercitu Terram Franciæ ibidem intraret. Unde ipse Mariscallus tam dictum Portum quàm apud Warflete cum palis, sicut potuit, obturavit; & ad resistendum regi Angliæ cum potentiâ & manu armatâ mille equites & sex millia peditum congregavit. Sed ab eis ipsum Regem Dei potentia liberavit. Itaque Rex Angliæ de inimicis suis victoriam reportavit. Quibus sic peractis, idem Cantuariensis Archiepiscopus circa bonum regimen Regni Angliæ totis viribus laborabat. Post hæc circa regimen curæ pastoralis intentus, apud Maydestan. graviter infirmatur; & de diebus indies languescens, tandem continuatis diebus ductus fuerat apud Maghfeld: ubi condito Testamento omnia quasi per eum legata Familiæ suæ, dum vixit, donavit inter vivos, & ferè Testamentum suum complevit. Prædicens familiaribus suis sæpiùs mortem suam, & die Sabbati in Vigiliâ S. Bartholomæi Apostoli, anno Domini MCCCXLVIII. & suæ Translationis XV. idem Archiepiscopus, auditâ Missâ, de B. Mariâ, circa horam primam dicti diei in sanâ memoriâ obiit apud Maghfeld. Et ante mortem suam prædixit Magistrum Simonem de Islep suum Successorem futurum fore debere. Hic singulis diebus XIII. pauperibus de manè, [eleemosynam dedit] quibus XIII. denarios & cuilibet unum panem. Et ad nonam aliis XIII. pauperibus ante prandium; quibus unum panem album, potellum cerevisiæ, potagium, bonum ferculum carnium sive piscium, omni die; & post Vesperas aliis XIII. pauperibus, quibus unum panem & unum denarium; propriâ manu, dum vixit, humiliter ministravit; præter eleemosynas fragmentorum domûs suæ ad magnam multitudinem pauperum undique confluentium; quibus largiter distribui per Eleemosynarium suum fecit: & multas eleemosynas mulieribus puerperio decubantibus; & aliis indigentibus privatas eleemosynas multas fecit. Hic erga subditos benignus & misericors nullum privando, sed potiùs in omnibus quibus potuit dispensando. Die Martis in crastino Nativitatis eodem anno corpus ipsius Archiepiscopi in Ecclesiâ Cantuariensi juxta Summum Altare in parte Australi honorificæ traditur sepulturæ.

JOHANNES OFFORD.

Johannes Offord, Legum Doctor eximius, Decanus Lincoln. & Cancellarius Angliæ successit: & ad preces Regis Angliæ Clemens Papâ VI. pontificatûs sui anno VII. & VIII. Calend. Novembr. anno Domini MCCCXLVIII. spretâ Electione concordi de Magistro Thoma Bredwardyn, magno Theologo, providit eidem Johanni; & ipsum per Bullas suas præfecit in Archiepiscopum & Pastorem. Hic Johannes fuit vir magnæ eloquentiæ, & in Concilio providus. Ab ipso Papa multas grates reportavit; quod ipsemet vel alius effectum nullum habuit, quia ipse tempore parvo vixit. Anno Domini MCCCXLVIII. statim post finem Natalis Domini incœpit communis mortalitas gentium; & duravit continuè usque ad finem mensis Maii anno Domini MCCCXLIX. In quâ quidem pestilentiâ vix tertia pars hominum remansit in vitâ. Tunc quoque tanta raritas Presbyterorum & paucitas erat; quòd Parochiales Ecclesiæ inofficiatæ penitus remanserunt: & personæ Beneficiatæ à curis Beneficiorum suorum præ timore mortis diverterant; ubi morari poterant, nescientes. Et quia tunc nullus servitores habere poterat; necnon mendicare malentes ocio, quàm per laborem quærere vitam suam: Dominus Rex cum suo ordinavit Concilio, & statuit; quòd quilibet homo & fœmina Regni Angliæ potens in corpore ad laborandum, infra ætatem LX. annorum, non vivens de mercaturâ, nec certum exercens artificium, non habens de proprio unde vivere, vel terram propriam de qua circâ agriculturam se poterit occupare, & alteri non serviens, si de serviendo requisitus fuerit; illi servire tenetur, qui illum sic duceret requirendum; quodque percipiet vadia, liberationes & stipendia consueta. Et præterea ordinatum fuit; quòd omnes artifices & operarii pro labore non caperent ultra id quod fieri communiter consuevit. Hic Cantuariensis Electus circa finem Mortalitatis hujus in Vigiliâ S. Augustini Anglorum Apostoli apud Totenham mense Maii diem suum clausit extremum; & VII. Die Junii anno Domini MCCCXLIX. post Matutinas in Ecclesiâ Christi decantatas, secretè juxta locum ubi S. Thomas Martyrizatus fuerat, est sepultus de nocte.

THOMAS BREDWARDYN.

Thomas Bredwardyn, sacræ paginæ professor *Solempnis*, de Parochiâ de Hertfeld Cicestrensis Diœceseos oriundus, Canonicus Lincolniensis, per Electionem Canonicam & per provisionem Apostolicam successit. Hic primò erat Confessor Regis Angliæ; cum quo in Regno Franciæ & in Normanniâ fuerat; ipsum Regem & exercitum suum salubribus monitis docuit & exemplis; adeò quòd solius Dei potentiâ, & non in multitudine armatorum Rex Angliæ tandem suorum habuit victoriam æmulorum. Hic Thomas, magnus Theologus & famosus primò post mortem Johannis de Stretford Cantuariensis Archiepiscopi per Priorem & Capitulum Cantuariensem penultimo die Augusti, anno Domini MCCCXLVIII. primitus, & deinde IV. die Junii, an. Domini MCCCXLIX. iteratis vicibus est electus. Sed Dominus Clemens Papa VI. de hujusmodi Electione inscius, & antequam præsentata fuerat Electio hujusmodi, providit auctoritate Apostolicâ eidem Magistro de hujusmodi Archiepiscopatu XIII. Calend. Julii anno prædicto. Die Dominicâ in Vigiliâ S. Margaretæ eodem anno, dictus Thomas Cantuariensis Electus, apud Avinionem existens, ibidem tunc consecratus fuit in Archiepiscopum Cantuariensem in Ecclesiâ Fratrum Minorum per Dominum Bertrandum Ebredunensem

dunensem

dunensem titulo S. Marci Presbyterum Cardinalem, unà cum aliis Episcopis & Abbatibus astantibus aliisque Cardinalibus in Curiâ præsentibus tunc ibidem. Die autem consecrationis hujusmodi Dominus Hugo Cardinalis Tutelensis, germanus Papæ, dum ipse Archiepiscopus in mensâ sederet, fecit fieri eidem Archiepiscopo magnum vituperium per quendam super asinum equitantem; de quo malè contentabantur cæteri Cardinales. Deinde Domino Papâ & Cardinalibus, ut moris est, visitatis, Archiepiscopus iter suum versus Angliam arripiens, die Mercurii XIX. die Augusti applicuit Dovorram; & dicto die apud Castrum fuerat hospitatus; & deinde progrediens, apud Chertham; & continuatis diebus veniens apud Dertford, & die Sabbati in Vigiliâ Assumptionis B. Mariæ veniens ad Regem apud Eltham, ibidem liberationem Temporalium suorum habebat. Et eodem die accedens ad Manerium Roffensis Episcopi apud Lamheth. ibidem hospitatus fuit die Dominicâ in Festo Assumptionis B. Mariæ, die Lunæ, die Martis, & die Mercurii sequentibus: quo die Mercurii ibidem mortuus est; & die Sabbati in Festo Decollationis S. Johannis Baptistæ in Ecclesiâ Cantuariensi humatus est. Sicque tres Vacationes Cantuariensis Ecclesiæ in uno & eodem anno, exceptis quinque diebus, casualiter contingerunt.

SIMON de ISLEP.

Simon de Islep, Canonicus Lincoln. eidem Thomæ successit per Provisionem Apostolicam, spretâ electione factâ de eo. Hic erat priùs Portitor Sigilli privati Regis, & ejus Secretarius, homo quidem Deo devotus, & hominibus gratiosus. Die Dominicâ in Vigiliâ S. Thomæ Apostoli anno Domini MCCCXLIX. in Ecclesiâ S. Pauli London. per Dominum Radulphum Episcopum London. adscitis Domino Willelmo Wynton. Episcopo, & Domino J. Menevensi Episcopo, Comprovincialibus, fuit auctoritate Apostolicâ consecratus, & postmodum in Ecclesiâ Cantuariensi intronizatus secretè, moderatis sumptibus & expensis. Hic visitavit Diœcesin Cantuariensem in quâ certas Ecclesiasticas personas privavit; & contra alios cum rigore processit. Et deinde Diœceses Roffensem & Cicestrensem perfunctoriè visitans, postmodum in suis Maneriis morabatur, suos subditos per citationes multipliciter fatigando. Hic autem Palatium Cantuariense receptis ab executoribus Johannis Archiepiscopi Cantuariensis pro destructibus domorum mille Marcis, fecit nobiliter reparari; & Manerium de Wrotham penitus demoliri, & ex lapidibus ibidem Manerium de Maydestan, quod ibidem Archiepiscopus Johannes inceperat construere, emendari fecit, novam ibidem Cameram faciendo. Hic impetravit Literas Apostolicas pro subsidio communi in relevationem suorum onerum eidem concesso per Diœcesin & provinciam Cantuariensem, videlicet IV. denariorum de Marcâ; sed per astutiam Clericorum suorum, ostensis Clero dictis Literis Apostolicis in Ecclesiâ de Maydestan, sed non lectis, à subditis suis plenam Decimam sic extorsit; & ab aliis Provinciæ Cantuariensis IV. denarios de Marcâ duntaxat habuit secundùm Bullam. Anno Domini MCCCLIII. XX. die Aprilis apud Westmonasterium coram Rege Angliæ, Simon Cantuariensis & Johannes Eborac. Archiepiscopi, [a] antequam contentionem super bajulatione Crucis utriusque Archiepiscopi de concessu Regis in utrâque Provinciâ faciendâ, præter consensum Prioris & Capituli Cantuariensis privatim formâ quæ sequitur concordârunt. *Videlicet idem Cantuariensis Archiepiscopus & successores sui Archiepiscopi Crucem suam in Civitate, Diœcesi & Provinciâ Ebor. ante se liberè deferri facient ubicunque. Et idem Ebor. Archiepiscopus & Successores sui ibidem Archiepiscopi, in Civitate, Diœcesi & provinciâ Cantuariensi ante se liberè deferri facient absque turbatione quacunque. Sed idem Johannes Archiepiscopus & quilibet ejus Successor*

[a] l. antiquam.

cessor infra duas menses, quò primò Cantuariensem Provinciam post consecrationem de cætero fuerit ingressus, pro delatione pacificâ Crucis ejus in Civitate, Diœcesi & Provinciâ Cantuariensi faciendâ liberè, unum Nuncium solempnem ad Ecclesiam Cantuariensem cum Imagine aureâ valoris XL. librarum sterlingorum sculptâ ad similitudinem Archiepiscopi, vel jocali altero aureo ejusdem valoris, fideliter destinabit. Et hujusmodi Nuncius ad Ecclesiam Cantuariensem dictam Imaginem vel jocale ad feretrum S. Thomæ in præsentiâ Prioris vel Supprioris aut alterius offerret præsidentis. Et cum Ebor. Archiepiscopus ad Parliamentum Regis venerit; Archiepiscopus Cantuariensis tanquam Praeminentior ad dexteram partem Regis sedebit, & Ebor. in sinistrâ: Et Crux Cantuariensis in dexterâ parte lecti, & Crux Ebor. in sinistrâ. Et Cantuariensis & Ebor. Archiepiscopi, si via lata fuerit, simul incedent; sed in introitu ostiorum vel aliis locis strictis, ubi Cruces simul deferri non possunt, Crux Cantuariensis præcedet, & Crux Ebor. Archiepiscopi subsequetur. Quam quidem Compositionem Innocentius Papa VI. Pontificatûs sui anno tertio ex certâ scientiâ confirmavit, omnem defectum in eâ supplendo, non obstante quòd tunc in Compositione hujusmodi Suffraganeorum Prælatorum & Capitulorum, aliorumque consensus non intervenerit, ut debebat.

Cùm autem Dominus Robertus de Stretton. ad preces Principis Walliæ in Episcopum Coventriensis & Lichfeld. Ecclesiæ electus fuisset; & idem Dominus Papa ipsius Electi & ejus literaturæ notitiam non obtinens, voluit quòd dictus Electus ad Romanam Curiam veniret, examinationem personaliter subiturus. Et quia Rex Angliæ pro dicto Electo scriberet Papæ; & ampliùs Rex quoque interim Temporalia dicti Episcopatûs, & Archiepiscopus Spiritualia, toto tempore vacationis ejusdem habebat. Et cùm dictus Episcopatus propter insufficientiam Roberti de Stretton Electi in literaturâ & in Romanâ Curiâ examinati propter defectum literaturæ repulsi, per biennium vacavisset; tandem ad preces dicti Principis idem Papa per Bullas suas examinationem dicti Electi in Anglia Archiepiscopo Cantuariensis & Episcopo Roffensi commisit. Unde dicti Principis precibus Dominus Cantuariensis Archiepiscopus excitatus, eundem Electum ad dignitatem Episcopalem insufficientem post examinationem personæ suæ factam tam ipse Archiepiscopus quàm Episcopus Roffensis invenientes, propter remorsum conscientiæ ipsum acceptare non poterant nec volebant. Unde idem Electus non expeditus sic recesserat illâ vice. Sed postmodum idem Electus à Domino Michaele London. Episcopo, cui etiam Dominus Papa vices suas commiserat, fuerat gratiosè acceptatus, & die Dominicâ, in SS. Cosmæ & Damiani, anno Domini MCCCLX. in Episcopum consecratus. Anno Domini MCCCLVIII. Fr. Thomas de Lile, Episcopus Eliensis, super homicidiis & roberiis & aliis feloniis in Curiâ Regis Angliæ malitiosè ad sectam Comitissæ de Marescal. per inquisitionem de facto convictus, & eidem secundùm consuetudinem Angliæ tanquam Clericus liberatus, perpetuo carceri mancipandus, captatâ temporis opportunitate latenter aufugit; & ad Romanam Curiam veniens, Domino Innocentio Papæ VI. de hujusmodi injuriis est conquestus. Unde idem Papa commotus graviter, Magistrum Johannem Lech. Officialem Curiæ Cantuariensis, Dominos Willelmum Shareshul, Willelmum de Thorp. Henricum de Grene, & Willelmum de Norton. Justiciarios Regis Angliæ, & Dominos Simonem Drayton Militem & quosdam alios, per literas Bullatas in ostio Ecclesiæ S. Pauli London. affixas, ad Romanam Curiam peremtoriè mandavit citari; & tandem ipsos propter contumaciam excommunicatos publicè nunciari, & contra eos ad hujusmodi sententiæ aggravationem processit. Et postea idem Dominus Simon in hujusmodi Excommunicatione decedens, per Episcopum Lincoln. auctoritate Domini Papæ fuerat exhumatus; ejusque corpus in paludem viliorem projectum:

projectum: Et idem Officialis Cantuarienſis ab Excommunicatione hujuſmodi abſolutus. Quibus ſic pendentibus, quidam Elienſis Epiſcopi Clerici, de Romanâ Curiâ ad Angliam deſtinati, Fr. Johanni Epiſcopo Roffenſi, Theſaurario Angliæ, Papales Bullas extra London. tradiderunt. Et ob hoc dicti Clerici capti, incarcerati in Turri London. & ad perpetuam pœnitentiam condempnati. Hic ſiquidem Elienſis Epiſcopus, Frater Prædicator, undique litem obtinens, in Romanâ Curiâ in tribulatione & miſeriâ ſic deceſſit. Anno Domini MCCCLX. Fr. Johannes Roffenſis Epiſcopus in craſtino S. Lucæ Evangeliſtæ in Manerio ſuo juxta Lamheth. obiit. Cui ſucceſſit per Electionem Canonicam Magiſter Willelmus de Wytleſeye, Archidiaconus Huntyndon. & poſtmodum per dictum Innocentium Papam in pleno Concilio confirmatus. Et die Dominicâ in Craſtino S. Agathæ Virginis anno domini MCCCLXI. per Simonem tunc Cantuarienſem Archiepiſcopum in Capellâ de Otteforde fuerat conſecratus. Anno domini MCCCLX. quaſi per totum orbem incœpit peſtilentia & mortalitas gentium undequaque. Fr. Thomas Lile Epiſcopus Elienſis obiit; cui ſucceſſit dominus Simon de Langham, Abbas Weſtmonaſterienſis Dominus Johannes Tryllek Epiſcopus Herefordenſis; cui ſucceſſit Magiſter Ludovicus Cherlton. Dominus Thomas Faſtolf Epiſcopus Menevenſis; cui ſucceſſit Magiſter Adam Houghton. Dominus Michael Epiſcopus London. cui ſucceſſit Magiſter Simon Suthbury. Dominus Reginaldus Brian Epiſcopus Wygorn. cui ſucceſſit Magiſter Johannes Barnet. Fr. Thomas Paſcal Epiſcopus Landavenſis; cui ſucceſſit Fr. Johannes Godrich. Minorum. Et iſti ſeptem Epiſcopi tempore mortalitatis hujus mortui; loco eorum ſurrogati fuerunt boni Clerici & Doctores per Innocentium Papam. Anno domini MCCCLXII. V. Id. Aprilis in Vigiliâ Ramis Palmarum obiit Robertus de Stretford Epiſcopus Ciceſtrenſis apud Aldyngborne; cui ſucceſſit Magiſter Willelmus de Lenn. Decanus Ciceſtrenſis, Doctor Juris Civilis, per Proviſionem Apoſtolicam. Eodem tempore Johannes Gynewell. Epiſcopus Lincoln. obiit, tempore ſuo exemptus per Sedem Apoſtolicam ad preces Domini [a] primi Ducis Lancaſtriæ; cui ſucceſſit dominus Johannes Bokyngham, Canonicus Lincoln. Portitor privati Sigilli Regis tempore Papæ Urbani, & de ejus mandato ſuper literaturâ apud Sanctum Omerum per duos Abbates examinatus, & idoneus ad dignitatem Epiſcopalem repertus, factâ relatione Papæ de & ſuper examinatione hujuſmodi, idem Papa præfecit ipſum in Epiſcopum Lincoln. Qui die Dominicâ in craſtino Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, anno domini MCCCLXIII. per Dominum Willelmum Wynton, Epiſcopum in Capellâ Manerii ſui de Werghane fuit auctoritate Apoſtolicâ conſecratus per Bullam gratioſam. Poſtmodum Magiſter Radulphus de Salop. Bathon. & Wellen. Epiſcopus obiit. Cui ſucceſſit per proviſionem Apoſtolicam Dominus Johannes Barnet. Et Magiſter Willelmus Wytleſeye Epiſcopus Roffenſis ſucceſſit ad Epiſcopatum Wygorn. per Tranſlationem. Et Magiſter Thomas Tryllek præfectus fuit auctoritate Apoſtolicâ in Epiſcopum Roffenſem; Anno Domini MCCCLXXI. apud Lamheth. VI. die menſis Januarii.

[a] *Legendum puto* D. Johannis Ducis.

Hic Simon Cantuarienſis Archiepiſcopus, irrequiſito Capituli ſui conſenſu, vendidit annuum reditum XIII. damarum vel cervorum tempore pinguedinis, & aliarum XIII. damarum vel cervorum in tempore deffermeſoun, ad Archiepiſcopum Cantuarienſem & ad Manerium ſuum de Slyndon. ab antiquo notoriè pertinentium percipiendum annuatim à Nemoribus, Foreſtis, ſive Chaſeis Domini Comitis de Arundel. ad duos anni terminos ad opus domini Cantuarienſis Archiepiſcopi, qui fuerit pro tempore: ac dimiſit & conceſſit in perpetuum nobili viro Richardo Comiti Arundell. & Surriæ pro CCXL. Marcis ſterlingis. Et Archiepiſcopi Cantuarienſes fuerunt hujuſmodi ferarum

ferarum [possessores] temporibus suis usque ad tempus alienationis factæ contra juramentum suum de non alienando bona Archiepiscopatûs sui, Romano Pontifice inconsulto. Cùm autem solempnis & diligens tractatus, qui in talibus concessionibus perpetuis super alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuerit juxta juris exigentiam habitus; hujusmodi venditio & concessus annui reditûs non poterit de jure subsistere; non poterit, nec debebit; præsertim cum urgens necessitas vel evidens, quare hoc fieri debuit, non subesset. Idem insuper Archiepiscopus vendidit arbores in & super terris tenentiæ Cantuariensis Archiepiscopi in Waldâ crescentes, communiter vocatâ Dornedennes, ad Archiepiscopum & ad Ecclesiam Cantuariensem ab antiquo pertinentes: quas nullus dictorum Tenentium prosternere potuit vel audebat, pro suo tempore alienavit; pro facto duplicando reditum dictorum Tenentium suorum ex hâc causâ.

Eodem anno, circa finem mensis Januarii, idem Archiepiscopus in equitando de Otteford versùs Maghfeld inter Sevenok & Tonebreg, in loco lutoso & aquoso de equo suo casualiter cecidit; adeò quòd ipse quàm sub equo quàm desuper fuerat penitus madefactus. Sicque absque vestimentorum suorum mutatione necessariâ equitavit. Et dehinc apud Maghfeld veniens, ibidem in quadam lapideâ Camerâ dormiens in meridie, morbo Paralysis est percussus. Sicque ibidem morando non valens post prandium bene loqui. Tandem circa principium mensis Julii, anno domini MCCCLXIII. equitavit versùs Cherrynge suaviter in literâ. Circa idem tempus idem Archiepiscopus sumptuosè incœpit facere Aulam Scolarium in Oxoniâ in Parochiâ B. Mariæ Oxon. quam vocari fecit Aulam Cantuariensem. Et quasdam Aulas Oxon, vicinas alias per nimietatem venti [a] demolitans, pro Scolaribus ibi morari volentibus de suo ærario perquisivit. In quâ quidem Aulâ Scolares in Jure Civili & Canonico & in Arte Dialecticâ sub certo numero studere debentes disposuit in parte; & illos sub regimine unius Magistri communiter vivere voluit; quibus Ecclesias de Pageham & de Ivechirche pro suâ sustentatione appropriari decrevit. Sed morte præventus, hujusmodi opus imperfectum dimisit. Hic Archiepiscopus paralyticus apud Cantuariam per vices veniens, & quandoque apud Cherrynge rediens, & tandem principio Augusti apud Maghfeld veniens, & ibidem per annum & dimidium moram trahens: tandem die Dominicâ in crastino S. Marci Evangelistæ anno domini MCCCLXVI. circa mediam noctem ejusdem diei obiit apud Maghfeld, anno Consecrationis suæ XVII. Et die Sabbati, II. die Maii anno prædicto absque tumultu & expensis ante Magnam Crucem in navi Ecclesiæ Cantuariensis similiter est humatus. Et die Veneris, VIII. Id. Maii anno prædicto Prior & Capitulum Venerabilem Patrem dominum Willelmum Edyndon. Episcopum Wynton. in Archiepiscopum Cantuariensem unanimiter postulârunt. Quâ postulatione eidem Episcopo modo debito præsentatâ; ipse hujusmodi postulationi dissensit, & renunciavit eidem omnino.

[a] l. demolitas.

SIMON de LANGHAM.

Simon de Langham, primò Monachus Westmonasteriensis, deinde Abbas, & deinde Episcopus Eliensis, & Cancellarius Angliæ, successit per Provisionem Apostolicam, spretâ postulatione factâ de domino Willelmo de Edyngdon. Episcopo Wynton. per Priorem & Capitulum Cantuariensem, ut præfertur. Et in Vigiliâ S. Jacobi, anno domini MCCCLXVI. Urbanus Papa VI. eundem Simonem tunc Episcopum Eliensem transtulit ad Archiepiscopum Cantuariensem sic vacantem; & V. die Novembris eodem anno Dominus Edwardus Rex Angliæ in Palatio suo Westmonasterii existens, eundem Simonem Archiepiscopum sic præfectum admisit, & præstito per ipsum eidem

eidem Regi fidelitatis ſolito juramento, ac renunciatione purâ & ſpontaneâ per ipſum factâ de verbis præjudicialibus in Bullis ſuis contentis, Temporalia dicti Archiepiſcopatûs eidem liberavit. Et poſt hæc die Jovis in Feſto Annuntiationis B. Mariæ, anno domini MCCCLXVII. inchoante idem Archiepiſcopus intronizatus fuit in Eccleſiâ Cantuarienſi honorificè, ſicut decet. Quæ quidem Tranſlatio, ut dicebatur, pluribus non placebat: unde de eâ quidem metricè ſic ait

Exultent Cœli; quia Simon tranſit ab Ely.
Ad cujus adventum flent in Kent millia centum.

Hujus ſiquidem temporibus Papa Urbanus exiſtens apud Viterbium, anno Pontificatûs ſui VI. & anno domini MCCCLXVII. providit Eccleſiæ Wynton. quæ annum & ampliùs vacaverat, de domino Willelmo de Wikham [a] Portitore Privati Sigilli Regii, aliter ad eundem per Priorem & Capitulum Wynton. concorditer electo, ſpretâ electione ejus; & ipſum Willelmum idem Papa præfecit in Wynton. Epiſcopum & Paſtorem, eodem anno XII. die menſis Julii, poſtmodum die Dominicâ, viz. VI. Id. Octob. idem Electus Wynton. per dictum dominum Archiepiſcopum Cantuarienſ. adſcitis Dominis Simone Suthbury London. & Roberto Sarum, Epiſcopis comprovincialibus præſentibus, in Eccleſiâ S. Pauli London. in Epiſcopum Winton. fuit ſolempniter conſecratus; & eodem die apud Lamheth. præfatus Archiepiſcopus tenuit Feſtum Conſecrationis hujuſmodi maximo cum honore. Poſt hæc idem Archiepiſcopus officium Cancellarii Angliæ [dimiſit] ſtatimque Rex Angliæ Dominum Willelmum Wikham Epiſcopum Wynton. in Cancellarium ſuum fecit. Quo facto Archiepiſcopus ipſe Maneria Temporalitatis ſuæ undique peragrans, modumque vivendi apud ſe prudenter diſponens, incœpit eſſe moderatus. Et ecce quaſi in principio Tranſlationis ſuæ ad Eccleſiam Cantuarienſem infortunium ſibi dicitur contigiſſe; ut ſicut erat per ſtratam regiam itinerando versùs Otteford, de equo Cruciferarius ſuus ad terram cadens, haſta Crucis enormiter fracta fuit, ſed celeriter reparata. Cùm autem idem Simon per biennium eidem Cantuarienſi Eccleſiæ præfuiſſet: idem Papa Urbanus ipſum Archiepiſcopum Cantuarienſem die Sabbati Quatuor Temporum, viz. XXIII. die menſis Septembris, anno domini MCCCLXVIII. in Cardinalem S. Romanæ Eccleſiæ ordinavit, unà cum aliis diverſarum regionum Prælatis. Et ipſe Papa hujuſmodi creationem & ordinationem ſuam eidem Simoni apud Otteford die S. Fidis anno prædicto per Literas Apoſtolicas intimavit. Et poſtmodum idem Simon hujuſmodi creationem in Cardinalem domino Regi Angliæ in Concilio ſuo apud Weſtmonaſterium convocato coram Prælatis & Proceribus regni Angliæ publicavit. Quo audito, idem Dominus Rex prædictis novis mente turbatus, ſuper his deliberatione cum Concilio ſuo ſeorſim habitâ, Temporalia Archieiſcopatûs Cantuarienſis tanquam vacantis in manum ſuam cepit. Deinde ipſe Simon novus, ut præmittitur, Cardinalis, ad morandum apud Otteford pro tempore licentiatus per Regem ibidem, multi de ſuâ familiâ nolentes ab Angliâ recedere, receſſerunt ab eodem. Et poſt dies paucos Sigilla & Regiſtrum Archiepiſcopatus Cantuarienſis liberavit Priori Cantuarienſi & Crucem Archiepiſcopalem ad Eccleſiam Cantuarienſem tranſmiſit: & ipſe in familiâ ſuâ modicâ, ut Cardinalis parcè vivendo apud Otteford ad tempus ſimpliciter morabatur. Et ad ejus petitionem à clero Decanatûs de Shorham IV. denarios de Marcâ ſecundum taxam Beneficiorum Eccleſiaſticorum ejuſdem ſolummodò reportavit: & dum apud Otteford morabatur, ſtaurum ſuum vendidit, pecuniam quam potuit colligendo. Et deinde ipſe Cardinalis ad capiendam licentiam à Domino Rege transfretandi, apud Weſtmonaſterium

[a] Willelmo Edyngdon ſucceſſit per electionem Dominus Willelmus de Wykham ad procurationem Domini Regis Edwardi. Cujus tamen electionem Dominus Papa per annum & ultra certis de cauſis diſtulit confirmare. Chron. Angl. ab Adam ad an. 1400. MS. Lambeth.

die

die Lunæ post Festum S. Hilarii accedens, apud Lamheth. tempore Concilii Regni morabatur. Et eodem anno die Mercurii, ultimo die Februarii apud Dovorram mare intravit; & die Jovis sequente, videlicet primo die Marcii transfretavit [a] Nec est mirandum, quod dictus Simon, sic Cardinalis creatus, de Angliâ natus extitit: quia non est primus nec secundus Anglicus Cardinalis. Nam anno domini MCCLXXIX. Nicholaus Papa IV. apud Viterbium Pontificatûs sui anno primo [fecit] ordinationem IX. Cardinalium, inter quos erat Fr. Robertus Kylwardeby, Anglicus, Ord. Præd. in Theologiâ Magister, Archiepiscopus Cantuariensis, quem fecit Portuensem Episcopum Cardinalem. Alii Archiepiscopi antiquitus erant in Cardinales creati; sicut & Dominus Stephanus de Langeton. qui fecit Translationem S. Thomæ Martyris gloriosi.

WILLELMUS de WITTLESEYE.

Willelmus de Wittleseye, secundus hoc nomine Willelmus Archiepiscopus Cantuariensis, qui primo fuit Archidiaconus Huntyngdon. deinde Episcopus Roffensis, postea Wygorn. Episcopus, & demum [b] per Dominum Urbanum Papam V. ad Ecclesiam Cantuariensem per creationem domini Simonis Langham ultimi Archiepiscopi Cantuariensis in Cardinalem factam, vacantem apud Viterbium XI. die Octobris anno domini MCCCLXVIII. translatus, eidem Simoni in Archiepiscopatu successit, Qui die videlicet XV. Januarii eodem anno per dominum Regem Angliæ ad Temporalia dicti Archiepiscopatus Cantuariensis admissus fuerat, ut est moris, fidelitatis per ipsum præstito solito juramento.

[a] Obiit apud Avinionem anno 1376. die 22. Julii. Chron. Angl. ab Adam ad an. 1400. MS. Lambeth.

[b] Tunc Papa M. Willelmum Lyme Episcopum Cycestriæ ad Ecclesiam Wigorn. & M. Willelmum Bede in Episcopum Cicestriæ promovit. Chron. Angl. ab Adam ad an. 1400. MS. Lambeth.

SIMONIS

VITA SIMONIS SUDBURY,

Ex Speculo Parvulorum, Lib. 5. cap. 27.

IN quantum exhorrendum detrimentum inevitabileque periculum animarum se præcipitant; qui livoris faucibus præsumptione nepharia his quos sacrosancta Ecclesia militans, nonnullis crebris miraculis & signis insolitis ostensis, Sanctorum [numero] conjungit, insidiando detrahunt, & pro posse omnem derogationem inferunt ablatrando illis; quanto pœnali laqueo strictiùs arceri merentur, qui Indulgentiis Summorum Pontificum pronis rogatibus obtentibus obviant detrahendo; ac piorum corda peregrinantium dogmate pernicioso palliant & perturbant; noverit ipse, qui non fallitur neque fallit. Nihilominus nonnullos de præmissis versutis machinationibus grassantes, culpis demeritisque exigentibus, ultione divinâ vidimus nostris temporibus gravissimè afflictos pariter & punitos. Unde ut cæteri metum habeant, qui extollunt & edocent adversantia veritati; unum de multis dignum duxi memoriæ commendare: quod anno Domini MCCCLXX. & in quarto Jubilæo celeberrimi Martyris S. Thomæ in parte noscitur contigisse; sed in anno Domini MCCCLXXXI. ad effectum conclusivum deducitur & finalem. Igitur supradicto anno Domini MCCCLXX. & in quarto Jubilæo Martyris memorati, populus undique mirabiliter catervatim Cantuariam magno cordis affectu & desiderio confluebant. Sicque eodem tempore in Vigiliâ Translationis prædictæ Venerabilem patrem dominum Symonem de Suthberi tunc Episcopum Londoniensem versùs Cantuariam iter suum contigit direxisse. Qui ductus spiritu erroneo, populum per viam versùs Cantuariam gradientem ausu temerario informabat assertivè: quòd illa Indulgentia plenaria, quæ apud Cantuariam fore sperabatur, nullius commodi fuerat vel valoris. Super quo multi confluentium mente consternati dimissis vultibus in terram cum cordis amaritudine obstupescunt super prolatis eloquiis tanti Patris. Unde nonnulli mox abierunt retrorsum; nonnulli etiam elevatis vocibus maledicebant eidem Patri in faciem, dicentes & optantes acclamando, ut morte probrosâ & turpissimâ moreretur: qui tantam injuriam molestiamque inferre glorioso Martyri non veretur. Cui etiam occurrit quidam Miles de Kanciâ, ni fallor, nomine dominus Thomas de Aldoun: ira motus intrinsecus, improperans & redarguens tanquam impatiens, prædictum Episcopum Londoniensem, prout multi alii prædixerunt, prædixit eidem dicens: Domine Episcope, quòd fecisti hanc rem seditiosam in populo contra S. Thomam; sub periculo animæ meæ morte nephandissimâ finies vitam tuam. Ad hoc autem succlamabant omnis populus: Amen, Amen. Procedente verò tempore, & Willelmo Withlesey Cantuariensi Archiepiscopo ex hac luce subtracto, idem dominus Symon de Suthbury Episcopus London. per Papam Gregorium XI. ad Ecclesiam Cantuariensem est translatus, IV. Nonas Maii, anno Gratiæ MCCCLXXV. qui licèt Monachos Ecclesiæ antedictæ paternâ tenerrimâque dilectione minimè prætulerit; Ecclesiam tamen Cantuariensem cui præfuit, honoribus quibus potuit exaltavit. Duas alas enim in parte posteriori ejusdem Ecclesiæ, nec non Portam Occidentalem Civitatis à fundamentis & muros ejusdem tunc quasi præcipites erexit, & fieri fecit sumptibus propriis & expensis. Tandem anno IV. Regis Ricardi II. Vulgares seu Communes Regni, sed maximè in Cantiâ & Essexiâ, furiâ invecti sub unâ conspiratione insurrexerunt in Proceres regni, in Justiciarios, & in eos qui leges Regni observare videbantur. Qui tanquam ministri Sathanæ catervatim

Londonium properantes, prædictum dominum Simonem de Suthbery Cantuariensem Archiepiscopum inter cæteros violenter de Turri London. ubi pro ampliori securitate moram traxit, omni abjectâ humanitate extraxerunt; & eum ibidem finaliter decapitaverunt XIV. die mensis Junii anno Domini MCCCLXXXI. ut vox populi, i. e. vox Dei, prout prædicitur, in suo congruo tempore impleretur. Unde dicit idem egregius Martyr S. Thomas in suâ Magna Cartâ. A sæculis enim inauditum est, quòd aliquis Ecclesiam Cantuariensem læserit; & non contritus aut correctus à Christo Domino. Ductor & prælocutor præmissorum hominum sic furentium sub nomine ficto Jakke Straw fuerat appellatus.

De Roberto Winchelse Archiepiscopo Cantuariensi Excerpta quædam ex Chronico Ecclesiæ Christi Cantuariensis MS.

ANno MCCXCIV. Confirmatio Electi Cantuariensis Roberti de Winchelse in Curiâ Romanâ à Papâ Cœlestino V. VIII. Idus Septembris: & Consecratio ejusdem II. Idus Septembris in eâdem Curiâ ab Episcopo Cardinali titulo Sabino.

Eodem anno Archiepiscopus Robertus Cantuariensis de Româ veniens per Almaniam iter suum arripiens causâ guerræ jam motæ, ut prædictum est, inter Reges Franciæ & Angliæ, applicuit apud Gernemouthe die Circumcisionis Domini. Et statim Regem adiit in Walliâ; & venit apud Aberconwey; & juramento fidelitatis præstito Temporalia sua recepit. Postea verò XV. Kalend. Aprilis Cantuariam venit: & Conventus solempniter in capis usque ad portam Cœmeterii obviam processit. Et sic Conventu præcedente Ecclesiam intravit; & Sanctuaria, ut moris est, adoravit. Deinde Priorem & singulos Fratres in osculum pacis suscepit.

Anno MCCXCV. prædictus Archiepiscopus Cantuariensis Robertus Dominicâ post Festum S. Michaelis in Ecclesia suâ Cantuariensi intronizatus fuit per Henricum de Estriâ tunc Priorem ejusdem Ecclesiæ & eodem die Gilbertus Comes Gloucestriæ à dicto Archiepiscopo citatus venit; & fecit totum servitium suum plenariè tam in officio Senescalli quàm Pincernarii; & cepit totum feodum suum de Archiepiscopo; ut continetur in Compositione inter eosdem.

Isto anno applicuerunt duo Cardinales apud Dovoram, missi ad pacem reformandam inter Regem Franciæ & Angliæ; viz. Albanensis & Penestrinensis. Quibus recedentibus de Cantuariâ usque Londoniam apud Herbaldoune occurrit Archiepiscopus Cantuariensis Robertus. In occursu eorum præceperunt Cardinales Crucem ipsius Archiepiscopi post ipsos à tergo deferri non erectam. Et ita factum est, usque dum veniret apud Ospringe. Receptis itaque Cardinalibus suis in domibus ibidem, Archiepiscopus Cruce erectâ ad Manerium suum de Octoun est reversus. Et in crastino idem Archiepiscopus comitativam Cardinalibus fecit usque Newynton sine Cruce; & apud Gillingham declinavit: & Cardinales Londoniam sunt profecti. Isto etiam anno, secundo die Augusti combustio facta fuit domorum per homines Regis Franciæ in Prioratu & Villâ; & Monachus quidam ejusdem Ecclesiæ Thomas nomine fuerat in Dormitorio ab eisdem alienigenis occisus.

Anno

Anno MCCXCVI. Rex Angliæ Edwardus apud S. Edmundum [a] in Crastino Animarum Parliamentum suum tenuit; & vocati venerant ibi per literas regias Prælati & totus Clerus. Rex tandem à Clero petiit subsidium ad defensionem sui regni. Sed quoniam Clerus vocatus fuit ibidem ad mandatum Regis, & non auctoritate ecclesiasticâ; noluit ibidem finaliter respondere. Sed prorogata dies fuit quoad Clerum usque in Crastinum S. Hillarii. A Laicis tamen ibidem duodecimam partem bonorum mobilium suorum sibi solvere recepit. Sed Cives & Burgenses octavam partem mobilium suorum sibi solverunt. In Festo verò S. Hillarii proximè sequenti Rex petebat à Clero, tunc Londoniæ eâdem causâ congregatis auctoritate ecclesiasticâ, auxilium pro guerrâ suâ & defensione regni. Sed quia Bonifacius Papa VIII. Constitutionem novam ediderat; quòd de bonis Ecclesiasticis nulla Subventio vel Subsidium Principibus Sæcularibus absque licentiâ Sedis Apostolicæ speciali sub pœnâ gravissimâ in eadem Constitutione contentâ [concederetur] Ideo Clerus in pœnam Constitutionis incidere nolens, excusabat se de tali auxilio Regi faciendo absque licentiâ prædictâ. Rex verò turbatus deinde omnes terras & tenementa Laica feoda omnium Ecclesiasticarum personarum de Regno Angliæ in manum suam capere præcepit; & ea tenuit, quousque de Clero singuli quintam partem omnium bonorum temporalium suorum & spiritualium Regi solvendo bona sua prædicta redemissent. Solus tamen Archiepiscopus Cantuariensis Robertus Regi restitit; & bona sua omnia mobilia & immobilia in manu Regis esse permisit; nec illa redimere voluit in formâ prædictâ propter pœnam Constitutionis prædictæ. Ita quòd spoliatus fuit in omnibus possessionibus Archiepiscopatûs tam mobilibus quàm immobilibus per XXI. septimanas & V. dies. Videns tamen Rex constantiam Archiepiscopi, nec ipsum posse ad voluntatem suam inclinare per occupationem bonorum suorum, XIV. Kalend. Augusti proximè sequenti restituit eidem Archiepiscopo omnes possessiones simpliciter & absolutè.

Anno MCCXCIX. V. Id Septembr. Archiepiscopus Cantuariensis Robertus celebravit Sponsalia inter prædictum Regem Edwardum & Margaretam sororem Regis Franciæ in hostio Ecclesiæ Christi Cantuariensis versùs Claustrum juxta hostium Martyrii S. Thomæ: & subsequenter idem Archiepiscopus celebravit Missam Sponsalium ad altare feretri S. Thomæ Martyris.

Anno MCCCVIII. & ipsius Regis Edwardi secundo, Robertus de Cantuariâ Archiepiscopus rediit de curiâ Romanâ plenè restitutus. Mandavit enim Papa Domino W. qui fuit in ejus absentiâ administrator Temporalium & Spiritualium Archiepiscopatûs Cantuariensis, quòd sibi redderet omnes fructus & proventus dicti Archiepiscopatûs medio tempore perceptos; qui illud mandatum fideliter adimplevit. Ita quòd idem Archiepiscopus postea fuit ditior, quàm unquam suis temporibus priùs existebat. Et sic cessit sibi ad utilitatem, quòd fuit ordinatum ad noxam; quoniam sine causâ extitit fatigatus. Et Dominus Robertus de Awrewasch & Magister Johannes Martel, qui fuerunt missi ad Curiam contra eum, ibidem subitò expirarunt. Unde verificata fuit una propositio: qua consuevit dictus Archiepiscopus consolari. *Nichil nocebit adversitas, ubi nulla dominatur iniquitas.* [Ista ex Matthæi Westmonasteriensis Continuatione MS.]

[a] Sic ex margine restituitur In Codice scriptum erat: *apud S. Edwardum.*

Dies Obituales Archiepiscoporum Cantuariensium, ex Martyrologio & Obituario Ecclesiæ Christi Cantuariensis.

AUGUSTINUS.

VII. CAl. Junii. In Angliâ civitate Cantuariæ S. Augustini Archiepiscopi & Confessoris; qui missus à Beato Episcopo Gregorio, primus genti Anglorum Christi Evangelium prædicavit; crebrisque adhuc refulget miraculis.

Id. Septembr. Ipso die Translatio S. Augustini Archiepiscopi & Confessoris.

LAURENTIUS.

MELLITUS.

VIII. Cal. Maii. Depositio S. Melliti Episcopi in Britannia.

JUSTUS.

HONORIUS.

DEUSDEDIT.

THEODORUS.

XIII. Cal. Octob. Cantuariæ Depositio B. Theodori ejusdem civitatis Archiepiscopi & Confessoris.

BRICHWALDUS.

VI. Id. Januar. Obiit Archipræsul Brichwaldus.

NOTHELMUS.

XVII. Cal. Novembr. Obiit Nothelmus Archiepiscopus Cantuariæ.

CUTHBERTUS.

VIII. Cal. Novemb. Obiit bonæ memoriæ Cuthbertus condam Archiepiscopus.

BREGWINUS.

VII. Cal. Septembr. Cantuariæ Depositio beatæ memoriæ Bregvini ejusdem civitatis Archiepiscopi & Confessoris.

LAM-

LAMBERTUS.

III. Id. Augusti. Obiit piæ memoriæ Lambertus Archiepiscopus.

ATHELARDUS.

IV. Idus Maii. Obiit venerandæ memoriæ Athelardus Archiepiscopus; per quem Ecclesia Christi has terras olim ablatas recuperavit, Thenham, Charryngis, Celebecces, Charte, Bremlande, Burnam; & sex mansuras in Doroberniâ juxta Edburgewell.

WLFREDUS.

IX. Cal. April. Obiit Wlfredus Archiepiscopus; cujus procuratione Rex Kenulphus dedit Ecclesiæ Christi Ritherlege, Kyngestulande, Ibintone, Casinborne, Elmestede, Barcham, Graverie, Apynglonde, Bynnene, Myltone, Godmersham, Byxle, Coppenstane, Gretmerse, Scaledword, Eathehorne, Langdone, Castonre, Waldyntone, Folqueslande, Botewell, Heldesrede, Tyngeland, Wamble in Middelsexiâ, Geddyng, Cumbe, Herghese, Ottforde, Borne.

FELOGELDUS.

IV. Cal. Septembr. Obierunt piæ memoriæ Felogeldus Archiepiscopus, Wallerannus Episcopus Rofensis, Turgedus Episcopus S. Andreæ de Scotiâ.

CELNODUS.

II. Non. Februar. Obiit Celnodus Archiepiscopus; qui à Principe nomine Heled Villam, quæ dicitur Chert, propriâ pecuniâ emit, & Christi Ecclesiæ dedit.

ATHELREDUS.

II. Cal. Julii. Obiit Dominus Athelredus Archiepiscopus.

PLEGMUNDUS.

IV. Non. Augusti. Cantuariæ Depositio S. Plegemundi Archiepiscopi & Confessoris.

ACHELMUS.

VI. Id. Januar. Obiit Archipræsul Achelmus.

II. Id. Februar. Obiit Achelmus Archiepiscopus.

WLFELMUS.

Dierum immediatè præcedentium alterum ad hunc pertinere arbitror. Athelmum enim cum Wlfelmo confundi apud Historicos nostros non est infrequens.

ODO.

ODO.

IV. Non. Junii. In Cantiâ S. Odonis Archiepiscopi & Confessoris.

DUNSTANUS.

XIV. Cal. Junii. In civitate Dorobernia Natale Sancti Patris nostri Dunstani Archeipiscopi; qui ab ipso matris utero sanctificatus, omne tempus vitæ suæ magnificè duxit; unde & glorioso fine quievit.

XII. Cal. Novemb. Cantuariæ Ordinatio B. Dunstani Archiepiscopi; cujus vita quàm fuerit pontificatu digna, etiam divinâ revelatione innotuit.

ETHELGARUS.

III. Non. Decembr. Obiit piæ memoriæ Lotarius Archiepiscopus.

SIRICIUS.

V. Cal. Novembr. Obiit piæ memoriæ Siricius Archiepiscopus Cantuariæ.

ALFRICUS.

XVI. Cal. Decembr. Cantuariæ Depositio beatæ memoriæ Alfrici ejusdem civitatis Archiepiscopi & Confessoris.

ELPHEGUS.

XVI. Cal. Decembr. Ipso die Ordinatio S. Elphegi Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris; quam Deus per Apostolum suum revelare dignatus est.

XIII. Cal. Maii. Eodem die S. Elphegi Cantuariensis Archiepiscopi, qui ab exercitu Paganorum post dirutam illius urbem, post ruentam innocentis populi cædem, post templi expoliationem vinctus abductus est; & per septem menses variis tormentorum suppliciis cruciatus, tandem furentium manibus Paganorum lapidatus, Martyrii coronam suscepit.

VI. Idus Junii. Eodem die Translatio S. Elphegi Archiepiscopi & Martyris de Lundoniâ in Cantiam ad Ecclesiam Christi.

LIVINGUS.

II. Idus Junii. Obiit bonæ memoriæ Livingus Archiepiscopus; qui dedit Mersham & Cheyham Ecclesiæ Christi Cantuariæ.

ATHELNOTHUS.

V. Cal. Novembr. Obiit piæ memoriæ Achelnodus Archiepiscopus Cantuariæ.

EDSIUS.

EDSIUS.

III. Cal. Novembr. Obiit Sywardus Episcopus [*Edsii Chorepiscopus.*]

ROBERTUS. [*ejectus.*]

STYGANDUS. [*depositus.*]

LANFRANCUS.

V. Cal. Junii. Obiit fœlicis memoriæ Lanfrancus Archiepiscopus, Catholicæ fidei fidelissimus observator & firmissimus roborator: qui cooperante gratiâ Dei istam Ecclesiam à fundamentis fundavit & consummavit; & multis ac honestis ornamentis, aliis ex auro mundissimo factis, aliis auro gemmisque paratis, aliis etsi sine auro ac gemmis, magnificè tamen laudandis, ornavit; multis ac religiosis Monachorum personis ditavit, multâ multúmque reverendâ religione decoravit. Hic etiam claustra, celaria, refectoria, dormitoria, cæterasque omnes officinas necessarias, & omnia ædificia infra ambitum Curiæ consistentia cum ipso ambitu mirabiliter miranda ædificavit. Precioso insuper ornamento librorum istam Ecclesiam apprimè honestavit; [ex] quibus [a] quamplurimos per semetipsum emendavit. Archiepiscopum quoque Eboracensem cæterosque hujus regni Episcopos à subjectione hujus Ecclesiæ resilientes ad veram & debitam subjectionem revocavit. Per * hoc etiam & ipso faciente omnes illas terras, quæ in anniversariâ die Regis Willelmi commemorantur, longo tempore amissas Ecclesia ista recuperavit. Extra Civitatem larga habitacula fecit; quæ pauperibus & infirmis replevit; quibus de propriis rebus victum & vestitum largiri præcepit. Similiter foris Civitatem Ecclesiam B. Gregorii composuit; in qua

* l. hunc.

[a] Grave crimen Lanfranco nuper intentavit vir doctus Edwardus Brown in Præfatione suâ ad nuperam *Fasciculi Rerum Expe end.* editionem, p. 33. quasi verò S. Scripturæ & SS. Patrum scripta ab illo vitiata fuerint; argumento criminis desumpto à Notâ brevi RR. Matthæi Parkeri ad Marginem Textûs Roffensis. *Lanfrancus* —— *quia Scriptura scriptorum vitio erant nimium corruptæ; omnes tam V. quàm N. Testamenti libros, necnon etiam scripta SS. Patrum secundum orthodoxam fidem studuit corrigere.* Hinc à Lanfranco *vitiata, adulterata, abrasa,* priscorum Scriptorum monumenta Præfator suspicatur; & in illum gravissimam censuram strinxit; ea R. R. Parkerum *ex probo aliquo & authentico testimonio proculdubio* hausisse contestatus. Id quidem libenter concederem; neque enim eruditissimus iste Primas aliquid unquam temere vel otiosè adnotavit; nec tamen ejusmodi crimen Lanfranco impingere in animo habuit. Non aliud ille adnotavit; quàm quòd in vulgatissimis Historicorum nostræ gentis monumentis hodie omnibus legendum prostat. Sic enim Matthæus Paris (ad annum 1089. Hist. p. 15.) Lanfrancus *lectioni assiduè vacavit. Libros Veteris ac Novi Testamenti Scriptorum vitio corruptos corrigere studuit; cujus emendationis luce tam Anglorum Ecclesia quàm Gallorum se gaudet illustrari.* His adde quæ habent Matthæus Westmonasteriensis & optimæ notæ Chronicon MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, (ad an. 1089.) *Lanfrancus Archiepiscopus libros, quos rudis simplicitas Anglicana corruperat ab antiquo, diligenter sane correxit; quorum corroboratione,* (*correctione* legit Codex MS Florilegi) *se gaudet Ecclesia communiri.* Laudabile sane studium, & si quis cæcam Latinæ linguæ in Clero Anglicano ante-Normannico ignorantiam perspexerit, cum primis necessarium. Quod tamen libros solummodo Ecclesiasticos, sc. Missalia, Lectionaria & ejusmodi alia, spectasse arbitror. Atque his dictis viro amico & erudito minimè detractum velim; cui ob præclaram Operis utilissimi editionem Respublica Literata multum debet.

Clericos

Clericos posuit, à quibus morientes & unde sepulturam sibi possent præparare non habentes, & absque pretio susciperentur, suscepti illuc differrentur, delati honestè sepelirentur. In Maneriis ad Archiepiscopum pertinentibus multas & honestas Ecclesias ædificavit; multas & honestissimas domos præparavit; quòd & Archiepiscopis essent delectationi & honori; & pauperibus hominibus, qui Archiepiscopis domos sæpissimè præparabant, essent [in] tanti laboris sublevationem. Ecclesiam etiam Roffensem à fundamentis incœpit, incœptam honestè perfecit; quam multis & honestis decoravit ornamentis. Insuper & reverendam inibi Monachorum religionem instituit. Terras de Ecclesiâ longo tempore ablatas adquisivit; quas Monachis ad victum & vestitum habere permisit. Necnon Ecclesiam S. Albani fundavit & ferè consummavit; quam etiam multis & pretiosis ornamentis ampliavit.

Semper legatur obitus Lanfranci in ordine suo; licèt in ebdomadâ Pentecostes contigerit. Pronunciato Anniversario Domini Lanfranci Archiepiscopi in Capitulo, omnes simul Fratres procedant in Ecclesiam canentes verba mea, interim sonantibus omnibus signis. Post cœnam pulsato signo ad vigilias, omnes solito more conveniant; ipsas Vigilias festivè peragant; duo tertium, tres sextum, quatuor nonum Responsorium canant. In crastino quisque Sacerdos Missam unam pro eo celebrare debet; & qui Missam non cantant, quinquaginta Psalmos † cantet. Missa in Conventu in Albis festivè celebretur; ad quam Cantor & cum eo duo alii Fratres sint, capis induti; tres ad Responsorium, quatuor ad tractum, similiter in capis. Ad pauperes pascendos ipso die Thesaurarii debent dare quadraginta solidos. Servitium Refectorii festivè fieri debet, sicut in Festivitate unius Apostoli. Ecclesia parata permaneat, sicut in Festivitate S. Augustini; donec peragatur Servitium.

† l. cantent.

ANSELMUS.

RADULPHUS.

XIII. Cal. Novembr. Obiit Radulphus Archiepiscopus.

WILLELMUS.

XI. Cal. Decembr. Obiit bonæ memoriæ Dominus Willelmus Archiepiscopus.

THEOBALDUS.

XIV. Cal. Maii. Obiit venerandæ memoriæ Dominus Theobaldus Archiepiscopus Cantuariæ.

THOMAS BECKET.

IV. Non. Decembr. Eodem die Regressio S. Thomæ Martyris ab exilio; quem post diuturna supplicia, quibus cotidie novus Martyr effulserat, velut aurum in fornace triphariè probatum, in thesauros Regum assumptum, septimo anno Dominus ad palmam sub gladii cautione revocavit; ac si ostensis ei gladiis voce Dominica diceretur: *Amice, vide ad quid venisti.*

IV. Cal. Januar. Eodem die Cantuariæ Passio venerandi Patris Thomæ ejusdem civitatis Archiepiscopi & Martyris gloriosi. Hic post longos exilii labores, quos pro justitiâ patienter pertulit, tandem Deo miserante reversus; &

& in Ecclesiâ suâ cum honore susceptus, in eâdem pro defensione libertatis ipsius gladiis impiorum percussus occubuit. Tali modo fortis athleta, agone suo constanter expleto, proprio sanguine laureatus, ac triumphali more insignis, ad Christum, pro quo fideliter decertavit, fœliciter pervenit. Cujus gloriæ Miraculorum frequentia testimonium perhibet; quæ post Passionem ipsius evestigio tanta secuta sunt, & adhuc cotidie multiplicantur; quanta retro-actis temporibus pro aliquo Sanctorum vix uspiam facta leguntur.

Nonis Julii. Eodem die Translatio S. Thomæ Martyris Cantuariensis Archiepiscopi, anno gratiæ MCCXX. passionis autem ejusdem Martyris quinquagesimo, feriâ tertiâ. Ut eadem die & nasceretur ad pœnam, & pateretur ad gloriam, & transferretur ad honorem. In cujus Translatione Passionis ipsius Dominus miracula suscitavit; ut dum novis supervenientibus vetera fuissent renovata, ex signis coruscantibus & ipse Martyr gloriosior appareret.

RICHARDUS.

XIV. Calend. Martii. Obiit piæ memoriæ Richardus Archiepiscopus, Monachus nostræ Congregationis; qui Ecclesias de Estria, de Moncketone, de Mepeham, & de Eynesforde nobis restituit.

BALDWINUS.

XII. Cal. Decembr. Obiit Baldwynus Archiepiscopus.

Idibus Septembr. Obiit piæ memoriæ Dominus Adam [a] de Chillynden, Prior Ecclesiæ Christi Cantuariæ, & in Archiepiscopum ejusdem Ecclesiæ electus.

REGINALDUS.

VII. Cal. Januar. Obiit piæ recordationis Reginaldus Episcopus Batoniensis, quondam Electus Cantuariensis; pro quo fiet servitium in Conventu, sicut pro uno Archiepiscopo.

HUBERTUS.

III. Idus Julii. Obiit Hubertus Archiepiscopus.

III. Non. Augusti. Obiit piæ memoriæ Hubertus Archiepiscopus [b].

STEPHANUS.

VII. Idus Julii. Obiit bonæ memoriæ Dominus Stephanus Archiepiscopus.

RICHARDUS.

III. Non. Augusti. Obiit piæ memoriæ Richardus Archiepiscopus.

---

[a] Willelmum alii appellant.

[b] Quòd Hubertus utroq; die obiisse dicatur; error est Codicis manifestus. Verè obiit Hubertus 3. Idus Julii. Vide infra in Dissertatione de verâ Successione Archiepiscoporum Cant.

EDMUNDUS.

XVI. Cal. Decembr. Eodem die Depositio S. Eadmundi Cantuariensis Archiepiscopi & Confessoris.

V. Idus Junii. Eodem die Translatio S. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi & Confessoris.

BONIFACIUS.

XV. Cal. Augusti. Obiit bonæ memoriæ Bonifacius Archiepiscopus.

Memorandum quòd anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio Johannes de Westgate tunc Supprior & Capitulum Christi Cantuariæ Prioris destituti regimine, domino Bonifacio Cantuariensi Archiepiscopo quòd faciant anniversarium ejus singulis annis post obitum suum, in formâ subteriùs scripta.
'Reverendo Patri ac domino domino Bonifacio Dei gratiâ Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliæ Primati, Johannes Supprior & Capitulum Ecclesiæ Christi Cantuariæ salutem & tam devotam quàm debitam in Domino obedientiam & reverentiam. Noverit Reverenda vestra Paternitas, nos devoto corde concepisse, mente jocunda decrevisse, ac communi Fratrum voluntate ordinasse, juxta & vestræ Clementiæ magnificæ conscientiam quam in vobis jam invenimus, & in rebus expeditis experti sumus; omnium bonorum & beneficiorum quæ in nostra fiunt & in perpetuum fiant Ecclesia, sitis particeps, speciales augentes orationes in Domino; Ut ipse actus & gressus vestros in hac vitâ prosperè & per tempora fœliciora in suâ voluntate conservet. Ad hæc quòd sancta & salubris est cogitatio pro fidelibus defunctis exorare, ut à peccatis solvantur: Statuimus ut Anniversarium vestrum singulis annis post hujus vitæ cursum in Ecclesiâ nostrâ festivè celebretur. Ita quòd die Anniversarii vestri quilibet Sacerdos Missam pro fidelibus celebrabit specialem. Cæteri verò Fratres inferioris Ordinis, qui Missam non celebrant vel à casu debilitatis celebrare nequeunt, quinquaginta Psalmos dicent pro animâ vestrâ. Nomen verò vestrum per totam Angliam deferri faciemus; ut in singulis Religiosorum Capitulis à præsidentibus anima vestra pleniùs absolvatur. Præsentem igitur paginam in Martyrologio nostro transcriptam annotari fecimus; ut die obitûs vestri revoluto solempniùs recitetur in Capitulo. Et eandem sigillo nostro signatam vobis transmitti curavimus: ne oblivioni tradatur humanæ; & quòd piè conceptum est & à nobis salubriter ordinatum, majorum memorabiliori jugiter maneat confessione.

ROBERTUS KILWARBY.

III. Idus Septembr. Obiit bonæ memoriæ dominus Robertus Archiepiscopus Cantuariæ, & postea factus Cardinalis.

JOHANNES PECHAM.

VI. Idus Decembr. Obiit venerandæ memoriæ dominus Johannes de Pecham Archiepiscopus Cantuariæ, de ordine Fratrum Minorum.

ROBER-

ROBERTUS WYNCHELSE.

V. Idus Maii. Obiit celeberrimæ memoriæ dominus Robertus de Wynchylse, quondam Archiepiscopus Cantuariensis; iste profectò pastor egregius, insigne speculum Prælatorum, moribus & virtutibus antecellens alios; sic cordis mundiciæ pudicitiam sociavit; sic carnis stimulos subreptantes cautiùs mortificavit; ut à multis putaretur in carne præter carnem vivere. Cujus solida constantia molestis eventibus non tepuit, nec minis terreri nec muneribus flecti potuit viam veritatis deserere. Casulam, tunicam, & dalmaticam & capam Chori pretiosissimam ac omnes libros suos Ecclesiæ Cantuariensi in vitâ suâ donavit. Demum consummato malitiæ mundialis triumpho, V. Idus Maii, anno gratiæ millesimo trecentesimo tertiodecimo in Manerio suo de Ottforde universæ carnis inevitabile solvit tributum; cujus corpus in Ecclesiâ Cantuariensi juxta altare S. Gregorii collocatur.

VI Cal. Septembr. Obiit piæ recordationis dominus Thomas de Cobeham, Episcopus Wygorniensis, quondam Electus Cantuariæ.

WALTERUS.

XV. Cal. Decembr. Obiit bonæ memoriæ Dominus Walterus Archiepiscopus; qui primò Episcopus Wygorniæ & Domini Regis Cancellarius fuit; & postmodum ad primaciam Ecclesiæ Cantuariensis translatus est. Vir quidem mansuetus & affabilis, & divinorum celebratione valde devotus. Dedit autem Conventui Manerium de Caldecote cum bosco de Thorholde juxtà bartonam nostram; & per Cartam suam confirmavit liberè & quietè pro se & successoribus suis in perpetuum. Et fiet Servitium pro eo in Conventu solempniter, sicut pro Wyberto Priore.

SIMON MEPHAM.

IV. Idus Octobr. Obiit bonæ memoriæ Dominus Simon de Mepham, quondam Archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ Primas, & Apostolicæ Sedis Legatus, & S. Theologiæ Doctor, per Capitulum canonicè electus, & in Curiâ Romanâ confirmatus. Pro quo fiet Servitium in Conventu solempniter. Cujus testamenti executor Magister Laurentius Falstof dedit Conventui quinquaginta libras ad emendos redditus quadraginta solidorum annuatim expendendos in Anniversario ejus.

JOHANNES STRATFORDE.

X. Cal. Septembr. Obiit piæ memoriæ dominus Johannes Stratforde Cantuariensis Archiepiscopus; qui dedit Ecclesiæ suæ cappam pretiosissimam simul & mitram peroptimam & duos libros Juris, viz. unum Decretalium & alium Decretorum. Et assignavit Conventui annualem pensionem centum solidorum de Ecclesiâ de Preston & de Boctone; quas appropriavit Monasterio de Fevirisham. Pro quo fiet Servitium in Conventu sicut pro Edivâ Reginâ; & quisque sacerdos Missam unam dicet, cæteri Psalmos quinquaginta.

JOHANNES UFFORD.

XI. Cal. Junii. Obiit Johannes Electus Cantuarienſis.

THOMAS BRADWARDYN.

VII. Cal. Septembr. Obiit dominus Thomas Bredwarden Archiepiſcopus Cantuariæ.

SIMON ISLIP.

VI. Cal. Maii. Memorandum quòd ſexto Kalendas Maii circa unam horam poſt mediam noctem anno Domini milleſimo trecenteſimo [ſexageſimo] ſexto recolendæ memoriæ dominus Simon de Iſelep Cantuarienſis Archiepiſcopus apud Mageſeld diem ſuum clauſit extremum. Et certa bona Priori & Conventui Eccleſiæ ſuæ Cantuariæ ſub formâ quæ ſequitur, prout in teſtamento ſuo evidenter apparet, reliquit atque legavit. 'Item lego 'Priori & Conventui, qui circa ſepulturam meam laborabunt, pro onere 'dictæ diei ad unam pitanciam decem libras. Item lego Capitulo ſeu Con- 'ventui meo ſex duodecim diſcorum argenteorum, & tot ſalſaria argentea 'meliora & noviter fabricata, & quatuor pelves argenteas de armis meis, cum 'quatuor lavatoriis ejuſdem ſectæ. Item viginti quator pecias argenti, & '& ſex ollas de argento pro vino; ut de eis ipſi Conventui in Refectorio & 'non alibi miniſtretur. Decet enim ſublimitatem tanti Capituli exclusâ va- 'nâ gloriâ honeſtiori præferri miniſterio & honorificentiùs deſerviri. Et volo 'quòd iſta vaſa ſemper in dominio & poſſeſſione Conventûs remaneant. Nec 'liceat Priori aut cujuſvis alteri ſingulari perſonæ, cujuſcunque ſtatûs aut 'præminentiæ fuerit, nec etiam cuiquam Succeſſori meo, contra hanc volun- 'tatem meam ultimam & anathematis ſententiam, quam ex hoc contraveni- 'ens poterit formidare, ipſa vaſa aut partem eorum quamcunque ſub accom- 'modationis aut mutui cujuſcunque ſpecie, cum cauſâ vel ſine cauſâ, extra 'dictum Refectorium recipere, nec ipſa Conventui accommodare, diſtrahere, 'deponere, aut ad aliquos uſus alios transferre. Item lego Priori & ejus 'ſucceſſoribus Prioribus Eccleſiæ Cantuariæ duas pelves argenteas majores & 'meliores præmiſſis, quæ ſunt de armis meis ſimiliter. Item lego Priori & 'Conventui mille oves matrices de melioribus quas habuero tempore mor- 'tis meæ. Et volo & ordino, quòd fœtus earum vividi & proficui ſingulis 'annis reſerventur ad numeri prædicti conſervationem, vel augmentationem 'ejuſdem; ſi Deus hoc permiſit. Alioquin de lanâ earum proveniente ſemper ad 'minus prædictus numerus habeatur. Et quod reſiduum lanæ fuerit, vel aliàs 'ipſa tota, ut prædicitur, cum aliis proventibus ſiqui fuerint, in aliquos uſus 'neceſſarios Monachorum, in pecuniam vel aliàs, prout Capitulum aſſigna- 'verit, per manus Camerarii qui fuerit, diſtribuatur annis ſingulis & fideliter 'dividatur: ita quòd Monachi ſinguli quod eis fuerit diſtributum habeant 'diebus Anniverſarii mei: ut ſic remunerati ſpecialiùs pro animâ meâ va- 'leant exorare. Et volo, quòd ſaltem unus, duo, vel tres Monachi ad 'hoc communiter electi ſingulis annis ſupervideant dictas oves; & de nu- 'mero capitum ac etiam incremento agnorum & diminutione ac commodo 'tam ex lanis quàm ex ovibus ipſis aliunde proveniente: quorum omnium 'ſunt computum audituri; quod & fideliter Capitulo noſtro referant & de- 'clarent. Et hæc omnia præter veſtimentum meum aureum, quod ante 'hæc tempora Eccleſiæ meæ dedi, unâ cum quadam cappâ precioſâ, ſub tali 'conditione, & non aliter, Lego & concedo; quòd dictus Prior & Conventus

mihi

'mihi faciant unam Cantariam perpetuam per unum de Fratribus meis, vel 'alium quemcunque Sæcularem vel Religiosum in Ecclesiâ meâ prædictâ cele- 'brandam seu faciendam secundùm ordinationem eorum de consensu Execu- 'torum meorum pro me & singulis Archiepiscopis tam præteritis quàm fu- 'turis; & quòd singulis diebus sic celebrans, de quocunque celebraverit, 'semper hanc Orationem & secundùm formam hanc dicere teneatur. *Deus 'qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Dominum Simonem & Johannem 'ac cæteros Archiepiscopos hujus Ecclesiæ Pontificali & Archiepiscopali dignitate 'censeri fecisti; præsta, quæsumus, ut quorum vicem gerebant in terris, eorum 'perpetuo consortio lætentur in cælis.* Item quòd singuli Monachi sacerdotes 'in dictâ Ecclesiâ singulis annis quatuor vicibus, saltem in quolibet quar- 'terio anni semel, quando Capitulo hoc placuerit ordinare, pro animâ meâ 'specialiter celebret Missam de Beatâ Virgine cum Oratione prædictâ. Item 'volo & ordino, quòd Prior & Capitulum singulis annis celebrari & pulsari 'solempniter faciant, sicut pro aliis Archiepiscopis fieri consuevit, diem an- 'niversarii mortis meæ. Super quibus omnibus, quatenus eos concernit, li- 'teras suas faciant testimoniales sub sigillo eorum communi consignatas, & 'Executoribus meis protinus liberandas.

Nonis Octobris. Obiit bonæ memoriæ dominus Willelmus Edynton Episcopus Wintoniensis, quondam Electus Cantuariæ, benefactor noster. Qui inter cætera amicitiæ bona, dedit Conventui centum marcas, videlicet cuilibet Monacho unam marcam, residuum ad usus necessarios Ecclesiæ. Item dedit præfatæ Ecclesiæ quinque cappas, unam casulam, & tres tunicas rubeas cum appendiciis & pertinentiis suis. In cujus Anniversario solempne fiet servitium in Conventu, sicut pro uno Archiepiscopo.

SIMON LANGHAM.

XI. Cal. Augusti. Obiit venerabilis Dominus, Dominus Simon Langham quondam Archiepiscopus hujus Ecclesiæ, deinde Cardinalis effectus.

WILLELMUS WITTLESEY.

VIII. Idus Junii. Obiit dominus Willelmus Wytelesee Archiepiscopus.

SIMON SUDBURY.

XVIII. Cal. Julii. Obiit bonæ memoriæ dominus Simon Sudbury Archiepiscopus hujus Ecclesiæ.

WILLELMUS COURTNAY

II. Cal. Augusti. Obiit recolendæ memoriæ dominus Willelmus Courtenay Archiepiscopus hujus Ecclesiæ; qui vixit in Archiepiscopatu per quatuordecim annos & ampliùs. Et plura bona in vitâ suâ fecit Ecclesiæ suæ Cantuariæ, scilicet ad fabricam navis Ecclesiæ, claustri, & murorum clausuram circa gardinum Celerarii, mille marcas & ultra suâ gratiâ contulit; unam cappam preciosam de rubio cum perilis, unam Trinitatem cum sex Apostolis ponderis centum sexaginta librarum summo Altari dedit; unum vestimentum album cum sex capis & aliud viride cum septem capis in testamento suo legavit. Monachus istius Ecclesiæ, erat affabilis, pius & miseri-

cors.

cors. Ecclesiam de Mepham reintegravit ad usum Fratrum infirmorum; & quatuor domos fieri fecit expensis suis: pro quo fiet Anniversarium suum singulis annis sicut pro domino Simone Islepe quondam Archiepiscopo istius Ecclesiæ; & duo Monachi pro animâ suâ celebrabunt. Item legavit Ecclesiæ suæ Cantuariensi sex libros preciosos, sc. Milleloquium Augustini, & unum Dixionarium in tribus voluminibus, & Doctorem de Lirâ in duobus voluminibus. Quos libros occupat Magister Richardus Courtney ad terminum vitæ suæ de voluntate dicti Reverendi Patris; quos libros restitui faciat ad Ecclesiam Cantuariensem dictus Magister Richardus per executores suos post mortem suam sub penâ trecentarum librarum; sicut in quodam obligatorio & indenturâ inde factâ, quæ in Cancellariâ nostrâ habentur, plenius continetur.

THOMAS ARUNDELL.

XI. Cal. Martii. Obiit recolendæ memoriæ Reverendissimus in Christo & Dominus Dominus Thomas Arundell Cantuariensis Archiepiscopus, totius Angliæ Primas, & Apostolicæ Sedis Legatus, filius spectabilis domini domini Richardi Counte Arundellæ & Warrennæ, primitus Episcopus Eliensis, deinde Archiepiscopus Eboracensis, & postea ad hanc sanctam Ecclesiam Cantuariensem, per ipsius Priorem & Capitulum concorditer postulatus, translatus existit. Erat autem vir eximiæ scientiæ, clari ingenii, in singulis agibilibus providus & circumspectus, atque in Pontificalis officii executione sedulus & multùm devotus, Regibus ipsius tempore regnantibus ac regno pro sui maturitate sani consilii multipiciter acceptatus, necnon ejusdem regni vicibus iteratis sæpiùs Cancellarius. Contulitque idem Dominus Archiepiscopus huic Ecclesiæ multa meritò laudanda; videlicet unum vestimentum viride cum viginti & unâ cappis unius sectæ, aliamque cappam de aureo panno solempni, unam mitram auream diversis gemmis & lapidibus pretiosis ornatam, unum baculum pastoralem magnum argenteum & totaliter deauratum; unum calicem aureum ad majus altare cum duobus urceolis de auro valoris ducentarum marcarum, aliumque calicem aureum ad Festum S. Thomæ quadraginta libras valentem; cum aliis diversis jocalibus, tria baccilia argentea ante summum altare pendentia, quinque campanas in sonitu dulcissimas Arundell ryng vulgariter nuncupatas. Duo quoque dedit Missalia; quamplures libros pretiosos, cum aliis ornamentis Ecclesiasticis. Contulit etiam ad fabricam navis Ecclesiæ mille marcas: Ecclesiam insuper Parochialem de Godmersham huic Ecclesiæ annecti & uniri procuravit; ex cujus fructibus & proventibus cuilibet Monacho hujus Ecclesiæ sex solidos & octo denarios in die regressionis pretiosi Martyris Thomæ singulis annis in ejus memoriam distribui præcepit. Item legavit huic Ecclesiæ unum librum pretiosum; in quo omnes libri B. Gregorii continentur; inhibens sub Excommunicationis majoris pœnâ, quam de facto fulminavit, quòd nullus librum ipsum ab Ecclesiâ Cantuariensi quovis modo alienaret. Et post dicti Domini Archiepiscopi mortem testamenti sui sive ultimæ suæ voluntatis Executores dederunt Priori & Monachis hujus Ecclesiæ centum libras monetæ Anglicanæ, secundum voluntatem ejusdem Ecclesiæ tunc Prioris & Confratrum suorum distribuendas. Nec est silentio omittendum, quòd inter alia ipsius Domini Archiepiscopi facta laude digna perhenni, ipse perfidam sectam * Lauredorum, quæ tunc in regno invalescebat, ut pugil potens Ecclesiæ, potenter compescuit. Et tandem Translationis suæ ad hanc Ecclesiam anno decimo octavo, anno verò Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo decimo tertio, undecimo Kalendas Martii, in Rectoriâ Ecclesiæ

* *Vulgò* Lollardorum.

cleſiæ de Hakynton fine quievit glorioſo. Pro quo fiet Servitium in Conventu ſolempniter in perpetuum.

HENRICUS CHICHELE.

II. Idus April. Obiit Dominus Henricus Chichele Archiepiſcopus hujus Eccleſiæ; cujus animæ propitietur Altiſſimus.

JOHANNES STAFFORDE.

VIII. Cal. Junii. Obiit recolendæ memoriæ Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Dominus Johannes Stafforde Archiepiſcopus hujus Eccleſiæ.

JOHANNES KEMP.

XI. Cal. April. Obiit Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Dominus Johannes Kempe titulo S. Rufinæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus Cardinalis, & hujus ſanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus.

THOMAS BOURCHIER.

III. Cal. April. Obiit Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Dominus Thomas Bowrſchyre titulo S. Ciriaci in Termis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis & hujus ſanctæ Cantuarienſis [Eccleſiæ] Archiepiſcopus. Qui contulit huic Eccleſiæ pulcherrimam Imaginem de S. Trinitate de auro & gemmis ornatam, atque viginti ſeptem cappas de rubio teſſuto, cum toto apparatu pro ſacerdote, diacono & ſubdiacono unius ſectæ.

JOHANNES MORTON.

XVI. Cal. Octobr. Obiit colendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Dominus Johannes Morton, Legum Doctor, quondam Rotularum Magiſter, deinde in Epiſcopum Elienſem exigitur. Et poſtea ad ſanctam Cantuarienſem Eccleſiam tanquam ad ſedem ſuperiorem transfertur. Poſtremò Regiæ Majeſtatis, Univerſitatiſque Oxonii Cancellarius efficitur: & ita à Summo Pontifice in Presbyterum Cardinalem intitulatur. Hic enim divini cultûs zelator fuit ardentiſſimus, & Regiæ Majeſtatis totiuſque reipublicæ conſultor magnificus. In viro enim iſto tanta vigebat auctoritas animique virtus; ut Eccleſia Anglicana & dignitate & libertate ſuâ potita eſt. Si quid præterea ad ipſius Eccleſiæ gloriam augendam ampliandamve ſibi viſum fuerit pertinere; id omni ſtudio curâque maximâ procuraret; quod verò eam offenderet, ſummâ cum diligentiâ propulſaret. Tanto enim amore matrem ſuam ſanctiſſimam Cantuarienſem videlicet Eccleſiam amplexus eſt; ut eam munere ampliſſimo, cappis ſcilicet octoginta albi coloris ditiſſimis ornatiſſimiſque, cum omnibus aliis ad Presbyterum, Diaconum, Subdiaconumque pertinentibus, ſuo nomine armis propriis, ex omni parte auro puriſſimo deſuper textis, literiſque decentiſſimis hanc ſententiam ſuaviſſimam, *Deo ſit gratiarum actio,* componentibus, ad Dei laudem ſuique memoriam relinqueret donatam. Pallium etiam funerale ex nigro biſſo pulcherrimum, corporibus defunctorum deputatum, auro puriſſimo undique circumſeptum, magnâ ex ſuâ munificentiâ contulit. Sui denique ope ſumptibuſque magna pars Turris in Eccleſiæ medio conſtructa eſt. Duos inſuper Confratres in Univerſitate

versitate Oxoniensi studio incumbentes, ad fidem orthodoxam augendam & verbum Dei prædicandum, viginti annorum circulo post ipsius obitum, septemque dum idem Venerabilis Dominus superstes erat, suis propriis sumptibus educaverat. Plura insuper alia exaratu digna contulisset; si natura sibi vitam prolixiorem donasset. Cùm enim vitam hanc humanam ad annum ferè octogesimum Deo favente duxisset haud dubium fœlicem; febris tandem quartana ipsius naturæ inimica præsenti luce privavit. Et ubi à nonnullis sæpissimè persuasus erat; ut sibi sepulchrum satis amplum, dignum, honorificumve construeret; non in publico, non in tumultu, sed in secreto subterraneoque loco in Criptis nuncupato, lapide duntaxat coopertus marmoreo, coram Imagine Beatissimæ Virginis Mariæ, quam ex intimo diligebat, sepulturæ locum elegit: Ubi ipsius corpus fœlicissimum jam quiescit. Quo quidem in loco duo Confratres cotidie Missas duas cum *Placebo* & *Dirige*, durante viginti annorum spatio pro ipsius animâ devotissimè celebrant. Et dictus Venerabilis Dominus illis duobus Fratribus instituit pro mercede eorum quadraginta denarios septimanatim impendi; prout in præsenti libro plenius continetur. Quæ quidem anima ut requie perfruatur æternâ, concedat Altissimus.

HENRICUS DENE.

XV. Cal. Martii. Obiit Dominus Henricus Dene Archiepiscopus hujus Ecclesiæ.

XV. Cal. Octobr. [a] Obiit Dominus Thomas Wellys Episcopus Sidoniæ ac Prior S. Gregorii.

XIII. Cal. Decembr. Obiit Reverendus in Christo Pater Dominus Ricardus Marten Suffraganeus; qui dedit Ecclesiæ Christi Cantuariæ unam mitram cum baculo suo pastorali, Frater & Benefactor noster.

[a] Quonam tempore isti duo Chorepiscopi vixerint, mihi incompertum est. Thomas Wellys Monachus Ecclesiæ Christi Cantuariensis ab Henrico Chichele Archiepiscopo sub initia pontificatus sui Cantuariensis Acolithus, Subdiaconus, Diaconus & Presbyter successivè ordinatus legitur in Registro *Chichele* vol. 2.

Anonymi

Anonymi Historia Controversiæ inter Sedes Cantuariensem & Eboracensem de Primatu.

PAulinus vir Deo dilectus primus Norhamhumbrorum Archiepiscopus à Justo Cantuariensi Archiepiscopo ordinatur [a], & ab Honorio Papâ primo accepit Pallium ad Dorobernensem Archipræsulem consecrandum [b]. Hac enim de causâ habuit Pallium; sicut habet Episcopus Ostiensis, qui in consecratione Papæ Pallio utitur duntaxat. Iste Paulinus Regem Norhamhumbrorum Eadwynum ad fidem Christi convertit; ac ipso Rege postmodum perempto, Canciam idem Paulinus rediit * navigio; ac ab Honorio Cantuariensi Archiepiscopo & à Rege Egbaldo honorificè est susceptus: Eorum invitatione suscipiens Roffensis Ecclesiæ præsulatum, Pallium quod à Papâ susceperat ex toto relinquens.

De SCOTIS.

Scoti postmodum missi à Scotiâ successerunt, videlicet S. Aidanus, Finanus, Colmannus. Aidanus provinciis, quibus regnavit Rex [c] Edwardus, verbum Dei prædicavit; & ab ipso Rege in insulâ Lyndefernensi sedem Episcopalem [d] ut petebat, [impetravit]. Cui successerunt prædicti. Finanus, Colmannus [qui] nec Pallio nec Urbis nobilitate voluerunt attolli. Colmanno per Wilfridum convicto & ad patriam reverso [e], Tuda per illum Episcopatum accepit; & à Scotis Præsul ordinatus est. Quo defuncto, ipse Wilfridus ad Archiepiscopatum Ebor. eligitur [f], & ab Alfrido Rege filio Oswy Regis mittitur in Galliam [f] consecrandus. Quo ultra mare vertente, Sanctus vir Cedda [g] intronizatur. Sed hæc iniquitas ab Archiepiscopo Cantuariensi Theodoro est correcta; excussoque Ceddâ [h] intronizatur Wilfridus. Quo iterum à Rege Egfrido expulso [i] duo pro ipso [k] expulsi sunt de Eboraco, Bosa in Haugulstaldo, & eo defuncto Johannes pro eo ordinatur ibidem; & sic Episcopatus dividebatur in duos. Tempore verò Alfridi Regis rediit [l] in totum Episcopatum Wylfridus quinque annis, expulsis Johanne de Augustaldo & Bosâ de Eboraco. Post quinque annos Wilfrido iterum ab Alfrido expulso [m], illi sunt sedibus * destituti. Et defuncto Alfrido, iterum Wilfridus in concordiâ susceptus [n], sedem apud Haugustald habuit, Johanne in Eboracum migrante, quòd Bosa defunctus erat; & successit [o] in

* l. restituti.

[a] Ordinatus est anno 625. 12. Cal. Augusti. Tho. Stubbs Act. Pontif. Ebor. pag. 1687. Beda in Epitome. [b] Honorium enim Archiepiscopum Cantuariensem post Justi mortem Paulinus consecravit. Beda. * Anno 633. Simeon Dunelm. Epist. ad Hugonem. p. 77. Beda in Epitom. [c] *Legendum forsan* Oswaldus. [d] Anno 635. Simeon Dunelm. pag. 2. [e] Anno 664. Idem pag. 3. [f] Anno 664. Richardus Hagulstad. Hist. lib. 1. cap. 6. [g] Anno 665. Radulphus de Diceto Abbrev. Chron. p. 439. [h] Anno 669. Richardus Hagulstad. l. 1. c. 6. [i] An. 678. Beda, l. 4. c. 12. [l] Anno 685. Rich Hagulstad. l. 1. c. 11. rectius 688. Stubbs. [m] Post quinque annos. Id. l. 1. c. 12. Simeon Dun. Epist. ad Hugonem, p. 78. [k] *Lege* constituti sunt; in Eboraco Bosa, in Haug. Eta, & eo defuncto. [n] Post annos tredecim. Iidem ibid. Anno 705. Radulphus de Diceto Abbrev. Chron. p. 442. [o] Anno 717. Th. Stubbs, p. 1693. Sedit annos 15. Id. p. 1694. obiit circa an. 736. Id. ibid. Malè Simeon Dunel. illum anno 745. 3. Cal. Maii obiisse ex aliena fide refert. de gest. Reg. p. 104.

Eboraco Wilfridus Presbyter suus. Unde lis maxima inter Cantuariensem Archiepiscopum & Ebor. vertebatur: quia dicunt Cantuarienses se Wilfryd habere seniorem. Contra Eboracenses contendunt hunc juniorem ab Archiepiscopo Odone Cantiam fuisse translatum. Hoc defuncto substituitur Egbertus [p] frater ejusdem Provinciæ Regis. Hic suâ prudentiâ & fratris potentiâ sedem illam in statum genuinum reformavit. Cæteri Episcopi inter Paulinum & Egbertum nichil altius quàm simplicis Episcopi vocabulo anhelarunt. Sui autem successores erant Cocna, Eadbaldus. Post Eadbaldum hi fuerunt Archiepiscopi Eboracenses. Wlsius, Wygmundus, Wlferus, Atelbaldus, Rodewardus, Wlstanus, Osketel. Hic floruit tempore * Oldredi & Edgari Regum Angliæ; habuitque successores Oswaldum, Aldulphum & Wlstanum. Hi tres fuerunt Episcopi Wygornienses & Archiepiscopi Eboracenses successivè.

* f. Edredi.

De THOMA Eboracensi Archiepiscopo.

Thomas Canonicus Baiocensis in Archiepiscopum Eboracensem successit per Willelmum Regem [q] Angliæ; duravitque annis XXX. Omni vitâ honestus; semper benefaciens in honore, nisi quòd primo Archiepiscopatûs sui tempore in causâ Primatûs Cantuariæ certavit; dicens se nolle Cantuariensi Electo Lanfranco professionem facere, ut debebat. Postea sic ductus rationibus Lanfranci, coram eo professionem suam fecit; sicut sui Prædecessores fecerunt. Lanfrancus Romam pro debito sibi Pallio iens [r], Remigium Lincolniensem Episcopum & Thomam Eboracensem Archiepiscopum comites itineris sui habebat. Qui simul Romam venientes, honore congruo sunt recepti. Postea Lanfrancus Alexandro Summo Pontifici præsentatur. Et ipse Papa assurgens, eum ut gressum figeret, hortatus est, subdens: Honorem, inquit, exhibuimus non tuo Archiepiscopatui, sed quem Magistro debuimus, cujus stilo fuimus in illis quæ scimus imbuti. Hinc quod ad te pertinet ob reverentiam B. Petri te exequi par est. Et humiliavit se Lanfrancus ad pedes Papæ: Sed mox erigitur ad osculum ejus; lætantes ad invicem illa die. Sequente verò luce negotia diversa ad invicem tractantes, calumpniatus est coram Papâ Thomas Eboracensis cum Remigio, quòd neuter eorum canonicè fuerat ad Pontificatum promotus. Eboracensis eò quòd sacri canones filios Presbyterorum, quos Religionis ordo non ornat, à sacrorum Ordinum promotione removeant; alius verò pro eo quòd factâ conventione Episcopatum à Rege Willelmo emerit, fuit indignus. Ad hæc illi excusationem aliquam non habentes, redditis baculis & annulis cum curâ Pontificali ad petendum misericordiam sunt conversi. Quorum precibus se Lanfrancus exponens, coram Papâ dicens novo Regi in novis dispensationibus & dispositionibus regni necessarios oratoriâ facultate ostendit. Et his auditis Papa ad eum conversus: Tu videris, inquit; pater es illius patriæ; ac consideret tua industria quid expediat in hac parte. Virgæ pastorales, quas reddiderunt, ecce hîc sunt. Accipe illas; & dispensa, prout utilius Christianitati regionis illius agnoscere poteris. At ille baculos pastorales suscipiens, in præsentiâ Papæ statim dictos viros suis baculis pontificalibus investivit.

[p] Anno 735. Id. Epist. ad Hugon. p. 78. Anno 736. Tho. Stubbs pag. 1697.
[q] Nominatus à Rege anno 1070. die Pentecostes. Simeon. Dun. de gest. Reg. p. 202.
[r] Anno 1071. Id. p. 205.

De GIRARDO Archiepiſcopo.

Girardus, qui erat nepos Walkelini Epiſcopi Wyntonienſis, & ipſe Gyrardus priùs Epiſcopus Herefordenſis [a]. Literas ei miſit ſub hac formâ Paſchalis ‘ Papâ. ‘ Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Gyrardo Eboracenſi Ar‘ chiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. [b] Quam grave contra ‘ nos immo contra matrem tuam Sanctam Romanam Eccleſiam te non ig‘ noramus egiſſe; præſentibus tamen literis tibi mandamus; ut profeſſionem ‘ tuam Venerabili fratri noſtro Ancelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo facere ‘ non negligas. Audivimus enim Thomam prædeceſſorem tuum ex eâdem ‘ re contentionem moviſſe. Et cùm in præſentia Alexandri Papæ cauſa ‘ ventilata fuiſſet, ex præcepto ejus, diſcuſſione habitâ, Lanfranco, ſucceſ‘ ſori ſuo & ſucceſſoribus ſuis eadem feciſſe. Nos igitur quod tunc defini‘ tum eſt, volumus firmum & illibatum obſervari. Hanc Epiſtolam ſibi fideliter miſſam Girardus non legit; quia neceſſe non fuit. Prævenit enim juſſum Apoſtolicum; & hortatu Regis ſuâ manu impoſitâ manui Ancelmi, pollicitus eſt [c] ſe eandem [d] objectionem & obedientiam ſibi & ſucceſſoribus ſuis in Archiepiſcopatu exhibiturum, quam Herefordenſis Epiſcopus priùs promiſerat juramento.

De THOMA.

Poſt obitum dicti Girardi Thomas fratruelis [e] eligitur. [f] Cùm ad conſecrationem ſuam pro more Cantuariam venire invitaretur ab Ancelmo; primò benignè reſpondit grates ſe velle hoc agere; ſed petiit inducias ad agendum: & deinde ipſe ſubterfugia quærens; Ancelmus ſcripſit eidem. ‘ Ancelmus ‘ miniſter Eccleſiæ Cantuarienſis Thomæ Electo Eboracenſi ſalutem. Tibi ‘ Thoma in conſpectu Dei omnipotentis ego Ancelmus Archiepiſcopus Cantua‘ rienſis & totius Britanniæ Primas ex parte ipſius Dei. Officium ſacerdotale, ‘ quod meo juſſu per meum Suffraganeum ſuſcepiſti; tibi interdico; ac præ‘ cipio ne te de aliquo Paſtorali curâ præſumas intromittere ullo modo; donec ‘ à rebellione, quam contra Eccleſiam Cantuarienſem incœpiſti, diſcedas; ‘ & ei ſubjectionem quam Anteceſſores tui Thomas & Girardus Archiepiſco‘ pi Eboracenſes ex antiquâ Anteceſſorum conſuetudine profeſſi ſunt, juxta ut ‘ teneris, profitearis. Quòd ſi in his quæ cœpiſti magis perſeverare quàm ab ‘ eis deſiſtere delegeris; omnibus Epiſcopis totius Britanniæ ſub anathemate ‘ perpetuo interdico; ne tibi ullus manus ad promotionem Pontificatûs im‘ ponat: vel ſi promotus ab exteris fueris, nec pro Epiſcopo vel in aliqua ‘ Chriſtianâ communione te ſuſcipiant. Tibi quoque Thomæ ſub eodem ‘ anathemate ex parte Dei interdico; ne unquam benedictionem Epiſcopatus ‘ Eboracenſis ſuſcipias; niſi priùs profeſſionem, quam Anteceſſores tui fece‘ runt, Eccleſiæ Cantuarienſi facias, ut teneris. Si autem Epiſcopatum ‘ Eboracenſem ex toto dimiſeris; concedo, ut officio ſacerdotali, quod jam ‘ ſuſcepiſti, utaris. Erat enim [g] Normanniæ, & cùm in regnum Angliæ re-

[a] Succeſſit anno 1100. [b] Quanquam pravé. *Sic legit* Malmsburienſis. [c] Anno 1107. obiit anno 1108. Sim. Dunelm. de geſt. Reg. 12. Cal. Junii. *T. Stubbs* p. 1711. [d] *Lege* ſubjectionem. [e] Non Girardi, ſed Thomæ prædeceſſoris. [f] Septimo poſt Girardi obitum die. *Stubbs* p. 1711. [g] *Lege* Erat enim Rex

K 2 diſſet,

disset, cœpit ventilare dictam causam ipso tempore Girardi. Anno incarnationis Verbi MCIX. in sede metropoli Cantuariensi in bonâ memoriâ Ancelmus Cantuariensis Archiepiscopus ad caput Archiepiscopi Lanfranci sui prædecessoris honorificè sepelitur. Evolutis postmodum paucis diebus venit in Angliam missus à Pascali Papâ Ulricus Cardinalis, Pallium Eboracensi Ecclesiæ secum deferens. Ubi audivit Ancelmum vitam finisse, nam obitum ejus non longè extra Angliam famæ pertulerat certitudo; consternatus animo quid faceret dubitabat, eò [quòd] Pallium à Papâ acceperat deferendum Ancelmo. Postea Henricus Rex Angliæ in magnâ mundi gloriâ Lundoniæ Curiam suam celebrans, quid agendum esset de consecratione Thomæ Eboracensis Electi quæsivit. At ubi expositâ sibi Epistolâ Ancelmi super & de interdicto benedictionis ejus intellexit; per Robertum de Mellente Comitem sciscitatus est qui sc. ausus fuit præter imperium Regis recipere dictam Epistolam. [Episcopi] habito Concilio statuerunt inter se, se malle suis omnibus spoliari, quàm quæ Ancelmus præceperat non obtemperare. Erant enim hi Ricardus London. Willelmus Wyntoniensis, Robertus Lincoln. Herebertus Norwycensis, Rogerus Sarum, Radulphus Roffensis, Remenilus Herefordensis, Robertus Cicestrensis, Johannes Bathoniensis, Robertus Cestrensis, & Willelmus Exoniensis. Istis firmato concilio inter se visum est Sampsonem Wygorniensem Episcopum accersendum, & quam de negotio sententiam ipse ferret perquirendum. Et respondit. 'Et licèt hunc Electum Eboracensem olim ex conjuge † fidelium susceperim; eique carnis naturam, honoris & dignitatis provectum æquissimè debeam; multò magis sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ teneor, * qui me in eum, in quo sum, honorem provexit; & gratiæ, quam à Domino Jesu Christo meruit, me per Pontificale ministerium fecit participem. Et propterea notum omnibus esse volo me & literis Patris nostri Ancelmi de causâ, quam nunc inter nos agimus, sanctis modis omnibus obediturum; nec unquam Ancelmum proditurum; ut is qui electus est in Archiepiscopum Eboracensem, aliquatenus consecretur, donec de subjectione suâ Ecclesiæ Cantuariensi debitam & Canonicam obedientiam profiteatur. Ego enim præsens fui, quando frater meus Thomas nuper Eboracensis Archiepiscopus juxta consuetudinem antiquam eandem professionem Cantuariensi Archiepiscopo Lanfranco & cunctis successoribus suis fecit. His dictis, omnes Episcopi simul ad Regem sunt reversi; dicentes constanter literas Ancelmi, de quibus Comes de Mellente sciscitatus erat, se recepisse; & contra eas nullâ ratione statuturos asserentes unanimiter. Ad quæ dixit Rex. 'Quicquid in his aliorum sententia dictet; de me constat, quòd cum Episcopis sentio; [nec] excommunicationi Patris Ancelmi aliqualiter subjacebo. Quibus auditis, omnes Episcopi sunt gavisi; & agentes Deo grates, pariter clamaverunt, Ancelmum adesse; & quod in corpore degens facere non poterat, jam mundo absentem causam suæ Ecclesiæ terminasse. Postea in laudem dicti Regis demoratum est; ut ipse dignitatem Primaciæ Ecclesiæ Cantuariæ humiliari à nullo permitteret. Postulatus autem jussit consuetudines & scripta antiqua Ecclesiæ Cantuariensis sibi afferri, & coram eo publicè recitari. Quod & factum est. 'Quid amplius quæritur? dixit Rex. 'Auctoritates & privilegia Sedis Apostolicæ, & quæ in præsentiâ Patris & Matris meæ testimonio ac confirmatione Prælatorum & Procerum Regni Angliæ diffinita sunt; ut quasi de Epistolâ Ancelmi penitus taceatur; ego vobis ambagibus permitterem agitari? Immo sciat Thomas, sciat se aut subjectionem Ecclesiæ Cantuariensi & obedientiam ejusque Primatibus, ut sui Antecessores professi sunt, professurum; aut Archiepiscopatui Eboracensi cessurum ex toto. Eligat autem quodcunque vult. Consideratis auctoritatibus, quibus Ecclesiam Cantuariensem circumvallari videbat, spretis Clericis, quorum consilio se credidisse

† l. fideli.

* l. quæ.

disse dolebat, se contra eorum auctoritates nolle stare, sed morem Antecessorum suorum sequendo, & Ecclesiam ipsam deinceps diligere se velle dixit ac etiam honorare. Præcepit Rex; ut Professio, quam Thomas facturus esset, in sui præsentiâ dictaretur, scriberetur, & sigillo suo servaretur inclusa. Dominicâ autem die, quæ fuit V. Kalend. Julii, jubente Rege convenerunt Ricardus Londoniensis, Willelmus Wyntoniensis, Radulphus Roffensis, Herebertus Norwycensis, Radulphus Cicestrensis, Ranulphus Dunelmensis, Herveus Brancorensis, Episcopi in Ecclesiâ S. Pauli London. pro consecratione Thomæ Eboracensis Archiepiscopi Electi. Ricardus Episcopus Londoniensis, qui ipsum Thomam erat sacraturus, Professionem ab eo exegit; quæ sicut erat sigillata, sic ab eo lecta est. 'Ego Thomas Eboracensis Ecclesiæ consecrandus Metropolitanus profiteor subjectionem & Canonicam obedientiam Sanctæ Dorobernensi Ecclesiæ & ejus Ecclesiæ Electo & Consecrato & suis Successoribus canonicè intronizatis, salvâ fidelitate Domino Regi Angliæ, & suâ obedientiâ ex parte meâ tenendâ, quam Thomas antecessor meus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex parte suâ professus est. Intererant huic Professioni idem Rex, Conradus Ecclesiæ Cantuariensis Prior & Monachi plures ejus. Et lectam Professionem ab ipso Thoma eidem Episcopo oblatam accepit; & eidem Priori & Monachis tradidit, ita dicens. 'Hanc Fratres mei Professionem suscipite; & servate in testimonio rei gestæ. Deinde à Radulpho Cicestrensi Episcopo dictum est populo, hujusmodi Consecrationem ex recto & antiqua consuetudine debere fieri in Cantuariensi Ecclesia; & adjecit: verùm quòd Civitas Cantuariensis defuncto Anselmo Archiepiscopo [Metropolitano careret] sufficit, quòd est factum eâ ratione; quòd Episcopus Londoniensis inter cæteros Episcopos est Decanus Ecclesiæ Cantuariensis; & ideo quadam speciali dignitate anteponendus est. Itaque Thomas Eboracensis consecratus est à ministro: quòd fieri * voluit à magistro. Dum vitæ præsenti superfuit; pœnitudo hujus facti ab ejus animo non recessit. Quibus sic peractis, Cardinalis qui cum Pallio ad Angliam venerat, dictum Archiepiscopum illo investivit [a]; sicque Romam rediit festinanter.

* *Lege* noluit.

De THURSTANO Electo Eboracensi.

Thurstanus Regis Capellanus ad Archiepiscopatum Eboracensem eligitur die Assumptionis B. Mariæ apud Wyntoniam anno gratiæ MCXIV. Postea duobus annis elapsis Convocatio Optimatum & Baronum totius Angliæ apud Sarum XIII. Kal. Aprilis facta est; qui in præsentiâ Regis Henrici homagium filio suo Willelmo fecerunt, & fidelitatem juraverunt eidem. Habita est ibidem causa de querelâ, quæ inter Archiepiscopum Cantuariensem Radulphum & Electum Eboracensem Trustanum per annum integrum versata est. Et Electus cùm à Cantuariensi moneretur, ut Ecclesiæ Cantuariensi faceret quod debuerat, & benedictionem suam Ecclesiastico more susciperet: Hic respondit; Benedictionem se libenter suscipere velle; sed Professionem, quam exigebat, se nullâ ratione facturum. Rex verò Henricus ubi animadvertit Trustanum in suâ stare pertinaciâ; protestabatur morem Antecessorum suorum tam in professione faciendâ quàm in aliis Cantuariensis Ecclesiæ dignitatibus ex antiquo jure competentibus se nullo modo executurum; sed Episcopatu Eboracensi cum benedictione se potiùs cariturum; & statim Pontificatui Eboracensi renuntiavit expresse: spondens Regi Archi-

[a] Factum id Eboraci eodem anno in Calendis Augusti, die Dominica, Florentius Wigorniensis refert.

episcopatum

episcopatum Eboracensem dum viveret non reclamaturum, nec calumpniam inde moturum * quibuscunque ibidem substitutus fuisset. Veruntamen de † suo consilio Clericorum Romam profectus, hujusmodi Epistolam impetravit.

* *Lege* cuicunque qui.
† *Lege* suorum.

BULLA PAPÆ.

'Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico illustri 'Anglorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem. Nos auctore Deo 'de tuâ probitate non tantum bona sed & confidimus meliora; & ideo mo'nemus Excellentiam tuam; ut gratiæ divinæ memor semper existas, quæ 'tibi & * Regi pacem & justiciæ notitiam tribuit. Honorem igitur Dei & 'Ecclesiarum ejus in regno tuo diligenter observa, & justiciam efficaciter ex'equaris. Audivimus Eboracensis Ecclesiæ Electum, virum sapientem & pro'vidum, sine judicio à suâ sequestratum Ecclesiâ quod nimirum divinæ ju'stitiæ & Sanctorum Patrum constitutionibus adversatur. Nos quidem ne'que Cantuariensem Ecclesiam minui, neque Eboracensi Ecclesiæ volumus 'præjudicium pati; sed † in eam Constitutionem, quæ à Gregorio inter 'easdem Ecclesias constituta est, firmam censemus & illibatam servari. Nos 'ut idem Electus, ut justitia exigit, ad Ecclesiam revocetur, volentes; & 'siquid quæstionis inter easdem partes nascitur, præsentibus utrisque partibus 'in nostrâ præsentiâ pertractetur.

* *Malmsburiensis legit* Regni.
† *deest apud Malmsbur.*

Hac Epistola fretus Trustanus repetit Sedem suam. Augebatur indies discidium inter eum & Cantuariensem Archiepiscopum Radulphum; quia ipse blandiciis vel minis adduci nequeat; ut ei manus ad consecrandum imponeret, nisi Professionem faceret: nec Trustanus hoc futurum sub capitis periculo promittebat. Successori autem Paschalis Papæ Gelasio citra montes venienti ambo Archiepiscopi statuerunt occurrere, causarum suarum patrocinio affuturi. Calixtus, qui successerat, Remis ad celebrandum venit Concilium. Trustanus eo tempore erat cum Rege Angliæ, petens ab * eis licentiam ad dictum Concilium transeundi. Tandem optinuit, eâ interpositâ fide, ut Episcopalem benedictionem à Papâ non reciperet. Tali sponsione † legatus arripuit iter suum. Sed mox, ut opportunum viderat, oblitus est Regis; & * Romanos, ut suam sustinerent causam, largiter exhibuit; & à Papâ contra consuetudines omnes benedictionem Episcopalem accepit. Sanè præcesserat Trustanum ad Papam Legatus Regis Segfredus, postea Cicestrensis Episcopus, denuntiaturus Papæ ne ullo modo Trustanum consecraret, aut ab aliquo nisi à Cantuariensi Archiepiscopo consecrari permitteret: & si contra hoc ipse Papa faceret, certus existeret, quòd nec pro amissione coronæ suæ suum propositum non † haberet. Et respondit Papa: 'Ne 'putet Rex me de quo agitur negotio aliter acturum quàm ipse velit. Ne'que enim me ad hoc voluntas mea unquam tulit: ut Cantuariensis Eccle'siæ dignitatem, cui tot præclari Patres præfuerunt, læderem. Et his blandiciis persuasus Legatus mature rediit ad Regem. Post cujus discessum Papa, [Romanorum] jussis obnoxius, qui in amicitiam Trustani transierant, eum [a] sacravit; palàm interdicente Johanne Archidiacono Cantuariensi. Responditque ei Apostolicus: 'Nullam injustitiam Ecclesiæ Cantuariensi volumus facere, sed salvis justitiâ & dignitate illius * quod facimus. Id audientes frivolum judicarunt; cum discordaret factum à dicto.

* *Lege* eo.
† *Lege* ligatus.
* *Lege* Romanis.
† *Malmsburiensis legit* mutaret.
* *Lege* hoc.

[a] Anno 1119. 14. Cal. Novembr. Simeon Dunelm. de gest. Reg. pag. 240.

Hoc

Hoc audito, Rex interdixit Trustano omnem dominationis suæ terram. Quam severitatem nec tunc voluit diminuere; licèt Papa rogasset; & Papa asseruit se eum de fide, qua se Rex obligatum esse dicebat, eum auctoritate B. Petri soluturum. Quod cùm * frustratum fuisset; tunc quidem [res] impacata remansit. Sed anno sequenti † tam Papa in sede Apostolatûs corroboratus, liberius quæ vellet disponeret; misit Epistolam, ut aut Trustanus Archiepiscopatu potiretur, aut Rex anathemate & Archiepiscopus Cantuariensis suspensione sacerdotalis officii plecterentur. Hic metus coegit Regem cœptis desistere: & sic receptus * est Trustanus in Sede. Et ita ille quamvis Radulphus & Willelmus Archiepiscopi Cantuarienses multas expensas effunderent; omnes allegationes eorum instantiâ suâ irritas fecit. Postea Trustanus abrenuncians sæculo & Episcopatui, factus est Monachus apud Pontem-fractum Ordinis Cluniacensis anno Domini MCXL [a].

* l. frustrà.

† l. cum jam, ex *Malmsburiensi.*

De WILLELMO Eboracensi Archiepiscopo.

[aa] Rex Stephanus anno Domini MCXLII. Archiepiscopatum Eboracensem dedit cuidam Clerico nomine Willelmo, quibusdam consentientibus, aliis dissentientibus: & † audebant. [b] Unde cum Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus electione sic factâ nullatenus consentiret; frater Regis Henricus Wyntoniensis Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus præsumptuosè ipsum Electum apud Wyntoniam [c] consecravit. Habuit itaque novus sacratus Eboracensem [Archiepiscopatum;] & vix duobus annis sedit in pace. Anno igitur Domini MCXLVII. in mediâ Quadragesimâ Eugenius Papa celebravit Concilium magnum Remis; ad quod Theobaldus Archiepiscopus scriptis & nunciis Papæ cum cæteris Prælatis vocatus, petitâ à Rege sed non concessâ licentiâ, per multos labores accessit. Clerici Eboracensis Ecclesiæ ad hoc accesserunt Concilium una cum Henrico Murdak tunc Abbate de Fontibus * accusantibus Willelmum Eboracensem Archiepiscopum; dicentes eum neque Canonicè electum nec consecratum, sed Regiâ auctoritate intrusum. Unde præfatus Willelmus convictus & depositus ab Alberico Episcopo Ostiensi ponuntiante taliter & dicente. 'Decernimus auctoritate Apostolicâ Willelmum Eboracensem Archiepiscopum à Pontificatu deponendum; eò quòd Stephanus Rex Angliæ eum ante Electionem Canonicam nominavit. Cum igitur Eugenius Beatum Willelmum Eboracensem Archiepiscopum, pariter † minori parte Cardinalium sibi consentiente, deposuisset; propriâ voluntate Capitulum Eboracense ad ejus mandatum conveniens [d] elegerunt in Archiepiscopum pars major Capituli Dominum Hillarium Cicestrensem Episcopum; & altera pars Henricum Murdak Abbatem de Fontibus. Idem Papa Eugenius utraque electione hujusinodi sic præsentatâ, electionem Henrici Murdak confirmavit, & aliam cassavit; ipsum

† l. ut audebant, reclamantibus. ex Gervasii Chronico p. 1357.

* l. accusantes.

† Videretur *Majori* legendum, *minori* tamen habet Gervasius in Chronico p. 1363.

* Anno 1121. Simeon. Dunelm. ibid. p. 244. [a] Monachicum sumpsit habitum XII. Calend. Febr. (die Conversionis S. Pauli. Tho. Stubbs p. 1720.) & Nonis Februarii in bona senectute vita decessit; ibidemque humatus requiescit, anno Episcopatus sui XXVII. *Continuator Florentii Wigorn. ad an.* 1140. [aa] Hinc error Rogeri Hoveden corrigi potest: qui Willelmum & Henricum Murdak eodem anno 1140. simul à diversis Capituli partibus electos fuisse refert. *Hist. ad an.* 1140. [b] Anno 1142. mense Januario Johannes Hagulstad. in continuat. Sim. Dunelm. de gest. Reg. p. 268. [c] Anno 1144. 6. Cal. Octobr. Johannes Hagulstad. in continuat. Simeonis Dunelm. p. 273. [d] Anno 1148. in Vigilia S. Jacobi. Idem p. 276.

Henricum

Henricum propriis manibus [a] consecrando. Willelmus hoc modo depositus, rediit in Angliam; & mansit Wyntoniæ cum Henrico Wyntoniensi Episcopo usque ad obitum Papæ Eugenii; & consilio dicti Episcopi in omnibus inhærebat. Anno Domini MCLIV. mense Januarii die S. Vincentii cum Hugo Tihes Eboracensis & Wyntoniensis Archidiaconus ad Ecclesiam Dunelmensem vacantem communiter eligeretur, Henricus Eboracensis Archiepiscopus Electionem, quantum in eo fuit, cassavit. [b] Sed prædictus Electus cum suis Electoribus appellavit [Romam;] & ibi suam consecrationem à Papâ Anastasio Eugenii Papæ successore accepit. Beatus igitur Willelmus tertiâ die sequente ad Curiam Romanam accessit: quem idem Dunelmensis Episcopus honorificè suscipiens, & ejus negotia usque adeò procuravit; quòd ei restitutionem sui Archiepiscopatus Eboracensis à dicto Papâ Anastatio perquisivit; & ei Pallium, quod nunquam prius [c] habuerat, impetravit. Postea Willelmus Archiepiscopus Eboracensis in Angliam rediens & suam alumpnam Wyntoniensem Ecclesiam visitans, ad Sedem propriam Eboracensem [d] veniens in solempnitate Pentecostes inter Missarum solennia veneno [e] interfectus est; & post paucos dies migravit ad Christum.

De ROGERO Archiepiscopo.

Rogerus Cantuariensis Archdiaconus eodem anno electus est ad regimen Eboracensis Ecclesiæ; & consecratus est à Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo apud Westmonasterium VI. Idus Octobris, [f] astantibus Richardo Londoniensi, Roberto Lincolniensi, Gilberto Herefordensi, Waltero Roffensi, Roberto Bathoniensi, Nigello Eliensi, Willelmo Norwycensi, & Johanne Wygorniensi. Anno gratiæ MCLXXII. venit Rex Londoniam [cum] Domino Hugone Papæ Legato; qui convocato Clero proposuit Concilium celebrare. Cum in medio sederet Legatus, Cantuariensis Archiepiscopus dextram optineret; Rogerus Eboracensis Archiepiscopus innatâ sibi invectus arrogantiâ, sinistram sibi debitam respuens, inter Legatum & Cantuariensem Archiepiscopum irreverenter innitens sedere visus est; adeò ut in sui Primatis gremio resideret: cum ipse [à] Clericis & Laicis turpiter dejectus est cum baculis & pugnis ad terram. Et exiliens Cantuariensis Archiepiscopus bonum pro malo reddidit: æmulum suum & Cantuariensis Ecclesiæ inimicum surripuit tantæ cladi. Tandem Eboracensis à terrâ resurgens cum capâ suâ turpiter discissâ, Regis prostratus vestigiis, in Cantuariensem Archiepiscopum calumpniam intulit * mendosam. Sed auditâ præsumptionis suæ veritate, suæ vesaniæ dignos catulos reportavit. Dum autem ad Regem fugeret pluries; in consilio clamare cœperunt: 'Vade, vade traditor S. Thomæ: 'adhuc fœtent illius sanguine manus tuæ illæ: Rogerus semper capitalis inimicus Ecclesiæ Cantuariensis erat & B. Thomæ Martyris.

* *vult* mendacem.

[a] Anno 1148. in Octavis S. Andreæ Dominica secunda Adventûs Domini. Id. ibid. [b] Obiit Henricus 1154. prid. Id. Octobr. Id. p. 282. Anno 1153. Stubbs p. 1721. [c] Missum illi fuerat à Lucio Papa anno 1146. sed à Legato reportatum. Id. p. 274. [d] Eboracum intravit 1154. 7. Id. Maii. Stubbs p. 1722. [e] Obiit 1104. 6. Id. Junii. Id. ibid. [f] Anno 1154. die S. Paulini. Diceto Imag. Hist. p. 529. Dies autem VI. Id. Octobr. Paulino sacer erat. Vide Bedam Hist. Eccl. l. 3. c. 14.

De GALFRIDO Electo Eboracensi.

Galfridus, filius Regis Henrici sed nothus, resignavit [a] Episcopatum Lincolniensem anno suo octavo in manum Richardi Cantuariensis Archiepiscopi; & factus est Cancellarius Regis Angliæ patris sui. Postea ad Archiepiscopatum Eboracensem [b] eligitur: & rumor dispersus est in Angliam; quòd ipse electus ex mandato Papæ deberet in Franciâ consecrari. Unde stupefacti Episcopi videntes in hoc matris suæ Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem minui; cum debeat ab antiquo Eboracensis Electus ab Archiepiscopo Cantuariensi professione præmisâ Cantuariæ consecrari; factâ solempnitate Appellatio propter gravamina hujusmodi in Franciam destinata est.

'Willelmus Episcopus Eliensis, Apostolicæ Sedis Legatus, & cæteri Provin-'ciæ Cantuariensis Episcopi, Archiepiscopis & Episcopis salutem. Quantis 'hucusque sancta Cantuariensis [Ecclesia] immunitatibus sit gavisa; vestram 'notitiam credimus non latere. Inter quas [est] ne Eboracensis alibi quàm 'Cantuariæ & ab ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo consecretur. Unde Baldwinus 'Cantuariensis Archiepiscopus edoctus, antequam iter suum Hierosolymita-'num arriperet, adversus Eboracensem Electum Galfridum, ne ipse ab alio 'quàm à se & in Ecclesiâ Cantuariensi factâ sibi professione & obedientiâ 'consecretur, appellavit. Nos eandem appellationem nomine Cantuariensis Ec-'clesiæ innovamus; & ne idem † Cantuariensis Electus alibi munus consecra-'tionis accipiat, ad Sedem Apostolicam appellamus.

† l. Eboracensis.

Sed ex mandato Cœlestini Papæ Turonis ab ejusdem Archiepiscopo contra antiqua jura Cantuariensis Ecclesiæ & appellationes hujusmodi extitit [c] consecratus. Cui [cum] milites Dovorræ manus [d] injecissent; ipse viriliter tenentium eum manus evasit; & Ecclesiam Monachorum S. Martini ingressus est. In qua ferè per octo dies à comprovincialibus militibus januis clausis & obseratis obsessus est. Et postmodum missi milites, ut egrederetur dictam Ecclesiam, monuerunt ex parte Regis. Quo nolente, reversi sunt armati & loricati Ecclesiam ingressi, ipsum Eboracensem Archiepiscopum ab altari Crucem portantem de medio Monachorum eum defendere nolentium abstractum per medium aquæ fluentis, quæ Brok appellatur, eum peditem [e] duxerunt in Castrum Dovorræ. Unde consternati sunt Monachi Ecclesiæ Cantuariensis [&] miserunt Monachos, ut eum repeterent; eò quòd à Cellâ Cantuariensis Ecclesiæ abstractus fuisset. Qui cum à petitione tam justâ repulsi Cantuariam redirent; habito in commune Concilio sic scripserunt.

'Reverendo in Christo Patri Domino Willelmo Eliensi Episcopo, Regis 'Angliæ Cancellario, G. Prior & Conventus Ecclesiæ Christi Cantuar. salutem. 'Ecce Eboracensis ab Ecclesiâ nostrâ Dovorræ ab ipso altari militum manu 'armatâ violenter extractus, Crucem bajulans, per abrupta locorum in Ca-'strum Dovorræ ad carcerem pertrahitur, populo ejulante. Clamat Eccle-'sia; petit & repetit; ut ei restituatur ablatus. Miratur mundus in facto 'enormi Cantuariensem Ecclesiam tam segniùs agere, & matrem tam impor-'tabilem filiæ dissimulare mœrorem. Genibus itaque [flexis] vos rogat Cant. 'Ecclesia, ut Dominum adjurat, & ut filium interpellat; quatenus in tam 'arduo negotio non denegetis auxilium; quo honor Sanctæ Ecclesiæ conser-'vetur illæsus.

Vid. Gervas. Chron. p. 1576.

[a] Anno 1182. in Epiphaniâ Domini. Diceto Imag. Hist. p. 613. [b] Anno 1189. die S. Laurentii feriâ quintâ. Bromton. Chron p. 1156. [c] Anno 1191. 15. Cal. Septembr. Diceto Imag. Hist. p. 662. [d] Anno 1191. 18. Cal. Octobr. Id. p. 663. Gervas. in Chron. p. 1576. [e] 14. Cal. Octob. Id. ibid.

Rescriptum Cancellarii Angliæ Regis.

Vid. Gervas. Chron. p. 1577.

'Willelmus Dei gratiâ Eliensis Episcopus, Regis Angliæ Cancellarius, 'Priori & Conventui Cantuariensi salutem. Dilectionem vestram nullatenus pertubari volumus super eo quòd Archiepiscopus Eboracensis apud 'Dovorram est detentus. Vobis enim indubitanter significamus; quòd nec 'per nos nec de mandato nostro captus fuit in Ecclesiâ, nec detentus. Sed 'præcipiebamus; quod si ibidem forsitan applicaret; & fidelitatem Domino 'Regi, quam nunquam fecit, nollet facere; ita [cum] plenâ restitutione 'omnium rerum suarum & suorum reverteretur liberè apud Wiffand; quia 'Regi interposito juramento promiserat, quòd dum ipse Rex in suâ peregrinatione existeret, in Angliam non veniret.

Post hanc Cancellarii responsionem convocato Concilio Episcoporum & aliorum, Archiepiscopus Eboracensis eâdem viâ, qua educebatur, [a] redditus est in Ecclesiam S. Martini Dovorræ. Factâ postmodum Episcoporum coadunatione unà cum Johanne Comite & duobus Archiepiscopis Rotomagensi & Eboracensi, anathematis sententiam in captores hujusmodi consentaneos & participes fulminarunt. Et solus Cancellarius absentavit se, fugiens Londoniam. Quem Comes sequens obsedit Londoniæ: & deinde Castro Dovorræ receptus est, & Justiciarii Angliæ prohibuerunt Baronibus Dovorræ, ne Cancellarium permitterent transfretare. Præ nimiâ tamen angustiâ gemens, veste virili depositâ, habitum induit muliebrem; & dum lintheo caput involutus, navem expectans; & quasi telam, quam gestabat, venundans, deambularet in littore; eundem pauperculæ mulieres ceperunt, & turpiter cædentes projecerunt in terram. Unde exorto terribili clamore, accurrerunt Burgenses; eumque vix ab earum manibus extrahentes, arctiùs custodiebant; donec datâ à Justiciariis licentia [b] transfretaret. Sic igitur à suo amotus officio, cum pudore ab Angliâ est fugatus.

De Compositione Litis.

Succedentibus igitur diversorum Cantuariensium & Eboracensium Archiepiscoporum temporibus Cantuariensis Ecclesia à professione & obedientâ Eboracensis Ecclesiæ abrogata est & abolita per abusum. Nova briga inter Cantuarienses & Eboracenses Archiepiscopos super bajulatione Crucis in utraque Provincia inchoavit; & per multorum Archiepiscoporum tempora non sine scripturis magnis, laboribus & expensis perduravit. Quod Excellentissimus Princeps Dominus Edwardus Rex Anglorum, ac corporum & animarum pericula considerans, ac pacem & quietem populi sui affectans, dictos Archiepiscopos sc. Dominos Simonem Islep Cantuariensem & Johannem Thoresby Eboracensem ad pacis concordiam invitavit. Qui apud Westmonasterium in ipsius Regis & aliorum præsentia quandam compositionem super bajulatione Crucium suarum fecerunt: quam Papa confirmavit postmodum sub hac forma.

[a] *6.* Cal. Octobr. Diceto ibid. [b] 4. Cal. Novembr. Idem p. *665*.

Confirmatio

Confirmatio Compositionis per Innocentium.

'Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memo-
'riam. In supremæ dignitatis solio, licèt immeriti, disponente Domino
'constituti, de universarum orbis Ecclesiarum, quarum cura nobis imminet
'generalis, statu pacifico, quantum nobis ex alto permittitur, sollicitè
'cogitamus; ac eis quæ ut inter ipsarum Ecclesiarum Antistites pacis
'tranquillitas vigeat, & concordiæ unitas invalescat, providè facta sunt, ut
'illibata persistant, libenter adjicimus Apostolici muniminis firmitatem. Sanè
'petitio Venerabilium fratrum Simonis Cantuariensis & Johannis Eboracen-
'sis Archiepiscoporum nobis nuper exhibita continebat; quòd ortâ dudum
'inter Prædecessores eorum Cantuarienses & Eboracenses Archiepiscopos,
'qui fuerunt pro tempore, quinetiam inter eos, super eo quòd Simon Can-
'tuariensis & ejus prædecessores se per totam Eboracensem, & Johannes Ebo-
'racensis & ipsius prædecessores prædicti se per totam Cantuariensem, Pro-
'vincias Crucem erectam ante se deferre facere tam de indulto Sedis Apo-
'stolicæ quàm etiam de antiquâ & approbatâ consuetudine posse dicebant;
'materiâ quæstionis; tandem post multas & diuturnas controversias & lites
'inter ipsos & eorum prædecessores prædictos super [hoc] habitas, dicti
'Simon & Johannes Archiepiscopi controversiis & litibus hujusmodi finem
'imponere, ac periculis quæ exinde verisimiliter provenire poterant obviare
'salubriter, intentis desideriis affectantes, quandam Compositionem super
'præmissis inter se pro ipsorum & Ecclesiarum suarum statu pacifico & con-
'cordi fecerunt: prout Instrumento publico inde confecto, ipsorum Simonis
'& Johannis Archiepiscoporum sigillis munito; cujus tenorem de verbo ad
'verbum inseri præsentibus fecimus, plenius continetur. Quare pro parte
'eorundem Simonis & Johannis Archiepiscoporum nobis fuit humiliter sup-
'plicatum; ut Compositionem hujusmodi, non obstante quòd in eâ consen-
'sus venerabilium fratrum nostrorum Suffraganeorum eorum Simonis &
'Johannis Archiepiscoporum, ac dilectorum filiorum Prælatorum Ecclesia-
'sticorum in eisdem Provinciis consistentium, & Cantuariensis ac Eboracen-
'sis Ecclesiarum Capitulorum, & Clericorum aliorum Provinciarum prædi-
'ctarum, consensus minimè intervenerit, ex certâ scientiâ confirmare, om-
'nemque alium defectum, si quis invervenerit, in eâ parte supplere, de be-
'nignitate Apostolicâ dignaremur. Nos itaque prædictorum Simonis & Jo-
'hannis Archiepiscoporum supplicationibus inclinati, hujusmodi Compositi-
'onem ratam & gratam habentes; illam, non obstante quòd in eâ eorundem
'Suffraganeorum, Prælatorum, Capitulorum & Clericorum consensus, ut
'præfertur, minimè intervenerit, ex certâ scientiâ confirmamus; & præsen-
'tis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem alium defectum, si
'quis forsan intervenerit in eadem. Tenor verò dicti Instrumenti talis est.

'In Dei nomine, Amen. Anno à nativitate ejusdem MCCCLIII. men-
'se Aprilis, die XX. Indictione VI. Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris
'Domini Innocentii Papæ VI. anno primo, in Palatio Regio Westmonasterii
'Londoniensis Diœcesis, in mei Willelmi Notarii publici infrascripti &
'discretorum virorum Magistrorum Johannis de Lecch Decretorum Docto-
'ris, Walteri de Merstoun Jurisperiti, ac Adæ de Hiltoun Clerici, Apo-
'stolicâ auctoritate Notarii publici, testimonium ad hoc vocatorum & roga-
'torum præsentiâ constituti personaliter Reverendi Patres Domini Simon
'Cantuariensis & Johannes Eboracensis Archiepiscopi quandam Compositi-
'onem super bajulatione Crucium suarum inierunt; & ipsam in scriptis in
'forma sequenti redigi, & suis sigillis unanimiter communiri [fecerunt.]

Anno 1352. sic Registrum MS. Eccl. Chr. Cant.

'Universis pateat præsentes literas inspecturis; quòd cum propter impedimenta
'delationum crucium Reverendorum Patrum Dominorum Cantuariensis &
'Eboracensis Archiepiscoporum in suis Provinciis indifferenter per eorum
'utrumq; ubique liberè faciendarum varia possent in futurum scandala proveni-
're; mediante Illustrissimo Principe Domino Rege Angliæ, in ejus præsentiâ
'pro bono pacis & concordiæ, pro se suisque successoribus prædictorum Archi-
'episcopis futuris, inter Reverendos Patres Dominos Simonem Dei gratiâ Can-
'tuariensem Archiepiscopum, totius Angliæ Primatem & Apostolicæ Sedis Le-
'gatum, ac Johannem eadem gratiâ Eboracensem Archiepiscopum, Angliæ Pri-
'matem & Apostolicæ Sedis Legatum, amicabiliter sic convenit. Inprimis
'quòd idem Reverendus Pater Dominus Simon Cantuariensis Archiepiscopus
'& successores ejusdem Archiepiscopi Cantuariense Crucem suam in Civi-
'tate, Diœcesi & totâ Provinciâ Eboracensi & per eas ante se deferri liberè faci-
'ent, ubicunque, quandocunque, & quotiescunque sibi placuerit, absque
'turbatione & impedimento Domini Johannis Eboracensis Archiepiscopi su-
'pradicti, & cujuslibet Successoris ejusdem, seu alterius cujuscunque ipsorum
'nomine vel mandato, clam vel palam vel occultè. Item inter eos convenit;
'quòd idem Reverendus Pater Dominus Johannes Eboracensis Archiepiscopus
'supradictus & Successores ejusdem ibidem Archiepiscopi Crucem suam in
'Civitate Cantuariæ & totâ Provinciâ Cantuariensi & per eas ante se ubi-
'que deferri liberè facient, quandocunque & quotiescunque sibi placuerit, ab-
'sque turbatione & impedimento ejusdem Reverendi Patris Domini Simonis
'Archiepiscopi Cant. prædicti, & cujuslibet Successorum ejusdem, seu alterius
'cujuscunque nomine vel mandato suis, clam vel palam, publicè vel occultè.
'Sed idem Dominus Johannes Eboracensis Archiepiscopus prædictus infra
'duos menses post datam præsentium proximè sequentes, ac quivis ejus Suc-
'cessor Eboracensis Archiepiscopus infra similes duos menses à tempore quo
'primò Cantuariensem Provinciam post Consecrationem de cætero ingressus
'fuit, pro delatione pacificâ Crucis suæ in Civitate, Diœcesi & totâ Provin-
'ciâ Cantuariensi absque impedimento dicti Reverendi Patris Domini Si-
'monis Cantuariensis Archiepiscopi & cujuslibet sui Successoris in posterum
'faciendo, eidem Domino, Eboracensi Archiepiscopo & Successoribus suis
'per dictum Dominum Archiepiscopum Cantuariensem concessâ, & per eum
'& successores suos liberè permittendâ, unum Nuncium solempnem, viz.
'Officialem suum, Cancellarium suum, Auditorem Causarum, vel unum
'Doctorem Legum, seu unum Militem, ad Ecclesiam Cathedralem Can-
'tuariensem cum unâ Imagine aureâ valoris XL. librarum sterlingorum sculp-
'tâ ad similitudinem Archiepiscopi Crucem in manu suâ deferentis, vel jo-
'cali aliquo notabili aureo ejusdem valoris, videlicet XL. librarum: quem qui-
'dem valorem idem Dominus Rex, cum cujus voluntate & arbitrio iidem Do-
'mini Cantuariensis & Eboracensis Archiepiscopi quantum ad hoc se submise-
'runt, specialiter declaravit: efficaciter mittere: Et quilibet Nuncius sic mitten-
'dus, statim postquam sic destinatus & ordinatus fuerit pro delatione Imaginis
'vel jocalis prædicti, iter effectualiter arripere, & gressus suos versus dictam
'Cant. Ecclesiam continuare, & infra duos menses prædictos consummare fide-
'liter, teneantur. Et cum hujusmodi Nuncius ad Ecclesiam ipsam Cant. sic
'ante jam dictam Imaginem vel jocale ad feretrum gloriosi Martyris B. Thomæ
'dudum Cantuariensis Archiepiscopi, in honorem & reverentiam Dei ac ipsius
'Martyris; præmunitis ante ingressum dictæ Ecclesiæ Domino Priore vel Sup-
'priore seu Præcentore ipsius Ecclesiæ, si præsentes fuerint, aut saltem Monacho
'custode feretri ipsius; effectualiter, palam & publicè offeret & devotè. Si
'verò contingat dictum Dominum Eboracensem Archiepiscopum aliquem,
'postquam ingressus fuerit Provinciam Cantuariensem, & delationem Crucis
'suæ per tres dies fecerit in eadem; ante finem duorum mensium oblatione
prædicta

'prædicta feretro B. Thomæ, ut præmittitur, non facta decedere; Successor
'ejus proximus quicunque ipsam oblationem pro factâ delatione Crucis suæ
'per præfatum Prædecessorem suum realiter facere teneatur. In Parliamen-
'tis autem, tractatibus, & Conciliis Regiis, quando Cantuariensis & Ebora-
'censis Archiepiscopi simul præsentes fuerint; quicunque Cantuariensis Ar-
'chiepiscopus, quòd Cantuariensis Ecclesia antiquior & præeminentior fore
'noscitur, ad Domini Regis dexteram assidebit, & præfatus Eboracensis
'Archiepiscopus existens pro tempore ad sinistram. Crux etiam Cantuari-
'ensis Archiepiscopi ex parte dextrâ lecti Regii seu alterius loci, in quo Re-
'gem sedere continget, & Crux Eboracensis ex sinistrâ parte, si Cantuarien-
'sis præsens fuerit, reponentur. In Conciliis verò, Convocationibus seu lo-
'cis aliis quibuscunque, in quibus Cantuariensem & Eboracensem Archie-
'piscopos convenire continget, Dominus Cantuariensis. Archiepiscopus pro
'tempore existens primum locum seu sedem eminentiorem, Eboracensis verò
'locum alium secundum eminentiorem, optinere debebunt. Cruciferarii
'verò dictorum Archiepiscoporum cùm in viâ amplâ, ubi Cruces eorum de-
'ferri simul potuerint, convenerint; Cruces proprias deferentes incedere si-
'mul debent. Sed in introitu ostiorum vel in aliis locis strictis, quibus
'Cruces simul deferri nequeunt, Crux dicti Cantuariensis Archiepiscopi
'præcedet, & Crux Eboracensis subsequetur. In quorum omnium testimo-
'nium & fidem nos Simon Cantuariensis & Johannes Eboracensis Archie-
'piscopi sigilla nostra fecimus his apponi. Datum in Palatio Regis apud
'Westmonasterium XX. die mensis Aprilis anno Domini [a] MCCCLIII.
'Et ego Willelmus Bradele, Wyntoniensis Diœcesis Clericus, publicâ au-
'ctoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis sub anno, Indictione, Pon-
'tificatu, mense, die, & loco prædictis, sic, ut præmittitur, actis, gestis, &
'habitis, unà cum dictis testibus, præsens interfui: eaque omnia & singula
'sic vidi fieri & audivi; & in hanc publicam formam redegi, meoque signo
'consueto signavi rogatus, in fidem & testimonium præmissorum. Et ego Adam
'de Hiltoun, Clericus Lichfeldensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali
'auctoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmitti-
'tur, agerentur & fierent, unà cum Magistro Willelmo Notario publico &
'testibus suprascriptis, sub anno, Indictione, Pontificatu, mense, die, & loco
'prædicto præsens interfui; eaque sic vidi fieri & audivi; & huic publico
'Instrumento me subscripsi, & signum meum apposui consuetum in præmis-
'sorum testimonium.

'Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, commu-
'nitionis & suppletionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis
'autem hoc attemptare præsumpserit: indignationem omnipotentis Dei ac
'Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum
'Avinione V. Calendas Martii, Pontificatûs nostri anno tertio [a].

[a] Anno 1352. in Registro L. *Bothe* Ebor. 1353. in Registro *Islip*.

[a] Anno 1354. *Reg. Eccl. Cant.*

Quamdiu Compositio ista observata fuerit, mihi parum constat. Comperio tamen Thomam Tirell Militem jocale à Willelmo Bothe Archiepiscopo Ebor. missum ad Ecclesiam Cant. detulisse 1452. 30. Novembris. Ex Registro *W. Bothe* Ebor.

Pro-

Professiones Episcoporum factæ Sedi Cantuariensi.

Professio Eadulfi Eboracensis Archiepiscopi.

DOmino meo verè amantissimo Ethelardo Archiepiscopo, Eadulfus Eboracensis humilis Episcopus tuusque amicus, perennem in Domino salutem. Solet namque sancta Ecclesia juxta normulam paternæ traditionis, gloriosissimis verbi prædicatoribus, scil. Episcopis, ex hac luce migrantibus, alios iterum Deo auspice in regimen Christianæ plebis Præsules promovere. Quatinus per eos [a] interius fides sancta augeatur; & verbum Dei non deficiat, sed magis crescat & currat & multiplicetur in laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi secundùm illud Psalmistæ. [b] *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Cujus viz. Episcopi, quisquis ille est, fides primùm discutienda est, si de Domino bene ipse sentiat, quod aliis prædicare conatur: ac sic paulatim quæritur; si docibilis, si moribus temperatus, si sobrius, si vitâ castus, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus. Ad hæc, tibi amantissime Pater, me idoneum, ut fertur, non esse respondeo; tamen quantum in me puræ fidei cognitionis est, tibi ociùs expedire curabo. Credo Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, atque in Trinitate Deum plenum confirmans, & totas tres personas unum Deum: Incarnationem quoque divinam non in Patre factam neque in Spiritu Sancto sed in Filio tantùm, ut qui erat in divinitate Dei Patris filius, ipse fieret in homine hominis Matris filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex Matre; qui est unus Deus, Creator omnium quæ sunt cum Patre & Spiritu sancto, qui passus est verâ carnis passione, & resurrexit verâ carnis resurrectione & animæ resumptione, in qua veniet judicare vivos & mortuos judicio perenni. Hoc absque ambiguitate credo, hoc laudo, hoc confiteor, & per populos prædicare desidero. In hujus etiam summâ professionis à R R. Ethelardo Pontifice eruditus, Pontificatûs licèt indignus promerui dignitatem. Cujus etiam, quanto tempore aurâ vescar ætherea, jussionibus non reluctor; sed semper obedientiæ meæ humilis colla submittere curabo tibi, Ethelarde Archiepiscope, tuisque successoribus in perpetuum. Etsi diversi quondam diversa sectarentur; meæ saltem obtemperantiæ servatur diligentia; unde honoris experientiam percepturus sum, ac gloriosissimi quique gentis nostræ Præsules perceperunt. Nec ab re est, si ad Episcopalem B. Augustini sedem, cui prius præsidet Ethelardus Archiepiscopus, non ego tantùm sed & omnes mecum Præsules prospiciant ad Doroberniam civitatem, unde nobis omnibus Ecclesiasticæ dignitatis ordo B. Gregorio dirigente ministratur. Sed te precor, amantissime Pater; ut quem solitâ pietate rudimentis fidei imbuisti, tuâ paternâ benedictione non deseras: ut quos effectuosa junxit familiaritas, beata remuneratio non separet sempiternos. Hanc præscriptam paginam ego Eadulphus Episcopus meâ propriâ manu cum vexillo. sanctæ crucis Christi confirmabo & subscribo. Opto bene valeas, Pater beatissime, semper. Plurimis annis incolumitatem vestram gratulabundus audire merear.

[a] Interim. *Cod. Cot.*

[b] Psal. XLV. 17.

Pro-

Professio Berthredi Lindisfarorum Episcopi.

EGO Berthredus divinâ favente pietate humilis Lindisfarorum Antistes, cum ambabus subnuncupatorum congregationibus Ecclesiarum, pariterque cum Abbatibus, Abbatissis & universis famulis Christi quibus præsum & à quamdiu, Sancto merito, ut credimus, beato Celnod Pontifici eximio, & suæ satis fideli famosæque Doroverniæ civitatis Ecclesiæ perennem inextricabilis caritatis obedientiæq; salutem optamus. Testificor coram Deo & Christo Jesu, qui judicaturus est vivos ac mortuos, ac profiteor me unà cum cæteris commilitonibus meis, Episcopis, viz. nostris, professionem meam, quam illis præsentibus tibi tuæque sanctæ Sedis auctoritate vestro judicio fiducialiter porrexi, in quantum Dominus donabit, ut possum fideliter, impleturum: stabilemque me esse permanentem sine aliquâ dissimulatione & deceptione tibi venerande pater Celnod Archiepiscope tuisque successoribus atque tuo Metropolitano throno Dorovernensis Ecclesiæ me semper humili devotione obedire velle profiteor usque ad finem vitæ meæ. Sic etiam orthodoxam catholicam apostolicamque fidem profiteor. Suscipio etiam decreta Pontificum, & sex Sinodos Catholicas sanctorum & antiquorum virorum; & præfixam ab eis fidem ac regulam sincerâ devotione conservo; & per omnia, sicut prædecessor meus beatæ memoriæ Eadwalsus Episcopus, cujus nos licèt indigni vicem tamen gerimus, præceptis juris obedivit; tantoque humilis nostri oris documento & sanctæ Sedis auctoritate subjectum me esse gaudeo; quanto me vel indoctiorem scientiâ vel infirmiorem meritis apud Deum & homines, ab illius comparatione reminiscor. Sed hoc est unum quod à te petam, & hanc requiram; ut si quid in meis actibus ineptum, pravum vel incorrectum inveneris vel audieris; statim mihi pariter modum & culpæ quam egerim, & pœnitentiæ quam agam ostendas. Libenter enim, quæ jusseris, juxta vires nostras Deo juvante complere gaudebimus. In his igitur curis pastoralibus tuæ sanctæ eruditionis indigemus auxilio sæpissimè; ut tuâ sanctâ admonitione nos jugiter de somno ignaviæ & torpore negligentiæ & universis periculis eripere & suscitare digneris. Ego Berhtrede Episcopus pace confirmatâ, omnium Dei sacerdotum Ecclesiarumque sancta decreta canonum catholicorum & diffinitionem priorum modernorumque Pontificum consentiens subscripsi.

Professio Bermodi Roffensis Episcopi Ethelardo Archiepiscopo facta.

QUoscunque ad recipiendum sacerdotii apicem gratia Domini Dei nostri Jesu Christi per ora suorum fidelium vocat, hos nimirum Sanctæ Ecclesiæ ritus per assidua hortatur exempla & docet, quatinus ei qui inter Provinciales Episcopos Primatum habere ex concessâ desuper autoritate conspicitur, libellos fidei suæ pariter & obedientiæ sinceriter offerant, scil. ut tanto promptiùs alacriùsque subjectis benedictionem favente Spiritu Sancto Prælatus impendat; quanto securior certiorque redditus fuerit de rectâ credulitate & religiosâ vitâ ipsorum, &c.

Professio Sciraburnensis Episcopi.

AThelardo Archiepiscopo confessio fidei breviter dicenda, & tamen firmiter tenenda. [c] *Est enim fides sperandarum rerum argumentum non apparentium:* Ut Apostolus ait. Habeo namque unam Trinitatis majestatem in animâ meâ conditam: ut Job de resurrectione. Etenim hæc spes mea in sinu meo composita. Diffidebam enim aliquid de majore gradu, quem accipere cogor; recordatus Apostolum Paulum dixisse. [d] *Qui Episcopatum desiderat, bonum*

[c] Heb. XI. 1.

[d] 1 Tim. III. 1.

bonum opus desiderat. Sed & hoc pietatis vestræ præcordiis latere non patiar; quia hujus regiminis fastigium non spontaneâ voluntate, sed plurimorum Sciréburnensis Ecclesiæ famulorum precibus, necnon Principum jussionibus coactus ascendi; * nec illo decreto, quo nos aut Rex aut Principes nostri beneficiis suis ad hoc invitent, sed cotidie, quod pejus est, miseriarum damnis Ecclesiasticos viros affligi cernimus. Non enim desiderium habui hujus ministerii laborem intrandi, quia prius cœnobialis vitæ congregationem circumplexi & omnem sæcularem vel spiritualem sufficientiam in illâ conversatione tenui, secundùm Apostoli dictum: [e] *Si habemus victum & vestimentum, in his contenti simus*. Et maximè quia meipsum coram Deo & hominibus nimium peccatorem novi & indignum tam magni honoris etiam nomen accipere; ut quidam sapientum ait. Magnus quidem honor, sed grandis labor: Et Sanctus Gregorius pater noster in Deo. Difficilè possum alios ad littus perfectionis deducere; qui adhuc in delictorum fluctibus versor. Hoc saltem de nobis ultimis & penè pessimis dicendum est, quod sanctitatis vir de semetipso proferebat. Et alibi. Quis ergo regnum, quis opes, quis gloriam quærit innoxiè, si & illi extiterunt noxia, qui ea habuit non quæsita? Idcirco his sententiis admonitus, Excellentiæ vestræ almitatem humillimâ prece deposco; cùm vestris obtutibus præsentabimur, si hoc vobis placet, ut gradum nobis imponatis, vestris orationibus adjuvemur, & divinis astipulationibus sustentemur: & nos cum omni humilitate promptam obedientiam vobis & verbis confitebimur & actibus subsequemur; favendo, fulciendo, firmando Archiprimatum Pontificalis apicis Metropolitanæ Dorobernensis Ecclesiæ † inviolabiliter sectando, laborando, certando, quamdiu vita comes fuerit, in omnibus ubique viribus meis; ut clemens omnipotens indultor adjuvet statum regni † nostri prosperis successibus. Testem invoco Deum in omnibus me sine fine mansurum, absque ullâ ambiguitate usque ad calcem vitæ meæ perseverando ad illam prædictam Sedem, tibi Ethelarde Archiepiscope tuisque successoribus, perenni titulo crucis Christi firmando roboravi.

* Non. *Cod. Cot.*

[e] 1 Tim. VI. 8.

† Inviolabili fide. *Cod. Cot.*

† Vestri. *Cod. Cot.*

Professio Hersasti Helmeamensis Episcopi.

SAcris sanctæ Ecclesiæ institutionibus commonemur Metropolitanis nostris secundùm Canones in omnibus obedire, eisque priusquam sacremur de obedientiâ nostrâ professionem porrigere. Verùm tempore ordinationis meæ sancta Cant. Ecclesia proprio fuerat destituta Pastore. Deposito enim Stigando, qui præfatum Ecclesiam expulso Archiepiscopo Roberto invaserat, usumque sibi Pallii sine Sedis Apostolicæ auctoritate usurpare præsumpserat, necdum alius pro eo præfatæ Ecclesiæ fuerat ordinatus Antistes. Propterea ego Hersastus Helmeamensis seu Tetfortensis Ecclesiæ jam sacratus Episcopus tibi Lanfrance Dorobornensis Archiepiscope scriptam de obedientiâ meâ professionem porrigo; tuisque tuorumque successorum jussionibus secundùm canones me in omnibus obtemperaturum esse promitto.

Professio Patricii Dublinensis Episcopi.

QUisquis aliis præsidet, si & ipse aliis subjaceat, dedignari non debet, sed potiùs obedientiam, quam à subjectis suis desiderat habere, propter Deum studeat prælatis sibi per omnia exhibere. Propterea ego Patricius ad regendam Dublinam Metropolem Hiberniæ electus Antistes, tibi, reverende pater Lanfrance, Britanniarum Primas & Sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscope, professionis meæ cartam porrigo; meque tibi tuisque successoribus in omnibus quæ ad Christianam religionem pertinent obtemperaturum esse promitto.

Pro-

Professio Donati Dublinensis Episcopi.

EGO Donatus electus Dublinensis Ecclesiæ Antistes, quæ in Hiberniâ sita est, canonicam obedientiam tibi promitto & successoribus tuis, ô Lanfrance sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscope.

Forma professionis à temporibus Lanfranci ad media tempora Bonifacii Archiepiscopi usitatæ.

EGO Ricardus Londoniensis Ecclesiæ electus, & à te Reverende Pater Anselme sanctæ Cant. Ecclesiæ Archiepiscope & totius Britanniæ Primas, Episcopus consecrandus, tibi & omnibus successoribus tuis canonicam per omnia subjectionem & obedientiam me servaturum promitto.

Formula professionis Archiepiscopi Eboracensis.

EGO Thomas Ebor. Ecclesiæ consecrandus Metropolitanus profiteor subjectionem & canonicam obedientiam sanctæ Dorobernensi Ecclesiæ & ejusdem Ecclesiæ Primati canonicè electo & consecrato & successoribus suis canonicè intronizatis, salvâ fidelitate Domini mei Henrici Regis Anglorum, & salvâ obedientiâ ex parte meâ tenendâ, quam Thomas antecessor meus sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex parte suâ professus est.

Forma professionis à mediis Bonifacii temporibus usitatæ.

EGO Johannes Ecclesiæ Cycestr. electus, & à te, Reverende Pater Bonifaci sanctæ Cant. Ecclesiæ Archiepiscope totius Angliæ Primas, consecrandus Antistes, tibi & Cant. Ecclesiæ & successoribus tuis canonicè substituendis debitam & canonicam obedientiam & subjectionem me per omnia exhibiturum profiteor & promitto secundùm decreta Romanorum Pontificum. Tuorumque & Cant. Ecclesiæ jura adjutor ero ad defendendum & retinendum salvo ordine meo. Sic me Deus adjuvet. Et prædicta omnia propriâ manu subscribendo confirmo.

Forma professionis vacante Sede factæ.

EGO Robertus Ecclesiæ Exon. Electus Antistes Archiepiscopo Cant. futuro ejusque successoribus canonicè successuris canonicam obedientiam me per omnia servaturum promitto.

Professio Scotlandi Abbatis S. Augustini.

EGO Scotlandus Ecclesiæ Beatorum Petri & Pauli & S. Augustini electus Abbas profiteor sanctæ Dorobernensi Ecclesiæ ejusque Vicariis canonicam subjectionem.

Formula Certificatoriæ Epistolæ de electione alicujus Episcopi Suffraganei ad Archiepiscopum Cautuariensem missæ.

Ex Rotulo MS. quamplurimas ejusmodi Literas continente, ad Anselmum & Radulphum Archiepiscopos scriptas.

VEnerando Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Metropolitano Anselmo Clerus & populus Ecclesiæ Wintoniensis debitam subjectionem. Vestræ Paternitati est cognitum, quantum temporis est, ex quo accidentibus variis eventibus Ecclesia Wintoniensis suo sit viduata Pastore ac destituta Rectore: quod non solum ad nostrum, verum & ad vestrum ac omnis vestræ Diœceseos detrimentum pertinere dinoscitur; cum totius Provinciæ sollicitudinem Metropolitano constet esse commissam. Propterea elegimus ipsius Wintoniensis Ecclesiæ Presbyterum nomine Willelmum, nobis sufficientissimè cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apostolicâ & Ecclesiasticâ disciplinâ imbutum, fide Catholicum, naturâ prudentem, docilem, patientem, moribus temperatum, vitâ castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, literatum, in lege Dei instructum, in Scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatum, & secundùm Scripturarum tramitem traditionemque Orthodoxorum & Canonum ac Decretorum Sedis Apostolicæ Præsulum Constitutiones sano sensu Ecclesiasticas regulas intelligentem, sanoque sermone docentem atque servantem, amplectentem eum qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, & cum modestiâ corripientem eos qui resistunt, & qui sanæ doctrinæ adversantur, eis resistere & redarguere prævalentem, hospitalem, modestum, suæ domui bene præpositum, non Neophytum, habentem testimonium bonum in gradibus singulis, secundùm traditionem Ecclesiasticam ministrantem, ad omne opus bonum & ad satisfactionem omni poscenti rationem de eâ quæ in illo est spe paratum. Quem nobis quantociùs petimus ordinari Pontificem: quatinus auctore Domino regulariter nobis præesse valeat & prodesse, & nos sub ejus regimine salubriter militare possimus. Quia integritas præsidentium salus est subditorum; & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ.

Formula in præsentatione Archiepiscopi Cantuariensis.

SIcut Sanctorum Patrum auctoritas [jubet] de ipsâ Ecclesiâ nostrâ hunc Presbyterum, propter vitæ munditiam, morum elegantiam, Metropolitanum nobis elegimus; nihil in ejus vitâ, quod sacris Canonibus obviaret, invenientes: Immo eum, qualem ad tantum Sacerdotium sacri Canones exigunt, cognoscentes; castum, pudicum, sobrium, in pauperes Christi largum, literis adprimè eruditum, Ecclesiæ Dei bene præesse scientem, eum noveramus, in [quantum] hominibus nosse datur novimus. Unde in ejus Electionem omnium, tam Cleri quàm populi, tam divitum quàm pauperum, vota sic unanimiter convenerunt; ut nec unus inveniretur, qui de ejus promotione non lætaretur.

Formula in præsentatione Archiepiscopi Eboracensis.

[a] REverendi Patres, qui vice Primatis Cantuariensis convenistis facere officium ejus, postulat Sancta Eboracensis Ecclesia sibi sullimari ad Episcopatûs officium hunc Presbyterum N. quem sicut SS. Patrum docet auctoritas, &c. [sicut in præsentatione Archiepiscopi Cantuariensis.]

[a] Ea formula usurpata est in præsentatione Thomæ II. Archiepiscopi Ebor. in Historiâ MS. de Controversia inter Archiepiscopos Cant. & Ebor. in Biblioth. Cotton. Domitian. A. 5. num. 2.

CATA-

CATALOGUS

ARCHIEPISCOPORUM CANTUARIENSIUM

Ex Registro MS.

HENRICI de ESTRIA

Prioris Ecclesiæ Christi Cantuariensis

In Bibliothecâ Cottonianâ, Galba E. 4.

Isti Archiepiscopi præsidebant in Ecclesiâ Cantuariensi ab anno Domini DXCIX.

AUgustinus, qui fuit primus missus à B. Gregorio Papâ ad conversionem Anglorum, tempore Regis Ethelberti tunc regnantis in Cantiâ & usque ad fluvium Humbriæ, ab Etherio Archiepiscopo Arelatensi jussu S. Gregorii Papæ Archiepiscopus genti Anglorum ordinatus, sedit XVI. annis. Vacatio nulla.

Laurentius sedit V. annis. Vacatio nulla.
Mellitus sedit V. annis. Vacatio nulla.
Justus sedit XIII. annis. Vacatio nulla.
Honorius sedit XVIII. annis. Vacavit annum I. & VI. menses.
Deusdedit sedit X. annos. Vacavit III. annis.
Theodorus, sedit XXII. annos. Vacavit I. annum.
Bricthwaldus sedit XXXVII. annos, menses VI. dies XIV. Vacatio nulla.
Tadwynus sedit III. annos. Vacatio nulla.
Nothelmus sedit V. annos. Vacatio nulla.
Cuthbertus sedit XVII. annos. Hic primus in Ecclesiâ suâ sepultus est, & omnes successores sui præter Jambertum.
Bregwinus sedit III. annos. Vacatio nulla.
Jambertus sedit XXVII. annos. Vacatio nulla.
Ethelardus sedit XIII. annos. Vacatio nulla.
Wilfridus sedit XXXVIII. annos. Vacatio nulla.
Fleolgildus sedit III. menses. Vacavit II. annos.
Eylnothetus sedit XI. annos. Vacatio nulla.
Athelredus sedit XVIII. annos. Vacavit II. annos.
Plegemundus sedit XXXIV. annos. Vacatio nulla.
Adhelmus sedit IX. annos. Vacatio nulla.
Wolfelmus sedit XIII. annos. Vacatio nulla.
Odo sedit XXIV. annos. Vacatio nulla.
Dunstanus sedit XXVII. annos. Vacatio nulla.
Athelgarus sedit I. annum, III. menses. Vacavit I. annum.
Siricus sedit V. annos. Vacatio nulla.

Aluricus ſedit XI. annos. Vacatio nulla.
Elphegus ſedit VI. annos & VIII. menſes. Vacavit I. annum.
Livyngus ſedit. VII. annos. Vacatio nulla.
Eylnothus ſedit XVIII. annos. Vacatio nulla.
Eadſinus ſedit XI. annos. Vacatio nulla.
Robertus ſedit II. annos. Vacavit II. annos.
Stigandus ſedit XVII. annos. Vacavit II. annos.
Lanfrancus ſedit XIX. annos. Vacavit V. annos.
Anſelmus ſedit XVI. annos. Vacavit V. annos.
Radulphus ſedit VIII. annos, VI. (1) menſes. Vacavit [a] an. I. menſem I. dies XVI.
Willelmus ſedit XIII. annos, IX. menſes (2) Vacavit II. annos, I. menſem, XIV. dies.
Theobaldus ſedit XXII. annos, IV. menſes (3) Vacavit I. annum, I. menſem, XVI. dies.
Thomas ſedit VIII. annos, VI. menſes XVIII. dies (4) Vacavit II. annos, V. menſes [b] XXVIII. dies.
Ricardus ſedit X. annos, [c] VIII. menſes, XVI. dies (5) Vacavit I. annum, II. menſes XXX. dies.
Baldewynus ſedit V. annos, XI. menſes, V. dies (6) Vacavit II. annos, XI. menſes, IV. dies.
Hubertus ſedit XI. annos, VIII. menſes, VI. dies. (7) Vacavit I. annum, XI. menſes, IV. dies.
Stephanus ſedit XXI. annos, XXIII. dies. Vacavit [d] annum I. menſes IV. dies XXIII.
Ricardus Magnus ſedit II. annos. Vacavit I. annum, XVIII. hebdomadas.
Eadmundus ſedit VIII. annos. Vacavit III. annos, II. menſes, III. dies.
Bonefacius ſedit XXVI. annos, VI. menſes, XVIII. dies. Vacavit II. annos, X. ebdomadas, III. dies.
Robertus de Kilwarbi, de Ordine Prædicatorum, ſedit VI. annos. Vacavit XLIV. ſeptimanas, III. dies.
Johannes de Pecham, de Ordine Minorum, ſedit XIII. annos, XLV. ſeptimanas, V. dies. Vacavit annum I. menſes IX. dies XVI.
Robertus de Wynchelesee ſedit annos XVIII. menſes VIII. dies XX. Vacavit [e] VIII. menſes & XIX. dies.
Walterus ſedit annos XIII. menſes XI. dies III.

Exemplar aliud ejuſdem Catalogi, Vitell. E. 17.
[a] IV. menſes.
[b] XVIII. dies.
[c] XIII. menſes.
[d] Annum I. & dimidium, & IX. dies.
[e] Menſes IX. & ebdomadam unam.

Catalogus alius MS. ibidem in his tantum diſcrepat à præcedenti. Jul. D. 2.
(1) Menſes. IV.
(2) An. II. menſ. I. di. XIV.
(3) An. I. di. XVI.
(4) An. II. menſ. V.
(5) Menſ. IX.
(6) An. I. menſ. VI.
(7) An. I. menſ. VIII. di. VI.

SUCCESSIO

Successio Archiepiscoporum Cantuariensium ex Annalibus brevibus Roffensibus à Christo ad annum MCLX.

Anno Domini.

DXCVI. HIC Gregorius Papa misit Augustinum ad Anglos, Indictione XI. Nero, A. 8.

DCIV. Consecrato sibi in successorem Laurentio, migravit Augustinus.

DCXXII. Obiit Laurentius IV. Non. Februar. Succedit Mellitus.

DCXXVI. Obiit Mellitus VIII. Kal. Maii. Succedit Justus.

DCXXXIV. Obiit Justus IV. Idus Novembr. Succedit Honorius.

DCLIII. Obitus Honorii Archiepiscopi XII. Cal. Octobr.

DCLV. Consecratur Deusdedit à S. Ithamaro VII. Kal. April.

DCLXIV. Obitus Deusdedit II. Idus Junii.

DCLXVIII. Consecratur Theodorus Romæ à Vitaliano VII. Kal. April. die Dominicâ.

DCLXIX. Venit Theodorus Archiepiscopus in Cantiam VI. Kal. Januar. die Dominicâ.

DCXC. Obitus Theodori Archiepiscopi XIII. Kal. Octobr.

DCXCII. Eligitur Brictwaldus Abbas Raculfæ.

DCXCIII. Brihtwaldus consecratur III. Kal. Julii.

DCCXXXI. Obiit Brihtwaldus Archiepiscopus VI. Id. Januar. Successit Tadwynus, consecratus eodem anno IV. Idus Novembr.

DCCXXXIV. Obiit Tadwynus Archiepiscopus II. Kal. Febr. Succedit Nothelmus Londoniensis Presbyter.

DCCXXXVI. Gregorius Papa Nothelmo Pallium mittit.

DCCXL. Obiit Nothelmus XVI. Kal. Novembr. Succedit Cuthbertus Herefordensis Episcopus.

DCCLVIII. Obiit Cuthbertus Archiepiscopus VII. Cal. Novembr. & in Ecclesiâ suâ sepultus est primus, & omnes successores sui præter Jambertum.

DCCLIX. Consecratur Bregewinus Archiepiscopus in die S. Michaelis.

DCCLXII. Obiit Bregewinus Archiepiscopus VIII. Kal. Septembr.

DCCLXIII. Jambertus in die Purificationis S. Mariæ consecratur Archiepiscopus.

DCCLXIV. Jambertus à Paulo Papâ Pallium suscepit.

DCCXC. Obiit Jambertus Archiepiscopus II. Id. Augusti. Succedit Adelardus Abbas.

DCCXCIII. Ordinatur Adelardus Archiepiscopus XII. Cal. Augusti.

DCCXCIX. Adelardus Archiepiscopus Romam proficiscitur.

DCCCIII. Obiit Adelardus Episcopus. Succedit Wlfredus.

DCCCXII. Wlfredus Archiepiscopus Romam proficiscitur.

DCCCXXIX. Obiit Wlfredus Archiepiscopus; cui Feologildus successit V. Id. Junii ordinatus.
III. Kal. Septembr. obiit.

DCCCXXX. Chelnothus Decanus III. Kal. Julii electus, VI. Kal. Septembr. consecratur.

DCCCLXX. Obiit Chelnothus Archiepiscopus. Succedit Adelredus.

DCCCLXXXIX. Obiit Adelredus Archiepiscopus. Succedit Pleimundus.

DCCCCXXIV. Dunstanus Archiepiscopus nascitur. Adelmo Archiepiscopo succedit Wlfhelmus.

DCCCCXXXIII.

DCCCCXXXIII. Defuncto Wlfhelmo Archiepiscopo succedit Odo.
DCCCCLVIII. Migravit S. Odo Archiepiscopus. Succedit Alfsinus.
DCCCCLIX. Alfsinus Romam proficiscens, in Alpinis frigore interit. Brihtwaldus eligitur; eoque repulso, Dunstanus consecratur.
DCCCCLXXXVIII. Obiit Dunstanus Archiepiscopus XIV. Cal. Junii. Succedit Edelgarus Selesigensis Episcopus; unoque anno & tribus mensibus tenuit.
DCCCCXC. Siricus Archiepiscopus consecratur.
DCCCCXCV. Obiit Siricus Archiepiscopus. Succedit Elfricus Wiltoniensis Episcopus.
MVI. Obiit Alfricus Archiepiscopus. Succedit S. Ælfegus Wentanus Episcopus.
MXII. Hic martyrizatus est Ælfegus Archiepiscopus XIII. Kal. Maii.
MXIII. Livingus, qui & Ædelstanus, Wellensis Episcopus, Archiepiscopatum suscepit.
MXX. Livingus Archiepiscopus obiit. Succedit Athelnothus.
MXXII. Athelnothus Romam profectus, à Benedicto Papâ Pallium suscepit.
MXXXVIII. Obiit Athelnothus Cant. Archiepiscopus. Succedit Capellanus Regis Edsius.
ML. Edsius Archiepiscopus obiit; & succedit Robertus.
MLIV. Robertus Archiepiscopus ab Angliâ expellitur; & apud Gemeticum obiit. Succedit Stigandus.
MLVIII. Benedictus Papa Stigando Pallium mittit.
MLXX. Connivente Papâ Alexandro, degradatur Stigandus, instituitur Lanfrancus.
MLXXI. Lanfrancus Romam profectus ab Alexandro Papâ Pallium suscipit.
MLXXII. Obitus Stigandi Archiepiscopi.
MLXXXIX. Obiit Lanfrancus V. Kal. Junii. Sedit autem annis XVIII. mensibus IX. diebus II.
MXCIII. Eligitur Anselmus II. Non. Martii, & consecratur II. Non. Decemb.
MXCV. B. Anselmus Pallium suscepit ab Urbano II. Papâ Willelmo Regi missum.
MXCVII. Anselmus transfretat.
MCII. Celebratum est Concilium apud Westmonasterium præsidente B. Anselmo.
MCIX. Obiit Anselmus Archiepiscopus XI. Cal. Maii.
MCXIV. Radulfus Roffensis Episcopus VI. Kal. Maii ad Archiepiscopatum est electus.
MCXXII. Obiit Radulphus Archiepiscopus XIV. Cal. Novembr.
MCXXIII. Willelmus Prior de Chich. eligitur in Archiepiscopum die Purificationis, & XII. Kal. Martii consecratur, & à Calixto Papâ Pallium suscipit.
MCXXX. Ecclesia Christi Cantuariensis dedicatur IV. Non. Maii.
MCXXXV. Obiit Willelmus Archiepiscopus Cant. XI. Cal. Decembr.
MCXXXVII. Hoc anno IV. Non. Junii combusta est Ecclesia Roffensis & tota civitas cum omnibus officinis Episcopi & Monachorum; & eodem anno obiit Johannes Roffensis Ecclesiæ Episcopus XII. Kal. Julii.
MCXXXVIII. Hoc anno ordinatus est Teobaldus Archiepiscopus VI. Id. Januarii.
MCXLVIII. Obiit Ascelinus Roffensis Episcopus; cui successit Galfridus frater Teobaldi Archiepiscopi.

Radulphi de Diceto Indiculus de Successione Archiepiscoporum Cantuariensium, & à quibus Apostolicis Pallia susceperunt.

Papa Pallium dedit.	*Archiepiscopo*	*Iste sedit annos.*	*Menses.*	*Dies.*	*Vacavit Sedes ann.*	*Menses.*	*Dies.*	Variantes lectiones ex alio ejusdem Codice apponuntur.
Gregorius	Augustino	XVI.						
Idem	Laurentio	V.						
Idem	Mellito	V.						
Bonifacius	Justo	III.						
Honorius	Honorio	XXVI.			I.	VI.		
Idem	Deus dedit	X.			III.			
Vitalianus	Theodoro	XXII.			I.			
Idem	Brichtwaldo	XXXVII.	VI.	[a] XIV.				[a] *Deest.*
Gregorius	Tatwino	III.						
Idem	Nothelmo	V.						
Idem	Cuthberto	XVII.						
Paulus	Bregwino	III.						
Idem	Lamberto	[b] XXXII.						[b] XXVII.
Adrianus	Athelardo	XIII.						[c] *Codex alter Sedem unico mense vacasse dicit.*
Leo	Wlfredo	XXXVIII.			[c] I.			
Johannes	Feologildo		III.					
Gregorius	Ethelnotho	XLI.			II.			
Adrianus	Ethelredo	XVIII.						
Formosus	Pleimundo	[d] XXXIV.						[d] XXXVIII.
Johannes	Athelmo	}						
Idem	[e] Wlfelmo	} XXXV.						[e] Alfelmo.
Agapitus	Odoni	}						
Johannes	Dunstano	XXVII.						
Idem	Æthelgaro	I.	III.					
Johannes	Sirico	V.						
Idem	[f] Elurico	XI.						[f] Alurico.
Idem	Ælfego	VI.						
Benedictus	Livingo	VII.						
Idem	Ægelnodo	XVIII.						
Alexander	Adsino	XI.						
Idem	Roberto	II.						
Victor	Stigando	XVII.			II.			
Alexander	Lanfranco	XIX.			IV.			
Urbanus	Anselmo	XVI.			V.			
Paschalis	Radulpho	VIII.	VI.		IV.			
Calixtus	Willelmo	XIII.	IX.		II.	I.	XIII.	[g] II.
Innocentius	Theobaldo	XXII.	IV.		I.	II.	XVI.	[h] X. [i] VIII.
Alexander	Thomæ	VIII.	VI.	XXVIII	[g] I.	V.	IV.	[l] XVI. [m] IX.
Idem	Richardo	[h] IX.	[i] IX.	[l] XIII.		[m] X.	[n] IX.	[n] XXVII.
Lucius	Baldewino	VI.		[o] XVII.	III. minus 16 diebus.			[o] III.
Cælestinus	Huberto.							

Jura

Jura Ecclesiæ Christi Cantuariensi debita post mortem Suffraganeorum suorum.

Ex Bibliothecâ Cottonianâ *Vitellius, E.17.*

MEmorandum, quòd Dominus Archiepiscopus Sede plenâ & Prior Cantuariensis Sede vacante, de jure & consuetudine Cantuariensis Ecclesiæ debet habere omnia sigilla & annulum secundo meliorem cujuslibet Episcopi Cantuariensis Provinciæ defuncti. Item de Episcopis Assavensi & Bangorensi defunctis idem Archiepiscopus Sede plenâ & Prior Cantuariensis Sede vacante, debet habere Palefridos suos cum fræno & sellas & capam pluvialem cum capello & similiter omnia sigilla & annulos suos secundo meliores, sicut de aliis Episcopis Provinciæ Cantuariensis defunctis. Item de Episcopo Roffensi defuncto debet Archiepiscopus Sede plenâ habere Palefridum suum & cuppam suam argenteam, & mutam canum suorum currentium ac etiam omnia sigilla sua & annulum suum meliorem, & similiter custodiam omnium Temporalium Episcopatûs Roffensis, quoniam de Archiepiscopo & Ecclesiâ Cantuariensi tenentur. Sede Cantuariensi vacante Dominus Rex ratione Archiepiscopatûs in custodiâ suâ existentis debet habere de Episcopo Roffensi defuncto Palefridum suum & totam mutam canum suorum currentium, & custodiam Temporalium totius Episcopatûs Roffensis & cuppam suam & annulum meliorem. Prior verò Cantuariensis habebit omnia Sigilla & annulum secundo meliorem dicti Episcopi, sicut de aliis Episcopis Provinciæ Cantuariensi defunctis Sede Cantuariensi vacante. Item de Archiepiscopo Cantuariensi defuncto Dominus Rex habebit meliorem Palefridum suum & annulum suum meliorem usualem & totam mutam canum suorum currentium & cuppam suam. Prior verò Cantuariensis habebit omnia sigilla & unum annulum secundo meliorem.

Epistola Bonifacii Archiepiscopi Cantuariensis ad Henricum Regem de jure suo in Episcopatu Roffensi.

Ex Bibliothecâ Cottonianâ *Vitellius, E. 5.*

EXcellentissimo Domino suo H. Dei gratiâ illustri Regi Angliæ, Domino Hiberniæ, Duci Normanniæ & Aquitaniæ & Comiti Andegaviæ B. miseratione divinâ Cantuariensis Archiepiscopus, totius Angliæ Primas, gaudium & fœlicitatem vitæ præsentis & futuræ. Cùm Roffensis Episcopus à nobis nomine Cantuariensis Ecclesiæ omnia Temporalia teneat, quæ in Episcopatu suo obtinet; & servitium quod ratione prædicti Episcopatûs debet Regiæ Majestati, nobis integraliter fieri debeat: Et consequenter per manum nostram servitium ab eodem Episcopo sic receptum vobis sit per nos faciendum; sicut in Cartâ Domini J. quondam Regis Angliæ patris vestri (cujus transcriptum per latorem præsentium vobis transmittimus) pleniùs continetur. Excellentem Dominationem vestram duximus deprecandam; quatenus libertatem Cantuariensis Ecclesiæ conservetis; servitium Militum quod debetur vobis ratione Episcopatûs supradicti non recipiendo ab alio quàm à nobis. Jura enim Cantuariensis Ecclesiæ vestri gratiâ hactenus protexistis & etiam defendistis. Insuper Regiæ Serenitati notum facimus; quòd cùm quædam vestra Brevia de vestrâ Cancellariâ nuper emanaverint, ut super quibusdam debitis distringeretur idem Episcopus in quibus est vobis obligatus; & Senescalli, Ballivi & homines nostri districtiones fecissent ut debebant; præfatus Episcopus propter hoc Senescallum, Ballivos & alios homines nostros fere usque ad triginta fecit citari ad Curiam Apostolicam in præjudicium dignitatis Regiæ & coronæ, necnon contra privilegium vobis à Sede Apostolicâ indultum, ne Anglici extra regnum Angliæ per literas Apostolicas poterint conveniri. Attendat etiam Dominatio vestra; quòd postquam dicto Episcopo inhibitionem vestram direxistis, ne nos vel nostros super talibus districtionibus vel juribus temporalibus in Curiâ Christianitatis conveniret; prædictam citationem procuravit, intendens pro posse suo jura regalia subvertere; prout apparet per facti evidentiam manifestè. Et quia factum istud periculosum est, & in perniciosum exemplum à posteris trahi possit, rogamus vos, quatenus super præmissis consilium utile & honorificum apponatis. Parati enim sumus facere in dicto negotio quod poterimus, secundùm vestræ placitum voluntatis. Valeat Excellentia vestra diu. & fœliciter.

CANO-

CANONICI LICHFELDENSIS

Indiculus de Succeſſione

ARCHIEPISCOPORUM CANTUARIENSIUM,

Additâ Diſſertatione de verâ Succeſſione Archiepiſcoporum Cantuarienſium.

Extitit penes me Hiſtoria Archiepiſcoporum Cantuarienſium ab Auguſtino ad Simonem Mepham, ſcripta ab eodem Canonico Lichfeldenſi, qui Hiſtoriam Epiſcoporum Lichfeldenſium, quæ ſuo loco ſequetur, compilavit. Illam, cùm nihil, quod non alii uberius, contineret, typis mandare minus conſultum duxi. Ejuſdem tamen Chronologiam, utpote ab aliis Hiſtoricis haud parum diverſam, luce non indignam judicavi.

AUGUSTINUS

Conſecratus anno DC. ſedit annos XVI. obiit anno DCXVI.

Auguſtinum anno 596. à Gregorio Papâ miſſum, anno 597. Angliam appuliſſe, ex Bedâ conſtat (Hiſt. Eccl. l. 1. & in Epitome) Antequam verò in Angliam trajiceret; in Galliæ ſeu Germaniæ partibus Epiſcopus conſecratus eſt. Id Hiſtoricos noſtros, atque adeò Bedam ipſum, penitus fugit. Solus Willelmus Thorn (in Chronico S. Auguſtini) ex vetuſtioris monumenti fide conſecratum dicit anno 597. 16. Cal. Decem. de die quidem lapſus; de anno autem res clariſſimè conſtat ex Epiſtolis Gregorii illo & ſequenti annis conſcriptis. Siquidem in Epiſtola ad Brunechildem Reginam Franciæ, datâ anno 597. Indictione 1. menſe Octobri (in Regiſtro, lib. 7. ep. 5.) gratias illi agit, quòd Auguſtinum *fratrem & Coepiſcopum* ſuum humaniter ſuſceperit. Anno ſequente Indictione 1. datâ ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum Epiſtolâ (Regiſtr. l. 7. ep. 30.) de miraculorum dono adhuc in occidentali Eccleſiâ vigente gloriatus, narrat Auguſtinum à ſe in Angliam ad fidem prædicandam miſſum, * & *datâ à ſe licentiâ à Germaniarum Epiſcopis Epiſcopum factum*, Miracula in Angliâ patrare; ſeque *jam nunc* literis ejus receptis didiciſſe, quòd in die Nativitatis Chriſti decem millia Anglorum baptizaverit. Ante finem igitur anni 597. Auguſtinus conſecratus erat, & in Angliam trajecerat. Lapſus eſt itaque Beda noſter; qui Auguſtinum narrat poſt prædicatam fœliciter in Cantuariâ fidem, Arelas profectum, *& ab Archiepiſcopo Etherio juxta quod juſſa ſancti patris Gregorii acceperat, Archiepiſcopum genti Anglorum ordinatum fuiſſe.* (l. 1. c. 27.) *Reverſuſque*, inquit, Britanniam, Laurentium & Petrum ad Gregorium Papam *continuò* miſit: *Nec mora*, Gregorius reſponſum ſimul ac Pallium Auguſtino per Nuncios remiſit. Miſſum autem à Gregorio Pallium fuiſſe anno 601. Idem prodit in Epitome. Adeò ut anno 600. conſecratus ex Bedæ ſententiâ cenſeri poſſit. Idque omnes crediſſe videntur, qui Auguſtinum 16.

annis

annis sedisse ponunt. Isto Bedæ errore semel posito, pronum Lichfeldensi fuit obitum ejusdem in annum 616. referre. Siquidem Augustinum sedecim annos sedisse multos sibi suffragantes habuit, Gervasium in Actis Pontif. Cant. Radulphum de Diceto in Indiculo præcedenti; & Malmsburiensem, cujus quidem vulgati Codices habent *annos* 15. Manuscripti autem, tam ille Collegii Trinitatis Cantab. quam qui Lichfeldensis à me nuncupandus est, in eodem volumine cum Chronico Lichfeldensi compactus, legunt *annos* 16. Quin & Abbreviatio MS. Historiæ Malmsburiensis de Gestis Pontif. in Biblioth. Lambeth. eundem numerum exhibet. Ex corruptâ Malmsburiensis lectione in nonnullis Codicibus deceptus videtur Johannes Brompton, qui Malmsburiensem in rebus vetustioribus pro more secutus, annos 15. Augustino assignat. Paulò inferiùs descendunt Author Antiquitatum Britannicarum, & Polydorus Virgilius; qui illum anno 611. obiisse ponunt. Matthæus Westmonasteriensis anno 608. Vir Doctissimus Mabillonius in Notis ad Augustini Vitam (inter Acta Benedict. Tom. 1. p. 532.) anno 607. Willelmus Thorn. (in Chronico Cœnobii S. Augustini) anno 605. Florentius Wigorniensis 604. cui succinit Chronicon Anonymum breve atque antiquissimum MS. in Bibliothecâ Lambethanâ à Monacho quodam S. Crucis Edinburgensis (ut videtur) scriptum. Inter tot diversas sententias veritatem expiscari haud ita facile est. Tentabimus tamen. Primò itaque id constat Augustinum neque ante annum 604. neque post annum 616. obiisse. Anno enim 604. Mellitum & Justum ordinavit Episcopos; teste Bedâ l. 2. c. 3. Anno 616. obiit Ethelbertus Cantuariæ Rex. Sic Idem in Epitome. In Latinis quidem Codicibus Historiæ suæ, l. 2. c. 5. legitur *anno 613. anno 21. ex quo Augustinus ad prædicandum genti Anglorum missus est.* Verum error manifestus in numero priore cubat. Versio enim Saxonica Alfredi Regis habet Ða ƿæſ ẏmb ſẏx hund ƿintra ⁊ ſyxtẏne ƿinter. Et annus præterea 21. adventûs Augustini in annum 616. incidit. Obiisse autem Augustinum ante Ethelbertum Beda prodit l. 2. c. 3. Porro eundem VII. Cal. Junii fato cessisse Beda eodem loco narrat; de anno quo obierit, penitus silet. Et hactenus quidem cæteri omnes Historici consentiunt, neque enim Bedæ refragari fas erat. Annus interim manet incompertus. In re igitur tam obscurâ tutius esset antiquiores Historicos sequi; videlicet Florentium Wigorniensem & Anonymum Lambethanum, qui Augustini obitum in anno 604. reponunt. Quin & Goscelinus, utroque antiquior, in Vita S. Augustini cap. 38. refert Laurentium ordinatum esse ab Augustino quum mortem sibi imminere iste præsentiret. Sunt autem, & in his Radulphus de Diceto, qui Laurentium isto circiter anno ordinatum produnt. Age tamen; Singulorum calculos examini subjiciamus. Anno Octavo imperii Phocatis, Indictione 13. (authore Bedâ l. 2. c. 4.) viz. anno Christi 610. Bonifacius Papa Synodum Episcoporum in Italiâ coegit; & ex Synodo Epistolam Laurentio Archiepiscopo & Ethelberto Regi inscriptam per Mellitum Episcopum Londoniensem transmisit. Ante annum igitur 610. Augustinus obiit. Tabella Ecclesiæ Christi Cant. posita an. 1240. (cujus Iconem videre est in Monastico Anglicano Tom. 1. p. 24.) refert antiquam Ecclesiam fuisse dedicatam à Laurentio Archiepiscopo anno 613. anno 16. ab adventu S. Augustini in Angliam, *quo anno translatum fuit corpus S. Augustini à loco, quo prius jacuit per 7. annos.* Historia autem, (quæ sequitur, quæque extat in Monastico Angl. Tom. 1. p. 87.) Eliensis Cœnobii dicit Ecclesiam Eliensem ab Augustino fundatam fuisse anno 607. Ex his duobus testimoniis Cl. Mabillonius (loc. cit.) concludit Augustinum anno 607. diem clausisse. Neque sic tamen res conficitur. Parum enim fidei meruit

in

in re Chronologicâ Tabella post sexcentos plusquam annos posita; & ne minimam quidem fidem Historia de Fundatione Monasterii Eliensis. Mihi enim in comperto est nullam Monachorum Historiis in Cœnobiorum suorum Chartis donativis aut fundatione referendis fidem esse adhibendam. Præterquam quòd Augustinum Ecclesiam inter Orientales Anglos anno 607. posuisse, fabulam primâ facie sapiat putidissimam. Restat, ut & alios infra annum 610. subsidentes calculos exploremus. Refert Willelmus Thorn in Chronico suo ex fide libri antiqui de Vitâ & Miraculis S. Adriani, Augustinum obiisse anno 605. eodem sc. quo Gregorius Papa, anno, die 7. Cal. Junii feriâ tertiâ. Illum 7. Cal. Junii obiisse & ipse & Beda & cæteri omnes scribunt. Hinc igitur annus, quo vitâ migravit Augustinus, optimè definiri potest. Anno enim 604. dies 26. Maii seu 7. Cal. Junii incidit in feriam tertiam; nullo autem alio anno, quo Augustini obitum contigisse alii posuerunt. Anno enim 605. is dies incidit in feriam 4. anno 607. in feriam 6. anno 608. in diem Dominicum, anno 611. in feriam 4. anno 616. in feriam 4. Non alio igitur quàm anno 604. Augustinus obiisse potuit. Idem confirmat testimonium libri Antiqui à Willelmo Thorn adducti. Cùm Augustinum enim & Gregorium eodem anno obiisse tradat; & Gregorium anno 604. decessisse certissimè constet: superest, ut Augustinus anno 604. defunctus sit. Operam igitur ludunt, qui nullum non lapidem movent, ut Augustinum Monachorum Bannochorensium cædi superfuisse probent. Clementiora sanè de nostræ gentis Apostolo conjectari libet; & alia opinari Chronologia non permittit.

LAURENTIUS

Sedit annos V. obiit anno DCXIX. IV. Nonas Februarii.

Compertâ Augustini Chronologiâ haud difficile erit sequentium Archiepiscoporum usque ad ætatem Bedæ Chronologiam subjicere. Siquidem Augustinus obierit anno 604. & Mellitus anno 624. postquam annis 5. præfuisset; quod prodit Beda l. 2. c. 7. & Augustino Laurentius, Laurentio Mellitus sine ullo interregno successerint, quippe qui vivente adhuc Augustino consecrati fuerint; *ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam Pastore destitutus vacillare inciperet* [Beda, l. 2. c. 4.] necesse erit Laurentium circa annum 619. obiisse: Atque illo quidem anno defunctum esse Gotselinus confirmat in Vitâ Laurentii MS. de die tamen lapsus, quem 3. Non. Febr. ponit. Die 4. Non. Februar. obiisse tradit Beda, l. 2. c. 7. de anno silens. Anno 620. obitum ejus ponit Anonymus Lambethanus Chronici brevis MS. Author anno 621. Florilegus, & Florentius Wigorn. vulgatus, 623. Florentius MS. in Bibliothecâ Lambethanâ. Neque abludunt adeò à nobis illi, qui Augustini obitum in anno 616. reponunt, Historici. Omnes enim Laurentium annis 5. sedisse volunt. Ex quo quidem calculo Laurentius anno 621. obierit, si annos plenos numeres, anno 620. cavos.

MELLITUS

Sedit annos V. Obiit anno DCXXIV. VIII. Calend. Maii.

Hanc quidem Melliti Chronologiam Beda nobis certam dedit, l. 2. c. 7. Florentius tamen Wigorn. anno 625. Melliti obitum retulit. Et annus quidem in Bedæ Versione Saxonicâ desideratur; reperitur autem in exemplari Latino; cujus Additamenta Bedæ ætate paulò inferiora sunt, forsan ab ipsomet Authore profecta: quamvis exemplar illius auctius Alfredo Regi videre non contigit. Annis 5. dies 16. addidit Radulphus de Diceto, lib. de Præsulibus Angl. cap. 1.

JUSTUS

Sedit annos IX. obiit IV. Id Novembr. anno DCXXXIII.

Diem obitûs solummodo Beda notavit, l. 2. c. 18. Hinc aliis facilis errandi ansa. Malmsburiensis, Gervasius, Radulphus de Diceto, Stephanus Birchyngtonus, & Catalogus MS. Usserianus, Justum Sedi Cant. nonnisi tres annos præfuisse narrant. Et alii quidem sibi satis consoni; cùm Honorium annos 26. sedisse ponant. Pessimè autem Gervasius Chronologiam perturbavit, tribus tantummodo annis assignatis Justo, & novendecim Honorio, quem anno 653. obiisse constat; adeò ut Sedes ex illius sententiâ 7. annis vacaverit; quod tamen nullus prodidit; quin potiùs Beda invictè refutat, dicens Paulinum à Justo consecratum fuisse anno 625. (in Epitome.) Paulò melius Chronici Anonymi Lambethani Author; qui Justi mortem in annum 634. retulit: cui quidem calculo satis conveniret Gervasii supputatio de pontificatûs Honorii annis; modò ipse in cæteris sibi conveniret. Sed neque Anonymum verum attigisse arbitror. Refert enim Beda, l. 2. c. 18. Honorium Justi successorem ordinatum fuisse à Paulino Archiepiscopo Ebor. occurrente sibi in Lindocolino, antequam ab Eboraco iste fugaretur. Fugatus autem in Cantiam rediit anno 633. teste eodem in Epitome, & Simeone Dunelmensi in Epist. ad Hugonem, p. 77. Ante annum igitur 633. & Justus obiit, & Honorius successit. Quòd si tamen Paulinus eodem anno & Honorium sacraverit, & fugam inierit; haud ita multum à veritate recedet Anonymus noster; quem in reliquis satis accuratum comperimus. Nescio annon Westmonasteriensis rem propiùs attigerit: cui Justus anno 630. (Radulpho de Diceto anno 629.) defunctus est. Perpensis tamen utrinque rationibus in eam magis accedo sententiam Justum sedisse annis duntaxat 3. & obiisse anno 627. quod maxima pars Historicorum tradit. Certè Honorius à Paulino anno 633. ordinari non potuit. Justum enim sub exitu ejusdem anni obiisse Beda fidem facit l. 2. c. 18. Paulinum autem baptizasse Edwinum Regem anno 627. prid. Id. April. die Paschæ, l. c. 2. 14. & exinde sedisse Eboraci annis sex. ibid. demum occiso Edwino anno 633. die 2. Octobr. fugam citato iniisse, l. 2. c. 20. Neque enim ausus fuerat Paulinus Cedwallæ victoris, hostis Christianorum Romanorum capitalis, adventum præstolari; multò minùs à Lindocolino Eboracum eo imperante remeare. Porro Honorium anno 653. obiisse constat. Idem autem Fœlicem

cem Episcopum Orientalibus Anglis præfecit; & illi defuncto Thomam, Thomæ Bonifacium, successores dedit; teste Bedâ l. 2. c. 15. l. 3. c. 20. Fœlix autem sedit annis 17. Thomas annis 5. ex ejusdem calculo; adeò ut anno saltem 631. Honorius Archiepiscopatum obtinuerit.

HONORIUS

Sedit annos XX. Obiit II. Cal. Octobris, anno DCLIII. Vacavit Sedes annum & sex menses.

Annum atque diem obitûs, quin & tempus succedentis Vacationis Beda dedit, l. 3. c. 20. Quo anno Pontificatum susceperit, tot sunt sententiæ, quot de obitu Justi decessoris; de quo superiùs dictum est. Annis Pontificatûs 26. à se atque aliis Honorio adsignatis Radulphus de Diceto dies 55. apposuit, lib. de Præsul. Angl. cap. 1.

DEUSDEDIT

Consecratus VII. Cal. April. anno DCLV. sedit annos IX. menses IV. dies II. Obiit II. Id. Julii, anno DCLXIII.

Ista omnia tradidit Beda, l. 3. c. 20. & l. 4. c. 1. nisi quod obitum illius in anno *664*. juxta quod veritas postulat, certius posuerit: adeo ut annum *663*. in nostro Codice errorem Librarii potiùs quam Authoris putarem. Error etiam in Bedâ deprehendi potest. Si ab anno enim *655*. 7. Cal. April. annos 9. menses 4. dies 2. numeres: (quot Deusdedit sedisse Beda in utroque loco citato asserit) obitus istius in annum *664*. diem 28. Julii incidet. Ut isthoc potius die illum obiisse suspicarer. Neutri calculo convenit, priori tamen propè accedit codex MS. Cantuar. à Wheloco citatus (not. ad Bedam p. 257.) qui Sedem post Deusdedit obitum vacasse refert annis 3. mens. 8. diebus 15.

THEODORUS

Consecratus VII. Cal. April. anno DCLXV. obiit anno DCLXXXIX. Sedit annos XXII. menses III. dies XXVI.

Lichfeldensis nescius Episcopatum Cantuariensem post Deusdedit obitum *non parvo tempore* cessâsse (quod habet Beda, l. 4. c. 1.) Theodori introitum malè designavit. Bedâ enim authore, l. 4. c. 1. 2. 5. is consecratus est Romæ à Vitaliano Papâ anno ætatis suæ *66*. Christi *668*. 7. Calend. Aprilis [Calendis Aprilis male habet Author Antiquitatum Britannicarum, quique illum cæco pede sequi solet, Godwinus in Commentario de Præsulibus Angliæ.] venit ad Ecclesiam suam anno *669*. *6*. Cal. Junii, die Dominicâ; & sedit in eâ annos 21. menses 3. dies 26. Annos 22. numerant Malmsburiensis, Radulphus de Diceto, & alii qui ad menses & dies supputandos non descendunt; rotundo numero, licèt minùs vero, contenti. Atque hinc fraus Lichfeldensi & Stephano Birchyngtono facta videtur. Uterque enim annos 22. præter menses 3. dies 26. Theodoro assignant. Obiit Theodorus anno *690*. die 19. Septembris juxta Bedam, l. 5. c. 8. cui suffragatur Martyrologium Ecclesiæ Christi Cantuariensis

Cantuariensis MS. in Bibliothecâ Lambethanâ. Noster Pontificatûs annos à Beda datos non ab Intronizatione sed à Consecratione numerans, lapsus est; & Theodori mortem in an. 689. posuit. Alium quendam, cæteris ignotum Historicis, Archiepiscopum Wilfricum nomine Gervasius Dorobernensis confinxit, & circa hoc tempus deposuit; narrans (in Chronico Ecclesiæ Cantuariensis in Monastico Angl. Tom. 1. p. 18, 19.) Cedwallam Regem anno 680. villam de Pageham cum appendiciis Wilfrico Archiepiscopo donâsse, anno itidem 687. multa Theodoro contulisse. Ut vel hinc pateat; quàm parum fidei Monachis sit adhibenda, quandocunque sui Cœnobii res agitur.

BRECTWALDUS

Electus I. die Julii anno DCXCI. consecratus III. Calend. Julii, intronizatus II. Cal. Septembr. anno DCXCII. sedit annos XXXVIII. Obiit V. Idus Januarii anno DCCXXX.

Non satis mirari possum, quid sibi velint Historici nostri, qui in hisce rebus à Bedâ seorsum abire sibi licitum putant. Juxta hunc enim Brictwaldus electus est anno 692. die 1. Julii, ordinatus anno sequente, 3. Calend. Juliarum à Godwino Metropolitano Episcopo Galliarum, die Dominicâ: sedit in Sede suâ pridie Cal. Septembr. Dominicâ. Sedit annos 37. menses 6. dies 14. Obiit anno 731. 5. Idus Januarii, Hist. Eccl. l. 5. c. 9. 24. Iste calculus & sibi invicem & Chronologiæ consentit. Anno enim 693. dies 29. Junii in diem Dominicum reverâ incidit. Sic & in cæteris. Aliam tamen init viam Lichfeldensis, anno in singulis ferè numeris detruncato. Malè etiam Hovedenus Brictwaldi obitum in anno 732. reposuit, & Antiquitatum Britannicarum Author diem fatalem in Idus Januarii rejecit.

TATWINUS

Consecratus die X. Junii, anno DCCXXX. sedit annis IV. Obiit anno DCCXXXIV.

Consecratus est die X. Junii Dominicâ; Sic Beda, l. 5. c. 24. Anno igitur 731. Eo enim anno dies X. Junii in Dominicam incidit. Quin & eo anno sacratum fuisse disertè tradit Beda in Epitome, Chronologia Saxonica ad fidem Historiæ ejus à Wheloco edita, p. 520. Sedit annos 3. ex omnium præter Lichfeldensem & Osbernum (in Vitâ Bregwini) sententiâ. Obiit anno 734. eodem scilicet quo Beda anno, ex fide Chronologiæ Saxonicæ, (ibid.) Anonymi Continuatoris Epitomes Bedæ, Hovedeni, & Florentii. Isti duo diem etiam obitûs designant, sc. 3. Calend. Augusti: ipsis Calendis Augusti illum obiisse vult Birchingtonus.

NOTHEL-

NOTHELMUS

Consecratus anno DCCXXXVI. obiit anno DCCXLI. Sedit annos V.

Hactenus nobis in difficili itinere præluxit Beda. Dein verò usque ad Normannorum tempora, omnia sunt conturbata, incerta, tenebris atq; spinis involuta. Nothelmus Consecratus est anno 735. Sic Anonymus Continuator Epitomes Bedæ, Chronicon Mailrosense, & Hovedenus. Pallium accepit anno 736. Chronol. Saxon. p. 520. & Huntindoniensis, l. 4. f. 198. Sedit annos 5. ex communi sententiâ Malmsburiensis, Birchyngtoni, Radulphi de Diceto, & his omnibus antiquioris Osberni in Vitâ Bregwini. Falsus itaque Hovedenus, qui illum anno 738. obiisse narrat: Magis eligendus videretur Florentii calculus; juxta quem an. 741. 16. Cal. Novembr. defunctus est (in obituario Cant. die 17. Cal. Novembr.) nisi quòd potior sit autoritas Continuatoris Epitomes Bedæ; qui illum anno 739. obiisse dicit. Huic etiam suffragatur Westmonasteriensis.

CUTHBERTUS

Sedit annos XVII. obiit anno DCCLX.

Successit Nothelmo anno 742. Sic Osbernus in Vitâ Bregwini: errore manifesto. Anno enim præcedente obierat Gregorius Papa, qui Pallium Cuthberto dedit, teste Radulpho de Diceto. Consecratus est anno 740. si Hovedeno, Florilego, & Continuatori Epitomes Bedæ fides. His maximè tribuendum; quamvis Chronologia Saxonica Wheloci consecratum anno 741. refert p. 521. Huic etiam succinit Willelmus Thorn; in eo tamen crassè hallucinatus, quod Cuthberti obitum anno 748. reponat. Sedit enim annos 17. ex fide Malmsburiensis, Birchyngtoni, & Radulphi de Diceto. Solus Osbernus annos duntaxat 15. illi attribuit. Obiisse anno 758. fidem faciunt Chronologia Saxonica, p. 523. Continuator Epitomes Bedæ, & Florentius Wigorniensis. Annum 761. malè ponit Chronicon Mailrosense, 760. Westmonasteriensis. Dies obitûs contigit 7. Cal. Novembr. juxta Continuatorem Epitomes Bedæ, Florentium, Gervasium, & Birchyngtonum; 8. Cal. Nov. juxta Obituarium Cantuariense.

BREGWINUS

Consecratus anno DCCLXI. obiit anno DCCLXIV.

Anno 759. die S. Michaelis Chronologia Saxonica consecratum dicit, p. 523. cui quidem & Authoris antiquitas, & sequentium Archiepiscoporum Chronologia magis assentire suadent: quamvis dies S. Michaelis neque isto, neque proximis utrinque annis in Dominicam inciderit. Sedisse annos tres unica est omnium Historicorum sententia, præter Osbernum in Vitâ ejus, qui illum anno septimo Pontificatûs sui decessisse prodit; cui quidem robur adderent Hovedenus & Mailrosensis, obitum illius in annum 765. rejicientes; nisi potiora argumenta Lambertum ante id tempus Episcopatum iniisse suaderent. Quin & alter Vitæ Osberno ascriptæ Codex MS. obitum Bregwini anno Pontificatûs secundo ponit. Obiit itaque

Bregwinus

Bregwinus anno 762. (763. juxta Florilegum) die 8. Cal. Septembr. Sic Willelmus Thorn, & Florentius in Codice MS. Lambethano, quamvis impressa exemplaria legant 9. Cal. Septembr. Willelmo & Florentio de die obitûs concordant Birchingtonus, & Gervasius. Calendis tamen Septembris eundem obiisse referunt Martyrologium Ecclesiæ Christi Cant. MS. & Osbernus in Vitâ ejus, quamvis alter Osberni Codex MS. notâ ad finem appositâ Bregwinum die 7. Cal. Decembr. obiisse perhibet.

LAMBRITHUS

Consecratus anno DCCLXVI. sedit annos XXVII. obiit anno DCCXCIII.

Sedisse annos 27. Westmonasteriensis, Malmsburiensis, Gervasius & Catalogus Usserianus MS. disertè affirmant. Unicus Radulphus de Diceto annos 32. habet in Indiculo præmisso. Idem tamen annos 27. in Historiâ sequente, & in altero ejusdem Indiculi exemplari MS. numerat. Si annorum 27. igitur exordium à Bregwini obitu ducamus, & annos plenos numeremus; obibit circa annum 789. Malè itaque Florilegus annum 794. posuit; neque tamen Sedem aliquanto tempore vacâsse memoravit. Et sanè assumptus est ad Archiepiscopatum anno 762. 7. Id. Januar. juxta Willelmum Thorn; consecratus anno 763. die 14. post hiemem mediam. Pallium accepit anno 764. atque obiit anno 790. juxta Chronologiam Saxonicam p. 524. 525. Cui concordat Florentius Wigorn. & diem obitûs 2. Id. August. contigisse notat. Annum 789. posuit Willelmus Thorn, annos sc. pontificatûs 27. ab anno 762. supputans; de die etiam obitûs minùs convenit. Lambertum enim prid. Id. Augusti sepultum dicit. Cui favet Obituarium Cantuariense, mortem ejus 3. Id Augusti statuens. Hovedenus deniq; & Mailrosensis illum anno 791. obiisse referunt.

ATHELARDUS

Translatus anno DCCXCIV. sedit annos XXIII. obiit anno DCCCXVII.

Electus anno 790. consecratus est anno 793. 12. Cal. Augusti. Sic Florentius Wigorn. Cui lubens assentior. Is enim dies anno 793. in Dominicam incidit. Anno 790. electum fuisse Chronologia etiam Saxonica testatur p. 525. Incertior longe obitus. Inter omnes tamen convenit, si nostrum Lichfeldensem excipias, illum annos 13. Sedi Cantuariensi præfuisse. Sic Malmsburiensis, Gervasius, Radulphus de Diceto, Westmonasteriensis, & Birchyngtonus. Hos 13. annos ab electione illius inchoantes Florentius & Chronologia Saxonica obitum ejusdem in anno 803. referunt. Alii minùs rectè à Consecratione exordium ducentes, obitum in anno 805. ponunt. Sic Mailrosensis & Florilegus. Huntingdoniensis anno 804. qui illum Edelredum vocat. Gervasius itidem (in Chronico suo in Monastico Angl. Tom. 1. p. 19.) illum anno 805. villam Burne Cœnobio Cant. dedisse, atque eodem anno Cuthredum Regem Wlfredo Archiepiscopo quædam contulisse narrat. Annum 806. magis elegit Hovedenus. Obiit autem 4. Idus Maii juxta Obituarium Cantuariense.

WLFRE-

WLFREDUS

Consecratus anno DCCCXIX. sedit annos XXVIII. obiit anno DCCCXLVII.

Successit anno 803. Quo quidem anno Cunredum Abbatem S. Augustini benedixit, teste Willelmo Thorn. Anno 804. pallium accepit, anno 812. Romam petiit, anno 813. rediit, anno 829. obiit. Sic Florentius Wigorniensis; quem quidem annum obitûs rectè designasse arbitror. Consentiunt enim Huntindoniensis, Mailrosensis, & Chronologia Saxonica p. 527. Solus Hovedenus annum 831. ponit; non alia ductus ratione, quàm quòd scriptum invenerit Wlfredum obiisse anno 29. Egberti Regis, quem ipse Christi annum esse 831. supputat; quamvis alios anno 801. Egberti Regnum inchoare ibidem fateatur. Porrò eundem annos 28. sedisse referunt Malmsburiensis, & Westmonasteriensis: annos 38. Gervasius, Radulphus de Diceto, & Birchingtonus. Posteriorem autem calculum tempora sequentium Archiepiscoporum ab ipsis ejus Authoribus tradita satis superque refutant. Prior calculus (siquidem annos cavos numeres) anno 829. exeunti sc. & in Annuntiatione B. Mariæ terminato, bene convenit. Et Wlfredum quidem in ipso anni fine denatum esse fidem facit Obituarium Cantuariense, obitum ejus die IX. Cal. April. contigisse narrans.

FEOLGELDUS

Sedit menses III. Obiit anno DCCCXLIX.

Hunc prætermittunt Westmonasteriensis & Mailrosensis. Immeritò tamen. Ritè enim consecratus fuit; quamvis Sedem parvo tempore tenuerit. Non nisi tres sedisse menses omnes consentiunt. Birchyngtonus quidem menses supputare parum curans, annum regimini ejus assignat. Et Radulphus de Diceto (in Historia de Præsul. Angl.) pro tribus mensibus totidem annos reposuit. Ipsemet autem veriora tradidit tam in Indiculo præmisso, quàm in Abbrev. Chron. p. 449. adeò ut error potius librarii videatur. Circa annum quo sederit, nonnulli lapsi sunt. Crassè quidem Radulphus de Diceto, qui anno 839. (Abbrev. Chron. col. 449.) omnium autem crassissimè Lichfeldensis noster qui anno 849. sedisse volunt. Certiora tradit Gervasius, Theogildum sc. electum fuisse 7. Cal. Maii, consecratum 5. Id. Junii, obiisse Calendis Septembris. Annum obitus atque adeò introitûs, dedit Chronologia Saxonica (p. 528.) viz. 830. De die solummodo obitûs litem Gervasio movent Birchyngtonus & Obituarium Cantuariense; ille Theogildum 3. Cal. Septemb. istud 4. Cal. Septemb. obiisse narrans.

CEOLNOTHUS

Consecratus anno DCCCLII. sedit XLI. menses; obiit anno DCCCLVI.

Plures Historici, qui praecedentium Archiepiscoporum Pontificatum ultra justum tempus produxerunt, Ceolnothi Pontificatum contrahere necesse habuerunt: neque sic tamen Chronologiae satisfecerunt. Rectius itaque Gervasius illum annos 41. sedisse perhibet. Electus enim & consecratus anno 830. juxta Florentium Wigorniensem & Chronologiam Saxonicam (utriusque tempus assignat Gervasius, viz. electionis 3. Calend. Julii, consecrationis 6. Cal. Septembr. anno nominato; qui quidem annus 831. erit, si Consecrationis dies recte positus fuerit, & rectè posuisse credendum. Eo enim anno dies iste in Dominicam incidit.) Pallium accepit anno 831. Chronol. Saxon. subscripsit Chartae Witlafii Merciorum Regis datae Coenobio Croilandensi anno 833. Chartae Bertulphi Regis anno 851. Chartae Beorredi Regis anno 860. teste Ingulpho, Hist. Croiland. f. 488. 490. 492. Chartae Ethelwulfi Regis datae Coenobio Malmsburiensi anno 855. authore Malmsburiensi in Vitâ Aldhelmi. Denique obiit anno 870. quod certissimè constat. Praeter Hovedenum enim, Florentium, Mailrosensem, Chronologiam Saxonicam, & Ethelwerdum testes, prodit id Author coaetaneus, Asserius in vitâ Ælfredi Regis.

ETHEREDUS

Consecratus anno DCCCLVIII. sedit XVIII. annos, obiit anno DCCCLXXVI.

Ethelredum vocat Gulielmi Malmsbur. Codex MS. Lichfeldensis; Athelredum Gervasius. Ceolnotho non longè post obitum successit. Anno enim 872. obiit Hadrianus Papa, à quo pallium acceperat, authore Radulfo de Diceto: & antea anno 871. Elfredus Dux dedit illi & Ecclesiae Cantuariensi villam de Chertham, teste Gervasio in Chronico Ecclesiae Cant. in Monastico Angl. Tom. 1. p. 20. Gervasio tamen in rebus Ecclesiae suae tradendis fidem perexiguam adhiberem: nisi fortiora argumenta suppeterent. Etheredum igitur annos 18. sedisse produnt Malmsburiensis atque idem Gervasius in Actis Pontificum Cant. Obiit autem anno 888. ex fide Hovedeni, Ethelwerdi, lib. 4. & Chronologiae Saxonicae, p. 539. Annum quidem 893. habet Gervasius loco cit. Verum illi in Chronologiâ infoelicissimè omnium successit. Si enim ab obitu Lamberti, cujus tempus ferè constat, annos singulis Archiepiscopis à Gervasio assignatos in unum redigamus; Etheredi obitus non in annum 893. sed in an. 900. incidet. Magis suspiciendi Westmonasteriensis, Florentius, & Mailrosensis; juxta quos Etheredus obiit anno 889. Diem obitûs nos docet Obituarium Cantuariense, viz. prid. Cal. Julii. Post obitum ejus vacasse Sedem annis 2. Gervasius, Radulphus de Diceto, & Birchingtonus tradunt.

PLE-

PLEMUNDUS

Consecratus anno DCCCLXXVIII. sedit annos XXXIV. obiit anno DCCCCX.

Plegmundus in aulam accitus ab Elfredo Rege anno 886. nonnisi post tres annos Ethelredo defuncto subrogatus est; teste Simeone Dunelmensi (lib. de gest. Reg. Angl.) Si Sedem igitur post Etheredi obitum anno 888. biennio vacasse perhibeamus, prout Scriptores supra citati produnt: Plegmundus anno 890. Pontificatum inibit. Atque eo quidem anno electum fuisse Chronologia Saxonica testatur, p. 539. Non multum abludit Westmonasteriensis; ex cujus sententiâ anno 889. Ethelredo successit. Electus mox Romam iter suscepit; ubi à Formoso Papa consecratus est, & Pallium accepit. Quo anno, parum liquet. Certè non ante finem anni 891. quo ipse Formosus Papatum iniit. Interim Pontificatûs gesti annos Historici nostri ab ipsius electione numerant; & annos 34. eum sedisse narrant. Sic Gervasius, Birchyngtonus, Radulphus de Diceto, Catalogus Usserianus MS. & Malmsburiensis. Impressa quidem Malmsburiensis exemplaria habent annos 33. Verum & Codex MS. Lichfeldensis, & Abbreviatio ejus MS. Lambethana annos 34. reponunt. His consonat Chronologia Saxonica, quæ illum anno 923. obiisse refert, p. 554. Obitum ejus in annum 915. conjicit Westmonasteriensis; quique illum sequi solet, Godwinus, quoties Antiquitates Britannicæ lucem non præferant. Nec minùs crassè ante Westmonasteriensem erravit Rogerus Hoveden, qui Pleimundum anno 884. Sedi Cant. præfuisse refert; quem tamen ipsemet postea Ethelredo anno 888. successisse dicit. Cæterum diem obitûs Pleimundi nobis dedit Martyrologium Cant. MS. sc. 4. Nonas Augusti.

ATHELMUS

Translatus anno DCCCCXI. sedit annos XIII. obiit anno DCCCCXXIV.

Athelmus in Wellensem Episcopum ordinatus est à Plegmundo Archiepiscopo una cum sex aliis Episcopis anno 905. juxta Cl. Spelmanni calculum Concil. Angl. Tom. 1. qui quidem ex Malmsburiensi (lib. 2. de gestis Reg. Angl.) tantum non constat. Plegmundo anno 923. saltem 924. successit, si Historicis optimæ notæ nonnullis fides Isto enim anno Athelstanum Regem ab eo sacratum legimus apud Florentium Wigorniensem & Chronicon Mailrosense Anno 915. successisse Westmonasteriensis & Godwinus scribunt. Verùm eorum in hac re calculum supra in Plegmundo rejecimus. Eadem de Radulpho de Diceto dicenda sunt, ex cujus sententiâ (Abbreviat. Chron. p. 453.) anno 914. pontificatum Athelmus iniit; Palliumque accepit à Johanne Papâ; qui nonnisi anno sequente Papatum obtinuit. Obiit *post annos aliquot*; inquit Gervasius in Act. Pontif. Cant. anno 924. juxta Florilegum; saltem anno 927. quo Athelstanus Rex regnum iniit. Annos 22. numerat Catalogus MS. Usserianus, ducto sc. initio à suscepto Episcopatu Wellensi, & in anno 927. terminato. Atque isto quidem anno in vivis fuisse Athelmum necesse erit, si quod plurimi produnt, Athelstanum Regem coronaverit. Diligenter enim excussâ Chronologiâ (cujus rationes fusius explicare istius loci non est) reperietur Athelstanum ante annum 927. regnum non obtinuisse. Sanè

isti computo Wlfelmi successoris tempora minimè refragrantur, Asserit sanè Chronologia Saxonica Wlfelmum Sedem Cant. obtinuisse eodem anno, quo regnum Athelstanus, sc. anno 925. Quum verò in Athelstani introitu lapsus sit, in Wlfelmi etiam successione errabit. Sin fidem Chronologiæ Saxonicæ nullo modo derogandam existimemus; dicendum erit cum Hovedeno Athelstanum Regem non ab Athelmo, sed à Wlfelmo coronatum fuisse. Eo enim anno Wlfelmum successisse ponit Chronologia Saxonica p. 555. quæ ob breve pontificatûs gesti tempus de Athelmo nil dicendum habuit. Sic nec Birchyngtonus. Annos quidem 12. illi assignat Abbreviatio Gulielmi Malmsbur. MS. atque ipsius Malmsbur. Codex MS. Coll. Trin. Verum de eo silent & impressa Gulielmi exemplaria & Codex MS. Lichfeldensis.

WLFELMUS

Translatus anno DCCCCXXVI. Sedit annos XIV. obiit anno DCCCCXL.

Athelmo Wlfelmus successit, & in Sede Wellensi, & in Archiepiscopatu Cantuariensi: illic circa annum 923. isthic anno 925. authore Chronologiâ Saxonicâ p. 555. de cujus calculo quid statuendum sit, supra in Athelmo attigimus. Lapsus est Gervasius in Chronico Ecclesiæ Cant. (in Monastico Tom. 1. p. 20.) quum illum Ecclesiæ Cant. agros quosdam anno 923. comparasse refert. Ignoscendum autem illi; qui non Chronologiæ, sed Cœnobii sui rem agebat. Veritatem propius attigerunt Radulphus de Diceto (Abbrev. Chron. p. 453.) & Westmonasteriensis; qui introitum ejus anno 924. ponunt. Sedit annos 13. inquiunt Malmsburiensis & Gervasius. Decem solummodo agnoscunt Birchyngtonus & Westmonasteriensis, ac Westmonasteriensem secutus Godwinus. Florilegus itaque illum anno 934. obiisse scribit. Si quæ tamen Monachis in donationibus Ecclesiarum suarum referendis fides sit habenda; Wlfelmus subscripsit Chartæ Ethelstani Regis datæ Cœnobio Malmsburiensi anno 938. teste Willelmo in Vitâ Aldhelmi, par. 2. Illo quinetiam præsente Dux Eadulphus dedit Mepeham Ecclesiæ Cantuarien. anno 940. teste Gervasio. in Monastico p. 20. Quòd verò restitutioni bonorum factæ Ecclesiæ Cant. ab Eadmundo Rege anno 941. Wlfelmum subscripsisse in libro Evidentiarum Ecclesiæ Cant. dicto *Thorn*, col. 2221. habetur, planè commentitium videtur, & post Gervasii ætatem confictum. De Wlfelmi enim subscriptione, Gervasius, qui restitutionem Eadmundi Regis (loc. cit.) anno 941. factam narrat, penitus tacet.

ODO

Translatus anno DCCCCXL. sedit annos XX. obiit anno DCCCCLXI.

Quot annis Odo sederit, vel duo prædecessores ipsius, nondum ad nostram pervenit notitiam: inquit Gervasius, in Actis Pontif. Cant. col. 1645. Nec minus incertus Radulphus de Diceto in Indiculo suo, qui tribus hisce simul Archiepiscopis annos 35. attribuit. Ex his si duos Athelmo, tredecim Wlfelmo, seu (quod magis placet) quinque Athelmo, Wlfelmo decem demus; manent Odoni viginti. Et sane istum 20. annos sedisse præter Lichfeldensem nostrum Malmsburiensis prodit. Florilegus quidem, Radulphus de Diceto (in Historiâ de Præsul. Angl.) & Bromtonus annos 24. ponunt; tempus nimirum à Wlfelmi pontificatu injustè detractum Odoni adjicientes; ut sic vitam ejus ad annum 958. producant. Isto enim

enim Odonem obiisse anno præter Westmonasteriensem recte tradunt Florentius Wigorniensis, Mailrosensis, & Hovedenus: annos videlicet Pontificatûs viginti ab anno 938. numerantes; quo obiisse Wlfelmus optimè censeri potest. Verùm sive illo obierit anno, & Sedes triennio vacaverit; seu quod Gervasius præfert, anno 940. superfuerit: Constabit Odonem ante annum 942. saltem exitum anni 941. Sedem Cant. non obtinuisse; si Osberno & Chronologiæ Saxonicæ fides. Eâ enim dignitate auctus est ab Eadmundo Rege, quamprimum Ethelstano fratri successit, teste Osberno in Vitâ ejus. Ethelstanus autem decessit anno 941. 6. Cal. Novembr. juxta Chronologiam Saxon. p. 559. Ab anno igitur 941. numeratis annis 20. Odonis obitus circa annum 961. incidit. Atque eo ipso quidem anno illum obiisse Chronologia Saxonica confirmat, p. 558. Tam Osbernum autem quam Chronologum Saxonem errasse in Elsino ostendemus. Diem obitûs IV. Nonas Junii ponit Martyrologium Cantuariense MS. IV. Non. Julii Capgravius in Legenda Novâ, fol. 244.

ELSINUS

Obiit anno DCCCCLXI. in Alpibus.

Quo anno Elsinus Archipræsulatum Cant. adeptus fuerit, eadem est controversia ac de Odonis obitu. Id tamen inter omnes constat, Elsinum quàm citissimè post Odonis mortem dignitatem istam obtinuisse: & suscepto Romam impetrandi Pallii causâ itinere, frigore enectum in Alpibus periisse. Factum id anno Odonis obitum sequente omnes consentiunt. Allato in Angliam rei nuncio, Brithelmus Episcopus Wellensis substitutus est; qui post paucos dies regio jussu dignitati abrenunciavit, & ad Sedem pristinam se recepit. Hæc concordi omnium Historicorum voce narrantur. Ad investiganda autem rerum singularum tempora, nulla potior est via, quàm ut à Regum successione & regni statu conjecturas ducamus. Gravissima à nonnullis retro annis adoleverat contentio inter Sacerdotes Sæculares & Monachos, his possessiones Ecclesiarum & Monasteriorum, quæ Canonici Sæculares ubivis ferè tenuerunt, sibi arripere annitentibus, illis avita patrimonia mordicus retinentibus. Inter has partes divisa erant omnium studia; pars Monachorum ambitionem & avaritiam detestata, Sæculares tutabatur; pars simulatæ religionis fuco & præstigiis capta, Monastico Ordini adhærebat. Istiusmodi dissidia tectis ut plurimum consiliis, jamdiu agitata, post sæculi decimi medium impetu maximo exarserunt. Post Edredi enim Regis obitum rerum summa ad Edmundi fratris filios juvenes Edwium & Edgarum devoluta est. Edwius natu maximus regnum capessivit. Qui Dunstani & Monachorum petulantiam exosus, illum Aulâ, in qua diu dominatus fuerat, ejecit; hos ab invadendis Sæcularium fundis compescuit. Quin & nonnullibi Monachis expulsis, Clericos induxit. Immò, si Malmsburiensi (de gest. Reg. l. 2. c. 7.) fides: *omnes in totâ Angliâ Monastici Ordinis homines, prius nudatos facultatum auxilio, post etiam deportatos exilio, calamitatibus indignis affecit. Eâ tempestate facies Monachorum fœda & miserabilis erat.* Id minimè ferentes Monachi, Edgarum fratrem in partes traxerunt; & excitatâ plebe, illum sibi Regem statuerunt. *Mercenses & Northumbri, contemnentes Edwium, elegerunt fratrem Edgarum; qui mox Dunstanum ab exilio revocavit; & Wigorniensem Episcopum constituit: anno* 957. Fortunâ belli in Edgari partes propendente, pax tandem eâ lege coiit ut regnum inter utrumque

utrumque divideretur; Thamesis fluvius imperii limes esset; omnia ab Australi parte Edwio, à Septentrionali Edgaro cederent. Pax tamen inter Clericos & Monachos nondum coiit. Edwius in suâ ditione nil non Clericis, Edgarus in suâ nil non Monachis concessit. Hinc fit, ut Monachi Historici integra convitiorum plaustra in Edwium conjecerint. Edgarum è contra, utut scortatorem perditissimum, exquisitissimis laudibus extulerint. In Edwii ditione sitæ erant urbes Wintonia & Cantuaria. Edwius itaque Odoni defuncto Elsinum Episcopum Wintoniensem (Monachorum hostem infensissimum; quod ex Malmsburiensi patet, f. 114. b.) Elsino Brithelmum substituit. Hinc tam graves Monachorum in utrumque censuræ: Elsinum Sedem Cant. datâ pecuniâ obtinuisse, demum inter horrendos animi cruciatus extinctum: Brithelmum literarum & legis Ecclesiasticæ penitus ignarum, vel solo pudore adactum, ut dignitate Archiepiscopali cederet. Inanes hæ caluminæ. Dolebant potiùs Manachi Primatum Dunstano Antesignano suo præreptum; & nil non mali in Edwii, Elsini & Brithelmi capita cudebant. Cessit tandem seu fatis seu insidiis Rex Edwius anno 959. Integram Monarchiam Edgarus deinceps tenuit; qui ejecto statim Brithelmo, Dunstanum Cantuariensi Throno præfecit; Clericos Ecclesiis & Monasteriis eliminavit; Monachos induxit, reditibus amplissimis auxit; omnia pro arbitrio illorum fecit. Ista omnia narrant Florentius Wigorniensis, Chronicon Mailrosense, & Simeon Dunelmensis. Alio quidem anno sc. 957. Edwii mortem Chronologia Saxonica reposuit. Verùm rectè illam posuisse Authores supra citatos post subtilissimam disquisitionem clarissimè deprehendi. Ante annum igitur 959. Archiepiscopatum Cant. Elsinus & Brithelmus obtinuisse debent. Illos enim Edgarum præficere voluisse incredibile est; qui Monachorum nutu omnia egit; & Brithelmum Sede suâ, quam recenter intraverat, injuriâ submovit, ut Dunstano locum faceret. Si Odonem itaque anno 958. obiisse, Elsinum successisse, ponamus cum Florentio, Mailrosensi, Hovedeno, & Florilego: & ex eorundem fide, hieme sequenti in Alpibus periisse: Brithelmum etiam, quamprimum istius calamitatis nuncius ad Edwii aulam advenerit, substitutum, Edwio defuncto post paucos dies ab Edgaro amotum sub exitum anni 959. rectè omnia succedent.

DUNSTANUS

Translatus anno DCCCCLXII. sedit annos XXVI. obiit anno DCCCCLXXXVIII.

Ejecto Brithelmo, Dunstanus anno 960. Romam iter sucepit, Pallii obtinendi gratiâ. Sic Florentius, Dunelmensis, & Mailrosensis. A medio hujusce anni ad Maium anni 988. sunt anni 28. cavi, quot Birchingtonus, anni 27. pleni, quot Malmsburiensis & Radulphus de Diceto illum sedisse referunt. Mitto fabulosam illam Historiam Translationis ejus in Cœnobium Glastoniense, quod inter Acta Benedictinorum, Sæc. V. p. 713. Cl. Mabillonius evulgavit. Statuit ea Dunstanum anno 27. Pontificatûs sui obiisse, anno Domini 988. Calendis Augusti, circa diem quidem turpissimè lapsa, annum autem rectè designavit. Eundem enim ponunt Hovedenus, Florentius, Mailrosensis Gervasius, Westmonasteriensis, & Osbernus in Vitâ ejus; qui addit Dunstanum obiisse die tertio post Ascensionem Domini. Produnt alii omnes (prter ineptam Historiam Glastoniensem)

stoniensem) defunctum esse 14. Cal. Junii. Sic Florentius, Mailrosensis, Florilegus, Hovedenus, Simeon Dunelmensis, Birchyngtonus, & Martyrologium Cantuariense MS. Anno autem memorato dies 14. Cal. Junii tertiâ post Ascensionem luce, viz. die Sabbati contigit; & die Sabbati obiisse Dunstanum narrant Simeon Dunelm. Florentius & Hovedenus. Osbernus, & illum verbatim secutus in Dunstani obitu narrando Gervasius, annos 33. regimini illius dederunt. Istorum autem errorem notâsse sat erit.

ETHELGARUS

Translatus anno DCCCCLXXXVIII. sedit annum I. obiit anno DCCCCLXXXIX.

Ethelgarum Dunstano successisse anno 989. refert etiam Florilegus. Sedit *annum unum*; inquit Malmsburiensis. *Annum unum & tres menses*; sic Simeon Dunelmensis, Florentius, Mailrosensis, Hovedenus, Gervasius, Willelmus Thorn, & Bromtonus, qui Stilgarum vocat. Recte itaque anno 989. obiisse ponitur; quod & Florilegus confirmat. Obiit 3. Non. Decembr. juxta Obituarium Cantuariense MS.

ELFRICUS

Translatus anno DCCCCLXXXIX. sedit annos XI. obiit anno M.

Circa Elfricum duo insignes Controversiæ discutiendæ sunt. Primò an Siricium in Sede Cant. præcesserit, vel secutus fuerit? Dein an Elfricus Archiepiscopus idem fuerit cum egregio illo Elfrico, qui circa hoc tempus tot scriptis & versionibus in lucem editis enituit? De secundâ quæstione peculiari Dissertatione agemus. Quoad primam, Elfricum Siricio successisse audacter pronuncio. E parte nostrâ stant Chronologia Saxonica, Florentius Wigorniensis, Hovedenus, Mailrosensis, Simeon Dunelmensis, Radulphus de Diceto, Birchyngtonus, Bromtonus, Willelmus Thorn, & Gervasius in Actis Pontif. Cant. Ex adversâ Malmsburiensis, Westmonasteriensis, Historia Glastoniensis, (in Monastico Angl. Tom. 1. p. 7.) & alii recentiores. Id verò inter omnes constat horum priorem, quisquis ille fuerit, Episcopatum iniisse anno 989. posteriorem anno 1006. vel 1005. obiisse. Quinetiam tantum non constat Siricium sedisse annos 5. Elfricum annos 11. Sic Malmsburiensis, Hovedenus, Florentius, Mailrosensis, Gervasius (in Actis Pontif. Cant.) Bromtonus, Willelmus Thorn, & his omnibus major Chronologia Saxonica. Florilegus quidem unicum tantùm annum Elfrico concedit, & anno 989. subrogatum, anno 790. Siricio locum morte fecisse scribit. Nescio an in censum venire debeat Gervasii Historia de Donationibus Ecclesiæ Christi Cant. factis (in Monastico Tom. 1. p. 21.) qui inibi versâ vice unicum Siricio, eundem nempe, quem Florilegus Elfrico, annum 790. reliquit. Anno enim 1006. Ethelredus Rex possessiones Ecclesiæ Cant. confirmâsse, & super hoc Chartam suam Elfrico, Archiepiscopo dedisse dicitur. Anno 991. Aschwinus Dorsetensis Episcopus reddidisse villam de Risbergh Ecclesiæ Cant. & eidem Elfrico narratur. Verùm parvi hæc momenti; quum in accumulandis Ecclesiæ suæ donationibus adeò cæcutierit bonus ille Monachus, ut Siricium Archiepiscopum donationi Brithnodi Ducis anno 941. factæ testem interfuisse affirmet. His præmissis, sententiæ nostræ

ſtræ rationes ſunt expediendæ. Primò itaque unica Saxonicæ Chronologiæ authoritas, utpote Authoris ætate paulò inferioris, vel omnibus aliis meritò præferri deberet. 2°. Accedunt Mailroſenſis, Florentius Wigornienſis & Simeon Dunelmenſis, reliquis omnibus longè potiores. 3°. Extat in Bibliothecâ Lambethanâ Codex MS. Hiſtoriæ Florentii miræ pulchritudinis; qui in Monaſterio Abendonenſi (ad quod olim ſpectâſſe nota præfixa teſtatur) exaratus circa annum, ut videtur, 1131. multa paſſim habet de rebus & Abbatibus illius Cœnobii; quæ in vulgatis Florentii Codicibus fruſtra quæruntur. Inter alia hujuſmodi additamenta, in Catalogo Epiſcoporum Wintonienſium Hiſtoriæ præmiſſo (in vulgatis exemplaribus ſubnexo) ad Ælfegum Martyrem habetur hæc nota: *Hic poſt Alfricum ſuſcepit Archiepiſcopatum Dorobernæ.* Non Siricius ergo ſed Alfricus Elphego immediate præceſſit. 4°. In confeſſo eſt Elfricum Cœnobium Eccleſiæ Chriſti Cant. reformâſſe; ſeu factum id fuerit expulſis Clericis, quod fide digniſſimi narrant, ſeu ſtabilitis fortius & reformatis in melius Monachis; quod ab Alfrico factum neque ipſi negant Malmsburienſis & Weſtmonaſterienſis; qui expulſos ab illo Clericos ficulneâ quâdam ratione ducti negant. Facta eſt autem hæc Reformatio ſaltem poſt annum milleſimum, anno 1005. juxta Willelmum Thorn; anno 1006. (quamvis Spelmannus annum 1002. ſubſtituendum cenſeat) juxta Diploma Ethelberti Regis ſuper eâ re, quod ſuadente Elfrico ſcriptum extat in Conciliis Angl. Tom. 1. p. 504. quod in vetuſto admodum Eccleſiæ Chriſti Cant. Regiſtro ſcriptum vidi. Non vanam veritatis ſpeciem Diploma illud præ ſe fert; ſic etiam Charta MS. Ethelredi Regis data Cœnobio Sciréburnenſi anno 988. cui ſubſcripſit Alfricus Archiepiſcopus Cant. Neſcio an & aliæ Chartæ, quas ſi tanti eſſet, in ſubſidium adducere poſſem. In Chartâ enim Ethelredi Regis datâ Cœnobio S. Albani anno 996. (in Auctario Additamentorum Matthæi Paris p. 24.) Elfricus inter teſtes nomen appoſuit. Quicquid autem ſit de hujuſmodi Chartis Donativis; forſan durum eſſet fidem derogare iis Inſtrumentis & Chirographis, ex quibus nil emolumenti Cœnobio ſeu Eccleſiæ quærebatur. Ejuſmodi duo Inſtrumenta ex perantiquo Eccleſiæ Chriſti Cant. Regiſtro MS. deſcripſi; quæ rem nobis controverſam abunde conficient. Ex his primum continet; quomodo Siricius Archiepiſcopus poſuit Risburgam in vadimonium Eſpigo Epiſcopo pro nonaginta libris argenti & ducentis marcuſis auri, anno 995. Indictione 7. ſubſcriptum ab Ethelredo Rege, Siricio Archiepiſcopo, Ælphego Wintonienſi, Athelſtano Londonienſi, Aeſtano Siceſtrenſi, Athelſtano Rovenſi, Orbbryht Seoleſienſi, Sigar Villanenſi, Ælfrico Wiltunienſi Epiſcopis. &c. Inſtrumentum aliud ſic incipit. 'Anno 'Dominicæ Incarnationis 995. Indictione 7. ego Aſewinus Dorſeceſtrenſis Eccleſiæ Pontifex reddo Eccleſiæ 'Chriſti & Alfrico Archiepiſcopo Metropolitanæ Sedis terram de Riſberghe cum libro ejuſdem Eccleſiæ 'pro ſalute animæ meæ. Quam videlicet terram Sigericus Archiepiſcopus ejuſdem Eccleſiæ Chriſti, prædeceſſor præfati Archiepiſcopi Alfrici, dedit in vadimonium pro pecuniâ quam à me mutuò accepit. Harum quidem Chartarum falſitatem Indictio malè poſita ſubindicat. Indictio enim 7. incidit in annum 995. Hinc tamen nihilominus patet, Siricium Elfrico præceſſiſſe apud Monachos Cantuarienſes receptum fuiſſe, cùm Eccleſiæ ſuæ Chartas comminiſcerentur, quod factum videtur Sæculo undecimo. Poſtremò Malmsburienſis, qui primus omnium Alfricum Siricio prǽpoſuit, aliiſque omnibus eandem ſententiam tenentibus erroris author fuit, ipſe alio in loco errorem emendavit. In Geſtis enim Archiepiſcoporum Cant. Alfricum Siricio priorem ſtatuit; poſtea verò de Epiſcopis Wiltonienſibus agens, certiora jam edoctus, ordinem immutavit.

tavit. Sic enim scribit f. 142. *Sextus Siricius, septimus Alfricus : qui ambo, ut superius memoratum est, Archiepiscopi fuerunt Cantuarienses.* Hinc mirari subit adeò hallucinari potuisse Godvinum ; qui in Commentario suo de Præsulibus Angliæ dicit Alfricum in suo Archiepiscoporum Cantuariensium Catalogo Malmsburiensem non habere.

Hactenus de ordine Siricii & Elfrici. De initio atque exitu regiminis utriusque nonnulla sunt adjicienda. Successisse Elfricum Siricio, qui obiit anno 994. prodit Chronologia Saxonica p. 561. Concedi tamen poterit nonnihil intervalli. Adeoque Simeon Dunelmensis, Mailrosensis, Florentius & Hovedenus introitum ejus anno 996. reponunt ; quamvis ante annum in Archiepiscopatum successisse Florentius referat. Non malè itaque Instrumenta bina MSS. Ecclesiæ Christi Cant. (quæ superiùs attuli) annum 995. designant. Sedit annos 11. ex concordi omnium Historicorum, præter Florilegum, sententiâ ; Obiit anno 1004. juxta Radulphum de Diceto (Abbrev. Chron. p. 461.) 1006. juxta Simeonem Dunelm. Florentium, Mailrosensem, Bromtonum & Hovedenum. Anno 1005. juxta Chronologiam Saxonicam, p. 562. cujus authoritas aliis præferenda est. Dies obitûs contigit 16. Calend. Decem. juxta Martyrologium Cant. MS.

SIRICIUS

Translatus anno M. Sedit annis V. obiit anno MV.

Siricius à Sede Wiltoniensi ad Cantuariensem translatus est anno 989. Ita Simeon Dunelmensis, & Willelmus Thorn, qui de Wintoniâ translatum male scribit. Successit anno 990. inquit Florentius & Westmonasteriensis. Addit iste obiisse eundem anno 1006. Verùm illius computum supra refutavimus. Sedit annos 5. ex aliorum omnium sententiâ : adeoque anno 994. obiisse rectè ponitur à Chronologiâ Saxonicâ p. 561. & Radulpho de Diceto, Abbrev. Chron. p. 461. Obiisse tamen anno 995. dicitur à Florentio Wigorniensi, anno 996. à Chronico Mailrosensi. Diem obitûs dedit Obituarium Cantuariense, sc. V. Calend. Novembris.

ELFEGUS

Translatus anno MV. Sedit annos VI. menses VII. obiit anno MXII.

Successit Elfrico anno 1006. Sic Chronologia Saxonica, Gervasius, Florilegus, & his omnibus antiquior Adelardus Blandiniensis in Vitâ Dunstani MS. quam ipsi Elphego Archiepiscopo nuncupavit. Ordinatus est 16. Calend. Decembr. juxta Martyrologium Cantuariense MS. Sedit annos 6. menses 7. Ita Malmsburiensis, Gervasius & Radulphus de Diceto. A Danis interfectus obiit 1012. ex fide Florentii & Hovedeni. Malè Westmonasteriensis annum 1011. ponit. Accuratior aliis Author Historiæ Translationis ejus quæ sequitur. Iste sic scribit. *Occubuit anno ab Incarnatione Domini* 1012. *Indictione* 10. *advesperante Sabbato Paschalis ebdomadæ & inchoante Dominicâ die Octavarum Paschæ,* 13. *Calend. Maii anno Patriarchatus* 7°. *nativitatis autem ejus* 59. Eodem die viz. 13. Calend. Maii Elphegum Martyrii tulisse palmam Florentius, Gervasius, & Martyrologium Cant. MS. produnt. Et rectè quidem. Dies enim

13. Calend. Maii eo anno in Sabbatum incidit. Adeò ut si annos 6. menses 7. sederit, necesse sit ut anno 1005. mense Septembri successerit; quamvis fortè anno sequenti intronizatus fuerit. Nec refragantur Adelardus & Chronologia Saxonica, quorum potior est authoritas.

LIVINGUS

Translatus anno MXIII. sedit annos VII. obiit anno MXX.

Hunc alio nomine Æthelstanum vocârunt, teste Westmonasteriensi; qui illum anno 1012. Elphego successisse narrat. Rectiùs Florentius & Hovedenus annum 1013. ponunt. Sedit annos 7. Sic Malmsburiensis, Gervasius, Radulphus de Diceto, Catalogus Usserianus MS. & Birchingtonus. Obiit anno 1020. ex omnium sententiâ. Diem obitûs exhibuit Obituarium Ecclesiæ Christi Cant. MS. viz. pridie Idus Junii.

ETHELNOTHUS

Consecratus anno MXX. sedit annos XVIII. obiit anno MXXXVIII.

Ethelnothum, cui Boni cognomen datum est, sedisse annos 18. referunt Malmsburiensis, Radulphus de Diceto Catalogus Usserianus MS. & Birchingtonus. Solus Gervasius annos 17. assignavit. Obiit anno 1038. Sic Florentius, Huntindoniensis, Hovedenus, & Westmonasteriensis. Dies obitûs contigit 4. Calend Novembr. juxta Florentium, Gervasium, Hovedenum, Radulfum de Diceto, & Florilegum: die 5. Calend. Novembr. juxta Obituarium Cantuariense MS. die autem 3. Calend. Aprilis ex mente Stephani Birchingtoni. Die 30. Octobr. juxta Martyrologium MS. citatum ab Editoribus Actorum Sanctorum Aprilis Antverpiensibus, Tom. 2. p. 642.

EADSIUS

Consecratus anno MXXXVIII. sedit annos XI. obiit anno MXLIX.

Ethelnotho successit anno 1038. Sic Mailrosensis & Westmonasteriensis. Sedit annos 11. ex concordi omnium suffragio. Anno 1043. post Edwardum Regem à se coronatum (quod anno eodem factum juxta Hovedenum) in morbum incurabilem incidens, Siwardum sibi Vicarium seu Corepiscopum ascivit. Ita Malmsburiensis, cui suffragatur Florilegus. Obiit anno 1050. juxta Florentium, Mailrosensem, Chronologiam Saxonicam, Hovedenum, & Westmonasteriensem; die 5. Calend. Novembr. authore Gervasio. Inchoatum Siwardi Chorepiscopatum Historia vetusta Abbendonensis, quæ sequitur, in annum 1044. rejicit. Illum postea Sedem Roffensem obtinuisse receptus est apud omnes ferè recentiores Scriptores nostrates error, à Gulielmo Malmsburiensi derivatus. Iste etenim Siwardum quendam circa hæc tempora in Episcoporum Roffensium Catalogo deprehendens, eundem fuisse ac Chorepiscopum Cantuariensem statim putavit. Hinc arreptâ occasione narrat Siwardum turpissimâ ingratitudine Eadsio seni necessaria alimenta subtrahentem. Vicariatu submotum fuisse ab Edwardo Rege, intercedente tamen Eadsio Sedi Roffensi præfectum esse. Eundem postea

ſtea (capite de Epiſcopis Roffenſ. f. 132.) Normannorum adventui anno 1066. paucis diebus ſuperfuiſſe tradit. Siwardum tamen Epiſcopum Roffenſem in Lanfranci conſecratione anno 1070. partes egiſſe comperimus apud eundem fol. 117. Malmſburienſem ſecuti ſunt Thomas Rudburn in Hiſtoriâ Majori MS. l. 4. c. 4. & ab illo citatus Auctor deperditus de concordantiis Hiſtoriarum Angliæ: ut Godvinum alioſque recentiores taceam. Florilegi verba in eandem ſententiam Rudburnus adducit. Verùm nil tale neque in vulgatis neque in Manuſcriptis ejus Codicibus reperire potui. Horum traditionem refutat obitus Siwardi Chorepiſcopi; qui ante Eadſii mortem contigit ex fide Florentii, Weſtmonaſterienſis, & Monachi antiqui Abendonienſis mox citandi: idemque Bromtonus ſubdubitanter refert. Sed neque credendum eſt Siwardum Epiſcopum Roffenſem factum ante Eadſium deceſſiſſe. Unicum enim Siwardum Sedi Roffenſi præfuiſſe legimus; atque illum Lanfranci conſecrationi anno 1070. interfuiſſe novimus. Obiit Siwardus noſter anno 1050. juxta Weſtmonaſterienſem, anno 1049 juxta Florentium. Rei totius veritatem & honeſtiorem ſimul abdicati chorepiſcopatûs cauſam nos docebit Monachus Abendonienſis Author Additamentorum ad Hiſtoriam Florentii MS. qui ſub initium ſequentis Sæculi iſta ſcripſit. *Anno* 1049. *Archiepiſcopi vices moderans Siwardus ægritudine correptus, Abbandoniam à Cantiâ æger defertur; & duobus illic menſibus lecto detentus, ab hac vitâ educitur, atque ibidem ſepelitur.* Diem obitûs fuiſſe 3. Calend. Novembr. Obituarium Cant. MS. prodit.

ROBERTUS

Vix biennio expleto pulſus eſt anno MLI.

Hunc poſt amotum Siwardum Chorepiſcopi Cantuarienſis vices uſque ad obitum Eadſii egiſſe Thomas Rudburn (loco citato) contendit, allatâ auctoritate Malmsburienſis; qui narratâ Siwardi depoſitione, dein Robertum throno Cantuarienſi præfectum refert. Quod poſt Eadſii mortem primò factum fuiſſe rectiùs intelligendum eſt. Interim facilè concedi poteſt Robertum maximo Regis favore jam diu cumulatum omnia poſt Siwardi ceſſionem pro nutu adminiſtraſſe. Eadſio defuncto ſucceſſit anno 1050. juxta Florilegum, anno 10. Edwardi Regis, i. e. Chriſti 1051. juxta Huntindonienſem. Biennio ſediſſe Gervaſius, Radulphus de Diceto, Malmsburienſis & Birchingtonus; expulſum anno 1052. Florentius, Mailroſenſis & Weſtmonaſterienſis produnt.

STIGANDUS

Tranſlatus anno MLI. depoſitus eſt anno MLXVIII. ſedit annos XVII.

Stigandus Roberto expulſo ſubrogatus eſt anno 1052. Sedit annos 17. (ſc. plenos) juxta Malmsburienſem, Radulphum de Diceto & Birchingtonum: annos 18. (viz. cavos) juxta Gervaſium: Depoſitus eſt in Synodo Wintonienſi in Octavis Paſchæ (viz. die 11. April.) anno 1070. (malè Bromtonus 1069.) habitâ. Ita Simeon Dunelmenſis (p. 201.) Radulphus de Diceto Weſtmonaſterienſis, Matthæus Paris, Birchingtonus, Florentius Wigornienſis, quique Florentium pro more exſcribit Hovedenus. Factum id in Synodo Windleſhorienſi in craſtino Pentecoſtes

anno

anno eodem habitâ, in qua degradatus est Agelricus Suthsaxonum Episcopus, malè narrant Ordericus Vitalis (lib. 4.) & Monachus Beccensis in Vitâ Lanfranci (cap. 6.) Quid verò sibi velint Gervasius, Radulphus de Diceto, Catalogus Usserianus MS. & Birchingtonus; qui Sedem post Stigandi depositionem biennio vacâsse ponunt; vix augurari possum; cùm Stigandum anno 1070. depositum non negent, eodemque Lanfrancum consecratum esse constet. Meliùs sibi constat Lichfeldensis noster; qui ut vacationi locum faciat, Stigandum anno 1068. depositum asserit. Erroris istius vix alia causa excogitari potest; quàm quòd Willelmus Rex Stigandum anno 1067. secum in Normanniam quasi captivum duxerit; & quamvis anno finito reduxerit; vix tamen unquam ad Sedem suam redeundi copiam indulserit.

LANFRANCUS

Consecratus anno MLXX. IV. Calend. Septemb. obiit anno MLXXXIX. sedit annos XIX. Vacavit Sedes annos IV.

Nominatus est à Rege Willelmo die Assumptionis B. Virginis, viz. 18. Cal. Septembr. consecratus in Festivitate S. Johannis Baptistæ, viz. 4. Calend. Septembr. die Dominicâ anno 1070. sic Eadmerus, Florentius, Simeon Dunelmensis, & Hovedenus. De tempore Consecrationis conveniunt Chronologia Saxonica (p. 563.) Malmsburiensis, Ordericus Vitalis, & Monachus Beccensis in Vitâ Lanfranci (cap. 10.) Atque illo quidem anno Decollatio S. Johannis in Dominicam incidit. Litem tamen movent Radulphus de Diceto (Abbrev. Chron. p. 483.) & Florilegus. Ille anno 1071. die 4. Cal. Septembr. Dominicâ: Iste anno eodem 8. Cal. Maii Lanfrancum consecratum asserit. Sedit annos 18. menses 9. dies 2. juxta Chronol. Sax. satis recte; annos 19. ex aliorum sententiâ; atque obiit anno 1089. 9. Calend. Junii feriâ quintâ, juxta Florentium, Hovedenum & Radulfum de Diceto: die 5. Calend. Junii, juxta Monachum Beccensem (cap. 18.) Birchingtonum, & Obituarium Cantuariense MS. die 5. Calend. Junii, feriâ 2ª post Octavas pentecostes, juxta Gervasium. Uterque quidem dies anno 1089. in feriam datam incidit; adeò ut quis calculus potior sit habendus, parum constet. Si conjectandum esset; vellem Lanfrancum die 9. Calend. Junii defunctum, die 5. Calend. Junii sepultum esse. Undenam verò Author Antiq. Britann. & Godwinus diem obitûs ab ipsis Lanfranco positum, viz. diem 4. Junii, hauserint; planè divinare nequeo. Post Lanfranci obitum vacavit Sedes annos 4. seu juxta alios 5. quòd facilè conciliari potest; si hîc cavos, illic plenos annos intelligamus: seu unum ab electione, alium à consecratione Anselmi computum duci supponamus.

ANSEL-

ANSELMUS

Consecratus anno MXCIII. II. Non. Decembris, obiit anno MCIX. XI. Calend. Maii. Sedit annos XVI. Vacavit Sedes annis V.

Postquam vacasset Sedes annos 4. (rectiùs 3.) menses 9. dies 9. inquit Chronol. Saxonica: Lanfranco successor designatus est à Rege anno 1093. pridie Nonas Martii, primâ Dominicâ Quadragesimæ; authore Malmsburiensi & Radulfo de Diceto. Consecratus anno eodem pridie Nonas Decembris, ex fide Chronologiæ Saxonicæ, Radulphi, Malmsburiensis, Florentii & Gervasii; ut alios taceam. Pallium Cantuariæ accepit die 4. Idus Junii, referentibus Malmsburiensi & Radulpho de Diceto. Obiit anno 1109. die 11. Calend. Maii. Sic Florentius, Eadmerus, Johannes Carnotensis (in Vitâ ejus MS. cap. 16.) & Birchingtonus. Addunt Florentius & Carnotensis diem istum feriâ quartâ contigisse, atque Anselmum die sequenti sepultum esse. Singulis diebus supra positis apprimè conveniunt Tabulæ Astronomicæ. Sedit itaque Anselmus à Consecratione annos 15. menses 4. dies 17. Crassè igitur hallucinatur Godvinus; qui illum annos 19. sedisse perhibet. Vacavit Sedes annos 5. dies 5. juxta Abbreviationem Malmsburiensis Historiæ de gestis Pontificum Angl. MS. quod ipse Malmsburiensis confirmat, Radulphum quinto die post exactum quinquennium à morte Anselmi nominatum dicens.

RADULPHUS

Translatus anno MCXIV. sedit annos IX. obiit anno MCXXI. XIII. Calend. Novembris.

Nominatus est à Rege anno 1114. die 6. Calend. Maii juxta Matthæum Paris, Radulphum, & Florentium, seu die quinto post exactum quinquennium ab Anselmi obitu juxta Malmsburiensem, *Consecratus est ab Anselmo Domini Papæ Legato, anno 1115. die V. Calend. Julii, & Pallium ab eodem suscepit:* inquit optimæ notæ Chronicon à Conquestu ad annum 1321. MS. in Bibliothecâ Lambethanâ. Pallium illo die ab eo susceptum fuisse testantur etiam Florentius, Radulphus de Diceto & Eadmerus: Consecratum esse Matth. Paris. Magis tamen credendum Eadmero, qui consecratum scribit anno 1114. die 17. Maii. Sedit annos 8. menses 6. Sic Gervasius, Radulphus de Diceto & Birchingtonus; à nominatione illius calculum ducentes. Obiit anno 1122. die 13. Calend. Novembr. authore Eadmero ipsius familiari (Hist. Nov. in fine) cui suffragantur Malmsburiensis, Birchingtonus & Obituarium Cantuariense MS. Diem 3. Calend. Novemb. Gervasius malè posuit. Non tamen contemnendus Florentii Wigorniensis Continuator; qui Radulphi obitum anno 1122. die 14. Calend. Novembr. feriâ 5. contigisse ponit. Isto enim anno dies is in feriam quintam incidit. Eademque habet codex Florentii Historiæ MS. Lambethanus, post novennium à Radulphi morte exaratus.

WILLEL-

WILLELMUS

Consecratus anno MCXXII. sedit annos XV. obiit anno MCXXXVI.

Post Radulphi obitum vacavit Sedes menses 4. authore Radulpho de Diceto. Demum anno 1124. (rectius 1123.) Willelmus Corboil nominatus est à Rege ad Festum Purificationis, narrante eodem Radulpho & Hovedeno; consecratus anno eodem, die 14. Calend. Martii, juxta Radulphum & Continuatorem Florentii. Rectiùs Gervasius anno 1122. (sc. exeunte, seu 1123 inchoante) die 12. Calend. Martii consecratum scribit. Iste enim dies eo anno in Dominicam incidit. Anno 1130. die 4. Nonas Maii Ecclesiam Christi Cant. recenter instauratam dedicavit; Sic Gervasius atque alii. Sedit annos 15. ex mente Birchingtoni; annos 13. menses 9. ex calculo Radulphi de Diceto. Rectiùs iste. Obiisse enim Willelmum anno 1136. die 11. Calend. Decembris produnt Obituarium Cantuariense MS. & Gervasius in Chronico: quamvis iste in Actis Pontif. Cantuar. die 6. Calend. Decembr. eundem decessisse scribat. Diem 12. Calend. Decembr. Florentii Continuator præfert. Radulphum annos 15. menses 9. sedisse, Author Antiquitatum Britann. falsò existimavit.

THEOBALDUS

Consecratus anno MCXXXVIII. obiit anno MCLXI.

Postquam vacasset Sedes Cantuariensis annos 2. mensem 1. dies 14. ex fide Gervasii; an. 2. mens. 1. dies 13. juxta Radulfum de Diceto; Theobaldus electus est ab Episcopis Angliæ in Concilio Londinensi habito in adventu Domini. Sic Matthæus Paris. Anno 1138. Sabbato proximo ante Natale, viz. IX. Calend. Januar. Sic Gervasius. Consecratum ibidem ab Henrico Wintoniensi Episcopo Matthæus Paris malè refert. Factum enim id Cantuariæ ab Alberico Papæ Legato anno 1139. circa Epiphaniam Domini secundùm Mailrosensem; anno 1139. 6. Idus Januar. secundum Gervasium & Birchingtonum. Sedit annos 22. menses 4. juxta Radulphum de Diceto, ab Electione quidem numerandos. Obiit enim anno 1161. (minus recte Matthæus 1160.) die 14. Calend. Maii ex fide Gervasii, Birchingtoni & Obituarii Cantuariensis MS. Vacavit Ecclesia annum 1. mensem 1. dies paucos; authore Gervasio: an. 1. mens. 1. dies 14. Birchyngtono, an. 1. mens. 1. dies 16. Radulpho de Diceto. Rectior Birchingtoni calculus.

THOMAS

THOMAS

Consecratus anno MCLXII. die S. Trinitatis, obiit anno MCLXX. IV. Calend. Januarii.

Archiepiscopus electus, Presbyter ordinatus est Sabbato Pentecostes (sc. in hebdomade Pentecostes) anno 1162. consecratus in Episcopum die sequente ab Henrico Wintoniensi Episcopo. Sic Matthæus Paris & Radulphus de Diceto. Consecratus anno 1162. pridie Nonas Junii, die Octavarum Pentecostes: Sic Gervasius. Verius Birchingtonus, Chronicon Cestrense MS. & Thomas Wikes, anno 1162. die 3. Nonas Junii. Isto enim anno ea dies Dominica fuit, & S. Trinitati sacra. Sedit annos 8. menses 6. dies 28. Ita Radulphus de Diceto, unicum diem plus justò numerans. Thomas enim à sicariis interfectus occubuit anno 1170. die 4. Calend. Januarii, feriâ tertiâ: juxta Gervasium, aliosque ferè innumeros, (& in his Monachum Cantuariensem, qui Martyrio illius interfuit, & ante biennium exactum conscripsit Vitam, MS. in Biblioth. Lambeth.) Nil enim apud Historicos nostrates magis decantatum est, quam Martyrium S. Thomæ. Hovedenus tamen in anno erravit, annum 1171. reponens: & Abbreviator Gulielmi Malmsburiensis MS. lepido errore diem 4. Cal. Januar. diem 4. post Calendas Januarii esse putavit; adeoque Thomæ necem die quinto anni 1171. collocavit. Uterque autem defendi poterint, modò, quod nonnulli faciunt Historici, annum à Nativitate Domini exordiantur. Minùs tamen excusandi Author Autiquitatum Britan. & illius sequax Godvinus; qui in tantâ Historiæ luce cæcutientes, Thomæ obitum die 28. Decembris contigisse scribunt.

RICHARDUS

Consecratus anno MCLXXV. obiit anno MCLXXXIV. Dominicâ proximâ post Adventum Domini.

Post Thomæ obitum vacavit Ecclesia Cantuariensis annis 2. juxta Birchingtonum; anno 1. mensibus 5. diebus 4. juxta Radulphum de Diceto. Qui calculum rectè posuisset; si pro anno uno duos substituisset. Sedem namque annis 2. mens. 5. diebus 4. vacâsse ex Gervasio constat. Sic enim Gervasius *Electus est apud Westmonasterium anno* 1173. *Dominicâ Octavarum Pentecostes*, 3. *Nonas Junii.* Et sanè is dies illo anno in Dominicam incidit. Radulphus de Diceto tamen pridie nonas Junii electum minus rectè tradit. *Sequenti die Sabbati*, inquit Gervasius, *ab Episcopis & Electis Angliæ Clero & populo Cantuariensis Ecclesiæ honorifice susceptus est, in crastino, sicut dicebatur, consecrandus.* Verùm appellatione interpositâ Consecratio dilata est. Gervasio astipulatur Radulphus de Diceto (in Abbrev. Chron. p. 570.) nisi quòd Sabbatum istud, quo Cantuariæ Richardus susceptus est, die 6. Idus Junii ponat; quod revera contigit die 5. Idus Junii. Minus rectè igitur Matthæus Paris Electionem anno 1173. prid. Nonas Julii institutam refert. Richardus Electus Romam profectus, confirmatus est à Papâ anno 1174. 4. Nonas Aprilis, authore Radulpho de Diceto: consecratus ab eodem Dominicâ (secundâ) post Pascha, qua canitur ad introitum *Misericordias Domini*, teste Gervasio, & Hovedeno, qui post diem tertium Pallio donatum addit. Sedit annos 10. menses 8. Sic Gervasius:

vasius : annos 9. septimanas 45. dies 5. Sic Radulphus de Diceto (in Imag. Hist. pag. 18.) annos 9. menses 9. dies 13. Idem (in Catalogo Archiepiscoporum Cant. præmisso). Obiisse Richardum anno 1184. die 14. Cal. Martii (malè Hovedenus, 14. Cal. Maii) feriâ 6. Gervasius prodit, rectissimé. Anno 1184. die 13. Calend. Martii Radulphus. Iste igitur annos pontificatûs gesti à consecratione, ille ab electione numerat. Sepultum esse Richardum in Ecclesiâ Christi Cant. die XII. Calend. Martii Gervasius refert. Crassè erravit Lichfeldensis noster; qui diem electionis Baldwini pro die obitûs Richardi posuit.

BALDWINUS

Translatus anno MCLXXXIV. obiit anno MCXCI.

Post Richardi obitum vacavit Ecclesia Cant. menses 9. dies 26. juxta Gervasium : menses 10. dies 9. juxta Radulphum de Diceto. Rectè Gervasius; qui vacationem in electione Baldwini à Monachis Cantuariensibus confirmatâ terminavit. Præcesserat enim Electio ante 14. dies ab Episcopis & Clero facta; in qua si unquam aliàs, Radulphus (utpote Clericus Sæcularis) vacationem terminare debuisset. Inverso itaque ordine apud Radulphum, legendum putarem : *Vacavit Sedes menses 9. dies 10.* Et sic quidem calculus veritati quàm proximè accederet. Electus enim fuit Baldwinus ab Episcopis Angliæ in Synodo Westmonasteriensi anno 1184. Dominicâ primâ in Adventu Domini; sic Radulphus : seu quod ad idem redit, anno 1184. die 4. Nonas Decembris. Sic Hovedenus. Electio post multas tergiversationes confirmata est (seu potius de novo electus est Baldwinus) à Monachis Cantuariensibus anno eodem Dominicâ qua cantatur *Gaudete in Domino* (viz. Dominicâ tertiâ in Adventu Domini) Ita idem Radulphus. Contigit ea Dominica die 17. Calend. Januar. ex fide Gervasii; cui suffragantur Tabulæ Astronomicæ. Demum inthronizatus est anno 1185. die S. Dunstani (seu 14. Calend. Junii) authore Willelmo Thorn : quo die etiam Pallio redimitus fuit; referente Gervasio. Falsi itaque Matthæus Paris & Radulphus; qui pallium anno 1186. ab illo acceptum scribunt. Ut alios enim mittam; Gilbertum de Glanvilla Episcopum Roffensem anno 1185. die S. Michaelis ab illo consecratum legimus apud Gervasium. Anno 1191. die 2. Non. Martii apud Dovoriam transfretavit, in Terram Sanctam profecturus. Obiit ibi in obsidione urbis Acon anno eodem die 13. Calend. Decembr. Hæc Gervasius. Obitum tamen die 12. Cal. Decembr. Obituarium Cantuariense MS. posuit. Baldwinum Hierosolymam profectum obiisse anno 1191. communis est Gervasio cum plurimis aliis error; hinc videlicet natus; quòd anno demum 1191. nuncius de illius obitu in Angliam perlatus sit. Obiit autem revera anno 1190. Id ex Florilego & Johanne Bromtono constat; ex tempore Pontificatûs ab ipsomet Gervasio assignato; ex tempore Vacationis morti succedentis à Radulpho de Diceto & Catalogo MS. Usseriano posito. Mirum sane, quomodo omnia hisce circiter annis apud Gervasium (in Chronico) & Radulphum de Diceto (in Imag. Hist.) seu Auctorum errore; seu quod magis crederem, Editoris incuriâ conturbata sunt. Ut de Gervasio enim exemplum sumamus; omnia quæ ad annos 1190. 1191. & 1192. refert, annis singulos præcedentibus evenerunt. Anno 1190. Episcopi Londoniensis & Eliensis consecrati dicuntur (p. 1564.) prid. Cal. Januar. Anno autem 1190. ista dies in Dominicam non incidit; anno 1189.

1189. incidit. Sic etiam Anno 1191. Hugo Cestrensis Episcopus Monachos Coventrenses eliminâsse dicitur (p. 1566.) Factum id anno MCXC. teste Chronico Lichfeldensi MS. Anno 1192. Clemens III. Papa obiisse dicitur (p. 1567.) quem anno 1191. mense Aprili decessisse omnes norunt. Dicuntur ibidem Episcopi Angliæ convenisse Westmonasterii ad consecrationem Roberti Wigorniensis Episcopi *anno* 1192. *Dominicâ Palmarum, sc. VII. Idus Aprilis.* Annus autem is fuit 1191.quo Dominica Palmarum contigit 7. Id. April. Pari errore Baldwinus anno 1191. obiisse dicitur (p. 1566.) quem anno 1190. decessisse certum est. Sedit itaque Baldwinus annos 5. menses 11. juxta Gervasium (in Actis Pontif. Cant. p. 1678.) Rectissimè, si ab electione posteriori supputes, & in anno 1190. obitum illius ponas. Annos 6. menses 6. dies 17. juxta Radulphum de Diceto; qui duplici errore tenetur. Primus communis est Gervasii Chronico, unum sc. plùs justo annum numerans. Alter ex Librarii culpâ natus videtur. Si enim (quod facile fuit) figuram VI. pro XI. in mensium numero apud Indiculum ejus corruptè positam concedamus; & annum redundantem auferamus; Rectè uterque Codex MS. Indiculi illius Baldwini Pontificatum designabit. Sedit enim annos 5. menses 11. dies 17. ab electione priori; annos 5. menses 11. dies 3. ab electione posteriori.

REGINALDUS

Electus, obiit MCXCII.

Eadem ferè de Reginaldi tempore ac de Baldwini obitu dicenda sunt. Illum enim post annum circiter ab istius morte Sedem Archiepiscopalem obtinuisse inter omnes convenit; adeò ut qui Baldwinum anno 1191. defunctum esse prodant, Reginaldum anno 1192. electum & defunctum perhibeant. Sic enim Gervasius in Chronico suo refert. Electus est à Monachis Cantuariensibus anno 1192. die 5. Calend. Decembr. Electioni consensit die 4. Nonas Decembr. Obiit apud Dogemeresfeld. 7. Cal. Januarii ejusdem anni. Paulò aliter Radulphus de Diceto in Imag. Hist. qui illum ipso die Natali Christi anno bissextili (viz. 1192.) feriâ quarta, die 29. (pessimè Godwinus 49.) ab electione suâ obiisse narrat. Illo autem anno Natale Domini in feriam sextam, dies 7. Calend. Januar. in Sabbatum incidit. Anno quidem 1191. Natale, Domini in feriam quartam incidit; atque illo anno Reginaldus defunctus est. Non tamen ipso die Natali (quod voluit Radulphus) sed sequenti, sc. die 7. Cal. Januar. Sic enim præter Gervasium, & Obituarium Cantuariense MS. testes sunt omni exceptionemajores Epistolæ R. Clerici ipsius Reginaldi, & G. Prioris Ecclesiæ Christi Cant. (quorum ille Reginaldi extremis adfuit; iste ad morientem à Conventu Cant. missus festinavit) MSS. inter Epistolas de causâ Hakintonensis Collegii in Bibliothecâ Lambethanâ. Inibi enim (lib. 2.) Clericus Dominum suum morbo correptum in Vigiliâ Natalis Domini decubuisse narrat. Prior autem Conventui rescribit; quòd *Dominus Electus diem clausit ultimum nocte, postquam dies Festivitatis B. Stephani illuxit.* Sepultus est in Ecclesiâ Bathoniensi die 29. Decembr. teste Radulpho de Diceto. De isto Archiepiscopo intelligenda esse opinor, quæ habet Petrus Prior Ecclesiæ S. Trinitatis London. in Opere prolixo *Revelationum seu Visionum de statu mortuorum* (quod circa annum 1200. se scripsisse dicit, lib. 1. cap. 6.) MS. in Bibliothecâ Lambethanâ. 'Jam quartus, ut arbitror, 'elapsus est annus; quo Pontifex quidam in Archiepræsulem electus, 'citâ morte præventus, Episcopatûs 'onus ante deposuit, quàm honorem

'consequeretur, ad quem petebatur, 'eminentioris gradûs. Exstiterat autem in abscondito interioris hominis 'bene religiosus, purèque devotus, 'asperrimo cilicio usus, &c. Verùm 'in Episcopali officio multa per negligentiam gravius deliquerat.——— 'De isto plurimorum jam vulgatum 'assertione audivi; quòd per ipsum 'Miracula curationum in quibusdam 'debilibus & infirmis post ejus transitum divinitus fuerint perpetrata. '—Verumptamen in pœnis [Purgatorii] adhuc & ipsum, restante sibi 'proculdubio multâ præmiorum recompensatione, inveni.

HUBERTUS

Translatus anno MCXCII. sedit annos XIII. obiit anno MCCV. V. Idus Julii.

Cùm Reginaldi Electionem neque Confirmatio neque Inthronizatio subsecuta fuerit; Pontificatus ipsius in censum non venit Historicis supputantibus tempus Vacationis post Baldwini mortem. Gervasius itaque Sedem Cant. annos 2. menses 7. Radulphus de Diceto anns 3. minuos 16. diebus; Catalogus Usserianus MS. annos 2. menses 11. dies 16. vacâsse scribunt. Nulli veritatem attigerunt; singuli tamen quàm proximè accesserunt. Vacavit enim Ecclesia Cant. à Baldwini obitu ad Huberti Electionem annos 2. menses 6. dies 8. ad ejusdem Inthronizationem annos 2. menses 11. dies 19. Electus siquidem est Hubertus anno 1193. die 3. Calend. Junii; inthronizatus anno eodem, die 7. Idus Novembr. teste Gervasio. Eodem quo Gervasius, illum die Radulphus de Diceto electum, Matthæus Paris inthronizatum fuisse memorat. Sedit annos 11. menses 8. dies 12. atque obiit die 3. Idus Julii, sepultus 2. Idus Julii, feriâ quintâ. Sic Gervasius. Obiit anno 1205. 3. Idus Julii. Sic Matthæus Paris, & Thomas Wikes; anno 1205. 3. Calend. Julii, Chronicon MS. à Conquestu ad an. 1321. die 3. Idus Julii: Obituarium Cantuariense MS. Gervasium autem cum aliis Historicis de anno convenire necesse est; in illo quippe anno dies 2. Idus Julii in feriam quintam incidit. Sedit itaque Hubertus ab electione annos 12. mensem 1. dies 17. ab inthronizatione annos 11. menses 8. dies 7. Lapsus igitur hîc, ut sæpe aliàs, Gervasius: ut mirum sit Historicos nostros tam rudes Abacedarios fuisse.

STEPHANUS LANGTON

Consecratus anno MCCVII. obiit anno MCCXXVIII. VIII. Idus Julii.

Vacavit Sedes post Huberti obitum annum 1. menses 11. dies 4. Sic Catalogus Usserianus MS. Rectè. Anno enim 1207. Stephanus Viterbii consecratus est ab Innocentio III. Papâ die 15. Calend. Julii; juxta Matthæum Paris & Annales Waverleienses. *Die S. Trinitatis*; inquit Chronicon Ecclesiæ Christi Cant. MS. (ex quo supra Excerpta habes de Roberto Winchelse) Obiit anno 1228. *feriâ* 6ª. *proxime sequenti Nonas Julii* (seu pridie Idus Julii.) Sic Willelmus Thorn. Legendum videtur *Dominicâ proximè sequenti Nonas Julii.* Obituarium enim Cantuariense MS. Langtonum decessisse memorat die 7. Idus Julii; qui quidem anno 1228. Dominica fuit proxima post Nonas Julii.

RICHAR-

RICHARDUS

Consecratus anno MCCXXIX. obiit anno MCCXXXI.

Vacavit Sedes menses 11. Successit Stephano Richardus cognomento Magnus, consecratus Cantuariæ ab Henrico Roffensi Episcopo anno 1229. die S. Trinitatis, 4. Idus Junii. Sic Matthæus Paris, Tho. Wikes, Chronicon Cestrense MS. Continuator Radulphi de Diceto, & Chronicon MS. Lambethanum ad annum 1321. pertingens. Addit Matthæus Pallium ab eo receptum die 9. Calend. Decembr. ejusdem anni. Lapsus est Johannes Abbas Burgi in Chronico MS. qui Ricardum anno 1229. 4. Non. Augusti consecratum scribit. Sedit annos 2. juxta Birchingtonum; annos 2. mensem 1. dies 25. si calculos accuratè subducas. Obiit enim à Româ rediens apud S. Gemmam tertiâ diætâ citra Romam anno 1231. die 3. Nonas Augusti teste Matthæo: Anno 1230. obiisse Thomas Wikes minùs rectè tradidit. Vacavit Sedes anno 1. septimanis 18. Catalogus Usserianus MS. forte ad electionem Edmundi calculum ducens.

EDMUNDUS

Consecratus anno MCCXXXIV. in Festo Annuntiationis, obiit anno MCCXLI.

Consecratus est Cantuariæ à Rogero Episcopo Londoniensi anno 1234. die 4. Non. Aprilis, Dominica qua cantatur, *Lætare Jerusalem* (viz. Dominicâ Mediâ Qudragesimæ.) Sic Matthæus Paris, Chronicon Cestrense MS. & Thomas Wikes. Sponte exulavit anno 1240. & apud Soyssy in Galliâ obiit anno eodem, die 16. Calend. Decembr. juxta Matthæum; cui de die convenit Martyrologium Cant. MS. & Chronicon Ecclesiæ Christi Cant. MS. anno 1240. die 16. Calend. Novembr. juxta Thomam Wikes. Vide quæ supra de Edmundi obitu adnotavimus ad Birchingtoni Historiam.

BONIFACIUS

Consecratus anno MCCXLIV. obiit anno MCCLXX.

Post Edmundi obitum Sedem Cant. vacasse dicit Birchingtonus annis 3. mensibus 2. Catalogus Usserianus MS. annis 3. mens. 2. diebus 3. Successit Bonifacius, electus anno 1241. confirmatus à Papâ 1243. consecratus ab eodem Lugduni 1245. inthronizatus die Omnium Sanctorum anno 1249. Ista Matthæus Paris. Obiisse illum in Sabaudiâ anno 1270. die 15. Calend. Augusti Annales Waverleienses docent. Diem confirmat Obituarium Cantuariense MS. resque apud omnes in confesso est. Si annos igitur 26. mens. 6. dies 16. à Consecratione sederit (quod Author Antiquitatum Britannicarum refert, atq; illum secutus Godvinus) consecratus erit anno 1244. die 3. Non. Januarii. Quod nequaquam admittendum videtur. Lugduni enim ab Innocentio Papa anno 1245. una cum Rogero de Weseham Episcopo Cestrensi sacratum fuisse Florilegus & Matthæus Paris disertè asserunt; eodemque anno ac loco Rogerum consecratum fuisse Thomas Chesterfeld in Historiâ Episcoporum Lichfeld. confirmat. Undenam sua hauserit

Eruditissimus Antiquitatum Britan. Author, plane augurari nequeo. Nil ejusmodi in aliquo superioris ævi Scriptore reperire potui. Undecunque autem habuerit; falsum esse constat. Consecratum Bonifacium anno 1245. Dominicâ post Epiphaniam ex Analibus Wigorniensibus MSS. demum deprehendi.

ROBERTUS KILWARBY

Consecratus anno MCCLXXII. resignavit anno MCCLXXVIII.

Defuncto Bonifacio electus est à Monachis Cantuariensibus Willelmus Chillenden Ecclesiæ Cant. Prior; qui *Electioni de se factæ in præsentiâ Domini Gregorii Papæ renunciavit anno* 1273. (rectius 1272.) *die* 16. *Calend. Octobr.* authore Petro de Yckham in Historia sua MS. in Bibliotheca Lambethana. Quo facto, Robertus Kilwarby nominatus est à Papa anno 1272. in Crastino S. Jeronymi (seu ipsis Calendis Octobr.) ex fide Chronici Ecclesiæ Christi Cant. MS. Consecratus est Cantuariæ à Willelmo Bathoniensi Episcopo, præsentibus undecim Suffraganeis Episcopis Dominicâ primâ in Quadragesima anni sequentis. Sic Matthæus Paris, cui astipulantur Annales Waverleienses, Chronicon Ecclesiæ Cant. MS. & Thomas Wikes. Quo verò anni die id contigerit, minimè inter se conveniunt. Waverleiensis id die 4. Idus Martii, alii duo die 4. Calend. Martii ponunt. Isti rectiùs. Vix audiendus Petrus de Yckham; qui id ipsis Calendis Martii factum scribit; cùm eo anno Kalendæ Martiæ in feriam 3. inciderint. Intronizatus est Robertus Dominica proxima post Exaltationem S. Crucis; narrante Thoma Wikes; quæ quidem illo anno 15. Cal. Octobr. contigit. Pallium antea acceperat die 8. Idus Maii, ex fide Annalium Waverleiensium. Anno 1278. (malè Petrus de Yckham 1277.) Cardinalis Portuensis à Papâ creatus, Sedi Cantuariensi cessit; & Suffraganeis suis vale dicto circa Festum S. Jacobi, statim transfretavit. Sic Thomas Wikes cum aliis. Obiit die 3. Idus Septembris, juxta Obituarium Cantuariense MS. Sedem 46. Septimanas, (43. septimanas, dies 3. Catalogus Usserianus MS.) vacasse Birchingtonus scribit, quorum computi ratio me fugit; falsumque esse nullus dubito. Robertus enim dignitati suæ certe non cessit ante 4. Calend. Junii; quo Willelmum Episcopum Norvicensem consecrasse dicitur à Thoma Wikes.

JOHANNES PECHAM

Consecratus anno MCCLXXVIII. primâ Dominicâ Quadragesimæ, obiit anno MCCXCII.

Nominatus est à Papâ ineunte anno 1279. die Conversionis S. Pauli: Sic Petrus de Yckham & Chronicon Ecclesiæ Christi Cant. MSS. consecratus ab eodem primâ Dominicâ Quadragesimæ (viz. die 3. Non. Martii) juxta Lichfeldensem nostrum aliosque; Dominicâ mediâ Quadragesimæ (viz. 7. Calend. April.) juxta Thomam Wikes. Idem illum obiisse refert anno 1292. circa Festum S. Nicolai, sepultum die Jovis proximâ ante Natale Domini, Diem obitus sexto Idus Decembr. contigisse Obituarium Cantuariense MS. docet. Catalogus Usserianus sedisse annos 13. septimanas 45. dies 2. narrat. Author Antiquitatum Britannicarum annos 13. septimanas 24. dies 2. illum sedisse, & die 13. Januarii obiisse asserit. Quæ, si quis calculos subducat, nequaquam vera comprobaverit. Cæterùm Johannem inthronizatum fuisse anno 1279. die 8. Idus Octobris Annales Waverleienses produnt.

produnt. Diem obitûs pariter ac locum ſepulturæ (Godvino ignotum) deſignat Regiſtrum MS. Eccleſiæ Chriſti Cant. his verbis: *Obiit apud Mortelake 6. Id. Decembr. anno 1292. ſepultus 14. Calend. Januar. in Eccleſiâ ſua in parte Aquilonari juxta locum Martyrii B. Thomæ Martyris.*

ROBERTUS WINCHELSE

Electus anno MCCXCII. conſecratus menſe Septembr. anno MCCXCIV. obiit anno MCCCXIII. die V. Idus Maii.

Poſt Johannis obitum vacâſſe Sedem annum 1. menſes 9. dies 4. Birchingtonus ſcribit. Rectiſſimè quidem; ſi à die 6. Id. Decembr. 1292. quo obiit Johannes, ad diem 2. Id. Septembr. quo conſecratus eſt Robertus, numerum ducas. Duabus ſeptimanis tempus Vacationis malè auget Catalogus Uſſerianus MS. Siquidem Robertus confirmatus eſt à Papâ Cœleſtino V. anno 1294. die 8. Idus Septembr. conſecratus prid. Idus Septembr. à Cardinali Epiſcopo Sabino. Cantuariam venit anno 1295. 15. Calend. April. Intronizatus eſt anno eodem Dominicâ poſt Feſtum S. Michaelis (viz. die 6. Non. Octobr.) Hæc omnia ex fide Chronici Eccleſiæ Chriſti Cant. MS. Obiit anno 1313. Idibus Maii, juxta Willelmum Thorn. die 5. Idus Maii, juxta Birchingtonum & Obituarium Cantuarienſe MS. Vacavit Sedes menſes 9. ſeptimanam 1. authore Birchingtono: qui in poſterioribus Archiepiſcopis tempora optimè diſpoſuit. Hic certè veritatem attigit.

GUALTERUS REYNALD

Tranſlatus anno MCCCXIII. die XIII. Calend. Martii; obiit anno MCCCXXVII. die XVI. Calend. Decembris.

Tranſlatum à Sede Wigornienſi dicit Willelmus Thorn anno 1313. die 6. Non. Octobr. Nominatum eo die puto à Papâ jure proviſionis Willelmum velle (quamvis id primo die Octobris factum Birchingtonus ſcribat) Bullas enim Tranſlationis poſt menſes demum aliquot accepit. Intronizatus eſt anno 1313. (exeunte) die 13. Calend. Martii Dominicâ Quinquageſimæ: teſte Thoma Walſingham (Hiſt. Angl. p. 103.) Pallium eo die recepiſſe, inthronizatum demum die 13. Calend. Maii, Author Antiquitatum Britann. aſſerit. Certiora omnibus tradit Regiſtrum ejus MS. ſcilicet tranſlatum fuiſſe Bulla Clementis V. data anno 1313. 8. Cal. Octobr. Bullam publicatam fuiſſe in Eccleſiâ S. Pauli die 2. Non. Januar. Pallium accepiſſe apud Chartham Idibus Februarii die Mercurii, intronizatum die Dominicâ ſequente, viz. die 13. Cal. Martii. Sedit annos 14. menſem 1. juxta Birchingtonum, à nominatione numerandos annos 13. menſes 11. dies 3. juxta Catalogum Uſſerianum MS. Obiit anno 1327. menſe Novembri; Sic Walſinghamus: die S. Edmundi; Sic Willelmus Thorn. In Vigilia S. Edmundi Archiepiſc. ſic Birchingtonus. Die 15. Calend. Decembr. ſic Obituarium Cant. MS. Die 16. Cal. Decembr. ſic Lichfeldenſis noſter. Huic itaque & Willelmo convenit. Birchingtonus & Obituarium biduo diſtant. Litem dirimet Regiſtrum coævum MS. Eccleſiæ Chriſti Cant. Inibi Walterus obiiſſe dicitur in Manerio ſuo de Mortelak die Lunæ, 16. Calend. Decembr. anno 1327. poſt Solis occaſum; ſepultus in Eccleſia Cant. die Veneris 5. Cal. Decembris. Vacavit Sedes menſes 6. ſeptimanas 3. diem 1. Sic Catalogus Uſſerianus MS.

SIMON

SIMON MEPHAM

Consecratus anno MCCCXXVIII. die S. Trinitatis, IV. Calend. Junii; obiit anno MCCCXXXIII. IV. Idus Octobris, die Martis.

Electus est anno 1327. die 6. Id. Decembr. Electionem ratam habuit die 12. Cal. Januar. Confirmatus est à Rege 4. Non. Januar. à Papa die 6. Cal. Maii anno 1328. consecratus mox Nonis Junii; Pallium accepit 4. Non. Julii: intronizatus die 11. Cal. Februar. ejusdem anni. Obiit anno 1333. 4. Idus Octobr. die Martis. Sepultus in Ecclesia Cant. 7. Cal. Novem. in quadam capella S. Petri ex parte Australi summi Altaris. Ista omnia exhibet Registrum Ecclef. Christi Cant. MS. Consecrationem dicto die peractam confirmat Willelmus Thorn; Electionem die S. Luciæ falsò posuit, Obitum etiam in crastino S. Dionysii contigisse male scribit. Rectiùs Walsinghamus illum anno 1333. circa Festum S. Calixti Papæ obiisse, & die 7. Calend. Novembris Cantuariæ sepultum esse tradit. Diem obitus à Registro Cant. MS. assignatum confirmant Birchingtonus & Obituarium Cantuariense MS. Sedit Simon annos 5. menses 6 dies 12. juxta Birchingtoni calculum: veriùs à consecratione usque ad obitum annos 5. menses 4. diem 1. dies 17. inquit Catalogus Usserianus MS. qui Sedem post illius obitum vacasse dicit menses 4. dies 10.

JOHANNES STRATFORD

Electus est anno 1333. die 3. Nonas Novembr. electioni consensit 16. Calend. Decembris. Die 6. Calend. Decembr. Papa dissimulata Monachorum electione illum de Sede Wintoniensi ad Cantuariensem transferendum decrevit. Anno sequente Nonis Februarii dato Regi fidelitatis juramento, admissus est ad Temporalia. Die 9. Calend. Maii Pallium accepit: intronizatus die 7. Id. Octobris. Obiit anno 1348. in Vigilia S. Bartholomæi, die Sabbati. Sic habet Registrum Cant. MS. Electionem eo die factam esse confirmant Birchingtonus & Willelmus Thorn: inthronizationem Birchingtonus & Walsingham: obitum Birchingtonus & Obituarium Cantuariense MS. provisionem Papalem, admissionem ad Temporalia, & Pallii receptionem idem Birchingtonus. Addit is Bullas Translationis papales receptas à Johanne fuisse anno 1333. Calendis Februarii, publicatas in Ecclesia Cant. die 11. Februarii. Sedit annos 13. menses 6. septimanas 4. dies 4. juxta Catalogum Usserianum MS. Rectè quidem, si pro annis 13. substituas 14.

JOHANNES UFFORD

Hic à pluribus Historicis in Archiepiscoporum Cantuariensium Catalogum non admittitur; eò quòd Consecratione nondum susceptâ obierit. Post mortem Johannis Stratford Sedi Cant. à Pontifice Romano præfectus est provisionis titulo, anno 1348. die 8. Calend. Novembr. authore Birchingtono. Bullæ Papales ea de re lectæ fuerunt in Domo Capitulari Ecclesiæ Christi Cant. die 6. Calend. Decembr. Sic Registrum Cant. MS.

Obiit

Obiit Johannes nondum consecratus anno 1349. mense Maio, in Vigilia S. Augusti Anglorum Apostoli (viz. die 8. Calend. Junii) ex fide Birchingtoni. Die 11. Cal. Junii juxta Obituarium Cantuariense MS. die 20. Maii apud Totenhale, juxta Registrum aliud MS. Ecclesiæ Christi Cant.

THOMAS BRADWARDYN

Electus est à Conventu Cantuariensi anno 1348. post mortem Johannis Stratford die 3. Calend. Septembr. pridie Nonas Septembris electioni consensit. Verùm ista Electio à Johannis Ufford provisione abrogata est. Post mortem Uffordi iterum electus est à Monachis Cantuariensibus anno 1349. pridie Nonas Junii. Electionis iteratæ inscius Clemens VI. Papa eidem Archiepiscopatum jure provisionis contulit die 13. Calend. Julii. Consecratus est anno eodem die Dominicâ in Vigiliâ S. Margaretæ, viz. die 14. Calend. Augusti. Ad temporalia admissus est die Sabbati in Vigiliâ Assumptionis B. Mariæ, viz. die 19. Calend. Septembr. Obiit die Mercurii sequenti viz. die 15. Cal. Septembr. sepultus in Ecclesiâ Cant. die Sabbati in Festo Decollationis S. Johannis Baptistæ (rectiùs in Vigiliâ Festi. Eo enim anno Festum id in Dominicam incidit.) Ista nos docent Birchingtonus & Registrum Cant. MS. Registrum tamen MS. Simonis Islip illum obiisse dicit in Manerio Episcopi Roffensis vocato *La Place* juxta Lamheth anno 1349. die 25. Augusti. Rectiùs puto Registrum aliud MS. die 26. obitum ponit.

SIMON ISLIP

Electus est à Conventu Cant. anno 1349. die 20. Septembr. provisus à Clemente Papa die 4. Octobr. Consecratus est anno 1349. in Vigiliâ S. Thomæ Apostoli die 13. Calend. Januar. die Dominicâ in Ecclesia S. Pauli London. à Radulpho Episcopo London. Willelmo Wintoniensi & Johanne Menevesi. Pallium accepit anno 1350. in capella Manerii sui de Eyshere, in Cœnâ Domini, die Jovis die 25. Martii. Sic Registrum ejus MS. Obiit anno 1366. die Dominicâ in Crastino S. Marci (viz. die 6. Calend. Maii) circa mediam noctem: sepultus in Ecclesia Cant. die Sabbati, 6. Nonas Maii. Sic Birchingtonus. Diem obitus confirmat Obituarium Cantuariense MS. & Registrum Ecclesiæ Christi Cant. MS. Obiisse illum dicit Willelmus Thorn anno 1366. die Reliqu. Quænam autem dies in Cœnobio S. Augustini Reliquiis sacra fuerit, me latet.

SIMON LANGHAM

Translatus est à Sede Eliensi ad Cantuariensem provisione Papali anno 1366. in Vigilia S. Jacobi, viz. die 9. Calend. Augusti: admissus à Rege ad Temporalia sua Nonis Novembr. intronizatus anno 1367. inchoante in Festo Annuntiationis B. Mariæ, die Jovis. Cardinalis renunciatus est ab Urbano Papa anno 1368. die Sabbati Quatuor temporum, 9. Calend. Octobris (die 10. Calend. Octobr. inquit Catalogus Usserianus MS.) quod Simoni per literas papales die S. Fidei innotuit, viz. pridie Nonas Octobr. Nuncio accepto ipse Archiepiscopatum post paucos dies missis Priori Cant. Cruce, Sigillo & Registro Archiepiscopalibus abdicavit;

abdicavit; & exeunte anno Calendis Martii die Jovis transfretavit. Ista omnia Birchingtonus refert. Paulo aliter Registrum ejus MS. juxta quod translatus est Bulla Urbani Papæ data anno 1366. 8. Cal. Augusti. Bulla publicata est in Capitulo Cant. die 5. Novembr. in Ecclesia S. Mariæ de Arcubus die 9. Novemb. Simon admissus est à Rege ad Temporalia apud Westmonasterium die 5. Novembr. Pallium acceperat in Capella S. Stephani infra Palatium Westmonasteriense die 4. Novembr. anno 1366. Demum Cardinalis factus, *antequam receperat aliquas Bullas super creatione hujus Cardinalatus seu Capelli, resignavit gratis in manus Prioris Ecclesiæ Christi Cant. jurisdictionem Archiepiscopalem die 28. Novembr. anno 1368. apud Otteford.* Paulo aliter Registrum MS. Ecclesiæ Christi Cant. quod Cardinalem creatum fuisse die 22. Septembr. Archiepiscopatum resignasse die 27. Novembr. anno 1368. perhibet. Errat itaque Walsinghamus; qui Simonem mense Aprili iter iniisse narrat: Nec minus Willelmus Thorn, qui eundem in Vigiliâ S. Nicholai ad Sedem Cant. translatum scribit. Obiit demum die 11. Calend. Augusti juxta Obituarium Cantuariense MS. & Historiam Roffensem MS. Concordat Epitaphium ejus apud Antiquitates Britann. in quo illum postmodum à Papa in Angliam fuisse legatum, & obiisse anno 1376. in Festo Magdalenæ, & Westmonasterii sepultum esse legitur. Annum atque diem obitus confirmat Chronicon MS. ab Adam ad an. 1400. in Biblioth. Lambeth. in urbe autem Avinione defunctum asserit. Nec adversatur quidem Epitaphium, si commodè intelligatur. In Vigiliâ S. Magdalenæ apud Avinionem obiisse refert Johannes Flete in Historiâ Westmonast. MS.

WILLELMUS WITTLESEY

Translatus est à Sede Wigorniensi ad Cantuariensem bullâ Urbani V. datâ anno 1368. die 5. Idus Octobr. Pallium accepit in Capellâ de Lambeth anno 1369. 13 Calend. Maii, die Jovis. Sic Registrum ejus MS. Translationem illo die factum esse Birchingtonus confirmat; & Temporalia Willelmo die 18. Calend. Februarii sequentis à Rege restituta fuisse prodit. Translatum tamen scribit Catalogus Usserianus MS. die 16. Januarii: Willelmus Thorn anno 1368. in Octavis Adriani Abbatis. Diem verò Adriano sacrum apud Monachos S. Augustini Cantuarienses invenire non potui. Obiit Willelmus Wittlesey anno 1374. juxta Willelmum Thorn, &c. die 8. Idus Junii juxta Obituarium Cantuariense MS. die 5. Julii juxta Walsinghamum; die 6. Julii juxta Catalogum Usserianum MS. die 15. Maii juxta Caxtoni Chronicon Angliæ MS. Post mortem ejus Monachi Cantuarienses in Archiepiscopum postulârunt Romanum quendam Cardinalem, qui Patriam antea deseruerat; quo nomine Regem maximè infensum habuerunt. Cardinalis nomen Author Antiquitatum Britann. ignoravit, Godvinus autem malè posuit, Adamum quendam Eastonum substituens; qui (ut id obiter notem ex Roberti Wakfeldi Syntagmate de Hebræorum Codicum incorruptione) *integrum Vetus Instrumentum, excepto Psalterio, de verbo ad verbum juxta Hebraicam veritatem transtulit.* Verùm Eastonus, quod ex Onuphrii Catalogo constat, non nisi anno demum 1378. ad Cardinalatum assumptus est. Cardinalis à Monachis postulatus non alius erat quàm Simon Langham Willelmi Witlesey decessor, quem abdicati Archiepiscopatûs pœnituisse videtur. Liquet id ex processu Postulationis MS. in Ecclesiâ Christi Cant. in quo Monachi postulant *Simonem Langham Episcopum Prænestinum & Cardinalem*; & in Epistolâ ad Papam de Electione illius ista elogio Electi adjiciunt: *Qui dictæ Ecclesiæ Cantuariensi nuper præfuit plurimumque profecit.*

SIMON

SIMON SUDBURY

Tranſlatus eſt à Sede Londinenſi ad Cantuarienſem bullâ Gregorii XI. datâ anno 1375 die 4. Nonas Maii. Die 20. Octobris ſequentis *transfretavit apud Dovere pro pacis reformatione inter Angliam & Franciam.* Anno 1376. reverſus applicuit ad portum Sandwici die 31. Martii die Lunæ: & Dominicâ, quæ proxima fuit, in Ramis Palmarum (die 6. Aprilis) intronizatus fuit in Eccleſia Cant. Hæc Regiſtrum ejus MS. Tranſlatum illo die fuiſſe confirmant Speculum parvulorum MS. & Chronicon MS. de rebus Angliæ, in anno 1447. deſinens, in Bibliothecâ Lambethanâ. Malè Walſinghamus tranſlatum refert die 4. Idus Maii, Catalogus Uſſerianus MS. die 5. Nonas Maii. Intronizatum fuiſſe Dominicâ in Palmis teſtatur etiam Willelmus Thorn; qui tamen in anno quem 1375. ponit, falſus eſt. Decapitatus eſt à tumultuante plebe juxta Turrim Londinenſem anno 1381. die 18. Calend. Julii, die Veneris; ex fide Walſinghami, Obituarii Cantuarienſis MS. & Speculi Parvulorum MS. Malè Regiſtrum *Courtney* habet, die 31. Julii.

WILLELMUS COURTNEY

Tranſlatus eſt à Sede Londinenſi ad Cantuarienſem bullâ Urbani Papæ datâ anno 1381. 5. Id. Septembr. Bullam Papalem accepit apud Croydon anno 1381. die 10. Decembr. Publicari fecit in Eccleſiâ Cant. die 9. Januarii ſequentis. Die 10. Januarii Prior Eccleſiæ Chriſti Cant. Vexillum ſive Crucem Archiepiſcopalem illi miſit: quæ die 20. ejuſdem menſis tradita eſt. Die 5. Januarii juramentum obedientiæ Papæ præſtiterat apud Lambeth. Quo tempore ac loco Robertus Braybrook Epiſcopus Londinenſis & Johannes Fordham Epiſcopus Dunelmenſis conſecrati ſunt per Thomam Exonienſem, Thomam Roffenſem & Johannem Bangorenſem, Epiſcopos; præſente Willelmo, ſed manus non imponente, qui pallilium nondum receperat. Pallium demum accepit apud Croydon anno 1382. die 6. Maii. Hæc Regiſtrum *Courtney* MS. Malè igitur Catalogus Uſſerianus MS. Archiepiſcopatus auſpicia in annum 1382. diem 13. Januarii retulit. Sedit annos 14. juxta Obituarium Cantuarienſe MS. Adde menſes 10. dies 23. Malè Author Antiquitatum Britan. illum ſediſſe dicit annos 15. menſes 11. dies 2. Obiit anno 1396. prid. Calend. Augusti ex fide Obituarii Cantuarienſis & Willelmi Thorn. Minus rectè Walſinghamus diem 3. Auguſti illi obitualem poſuit. Cantuariæ ſepultum Godwinus ſcribit. Veriùs Maydenſtonæ tumulatum eſſe patet ex codicillo, qui Teſtamento ſuo annexus extat inter Archiva Eccleſiæ Chriſti Cant. *Languens in extremis in interiori camera Manerii de Maydenſton, voluit & ordinavit, quòd quia non reputavit ſe dignum, ut dixit, in ſua Metropolitana aut aliqua Cathedrali aut Collegiata Eccleſia ſepeliri, voluit & elegit ſepulturam ſuam in Cœmiterio Eccleſiæ Collegiatæ de Maydenſton, in loco deſignato Johanni Botelere Armigero ſuo.* Atque iſthic quidem Sepulchrum illius hodienum viſendum reſtat.

THOMAS ARUNDEL

Translatus est à Sede Eboracensi ad Cantuariensem bullâ Bonifacii IX. datâ anno 1396. 7. Calend. Octobr. Bullam accepit apud Lambeth. die 10. Januarii sequentis; publicari fecit in Ecclesia Cant. die 11. Januarii. Accepit Crucem Archiepiscopalem à Thoma Chillenden Priore Cant. die 12. Januarii: Pallium in Palatio Regio Westmonasteriensi anno 1399. die 10. Februarii. Hæc Registrum MS. *Arundel*. Ut deceptus sit Author Antiquitatum Britann. qui Pallium recepisse die 10. Februarii proximo post Translationem, intronizatum die 19. ejusdem mensis scribit. Die 18. Febr. intronizatum vult Willelmus Thorn. Obiit anno 1414. ineunte, die 11. Calend. Martii. Sic Obituarium Cantuariense MS. Anno 1413. (exeunte) die 19. Februarii, Indictione 7. die Lunæ, sepultus die Martis Crastino. Sic Registrum *Chichele* MS. Rectè. Falsi igitur Walsinghamus & Godvinus; qui illum die 20. Februarii obiisse tradunt.

HENRICUS CHICHELE

Electus est à Monachis Cantuariensibus anno 1413. (exeunte) Indictione 7 die 12. Martii, die Lunæ. Electioni consensit die 16. Martii, die Veneris. Electionem dissimulans Papa Johannes XXIII. illum de Sede Menevensi ad Cantuariensem solito Provisionis titulo transtulit bulla data anno 1414. 5. Calend. Maii. Admissus est à Rege ad Temporalia die 30. Maii. Pallium recepit die 29. Julii anno 1414. Electioni Monachorum Rex consensum præbuerat die 23. Martii. Hæc Registrum *Chichele* MS. Erravit itaque Godvinus; qui Regem electionem nisi ex sententia Pontificis noluisse confirmare scribit; de Rege sc. perperam intelligens, quod Author Antiquitatum Britann. de Henrico Electo dixerat; sc. quod assensum rogatus respondit se neque consentire neque dissentire, sed Papæ arbitrio rem totam committere. Quamvis nec id responsi consensûs negationem (quod vult Godvinus) includat. Non aliâ enim formulâ Pontifices Electi consensum dare consueverant. Sic Johannes Stratford, sic Thomas Bradwardyn, aliique omnes, quorum Electionis processus extant in Registro MS. Ecclesiæ Christi Cant. Obiit Henricus 2. Id. April. juxta Obituarium Cant. MS. anno 1443. die 12. Aprilis juxta Epitaphium tumulo ejus inscriptum in Ecclesia Christi Cant. Malè Author Antiquitatum Britann. diem 3. Maii illi fatalem dedit.

JOHANNES STAFFORD

Translatus est à Sede Wellensi ad Cantuariensem bullâ Eugenii IV. datâ anno 1443. 3. Idus Maii. Bullam accepit Londini die 5. Augusti. Admissus est à Rege ad Temporalia die 6. Augusti. Vexillum Archiepiscopale recepit die 7. Augusti, die Mercurii. Pallium accepit die 23. Augusti, die Veneris, eodem anno. Hæc Registrum *Stafford* MS. Sedit annos 8. menses 10. dies 13. juxta Authorem Antiquitatum Britan. Rectiùs annos 9. dies 13. Obiit anno 1452. die 8. Calend. Junii, ex fide Obituarii Cantuariensis MS. Lambethani, & Registri MS. Ecclesiæ Christi Cant. Minùs rectè Godvinus die 6. Julii obiisse vult.

JOHANNES KEMP

Tranſlatus eſt à Sede Eboracenſi ad Cantuarienſem bullâ Nicolai V. datâ anno 1452. die 12. Calend. Auguſti Cardinalis S. Rufinæ factus (mutato duntaxat titulo. Cardinalis S. Balbinæ jamdiu fuerat) alia Bulla eodem die data. Vexillum Archiepiſcopale accepit in Capella de Fulham die 23. Septembr. die Sabbati: Pallium in eodem loco die 24. Septembr. die Dominicâ. Intronizatus eſt in Eccleſiâ Cant. die 11. Decembr. die Lunæ. Hæc Regiſtrum *Kemp* MS. Obiit anno 1454. ineunte, die 11. Calend. April. ex fide Antiquitatum Britann. & Obituarii Cantuarienſis MS.

THOMAS BOURCHIER

Electus eſt à Monachis Cantuarienſibus anno 1454. die 9. Calend. Maii. Electione menſe circiter Junio à Nicolao V. confirmatâ, Bulla confirmationis publicata eſt in Eccleſia Cant. die 11. Cal. Septembr. Menſe Decembri ſequente ſe Cardinalem S. Ciriaci in Thermis renunciatum eſſe nuncio accepit. Demum intronizatus eſt anno 1455. ineunte, die 7. Calend. Februar. Iſta narrat Author Antiquitatum Britann. ex Regiſtris puto. Mihi enim non niſi mutilum Regiſtrum *Bourchier* videre contigit; in quo nihil de illius Tranſlatione reperiebatur. Hiſtoria Elienſis refert illum tranſlatum fuiſſe à Sede Elienſi ad Cantuarienſem per Papam Nicholaum V. anno 1454. in Feſto S. Bartholomæi. Illo forſan die Thomas Crucem Archiepiſcopalem à Priore Cantuarienſi accepit. Obiit anno 1486. die 3. Cal. April. juxta Obituarium Cantuarienſe MS. & Epitaphium ejus ſepulchrale in Eccleſia Chriſti Cantuarienſi.

JOHANNES MORTON

Tranſlatus eſt à Sede Elienſi ad Cantuarienſem bulla Innocentii VIII. data anno 1486. pridie Non. Octobr. Vexillum Archiepiſcopale accepit in Capella Hoſpitii Elienſis in Holborne anno 1486. die 9. Decembr. Hæc Regiſtrum *Morton* MS. Anno 1494. die 20. Septembr. Cardinalis creatus eſt titulo S. Anaſtaſiæ ab Alexandro VI. Papa: quod Author Antiquitatum Britann. & Godvinus produnt. Obiit anno 1500. die 16. Calend. Octobr. juxta Obituarium Cantuarienſe MS. die 15. Septembr. juxta Regiſtrum MS. Eccleſiæ Chriſti Cant. Malè Godvinus menſe Octobri obiiſſe ſcribit.

HENRICUS DENE

Translatus est à Sede Sarisburiensi ad Cantuariensem anno 1500. Pallium accepit anno 1501. Sedit annos 2. Obiit anno 1503. ineunte, die 15. Februarii apud Lametham. Ista solummodo habet Author Antiquitatum Britann. neque certiora invenire potui. Diem obitus confirmat Obituarium Cantuariense MS. in Bibliotheca Lambethana; cui consonat Indiculus MS. de Consecrationibus & successione Archiepiscoporum Cant. in Bibliotheca Cottoniana (Jul. C. 2.) & Epitaphium Sepulchrale. Minus rectè itaque aliud Obituarium Monachorum Cantuariensium MS. inter Archiva Ecclesiæ Christi Cant. cujus hæc sunt verba; *Anno 1503. obiit die 16. Februarii Reverendus in Christo Pater Henricus Deene, &c. Iste stetit Archiepiscopus quasi per tres annos; & nunquam erat installatus in propria persona in sancta Sede Cantuariensi. Iste Archiepiscopus non habuit memoriam 30. dierum, ut moris est Archiepiscoporum, propter paupertatem. Erat valde deceptus per Executores suos; multa bona reliquit post se; sed Executores sui sceleratissime furabantur, ut dictum est, &c. anno regni Regis Henrici Septimi 18.*

WILLELMUS WARHAM

Translatus est à Sede Londinensi ad Cantuariensem Bulla Julii II. data anno 1503. 3. Calend. Decembr. Juramentum fidei Papæ præstitit in Capella S. Stephani in Palatio Regio Westmonasteriensi die 23. Januarii sequentis. Pallium accepit in Capella de Lambeth anno 1503. (exeunte) die 2. Februarii. Hæc Registrum *Warham* MS. Intronizatum die 9. Martii sequentis refert Author Antiquitatum Britann. obiisse autem anno 1532. die 23. Augusti, Godvinus prodit.

DISSER-

DISSERTATIO DE ELFRICO ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,

Utrum is fuerit ELFRICUS Grammaticus.

DE ordine, quem inter Archiepiſcopos Cantuarienſes Elfricus tenuit, in ſuperiori Diſſertatione egimus; atque illum Siricio ſuccedentem ab anno circiter 995. ad 1005. vel ſequentem ſediſſe aſſeruimus. Reſtat adhuc alia eaque longe difficilior quæſtio de Elfrico Archiepiſcopo diſcutienda; nimirum utrùm iſte fuerit ille doctus Elfricus, quem Grammaticum appellare ſolent; & cui totum ferè quod ſupereſt Saxonicæ literaturæ debemus. Atque id quidem libenter crederem, quod ſemper optandum, eruditionis Principatum cum Eccleſiæ Primatu conjunctum eſſe. Vereor autem, ne rationibus utrinque ſubductis, Archiepiſcopus Cantuarienſis alius à Grammatico ſit ſtatuendus.

Unum eundemque fuiſſe Baleus, Pitſeus, & poſt illos cuncti ferè Scriptores noſtrates opinati ſunt; meque illo quondam errore abreptum fuiſſe fateor. Et ſanè ſententiæ iſtius rationes adſunt non contemnendæ. Ut omnium enim Neotericorum conſentientem authoritatem mittam: uterque Elfricus Ethelwoldi diſcipulus fuit, & præclaram doctrinæ famam ætate ſuâ conſecutus eſt: uterque acerrimus Cleri conjugati adverſarius; & uterque obiiſſe dicitur die 16. Calend. Decembr. Dierum quidem Obitualium concordiam nulli hactenus notarunt; qui tamen Antiquitates noſtræ gentis ſummâ ſolertiâ rimati ſunt, Lelandus, Baleus, Pitſeus, Uſſerius, aliique in eandem ſententiam conſpirant. Plurimas rationes Illuſtriſſimus Uſſerius in Bibliothecâ ſuâ Theologicâ MS. congeſſit; ex quibus omnibus Hypotheſin quandam efformavit; cujus Epitomen vir doctiſſimus Gulielmus Cave in *Hiſtoriam Literariam* tranſtulit, pag. 588. Scilicet Elfricum ante annum 956. Cœnobioli alicujus Abbatem fuiſſe & Wulfſtano Eboracenſi ac Wulſino Schireburnenſi Epiſcopis literas illo tempore dediſſe. Dein Ethelwaldo præceptori in Abbatiâ Abbendonienſi poſt Ordgarum intermedium ſucceſſiſſe. Mox ab Oſwaldo Abbatem S. Albani circa annum 969. conſtitutum eſſe: ad Malmsburienſis Cœnobii regimen anno 974. tranſlatum. Proximo loco Cridienſem Epiſcopum factum, dein Wiltonienſem poſt Siricium, ac Devonienſem poſt Sidemannum. Denique ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem evectum, obiiſſe anno 1006. Sic quidem omnia, quæ de Elfrico narrata ſibi conſtitere, Reverendiſſimus Primas Chronologiæ conciliavit. Liceat mihi tamen pace tanti viri aliam inire ſententiam, indubiis rei teſtimoniis freto, quæ ille aut neſcivit, aut minùs advertit. Neque tamen opus eſſe arbitror; ut Hypotheſin ejus ante omnia aggrediar. Error ejus ex inferius à me dicendis in ſingulis penè membris ſponte patebit.

Elfrici

Elfrici Archiepiscopi ordinem, quem inter Antistites Cantuarienses tenuit, supra asseruimus Illum nempe circa annum 995. Siricio in Archiepiscopatu successisse, & anno 1005. vel seqnente obiisse. Neque magis dubitandum videtur, illum Siricio ad Archiepiscopatum evecto in Sede Wiltoniensi successisse, ab eâ demum ad Sedem Cantuariensem translatum. Id enim tradunt Malmsburiensis, Gervasius, Radulphus de Diceto & Chronologia Saxonica, ut alios taceam. Istius quidem Versio Latina à Wheloco confecta Episcopum prius Wintoniensem fuisse præfert. Id autem contra fidem Saxonici Chronologi manifestam. Saxonica enim sic se habent Ælfric Ƿiltunscire biscop *Elfricus Wiltoniensis Episcopus*, pag. 561. Neque meliùs Baleus (Cent. 2. cap. 21.) qui à Sede Wellensi ad Cantuariensem translatum scribit. Utcunque autem illud certum jure sit habendum; nonnulla in Historicis nostris reperiuntur,quæ successionem Elfrici in Episcopatu Wiltoniensi perturbant. Ut paulò altiùs enim rem ducamus; post Odonis Episcopi translationem ad Archiepiscopatum Cant. circa annum 938. Osulfus successit ex concordi omnium sententiâ. Iste obiit anno 970. juxta Florentium. Osulfo Algarus, Algaro Elfstanus, juxta Malmsburiensem. Rectiùs verò Florentius Alfstanum Osulfo, Wulgarum Alfstano successisse ponit. Uterq; Elfstanum Monachum Abendoniensem & S. Ethelwoldi discipulum fuisse perhibent. Neque alius est Algarus Willelmi à Wulgaro Florentii. Iste enim in Indiculo Episcoporum Historiæ suæ subnexo Alfstani successorem Alfgarum vocat. Alfgarum autem Alfstano successisse indicio est quod narrat Florentius; Ethelredum Regem ingentem collegisse classem, atque illi præfecisse Alfricum & Theoredum Duces, Alfstanum Wiltuniensem & Æscwinum (Dorcestrensis is fuit) Episcopos; classem demum Alfrici perfidiâ insignis victoriæ jacturam fecisse anno 992. Isto quidem anno Florentius rei exitum narrat; quamvis Classi ante plures annos præfici potuerint, & Episcopus ille Wiltuniensis ante rem gestam fato cesserit. Et certè ab anno 989. Alfricus Sedem Wiltoniensem insederat atque illi etiam præcesserat Siricius; quod in superiori Dissertatione probavimus. Quem Alfstanum autem hîc vocat Codex Florentii impressus, Codex MS. vetustissimus Ælsgarum appellat. Alfgarus igitur successit Alfstano, Alfstanus Osulfo: Alfstanus is obiit anno 980. Abendoniæ sepultus, juxta Historiam antiquissimam Abendoniensem, de qua infra. Exeunte forsitan anno, post Calendas Januarii. Anno enim 981. obiisse prodit Florentius. Certè consecrationi Ecclesiæ Wintoniensis anno 980. die 13. Calend. Novembr. Elfstanus adfuit; teste Wolstano in Vitâ Ethelwoldi, cap. 40. Illi successor Alfgarus sedem ad annum usque 988. tenuit. Siricius enim, si Willelmo Thorn fides, ex Abbate S. Augustini Cant. Episcopus Wintoniensis (*lege* Wiltoniensis) procurante Dunstano creatus est anno 988.

Elfricum ante susceptum Episcopatum Wiltoniens. fuisse Abbatem Abbendoniensem Malmsburiensis & Westmonasteriensis scribunt; idque apud omnes Neotericos pro indubio habetur. Lapsi tamen omnes. Sequitur enim Historia Abendonensis à me primùm edita; quæ nullam non fidem meretur. De venerandâ ejus antiquitate Præfationem consule. Ista successionem Abbatum Abbendoniensium ab Ethelwaldo ad annum 1131. accurate contexuit; nullum autem Alfrico locum dedit. Ethelwoldo enim anno 963. successit Osgarus (quod Wolstanus etiam in Ethelwoldi Vitâ confirmat) Osgaro Edwinus anno 984. Edwino Wulgarus anno 990. Wulgaro Adelwinus anno 1017. Adelwino Siwardus anno 1030. Quod tamen errori ansam dedit; Alfricus Cantuariensis priùs fuit Monachus Abbendoniensis, ex fide Historiæ supra citatæ (ad annum 1006.) In eo sc. Monasterio sub eximio Monastici Ordinis instauratore Ethelwoldo enutritus fuerat; in quo & plurimi alii istius ætatis Antistites. Ab initio enim Edgari Regis ad annum circiter millesimum singuli fere Angliæ Episcopi & Abbates ex Monasteriis Abbendoniensi, Glastoniensi

&

& Wintoniensi delecti sunt. Adeo invaluerat Monachorum ordo; tantumque apud Reges nostros potuere Dunstanus, Ethelwoldus & Oswaldus, qui tribus hisce Monasteriis omnium primis Monachos Clericis ejectis induxerant; & quasi totidem cucullati Ordinis Seminaria instituerant.

Elfricum Cantuariensem Clericis expulsis Monachos Ecclesiæ Christi Cantuariensi induxisse supra notavimus. Obiit anno 1005. (juxta alios 1006.) & Abbendoniæ, unde Monachus extiterat, sepultus est; translatus ad Ecclesiam Cant. sub Canuto Rege. Ista nos docet Historia Abendonensis. Diem obitûs dedit Martyrologium Cantuariense MS. sc. XVI. Calend. Decembris. Eodem die Elfricum Grammaticum decessisse Carmen Glossario ejus, quod Somnerus edidit, præfixum refert. Suspicor tamen Carminis Authorem, nominis ac dignitatis ab utroque gestæ similitudine deceptum, diem Cantuariensi proprium Grammatico malè adsignasse. Alio enim die Grammaticum obiisse argumento verisimili inferius ostendemus: & Martyrologio Cantuariensi fidem in hac re derogari nequaquam par est. Cæterùm Elfrici Cantuariensis eruditionis famam astruit non solum institutio sub doctissimo præsule Ethelwoldo, verùm etiam Bridferthi Monachi Ramesiensis coævi fides; qui in Vitâ S. Dunstani ipsi Elfrico dicatâ illius nomen ob *enormitatem divulgatæ peritiæ* deprædicat [in Actis Sanctorum Maii, Tom. 4. p. 346.]

Ista solummodo de Elfrico Archiepiscopo Cantuariensi constant. Abbatem autem S. Albani prius fuisse admodum probabile est. Rationes expediam. Sic enim Johannes Capgravius in Vitâ Oswaldi præsulis Wigorniensis, postea Eboracensis. Dato illi ab Edgaro Rege & Dunstano Archiepiscopo negotio Canonicos Sæculares Monasteriis ejiciendi, Monachos introducendi, quod strenuè adimplevit; inter alios *instituit in Ecclesiâ S. Albani Elfricum Abbatem*; *qui ad Archiepiscopatum Cantuariensem postea sublimatus fuit*; *in Ecclesiâ Eliensi Brithnotum Abbatem.* (Legend. Nov. f. 252.) Nescio unde ista hauserit Capgravius. Sanè is, ex quo cætera ferè omnia desumpsit, Johannes Tinmuthensis in Historiâ suâ Aureâ MS. nil ejusmodi habet. Fidem tamen addit Traditio, quæ inter Monachos S. Albani viguit Alfricum seu Leofricum quendam Abbatem suum ad thronum Cantuariensem demum conscendisse. Istud ex Matthæi Paris Historiâ Abbatum S. Albani patet; quamvis ipse Abbatum tempora atque successionem malè disposuisse videatur. De Parachronismis in hoc Opere admissis nonnulla in notis ad Chronicon Episcoporum Lichfeldensium adnotavimus. Forsitan & error parilis in hac re deprehendi potest. Numerat enim Ulsinum Abbatem sextum, Alfricum septimum, Ealdredum octavum, Eadmerum nonum, Leofricum decimum, Alfricum undecimum. Leofstanum duodecimum; qui tempore Edwardi Regis Confessoris Alfrico successit. Porrò si quis tempora componat; inveniet Alfricum Abbatem septimum tempore Edgari Regis floruisse. Quod cum Capgravio apprimè convenit. Alfricum enim Cœnobio S. Albani & Brythnotum Eliensi eodem circiter tempore præpositos asserere videtur. Brithnotum autem Monasterio Eliensi anno 970. præfectum esse Historia Eliensis refert. Rem confirmat subscriptio Ælfrici Abbatis in Charta Edgari Regis data Cœnobio Ramesiensi anno 974. (in Monastico Angl. Tom. 1. p. 236.) Iste quidem Alfricus Sedem Cantuariensem postea obtinuisse perbene potuit. Id tantum de exitu ejus Matthæus docet; illum plenum dierum & sanctitate præclarum migrasse ad Dominum; seu potius, si verum fatendum esset, se nescire quid de eo factum sit. Honorem autem Archiepiscopatûs gesti non Abbati septimo sed decimo, sc. Leofrico, defert. Sic enim rem disposuit. Leofricus filius erat Comitis Cantiæ, Alfricus frater ejus uterinus. Ille *in Archiepiscopum Cant. electus, non consensit, asserens fratrem suum Alfricum ad hoc esse digniorem.* Postea tamen consensit. Nam *assumptus ad Archipræsulatum, domum suam bonis omnimodis reliquit redundantem. Et huic successit Alfricus frater*; *qui*

ope fratris sui Archiepiscopi fultus, multos repressit insurgentes, &c. & ejusdem *auctoritate* Officium S. Albani à se compositum *in multis Angliæ locis publicari fecit*. Inepte igitur Gulielmus Watsius Matthæi Paris editor, notam hanc marginalem apposuit. *Leofricus electus in Archiepiscopum non consensit, asserens fratrem suum Alfricum fuisse multò digniorem. Alfricus igitur effectus est Archiepiscopus Cantuariæ*: Alfricus iste dum Sæcularis fuit, Regis Etheldredi Cancellarius fuit; & postea Abbas factus ab eodem Etheldredo nonnulla Cœnobio suo emit. Sub Etheldredo itaque Rege Leofricus Abbatiâ cessit, Alfricus successit. Ante annum igitur 978. quod ponit Usserius, Alfricus Abbas S. Albani esse non potuit. Sed neque multò post Abbatiam sortiri potuit. Leofricus enim iste ad Archipræsulatum à Matthæo evectus, alius non fuit, quàm Leofricus Episcopus Cridiensis; qui (prout in fronte Missalis Ecclesiæ Exoniensi ab ipsomet donati scriptum reperitur) Cridionensem Episcopatum ab Edvardo Rege, cui Capellanus fuit, donatum tulit anno 1046. Sedem Exoniam transtulit anno 1050. obiit 1071. Nullum alium hujusce nominis inter Præsules Anglicos ejusdem ævi invenimus. Quòd si Alfricus tempore Etheldredi Regis Abbas fuerit; dicendum erit illum Leofrico ordine præivisse. Certe Radulphus de Diceto (Abbrev. Chron. p. 446.) isti sententiæ suffragatur. Sic enim Abbates S. Albani recenset; Wlsinum sextum, Elfricum, Eldredum, Edmarum, Aluricum decimum. *Hic factus est*, inquit, *Archiepiscopus Cantuariensis. Cui successit in Abbatia S. Albani Leofricus Abbas undecimus, frater ipsius Elurici.* Cautius igitur ordinem Radulphus disposuit; quamvis & ipse hallucinatus fuerit, Archiepiscopatum Alfrico Abbati non septimo sed decimo tribuendo. Leofricum autem Abbatem fuisse Episcopum Exoniensem idem confirmat; dum refert Leofstanum Abbatem duodecimum factum esse anno 1047. Anno enim præcedenti Leofricus Sedem Exon. adeptus fuerat. Nescio annon Matthæus fratrum officia pariter ac ordinem immutaverit. Leofricum enim Regis Cancellarium fuisse Westmonasteriensis & Wigorniensis produnt: Alfricum nullus. Ut quod sentio dicam: si Alfricus Cantuariensis prius fuerit Abbas S. Albani; ordine fuit septimus. Et fuisse quidem non affirmo, lubens tamen concedo. Atque ista quidem scripseram, antequam vitam Oswaldi ab Eadmero scriptam perlegissem. Ex illius enim fide certissime constat Elfricum Archiepiscopum Cant. fuisse prius Abbatem S. Albani, Cœnobio recens instaurato ab Oswaldo præfectum.

Ab Alfrico Cantuariensi ad Grammaticum transeundum est: & primò quidem quæ de isto Malmsburiensis narrat, examini subjicienda. Extat apud Malmsburiensem tam in Historia de gestis Regum (l. 2.c.8.) quam in Vita Aldelmi à me primum editâ p. 32. Charta Edgari Regis data Cœnobio Malmsburiensi anno Domini 974. regni sui 14. quâ se *Elfricum virum in omnibus Ecclesiasticum* (sic in libro de gest. Reg. *virum moribus Ecclesiasticis expertissimum officiis*. Legendum suspicor *in omnibus Ecclesiasticis expertissimum officiis*) Abbatem præfecisse dicit. Huic Abbati Willelmus in Vita Aldhelmi (p. 33.) ejusmodi apponit characteres, qui Grammatico proprii sunt. Sic enim ille. *Eum peritum literarum, præsertimque elegantissimum Interpretem nisi fallax tradit vetustas.* Moriens *reliquit aliquantos Codices, non exigua ingenii monumenta: Vitam S. Adelwoldi, antequam eam Wolfstanus operosius concinnaret: Abbreviationem Passionis S. Edmundi; Libros multos ex Latino in patrium sermonem versos.* Opera ista ad Elfricum Grammaticum spectare nullus non novit. Hujus enim innumeros ferè Sermones, Tractatus, & Libros S. Scripturæ è Latino in Saxonicum sermonem versos in Bibliothecis publicis etiamnum habemus. Vita Ethelwoldi ab eo contexta extat MS. (ex Bibliothecâ Fiscamnensi descripta) penes eruditissimum Mabillonium, qui prologum ejus dedit in Actis Benedictin. Sæc. V. p. 608. in Notis ad Ethelwaldi Vitam à Wolstano scriptam. Quam quidem Vitam, ut id obiter notem, Wolstanum authorem habere (de quo

dubius hæsit Cl. Mabillonius) ex hoc Willelmi loco jam primùm constat. Quæ de illo enim Wolstani Opere dicit Aldelmus, Vitæ Ethelwoldi à Mabillonio ibidem editæ ad amussim conveniunt. Cæterùm Abbreviationem Passionis S. Edmundi ab Elfrico adornatam non alius memoravit. Nescio an hodie supersit. Habetur quidem Vita S. Edmundi Regis Saxonicè ab Elfrico scripta in Bibliothecâ Cotton. *Jul. E.* 7. Porrò de Elfrico Abbate Malmsburiensi Willelmus adjungit; quòd *cum jam grandævus esset, in Episcopum Cridiensem altatus, vix quatuor annis superfuit.* Longè igitur ille alius ab Alfrico Cantuariensi; qui ex ipsius Willelmi aliorumque omnium sententia Archiepiscopatum undecim annis, & antea Wiltoniensem quinque, tenuit. Falsus ergo Cl. Usserius, qui unum eundemque ponit. Quòd vero Vir maximus Elfricum anno 978. Cridiatunensem Episcopum, anno 990. *Wiltoniensem post Siricium, sicut etiam Devoniensium eodem tempore post Sidemannum* fuisse factum conjiciat: pluries adhuc lapsus est. Sidemannus enim obiit anno 977. teste Florentio: aliusque Devoniensium Episcopus non fuit præter Cridiensem. Nec minus erravit ipse Willelmus; qui Elfricum Grammaticum eundem cum Cridiensi posuit. Scripsit enim Grammaticus Vitam Ethelwoldi Kenulpho Episcopo Wintoniensi anno 1006. Elfricus autem Cridiensis jamdiu fatis cesserat: quippe qui quatuor duntaxat annis Sedem tenuit; & ante annum 991. quatuor in Abbatia Malmsburiensi successores, Ethelwardum, Kinewardum, Brichtelmum, & Brithwoldum, habuit. Brithwoldus enim Danelgeldum solvit, teste Willelmo (in Vita Aldhelmi p. 35.) Id autem vectigalis anno 991. impositum fuisse constat. Propius adhuc veritatem attingere liceret, si Charta Ethelredi Regis Ethelwerdo Abbati data (loc. cit.) cui Elfricus *jam Episcopus* testis adfuit, veras temporum notas exhiberet, quæ Codicis vitio corruptæ sunt. Id tamen præfatur Willelmus Chartam datam fuisse ab Etheldredo, dum *adhuc in regno tenellus* esset. Regnum iste iniit anno 978. die 18. Martii. Testes adfuerunt præter Elfricum Escuinus Dorcestrensis Episcopus, & *illi qui in superiori Chartâ* (quâ Elfricus Abbas constitutus est) *subscripserunt*; viz. Dunstanus, Oswaldus, Ethelwoldus, tres Elfstani, sc. Londoniensis, Roffensis & Wiltunensis Episcopi. Ex his Elfstanus Wiltunensis obiit anno 981. prout supra observavimus. Adeòque Elfricus Cridiensis ante annum 985. obiit. Ista sufficiant. Cùm Chartarum autem fides meritò suspecta habeatur; non inutile erit successionem Episcoporum Cridiensium intueri. Illos sic enumerat Malmsburiensis (lib. 2. de gest. Pontif.) Edulfus, Edelgar, Elfwold, Sideman, Elfric, Elfwold. Eundem ordinem servat Florentius, qui annos plurimorum insuper exhibuit. Ethelgarus sc. obiit anno 953. Episcopatûs sui 21. Alfwoldus successit anno 953. (anno 952. juxta Florilegum; qui tamen sibi malè constans ejusdem introitum totidem verbis refert in anno 976.) sedit annos 19. obiit anno 972. Sidemannum Edgarus Rex anno 968. Cœnobio Exoniensi Abbatem præfecit; anno 972. Alfwoldo successorem dedit. Obiit is anno 977. Addit Codex MS. Florentii Abbendoniæ sepultum esse. Sidemanni obitum confirmant Acta Synodi Kyrtlingtoniensis (Concil. Angl. Tom. 1. p. 493.) anno 977. habitæ. In ipsâ enim Synodo obiisse ibidem dicitur. Successit itaque Elfricus anno circiter 977. & circa annum 981. defunctus est. De isto Episcopo dictum puto, quod habet Historia Glastoniensis (Monastic. Angl. Tom. 1. p. 9.) *Elfricus Episcopus, Monachus & Abbas Glastoniæ, obiit anno* 988. Annus quidem minùs convenit; neque tamen minùs verisimilis est conjectura. Authori enim istius Historiæ Chronologia infœlicissimè solet succedere.

Rejectâ Malmsburiensis sententiâ, certiora de Elfrico Grammatico sunt investiganda. Id inprimis constat, illum Ethelwoldi Abbatis Abendoniensis & demum Episcopi Wintoniensis, discipulum fuisse. Hoc ipse pluries in

suis scriptis testatur; & præceptoris virtutem & eruditionem deprædicat. Sic in præfatione primâ ad Grammaticam Saxonicam, *sicut didicimus in Schola venerabilis Præsulis Athelwoldi, qui multos ad bonum imbuit.* Et in præfatione secundâ dicit Dunstanum Archiepiscopum & Ethelwoldum Episcopum literas jamdiu apud Anglos sepultas in Monasteriis resuscitasse. Sanè præclarum Ethelwoldi in hac re studium alius ipsius discipulus Wolstanus nobis in Vitâ ejus (cap. 31.) testatum dedit. *Dulce namque erat ei* (inquit) *adolescentes & juvenes semper docere, & Latinos libros Anglicè eis solvere, & regulas Grammaticæ artis ac metricæ rationis tradere, & jocundis alloquiis ad meliora hortari.*

Ethelwoldus Monachos Abendonienses ante, Wintonienses post Præsulatum susceptum discipulos habuit. Elfricus è Wintoniensibus fuit. Ipse enim in Epistolâ ad Kenulphum, Vitæ Ethelwoldi præfixâ, sese *Wintoniensem alumnum* appellat. Eundem Elphegus Episcopus Wintoniensis ad Monasterium Cernelierse legavit; adeò ut Monasterium, in quo degebat, ad Episcopi Wintoniensis ditionem spectâsse jure censeatur. Poterat tamen Elfricus in utrovis Monasterio Ethelwoldi regimini subdi; modò ætas permitteret. Ethelwoldus enim (ut Johannis Tinmuthensis verbis utar, in Historiâ Aureâ MS. lib. 21. cap. 58.) *expulsis de veteri Monasterio Wintoniensi Clericis, induxit Monachos de Abendonia, quibus ipse Abbas & Episcopus fuit.* Ex horum autem numero Elfricum fuisse ætas ejus necdum adulta non permittit. Anno enim 963. quo Ethelwoldus ab Abbatia Abbendoniensi ad Episcopatum Wintoniensem translatus est, nondum undecimum ætatis annum superarat. Quod proximè probandum est.

Chronologiam Saxonicam à Julio Cæsare ad annum Christi 1070. Abrahamus Whelocus edidit ex duplici Codice MS. altero Collegii Corporis Christi Cantab. vetustiore, altero Cottoniano recentiore. Operis totius Auctor frustra quæritur. A diversis enim scriptum est. Codex autem Cantabrigensis notâ affixâ præfert Chronologiam istam scriptam esse ab Ælfrico anno ætatis suæ 23. Quod de parte ejus posteriore nequaquam intelligendum esse satis constat. Pars itaque prior Elfricum Authorem habet: quæ quidem res Ecclesiæ Wintoniensis tantâ præ aliis diligentiâ persequitur; ut à Monacho quodam Wintoniensi concinnata primo intuitu videatur. Desinit ista in anno 975. primo sc. Edwardi Regis & Martyris anno: quod cuivis locum consulenti facile patebit. Ibi enim Historicus post narratum Edwardi introitum, multos illi annos precatur. In proximo autem, cujus res gestas Chronologia ista exhibet, anno, sc. 977. Edwardum Regem occisum esse narratur. Quæ certe ab uno eodemque Authore proficisci nequaquam potuerunt. Elfricus igitur in anno 975. Chronologiam suam terminavit, annos jam natus 23. adeóque anno circiter 952. natus est.

Idem Elfricus post annum 908. nondum Abbatis dignitate auctus scripsit ad Wulfinum Episcopum Schiburnensem Epistolam celeberrimam, quæ sæpius prodiit, & Canones Ecclesiasticos, qui habentur apud Spelmannum, Concil. Angl. Tom. 1. p. 572. Spelmannus quidem (in Notis ad hos Canones, p. 583.) contendit Elfricum tunc Episcopum fuisse, ducto exinde argumento, quod Wulfino sese parem innuat, Canones suos sic exorsus: *Elfricus humilis frater venerabili Episcopo Wulfino.* Porro duos tantum hoc sæculo Wulfinos Episcopos fuisse, unum Scirburnensem ab anno 940. ad 958. alterum Dorcestrensem ab anno 1053 ad 1067. nullum autem utrivis Elfricum Episcopum contemporaneum reperiri. Unici Alfrici Puttæ Archiepiscopi Eboracensis ætatem ad rem propius accedere. Istum enim Sedem Eboracensem ab anno 1003. ad 1051. tenuisse; adeo ut si Wulfinus cathedram Dorcestrensem paulò citius adierit, vel Alfricus Eboracensem paulò diutiùs tenuerit; Alfricus Archiepiscopus Wulfino Coepiscopo Canones inscribere commodè potuisset. Et in hanc se inclinare sententiam. Vel si concedi posset Elfricum Canonum

† Auctorem

Auctorem non fuisse illo tempore Episcopum; cum tamen aliunde constet Elfricum Canonum auctorem eundem cum Grammatico fuisse; & Grammaticus Ethelwoldi Wintoniensis (qui sedem iniit anno 963.) discipulus fuerit: nullo modo fieri posse, ut Wulfino Episcopo Scirburnensi anno 958. defuncto Canones isti inscriberentur. Huc redit Cl. Spelmanni sententia; quæ tot ferè errores habet quot argumenta. Quòd Alfricus Putta Sedem Eboracensem anno 1003. obtinuisse dicatur; Typographi erratum arbitror. Nescire enim non potuit Vir Doctissimus Alfricum anno 1023. Archiepræsulatu Eboracensi auctum esse. Neque etiam quo anno Wulfinus Episcopatum inierit, investigare refert. Canones enim hos ante annum saltem 1006. scriptos esse clarissimè liquet ex Præfatione Elfrici Authoris ad Codicem MS. in quo Sermones Catholici, atque isti ipsi Canones, Saxonicè habebantur. Præfationis initium Spelmannus ibidem dedit. In ea dicit Elfricus se ab Elphego Episcopo Wintoniensi ad Monasterium Cerneliense missum, librum istum *è Latino sermone in Anglicum transtulisse idioma.* Ante annum igitur 1006. quo Elphegus Wintoniensis Episcopus esse desiit: & post annum 983. quo esse cœpit. Poterat tamen Elfricus Canones Wulfino Scirburnensi Latinè ante plures annos scripsisse; & postea hìc loci Saxonicè convertere. Quod illi non infrequens erat libros suos è Latino Saxonice, è Saxonico Latine transferre. Potuit quidem etiam Canones ante annum 1006. compositos Wulfino Dorcestrensi post annum 1053. inscribere: quod vult Spelmannus. Nimis tamen durum videtur Elfricum Canones conscripsisse in gratiam alicujus Præsulis: quem post quinquaginta plus minus annos futurum præviderat. Sin Wulfino Scirburnensi inscriptos dicamus; omnia optime convenient. Vitæ institutum & sectæ studium Wlfino & Elfrico communia fuerunt; quod amicitiam illis facile contrahere potuisset. Iste sub Ethelwoldo Wintoniæ, ille sub Dunstano Glastoniæ enutritus (teste Historiâ Glastoniensi, p. 9.) Elfricus capitali odio in Clericos Sæculares præsertim conjugatos ubivis invectus; quod & in Canonibus ad Wulfinum præ aliis argumentis persequitur. Wulfinus ejusdem sectæ studiosus, Clericis Ecclesiâ Sciréburnensi ejectis confestim post acceptum Episcopatum, Monachos in Sede Episcopali instituit; authore Malmsburiensi (de gest. Pontif. lib. 2. f. 141.) In Epistolâ autem Canonibus præfixâ tantum abest; ut Wulfino se parem innuat; ut contrarium potius non obscure indicet. Sic enim Wulfinum alloquitur. *Obtemperavimus jussioni tuæ libenti animo; sed non ausi fuimus aliquid scribere de Episcopali gradu; quia vestrum est scire quomodo vos oporteat.* &c. Quod verò se Fratrem indigitet; non aliud innuit quàm se Monachum esse, usurpato vocabulo apud Monachos etiam antiquiores frequentissimo. Elfrico autem præ aliis in omnibus suis scriptis solenne est nomini proprio nomen ordinis seu dignitatis apponere. Sic enim cunctæ fere illius lucubrationes exordiuntur Ælfric munuc vel Ælfric abbod, vel Ælfric biscop. Denique Wulfinus iste Elfrico contemporaneus fuit. Anno enim 958. (quod vult Spelmannus) adeò non defunctus est; ut Episcopatum nondum obtinuerit. Namque anno 962. Wulfinus Abbas Westmonasterii à Dunstano Episcopo Londoniensi institutus est; ex fide Radulphi de Diceto (Abbrev. Chron. p. 456. & Hist. de præsul. Angl. cap. 3.) Hunc postea fuisse Episcopum Schireburnensem constat ex Willelmo Malmsburiensi (de gest. Pontif. lib. 2. f. 141.) qui in Wulfini Scireburnensis rebus gestis narandis eadem, quæ Radulphus, de Abbatiâ Westmonasteriensi illi à Dunstano, *cum esset Episcopus Londoniæ*, commissâ refert; anno duntaxat prætermisso. Sane Radulphum in anno hallucinatum esse libenter crederem. Dunstanum enim à Sede Londoniensi ad Cantuariensem sub exitum anni 959. translatum esse in superiori Dissertatione probavimus. Factus est idem Episcopus Londoniensis anno præcedente, ex Florentii fide: ita ut anno 959.

vel 958. Wulfinus Abbas Westmonasterio præpositus fuerit. Et anno quidem 958. præpositum fuisse Florilegus diserte affirmat & Johannes Flete in Historiâ Westmonasteriensi. De Wulfini obitu disquirendum restat. Ante annum 978. is contigit, si Florentio simul & Malmsburiensi fides. Isto enim anno Alfwoldus ex illius sententiâ decessit; qui Wulfino in Sede Sciréburnensi juxta Malmsburiensem aliosque successit. Wulsinum quendam Episcopum Wiltoniensem Evidentiæ Ecclesiæ Christi Cant. (col. 2223.) memorant subscripsisse donationi Etherici & Leofwennæ unà cum Elfego Episcopo Wintoniensi. Factum id igitur post annum 984. quo Elfegus Episcopatum iniit. Pronum tamen est arbitrari Wulsini pro Wulgari nomine male irrepsisse. Wulgarum enim post annum 981. Sedem Wiltoniensem tulisse supra probavimus. Utcunque autem conjectura se habeat: Evidentiarum istarum authoritati quàm minimum deferendum censeo. Nescio an Florentii authoritatem superet Charta Ethelredi Regis data Wlfsino Episcopo Sciréburnensi & Cœnobio suo anno 998. quæ in Bibliothecâ Cottonianâ manu valde vetustâ & semisaxonicâ reperitur, quæque exinde descripta in hoc Volumine paulò inferiùs locum habet. In tantâ testium discordiâ quid potissimum statuendum esset mihi prorsus incerto fœliciter ad manus devenit Johannis Flete Historia Westmonasteriensis MS. Iste ex Sulcardo Monacho Westmonasteriensi, qui 50. circiter post Wulfsinum annis floruit, refert cap. 17. Wulfsinum Episcopum Schireburnensem ab Ethelredo Rege paulò post annum 980. factum esse, & anno circiter 998. obiisse. In eam igitur adducor sententiam Alfwoldum illum à Florentio memoratum ante Wulfsinum sedi Scirburnensi præfuisse; lapsumque esse Malmsburiensem atque illius sequaces in Catalogo Episcoporum Sciréburnensium texendo. Eo quo Wulfsinum Malmsburiensis loco Alfsium reponit Florentius, Ulsium Florilegus, qui eundem Elfredo anno 940. successisse ponit. Noster autem Wulfsinus inferius quærendus est, illo circiter loco, quem Ethelricus & Ethelsius in vulgatis Præsulum Sciréburnensium Catalogis obtinent. Johanni Flete fidem astruunt Chartæ perantiquæ Saxonicæ in Historicâ Cœnobii Abendoniensis MS. in Bibliothecâ Cottonianâ *Claudius B. 6.* Quarum plurimis Wlfsinus isto circiter tempore subscripsit. Verbi gratiâ Chartæ datæ anno 995. subscribunt Ælfricus Wiltoniensis Episcopus & Wlfsige Sciréburnensis *fol. 96.* Chartæ anno 995. Indictione 8. datæ Ælfricus electus Cant. Archiepiscopus & Wlfsige Sciréburnensis Episcopus *fol.* 95. Chartæ anno 996. Indictione 9. Ælfricus Cant. Archiepiscopus, & Wlfsige Sciréburnensis Episcopus, f. 99. Multæ quinetiam post annum 998. Chartæ editæ inibi singulis fere annis reperiuntur; in nullis autem harum Wlfsini nomen comparet.

Post annum 987. Elfricus missus est ab Episcopo Wintoniensi Elfego ad Monasterium Cerneliense in agro Dorsatensi; ut disciplinam Monasticam inibi institueret, rogatu Æthelmari Comitis, qui Monasterium recens fundaverat. Ista scribit Elfricus in Præfatione ad Sermones Catholicos & Canones supra memoratâ. Charta autem fundationis dicti Monasterii extat (in Monastico Angl. Tom. 1. p. 254.) data anno 987. In hoc Monasterio degens, plurimos Sermones, quos Catholicos vocat, è Latina in Saxonicam linguam transtulit: quod ipse loco citato prodit. Post annum itaque 987. Grammaticam suam concinnavit. In secunda enim Grammatices Præfatione dicit se *octoginta libros Sermonum* vulgari sermone reddidisse. Et totidem quidem, neque plures, annumeratis etiam Codicis Cerneliensis Sermonibus ab illo versos hodie habemus. Simplex autem Monachus adhuc fuit; utpote qui in Præfatione dicti Codicis se *Monachum & Missalem Presbyterum* duntaxat indigitat. Nec mirum videri debet simplici Monacho Monasterii recens fundati instituendi curam commissam esse: cùm præter eximiam eruditionis famam Elfrici meritis accesserit, quòd Ethelwoldi discipulus fuerit. Illo enim tempore nulli ferè digni habebantur,

bebantur, qui Monasteria & Ecclesias seu regerent seu instituerent; nisi qui è Dunstani, Ethelwoldi aut Oswaldi scholis prodiissent. Hinc & ad alia Monasteria Elfricum legatum esse legimus. In Codice enim MS. Versionis Saxonicæ Evangeliorum (in Collegio Corporis Christi Cantab.) sub fine Evangelii S. Matthæi, ista reperiuntur charactere Saxonico scripta: *Ego Elfricus scripsi hunc librum in Monasterio Bathonio* (missus puto ab Elphego Episcopo, qui primus fuerat ipse Abbas Bathoniæ) *& dedi Brithwoldo præposito*: teste Mareschallo in Observat. ad Versionem Anglo-Saxon. p. 490.

Post annum 1002. Elfricus scripsit Epistolam insignem (quæ extat) *de* Sacramento Altaris ad Wolstanum Archiepiscopum Eboracensem. Duo fuerunt isto sæculo Wolstani Archiepiscopi Eboracenses. Alter obiit anno 956. die 7. Cal. Januar. juxta Florentium & Chronicon Mailrosense. Alter Aldulfo successit anno 1002. juxta Florentium & Westmonasteriensem: obiit anno 1023. 5. Cal. Junii feriâ tertiâ, juxta Florentium & Thomam Stubbs. Abbatem fuisse, quando Epistolam scripsit, ipse assumpto in fronte Epistolæ Abbatis titulo demonstrant. Wolstano igitur seniori Epistola inscribi non potuit; cum Elfricus anno 987. triginta plusquam post illius obitum annis, nondum Abbatis dignitate cohonestaretur. Sunt tamen, qui Wolstano seniori scriptam volunt; quibus opposuisse sat erit Elfricum fuisse Ethelwoldi discipulum; ipsum autem Ethelwoldum non longè ante Wolstani obitum Abbatem factum discipulos sibi adscivisse: ne dicam iterum Elfricum post annum 787. simplicem Monachum fuisse; & si de ætate ejus rectè conjecerimus, in cunis adhuc, quando Wolstanus obiit, vagiisse.

Anno 1005. Elfricus, Abbas jam factus, Vitam Ethelwoldi præceptoris conscripsit; & Kenulfo Episcopo Wintoniensi scriptam nuncupavit. Kenulfus enim successit Elphego; quem anno 1005. ad Sedem Cantuariensem translatum in superiori Dissertatione ostendimus; & ante mensem Julium anni sequentis obiit, teste Florentio Wigorniensi. Anno autem 1005. potius quam 1006. Ethelwoldi Vitam scriptam statui; ut veritati magis accedat calculus Elfrici, qui in Præfatione dicit annos viginti ab Ethelwoldi obitu transactos fuisse. Obiit Ethelwoldus medio anno 984. Sin aliis annus 1006. magis placeat; non refragabor. Cujusnam Monasterii Abbas fuerit Elfricus, minus constat. Wintoniensis tamen fuisse videtur; tum quòd Opus Kenulpho Episcopo Wintoniensi inscripserit; tum quòd Monachus Wintoniensis antea fuerit; quod supra ostendimus. In Epistola etiam nuncupatoria cùm & Abbatem & Wintoniensem alumnum se vocans, institutionis locum doceat, Abbatiæ sedem taceat; unum eundemque & Abbati & Monacho fuisse locum subindicat. Rem extra dubium ponent Florentius Wigorniensis, Radulfus de Diceto, & Thomas Stubbs: qui Alfricum Puttam Archiepiscopum Eboracensem, priùs Wintoniensem Præpositum fuisse produnt. Nostrum autem Elfricum fuisse illum Archiepiscopum Eboracensem unico eodemque certissimo argumento ostendemus.

Elfricum demum Episcopali dignitate auctum esse constat ex Epistola ejus MS. in Collegio Corporis Christi Cantab. quæ inscribitur: *Elfrici Episcopi ad jam nunc ordinatos.* Archiepiscopum apud Anglos fuisse patet ex vetusto Carmine Glossario ejus præmisso:

> *Præsulis hic redolent Elfrici lypsana summi:*
> *Qui rector patriæ perstitit Angligenæ.*
> *Inter Pontifices rutilans seu mystica lampas:*
> *Defensor regni, necne salus populi.*

Denique

Denique Archiepiscopum Eboracensem fuisse liquet ex Epistolâ antiquâ; quæ in vetusto Codice Elfrici Glossario subjiciebatur, & unà cum Glossario à Somnero evulgata est. Inibi Religiosus vir quidam Elfricum orans, ut illi Regium favorem in negotio quodam tenui conciliaret, eum his verbis compellat: *Ita tu Sacerdos egregie Ælfrice, nostri Regis C. obtutibus semper assistis; & secreta ejusdem consilia à te non sunt abscondita; sed per tuæ industriam sapientiæ discernendo rimantur. Apud eundem vero multorum subvenis divitum & inopum miseriis. Unde totis imploro nisibus tuæ serenitatem benevolentiæ*, &c. Rex autem C. isto sæculo alius non fuit præter Canutum; & Canuti Regis tempore Elfricus Archiepiscopus alius non fuit præter Eboracensem.

Rei non leve pondus accedit ex cognomento Elfrici Archiepiscopi Eboracensis: qui ab aliis *Putta*, à Florentio Wigorniensi *Puttoc* appellatur. Vocem corruptam esse jamdiu suspicabar; & pro Saxonicâ literâ ƿ literam p. malè esse repositam; quod ob literarum similitudinem perfacile fuit. Tandem subsidium fœlicissimè tulit Codex MS. vetustus Florentii Lambethanus; qui pro *Puttoc* legit ƿittunc. Ista autem vox à voce Saxonicâ ƿitt, quæ *ingenium* seu *doctrinam* significat, derivatur. Unde & ƿittig & ƿittol, *Doctus* seu *Sapiens*. Adeò ut *Elfricus* ƿittunc nil aliud sit quàm *Elfricus Doctus* seu *Elfricus Sapiens*. Quod quidem cognomen jure illi datum fuit; quum ipse solus plus omnibus simul suæ ætatis Anglis in rem literariam contulerit.

Alfricus itaque Wolstano juniori in Archiepiscopatu Eboracensi successit. Wolstanus obiit anno 1023. die 5. Calend. Junii feriâ 3. ex fide Florentii Wigorniensis & Thomæ Stubbs. Ipse verò Elfricus obiit apud Suthwellam anno 1051. & apud Medeshamstede seu Monasterium Petroburgense sepultus est. Id iidem Authores & Radulphus de Diceto produnt: diem obitûs prætermittunt. Carmen quidem supra memoratum Glossario præfixum die 16. Calend. Decembr. illum obiisse præfert. Istum autem diem obitualem ad Elfricum Cantuariensem Archiepiscopum certiùs spectare antea adnotavimus. Præstat, ut Elfrici Eboracensis obitum inter Monachos Petroburgenses quæramus. Siquidem is apud eos sepultus fuerit; diem ejus obitualem, quem Anniversarium vocant, illi quotannis celebrarunt. Habetur itaque MS. in Bibliothecâ Lambethanâ Consuetudinarium Monasterii Petroburgensis; cui præmittitur Calendarium. Calendario in totidem columnis seorsim positis interseruntur dies Anniversarii cujusvis mensis in illo Cœnobio celebrandi. Et in his obitus Elfrici hisce verbis notatur. *Die IX. Calend. Februarii. Depositio Dompni Elfrici Archiepiscopi.* Sic etiam Obituarium Cœnobii Ramesiensis (cujus Excerpta extant in Monastico Angl. Tom. 1. p. 239.) *Nono Calend. Februarii, obiit Ailfricus Archiepiscopus.*

†

HISTO-

Historia Decanorum & Priorum Ecclesiæ Christi CANTUARIENSIS.

Decani Ecclesiæ Christi Cant. ante Normannorum tempora.

C*Eolnothus*, ad thronum Archiepiscopalem promotus an. DCCCXXX. Decanum antea fuisse Gervasius cum aliis fidem facit.

Aegelwinus obiit VI. Cal. Augusti juxta Obituarium Cant. MS. Floruit autem tempore Ceolnothi Archiepiscopi ex fide vetusti monumenti à Somnero citati in Antiquitatibus Cant. linguâ vernaculâ scriptis, p. 275.

Egelnothus, ad Archiepiscopatum evectus anno MXX. Decanus antea fuerat, teste Gervasio atque aliis.

Godricus obiit VIII. Id. Julii, referente Obituario Cant. Elphegi is discipulus fuit; cujus Translationi à Londoniâ ad Cantuariam anno MXXIII. factæ interfuit. Decanus postea factus, rem gestam Osberno narravit: teste Osberno in Hist. de Translatione Elphegi p. 145.

Henricus, Decanorum ultimus; qui jubente Lanfranco, Ecclesiam Christi Cant. jam reformante, Decani titulum in Prioris nomen commutavit. Priorem demum fuisse infra docebimus. Decanum verò antea fuisse constat ex Anonymo Authore Vitæ Lanfranci operibus ejus in editione Dacherianâ præfixæ, cap. 7. quæ eundem in Cœnobio Beccensi institutum fuisse prodit.

Alfricus obiit V. Idus Julii.

Kynsinus obiit IX. Cal. Decembris.

Mauricius obiit II. Non. Decembr.

Alsinus obiit II. Id. Decembr. Horum ætas atque ordo me penitus fugit. Nomina & obitus suppeditavit Obituarium Cantuariense MS. Plures adhuc Decani Ecclesiæ Cant. præfuisse videntur; quorum nec nomina supersunt. Quòd si singulos enim hosce Decanos post Ceolnothi tempora reponamus; vix tamen octo Decani annos circiter CCL. exhaurient. Constat enim Decanos Ecclesiæ præfecturam tenuisse usque restaurationem ejus à Lanfranco post annum MLXXIV. factam. Nisi quis forsitan tempus excipiat intermedium institutioni Monachorum anno MIII. & devastationi Ecclesiæ anno MXII. Monachos enim Ecclesiæ Cantuariensi, ejectis Canonicis Sæcularibus, Elfricus Archiepiscopus primus induxit anno circiter MIII. impetrato eâ de re Diplomate Ethelredi Regis, quod extat apud Spelmannum, Concil. Angl. Tom. 1. p. 504. Clericis ejectis Decani titulum atque potestatem remansisse vix credibile videtur; tum quòd Diploma Regium Ecclesiam Monachis omnino subjiciat; cùm quòd Elfricus discipulus fuerit Ethelwoldi, qui in omnibus à se instauratis Cœnobiis seu Abbates seu Priores constituit. Anno MXII. spoliatâ à Danis Ecclesiâ Monachisque omnibus, si quatuor demas, interemptis, Clerici Ecclesiam subierunt, & antiquis legibus sub Decani regimine usque ad Lanfranci tempora tenuerunt. Id, ut alios taceam, confirmat Gervasius in Actis Pontif. Cant. p. 1650. qui refert Canonicos Cathedrales, regulæ Monasticæ impatientes, Ecclesiam post Elphegi martyrium insedisse. Hi *Præpositum suum Decanum vocabant, quem nos post ad ventum Lanfranci Priorem appellamus.* Monachi tamen nonnulli, quamvis minore numero & nullâ planè authoritate freti, Clericis permixti degebant; si Eadmero fides (in Epistola ad Glastonienses de Reliquiis S. Dunstani) quod aliunde etiam comprobari posset,

posset. Demum anno MLXXIV. (juxta Gervasium in initio Chronici) conflagrante Ecclesiâ Cantuariensi, Canonici sedibus destituti sunt. Ecclesiam Lanfrancus Archiepiscopus summâ industriâ magnificentiùs restituit; & restitutam Monachis CL. replevit, ac Prioris regimini subjecit. Ista Gervasius in Vitâ Lanfranci refert. Paria ferè Eadmerus in Hist. Nov. lib. 1. scribit. Quòd Clerici pristinas domos post restauratam Ecclesiam non obtinuerint; tum Lanfranci potentia & Monasticæ religionis zelus effecit, tum authoritas Synodalis inhibuit. In Concilio enim Wintoniensi anno MLXXVI. habito decretum fuerat inter alia, *Ut nullus Canonicus uxorem habeat.* Canonici autem Cathedrales ferè omnes eo tempore uxorati fuerunt. Vi hujusce Canonis plurimis in Ecclesiis Canonici religionem Monasticam admittere compulsi sunt; & si qui Præbendas uxoribus cariores habuerint, cucullum induere inducti. Sic in Ecclesia Roffensi post pauculos annos Gundulpho Episcopo, *consilio, auxilio, assensu & ordinatione Lanfranci* vitam Monasticam instituente; *Clerici consenserunt & habitum religionis devotè susceperunt*: prout legitur in Chartâ eâ de re factâ apud Monasticon Angl. Tom. III. p. 1.

Priores Ecclesiæ Christi Cantuariensis.

HENRICUS, Prior à Lanfranco Archiepiscopo post restauratam Ecclesiam institutus, præfecturam tenuit usque ad Anselmi tempora, à quo successor illi datus est, teste Eadmero Hist. Nov. lib. 5. p. 108. Abbatem prius Cadomensem fuisse vult Somnerus. Errore manifesto. Nil magis enim Cœnobio Cadomensi Henricus commune habuit, quàm quòd discipulus fuerit Lanfranci Prioris Beccensis, qui postea factus est Abbas Cadomensis. Nullum autem in Catalogo Abbatum Cadomensium, quem Dacherius exhibuit (Not. ad Vitam Lanfranci p. 31.) locum tenet. In illo enim Lanfranco successit Gulielmus, Gulielmo Gislebertus, huic Robertus, qui obiit anno MCVII. quo sc. Ernulfus Prior Henrici successor magistratu cessit. Addit Somnerus ex Raynerio Henricum Abbatem Belli circa annum MCIV. factum esse. Ex cujus fide id retulerit Raynerius, mihi incompertum est. Res tamen veri non est absimilis. Henricus enim in Obituario Cantuariensi locum non habet; quod quidem, si in Prioratu decesserit, vix fieri potuisse credendum est.

Ernulphus, Henrico Priori subrogatus ab Anselmo juxta Eadmerum (loc. cit.) ab eodem ad Abbatiam Burgi promotus anno MCVII. juxta Wigorniensem. Suffragatur Catalogus MS. Abbatum Burgensium (in Bibliothecâ Cottonianâ, *Faustina*, *B.* 3.) qui Ernulfum Abbatem septem annis præsedisse perhibet. Anno autem MCXIV. Ernulphus Episcopatu Roffensi à Radulpho Archiepiscopo donatus est IV. Cal. Octobr. ex Eadmeri fide p. 111. Refert idem p. 96. Ernulpho ad Abbatiam Burgi translato nullum in Prioratu successisse usque ad inthronizationem Radulphi Episcopi Roffensis, quæ contigit anno MCVIII. prid. Cal. Julii, Antonio interim Subpriore res Ecclesiæ curante.

Conradus, Prior ab Anselmo creatus, referente Eadmero (p. 108.) adeoque inter prid. Cal. Julii MCVIII. quo vacâsse Prioratum supra dixit, & XI. Calend. Maii MCIX. quo Anselmus obiit. Interfuit ille consecrationi Thomæ Eboracensis Archiepiscopi anno MCIX. V. Cal. Julii; & instrumentum de professione obedientiæ Sedi Cant. factâ in manus sibi consignatum reportavit. Postea Abbas S. Benedicti de Hulmo in agro Norfolciensi constitutus est. Quo anno, non liquet. Beneficia Ecclesiæ Cant. præstita Obituarium Cantuariense sic recenset.

'Hic electione beati patris Anselmi per consensum totius Conventûs Domino Ernulfo Priore ad Abbatiam de Burgh translato in Prioratu successit. 'Vir tam divinarum quàm sæcularium literarum peritiâ sublimiter institutus, '& monastici ordinis executione, magno tamen amore assiduus; qui curam 'tam exteriorem quàm interiorem sibi commissam quàm prudenter administraverit, ipsa sua operatione cunctis manifestari poterit. Cancellum quippe 'Ecclesiæ, quem venerabilis Ernulphus antecessor ejus imperfectum reliquerat, ipse suâ industriâ magnificè consummavit, consummatumque egregia pictura decoravit, decoratum verò preciosis ornamentis locupletavit. 'Inter alia siquidem ista Ecclesiæ suæ dedit, schillas duo ex melioribus, tapetum peroptimum, Pallia quatuor ex majoribus & melioribus totius Ecclesiæ, Pallium quoque unum bonum de mediocribus tamen; Candelabrum miræ magnitudinis de aurichalco fabricatum, habens tres hinc & tres 'inde ramos ex medio proprio prodeuntes stipite, unde septem recipit cereos; 'quinque signa permaxima, quorum primum X. similiter secundum X. tertium XI. quartum VIII. quintum verò XXIV. homines ad sonandum trahunt. Veruntamen quintum signum venerabilis Prior Ernulfus primitus 'fecerat, sed postmodum fractum magnus Conradus refundendo magno 'sumptu expenso renovari fecit. In his autem ferè omnibus multùm fretus 'est auxilio strenuissimorum Secretariorum Adewyni videlicet & postea 'Edmundi. Post excessum autem beati patris Anselmi Thomas Eboracensis 'Archiepiscopus Conrado agente cum Episcopis Angliæ professionem fecit; 'quam se patri Anselmo non fecisse doluerat. Postremum verò licet inter 'magnas adversitates quorundam malevolentia exortas, cappam pretiosissimam 'undique exterius auro purissimo intextam, inferius & per circuitum CXL. 'nolas argenteas sed deauratas habentem, nonnullis lapidibus pretiosissimis 'interpositis, fieri fecit; pro cujus expensione centum libras distribuit. Hic 'autem postea factus est Abbas Monasterii S. Benedicti de Holm, ibique XII. 'Kalendas Martii quievit in pace.

Gosfridus, [rectius Gaufridus ex fide Codicis vetusti MS. Florentii] De eo nil aliud occurrit præter quod habet Continuator Florentii Wigorniensis ad annum MCXXVIII. *Vir*, inquit, *religionis eximiæ Cantuariæ Prior Gosfridus nomine, Rege Scotorum David petente & Archiepiscopo Gulielmo annuente, Abbas eligitur ad locum in Scotiâ qui Dunfermelin dicitur. Ordinatus est autem à Roberto Episcopo Ecclesiæ S. Andreæ.* De exitu igitur constat. Initia magistratûs Gosfridi incomperta sunt. Videtur tamen Conrado post annum MCXXII. successisse. Eadmerus enim *Historiâ Novorum* eousque perductâ, de Conradi translatione silet.

Elmerus successit, atque obiit anno MCXXXVII. teste Gervasio (in Chronico, p. 1343.) die V. Idus Maii juxta Obituarium Cant. Lapsus igitur Balæus (de Scriptor. Cent. 2. cap. 72.) qui illum annis XVIII. Prioratum obtinuisse scribit.

Jeremias Elmero successit anno MCXXXVII. à Theobaldo Archiepiscopo Cant. depositus circa annum MCXLIII. restitutus ab Innocentio II. Papâ (qui obiit anno MCXLIII.) sed ab Archiepiscopo statim resignare coactus. Ista refert Gervasius, p. 1343. 1312, 1359.

Walterus Durdens, Jeremiæ deposito Theobaldi authoritate suffectus, eidem à Papâ restituto locum dedit, Dovoriam interim secedens. Jeremia autem paulò pòst fasces abrenunciante, Prioratum iterum obtinuit. Anno demum MCXLIX. Episcopus Coventriensis electus est. Ista Gervasius p. 1359. 1367. obiit VII. Idus Decembr. ex fide Obituarii Cantuariensis.

Walterus Parvus, Theobaldi Archiepiscopi Capellanus, Durdenti ab eo substitutus est; ab eodem depositus anno MCLIII. Ita Gervasius p. 1367. 1313. 1369. Dies obitûs incertus est. Duo enim Walteri Priores, præter

 Durdentem,

Durdentem, in Obituario Cantuariensi reponuntur; alter VII. Id. Januar. alter VIII. Id. Februar. defunctus. Tertii Walteri mentio alibi apud Somnerum non occurrit: illum tamen suo loco infra reposuimus, quamvis dies utriusvis obituales secernere nequeamus.

Wibertus, antea Subprior, Prioratum Theobaldi dono post deturbatum Walterum accepit. Obiit anno MCLXVII. V. Cal. Octobr. Ista Gervasius habet p. 1369. 1403. Annum obitûs confirmat Chronicon Ecclesiæ Christi Cant. MS. diem Obituarium Cant. quod de Wiberto ista exhibet: 'Hic 'inter multa bona opera, quæ fecit, isti Ecclesiæ contulit ornamenta; Sil'lam unam, manellum unum. Signum quoque magnum in clocario po'suit, quod triginta duo homines ad sonandum trahunt. Duo magna tapeta, '&c. Silvam magnam de Chartham XL. acras habentem, quam rustici longo 'tempore tenuerunt, diratiocinavit & Ecclesiæ restituit. LXXI. solidatas 'redditûs Ecclesiæ adquisivit; quos in die Anniversarii sic instituit expendi. 'Quadraginta solidos in Refectorio ad refectionem Fratrum, Viginti solidos 'verò ad usus Pauperum; de reliquo autem eleemosynam emendari præce'pit. Aquæductum cum stagnis & lavatoriis & piscinis suis; quam aquam 'ferè milliario ab urbe intra Curiam & sic per omnes ipsius Curiæ officinas 'mirabiliter transduxit, &c.

Odo, in electione Richardi Archiepiscopi anno MCLXXIII. primas partes tulit. Abbas demum Monasterii de Bello anno MCLXXV. factus est; authore Gervasio, p. 1422. 1432. obiit XIII. Cal. Februar. juxta Obituarium Cant. Registrum quidem MS. Ecclesiæ Christi Cant. Bullam Alexandri III. Benedicto Priori inscriptam præfert anno MCLXXVII. Indictione X. die XII. Cal. Decembr. Annum autem ab alienâ manu additum constat, nondum enim Pontifices annum Domini scriptis suis adhibuerunt; & falsò additum liquet ex Indictionis numero; qui anno MCLXXVI. potius convenit.

Benedictus, Richardi Archiepiscopi Cancellarius, Odonem excepit annò MCLXXV. Abbas Monasterii dè Burgo factus ante Ascensionem Domini anno MCLXXVII. Ista Gervasius p. 1432. 1436. Obiit III. Cal. Octobr. ex fide Obituarii Cant.

Herlewinus, Richardi Archiepiscopi Capellanus, Benedicto subrogatus est anno MCLXXVII. Demum anno MCLXXIX. cæcutientibus oculis officio exequendo minùs idoneus factus, Prioratum resignavit die VIII. Id. Augusti. Sic Gervasius, p. 1436. 1456. Obiit VII. Id. Maii, prout habet Obituarium Cant.

Alanus, loco Herlewini à Ricardo Archiepiscopo eodem die promotus est; anno MCLXXXVI. Abbas Theokesbiriæ electus, & die XVII. Cal. Julii ejusdem anni benedictus: juxta Gervasium, p. 1456. 1480. Obitum die II. Non. Maii refert Obituarium Cant.

Honorius, quondam Baldwini Archiepiscopi Capellanus, tunc verò Cœnobii Celerarius, successor à Baldwino anno MCLXXXVI. XVII. Cal. Julii datus est. Peste extinctus Romæ obiit anno MCLXXXVIII. die XII. Cal. Novembr. Ista Gervasius, p 1480. 1533. Merita illius Obituarium Cant. sic deprædicat. 'XII. Cal. Novembr. obiit venerandæ memoriæ venerabilis 'Prior Honorius, honos & exemplum tam præcedentium quàm futurorum Pri'orum. Hic spretis parentibus, Prioratu & patria, pro tuendâ libertate Ec'clesiæ adiit Sedem Apostolicam. Ibi in prosecutione appellationis, quam 'in Ecclesiâ istâ fecerat, penè per biennium commoratus est. Quem cùm 'nec laboris immensitas, nec tribulationis acerbitas aliquando possent evincere, 'vel animum ejus ab amore & fide Conventûs sui revocare; tandem in ur'be Romanâ corrupti aeris correptus pestilentiâ, unà cum quinque fratribus, 'qui se similiter pro Ecclesiâ suâ periculo proposuerunt, debitum solvens

† mortalium,

'mortalium, in Ecclesiâ Lateranensi diem clausit extremum; ibidem honori-
'ficè sepultus est in ostio Capituli. Et fiet servitium pro eo per omnia, sicut
'pro Wyberto Priore.

Rogerus Norreis, Prior à Baldwino Archiepiscopo anno MCLXXXIX. II. Non. Octobr. invito Conventu factus; anno MCXC. Abbas Eveshamensis ab eodem creatus. Sic Gervasius, p. 1551. 1564. qui quidem Abbatem Eveshamensem anno MCXCI. Rogerum à Baldwino benedictum fuisse refert; quamvis Balwinum sub exitu anni MCXC. obiisse constet. Vide quæ supra annotavimus de Gervasii erroribus Chronologicis in his circiter annis in Dissertatione de verâ successione Archiep. Cant.

De Rogero ista habet Giraldus Cambrensis in Speculo Ecclesiæ MS. Dist. 2. cap. 23. 'Sicut autem S. Augustini Cœnobium à Cant. Metropolis subjectione se per superbiam ex opulentiâ natam nostris diebus exemit; sic per 'Monachum quendam de superciliosô similiter & opulento S. Trinitatis Cantuariæ Cœnobio apud Evesham translatum, ibique in Abbatem promotum, 'Monasterium loci ejusdem à potestate Wigorniensis Ecclesiæ modernis similiter temporibus exemptum fuit. De divitiis enim ad divitias assumptus, '& desidiosè pariter ac deliciosè nutritus, à divitum vitiis, & individuis ferè 'comitibus superbiâ sc. & luxuriâ non fuit exutus. Per superbiam enim 'matrem suam filia deseruit; & se ab ejusdem eximere gremio, debitæque 'subjectionis absolvere vinculo & emancipare curavit. Ingruente verò lasci'viæ vitio & nimis enormiter invalescente, & vicos & villas Monasteriique 'maneria cuncta, tanquam equus emissarius ad omne jumentum hinniens, 'adeò in omnem libidinosæ voluptatis illecebram, sensuales motus in nullo 'refrænans, perniciosas laxavit habenas; ut duodevigesimum aut ampliorem, 'juxta vicinam & veridicam assertionem, prolis suæ sexûs utriusque nume'rum cum scandalo gravi, nec Deum quippe nec hominem verens aut ve'recundiam habens, plectiliter adimpleverit. Veruntamen quoniam sicut 'nullum bonum irremuneratum, ita nullum malum in terris impunitum; 'processu temporis Nicolaus Tusculanensis Episcopus & S. R. E. Cardina'lis vice Legationis in Anglia fungens, his auditis & propensiùs animadver'sis, belluam hanc ejecit; & à dignitate male quæsita, quia minùs canonicè 'per superiores atque potentes adepta, & longe pejus administrata cum de'decore, ut decuit, debitaque confusione deposuit. Depositus est Rogerus anno MCCXIII. die festo S. Edmundi, authore Matthæo Westmonasteriensi.

Osbernus de Bisto, à Baldwino Archiepiscopo promotus mense intermedio inter Octavas Epiphaniæ & diem XIX. Februarii anno MCXC. ineunte. Post Baldwini obitum depositus à Monachis suis anno MCXCI. VI. Idus Maii. Ista ex Gervasio constant, p. 1564. 1570.

Galfridus, Supprior Ecclesiæ Christi Cant. in Osberni locum à Monachis eodem die suffectus est; tradente Gervasio p. 1570. Anno MCXCIII. Hubertum Archiepiscopum elegit. Anno MCXCIX. Ecclesiæ suæ causam adversùs Hubertum Archiepiscopum in Curia Romana procuravit: ejusdemque decisioni anno MCCII. factæ superfuit; quòd ex Epistolis MSS. de causâ Collegii Hakintonensis liquet. Ex Somneri calculo Prioratum ad annum usque MCCVI. obtinuit. Certe anno MCCV. in vivis erat; quo Huberti Archiepiscopi compositionem cum Monachis S. Augustini factam confirmavit; teste Willelmo Thorn p. 1863.

Johannes Sittingborn, à Somnero anno MCCVI. successisse dicitur, & tempore litis gravissimæ inter Johannem Regem & conventum Cantuariensem de electione Archiepiscopi Ecclesiæ præsedisse. Fervebat illa contentio ab anno MCCV. ad annum MCCXIV. Viderat forsan Somnerus, in Archivis Ecclesiæ Christi Cant. versatissimus, monumenta quædam, è quibus ista eliceret. Vulgati quidem Historici litem narrantes, Prioris nomen tacent.

Anno MCCXXXII. Johannes quidam Prior à Monachis electus in Archiepiscopum & à Rege confirmatus, electioni abrenunciare à Papa persuasus est; *quòd nimis esset senex & simplex, & ad tantam insufficiens dignitatem.* Ista referunt Matthæus Paris & alter Westmonasteriensis. An Johannes is Electus non alius à Johanne Sittingborn fuerit, non habeo quod affirmem; affirmat tamen Somnerus; vereor ne invitâ veritate. Sanè illum in pluribus errasse constat. Ut mittam enim ordinem & Chronologiam Priorum à Conrado ad Galfridum; quem ex Gervasio Dorobernensi vir eruditus in margine libri cujusdam sui in Archivis Ecclesiæ Christi Cant. hodienum asservati postea emendatum dedit; de plurimis ille silet Prioribus, quorum extat memoria in Obituario Cantuariensi MS. Id de Waltero tertio supra observavimus. Binos pariter Johannes, illi penitus incognitos, Obituarium recenset, sc. Johannem de Chetham, qui obiit VIII. Idus Julii; & Johannem alterum, qui obiit XV. Cal. Augusti; nisi quòd horum non alius ab illo, quem Johannem Sittingborn Somnerus indigitat, fuisse rectè censeri posse videatur. Willelmum itidem Priorem, qui obiit VIII. Idus Februar. Somnero ignotum, Obituarium exhibet. De Johanne autem Sittingborn vide certiora paulò infra in Johanne II.

Walterus III. Præsedit Ecclesiæ Christi Cant. anno MCCXVII. quo Bullam Honorii III. Papæ ipsi directam II. Id. Decembr. Indictione VI. Registrum MS. Ecclesiæ Christi Cantuariensis exhibet. Bullæ apponitur annus MCCXVIII. Verum Indictionis numerus MCCXVII. reponendum suadet. De die obituali istius Prioris vide supra in Waltero II.

Johannes II. is nempe quem Archiepiscopum anno MCCXXXII. electum esse supra diximus. Atque hinc constat Johannem Sittingborn Galfridi successorem alium fuisse à Johanne Electo Archiepiscopo. Medius enim intercessit Walterus III. Johannem istum de Chetham cognomen traxisse arbitror, & VIII. Idus Julii obiisse, prout Obituarium Cant. habet.

Rogerus de la Lee, successit anno MCCXXXIV. obiit anno MCCXLIV. juxta Somnerum; qui Compositionem inter ipsum Rogerum & Abbatem S. Augustini anno MCCXLII. initam in Appendice suâ p. 448. evulgavit. Extat eadem apud Willelmum Thorn in Chronico suo p. 1888. Obiisse dicitur in Obituario IX. Cal. Septembr. Rogerus Prior; quem ab isto diversum non fuisse opinor.

Nicholaus de Sandwico, Prioratum iniit anno MCCXLIV. decessit anno MCCLVIII. ex Somneri calculo. Mihi nil aliud de eo constat præter id quod habet Obituarium Cant. illum III. Id. Februar. defunctum esse.

Rogerus de S. Elphego, Prioratum ab anno MCCLVIII. ad MCCLXIII. tenuit, authore Somnero. Sanè isto anno Prioratum vacasse liquet ex Charta Johannis Westgate Subprioris & Monachorum Ecclesiæ Christi Cant. Prioratu vacante datâ Bonifacio Archiepiscopo, quæ superiùs extat p. 58. Obiit Rogerus die III. Cal. Octobr. juxta Obituarium Cant. Annum obitûs confirmat Chronicon Ecclesiæ Christi Cant. MS. cujus hæc sunt verba. 'Anno 'MCCLXIII. obiit Prior Ecclesiæ Christi Cant. Rogerus de S. Elphego; qui 'Capellam inter Dormitorium & Infirmariam honorifice perfecit. Et sequeba'tur in officio Prioris Adam de Chilindene Monachus ejusdem Ecclesiæ.

Adam de Chillenden, Willelmum male vocant Author Antiquitatum Britann. & Godvinus; hic ab illo deceptus, ille forsitan à Petro Yckham, in cujus Chronico MS. iste W. Prior appellatur. Post mortem Bonifacii electus à Monachis Archiepiscopus *per viam compromissi anno MCCLXX. anno MCCLXXII. in Curia Romana resignavit Electionem de se factam in manus Domini Papæ manu propria & cum consilio suorum.* Ista Chronicon Ecclesiæ Christi Cant. MS. Factum id anno MCCLXXIII. die XVI. Cal. Octobr. Petrus Yckham refert, in anno designando manifeste lapsus. Obiit anno MCCLXXIV.

ex

ex fide dicti Chronici MS. Idibus Septembris, juxta Obituarium Cant. Falsus igitur Somnerus, qui illum anno MCCLXX. decessisse scribit.

Thomas de Ryngmere, Prior electus anno MCCLXXIV. XIII. Cal. Octobr. *resignavit Prioratum anno MCCLXXXV. in Vigilia Palmarum, viz. XVI. Cal. Aprilis, habitum nigrum exuens. Induit habitum album Cisterciensis Ordinis apud Belk locum Regis in Diœcesi Wintoniensi.* Hæc Chronicon Ecclesiæ Christi Cant. MS. refert. Depositum eo die Prioratum confirmat Registrum MS. Ecclesiæ Cant. Obiit Thomas quidam Prior Cant. V. Idus Maii juxta Obituarium Cant. quod de isto dictum puto. Auditâ Thomæ cessione; sic pergit Chronicon Ecclesiæ Cant. *M. Henricus de Bray Regis Escheator cepit Prioratum vacantem in manus Domini Regis.* Id Ecclesiæ suæ privilegiis & Regni legibus adversari Monachi contendebant. Res in Parliamento proximo ventilata est; & custodiam Prioratûs vacantis ad Regem minime pertinere definitum est. Sententiam Rex datâ cartâ ratam habuit. Rei gestæ & sententiæ latæ Historia reperitur in Chronico dicto: integer autem (quem vocant) Processus atque ejus instrumenta in Registro dicto MS.

Henricus de Estria, ejusdem Ecclesiæ Monachus Thomæ loco electus est anno MCCLXXXV. XI. Id April. & eodem die installatus ab Archiepiscopo Cant. Johanne, juxta Chronicon Ecclesiæ Christi Cant. MS. Legendum arbitror XI. *Cal. April.* vel *VI. Id. April.* Henricum istum laudat Author Antiquitatum Britann. quòd diu intermissam jurisdictionis Metropoliticæ vacante Sede Archiepiscopali executionem ad Ecclesiam suam revocarit. Suffragatur Chronicon dictum; quod ad annum MCCXCIII. hæc habet. Post mortem Johannis Archiepiscopi *Prior & Capitulum Cant. jurisdictionem Diœcesani in omnibus pacificè exercuerunt in Diœcesi Bathoniensi, Sancti David, & Sancti Asaph. Et in eisdem Diœcesibus vacantibus dicti Prior & Conventus per Officiales suos visitarunt tam Capitula Cathedralia quàm Regularia, tam clerum quàm populum, tam in capite quàm in membris, sine contradictione cujuscunque.* Præsedit Ecclesiæ Christi Cant. annos XLVII. ex fide Obituarii Cant. Hos si cavos ponamus; obierit Henricus anno MCCCXXXI. Et sub exitum quidem istius anni Richardum Prioratum gessisse Willelmus Thorn fidem facit. Isto itaque anno Henrici obitum contigisse tantum non constat. Annos quidem duntaxat XXXVII. Somnerus regimini illius concedit, atque adeò obitum anno MCCCXXII. ponit. Verùm Simonem Mepham Archiepiscopum ab Henrico Priore anno MCCCXXIX. mense Januario intronizatum esse in Registro MS. Ecclesiæ Christi Cant. legitur. Quin & ad Walteri Archiepiscopi obitum anno MCCCXXVII. ipsius Henrici Registrum MS. (in Bibliothecâ Cotton. *Galba*, E.4.) deducitur. Beneficia Ecclesiæ Christi Cant. ab illo collata Obituarium Cant. his verbis deprædicat: 'Juvenis habitum Monasticum suscipiens, cœpit virtutum moribus florescere, '& per studium Claustralis residentiæ fluenta Scripturarum sitibundo corde 'haurire. Prior autem postea factus, utilis & prudens dispositor in tempo'ralibus efficitur. Conventum namque ære alieno ad tria millia marcarum 'oneratum suâ industriâ exoneravit; Chorum verò Ecclesiæ pulcherrimo 'opere lapideo subtiliter inciso decenter adornavit. Ornamentis quoque Ec'clesiasticis, videlicet cappis, casulis, tunicis, dalmaticis diversi coloris, & 'Albis, ac annulis Pontificalibus pretiosis Ecclesiam decoravit & nobiliter 'ditavit. Ædes etiam novas infra Monasterium & extra sumptuosas fun'davit; & plurimas dirutas reparavit. Terras insuper multas, redditus & 'silvas in diversis Maneriis; ac libros diversarum facultatum magni pretii, 'plures quam aliquis prædecessorum suorum perquisivit & Ecclesiæ reliquit. 'Qui cum XLVII. annis Prioratum laboriosè ac strenuè gubernâsset; tandem 'anno ætatis suæ XCII. inter Missarum celebrationem post Dominici Corporis 'elevationem, VI. Idus Aprilis ex hac luce subtractus est, & beato fine qui'evit in pace.

Ricardus

Ricardus de Oxynden, anno MCCCXXXI. VIII. Cal. Januar. Bullam Johannis XXII. Papæ sibi directam accepit; eamque anno MCCCXXXII. X. Cal. Martii executioni demandavit. Hæc Willelmus Thorn p. 2060. 2062. refert; neque ullam de eo antea mentionem factam apud vulgatos Historicos reperio. Certiora exhibet Registrum MS. Ecclesiæ Christi Cant. *Henrico, inquit, mortuo suffectus est Ricardus Oxynden crastinâ die post VII. Cal. Maii anno* MCCCXXXI. Obiit anno MCCCXXXVIII. die IV. Augusti. Id ex Epitaphio Sepulchrali constat. Diem obitûs confirmat Obituarium Cant.

Robertus Hathbrande, Ricardo successit, & obiit anno MCCCLXX. XVII. Cal. Augusti, teste Obituario Cant. Error itaque in Epitaphio Sepulchrali, quod apud Somnerum extat, latere videtur. Id enim die XVII. Augusti Robertum obiisse præfert. Merita illius Obituarium Cant. sic enumerat. 'Recolendæ memoriæ Dominus Robertus Hathbrande, pridem hujus Ecclesiæ Prior, XVII. Cal. Augusti anno Domini MCCCLXX. diem suum clausit extremum. Qui mox post habitum susceptum, virtutibus & bonis moribus florere cœpit, & continuavit in eisdem. Prior autem effectus, modestum, benignum & affabilem cunctis se exhibuit. In divinis quoque officiis multum simplex erat & devotus. In ministerio altaris à fletibus & lacrimis perrarò se continuit. In temporalibus etiam adeò prudens extitit & circumspectus; quòd ornamentis ecclesiasticis, libris, annulis, & variis jocalibus pretiosis Ecclesiam ditavit. Aulam quoque lapideam, quæ dicitur Mensa Magistri, cum septem cameris adjacentibus pro infirmis: Cameram aliam plumbo coopertam juxta *la Gloriet*: Novam coquinam Conventûs: Duas magnas campanas in clocario, viz. Jesu & Dunstan; Organa magna; Subtabulam altaris S. Thomæ: quamplures etiam domos infra Prioratum & extra de novo construi fecit & reparari. Maneria de Styftede, Bonyngton & Suthcherche, ac terras arabiles, boscos, prata, & pasturas, in aliis Maneriis Ecclesiæ ad numerum CCC. acrarum per suam industriam perquisivit. Mariscum de Apuldoure continentem CCCLXIII. acras, & Mariscum de Elwerton includi fecit. Et præter hæc graves & intolerabiles expensas circa Dominum Regem & Reginam & suos, ac homines ad arma multiplicatis vicibus versus partes exteras suo tempore discurrentes, sustinuit & fecit. Sicque per XXXII. fermè annos Prioratum dictæ Ecclesiæ in temporalibus & spiritualibus exinde rexit & gubernavit; in quorum fine obdormivit in Domino.

Ricardus Gillyngham Robertum excepit; & anno MCCCLXXVI. decessit, juxta Somnerum. Die ultimo Augusti obitum contigisse Obituarium Cantuariense prodit.

Stephanus Mongeham successit anno MCCCLXXVI. obiit anno sequenti, ex Somneri calculo. Diem obitûs dedit Obituarium Cant. XVIII. Cal. Julii is fuit.

Johannes Finch, Johannem Wynch de Wynchelse Obituarium Cant. & Registra fere omnia appellant. Prior creatus est anno MCCCLXXVII. mense Julio. Siquidem annos XIII. menses VI. & septimanas II. Prioratum gessit; atque obiit VIII. Cal. Februarii; juxta Obituarium Cant. Diem IX. Januarii Epitaphium ejus Sepulchrale apud Somnerum & Weaverum illi fatalem fuisse perhibet. Annus autem obitûs MCCCXCI. ineuns reperietur; si tempora Prioratûs sequentis conferantur.

Thomas Chillinden, promotus anno MCCCXC. exeunte, die XVI. Februarii, obiit anno MCCCCXI. die XV. Augusti circa horam nonam vespertinam. Ista prodit Registrum MS. Ecclesiæ Christi Cant. Tempus obitûs confirmat Epitaphium Sepulchrale apud Somnerum & Weaverum; additque illum præfuisse annis XX. septimanis XXV. diebus V. Res gestas pluribus

persequitur Obituarium Cant. hisce verbis: "Obiit recolendæ memoriæ Do-
'minus Thomas Chyllynden, quondam Prior hujus Ecclesiæ, Decretorum
'Doctor egregius. Qui ope & auxilio Reverendissimi in Christo Patris ac
'Domini Thomæ Arundell Dei gratiâ Cantuariensis Archiepiscopi, totius
'Angliæ Primatis & Apostolicæ Sedis Legati, navem istius Ecclesiæ, cum
'Capellâ B. Mariæ Virginis in eâdem sitâ opereque decenti fabricatâ, totali-
'ter renovavit. Claustrum quoque, Domum Capitularem, magnum Dor-
'mitorium cum novâ viâ versùs Ecclesiam, & subtus domum rasturæ, de
'novo fieri fecit. Majus verò altare cum duobus altaribus Sanctorum Dun-
'stani & Elphegi opere argenteo, aureo ac ligneo subtiliter inciso decenter
'ornavit. Tria etiam altaria, duo ex parte boreali SS. Stephani & Mar-
'tini, & tertium ex parte australi S. Johannis Evangelistæ, laudabili picturâ
'& opere ligneo strenuè decoravit. Vestiarium ornamentis ecclesiasticis,
'videlicet cappis, casulis, tunicis, dalmaticis diversi coloris, turibulis, can-
'delabris ac annulis Pontificalibus cæterisque jocalibus preciosis egregiè præ-
'ditavit. Preciosos insuper quampluresque libros diversarum facultatum
'huic Ecclesiæ contulit. Privilegia quoque insignia, videlicet usum baculi
'pastoralis cum sandaliis & solemni benedictione post Horas præcipuas &
'processiones, Prioribus hujus Ecclesiæ in suorum Archiepiscoporum absen-
'tiis, ac ultimam exemptionem Capituli generalis, à sanctissimo patre Do-
'mino Urbano Papâ suâ industriâ personaliter impertavit. Certa etiam
'ædificia intra ambitum Curiæ consistentia, viz. sartrinum, granarium,
'stabulumque Prioris & muros cum turribus ejusdem Curiæ, domosque
'quamplures necessarias longo tempore dirutas de novo fecit ac emendavit.
'Ædem quoque lapideam juxta aulam Prioris, quæ vocatur ***Pavid chambir***,
'cum duabus aliis cameris, lectumque Prioris in Dormitorio cum Studio
'& aliis domibus annexis laudabiliter reparavit. In eleemosynaria verò au-
'lam Presbyterorum & aulam puerorum cum aliis diversis ædificiis de novo
'construxit. In civitate quoque Cantuariæ unum Hospitium famosum, vo-
'catum *Le Cheker*, cum aliis diversis mansionibus, nobiliter ædificavit. In
'eâdem etiam civitate Hospitium *de la Crowne*; Et in civitate Londoniensi
'redditus Roberti Lyttyll valoris XL. librarum, quos de novo reparavit,
'huic Ecclesiæ adquisivit. In Collegio quoque Oxoniæ Capellam pulcher-
'rimam & plures cameras honestas præparavit; quæ Scholaribus ibidem stu-
'dentibus delectationi sunt & honori. In manerio verò de Icham omnia
'ædificia, præter columbarium & unam cameram, de novo erexit. In ma-
'neriis de Chartham & Godmersham, & in omnibus ferè aliis Maneriis
'ad Ecclesiam pertinentibus, multas & honestissimas domos de novo con-
'strui fecit & reparari. Hic quoque duodecimo Prioratûs sui anno ad Ecclesiam
'Roffensem per Priorem & Capitulum ejusdem Ecclesiæ canonicè fuerat
'electus. Cui electioni non consensit; citius eligens in hac sanctâ Cantu-
'ariensi Ecclesiâ sub nobili Pontificis regimine deservire, quàm in aliâ Ecclesiâ
'Pontificali dignitate sublimari. Qui postquàm Prioratum hujus Ecclesiæ
'XX. annis, XXV. septimanis, & V. diebus, largifluis sumptibus & expensis
'honorificè gubernasset; tandem in die Assumptionis B. Mariæ Virginis anno
'Domini MCCCCXI. ab hac mundiali miseriâ subtractus, beato fine quie-
'vit in pace.

Johannes Woodnesbergh, Prior creatus est anno MCCCCXI. in die Ordi-
nationis S. Gregorii (viz. die III. Septembr.) Obiit anno MCCCCXXVII.
[exeunte] anno bissextili, penultimo die mensis Februarii circa horam terti-
am post mediam noctem. Sic Registrum MS. Ecclesiæ Cant. Obitum illius
non commemorat Obituarium Cant. nisi ista forsitan de eo intelligenda
sint. ***V. Idus Augusti obiit Johannes Wodynysborow Supprior, Decretorum Doctor.***

Willelmus

Willelmus Molash, in Priorem evectus anno MCCCCXXVIII. ultimo die Martii, quatuor dies ante Festum Paschæ; obiit anno MCCCCXXXVII. [exeunte] die XIX. Februarii, horâ noctis quasi decimâ. Ex Registro MS. Ecclesiæ Christi Cant. De illo Obituarium Cant. ista tantummodo habet: 'Die XI. Cal. Martii obiit fœlici memoriâ dignus Dominus Willelmus Moleche, hujus Ecclesiæ Prior, vir magnæ puritatis atque religionis, in divinis celebrandis honestus & devotus; qui hanc Ecclesiam cum grege sibi commisso X. ferme annis fœliciter gubernavit.

Johannes Sarisbury, Sacræ paginæ Professor, Prior factus est anno MCCCCXXXVII. [exeunte] die IX. Martii; tradente Registro MS. Ecclesiæ Christi Cant. Obiit XIV. Cal. Februar. juxta Obituarium Cant. cui suffragatur Epitaphium Sepulchrale apud Somnerum & Weaverum. Contigisse mors videtur circa exitum anni MCCCCXLV. vel introitum sequentis: successor enim post anni MCCCCXLVI. initia Prioratum sortitus est.

Johannes Elham electus videtur anno MCCCCXLVI. ineunte, die XVI. Martii. Obiit enim anno MCCCCXLVIII. [exeunte] die XX. Februarii inter horas quintam & sextam matutinam; postquam præfuisset annos II. menses XI. dies IV. ex fide Registri MS. Ecclesiæ Christi Cant. & Epitaphii sepulchralis apud Somnerum & Weaverum: quamvis istud annum MCCCCXL. pro MCCCCXLVIII. & Thomæ nomen loco Johannis male reposuerit. Paulò aliter Obituarium Cant. 'Die XI. Cal. Martii obiit piæ recordationis Dominus Johannes Elham Prior hujus Ecclesiæ, vir bonæ honestatis & religionis; qui hanc Ecclesiam rexit tribus fermè annis.

Thomas Goldston, promotus anno MCCCCXLIX. die XVI. Aprilis, obiit anno MCCCCLXVIII. die VI. Augusti inter horas matutinas septimam & octavam. Ita quidem Registrum MS. Ecclesiæ Christi Cant. Quinque diebus hunc calculum superat Obituarium Cant. quod Prioratum annis XIX. mensibus III. diebus XXV. ab illo administratum refert. Beneficia Ecclesiæ suæ præstita idem his verbis commemorat: 'Die VIII. Idus Augusti obiit recolendæ memoriæ Dominus Thomas Goldston, Prior hujus Ecclesiæ. Hic cùm esset vir omnibus honestissimis moribus præditus, in fratres quidem suos pius & benignus; in omnes verò homines adeò erat humanus, affabilis atque benevolus; ut & fratribus carus & jocundus, amicis & omnibus denique hominibus amabilis, tam vulgo quàm nobilibus haberetur. In temporalium verò administratione quantæ fuerit gravitatis & prudentiæ, etsi aliqua ex parte magnifica quædam ad honorem hujus Ecclesiæ ab eo constructa ædificia testantur, tamen id multò & pluribus & magnificentioribus ejus operibus declaratum fuisset, nisi incidisset in ea tempora calamitosa, quæ proventus Ecclesiæ in alios usus necessarios distraxerunt. In primis siquidem temporibus Prioratûs illius accidit famosa totius Cantiæ populi insurrectio; quæ huic Ecclesiæ gravissima damna tam in domesticis expensis quàm in Maneriorum nostrorum redditibus intulit. Successerunt deinde post aliquot annos bella civilia; in quibus cum magnâ gravitate & prudentiâ ita hanc Ecclesiam fœliciter gubernabat; ut eam in tantâ discordiâ Principum, quod fieri sine gravi sumptu non potuit, non modò conservaret illæsam, verùm etiam omnibus Principibus gratam atque dilectam exhiberet. Ad hæc acciderunt temporibus ejus immanes atque insolitæ aquarum inundationes in Maneriis hujus Ecclesiæ maritimis, & præcipue in Manerio de Apuldore; ubi ut terras illius Manerii à maris irruptione defenderet, plusquam mille & ducentas libras sumptuum fudit. His igitur atque aliis temporis sui calamitatibus etsi facultas illi negata est explendi desiderii sui; tamen quanta esset illi voluntas, ut hanc Ecclesiam ædificiis & cæteris ornamentis decoraret, quanta prudentia in rebus Ecclesiæ dispensandis, hæc ab eo egregie constructa ædificia declarant. Ædificavit enim in Boreali parte hujus Ecclesiæ Capellam

'in honorem beatæ Virginis Mariæ, in qua & sepultus est. Quam videlicet
'Capellam cum testudine lapideâ valde artificiosâ, coopertura & plumbo,
'fenestris vitreatis & aliis omnibus ad eum pertinentibus complevit. Atrii
'quoque ejusdem Capellæ parietes cum coopertura de plumbo absque te-
'studine construxit. Turrem quoque sive campanile in australi parte navis
'Ecclesiæ ad altitudinem porticûs Ecclesiæ supra pulchro artificio consummari
'fecit. Ædificavit etiam in civitate Cantuariæ prope portam cœmeterii unum
'ædificium ligneum plures mansiones continens, vocatum Anglicè *Le Bole.*
'Præter hæc in Collegio Cantuariæ Oxoniæ ad usum Studentium, quos mira
'benevolentia nutrivit & fovit, Librariam quandam satis amplam prius in-
'cœptam ædificari non sine magnis sumptibus ad perfectionem duxit. Dum
'his igitur multisque aliis præclare ab eo rebus gestis polleret; decimo nono
'anno Prioratûs sui circiter VI. [illegible]em Idus Martii gravi infirmitate correptus
'est. Qua cùm V. mensibus laboraffet, ea patientia & devotione quæ viam
'illius pudicam & religiosam decebat; tandem VIII. Idus Augusti cum mag-
'no mœrore suorum debitum universæ carnis absolvit; relicta Ecclesia, quam
'XIX. annos, menses III. dies XXV. fœliciter gubernaverat, ab omni onere
'æris alieni libera.

Johannes Oxne, Prior creatus est anno MCCCCLXVIII. die primo Sep-
tembris; obiit anno MCCCCLXXI. die II. Julii circiter horam decimam
noctis. Ex Registro MS. Ecclesiæ Christi Cant. Diem obitûs confirmat
Obituarium Cant.

Willelmus Petham, Prior factus est anno MCCCCLXXI. die XIII. Au-
gusti; obiit anno MCCCCLXXII. die XIX. Augusti, inter horas septimam
& octavam matutinas. Sic Registrum MS. Ecclesiæ Christi Cant. Die XIII.
Cal. Septembris obitum reponit Obituarium Cant.

Willelmus Sellyng, Prior electus anno MCCCCLXXII. die X. Septembris,
obiit anno MCCCCXCIV. die XXIX. Decembr. inter horas sextam & sep-
timam matutinas. Ista Registrum MS. Ecclesiæ Christi Cant. exhibet. An-
num atque diem obitûs confirmat Epitaphium Sepulchrale apud Somnerum
& Weaverum; quamvis anni Prioratûs ibidem assignati calculo superiori mi-
nùs conveniant. Willelmus enim annos XXII. menses V. dies XXIV. in-
ibi præfuisse dicitur. Neque magis sibi convenit Obituarium Cant. quod
obitum die II. Decembris anno MCCCCXCV. ponit; & regimini annos
XXII. menses III. dies XXV. tribuit. Magis eligendus videtur Registri
calculus. Certe Obituarium erraffe constabit; si tempora Successoris ab eo-
dem data conferantur. Merita Willelmi Obituarium Cant. sic enarrat. 'Obiit
'recolendæ memoriæ Dominus Willelmus Sellyng, quondam Prior hujus Ec-
'clesiæ, Sacræ Theologiæ meritissimus Professor atque præclarissimus. Vir
'siquidem tam divinarum quam sæcularium literarum peritia, Latina quoque
'& Græca lingua apprime institutus. Hic cum esset omni morum honestate
'singularique vitæ sanctimonia præditus; adeò sane in eo piæ religionis re-
'splenduit probitas; ut tam vulgus quàm nobiles eum Monastici Ordinis
'& decus splendidum & dignissimum exemplar imitandum asseruisse pro-
'bati sunt. In temporalium verò administratione quantæ fuerit diligentiæ
'atque prudentiæ, hæc ab eo egregie acta experte declarant. Enimvero
'præter plurimos sumptus, quos continuò circa Ecclesiæ coopertura ex
'plumbo fecerat; ædificavit turrim quandam cameræ Prioris vocatæ *La Glo-*
'*riet* contiguam. Quam quidem turrim modò Studium Prioris appellatam,
'opere lapideo à fundamentis erexit, erectamque interiùs decenter ornavit,
'ac cum coopertura de plumbo fenestrisque vitreatis plenè consummavit.
'Librariam etiam supra Capellam Prioris situatam perpulcrâ cœlaturâ ador-
'navit; quam etiam nonnullis libris instaurari fecit, ad usum maxime li-
'terarum studiis deditorum; quos miro studio & benevolentiâ nutrivit & fovit.

'Australem verò partem Claustri ad usum studiosorum Confratrum vitreari
'fecit; ac ibidem novos Textus, quos *Carolos* ex novo vocamus, perdecentes
'fecit. Murum etiam, qui ab Ecclesiâ S. Michaelis usque ad veterem mu-
'rum hortum Conventûs claudentem se protendit, construxit. In nonnullis
'etiam Maneriis nostris tam ad Prioris quàm ad Conventûs singulare sola-
'tium plurima ædificia vel ex novo construxit, vel vetera renovari adornari-
'que fecit. Videlicet in Manerio de Ykham non solùm cameram Prioris ma-
'gis delectabilem fecit; sed & Confratribus illuc causâ solatii confluentibus
'novum Dormitorium construxit. Itidem quoque fecit in Rectoriis tam
'apud Estry quàm apud Monkton. In Maneriis verò de Godmersham,
'Holyngborne & Orpynton; quod etiam fecit in Hospitio Prioris apud Suth-
'werke, mansiones Prioris longè delectabiliores reddidit. Præterea tam in-
'fra Monasterium quàm in Maneriis extra, ædes plurimas & novas construxit
'& dirutas reparavit. In quibusdam etiam dominiis nostris nonnullos red-
'ditus diu perditos suâ industriâ recuperavit. Manerium verò de Sesalter,
'ubi ex multo tempore tantummodo tenebatur ad firmam VI. librarum,
'XIII. solidorum, IV. denariorum, suâ summâ diligentiâ ad statum
'præsentem videlicet ultra valorem XX. librarum redegit. Apud Apul-
'dore etiam & Feyrfelde, cùm onus defensionis wallarum maritimarum antea
'soli Ecclesiæ nostræ imponi solebat, quod continuò sustinere esset revera
'Ecclesiæ nostræ intolerabile; ipse suâ sagacitate non sine magnis sumptibus
'procuravit, ut singuli qui sub periculo maris terras ibidem haberent, ad
'ejusmodi wallarum defensionem contribuerent. In administratione verò
'spiritualis Ecclesiæ nostræ jurisdictionis, Sede ipsa per mortem fœlicis me-
'moriæ Thomæ Bourchier Cardinalis vacante, quàm prudenter quàmque
'circumspecte se gerebat; declarant non tam ejus pietas in tuendâ Ecclesiæ
'libertate, quàm ejus & benignitas in fovendo bene beateque viventes, &
'severitas in corripiendo perditos moribus. Ab eodem quoque Domino Car-
'dinali sua industria fecit relinqui Ecclesiæ nostræ XXVII. cappas de rubio
'tessew, unâ cum casula & dalmaticis unius ejusque sectæ. Præterea cum
'ad Summum Pontificem per Regem Henricum hujus nominis Septimum
'gratia suæ obedientiæ præstandæ una cum cæteris Oratoribus missus esset;
'munus orationis dicendæ, quod summa cum laude peregit, ei delatum est.
'Alias item coram Rege Francorum ipse Ambassiator cum aliis destinatus
'elegantissimam egit orationem. Cum verò apud Curiam Romanam con-
'stitutus esset; ipse Ecclesiæ suæ adquisivit non solum diversa privilegia li-
'teris Apostolicis communiri; verum etiam perpetuas Indulgentias, tam pe-
'culiares Conventui, quas Stationarias vocamus, quàm cæteris fidelibus ge-
'nerales, in Festis anni diversis huc confluere volentibus, adeptus est. Dum
'his igitur multisque aliis præclarè ab eo rebus gestis polleret; in die Regres-
'sionis ab exilio S. Thomæ ea patientia & devotione, quæ vitam illius pudi-
'cam & religiosam decebat, magno cum mœrore suorum debitum universæ car-
'nis absolvit, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCV. relicta Ecclesia,
'quam XXII. annos, III. menses, dies XXV. ab omni onere æris alieni liberam
'fœliciter gubernavit.

Thomas Goldston, promotus videtur primo circiter die anni MCCCCXCV. Siquidem obiit anno MDXVII. die XVI. Septembris juxta Obituarium Cant. & Epitaphium Sepulchrale (apud Somnerum & Weaverum) postquam præfuisset annos XXII. menses VIII. dies XVI. ex Obituarii fide. Epitaphium quidem annos XXIV. habet præter menses VIII. dies XIV. Error autem facile patebit; si conferatur obitus Decessoris. Beneficia Ecclesiæ Cant. ab isto Priore præstita Obituarium Cantuariense uberius commemorat. 'Obiit percelebris memoriæ venerandus in Christo Pater & Dominus Do-
'minus Thomas Goldston, hujus Ecclesiæ Christi jam olim Prior dignissi-

† 'mus,

'mus, ac Sacræ Theologiæ Doctor insignis. Qui dum hic nobiscum hac
'luce mortalium potiretur in terris; & Deo & hominibus erat gratissimus,
'affabilis ac gratiosus. Deo quidem humilis & devotus; in omnes religio-
'sus, pius & benignus; ac præcipuè suum in gregem pastor extitit suavissi-
'mus. Ipsosque Christi gregis alumnos tanquam filios uterinos benigno
'ac paterno affectu indesinenter aluit, fovit, ipsosque divino amore sincerè
'dilexit. Præterea hujus regni Magnatibus, viz. Principibus ac Dominis
'cæterisque hujus regni Proceribus seipsum summè amabilem exhibuit atque
'jocundum. Qui etiam Ambassiatores sive Oratores ad Illustrissimum Re-
'gem nostrum Henricum VII. destinatos ex ipsius Domini Regis decreto
'ipsos Oratores honorifice ac humanissimè suscepit; ac etiam coram eis ora-
'tiones perpulchras ac satis elegantes diserte ac splendide peroravit. In no-
'stros verò cives Cantuarienses tanta benignitate ac ignis divini ardore ferve-
'bat; ut quosque quavis occasione discordiæ sive dissentionis sejunctos esse
'dinosceret, ipsos in pristinam concordiæ ac pacis unitatem gratiosè revo-
'caret ac firmiter consolidaret. Pauperes quoque ac debiles quantâlibet
'egestate oppressos sive gravatos continuo relevavit, ipsorumque miseriis piè
'compatiendo misericorditer subvenit. Cæterùm rebus in agendis humanis
'disponendisque summâ prudentiâ ac divinâ sapientiâ mirificè præditus, nunc
'cum Mariâ ad pedes Domini contemplando cœlestia sive æterna, nunc cum
'Marthâ sagaciter ac circumspectè administrando terrena sive temporalia, &
'Marthæ & Mariæ partes tanquam strenuus dispensator egregiè subiit ac mag-
'nificè supplevit. Qualiter igitur hic vir venerandus Prioratûs dignitatem
'adeptus, manus suas misit ad fortia; opera per ipsum egregie consummata
'satis declarant, ac manifestant. Primò igitur ad decorem domûs Dei,
'quam in vitâ suâ summe dilexerat, Turrim satis excelsam, *Angyll Stepyll*
'vulgariter nuncupatam, testudine pulcherrimâ concameratam ac opere de-
'centi arificiose undique sculptam ac deauratam, cum fenestris vitreatis satis
'amplis & ferramentis, ope & auxilio honorabilium virorum Reverendissimi
'in Christo Patris & Domini Johannis Morton Cardinalis, necnon & Domini
'Willelmi Sellyng Prioris, in medio Ecclesiæ, videlicet inter chorum & navem
'Ecclesiæ, egregie erexit ac magnifice consummavit. Duos etiam arcus sive
'fornices opere lapideo subtiliter incisos cum quatuor aliis minoribus ad su-
'stentationem dictæ Turris columnis eandem Turrim supportantibus satis
'industrie ac prudenter annexit. In choro etiam libros nonnullos ad Dei
'honorem & Ecclesiæ perpulcrâ literaturâ ac satis politâ exarari fecit. Mag-
'num videlicet Gradale; quod quidem aureis literis, floribus & armis de-
'centi picturâ inauratis pulcherrime ornavit. Missale quoque perpulchrum
'ad usum sacerdotum summæ Missæ inservientium, cum nonnullis aliis libris
'ad usum Fratrum Deo servientium, satis commode assignavit. Feretrum
'etiam sanctissimi Audoeni, in quo ejusdem Reliquiæ reverenter sunt re-
'conditæ, de opere ligneo decenter inciso ac deaurato fieri fecit. Nec illud
'silendum est; quòd ad omnem ambiguitatis scrupulum contra sanctissimi
'ac Divi patris nostri Dunstani reliquias penitus tollendum, autoritate Re-
'verendissimi Patris Domini Willelmi Warham tunc Archiepiscopi solenne
'scrutinium fieri fecit, præsente dicto Domino Archiepiscopo cum nonnullis
'aliis Venerabilibus viris Ecclesiasticis sibi in eodem Scrutinio honorabili-
'ter coassistentibus. In cujus rei argumentum portiunculam quandam calvæ
'venerandi capitis sanctissimi patroni nostri Dunstani Dominus Archiepisco-
'pus dicto Priori manu propria contradidit; ut eam reverenter in quadam
'massa argentea & honorifice reconderet. Quam quidem massam argenteam
'in formam capitis dictus Prior decenter ac satis artificiose fabricari fecit;
'in quo eandem portiunculam capitis satis honorifice ac reverenter fecit col-
'locari; ipsumque inter Reliquias Ecclesiæ, ut decuit, voluit conservari.

'Quod quidem ab omnibus caput S. Dunstani vulgariter nuncupatur. Ana-
'logium quoque sive Aquilam æneam propriis expensis procurari fecit.
'Tres etiam pannos pulcherrimos opere de Arysse subtiliter intextos, ortum
'Virginis cum vita & obitu ejusdem clare & splendide configurantes, in parte
'chori australi certis temporibus anni fecit appendi. Vestiarium quoque
'variis ac diversis ornamentis Ecclesiasticis, videlicet casulis, dalmaticis,
'tunicis, & cappis, diversi coloris ornando egregie instauravit. Duas præ-
'cipue cappas, &c. Capellam quoque Prioris diversis ornamentis, viz. casu-
'lis, curtinis ac tapetis, diversi coloris honeste decoravit: ac Oratorium dictæ Ca-
'pellæ annexum cum clausura ex parte septemtrionali Ecclesiæ contigua ad
'Missas in Ecclesia commode audiendas ad summam delectationem & com-
'moditatem suis successoribus reliquit. Ad decorem igitur domûs Dei ista
'à nobis recensita laudabiliter ac magnifice consummavit. Extra quoque
'Ecclesiam aquæductum subterraneum satis onerosum ex parte australi prope
'Ecclesiam ex lateribus & cæmento opere testudinario firmissime constructum
'ad pluviarum inundationes commode recipiendas satis prudenter ac provide
'construxit; quæ quidem pluviarum exuberantia totam Virginis Criptam
'cum cæteris Capellis adjacentibus ex defectu aquæductûs nonnunquam ope-
'ruerat; sicque aditum satis difficilem ad Virginem gloriosam causa devotionis
'visitandam omnibus illuc confluentibus omnino exhibuit. Qui quidem aquædu-
'ctus distenditur in longum à via quæ ducit ab hostio Ecclesiæ meridionali
'versus civitatem per cœmiterium Ecclesiæ prope fundamenta ejusdem usque
'ad cameram Supprioris, & à camera Supprioris per mansionem Domini
'Prioris usque ad caput tertii Dormitorii finaliter protenditur atque traduci-
'tur. Novum quoque ædificium vulgariter vocatum *New Lodgyng* juxta
'antiquam Priorum mansionem vocatum *Le Gloriet* satis pulchrum atque
'famosum cum cameris, cœnaculis, solariis ac cæteris appendiciis idem ædi-
'ficium concernentibus, cum porticu decenti versus curiam, ac cum omni
'apparatu ad ornatum dictæ mansionis pertinente, magnificè ac laudabiliter
'consummavit. Vasa quoque argentea ac deaurata ad mensam Prioris non
'pauca non modò antiqua renovavit, verum etiam quamplura de novo satis
'providè comparavit. In vestiario quoque Prioris vocato *Le Wardrop* non
'modò vetera ac vetusta reparavit, sed & de novo quamplura instauravit.
'Et extra Monasterium Londoniis in suburbio civitatis apud Suthworke
'mansionem Prioris, nonnulla in eâ ac diversa in melius ac commodius
'transponendo, satis ingeniosè ac honorificè renovavit; quæ quidem illuc
'adventantibus quàm summam confert delectationem. In Maneriis etiam
'ad Ecclesiam pertinentibus quamplura ædificia à fundamentis noviter
'erexit ac satis egregiè consummavit. Nam apud Chartham mansionem
'firmarii ac stabula Prioris cum clausurâ eorundem ex lateribus & cæmen-
'to satis commodè constructa. Et apud Bekysborne in Manerio voca-
'to Levyngsborne mansionem Prioris satis pulchram cum Capellâ an-
'nexâ in honorem Annuntiationis Dominicæ ac Patronorum Ecclesiæ cele-
'briter dedicatâ, ac novam Aulam Dormitorio Fratrum adjacentem, cum
'mansione firmarii ibidem cum omnibus aliis ad eandem mansionem perti-
'nentibus, ædificio super portam & duobus horreis solum exceptis. Et in
'Manerio etiam apud Moonction in Taneto duo horrea satis ampla cum
'aliis ædificiis ad idem Manerium spectantibus, præter mansionem Firmarii.
'Et apud Sesalter in Rectoriâ totum ædificium horreo excepto. Et in Ma-
'nerio apud Apuldoore hospitium Prioris cum duobus horreis, stabulis ac
'cæteris ad idem Manerium pertinentibus, negligentia Firmarii noviter ex-
'ustis. Et apud Feyrfylde prope Apuldoore, ubi antiquitus nulla habitatio
'erat, mansionem satis honestam de novo erexit; quam cum terris adjacen-
'tibus ad firmam dimisit. Et in Aghycourte novam aulam cum diversis

* 'cameris

'cameris annexis ad usum Firmarii ibidem. Et in Manerio de Ebney ca-
'meras satis honestas cum caminis ad eosdem pertinentibus, ad usum Fir-
'marii ibidem. Et ut paucis concludam; in omnibus aliis ferè Maneriis
'tam infra Comitatum Kanciæ quam extra ad Ecclesiam pertinentibus aut
'diruta honorifice renovavit, aut nova ædificia fundamentis erexit & egre-
'gie consummavit. Etiam præter hæc omnia ab ipso egregie consummata,
'in mariscis prope Apuldoore terras nonnullas salsuginosas, steriles ac satis
'amaras sua prudentia ac summa industria reddidit frugiferas ac satis dulces.
'Quæ quidem terræ tendunt ad summam DC. acrarum juxta fidelem com-
'putationem easdem acras juste commensurantium. Ac denique portam
'Ecclesiæ exteriorem versùs civitatem opere decenti ac plucherrime insculptam
'à fundamentis erexit. Sed necdum ad consummationem ejusdem Deo dis-
'ponente attingere valens, impensas tamen ad consummationem ejusdem
'sufficientes ejus successori prudenter ac satis provide reliquit. His igitur
'ac plurimis aliis ab eo egregie peractis ac fœliciter consummatis, tandem
'febre acerrima correptus, summa mansuetudine ac patientia inter horam
'septimam & octavam post auroram, die videlicet natalitii Virginis Eu-
'femiæ, cum ingenti tristitia suorum, spiritum omnipotenti Deo, à quo
'ipsum acceperat, cum multimodis bonorum operum fructibus devotissime
'commendavit: anno scilicet Verbi incarnati MDXVII. Qui postquam
'hanc Ecclesiam per XXII. annos, VIII. menses, II. ebdomadas, & II. dies
'optime gubernâsset; ipsam ob omni onere æris alieni liberam ac quietam
'summâ cum laude gloriose reliquit. Cujus animæ precibus Sanctorum
'mediantibus propitietur Altissimus.

Thomas Goldwell, in Prioratu successit; & annis circiter XXIII. dignitate potitus, extincto superfuit Cœnobio; quod in manus Henrici VIII. Regis assentiente Conventu resignavit anno Domini MDXL. Ejectis itaque Monachis, Rex eodem anno Ecclesiam Cant. nova fundatione instauravit; & eisdem fere possessionibus dotatam, Decani & Canonicorum Sæcularium ditioni postliminio subjecit.

FRAG-

Fragmentum de Institutione Archidiaconatûs Cantuariensis.

[Ex Bibliothecâ Cottonianâ, *Tiber*. C. 9.]

A Tempore B. Augustini primi Archiepiscopi Cantuariensis usque ad tempus bonæ memoriæ Lanfranci Archiepiscopi per CCCCLXII. annos nullus fuit Archidiaconus in civitate vel Diœcesi Cantuariensi. Sed à tempore B. Theodori Archiepiscopi, qui sextus erat à B. Augustino, usque ad tempus prædicti Lanfranci fuit in Ecclesia S. Martini suburbio Cantuariæ quidam Episcopus auctoritate Vitaliani Papæ à S. Theodoro ordinatus: Qui in tota civitate & Diœcesi Cantuariensi vices Archiepiscopi gerebat in Ordinibus celebrandis, Ecclesiis consecrandis & pueris confirmandis & aliis officiis Pontificalibus exequendis ipso absente. Idem etiam Episcopus omnimodam jurisdictionem in civitate & Diœcesi Cantuariensi sede plena auctoritate Archiepiscopi ipso absente, & Sede vacante in tota Provincia auctoritate Capituli exercebat per CCCXCIX. annos usque ad tempus prædicti Lanfranci.

Postmodum tempore prædicti Lanfranci Archiepiscopi prædictus Episcopus in fata decessit. Sed idem Archiepiscopus alium substituere non decrevit. Sed postmodum concessit cuidam Clerico suo nomine Valerio totam jurisdictionem in civitate Cantuariensi tantum, exceptis Ecclesiis de patronatu Archiepiscopi & causis matrimonialibus, de quibus se nihil intromittebat. Et incœpit idem Clericus tunc primò vocari Archidiaconus Cantuariensis. Contulit etiam eidem Clerico domicilium in Cantuaria extra Northgate juxta Monasterium S. Gregorii, in quo commune residebat usque ad tempus bonæ memoriæ Stephani Archiepiscopi per CLIX. annos.

Postmodum verò vacante Sede Cantuariensi per mortem dicti Lanfranci, Capitulum Cantuariense exercuit omnimodam jurisdictionem tam provincialem quam Diœcesanam, salva prædicto Archidiacono jurisdictione priùs sibi concessa. Postea verò vacante eadem Sede per mortem B. Anselmi, Radulphi, Willelmi, Theobaldi, B. Thomæ Martyris, Richardi, Baldwini, Huberti Archiepiscoporum, Capitulum Cantuariense omnimodam hujusmodi jurisdictionem exercebat. Durante verò vacatione post mortem prædicti Huberti Archiepiscopi, Dominus Papa Innocentius III. providit Ecclesiæ Cant. in Archiepiscopum M. Stephanum de Langetone tunc Sedis Apostolicæ Cardinalem; qui postea vacante Archidiaconatu Cant. per electionem M. Henrici de Sanford tunc Archidiaconi in Episcopum Roffensem, contulit Archidiaconatum Cant. M. Simoni de Langetoun fratri suo. Et quia dictus Archidiaconatus exilis erat in possessionibus; concessit eidem Simoni totam jurisdictionem Diœcesanam in Decanatibus ruralibus, exceptis causis matrimonialibus & Ecclesiis quæ sunt in Maneriis Archiepiscopatûs & Monachorum, de quibus se nihil intromittebat.

Postmodum verò vacante Sede Cant. per mortem prædicti Archiepiscopi & Ricardi immediati successoris sui, Capitulum Cantuariense omnimodam jurisdictionem, ut supra, exercebat, per M. Willelmum Curteys Officialem suum, salvâ prædicto Magistro Archidiacono jurisdictione prius sibi concessâ. Subsequenter verò vacante Sede Cantuariensi per mortem B. Eadmundi Archiepiscopi, viz. anno Domini MCCXL. Capitulum Cant. omnimodam jurisdictio-

dictionem tam Provincialem quàm Diœcesanam, ut supra, exercuit per M. Petrum dictum Lumbard officialem suum. Quem prædictus Simon Archidiaconus nitebatur postea impedire, vendicans omnimodam jurisdictionem tam Provincialem quàm Diœcesanam ad ipsum pertinere ratione Archidiaconatûs sui prædicti. Tandem multis hinc inde altercationibus habitis, omnes contentiones & calumniæ inter Capitulum & prædictum Simonem motæ per personalem compositionem amicabiliter conquieverunt; sicut clariùs liquet per tenorem ejusdem Compositionis.

Postmodum verò vacante Sede per mortem bonæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi, Capitulum Cant. omnimodam jurisdictionem Provincialem & Diœcesanam, ut supra, exercebat per Fr. Galfridum de Romenal Officialem suum. Postea verò M. Hugo de Mortuo mari tunc Archidiaconus Cant. ratione talis qualis possessionis Simonis prædecessoris sui vendicabat hujusmodi jurisdictionem ad ipsum & ad Archidiaconatum pertinere. Tandem inter Capitulum & prædictum Hugonem personalis compositio intervenit, ad vitam ipsius Hugonis tantummodo duratura; prout patet per tenorem ejusdem.

Postmodum vacante Sede Cant. per translationem Domini Roberti de Kylewardeby Archiepiscopi in Episcopum Portuensem, Capitulum Cant. omnimodam hujusmodi jurisdictionem, ut supra, exercuit per M. Richardum de Stratford Officialem suum. Sed postea M. Robertus de Gernemutha Archidiaconus Cant. occasione talis qualis concessionis & commissionis factæ ad tempus prædictis Simoni & Hugoni prædecessoribus suis vendicabat omnimodam hujusmodi jurisdictionem ad ipsum & ad Archidiaconatum suum pertinere, & super hoc Sedem Apostolicam appellavit; & prædictum Capitulum Cant. in curiâ Romana traxit in causam; ut patet per processum inde habitum. Sed pendente causâ in Curiâ, prædictus Robertus diem ibi clausit extremum.

Postmodum verò vacante Sede Cant. per mortem bonæ memoriæ Johannis Archiepiscopi, Capitulum omnimodam hujusmodi jurisdictionem, ut supra, exercuit per M. Johannem de Melveston Officialem suum. Sed M. Ricardus de Feringes tunc Archidiaconus Cant. litem sopitam per mortem prædicti Roberti prædecessoris sui in Curiâ Romanâ resuscitavit, & usque ad examinationem testium est prosecutus. Et dati sunt Judices de consensu partium ad examinandos testes, viz. M. R. de Rowelle Archidiaconus Bedefordiæ, M. Philippus de Bardtone, & M. Johannes de Excestre, qui Bullam [a] remissionis ... receperunt.

[a] l. commissionis.

'Bonifacius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis M. Rogero de 'Rowelle Archidiacono Bedefordiæ & Johanni dicto Derewyne Exonien-'sis & Philippo de Barthona Lichefeldensis Canonicis Ecclesiarum salutem, &c. 'Orta dudum inter quondam Robertum Archidiaconum Ecclesiæ Cant. ex 'parte unâ & Priorem & Capitulum ejusdem Ecclesiæ ex alterâ super hoc quòd 'utraque partium prædictarum jurisdictionem Archiepiscopalem Sede Cant. 'vacante ad se spectare dicebat, &c.

CHRONICON COENOBII

Sanctæ Crucis EDINBURGENSIS.

[De quo in superioribus Dissertationibus crebra fit mentio.]

*AUthor ab ingressu Julii Cæsaris in Britanniam exordium ducens, justam Bedæ Epitomen usque ad annum DCCXXXIV. contexuit, appositis plerunque rerum *gestarum* temporibus, quæ apud Bedam desiderantur. Quæ Augustini adventum præcedunt, & minus ad rem nostram faciunt, & Bedæ nil adjiciunt. Illa itaque missa feci.*

ANNO ab Incarnatione Domini DXCVI. Gregorius Papa, divino ammonitus instinctu, anno decimo quarto præfati Principis, adventûs verò Anglorum in Britanniam anno circiter centesimo quinquagesimo, misit servum Dei Augustinum & alios plures cum eo Monachos timentes Deum, prædicare verbum Dei genti Anglorum.

Anno DXCVII. venerunt Britanniam præfati Doctores, qui fuit annus CL. adventûs Anglorum in Britanniam.

Anno DCI. misit Papa Gregorius pallium Britanniam Augustino jam facto Episcopo, & plures verbi ministros, in quibus primi & præcipui erant Mellitus, Justus, Paulinus, Rufinianus.

Anno DCIII. Edan Rex Scottorum, qui Britanniam inhabitant, venit contra Ælfridum Northanhimbrorum [Regem] cum immenso ac forti exercitu; sed cum paucis victus aufugit. Siquidem in loco celeberrimo, qui dicitur Dexastan, id est, Dexa lapis, omnis penè ejus est cæsus exercitus. Quod videlicet bellum Ælfridus anno XI. Regni sui perfecit, porrò anno Phocatis qui tunc Romani Regni apicem tenebat primo. Regnavit autem præfatus Ælfridus Rex XXIV. annis.

Anno DCIV. Orientales Saxones fidem Christi percipiunt, sub Rege Sigeberto, antistite Mellito. Ordinavit Sanctus Augustinus duos Episcopos Mellitum & Justum, Mellitum ad prædicandum Provinciæ Orientalium Saxonum, quorum Metropolis Lundonia civitas est; Justum verò in ipsâ Cantia ordinavit in civitate quæ Rovecestria cognominatur. Eodem tempore defunctus est Deo dilectus pater Augustinus septimo Kalendarum Junii, Ethelberto Rege regnante. Successit Augustino in Episcopatu Laurentius, quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam pastore destitutus vacillare inciperet.

Anno DCXVI. qui est annus XXI. ex quo Augustinus cum sociis ad prædicandum genti Anglorum missus est, Æthelbertus Rex Cantuariorum post Regnum temporale, quod quinquaginta & tribus annis gloriosissime tenuerat, æterna cœlestis Regni gaudia subiit. Qui tertius quidem in Regibus gentis Anglorum cunctis Australibus eorum Provinciis, quæ Humbre fluvio & contiguis ei terminis sequestrantur à Borealibus, imperabat; sed primus omnium Cœli Regna conscendit. Nam primus Imperium hujusmodi Ælle Rex Hubrensium Saxonum, Secundus Cœlin Rex Occidentalium Saxonum qui lingua ipsorum Ceaulin vocabatur, Tertius ut diximus Æthelbertus Rex Cantuariorum, Tuartus Redwald Rex Orientalium Anglorum, qui etiam vivente Æthelberto eidem suæ genti ducatum præbebat, obtinuit. Quintus

* Eadwinus

Eadwinus Rex Norhanhimbrorum gentis, id est, ejus quæ ad borealem Humbræ fluminis plagam, majore potentia cunctis qui Britanniam incolunt Anglorum pariter ac Britonum populis præfuit, præter Cantuarios tantum; necnon & Mevanias Britonum Insulas, quæ inter Hyberniam & Britanniam sitæ sunt, Anglorum subjecit imperio. Sextus Oswaldus & ipse Norhanhimbrorum Rex Christianissimus iisdem finibus Regnum tenuit. Septimus Oswinus frater ejus è quolibet pene termino Regnum nonnullo tempore cohercens, Pictorum quoque ac Scottorum gentes, quæ septentrionales Britanniæ fines tenent, maximâ ex parte perdomuit ac tributarias fecit. Defunctus verò est Rex Æthelbertus die vicesimo quarto mensis Februarii, post viginti & unum annos acceptæ fidei? atque in porticu Sancti Martini intra Ecclesiam Beatorum Apostolorum Petri & Pauli sepultus, ubi & Berte Regina condita est. Erat autem idem Æthelbertus filius Irminrici, cujus pater Oeric cognomento Oyse, cujus pater Hengist, qui cum filio suo Oyse invitatus à Vortigerno, Britanniam primus intravit. At verò post mortem Æthelberti, filius ejus Edbald Regni gubernacula suscepit.

Anno DCXX. beatus Episcopus Laurentius Regnum cœleste conscendit, atque in Ecclesiâ Sancti Apostoli Petri juxta prædecessorem suum Augustinum sepultus est die quarto Nonarum Februariarum: post quem Mellitus, qui erat Londoniæ Episcopus, sedem Dorovernensis Ecclesiæ tertius ab Augustino suscepit. Justus autem adhuc superstes Rofensem regebat Ecclesiam.

Anno DCXXIV. Mellitus Archiepiscopus, postquam annis quinque rexit Ecclesiam, Eadbaldo regnante migravit ad cœlos, sepultusque est cum patribus suis in sæpe dicto Monasterio & Ecclesia beatissimi Apostolorum Principis die VIII. Kalendarum Maiarum. Cui statim successit in Pontificatu Justus qui erat Rofensis Ecclesiæ præsul. Illi autem Ecclesiæ Romanum consecravit Episcopum datâ sibi auctoritate ordinandi Episcopos à Pontifice Bonifacio.

Anno DCXXV. Paulinus à Justo Archiepiscopo ordinatur genti Northanhimbrorum antistes sub die XII. Kalendarum Augustarum.

Anno DCXXVI. Eanfled filia Eadwini Regis baptizata est cum duodecim aliis de familia ejus in Sabbato Pentecostes.

Anno DCXXVII. accepit Rex Edwinus cum cunctis gentis suæ Nobilibus ac plebe perplurima fidem & lavacrum sanctæ regenerationis, anno Regni sui undecimo, ab adventu Anglorum in Britanniam annus circiter centesimus octogesimus. Baptizatus est autem Eboraci die sancto Paschæ pridie Idus Aprilis, & in Ecclesia Sancti Petri Apostoli; & quam ibidem ipse de ligno ubi catechizaretur atque ad percipiendum baptisma imbueretur, citato opere construxit; in qua etiam civitate ipsi doctori atque antistiti suo Paulino sedem Episcopatûs donavit.

Anno DCXXXIII. Eadwinus cum XVII. annis genti Anglorum simul & Britonum gloriosissime præesset, è quibus sex etiam annis ipse Christi Regno militavit: rebellavit adversus eum Cedwalla Rex Britonum, auxilium præbente illi Pendâ viro strenuissimo de Regio genere Merciorum, qui & ipse ex eo tempore gentis ejusdem Regno annis viginti duobus variâ sorte præfuit; & conserto gravi prælio in campo, qui vocatur Hatfeld, occisus est Edwinus die IV. Iduum Octobrium, cum esset annorum XLVIII. ejusque totus vel interemptus est vel dispersus exercitus. In quo etiam bello ante illum unus filius ejus Osfridus juvenis bellicosus cecidit. Alter Eadfridus necessitate cogente ad Pendam Regem transfugit; & ab eo postmodum regnante Oswaldo contra fidem jurisjurandi peremptus est. Eadwino itaque Rege perempto, Paulinus Cantiam rediit.

Anno DCXXXIV. Justus Archiepiscopus ad cœlestia Regna sullatus est quarto Iduum Novembrium die; & Honorius pro illo est in Præsulatu electus. Qui ordinandus venit ad Paulinum; & occurrente sibi illo in Lindocolino, quintus ab Augustino Dorvernensis Ecclesiæ consecratus est Antistes. Cui etiam Papa Honorius misit pallium & litteras, in quibus decernit hoc ipsum quod in Epistola ad Eadwinum Regem missa decreverat; ut cùm Dovernensis Antistes de hac vitâ transierit, hic qui superest consors ejusdem gradûs, habeat potestatem alterum ordinandi in loco ejus qui transierat Sacerdotem; nec sit necesse ad Romam usque civitatem per tam prolixa terrarum & maris spatia pro ordinando Archiepiscopo semper fatigari.

Anno DCXL. Eadbaldus Rex Cantuariorum transiens ex hac vitâ Erconberto filio Regni gubernacula reliquit; quæ ille suceptâ viginti quatuor annis & aliquot mensibus nobilissimè tenuit. Hic primus Regum Anglorum in toto Regno suo idola relinqùi ac destrui, simul & jejunium quadraginta dierum observari, principali auctoritate præcepit; quæ ne facile à quopiam possit contemni, in transgressores dignas & competentes punitiones proposuit. Cujus filia Eorcangote, ut condigna parenti soboles, magnarum fuit virgo virtutum, serviens Domino in Monasterio, quod in regione Francorum constructum est ab Abbatissâ nobilissimâ vocabulo Sarâ, in loco qui dicitur Inbrigge. Nam eo tempore nec dum multis in regione Anglorum Monasteriis constructis, multi de Britanniâ Monachicæ conversationis gratiâ Francorum vel Galliarum Monasteria adire solebant; sed & filias suas eisdem erudiendas ac sponso cœlesti copulandas mittebant, maxime in Brige & in Cale & in Andilegum Monasterio.

Anno DCXLII. occisus est Oswaldus Christianissimus Rex Norhambrorum, commisso gravi prælio à Paganâ gente Paganoque Rege Merciorum Pendâ, à quo & prædecessor ejus Edwinus peremptus fuerat, in loco qui linguâ Anglorum nuncupatur *Maserfeld*, anno ætatis suæ trigesimo quinto, in die quinto Mensis Augusti. Suscepit Regni terrestris sedem pro eo frater ejus Oswinus, juvenis triginta circiter Annorum; & per annos XXVIII. laboriosissime tenuit.

Anno DCXLIV. Revérendissimus Pater Paulinus, quondam quidem Eboracensis, sed tunc Rofensis Episcopus civitatis, transivit ad Dominum sexto Iduum Octobrium die. Qui novendecim annis, mensibus duobus, diebus viginti & uno Episcopatum tenuit: sepultusque est in secretario Beati Andreæ Apostoli. In cujus locum Honorius Archiepiscopus ordinavit Ytamar, oriundum quidem de gente Cantuariorum, sed vitâ & eruditione antecessoribus suis æquandum.

Anno DCLI. occisus est Oswinus Rex decimo tertio Kalendarum Septembrium die, anno Regni ejus nono, in loco qui dicitur Ingetlingum. Sed & Antistes Aidanus non plus quàm duodecim post occisionem Regis, quem amabat, dies, id est, pridie Kalendarum Septembris de sæculo sullatus, perpetua laborum suorum à Domino præmia recepit.

Anno DCLIII. Honorius Archiepiscopus, postquam metas sui cursûs implevit, ex hac luce migravit pridie Kalendarum Octobrium die. Et cessante Episcopatu per annum & sex menses, electus est Archiepiscopus cathedræ Dovernensis sextus Deusdedit de gente Occidentalium Saxonum. Quem ordinaturus venit illuc Ytamar Antistes Ecclesiæ Rofensis. Ordinatus est autem die septimo Kalendarum Aprilis; & rexit Ecclesiam annis novem & mensibus quatuor & duobus diebus. Et ipso defuncto Ytamar, consecravit pro eo Damianum; qui de genere Australium Saxonum erat oriundus. Midelangli, id est, Mediterranei Angli, sub Principe Peadâ filio Pendan Regis fidem & sacramenta veritatis perceperunt.

Anno DCLV. Penda periit; & Mercii facti sunt Christiani.

Anno DCLIX. Wlfhere filius Pendæ sullevatus est in Regnum Merciorum, regnavitque XVII. annis.

Anno DCLXIV. ab Incarnatione Domini facta est eclipsis solis die tertio Mensis Maii, horâ circiter decimâ diei. Quo etiam anno subita pestilentiæ lues depopulans primo [in] australibus Britanniæ plagis, Northanhimbrorum quoque Provinciam corripiens, atque acerbâ clade diutius longè lateque desæviens, magnam hominum multitudinem stravit. Hæc plaga Hiberniam quoque Insulam pari clade premebat. Deusdedit Sextus Dorvernensis Ecclesiæ Episcopus obiit pridie Iduum Juliarum: Sed & Erchonbertus Rex Cantuariorum eodem mense ac die defunctus, Etberto filio ejus sedem Regni reliquit; quam ille susceptam per XIX. annos tenuit. Colman cum Scottis ad suos reversus est; & Cedda & Wilfridus Northanhimbrorum ordinantur Episcopi. Cessante Episcopatu Dorovernensis Ecclesiæ non pauco tempore.

Anno DCLXVIII. Theodorus Monachus, natus Tarso Ciliciæ, vir & sæcularis & divinæ literaturæ, & Græcè & Latinè instructus, probis moribus & ætate venerandus, id est annos habens ætatis [a] XLVI. ordinatus est Dorvernensis Episcopus à Vitaliano Papâ sub die septimo Calend. Aprilium Dominicâ, & ita unà cum sociis sexto Idus Junii missus est. Pervenit autem Theodorus ad Ecclesiam suam secundo postquam consecratus est anno, sub die sexto Kalendarum Juniarum Dominicâ, & sedit in eâ annos viginti & unum, menses tres, dies viginti & sex.

[a] l. LXVI.

Anno DCLXX. qui est secundus annus ex quo Britanniam venit Theodorus, Oswinus Rex Northanhimbrorum pressus est infirmitate, qua & mortuus est anno ætatis suæ quinquagesimo octavo. Qui in tantum eo tempore tenebatur amore Romanæ & Apostolicæ institutionis; ut si ab infirmitate salvaretur etiam Romam venire, ibique ad loca sancta vitam finire disponeret; Wilfridumque Episcopum ducem sibi itineris fieri promissâ non parvâ pecuniarum donatione rogaret. Qui defunctus die quinto Kalendarum Martiarum, Egfridum filium Regni hæredem reliquit.

Anno DCLXXIII. Egbertus Rex Cantuariorum obiit mense Julio: successitq; in Regnum frater ejus Lothere; quod ipse annos undecim & menses septem tenuit. Et Synodus facta est ad Hereford die 24. mensis Septembris, præsente Egfrido Rege, præsidente Archiepiscopo Theodoro.

Anno DCLXXV. Wolfhere Merciorum Rex postquam XVII. annos regnaverat, defunctus est, Ethilredo fratri suo relinquens Imperium.

Anno DCLXXVI. Ethelredus Rex Merciorum adducto maligno exercitu Cantiam vastavit; & Ecclesias & Monasteria sine respectu divini timoris fœdavit. Eodem annò Insulam Farne vir Domini Cuthbertus [intravit] & per undecim annos mirâ animi alacritate Domino militabat.

Anno DCLXXVIII. Qui est annus Imperii Egfridi octavus, apparuit mense Augusto stella quæ dicitur cometa; & tribus mensibus permanens, matutinis horis oriebatur, excelsam radiantis flammæ quasi columnam præferens. Quo etiam anno ortâ inter ipsum Regem Egfridum & reverentissimum Antistitem Wilfridum dissensione, pulsus est idem Antistes à sui sede Episcopatûs, & pro eo Bosa, Eatha & Eaded ordinati sunt Antistites à Theodoro Archiepiscopo.

Anno DCLXXIX. Anno Regni Egfridi nono, conserto gravi prælio inter ipsum & Ethelredum Regem Merciorum juxta fluvium Trente, occisus est Elwinus frater Regis Egfridi, juvenis circiter octodecim annorum, utrique Provinciæ multùm amabilis. Nam & sororem ejus, quæ dicebatur Ostridh, Rex Eailredus habebat uxorem. Cùm materies belli acrioris & inimicitiæ inter Reges populosque feroces videretur exorta; Theodorus Deo dilectus Antistes

divino functus auxilio salutifera exhortatione cœptum tanti periculi funditus extinguit incendium: adeo ut placatis alterutrûm Regibus ac populis, nullius anima hominis pro interfecto Regis fratre, sed debita tantummodò multa pecuniæ Regi ultori daretur. Cujus fœdera pacis multo exinde tempore inter eosdem Reges eorumque Regna duraverunt.

Anno DCLXXX. Synodus facta est in campo Hetfeld de fide catholicâ, præsidente Archiepiscopo Theodoro; in qua affuit Johannes Abbas Romanus, facta est Synodus sub die XV. Kalendarum Octobris, anno X. Egfridi Regis Humbronensium, Etilredi Regis Mercinensium VI. & Aldulfi Regis Est-Anglorum XVII. & Lotarii Regis Cantuariorum VII. anno Regni ejus. Quo etiam anno religiosa Christi famula Hilda Abbatissa Monasterii, quod dicitur Streneshalch, post multa quæ fecit in terris opera cœlestia, ad percipienda præmia vitæ cœlestis de terris ablata transit die XV. Kalendarum Decembrium, cùm esset annorum LXVI. quibus æquâ partitione divisis, XXXIII. primos in sæculari habitu nobilissimè conversata complevit; & totidem sequentes nobilius in Monachicâ vitâ Domino consecravit. Nobilis etiam natu erat, hoc est, filia Nepotis Edwini Regis vocabulo Hereric.

Anno DCLXXXIV. Egfridus Rex Northanhimbrorum misso Hiberniam exercitu cum Duce Berchto, vastavit miserè gentem innoxiam, & nationi Anglorum semper amicissimam; ita ut ne Ecclesiis quidem aut Monasteriis manus parceret hostilis.

Anno DCLXXXV. Egfridus Rex cum temere exercitum duxisset ad vastandam Pictorum Provinciam, multis prohibentibus amicis, & maxime beatæ memoriæ Cuthberto, qui nuper fuerat ordinatus Episcopus, introductus est simulantibus fugam hostibus in angustias inaccessorum montium; & cum magnâ parte copiarum, quas secum adduxerat, extinctus est, anno ætatis suæ XL. Regni autem XV. die XIII. Kalendarum Juniarum. Successit autem Egfrido in Regnum Alfridus, vir in scripturis doctissimus; qui frater ejus & filius Oswini Regis esse dicebatur; destructumque Regni [a] statutum, quamvis intra fines angustiores nobiliter recuperavit. Quo videlicet anno Loterius Cantuariorum Rex, cùm post Egbertum fratrem suum, qui novem annis regnaverat, ipse duodecim annis regnâsset, mortuus est octavo Iduum Februarii. Vulneratus namque est in pugnâ Australium Saxonum, quos contra eum Edricus filius Egberti aggregaverat; & inter medendum defunctus: ac post eum idem Edricus anno uno ac dimidio regnavit. Quo defuncto, Regnum aliquot temporis spatium Reges dubii vel externi disperdiderunt; donec legitimus Rex Wichtredus, id est, filius Egberti, confortatus in Regno, religione simul & industriâ gentem suam ab extraneâ invasione liberaret. Ipso etiam anno, quo finem vitæ accepit Rex Egfridus, Episcopum fecerat ordinari Lindisfarnensium Ecclesiæ, virum sanctum & venerabilem Cuthbertum. Ordinatus est autem Eboracæ à Theodoro Dorobernensi Archiepiscopo VII. Kalendarum Aprilis, ipso die Paschæ, convenientibus ad consecrationem ejus septem Episcopis, præsente præfato Rege Egfrido, quinto decimo anno Regni ejus.

[a] l. statum.

Anno DCLXXXVII. Wilfridus à sede repulsus ab Egfrido Rege, post longum exilium in Episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ est receptus. Sanctus itaque Cuthbertus sciens in spiritu appropinquare diem sui transitûs, repetiit Insulam mansionemque suam. Primâ igitur Ebdomadâ Quadragesimæ feria quarta cœpit ægrotare; & rursus quarta feria post mediam Quadragesimam tribus continuis Ebdomadibus in infirmitate decoctus, instante nocturnæ orationis tempore, perceptis sacramentis salutaribus, decimo tertio Kalendarum Aprilis migravit ad Dominum, luna prima anno Episcopatûs sui III. anachoreseos XII. Monachatûs sui XXXIV. ex quo autem Rex Oswaldus & Aidanus Episcopus Pontificalem sedem in Lindisfarnea Insula instituerunt

erunt LIV. corpus illius ad Beati Petri Apostoli Ecclesiam, quæ in eadem insulâ est sita, delatum est; ibique ad dexteram Altaris petrino in sarcofago repositum.

Anno DCLXXXVIII. anno autem Regni Alfridi tertio, Cadwalla Rex Occidentalium Saxonum, cum genti suæ duobus annis strenuissimè præesset, relicto Imperio propter Dominum Regnumque perpetuum venit Romam; hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipsci, ut ad limina Beatorum Apostolorum fonte baptismatis ablueretur, in quo solo didicerat generi humano patere vitæ cœlestis introitum; simul etiam sperans quia mox baptizatus carne solutus ad æterna gaudia jam mundus transiret; quod utrumque ut mente disposuerat, Domino juvante completum est. Etenim illò perveniens, Pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto sabbati Paschalis; & in albis adhuc positus, languore correptus, XII. Kalendarum Maiarum die solutus à carne, & beatorum est Regno sociatus in cœlis: Qui vixit annos triginta imperante Domino Justiniano Augusto, anno consulatûs ejus quarto. Successit in Regnum Yna de stirpe Regiâ; tenuitque Imperium XXXVII. annis.

Anno DCXC. Theodorus beatæ memoriæ Archiepiscopus senex & plenus dierum, id est, annorum LXXXVIII. defunctus est; quem se numerum annorum fuisse habiturum jamdudum somni revelatione edoctus suis prædicare solebat. Mansit autem in Episcopatu annis XXII. sepultusque in Ecclesiâ Sancti Petri, in qua omnium Episcoporum Dorobernensium sunt corpora deposita. De quo una cum consortibus ejusdem sui gradûs recte ac veraciter dici potest; quod [b] *corpora eorum in pace sepulta sunt; & nomen eorum vivet in generationes & generationes.* Ut enim dicam; tantum profectûs spiritualis tempore præsulatûs illius Anglorum Ecclesiæ, quantum nunquam antea potuere, ceperunt.

[b] Eccl. XLIV. 13.

Anno DCXCII. successit Theodoro in Episcopatum Berchtwald; qui erat Abbas in Monasterio, quod juxta hostium aquilonale fluminis Genlade positum Racwlfus nuncupatur; vir & ipse scientiâ Scripturarum imbutus, sed & Ecclesiasticis simul ac Monasterialibus disciplinis summe instructus, tametsi prædecessori suo minime comparandus. Qui electus est quidem in Episcopatum die primo mensis Julii, regnantibus in Cantia Wichtredo & Suefhardo. Ordinatus est autem anno sequente tertio die Kalendarum Juliarum dominicâ à Godwino Metropolitano Episcopo Galliarum; & sedit in sede suâ secundo Kalendarum Septembrium die dominicâ. Qui inter multos, quos ordinavit Antistites, etiam Gesmundo Rofensis Ecclesiæ Præsule defuncto, Tobiam pro illo consecravit, virum Latina lingua & Græca & Saxonica atque eruditione multipliciter instructum. Wilfridus ab Alfrido Rege iterum expulsus est, & tredecim annis exulabat; & primò Romam adiit, & inde rediit, & in Mediterraneorum Anglorum regione morabatur; multaque diu loca pervagatus, Romam adiit, Britanniam rediit, divertens ad Australium Saxonum [partes qui] pagano adhuc [c] culturæ dediti [sunt.] ibi in illa patria per quinque annos docebat evangelium.

[c] l. cultui.

Anno DCCIII. Æthelredus, postquam XXX. annis Merciorum genti præfuit, Monachus factus, Coenredo Regnum dedit.

Anno DCCV. Alfridus Rex Norhanhimbrorum defunctus est, anno Regni sui vigesimo necdum impleto, cui succedens in Imperium filius suus Osred, puer octo circiter annorum, regnavit annis XI. & Wilfridus Episcopus in suam receptus est sedem; & IV. annis, id est, usque ad diem obitûs sui vitam duxit in pace. Sicque eximius virtute venerabilis victor conscendit alti thronum anno XLV. accepti Episcopatus; corpusque ejus perlatum est in Monasterium ipsius, quod dicitur Ripun; & juxta honorem tanto Pontifici congruum in Ecclesia Beati Apostoli Petri sepultum.

Anno

Anno DCCVIII. Imperii autem Regis Osredi quarto, Coenred qui Regno Merciorum nobilissime tempore aliquanto præfuerat, nobilius multò Regni sceptra reliquit. Nam venit Romam, ibidem attonsus, Pontificatum habente Constantino; ac Monachus factus, ad limina Apostolorum in precibus, jejuniis & elemosynis usque ad diem permansit ultimum. Succedente Coelredo filio Æthelredi in Regnum; qui ante ipsum Coenredum idem Regnum tenebat.

Anno DCCXI. Bertsrihtus præfectus cum Pictis pugnavit.

Anno DCCXVI. Osred Rex Norhanhimbrorum interfectus est & Coenred successit; & Rex Merciorum Ceolred defunctus est; & vir Domini Egbertus Hienenses Monachos ad catholicum Pasce & Ecclesiasticam correxit tonsuram.

Anno DCCXXV. qui erat annus septimus Osrici Regis qui Coenredo successerat, Wihtredus filius Egberti Rex Cantuariorum defunctus est IX. die Kalendarum Maiarum; & Regni, quod per triginta quatuor semis annos tenebat, filios tres Ælbertum, Eadbertum & Alfricum reliquit hæredes. Anno quoque proximo Tobias Rofensis Ecclesiæ Præsul defunctus est, vir, ut supra meminimus, doctissimus. Erat enim discipulus beatæ memoriæ magistrorum Theodori Archiepiscopi & Abbatis Adriani; unde, ut dictum est, cum eruditione literarum vel Ecclesiasticarum vel generalium ita Græcam quoque cum Latinâ didicit linguam; ut tam notas ac familiares sibi eas quàm nativitatis suæ haberet loquelam. Sepultus verò est in porticu Sancti Pauli Apostoli, quam intra Ecclesiam Sancti Andreæ sibi ipse in locum sepulturæ fecerat. Post quod Episcopatûs officium Aldulfus Berhtwaldo Archiepiscopo consecrante suscepit.

Anno DCCXXIX. apparuerunt Cometæ duæ circa solem, multum intuentibus terrorem incutientes. Una quippe solem præcedebat manè orientem; altera vespere sequebatur occidentem; quasi orienti simul & occidenti diræ cladis præsagæ. Vel certe una diei, altera noctis præcurrebat exortum; ut utroque tempore mala mortalibus imminere signarent. Portabant autem faciem ignis contra Aquilonem; quasi ad accendendum Arcturum. Apparebant mense Januario; & duobus fermè septimanis permanebant. Quo tempore gravissima Saracenorum lues Gallias miserâ cæde vastabat; & ipsi non multò pòst in eâdem Provinciâ dignas suæ perfidiæ pœnas luebant. Quo anno vir Domini Egbertus ipso die Paschæ, octavo Kalendarum Maii, migravit ad Dominum; & mox peracto Pascha, hoc est, septimo Idus Maii Osricus Rex Norhanhimbrorum vitâ decessit; cùm ipse Regni, quod XI. annis gubernabat, successorem pro eo Ceonulfum decrevisset, fratrem illius qui ante se regnaverat Coenredi Regis. Cujus Regni & principia & processus tot ac tantis redundavere rerum adversantium motibus; ut quid de his scribi debeat, quemve habitura sunt singula finem, necdum scire valeat.

Anno DCCXXXI. Berhtwaldus Archiepiscopus longâ consumptus ætate, defunctus est die quinto Iduum Januariarum; qui sedem annis XXXVII. mensibus VI. diebus XIV. gubernabat. Pro quo anno eodem factus est Archiepiscopus vocabulo Tatwinus, de Provincia Merciorum. Consecratus est autem in Dorvernensi civitate à viris venerabilibus Daniele Wentano & Igwaldo Lundoniensi & Aldulfo Rofensi Antistitibus die X. Junii mensis Dominica: vir religione & prudentiâ insignis, sacris quoque litteris nobiliter instructus; anno adventûs Anglorum in Angliam circiter CCLXXXV.

Anno [a] DCCXXX. eclipsis solis facta est XVIII. Kalendarum Septembrium circa horam diei tertiam; ita ut pene totus orbis solis quasi nigerrimo & horrendo sicut videretur esse coopertus.

[a] Repone DCCXXXIII. ex Chronologia Saxonica p. 520. & Epitome Bedæ p. 490.

Anno

Anno DCCXXXIV. Luna ſanguineo colore perfuſa quaſi horâ integrâ ſecundo Kalendarum Februarii circa gallicantum, dehinc nigredine ſubſequente ad lucem primam reverſa eſt. In eodem verò anno Tatwinus Archiepiſcopus & Beda Doctor cœli conſcenderunt palatia.

Anno MLXV. ab Incarnatione Domini Sanctus Edwardus Rex, filius Æthelredi Regis, & filius Emmæ filiæ Ricardi Ducis Normanniæ, & frater Eadmundi Irneſide ex parte patris, exactis in Regno XXIII. annis & menſibus VI. & XXVII. diebus, in vigiliâ Epiphaniæ fœlici monte vitam laudabilem terminavit; & ſecundo die Haraldus conſecratus eſt in Regem. In ſequenti verò anno Willelmus Comes Normanniæ venit in Angliam; & pugnavit contra eundem Haraldum Regem, & vicit eum cum exercitu ſuo apud Haſtinge ſecundo Idus Octobris; & in proximâ nativitate Domini ſullimatus eſt in Regem.

Anno [b] MXLVIII. Bellum in Bledunâ.

(b) Legendum videtur MLXVIII.

Anno MLXIX. ex quo corpus Beati Cuthberti ab Alduno Epiſcopo in Dunelmum eſt perlatum LXXXIII. tertio verò Regni Willelmi anno, idem Willelmus Rex Anglorum quendam Robertum cognomine Cumin populis Northanhimbrorum præfecit Comitem; qui cum mille ducentis hominibus Dunelmum veniens, & ibi per domos hoſtiliter agens, occiſus eſt ibi cum ſuis omnibus, præter unum qui vulneratus evaſit, V. Kalendarum Februarii. Unde Rex offenſus ducem quendam, qui ejus mortem ulciſceretur, cum exercitu direxit. Cùm autem ad Alvertuniam veniſſent, etiam manè facto Dunelmum profecturi eſſent; tantâ nebularum denſitas eſt orta, ut vix aſtantes ſeſe alterutrum videre, viam nec ullo modo valebant invenire. Stupentibus illis quid hoc eſſet, & conferentibus invicem quidnam facerent, affuit qui diceret homines illos quendam in urbe ſua Sanctum habere nomine Cuthbertum, qui eis in adverſis ſemper protector adeſſet; quos nemo impune illo vindicante lædere valeret. Quibus auditis, ad propria ſunt reverſi.

Anno MLXXI. Eadwinus Dux occiſus eſt.

Anno MLXXV. obiit Eaditha Regina. Rogerus & Radulphus Duces voluerunt tradere Regem.

Anno MLXXVI. Walthevus Comes decollatus eſt.

Anno MLXXVIII. obiit Hermannus Epiſcopus Seresberiæ; & Oſmundus ſucceſſit.

Anno MLXXX. ventus validus in Natale Domini. Walcherus Epiſcopus Dunelmenſis occiſus eſt.

Anno MLXXXIII. obiit Matilda Regina.

Anno MLXXXIV. Wibertus Papa ſedem accepit.

Anno MLXXXVII. obiit Willelmus Rex Anglorum; & Willelmus filius Regnum ſuſcepit.

Anno MLXXXIX. Oſmundus Epiſcopus conſtituit Canonicos triginta ſex in Eccleſiâ Salesberienſi. Obiit Lanfrancus Archiepiſcopus. Terræmotus factus eſt.

Anno MXCII. Oſmundus dedicavit Eccleſiam Salesberienſem cum ſeptem Epiſcopis.

Anno MXCIII. Anſelmus ad Archiepiſcopatum electus eſt.

Anno MXCIV. obierunt Malcolmus Rex Scottorum & Margarita Regina.

Anno MXCVI. Urbanus Papa iter Jeroſolymis prædicavit.

Anno MXCVIII. Obiit Walchelinus Epiſcopus. Antiochia à Chriſtianis capta eſt. Cometa apparuit.

Anno MXCIX. obierunt Oſmundus Epiſcopus, & Urbanus Papa. Jeruſalem à Chriſtianis capta eſt.

Anno

Anno MC. obierunt Willelmus Rex junior, & Thomas Archiepiscopus senior. Henricus Regnum accepit.

Anno MCI. die natalis Domini in Basilicâ Beatæ Mariæ apud Bethleem [Godefridus] à Daiberto Patriarchâ unà cum Episcopis Cleroque ac populo assistentibus in Regem honorificè sacrâ unctione sullimatus & coronatus est.

Anno MCII. Rogerus ad Episcopatum Seresberiæ electus est.

Anno MCIV. facta est incorrupti corporis Sancti Cuthberti translatio sive manifestatio post annos depositionis ejus CCCCXVIII. & V. menses, & XII. dies; qui est quintus annus Regni Henrici Regis, Episcopatûs verò Ranulfi sextus.

Anno MCV. Henricus Rex Baiocas incendit.

Anno MCVI. Henricus Rex Normanniam adquisivit. Cometa apparuit in mense Februarii.

Anno MCVII. ordinatio Rogeri Episcopi Sarisberiæ. Obiit Eadgarus Rex Scotiæ.

Anno MCVIII. obiit Gundulfus Episcopus, & Radulfus successit.

Anno MCIX. obiit Anselmus Archiepiscopus ; & Henricus Rex Angliæ dedit Imperatori filiam suam.

Anno MCX. Cometa apparuit in mense Junio.

Anno MCXI. Boiamundus obiit & Eulalia Abbatissa. Papa Paschalis captus est Romæ.

Anno MCXIV. obiit Thomas Archiepiscopus junior.

Anno MCXV. obiit Maria Comitissa de Bolonia secundo Kalendarum Junii.

Anno MCXVIII. obierunt Paschalis Papa & Matildis Regina Angliæ & Arnulfus Patriarcha & Baldewinus Rex Jerusalem.

Anno MCXIX. obiit Gelasius Papa : & terra mota est quarto Kalendarum Octobris.

Anno MCXX. Willelmus filius Henrici Regis & Ricardus frater ejus & Ricardus Comes de Cestriâ cum multis Nobilibus naufragio perierunt.

Anno MCXXII. obiit Radulfus Archiepiscopus Cantuariæ.

Anno MCXXIII. obierunt Johannes Episcopus Batoniæ & Robertus Episcopus Lincolniæ.

Anno MCXXIV. obiit bonæ memoriæ Alexander Rex Scottorum septimo Kalendarum Maii.

Anno MCXXV. Magna fames, & magnum Concilium : obiit Vicecomes.

Anno MCXXVIII. cœpit fundari Ecclesia sanctæ Crucis de Edenesburch.

Anno MCXXIX. obiit Willelmus Episcopus Wintoniæ, & Henricus consecratus est.

Anno MCXXX. Anegus Comes Muraviensis à Scottis interfectus est.

Anno MCXXXIII. eclipsis facta est Nonis Augusti.

Anno MCXXXV. obiit Henricus Rex Angliæ quarto Nonarum Decembris ; & Stephanus ei successit.

Anno MCXXXVI. Willelmus Cantuariensis Archiepiscopus obiit ; & Richardus filius Gilleberti. Dedicatio Glascuensis Ecclesiæ nonis Julii.

Anno MCXXXVII. quinto decimo Kalendarum Decembris, fuit bellum inter Scotos & Anglos.

Anno MCXXXVIII. Episcopus Salisburiæ & Episcopus Lincolniæ & Cancellarius capti sunt à Rege Stephano.

Anno MCXL. Stephanus Rex capitur Lincolniæ à Comite Glocestriæ & à cæteris qui sustentabat partem Imperatricis.

Anno MCXLVII. obiit Johannes Episcopus de Glascu. Iter Jerosolymis secundò prædicatur.

Anno

Anno MCL. dedicata est Ecclesia de Dunfermelin. Alwinus Abbas à curâ pastorali se sponte deposuit; & Osbertus eandem suscepit. Obiit etiam ipse Osbertus Abbas eodem anno, XV. Kalendarum Decembris.

Anno MCLII. Willelmus Abbas electus est: obiit Matildis Regina Angliæ quinto Nonarum Maii. Obiit Henricus Comes Northanhumbrorum filius David Regis Scotiæ secundo Idus Junii. Ascalon à Christianis capta est.

Anno MCLIII. obiit piæ memoriæ David Rex Scottorum IX. Kalendarum Junii Dominicâ ante Ascensionem Domini. Cui successit in Regnum Malcolm nepos ejus ætate XLII. annorum, filius Henrici prædicti Comitis Northumbriæ. Obiit Eugenius Papa; Cui successit Anastasius. Et Abbas Bernardus Claraevallensis, & Eustachius Comes filius Stephani Regis Anglorum. Rader quoque Comes Cestriæ, & Simon Comes Northamtoniæ. Henricus etiam Archiepiscopus Eboracensis. Stephanus Rex Angliæ cum Henrico nobilissimo Comite Andegaviæ pacem & fidem perpetuam in die festo Sancti Leonardi Abbatis iniit. Eo die apud Scotiam, Sumerled & nepotes sui, filii scilicet Malcolmi, associatis sibi plurimis insurrexerunt in Regem Malcolm; & Scotiam in magna parte perturbantes inquietaverunt.

Anno MCLIV. Willelmus Archiepiscopus Eboracensis permittente piissimo Papâ Anastasio ad Archiepiscopalem Cathedram cum summo honore reversus est; & intra septem septimanas defunctus est. Hugo etiam Romæ consecratus Dunelmensem Episcopatum suscepit. Maxima fames & pestilentia animalium apud Scotiam facta est. Arturus Regem Malcolm proditurus duello periit. Obiit Gaufridus primus Abbas de Dunfermelin; Et nepos ejus Gaufridus in loco ejus successit. Rogerus de Ponte Episcopi in Archiepiscopatum Eboracensem consecratus est. Obiit Stephanus Rex Angliæ VIII. Kalendarum Novembris: Et Henricus Dux Normanniæ XIV. Kalendarum Januarii Regni diademate insignitur. Obiit Dunecan Comes de Fif. Malcolm Rex dedit Ecclesiam de Travernent Canonicis de Castello Puellarum. Christianus in Episcopum Galwariæ eodem die, quo & Rex Angliæ Henricus, ab Archiepiscopo Rotomagensi apud Bermundeseiam consecratus est.

Anno MCLV. obiit Anastasius Papa; cui successit Adrianus. Obiit Ailwinus Abbas primus Ecclesiæ Sanctæ Crucis.

Anno MCLVI. Dofnaldus filius Malcolm apud Witterne captus est, & à patre suo incarceratus.

Anno MCLVII. Malcolm Machel cum Rege Scottorum pacificatus est. Rex Angliæ Henricus exercitum duxit in Walliam; & ibi Eustachius filius Johannis cum pluribus aliis cecidit. Tandem Walenses pacem cum Rege fecerunt. Rex Scotiæ reddidit Regi Angliæ Northanhimbriam & Cumberlandiam. Rex autem Angliæ reddit ei Comitatum Untenduniæ. Fratres plures Templi Jerosolymorum in prælio corruerunt.

Anno MCLVIII. Obiit bonæ memoriæ Robertus Episcopus Sancti Andreæ. Rex Scotiæ Malcolm ivit cum Rege Angliæ Henrico ad Tolosam; & ab eodem Rege Henrico gladio militiæ accinctus est in Turonensi. Obiit Willelmus Comes Boloniæ filius Stephani Regis. Obiit Adrianus Papa; cui successit Alexander, expulso Octaviano, qui in sedem Apostolicam profanè aspiravit. Willelmus Episcopus Muravensis missus Romam à Rege Malcolmo, à præfato Papâ Alexandro cum summo honore susceptus, ad Scotiam cum gratia & electione sedis Apostolicæ remissus est.

Anno MCLX. Rex Malcolmus duxit exercitum in Galwaiam ter; & ibidem inimicis suis devictis, fœderatus est cum pace; & sine damno suo remeavit. Fergus princeps Galwaiæ habitum Canonicum in Ecclesia Sanctæ Crucis de Ednesburch suscepit; & eis villam, quæ dicitur Dunroden, dedit. Ernaldus

Abbas de Chelcou in Episcopum Sancti Andreæ electus est; & à Willelmo Muraviensi Episcopo & Apostolicæ sedis Legato in ipsâ Ecclesiâ Sancti Andreæ [consecratus est] & Walterus in ejus locum surrexit. Johannes in Abbatem de Chelcau electus est, & ab Hereberto Glascuensis Episcopo benedictus.

Anno MCLXI. Obiit Teodbaldus Cantuariensis Archiepiscopus. Obiit Fergus Princeps Galwaiæ quarto Idus Maii.

Anno MCLXII. Obiit Willelmus Muraviensis Episcopus & Apostolicæ sedis Legatus nono Kalendarum Februarii. Thomas Cancellarius Regis Angliæ in Archiepiscopum Cantuariæ consecratus est. Elda soror Malcolmi Regis Scotiæ nupsit Florentio nobili Comiti Hothlandiæ. Obiit Isaac Prior de Sconâ; & Robertus Canonicus de Jedeuadere primus Abbas in eadem Ecclesia constitutus est. Obiit Ernaldus Episcopus Sancti Andreæ & Apostolicæ Sedis Legatus Idus Septembris.

Anno MCLXIII. Henricus Rex Angliæ pacatis transmarinis partibus * * * *

†

HISTO-

HISTORIA
COENOBII
ABENDONIENSIS

A primâ ejus Fundatione ad annum Domini MCXXXI. ex Additamentis Chronici FLORENTII WIGORNIENSIS, authore Monacho ABENDONIENSI.

[De qua in superioribus Dissertationibus sæpiùs facta est mentio.]

Æra Mariani Scoti DCCCCLXX. — Æra Dionysii Exigui DCCCCXLVIII.

INclyti Regis Edredi tempore vir Domini Æthelwoldus, qui in Monasterio Gleastoniensi in Monachico habitu sub Abbate Dunstano Domino Jesu Christo devotè serviebat, cupiens ampliori scripturarum scientiâ doceri, decrevit ultra marinas adire partes. Sed Regina Eadgifa mater Regis memorati prævenit ejus conanima, dans consilium Regi, ne talem virum sineret egredi de regno suo: insuper asserens tantam in eo fuisse Dei sapientiam, quæ & sibi & aliis sufficere posset; quamvis ad alienæ patriæ fines ob hanc causam minime tenderet. Quibus auditis delectatus Rex, magnam circa Dei famulum cœpit habere dilectionem; placuitque ei suadente matre sua [a] dare Sancto viro quendam locum vocabulo Abbandoniam; in quo modicum antiquitus Monasteriolum habebatur, sed erat tunc neglectum ac destitutum, vilibus ædificiis consistens, & XL. tantum mansas possidens; reliquam verò præfati loci terram, quæ centum cassatorum lustris hinc inde giratur, Regali dominio subjectam Rex ipse possidebat. Quis autem antiquorum illius primum institutor fuerit, monimento veterum accepimus; quod † Cissa Rex * Heano cuidam religiosæ vitæ viro ac Abbati simulque sorori ejusdem Cissæ nomine locum ad omnipotentis cultum construendi cœnobii dedit, quod Abbandun antiquitus appellatur, collatis ad hoc Regio munere plurimis beneficiis & possessionibus ob vitæ necessarium inibi forte degentium. Verùm non multò pòst antequam insisteretur designato operi, Rex ipse obiit. Rex autem Ina primò donationes supradictas irritas fieri decrevit; demum facti pœnitens, de suis etiam easdem longè uberius auxit; adeò [b] ut CCL. Cassatorum descriptionem sub anno Incarnationis Dominicæ DCXCIX. regali edicto sanciret, prædicto Abbate Heano regimen loci tenente. Horum posteriori tempore testamentum Principum Æthelbaldus Rex suæ quoque authoritatis collatione ratum esse constituit sub Danielis antistitis & † Cumani ejusdem loci Abbatis attestatione.

[a] Reperitur Charta hujus donativa in Monastico Angl. Tom. I. p. 101. data anno 955.

[b] Extat ea de re Charta Inæ Regis, in Monastico Tom. I. pag. 99. quæ quidem CCLXXIII. cassatos numerat.

† Regulus is fuit Comitatuum Wiltoniensis & Bearacensis sub Kinwino Westsaxonum Rege. Sic Historia Abbendoniensis in Monastico Angl. Tom. I. p. 97.

* Heano Cissæ nepos fuit; Cœnobium autem Abbendoniense construxit anno 675. si Historiæ modò citatæ fides.

† Conanum vocat, & Heano immediatè successisse, Conano Rethuunm prodit Historia Abindon. ibid. p. 98.

Succedentibus nonnullis postea annis, Kenulfo Rege jus regium obtinente, Rethunus quidam officio Episcopali functus Abbatis locum in Abbandoniâ est adeptus. Qua tempestate idem Cœnobium tam gravibus implicabatur Regis officialiumque ejus exactionibus; ut maximum suarum rerum illic commanentibus fieret tædium. Siquidem Rex ipse [plus] solito convivia sibi requirere, & homines, quos solidarios dicimus, sibi subdiurnandos consueverat commendare. Officialium autem venatorum & falconariorum Regis quisque pro posse possessiones Ecclesiæ vexabant. Unde vir ille unum invenit remedium, pretio cum precibus obvius ire. Centum itaque & XX. libras necnon & C. manentes ad Regalem villam, quæ Suthun dicitur, eo tenore Regi obtulit; quatinus omni post tempore in Abbandoniâ & in universis ejus possessionibus libertas prædictarum inquietudinum fieret. Cujus voluntati Rex in omnibus assensum præbuit. [a] Quod decretum anno Regni sui XXV. ab incarnatione vero Dominicâ DCCCXXI. sancitum est. His itaque peractis, Antistes ille Romam adiit; Sanctum Papam Leonem Petri Apostoli vicem tunc agentem repperit; qui ejus itineris causam audiens, benigne ut requirebat Abbendonensis loci libertatem Apostolicâ authoritate sancivit; Regique Kenulfo & cæteris in Anglia potentibus litteras dirigens, hortatus est eos ad reverentiam cultumque ejusdem loci. Quæ postquam ille [b] patravit, in summâ quiete quoad vixit cœnobium illud gubernavit. Post cujus discessum quid huic loci contigerit usque ad gloriosi Principis Æthelstani imperium, quia nusquam certi quicquam addiscere potui, suo meus stilus caruit officio. Rege Æthelstano regnante, & Abbendonensi cœnobio præsidente Cinatho Abbate, villas quæ ab incolis Swinford & Sanford vocantur & Dumeltun in Gloecestræ Comitatu sitam largitus est Anno ab Incarnatione Dominicâ DCCCCXXXI. Nec multò pòst Rex ipse obiit. Post obitum verò ejus ad tantam est solitudinem redactum; ut omnibus sibi adjacentibus possessionibus regio subactis dominio, à Monachis omnino destitueretur. Cujus infortunii malum quibus ex causis acciderit, nil veri ad meam pervenit notitiam. Veruntamen testamentorum libri possessiones Ecclesiæ continentium reservati sunt Dei providentiâ; à tempore autem Inæ Regis, sub quo Cœnobium primò constructum est, ad hanc ejus desolationem CC. & XL. revolutio annorum fuisse reputatur.

[a] Habetur privilegium istud in Monastico Tom. I. p. 100.

[b] f impetravit.

Factumque est consentiente Dunstano Abbate secundùm Regis voluntatem, ut vir Dei Æthelwoldus prænotati loci † susciperet curam; quatinus in eo Monachos ordinaret regulariter Deo servientes. Venit ergo servus Dei ad locum sibi commissum; congregavitque sibi in brevi spatio gregem Monachorum, quibus ipse Abbas jubente Rege ordinatus est. Dedit * etiam Rex possessionem Regalem, quam in Abandonia possederat, hoc est, centum cassatos cum optimis ædificiis, Abbati & fratribus ad augmentum cotidiani victûs; & de regio thesauro suo multùm eos in pecuniis juvit. Sed mater ejus largiùs solatia munerum eis direxit.

Venit ergo Rex quadam die ad Monasterium, ut ædificiorum structuram per seipsum ordinaret; mensusque est omnia fundamenta propriâ manu, quemadmodum muros erigere decreverat: rogavitque eum Abbas in hospitio cum suis prandere. Annuit Rex ilico; & contigit adesse sibi non paucos Optimatum suorum venientes ex gente Northanhimbrorum, qui omnes cum Rege

† Ethelwoldus primus Abbas Abbandoniæ factus est anno 954. juxta Historiam Glastoniensem in Monastico Angl. Tom. I. p. 16. Apud Ingulphum tamen subscripsisse Chartæ Edredi Regis datæ Cœnobio Croilandensi anno 948. reperitur.

* Diploma Edgari Regis hac de re extat in Monastico Tom. I. p. 102.

adierunt

adierunt convivium. Lætatusque est Rex, & jussit abunde propinare hospitibus hydromellum. Quid multa? hauserunt ministri liquorem tota die ad omnem sufficientiam convivantibus; sed nequivit ipse liquor exhauriri de vase nisi ad mensuram palmi, gaudentibus Northanhimbris & vesperi cum lætitia recedentibus.

Operariorum providere alimenta Ælfstanus Monachus præcepto Abbatis curam acceperat. Accidit namque quadam die, dum Abbas more solito peragraret Monasterium; ut aspiceret illum fratrem stantem juxta fervens caldarium, in quo victualia præparabat artificibus. Et intrans vidit omnia vasa mundissima ac pavimentum scopatum. Coxit enim carnes cotidie solus, & operariis ministrabat, focum accendens, & aquam apportans, & vasa denuo emundans. Dixitque ei Sanctus Æthelwoldus: 'O mi frater, si talis 'miles Christi es, qualem te ostendis; mitte manum tuam in bullientem 'aquam, & unum frustum de imis mihi impiger attrahe. Quod sine mora fecit, non sentiens calorem ferventis aquæ. Quo viso Abbas jussit deponi frustum, & nemini hoc indicare viventi. Qui cùm postea ob vitæ meritum Pontificatus culmen apud Wiltonam adeptus fuisset; adveniente sui ab hac vita evocatione Abbandoniam deportatus atque sepultus est anno ab incarnatione Christi DCCCCLXXX.

Erat & puer in eodem Monasterio puræ innocentiæ studii, nomine Ædmerus, quem Abbas ac fratres nimium diligebant. In tali itaque ætate & gratiâ constitutus, infirmitate correptus pervenit ad vitæ ultima. Cumque exitûs horam præstolaretur; subito in ecstasi factus, cœlesti se interesse curiæ atque ibi matrem Dei Mariam residere conspicatur. Ante eam itaque hic adolescens adducitur, atque ab eadem an cum assistentibus sibi amodo remanere, an in vitâ adhuc mortali degere velit, affabili ut semper est vultu sciscitatur. Ille nil tristitiæ, nil indigentiæ his, quos intendebat, adesse considerans, malle se illic dixit quam aliàs, si mereretur, jam associari. Cujus delectioni cum effectus fore promitteretur; inter visionis illius gaudia ad se reversus, Abbati suo quæ viderat quæque audierat pandit. Et ut vera esse quæ narrarat probarentur; spiritus ejus à corpore exiens mox illius, quam acceperat, promissionis in Sanctorum cœtu compos efficitur.

[a] Ut districtioris autem vitæ tramitem cùm è diversis Angliæ partibus viri Dei Æthelwoldi auditâ sanctitate plurimi differenti more legendi canendique instituti ad eum convenirent atque reciperentur: volens eos in Ecclesiâ consonâ Deo voce jubilare, ex Corbiensi Cœnobio, quod in Francia situm est, Ecclesiasticâ eâ tempestate disciplina famosum, viros accersiit solertissimos; ut illos in legendo psallendoque sui imitarentur.

[a] l. Ad.

Ad beati quoque Benedicti cœnobium Floriacum de suis Monachis unum Osgarum nomine transmisit, normam vivendi, prout illic mos erat, discere ac in domum reversum socios horum quæ didicerat participes efficere: Quibus rebus factum est; ut qui novitii in Ecclesiastico instituebantur discipulatu, brevi aliis in Anglia perfectiores doctioresque prædicarentur. Sanctus etiam Æthelwoldus trium Regum sibi invicem in Regno succedentium, dum regimen Abbatiæ gereret, simul & Archiepiscoporum, Antistitum, Abbatum, Primatumque Regni confirmatione ac auctoritate tria privilegia de loci libertate acquisivit canonica ac regali descriptione roborata. Ea tempestate non habebantur Monachi in gente Anglorum, nisi tantum qui in Glastonia morabantur & Abbandonia. Quanta verò ipsa fratrum collectio profecerit, Regnum Angliæ quamdiu constiterit testabitur; in cujus multis regionibus à patre Æthelwoldo Cœnobia fundata celeberrima, ac de ejus Monachorum numero Abbendoniæ electi Abbates cum Monachis & illic sunt directi. Quorum ista sunt vocabula, Heli, Burch, Torni. In quibus hujus hominis quanta fuerit probitas, [a] miranda est; cùm [quod] solus tot Ecclesias

[a] l. mirandum.

cleſias in Anglia conſtruxerit, tum quòd tales diſcipulos habuerit, ut quidam Archiepiſcopi, nonnulli Epiſcopi, plures verò Abbates ac Monaſteriorum fundatores fierent. Ante verò quam ipſe vir Sanctus ad Epiſcopatum eligeretur; ditatus eſt locus, quem regebat, ſcilicet Abbendonenſis, ſexcentis & eo ampliùs caſſatis, inſuper & æternæ libertatis ſuffultus privilegiis divina ſimul & Regia auctoritate conſcriptis, quæ laminis aureis ſigillata inibi uſque hodie conſervantur.

DCCCCLXXXV. DCCCCLXIII.

* Sanctiſſimus Æthelwoldus venerabilis Abbas Abbendonenſis Eccleſiæ, à Beato Dunſtano educatus, mortuo Brihthelmo Epiſcopatum Wintonienſis Eccleſiæ ſuſcepit; & eodem anno juſſu Regis expulſis Clericis, Monachis Abbendonienſibus vetus Monaſterium inſtituit. Hic namque Regem eximium, cujus erat Conſiliarius, ad hoc maximè provocavit; ut Clericos à Monaſteriis expelleret, & Monachos Sanctimonialeſque in eis collocari juberet. Vice verò S. Æthelwoldi Abbendoniæ Abbas conſtituitur Oſgarus ejuſdem Monaſterii Monachus. Sed quia Eccleſiam Abbendonenſem ante ſuſceptum Epiſcopatum dedicandam reliquerat; poſt ſui conſecrationem & ipſam unâ cum B. Dunſtano & aliis nonnullis Coepiſcopis ſuis in honore Dei Genitricis Mariæ conſecravit V. Kalend. Januarii.

DCCCCXCIX. DCCCCLXXVII.

Domnaniæ Præſul Sidemannus obiit; cujus corpus Abbandoniam defertur, & in porticu S. Pauli Apoſtoli illic decenter humatur.

MVI. DCCCCLXXXIV.

† Sanctus Æthelwoldus Wintonienſis Epiſcopus, Indictione ſecundâ, Kalendis Auguſti è ſæculo migravit. Domnus etiam Oſgarus Abbas Abbendoniæ per idem tempus diem clauſit ultimum.

MVII. DCCCCLXXXV.

Erat tunc Major domûs regiæ Ælfricus quidam præpotens, fratrem habens * Edwinum inſtitutione Monachum. Hic apud Regem pretio exegit; ut frater ejus Abendoniæ Abbas præficeretur. Quod & factum eſt.

MXII. DCCCCXC.

† Edwinus Abbas Abbendonenſis obiit; cui ſucceſſit vir venerabilis Wulgarus.

MXXVIII. MVI.

Alfricus Dorobernenſis Archiepiſcopus obiit; & ſepultus eſt Abbandoniæ, unde Monachus extiterat: ſed regnante Kanuto Rege ad ſedem ſuam tranſlatus

* De Ethelwoldi promotione paria habet Florentius vulgatus; de Oſgari ſucceſſione ſilet: quam tamen narrat Hiſtoria Abbendonenſis in Monaſtico Tom. 1. pag. 105. & Wolſtanus in Vita Ethelwoldi cap. 21.

† Ethelwoldi obitum refert etiam Florentius vulgatus; de Oſgaro tacet. Præter Florentium, Wolſtanus etiam Ethelwoldum die dicto obiiſſe confirmat in Vita ejus, cap. 41. Elfricus tamen (in ejuſdem Vita MS. citata à Mabillonio, Act. Benedict. Sæc. V. pag. 619.) obitum illius die 3. Calend. Auguſti contigiſſe narrat.

* Eadwinum vocat Florentius vulgatus, qui ſucceſſionem ejus perfunctoriè narrat.

† Haud diſſimilia Florentius vulgatus.

ſlatus eſt. Cui Wintonienſis Epiſcopus Alfegus ſucceſſit; & pro illo Kenulfus Epiſcopatum ſuſcepit.

MXXXIX. MXVII.

Pius Paſtor Abbas Abbendoniæ Wulgarus obiit anno XXVIII. ex quo illum divina pietas eidem Eccleſiæ præfecit. Cujus Abbatis induſtriâ vigilante, necnon & Dei miſericordiâ protegente, inter tam diſſidentes in Angliâ motus Cœnobium Abbendonenſe à Danorum devaſtatione permanſit immune; cùm dextrâ lævâque hoſtium incurſio paſſim loca univerſa ſubrueret; aut ſi benevolentior fieret, maximo ſeſe pretio habitatores eorum redimere ſineret. Cui in Paſtoralitate Domnus Adelwinus ſucceſſit. Quem Rex Kanutus pro laudabilis vitæ merito ſecretorum ſuorum conſcium efficiens, à noxiis ſeſe retrahere ac recta appetere ejus ſuaſionibus ſtudebat. Hinc & Cœnobium Abbendonenſe à Rege diligitur, & muneribus ejus cumulatur. Nam inter alia ſua donaria capſam de argento & auro parari fecit; in qua S. Vincentii Levitæ & Martyris reliquiæ collocarentur.

MLII. MXXX.

Venerabilis Abbas Abbendoniæ Adelwinus obiit. Cui ex hac vitâ decedenti Siwardus ex Gleſtonienſi Cœnobio Monachus ſucceſſit, tam ſæcularium quàm eccleſiaſticarum vigore admodum fultus.

MLXVI. MXLIV.

Hoc anno Cantuarienſis Metropoleos Archiepiſcopus Edſius accitum Siwardum Abbatem Abbendoniæ, quem prudentiâ plurimum vigere noverat, Regis conſenſu & regni Primorum Pontificatûs decoravit apice, ac Patriarchatûs ſui vice ipſum fungi inſtituit. Nam ipſe privatis uti volebat; quia ægritudine laborabat. Abbendonienſi autem Eccleſiæ Æthelſtanus ejuſdem loci Sacriſta Abbas conſtitutus eſt.

MLXX. MXLVIII.

Vir Domini Æthelſtanus Abbas Abbendoniæ obiit; cui ſucceſſit quidam de Monaſterio S. Eadmundi Monachus, in auri argentique fabrificio operator mirificus, nomine Sperafoc.

MLXXI. MXLIX.

Sed & Archiepiſcopi vices * moderans Siwardus, ægritudine correptus, Abbandoniam à Cantiâ æger defertur; & duobus illic menſibus lecto detentus, ab hac vitâ educitur; atque ibidem ſepelitur.

MLXXII. ML.

Sperafoc Abbas Abbendonienſis Londoniæ Præſulatum ſuſcepit; ſed antequam eſſet conſecratus, à Rege Edwardo eſt ejectus. Venerat per hos dies ad Regem quidam de Norwegiâ gente Epiſcopus vocabulo Rodulfus, regi propinquus. Hic Abbendonenſibus Abbatis jure præficitur.

MLXXIV. MLII.

Rodulfus Epiſcopus & Abbas Abbendonenſis Eccleſiæ obiit; cui ſucceſſit Ordricus ejuſdem Monaſterii Monachus.

* Archiepiſcopi Corepiſcopum vocat Florentius vulgatus, qui obitum ejus breviter perſtringit.

MLXXXVII.

MLXXXVII. MLXV.

Abbas Abbendoniæ Ordricus postquam Domum sibi commissam honorificè gubernasset, & à memoriâ Principum Apostolorum ad sua remeâsset; diutinâ coctus ægritudine, diem sortitur ultimum. Faldredus verò in eodem Monasterio Præposituræ officium exhibens, Abbatiæ dominatum post illum adipiscitur.

MXCIII. MLXXI.

Aldredus etiam Abbas Abbendoniæ apud Castellum Walingafordense in captione ponitur. Sed aliquanto pòst tempore inde eductus, in manus Wintoniensis Episcopi Walchelini servandus committitur; apud quem mansit quoad vixit. Cui in Abbatiam successit Athelelmus de Monasterio Gemmetico Monachus.

MCVI. MLXXXIV.

Abbas Athelelmus Abbendonensis Ecclesiæ obiit. Cui successit Rainoldus, & ipse Monachus Gemmeticensis Ecclesiæ.

MCXIX. MXCVII.

Decessit etiam Domnus Rainaldus Abbas Abbendoniæ [post cujus obitum Rex] Abbatiam Abbandoniæ & alias plures in manu suâ [usque ad obitum] tenuit.

MCXXII. MC.

Quartò itaque mense regni illius [*Henrici I. Angliæ Regis*] die omnium Sanctorum per manum Episcopi Lincolniensis Rotberti Domnum Faricium ex Malmesburiensi Cœnobio Monachum Abbendoniam direxit; & ut debitam illi subjectionem deferrent, Monachis mandavit: utiliorem eis fore nusquam ut rebatur posse se providere Patronum contestans. Hic itaque genere Italicus, sæculari prudentiâ cautissimus, literarum adprimè scientiâ optime eruditus; medicinæ peritiâ adeò exercitatus, ut ejus solius [a] antidotum confectionibus Rex ipse se crederet sæpe medendum. Erat & Romanæ Ecclesiæ notus; cum & in eâ tum multis & in aliis Ecclesiis per Ausonias oras diu deguerit. Quare tantæ opinionis personam Archiepiscopo Anselmo ab hac vita migrato parasset Rex substituere; nisi normâ æquitatis ejus inflexibilis quibusdam majoris ordinis Ecclesiastici suspectâ, ipsorum factione id tum perturbaretur.

[a] l. antidotorum.

MCXXXIX. MCXVII.

Vir etiam laudabilis Domnus Faricius Abbas Abbendonensis Ecclesiæ, cùm ejus industria opes illius Ecclesiæ multiplicatæ de die in diem augmentarentur, decidit in ægritudinem: qua ex hac luce subtractus à laboribus suis beato fine quievit, XVII. videlicet regiminis sui anno, VII. Calend. Martii.

MCXLIII. MCXXI.

Rex etiam Optimatum suorum consilio Abbendonensi Ecclesiæ præfecit in Pastorem quendam bonæ famæ virum nomine Vincentium ex Gemmeticensi Ecclesia Monachum, cunctis qui aderant id laudantibus. Erat enim valde benignus, ac pietatis gratia plenus. Omnibus compatiebatur, omnes pro affectu diligebat.

† MCXLVII.

MCXLVII. MCXXV.

* Vir non modicæ prudentiæ, duorum Episcoporum Wigorniensium, Samsonis videlicet & Teovulsi, Archidiaconus Hugo nomine XII. Calend. Aprilis obiit.

MCLII. MCXXX.

Venerabilis Abbas Abbendoniæ Domnus Vincentius decimo anno sui regiminis IV. Calend. Aprilis ex hac vita decessit. ——— † Prior etiam Wintoniensis Ecclesiæ Ingulfus * nomine apud Wudestoke Abbas electus Abbendonensi Ecclesiæ, à Rogero Selesberiensi Præsule VI. Idus Junii die Dominica consecratur Salesbiriæ.

* Ista quidem, quamvis ad Historiam Abbendonensem parum facientia, addere consultum duxi; ne quid nostri Codicis Additamentorum prætermitteretur.

† Ista habet & Continuator Florentii Wigorniensis.

* Privilegium Eugenii III. Papæ illi datum invenitur in Historiâ Abindonensi in Monastico Tom. 1. p. 107.

Additamenta ex Historiâ prolixâ Cœnobii Abendoniensis à Lucio Rege ad Richardum I. Regem. MS. in Bibliothecâ Cottoniana *Claudius B. 6.*

INgulfus Abbas obiit † anno XXIX. regiminis sui, anno quarto regni Henrici II. die XIII. Cal. Octobr. cui à Rege in loco Pastoris substituitur

Walkelinus, Ecclesiæ Eveshamensis Monachus, vir circa possessiones Ecclesiæ sibi commissæ fidelis & prudens, in revocandis quoque priorum pastorum negligentiâ perditis studiosus. Qua de causâ à Rege plurimum dilectus, ab eo in Abbatem promotus est. Walkelino Abbate mortuo

Godefridus Episcopus de S. Asaph, quem Henricus II. Rex istius domûs constituit Procuratorem, IX. annis & dimidio vicem gerens Abbatis in omnibus tam in ordine intrinsecus quàm in procuratione forinsecus. Godefrido demum ab Abbatiâ amoto, * successit ei

Rogerus, † qui IX. annis & dimidio præfuit huic domui. Isto defuncto

Thomas de Husselburnâ Clericus transmissus est à Rege Henrico II. ad custodiam Abbatiæ.

Amoto tandem Thoma à procuratione domûs istius, Henricus II. Rex dedit Abbatiam Abbendoniæ Alfredo Priori Roveceſtriæ. Alfredus obiit eodem mense quo Ricardus Rex Angliæ coronatus est. Successit ei

Hugo Abbas, vir bonæ memoriæ.

† Anno Domini 1159. juxta Annales Wintonienses.

* Amotus est anno 1175. ex fide Benedicti in Hist. MS. de gestis H. II. Regis.

† Istum Bermundesiæ Priorem antea fuisse tradunt Annales Wintonienses.

Charta ÆTHELREDI Regis data WLFSINO Episcopo & Cœnobio SCIREBURNENSI.

[De qua facta est in superioribus Dissertationibus mentio.]

ANNO Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo octavo ego Æthelredus totius Albionis Dei gubernante moderamine basileus, suadente Archiepiscopo Alfrico, de consilio meorum Principum seu nobilium inque . . . . . annui Episcopo Wlffino ordinare Monachicæ conversationis normam castam . . . & Deo amabilem secundùm institutionem sancti patris Benedicti in . . . . . Scireburnensis Ecclesiæ; eâ ratione videlicet, ut quisquis successor ei advenerit sive Præsul, crudelis si fuerit, facultatem . . . tractare res Monachorum. Sit pastor non tyrannus . . . . . utilitatem secundùm pastoralem authoritatem . . . . . . pascat suos & se servientes. Habeat ipse solus victum inter fratres. Scriptum est enim . . . . . esto in illis quasi unus ex illis. Regat ipse . . . . . . substantiam Monasterii . . . . . . ita duntaxat, ut Fratrum consilium sit . . . . . . quicquid. . . . Et si quando quod absit evenerit, ut Pastor & grex discordent ; semper judex . . . Archiepiscopus se præbeat . . . . ut justa correctio sequatur. Et quia mos minimè . . . . ut in Episcopali Sede Abbas constituatur ; fiat ipse Episcopus eis Abbas & pater ; & ipsi Fratres obedientes ei sint sicuti filii & Monachi cum castitate & humilitate & subjectione secundùm disciplinam almi patris nostri Benedicti ; ut unà bravium æternæ coronæ accipere mereantur. Et quoniam sicut ait Apostolus : Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt ; & multiplicato jam genere humano ; adeò ut perplures gratiâ inopiæ ruris non habentes, ubi vel arando vel fodiendo agriculturam exercentes victum adipiscantur : Insuper & crescente philargyriâ nonnullorum, ut quisque rapiat sibi quod potuerit ; optimum duxerunt Priores nostri, ut omnis lis terminibus certis adnulletur ; ideoque territoriæ causæ creberrimè adsuescere nuper inter mundanos cœpere, in portione quisque propriæ telluris liberè excolet. Quorum ego exempla imitatus, rus prædicti . . . . hac cartulâ annotari censeo. Hoc est, in ipsâ Sciréburnâ centum agellos & prædium Monasterii ; sicut Wlffinus Episcopus fossis sepibusque girare curavit. Deinde IX. Cassatos in agro qui ab incolis Holancumb nuncupatur. Item in Halganstoce XV. in Thornford VII. in Hradanford X. in Wonburna V. in Westum VIII. in Stawilbrycge XX. in Wulf. . . . . euntun VIII. In Osa . . . . . juxta ripam maris quæ dicitur Ætbun. Et quicquid Deus his auxerit ex donis . . . . . securitate & jugi libertate possideant Fratres inibi degentes ; tribus exceptis, quæ omnibus communia sunt, sc. expeditione, pontis arcisve restauratione . . . . . nulli . . . . . constructione ; eò quòd Monasteriis hoc opus ind . . . . Si fortè, quod absit . . . . . donationem quispiam adnullare temptaverit & . . . . . deflectere ; sciat se æquissimo Judici rationem . . . . tuba . . . in extremo examine . . . . . æquitas & justitia . . . . . manifestabuntur.

Ego Æthelredus Rex Anglorum hanc libertatem concedo . . . . Monasterio . . quod elegerit . . . . doque signaculo Sanctæ Crucis hanc munificentiam . . . . . his testibus.

Ego Ælfricus Archiepiscopus hoc denunciatâ benedictione firmavi.
Ego Ealdulf Archiepiscopus . . . . atque consensi.
Ego Wlfstanus Episcopus hoc adfirmavi.
Ego Ælfheagus Episcopus consului.

Ego

Ego Wlfsinus Episcopus hoc meum desiderium ...... usque .... concessi.
Ego Æthelward Dux .... corroboravi.
Ego Ælfr ...... consentaneus fui.
Ego Ælfsige Abbas .....
Ego ....
Ego Godwine Abbas.
Ego Æthelmær M. Osthulf. Wlfget ..... Beo ... Brih .... Wlfnad .....

Epistola ALEXANDRI III. Papæ ad HENRICUM II. Regem, de THOMA BECKET Archiepiscopo Cantuariensi.

[Ex Bibliothecâ Cottonianâ. *Vitellius* E. 10.]

ALexander Episcopus, servus servorum Dei, excellentissimo Principi Christianissimoque filio suo Domino Regi Collegii Cant. & omnibus Archiepiscopis & Episcopis in eodem Collegio existentibus salutem & Apostolicam benedictionem. Sancta & catholica mater Ecclesia suo sponso, qui Christus est, ineffabilis amoris dulcedine copulata, suscepit ab ipso dotes amplissimas, gratiarum ubertate fœcundas, & specialiter inter eas beneficium libertatis. Voluit enim peramabilem sponsam ejus libero fidelibus præesse dominio; ut haberet potestatem in singulos velut in filios more matris, cunctique ipsam reverentia filiali tanquam universalem matrem & Dominam honorent. Hæc est enim dilecta sua arca, in quam cor ejus tam die quàm nocte invigilat indefessé. Hic est hortus illius fertilis, in cujus suavitatis odore præcipuè delectatur. Quis itaque non verebitur illam offendere vel injuriis provocare? Quis credere poterit sponsum in sponsæ contumeliâ graviter non offendi? Quis violator Ecclesiæ libertatis contra Deum & hominem quavis defensione protegitur; ut supernæ virtutis malleo comminui in pulverem nequeat & favillam? Habet enim mater Ecclesia unde vehementer doleat, unde dolorem clamoribus exprimat, plena querelis; utpote gravibus injuriis lacessita & enormibus collisa sceleribus & jacturis. Dolet inquam, nec mirandum; inspicit quia qui forent ejus cari, facti sunt ejus inimici. Et qui suxerunt ipsius ubera, materni lactis refecti dulcedine, amaritudinis calicem illam compellunt proh dolor degustare. Qui fœcundati per ipsam grandium ubertate bonorum, hostilibus eam provocare conatibus, & libertatem ejus, quantum in eis est, deprimere non verentur. O ingratitudinis damnabile vitium, res ingrata superis & terrenis, infesta res; quia omnis lex sacrosanctæ Ecclesiæ confunditur, dum sic matrem filii vili pendent. Hanc profectò querelam de quodam Thoma Cantuariensi Archiepiscopo per literas vestras ad Sedem Apostolicam destinatas inspeximus; & in illis reperimus, quòd sine consilio vestro renunciârit juri suo; & factus est fatuus in Aulâ Regis. Et quia renunciare non debuisset sine licentiâ nostrâ speciali; cùm in juribus cautum sit, quòd est unus casus specialis Summo Pontifici reservatus; quamvis per Simoniam, ut dicitur, fuerit electus; ideo conscientiam de puritate commendamus, & scrupulosam reprehendimus curiositatem. Ne verò religionis puritas confusa succumberet, vel Symoniæ pravitas effugeret impunita; ab omni ordine Ecclesiastico & Archiepiscopatu illum degradamus, & stultissimum declaramus; mandantes vobis sub pœnâ excommunicationis majoris, quatenus pœnam condignam eidem imponatis;

 scilicet

ſcilicet ut in arcto Monaſterio recludatur, ibidem perpetuam pœnitentiam peracturus. Quapropter tibi, fili cariſſime; præcipimus ut illum de tuâ Curiâ expellas; quia indecens eſt, ut qui fuerat Metropolitanus in tali ſacro Collegio & inter religioſos converſatus, eſſet joculator ſive hiſtrio in tuâ præſentiâ. Inſuper, fili cariſſime, ſi Epiſcopi tui regni in noſtro mandato Apoſtolico & Archiepiſcopatu nimis negligentes, quod abſit, extiterint; volumus, quòd manus adjutrices extendas ad ſuſtentandam Romanæ Eccleſiæ libertatem; & ſic obtinebis Apoſtolicam benedictionem; quia poſt ſententiam latam ſi incorrigibiles perſtiterint, ſacroſancta Eccleſia non poteſt ultra facere niſi invocare brachium ſæculare. Ulterius, fili dilectiſſime, ad aures noſtras pervenit; quòd aliis *loco prædicti Archiepiſcopi ſucceſſit; & plura enormia & ſiniſtra in tuam perſonam illuſtriſſimam lingua vulgari publicè prædicabat; & ſimiliter Apoſtolico conſilio inconſulto & ante Pallii miſſionem ſacros ordines miniſtrabat. Unde viſum eſt nobis, quia non voluntate Papali, nec etiam poteſtate regali rite fuerat electus, ſed contra omnium voluntates regentium ſimiliter & habentium intereſſe. Unde bene poſſumus per iſtum, quod eſt in titulo illo *de Clerico per ſaltum promoto*; quia non fuerat electus loco ſacro ſc. de Clauſtro, ut honeſtum erat, nec de Epiſcopo ad Archipræſulis dignitatem, ſed quod dolendum eſt, de cuſtode carceris in Archiepiſcopum. Sed quamvis ordo in electione non ſervabatur, Electionem illam Apoſtolica authoritate caſſamus, irritamus & adnihilamus; & pro ſua inani electione illum excommunicamus, & ad præſentiam noſtram perſonaliter jam citamus. Præterea ſecundùm fratrum noſtrorum conſilium ſecum gratioſè volumus diſpenſare; ſcilicet ut cum commenſalibus & ſibi ſervientibus ad miniſtrationem & communicationem interim jam habeat uſque quo poterit ad ſedem Apoſtolicam viam commode arripere; mandantes, quatinus quamcitò poterit Apoſtolico conſpectui ſeipſum præſentet. Sciens pro certo, niſi ſpecialis illa dilectio, quam ad perſonam ſuam habuimus & habemus, juſtum motum animi noſtri temperaret, pœna docente cognoſceret, quantum exceſſerit, qui ſpretis canonicis ſanctionibus & conſuetudine generali præſumſerat Archiepiſcopatûs officium uſurpare. Scriptum Romæ II. die menſis Decembris, & noſtri Apoſtolatûs anno primo.

EPISTO-

Epistola Walteri Archiepiscopi Cant. ad Johannem XXII. Papam de Canonizando Roberto Winchelse Archiepiscopo Cantuariensi.

Litera Domini W. Archiepiscopi & Suffraganeorum suorum missa Domino Johanni Papæ XXII. pro Canonizatione bonæ memoriæ Roberti quondam Cant. Archiepiscopi, mense Martii, anno Domini MCCCXXVI. finiente.

SAnctissimo Patri, &c. devotus suus, W. Archiepiscopus Cant. & Suffraganei ejusdem Provinciæ, &c. Summi Regis ineffabilis providentiæ celsitudo nullis valens ambiri limitibus aut terminis comprehendi; etsi cunctos in ipso Catholicè obdormientes cœlestis beatitudinis commilitones efficiat, & præmiorum uberiorum retributione immarcessibilium æternæ gloriæ prosequatur; illos tamen convenienti censurâ judicii altioribus decorat honoribus & potioribus attollit insigniis dignitatum, quos suæ majestatis essentia digniores esse cognoscit, quosque commendat ingentior excellentia meritorum. Quo sacrosancta Sedes Apostolica exemplo ducta laudabili, ipsum venerando Sanctorum Cathalogo decrevit æternaliter ascribendum, quem magnitudo factorum in terris sublimatum esse testatur in cœlis; ut in ipso Christus in Ecclesiâ laudibus veneretur assiduis; qui in Sanctis suis semper est laudabilis ac etiam gloriosus. Idcirco, Pater Sanctissime, nos clamor cogit validus tam humilium quàm sublimium regni Angliæ personarum, quinimo ipsa caritas nos compellit in notitiam vestræ Sanctitatis recolendæ memoriæ Domini Roberti de Winchelse nuper Cant. Archiepiscopi vitæ insignia deducere; ad quod eo ferventiùs afficimur, quò celebris memoriæ Thomas nuper Comes Lancastriæ adhuc rebus degens in humanis vestræ Beatitudini super hoc scripsisse legitur; ipsius mores, vitam & conversationem vestræ Sanctitati studiosè recommendando. Animadvertere itaque dignetur vestra sancta Paternitas; quòd Dominus Robertus totam juvenilem ætatem in liberalium Artium facultatibus transcurrens, in his eminenter imbutum se reddidit; & exinde sacræ Theologiæ adhæsit jugiter disciplinæ. Et sic tandem innocentiæ Scholaris & Magister, Cant. sedem ascendit Archiepiscopalem; totoque tempore suo ministerium sibi creditum fideliter ac studiosè complevit. Et circa morum honestatem diligenter intentus, & in divinis officiis jugiter devotus existens, sibi ipsi vitæ sanctitate multipliciter proficere, aliosque prædicationibus, exemplis variis pariter & doctrinis indies instruere salubriter satagebat. Quo exemplum illius imitatus, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum referebat, staterem gestans in manibus, lances ejusque appendebat libramine, & solum Deum habendo præ oculis, sine delectu pariter justos & pauperes supportavit. Quo quot adversitates, quot tribulationes, quot anxietates & angustias pro juribus & libertatibus Ecclesiæ conservandis idem perpessus fuerat; satis notum extitit ac divulgatum. Nam ut verum fateamur; tuendo statum Ecclesiæ & libertatem, captis suis facultatibus, & Clericis suis & familiâ dispersis, pedes incedere compellebatur quasi solus miserabiliter mendicando; & consequenter extra regnum Angliæ relegatus; ac prædiis suis & possessionibus confiscatis,

† catis,

catis, omnia constanter sustinuit, & jura Ecclesiæ suæ illibata conservavit. Ita quòd nichil aliud arbitramur sibi de veritate Martyris defuisse; nisi quòd prudentia, fides & sapientia Illustrissimi Regis Edwardi, sub cujus alis Ecclesiam erexit, hujusmodi atrocitati censuit esse cedendum. Ante aciem igitur oculorum vestræ Sanctitatis hiis vitæ suæ compendiosè expositis, quædam miracula, quæ inter alia innumerabilia pro ipso operatus est Altissimus, vestri dignissimi Apstolatûs culmini humiliter duximus præsentari: Vestræ Sanctitati flexis genibus humiliter supplicantes, ut ex his, si libeat, aliquali informatione receptâ, vestræ Beatitudinis circumspecta discretio, actibus intenta salubribus & operibus exposita pietatis, æstimet, diffiniat, ordinet, & jubeat, quid ulterius in hoc casu fuerit faciendum, ad divini nominis honorem & gloriam, fideique Catholicæ exaltationem optatam.

Testimonium Walteri de Suthfeld Episcopi Norwicensis de potestate Archiepiscopi Cantuariensis in Prioratu Cantuariensi.

[Ex Registro *Arundel* fol. 15.]

OMnibus præsentes literas inspecturis, W. miseratione divinâ Norwicensis Episcopus salutem in Domino. Quoniam humanæ fragilitatis tam infirma est conditio; quòd ea quæ in præsenti vitâ aguntur, à memoriâ citò decidunt, & non raro oblivionis tenebris obumbrantur; quædam quæ per venerabilem patrem Bonifacium Dei gratiâ Cantuariensem Electum in Ecclesia Cantuariensi fieri vidimus, ad perpetuam ejus rei memoriam in scriptis duximus annotanda. Inprimis vidimus ipsum ingredi Capitulum; quo . . . . omnes Officiales sua deposuerunt officia; & qui claves habebant, eas eidem reddiderunt. Et vidimus præfatum Dominum Electum deferre claves eorum usque ad cameram suam, & eas tradere cuidam Laico servienti suo sæculari. In creatione Prioris sic procedebat. Inprimis omnibus de Conventu in Capitulo præsentibus, inhibuit in virtute obedientiæ & sub pœnâ excommunicationis; ne quis eorum quenquam sibi nominaret gratia vel favore, nisi quem crederet idoneum ad regimen Prioratûs. Post hæc omnibus exeuntibus Capitulum, omnes sigillatim requisivit interrogando unumquemque sic: *Quis tibi videtur magis idoneus ad regimen Prioratus?* Et ipse Electus propriâ manu in talibus scribebat dicta singulorum; ita quod nullus Monachus quid à quo diceretur præscire valeret. Verùm quidam Monachus sedens à remotis scribebat nomina examinatorum & personas nominatas nunc per signa nunc per figuras; prout idem Electus in animo concipiebat. Quid tamen sibi volebant illa signa vel figuræ, nullus sciebat nisi ipse Electus solus. Post hæc omnibus sic examinatis, vidimus Electum recedere: & eâdem nocte præfatus Electus apud Wengham in camerâ suâ nobis & aliis quos volebat præsentibus, excluso Monacho Cantuariensi, dicta sic examinatorum sibi & suo consilio legebat; & quem vellet Priorem præficere tractabat, non multum innitens examinationi sed potiùs suæ propriæ conscientiæ & utilitati domûs. Et cum jam ordinasset cum suo consilio de Nicolao de Sandwich creando in Priorem; in crastino reversus est ad Capitulum; & eum eis nominavit & præfecit Priorem.

Et

Et ſtatim ſurgens, & incipiens, *Miſerere me Deus*, ingreſſus Eccleſiam, ipſum Priorem inſtallavit. Poſt hæc volens de creatione Officialium tractare, juſſit in camera ſua ad ſe venire Priorem & alios Monachos pro ſua voluntate; & ibidem de perſonis præficiendorum tractavit cum eis. Et poſtea ingreſſus eſt Capitulum; & quem volebat ad hanc vel illam nominabat Obedientiam, & officium committebat eidem; quoſdam etiam, prout volebat, ad priora officia reſtituebat, Suppriorum ſc. & alios; & hac una vice omnes infraſcriptos creavit & præfecit; Priorem, Suppriorem, Præcentorem, Cellarium, Camerarium, Sacriſtam, Pœnitentiarios extra & intra. Hæc ſiquidem acta fuerunt apud Cantuariam die Martis proxima ante Feſtum Apoſtolorum Simonis & Judæ, & duobus diebus ſequentibus anno Domini MCCXLIV. In hujus rei teſtimonium nos & Archidiaconus Cantuarienſis, qui omnia præmiſſa vidimus & tractavimus, præſentibus ſigna noſtra apponi fecimus. Scripta etiam, quæ fecit Dominus Electus & Monachus cum examinarentur Monachi, ſimiliter ſignavimus.

Beneficia pertinentia ad collationem ſive præſentationem Archiepiſcopi Cantuarienſis anno MCCCC.

[Ex Regiſtro *Arundel* fol. 258.]

IN Decanatu Cantuarienſi III. viz. Eccleſiæ S. Elphegi Cant. S. Martini Cant. & Michaelis de S. Herbaldoun.

In Decanatu de Brugge VII. viz. Præpoſitura de Wyngham, Eccleſiæ de Ikham, Adeſham, Godmerſham, Chartham, Byſhopesborne, & Vicaria de Godmerſham.

In Decanatu de Cherryng XII. viz. Eccleſiæ de Cherryng, Weſtwell, Cranebrok, Newendon, Sandhurſt, Bydinden, Hathewelden, Plukele, Chart magna, Chart parva, Smerdenne, & Vicaria de Hedecrone.

In Decanatu de Sandwych II. viz. Eccleſiæ de Dale, & de Monyngham magna.

In Decanatu de Lymene XI. viz. Eccleſiæ de Aldyngton, Newechirche, Ivychirche, Wodecherche, Wytricheſham, Rokyngg, Snergate, Romeneye, Orgareſwyke, Mereſham, & Vicaria de Lyde.

In Decanatu de Sutton II. viz. Eccleſiæ de Maydiſtan & de Holyngborne.

In Decanatu de Sydyngborne Eccleſia de Tunſtal.

In Decanatu de Elham III. viz. Eccleſiæ de Lymyng, & Saltwod, & Vicaria de Elham.

In Decanatu de Shoreham Roffenſis Diœceſeos, XVIII. viz. Eccleſiæ de Shorham, Sevenock, Chevenyng, Gynesford, Wrotham, Mepham, Penſhurſt, Chydingſton, Sundreſh, Bradſted, Pekham, Hegham, Orpington, Huntyngton, Northflete, Clyve, Vicariæ de Wrotham & Mepham.

In Decanatu de Croydon Wintonienſis Diœceſeos XV. viz. Eccleſiæ de Croydon, Cheyham, Marſtham, Cherlewode, Burſtowe, Horſlee, Wymbledon, Bernes, Newingtoun, juxta Lambhith, Harewe, Heſee, Preſton, Lambhith, Vicariæ de Croydon & Harewe.

In Decanatu de Pagham Ciceſtrenſis Diœceſeos XVIII. viz. Eccleſiæ de Pagham, Lovente, Slynden, Tangmere, Bokſtede, Omnium Sanctorum in civitate Ciceſtriæ, Suthmallyng, Iſefeld, Adburton, Vicariæ de Pageham, & Maghefeld, Quatuor Præbendæ apud Southmallyng in laico feodo, Præcentoriata quæ habet Eccleſiam de Stanmere, Cancellaria, & Officium Sacriſtæ.

In Decanatu de Terryng VII. viz. Eccleſiæ de Terryng, Pacching, Glynde, Vicariæ de Terryng, Glynde, Ryngemere, Pacching.

In Decanatu de Arcubus in Civitate London VII. viz. Eccleſiæ de Arcubus, Omnium Sanctorum in Bredſtret, S. Dunſtani juxta Turrim, S. Pancratii, & Penſio Prioris in ſingulis tribus poſtremis.

In Decanatu de BokkynggDiœceſeos London. VII. viz. Eccleſiæ de Bokkyng, Stiſtede, Southchirche, Lachyndon. [Norwicenſis Diœc.] Eccleſiæ de Hadelegh, Illegh, Malton.

In Decanatu de Ryſebergh Lincolnienſis Diœceſeos IV. viz. Eccleſiæ de Ryſebergh, Newton, Halton, & Trenge.

THOMÆ

THOMÆ RUDBORNE
Monachi WINTONIENSIS
HISTORIA MAJOR
De Fundatione & Successione
Ecclesiæ VVintoniensis.

ACCEDUNT

Annales Ecclesiæ Wintoniensis ab anno DCXXXIII. ad MCCLXXVII.

Successio Episcoporum Wintoniensium ab anno MCCLXXVII. ad Reformationem.

Epistola Monachorum Wintoniensium ad ALEXANDRUM II. Papam.

Epistola ALEXANDRI II. Papæ ad Monachos Wintonienses.

Epistola ejusdem ad LANFRANCUM Archiepiscopum Cantuariensem de Monachis Wintoniensibus.

LANTFREDI Prologus Historiæ de miraculis S. SWITHUNI.

Successio Priorum Wintoniensis Ecclesiæ.

THOMÆ RUDBORNE HISTORIA MAJOR WINTONIENSIS.

Deest initium Operis, foliis plurimis in utroque Codice desideratis. Epitomen igitur partis desideratæ ab ipso Authore, prout videtur, conscriptam ex Codice MS. Cottoniano Galba *A. 15. apponere erit opportunum. De hac Epitome vide plura in Præfatione.*

PROLOGUS.

TEmpore quo humanæ salutis benignissimus operator Jesus vera pax nostra atque perfecta proprii sub nominis titulo mundo sol nitens radioso lumine humano serenè illuxit generi plurimarum provinciarum; ut nebulosa perfidæ idololatriæ præclarescerent umbracula solatio salutiferi fontis undæ sordida mundi diluentis crimina, in spaciosa orbis climata fervidi caritatis igniferi sunt directi. Et cùm sic patriam illuminantium dulcissimus in omnes terras sonus exivit; devenit in Britannorum confinia, quæ Anglia nunc vocitatur, per religiosissimos firmissimosque æternæ salutis bajulos sonitus tubalis evangelicæ veritatis. Et quamvis per Apostolos cæterosque Christi discipulos in cunctis mundi Partibus ab fidei Christianæ exordio prædicata sit fides & doctrina Evangelii; pauci tamen de populo crediderunt; & de his adhuc multi postea apostataverunt. Sed ex quo Britannia Christi fidem suscepit, semper inter eos ipsa fides remansit integra & à toto deperdito illæsa; licèt per Pelagium Hæreticum & Gentiles Saxones terra sit multùm contaminata. In Walliâ enim & in Cornubiâ semper fides grossos suos protulit præfulgidos. Unde inter cæteras nationes, quas invenimus in fide præceptâ stabiles fuisse, primus fuit populus Britannicus. Nam Francia, quæ per diversas ejus provincias à sanctis patribus fidei signaculo insignita fuisset, ut puta per B. Dionysium, B. Martialem, & cæteros quamplurimos; fides tamen in illis provinciis per aliquanta temporum curricula est extincta usque ad tempora B. Remigii; qui beatus Pater Clodoveum sextum Regem Francorum cum toto sibi subjecto populo circa annum Gratiæ DXX. ad Christi convertit fidem. Qui Clodoveus Rex primus fuit omnium Francorum Regum Christianus; ut scribit Henricus Huntindunensis Archidiaconus libro 2°. & Vincentius Belvacensis in quartâ parte Speculi Historialis, & Ranulphus Cestrensis in suo Polycronico lib. 5. cap. 3. Unde B. Remigius & ejus successores in Sede Remensi Primates totius Franciæ dicuntur ac Apostolicæ Sedis Legati nati. Etiam de Hispaniâ legimus, quòd fidem denuo suscepit Christi sub Papâ Cornelio circa annum Domini CCLX. ut scribit Martinus in Chronicâ suâ. Item de Africâ legitur in Chronica Martini, quòd fidem Christi iterum recepit sub Marcello Pontifice circa annum Dominicæ Incarnationis CCC. Item de Italia invenimus in Gestis Romanorum Pontificum; quòd Christiana est effecta per beatum

Papam

Papam Silvestrem circa annum Domini CCCXL. Idemque patet de cæteris Regnis ac Provinciis; quæ omnia regnum Britanniæ, quæ Anglia nominatur, in stabilitate fidei præcessit, stetit & adhuc stat: sit benedictus conservator in altissimis. Suscepit igitur Britannia, quæ & Anglia, salutifera veritatis sacramenta modo quo in sequentibus utriusque hominis conclarescet luminibus.

CAPITULUM I.

HOnore ac regio diademate gloriosus Princeps Britannorum Lucius insulatus, Christianitatis odoriferamque famam audiens, supra humanæ æstimationis modum & se & regnum suum cum toto sibi subjecto populo caritativo fervore Christianorum cupiebat erudiri doctrinâ salutiferâ. Primo igitur imperii sui anno Legatos ac nuncios præclaros ad summum Romanum Pontificem destinabat, ea quæ pacis ac salutis perpetuæ sunt rogitans; ut sc. tanto Principi ad viam æternæ vitæ adipiscendam anhelanti concesso cœlestis lavacri rivulo Christi Solis æterni serenet radiolum. Orbe in toto tunc præsidente beatissimo Papâ Eleutherio, qui B. Petro Apostolorum Principi duodecimus in Apostolatûs successit cathedram, serenissimus Princeps Lucius sui propositi desideratissimi est consecutus effectum. Nam supra-nominatus Pontifex almifluus Eleutherius,

> Qui, solet excelsos clave ligare polos.
> Qui præstante Deo, solvitque ligamina mundo;
> Et reserat cunctis cœlica regna piis.

Circa annum Dominicæ Incarnationis CLXIV. ut refert † Venerabilis Beda *de gestis Anglorum* lib. 1. cap. 4. & Martinus in *Chronicâ* suâ, & Gildas Historicus, antiquus ille Britannorum conscriptor lib. 1. cap. 7. duos Pontifices, doctores, religiososque viros ac Monachos Faganum & Duvianum, cum plurimis ejusdem voti sibi associatis Monachis, obtutibus præsentavit regiis. Qui memoratum Principem cum totâ sibi subjectâ Provinciâ baptizantes, munusculo fidei ditaverunt insignissimo.

CAPITULUM II.

MInistratâ itaque fideliter & devotè fidelium novellæ plantationi divini verbi annonâ omne delectamentum in se habente, Templisque Deorum & paganosâ purificatis superstitione, uni Deo ejusque Sanctis Ecclesias dedicantes diversas, Monachorum aliorumque Ordinatorum cœtibus prænominati Antistites repleverunt. Præcipuè, ut refert Girardus Cornubiensis

† Annum conversæ à Romanis Legatis Britanniæ Beda loco citato non apposuit. Dicit solummodo conversam esse tempore Eleutherii Papæ; quem anno demum 167. Papatum obtinuisse refert in Epitome, in eo tamen veritatem integro saltem quadriennio antevertens. Si quis autem diversissimas Historicorum de Lucii Regis conversione & tempore sententias exploratas velit, consulat eruditissimum Jacobi Usserii Archiepiscopi Armachani Opus de Primordiis Ecclesiæ Britannicæ, cap. 2. Nobis tanti non sunt fabulæ utcunque splendidæ; ut earundem gratia in Cimmeriis tenebris luctemur. Historiam tamen Wintoniensem evulganti prætermitti non debet, Annales breves Ecclesiæ Wintoniensis (in Bibliotheca Cottoniana *Domitian. A.* 13.) Lucii conversionem ad annum Christi 177. referre.

de gestis Britonum lib. 1. cap. 8. in Cathedralibus Ecclesiis Monachos cœlesti conversatione præditos introduxerunt. Fueruntque tunc in Britannia, quæ modo Anglia dicitur, XXIV. Flamines, qui dicebantur Templorum summi Pontifices; & tres Archiflamines, qui tres sedes habuerunt in tribus nobilioribus Insulæ civitatibus, viz. in Londonia, Eboraco, & in Urbe Legionum in Wallia, quæ Kaerusk olim Britannico sermone dicebatur. Regio Britanniæ quondam erat civitatibus nobilissimis XXVIII. insignita, præter castella innumera, quæ & ipsa muris, turribus, portis ac seris erant instructa firmissimis. *Sic* Alfredus. Civitatum nomina erant, *Kaerleud* i.e. London. *Kaerbranc* i. e. Eboracum. *Kaerkent* i. e. Cantuaria. *Kaergorangon.* i. e. Wigornia. *Kaerlirion* i.e. Leicestria. *Kaerclan* i.e. Gloucestria. *Kaercolden* i.e. Colcestria. *Kaerri* i. e. Cicestria, quæ olim apud Saxones vocabatur Cissancestre. *Kaerveri* i. e. Cirencestre. *Kaergwent* i. e. Wintonia. *Kaergrant* i. e. Cantebrigia. *Kaerleil* i. e. Lugubalia. *Caerperis* i. e. Porcestria. *Caerdorm* i. e. Dorcestria. *Caerludecote* i. e. Lyncolnia. *Caermerthin* i. e. Urbs Merlini. *Caersegent* i. e. Silcestria, quæ super Thamesin non longè à Ridingo ponitur. *Caerleon* sive *Caerlegion* i. e. Urbs Legionum, quæ postea Legecestria dicebatur, sed modò Cestria dicitur. *Caerbadon* i. e. Batonia, quæ aliquando Urbs Athamanni vocabatur. *Caerpaladgin* i. e. Septonia, quæ hodie vocatur Schaftisbery. *Caerpendragon*, quæ & civitas Cridiensis olim, modò transfertur ad Exoniam Sedes Episcopalis. *Caerpengren* i. e. Salopia. *Caersnotynham* i. e. Notynham. Principalis sedes Flaminum erat in urbe Wentana, quæ lingua Britannica nominata est *Kaergwent*.

Hactenus Epitome. Dein rem prosequitur ab ultimis hisce verbis exorsa Historia Major.

* * * * * Tana quæ lingua Britannica Kaergwent . . . . à Flamen dicitur & Filum, i. e. Sacerdotis insignium, quasi Filamen; quia reliquias à collo per filum pendentes portabant. Vel dicitur à filo, quia ubicunque erat Sacerdos, in signum Sacerdotii deferebat Almirium; sed ingruente calore, cum ex caloris nimietate non posset illud deferre, religabat sibi capillos quodam filo; vel flosculum lanæ filo in vertice ligatum deferebat, in signum Sacerdotii. Loco Flaminum prædicti Pontifices Episcopos constituerunt, & loco Archiflaminum Archiepiscopos posuerunt.

Aspiciens utroque lumine gloriosus ac Christianissimus Rex Lucius cultu veræ fidei mirificè esse Regnum magnificatum, maximoque gaudio repletus, possessiones, & terraria, quæ prius Templorum Flamines possederant, in meliorem usum vertens, ipsa Ecclesiis fidelium permanere concessit; augmentandoque eas, amplioribus aquis & mansis, omnique libertate sublimavit. Ecclesiam verò Wintoniensem, quam quadam speciali prærogativa dilexit, solummodò ex fundamentis renovavit, ut scribit Vigilancius in libro *de Basilica Petri* capit. 1°. Monachis verò quousque perficeretur opus pro posse consummandum, mansiusculum cum Oratorio, Dormitorio, ac Refectorio construxit, ut scribit idem Vigilancius.

CAPITULUM III.

De Dedicatione Wintoniensis Ecclesiæ, & de Possessionibus eidem à Rege Lucio concessis.

COmpleto renovationis opere quinto anno Conversionis regiæ, dedicaverunt eam prædicti Antistites & Monachi Faganus & Duvianus in honorem sancti Salvatoris IV. Kalend. Novembris Anno gratiæ CLXIX. & Monachis ipsam repleverunt Deo devotè famulantibus, ac professis sanctam Regulam à Sancto Marco Evangelista traditam; de quâ Regulâ scribit Cassianus *de Institutis Monachorum* libro primo. Abbatemque loci constituerunt Monachum quendam vocabulo *Devotum*.

Statuit insuper inclytus Princeps Lucius Episcopo & Monachis Wintoniensis Ecclesiæ dari Possessiones & Prædia, quæ quondam erant ejusdem Civitatis Flaminum, cum Privilegio eorundem, quorum limites extendebant; ut scribit ille antiquus Britannorum conscriptor Moracius libro primo cap. 9. per duodecim millia passuum per gyrum Civitatis Wentæ, sc. ab unaquaque plagâ Civitatis in duodecim millia passuum.

Insuper, ut scribit idem Moracius ibidem, dedit prædictus Christianissimus Rex Lucius prædictæ Ecclesiæ, quam de novo fundaverat, suburbana Civitatis ejusdem cum privilegio Dunwallonis Molmucii. Iste Dunwallo, ut scribit idem Moracius & Gildas Historiæ suæ 19. & Gaufridus Monumetensis *in Historia Britonum*, cum sextus decimus esset Britonum Rex & Paganitate nimis obvolutus, Leges sancivit, quæ Molmucinæ dicebantur, usque ad tempora Willelmi Conquestoris satis celebres. Inter quæ statuit, ut Civitates & Templa Deorum, viæ ad illa ducentes, ac aratra Colonorum immunitate confugii congauderent: ut quicunque fugitivus sive reus ad ea confugerent, cum veniâ coram inimico suo abiret.

In diebus illis Latronum mucrones cessabant, nec erat qui violentiam alicui ingereret, erantque ab unaquaque parte Civitatis in quolibet duodenario numero passuum octo Viculi optimi. Requievit ex tunc Religio Monastica in Ecclesia Wyntoniensi quieta in pace, & pacificâ possessione, Domino jugiter conjubilans, [a] centum duobus annis, viz. à primo anno Regni Lucii Christianissimi Principis usque annum secundum Diocletiani Tyranni.

[a] Mirè cæcutiunt Monachi nostrates in Chronologia vetustiori. Diocletianus regnare incœpit anno Christi 283. Si à secundo igitur illius anno annos 102. subducamus; Lucii Regis initia in annum 182. juxta Rudburni mentem incidisse deprehendentur. Ipsemet autem Lucium Regem anno 164. ad fidem conversum esse superius tradidit. Parilis in sequentibus error latet. Melius Rudburnus in Historia sua *Minori* MS. S. Albani martyrium in annum 296. conjecerat.

CAPI-

CAPITULUM IV.

De Persecutione Diocletiani Imperatoris in Britannia.

ANNO Gratiæ CCLXVI. interfecti sunt Monachi in Wentanâ Ecclesiâ omnes præter paucos, qui fugam inierunt; & destructum est illud nobile Cœnobium à Ministris Diocletiani in Christi fideles crudelissimi Persecutoris; quum iniquissima & à retrò seculis inaudita in Christianos exercitata est Persecutio, ut refert Venerabilis Beda *de Gestis Anglorum* lib. 1. cap. 4. Quo Persecutionis tempore, illud exercente Maximiano Herculio Principe Militiæ Exercitus prænominati Tyranni, cujus etiam Imperio plurimæ destructæ sunt Ecclesiæ, sacræ Scripturæ Volumina igni sunt tradita, multi religiosissimi Monachi & electi Sacerdotes gladio traditi sunt; qui autem superstites fuerunt cum fidelibus sibi subditis in sylvis abditisve speluncis se occuluerant. Inter quos Christi constantissimos Athletas passus est sanctus Albanus Verolamius in Urbe Verolamiâ, quæ nunc Villa Sancti Albani nuncupatur, in habitu monastico supposita veste peregrini. Nam ita scribit Volensis in libro *de laude Britonum* cap. 15. Passus est, inquit, Sanctus Albanus Verolamius sub caracalla & cucullâ Magistri sui Amphibali Monachi & Doctoris egregii oriundi in Urbe Legionum in Walliâ Britannico sermone *Kaerusk* nominatâ. In cujus Urbis Ecclesia Cathedrali ac totius Walliæ Metropolitana Monachus ad officium Clericatûs promotus est. Hæc Volensis.

Quòd Sanctus Albanus passus sit in habitu Monachali, habetur per Bedam *de Gestis Anglorum* lib. 1. cap. 7. Sed loquor de libro quem composuit in linguâ Saxonicâ *de Gestis Anglorum*, quem scripserat Ceolwlpho Regi Northanhumbrorum, cujus copiam habui in Prioratu Canonicorum de Suthwyk, in quo libro Saxonicè sic habetur: * Ða scs ælbanus for þæm cwinan[a] þæ hæ geferormædæ 7 his mægistræ gegærædæ hinæ þæ his munucan gægære-lanæ Quod latinè taliter sonat: *Tunc sanctus Albanus pro ipsis prius venit; & Magister suus informavit eum & stabilivit in Fide, & præstitit ei habitum suum Monachalem.* Et Thomas Walsingham in Chronicis suis, ubi agit de tempore Regis Edwardi Secundi post Conquestum, dicit, quòd anno istius Regis Edwardi, viz. Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXIV. Idem Dominus Rex in Vigiliâ Ramis Palmarum venit ad Sanctum Albanum, & obtulit beato Martyri quandam Crucem auream diversorum Sanctorum reliquiis insertam & lapidibus pretiosis, commendans se & suos Necessarios ejusdem Sancti tutelæ & precibus Monachorum. Cumque suggestum fuisset ei, quòd Pater suus Chorum Sancti Albani renovasse proposuerat, desiderium Patris explere gestiens, contulit mox centum Marcas argenti & meremium apud Dynestegan quærendum ad opus illud; jubens ut pecuniæ nullo modo parcerent, quin opus illud ad hono-

[a] l. cuman.

* Viderat Rudburnus Saxonicam Versionem Historiæ Bedæ ab Alfredo Rege elucubratam. Quam Alfredo deberi nescius, ipsi Bedæ inscripsit. Locus habetur in editione Cantabrigiensi pag. 32. nonnihil castigatior. Verba Rudburnus, seu fraudi id seu literarum Saxonicarum inscitiæ tribuendum, pessimè convertit. Sic enim authentica Bedæ, quæ Alfredus Saxonicè reddidit, verba habent: *Se S. Albanus pro hospite ac magistro suo ipsius habitu, id est caracallâ quâ vestiebatur, indutus militibus exhibuit.*

rem divi & beati Albani Anglorum Protomartyris irreprehensibiliter consummarent. In crastino Diei Palmarum Rex iter versus Insulam Eliensem arripuit, ubi solempnitatem Paschalem tenuit nobiliter & festivè. Quo tempore Elienses errantes dicentes se Corpus habere Sancti Anglorum Protomartyris manifestissimè confutavit coram Regni Nobilibus & Monachis dicti loci. Jam cùm ad alleviandam moram suam in Monasterio oculis diversa subiret, variaque videre vellet ibidem; tandem incidit menti ejus, ut videret, quid esset contentum in feretro quod beati Albani vocant in Ecclesia memorata, dixitque Episcopo, qui tunc aderat, Eliensi: Scis, inquit, quod fratres mei apud Sanctum Albanum Corpus ejusdem Martyris putant se veraciter habere, & in hoc loco dicunt Monachi se dicti Sancti corpus tenere: Per animam Dei (inquit) volo videre, in quo loco reliquias Sancti Corporis debeo potissimum venerari. Cum Præsul verba Regis Priori & Fratribus retulisset; illi, viz. exsangues effecti, quid responderent, quidve facerent nesciebant; ex unâ parte timentes amittere tantum thesaurum, si verum esset, quod apud eos foret; ex alterâ convicti de mendacio metuentes, quia hoc prædicaverant se habere. Nesciebant enim pro tunc quid in dicto feretro contineretur. Episcopus videns suorum consternationem, animavit eos, ut confiderent; quia non ad auferendum tantum Thesaurum, sed venerandum Rex aspectum reliquiarum requisivit. Ventum est ergo in Ecclesiam, & Feretrum solutum & apertum est per quendam Monachum Alanum de Walsingham dictum, qui postea proficientibus meritis Prior factus est illius Ecclesiæ, qui & ipse peritus erat in opere aurifabrili, & ideo ad solvendum feretrum tunc vocatus. Rex verò cùm vidisset cunctos clavos extractos, ad feretrum patefaciendum accessit, & levavit operculum manu sua. Et ecce vident locellum illud à summo usque deorsum quodam panno villoso ita occupatum, ut nihil possit aliud continere. In superiori vero parte vestimenti conspiciunt cruoris coagula, densè respersa, ita nova, ita recentia quasi pridiè fuissent effusa. Cum quo panno inventa est Scriptura antiqua ita se habens: *Hæc est Cuculla Sancti Amphibali Monachi & Sancti Albani Præceptoris, sub qua passus est Sanctus Albanus Angliæ Protomartyr sub Persecutione Diocletiani Imperatoris in omnes Christianos sævissimâ.* Et fas est credere, quòd ad honorem Sancti divino miraculo sanguis ejus sit in hâc veste servatus, sicut in pulvere sui sepulchri per multa sæcula legitur conservatus. Cujus pulveris massam, in qua rubebat adhuc sanguis Martyris, Sanctus Germanus Antissiodorensis Episcopus secum abstulit & detulit ad natale suum, Antissiodoræ capellam construens in honorem Martyris memorati. Rex igitur & omnes assistentes de tanto miraculo stupefacti proni corruerunt in terram; & facta est non parva hæsitatio, quis accederet ad deponendum operculum & feretrum contegendum. Tandem Rex ipse cæteris animosior operculum detraxit ad locum suum; & tunc primò cognoverunt Elienses, quid de Sancto Albano haberent, quid non haberent, cum oculatâ fide cernerent in dicto feretro præter caracallam sive cucullam nihil omnino contineri. Rex verò hilarior effectus de rei compertâ veritate, dedit illis dona varia: Residuum temporis, quo mansit ibidem, ducens in summâ lætitiâ, frequenter conferens de merito Martyris Albani & gloriâ, & indicans non sine Dominicâ factum providentiâ, ut in duobus locis tam celebribus specialis veneratio Sancti Martyris haberetur. Et ait Eliensibus: Gaudete de dicto munere, gaudete de tanti Martyris meritis & sanctitate: quia si, prout dicitis, hîc Deus per illum plura facit miracula ratione vestis, credatis quòd apud Sanctum Albanum ampliora facit miracula ratione corporis illius sanctissimi quiescentis.

CAPITU-

CAPITULUM V.

De Paſſione Sancti Amphibali Sociorumque ejus.

NON multò poſt paſſionem Sancti Protomartyris Anglorum beati Albani martyrizatus eſt Sanctus Amphibalus cum novem Sociis apud Villam de Redborne per tria milliaria à villâ Sancti Albani. Ipſe verò ſanctus Amphibalus, ut ejus habet texta Paſſionis, primò patefactis viſceribus, & inteſtinis ejectis, & poſt lanceis confoſſus, occubuit, tandem lapidibus conquaſſatus. De novem verò ſociis ſuis quidam occubuerunt gladiis cæſi, alii lanceis tranſverberati, alii decapitati. Quorum corpora inventa ſunt anno ab incarnatione Verbi MCLXXVIII. tempore Regis Henrici ſecundi, ut ſcribit Matthæus Pariſiacenſis in Chronicis ſuis, agens de temporibus ejuſdem Principis. Inter reliquias autem Athletæ Chriſti Amphibali cultelli duo magni inventi fuerunt. Unus in teſtâ Capitis, & alter circa præcordia. Qui cultelli uſque hodie apud Redborne in Capella Sancti Jacobi in magnâ habentur veneratione. In honorem iſtius Sancti Amphibali dedicata erat olim Eccleſia Wintonienſis ; ut in ſequenti capitulo declarabitur.

CAPITULUM VI.

De ſecunda fundatione Eccleſiæ Wyntonienſis, & ſecundo introitu Monachorum in ipſam Eccleſiam.

CUM enim multum valeant apud juſtum judicem Deum juſtorum preces aſſiduæ ; aſcenderunt Lachrymæ ſuorum fidelium in conſpectu Conditoris altiſſimi, & ſedatum eſt graviſſimæ Perſecutionis ac infideliſſimæ percuſſionis jaculum fulminoſum, completo viz. ſpatio viginti duorum annorum. Unde Chriſtiani, qui prius in ſylvis opaciſſimiſque locis ſe poſuerant in abſconſo, in publicum ſe oſtendentes renovant Eccleſias, quæ uſque ad ſolum undique erant deſtructæ. Quo in tempore reædificata eſt Eccleſia Wyntonienſis ſecundò ab Chriſti Fidelium oblationibus : non tamen tantum ſpatium continebat Eccleſia , neque ſitus Monaſterii, nec ejuſdem loca, ſicut prius Monaſterium à Lucio Rege fundatum continebat. Eratque menſura Eccleſiæ, quam primitus Rex Lucius fundaverat, ſecundùm Moracium Lib. 1. cap. 2. in longitudine ducentorum & novem paſſuum, in latitudine octoginta paſſuum, in altitudine nonaginta duorum paſſuum ; ab uno cornu ex tranſverſo Eccleſiæ in alterum, erant paſſus centum octoginta. Situs Monaſterii ex parte Orientali Eccleſiæ erat centum paſſuum in longitudine verſus, vetus Templum Concordiæ, & quadraginta paſſuum in latitudine verſus novum Templum Apollinis. Ex parte Aquilonari in longitudine erant paſſus centum ſexaginta, in latitudine nonaginta octo. Ab occidentali plagâ Eccleſiæ erant paſſus centum nonaginta, in latitudine centum. Ex Auſtrali plagâ, erant paſſus in longitudine quadringenti quinque, in latitudine quingenti octaginta. In hâc plagâ ſituatum eſt Palatium Epiſcopale, domus neceſſariæ, ac officinæ Monachorum.

Constructa sic denuò Ecclesiâ Wentanâ, Monachi secundò ipsam reintrant, scilicet Anno Dominicæ Incarnationis CCXCIII. Et tunc ad requisitionem Deodati Abbatis de novo vetus Cœnobium in honorem Sancti Amphibali Sociorumque ejus constructum est, ministerium Dedicationis solempniter perficiente Constante, tunc in eadem Ecclesia pontificante, Nonas Junii; ut scribunt Girardus Cornubiensis, *de Gestis Britonum* libr. 3. cap. 8. & Vigilantius in libro *de Basilica Petri* capitulo 5. Dedicata sic ac renovata Ecclesia Wintoniensis in honorem Sancti Amphibali Martyris, quæ extunc hoc nomen sumpsit, sc. Vetus Cœnobium. Requieverunt in ea Monachi, in ympnis & spiritualibus Canticis Domino devotissimè vacantes, fermè ducentis decem annis, usque ad adventum Cerdici sive Cerdicii Saxonici viri, qui primus extitit Occidentalium Saxonum Rex, de quo plenius in sequenti secundo libro aliqua dicentur.

CONSTANS.

Explicit Liber primus de fundatione Wentanæ Ecclesiæ in tempore Britonum. Incipit Liber secundus de Regibus & Pontificibus Wyntoniensibus in eorum temporibus ante Monarchiam, & de tertiâ fundatione Wyntoniensis Ecclesiæ per Kynegilsum Regem.

LIBER

LIBER II.

CAPITULUM I.

De Cerdico Rege.

CUM Provincia Britonum, quæ modò Anglia nominatur, Saxonum temporibus in octo Regna diviſa fuerit, viz. in Regnum Cantiæ, Regnum Auſtralium Saxonum, Regnum Orientalium Saxonum Regnum Orientalium Anglorum, Regnum Weſt-Saxonum, Regnum Merciorum, Regnum Northamhumbrorum, quod in duo dividebatur Regna, viz. in Regnum Deirorum, quod eſt pars Aquilonaris citra fluvium Humbræ, & in Regnum Berniciorum, quod eſt pars Aquilonaris ultra flumen Humbræ. Regnum Occidentalium Saxonum, ut ſcribit Willelmus Malmſburienſis *de Regibus* Libr. primo, érat magnificentius & diuturnius, quia per Reges hujus Provinciæ incœpit Monarchia totius Angliæ. Regnum iſtud Occidentalium Saxonum incœpit à quodam Saxonico, qui Cerdicus, ſive Cerdicius dictus eſt. Hic genere Germanus à Wodeno quippe decimus, cum Kenrico filio ſuo in Britanniam venit Anno Dominicæ Incarnationis CCCCXCV. poſt mortem Hengiſti Anno octavo; & applicuit in loco, qui poſtea de nomine ejus Cerdikyſore i. e. Portus Cerdici dicebatur, ut ſcribit Auctor in Flores Hiſtoriarum ſub Anno Gratiæ CCCCXCV. Eo verò die quo applicuit Cerdicus, convenit univerſa multitudo Provinciæ contra Cerdicum & ſuos, & pugnam viriliter commiſerunt; ſed tandem devictis Britonibus, Pagani non ſine frequentibus bellis Incolarum, littora Maris ibidem magis ac magis occupare cœperunt. Ab iſto Cerdico Reges Occidentalium Saxonum originem duxerunt. Venit enim in Britanniam ſecundùm Auctorem in Flores Hiſtoriarum anno triceſimo Regni Regis Britonum Aurelii Ambroſii, Cerdicus ſive Cerdicius, ſuper Britones plures exercens victorias. Poſt adventum ſuum Anno XXIV. Monarchiam Occidentalium Saxonúmque adeptus Regni Diadema ſuſcepit, coronatus more gentili apud Wyntoniam in loco quem de Chriſti Eccleſia, i. e. Wyntonienſi, Monachis interfectis, Pagani templum fecerant Dagon anno Dominicæ Incarnationis DXVI. anno ſecundo Regni Arthuri Regis Britonum. Iſto anno Cerdicus ſive Cerdicius ſæpius cum Arthuro confligens, pertæſus Arthurus cum Cerdicio deinceps prælia inire, fœdus cum illo pepigit, & datis ſibi Hampſhiriâ, Suthreiâ, Wyltſhirâ, Somerſetoniâ, has Provincias quondam Regni ſui derelinquens, tradidit in manus hoſtiles; quas plagas, occiſis Britonibus, novis replevit Saxonibus. Mordredus verò cognatus Arthuri, Cerdicium convocans in auxilium contra Arthurum, proponens dimicare, addidit Dominio Cerdicii præter prædictas Provincias Dorſetenſem, Devonienſem & Cornubiam, quas Provincias, exceptâ Cornubiâ, Britonibus expulſis & interfectis, replevit Saxonibus. Conceſſit enim Cerdicius Cornubienſibus, ut ſub annuo tributo ritum Chriſtianæ Religionis obſervarent.

Quod de Rege Arthuro quidam ſcribunt Chronicantes, quòd duodecies Saxones debellavit, hoc quidem ejus laudi congruit. Sed quod addunt, viz. quòd omnes Anglos ſibi tributarios fecit, primum ad hoc ſi placeat Britonibus, minimè videtur laude dignus; quia excæcatus timore, tædio, & munere, pro tributo datur patria alienigenis, trucidantur Britones, & de Terrâ Gewyſſeorum fit Occidentalium Saxonum Regnum & Dominium. Dicitur

enim Terra Gewysseorum ut scribit Auctor *de Concordantiis Chronicantium*, à Gewyssa filiâ Claudii Cæsaris, quæ desponsata erat Arvirago Regi Britonum cui, Provincia, quæ postmodum dicta est West-Saxonia, data est in sortem Matrimonii. Quod dicunt Arthurum circumjacentes Terras Britanniæ in ditionem accepisse; quid commendabile aliena invadere, & sua negligere, & permittere ad exterminium devenire, si ita se haberet? Quod Lucium Imperatorem cum Romano exercitu Parisiis devicit, ut volunt Gaufridus Monumetensis, & Walterus Oxenfordensis Archidiaconus, quomodo stabit non sentio. Dicit enim prædictus Episcopus de Sancto Asaph Gaufridus cum præfato Archidiacono sub hiis verbis: *Tunc multa millia Romanorum conciderunt, tunc & Lucius Imperator infra turmas occupatus*, cujusdam lancea confossus interiit. Et tunc nullus Imperator erat in diebus Arthuri, qui Lucius vocabatur. Nam Arthurus, * ut scribunt Gaufridus, & Walterus coronatus est in Regem super Britones anno Dominicæ Incarnationis DXV. cum quindecim esset annorum; & sic regnavit super Britones viginti septem annis, quia defunctus est anno Dominicæ Incarnationis DXLII. Arthurus verò regnabat decem & novem annis tempore Justini Imperatoris, qui Justinus coronatus est (per Beatum Ivonem Carnotensem libro suo *de Imperatoribus* cap. 53.) anno Dominicæ Incarnationis DXI. sic quòd imperabat antequam Arthurus regnaret in Britanniâ quatuor annis. Et imperavit in toto Justinus viginti tribus annis. Et etiam Arthurus regnabat octo annis tempore Justiniani Imperatoris, qui immediatè successit Justino. Et ita nullus Imperator erat, qui Lucius vocabatur temporibus Arthuri. Quomodo ergo conflictum haberet cum eo, qui non erat? Ætas Arthuri non excedebat XLII. annos. Dicunt & prædicti Gaufridus & Walterus, quòd cuidam Frolloni Romæ Tribuno Gallia Provincia commissa est sub Leone Imperatore, de quo Arthurus triumphavit, & Frollonem interfecit. Quod non videtur verum; cum nullus Leo imperavit diebus Arthuri. Nam ut tradit Beatus Ivo Carnotensis in Chronicis suis *de Romanorum Imperatoribus* cap. 59. Leo Magnus assecutus est Imperium anno Dominicæ Incarnationis CCCCL. quo tempore non erat Arthurus natus in Mundo. Quomodo ergo pugnaret cum Frollone tempore primi Leonis Imperatoris, cum Leo secundus imperavit anno Dominicæ Incarnationis CCCCLXVIII. & adhuc Arthurus non oritur in lucem. Leo III. imperavit anno ab incarnato Verbo DCCVIII. & antea multo tempore Arthurus moriebatur. Et ut prædiximus, præfati Gaufridus & Walterus dicunt ipsum fore mortuum Anno Domini DXLII.

Anno octavo adventus Cerdici sive Cerdicii in terram Gewysseorum, viz. anno Gratiæ DI. quidem Saxonicus nomine Port, & duo Filii ejus Bleta & Magla, cum duabus navibus applicuerunt in Britanniam in loco qui de nomine Portemuthæ nomen accepit. Porro Ducem Regionis illius expellentes, Maris littora occupaverunt; ut scribit Auctor in Flores Historiarum sub anno Gratiæ DI. Postmodum se Cerdicio subdiderunt, Provinciam illam ab ipso tenentes, anno quinto decimo Cerdici sive Cerdicii & anno Dominicæ Incarnationis DVIII. secundùm Auctorem in Flores Historiarum. Sub eodem annorum numero ipse Cerdicus & filius ejus Kenricus, Britones ad prælium provocaverunt. Infirmabatur enim Utherpendragon Rex Britannicæ

* De Arthuri tempore inter Historicos non convenit. Regni initia posuit Vincentius Bellovacensis in anno 467. Florilegus & David Powelus in anno 516. Ranulphus Cestrensis & Johannes Tinmuthensis in anno 528. Exitum plures referunt in annum 542. Annales tamen Waverleienses in annum 545.

Gentis,

Gentis, nec se potuit in latus declinare. Unde Ducem Nathanleoch Principem Militiæ suæ ordinavit. Convenientibus autem Saxonibus & Britonibus pugnam contra acriter commiserunt; sed Saxones aciebus perforatis Ducem Nathanleoch peremerunt. Corruerunt etiam cum eo ex Britonibus quinque millia Virorum, & Saxones cum victoriâ lætantes recesserunt, Anno XXXV. post adventum Cerdici in Britanniam, & Anno Regni ejus in Provinciâ Occidentalium Saxonum duodecimo ipse Cerdicus & Filius ejus Kenricus, congregatis ingentibus Armatorum copiis, apud Vectam Insulam stragem magnam ibidem hominum fecerunt apud Wythgaresbyri; & locus ille dicitur Wythgaresbri propter quod postea secutum est sc. quòd ibi Wythgarus, nepos Cerdici, cui ipse Cerdicus Insulam concessit, ibi sepultus est. Et sic Cerdicus cum Filio Kenrico totam Insulam subdiderunt. Et sic Cerdicus Regno Occidentalium Saxonum potitus, cum regnâsset quindecim annis, regnum totum relinquens Kenrico filio suo præter Insulam Vectam, quam dedit Wythgaro Nepoti suo, obiit, & Wyntoniæ in Templo Dagon more Paganorum sepultus est, Anno † Dominicæ Incarnationis DXXX.

Hæc Insula Vecta barbarice dicitur Wyth: à Wythgaro Principe illius Insulæ nomen sortita est; sed Latino eloquio dicitur Insula Vecta; quia nullus ibi venit vel ad Insulam ipsam aggreditur nisi navi vehatur; ut scribit Auctor *de Concordantiis Anglicarum Historiarum* sub literâ *V*. Legi etiam in quadam Chronicâ vetustissimâ, quòd Insula Vecta dicebatur, quia tempore Britonum Vectigalia regia tributa Romanorum in Insulâ illâ numerabantur & solvebantur, & etiam in Insulâ illâ quasi Stapula totius Mercandiæ Regni Britanniæ.

Cerdico successerunt per ordinem in Regnum Occidentalium Saxonum Kenricus, Ceaulinus, Ceolricus, Kenulphus, deinde Kynegilsus Anno Dominicæ Incarnationis DCX. qui Regnum adeptus Occidentalium Saxonum vicesimo Regni sui anno ad Christi fidem conversus est cum totâ sibi subjectâ Provinciâ: & anno quarto suæ Conversionis incœpit fundare Ecclesiam Cathedralem Wynton, destruens illud templum Dagon, quod Cerdicus construxerat; sed morte invalescente non potuit perficere, quod incœperat. Propterea assignatâ totâ Terrâ in circuitu Civitatis Wentæ sc. ad spatium septem milliariorum ad constructionem Sedis Episcopalis & ad sustentationem Monachorum in Ecclesiâ Wyntoniensi, opus incœptum Filio suo Kynewaldo reliquit complendum. Sicque ritè dispositis per omnia Regni negotiis, cum regnâsset annis XXXI. diem clausit extremum, & in Wyntoniâ, quam fundare incœperat, honorificè sepelitur; ut tradit Giraldus Cornubiensis, *de Gestis Regum West-Saxonum* libr. 3. cap. 6. Et idem scribit Vigilantius in libr. *de Basilica Petri* cap. 1.

† Paulò aliter Chronologia Saxonica; juxta quam Cerdicus obiit anno 534. Cui successit Cynricus filius annos 26. Illi Ceaulinus successit anno 560. è vivis sublatus anno 593. Ceolulphus seu Kenulphus regnare incœpit anno 597. Kinegilsus anno 611.

CAPI-

CAPITULUM II.

De Sancto Birino Episcopo, & qualiter Kynegilsum Regem ad Christi fidem convertit.

BIRINUS.

ANNO ab incarnato Verbo DCXXXV, beatus Birinus * Pontifex, Doctor egregius, & Monachus Ordinis Sancti Benedicti, qui habitum Monasticum suscepit in Monasterio Sancti Andreæ Romæ, quod Beatus Gregorius construxerat, missus ab Honorio venit in Terram Gewyseorum; & Regem illius Provinciæ Kynegilsum nomine, cum omni populo illius Regionis ad Christi fidem convertit. Suscepit enim Kynegilsum Regem de fonte Sanctus Oswaldus Rex Northamhumbrorum, qui nutu Dei tunc contigit affuisse, cujus Filiam erat accepturus in conjugem. Et donaverunt ei ambo Reges Villam de Darkestre, ad faciendum inibi sedem Episcopalem; Kynegilsus Rex donavit, & Oswaldus confirmavit donum, testimonium Donationis perhibendo: & propter hoc dicit, *donaverunt ei ambo Reges*, ut scribit Auctor *de Concordantis Historiarum Angliæ* sub litera V. Monachos † Ordinis Sancti Benedicti, quos secum ad prædicandum Verbum Dei adduxerat, posuit in veteri Cœnobio Wyntoniæ. Et anno sexto Kynewaldi Regis, * perfectâ fabricâ Wentanæ Ecclesiæ, cœtuque Monachorum convenienti decoratâ, dedicavit ipsam Basilicam Christi Symmysta beatus Birinus in honorem summæ ac individuæ Trinitatis anno duodecimo sui Apostolatûs. Venit enim almifluus Christi Confessor Birinus in Angliam XLI. anno post adventum Sancti Augustini; qui cum quatuordecim annis Pontificatum strenuè rexisset, spiritum Cœlis reddidit III. Nonas Decembris: & in Dorkecestensi Ecclesiâ corpus ejus super aurum & topazium preciosius honorificè primitus erat reconditum.

Quæstionem dignissimam piè legentibus proponimus cum supportatione eorum qui audiunt, ut non invidia mentes intellectusque objurget moventis, sed pia motio indulgentiam postulat interrogantis. Numquid cum Primas alicujus Provinciæ dicatur per Florentium in *Florario historiali* lib. 2. cap. 18. eo quod primitus Provinciam illam vel Regnum illud vel Provinciam aliquam in Regno ad fidem convertit Christianam; sedes Wyntoniensis Ecclesiæ sedes sit Angliæ primaria? Augustinus primus Anglorum Apostolus immediatè à beato Gregorio in Angliam missus pro tunc adhuc Britanniam dictam nec immeritò Primas totius Angliæ dicitur, quia partem aliquotam Gentis illius in propriâ personâ salutaris undæ lavacro perfudit, & primus, anno Domini DXCIV. Ad Eboracensem verò Provinciam ipse Augustinus Monachus Paulinum, unum ex suis commonachis, destinavit; qui Gentem illam

* Birinum in West-Saxonia appulisse anno 634. Cinegilsum Regem baptizâsse anno 635. nos docet Chronologia Saxonica; quæ cum ubivis alios post Bedam Historicos auctoritate superet, tum præcipue in rebus West-Saxonicis fidem meretur, ab incola illius regni haud dubio scripta. Birini adventum Rudburnus in Historia *Minori* in annum 628. conjecerat. Paulo inferius autem in annum ab Augustini adventu 41. in hoc Malmsburiensem quàm proxime secutus.

† Addunt Annales breves Wintonienses supra citati Birinum super Monachos Wintoniæ positos constituisse Monachum quendam de Monte Cassino nomine Benedictum, quem secum adduxerat.

* Uberius Annales breves Wintonienses. *Anno regni Kynewaldi VI. anno gratiæ DCXLVIII. Ab adventu B. Birini concurrunt anni DCCCCXIX.* Scripti siquidem erant hi Annales anno 1454. quod ex innumeris locis constat. Rudburnus Basilicam consecratam dicit anno 12. Apostolatus Birini, viz. juxta calculum ipsius anno 647. Is autem annis non convenit cum anno sexto Kynewalchi Regis, qui regnum auspicatus est anno 643. teste Chronologia Saxonica.

con-

convertit ad Fidem; & ille Paulinus, quamvis non immediatè à Papâ, sed mediatè summi Pontificis Legato, fuerit directus, ipse tamen propter causam prætactam & successores sui in sede Eboracensi nomine & dignitate Primatis, ac Apostolicæ Sedis Legati funguntur. Cur ergo Wyntoniensis Episcopus eodem non gaudet Privilegio? Nam beatus Birinus primus Gewyseorum Episcopus non mediante Papæ Legato, sed immediatè XLI. anno post adventum beati Augustini missus est à beato Papâ Honorio, ut residuam Angliæ partem permaximam quidem, quam Augustinus inconversam reliquerat, Fidei signaculo insigniret. Mirum ergo videtur hanc moventi quæstiunculam, cur non Primatis nomine & dignitate cum privilegio Wentani Pontifices sicut & cæteri Anglorum Primates quàm gloriosè præpolleant.

CAPITULUM III.

De Kynewaldo Rege & Agilberto, Wino & Eleutherio Episcopis Wyntoniæ.

ANNO * Dominicæ Incarnationis DCXLVIII. & anno Regni Regis Kynewaldi VIII. beatus Birinus primus Occidentalium Saxonum Pontifex, migravit ad Dominum. Sibi Successorem providit Kynewaldus Rex de Agilberto Natione Gallo, hic Kynewaldus succedens Patri in Regnum Patris non erat immemor præcepti, sed opus à Patre incæptum quàm studiosius adimplevit, & multipliciter Wyntoniensem Ecclesiam nobilitavit. Hic tria Maneria veteri Cœnobio Wintoniæ contulit, viz. ———— [*Vide Annales sequentes.*] Qui cum regnasset † XXXI. annis, quievit in Domino, & Wyntoniæ in Ecclesiâ Cathedrali sepelitur sub summo Altari. Hic Kynewaldus, ut scribit Willielmus Meldunensis *de Regibus* lib. 1. medio tempore & ultimo optimis Principibus erat comparandus.

AGILBERTUS.

Iste Kynewaldus Rex, defuncto sanctissimo Patre Birino, ut diximus, ordinavit in Episcopum Wyntoniensem Agilbertum, natione Gallum, ac Monachum; qui XV. annos curam exercuit pastoralem. * Sed demum per

* Annus octavus Kynewaldi Regis componitur cum anno Christi 650. Atque illo quidem anno Birinum obiisse produnt Annales breves Wintonienses. Rem confirmat Chronologia Saxonica, Agilbertum Birino anno 650. substitutum esse perhibens. Addunt tamen iidem Annales Birinum sedisse annis duntaxat 14. qui quidem calculus anno 648. melius congruit; nisi forsan à sede Episcopali Birino per Kynegilsum data Pontificatus exordium ducamus.

† Annos duntaxat 29. agnoscit Chronologia Saxonica; quæ regnum ejus in anno 643. incœptum in anno 672. terminat. Iste, ut Annalium brevium Winton. verbis utar, *post mortem Birini propria auctoritate ac regia Sedem Episcopalem totius provinciæ Gewiseorum statuit Wyntoniæ in Ecclesia qua modo Vetus nominatur Cœnobium.*

* Non expulsus à Rege Kynewalcho, seu injuria quadam sibi illata offensus Agilbertus Episcopatum deseruit. Rex enim fidei sacramenta linguâ sibi notâ (quod ab Agilberto Gallo fieri non potuit) tradi cupiens, suæ gentis hominem Wini in Gallia ordinatum sibi adhibuit, atque illi sedem Episcopalem in Wintonia posuit, inconsulto Agilberto, qui Dorcestriæ tunc Sedem habuit. Id ægrè ferens Agilbertus è Westsaxoniâ recessit. Ista constant ex Bedæ Historiâ lib. 3. cap. 7. Factum id anno 660. Chronologia Saxonica testatur. Non tamen recta in Galliam, sed in Northanimbriam ad Alchfridum Regem, cui amicitiâ conjunctus erat, secessisse videtur. Anno enim 664. Colloquio Streaneschalchensi interfuit, authore Beda l. 3. c. 25, 26. Nollem quidem Chronologiæ Saxonicæ fidem leviter abrogare. In id tamen propendet animus, rationibus non contemnendis ductus, ut Agilberti recessionem in annum 662. à Rudburno positum, vel potius in annum sequentem referam. Wini enim triennio Sedem Wintoniensem obtinuisse Chronologia Saxonica perhibet. Pulsum autem anno 666. fuisse & Florentius Wigorniensis & Radulphus de Diceto (Abbrev. Chron. p. 439.) produnt. Neque ipse Rudburnus refragatur; annos siquidem 15. Agilberti pontificatui datos ab anno 648. antea exorsus.

Kynewal-

Kynewaldum Regem expulsus factus est Episcopus Parisiacensis; † hic Agilbertus rogatu Oswii Regis Northamhumbrorum in partes illas deveniens causâ prædicandi Verbum Dei, sicut erat Prædicator egregius, & Doctor, & Monachus, ut potest elici ex Vita sancti Eleutherii Episcopi, Wilfridum magnum puerum acris ingenii, qui XIV. ætatis suæ anno Monasterium Lyndisfarnense expetiit, ad ordinem promovit Sacerdotii; ut scribit Beda *de Gestis Anglorum* lib. 5. cap. 19.

WINE.

Expulso sic Agilberto, Wynus Natione Anglus, ac Monachus Wyntoniensis Ecclesiæ, successit in Episcopatu, Anno Dominicæ Incarnationis DCLXII. & Anno Regni Regis Kynewaldi XIV. ut habetur per Vigilantium in libro *de Basilica Petri*. Qui Wynus post biennium per Regem Kynewaldum similiter expulsus emit à Rege Merciorum Wilfero Sedem London Civitatis; ubi longo tempore Cathedram tenuit Pontificialem. Sed triennio * ante mortem suam pœnitentiâ ductus pro Symoniâ, Episcopatum deserens, reliquam partem vitæ suæ in Wyntoniensi Ecclesiâ, ubi & primò infulatus est, sub monasticâ conversatione peregit, in qua corpus ejus decentissimè traditur sepulturæ; ut scribit Florentius in *Florario Historiali* lib. 3. cap. 6. Semper apud semetipsum hæc verba ruminabat. *Erravimus Juvenes, emendemus Senes.*

ELEUTHERIUS.

Post expulsionem Wyni, vacavit Sedes Wyntoniensis quatuor annis, & tunc ad rogatum Agilberti Episcopi Parisiacensis Eleutherius nepos ejusdem Agilberti, vir demirandæ Sanctitatis & Doctrinæ, ac monasticæ Religionis, in Pontificatum Wentanæ Civitatis assumitur; & sedit annis septem, & in Dorkcestensi Ecclesia sepultus est. Hic cum sancto Adelmo Doctore & Monacho fundavit Cœnobium Meldunense, ut scribit Willelmus Malmesburiensis *de Pontificibus* lib. 1. Istius Pontificis anno sexto, † obiit Kynewaldus Rex. Hic à Theodoro Archiepiscopo Cantuariæ consecratus est.

HEDDA.

Defuncto * Eleutherio Antistite, Anno, viz. Gratiæ DCLXXIV. successit Hedda, qui prius fuit Monachus & Abbas in Monasterio, quod tunc Streneshalce sed nunc Whyteby nuncupatur; qui Miraculorum gloria nobiliter insignitus primum hujus Provinciæ Patronum & Apostolum sanctissimum Birinum à Dorkecestra simul cum sede transtulit in Wyntoniam in Ecclesiam quæ modò dicitur Apostolorum Petri & Pauli & Sancti Swythuni Confessoris, tunc dedicata erat, ut superius diximus, in honorem summæ Trinitatis. Cum ista translatione concordant Beda *de Gestis Anglorum*, Willelmus Meldunensis, Auctor in Flores Historiarum, & Ranulphus Cestrensis in suo *Polycronico*. Et metricè sic scribit Lantfredus in Libro de Fundatione Wentanæ Ecclesiæ, qui intitulatur *Liber Fundamenti*.

---

† Anno 664. Episcopus Parisiensis jam factus Wilfridum Episcopum in Gallia consecravit, authore Stephano Heddio in Vitâ Wilfridi cap. 12.

* Contra Beda Hist. Eccl. lib. 3 cap. 7. Wini *Londoniæ civitatis Episcopum ad terminum usque vitæ suæ mansisse* refert. Tempus vacationis Ecclesiæ Winton. post expulsum Wini Rudburnus non malè posuit. *Tempore non pauco* vacasse Beda loco citato confirmat. Vacavit siquidem ab anno 666. ad 670. quo Lotharius sive Eleutherius à Theodoro Archiepiscopo Cant. consecratus Episcopatum Winton. accepit juxta Chronologiam Saxonicam & Florentium.

† Rectius anno secundo vel tertio. Obiit enim Kynewalchius anno 672. authore Chronologo Saxone; Anno 671. juxta Rudburnum in Historia *Minori*.

* Rectius Eleutherius anno 676 obiisse dicitur à Florentio Wigorniensi; cui suffragatur Chronologia Saxonica, quæ Heddæ successoris introitum eodem anno reposuit; & Willelmus Malmsburiensis, qui Episcopatum 7 annis ab Eleutherio gestum scribit. Interfuit. Eleutherius Synodo Herefordensi anno 673. Beda l. 4. c. 5.

Quisquis

Quisquis [a] ut hoc templum beneficia poscere quærit,
Impetret à Domino gaudia plena pio.
Qua Vir Apostolicus jacet almus & ille Birinus,
Has lavacro Gentes qui lavit occiduas.

[a] l. ad.

Et in Decretis Theodori Dorobernensis Archiepiscopi, nunc Cantuariensis, Decreto secundo, sic habetur: *Nolumus*, inquit summus Anglorum Pontifex Theodorus, *imo nobis non congruit, ipso Fratre nostro sanctissimo Hedda superstite, qui Ecclesiam Wentanam tam insigniter nobilitavit, authoritate summi Pontificis Agathonis transferendo corpus beatissimi Birini Occidentalium Saxonum Apostoli, à Villa Dorkecestrensi, ubi reconditum erat, unà cum Sede in Wentanam civitatem, cujus etiam labore ac studio, Apostolicoque mandato ex tunc primo confirmata est in ipsa civitate Sedes Episcopalis Dignitatis: Parochiam suam in aliquo lædere diminuendo.* † Celebrataque est ista Translatio anno tertio sui Pontificatus, secundo anno Escuini Regis Occidentalium Saxonum, Anno Gratiæ DCLXXVII. ut scribit Florentius in *Florario Historiali* libr. 3. cap. 8. Et Giraldus in Libro *de Gestis Regum West-Saxonum* cap. 13. Iste sanctissimus Pater * consecratus est in Pontificem ultimo anno Kynewaldi Regis; & cum pontificasset annis XXX. Spiritum cœlo reddens, corpus in propria Ecclesia honorificè humatum est.

† De translatione Sedis Episcopalis & reliquiarum S. Birini ad Wintoniam ista habent Annales breves Wintonienses. *Sedes Episcoporum West-Saxonum in Ecclesiâ de Dorcestriâ mansit per spatium XLII, annorum usque ad tempora Heddæ, qui quinto loco S. Birino in Episcopatum successit: qui Sedem transtulit de Dorcestriâ unà cum corpore sanctissimi Patris nostri Birini in Ecclesiam summæ Trinitatis tunc, modo Apostolorum Petri & Pauli, Wintoniæ anno gratiæ DCLXXXIII. anno Pontificatus sui X. anno vero Escuini Regis West-Saxonum III. A translatione Sedis Episcopalis de Dorcestriâ ad Wintoniam sunt anni DCCLXXI.*

* Veriùs Hedda Episcopatum sortitus est triennio post Kynewaldi Regis obitum, anno ultimo Escuini Regis, Christi verò 676. consecratus Londoniæ à Theodoro Archiepiscopo. Annum exhibet Chronologia Saxonica, locum Beda l. 4. c. 12. Sedit annos 27. obiit Wintoniæ anno 703. teste eadem Chronologiâ, cui fidem astruit Beda l. 5. c. 19.

CAPITULUM IV.

De Escuino, Kenwino, Cedwalla, Ina, Athelardo, Cuthredo, Sigiberto Regibus & de Daniele Wyntoniensi Episcopo, &c.

ANNO ab incarnato Verbo DCLXXV † Escuinus Kynegilsi ex Fratre Cuthgisto abnepos, successit Sexburgæ in Regnum Occidentalium Saxonum. Ista Sexburga Regina erat & uxor Kynewaldi Regis: Quæ post ejus obitum, Regni gubernacula suscepit. *Nec deerat*, inquit Willelmus Meldunensis *de Regibus* libr. 1. *mulieri spiritus ad obeunda Regni munia.*

† Escuinus regnare cœpit anno 674. vivere desiit anno 676. ex fide Chronologiæ Saxonicæ. Triennio illum regnâsse scripserat Rudburnus in Historiâ Minori. Sexburga unico anno clavum tenuit.

Ipsa novos exercitus moliri, veteres tenere in officio, ipsa subjectos clementer moderare, Hostibus minaciter infremere ; prorsus omnia facere, ut nihil præter Sexum discerneres : hæc Willelmus. Addit autem Auctor in Flores Historiarum dictis Willelmi, hoc modo scribens. Sed indignantibus Regni Magnatibus, expulsa est à Regno, cum regnâsset non plenè anno uno, nolentes sub Sexu fœmineo militare ; propter quam quidem expulsionem in Cathalogo Regum West-Saxonum non est ponenda, & quia fœmina ; quamvis aliqui chronicantes eam ponant in Regum cathalogo. Expulsa sic Sexburga, regnavit Escuinus duobus annis & mortuus est. Hic Escuinus Merciis semper infestus aderat. Post mortem Escuini successit in Regnum [a] Kentwynus, filius Kynegilsi Regis, Anno Gratiæ DCLXXVII. qui multipliciter Britannos infestabat, ut scribit Willelmus Meldunensis *de Regibus* librò primo. Et cum regnasset novem annis, humanæ naturæ morti obediens debitum solvit. Kentwyno successit in Regnum Occidentalium Saxonum Anno Gratiæ DCLXXXVI. [b] Cedwalla regiæ indolis nobile germen, Ceaulini ex fratre Cuda pronepos. Iste in tantum ante Baptismum inserviebat Pietati ; ut omnes manubias quas Jure prædatorio in suos transcripserat, Deo decimaret. Igitur cum regnasset duobus annis, Romam expetiit, ubi à Sergio baptizatus est, Petrusque vocatus : Et in Albis adhuc positus languore correptus XII. Kalend. Maii die, carne solutus & Beatorum in cœlis est Regno sociatus Anno Gratiæ DCLXXXVIII.

Anno ab Incarnatione Salvatoris DCLXXXVIII. Ina Kynegilsi ex Fratre Cuthbaldo Pronepos, post Cedwallam successit in Regnum ; & regnavit triginta octo annis. In XVII. anno Regni istius Regis Inæ, sanctus Hedda Wyntoniensis Episcopus migravit ad Dominum. Hic nobilis Ina Monasterii, quod Glastonia dicitur, primus extitit Fundator ; qui postea Regnum sponte deserens, amore supernæ patriæ anhelans, Romæ inter Plebeios cum sua Regina Ethelburga vita sanctissima consenuit ; ut scribit Willelmus Malmesbiriensis *de Regibus* lib. 1. Athelardus Rex successit [c] Inæ in Regnum Occidentalium Saxonum & regnavit XIV. annis. Hic Athelardus frater erat Frydewyth Reginæ, quæ mater erat sanctæ Frydeswythæ, quæ Oxoniis miraculis coruscat. Frater enim & soror ambo jacent sepulti in Ecclesiâ Wyntoniensi. Scilicet Escuinus & Kentwynus, quorum ossa postmodum tempore Henrici Blesensis Wyntoniensis Episcopi translata sunt, & propter ignorantiam qui essent Reges, & qui essent Episcopi, eò quòd non erant tituli inscripti super monumenta eorum ; prædictus Henricus Episcopus posuit in sarcophagis plumbeis, Reges cum Episcopis, & Episcopos cum Regibus, simul permixtos ; ut habetur in quodam libello Roberti Prioris Wyntoniensis, & postmodum Glastoniensis Abbatis, *de actibus Willelmi & Henrici, Episcoporum Wyntoniæ*.

Athelardo successit Cuthredus * Anno Gratiæ DCCXL. & regnavit annis XIV. cujus ossa in prædictis Sarcophagis cum ossibus aliorum Regum &

[a] Kentwynus regnum adiit anno 676. Cedwallæ tradidit anno 685. juxta Chronologiam Saxonicam. Initium regni in anno 675. exitum 685. Rudburnus in Historia Minori reposuerat.

[b] Cedwallæ regnum in anno 689. terminavit Chronologia Saxonica.

[c] Ina Romam adivit anno 628. cui successit Ethelhardus, regnumque annis 14. tenuit ; obiit anno 741. Ita quidem Chronologia Saxonica. Obitum ejus in annum 739. Rudburnus in Historiâ *Minori* retulit.

* *Regnavit annis XII. obiit anno DCCLII.* inquit Rudburnus in Historiâ *Minori* Aliter Chronologia Saxonica. *Anno DCCXLI. Cuthredus regnum capessit, tenuitque annos XVII.* Sic quidem versio Latina. Saxonica autem XVI. duntaxat annos numerat; pro quibus XIV. certissimè substituendi sunt. Obitum enim in anno 754. posuit eadem Chronologia.

Ponti-

Pontificum. Huic Cuthredo successit Sigibertus [d] Anno Gratiæ DCCLIV. in Regnum Occidentalium Saxonum, & anno uno regnavit, & post ejus decessum sepultus est in Ecclesiâ Wyntoniensi. Ossa vero ejus cum ossibus aliorum Regum in Sarcophagis prædictis recondita sunt. Hujus Regis tempore Daniel, [e] qui post beatissimum Patrem Heddam in Wyntoniensi Ecclesiâ annis XXXIV. strenuè pontificâsset, senio confectus, Meldunum rediit, cujus Monasterii per prius Monachus erat; ubi residuum vitæ sub Monasticâ Religione consumpsit, & Sanctus reputatur. Ascendebat enim Cathedram Pontificalem Anno XVII. Inæ Regis, Anno viz, Gratiæ DCCIV. Cui per ordinem successerunt [f] Humfridus, [g] Kyneardus. Kyneardo successit [h] Athelardus, ex Abbate Melduni; deinde mox Archiepiscopus Dorobherniæ, quæ modo dicitur Cantuaria, dignitatem Dorobherniensis Ecclesiæ paulò ante per potestatem regiam Offæ, scil. Regis Merciorum, ad Mercios redactam, magnis laboribus ad pristinum statum revocavit. Cui successerunt per ordinem in sede Wyntoniensi [i] Egbladus, [k] Und, [l] Kynebirthus, [m] Almundus, [n] Wyderginus [o] Herefridus, [p] Edmundus. Herefridus in bello contra Danos cum Sigelmo Shireburnensi Episcopo interfectus est à Danis.

DANIEL. HUMFREDUS. KINEBARDUS. ATHELARDUS. EGBLADUS DUDDA. KINEBERTUS. ALMUND. WIGTHEN HEREFRITH. EDMUND.

[d] Concordat Chronologica Saxonica.

[e] Daniel sedem Wintoniensem adeptus post Heddæ mortem anno 703. tenuit annis 42. Anno 721. Romam addiit; anno 731. Tatwinum Archiepiscopum consecravit; anno 744. Episcopatu cessit; anno 745. defunctus est. Ista tradit Chronologia Saxonica; cui de cessione convenit Florentius, de obitu Huntindoniensis. Obitum tamen in anno 746. Mailrosensis cum Florilego collocavit; & unum plus justo annum Malmsburiensis Pontificatui dedit.

[f] Aliis Humfredus seu Hunferdus, Danieli successit anno 744. juxta Chronologiam Saxonicam & Florentium. Concilio Cloveshoviensi interfuit anno 747. (Con. Angl. Tom. 1. p. 242.) Obiit anno 754. ex fide utriusque Authoris supra laudati, anno 756. juxta Westmonasteriensem.

[g] Humfredo successit anno 754. authore Chronologo Saxonico.

[h] Episcopatum Wintoniæ post Humfredum obtinuit anno 754. electus ad Archiepiscopatum Cantuariensem anno 790. Id tradit Chronologia Saxonica cum multis aliis.

[i] Egbaldum vocat Malmsburiensis. De eo nil aliud reperio præter subscriptionem Chartæ Offæ Regis datæ Cœnobio Croilandensi anno 793. appositam apud Ingulphum Hist. fol. 486.

[k] Dudd Malmsburiensi aliisque dicitur. In Codice tamen MS. Lichfeldensi Historiæ Malmsburiensis de gestis Pontificum Angl. Cineberd appellatur. In eo enim duo Cineberdi Egbaldo & Almundo interjiciuntur.

[l] Romam adiit cum Ethelardo Archiepiscopo Cant. anno 799. narrante Chronologia Saxonica. Anno 806. Chartæ Kenulphi Merciorum Regis datæ Croilandensibus subscripsisse dicitur apud Ingulphum Hist. fol. 486. Lubricæ autem sunt fidei Chartæ Monasticæ. Verius etenim Almundo successori ante annum 803. locum dedit.

[m] Anno 803. sedi Wintoniensi præfuit. Isto enim anno Concilio Cloveshoniensi adfuisse reperitur Concil. Angl. Tom. 1. p. 325. Dicitur etiam Synodo Becanceldensi anno 798. interfuisse ibid. p. 318. Verum si quis Acta utriusque Concilii conferat, unicum tantum fuisse idque Cloveshoviæ habitum comperiet.

[n] Aliis Wigthen & Wigthegnus appellatur. Interfuit Synodo Celcuthensi anno 816. Synodo Cloveshoviensi anno 824. Concil. Angl. Tom. 1. p. 328. 335. Obiit ante annum 829.

[o] Seu Hereferthus. Ante Wilfredi Archiep. Cant. obitum anno 829. Episcopatum sortitus est. Isti enim obtulit Professionem fidei & subjectionis, quæ extat in Registro MS. Ecclesiæ Christi Cant. Anno 833. in prælio Carrensi à Danis interfectus est, juxta Chronologiam Saxonicam & Mailrosense Chronicon. Malè Florilegus anno 834. interemptum scribit.

[p] De eo nil invenio præter professionem fidei & obedientiæ prolixam Ceolnotho Archiepiscopo Cant. factam, in Registro MS. Ecclesiæ Christi Cant.

CAPITULUM V.

De Kenewlpho & Brictrico Regibus.

ANNO Gratiæ DCCLV, post Sigeberthum regnavit Kynewlphus morum honestate, & militiæ probitate merito collaudandus. Iste Kynewlphus, ut scribit Auctor in Flores Historiarum, sub Anno † Gratiæ DCCLXXXVI. cum regnâsset XXVI. annis, & contra Britones, & alios multos prælia plurima laudabiliter commisisset; exulavit tandem Juvenem quendam nomine Kynechardum fratrem Sigeberti Regis Occidentalium Saxonum, quem Kenewlphus à Regno privaverat, habens illum suspectum ne respiraret ad Regnum, vel denique necem Fratris sui in ipsum vindicaret. Kynechardus verò tempori cedendum credens, dissimulans animo quasi volens aufugit. Sed mox cum furtivis Prædonum conventiculis nemorosa petens abdita, in insidiis multis expectabat diebus, propter proverbium, quo dicitur: *Quod non longa mora dare solet, dat brevis hora.* Interea cum Rex Kenulphus alienis à bonis moribus serviens in Villâ, quæ Meritona dicitur, furtivæ Veneri indulgeret, & à hoc Kynechardo supradicto compertum fuisset; cum suis Complicibus domum foris obsedit. Sed Rex qui cum parvo Comitatu, & quasi solus advenerat, ut se ab Hostibus undique vallatum comperisset, ostia domûs obclusit, sperans Latrones vel terrere Imperio vel mulcere eloquio. Sed frustra: Nam cum à multitudine Rex circumventus fuisset, dum cedere Hostibus dampnum gloriæ suæ arbitraretur, defensioni vacans ipsum Kynechardum crudeliter vulneravit. Hoc autem viso Kynechardus cum suis in Regem irruens ipsum interfecit. Pauci quoque ex clientelâ Regis, qui aderant, dum non manus dare, sed Dominum suum vindicare intendunt, omnes fuerunt pariter obtruncati. Continuè fama dilabitur ad Principes perempti Regis, qui non longè excubias agebant; inter quos Osricus major cæteris socios hortatur, ne tantam ignominiam inultam dimitterent. Strictis ensibus irruunt in Hostes. Kynechardus hoc videns cognationem prætendit, multa pollicetur; sed ubi nihil perfecit, suos ad resistendum accendit. Tandem regiis Ministris fortiter pugnantibus, Kynechardum cum suis omnibus peremerunt. Corpus verò Regis Wyntaniæ in Ecclesiâ Cathedrali sepultum est; Kynechardi verò corpus apud Rependune, quod tunc nobile Cœnobium erat & famosum, sepelitur.

Kynewlpho successit Brictricus Filius ejus in Regnum. Hic ut ampliorem gratiam apud propinquos inveniret, filiam Offæ Regis Merciorum, eò quòd potentissimus Rex esset, in conjugium accepit; cujus affinitate fultus Egbertum solum regalis Prosapiæ superstitem, quem metuebat, ne forte in Regnum succederet, eo expulso ut hostem fugavit in Franciam. Habuit Rex iste, ut diximus, Reginam nomine Ethelburgam Offæ Regis Merciorum Filiam; quæ multis suffulta honoribus miris se ambitionibus extollebat. Nam matrona tyrannide incitata omnes de Regno Nobiles ordinatos & viros Religiosos ad Regem accusare & execrari consuevit; unde & Principibus Ducibusque perosa extitit, cum Magistratibus, & Populis universis. Siquidem malefica illa ita Regem instruxit blandiciis; ut illos quos accusabat, aut vitâ aut Regno privaret. Et si hoc à Rege impetrare non potuit, veneno eos clam perdere consuevit. Erat autem eodem tempore adolescens quidam genere ac Regi valde familiaris, & amantissimus; quem

† Id in annum 784. retulit Chronologia Saxonica, in annum 783. Historia *Minor* Rudburni.

cum

cum malefica Regina accusare non valeret, veneno illum extinxit. De quo veneno cum Rex ignoranter gustasset, animam subitò exhalavit. Nec tamen illa Regi dare proposuerat poculum nortis, sed adolescenti. Verumtamen ambo biberunt, & potu venenifero perierunt. Rege itaque in hunc modum perempto, mulier nequissimo timore perterrita. fugiens cum thesauris impreciabilibus nare transiit, & Carolum Francorum Regem adiens, multa ei exenia præsentavit. Cui cum astaret inter Mulieres nequissima, licèt pulchritudine pulcherrima: sic eam Rex allocutus ait :. Elige Ethelburga sive Edburga quem volueris vel me, vel filium meum, qui me astat in solario, in societatem accipere conjugalem. At illa sine deliberatione, & fræno soluto pudicitiæ, respondens ait, si mihi optio daretur vel libertas eligendi; filium tuum quàm te magis diligerem, qui junior esse videtur. Tunc Rex intelligens illam explendæ libidinis cupiditate ductam, eleganter respondit: Si me, inquit, elegisses, Filium meum haberes; & quia illum elegisti, nec me nec illum habebis. Contulit tamen illi Rex propter improbitatem ejus & nimiam pulchritudinem, nobile Monasterium fœminarum, in quo illa habitu deposito sæculari sub specie hypocrisis, indumento Monialium assumpto, Abbatissæ vices annis paucissimis fungebatur. Nam parvo post tempore, dum quæ sancta erant, exerceret; à quodam propriæ Gentis ignobili viro dicitur constuprata. Mulierem ergo in adulterio deprehensam Rex à Sancto Monasterio expelli præcepit; quæ deinceps miserrimè in paupertate tempora Vitæ suæ vituperabiliter ad finem usque perduxit. Hæc Auctor in Flores Historiarum sub anno Domini DCCC. Hic Brictricus cùm regnasset XVI. annis, veneno, ut diximus, interiit & apud Warram sepelitur.

Explicit Liber secundus, incipit tertius.

LIBER

LIBER III.

CAPITULUM I.

De Egbirto Rege & Primo Anglorum Monacha, & de Helinstano venerabili Wentanæ Civitatis Episcopo.

EGBIRTUS Rex potentissimus, qui bellator egregius, qui primus totius Angliæ Monarcha fuisse dignoscitur, Brictrico successit in Regnum, Anno Domini DCCC. Propter quod imprimis notandum, quod Monarchas Anglorum sub triplici membro distinguunt Chronicantes: ut habetur in libro *de Concordantiis Chronicantium* sub literâ *M.* Uno modo dicitur Monarcha Anglorum, qui cum Regnum illud in septem particibatur divisiones: unus armipotens singulas Provincias cum suis Principibus suæ ditioni subjugavit, & sub se regnare tributaque sibi persolvere coegit: sicut agebat Diocletianus Syriæ cum Regibus, qui in suis proximis confinibus honorificè regnabant. Et talis Monarcha Anglorum etiam Egbirtus & primus in armis strenuus. Secundo modo dicitur primus Monarcha Anglorum, qui non solum alia regna conquisivit, verum etiam Reges sub se habere dominantes renuit, Regnaque sibi conquisita in Comitatus dividens. Et hoc modo primus Monarcha Anglorum nominatus est Alfridus nepos Egbirti Regis. Tertio modo dicitur primus Monarcha, qui non solum terram, sed etiam mare circumjacens Provinciæ ad suum dominium primitus adquisivit, ut pacem ex omni parte retineret. Et sic dictus est primus Monarcha Edgarus Rex pacificus, nepos Edwardi senioris, & pronepos Alfredi inclyti Principis. Sed secundum sentire meum, cum benignâ supportatione tam egregii Historiographi, qui auctor extitit illius Libri in quo tractatur *de Concordantiis Chronicantium*, possum ponere quartum modum, quo dicitur primus Monarcha. Potest dici primus Monarcha ille, qui undique impugnatus à Barbaris sive alienigenis à propria Natione, ita quod Regnum suum ferè stat in puncto alienandi ad exteras Nationes per modum conquesti: tandem inter Principes utriusque partis talis conventio habita est, viz. ut fiat Duellum inter unum ex parte legitimi Hæredis, & alterum ex parte Usurpantis, & nemo utriusque Exercitus intromittat de pugnâ, præter ipsos duos viros robustissimos: & cui parti cedat Victoria, sit ipse Rex solus ut Conquestor super Anglicanam Gentem. Et hoc modo potest dici primus Monarcha Anglorum Athelstanus Rex filius Edwardi senioris. Tale enim pactum habitum est inter ipsum & Regem Dacorum; & assignato Gwydone de Warwyk ut pugnet pro Patriâ ex parte Regis Anglorum; Et similiter assignato Colbrondo immani Gigante, pro parte Regis Dacorum: Et nutu Domini vicit Christianus Paganum: & sic cessit victoria Anglis, & Athelstanus Rex solus regnabat super Anglos. Tale enim Duellum nunquam accidit ab adventu Dacorum, in Angliam, qui applicuerunt in Angliam tempore Egbirti Regis, usque ad tempora hujus gloriosi Principis Athelstani: nec ut mihi videtur, quantum ad pacem Dacorum. Quia post istud Duellum regnabat solus in pace Athelstanus absque Danorum infestatione; & sic non regnabant nec Pater ejus Edwardus Senior dictus neque Avus ejus Alfredus, nec

nec inclytus Princeps Egbirtus. Istis visis potest Athelstanus dici primus Monarcha, sicut quidam ipsum ita appellant. Et nescio propter quam causam aliam ab ista. Vir iste insignis Egbirtus apud Wyntoniam coronatus est in Regem in veteri Monasterio. Hic de rectâ lineâ Regalis Prosapiæ processit Occidentalium Saxonum. Fuit enim filius Edmundi subreguli Merciorum, qui filius extitit Offæ Regis Merciorum: qui quidem Offa erat filius Ingildis fratris Inæ Regis West-saxonum. Et erant Ina & Ingildus filii Kenredi, qui fuit Celwaldi filius, & ille Cuthbaldi, qui frater erat Kynegilsi Regis, qui quidem Kynegilsus, ut dictum est, primo incœpit fundare vetus Monasterium in urbe Wyntoniâ. Hic dedit Veteri Cœnobio Wyntoniensi quatuor Maneria: viz, Peckenesford, Wordiam, Aweltone, & Bedamptone. Et * tertio anno Regni morti obediens in Cathedrali Ecclesiâ Wyntoniensi jacet humatus.

HELINSTAN.

Istius Regis tempore defuncto Edmundo Wyntoniensi Antistite successit Venerabilis † Helinstanus ex Monacho Wyntoniensi. Cui Rex Egbertus Anglorum Monarcha primus Filium suum commendavit Athulphum nutriendum. Qui Athulphus longo tempore cum Patre militans, tandem militiâ relictâ, ad priorem magistrum suum se transferens. Commendavit Helinstanus Athulphum Sancto Swythuno tunc Præposito Wyntoniensis Ecclesiæ, qui modo dicitur Prior Monachorum, à quo Athulphus accepit habitum Monachorum: Ac demum ab Helinstano Pontifice in gradum Subdiaconatûs promotus est: ut scribit Vigilancius libro *de Basilica Petri* Capitulo XI. Helinstanus in matrem omnium reversus, sepultus est in propriâ Ecclesiâ.

* Lege tricesimo septimo. Rudburnus enim in Historia *Minori* Egbertum obiisse dicit anno 837. postquam regnasset annis 37. eundemque calculum in supputandis Athulphi Regis annis inferiùs secutus est. Veriùs tamen Egbertum anno 836. obiisse Chronologia Saxonica, Florentius, aliique tradunt.

† Herefridum anno 833. interiisse supra annotatum est. Successit ei Eadmundus, qui paucissimo tempore præsedit; siquidem fides adhibenda sit Chartæ Witlasii Merciorum Regis datæ Monasterio Croilandensi anno 833. cui subscripsit inter alia Helinstanus; apud Ingulphum fol. 488. Certè ante Egberti Regis mortem, quæ contigit anno 836. Episcopatum adeptus est. Obiisse anno 852. à Rudburno infra dicitur.

CAPITU-

CAPITULUM II.

De Ethulpho Rege & Sancto Swythuno Wyntoniensi Episcopo.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXXXVII. defuncto Egbirto Rege potentissimo, Athulphus filius ejus regnavit pro eo. Hic de Monachatu & de ordine Subdiaconatûs à Wyntoniensi Ecclesiâ assumptus, permittente Sancto Papâ Leone, in Regem est coronatus; eò quòd Pater ejus Egbirtus absque alio Hærede in fata decessit. Hic Athulphus habuit Alstanum Shireburnensem Episcopum, qui quinquaginta annis Ecclesiæ præfuit Shireburnensi, in rebus forinsecis, in rebus verò Ecclesiasticis sanctissimum Patrem Swythunum: Cujus providentiâ & consilio decimam partem omnium terrarum in manibus suis existentium Ecclesiæ donavit Anglicanæ perpetuis temporibus liberè possidendam. Cujus Scriptum libertatis Ecclesiarum sequitur in hunc modum, quod toti concessit Angliæ.

'Regnante Domino nostro in perpetuum, dum in nostris temporibus bel-'lorum incendia & direptiones opum nostrarum, necnon & vastantium 'crudelissimas deprædationes Hostium barbararum; Paganarumque Gentium 'multiplices tribulationes [ad] adfligendum usque ad internecionem tempora 'cernimus incumbere periculosa. Quam ob rem ego Ethelwlphus Rex Oc-'cidentalium Saxonum cum consilio Episcoporum ac Principum meorum, 'consilium salubre, atque uniforme remedium adfirmavi; ut aliquam porti-'onem terrarum hæreditariam, antea possidentibus omnibus gradibus sive 'famulis & famulabus Dei Deo servientibus sive Laicis, decimam mansio-'nem ubi minimum sit, tamen decimam partem in libertatem perpetuam 'perdonari dijudicavi, ut sit tuta atque munita ab omnibus sæcularibus ser-'vitutibus, nec non regalibus tributis majoribus & minoribus, sive taxatio-'nibus quod nos [dicimus] Wytereden: Sitque libera omnium rerum pro 'remissione animarum & peccatorum nostrorum Deo soli ad serviendum 'sine expeditione, & Pontis instructione, & Arcis munitione; ut eo diligen-'tius pro nobis ad Deum preces sine cessatione fundant, quo eorum servitu-'tem in aliquâ parte levigamus. Placuit autem tunc postea Episcopis Al-'stano Shireburnensis Ecclesiæ, & Swythuno Wyntacestrensis Ecclesiæ, cum 'suis Abbatibus & servis dictum consilium inire; ut omnes fratres & soro-'res nostræ ad unamquamque Ecclesiam omni hebdomadâ Mercurii die, hoc 'est Wodnesdage: omnis congregatio cantet quinquaginta Psalmos, unus-'quisque Prebiter duas Missas, unam pro Rege Ethelwlpho, & aliam pro 'Ducibus ejus huic dono consentientibus, pro mercede & refrigerio delicto-'rum suorum. Pro Rege vivente; *Deus qui justificas*: pro Ducibus viven-'tibus: *Prætende Domine*. Postquam autem defuncti fuerint, pro Rege De-'functo singulariter: pro Principibus defunctis communiter: Et hoc sit 'tam firmiter constitutum omnibus Christianitatis diebus, sicut libertas illa 'constituta est, quam diu Fides crescit in Gente Anglorum. Scripta est autem 'hæc Donationis chartula Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXLIV. In-'dictione IV. die * quoque Nonas Novembris, in Civitate Wentanâ, in Ec-'clesiâ Sancti Petri ante Altare capitale. Et hoc fecerunt pro honore Sancti 'Michaelis Archangeli, & Sanctæ Mariæ gloriosæ Domini Genitricis, simul-'que & beati Petri Apostolorum Principis, nec non & Sancti Patris nostris 'Gregorii Papæ, atque omnium Sanctorum: & tunc ampliore firmitate Rex 'Ethelwlphus posuit Chartulam super Altare Sancti Petri. Et Episcopi pro 'fide Domini acceperunt, & postea per omnes Ecclesias transmiserunt in suis 'Parochiis.

* Quarto *apud alios legitur.*

Ecce quòd quàm plurimum tota Ecclesia Anglicana habet venerari Wyntoniensem Ecclesiam, in qua oblatum est istud Privilegium, ut ab eâ ad alias descenderet Ecclesias. Quod autem in istâ chartulâ præponitur Alstanus Shireburnensis Episcopus Sancto Swythuno Wyntoniensi Episcopo, non aliter est *, nisi quia Cancellarius erat Regis, & per eum, ut per Gubernatorem (sicut erat) omnia Regni negotia disponebantur: ut ait Auctor *de Concordantiis Chronicantium*, sub literâ *W*. Hæc Charta habetur in Chronicis Wilhelmi Malmesbiriensis, libro *2do*.

Iste Athulphus sive Ethelwlphus in regem sublimatus, fœminam nobilissimam ac satis religiosam, nomine Osburgam, duxit in uxorem; quæ filia erat Aslaci famosi Pincernæ ejusdem Regis Athulphi; ex quâ quatuor filios ac Principes inclytos generavit, & unicam filiam, viz. Ethelbaldum, Ethelbyrtum, Etheredum, & Alfredum. Qui omnes per ordinem post patrem regnabant. Filiam verè ejus, nomine Ethelsytham, accepit Rex Merciorum Burthredus in conjugium: Habuit etiam quintum filium, cognomento Ethelstanum, non de matrimonio generatum; cui, ut scribit Auctor in *Flores Historiarum*, pater Athulphus omnia regna, quæ ejus Genitor potenter adquisiverat, contulit, Occidentalium Saxonum solummodò ipse contentus Regno; propter quod factum filii sui legitimi omnes, præter Alfredum, contra Patrem insurrexerunt; & primogenitus Ethelbaldus, ut Absalon contra David, qui

Aspirans regno per cunctas Israel Urbes,
  Legatos misit Absalon ipse suos,
Ut veniant armis succincti, seq; sequantur.
  Nam parat insigni Regis honore frui.
Insignes ad eum Proceres glomerantur in Ebron,
  Post Regem sequitur infima turba novum.

Cestrensis verò in suâ *Policronicâ*, *lib.* 1. *c.* 3. scribit, quòd illa insurrectio facta erat, quia in redeundo de Româ Juditham filiam Caroli Calvi Regis Francorum, quam desponsavit vicesimo anno regni sui, in Angliam secum duxit; & quia contra morem Westsaxonici regni in throno juxta se collocavit, insurrexit in eum Primogenitus suus cum multis Proceribus; ita ut traditâ Primogenito suo magnâ regni parte, vix tumultus sedaretur. Nam observatum fuerat apud eos, ne Regina sic honoraretur in odium Ethelburgæ filiæ Regis Offæ, quæ virum suum Brictricum intoxicaverat, sedens in throno juxta Regem. Alii tamen aliter scribunt; quòd Filii insurrexerunt contra Patrem propter invidiam, quòd Frater minimus, viz. Alfredus, ante omnes inunctus erat in Regem jussione paternâ. Primam tamen positionem approbant Girardus Cornubiensis de *Gestis Regum Westsaxonum*, lib. 2. c. 1. Et Auctor de *Concordantiis Chronicorum*, qui dicit, quòd antequam inunctus erat Alfredus frater eorum in totius Angliæ Monarcham, rebellabant Ethelbaldus, Ethelbirtus. Ethelredus cum Athelstano Shireburnensi Episcopo, propter causam primitùs positam. Hic Athulphus misit Alfredum filium suum minorem Romam; ut primus omnium Regum Angliæ inungeretur in Regem à sanctissimo Papâ Leone, legationis officio in hac parte sanctissimo Swythuno Wyntoniensi Pontifice fungente anno regni nonodecimo; & quod devotè deprecabatur Rex, libenter annuebat summus Pontifex. Proximo sequenti

* Causa dubii Rudburno fuit, quòd more ipsius ætate recepto Wintoniensis Episcopus omnibus Provinciæ Cantuariensis suffraganeis post Londoniensem præcedat. Ista autem consuetudo Swithuni tempore nondum inoleverat. Verè Alstani nomen Swythuno præponitur; ideo quod Alstanus ante Swithunum Episcopatum sortitus est.

anno poſt unctionem regiam filio Alfredo conceſſam pater Athulphus aſſumpto ſecum filió Alfredo, Romam adiit, limina viſurus Apoſtolorum; ibique per annum demoratus, ſcolam Saxonum egregiè reparavit, quæ ab Inâ Rege Weſtſaxonum primitùs erat inſtituta; ſed anno præcedente conflagraverat. Pro hoc quod dicitur hîc de ſcolâ Saxonum fundatâ Romæ: Notandum, quòd Ina nobilis Occidentalium Saxonum Rex, cùm pro amore Domini cum conjuge ſuâ regnum reliquiſſet, & Romæ inter Plebeios reſiduum vitæ ſuæ tranſegiſſet, & videns nationes cæteras ſcolas inibi habere exceptis Anglis ſive Saxonibus olim ex ſuâ gente & regno, bono zelo ductus ſcolam in Româ fundavit, & competentibus expenſis dotavit pro victu Clericorum de propriâ patriâ vel Angliâ adventantium. Hanc ſcolam, ut diximus, combuſtam renovavit Athulphus Rex. Hic quoque Athulphus dum modo Romæ degeret, cum publicè pœnitentes ac exules ferro vinctos videret, impetravit à Domino Papâ, ut Angli deinceps extra patriam ſuam nunquam vincti pœniterent. Iſte mitiſſimus in populum Domini denarium Sancto Petro de ſingulis domibus regni ſui annuatim conceſſit, qui Romeſcot appellatur. Sic & omni anno ex tunc trecentas marcas Romam miſit, viz. centum ad luminare Sancti Petri; centum ad luminare Sancti Pauli; centum domino Papæ. Inſuper & Eccleſias regni ſui ab omni tributo regali liberavit. Decimam rerum ſuarum Domino obtulit. Ecce alter extra orbis climata Magnus Conſtantinus hic.

Propterea in ſignum puræ affectionis, quam erga Wentanam Eccleſiam tenuit, villam de Chyltecomb cum appendiciis pro victu Monachorum ejuſdem liberaliter condonavit. Nec non plurima ornamenta Eccleſiaſtica prædicto Cœnobio veteri benigniſſimè largitus eſt; in quo corpus ejus veneratione dignum honeſtiſſimè humatum eſt †, cùm regnâſſet viginti duobus annis. Iſte nobilis Anglorum Baſileus Athulphus, defuncto Helinpſtano Wyntonienſi Antiſtite, anno viz. XV. regni ſui, & anno Dominicæ Incarnationis DCCCLII. || ordinavit ſanctiſſimum Swythunum ex Præpoſito Wyntonienſi, qui modò dicitur Prior Monachorum, in Patrem & Paſtorem ejuſdem Eccleſiæ. Quod enim Sanctus Swythunus Monachus erat, & Prior Monachorum in Wyntonienſi Eccleſiâ, videamus quid ſcribat Bonagratia de Villâ Dei in *Epiſtolâ* ſuâ ad Nigros Monachos in Angliâ, quæ ſic incipit: *O quàm præclara, præfulgida, & omni morum compoſitione prælucens eſt Religio Converſatioque veſtra, ſanctiſſimi Monachi!* O, inquit, *ſanctiſſimi Monachi, cùm à propriâ exulans patriâ in Angliâ apud ſanctiſſimos ac religioſos Monachos totius Regni veſtri degerem in Wentanâ urbe Helinſtanum venerabilem Abbatem Ca-*

SWITHUN.

† Obitum ejus anno 857. contigiſſe Rudburnus in Hiſtoriâ *Minori* non malè ſcripſit. Chronologia enim Saxonica illum anno 854. Romam perrexiſſe, ibi menſibus duodecim moram traxiſſe, & poſt biennium à reditu defunctum eſſe refert.

|| Huic calculo adverſatur Ethelwlphi charta ſuperiùs poſita, quam obtinuit à Rege Swythunus Epiſcopus Wintonienſis, anno 844. Indictione 4. Indictio autem falsò poſita (quæ tunc nona fuit) chartæ, ſaltem annorum numero in chartâ adhibito, fidem abrogat. Scribit Hovedenus, Chartam hanc fuiſſe datam anno 19. regni Ethelwlphi, viz. anno Chriſti 855. *Data eſt anno* 855. *indictione* 4. inquit Florilegus. Atq; huic quidem anno Indictionis numerus (de quo inter omnes convenit) adamuſſim convenit. Iſto igitur chartam eſſe ſcriptam anno nullus dubito. Swythuni itaq; introitum anno 852. rectè à Rudburno poſitum arbitror. Helinſtanum quidem anno 837. defunctum Godwinus aſſerit, ex incuriâ lapſus. Florentius enim, qui ſolus de Helinſtani obitum mentionem facit, Ethelwlphi Regis initia anno 837. tradens, Helinſtanum illo regnante vivis exceſſiſſe refert.

thedralis

*thedralis Ecclesiæ & venerabilem Swythunum ejusdem Ecclesiæ Præpositum & in Professorem sacræ Theologiæ in studio * Cantebriggensi cathedratum, me inter ærumnosa exilii discrimina speciali renumerandæ recreationis gratiâ confovebant.* Et Vigilancius in libro *de Basilicâ Petri*, capitulo 12. recitans Professionem Sancti Swythuni, quam fecit Archiepiscopo Doroberniæ tunc, nunc Cantuariæ, cùm in Episcopum Wyntoniensem esset consecrandus. "Ego Swythunus Monachus, servulus servorum Dei, licet indignus ad Episcopalem sedem electus Wentanæ Civitatis Ecclesiæ, imprimis confiteor tibi, reverendissime Pater Celnode Archiepiscope, continentiam meam, quam priùs in professione Monachali expressi, & dilectionem meam ad te, quod absque ambiguitatis scrupulo & absque ullâ falsitatis commentione est. Credo in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, natum ac passum pro humani generis redemptione & salute, cujus potestas & imperium erat ante sæculum, & Regni ejus non erit finis; & illam rectam & orthodoxam fidem, quam priores Patres nostri servaverunt, cum omni humilitate & sincerâ devotione sicut Prædecessores mei ipsi sanctæ sedi Dorovernensis Ecclesiæ subjecti, semper servare me velle humiliter per omnia fateor. Ut enim scribit Doctor Lantfredus in vitâ ipsius Sancti Patris Swythuni, quòd semel apparuit Sanctus Swythunus beato Pontifici Athelwoldo successori suo, ut si fratres ejus Monachi Wyntoniensis Ecclesiæ, & si qui de populo quocunque aut cujuscunque conditionis fuerit, devotionem ad eum voluerit habere & ejus auxilium implorare, Deus velit pro eo tanta ostendere, & tot gratiosa munera bonitatis suæ per ejus merita concedere, quanta pro aliquo Sancto in cœlis propter virtutem humilitatis, quæ est Mater omnium virtutum, quâ excellentius præpollebat, dum in hoc sæculo viveret.

Jam verò valefacturus cadaver suum extra Ecclesiam præcepit tumulari, ubi postea constructa est modica Capella, quæ adhuc cernitur ad Boreale ostium navis Ecclesiæ. Decessit autem anno Dominicæ Incarnationis † DCCCLXIII. Vixit Sanctus iste moribus præclarissimis exemplum præbens omnibus, serviebatque Altissimo in timore & exultabat cum tremore. Propterea eum multis virtutibus Dominus mirificavit. Unde de ejus sanctis moribus sic scribit Doctor Lantfredus in libro de vitâ ipsius gloriosi Antistitis Swythuni metro primo.

> Pauperibus victum, nudis largiris amictum,
> Dividis & miseris munera larga pius.

——Et metro quarto sic scribit idem Doctor venerabilis Lantfredus.

> Mente humili in tantum Præsul fuit inclytus idem;
> Ut se post obitum sineret nullatenus intra
> Ecclesiæ propriæ penetralia corpore poni.

* Vereor ne Swithunus senior, Wintoniensis etiam Episcopus, SS. Dubricii & Davidis familiaris, & literarum famâ celeberrimus, cum juniore malè permixtus fuerit. De illo vide Galfridum Monumetensem Hist. Britan l. 9. c. 12. & Giraldum Cambrensem in vitâ S. Davidis. De antiquitate Academiæ Cantabrigiensis splendidè fabulatus erat Rudburnus in Historiâ *Minori* hisce verbis: Anno Domini 871. *combusta est Universitas Cantabrigiensis; quæ fuit ædificata anno à mundi creatione* 4815. *à Cantabro duce, & frequentata à Philosophis ante Christi incarnationem per annos* 394.

† Sic quidem Hovedenus, Mailrosensis, & plures alii. Verè autem obiit anno 862. 6. Non Julii, feriâ. 5. Quod ex Wigorniensi; & Westmonasteriensi constat. Sic & historiola Wintoniensis MS. quæ Swithunum anno Christi 862. anno 3. Ethelberti Regis obiisse memorat. Crasse errant Annales breves Winton. qui nativitatem Swithuni in annum 826. obitum in 872. protelant. Pontificatus tamen gesti annos rectè numerant.

Qui tactus virtute humili se sprevit, & extra
Est templum quasi vilis homo indignusque sepultus.
Innumeris signis virtutibus, atque coruscis;
In quo sermonem divini dogmatis esse,
Cemimus impletum: Plebem qui dicit ad omnem:
(a) Ima subit præceps sese exultando superbus.
Ima petens humilis contra exultabitur omnis.

(a) Luc. XIV. 11.

Pontificavit enim sanctissimus Pater & Patronus Wyntoniensis Ecclesiæ specialissimus Swythunus quatuor annis tempore regis Adulphi sive Ethelwlphi, & toto tempore Ethelbaldi regis primogeniti Athulphi, & duobus annis tempore Regis Ethelbyrti, qui secundus erat filius Athulphi. Hoc est in toto pontificabat XI annis.

CAPITULUM III.

De Ethelbaldo Rege, primogenito Athulphi Regis.

DEfuncto Athulpho Rege, successit in Regnum filius ejus primogenitus Ethelbaldus; sicut Pater ejus vivens disposuerat; hoc addito, ut Ethelbaldus primogenitus regnaret in Westsexiâ, & secundus Ethelbyrtus in Cantiâ & Estsexiâ dominatum teneret: Imperium tamen totius Monarchiæ remaneret Ethelbaldo; ut referunt Girardus Cornubiensis de *Gestis Regum Westsaxonum, libro 2do.* & Auctor in Flores historiarum, cum Mariano Scoto. Hic Ethelbaldus contra divinum præceptum & Christiani nominis dignitatem & contra omnium Paganorum morem Juditham novercam suam in matrimonio ducens, effrænis duobus ac dimidio post patrem annis Occidentalium Saxonum apicem crudeliter gubernavit. Sed tandem sacris exhortationibus beatissimi Patris nostri Swythuni ab errore supradicto resipiscens, dimissâ Judithâ novercâ suâ, cujus torum fœdaverat, peractâ pœnitentiâ, tempus quo supervixit, regnum pace & justitiâ temperavit. Scribit etiam Girardus Cornubiensis *de Gestis Regum Westsaxonum lib. 2do.* quòd tanta humilitas erat in beatissimo Swythuno; quòd quicquid regibus, quicquid principibus suadebat pro salute animarum suarum, sine murmuratione, sine contradictione dictis ipsius Sancti assensum ex toto corde præbuerint. Erat iste Ethelbaldus quantum ad crimen recitatum tanquam alter Ruben in facti commisso, non in pœna: de quo Ruben scribitur in Aurorâ.

Tu Primogenitus virtus mea, tuque doloris
Principium, donis imperioque prior.
Sicut aquæ liquor es effusus; crescere nunquam
Posses; læsisti nempe cubile Patris.

Iste Ethelbaldus instigante sanctissimo Swythuno Cœnobium vetus munivit contra hostiles Danorum incursus; electus à Domino in Ducem super gentem Anglorum, quemadmodum Aoth defendit populum Israeliticum contra Eglon Regem; de quo metricè sic scribitur in Aurorâ.

Qui populum servet, qui dextram conterat hostis:
Illa Dei pietas pro pube mittit Aoth.

Qui

Qui Ethelvaldus ‖ post quinquennium defunctus, & Shyreburniæ conditus, Regnum reliquit fratri suo Ethelbyrto.

CAPITULUM IV.

De Regno Ethelbirti, fratris Ethelbaldi, & filii Athulphi Regis.

Ethilbyrtus in Regem coronatus, strenuè dulciterque illud moderatus, amorem populi erga se plurimum adauxit: ut Jobab, qui & Job, Rex regnum tractabat Edom. Hic multoties Danos debellavit ac devicit; prout de ipso scribunt plurimi Chronicantes. Hujus principis anno Regni tertio obiit specialis Wyntoniensis Ecclesiæ Patronus & Pontifex sanctus Swythunus. Iste Ethilbyrtus Wentanam Ecclesiam perplurimum adamavit. Nam tanquam valens Imperator in sacrum templum veniens, obtulit Altari dona solempina; ut scribit Vigilancius in libro *de Basilicâ Petri*, cap. 56. Et postquam regnabat * annis quinque; morti obediens, apud Shyreburnam sibi locum elegit sepulturæ.

CAPITULUM V.

De Successione Etheredi in regnum Occidentalium Saxonum.

Concessum est Regnum totius Provinciæ Occidentalium Saxonum post mortem Ethilbyrti Etheredo fratri suo. Qui novies uno anno contra hostes, Danos viz. conflixit variâ licet fortunâ, sæpius tamen victor extiterat; interfecti à parte Danorum Comites novem, Rex unus, præterea populus sine computo. Memorabilis præ cæteris pugna fuit, quam apud † Escendune fecit; ubi congregato utroque exercitu Danorum & Anglorum, Rex Etheredus contra Reges Danicos, & Alfredus frater Regis contra Duces pugnaverunt utrorumque exercituum animis erectis. Vesper jam occiduus bellum in crastinum protelavit. Facto manè Alfredus frater Regis aderat; Rex verò Etheredus divino intentus officio remanserat in tentorio. Ammonitus à suis ut ad pugnam properaret, negavit se ulterius progredi, quoad esset finis officii. Quæ fides Regis multum fratrem adjuvit. Completo Dei servitio, cruce seipsum Rex consignans bellum adiit; cujus virtute & Dei miraculo Dani territi pedibus salutem committentes fugerunt. Cæsus est ibi Rex Oseg, Duces quinque, vulgus innumerum. Reges Merciorum & Northanhybrorum, qui sibi tributarii forent, sed rebellare incipientes, viriliter perdomuit. Ecce Christianus miles cum Trajano.

Attamen primo anno Regni istius nobilis Basilei Etheredi crudelissimi Dani Civitatem Wyntoniensem depopulantes, repentinè Monasterium intrantes,

‖ Rectius post triennium. Obiit enim anno 860. teste Chronologiâ Saxonicâ.

* Consonat Chronologia Saxonica, quæ Ethelbertum quinquennio regnasse, & anno 866. Ethelredum fratrem successorem habuisse prodit.

† Vide historiam commissæ apud Escesdune pugna anno 871. apud Chronologiam Saxonicam, pag 533.

Monachos

Monachos universos, non unus superfuit, trucidarunt; anno || Domini DCCCLXVII. ut tradit Girardus Cornubiensis *de Gestis Regum Westsaxonum*; & idem scribit Vigilancius in libro *de Basilicâ Petri*, cap. 13. Et hoc actum est anno secundo post obitum sanctissimi Patris nostri ac Antistitis Swythuni, postquam Monachi temporibus Anglorum prædictum Monasterium inhabitabant anno CCLXXXVII. Et Canonici Sæculares intraverunt Cœnobium istud permittente Rege Etheredo, graviter tamen id ferente post anni revolutionem, anno gratiæ DCCCLXVIII. anno tertio Pontificatûs Alfrithi Wyntoniensis Episcopi. Hâc conditione concessit Rex Etheredus Alfritho Wyntoniensi Antistiti, ut Clerici Sæculares divinum officium in veteri Cœnobio Wintoniæ celebrarent, viz. quoadusque Monachi invenirentur, qui pristinâ hæreditate in ipsâ Ecclesiâ gauderent Domino vota laudis persolventes. Sed Monachi in aliquâ multitudine non inveniebantur in Angliâ ab illo tempore usque ad tempora pacifici Regis Edgari & sanctorum Archipræsulum Dunstani Dorobernienſis & Oswaldi Eboracensis, & Sancti Athelwoldi Wyntoniensis Præsulis; ut plenius infra dicetur.

ALFRITH.

Etheredus Rex cùm humanissimè Monarchiam suam * quinque annis pertractasset, apud Wymbornam sepelitur: de quo merito poterit dici illud Metristæ cujusdam egregii:

Obsequiis, sensu, probitate meretur amorem.
Claruit insignis laude, beatus obit.

TUNBERT.

† Alfritho successit in Præsulatum Wyntoniensis Ecclesiæ |||| Tumbertus, qui Manerium de Stusħelyng contulit ad fabricam ipsius Ecclesiæ.

CAPITULUM VI.

De Alfredo bono, qui primus omnium Britannorum & Anglorum Regum Rex erat inunctus.

CONstitutus est post decessum præclari Principis Etheredi sive Ethelredi frater ipsius Alfredus miles invictissimus, qui natus est in Provinciâ Berkensi in villâ regia quæ Wantynghe nuncupatur, qui in sacrâ Baptismatis regeneratione vocatus est Alfredus non Aluredus, sicut quidam indoctè & inhonestè pronunciant; quia hoc non erat nomen ejus, sed Alfredus ipsomet attestante qui condendo Testamentum sic scribit in linguâ Saxonicâ, quod testamentum sic incipit: ıc Ælꝼꞃeod cẏnın ᵹæ cpað on þıꞅꞅẏm ᵹæꞃpıꞇẏm, &c. Mater verò ejus Osburga dicebatur, fœmina satis religiosa, nobilis genere &

|| Paulò aliter Annales breves Wintonienses, MSS. ex quorum sententiâ Dani Monachos Wintonienses trucidârunt anno 873. Canonici Sæculares intrârunt anno 875. & Ecclesiam Wintoniensem inhabitârunt annis 96. expulsi demum anno 969. Si conjecturis indulgendum esset; vellem potius stragem Wintoniensem anno 871. factam esse. Illo enim anno exercitus Danorum ex Merciâ & Northanimbriâ in Westsaxoniam venit, atque integro anno ibi commoratus est; anno autem 873. per Orientales Saxones transiens, Northanimbriam repetiit: teste Chronologiâ Saxonicâ.

* Rectè: Obiit enim post Pascha ineunte anno 872. Chronol. Sax. die 9. Cal. Maii. Florilegus. Nec abludit Historia *Minor* Rudburni.

† Successit ille Swithuno anno 862. defuncto. Nullam meretur fidem charta Beornredi Regis Merciorum data Cœnobio Croilandensi anno 860. cui subscripsisse dicitur, apud Ingulphum fol. 492. Eodem circiter tempore, quo Ethelredus Rex, obiisse videtur, viz. anno 871.

|||| Dunbertum plerique vocant. Obiit is anno 879. authore Florentio Wigorniensi.

ingenio,

ingenio, quæ filia erat Aslaci famosi pincernæ Regis Athulphi. Qui Alfredus in infantilibus agens annis, Sancto Swythuno Wyntoniensi Episcopo traditus erat erudiendus. Nam idem Præsul egregius quondam nutritius erat Athulphi Patris sui. Hic Alfredus dicitur primus Monarcha secundo modo. Hic vir admirandæ probitatis uxorem duxit de regali genere Merciorum, filiam scil. Athelredi Comitis Ganiorum, nomine Ethelswytham, ex quâ genuit Filios & Filias, qui hoc ordine prodierunt in lucem. Primogenitus omnium vocabatur Edmundus, quem Pater adhuc ipsomet in humanis agente fecit inungi, & in Regni Monarcham coronari; qui non multò post ante Patrem mortis nexibus deprimitur, & in veteri Monasterio Wyntoniensi sepelitur; ut satis clarè patet intuentibus lapidem marmoreum tumbæ ipsius, qui jacet adhuc in terrâ ex boreali parte Altaris, ubi Missa matutinalis sive capitularis celebratur. Et est Epitaphium in marmore scriptum istud; *Hic jacet Edmundus Rex, filius Aldredi Regis.* Sic verò uno modo Alfredus vulgariter nominabatur: Erat enim secundum vulgarem opinionem quinomius, viz. A-lu-re-dus, Alnre-dus, E-lu-re-dus, Elnre-dus, Aldredus; & hoc habetur in libro *de Concordantiis Chronicantium*, sub literâ *A.* Ossa vero Edmundi Regis jam translata sunt in quoddam Sarcophagum locatum super locum nuncupatum, The holy Hole; ut invenitur in quodam Libello [Roberti] quondam hujus Ecclesiæ Præpositi postmodum Abbatis Westmonasterii de *Gestis Wilhelmi & Henrici Pontificum.* Iste Edmundus quia vivente Patre coronatus est, sed tamen ante Patrem mortuus, Patre post Filii mortem iterum regnante, in catalogo Regum qui Monarchæ extiterant, non ponitur.

Post hunc Edmundum habuit Alfredus Rex Egelswytham filiam, & Edwardum, qui post se regnabat, Elfledam filiam, quæ nupsit Comiti Merciorum Etheredo, quæ postquam obierat, sepulta est Gloverniæ in Ecclesiâ Sancti Petri, quam ipsam cum viro suo construxerat, super ossa Sancti Oswaldi Regis, quæ à Bardeneyâ ibidem attulerant. Sed & illa Ecclesiâ per Danos destructâ, Aluredus Eboracensis Archiepiscopus ex Monacho Cathedralis Ecclesiæ Wyntoniensis, aliud quod in urbe nunc præcipuum Monasterium est, reparavit; in quod Monasterium ipsa Elfleda, quæ Merciorum Domina dicebatur, cum viro suo translata est. In hujus Elfledæ laudem Henricus Huntungdunensis Archidiaconus, libro 5*to.* hanc decantat Camœnam.

O Elfleda potens, ô terror Virgo virorum,
Victrix naturæ, nomine digna viri.
Te quoque splendidior fecit natura puellam.
Te probitas fecit nomen habere Viri.
Te mutare docet, sed solam, nomina sexus:
Te Regina potens, Rexque trophæa parans.
Jam nec Cæsarei tantum meruere triumphi.
Cæsare splendidior Virgo, Virago vale.

Habuit etiam Alfredus Ethelwardum, virum literatissimum, & Philosophum in Universitate Oxenfordensi, qui sepultus est in Novo Monasterio Wyntoniæ, quod modo Hyda nominatur; & Elfredam & Elgivam virgines. Ethelswytha primogenita nupsit Baldewyno Comiti Flandriæ, ex qua ille genuit Arnulphum & Aldulphum. Aldulphus à Patre suscepit Comitatum Bononiæ; ex Arnulpho Comites Flandriæ descendêre. Elgiva verò postrema facta est Shaftoniæ Abbatissa.

Nobilis iste Alfredus Regna, quæ olim erant in Angliâ, in Comitatus dividebat; & ut fides Christiana in Regno suo semper cresceret, florens in virtutum floribus, Universitatem Oxoniensem fundavit. Ab ipso etiam, ut diximus, descendit Inunctio Regum Angliæ. Et ut vitam æquè libraret, viginti quatuor horas, quibus dies naturalis integratur, in tres partes divisit.

E

E quibus octo horas legendo, scribendo, orando; octo circa corporis curam; octo circa regni negotia transegit. Ad quæ distinguenda posuit in Capellâ suâ candelam viginti quatuor partium, quarum dispertitâ consumptione per æditos suos de singulis prædictis moneretur. Hic etiam dedit Leges, quibus tantam pacem infudit Provinciæ, ut etiam ubi semitæ in quadrivium finduntur, aureas armillas homineo suspenderent, nec essent qui eas contigêre metu Legum. Construxit etiam tria Monasteria, viz. * Novum Monasterium Wyntoniæ, & hoc sonat quia incœpit fundare, Athelneyam, & hæc quidem Monachis, & Sheptoniam Sanctimonialibus, quibus præfecit filiam suam, ut diximus, Elfgivam. Mortuus † verò cùm regnâsset annis viginti novem, primitus sepeliebatur in Veteri Cœnobio Wyntoniæ; sed propter deliramentum Clericorum dicentium regios Manes resumpto cadavere noctibus per domos aberrare, Filius ejus Edwardus genitoris ossa tulit, & in Novo Monasterio posuit. In laudem hujus inclyti Alfredi Henricus Huntyngdunensis ponit hoc versus:

Nobilitas innata tibi probitatis honorem
Armipotens Alfrede dedit, probitasque laborem;
Perpetuumque labor nomen; cui mixta dolori
Gaudia semper erant, spes semper mixta timori.
Si modò (b) tutus erat, ad crastina bella parabat.
Si modò victor erat, ad crastina bella pavebat.
Jam post transactos regni vitæque labores,
Christus sit ei vera quies, sceptrumque perenne.

(b) l. victus.

DENEWLPH.

Hic Alfredus quendam Subulcum, || nomine Denewlphum, inveniens, ad scolas misit; qui postmodum Doctor in Theologiâ Oxoniis factus, per ipsum Alfredum Regem in Episcopum Wyntoniensem ordinatus est.

CAPITULUM VII.

De Edwardo Seniore, filio Alfredi Regis.

LÆtabunda, ut creditur, gaudia ac cœlica intrante Alfredo milite inclyto circa annum Dominicæ Incarnationis nongentesimum primum, successit filius ejus Edwardus, dictus Senior, qui,

Tunc juvenis nomen Regni clamatur in omen;
Ut fausto patrias titulo moderetur habenas.

Et inunctus ac coronatus est in Principem super gentem Anglicam apud Kyngeston, eodem anno quo Pater ejus decesserat; literarum cultu Patre inferior, sed potentiâ pariter & dignitate gloriosior. Nam multò latiùs fines imperii sui dilatavit. Totam revera Estsaxoniam, Estangliam, Northanhymbriam, aliasque Provincias, quas diu Dani possederant vel dono Patris sui vel indulgentiâ, de manibus illorum extorsit; Scotos & Wallenses in deditionem accepit; fundavitque Castrum Herefordense. Unde de isto præ-

* Anno 901. fundatum esse Novum Monasterium Wintoniæ Rudburnus in Historiâ *Minori* scribit.

† Obiit anno 901. die 28. Octobris, feriâ quartâ; juxta Florentium & Westmonasteriensem. Obitum biduo antevertit Chronologia Saxonica.

|| Denewlphum Subulcum Alfredo Regi apud Athelingiam latitanti familiarem factum, deinum Regis operâ literis institutum, ad Episcopatum Wintoniensem evectum esse vulgata est apud Historicos nostros fabula. Fabulam enim esse & res suadet, & Chronologia subindicat. Alfredus namq; Æthelingiam insulam non secessit ante annum 878. & anno sequenti Denewlphus Episcopatum sortitus est. Theologiæ autem Doctorem apud Oxoniam eundem creatum esse inane est Rudburni commentum.

claro

claro Principe poteſt illud carmen reſonare in ore omnium in ipſius laudem, quod de Judâ Machabæo canit ſic Aurora:

Poſt Patris occaſum Judas Machabæus, ut hoſtes
 Extinguat, gentes conterat, arma parat.
Fratribus & ſociis & cognatis & amicis
 Fultus & adjutus, vulnus in hoſte facit.

Iſte Edwardus genuit ex Egwynnâ illuſtri fœminâ Athelſtanum & Alfredum, quem in tantum dilexerat, ut ipſomet vivente fecit ipſum Juvenem coronari in Regem; ut habetur in Libro *de Concordantiis Chronicorum* ſub lit. *A.* Et etiam invenitur in Libro *de Secretis Novi Monaſterii Wyntonienſis:* Quemadmodum Rex David fecit de filio ſuo Salomone, de quo metricè ſic ſcribitur:

Aſcendit Salomon, patre jubente, thronum.

Et iſte Juvenis inſignis ante Patrem naturæ debitum ſolvens, ſepultus eſt cum Patre in Novo Monaſterio Wyntonienſi. Genuit etiam iſte Edwardus ex Egwynnâ filiam nomine Edgytham; quæ nupſit Sirichio Comiti Northanhumbrorum; quæ & requieſcit apud Tanwitham, & pro Sanctâ colitur. Ethelwardum genuit ex Elfledâ filiâ Elfelmi Comitis, qui inſtructus literaturâ, non diu vixit. Ex eâdem uxore genuit Edwynum, & ſex filias, ſcil. Elfledam, Edgyvam, Etheſtildam, Ethildam, Edgytham, & Elgivam. Prima & tertia cœlibatum Domino voverunt, & apud Wyltoniam ambo requieſcunt juxta Matrem tumulatæ. Edgivam dedit Pater Karolo Regi Francocorum, filio Lodowici filii Caroli Calvi. Ethilda nupſit Hugoni Capet Regi Occidentalium Francorum. Edgytha & Edgyva miſſæ ſunt Henrico Alemannorum Imperatori maritandæ. Quarum ſecundam ille locavit filio ſuo Othoni; alteram cuidam Duci juxta Alpes. Ex uxore, Edgyvâ nomine, genuit Edwardus duos filios Edmundum & Edredum, qui ambo poſt Athelſtanum regnaverunt; & duas filias, Sanctam Edburgam Domino dicatam, quæ in Monaſterio Monialium Wyntonienſium, quod Ethelſwytha mater Edwardi fundaverat, requieſcit; & Edgyvam, quæ nupſit Aquitanorum Principi Lodovico.

Iſte Rex inſignis reparavit Univerſitatem Cantebriggiæ, à Paganis, viz. Danis, combuſtam. Cujus filia Elfleda Merciorum Domina, de quâ ſuperiùs memoriam fecimus, urbes multas condidit, & reparavit; quæ ſunt Brenimsbyrii, Burgum ſupra Sabrinam, Tunneworth juxta Lychefeld, Stafford, Warewycum, Chyrysbyry, Watesbyry, Edysbyry in Foreſtâ juxta Ceſtriam, quæ nunc omnino deleta eſt. Princeps iſte incomparabilis Edwardus fecit commutationem cum Denewlpho Epiſcopo Wyntonienſi, pro Cœmiterio Veteris Cœnobii Wyntonienſis; ut fundaret in loco, ubi Cœmeterium illud erat, Novum Monaſterium. Et terra quam commutavit pro Cœmiterio, ſe extendebat ad menſuram trium ſtadiorum & trium virgarum. Et obtinebat totum ſpatium à medio Cœmiterii, quod modò eſt, cum terrâ in quâ ſtat Verſorium, cum gardino Sacriſtæ, & cum terrâ in quâ ædificatum eſt Bracinum cum Gardino Infirmorum. Totum illud ſpatium vocabatur olim Antiquum Cœmiterium. Iſte Denewlphus rexit || Epiſcopatum XXIV annis; & ſic morti obediens, ſepultus eſt in propriâ Eccleſiâ. Et ex tunc vacavit Sedes Wyntonienſis ſeptem annis.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCIV. ſecundùm Wilhelmum Malmes-

|| Succeſſit Dunberto anno 879. authore Florentio. Hinc ſi ducas numerum ad annum 904. quo Fritheſtanus à multis conſecratus perhibetur; anni 24. Pontificatûs à Denewlpho geſti conſurgent. Nonnullis autem Denewlphus ſedem Wintonienſem eo uſque non rexit, (quamvis poſt quinquennium demum anno, ſc. 909. vitâ functus fuerit, juxta Florentium & Chronologiam Saxonicam.) Anno enim 904. ſedes Wintonienſis integro ſeptennio vacaverat;

mesbiriensem *de Regibus* lib. 2*do*. ex decreto Formosi Papæ, cùm per septem annos plenos destituta fuerat Sede Episcopali omnis Regio Gewyseorum & Westsaxonum; Edwardus Rex congregavit Synodum Senatorum gentis Anglorum, cui præsidebat Pleimundus Archiepiscopus, interpretans distincta verba Apostolicæ Legationis. Tunc Rex & Episcopi elegerunt sibi, suitque consilium; & juxta vocem Dominicam; (c) *Messis quidem multa, Operarii autem pauci*; elegerunt & constituerunt singulos Episcopos Provinciis Gewyseorum. Frithestanum ad Ecclesiam Wyntoniensem, Athelstanum ad Cornubiensem sive ad Sanctum Germanum, Werstanum ad Shyreburnensem, Aldelmum ad Wellensem, Edulfum ad Cridiensem, Australibus Saxonibus virum idoneum Bernegum, & Merciis Ceowlphum, viz. ad civitatem Dorcestræ. Iste Frithestanus discipulus fuit Sancti Grimbaldi; & ab eo suscepit habitum Monachalem; fuit enim primitus unus ex Clericis Sæcularibus, qui videns Monachorum sanctissimam conversationem, sæculum reliquit, & ad religionem convolavit; ut scribit Vigilancius in libro *de Basilicâ Petri*, cap. 9. Hic beatus Frithestanus ob eximiam sanctitatem factus est Episcopus; & viginti duobus annis in omni sanctitate pontificavit; sed postea amore divinæ contemplationis curam deserens pastoralem, ordinavit Sanctum Brynstanum loco sui Episcopum, ac ipse pauperem & Monasticam vitam usque in finem transegit; ut habetur in quodam Scripto Edwyni Monachi in Saxonicâ Linguâ, quòd sic incipit; Ic Æadpın moncæn on ealden mınıѕтpæ, *&c.* in quo Scripto fit mentio confirmationis cujusdam Compositionis per Sanctum Dunstanum Archiepiscopum, per Sanctum Athelwoldum Episcopum & Sanctum Frithestanum Episcopum, medium locum tenentem inter Sanctos Dunstanum & Athelwoldum, ob reverentiam eximiæ sanctitatis in eo, inter Vetus Monasterium & Novum.

(c) Matth. IX. 37.

FRITHESTAN.

BRINSTAN.

Edwardus dictus Senior, cùm clementissimè Regnum Anglorum pertractabat annis † viginti quatuor, in Villâ Regiâ, Farundunâ nuncupatâ, diem

rat, juxta Willelmum Malmsburiensem *de Gestis Regum*, fol. 26. Circa annum itaque 897. Denewlfus sedem Wintoniensem, hostili invasione fugatus, dereliquisse censeri potest, atq; illi Frithestanus anno 905. in Concilio Panganglico subrogatus, unà cum sex aliis Episcopis à Plegmundo Archiepiscopo Cantuariensi consecratus. Malmsburiensis quidem rem gestam ad annum 904. narrat, anno tamen sequenti contigisse non obscurè indicat. Et anno 905. factam esse septem Episcoporum consecrationem testantur Acta Concilii in Archivis Ecclesiæ Christi Cantuariensis, ut de Florilego taceam. Inextricabilis quidem scrupulus manet de Epistolâ Formosi Papæ, qui ante novennium obiit, si quis ei fidem adhibendam censeret. Commentitiam autem esse pluribus argumentis constat. Nonnulla videre est apud Papebrochium in Chronologiâ Pontificum Romanorum. Ut quod sentio autem dicam; non solùm Formosi Epistolam, sed & integram de consecratione septem Episcoporum à Plegmundi factâ, & de septennali vacatione Episcopatuum, quam Malmsburiensis & Florilegus narrant, historiam commentitiam esse arbitror. Sedem enim Schirburnensem anno 903. plenam fuisse ex inferiùs dicendis constabit: & Denewlphum rebus gerendis toto illo septennio interfuisse liquet. Anno etenim 897. Prætor provinciæ Wintoniensis adversus invasiones Danorum ab Alfredo Rege constitutus est, authore Florilego, qui illum Berthulfum malè appellat. Anno 900. subscripsit chartæ Alfredi, & anno 904. chartæ Edwardi Regum datis Novo Monasterio Wintoniensi, in Registro Hidensi MS. f. 72, 73. Neutiquam igitur ante obitum (qui anno 909. contigit) Denewlfus Episcopatûs sui curam deseruit; sed neq; Frithestanus ante annum 910. consecratus est. Ejusce enim initia Chronologia Saxonica & Florentius in annum 910. rejiciunt. Idem & Rudburnus, sibi parùm consonus; quod calculos in Historiâ suâ proximè sequentes ad invicem conferenti facilè patebit. Hinc etiam anni 22. Pontificatui illius cedere deprehenduntur. Anno enim 932. die 4. Cal. Junii Byrnstanum sibi successorem ordinavit, & anno sequenti obiit. Id Chronologia Saxonica, Florentius, Chronicon Mailrosense, & Radulphus de Diceto (in Abbrev. Chronic.) tradunt.

† Edwardum annis 23. regnâsse, anno 924 defunctum esse, Rudburnus in Historiâ *Minori* scripserat. Et argumenta sanè non contemnenda suadent Edwardum illo anno obiisse. Utrinque tamen subductis calculis in eam propendeo sententiam illum anno demum 927. vitam finivisse.

clausit

clausit extremum; & Wyntoniæ in Novo Monasterio, regio more, sepultus est.

CAPITULUM VIII.

De Rege Athelstano, filio Regis Edwardi senioris, & de Episcopis Wyntoniensibus in ejus temporibus.

DE mundo ad cœleste Regnum translato nobili Principe Edwardo seniore, filius ejus Athelstanus apud Kyngstone coronatur in Regem. Hic Edgyvam sororem suam misit Henrico Alemannorum principi maritandum; quam ut superius diximus, tradidit Othoni filio suo in conjugium; qui quidem Otho post patrem imperatoriæ dignitatis diademate insignitus, gemmas & equos nec non quoddam vas ex onychino transparens & politum ita subtili cælatoris arte compositum, ut verè fluctuare segetes, gemmare vites, hominum imagines movere videantur. Accidit quodam tempore, Rex Athelstanus contra Scotiam properabat, & in eundo beatum Joannem Beverlacensem visitabat, super cujus Altare cultellum suum pro vadio posuit, promittens, quod si victor rediret, cultellum digno pretio redimeret; quod & implevit. Post victoriam verò in redeundo rogavit Deum; ut prece Sancti Johannis Beverlacensis evidens aliquod signum ostenderet, quo præsentes & futuri cognoscere possent, quód Scoti deberent de jure Anglis subjacere. Unde Rex cùm gladio suo percussisset scopulum quoddam lapideum juxta Castrum de Dunbar, qui usque hodie ad mensuram unius ulnæ ex ictu ejus est cavatus; deinde in redeundo dignâ dotatione cultellum redemit. Recepit etiam Rex Athelstanus à prædicto Othone ensem Constantini Magni, in quo literis aureis nomen possessoris legebatur, in cujus capulo super crassas auri laminas figebatur clavus ferreus de quatuor quibus Christus in Cruce figebatur: Item & lanceam Caroli Magni, quâ vibratâ semper victor abibat, quam tradunt aperuisse latus Christi: Item & Vexillum Sancti Mauricii Martyris, quo Carolus usus est contra Saracenos; item partem sanctæ Crucis & partem Coronæ spineæ; quarum aliquas partes Rex Athelstanus Monasterio de Malmesbyry delegavit; ut scribit Wilhelmus Malmesbiriensis *de Regibus* lib. *2do.*

Princeps iste insignis Athelstanus inter plurima bella intestina unum habuit cum Danis; ubi ceciderunt ex parte Danorum Rex Constantinus cum quinque Regulis, duodecim Ducibus, & tota pænè congeries Barbarorum. Athelstanus tertio Regni sui anno Monarchiam totius Angliæ suscepit sub quartâ distinctione, solusque absque aliquâ contradictione alicujus super totam Angliam regnavit; quod Alfredus Avus suus & Edwardus Pater suus, propter Danorum irruptiones & invasiones facere penitus non valebant. Nam tertio istius Athelstani Regni anno statutum fuit inter Regem Athelstanum & Regem Dacorum Anelafum, ut quilibet eorum eligeret virum fortissimum, ita quod inter eos fieret duellum pro jure Regni, ut eorum qui habuerit victoriam, Rex illius partis, quæ obtinuerit victoriam, habeatur pro Rege ex jure totius Angliæ. Pacto isto ex utroque parte firmato, eligitur ex parte Regis Danorum Gigas miræ longitudinis, invisus, inhumanus, ac non malæ meditationis ignarus, vir inter mille ducentos quinquaginta Danos fortissimus, nomine Colbrondus. Ex parte verò Athelstani Regis Angliæ eligitur Comes de Warewyke miles optimus, prudens, moderatus, sapiens, strenuus, justus, animosus & bellicosus. Unde & quasi inter sexaginta fortes ex fortissimis Israel, qui ambiunt lectulum Regis Salomonis omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi. Et iste Miles cum fortitudine animosior, nomine GWYDO. Inter hos ponitur jus Angliæ. Quid plura? Statuitur locus conflictûs

flictûs extra Borealem plagam Civitatis in quodam loco, qui modò The Hyde Mede vocatur, olim Denemarch appellatus est, propè Monasterium de Hyda; conveniunt ambo Comes & Gigas. O viri præveteris pugnaces; qui dum mutuos enses alter in alterum mitteret, prosiliebant ex ictibus ignes, ac si tonitrua coruscationes procrearent. Diu dubium fuit, cui præstantior vigor inesset. Quandoque enim prævalebat Comes Gwydo de Warewyk, & cedebat Gigas; cedebat Comes, & prævalebat Colbrond. Tandem post diuturnos conflictus gratiâ Dei opitulante Gwydoni conceditur victoria, & quæ propria sica erat Colbrond ejusdem Gigantis amputavit caput & ambobus Regibus obtulit. Gloria & ingens lætitia Anglis; pavor & stupor maximus invasit Danos; sic vero deinceps sub pace Dani degebant, quasi homines Ligii Regis Angliæ usque ad tempus Etheldredi Patris Sancti Edwardi. In signum vero victoriæ reservatur eadem sica prædicti Colbrond Gigantis, cum quâ truncatum erat caput ejus à Gwydone comite de Warewyk, in Thesaurariâ Ecclesiæ Cathedralis Apostolorum Petri & Pauli, & Sancti Swythuni Wyntoniæ usque in hodiernum diem; & vocatur eadem sica ab Anglis Colbrondis Ax. Iste Athelstanus Constantinum Regem Scotiæ & Dunwallum Regem omnium Wallensium regnis suis cedere compulit; quos postea sub se regnare permisit, gloriosius esse pronuncians Regem facere, quam Regem esse. Actum est enim Duellum inter Gwydonem de Warewyk & Gigantem Colbrandum anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXVII. & anno ejusdem Regis Athelstani tertio.

Inclytus Princeps Athelstanus Veteri Cœnobio Wyntoniensi, ut necessaria præberentur Christo servientibus, tria maneria concessit, viz. Chylbolton, Eneford, Hamerysworde; insuper & inter cætera bona unum memoriâ dignum gessit, viz. Decretum composuit de dandis decimis in Regno suo.

Sanctus Frithestanus Wyntoniensis Ecclesiæ Præsul pontificabat XVII. annis tempore Edwardi senioris, & quinque annis tempore istius Regis Athelstani: mortuus verò sepultus est in Ecclesiâ Cathedrali Wyntoniensi; cui successit Brynstanus, || quatuor tantum annis regens Episcopatum. Hic sanctus vir ex discipulo & Monacho Sancti Grimbladi factus est Wyntoniensis Episcopus. Primitus enim erat unus ex Clericis Secularibus, scil. in Wyntoniensi Ecclesiâ; sed postmodum sæculo relicto factus est Monachus. Istum purissimæ sanctitatis fuisse scribit Wilhelmus Malmesbyriensis *de Pontificibus* lib. *2do*. Quotidiè missas pro defunctis cantabat. Singulis noctibus Cœmiteria prope Civitatem Wyntoniensem circumibat dicens, *Placebo et Dirige*; cum commendatione pro animabus fidelium ibi requiescentium. Hoc cum quadam vice faceret in Cœmiterio sanctæ Anastasiæ, expletisque omnibus subjungeret; *Requiescant in pace*; voces quasi exercitus infiniti è sepulchris audivit respondentium, *Amen*. Idem Dominici exempli ardentissimus executor pedes egenis omni die semotis arbitris lavabat, mensam & cibos apponens, nec pro disciplinâ famulantium reliquias abstergens. Obsequio consummato, pauperibusque dimissis, ad cæteras horas in Dei servitio complendas ibidem remanebat; orationibus, ut creditur, vacans. Quodam ergo die pro consuetudine ingressus nullâ antea interpellatus ægritudinis molestiâ subitò clam omnibus spiritu vitali caruit. Clientes qui consuetudinem ejus nossent, tunc quoque orationibus occupatum crederent, totâ die jacere passi; at verò sequenti diluculo irrumpentes inveniunt cadaver sine mente. Conclamatus est ergo, & sepulturæ datus; sed cives, quia interceptum morte videbant, omnes ejus memoriam obliteravere silentio, nescientes, quod scriptum est; *Non*

BRINSTAN.

|| Brinstanum Episcopatum anno 932. iniisse Rudburnus in Historiâ *Minori* rectè tradit. Obiit autem anno 934. ad festum Omnium Sanctorum, juxta Chronologiam Saxonicam, Florentium, Hovedenum, aliosque; adeóque biennio & quinque mensibus tantum sedit.

potest

potest male mori, qui bene vixerit: & justus quacunque morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Correxit id divina rectitudo longo post tempore succedente Sancto Athelwoldo Wyntoniensi pontifice hoc modo. Quadam enim nocte cum idem sanctissimus pontifex Athelwoldus solus in Oratorio sanctae Dei genitricis Mariae intentissimè devotis incumberet precibus; repentè vidit coram se astantes tres sacerdotales viros pontificalibus infulis redimitos, & aspectu praeclaros. Apparuerunt isti tres viri non in ecstasi, sed in verâ vigiliâ; ut scribit Wilhelmus Malmesbyriensis ubi supra, & etiam habetur in Vitâ ejusdem Sancti. Ostendebant enim se sanctissimo Athelwoldo hoc modo. Cumque venerandus pontifex Athelwoldus pro claritate vultûs vix posset eos aspicere; unus eorum qui propior sibi assistebat, officiosissimè eum salutans ait: Pax tibi sit, frater carissime, noster Coepiscope. Tum ille: Quis es tu inquit Domine? & qui sunt isti? At ille, ego sum, inquit Brinstanus hujus sedis quondam Episcopus; hic qui prior assistit Sanctus est Birinus, natione Romanus; alter verò beatus est Swythunus, specialis hujus urbis Patronus. Noverisque quia sicut me cum eis hîc vides in praesentiâ; itâ cum eis in coelo non dispari fruor gloriâ. Cur ergo fraudor honorificentiâ mortalium, qui magnificor consortio coelestium spirituum? Finierat, & in aerem cum sociis elapsus pretiosâ sui memoriâ provincialibus appositâ nihil non venerationis deinceps emeruit. Sanctus ergò Athelwoldus divinâ revelatione instructus, facto manè in unum collectis fratribus, cuncta quae viderat, per ordinem enarravit; & beati Brynstani festivitatem singulis annis perpetualiter celebrandam instituit. Defuncto autem beato Brynstano, sepultus est in Ecclesiâ primae sedis in gente Gewyseorum.

Post decessum verò beati patris Brynstani, annuente Rege Athelstano, cum acclamatione totius Cleri & populi Elphegus, * ex Monacho Glastoniensi in Pastorem eligitur Wentanae Ecclesiae. Hic ad caeterarum virtutum cumulum, quibus laudabiliter quam abundè pollebat, etiam Prophetiâ clarus fuit. Hujusce dicti duo erunt causâ exempli. Dies erat Cinerum, & Pontifex pro more poenitentes Ecclesiae liminibus excludebat: caeteros adhortatus est; ut jejunio & castitati vacantes etiam uxorias delicias abjicerent illis diebus; fructum dignum poenitentiae esse, si qui multa illicita commiseris, & licitis abstineas. Doctrinam reverenter audientibus caeteris, unus joculari voce emissâ aliis risum excussit: non posse se temperare à convivio simul & conjugio, ut pariter abstineat à cibis & Venere; quinimò uxorem, quam cubili aliquamdiu submovisset, in proximo ad usum noctis revocaturum; petulanti & vulgari verbo exaggerans fatuitatem suam. Tum vox Episcopi submurmurantis ab astantibus audita & intellecta est: Contristas me miser, nesciens quid ventura pariat dies. Duram Prophetiam vicina mors nebulonis excepit. Postero enim manè in cubiculo repertus est exanimis, à Diaboloque guttur ejus elisus. Alioque tempore ordinavit pariter ad Presbyteratûs gradum tres Monachos, viz Dunstanum, Athelwoldum, & quendam Athelstanum, qui postmodum monasticae vestis Apostata, caelibatu contempto in meretriciis amplexibus vitam effudit. Completis solempniis, sanctae recordationis Praesul adhaerentes alloquitur: Hodiè coram Deo tribus viris manus imposui; quorum duo pontificalis ordinis gratiam nanciscentur; unus in civitate Wygorniâ, deinde in Cantiâ; alter meam sedem quandoque implebit successione legitimâ; tertius voluptatum volutabro se ingurgitans miserabilem sortietur exitum. Hic Athelstanus qui pro familiaritate cognationis praesens esset, protervâ consultatione Sacerdotem invasit, Num ego ero unus ex duobus, qui

ELPHEGUS.

* Cognomento Calvus, successit Brinstano anno 935. juxta Chronologiam Saxonicam, Florentium & Hovedenum.

Epis-

Episcopali dignitate sullimandi sunt? Non, inquit, erit tibi pax, neque sors in eo, quem præfatus sum, ordine; neque permansurus es in eâ, quâ hominum oculis lenocinaris, veste. Quanta sanctissimæ mentis dignitas, ut evidenter & sine fuco Cœlorum efferret secreta? Neque enim in terram ceciderunt verba ista, sed etiam in verum solidantur per consequentia. Dunstanus & Athelwoldus angustam viam, quæ ducit ad vitam, terentes insignes in prædictis Episcopatibus emicuêre; tertius latas sæculi semitas cursitavit. Hæc Wilhelmus Malmesbiriensis *de Pontificibus* lib. 2do.

Iste nobilissimus Basileus Athelstanus pro animâ fratris sui Edwyni, quem pravo usus consilio in mari fecerat submergi, duo Cœnobia construxit, viz. Mydeltone & Mychelneye; & ea prædiis multis & possessionibus ampliavit; ut tradit auctor in Flores historiarum sub anno gratiæ 939. Et postquam Regnum Angliæ strenuè gubernasset annis XVI. † moriens apud Gloverniam sine liberis, apud urbem Madulf, i.e. Meldunensem ultimum diem resurrectionis expectat. In ejus laudem sic canit quidam Metrista & meritò.

> Regia progenies produxit nobile stemma;
> Cùm tenebris nostris illuxit splendida gemma.
> Magnus Athelstanus patriæ decus, orbitu recti,
> Illustris probitas à vero nescia flecti.

CAPITULUM IX.

De Edmundo Rege & fratre Athelstani, & de Præsulibus Wyntoniensibus in ejus temporibus.

SUccessit Athelstano Edmundus germanus ejus, apud Kyngeston coronatus, adolescens decem & octo circiter annorum, anno gratiæ DCCCCXL. Edmundus genuit ex Elgyvâ Reginâ suâ filios Edwynum & Edgarum pacificum. Iste in proprium dominium Northanhymbriam & terram Cumberland, devictis Danis & expulsis, suscepit: in quâ expeditione Rex Edmundus accepit secum ossa Galfridi Abbatis & Hyldæ Abbatissæ, & detulit usque Gloverniam. Rex Edmundus nobilissimas civitates in Angliâ, viz. Lyncolniam, Snotingham, Derbeiam, Staffordiam, Legecestriam, quas eatenus Dani incoluerant, de manibus eorum extorsit, & luce fidei illustravit. Hic Edmundus Anelaf Danum & Paganum de sacro fonte levavit; & iste alter Heraclius, consilioque Sancti Dunstani tunc Glastoniensis Cœnobii Abbatis statuenda statuit, & corrigenda correxit; illudq; Monasterium rebus & personis plurimum nobilitavit: qui, ut scribunt Marianus Scotus & Galfridus, in septimo Regni sui anno, dum Dapiferum suum de manibus æmulorum suorum erripere vellet, interfectus ‖ est ab illis apud Pukylchyrche, sed apud Glastoniam sepelitur. Vetus Cœnobium Wyntoniæ in tantum confortatus est; ut quemadmodum de Salomone, sic de eo potuit dici in diebus suis:

> In Templo Regis non est audita securis;
> Malleus hic tuus est, quo te patientia tundit,
> Ut sic ad cœli regna politus eas.

† Coronatus anno 924. regnavit annis 16. obiit anno 940. Sic Rudburnus in Historiâ *Minori*. Veriùs regnavit annis 14. & hebdomadibus 10. defunctus anno 941. 6. Cal. Novembris. Chronol. Sax. p. 557.

‖ Interfectum esse anno 946. die festo S. Augustini Rudburnus in historiâ *Minori* refert, cui suffragatur Chronologia Saxonica, p. 558.

In

In hujus Regis tempore per totum tempus regni sui pontificabat in Wyntoniensi Ecclesiâ Sanctus Elphegus, de quo supra mentionem fecimus.

CAPITULUM X.

De Edredo Rege, fratre Athelstani Regis.

INgresso universæ carnis semitam Edmundo, post fratrem suum Edredus successit in regnum; qui apud Kyngeston coronatur. Huic & Scoti, sicut & prædecessoribus suis, colla subdiderunt. Princeps iste nobilis multum dilexit Vetus Monasterium Wyntoniæ; ita quòd crucem magnam ex auro & imaginibus aureis eidem Ecclesiæ liberaliter contulerit; ut scribit Vigilancius in Libro *de Basilicâ Petri*. Insuper duo hæc Maneria redonavit, viz. Dunton & Hussebourn. Qui dum graviter ægrotaret, Dunstanum Confessorem suum accersivit; cui festinè accedenti vox Angelorum obitum ejus clarè insonuit; *Modò Rex Edredus requiescit in pace*. Ad quam vocem equus, cui Dunstanus insedit, absque sessoris læsione in terram corruens exspiravit. Dunstanus autem sepelivit Regem Edredum in Veteri Monasterio Wyntoniensi. Hic etiam Edredus inter cætera pietatis insignia Cœnobium Abandoniæ funditus dirutum, quod Cissa pater Inæ priùs fundaverat, per Sanctum Athelwoldum sicut in præsenti cernitur exaltavit. Post novem verò annos cum dimidio regni sui spiritum cœlo reddens, ut diximus, corpus ejus humandum Wyntoniæ in Veteri Cœnobio dereliquit *, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLV. Exemplum forte posteris Principibus relinquens, quemadmodum

Sic Rex sit constans, sit fortis, mollia vitans.
Ipsum constantem flectere nemo queat.

Istius Regis Edredi anno sexto † decessit Sanctus Elphegus Confessor & Wyntoniensis Pontifex, anno septimo decimo sui Episcopatûs, & in propriâ Ecclesiâ Cathedrali corpus ejus traditur sepulturæ. Huic beato Elphego successit Alsinus in Episcopatum Wyntoniensem, vir regalis prosapiæ & egregiæ literaturæ; si non Simoniacâ labe pollueretur. Supra modum enim aspirabat ad honorem Archiepiscopatûs Dorobernensis Ecclesiæ. Unde contigit ut mortuo Odone Dorobernensi Archipræsule, iste Alsinus paratis advocatis, quorum manus palpaverat, subreptoque Regis Edgari edicto Cantiam intrusus est. Primoque exceptionis die non abstinuit, quin furias mente consotas evomeret, tumulum beati viri Odonis pede pulsans, animam voce lacessens; Tandem, ait, pessime senex, vivacem animam effudisti; serò meliori locum faciens abiisti; itaque quod diu cupiveram te invito teneo. Inde tibi malas gratias ago & habeo. Sed illo exacto die, cùm rabiei efflator cubili se dedisset; vidit beati viri effigiem astantem, & improperare convicium, & velox minari exitium. Ille qui volatico phantasmate se derideri cerneret vel putaret; nihilominus ad recipiendum pallium Romam per Alpes contendebat. Ibi nivali frigore gelatus nihil aliud remedii comminisci potuit, quàm ut exenteratorum equorum adhuc spirantibus extis immergeret pe-

ALFSINUS.

* Minùs rectè Rudburnus in Historiâ *Minori*. Edredus *regnavit annis novem & dimidio*; *obiit anno* 956. E vivis enim excessit anno 955. die festo S. Clementis; si Chronologiæ Saxonicæ fides.

† Obiit Elphegus anno 951. die festo S. Gregorii. Id Chronologia Saxonica, Florentius, Mailrosensis & Hovedenus produnt.

des,

des, quibus Sancti ſepulchrum violaverat. Sed nec ſic algore tepente, in mortem animâ fugiente diriguit. Tandem à ſervis ſuis multo labore in Angliam deportatus Wyntoniæ ſepelitur. Willelmus Malmesbyrienſis *de Pontificibus* libro primo. Alfſino || ſucceſſit Brithelmus; cui Sanctus Athelwoldus Glaſtoniæ Monachus, & Abbas Abandoniæ, ſucceſſit, & Præſulatum Wyntonienſem ſuſcepit regendum: de quo plura inferiùs dicentur.

BRITHELMUS.

CAPITULUM XI.

De Edwyo Rege, primogenito Edmundi Regis.

EDwyus, primogenitus Edmundi fratris Athelſtani & Edredi, apud Kyngeſton coronatur anno Domini DCCCCLV. Hic præ omnibus Eccleſiaſticis exoſos habuit Monaſticæ Religionis viros. Cauſam injuſtiſſimam talis odii recitat Willelmus Malmesbyrienſis *de Regibus* libro 2*do*, Ceſtrenſis in ſuo *Policronico*, lib. 6. c. 9. Marianus Scotus cum Alfrido. Utinam Alexandri, Scipionis & Noſpurnæ exempla caſtimoniæ animum iſtius Regis ab illecebris revocarent. De primo narrat Vegetius *de re militari*, quòd cùm capta eſſet Virgo quædam nobilis eximiæ pulchritudinis cuidam Principi deſponſata, ſummâ temperantiâ ei pepercit, ita ut illam reſpueret, ſed ad ſponſum intactum remiſit; quâ remiſsâ, univerſæ gentis & Principis mentes ſibi ſubjugavit. De ſecundo narrat Valerius Maximus *de Geſtis Principum Romanorum*; Quòd Scipio Princeps Romanus miſſus in Hiſpaniam, eo momento, quo caſtra intravit, edixit ut omnia, quæ voluptatis cauſâ comparata erant, amoverentur: unde & duo millia ſcortorum leguntur abiiſſe ab exercitu. De tertio narrat idem Valerius, quòd cùm Noſpurnas pulcher adoleſcens, cùm eſſet excellentis pulchritudinis & miræ ſpeciei, & ex hoc plurium dominarum illuſtrium ſollicitaretur aſpectibus; faciei decorem confudit, & faciem ſuam obfuſcavit, ne decor ejus eſſet incitamentum vel irritamentum alienæ libidinis. Hic * duobus annis regnans, in tertio deponitur, in quarto moritur, ſepultuſque eſt in novo Monaſterio Wyntoniæ; quia Reſpublica non augetur niſi moribus virtuoſis. Unde Auguſtinus ſecundo *de Civitate Dei*, recitans verbum Ennii Poetæ, ſic ſcribit:

Moribus antiquis ſtat res, Romanaque virtus.

Adeò enim erat petulans adoleſcens, & totus libidinibus deditus; ut beatum Dunſtanum pro eo quòd eum pro ſuis exceſſibus ſæpiùs arguebat, multipliciter afflixerit, & exilio dampnaverit. Hic etiam in tantum Monaſtici Ordinis profeſſores, & non ſolùm eos, verùm etiam homines & ſervientes eorum in totâ Angliâ priùs facultatibus ſuis nudatos juſſit in exilium deportari. Cœnobium Malmesbyrienſe pluſquàm ducentis quinquaginta ſeptem annis à Monachis inhabitatum ſtabulum fecit Clericorum; ut vult Willelmus

|| Alfſinus ſucceſſit Elphego ſeniori anno 951. Cantuariam tranſlatus anno 958. in Alpibus interiit anno 959. Id produnt Florentius, Mailroſenſis, & Hovedenus. Illi in ſede Wintonienſi Brithelmus ſucceſſit anno 958. authore Mailroſenſi; atque obiit anno 963. juxta Florentium & Hovedenum. Brithelmum ſuſcepit Ethelwoldus anno 963. conſecratus in Vigiliâ S. Andreæ, die Solis, teſte Chronologiâ Saxonicâ, & Wolſtano in vitâ Ethelwoldi, inter Acta Benedictin. Sæc, 5. p. 614.

* Edwius regni parte aquilonari mulctatus eſt anno 957. obiit autem anno 959. menſe Maio exeunte. Sic Florentius, Dunelmenſis, &c. Chronologia quidem Saxonica obitum ejus in annum 957. quo regni parte ſpoliatus eſt, retulit: Rudburnus in Hiſtoriâ *Minori* in annum 960.

Malmes-

Malmesbyrienfis. Hujus anima, ut quidam fcribunt, creditur poft mortem precibus Sancti Dunftani à pœnis Inferni liberatam, & in fortem Pœnitentium tranflatam effe.

CAPITULUM XII.

De Edgaro Rege pacifico, fratre Edwyni five Edwyi.

EDgarus filius Edmundi, & frater Edwyi five Edwini, fucceffit fratri in Regnum. Hic Edgarus pacis amator & veritatis, æquitatis, & juftitiæ cœlitùs à nativitate fuâ in Regem defignatus, apud Bathoniam coronatus eft anno Domini DCCCCLX. Hic pacificus fuit, & plures leges bonas condidit, eafque per totum Regnum fuum obfervari præcepit. Hic etiam Præfulatum (*d*) Wyntonienfis Ecclefiæ contulit S. Dunftano; qui adjuncto poftea Londonenfis Ecclefiæ Præfulatu gemino claruit Pontificio. Tandem Odone Archiepifcopo Cantuariæ defuncto, idem Sanctus Dunftanus Archiepifcopus Cantuariæ eft effectus. Hujus Regis Edgari pacifici tempore nunquam exercitus advenarum Angliam infeftabant; cujus dominio Reges Humbrorum, Scotorum & Wallenfium colla dederunt. Hic tria millia fexcentas robuftas naves congregaverat ad defenfionem hujus Terræ. Nec ullus ferè annus regni fui fuit, quo non neceffarium aliquod fecerit, quo non Monafterium novum fundaverit. Ob hæc ergo opera nullas domefticorum infidias, nullum exterminium aliorum fenfit.

(*d*) l. Wigornienfis.

Iftius Chriftianiffimi Regis Edgari anno regni fui tertio, viz. anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXIII. Sanctum Athelwoldum elegit Edgarus ad Epifcopatum Wyntonienfis Ecclefiæ; confecravitq; illum beatus Dunftanus Dorobernenfis Ecclefiæ, *i. e.* Cantuarienfis Archiepifcopus. Ifte fanctiffimus pater Athelwoldus primò fub Sancto Dunftano Abbate Glaftonienfi factus eft in eodem Cœnobio Monachus; ac poftmodùm Rex Edredus audiens fanctitatem Athelwoldi, inftinctu matris fuæ Edgivæ, tradidit ei quendam locum Abendonia nominatum, quo modicum antiquitùs habebatur Monafterium, quod Ciffus Regulus, pater Inæ, conftruxit, fed tunc neglectum ac deftitutum. Contulitque ei Rex ad reparationem domorum de thefauro fuo, ac Mater ejus largiùs munera ei direxit. Factus ibidem Abbas Athelwoldus Monachos congregavit, & in magnâ vitæ fanctitate illos rexit; ut fcribit Johannes in *Hiftoriâ Aureâ* fub anno gratiæ 960. Qui Athelwoldus poftmodùm, ut dictum eft, factus Wyntonienfis Epifcopus, reclamavit Monachos in propriam hæreditatem, viz. ad Wyntonienfem Ecclefiam inhabitandam, expulfis Clericis; qui non nifi pro tempore fubftituti fuerant, quoufque Monachi invenirentur in aliquo numero, qui ipfam Ecclefiam habitarent. A primævis enim temporibus Monachi erant in Wyntonienfi Ecclefiâ; quod bene cernens almifluus Pontifex Athelwoldus, cum confenfu Regis Edgari, & fanctiffimi Dunftani Dorobernenfis Archiepifcopi, & Sancti Ofwaldi Eboracenfis Archipræfulis, Clericos expulit à veteri Monafterio Wyntoniæ, adducens illuc Monachos de Abendoniâ Sabbato in capite quadragefimæ, Clericis incipientibus poft communionem, viz. *Servite Domino in timore, &c.* quibus ipfe Abbas & Epifcopus extitit. Sed poftmodùm refpirandi ad priftinam dignitatem propofitum arripientibus Clericis infra Refectorium veteris Monafterii Wyntoniæ, & expectantibus cunctis cum Sancto Athelwoldo fententiam Regis præfidentis & Archiepifcopi Dorobernenfis Sancti Dunftani, divinitùs vox de imagine Crucifixi in muro collocatâ regiis auribus pariterque Archipræfulis intonuit fub hac formâ, cæteris omnibus hoc ignorantibus; *Abfit hoc ut fiat, Abfit hoc ut fiat; judicâftis bene, mutaretis non bene*: Ad hanc vocem ftabilimentum

ETHELWOLDUS.

suscepit Ordo Monasticus, ut inhabitet in domo Domini in longitudinem dierum, maligno consilio Clericorum dissipato. Qui videntes suam nihil prævalere nequitiam, tamdiu per diversas gentis Anglorum provincias huc illucque dispersi sunt, quousque vitam finierint. Iste etiam sanctissimus pater Athelwoldus anno revoluto, annuente Rege Edgaro, Canonicos expulit de Novo Monasterio Wyntoniæ, ab adventu Normanorum in Angliam Hyda dicto; & Monachos cum Abbate introduxit; ordinavit autem illis Abbatem Ethelgarum sive Algarum; qui postea Australium Saxonum Episcopus factus, demum post Sanctum Dunstanum Archiepiscopus Dorobernensis sive Cantuariensis est effectus.

Apud Wyntoniam quoque Monasterium Monialium in honorem beatæ Mariæ Virginis, ab Ethelswythâ, matre Edwardi senioris, primitùs fundatum, de novo reparavit, & competentibus possessionibus ampliavit. Locum quendam Ely dictum, ubi erat Monasterium Sanctæ Etheldridæ Virginis, pro tunc à Danis destructum, & regio fisco redactum, non modico pretio Sanctus Athelwoldus emit; Monachos ibidem ordinavit, & Brythnothum Præpositum Veteris Monasterii Wyntoniæ Abbatem ipsis instituit, & locum ædificiis reparavit. Emitque à Rege Edgaro locum Medamstede tunc, nunc Burgh nominatum, Basilicamque congruis ædificiis ornatam in honorem beati Petri consecravit, Monachos inibi ordinavit; Eadulphum eis Abbatem instituit, qui post Sanctum Oswaldum Archiepiscopus Eboracensis factus est. Tertium nihilominus locum pretio acquisivit, qui propter spineta circumquaque subcrescentia Thorneia nuncupatur; & Monachos ibidem statuit, & Godmannum eis Abbatem præfecit, circa annum Gratiæ DCCCCLXX. ut refert Johannes in *Historiâ Aureâ*.

Quod superiùs dictum est de expulsione Clericorum ab Ecclesiâ Cathedrali Wyntoniæ, & introductione Monachorum, scribit Wilhelmus Malmesbyriensis, auctor in Flores historiarum, Florentius, Marianus Scotus, & plurimi alii Chronicantes: sed modò quid de illâ expulsione & introductione scribat Johannes in *Historiâ aureâ* videamus. 'Sanctus, inquit, Athelwoldus jubente Rege Edgaro, anno Domini DCCCCLXIII. à Sancto Dunstano Dorobernensi Archiepiscopo Wyntoniensis Episcopus consecratus est; erant autem tunc in Veteri Monasterio Wyntoniensi Canonici nefandis moribus implicati, elatione, insolentiâ atque luxuriâ præventi; adeò ut nonnulli eorum dedignarentur Missas suo ordine celebrare; repudiantes uxores, quas illicitè duxerant, & alias accipientes; gulæ & ebrietati jugiter vacabant; quod minimè ferens Episcopus Sanctus Athelwoldus acceptâ à Rege Edgaro licentiâ expulit eos, & Monachos de Abendonâ introduxit; quibus ipse Abbas & Episcopus fuit. Misit autem Rex ministros suos, Clericis præcipiens, ut confestìm loco renunciarent, aut habitum Monasticum susciperent. Qui nimio pavore perterriti, & vitam execrantes Monasticam, intrantibus Monachis illico exierunt; sed tamen postmodùm tres illorum habitum Monasticum susceperunt. Itaque usque tunc in gente Anglorum non erant Monachi nisi in Glastoniâ & Abendoniâ. Hæc Johannes in *Historiâ Aureâ*. His visis considerandum est, qualiter pro Monachis veteris Cœnobii Wyntoniensis, & quod Monachi erant in illâ Ecclesiâ ab antiquis temporibus; Pacificus Rex Edgarus. Sequitur Charta Regis Edgari.

'Ad redemptionis suæ augmentum omni conatu cuncti student Orthodoxi; 'ut fidei, spei, charitatisque alis veluti vestium fulgore amicti, pretiosarum- 'que splendore gemmarum adornati, sanctarum virtutum copiâ perspicui, 'criminum pondere semoti, terreni corporis ergastulo versantes, lachryma- 'rumque valle cum nimio degentes certamine, totius animi cultum cœlesti 'habitatione theorico figant meditamine. (e) *Nostra*, inquit Apostolus, *con- 'versatio in Cælis est*. Hinc ergò ego Edgar Domini largiente gratiâ totius Al-

(e) Phil. III. 20.

'bionis

'bionis Basileus, sedulâ procurans solicitudine, ne Catholicorum quispiam 'actuali degens conversatione aliquâ sæcularium rerum vexatione à contemplativâ impeditus vitâ incongruè revocetur, quod olim à prædecessoribus nostris 'Ecclesiis Domini ad sui famulatûs obsequium egregiâ concessum libertate fuerat, renovando libentissimè recupero. Hujus rei gratiâ jura omnia prædicta & superiùs distinctis locis ordinatim novis literarum apicibus designata, Christi compunctus spiramine, justo utens judicio, ad usus Pontificum 'supradictæ Ecclesiæ vitâ religiosâ regentium, pro animæ meæ salute, regnique ac successorum meorum prosperitate, æterná libertate cum optimatum meorum consilio devotus admodum restitui, omnique sæculari gloriosè 'soluta dicavi servitute; ne vexatione mundanæ afflictionis mens Præsulum 'pro nostris facinoribus intercedentium à divinâ contemplatione remota deficiendo lascesseret. In nomine almæ Trinitatis ac individuæ unitatis præcipio; ut succedentium temporum Episcopi ita gregem Dyrocheo. i. duplici 'pastu nutriant Monachorum; ut nostris temporibus per sapientium ordinatum est providentiam, & alimenta ex Chyltacombe Monachis copiose tribuant, & sine ullâ retractatione hilariter subministrent, & nullius nimietatis 'inquietudine perturbent; ne à vita theorica vel immoderata superfluitas, vel 'intolerabilis paupertas cum magno animi detrimento illos amoveat; omnia 'in victu & vestitu secundùm Regulæ modificet præceptum. Certè Canonici omni vitiorum nævo deturpati, inani gloriâ tumidi, invidiæ livore tabidi, 'Philargyriæ maculis obcæcati, luxuriæ facibus lividi, gulæ omnimodo dediti, Regi terreno non Episcopo subjecti, præfati ruris usu veterano moderno 'tempore pascebantur alimentis. Ebrietatem siquidem & homicidia sectantes, conjuges suas turpiter nimiâ & inusitatâ libidine amplectentes, Ecclesiam Dei rari & perpauci frequentare volebant, nec horas celebrare Canonicas 'dignabantur. Quo reatu ejectis cum Præposito Canonicis, & eliminatâ immundorum spurcitiâ, Monachi in sede constituti sunt Episcopali; qui sanctis 'adornati virtutibus, humilitate præcipui, vigiliis, hymnis, & orationibus 'assidui, abstinentiâ macti, castitate perspicui, legitimè viverent, & obsequium Ecclesiæ regulariter implerent. Rura absque dubio superiùs notata 'renovare benivolâ studui intentione; & quæ injustè abstracta fuerant à Monachis ab antiquo Ecclesiam illam occupantibus Duntoun, viz. Taunton, 'Alresford, Cleres, Tycheburn, Wordy, Funtell, Stoke, Fermesham, Ecclesiæ Dei devotus admodum ideò restitui; ut tali & tam necessario jocunditatis additamento Monachorum Christo humani generis Redemptori fideliter castéque servientium gregem facilius libentiusque pascerent; dum 'præfatis ruribus sublatis Canonicis, [qui], turpiter contra fas inhonestéque 'degentes in tam augustâ rerum possessione usu pascebantur perpetuo. Alantur igitur solito Monachi ab hujus vitæ curis remoti, unde alebantur Canonici ab iis quæ à Monachis in ipsâ Ecclesiâ degentibus olim injustè abstracta 'erant cum aviditate nimiâ, curis vitæ recidivæ intenti. Rura omnia superiùs notata Episcoporum usui peculiariter ad votum deserviant: illa verò 'quæ Canonici olim cum Præposito sine peculiari Præsulis dominio usu possederant veterano, hæc eadem Monachi communiter ad necessarios usus jure 'possideant perpetuo; & cum Antistitis consilio ac juvamine bene regant, & 'per Præpositum fratribus cunctis necessarium, Episcopoque, uti regula præcipit, cum omni humilitate subjectum sapienter disponant. Pastum ex Monachorum villis nequaquam Præsul Diocesim lustrando avidus exquirat: emptis necessariis fratrum indumentis, quicquid ex lucro villarum superfuerit, 'unito Episcopi fratrumque consilio hospitum necessitatibus & Ecclesiæ usibus, 'omni scupulatione remotâ, fideliter expendatur, & non loculis Episcopi 'peculiaribus ad animæ detrimentum reclusum custodiatur. Post unius Episcopi obitum alter ex eâdem Monachorum congregatione, qui dignus sit Pon-

 'tificatûs

'tificatûs ordine fungi, & non aliunde eligatur. Si autem impedientibus
'peccatis vel imperitiâ, in eodem Monasterio talis, qui dignus sit, inveniri
'nequiverit; ex alio noto Monasterio Monachus, non autem Canonicus, ad
'tanti gradûs dignitatem, qui dignus sit secundùm meritum atque doctri-
'nam, unanimi Regis & Monachorum ejusdem Monasterii consilio sapienter
'eligatur. Et non solum in hâc Pontificis electione, verùm etiam omnibus
'rebus regulæ usus jugi teneatur custodiâ; ut in omnibus quæ egerint, vel
'regulæ normam hilariter custodiant, vel majorum cum omni devotione imi-
'tentur exempla. Electus vero nullâ superfluitate Monachos perturbet vel
'inquietet; nec Clericos sive Laicos in claustra vel refectorium introducat;
'sed Missam celebrans, Monachorum reverenter fungatur officio; ac in Re-
'fectorio quotiens voluerit comedens, eorum & non Canonicorum vel Laico-
'rum inibi utatur obsequio. Monachos si quoslibet secum suum lustrando
'Episcopatum habere voluerit; illos sumat, qui provectæ ætatis sunt, quo-
'rum profectu & moribus ad Christi roboretur famulatum, & non pueros vel
'juvenes lascivos, quorum levitate læsus in aliquibus depravetur. Rura tam
'à regibus, quàm à diversis Catholicis ad usus fratrum Domino largifluè col-
'lata, hujus sæculi militibus sive propinquis carnalibus pro munere quolibet
'adulando tribuens ad animæ suæ detrimentum nequaquam disperdat. Qui
'prædicta statuta benivolâ servare voluntate studuerit, Domini nostri Jesu
'Christi benedictione in præsenti sæculo perfruatur, & post ejus obitum ad
'æternæ beatitudinis vitam Christo opitulante securus perveniat. Si quis au-
'tem philargyriâ seductus aliquid ex his, quæ cum consilio sapientium præ-
'cepta sunt, vel minuere præsumpserit; deleatur nomen ejus de libro vitæ;
'& in Jesu Christi Salvatoris mundi, ejusque Genitricis Mariæ, omniumque
'Sanctorum persecutione maneat; & post vitæ suæ terminum cum Judâ
'Christi proditore ejusque complicibus inferni miseriâ punitus intereat, si
'non cum satisfactione emendaverit, quod nequiter pejorando deliquit. Et
ista Charta auctoritate Papæ confirmata est.

Ex istâ Chartâ habemus, quòd Monachi erant in Wyntoniensi Ecclesiâ ab antiquis temporibus; immo, ut dictum in primo libro, infra ducentorum annorum numerum à Christi incarnatione Monachi inhabitabant Ecclesiam Wyntoniensem. Et sic Monachi erant multo tempore ante beatum Benedictum; quia in primitivâ Ecclesiâ. Quod quidam moderni negant, affirmantes quòd qui dicebantur Monachi ante Sanctum Benedictum erant Sacerdotes & Clerici sæculares, & similiter Laici; quia omnes illi erant Custodes unius, quod est interpretatio hujus nominis Monachus; & utinam sic. Contra horum assertiones Sanctorum Patrum introducemus auctoritates. Doctor Uthredus in libello suo *de institutis Monachorum*, ponit quatuor distinctiones fidelium in primitivâ Ecclesiâ, viz. Apostolos, in gradibus Ecclesiasticis ab Apostolis constitutos, Cœnobitas, & fideles Laicos. In gradibus ecclesiasticis constituti dicebantur Sacerdotes & Clerici, qui plebi Christi spiritualia ministrarent. Cœnobitæ dicebantur Monachi, qui in communi & sine proprio vivebant in congregatione sub Apostolis, tanquam modò sub Abbatibus degentes. Fideles Laici erant, quotquot per prædicationem Apostolorum fidem Domini suscipiebant; qui venditis suis omnibus, precium eorum ad pedes Apostolorum ponebant, & sic rebus sæculi funditùs expediti in socialem vitam cum Apostolis & Cœnobitis transiebant, & omnem curam Apostolicæ diligentiæ & sollicitudini committebant, & (f) *dividebatur autem omnibus ab Apostolis, prout unicuique opus erat.* De quibus Apostolus Paulus ait ad Romanos XV. (g) *Nunc proficiscar Hierosolymam ministrare Sanctis.* Glossa! *Qui rerum suarum precia ad pedes Apostolorum posuerant.* Ecce generalem vitam & regularem duxerunt Apostoli & Cœnobitæ in primordio primitivæ Ecclesiæ; viz. in communi & sine proprio vivebant, & (h) *Nullus eorum*

(f) Act. XI. 45.

(g) Rom. XV. 25.

(h) Act. IV. 32.

eorum suum aliquid esse dicebat, sed erant illis omnia communia, nec quisquam egens erat inter illos; ut scribitur Actuum IV cap. Sed ista consuetudo vivendi in primitivâ Ecclesiâ, quoad Sacerdotes & Clericos sæculares cum fidelibus Laicis, non diu perduravit. Post ascensionem Domini Apostolis per Martyrium de medio sublatis, multi retrocedentes cœperunt rursus sæculi res ambire, easque non in communi, sicut priùs cum Apostolis & Cœnobitis, sed proprio jure possidere: Et ita cœpit fervor communiter vivendi in unum tepescere. Propterea quàmplures sancti Patres & probatissimi Monachi, quibus adhuc inerat fervor Apostolicus, Sancti Spiritûs aspirante gratiâ, nolentes apostatare ad sæculi curas non redibant; sed congregati in unum, sicut priùs, communiter vivere satagentes sub uno eorum, qui adhuc electus fuerat, magisterio, ut eos Apostolorum vice regeret, pristinam religionem restaurare cupiebant. Et non solum illa magnifica retinebant, quæ primitus Ecclesia vel turbæ credentium in Actibus Apostolorum leguntur celebrâsse; verùm etiam multa his sublimiora cumulaverant. Eusebius enim narrat in *Historiâ Ecclesiasticâ* lib. *2do.* beatum Marcum Evangelistam primùm ad Ægyptum perrexisse, & ibi Evangelium prædicâsse; & Ecclesiam apud Alexandriam primùm constituisse; cujus sobrietatis exemplo primo ingressu ejus maxima multitudo virorum & mulierum credidit, & ab eo normam vivendi suscepit; quorum exemplo per universum mundum adolevit sancta institutio Monachorum. Philo etiam Judæus vir disertissimus tempore Neronis Imperatoris conversationes eorum qui per beatum Marcum crediderant, & abstinentiam & vitam eorum, qui vitæ Monasticæ inserviebant, librorum memoriæ commendabat; in quibus evidentissime abstinentium vitas, qui in Monasteriis degunt, describit ad liquidum; & specialiter in libello, quem *de vitâ Theoreticâ* attitulavit. *Pergit author antiquitatem vitæ Monasticæ ex Dionysii Areopagitæ aliorumque scriptis satis frigidè probare. Argumenta ejus & testimonia prolata nos luce parum digna judicavimus.*

Ex prædictis ergo patet, quod Monachi erant in primitivâ Ecclesiâ distincti à Sacerdotibus, Clericis, & Plebeis sive fidelibus Laicis; & professi secundùm diversas regulas à diversis patribus ante beatum Benedictum multo tempore editas. Marcus enim Evangelista primus apud Alexandriam Monachorum Congregationem ordinavit, & regulam ipsis imposuit; de quâ regulâ loquitur Cassianus *de institutis Monachorum*, lib. *1mo.* cap. *5to.* Pachomius etiam Abbas & Pater Monachorum Thebaydæ Provinciæ, quæ Tabennesium dicitur, vir Deo plenus fuit, cui Angelus Domini apparuit dicens; Scias te à Domino exauditum, ideo Monachos juniores collige, ac eos juxta regulam, quam à me accipies, institue. Acceptisque tabulis æreis inscriptis regulâ Monachali Monasteria fundavit: scripsitque Epistolas diversas ad Tyrum Abbatem, unam ad Cornelium, aliam ad omnium Præpositos Monasteriorum, ad fratres operarios, ut devotè laborent, quod eis injungitur adimplentes: Ut habetur secundùm Gennadium, *de viris illustribus*, cap. *7mo.* Item secundùm Johannem in *Historiâ Aureâ* sub anno gratiæ *406.* Sanctus Fructuosus etiam Monachus & Episcopus Traconensis scripsit regulam Monacorum circa annum Domini CCXLV. ut habetur in vitâ ipsius; & de eo fit mentio in decretis dist. *9.* q. *Carnem.* Hic sub Hemuliano Præside apud Traconiam civitatem cum Augeria & Eulogio Diaconibus post carceris intrusionem flammis injectis, ut urerentur, precibus obtinuerunt. Septimâ verò nocte post passionem ipsi Judici apparuerunt, eum increpantes & ejus tormentis insultantes. Passi sunt anno Christi CCLVI. Sanctus Basilius Monachus & Doctor, ut habetur in vitâ ipsius, ac Episcopus Cappadociæ, inter multa, quæ scripsit, regulum composuit *de institutione Monachorum.* Floruit anno Christi CCCLII. Legitur etiam beatus Hieronimus post tempora Apostolorum Ambrosium & Augustinum ætate præcessisse, peragratisque pri-

ùs Cœnobitarum & Heremitarum per deserta & Cœnobiis, & Cellulis, habitu prius Monachorum assumpto per ministerium beati Gregorii Nazianzeni, apud Bethleem Monasterium instituit; ibidem vitam Monasticam ducens, regulam Monachorum composuit, omnia cum fratribus communia possidendo; primitivam Ecclesiam & patres antiquos imitatus est. Istud etiam scribit de beato Hieronimo Doctor Uthredus in libello suo *de institutis Monachorum.* Et quamvis plures alii patres tempora beati Benedicti præcedentes regulas Monachorum scripserint; ut Ferreolus, Egippius, Isidorus, Aurelianus, Johannes Cassianus; non tamen differens erat religio Monachorum illis temporibus à religione Monasticâ à tempore & post tempora beati Benedicti; sed una & eadem religio erat tunc & nunc. Pro quo ulterius notandum, secundùm enim Eusebium, lib. 2*do. Ecclesiastica Historiæ*, cap. 2do. Ante adventum Christi in carnem, immò ab ipsis parentibus nostris primis incœpit secta & religio Christiana; quod declarans beatus Augustinus libro primo *Retractationum*, cap. 13. 'Res ipsa, quæ nunc Christiana religio 'nuncupatur; erat & apud antiquos; non defuit initio generis humani, quo-'usque ipse Christus veniret in carnem. Unde vera religio, quæ jam est, 'potest appellari Christiana. Hæc est nostris temporibus Christiana religio, 'non quia prioribus temporibus non fuit, sed quia à posterioribus hoc nomen 'accepit: Et sic patet, quòd res ipsa religionis Christianæ fuit ab initio gene-'ris humani, sed non nomen. Conformiter dicitur de religione ac ordine Monachorum; quod ab initio, quo vita monastica fuerat instituta, eadem quoad rem fuerat quæ & modò; quamvis sit novitas & diversitas quoad nomen. Unde à primo *Benedicere* Christo, qui mundum ingrediendo, in mundo progrediendo, de mundo ad patrem regrediendo semper in benedictionibus operatus est salutem nostram per servorum suorum hominum ministerio, religio Monastica instituta, & quantum ad rem eadem ab institutionis initio semper manens; licèt in aliis & aliis observantiis propter diversitatem personarum, causarum, temporum, & locorum sicut Christiana religio nomen benedictionis de novo sumpsit à Patre sanctissimo re & nomine Benedicto, & specialiter ideò præelecto tanquam ministro aptissimo ipsius primi *Benedicere*, qui est Christus; quatenus ab ipso summo activo *Benedicere* passivè immediatè descenderet *Benedictus*; ut regulam monasticam declararet, roboraret, & ei à suo nomine perpetuæ benedictionis nomen imponeret speciale. Ac ideò hæc ipsa regula & religio jam nominata beati Benedicti fuerat realiter à primâ institutione Monachorum; quamvis nomen illud receperat modò tardè; sicut religio Christiana fuerat ab initio generis humani, quamvis multò posterius receperat illud nomen. Et licet quamplures sanctissimi divinitùs inspirati varias Monachorum regulas ordinârunt; beatus tamen Benedictus quasi primo *Benedicere* subordinatus, de Prædecessorum suorum regulis & statutis efficaciores tolerabilioresque observantias excerpens, in asperis super omnia mitigationis moderamine perusus, illas omnes regulas stabiliens & uniens, vitæ monasticæ nomen benedictionis attulit perpetuò duraturum; ut sempiternæ benedictionis religio veraciter nominetur. Stabilitas & morum conversio propter causam expressæ distinctionis & divisionis inter veros Monachos & alios falsò Monachorum nomine appellatos, præcipuè in professione monasticâ exprimuntur. Obedientia quidem continens omnia religioni necessaria, tanquam religionis materia sive genus; & hæc particula superaddita secundùm regulam beati Benedicti, tanquam differentia seu forma ab omni alio vivendi modo est monasticæ vitæ divisiva & distinctiva, & in suo esse specifico positiva, non à genere religionis, sed a quibuscunque aliis religionis speciebus seu vivendi modis formaliter condistincta.

Rex pacificus Edgarus Monasterium Glastoniæ, Abendoniæ, & Cœnobia, quæ ipso annuente Sanctus Pater Athelwoldus fundaverat, multipliciter locupletavit.

cupletavit. Cœnobiorum enim maximus & indefessus erat fundator; cooperantibus sibi sanctis Archiepiscopis Dunstano Cantuariæ, Oswaldo Eboraci, & Athelwoldo Episcopo Wyntoniæ. Nam tot fuerant Monasteria per Angliam de novo tunc per eum fundata, tot etiam reparata, quæ per Danos primitùs fuerant complanata; quod incredulitatem generaret audienti.

Hujus serenissimi principis Edgari tempore sanctissimus pater Athelwoldus transtulit beatum Birinum primum Gewyseorum Apostolum; & in scrinio de argento & auro decentissimè compositum collocavit. Nam postquam Sanctus Hedda Wintoniensis Ecclesiæ Præsul corpus sancti patris nostri Birini transtulit unà cum sede à Dorkecestrensi Ecclesiâ; humatum est illud venerabile corpus in Ecclesiâ Wyntoniensi ex parte boreali summi altaris, non more Sanctorum translatum usque ad tempora istius almi pontificis Athelwoldi; ut scribit Vigilancius *de Basilicâ Petri*, & etiam habetur in Legendâ, quæ legitur in Ecclesiâ Wyntoniensi in octavis translationis Sancti Birini. Consentiente etiam rege Edgaro, Sanctus pater Athelwoldus, expulsis Clericis à Wyntoniensi Ecclesiâ, admonitus divinâ revelatione, Sanctum Swythunum hujus Wyntoniensis Ecclesiæ specialem patronum de vili sepulchro transtulit; & in scrinio argento & auro à rege Edgaro cum summâ diligentiâ fabricato honorificè collocavit anno dormitationis suæ CX. Ibique ad declarandam ejusdem sanctissimi Swythuni gloriam, tantus factus est concursus populorum, tam frequens operatio miraculorum; qualis in Angliâ raro vel nunquam ostensa est temporibus anteactis. Quamdiu enim Clerici inhabitabant Ecclesiam Wentanam, nulla per Sanctum Swythunum Deus miracula operatus est; sed ipsis ejectis statim miracula patrata sunt: ut scribit Lantfredus in ipsius gloriosi Antistitis Swythuni *Vitâ*, & Vigilancius in libro *de Basilicâ Petri.* Per hunc etiam Sanctum Athelwoldum corpora Sanctorum Frithestani, Brynstani, & Elphegi Confessoris, cum sanctissimâ virgine Edburgâ regis Edwardi senioris filiâ, [translata sunt.] Ipse etiam Sanctus Athelwoldus dedicari fecit Vetus Cœnobium Wyntoniense, præsentibus Etheldredo rege & Sancto Dunstano Archiepiscopo, & octo aliis sibi cooperantibus Episcopis, anno Domini DCCCCLXXX. XIII Kalend. Novemb. Obiens † verò iste sanctissimus Pater Athelwoldus sepultus est infra propriam Ecclesiam ex Australi parte magni Altaris. Post obitum vero suum Domino Sanctum suum per miracula revelante, translatus est per Sanctum Elphegum suum || Successorem ex Abbate Bathoniæ; qui postea Archiepiscopus Cantuariæ factus à Danis lapidatus est apud Grenewyche, & in Ecclesiâ Pauli Londonensi sepultus, sed per Cuntonem regem in Cantuariam est translatus.

ELPHEGUS.

Edgarus * rex cùm pacificè & legaliter regnâsset annis XVI. obiit, & sepultus est Glastoniæ. Iste Edgarus Edmundi filius genuit Edmundum, qui obiit ante patrem, & Etheldredum, qui post eum regnavit de Elfrida filiâ Orgari ducis. De Elfledâ cognomento Candidâ filiâ [Ordmeri ducis] genuit Edwardum, qui regnavit ante Etheldredum. De Wlfridâ non Sanctimoniali, ut fertur, sed puellâ Laicâ quæ timore regis seipsam velaverat, genuit

† Obiit Ethelwoldus anno 984. Calendis Augusti. Sic Florentius, Mailrosensis, & Historia Glastoniensis (in Monastico Angl. Tom. I. p. 9.) Pridiè Calendas Augusti illum obiisse vult Hovedenus.

|| Is alio nomine Godwinus dictus, consecratus est anno 984. die 14. Cal. Novemb. intronizatus die SS. Simonis & Judæ; authore Chronologiâ Saxonicâ p. 560. De translatione ipsius ad Cantuariam vide supra in Dissertatione de verâ successione Archiepiscoporum Cantuariensium.

* Obiit Edgarus anno 975. die 8. Julii, feriâ 5. Sic Florentius cum aliis. Die 18. Julii obitum ponit Chronologia Saxonica. Rectiùs illi. Annum 976. Rudburnus in Historiâ *Minori* posuit, errore manifesto.

Sanctam Edytham. Hæc Edytha apud Wyltoniam requiescit, petentibus præstans beneficia pietatis. Iste Edgarus pacificus rex dedit Veteri Monasterio Wyntoniensi Manerium de Abyngton.

CAPITULUM XIII.

De Sancto Edwardo Martyre, filio Edgari regis.

SAnctus Edwardus Martyr, filius Edgari regis, successit patri in regnum. Hic Edwardus à Sancto Dunstano cum cæteris Episcopis consentaneis in regem coronatur contra voluntatem quorundam Optimatum & novercæ suæ Elfridæ; ut scribit Wilhelmus Malmesbiriensis *de Regibus* lib. 2do. quæ Elfrida filium suum vix septennem Etheldredum in Regem conabatur provehere; ut ipsa potius sub ejus nomine potuisset imperare. Et tunc malitiâ hominum pullulante fœlicitas regni imminuta est. Tunc visus cometes, qui vel pestem provincialium, vel regni mutationem portendere pro vero asseveratur. Nec mora; secuta sterilitas arvi, fames hominum, mors jumentorum. Apud vicum regium qui vocatur Calna, casus accidit insolitus. Nam defuncto Edgaro Rege pacifico, Clerici quondam ab Ecclesiis expulsi rediviva prælia suscitârunt; ingens esse & miserabile dedecus, ut novus advena veteres colonos migrare compelleret; hoc nec Deo gratum putari, qui veterem habitationem concessisset, nec alicui probo homini, qui sibi idem timere posset, quod aliis præjudicio accidisse cerneret. Eâ de re in clamores & iras prorupit populus; tumultusque ad Sanctum pervenit Dunstanum. Præcipuè proceribus, ut Laicorum est, succlamantibus, præjudicium quod Clerici passi fuerant injustè leniori consilio succidi debere. Hæc Wilhelmus.

Auctor verò in Flores Historiarum hôc modo procedit: Flos & Decus Anglorum, gloria & honor Regum, cujus largitas & magnificentia totam jam Europam repleverat, anno ætatis suæ XXXII. regni verò XVI. ex hâc vitâ transiens, pro regno terreno commutavit æternum; cujus corpus Glastoniam delatum est, & ibidem more regio tumulatum. Quo defuncto, de Rege eligendo magna inter regni principes dissensio est exorta. Quidam enim filium Regis primogenitum Edwardum, quidam verò fratrem ejus Etheldredum de secundâ uxore generatum unanimiter elegerunt. Quam ob causam duo Archipræsules, Dunstanus Cantuariensis & Oswaldus Eboracensis, cum Coepiscopis, Abbatibus, Ducibusque in unum convenientes, Edwardum, ut pater ejus moriens dictaverat, elegerunt, electum consecraverunt, & in Regem quibusdam murmurantibus inunxerunt. Nam noverca ejus Alfritha filium suum Etheldredum vix septennem puerulum promovere conabatur; ut potiùs sub ejus nomine regnare videretur. Sicque post decessum ejus Regis pacifici regni status perturbatus est. Nam Principes plurimi & Optimates Monachos de Monasteriis, in quibus Rex Edgarus eos locaverat, expulerunt; & Clericos, ut priùs, loco eorum cum uxoribus induxerunt. Nam unus eorum Elferius nomine omnia pene Monasteria, quæ reverendissimus Athelwoldus Wyntoniensis Præsul in provinciâ Merciorum construxerat, magnâ usus insolentiâ subvertit. Sed super his quæstionibus ad beatum Dunstanum delatis, Synodum apud Calne congregavit; ubi cum in cœnaculo absente Rege propter imbecillem ætatem considentibus totius regni Senatoribus, magno conflictu hinc inde allegantium res ageretur, & Dunstanum quasi Ecclesiæ murum multorum jacula convitiorum impeterent nec quaterent, suas partes cujusque ordinis viris summo studio tuentibus, solarium totum repente cum axibus & trabibus dissolvitur & concidit. Omnibus ad terram elisis,

sis, solus Dunstanus stans super unam trabem, quæ superstes erat, probè evasit. Reliqui vel exanimati, vel perpetui languoris compede detenti. Hoc miraculum pacem contulit beato Dunstano & Monachis ab impetu Clericorum & aliorum, gratiâ divinâ operante. Prima enim Synodus pro expulsione Clericorum habita est Wyntoniæ in refectorio Monachorum tempore Regis Edgari; ubi in medio partium conflictu disputationis imago dominica, quæ altercantibus astabat, expressè locuta Clericos omnes & eorum fautores consusos reddidit & elingues. Hæc Auctor in Flores Historiarum.

Alfrytha noverca Edwardi Regis filium suum Etheldredum omni nisu in Regem promovere studens, ut dictum est, Edwardum verbis adulatoriis circumvenire laboravit. Ille verò paternæ religionis & pietatis vestigia imitatus, Regis solummodò sibi nomen retinens, Etheldredo fratri & matri ejus omnia regni negotia ordinare permisit. Cum igitur † Edwardus die quodam in venatione lassus. *Sequitur narratio de Edwardi nece & Alfrithæ novercæ pœnitentiâ, ex Florilego verbatim desumpta.*

CAPITULUM XIV.

De Etheldredo Rege, filio Edgari Regis.

ETheldredus frater Edwardi Regis & Martyris fratre occiso successit in regnum. Hic filius Alfrythæ novercæ Sancti Edwardi Regis, juvenis egregius, decorus aspectu, pulcher in vultu, procerus statu corporis, à Sanctis Præsulibus Dunstano Cantuariensi, & Oswaldo Eboracensi, & decem Episcopis die dominicâ || VIII. Calendas Maii in Kyngestone regni diadema suscepit. *Multa contexuit Rudburnus de rebus forinsecis ad Ecclesiam Wyntoniensem nil spectantibus, ex Florilego verbatim descripta, quæ idcirco omisi. Hic loci descripsit, quæ habet Florilegus ad annos* 779, 780. Anno verò tertio regni sui viz. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXI. Rex Etheldredus dictus *Unredi*, quod Latinè sonat *Inconsultus*, citiùs enim consulere voluit cum suis perfidis proditoribus, qui eum blanditer decipiebant, quàm cum proceribus & fidelibus regni sui, ut erat luxuriosus valde, cujusdam Ducis filiam nomine Algyvam accepit in concubinam; ex quâ genuit filium nomine Edmundum Irynsyde. Quo utique anno Monasterium beati Petroci in Cornubiâ à Danicis devastatur piratis, qui & in Devoniâ tunc & Cornubiâ frequentes agebant rapinas, &c. *Vide Westmonasteriensem ad annum* 982, *&* 983.

Anno ab incarnato verbo DCCCCLXXXIV. & anno regni Regis Etheldredi sexto, Sanctus Athelwoldus Wyntoniensis Episcopus anno pontificatûs sui vicesimo secundo migravit ad Christum; cui Elphegus Abbas Bathoniensis, vir literatus & moribus ornatus, successit. Anno Domini DCCCCLXXXV. & regni Regis Etheldredi septimo, Alfricus filius Ducis Elferi, Comes Suthamptonensis, proditor Regis Etheldredi & totius Regni, justè à regno expellitur. Quicquid enim audiebat de Regis consilio & regni contra Dacos, ipsis Danis denudabat. Anno regni Regis Etheldredi octavo, & anno gratiæ DCCCCLXXXVI. Rex Anglorum Etheldredus, &c. *Se-*

† Edwardus regnavit annis 3. interiit anno 980. ex Rudburni mente in Historiâ *Minori.* Veriùs insidiis novercæ sublatus est anno 978. die 18. Martii.

|| Sic quidem Florilegus ad annum 979. Rectiùs autem Florentius anno 978. die 18. Cal. Maii die Dominicâ Ethelredum coronatum scribit.

quentia ex Florilego descripta sunt ad annos 986, 990, 991, 992, 993, 997, 999, 1000. *ubi pro* Monam insulam *apud Florilegum, legitur* Angliam *apud Rudburnum, rectiùs puto, &* 1001.

Anno Domini MII. & anno regni Regis Etheldredi vicesimo quarto, Rex Etheldredus, consilio primatum suorum, Danis pro bono pacis tributum viginti quatuor [millium] librarum solvit. Auctor horum malorum præcipuus ex Anglis erat Edricus cognomento Streone, cui Rex Anglorum Etheldredus Ducatum Merciorum contulit. Hic proditor Regis & nationis suæ extiterat in omnibus; cui non nobilitas, sed opes Regis gratiam promeruerunt. Erat autem iniquus ille fax hominum, dedecus Anglorum, bilinguis, versutus, secreti disseminator, dissimulare doctus, fingere paratus. Sæpe ad hostes missus, ut pacis mediator, pugnam accendit; ut scribit auctor in Flores Historiarum; cum quo concordant Wilhelmus Malmesbyriensis, Henricus Huntingdonensis, & Cestrensis in suo Polichronico, cum pluribus aliis. De quo Edrico plura locis suis infra dicentur.

Anno Dominicæ Incarnationis MIV. & anno regni Regis Etheldredi vicesimo sexto, Dani tantâ exarserunt crudelitate & inauditâ, quod Angliam totam sicut locustæ cooperientes omnia spoliaverint, homines neci tradiderint; nec fuerit inventus quispiam, qui hostibus obviaret. Et anno sequenti multa famis miseria Angliam invasit.

ELPHEGUS. Anno gratiæ MVI. & anno regni Regis Etheldredi vicesimo octavo, defuncto * Siricio Cantuariensi Archiepiscopo, Elphegus Wyntoniensis Episcopus successit. Hic Elphegus primò Abbas Bathoniensis, deinde beato Andreâ Apostolo apparente beato Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo post mortem Sancti Athelwoldi Wyntoniensis Antistitis, ac insinuante, ut Elphegum in Pontificatum susciperet sub his verbis, *Elphegum Abbatem Wyntoniæ consecrabis Episcopum,* ad honorem Præsulatûs assumptus est. Qui cum viginti duobus annis Pontificatum Wyntoniensem strenuè rexisset, in Archiepiscopum Cantuariensem electus est. Eodem anno dux perfidus Edricus, &c. *Reliqua hujus anni habes apud Westmonasteriensem. In sequentibus annis usque ad* 1012. *de Danorum invasionibus & Elphegi Archiepiscopi passione agitur ex eodem auctore.*

Hæc de Sancto Elphego scribit Auctor in Flores Historiarum ad annum MXI. Wilhelmus verò Malmesbyriensis *de Regibus* lib. 2do. scribit; quòd Elphegus cùm cogeretur ad se redimendum, & abnueret; lapidibus & securi percussus animâ cœlum glorificavit. Rex Etheldredus martyrizato Sancto Archipræsule Elphego, dedit Archiepiscopatum Cantuariæ Livyngo Wellensi Episcopo, qui Livyngus aliter dicitur Ethelstanus. Cui Elphego in Episcopatum Wyntoniæ eodem anno successit Kenulphus, ejusdem Ecclesiæ Monachus; ut scribit Vigilancius in libro *de Basilicâ Petri.* Hic Kenulphus † sedit tribus annis non plenè; post ejus vero obitum sepultus est in Ecclesiâ Ca-

KENULPHUS.

* Non Siricio sed Elfrico Elphegus in Archiepiscopatu Cantuariensi successit; quod in Dissertatione *de verâ successione Archiepiscoporum Cantuariensium,* abundè probatum est. Rudburnus hîc Florilegum cæcus sequitur; atque adeò erroribus ejus abripitur.

† Quæ de trium istorum Præsulum successione Rudburnus tradit, aliis Historiæ suæ membris adversantur. Superiùs enim dixerat Elphegum anno 1006. ad thronum Cantuariensem translatum esse; & inferiùs dicit Alwinum sedi Wintoniensi anno 1033. præfectum esse; intermediis autem Episcopis triginta simul annos hîc attribuit. Potior est igitur auctoritas Florentii, qui Kenulphum eodem quo ordinatus est anno, scil. 1006. decessisse tradit. Rem confirmat Osbernus in Ephegi vitâ, Kenulphum decessisse referens, dum Elphegus pallii obtinendi causâ Romæ adhuc moram traheret.

thedrali Wyntoniensi. Cui successit Ethelwoldus eodem anno, & sedit || sex annis, ac in Ecclesiâ propriâ sepultus est. Ethelwoldo successit Alsinus, * & sedit in cathedrâ Wyntoniæ viginti uno annis, & in eâdem Ecclesiâ sepultus est.

ETHELWOLDUS.

Supra fecimus mentionem de quâdam discordiâ inter Regem Etheldredum & Ducem Normannorum Ricardum, & de causâ discordiæ. Emma uxor Etheldredi fuerat filia Ricardi Comitis Normanniæ filii Wilhelmi, qui post patrem quinquaginta duobus annis illi Ducatui præfuit, &c. *Sequitur historia brevis discordiæ, & epistola Johannis* XV. *Papæ eâ de re; quæ apud Malmsburiensem, lib.* 2. de Gestis Regum, *cap.* 10. *totidem verbis reperiuntur. Succedit historia internecionis Danorum, & invasionis Swani Regis, & Canuti filii, ex Florilego in annis* 1012, 1013, 1014, 1015. *Paucis de Turkillo ex Malmsburiensi, fol.* 38. *b. lin.* 23. *additis; & post narratum incendium turris S. Frideswydæ apud Oxoniam ad annum* MXV. *his de suo appositis*—jubente Rege Ecclesia reconciliata & reædificata est. Et tunc Clerici Sæculares introducti sunt. Priùs enim Moniales omnes cum Danis combustæ sunt: ut scribit Girardus Cornubiensis *de Gestis Regum Westsaxonum.*

Eodem anno [viz. MXV.] defuncto Ethelwoldo Wyntoniensi Episcopo † Alsinus successit. Anno gratiæ MXVI. Rex Danornm Knuto & Dux iniquus Edricus, &c. *Dein res bellicas hoc anno gestas narrat, Florilegi verbis usus.*

ALSINUS.

Circa hos denique dies Rex Anglorum Etheldredus |||| post magnos labores, & multas hujus vitæ tribulationes IX. Calendas Maii diem clausit extremum, & in Ecclesiâ Sancti Pauli Londonensi sepultus est; cùm regnasset annis XXXVIII. secundùm Auctorem in Flores Historiarum sub anno gratiæ 1016.

|| Sex Ethelwoldi annos Rudburnus ex Florilego hausit. Iste enim illius obitum ad annum 1015. refert; adeò ut si Kenulphus tres annos sedisse cum Rudburno ponatur, sex Ethelwoldo restabunt. Non alius quod sciam præter Florilegum Ethelwoldi obitum memoravit. Hunc itaque, donec certiora constent, sequi debemus; & Ethelwoldo proinde novem Pontificatûs administrati annos dare.

* Successit Ethelwoldo anno 1015. juxta Westmonasteriensem obiit autem anno 1032. juxta Hovedenum, Mailrosensem, & Dunelmensem. Sedit itaque annos circiter 17.

† Verba sunt Florilegi, à Rudburno in farraginem suam descripta. Alsinum Ethelwoldo successisse paulò superiùs etiam scripserat. Ipse tamen sui oblitus, infra ad annum 1033. Alwynum Ethelwoldo successisse ponit anno 19. Monachatûs sui, cujus habitum ab Ethelwoldi manû primò acceperat. Idem autem sex duntaxat annos Ethelwoldo supra dederat. Alsinum Alwino præivisse & anno 1032. defunctum esse Mailrosensis, Hovedenus & Simeon Dunelmensis confirmant. Godwinus quidem ab authore Antiqu Britan deceptus, Eadsium Ethelwoldo anno 1015. successisse, ab Haroldo, cui à sacris erat, præfectum; & anno 1038. ad sedem Cant. translatum Alwino locum fecisse asserit. Eadsium Cantuariensem sedi Wintoniensi priùs præfuisse unicus ex antiquis Gervasius prodit. Contra Florentius, Hovedenus, Dunelmensis, Mailrosensis, Birchingtonus, & Radulphus de Diceto ex Haroldi Regis capellano ad thronum Cantuariensem evectum asserunt. Certè ab Haroldo Rege sedi Wintoniensi præfici non potuit. Illam enim 20. annis ante Haroldi imperium adeptus est, siquidem anno 1015. adeptus fuerit; quod Godwinus ponit. Ut rem dicam; Ethelwoldo Alsinum, Alsino Alwynum anno circiter 1032. successisse, & Eadsium ex simplici Presbytero Archiepiscopum Cantuariensem factum esse nullus dubito.

|||| Rectè: Obiit enim Etheldredus anno 1016. 9. Cal. Maii, feriâ 2. ex fide Florentii, Simeonis Dunelmensis, &c. Crassè erraverat Rudburnus in Historiâ *Minori*; ubi Ethelredus annis 37. regnâsse, & anno 1017. die 4. Idus Martii obiisse dicitur.

CAPITULUM XV.

De Coronatione Edmundi Ironside, filii Etheldredi Regis.

POst mortem Regis Etheldredi maxima pars regni tam Clericorum, quàm Laicorum in unum congregata pari consensu Knutonem in Regem elegit; & ad eum Suthamptoniam venientes, pacem cum eo pepigerunt, & fidelitatem juraverunt. Soli cives Londonienses & pars Nobilium, qui tunc temporis ibidem consistebant, Edmundum filium Regis Etheldredi in Regem unanimiter acclamârunt. Qui in regali culmine sublimatus, Westsaxoniam intrepidus adiit; & ob omni populo gratanter susceptus, provinciam illam suæ ditioni subegit. Quibus auditis magna pars populi totius regni illi se voluntariè subdiderunt. Cnuto interim cum totâ classe suâ Londonias veniens, &c. *Sequiter historia belli inter Edmundum & Cnutonem Reges gesti usque ad pacem initam & regnum divisum, ex Westmonasteriensi pro more desumpta.*

Pro hâc divisione regni Angliæ inter hos duos Principes, quas provincias occupaverunt, pleniùs & apertiùs ut declaretur, notandum, quòd hæ duæ partes regni permaximæ olim continebant octo regna, de quibus occupavit Edmundus Cantiam totam, in quâ provinciâ proprius Rex sceptrum ferebat, ultra ipsam aliam non possidens: & in illâ provinciâ sunt Archiepiscopatus Cantuariæ & Episcopatus Roffensis. Westsaxonia remanebat similiter Edmundo, quæ has provincias continet, & erat ab antiquo regnum præ aliis virtutibus bellicis præcellens, viz. Wiltshiriam, quæ olim dicebatur provincia Severnia, sive provincia Severorum, & provinciam Berkensem cum pago Dorsetensi: Quibus est Episcopus unus, cujus est modo sedes Saresbiriæ, quondam erat vel Ramesburiæ, vel Shyreburniæ, ut vult Wilhelmus Madulvensis libro primo *de Regibus*. Item dominio Westsaxonum subjacuit Suthsexia, quæ olim aliquanto tempore habuit proprium Regem. Eratque sedes Episcopalis ejusdem Pagi antiquitus in Seleseyâ, quæ est insula circumflua ponto, ut narrat Beda *de Gestis Anglorum*, ubi etiam beatus Wilfridus Monasterium Monachorum ordinis Sancti Benedicti construxit. Nunc habitat Episcopus Cicestriam. Similiter Westsaxoniæ subjacuerunt Suthamptoniensis provincia & Suthreyensis sive Surreyensis; quibus est Episcopus unus, qui habet sedem Wyntoniæ. Pagus etiam Sumersetensis subjacuit etiam dominio Westsaxonum; qui habet Episcopum, cujus sedes olim erat in civitate Wellensi, & adhuc est, sed non principalis; ejus enim sedes principalis modo est Bathoniæ. Comitatus etiam Dommoniæ sive Devoniæ pertinuit Westsaxoniæ provinciæ & similiter Cornubia, quæ nunc Cornugallia dicitur. In quibus Pagis quodam erant duo Episcopatus, unus in Crydyntone, alter apud Sanctum Germanum; nunc est unus, & est sedes ejus Exoniæ. Estanglia, quæ paruit Edmundo, continebat infra se Pagos, viz. Cantebryggensem; & est ibi Episcopus unus, cujus sedes est apud Ely; & Norfolchiam & Suthfolchiam; & est ibi Episcopus, cujus sedes est apud civitatem Northwycensem, quondam erat apud Helmham vel Tethford. Habuit etiam Edmundus sub dominio suo Estsexiam; quæ continet dimidiam Harthfordensis Pagi & Comitatum qui dicitur Estsexia; & habetur ibi Episcopus Londoniensis. Edmundus igitur in his provinciis dominabatur.

Cnuto

Cnuto verò tenuit provinciam Merciorum; quæ continet hos Pagos, viz. Gloucestrensem, Wygornensem, Warewycensem, & in his est Episcopus unus, cujus sedes est Wygorniæ. Sed ad Diocœsim hujus Episcopi non pertinet nisi dimidia pars Gloucestrensis Pagi. Continet etiam provincia Merciorum hos Pagos, viz. Cestrensem, Derbensem, & Staffordensem. In his est Episcopus unus, & habet partem Warewycensis & Shrovebyriensis; & est sedes apud civitatem Legionum, quæ nunc Cestria dicitur, vel Coventriam, quondam erat apud Lychefield, sicut est modò, sed non sedes principalis, prima enim sedes est apud Coventriam. Insuper continebat provincia Merciorum pagos, viz. Herefordensem, & habetur ibi Episcopus unus habens dimidium Pagum Shrovesbyriæ & partem Warewycensis & Gloucestriæ, possidens sedem in Herefordâ. Insuper Oxenfordensem, Bugyngensem, Hartfordensem, Huntendunensem, dimidiam Bedefordensis, Northamptunensem, Legecestrensem, Lyncolniensem; quos regit Episcopus, qui modò habet sedem Lyncolniæ, quondam habebat apud Dorkecestram; ut pleniùs habetur per Cestrensem in suo *Polichronicon.* Legecestrensis Pagus antiquitus pertinebat ad Diœcesin Eboracensem; ut scribit Wilhelmus Malmesbyriensis *de Regibus* libro primo. Insuper provincia Merciorum continebat infra se Pagum Snotingensem; cujus Christianitas pertinet ad Archiepiscopum Eboracensem. Olim enim habebatur proprius Episcopus, qui rexit ipsos duos Pagos Legecestrensem & Snotyngensem; cujus sedes erat in Legecestriâ. Hæc Wilhelmus ubi supra. In tempore enim istius Wilhelmi bene potest esse, quòd tam Legecestrensis quàm Snotyngensis Pagus ambo erant in Diocesi Eboracensi; modo tamen eorum Christianitas pertinet ad Ecclesiam Lyncolniensem. Hæ provinciæ pertinebant dominio Knutonis cum totâ Northanhumbriâ, quæ est ultra Humbram fluvium usque ad Scoticum mare. Erantque ibi, ut scribit Wilhelmus *de Regibus* libro primo, Archiepiscopus Eboracensis, Episcopus Hangustaldensis & Ripensis, Lyndisfarnensis, & Episcopus de Candidâ Casâ. Haugustaldensis & Ripensis defecerunt; Lyndisfarnensis translatus est in Dunelmum.

Rex Anglorum Edmundus Ferreum Latus dum justis in regno quasi mansuetus & pius fuit, ac terribilis apparens injustis; invidit ejus prosperitati proditor & iniquus dux Merciorum Edricus; & qualiter Regem proderet, immutabiliter cogitavit. Tandem Rege apud Oxoniam pernoctante, dum ad domum secretiorem ad exquisita naturæ diverteret, filius dicti Edrici patris instinctu in foveâ delitescens secretariâ, in nocte Sancti Andreæ Apostoli eundem regem cultello bis acuto inter celanda percussit, & eo lethaliter vulnerato inter viscera fugiens ferrum reliquit. Rex verò Edmundus sepultus est apud Glastoniam juxta avum suum Edgarum Regem pacificum. Planxitque eum universa Anglia nimis; quia ipso duce sperabat se posse ab oppressione Danicâ respirare. Hæc scribit Auctor in Flores Historiarum sub anno gratiæ MXVI. Wilhelmus Malmesbyriensis *de Regibus* lib. 2do. sic scribit: 'Fama 'Edricum infamat, quòd favore alterius, sc. Knutonis mortem ei, i. e. Ed'mundo per ministros porrexit. Cubicularios Regis fuisse duos, quibus 'omnem vitam suam commiserat. Quos pollicitationibus illectos & primò 'immanitatem flagitii exhorrentes brevi complices suos effecisse. Ejus con'silio ferreum uncum ad naturæ requisita sedenti in locis posterioribus ad'egisse. Iste Edmundus habuit ex matre fratrem, nomine Edwynum; qui erat adolescens insignis probitatis, sed per proditorem Edricum jubente Knutone Rege à patriâ exulatus; ac postea clam in Angliam veniens apud Anglos secretò delituit, & sic defunctus apud Tavestokiam inter Monachos tumulatur. Edmundus ex Aldgythâ filiâ Sygeberti Comitis, qui erat natione Danus, habuit duos filios, viz. Edwynum & Edwardum; qui consi-

lio

lio Edrici nequissimi Ducis missi sunt, jubente Knutone, ad Regem Swevorum, ut perimerentur. Sed misertus Rex eorum, misit eos ad Regem Hunnorum, i. e. Hungarorum. Qui benignè eos suscipiens, dum aliquanto tempore inibi morarentur, Edwynus senior frater diem clausit extremum. Junior frater, scil. Edwardus Agatham sororem Reginæ Hungarorum accepit in uxorem; ex quâ genuit Edgarum filium, Cristinam & Margaretam filias; de quibus postea dicetur in capitulo quarto libri sequentis. Habuit namque Rex Edmundus ex Emmâ Reginâ fratres Alfredum, & Edwardum; qui toto tempore, quo vixit Cnuto Rex, in Normanniâ tutas habuerunt latebras. Regnavit * iste Rex Edmundus mensibus novem. Et sic finit tertius hujus operis liber.

* Paria habet Rudburnus in Historiâ *Minori: Regnavit*, inquit, *mensibus* IX. *occisus pridie Cal. Novembris.* Reliqui etiam Historici suffragantur.

LIBER

LIBER IV.

CAPITULUM I.

De Rege Cnutone.

POst necem Edmundi Regis inclyti Cnuto regnare cœpit in Angliâ anno viz. Dominicæ Incarnationis MXVII. & viginti annis regnavit. Injustè quidem regnum ingressus, sed magnâ civilitate, & fortitudine regnum illud gubernaverat. Primis diebus regnum in quatuor partitus, sibi Westsaxones, Edrico, de quo superius diximus, proditori Mercios, Turkillo Orientales Anglos, Iricio Northanhumbros. Iste Knuto, ut scribit Wilhelmus Malmesbyriensis *de Regibus* lib. 2*do*. primò interfectores Edmundi, qui ultrò spe ingentis præmii rem detulerant, apud se interim celatos magnâ frequentiâ populi produxit in medium; palamque genus insidiarum professos supplicio affecit. Quomodo dictum istud Wilhelmi Malmesbiriensi debeat intelligi, inferius in eodem cap. declarabitur. Eodemque anno, Edricus, quem indignè infamare non possum, jussu Regis arte quâ multos frequenter circumvenerat, ipse quoque circumventus putidum spiritum transmisit ad inferos. Nam nescio quâ simultate ortâ, dum asperiùs colloquerentur Knuto Rex & Edricus; Edricus fiduciâ meritorum beneficia Regi sua quasi amicabiliter improperans ait: Edmundum pro te primò diserui, post etiam ob fidelitatem tui extinxi. Quo dicto, Cnutonis facies immutata iram rubore prodidit. Et continuò prolatâ sententiâ, Merito igitur, inquit, & tu morieris; cùm sis læsæ Majestatis reus in Deum, & in me; qui proprium Dominum mihi occideris fœderatum! Sanguis tuus super caput tuum, eo quòd misisti manum in proprium Dominum. Et mox ne tumultus fieret in populo, ibidem faucibus suffocatus in Thamense flumen per fænestram præcipitatus est, quia proditionis suæ pœnam subire meruit talionem. De morte hujus proditoris Edrici quidam Chronicantes aliter scribunt. Dicunt namque, quòd dolo & insidiis Edrici interfecto Edmundo, ipse ad Cnutonem veniens salutavit eum dicens: Ave Rex solus. Qui interrogatus à Rege Cnutone de causâ salutationis, se Regem Edmundum pro ipsius amore interfecisse [dixit] Quod cùm Cnutoni Regi denudasset; respondit Rex dicens: Ego te hodie ob tanti obsequii meritum cunctis Proceribus regni (*i*) superior erit & supremus. Jussit ergo eum Rex Cnuto excapitari, & caput in stipite fixum super turrim Londoniarum avibus exponi. Auctor verò *de Concordantiis* in isto concordans cum Auctore in Flores Historiarum, recitat verba ipsius Historiographi sub hâc formâ; *Sed sive sic, sive aliter vitam finierit proditor Edricus, non multùm ad rem pertinet; quia hoc liquidè constat, quòd ille, qui multos circumvenerat, tandem est justo Dei judicio circumventus.* His ita gestis, ut ait Auctor in Flores Historiarum sub anno gratiæ MXVII. cum quo concordat Auctor *de Concordantiis Chronicorum*, sub lit. *E.* statuit Cnuto immutabiliter in animo suo omne genus regni gentis Anglorum perdere, vel exilio perenni eliminare, &c. *Vide Westmonasteriensem ad annum* 1017.

(*i*) l. Reddam celsiorem. *ex Florilego.*

Habuit

Habuit namque ex Elgyvâ Reginâ suâ Elfelmi Comitis filiâ duos filios, Swanum, viz. & Haroldum; licèt fama referat Cnutonem minimè eos generasse. Quidam verò dicunt Haroldum filium cujusdam Presbyteri in regno Daciæ; qui natus eâdem nocte, quâ Regina peperit, sed filio Reginæ mortuo, dum nasceretur, ipse Haroldus ad Reginam adductus pro filio Cnutonis admissus est; & sic non naturalis filius Cnutonis, sed putativus fuit iste Haroldus, secundùm quosdam Chronicantes. Cnuto Rex in principio regni exosos habuit Anglos, antequam Emmam relictam Etheldredi Regis duceret in uxorem. *Sequuntur gesta Cnutonis in annis* 1018, 1019, 1020, 1021, 1022, 1023, 1024. *ex Florilego descripta.*

Iste Cnuto Rex vetus Monasterium Wyntoniensis civitatis tantâ munificentiâ decoravit; ut aurum & argentum, splendorque gemmarum animos intuentium terreret advenarum; ut scribit Auctor in Flores Historiarum sub anno gratiæ MXXV. Wilhelmus etiam Malmesbyriensis *de Regibus*, lib. 2*do.* de munificentiâ Regis Cnutonis, quantum ad Ecclesiam Wyntoniensem, sic scribit. Ita omnia, quæ ipse & Antecessores sui deliquerant, corrigere satagens, prioris injustitiæ nævum apud Deum fortassis, & apud homines certè abstersit. Wyntoniæ maximè munificentiæ suæ magnificentiam ostendit; ubi tanta intulit, ut moles metallorum terreat advenarum animos, splendor gemmarum reverberet intuentium oculos. Hoc autem fecit Rex hortatu Emmæ Reginæ. Cnuto anno quinto decimo regni sui Romam profectus est, &c. *Succedunt acta Cnutonis isthoc anno, & Epistola ejusdem Episcopis Angliæ ex urbe Romanâ scriptâ; quæ totidem verbis apud Malmsburiensem inveniuntur*, lib. 2. de Gestis Regum, cap. 11. f. 41. b. *ordine nonnihil diverso.*

Erant tunc in Angliâ summi & sapientissimi viri; quorum præcipuus Egelnodus Archiepiscopus Cantuariensis post Livingum. Hic ex Decano, i.e. ex Præposito Monachorum in Ecclesiâ Christi Cantuariæ secundùm auctorem *de Concordantiis Chronicantium* sub lit. *E.* summus Sacerdos effectus multa opera commendabilia memoriâ [digna] fecit. Regem ipsum Cnutonem auctoritate sanctitudinis in bonis actibus mulcens, in excessibus plurimùm terrebat. Sedem Archiepiscopatûs Romæ præsens in pristinam dignitatem reparavit. Domum rediens apud Papiam brachium Sancti Augustini Doctoris centum talentis argenti & talento auri comparatum apud Coventriam misit; quod inter Monachos Ecclesiæ Cathedralis ipsius civitatis in magnâ veneratione habetur. Ejus etiam monitu Rex Cnuto ad transmarinas Ecclesias pecunias mittens, maximè Carnotum ditavit: Ubi tunc florebat Fulbertus Episcopus, in sanctitate & philosophiâ nominatissimus. Qui inter cætera industriæ suæ documenta Ecclesiæ dominæ nostræ Sanctæ Mariæ, cujus fundamenta jecerat, summam manum mirifico effectu imposuit. Quam etiam pro posse honorificare studens, musicis modulationibus crebrò extulit. Quanto enim amore in honorem Virginis anhelaverit, poterit conjicere, qui cantus audierit cœlestia vota sonantes. Extat inter cætera opuscula ejus Epistolarum volumen; in quarum unâ gratias agit Cnutoni Regi magnificentissimo, quòd largitatis suæ viscera in expensas Ecclesiæ Carnotensis effuderit.

Cnuto Rex potentissimus à Româ veniens, contra Scotos rebellantes hostilem expeditionem duxit; & Malcolmum Regem cum duobus aliis Regibus levi negotio superavit. Hic Cnuto rex fuit Angliæ, Daciæ, Norwegiæ, & partis Sweviæ; habuitque sibi subditos Regem Scotiæ, omnes Reges Walliæ, viz. Regem Demeciæ, & Regem Venedociæ, & Reges omnium Insularum in procinctu Angliæ adjacentium. Et cùm eleganter floreret in regnis potenter acquisitis; regalem cathedram in littore maris; ut quidam dicunt, Suthamptoniæ, & illud vult auctor *in Concordantiis Historiarum* sub literâ *K.* ascendentis statui fecit. Et in ea residens comminando mari dixit: Tu meæ ditionis es, & terra in quâ sedeo mea est, nec est in eâ quisquam, qui impune

pune meo resistere imperio ausus existat. Impero nunc tibi ne in terram meam ascendas, nec vestes meas regales madefacere præsumas. Sed mare de more ascendens non præceptis ejus obtemperans, pedes Regis & crura sine reverentiâ madefecit. Rex igitur ferè nimis tarde exiliens ait: Sciant omnes habitatores orbis variam esse & frivolam Regum potentiam, nec Regis nomine quempiam fore dignum præter eum, cujus nutu Cœlum, Terra, & Mare, cum omnibus quæ in eis sunt, legibus obediunt sempiternis. Rex quoque deinceps Cnuto nunquam coronam portavit; sed coronam suam super caput imaginis Crucifixi, quæ stat in fronte summi Altaris in Ecclesiâ Cathedrali Wyntoniæ, componens, magnum Regibus futuris præbuit humilitatis exemplum; ut scribit Auctor *in Concordantiis Historiarum* sub literâ *K*. Iste Rex Knuto Anglorum, Danorum, & Norwegensium cum dimidio Sweciæ, filium suum ex Elgyvâ Swanum super Norwegenses Regem constituit; atque filium suum Hardecanutum ex Emmâ Normannicâ susceptum in Regem Danorum coronari fecit anno gratiæ MXXXV. & sic ad Angliam remeavit.

Iste Rex invictissimus Cnuto decimo octavo anno regni sui, anno viz. Dominicæ Incarnationis MXXXIII. post decessum Ethelwoldi † Wyntoniensis Episcopi eidem Ecclesiæ Alwynum virum præclari generis ex Monacho ejusdem Monasterii ordinavit Antistitem. Iste Alwynus cognatus erat Emmæ Reginæ, cujus custodiæ pater Emmæ Ricardus primus Dux Normannorum ipsam deputavit, quum misit filiam eam in Angliam Etheldredo Regi in matrimonium copulandam. Quem Alwynum Rex Etheldredus in ducem constituit Suthamptoniensis provinciæ; qui sub Rege Etheldredo multo tempore strenuissime contra Danos & Paganos militabat, & defensor patriæ extitit invictissimus; ut scribit Auctor in *Concordantiis Historiarum* sub literâ *A*. Postmodùm verò Alwynus eligens potius sub æterno quàm terreno Rege militare, factâ concordiâ inter Edmundum Regem cognomento Ferreum latus, barbaricè sive Anglicè Irensyde, & Regem Danorum Cnutonem, in propriâ provinciâ, cujus dux & comes erat, militaribus renuncians, Monachus effectus est, viz. in Ecclesiâ Wyntoniensi, habitum Monachalem ob reverentiam alti sanguinis & Regiæ affinitatis dante Ethelwoldo Wyntoniensi Antistite, ac in Monachum ipsum consecrante, i. e. benedicente. In quâ Ecclesiâ aliquanto tempore elapso in ædituum Ecclesiæ i. Sacristam assumptus est, ac postmodùm anno Monachatûs sui nono decimo, ut diximus, per Knutonem Regem, & hoc mediante Emmâ Reginâ, in Episcopum ordinatus est. Iste venerabilis pater Alwynus quia amore nimis consanguineorum favebat in omnibus Emmæ Reginæ, diffamatus est cum ipsâ Reginâ Emmâ, quæ mater erat Sancti Edwardi Regis & Confessoris, apud ipsum sanctissimum Regem Edwardum sub hâc formâ.

ALWYNUS.

Gloriosus ac sanctissimus Rex Edwardus in Angliam veniens coronandus, inter alios nobiles Normannorum Clericum quendam nomine Robertum secum adduxit; quem defuncto Cantuariensi Archiepiscopo, i. e. Primate totius Angliæ, promovit. Qui in Archiepiscopum sublimatus, scandalum, de quo dolendum erat, contra Emmam Reginam & istum Alwynum Episcopum Wyntoniensem proposuit in tribus, viz. de consensu in mortem filii sui Alfredi, & quòd laboraret ad impediendum ne regnaret Edwardus, & de consensu turpitudinis cum Alwyno Episcopo. Super quâ diffamatione præcipiente Rege Archiepiscopus Robertus Synodum congregavit; de consilio

† Ethelwoldi nomen pro Alsino sive Elsio perperam irrepsit. Ethelwoldo enim Alsinum, Alsino Alwynum successisse ex pluribus Historicis supra observavimus; idque ipse Rudburnus ad annos 1012. & 1015. perhibuit.

ſratrum, quid agendum ſit, inquirit. Decretumque tale ex ore Archiepiſcopi perſonuit; quod Emma mater Regis nudis pedibus ſuper novem vomeres igne candentes incederet coram clero & populo in choro Cathedralis Eccleſiæ Wyntonienſis: Et ſi pœnam aliquam aduſtionis non ſentiret, immunis foret à crimine; ſin autem, pœnam perſolveret graviorem. Huic decreto conſentiente Clero, ſtatuitur dies, quo ſententia Synodi ſortiretur effectum. Quid multa? Adducta Regina & mater Regis de Monaſterio Warewellæ, in quo vitam artam ſpoliata dotibus & poſſeſſionibus ſuis à filio ſuo duxerat, pervenit Wyntoniam. Totâ verò nocte examinationis ſuæ diem præcedente cum precibus & lachrymis pro ſuperni omnipotentiſque juvamine, tumbam viſitabat Sancti Swythuni. Tandem neceſſitate naturæ oppreſſa paululum obdormivit. Sopori dedita videt Dei Antiſtitem Sanctum Swythunum ſibi aſſiſtentem, taliterque alloquentem: Conſtans eſto filia; ego ſum Swythunus, quem invocas. Sententiam tuæ condemnationis ne paveas. Cùm pertranſieris per ignem, flamma non nocebit te. Culpam verò hanc in te commiſſam dimittes filio tuo. Illuceſcente die ſcopatur pavimentum Eccleſiæ, & novem vomeres ponuntur in ordine. Clerus adeſt & populus. Rege ſedente in choro pro tribunali, producitur mater, ſicque filium exorſa eſt: Domine inquit, & fili, Ego illa Emma, quæ te genui, pro te de tuis impetita de crimine in te & Alfredum filios meos, & de conſenſu turpitudinis & proditionis cum hujus ſedis Epiſcopo, invoco hodie Deum in teſtem in corpus meum, ut peream, ſi quid horum, quæ mihi impoſita ſunt, vel mente conceperim. Benedictis igitur vomeribus diſcalciatur Regina, ſubtractis caligis, depoſito peplo, rejectâ clamyde, ſuccincta à duobus Epiſcopis. Hinc inde deducitur Chriſti famula ad pœnam, flentibus ipſam ducentibus; animabant tamen eam, ne timeret. Reſonat vox ab ore omnium per Eccleſiam permixtis fletibus. *Sancte Swythune, Sancte Swythune, tu illam adjuva.* Tantis viribus acclamabatur in cœlum; ut Sanctus Swythunus vel tunc vel nunquam feſtinanter accurreret. Deus vim patitur, & ſervus ſuus Sanctus Swythunus quaſi violenter extrahitur à cœlo. Emma verò corde tacito ſine clamore, elevatis ſurſum oculis, nullam mamphoram ſive pannum ante oculos habens, Epiſcopis pedes ejus dirigentibus, ſuper novem vomeres novem paſſus faciens, & ſingulos eorum totius corporis pleno premens pondere, conſimilem ad Deum obtulit orationem. *Deus qui liberâſti Suſannam de ſenibus iniquis, qui liberâſti tres pueros de camino ignis, tu de incendio mihi parato per merita Sancti Swythuni me liberare digneris.* Sic omnes ſupergreſſa vomeres, nec ferrum vidit, nec ſenſit incendium. Unde & dixit Epiſcopis: Num quid non quod maximè petieram obtinebo? Quare a vobis ducor extra Eccleſiam, quæ in Eccleſiâ examinari debueram? Erat enim procedens ulterius; & nondum ſciebat, quòd ſic examen injunctum conſummâſſet. Cui Epiſcopi ſingultiendo, prout poterant, reſponderunt: Domina, inquiunt, noſtra, reſpice, jam feciſti; jam completum eſt id, quod complendum exiſtimas. Reſpexit, & jam aperti ſunt oculi ejus; & tunc primò vidit ferrum, & intellexit miraculum. Ducite me, inquit, ad filium meum; ut videat pedes meos & ſciat, quia nihil mali paſſa ſum. Reverſi Epiſcopi cum Reginâ invenerunt filium ejus Edwardum operto capite proſtratum in terrâ; jamque ei pro miſeratione verba defecerant, quia erumpebant uberiùs lachrymæ, & non poterat ſe continere. Qui cùm elevatus rem ex integro cognoviſſet; procidit ille ſanctiſſimus filius ad pedes matris, veniam poſtulans, & dicens: Mater peccavi in cœlum & in te, jam non ſum dignus vocari filius tuus. Et vocato ad Regem Alwyno Epiſcopo, qui non ſederat in ordine Epiſcoporum, Rex veniam cum lacrymis poſtulavit, & obtinuit; & virgis cæſus à matre & à ſingulis Epiſcoporum, per manum enim flentis matris accepit tres ictus cum virgâ; & ſic datis oſculis & receptis Rex illos in gratiam

&

& illi Regem in veneratione receperunt. Et redditum est Reginæ & Episcopo, quicquid illis sublatum fuerat. Archiepiscopus verò Robertus audiens Reginam Emmam cum Episcopo ita miraculosè esse purgatam, discessit continuò in Normanniam; ibique expectans, donec à Rege, Reginâ, & Episcopo donum reconciliationis percipere mereretur; quod & postmodùm gratanter obtinuit. Pro quo miraculo Wyntoniensi Ecclesiæ & Monachos inibi Domino servientibus XXI. dantur Maneria; ex dono Regis tres, viz. Portlond, Wykhelewelle, & Waymuthe. Ex dono Reginæ Emmæ novem, viz. Brandesbury, Bergefeld, Fyffhyde, Hoghtone, Mychelmeryshe, Ivyngeho, Wycombe, Weregravys, & Haylynge. Ex dono Episcopi novem maneria, viz. Storcham, Estmeone, Westmeone, Hentone, Wytneye, Yelynge, Mylbroke, Polhamptone, & Hodyngtone. Novem verò hi vomeres in occidentali parte claustri Wyntoniensis Ecclesiæ erant humati. Rex sanctissimus Edwardus magnis post hæc in vitâ suâ cœpit coruscare miraculis.

Per singulos te Christe dies benedicimus omnes.
Laudamus nomenque tuum per sæcula sæcli. } *Amen.*
Sit jugiter nostro laus & benedictio Christo.

Alwynus Præsul || sedit in Cathedrâ Wyntoniensi XV. annis; & tunc morti obediens, sepultus est in propriâ Ecclesiâ. In decessu verò suo contulit Wyntoniensi Ecclesiæ mille & quingentas libras sterlingorum absque aliis jocalibus pretiosis.

Cnuto Rex potentissimus anno gratiæ MXXXV. à Dennemarchiâ in Angliam veniens, cùm regnâsset super Anglos annis viginti, pridie Idus Novembris apud Septoniam diem clausit * extremum,& apud Wyntoniam in Veteri Monasterio sepelitur more regio, ut condecet; cujus anima gloriâ perfruatur æternâ. Rex Cnuto Monasterium Sancti Edmundi Regis & Martyris ab Alfwyno Orientalium Anglorum Episcopo fundatum replevit Monachis anno gratiæ MXX. ut referunt Radulphus de Dyceto *in Chronicâ* suâ, & Wilhelmus Malmesbyriensis *de Pontificibus* lib. *2do.* & etiam de hoc dictum est supra. Iste Rex Cnuto Abbatiam Sancti Benedicti de Hulme fundavit, Monachosque ibidem sub regulâ Sancti Benedicti degentes collocavit anno gratiæ MXXXI. ut refert Radulphus de Dyceto in *Chronicâ* suâ.

CAPITULUM II.

De Haroldo Rege dicto Harefoot sive Harewode, filio Knutonis.

DEfuncto Cnutone Rege potentissimo, convenerunt apud Oxoniam ad colloquium proceres Regni; ut de novo Rege creando tractarent ibidem. *Sequuntur gesta annorum* 1035, *&* 1036. *ex Westmonasteriensi deprompta.*

Haroldus Rex cùm regnasset † annis quatuor & dimidio, apud Oxoniam defunctus est, & apud Westmonasterium sepultus. Iste Haroldus nil boni egit quamdiu regnasset.

|| Ab anno scilicet 1032 ad 1047. quo demum obiit; prout Florilegus, Hovedenus, & alii produnt.

* Rectè: obiit enim 1035. pridiè Idus Novembris feriâ 4. Sic Florentius; ut Westmonasteriensem & alios mittam. Rudburnus in Historiâ *Minori* Canutum annis 18. regnâsse, anno 1036. obiisse scripserat.

† *Regnavit annis tribus cum dimidio*; *obiit anno* MXL. Sic Rudburnus in Historiâ *Minori. Annis quatuor*, *mensibusque totidem*; inquit Wilhelmus Malmsburiensis. Rectius iste.

CAPITULUM III.

De Hardeknuto Rege & filio Cnutonis.

POst mortem Haroldi Regis nequissimi Proceres tam Anglorum quàm Danorum in unam concordantes sententiam, miserunt Legatos ad Bregges in Flandriam ad Regem Daciæ Hardekanutum, qui cum matre suâ ibidem morabatur; rogantes ut ad Angliam veniret regni diadema suscepturus. Qui consiliis magnatum illico adquiescens, æstate mediâ venit in Angliam; & gratanter ab omnibus susceptus, ab Eadsio Cantuariensi Archiepiscopo in Regem est consecratus, &c. *Gesta Haroldi Rudburnus ex Florilego verbatim descripsit.*

Idem Rex VI. Idus Junii spiritum exhalavit; cum regnâsset || duobus annis; & apud Wyntoniam in Veteri Monasterio juxta patrem suum Knutonem sepulturam accepit.

CAPITULUM IV.

De Sancto Edwardo Rege & Confessore, filio Etheldredi Regis.

VIam universæ carnis ingresso Hardekanuto Rege, frater ejus Edwardus annuente Clero & populo Londoniis in Regem eligitur, & ab Archiepiscopis Cantuariensi Eadsio & Eboracensi Alfrico cum sibi subjectis Episcopis die Paschæ in Regem apud Wyntoniam consecratur. Rex Edwardus statim ut in Regem fuerat coronatus, Emmæ Reginæ matri suæ, quæ tunc apud Wyntoniam degebat, quicquid habuit in auro & argento & rebus pretiosis ei abstulit; eo quòd antequam Rex esset, nihil illi dederat quod petebat. Sed tamen præcepit sufficienter necessaria ei ministrari; & illam mandavit ibidem quietè demorari; ut ait Auctor in Flores Historiarum sub anno gratiæ MXLII. Et post hoc grave scandalum imponitur Emmæ Reginæ & Alwyno Episcopo Wyntoniensi, mediante Roberto Cantuariensi Archiepiscopo; de quo supra fecimus mentionem capit. *1mo.* Anno VI hujus Principis Edwardi obiit Alwynus Wyntoniensis Præsul, viz. anno gratiæ MXLVII. Et anno gratiæ MXLIX. Rex Edwardus misit Legatos ad sedem Apostolicam; ut à voto, quod fecerat, absolveretur. Voverat enim ire Romam; si regna paterna eum adipisci contingeret. Quem Papa à voto penitus absolvens ei rescripsit, sub nomine sanctæ obedientiæ & pœnitentiæ firmiter injungendo; ut expensas quas ad iter paraverat, pauperibus erogaret, & Cœnobium Monachorum in honorem Sancti Petri Apostolorum principis aut novum construeret, aut vetustam emendaret, aut augeret, & sic sufficientia victualia fratribus de suis reditibus constitueret. Cui loco quicquid conferret vel collocatum esset, vel ab aliis conferendum fuisset, ut ratum esset Apostolicâ auctoritate præcepit; & quæcunque ibi privilegia instituere voluisset ad honorem Dei pertinentia concessit, & robustissimâ auctoritate confirmavit, & infractores eorum æternâ maledictione damnavit. Revertentibus itaque in

|| *Regnavit annis* II. *minùs* X. *diebus.* Rudburnus in Historiâ *Minori.* Obiit certè anno 1042. 6. Id. Junii, feriâ tertiâ.

Angliam

Angliam nunciis, revelavit beatus Petrus cuidam probabilis vitæ Monacho incluso nomine Wlsino voluntatem suam, ut restitueretur locus, qui dicebatur Westmonasterium. Cumque visionem Regi suisque retulisset; Rex totius regni consilio locum prædictum restruxit, & possessionibus, reditibus & libertatibus largifluis ampliavit. Ut scribit enim Johannes in *Historiâ Aureâ* sub anno gratiæ 1043. tempore quo Rex Cantiæ Ethelbyrtus prædicante beato Augustino fidem suscepit, nepos ejus Sebertus, qui Orientalibus (*k*) Anglis præfuit, fidem eodem Episcopo Evangelizante suscepit. Hîc in Londoniâ, quæ regni sui caput habebatur, fundavit Ecclesiam beati Pauli Londoniæ, & Monachos inibi instituit; & Episcopali honore Mellitum Episcopum constituens honoravit. Extra nurros verò in occidentali parte in honorem beati Petri Monasterium insigne fundavit & multis possessionibus ditavit. Quem locum per barbaros Danos & Paganos longo tempore destructum sanctus Rex & Confessor Edwardus factâ revelatione prædictâ in Monachorum habitaculum reparavit, ædificiis sublimavit, possessionibus ampliavit.

(*k*) l. Saxonibus.

Quia verò fit hic quædam mentio de quodam scandalo imposito Emmæ Reginæ & Alwyno Wyntoniensi Pontifici, de quo scandalo qualiter fuerit purgatio facta per miraculum à Deo ostensum meritis beati Swythuni Episcopi, ac Wyntoniensis Ecclesiæ specialissimi patroni, sub compendio dictum est supra cap. 1*mo*. Et quia omissum est in illo capitulo declarare de illo Roberto Clerico egregio, qualis esset cujusve dignitatis; quia, ut videtur, vellent verba miraculi aliqualiter sonare, quòd Archiepiscopus esset Cantuariæ, quum scandalum illud imposuit, quod non erat verum; ideò hic qualiter intelligendum sit, quod ibi dictum est, declarare intendimus ut verius est desiderantibus innotescere. Robertus iste vir magnæ erat literaturæ, alti ingenii consiliique, & Monachus Abbatiæ Gemeticensis in Normanniâ; qui in omnibus favebat & fovebat Alfredum & Edwardum fratres in eorum exilii discrimine. Propterea Edwardus, ut gratissimi viri est addere beneficia beneficiis, quia ut ait Seneca 3*o*. de beneficiis, *Ingratus est, qui dissimulat; ingratus est, qui non reddit; ingratissimus omnium, qui oblitus est.* Propterea nutricium suum in exilio proposuit in gradum & dignitatem pontificatûs promovere. Veniens igitur Edwardus ut in Regem Angliæ coronaretur, istum Robertum secum adduxit; qui propter antiquum amorem primas partes, & aliis magnatibus præferri in conciliis regalibus vindicabat; ita quòd secundùm Wilhelmum Malmesbyriensem *de Pontificibus* libro primo, quoscunque vellet deponere, deponeret, & quoscunque ei placeret, ut exaltarentur, juxta ipsius voluntatem, nemine palam contradicente quamvis murmurante, sublimaret. Omnia enim regni negotia Rex per ipsum Robertum disponebat; nec sine ipsius consilio, vel consensu aliquid agere licebat. Quia verò Alwynus Præsul Wyntoniensis suis factis parere nollet, quemadmodum nec Godwynus dux Cantiæ neque filii ejus, neque sicut cæteri Magnates ei locum adulationis præbere; excogitabat, qualiter ipsum Alwynum pontificem, quomodo Godewynum ducem & duos filios suos de proditionis notâ apud Regem accusaret, & sic eum Angliâ expelleret. Misit denique Diabolus in cor ejus & mentem ipsius, ut accusatâ Reginâ Emmâ & matre Sancti Edwardi Regis de casibus capitulo primo prænotatis, & ipse Alwynus pontifex criminis particeps fieret. Causa enim præcipua inter alios & incentivum ipsius callidæ machinationis erat, quia ipsa Regina Emma in Monasterio veteri Wyntoniæ degens inter Monachos ipsum Episcopum Alwynum ut proximiorem consanguineum solatium & solamen permaximum suæ viduitatis habebat. Quod enim dicitur in miraculo, quòd Robertus iste in Archiepiscopum sublimatus scandalum proposuit contra Emmam Reginam & Wyntoniensem Episcopum Alwynum; non sic intelligitur, quòd pro tunc erat Archiepiscopus, sed quia tempore illo propterea quòd Edsius Archiepiscopus

copus Cantuariæ, qui coronavit Sanctum Edwardum Confessorem in Regem, impotens erat, curam Archiepiscopatûs sui tam in spiritualibus quàm in temporalibus commisit, Vicarius Archiepiscopi extiterat; & in plerisque Chronicis in diversis locis Vicarii Archiepiscoporum sive Episcoporum, dummodo funguntur suis officiis, appellantur Archiepiscopi sive Episcopi. Et ad confirmationem hujus dicti unum Historiographum inter alios adducam in medium. Auctor in Flores Historiarum sub anno gratiæ 1043. agens de his, quæ acta sunt anno secundo regni sanctissimi Regis Edwardi inter cætera de Edsio Cantuariensi Archiepiscopo sic scribit. *Edsius Cantuariensis Archiepiscopus infirmitate gravi detentus.* i. impotens ad regendum Episcopatum propter sensûs & membrorum corporis debilitatem, *Episcopatum dimisit*, non renunciando Præsulatui, sed committendo Coadjutori, qui vicarius ejus erat: *In loco cujus Siwardus est Archiepiscopus creatus*, i. e. Vicarius effectus. Hæc expositio habetur per Auctorem *de Concordantiis Historiarum Angliæ*, sub literis *E* & *S*. Et idem Auctor in Flores Historiarum sub anno gratiæ 1050. agens de his, quæ gesta sunt anno nono regni Sancti Edwardi Regis & Confessoris, dicit sic inter cætera: *Hoc defuncti sunt Episcopi Ednothus Dorkecestrensis & Sywardus * Roffensis, & Vicarius olim Edsii Cantuariensis Archiepiscopi.* Sic enim post depositionem Siwardi ab officio Vicariatûs Cantuariensis Archiepiscopatûs Robertus prædictus succedens in officium ejusdem vicariatûs, non in Archiepiscopatûs dignitatem, crimina permaxima & enormia proposuit contra Emmam Reginam & Alwynum Wyntoniensem Præsulem; & ipse primus in Synodo congregatâ nomine & vice Archiepiscopi sententiam dedit supradictam in cap. 1*mo.* hujus libri, pro purgatione Emmæ Reginæ & Alwyni Episcopi. Cujus sententiæ paruerunt omnes Episcopi & Clerici in Synodo existentes; timentes quid eis accideret si in aliquo contradicerent; timebant enim eum valde. Et istud sentit Auctor *de Concordantiis Historiarum Angliæ*, sub literis *E*, *S* & *R*. Item quòd Siwardus supradictus non erat Archiepiscopus, sed Vicarius Edsii Cantuariensis Archiepiscopi; Wilhelmus Malmesbyriensis *de Pontificibus* libro ostendit, ubi dicit, quòd *Edsius Archiepiscopus incurabili morbo detentus, volens adhuc in humanis existens potestati decedere, & apud Regem impetrare, ut Siwardus Abendoniensis ei succederet, ipso vivente, quia ejus Vicarius erat; quià satis notum erat Regi Edwardo, quòd in officio vicariæ ingratus valde erat Siwardus Domino suo Edsio Cantuariensi Præsuli, defraudans infirmum Archipræsulem necessario victu; noluit Archiepiscopi postulationibus adquiescere; sed amoto Sywardo Abbate Abendoniensi ab officio Vicariatûs, datoque ei Episcopatu Roffensi, successit in vicariatum prædictus Robertus Monachus Gemeticensis*; ut vult Wilhelmus Malmesbyriensis *de Pontificibus* libro primo.

Sentiens verò Robertus iste Vicarius Archiepiscopi Emmam Reginam cum Episcopo Alwyno miraculosè [liberatam] ut declaratum est in 1*mo.* cap. hujus libri, transfretavit in Normanniam expectans reconciliationem; quam postmodùm gratiosè à Rege, Reginâ matre Regis, & Episcopo Wyntoniensi Alwyno impetravit. Impetratâ verò reconciliatione in Angliam rediens, dedit ei Rex, post decessum Elfwordi Londoniensis Episcopi, ejusdem sedis Præsulatum; qui prius Monachus erat, ut dictum est, Gemeticensis. Et postea mortuo Edsio Cantuariensi Archiepiscopo, eidem successit Robertus iste, quem in manu habemus, non plurimis annis ibi sedens. Duobus tan-

* Vox *Roffensis* apud Florilegum neque in editis nec in manuscriptis exemplaribus occurrit. Addidit id Rudburnus ex Malmsburiensi. Istum autem hallucinatum esse, & Siwardum Episcopum Roffensem longè alium fuisse à Siwardo Edsii vicario supra demonstravimus in Dissertatione *de verâ successione Archiepiscoporum Cantuariensium*, pag. 107.

tummodò

tummodò annis Archiepiſcopatum rexit. In ſecundo enim Pontificatûs ſui anno Romam ivit; à quâ veniens in Normanniam apud Gemeticum ſive Gemegium finem vitæ invenit, ubi & requieſcit. Anno Domini MLI. & anno regni ſui decimo Edwardus Rex à vectigali graviſſimo Anglos abſolvit, &c. *Succedunt geſta anni* 1051. *ex Florilego.*

Anno regni Regis Edwardi undecimo & anno dominicæ Incarnationis MLII. Emma Regina uxor Regum Angliæ Etheldredi & Cnutonis, & mater Regum Angliæ Hardecanuti & Sancti Edwardi, obiit; & Wyntoniæ in veteri Monaſterio, quod plurimum adamavit, ſummo cum honore traditur ſepulturæ. Per idem tempus Rex Wallenſium Griffinus, &c. *Dein invaſionem Godwini Comitis & alia hujus anni ex Weſtmonaſterienſi refert.*

Robertus Cantuarienſis Archiepiſcopus, de quo ſuprà mentionem fecimus, & Wilhelmus Præſul Londonienſis cum Ulf Antiſtite Dorkeceſtrenſi & ſuis Normannis vix evadentes, mare tranſierunt. Sed non multò poſt Wilhelmus propter bonitatem ſuam revocatus, in ſuum reſtituitur Præſulatum, Roberto verò Cantuarienſi Archiepiſcopo in tranſmarinis agente partibus, Stigandus, qui quondam Helmhamenſi ſive Teorfordenſi Epiſcopatu dimiſſo, ſublimiorem gradum meditatus, Wyntonienſem invaſerat Epiſcopatum, nunc Regis Edwardi ſimplicitatem circumveniens, vivente Roberto Cantuarienſi Archiepiſcopo ipſius Angliæ Metropolis pro tunc obtinuit dignitatem. Qualiter Cantuarienſis Eccleſia nomen perdidit Metropolis, dicetur infra in proximo libro ſub tempore Wilhelmi Conqueſtoris.

STIGANDUS.

Anno gratiæ MLIII. & anno regni Regis Edwardi duodecimo, frater Griffini Regis Wallanorum Rees nomine in loco qui Bulendune dicitur, occiſus eſt; & caput ejus Regi Edwardo in vigiliâ Epiphaniæ apud Gloverniam præſentatur. Et anno ſequente, viz. anno regni Regis Edwardi tertio decimo, Edwardus Paſchalem ſolemnitatem apud Wyntoniam celebravit. Rege igitur in hâc ſolemnitate ad menſam ſedente, cùm Pincerna ejus ciphum regium vino plenum menſâ tenus geſtaret; pedem unum ad domûs pavimentum offendit, ſed altero ſeſe pede recolligens caſum evaſit. Quod videns Comes Godewynus ac (*l*) gener Regis, qui de more Regi prandenti aſſidebat ait: Hic frater fratri auxilium fecit. Ad quem ironicè loquens reſpondit Rex Edwardus dicens: Frater meus mihi modò poſſit auxiliari, ni fuiſſent inſidiæ Godewyni. Quod verbum Regis Godewynus nimis moleſtè ferens, reſpondit: Scio Rex, inquit, ſcio, quia de morte fratris tui Alfredi me habes ſuſpectum; ſed Deus, qui verax & juſtus eſt, hanc quam teneo panis buccellam non permittat guttur meum ſine ſuffocatione tranſire; ſi unquam frater tuus per me aut per conſilium meum morti propior & à vitâ remotior fuerit. Et hoc dicto Rex buccellam benedixit; quam in os ejus mittens Godewynus ſibi malè conſcius ab illâ ſuffocatur. Quidam dicunt, quòd Epiſcopus Wigornienſis Sanctus Ulſtanus panem illum benedixit. Godewynum ſic exanimem Rex videns & pallentem; extrahite inquit hunc canem, hunc & proditorem, & in quadrivio illum ſepelite; indignus enim eſt, ut Chriſtianam ſe habere gaudeat ſepulturam. Quod videntes filii ejus, qui affuerunt, extraxerunt patrem de menſâ; & Rege ignorante in veteri Monaſterio Wyntoniæ ſepelierunt eum. Tunc Rex Edwardus dedit Ducatum ejus Haroldo filio ſuo, &c. *Reliqua hujus & ſequentis anni, annorum itidem* 1057, *&* 1059. *quære apud Florilegum.*

(*l*) l. Socer.

Verba Florilegi ad annum 1059. *extrema Rudburnus ſic perſequitur.* Addunt autem aliter alii, viz. quòd Haroldus à Rege Edwardo fuerit ad hoc in Normanniam miſſus, ut Ducem Wilhelmum in Angliam conduceret, quem idem Rex hæredem ſibi conſtituere cogitavit. Sic verò ſcribentibus non conſentit Wilhelmus Malmsbirienſis, veluti recitat ipſe libro 2*do. de Regibus.* Auctor etiam *de Concordantiis Hiſtoriarum Angliæ* ſub literâ *H.* dicit non poſſe ſtare

quòd

quòd Rex Edwardus mitteret Haroldum ad Wilhelmum Ducem Normannorum, ut eum constitueret in hæredem Angliæ, ex quo rei veritas sonat; quòd ut superiùs recitatur, Edwardus pronus in senium, quia ipse non susceperat liberos, & Gowyni videret invalescere filios, ut scribit Wilhelmus Malmsbiriensis *de Regibus* libro 2*do*. misit ad Regem Hunnorum, i. e. Hungarorum, ut filium fratris Edmundi Ironside Edwardum cum omni familiâ suâ mitteret: Futurum ut aut ille aut filii sui succedant regno hæreditario Angliæ. Cùm non multò post adventum in Angliam mortuo Edwardo, Edgarus filius Edwardi, in quantum Sanctus Edwardus Rex poterat, hæres Angliæ constituitur. Propterea Anglico vocabulo Edgar Athelyng, quod sonat *filius Regis*, dicebatur. Godewynus pater istius Haroldi, ut scribit Wilhelmus Malmsbiriensis *de Regibus* lib. 2*do*. primis annis sororem Cnutonis Regis habuit in uxorem, &c. *Pergit narrare sobolem Godwini à binis uxoribus susceptam; verba Wilhelmi mutuatus* ex lib. 2. de Gestis Regum, *cap.* 13. *f.* 4. *lin.* 46.

Anno regni Regis Edwardi nonodecimo, & anno gratiæ MLX. Kynsius Eboracensis Archiepiscopus humanæ naturæ debitum solvit; cui successit Aldredus Wygórniensis Episcopus; cui etiam propter suam industriam commissus fuerat Herefordensis Præsulatus. Hic Aldredus ex Monacho veteris cœnobii Wyntoniæ factus est Episcopus Wygorniensis. Qui verò Aldredus anno sequenti, viz. anno vicesimo regni Regis Edwardi, & anno gratiæ MLXI. cum Tostio Comite Romam perrexit, & à Papâ Nicolas pallium suscepit, &c. *Dehinc Rudburnus Florilegum verbatim describit usque ad obitum Edwardi Regis, omissis duntaxat S. Oswini Regis miraculis.*

Hæc Auctor in Flores Historiarum sub anno gratiæ MLXVI. Wilhelmus Malmsbyriensis de Regibus lib. 2*do*. ita dicit, sic loquens de hoc vaticinio: Nullus, inquit, hodie Anglus vel dux vel pontifex vel Abbas; advenæ quique divitias & viscera corrodunt Angliæ; nec ulla spes est finiendæ miseriæ. Pacificus igitur Rex Edwardus Anglorum decus, Regis Etheldredi filius, postquam viginti quatuor annis regnâsset, in vigiliâ Epiphaniæ Domini feriâ quintâ pro regno temporali commutavit æternum. Defunctus autem Rex sanctissimus in crastino sepultus est Londoniæ in Ecclesiâ quam ipse novo compositionis genere construxerat. In hoc denique Rege linea regum Angliæ i. progenies Regum Westsaxonum, à quibus incœpit Monarchia Angliæ, defecit; quæ à Cerdico sive Cerdicio primò Westsaxonum Rege ex Anglis quingentis septuaginta uno annis non legitur interrupta, ab Egbyrto Rege ducentis sexaginta & uno annis, præter paucos Danos, qui peccatis exigentibus gentis Anglorum aliquamdiu regnaverunt. Insignis iste Edwardus Rex miraculis & prophetiæ spiritu claruit. In exactionibus vestigalium parcus, quippe qui & exactores execraretur. In cibis & potibus regalis luxûs immunis. In præcipuis festivitatibus, quamvis amiciretur vestibus auro intextis, quas Regina sumptuosissimè elaboraverat, ita temperans erat; ut nec Majestati suæ deesset, nec tamen supercilium attolleret, magis Dei de his munificentiam quàm mundialem gloriam mente versans. Unum erat, quo in hoc seculo animum oblectaret suum, cursu canum velocium, quorum circa saltus latratibus solebat lætus applaudere; volatu volucrum, quorum natura est de cognitis avibus prædas agere. Ad hæc exercitia continuis diebus post audita manè divina officia intendebat. Cætera vir Deo voluntariè deditus inter regni negotia vivebat, ut Angelus, pauperibus hospitibusque maximè transmarinis, & religiosis Monachis benignus applaudendo, munificus dando, & ad illorum sanctitatem Monachos suæ patriæ invitando. Erat discretæ proceritatis, barbâ & capillis cygneus, facie roseus, toto corpore lacteus, membrorum habitudine commodâ peridoneus. Hæc Wilhelmus Malmsbyriensis *de Regibus* lib. 2*do*. De miraculis quibusdam istius sanctissimi

mi Regis Edwardi recitat Wilhelmus Malmesbyriensis de Regibus lib. *2do.* & etiam Auctor in Flores Historiarum; nec non habentur ipsa miracula in Vitâ ejusdem Regis, &c. *Succedunt miracula S. Edwardi Regis ex Wilhelmo* lib. 2. cap. 13. f. 51. *& Florilego ad annum* 1066. *deprompta.*

Auctor in Flores Historiarum addit de munditiâ corporis & castitate Regis Edwardi, sub hâc formâ procedens. Hoc antem de Rege sanctissimo Edwardo non est tacendum; quòd nec propriam læserit aliquando carnis munditiam, nec alicujus mulieris pudicitiam. Habuit tamen Reginam Godewyni Comitis filiam nomine Edytham; in cujus pectore omnium liberalium artium repositum est magisterium, sed modicum in rebus sæcularibus exercebat vel offendebat ingenium. Hanc quoque Rex ut conjugem tali arte tractavit; quòd nec thoro removit, nec eam virili more carnaliter cognovit. Quod utrum patris illius, qui proditor convictus erat, & familiæ ejus odio, quod prudenter pro tempore dissimulabat; an amore castitatis id fecerit; incertum est aliquibus, qui in dubiis sinistra interpretantur. Veruntamen non benevoli, & veritati, ut videtur, dissoni dicere præsumunt; quòd Rex charitatis & pacis munere ditatus, de genere proditoris hæredes, qui sibi succederent, corrupto semine noluerit procreare. Sciebat enim Rex pacificus, quòd filia nihil criminis commisit cum patre proditore, & ideò non respuit thorum virginis; sed ambo unanimi assensu castitatem voverunt, parilique voluntate; ut scribit Auctor *de Concordantiis Chronicorum* sub literâ *E.* Neminem qui est ista perlecturus de Sancto Edwardo Rege & Confessore, quia ego Wyntoniensis Ecclesiæ Monachus sum, tædeat; quæ ideo scripsi, quia ut verum fatear, non delirant scribentes; immò & Ecclesiæ Wentanæ civitatis extiterat specialissimus benefactor & fundator. Præter enim illa, quæ suprà memoriæ commendavimus cap. *1mo.* dona largiflua Veteri Monasterio Wyntoniæ contulerat, unum est, quòd privilegium quoddam vocatum **God be gete**, dedit ita liberum, veluti lingua poterit enarrare, vel mens præcogitare humana.

CAPITULUM V.

De Haroldo filio Godwyni Rege.

DEfuncto, ut prædictum est, Edwardo Anglorum Rege sanctissimo, fluctuabant Proceres regni, quem sibi in Regem præficerent & rectorem. Quidam enim Wilhelmo Normannorum Duci, quidam Comiti Haroldo Godewyni filio, alii autem favebant Edgaro cognomento Atheling filio Edwardi, qui fuit filius Edmundi dicti Irensyde Regis Angliæ, cui de jure debebatur regnum Anglorum. Sed Haroldus vir callidus & astutus intelligens quia nocuit semper differre paratis, in die Epiphaniæ, quâ Rex Edwardus sepultus est, extortâ fide à majoribus capiti proprio imposuit regni diadema. Post cujus promotionem frater ejus Tostius à Flandriâ veniens cum navibus quadraginta in ostio Humbræ fluminis applicuit; ubi piraticum exercens ab Edwyno & Morcaro fratribus de provinciâ pulsus in Scotiam vela direxit. Qui ibidem Regi Noricorum, i. e. Northwygensium Haroldo dicto Harvagre in obviam veniens, fœdus per fidem cum eo pepigit. Habet enim Northwegia tria vocabula, viz. Northwegia, Norregia, Norica, & inhabitantes vocantur Northwygenses, Norregenses, Norici. Verùm ad hoc Rex Noricorum in Angliam trecentis cogonibus advectus, ut eam subjicere conaretur, tandem in Northanhumbriâ rerum depopulationi insistens Morcherum Comitem cum hominibus regionis bello victum infra Eboracum

intrusit. Quo divulgato Rex Anglorum Haroldus cunctis viribus collectis illuc cum festinatione contendit. Cùmque ad villam, quæ Stanford dicitur, pervenisset; invenit ibi adversarios prædictos; ubi licèt difficile credatur, unus solus Noricus in ingressu pontis stans, multis ex Anglis interemptis omnes à transitu repercussit. Invitatus iste Noricus ab Anglis ad deditionem, ut tanti roboris homo largam clementiam Anglorum experiretur, invitantes ridebat; subinde rugato vultu increpitans, imbecillis animi homines esse, qui nequirent uni resistere. Nemine itaque propius accedente, quòd inconsultum æstimarent cum illo cominùs congredi qui salutis omne viaticum desperatus effunderet; unus ex collateralibus Regis jaculum ferreum in eum eminùs vibrat; ut scribit Wilhelmus Malmesbyriensis *de Regibus* lib. 2*do*. Auctor verò in Flores Historiarum dicit, eum sagittâ fuisse percussum. Idem dicit Archidiaconus Lyncolniensis in *Chronicis* suis. Auctor verò *de Concordanties Historiarum Angliæ* approbat dictum Wilhelmi dicens: quod plùs utebantur in bellis Angli ante Conquæstum jaculis, quàm sagittis: & hoc satis claré apparebit, cùm de Wilhelmo Conquæstore libro sequenti agendum sit. Jaculo verò ille Noricus dum gloriabundus proludit, ipsâ securitate incautior terebratus victoriam Anglis concessit. Continuo enim libero transitu exercitus trajectus Noricos palantes à tergo cecidit. Rex Noricorum Haroldus Harvagre & Tostius sive Tostinus frater Haroldi Regis Anglorum interempti; Regis Noricorum filius cum omnibus navibus domum clementer est remissus. Haroldus triumphali eventu superbus, nullis partibus prædæ comilitones remunerare dignatus est. Quapropter multi, quo quisque poterat, dilapsi, Regem ad bellum Hastingense proficiscentem reliquerunt. Nam præter stipendiarios & mercenarios milites paucos admodum ex provincialibus habuit. Unde cum suis quos ductabat post novem menses & aliquot dies accepti regni, astutiâ Wilhelmi Normannorum Ducis circumventus occisus est. Utinam Haroldus non perjurus fuisset; & disciplinam Aristotelis, quam dedit Alexandro Magno, secutus fuisset; fortè Dei auxilio, & non dubium, ut aliquibus videtur, vicisset Wilhelmum; quam doctrinam recitat Gilbertus in *Historiâ Alexandri* cap. 1*mo*. sic metricè.

Cumque vel intràris victis tradentibus urbem;
Vel si restiterint, portas præfregeris urbis:
Thesauros aperi, plue donativa maniplis.
Vulneribus crudis & corde tumentibus ægro,
Muneris infundas oleum; gazisque reclusis,
Unge animos donis, aurique appone liquorem.
Hæc ægræ menti poterit medicina mederi.
Sic inopi dives, largusque medetur avaro.
At si fortè animo res non respondeat alto;
Copia si desit, vel si minuatur acervus;
Non minuatur amor, nec desit copia mentis.
Allice pollicitis, promissaque tempore solve,
Munus enim confert, mores irretit avaros,
Occultat vitium, genus auget, subjicit hostem.
Non opus est vallo, quos dextera dapsilis ambit.
Nam seu pax vigeat, seu rupto fœdere pacis
Regnet & in toto discordia sæviat orbe;
Principibus dubiis subitumque timentibus hostem
Est dare pro muro solidique muniminis instar.
Non murus non arma ducem tutantur avarum.

Iste

Iſte Haroldus quamvis ſemetipſum propriis manibus coronâſſet; nunquam tamen Rex inunctus erat; ut ſcribit Auctor *de Concordantiis Hiſtoriarum* ſub literâ *H.* Diſtulit enim recipere regiam inunctionem, quouſque Aldredus Eboracenſis Archiepiſcopus ſanitati reſtitueretur; gravi enim infirmitate pro tunc detinebatur. Noluit enim inungi à Stigando Cantuarienſi Archiepiſcopo; quia injuſtè duos pontificatus, viz. Cantuarienſem & Wyntonienſem detinuit. Archipræſul verò Eboracenſis Aldredus ab infirmitate minimè convaluit uſque ad mortem ſeu occiſionem Haroldi. Quod autem Radulphus de Dyſeto Londonienſis Decanus, & quidam alii ſcribunt; quòd iſte Haroldus conſecratus eſt ab Aldredo Eboracenſi Archiepiſcopo in Regem Angliæ, hoc intelligendum eſt, quia Aldredus Archiepiſcopus ſic conſenſit conſecrationi; non quòd egit, ſeu dedit munus conſecrationis in actu. Et ſic exponit prædictorum Hiſtoriographorum ſcripta Auctor *de Concordantiis Hiſtoriarum Angliæ* ſub literâ *H.* Qui Haroldus poſtquam coronam portaſſet non uno anno, occiſus in bello apud Haſtingum, ſepultus eſt apud Waltham in Eccleſiâ, quam fundaverat, & collegium Canonicorum Sæcularium inibi conſtituerat.

LIBER V.

CAPITULUM I.

De Regibus Angliæ post Conquæstum, & de Pontificibus Wyntoniensis Ecclesiæ eorum temporibus, & de Wilhelmo Conquæstore, & quando & à quibus Normannia incæpit.

QUIA verò in hoc primo Capitulo tractaturi sumus de Wilhelmo cognomento Bastard Duce Normannorum, qualiter Angliam conquisivit; primò convenit videre & considerare seriem generationis & ordinem Ducum, quorum progenies adhuc in Angliâ regnat. Primò igitur incipiendum est ab illo Dano, qui Rollo vocabatur, à quo Duces Normannorum initium sumpserunt. Rollo iste natione Danus erat, qui maximè stipatus milite in Angliam veniens, locorum depopulationi vacavit. Est autem Dacia sive Danemarchia maris Insula, rerum & hominum maximo fertilitate fœcunda; cujus Reges antiquitus sancitâ lege statuerunt, ut scribunt Radulphus de Dyseto, Wilhelmus Malmesbyriensis, Auctor in Flores Historiarum, Auctor de Concordantiis Chronicorum sive Historiarum Angliæ; ut nimis insula esset hominibus repleta, viri audaciores de propriis migrare sedibus cogerentur. Ex hâc denique expulsorum sorte Rollo supradictus fuisse asseritur, vir strenuus & potens; cujus pater, retento primogenito filio ut sibi succederet, Rollonem à se transmisit, ut hæreditatem armis quocunque sors concederet, obtineret. Illo igitur ut prædictum est, in Angliam appulso, indigenæ statim prælium cum ipso commiserunt. Sed multis suorum interfectis, cæteri de loco certaminis aufugerunt. Rollo igitur cùm post maris pericula ad sui suorumque recreationem in Angliâ hyemaret; visum est sibi de nocte dormienti supra se & exercituum suum examen apum volitare, & cum stridore australem petere regionem, perque maris medium ad terram volando pervenire. Ubi etiam congregatim in frondibus arborum diversarum insidentes, omnemque mox regionem perlustrantes, cœperunt in locis diversis variorum flores colorum in locum unum congregare. Evigilans itaque Rollo, post visionem secum pertractat; ejusque interpretationem diligenter examinans, requiem sui laboris suorumque in eisdem partibus, ubi apes viderat descendisse, conjectat. Mare igitur ipse & commilitones ingrediuntur, flanteque ad votum vento emersis fluctibus pelagi, Gemeticum veniunt; ubi quandam virginem sacram nomine Ametruden, quam ab Angliâ asportaverant, in capellâ sancti Vedasti pontificis super altare relinquunt. Quorum adventum Franco Rothomagensis Archiepiscopus recognoscens, & de possibilitate resistendi diffidens, decrevit utilius fore pacem ab eis quærere, quàm illos ad arma in sui perniciem provocare. Qui festinus viator ad illos veniens, pacem petens. impetravit, eamque fœdere fidelissimo confirmavit. Suscepto itaque Rollo regionis dominio Rothomagum adiit; & eleganter destructæ civitatis mœnia reparavit; circumjacentes regiones occupavit; castella in locis congruis firmavit; & terram totam, quæ tunc Neustria modò verò Normannia ab ipsis Norrensibus dicitur, sub

ſub ſuâ poteſtate recepit. Dicebantur enim Rollo & ſui Norrenſes; quia Dacia & Norregia ſub uno ſceptro tunc temporis, quùm Rollo venit in prædictam provinciam, regebatur; ut ſcribit Auctor *in Concordantiis Historiarum* ſub literâ *R.* Antequam iſte Rollo venit in Normanniam, Dani multo tempore illuc venerunt; & qualiter libet hîc interſerere. Japhet junior filius Noe genuit Magog, &c. *Ducum Normanniæ ſucceſſionem & res geſtas pertexens Rudburnus amplam ſex priorum librorum Wilhelmi Gemeticenſis de Ducibus Normanniæ epitomen exhibuit, ipſis Wilhelmi verbis ut plurimum retentis.* Edwardus poſtmodùm completo termino vitæ fœlicis anno † ab Incarnatione Domini MLXV. migravit ad Dominum. Sed hæc Chronica in dicto iſto viz. quòd Edwardus Rex Anglorum eo quòd carebat hærede, hæredem conſtituerat Wilhelmum Normannorum Ducem, non poteſt ſtare; prout plenius declaratur ſupra libro quarto cap. 4*to.* Nam hæc Chronica, quæ hic inſeritur in hoc capitulo, eſt de Normanniâ; & ideò nimis multum in favorem Normannorum edita in quibuſdam locis.

Regnum Edwardi poſt ejus deceſſum continuò Haroldus invaſit, ſpretâ fidelitate, quam Duci Wilhelmo juraverat. Circa dies iſtos ſtella radiis longiùs protenſis per noctium quindecim ſpatium cœli faciem illuſtravit. Conſiderans itaque Dux Wilhelmus Haroldum viribus roborari, claſſem ad tria millia navium feſtinanter in Pontino conſtruxit apud Sanctum Walericum. Inde vento flante ſecundo velis in alto expanſis appulit Peneneſellum; ubi ſtatim firmiſſimo vallo Caſtrum condidit. Quod committens militibus, feſtinus Haſtingas venit, & aliud Caſtrum ibi firmavit. Haroldus Anglorum contrahens multitudinem, Duci feſtinanter occurrit. Dux legionibus militum in ordinibus tribus diſpoſitis intrepidus obviam Haroldo proceſſit. Haroldus in primo congreſſu militum lethaliter vulneratus occubuit. Angli verſâ facie fugæ ſubſidium petierunt. Fortiſſimus igitur Dux ab inimicorum ſtrage reverſus, corporibus ſuorum charorum ſepultis, iter arripuit quod tendit Londinum. Sed divertens ad Caſtrum Walyngford tranſmeato vado fluvii legiones ibi in caſtro collocare præcepit. Inde Londoniam eſt aggreſſus. Londonienſes datis obſidibus, Ducem Wilhelmum receperunt in Principem; qui die natalis Domini ab omnibus tam Normannorum quàm Anglorum proceribus in Regem eſt electus anno Dominicæ Incarnationis MLXVI. & ab Aldredo Eboracenſi Archiepiſcopo in Regem coronatur.

Circa dies iſtos Euſtachius Comes Bolonienſis, quorundam Anglorum verſutiis depravatus, Doveriæ Caſtellum niſus eſt involare. Qui noctis in conticinio mare transfretans, diluculo cum militum exercitu copioſo Caſtellum obſedit, totiſque viribus expugnare præcepit. Milites Odonis Epiſcopi Baiocenſis, milites etiam Hugonis de Monte forti, quibus erat commiſſa Caſtelli cuſtodia, patefactis portis, repente foras porruunt unanimiter, conſertoque certamine cunctos abigunt ab obſidione. Comes Euſtachius cum paucis ad mare divertens aufugit navigio. Rex Wilhelmus tunc temporis in Normanniâ morabatur; qui poſt ea cunctis, pro quibus venerat, ad votum diſpoſitis, Roberto filio ſuo primogenito Ducatum Normanniæ tradidit; & ſic in regnum remeans, plurimos ejuſdem gentis repperit, quos Dacorum ab ejus fidelitate conſpiratio prævaricatrix averterat. Qui Regis Wilhelmi formidantes adventum, furtim ut maximi terroris feſtinum ſuaſit conſilium, in quandam unius Comitatûs partem, aquis pariter & ſylvis inacceſſibilem, ſe

† Edwardus Rex è vivis exceſſit anno 1065. exeunte in vigiliâ Epiphaniæ Domini feriâ 5. poſtquam regnâſſet annis 23. menſibus 6. & diebus 27. Illi die poſtero communi Procerum electione ſubrogatus eſt Haroldus; qui in prælio Haſtingenſi eodem anno 11. Cal. Novembris ſabbato occubuit. Sic Florentius cum aliis.

con-

contulerunt, quod propriâ linguâ Dunelmum nuncupaverunt; ex quo diversos crebriùs agitantes excursus, Swani Danorum Regis præstolabantur subventum. Quorum conatus temerarios Rex ut agnovit, perductis Normannorum copiis ad confutandam eorum contumaciam perrexit quantocius. Porro duo filii Regis Haroldi Regem Hyberniæ Dirmetum pro juvamine conferendo sunt aggressi. Qui cum LXVI. ab Hyberniâ redeuntes navibus, Anglos ocyus repetierunt, rapinis & incendiis populum terræ exterminantes. Quibus Bryennus Eudonis Ducis Britanniæ minoris filius cum suis obvius, protinùs cum eis sub unâ die manus conseruit, cæsis Hybernensium bellatoribus septingentis. Reliqui fugientes è certamine navium præsidio necis exitium evaserunt. Rex autem Wilhelmus ad hostium arcendos excursus tutissima castella per loca stabiliens opportuna, militum electissimorum robore communivit. Tandem bellorum tempestate conquiescente, totius Angliæ monarchiæ potentiùs habenas temperat, & gloriâ prosperitatis potitur. *Ista ex Wilhelmi Gemeticensis* lib. *6.* cap. 39, ad 41. *compendio sunt descripta. Sequuntur plura alia ex diversis ejusdem libri capitulis parili methodo desumpta.*

Hæc de Chronicis Normanniæ dicta sufficiunt. Modò ad propositum nostrum prosequendum, quod est tractare de Wilhelmo Duce Normannorum qualiter Angliam conquisivit, affectuosiùs mens nostra versabitur in hoc capitulo; prout in primis promisimus. Ut enim reperi in quadam vetustissimâ Chronicâ, & intitulabatur *Chronica Danorum in Angliâ regnantium*; Iste Dux Normannorum Wilhelmus erat Helenæ filius tertiæ filiæ Ricardi Saburpyr pelliparii Clitonis Edmundi Irensyde. Matthæus verò Parisiacensis vocat matrem Wilhelmi Matildem; sed Autor in Flores Historiarum cum Auctore *de Concordantiis Chronicorum*, & quamplures alii Chronicantes appellant eam Helenam. Qui Edmundus insignis princeps habuit ex Algythâ filiâ Sygeferthi Northanhumbrorum Comitis duos filios, viz. Edwynum & Edwardum, & filiam unicam, quam propter improbitatem seu illecebritatem ipsius litera silet nominare. Nam hanc Pelliparius supra nominatus concubitu fornicario cognovit. Clito verò Edmundus ut agnovit suam filiam illegitimè imprægnatam, tam virum quàm concubinam exlegavit. Qui Normanniam petentes, vir arte suâ mechanicâ victum & cætera necessaria, prout pauperem vitam gerentibus congruit, aliquanto tempore sibi & mulieri prægnanti adquisivit. Tandem postremo infortunio paupertatis nimium aggravati, mendicare ostiatim sunt compulsi. Qui quidem Pelliparius cum uxore suâ longo tempore mendicantium vitam ducens, venerunt ambo ex casu ad palatium Ducis Normannorum Ricardi secundi. Erat enim ipsa filia Clitonis Edmundi eleganti specie; quæ stans ad portam palatii Ducis Ricardi cum viro suo & tribus filiabus inter alios mendicantes, invenit gratiam mulier & mater in oculis janitorum, qui custodiebant introitus Palatii. Qui statim nunciaverunt Duci Ricardo ante ulteriorem portam palatii fœminam speciosissimam & facie pulcherrimam cum viro & tribus filiabus stantem & eleemosynam pro Jesu amore petentem; asserentes pro firmo, non posse quin de nobili orta esset genere. Dux Normannorum Richardus hæc audiens, jussit eam cum pueris & marito adduci ad se. Qui omnes introducti, & ante conspectum Ducis proni in terram procidentes, ac ipsum, ut decet, humiliter adorantes, optatum receperunt solamen. Interrogabat enim Dux matrem puellarum, unde esset, & de quâ progenie orta? At ipsa humiliter respondet, se in Angliâ exortam & de regali genere. Helena verò, quæ minor filia erat, sex viz. aut septem annorum, pomum tenuit in manu pulcherrimum, & Ducem intuens in birrum Ducis projecit. At Dux pomum recipiens gratias puellæ intulit dicens; Certè & ista erit nutrita in palatio meo; elegit enim me amore speciali præ cæteris. Providit itaque Dux nobilis Ricardus pro patre, matre, & sororibus puellæ possessiones sufficientes ad eorum victum

victum & vestitum, ita quod de cætero mendicare minimè indigerent. Referebat enim mater Helenæ filiam se esse filii Regis Anglorum Edmundi; sed quia se ignominiosè habebat erga patrem, discrimen exilii passam. Dux ut novit eam de regali prosapiâ ortam, multùm ipsam honorabat. Helena verò plurimis annis in curiâ Ducis Ricardi degens, ætatemque adolescentiæ attingens, propter elegantem speciem, quâ enituit, inæstimabiliter filio Ducis secundo natu & fratri Ricardi tertii Roberto placuit. Exarsit namque supra modum in concupiscentiam ipsius; sed ne patrem offenderet ad tempus abstinuit. Tandem patre, viz. Duce Ricardo defuncto, Robertus filius ejus successit in Ducatum. Qui statim Princeps Normannorum effectus Helenam secum uxorio modo retinuit; non tamen matrimonium inter ipsos erat solemnizatum. Vovebat enim Robertus Dux se non velle uxorem ducere matrimoniali jure sibi copulatam, quousque Terram Sanctam visitâsset. Peractâ verò peregrinatione in redeundo versus natale solum Dux Robertus obiit; sed ante incœptam peregrinationem Robertus Dux per septem annos ex Helenâ prænominatâ filium habuit nomine Wilhelmum, qui post patrem in Ducatum successit. Hic est ille Wilhelmus dictus Bastard Angliæ Conquæstor, quem in manu habemus. De nativitate istius Wilhelmi ita scribit Auctor in Flores Historiarum sub anno gratiæ MXXX. Robertus Ricardi secundi Normannorum Ducis alter filius, &c. *Vide locum, quem Rudburnus verbatim descripsit unà cum initio anni sequentis.*

Wilhelmus Dux Normannorum cùm cognovit Haroldum, de quo in ultimo capitulo quarti libri mentionem fecimus, diademate post mortem Edwardi redimitum, per nuncios illum leniter de rupto fœdere increpavit, &c. *Sequitur historia expeditionis Wilhelmi Ducis in Angliam usque ad dispositionem aciei in campo Hastingensi, ex Florilego verbatim desumpta; his verbis duntaxat additis de Vexillo ad Wilhelmum à Papâ misso;*—in quo depingebantur tres Leopardi glauci, ut quidam volunt, tres leones glauci.

Deinde partes adversæ acies disponunt; sed Angli, qui noctem totam insomnem fatigati transegerant, manè adhuc in seipsis penè deficientes contra hostes incunctanter procedunt, pedites omnes cum bipennibus consertâ ante se scutorum protectione, cuneum impenetrabilem ordinaverunt. Matthæus Parisiacensis in *Chronicâ* suâ agens de gestis Wilhelmi Conquæstoris dicit; quòd Angli in ipsâ die belli erant fatigati, eò quod nocte præcedente vacabant ineptis vigiliis, comessationibus, potationibus, nihil cogitantes quid superventurâ die eis eveniret. Erant enim in potibus inebriati; quòd vix stare potuissent in prælio. Aliter scribit Auctor in Flores Historiarum, dicens, quòd Anglis eo die belli saluti fuisset consultum & eventum, ni Normanni more suo fugâ simulatâ consertas acies dissolvissent. Rex Haroldus pedestris juxta vexillum stabat, &c. *Dein Rudburnus prælii Hastingensis historiam ex Florilego prosequitur, usque ad finem libri primi singula describens; ubi notandum illum Florilegi narrationem in Anglorum submissione terminare; descriptionem autem morum Haroldi quæ sequitur, incipiens:* Rex autem Haroldus in multis patrissans, *aliaque usque ad finem libri Mariano Scoto* in suis Additamentis libro 2do. *accepta referre.*

Ut enim scribit Auctor de Concordantiis Historiarum Angliæ, duæ causæ principales fuerunt, quare Dux Wilhelmus in Angliam venerit. Prima, quia Alfredus cognatus suus & frater Sancti Edwardi Confessoris per proditionem comitis Godewyni patris Haroldi occisus fuit, & quàm plures alii Nobiles de Normanniâ, quos secum adduxerat, ut dictum est in quarto libro, decimati & cum eo occisi sunt. Secunda causa erat, quia Haroldus in perjurium lapsus tum pro regno sibi promisso, tum pro filiâ suâ, quam Haroldus vilificaverat, & regnum sine jure invaserat. Et non mirum, si regnum Angliæ tunc temporis devenisset ad exteras nationes; quia teste Salvato-

re

(m) Matth. XII. 25.

re in Evangelio; (m) *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.* Illis diebus bis orta est divisio in regno Anglorum. Prima facta est, quum Haroldus sibi imposuit diadema. Quidam enim Baronum consenserunt in Edgarum Athelyng, de quo superiùs dictum est libro quarto. Quidam consenserunt in Wilhelmum Ducem Normanniæ: quidam in Haroldum. Secunda divisio erat, quum Dux Wilhelmus in Angliam applicuit, & Haroldus à pugnâ Scotorum & Noricorum cum victoriâ rediit; eò quòd ipse Haroldus omnem prædam & manubria in proprios usus, nulli quicquam impertiendo, convertit. Unde commilitones ejus plurimùm indignantes à Rege Haroldo unanimiter recesserunt; sicque secundò facta est divisio in regno; ut tradit Matthæus Parisiacensis in *Chronicâ* suâ de gestis Regum Haroldi & Wilhelmi.

Wilhelmus victor effectus in subsequenti die natalis Domini secundum quosdam, anno viz. Domini MLXVI. apud Londoniam Rex totius Angliæ acclamatus, & coronatus est. Quidam || verò dicunt, quòd fuit coronatus Londoniæ anno Dominicæ incarnationis MLXVII. ab Aldredo Eboracensi Archiepiscopo cum magnâ exultatione cleri & populi, & Rex acclamatus Dominicæ Nativitatis die. Noluit munus consecrationis à Stigando Cantuariensi Archiepiscopo suscipere; eò quòd illegitimè occupaverat illius dignitatis excellentiam. Et etiam tunc temporis vacavit sedes Londoniensis; cujus sedis Episcopo spectat in absentiâ Archiepiscopi Cantuariensis Regis coronatio, nisi aliter decreverit Archiepiscopus.

Wilhelmus in Regem sublimatus pacificè tractabat Nobiliores regni Angliæ, post fidelitatis juramentum ab ipsis sibi præstitum, quamdiu fidem ei servabant; sed postquam rebellare cœperunt, homagiis iterum ab ipsis acceptis, datisque obsidibus, omnibus, qui ad regnum aspiraverant, factus est terrori. Civitatibus quoque dispositis & castellis, propriisque ministris impositis, ad Normanniam cum obsidibus Angliæ & thesauris impretiabilibus navigavit. Quibus incarceratis & sub salvâ custodiâ deputatis, ad Angliam denuò remeavit; ubi commilitonibus suis Normannis, qui in bello Hastingensi patriam secum subjugaverant, terras Anglorum & possessiones ipsis expulsis successivè manu distribuit affluenti; & modicum illud, quod eis remanserat, factus jam de rege tyrannus sub jugo detrusit perpetuæ servitutis. Et cùm se viderat in sublimi elevatum, & in fastu regni confirmatum; in alium virum subitò est mutatus; Nobiles terræ, quos antiquus sanguis ex antiquo sublimaverat, proh dolor! exhæredando.

Ab Ecclesiâ Wyntoniensi abstulit tria maneria, viz. Estmeone, Westmeone, & Weregraves. Et à novo Monasterio Wyntoniæ, quod nunc Hyda dicitur, vi abstulit, & militibus suis dedit ista maneria, viz. Aburthoun cum quatuor hydis & dimidio, Popham cum duobus hydis & dimidio, Cranburn cum octo hydis & dimidio, Draytonam juxta Nywetonem cum quatuor hydis, Swarewetonam cum tribus hydis & unâ virgatâ & dimidiâ, & Weststrattonam cum quinque hydis; quæ omnia Edwardus senior filius Alfredi Regis fundator ipsius Monasterii eidem dedit. Edmundus Rex filius Edwardi senioris dedit eidem Monasterio Lygeput cum duobus hydis, Bekendenere cum decem hydis pro animâ suâ & patris sui Edwardi cum pertinentiis; sed Wilhelmus Conquæstor ea abstulit, & militibus suis dedit.

|| Nulla est inter Historicos repugnantia; modò dextrè intelligantur. Wilhelmum Londini coronatum esse die Natali victoriam Hastingensem immediatè sequenti ex unâ omnium voce constat. Cùm verò Historicorum nonnulli annum à Nativitate, alii à Circumcisione Domini exordiantur, hinc fit, ut illi coronationem Wilhelmi in annum 1067. isti in annum 1066. referant.

Edredus

Edredus Rex frater Edmundi, & filius Edwardi dedit novo Monaſterio Wyntoniæ, quod nunc Hyda nominatur, Andevere cum quinque hydis, & Wherewellam cum triginta hydis cum pertinentiis & privilegiis. Quæ omnia Rex Wilhelmus Conquæſtor pro voluntate ſuâ abſtulit, & militibus ſuis dedit. Edwynus Rex dedit novo Monaſterio Wyntoniæ, quod modò Hyda nominatur, Sotewelle cum decem hydis & Eccleſiam cum pertinentiis & privilegiis; quod manerium cum Eccleſiâ Wilhelmus Conquæſtor pro utilitate ſuâ ab ipſo Monaſterio vi abſtulit. Etheldredus Rex filius Edgari Regis dedit novo Monaſterio Wyntonienſi, quod modò dicitur Hyda, Lammere cum tribus hydis & Eccleſiam, & in inſulâ Etha Meton cum duabus hydis. Badingborn cum quatuor hydis, Velokedone cum tribus hydis, Eſtede cum unâ hydâ, & in inſulâ de Porteſeye Frederingtone cum quatuor hydis, Suthingewerthe cum duabus hydis, & apud Berntone juxta Wherewellam unam hydam, & apud Wrefordi unam hydam, & pratum quod jacet juxta Kyngeſmille, quod dicitur Mune; & hoc Wilhelmus abſtulit, & militibus ſuis dedit. Cnutus Rex dedit novo Monaſterio Wyntoniæ, quod Hyda nominatur, Draytone juxta Byketone cum quinque hydis, & crucem nobiliſſimam de auro cum lapidibus pretioſis, & multis ſanctorum reliquiis decenter ornatam, & duas magnas imagines auro & argento bene ornatus. Quæ omnia Wilhelmus Conquæſtor vi abſtulit. Brythwynus Comes dedit Opwarneforde cum octo hydis permiſſione & licentiâ Etheldredi Regis. Quod manerium à novo Monaſterio Wyntoniæ Wilhelmus Conqueſtor pro voluntate ſuâ abſtulit. Hugo Portuenſis comes dedit novo Monaſterio Wyntoniæ Bedhamtone cum decem hydis & Eccleſiam cum pertinentiis & privilegiis permiſſione & licentiâ Sancti Regis Edwardi Londoniæ: Quod manerium Wilhelmus Conquæſtor pro voluntate ſuâ abſtulit, & militibus ſuis tradidit. Robertus dapifer Hugonis de Portu dedit novo Monaſterio Wyntoniæ Fideleſwerthe cum decem hydis, & ſex cum pertinentiis & privilegiis permiſſione & licentiâ Sancti Edwardi Regis. Sed Wilhelmus Conquæſtor illud ab ipſo Monaſterio rapuit injuſtè, & militibus ſuis tradidit. Conſimili modo ſe habuit Wilhelmus tyrannus aliis Monaſteriis, & cæteris Nobilibus Angliæ. Unde Nobiliores de regno indignati ad Regem Scotorum Malcolmum confugerunt, &c. *In ſequentibus Weſtmonaſterienſem exſcribit à medio anno* 1067. *ad medium annum* 1070.

Anno gratiæ MLXX. Wilhelmus Rex Concilium magnum in octavis Paſchæ apud Wyntoniam celebravit cum totâ Eccleſiâ Anglicanâ; ubi multa regnum contingentia mutata ſunt. Stigandus Archiepiſcopus Cantuarienſis degradatus eſt ignominioſe; plures quoque Epiſcopi & Abbates ibidem depoſiti ſunt. Solus inter omnes Angliæ prælatos Egelwynus Dunelmenſis Epiſcopus videns fratrum injuſtas oppreſſiones, condolens & zelum Dei habens, exulavit ſpontaneus ab Angliâ; & violentos oppreſſores vinculo excommunicationis innodavit. Stigandus iſte primitùs erat Orientalium Anglorum Epiſcopus, viz. Helmhamenſis Eccleſiæ, tandem ut ſcribit Wilhelmus Malmeſbirienſis *de Pontificibus*, ſublimiorem gradum meditatus, * Wyntonienſem Pontificatum invaſerat; at ut habetur *in Geſtis Pontificum* libro primo: 'Non 'ſolùm eo Epiſcopatu contentus, ſed etiam innocentis Regis Edwardi ſim'plicitatem circumveniens, Archiepiſcopatum Cantuarienſem decem & ſep'tem annis injuſtè detinuit. Quæcunque poſſet aliis præripere, ſibi abſcon'dere, nunquam avaritiæ ſuæ ſatisfecit. Sacros honores Eccleſiarum hos ſi'bi pecuniâ comparans, iſtos aliis linguâ vendicans. Prorſus publicas nun'dinas ex Epiſcopatibus & Abbatiis faciens; & ibi cupiendi modeſtiam ad-

STIGANDUS.

* Stigandus ſedem Wintonienſem poſt Alfwynum adeptus eſt anno 1047. juxta Florentium & Weſtmonaſterienſem. Abrogati Epiſcopatûs tempus Rudburnus rectè aſſignavit.

 'mittens,

'mittens, ubi quod cuperet, deesset. Nonne illud belluinæ rapacitatis di-
'ces, quòd Wyntoniæ Episcopatum & Cantuariæ Archiepiscopatum, præte-
'rea multas Abbatias, solus ipse possidebat; quæ singula satis superque suffi-
'cerent alicui probo viro. Sed his ponit Wilhelmus Malmesbiriensis *de Pon-
'tificibus* quandam derisoriam excusationem, sic inquiens: Sed ego conjicio
'illum non judicio, sed errore peccâsse; eo quòd homo illiteratus, sicut ple-
'rique & penè omnes tunc temporis Angliæ, qui Monachi non erant, nesci-
'ret, quantum delinqueret; rem Ecclesiasticorum negotiorum sicut publico-
'rum actitari existimans. Quare nunquam Pallium à Româ meruit; quam-
'vis & ibi venalitas multùm operetur; nisi quod quidam Benedictus Aposto-
'licæ sedis pervasor ipsi misit Pallium gratulatus, quòd eum, quem alii Ar-
'chiepiscopi ducebant ludibrio, ipse Papam appellâsset. Sed illo Papâ non
'multum post dejecto, omnia ejus facta evacuata; decretumque erat consi-
'lio salubri, non eum potuisse dare legitimè pallium, qui justè non habu-
'isset Papatum. Non resipuit super his Stigandus, sed perstitit, parùm co-
'gitans de animarum salute, tantùm forensi frueretur honore. Interea Wil-
'helmus Comes Normanniæ Angliam veniens, armis provinciam perdomuit;
'cùm & Dei promissio suffragaretur, & nonnullæ causæ suppeterent, quas
'non infirmas ipse arbitraretur. Qui cùm & belli Hastingensis victoriâ &
'Castelli Doverensis deditione terrorem sui nominis sparsisset, Lundoniam
'venit. Venienti Stigandus cum potentissimis Anglis processu & favore suo
'applausit. Consertisque loquelis, Wilhelmus eum Stigandum in patrem
'& Archiepiscopum, ipse Wilhelmum in Regem & filium recepit. Verun-
'tamen coronam regni de ejus manu Rex detrectavit suscipere; astutiâ,
'quâ consueverat, prohibitores ex parte Apostolici subornans. Nec multò
'post in Normanniam navigans, sub velamine honoris renitentem secum
'traxit; ne quid perfidiæ se absente per ejus auctoritatem in Angliâ pullularet.
'Inter quæ difficile dictu est, quantis eum excepit officiis, dignanter ubi-
'cunque locorum assurgendo, & contra eum in omnibus Episcopatibus Nor-
'manniæ & Abbatiis longâ serie pompæ procedi faciendo. Sed quicquid his
'tegebatur involucris erupit in clarum, veniente in Angliam Ermenfredo Se-
'dunensi Episcopo Legato Alexandri Papæ; qui ad voluntatem Regis co-
'acto præfato Concilio Stigandum deposuit fidem Wilhelmi appellantem, &
'violentiam reclamantem. Et quamvis ille se blandè excusans, præceptum
'Papæ objectaret; non tamen opinionem affectatæ depositionis exclusit,
'quòd eum toto ævo in vinculis Wyntoniæ habuerit. Ibi ergo Stigandus
'tenui victu vitam toleravit; quòd ei parum de fisco inferebatur, & ipse in-
'genitâ mentis duritiâ nihil de suo inferri pateretur. Qui & hortantibus
'amicis & præcipuè Reginâ Edwardi Sancti relictâ Edytha, ut se delicatiùs
'vestiret & pasceret, per omne sanctum jurabat, non se habere nummum
'nec valens. Huic sacramento soliditatis vim abfuisse probavit ingens vis
'opum post mortem ejus in subterraneis specubus inventarum. Ad quarum
'indicium ut veniretur, auxilio fuit clavicula collo exanimati dependens,
'quæ familiaris scrinii esset custos. Ea seræ immissa manifestavit per chartas
'inventas & qualitatem metallorum & quantitatem ponderum. Quod dicit
hic Wilhelmus Malmesbiriensis, & est *de Pontificibus* libro primo, viz. quòd
Rex Wilhelmus tenuit Stigandum in vinculis; dicit Auctor *de Concordantiis*
sub literâ *S.* non est verum; sed Wilhelmus inquit somniavit, quum ita
scripsit. Habuit enim Wilhelmus eum in salvâ custodiâ, viz. in Castro
Wyntoniæ; infra quam custodiam diverteret quo vellet, sed extra limites ei
non liceret. Honestissimè enim cum eo tractavit, dimittens ei in pace om-
nes thesauros auri & argenti, & aliarum rerum, quos ante depositionem suam
habebat, & nihil ex omnibus accepit Rex quamdiu Stigandus viveret. At-
tamen Stigandus ne minimum nummum ex omnibus divitiis super semetipsum
expen-

expendere voluit. Eo verò defuncto assignavit Rex Wilhelmus corpus ejus sepeliri in Ecclesiâ Cathedrali Wyntoniæ, & crucem magnam ex argento cum duabus imaginibus in thesauro ipsius Stigandi inventam ex omnibus pretiosissimis divitiis quas Rex invenerat Ecclesiæ Wyntoniensi pro animâ Stigandi solummodò transmisit. Iste Stigandus rexit Episcopatum Wyntoniensem viginti duobus annis, & in eâdem Ecclesiâ sepultus est. Stigando in Archiepiscopatum Cantuariensem successit Lanfrancus Monachus, vir eleganter literatus & moribus multimodis ornatus; qui inter cætera magnifica opera librum composuit *de Sacramento Altaris* fidem roborando Catholicam. Iste Lanfrancus à Wilhelmo Duce Normannorum, antequam Angliam conquisivit, Abbas efficitur Cadamensis; & post in Regem Anglorum sublimatus post Stigandum primatem totius Angliæ ipsum Lanfrancum Wilhelmus constituit. Iste Lanfrancus natione Longobardus, ex ingenuis parentibus ortus fuit. Literarum vir iste insignis, liberales artes; quæ jamdudum in Galliâ sorduerant, & ferè erant extinctæ, acumine sui ingenii fecit reviviscere, &c. *Sequitur Lanfranci vita ex Wilhelmo Malmesburiensi verbatim descripta* (de Pontificibus Angl. lib. 1.) *usque ad finem Epistolæ Bonifacii Papæ ad Ethelbertum Regem. Ad cujus calcem Rudburnus ex occasione mentionis de Ecclesiâ Christi Cantuariensis inibi factæ ista subjungit.*

Quia verò fit in hâc Epistolâ mentio quodammodo de fundatione Ecclesiæ Christi Cantuariæ; aliquid diffusius de ipsâ fundatione in sequentibus pertractandum est. In civitate Doroberniæ, quæ modò Cantuaria dicitur, beatus Augustinus Ecclesiam reperiens antiquo Romanorum fidelium opere factam, eam in nomine sancti Salvatoris Dei & Domini nostri Jesu Christi consecravit, atque ibidem sibi & sucessoribus suis habitationem statuit; ut patet per Bedam *de Gestis Anglorum* libro 1*mo*. Non enim statuit Cathedram Patriarchatûs, ubi nunc Abbatia stat sancti Augustini, sed in Ecclesiâ sancti Salvatoris, quam Monachis repleverat. Fuerunt enim in eâdem Ecclesiâ Monachi inhabitantes, sed in numero pauci, ex quo priùs fundata erat a Romanis fidelibus usque in hodiernum diem; quamvis sæva gentilitas in cæteris locis ubique Monachos à terrâ delevit. Monachis tamen ibidem commorantibus Gentiles ministrabant panem, vinum, & oleum, & cætera vitæ necessaria; ut habetur per Auctorem *de Concordantiis Historiarum Angliæ*. In hâc Ecclesiâ antequam Rex Cantuaritarum Ethelbyrtus fidem Christianam susceperat, Bertha uxor ejus, quæ Christiana erat de gente Francorum, ritum fidei Christianæ inter Monachos observabat. Nam eâ conditione prædicto Regi Ethelbyrto erat desponsata, & à parentibus tradita; ut ritum fidei ac religionis suæ cum Episcopo, quem ei adjutorem fidei dederant, nomine Leodhardo, inviolatum servare licentiam haberet. Et hoc erat causa, quare tam citò Rex Ethelbyrtus paruit prædicationi Sancti Augustini & Commonachorum suorum.

Interea baptizato Rege Ethelbyrto cum totâ suâ provinciâ, cujus adjutorio usus beatus Augustinus, convocavit ad suum colloquium Episcopos sive doctores Britonum provinciæ, i. Walliæ, pro tunc sicut & nunc, ut scribit Beda *de Gestis Anglorum* libro 1*mo*. cap. 32*do*. Quod dum esset statutum, venerunt septem Britonum Episcopi, &c. *Succedit historia de colloquio Augustini & Episcoporum Britannicorum, de strage Monachorum Bannothoriensium, & de occasione conversionis Anglorum ex Bedâ*, lib. 2. cap. 2. 1. *desumpta.*

Elegit etiam beatissimus Augustinus locum ad Monasterium construendum non longè à civitate Dorobernensi, i. Cantuariensi ad Orientem; in quo ejus hortatu Ethelbertus Rex Ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli à fundamentis construxit, ac diversis donis ditavit; in quâ ipsius Augustini & omnium Episcoporum Dorobernensium simul & Regum Cantiæ poni corpora possent. Quam tamen Ecclesiam non ipse Augustinus, sed successor

Error manifestus.

cessor ejus Laurentius consecravit anno gratiæ quingentesimo nonagesimo sexto. Primus autem ejusdem Monasterii Abbas Petrus Presbyter fuit; ut scribit Beda *de Gestis Anglorum* libro primo. Hic etiam christianissimus Rex Ethelbertus construxit Ecclesiam Sancti Pauli Londoniæ, Monachosque ibi instituit, & Ecclesiam Roffensem, Monachosque inibi constituens. Hic solus in Regibus Cantiæ usque ad flumen Humbre imperii fines extendit, & pacem habens cum provincialibus. Qui pro merito sanctitatis Sanctorum catalogo est ascriptus. Primus enim omnium Regum gentis Anglorum cœli regna conscendit. *Dein vitam Lanfranci repetens Rudburnus Malmsburiensem exscribere pergit. Primo itaque loco succedit Epistola Bonefacii Papæ ad Justum Archiepiscopum; cui historiam de Egbaldo Rege & fugâ Laurentii Archiepiscopi Rudburnus ex Bedâ subjecit: dein Epistolæ Honorii Papæ ad Honorium Archiepiscopum, Vitaliani ad Theodorum, Sergii ad Ethelredum, Alfridum & Adulfum Reges. Huic postremæ noster ista subjunxit.*

Isti tres Reges, quibus Sergius Papa hanc prædictam Epistolam scripserat, non erant Monarchi in Angliâ sed Provinciales Reges. Etheldredus namque qui fuit tertius filius Pendæ Regis, qui primis ex Saxonibus regnavit in Provinciâ Merciorum, quartus Rex imperabat Merciis. Qui postquam regnâsset triginta annis, apud Bardeneyam in Monachum tonsus est, & non multò pòst in Abbatem assumptus est. Et isti Etheldredo scripsit Sergius Papa; ut potest elici ex scriptis Auctoris in Flores Historiarum libro primo, & sub anno gratiæ sexcentesimo nonagesimo secundo; ubi inter cætera sic scribit. Hoc anno Wilfridus Eboracensis Archiepiscopus, &c. *Consule Florilegum, quem Rudburnus verbatim exscribit.*

Et quia Wylfridum istum sanctissimum patrem in manibus habemus; aliquid ulterius de ejus sanctitate intermiscendum est, quod scribit venerabilis Beda Presbyter in historiâ Anglorum. Quum divisum erat Regnum Angliæ olim in septem sive octo regna; secundum regnum fuit regnum Suthsexiæ sive Australium Saxonum; quod incœpit sub nobilissimo Duce Elle circa tricessimum annum à primo adventu Anglorum. Hic Elle littora maris in Suthsaxoniâ occupavit, & magis magisque sibi regionis spatia adquisivit, & multa contra Britones bella gessit. Nam ut fertur, congregato exercitu maximo Saxonum pugnavit contra Britones apud urbem munitissimam Andredescestre; ubi post multas & lettiferas congressiones urbem non sine magnâ suorum amissione expugnavit; omnesque Britones ibidem inventos cum mulieribus & parvulis interfecit in ore gladii. Et quia ibi tot suorum damna receperat, ita urbem solotenus destruxit, quòd nunquam postea est reædificata; locus tamen nobilissimæ urbis videtur transeuntibus usque in hodiernum diem. Ella autem Rex cùm regnâsset potentissimè annis XVII. mortuus est; cui successit filius ejus Cissa, & eorum progenies post eosdem usque ad Athelwoldum, qui primus Regum Suthsaxonum per Sanctum Byrinum Episcopum ad fidem Christi conversus est, & baptizatus in Provinciâ Merciorum præsente ac suggerente Rege Wlfere, à quo etiam egressus de fonte, &c. *In sequentibus reliqua capitis 13. lib. 4. Bedæ describuntur.*

Interea superveniens cum exercitu Cedwalla juvenis strenuissimus, nondum fonte Baptismatis renatus, de gente Gewyseorum, cùm exularet à patriâ suâ, interfecit Regem Athelwoldum; ac provinciam illam sævâ cæde ac depopulatione attrivit. Sed mox expulsus est à ducibus Regis Berchuno & Aldhuno, qui deinceps regnum Provinciæ tenuerunt. Quorum prior postea ab eodem Cedwalla, cùm esset Rex Gewyseorum, occisus, & Provincia graviori servitio subacta. Sed & is qui post Cedwallam regnavit, simili modo Provinciam illam afflictione gravissimâ plurimo annorum tempore mancipavit. Quare factum est, ut toto illo tempore Episcopum proprium habere nequiret. Sed revocato domum Wylfrido primo suo Antistite ipsi Episcopo Gewy-

Gewysseorum, i. Occidentalium Saxonum, qui essent in Wentanâ civitate, subjacuerunt. Tandem postmodum anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quinto ex Synodali decreto statutum est; ut provincia Australium Saxonum, quæ eatenus ad civitatis Wentanæ, cui tunc Daniel præerat, Parochiam pertinebat; & ipsa Provincia Australium Saxonum proprium haberet Episcopum. Consecratusque est eis primus Antistes Edbertus, qui erat Abbas Monasterii beatæ memoriæ Wylfridi Episcopi, quod dicitur Selesey; cui successit Ella, quo defuncto Episcopatus discrimen magnum incurrebat. Nam cessavit Episcopatus per multum tempus. Sicque hoc regnum Suthsaxonum processu temporis valde minoratum est; donec in aliorum Regum jura pertransiit, i. e. Westsaxonum. Postquam ergo Cedwalla regno potitus est Gewysedium sive Gewysorum; cœpit & insulam Vectam, quæ eatenus erat tota Idololatriæ dedita; ac stragicâ cæde omnes indigenas exterminare, ac suæ Provinciæ homines pro his substituere contendit; votoque se obligans, quamvis nondum regeneratus in Christo, quòd si cepisset insulam, quartam partem ejus simul & prædæ Domino daret. Quod ita solvit, ut huic Wylfrido Episcopo, qui tunc fortè de gente suâ superveniens aderat, utendam pro Domino affirmaret. Est autem mensura ejusdem insulæ juxta æstimationem Anglorum mille ducentarum familiarum. Inde data est Episcopo possessio terræ trecentarum familiarum. At ipse partem, quam accepit, commendavit cuidam de Clericis suis, cui nomen Brectwym, & erat filius sororis ejus, dans illi Presbyterum nomine Hiddila, qui omnibus, qui salvari vellent, verbum ac lavacrum vitæ ministraret. Unde in Provinciâ eorum, qui de eâdem insulâ credendo salvati sunt, duo Regii pueri, fratres viz. Arnualdi Regis insulæ, spirituali sunt Dei gratiâ coronati. Hoc ergò ordine postquam omnes Britannorum Provinciæ Christi fidem susceperant, suscepit & insula Vecta. Sicque transiit dominium Suthsaxonum, quod incœpit anno Dominicæ Incarnationis quadringentesimo nonagesimo primo, post mortem Hengisti anno tertio; & factum est dominio Regum Westsaxonum. Reges Suthsaxonum dominabantur aliquanto tempore in Suthsexiâ; eratque sedes Episcopalis ejusdem pagi antiquitus in Seleseyâ, modò est apud Cicestriam. Hæc quæ dicta sunt de hâc Provinciâ Suthsaxonum, scribit Beda *de Gestis Anglorum*. Wilhelmus verò *de Gestis Pontificum* libro tertio (*n*) de eadem Provinciâ sic scribit: 'Percensitis omnibus Episcopatibus Westsaxoniæ, ad Australium Saxonum Episcopos ordo narrandi 'dirigitur. Provincia illa collimitatur ex unâ parte Westsaxonibus, ab alterâ Cantuaritis; Occidentalium Regum ditioni semper subjecta cum regulis, postquam Cedwalla Regem eorum Edelwalk bello fudit. Is Edelwalk 'suadente Rege Wlfero baptizatus in Merciâ, beatissimum Wylfridum à sede 'suâ exulantem benigno dignatus hospitio, Episcopatûs etiam sede extulerat 'loco qui Selesige dicitur, nec nisi uno introitu potest adiri, mari undique 'circumgyratus. Veruntamen, ut dixi, Rege occiso, & Wilfrido qui ibidem Monasterium ædificaverat, domum redditâ pace regresso, multis annis Episcopatus vacavit: spectabatque interim Pontificatûs administratio 'ad Wintoniensem Antistitem, &c. ***Sequuntur Epistolæ Sergii, Gregorii, Leonis, Formosi, & Joannis Pontificum Romanorum, & reliquæ Epistolæ Lanfranci ad Alexandrum Papam, ex Malmsburiensi (loco cit.) desumptæ.***

(*n*) Rectiùs in fine. lib. 2.

Succubuit tantis rationibus Thomas; & placitum ad moderationem transferens, libenter conditioni concessit animum, ut ulterior ripa Humbre fluminis esset principium suæ Diocœsis, citerior esset limes Parochiæ Cantuariensis. Erat enim tunc temporis Lanfrancus in doctrinâ & mundi sapientiâ famosissimus; quem venerabiliter suspiceret Apostolicus Alexander. Porrò Wilhelmus Rex in omnibus ei assurgebat, aggaudebatque & ei & aliis, quos in bono fervore audivisset, permisitque ei concilia congregare, quorum unius actio

actio hæc est. 'Anno Incarnationis Dominicæ MLXXV. regnante Wilhel-
'mo Rege anno nono; congregatum est Concilium in Londoniâ præsidente
'Lanfranco Archiepiscopo Dorobernensi, considentibus secum Thomâ Archi-
'episcopo Eboracensi & cæteris Episcopis, Roffensis Ecclesia per id tempus
'pastore carebat, Lyndiffarnensis qui & Dunelmensis Episcopus canonicam
'excusationem habens concilio interesse non potuit. Et quia multis retro an-
'nis in Anglico regno usus Conciliorum absolverat, renovata sunt nonnulla,
'quæ antiquis etiam fuerant Canonibus definita. Ex Concilio igitur Toleta-
'no quarto, Milevitano, atque Bracharensi statutum est; ut singuli secun-
'dùm ordinationis suæ tempora sedeant, præter eos qui ex antiquâ consuetu-
'dine sive suarum Ecclesiarum privilegiis digniores sedes habent. De quâ re
'interrogati sunt senes & ætate provecti, quid vel ipsi vidissent, vel à majo-
'ribus atque antiquioribus veraciter ac probabiliter ipsi vidissent vel audi-
'vissent. Super quo responso petitæ sunt induciæ, ac concessæ usque in crasti-
'num. Crastinâ autem die concorditer perhibuere; quòd Eboracensis Ar-
'chiepiscopus ad dexteram Dorobernensis sedere debeat, Lundoniensis Epis-
'copus ad sinistram, Wentanus juxta. Si verò Eboracensis desit; Londoni-
'ensis ad dexteram, Wentanus ad sinistram. Et sic claret, quòd Wyntoni-
ensis Præsul non secundùm ordinationis suæ tempus, sicut cæteri Pontifices, se-
det in Conciliis sive in Convocationibus, sed secundùm dignitatem suæ Ecclesiæ
quartum locum semper sive tertium ab Archiepiscopo Cantuariensi tenet.
Et rogo carissimi hanc Chronicam inspecturi sive perlecturi; qualem gra-
dum excellentioris dignitatis seu privilegii in Anselmo venerabili Cantuari-
ensi Archiepiscopo recepit, ut creditis, ipsa Patriarchalis totius Angliæ Ec-
clesia? Ut enim ventum est ad Concilium apud Barum, ubi Apostolicus Do-
minus Urbanus ante corpus sancti Nicholai constratum tapetibus & palliis ip-
se casulâ cum pallio amictus tribunal ascendit, cæteri cum cappis sedebant.
Omnibus ergo suum locum ex antiquo vendicantibus, Anselmus humilitate
summus quo poterat assedit. Exciderat animo summi Pontificis ingruente
tumultu, ut ei locum delegaret. Sed erroris admonitus est quæstionis ne-
cessitate à Græcis propositâ, probare volentibus Spiritum sanctum non à
Patre procedere. Hanc ergo quæstionem dum expedire tentans magis invol-
veret, Græcis contra non improbabiliter occurrentibus, Anselmi recordatus
exclamat vividè; tonitruum vocis ædis capacitas & turbæ multiplicitas ingemi-
nant. Pater & magister Anselme Anglorum Archiepiscope ubi es? Ille ubi
se vocari audivit, in pedes constitit. Quem Apostolicus compellans: Nunc,
inquit, magister opus est scientiâ, opus eloquentiæ tuæ operâ: Veni ascende
huc & defende matrem tuam Ecclesiam, quam Græci labefactare conantur.
Succurre ergò quasi à Deo huc missus. Continuo cuncti astantes & assidentes
oculos & ora in eum conversi percunctari cœperunt, quis esset? Annitenti-
busque proximis ad concessum Apostolici levatus sedere jussus est juxta Ro-
manum Archidiaconum, cui ante Papam sedere moris est. Includamus, in-
quit Papa Urbanus, hunc in orbe nostro, tanquam alterius orbis Papam.
Nec moratus omnibus palam exposuit Papa, qui genus, unde domo, cujus
scientiæ, cujus facundiæ, quàm religiosus, quanta pro fidelitate Romanæ
Sedis passus esset. Dilatusque in posteram diem quæstionis tractatus, quam-
vis Anselmus statim respondere non dubitaret. Sed sequenti die solito matu-
riùs cœtu coacto promotus in editum ita pertractavit quæstionis latera, ita pe-
netravit & enebulavit intima; ut Latini clamore testarentur gaudium, Græ-
ci de se præberi dolerent ridiculum, nullus porro inops & inanis scientiæ dis-
cederet. Sensa illius sermonis procedenti tempore luculenter digessit in li-
bro *de Processione Spiritûs Sancti* facto. Tunc verò ubi verbum absolvit, om-
nes in illum oculos & ora conversi, hic laudare fidem, ille scientiam, omnes
eloquentiam. Sedato fragore, quem laus ejus suscitaverat, intendens in eum
summus

summus Pontifex ait. Benedictum sit cor & sensus tuus & os, & sermo oris tui sit benedictus. Celebrato sic Concilio, omnibusque Episcopis Gallicanis sedes suas agnoscentibus, nulloque recordante aliquem Cantuariensem Archiepiscopum concilio Romano interfuisse, posita est ei sedes in coronâ cum Archidiacono Romanæ Ecclesiæ, & in æternum jus sibi & successoribus suis transcripta.

Post Stigandum, qui contra decreta Canonum ambas sedes occupaverat Cantuariensem viz. & Wyntoniensem, in sede Wyntoniensi Stigando deposito successit in Episcopatum Wentanæ civitatis Walkelinus, † vir magnæ literaturæ, doctor in Theologiâ egregius, in studio Parisiacensi cathedram ascendit magistralem, consanguineus enim erat Wilhelmi Conquæstoris & natione Normannus. Hic primis temporibus suæ consecrationis Monachos Ordinis Sancti Benedicti supra modum exosos habebat; ut habetur *in Gestis Pontificum* lib. 2*do*. c. 30. Unde & trecentas libratas terræ Monachis Ecclesiæ suæ auferens, suis & successorum suorum usibus implicuit. Iste Walkelinus incitavit omnes Episcopos Angliæ ad expellendum Monachos à Cathedralibus Ecclesiis in Angliâ, ut habetur *in Gestis Pontificum* libro primo, cap. 7*mo*. ubi sic habetur. 'Jamque enim Episcoporum livor increverat volentium ab Episcopalibus sedibus Monachos Clericis immissis extrudere. 'Auctor hujus factionis fuit Walkelinus Wentanus, ad cætera bonus, sed in 'hoc ad pravum consiliis susurronum flexus, plusquam quadraginta Canonicos cappis & superpelliciis ornaverat introducendos in propriam Ecclesiam 'Monachis expulsis, si potuisset trahere Regem Wilhelmum & Archiepiscopum Lanfrancum in suum consensum. Regem Wilhelmum in sententiam 'traxit; & toto conatu elaborabat; ut Archiepiscopi Lanfranci consensum 'eliceret. At ille Archiepiscopus Lanfrancus auditum facinus exhorruit; '& tot potentum excogitatas machinas, ut casses aranearum, solo intuitu 'dissolvit. Quinetiam ne idem auderent posteri, egit, ut Alexander Papa 'scriptis inhiberet. Magnum id & laudandum, ut quod sedula Sanctorum 'benignitas tempore Regis Edgari inchoaverit, iste gloriosus Archi-Præsul 'labefactari non permiserit, quamvis iniquâ comparatione factum hujus cum 'illorum facto pensitetur. Nam illi totius Angliæ magistri arridente Rege 'facilè quod vellent efficerent; iste autem solus contra tot obsistentes rem 'profligaverit & vicerit. Abbatiam Sancti Albani per Paulum Abbatem, 'quem ibi constituit, in eum, quo nunc est, statum provexit. In Roffensi 'Episcopatu Clerici servientes vix ad quaternarium numerum assurgere poterant, & ipsi quotidiani panis egentes. Hos per Gundulphum Episcopum 'sustentans sumptibus propriis Monachos ad quinquaginta introduxit; quibus Villâ permagnificâ datâ procuravit, ut non solùm non afficerentur inopiâ, sed etiam victualium gauderent copiâ. Walkelinus postmodùm super proposito nefando vehementer doluit; & Monachus in propriâ Ecclesiâ factus: 'Monachos ut filios fovebat, dilexit ut fratres, honorabat ut Dominos; nihil minus pro dissimilitudine vestis exhibens eis vel adjutorii vel 'familiaritatis. Istud habetur *in Gestis Pontificum* lib. 2*do*. cap. 2*do*. Quod autem ponitur hic dissimilitudo vestis, intelligitur de habitu pontificali superposito Monachali; ut scribit Actor *de Concordantiis Chronicantium* sub literâ *V*. 'Nullum conviciis incessere, pronuncians quòd Episcopalis gravitas suam indignâ maculâ respergat gloriam, si in pauperiorum descendat

WALKELINUS.

† Nominatus est à Rege anno 1070. die Pentecostes, tradente Hovedeno; consecratus Dominicâ sequenti ab Armensrido Sedunensi Episcopo & Legato Apostolico, ex Florentii & Simeonis fide. Obiit anno 1098. ineunte, 3. Non Januar. die Dominicâ, ex singulorum concordi sententiâ.

'con-

'contumeliam. Iste Walkelinus Episcopus constituit Symeonem fratrem suum, virum gloriosum ac religiosum, in Priorem Ecclesiæ suæ, qui postmodùm factus est Abbas Elyensis. Symeone sic translato, contulit Walkelinus Episcopus Prioratum Wyntoniensis Ecclesiæ Godefrido cuidam ex Cameraco genito: 'Qui religione & literaturâ insignis fuit. Literaturam protestan-'tur Epistolæ familiari illo & dulci stylo editæ; maximéque Epigrammata, 'quæ Satirico modo absolvit, præterea versus de Primatum Angliæ laudibus. 'Quid quòd omne divinum officium, quod vetustate quadam obsoletum, na-'tivâ excultum venustate fecit splendescere. Religionis & hospitalitatis nor-'mam pulchrè inchoatam delineavit in Monachos; qui hodie in utrisque ita 'Godefridi formam sectantur, ut aut nihil aut parum eis desit ad laudis cumu-'lum. Denique est in eâ domo hospitum terrâ marique venientium, quan-'tum libuerit, diversorium sumptu indeficienti, charitate indefatigatâ. 'Inter hæc inerat sancto viro morum humilitas; ut nihil ex illo unico Philo-'sophiæ promptuario redoleret nisi humile, procederet nisi dulce. Quantula 'verò potest videri hæc ejus laudatio? Quotus verò quisque est, qui vel mi-'nimùm imbutus literis non alios infra dignitatem suam opinetur, tumido 'gestu & pompatico incessu præ se ferens conscientiam literarum? Verunta-'men ne quid perfectionis sanctæ deesset animæ; multis ille annis grabatum 'fovit camino diuturnæ tabis peccata excoctus. Walkelinus Episcopus fieri fecit turrim Ecclesiæ Wyntoniensis, ut modò cernitur; cœtum Monachorum in ipsâ Ecclesiâ augmentavit; & postquam strenuè rexisset Wyntoniensem Ecclesiam viginti septem annis, quievit in Domino; illum nempe

Atropus occurit, Lachesis traxit, reparavit
  Clotho colum dirè; patriæ flos cœpit abire.
O Walklyne pater salveris, quòd locus ater
  Nunquam te violet, qui malè semper olet.
Sed plausu plena cuncto Paradisus amœna
  His animam teneat atque fovere queat.
Sitque pater tibi dux, sit rector, sit tibi vita.
  Filius, & sua crux lux tibi fiat ita. *Amen.*

Sicque viam universæ carnis Walkelyno ingresso, in propriâ Ecclesiâ sepultus est idem Præsul benignissimus, ut ita dicam. Sed & quamvis Monachos omnes in Angliâ, & Ecclesiam suam in principiis deliciarum exosos habuisset; infra breve tamen pœnituit, & quod per prius inordinatè in animo conceperat, religiosissimè corripuit; & restitutionem de malefactis ordini Monachorum illatis cum omni humilitate fecit. Et hoc mihi & omnibus in testimonium suæ satisfactionis devenit; quia obitum suum tam solemniter celebrat Wyntoniensis Ecclesia, tanquam pro speciali Benefactore suo; quod non faceret, si ingratus eidem Ecclesiæ minimum extitisset. Jacet enim ejusdem Præsulis venerabile corpus humatum in navi Ecclesiæ ad gradus sub Pulpito, in quo erigitur crux argentea magna Stigandi Archiepiscopi cum duabus imaginibus argenteis magnis, ad pedes viz. Wilhelmi Gyffard quondam Wyntoniensis Episcopi; & in lapide marmoreo superposito sculpuntur hi versus;

Præsul Walklynus istic requiescit humatus,
Tempore Wilhelmi Conquestoris cathedratus.

Anno gratiæ MLXXI. & Regis Wilhelmi primi quinto, cum Angli à Normannis nimis injuriosè tractarentur; ad Helyensem Insulam & Insulam Thorneiæ fugientes, ibi castra refugii facientes, Herewardum militem in armis strenuissimum sibi ducem præfecerunt, &c. *Dein reliqua hujusce anni,*

&

& gesta annorum quatuor sequentium Rudburnus ex Florilego mutuatus (isthoc duntaxat addito, Waltheofum Comitem Wintoniæ decollatum esse) Ecclesiæ Dunelmensis exhibet historiam, quam inter alia de Sede Dunelmensi scripta inferiùs collocandam duxi. A rebus Dunelmensibus enarrandis Author ad res gestas anni 1083. *saltu facto transit.*

Anno gratiæ secundùm computationem Auctoris in Flores Historiarum MLXXXIII. Idus Aprilis obiit Matildis Regina, uxor Wilhelmi Regis, filia Baldewyni Comitis Flandriæ; & sepulta est Cadomi in Monasterio Sancti Stephani, quod ipsa cum viro suo à fundamentis construxerat, & nobiliter dotaverat; anno XVII. regni Wilhelmi. Istius Matildis consilio Wilhelmus Rex pacificè cum Anglis tractabat, quamdiu ipsa vixisset; post mortem verò ipsius Matildis omnem induit tyrannidem. Unde statim misit Justitiarium per totam Angliam singillatim per Comitatus; & inquirere fecit & diligenter perscrutari, quot acræ vel jugera terræ, quidque uni militi sufficere posset; fecitque inquirere de urbibus & villis & viculis, adquid in solidum ascenderent. Inquisivit etiam, quot animalia possent sufficere ad unius hydæ culturam. Quid hîc vocatur Hyda; notandum quòd tria grana ordei sicca & rotunda faciunt pollicem, duodecim pollices faciunt pedem, tres pedes faciunt ulnam, quinque ulnæ & dimidia faciunt perticam, & viginti perticæ in longitudine & quatuor in latitudine faciunt unam acram. Item unus denarius, qui dicitur Starelyng, rotundus sine tonsurâ ponderabit XXXII. grana frumenti in medio spicæ; viginti denarii faciunt unciam, & duodecim unciæ faciunt libram secundùm cursum Angliæ, id est, viginti solidos. Octo libræ frumenti faciunt lagenam, octo lagenæ faciunt modium secundùm mensuram Londoniarum, & est octava pars quarterii. Item ducentæ quinquagintæ libræ Sterlingorum faciunt bussellum. Item quatuor virgæ terræ faciunt Hydam, i. sexaginta quatuor acræ terræ. Quinque Hydæ terræ faciunt Feodum militis s. trecentæ acræ terræ & viginti. Quodlibet Feodum militis dabit pro scutagio quadraginta solidos. Dimidium Feodum militis, i. e. CLX. acræ terræ, dabit pro scutagio viginti solidos. Item pro XVI. parte feodi militis, i. e. viginti acræ terræ dabit pro scutagio viginti quatuor denarios, obolum, & quadrantem Item pro decimâ parte Feodi militis, i. e. triginta tres acræ terræ dabit pro Scutagio quatuor solidos. Item pro quintâ parte Feodi militis, i. e. LXIV. acræ terræ dabit pro Scutagio octo solidos. Item pro unâ hydâ & quartâ parte hydæ dabit pro Scutagio X. solidos, i. e. (o) viginti quatuor acræ terræ. Item pro tertiâ parte Feodi militis, i. pro CVI. acris terræ & dimidiâ dabit pro Scutagio XII. solidos. Fecit etiam Wilhelmus Rex de fluminibus, paludibus & sylvis, quem censum redderent per annum, & quot milites essent in unoquoque Comitatu regni. Quæ omnia in scriptis redacta & Westmonasterium delata, in thesauris Regum usque hodie reservantur. Deinde de unoquoque aratro, i. e. hydâ terræ, totius regni sex solidos cepit argenti. Hîc incæpit magna oppressio in Angliâ & manifesta. Consimile fecit, immo magis detestabile, anno regni sui quarto, pessimo usus consilio, omnia Anglorum Monasteria exspolians, auro & argento insatiabiliter apporiavit; & ad majora sanctæ Ecclesiæ opprobria calicibus & feretris non pepercit. Episcopatus quoque & Abbatias omnesque qui Baronias tenebant, & eatenus ab omni servitio sæculari libertatem habuerant, sub servitute statuit militari. Inrotulans singulos Episcopatus & Abbatias pro voluntate suâ, quot milites sibi & successoribus suis hostilitatis tempore voluit à singulis exhiberi. Et Rotulos hujus servitutis Ecclesiasticæ ponens in thesauris, multos viros Ecclesiasticos huic constitutioni pessimæ reluctantes à regno fugavit. Eodem tempore factus est magnus Liber; qui habitus est in thesauro Westmonasterii, & alius in thesauro Ecclesiæ Cathedralis Wyntoniæ, vocatus Domysday; & vocatur sic, quia nulli parcit, sicut nec magnus dies judicii. Anno verò sequenti, viz.

(o) l. Octoginta.

viz. anno octavodecimo regni sui, instillato in auribus Regis quòd propter injustas & frequentes exactiones & oppressiones ejus universitas regni conspiraverat contra ipsum, Rex Wilhelmus in festo Pentecostes apud Westmonasterium cœpit homagium hominum totius Angliæ & juramentum fidelitatis, cujuscunque essent Feodi vel tenementi. Eodem tempore per priùs Henricum filium suum juniorem cingulo donavit militari. Extorta igitur maximâ pecuniæ summâ, de quibus aliquam sophistice causam poterat invenire, in Normanniam innumeris maledictionibus laqueatus transfretavit.

Erat Rex Wilhelmus Bastard amator ferarum. In tantum hujusmodi bestiolas dilexit; quòd qui cervum caperet vel capreolum, exoculabatur, nec erat qui patrocinaretur. Amabat enim Rex ferus feras, ac si esset pater ferarum, humanam postponens charitatem. Unde asseritur, quòd per triginta & amplius milliaria, ubi erat hominum mansio, terra culturâ fructifera nec non frugifera, extirpatis domibus cum pomoeriis & hooris, & etiam Ecclesiis cum Cœmiteriis, in Forestam vel potius in deserta & ferarum lustra Rege jubente sit redacta. Quæ Foresta Nova Foresta usque in præsens appellatur. Ad castra verò construenda omnes suos superabat Antecessores; armorum & militiæ amator fuit incomparabilis. Verumptamen pacis amator extitit singularis, sitiens sanguinem homicidarum & latronum, & ultor scelerum inexorabilis. Acierum dispositor & rector prudentissimus; & bellator, quasi esset Marti confœderatus, fortunatissimus & invictissimus. Unde qui diu prudenter Normanniam tanquam jure hæreditario, Cœnomanniam armis sibi adquisivit; Britannicam, Amoricam subjugavit, in Angliâ quoque solus regnavit. Scotiam & Walliam subegit. Omnes sibi Rebelles etiam conterminos potenter ac prudenter edomuit. Tantaque pax suis regnavit temporibus; quòd puella virguncula auro onusta indempnis ac intacta Angliam potuit peragrare. Iste Rex Wilhelmus tria Cœnobia fundavit. Unum in Angliâ in honorem Sancti Martini apud Hastyng, quod de Bello nuncupatur; ubi consertum legitur prælium inter ipsum & Haroldum. Quo in loco Monachis institutis, ut pro animâ Regis Haroldi & aliorum ibidem occisorum divina celebrarent, constituit; Cœnobiumque illud congruis possessionibus ampliavit. Et Abbatiam de Bermondesey in Suthreyâ. Aliud Monasterium unà cum uxore suâ Matilde in Normanniâ apud Cadomum construxit; quod in honore Sancti Stephani Protomartyris consecratum prædiis optimis & donariis magnificis insignivit.

Iste Wilhelmus ex Reginâ Matilde liberos multos generavit, Robertum, sc. Wilhelmum, Ricardum, & Henricum. Quorum primogenitus Robertus adhuc patre vivente Normanniam sibi negari molestè ferens, in Italiam abiit irâ succensus; ut filiâ Bonefacii Marchionis sumptâ adversaretur patri partibus illius adjutus. Sed hâc petitione frustratus, Philippum Francorum Regem contra patrem suum excitavit. Quare ipsius benedictione & hæreditate cassatus, Angliâ post mortem patris sui caruit, Ducatu Normanniæ vix retento; ut infrà pleniùs patebit. Maledixit enim Wilhelmus Roberto filio suo propter hanc causam prætactam. Quam maledictionem, antequam obiret, expertus est evidenter. Ricardus magnificus & bonæ indolis adolescens & Dux Beormæ, primævæ florem juventutis acerbâ morte prævenit. Tradunt enim ipsum in novâ Forestâ, quam pater suus de novo construxerat, quæ nova Foresta modò appellatur, ut superiùs diximus, cervos insequentem morbum lethalem incurrisse, in loco viz. quem Rex pater ejus destructis villis, ut suprà dictum est, & Ecclesiis subversis in sylvam redegerat densissimam & habitaculum bestiarum. Quidam scribunt, quòd prædictus Ricardus sic cervos insequendo ictu sagittæ vulneratus in sæpe nominatâ Forestâ interiit; & sepultus est in Ecclesiâ Cathedrali Wyntoniæ. Filiæ Regis Wilhelmi quinque erant; quarum Cœcilia Cadomis Abbatissa fuit. Constantia Comiti Britanniæ Alano erat in conjugium data. Tertia verò Adala Stephani Blesensis

sensis Comitis uxor fuit. Viro tandem defuncto, apud Mercenniacum Sanctimonialis habitum suscepit. Quarta Haroldo Anglorum Regi promissa fuerat, ut prædiximus. Et quinta Aldefonso Galiciæ Regi jurata erat; quarum duorum nomina penitus non audivi.

Rex præterea Wilhelmus in adolescentiâ primâ castitatem adeò respexit; ut publicè diceretur ipsum in fœminâ nihil posse. Verumptamen ex Procerum sententiâ matrimonio addictus, ita se habuit; ut pluribus annis nullius probri suspicione notaretur. Subjectis humilis apparebat & facilis, inexorabilis erat rebellibus. Diebus singulis Missæ assistebat, matutinos hympnos & vespertinos diligenter cum Horis regularibus audiebat. Wilhelmus Rex solitus erat coronari ad Natale Domini Wygorniæ, ad Pascha Wyntoniæ, ad Pentecosten Londoniæ. Et hæc de moribus ejus dicta sufficiant. Istius Regis Wilhelmi anno regni sui vicesimo primo & anno Domini MLXXXVI. secundùm computationem Auctoris *de Concordantiis Chronicorum*, in Provinciâ Walliarum quæ Ros vocatur, inventum est Walwennii sepulchrum, qui fuit Arthuri Regis Britonum ex sorore nepos, super ripam maris, longitudinem habens quatuordecim pedum. Regnavit autem in eâ parte Britanniæ, quæ usque hodie Walweytha vocatur; vir in militiâ & in omni animositate famosissimus, ut tradunt Britones.

Rex Wilhelmus erat Legum amator & emendator studiosissimus. Unde apud Londoniam consilio Baronum suorum fecit summonire per universos Angliæ Comitatus omnes Nobiles sapientes & suâ lege eruditos; ut eorum leges & consuetudines audiret. Et licèt Rex Wilhelmus leges Norfolchiæ, Cantebriggiæ & Deiræ, ubi quondam maxima pars Danorum & Norwegensium inhabitabat, priùs magis approbaverat, & eas per totum regnum observari præceperat; pro eo quòd omnes Antecessores ejus Duces & ferè omnes Barones Normanniæ Nothwygenses extitissent, & quòd de Northwegiâ olim venissent. Sed postea ad preces Communitatis Anglorum Rex adquievit. Qui deprecati sunt, quatenus permitteret sibi leges proprias & consuetudines antiquas habere, in quibus vixerant patres eorum & ipsi autem eis nati & nutriti sunt, sc. leges Sancti Edwardi. Et ex illo die magnâ auctoritate veneratæ & observatæ sunt præ cæteris regni legibus leges Sancti Edwardi; quæ quidem priùs inventæ sunt, & constitutæ fuerunt tempore Regis Edgari avi sui. Verumptamen post mortem ipsius Regis Edgari usque ad coronationem Sancti Regis Edwardi, quod tempus continet annos sexaginta septem, prædictæ Leges sopitæ sunt & penitus pretermissæ. Sed postquam Rex Edwardus in regno fuit sublimatus, consilio Baronum Angliæ legem sexaginta septem annis sopitam excitavit, excitatam reparavit, reparatam decoravit, decoratam confirmavit; & confirmata vocata est lex Sancti Edwardi Regis, non quòd ipse priùs adinvenisset eam, sed cùm prætermissa fuisset & penitus oblivioni dedita à morte avi sui Regis Edgari, qui primus inventor ejus fuisse dicitur, usque ad sua tempora viz. sexaginta septem annis. Unde ex præcepto Regis Wilhelmi electi sunt de singulis totius Angliæ Comitatibus duodecim viri sapientiores; quibus jure jurando injunctum erat coram Rege Wilhelmo, ut quoad possent recto tramite neque ad dexteram neque ad sinistram declinantes legum suarum consuetudinumque sancita patefacerent, nil prætermittentes, nil addentes. Aldredus autem Eboracensis Archiepiscopus, qui Regem Wilhelmum coronaverat, & Hugo Londoniensis Episcopus per præceptum Regis scripserunt propriis manibus omnia, quæ prædicti jurati dixerunt. A legibus namque sanctæ matris Ecclesiæ sumentes exordium, quia per eam Rex & regnum solidum subsistendi habent fundamentum, leges & libertates & pacem ipsius concionati sunt dicentes: *Omnis Clericus, &c.* Sic enim incipiunt Leges Sancti Edwardi. Sancivit namque primùm leges in Britanniâ (p) Dumwallonis Molmucii, cujus leges Molmucinæ dicebantur, usque

(p) l. Dunwallo.

que ad tempora istius Wilhelmi Conquæstoris satis celebres. Inter quæ statuit, ut civitates & templa Deorum, viæ ad illa ducentes, ac aratra colonorum immunitate confugii gauderent. Deinde Mercia Regina Britonum uxor Gwetclini Regis, à quâ Provincia putatur Merciorum denominata, legem edidit discretione & justitiâ plenam, quæ lex Marcia vocabatur. Has duas leges Gildas Historicus transtulit in Latinum, & Rex Alfredus postmodùm de Latino in Saxonicam transmutavit, quæ Merchelege Saxonicè dicebantur. Ille quoque Alfredus legem anglicè conscriptam superadjecit, quæ Westsexenelage Saxonicè vocabatur. Tandem Danis in hâc terrâ dominantibus, tertia lex emanavit, quæ Danelage dicebatur. Ex his tribus legibus Sanctus Edwardus tertius ante Conquæstum unam legem communem edidit; quæ Leges Sancti Edwardi usque hodiè vocantur. De quibus nonnulla vocabula adhuc frequentata, inserere dignum duxi.

Mundebryche, i. e. læsio Majestatis, Gallicè *blesuure de Court ou de loys*.

Trithbryche, i. e. fractio pacis.

Mystremuynge i. variatio loquelæ in Curiâ.

Scheaunwynge, i. e. propositio mercimonii, Gallicè *Displeyure de Marchaundyse*.

Hamsokne vel *Hamfare*, i. e. insultus factus in domo.

Forstallynge, i. e. coactio vel obsistentia facta in stratâ regiâ.

Frythesockne, i. e. tutatio in jurisdictione, Gallicè *seureute en defens*.

Infangthef pelfyn inward, i. e. infra suum cupere reum, Gallicè *dedemez le soen athachement de laron*.

Saka, i. e. jurisdictio, Gallicè *Court justice forfet onacheson*.

Soka, i. e. secta curiæ, & inde dicitur *Sokne*: sed *Sokne* dicitur aliquando interpellatio majoris audientiæ.

Wergelthef Anglicè *Eschape*, Gallicè *Solte de laron*.

Thean, i. e. laudare auctorem, Gallicè *Renoch garant*; & quandoque dicitur sequela nativorum.

Fythwyte, i. e. amerciamentum pro conflictu.

Wardwite hoc est, esse quietum pro Wardis factis, Gallicè *sursise de garde*.

Bloodwyte, i. e. amerciamentum pro effusione sanguinis.

Flythwyte, i. e. emenda proveniens pro contentione.

Leyrwyte, i. e. emenda pro corruptione nativæ.

Gultwyte, i. e. emenda pro transgressione.

Scot, hoc est esse quietum de quadam consuetudine, sicut de omni tallagio ad opus Vicecomitis vel ejus Ballivorum, vel ad opus Ballivorum Domini.

Hydage vel *Talage*, i. tallagium datum Danis, i. tres denarios de qualibet hydâ terræ.

Wapentak & *Hundred* idem sunt; quia procinctus centum villarum solebat reddere arma in adventu Domini.

Lestage, i. e. consuetudo exacta in nundinis & mercatis.

Stallage, i. e. exactio pro statione in plateis tempore nundinarum.

Hæc expositio vocabulorum prædictorum habetur per Ranulphum Cestrensem in suâ *Polychronica*, ubi agit de Alfredo. Alibi verò legi ista vocabula explanata sub formâ quæ sequitur.

Soka, hoc est secta de homagio in Curiâ Domini secundùm consuetudinem regni.

Sak, hoc est placitum & emenda de transgressione homagii in Curiâ Domini, quia *Sak* anglicè *Achesun* gallicè, & dicitur *Forsichesak* idem quod *purquele à chesun* & *Sak* dicitur *pur forfet*.

Tolle, hoc est quòd vos & homines vestri de toto homagio vestro sitis quieti de omnibus mercatis de tolneto, & de rebus emptis & venditis.

Them, hoc est quòd habeatis totam generationem villanorum vestrorum cum eorum sectis & catallis, ubicunque in Angliâ inventi fuerint, excepto

quòd

quòd ſi quis Nativus quietus per unum annum & unum diem in aliqua Villâ privilegiatâ manſerit; ita quod in eorum Communitatem ſive Communam ſcilicet Gyldhallam & tanquam civis receptus fuerit, eo ipſo à villenagio ſit liberatus.

Infangenethef, hoc eſt quòd latrones capti in Dominio vel in Feodo veſtro, & de ſuo latrocinio convicti, in Curiâ veſtrâ judicentur.

Utfangenethef, hoc eſt quòd latrones de terrâ veſtra, vel de Feodo veſtro extra terram veſtram vel Feodum veſtrum capti cum latrocinio ad curiam veſtram revertantur, & ibidem judicentur.

Hamſokene, hoc eſt, quietum eſſe de amerciamento pro ingreſſu hoſpitiorum violenter & ſine licentiâ contra pacem Domini Regis, & quòd teneatis placita de hujuſmodi tranſgreſſione factâ in terrâ veſtrâ in curiâ veſtrâ.

Grythbreche, hoc eſt pax Domini Regis infracta, quia *Gryth* Anglicè, *Pax* Latinè, & *Pees* Romanè.

Bloodwyte, hoc eſt eſſe quietum de amerciamentis pro ſanguine fuſo, & quòd teneatis inde placitum in curiâ veſtrâ, & habeatis amerciamenta inde provenientia; quia *Wyte* Anglicè, *miſericordia* Latinè.

Pleythwyte, hoc eſt eſſe quietum de amerciamentis pro medlettis, & quòd teneatis inde placitum in Curiâ veſtrâ, & habeatis amerciamenta inde provenientia; quia *Plyth* Anglicè, *Medelee* Romanè.

Flythwyte, hoc eſt eſſe quietum de contentione & convitiis, & quòd teneatis placita inde in Curiâ veſtrâ, & habeatis inde amerciamenta; quia *Flyth* Anglicè, *Tenſun* Romanè.

Ferdewyte, hoc eſt eſſe quietum de amerciamentis, cùm quis utlagus fugitivus veniat ad pacem Domini Regis ſponte vel licentiatus.

Flemenfryth, hoc eſt quòd habeatis catalla ſive amerciamenta hominis veſtri fugitivi.

Leyrwyte, hoc eſt, quòd capiatis emendationem ab ipſo qui corrupit nativam veſtram ſine licentiâ veſtrâ.

Chyldwyte, hoc eſt, quòd capiatis gereſum an de nativâ veſtrâ corruptâ & prægnatâ ſine licentiâ veſtrâ.

Forſtalle, hoc eſt eſſe quietum de merciamentis & de catallis areſtatis infra terram veſtram, vel exareſtatis, & teneatis & habeatis placita inde in Curiâ veſtrâ de hujuſmodi catallis areſtatis infra terram veſtram, & amerciamenta inde provenientia.

Scot, hoc eſt eſſe quietum de quadam conſuetudine, ſicut de communi tallagio ad opus Vicecomitis vel ejus Ballivorum.

Geld, hoc eſt eſſe quietum de conſuetudinibus ſervilibus quæ quondam dari conſueverunt, ſicut *Hornguld* & his ſimilibus.

Hydeage, hoc eſt eſſe quietum, ſi Dominus Rex talliaverit totam terram per hydas.

Caruage, hoc eſt eſſe quietum, ſi Dominus Rex talliaverit totam terram per carucas.

Daneguld, hoc eſt eſſe quietum de quadam conſuetudine, quæ currit aliquo loco, quam quondam Dani levaverunt in Angliâ.

Hornguld, hoc eſt eſſe quietum de quâdam conſuetudine exactâ pro talliâ ſc. de quâcunque beſtiâ cornutâ.

Wapentake, hoc eſt eſſe quietum de ſectâ de quadam conſuetudine pro placitis captis vel aſſignatis in nundinis vel mercatis.

Shewynge, hoc eſt eſſe quietum de atachiamentis in quâdam Curiâ & coram quibuſcunque de querelis oſtenſis & non advocatis.

Myskennynge, hoc eſt eſſe quietum de amerciamentis pro querelis coram quibuſcunque ſive tranſumptivè prolatis.

Burgh-

Burghbreche, hoc est quietum esse de transgressionibus in Civitate vel in Burgo contra pacem factis.

Wardwyte, hoc est, quietum esse de consuetudine pro Wardis factis.

Averpany, hoc est esse quietum de denariis dandis pro Averragio Domini Regis.

Hundredpany, hoc est esse quietum de denariis dandis vel aliis consuetis faciendis præpositis Hundredi.

Bordhalpany, hoc est esse quietum de quadam consuetudine exactâ pro tabulis levatis.

Tithyngpany, hoc est esse quietum de tallagio decimæ per consuetudinem.

Burgbote, hoc est esse quietum de auxilio dando ad reficiendum Burgum, Castrum, vel muros prostratos.

Bryggebote, hoc est quietum esse de auxilio dando ad pontes reficiendos. Hæc vocabula ponuntur in Chartis Privilegiorum diversorum locorum.

Anno Domini MLXXXVII. Rex Anglorum Wilhelmus in Normanniâ moram faciens, aliquantulum se continuit ab inimicitiis cum Rege Francorum contractis. Cujus Rex Francorum Philippus abutens patientiâ, opprobiosè fertur dixisse: Rex, inquit, Anglorum jacet Rothomagi, cubile fovens more parturientium fœminarum; sed cùm post partum sese purificaturus ad Ecclesiam exierit, centum millia candelas cum eo veniam oblaturus. Hiis igitur, & hiis similibus Rex conviciatus, adveniente mense Augusto, quùm segetes in agris, botri in vineis, & poma in viridariis copiam sui ostendunt; coacto exercitu copioso Franciam infestus aggrediens omnia conterit, omnia depopulatur; nihil erat quod animum commoti Regis placaret, vel injuriam contumeliosè acceptam multorum dispendio mitigaret. Postremò maritimam civitatem injectis ignibus concremavit; succensâ illic sanctæ Mariæ Ecclesiâ cum duabus reclusis; quæ nec in tali necessitate putarunt suas fore ædiculas deserendas. Quo actu exhilaratus Rex dum suos incitavit, ut ignibus adjiciant pabulum, prope flammas accedens, ignium calore & autumnalis æstûs inæqualitate morbum incurrit. Auxit præterea ægritudinis ejus molestiam; quòd præruptam fossam equus Regis transiliens, interiora dirupit insidentis. Quo nimirum dolore acriter afflictus Rothomagum remeavit. Roberto filio suo, non tamen benivolo corde vel sereno vultu, Normanniam delegavit; indignum eum reputans regali dignitate. Sed nec ipse Robertus ipsum Ducatum gratanter suscepit. Verumptamen ut patrem pacaret moriturum, & solvens maledictionem eidem daret benedictionem; promisit ei Hierosolymitanam peregrinationem pro ejus animâ magnificè consummare: Quod & in postremo implevit. Wilhelmo autem Rufo filio suo Angliam sc. Conquæstum suum assignavit; supplicans ut Anglos, quos crudeliter & veluti ingratus malè tractaverat, mitiùs confoveret. Possessiones verò maternas cum thesauris impreciabilibus Henrico filio suo, quem plùs dilexit, relinquens, obnixiùs deprecabatur; ut de parte ejusdem thesauri sufficienti nobile construeret Cœnobium pro animæ suæ redemptione. Multum se confitebatur peccâsse in Anglorum Nobilitatem, quos falsis decepit pollicitis. Et hoc satis competenter complevit Henricus apud Redyng. Ritè ergo ordinatis rebus universis, octavo Idus Septembris viam universæ carnis est ingressus. Anno Regni sui vicesimo primo, Ducatûs verò quinquagesimo secundo, vitæ suæ septuagesimo, anno gratiæ MLXXXVII. & in Monasterio Cadomi, quod ipse fundaverat, unà cum conjuge suâ Matilde sepultus est, ubi erat videre mundi miseriam, viz. quòd tantus Europæ terror & honor sepulturam sine calumniâ habere non potuit. Nam ibi Miles quidam palam inhibuit sepulturam fieri, dicens illud solum esse suum, violenterque ab eo sublatum, nec debere quempiam in rapinâ sepeliri. Quod Henricus sentiens, qui solus ex filiis suis tunc aderat, centum libras illi militi dedit. Nam Robertus primogenitus

tunc

tunc patriam debellabat. Wilhelmus Rufus Angliam navigaverat, qui tunc apud Wyntoniam eruptis paternis thesauris pro patris memoriâ erogaverat.

Quia verò sunt nonnulli, qui affirmant dictis suis, quamvis nullam habeant auctoritatem, quòd iste Wilhelmus Conquæstor non fundaverat Novam Forestam, sed filius suus Wilhelmus Rufus; quidam dicunt absque ullâ etiam auctoritate, quòd Rex Johannes ipsam Forestam fundaverat; ideo hîc inseram, quod super hâc re scribit Wilhelmus Malmesbiriensis *de Regibus* lib. 3. qui prope tempora ipsius Wilhelmi extiterat. Filios, inquit, habuit Wilhelmus Rex quatuor, &c. *Dein omnia verbatim exscribit, quæ Wilhelmus habet de prole, fratribus, & habitu corporeo Conquæstoris; & in his Capitulum claudit.*

CAPITULUM II.

De Wilhelmo Rufo Rege & filio Wilhelmi Conquæstoris.

Wilhelmus Rufus coronatus est in Regem post mortem patris die Sanctorum Cosmæ & Damiani anno Domini MLXXXVII. juvantibus eum Wlstano Wygorniensi Episcopo & Archiepiscopo Lanfranco, qui eum nutriverat & militem fecerat; & regnavit tredecim annis mense minùs. Quod audiens Robertus primogenitus, qui tunc in Almanniâ exercitum contra fratrem congregaverat, Normanniam redit, cujus mediam partem præter castella Henrico fratri suo inpignoravit; ut exercitum contra fratrem suum Wilhelmum conduceret. Tandem apud Hamptoniam applicuit. Cui Rex Wilhelmus misit nuncios,qui dicerent ei: Frater tuus Wilhelmus non se clamat Regem sed subregulum sub te, & per te regnaturum, qui illo major es, melior & natu prior; non usurpavit si placet, quod ad tempus pro tuâ absentiâ suscepit; ut jam quia coronatus petat, ut sub te regnet, solvendo annuatim tria millia Marcarum; & qui alteri supervixerit, honores utriusque possideat. Robertus velut arundo statim consensit, exercitum dimisit, Neustriam rediit, nil nisi promissa referens. Tota ferè nobilitas Angliæ voluerat erexisse Robertum in regem, excepto Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi cum Wlstano Episcopo Wygorniensi.

Rex Wilhelmus quædam Castella in Normanniâ Roberti adquisivit, custodes pecuniâ corrumpens, & Regem Franciæ, ne suo fratri faveret, impediens; sicque Normannia diu fluctuabat, modò uni, modò alteri favens; donec Robertus Cenomanniam, & Rex Wilhelmus quædam Castra in Normanniâ obtineret. Interea tertius frater Henricus infrendens, quòd nil sibi de terris impertiebatur, montem Michaelis occupavit; utrumque fratrem vicissim incursavit. Ut ergo quadam die Rex Wilhelmus tabernaculum suum egressus, cum paucis irruit in multos hostes ipse improvisus; sed equo suo sub femoribus suis occiso ipse per pedem diu tractus probitate suæ loricæ salvatus est, ne læderetur. Miles autem qui eum dejecerat, manum ad capulum gladii aptavit, ut Regem feriret. Cui Rex: Quiesce nebulo, Rex Angliæ sum ego. Tremuit vocem vulgus militum, alterum equum Regi adducunt. Quo ascenso, inquirit quis eum dejecerit. Ego, ait miles ille qui hoc fecerat, nec putavi Regem dejicere sed militem. Et Rex per vultum delutatus, & tu, inquit, mihi de cætero carior eris. Cùm autem Henricus ab utrisque fratribus ita obsideretur, ut aqua sibi deficeret; misit ad Robertum fratrem suum, virum utique lenioris animi, dicens: Impium fore aquam negare, quæ omni homini mortali & bestiis communis est; magis namque civile foret pugnare virtute militum quàm violentiâ elementorum. Tunc ille aquam concessit. Quod Rex Wilhelmus audiens, derisit factum dicens: Siccine didicisti ô Roberte

berte hostes debellare, potum præbens? Cui Robertus: Numquid aquam præponderas fratri, dimittens eum mori? Si eum amiserimus, quem alium fratrem haberemus? Ad hæc Rex Wilhelmus resolvit prælium, ambos fratres in Angliam secum ducens.

Istius Wilhelmi tempore viz. anno Domini MLXXXIX. Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus obiit nono Kalendas Aprilis. Qui inter cætera, &c. *Sequitur de gestis Lanfranci, de magnanimitate Malcolmi Regis Scotorum, de fundatione Ecclesiæ Tinmuthensis, & de peste Fuldensi ex Matthæi Paris Historiâ ad annos* 1089, 1090, 1091.

Wilhelmus Rex secundus dictus Rufus anno Domini MXCII. anno regni sui quinto, apud Gloverniam jacebat tempore Quadragesimali, gravi oppressus infirmitate. Promisit enim ex tunc timore mortis & ægritudinis leges emendaturum, & in domo Domini pacem positurum. Quâ de causâ dedit Archiepiscopatum Cantuariæ Anselmo Abbati Beccensi viro venerabili; atque Roberto cognomento Bloet Cancellario suo dedit Episcopatum Lyncolniensem. Sed ex quo sanus effectus est, ostendit seipsum deteriorem, [dolens] eo quòd eosdem Episcopatus pretio non vendiderit. Hoc anno translata est principalis sedes Episcopalis ab Ecclesiâ Wellensi in Bathoniam (qui Episcopatus tertius fuit Westsaxonum) in Somersetensi Pago pro copiâ fonticulorum ibidem ebullientium ita dictam. Hæc translatio facta est per laborem sive ad instantiam Johannis, qui fuit sextus decimus Episcopus apud Wellas natione Turonicus, assensum præbente Rege Wilhelmo, muneribusque intervenientibus. Monasterium verò apud Bathoniam, ad quod translata est prædicta sedes Episcopalis, fundavit Offa Rex Merciorum, ipse videlicet Offa, qui fundavit Abbatiam Sancti Albani Anglorum Protomartyris. Et quia fit hîc mentio de Beato Anselmo, libet aliquid sub compendio de eo tractare. Sic enim scribitur *in Gestis Pontificum.* Post Lanfranci defunctionem vacavit sedes Archiepiscopatûs Cantuariensis annis plùs quatuor. Rex enim Wilhelmus Rufus malorum susurronum consiliis plùs justo credulus, omnes sibi reditus annumerabat, &c. *Succedit Anselmi vita ex Malmsburiensi, paucis omissis, descripta ex* lib. 1. de Gestis Pontificum à folio 122. *b.* lin. 41. ad fol. 124. à lin. 15. *Dein pergit Rudburnus Anselmi consecrationem & alia quædam narrare ex Matthæo Paris ad annum* 1094.

Anno Domini millesimo nonagesimo quinto, & anno regni Wilhelmi junioris octavo, translata est sedes Episcopalis à Theodfore ad Northwycum ab Hereberto Losyngâ, qui ex Abbate Ramesiensi à Wilhelmo Rufo emit Præsulatum Thedford. Apud Theodford olim erat sedes Episcoporum Orientalium Anglorum. Pro quo notandum, prout scribit Wilhelmus *in Gestis Pontificum*, lib. 2*do*. Primus Orientalium Anglorum Episcopus fuit Fœlix, &c. *Hoc loco Rudburnus integrum Wilhelmi capitulum de Episcopis Orientalium Anglorum* (lib. 2. de Gestis Pontificum) *in opus suum transcripsit. Exin prosequitur Anselmi exilium, expeditionem in Terram Sanctam motam, & vitam Wlstani Episcopi Wigorniensis; Matthæi Paris (ad annos* 1094, 1095.*) verbis compendio datis.*

Eodem anno, mense Martio, Gwalterus cognomento Savor, vir nobilis & strenuus, cum ingenti multitudine primus omnium Cruce-signorum iter Peregrinationis arripuit. Qui in loco quidam Cnutoch vocato in confinio Turcorum posito cum triginta millibus peditum Cruce-signatorum & equitum quingentis interfectus est; ducatum belli præbente Petro Heremitâ, qui secundò post Gwalterum iter peregrinationis suscepit. Petrus cum reliquiis exercitûs apud Constantinopolim remansit, Principum adventum præstolando. Circa istud tempus Dux Godefridus Lotharingiæ & Robertus Dux Normannorum, qui ultimus omnium Cruce-signatorum iter peregrinationis suscepit, Terram Sanctam petivit. Eodem anno Dux Normannorum Robertus Curthose, frater Wilhelmi Rufi Regis, strenuitate magnanimus, venit in Angliam, fratribus

bus suis antequam peregrinaretur valedicturus, simul & ab eis consilium & auxilium cum favore fraterno postulaturus. Quem Rex Angliæ Wilhelmus & Henricus frater ejus cum omni reverentiâ susceperunt. Dux autem Robertus dulci colloquio affatur utrumque, dicens: Nostis fratres charissimi, quòd pater noster Wilhelmus Rex Anglorum magnificus nobis dixerit moriturus, viz. quòd quum Angliam sibi subjugâsset, multos hujus regni Nobiles multipliciter afflixit veritatem transgrediendo. Gravi igitur ductus pœnitentiâ in extremis mihi coram vobis præcepit, ut nactâ temporis opportunitate onus peregrinationis pro salute animæ suæ & meæ & animarum vestrarum fratrum meorum assumerem. Et ecce nunc tempus idoneum. Ego ergo paternæ exhortationis non immemor, cruce, vos nostis, pro ipso & nobis consignor. Unde sicut nobis commune est negotium, commune sit & suffragium. Unde attentiùs supplico; quatenus mihi de thesaurorum vestrorum copiis peregrinatori velitis impertiri. Cui Rex Wilhelmus tam fratris quàm patris oblitus beneficiorum, torvò vultu respondit: Thesauris multis multum indigeo. Amicus enim tuus Rex Francorum, mihi ut noceat, insidiatur. Nolo pro te thesauro destitui, vel in aliquo decrescere vel depauperari. Cui Dux iratus: O fratrum medie, sed degener, tu me primogenito supplantato regnum Angliæ opulentissimum nequiter invasisti, quo & nequiter abuteris. Et si mihi succurrere dedignarere, animæ patris nostri, qui te in Regem creavit, tenereris patrocinari. Et cùm ad jurgia erigerentur, compescuit eos Henricus frater eorum junior intumentes; ad quem versâ facie Dux ait: Et tu frater de subsidio postulato quid dicis? Memorare quæso quantum thesaurum tibi delegavit pater noster. Cui Henricus: Nosti frater, quòd mihi injunxit pater noster pro redemptione animæ suæ exinde unum nobile fundare Cœnobium, ad quod necesse habeo auri & argenti copiis habundare. Verumptamen ut asseris, commune nobis est negotium istud; unde non possum tibi penitus deesse. Commota namque fuerant viscera ejus affectu fraterno. Commodabo tibi, inquit, mille libras argenti. Et Rex Wilhelmus erubescens, ex quo vidit misericordiam Henrici, mitigato animo ipsi Duci Ducem millia librarum argenti commodavit, interposito Ducatu Normanniæ pro pignore. Cui Dux gratias agendo adquiescens supplicat; ut tutor Normanniæ incolas non depauperaret, lucos non explanaret, terminos non abbreviaret. Quod benignè concessit uterque fratrum. Et sic valedicto ipsis, recessit Dux magnificus Normannorum Robertus. Circa istud tempus fabricata est & perfecta Ecclesia Northwycensis; & pro Clericis Monachi fœliciter subrogantur. Anno Domini millesimo nonagesimo septimo, anno verò regni Regis Wilhelmi decimo, obsessa est civitas Nicæa, &c. Qui verò nomina aliarum civitatum scire desiderat, inspiciat Chronicam Matthæi Parisiacensis Monachi Sancti Albani Protomartyris Angliæ, ubi agit de actibus Wilhelmi Rufi Regis Anglorum. *Ex eo historiam rerum à Cruce-signatis anno* 1097, *&* 1098. *gestarum compendio redditam Rudburnus exhibet.*

Eodem anno (viz. MXCVIII.) obiit Walkelinus Wyntoniensis Episcopus, postquam strenuè rexerat Wyntoniensem Ecclesiam viginti septem annis; de quo in præcedenti Capitulo mentionem fecimus: & in propriâ Ecclesiâ sepultus est. Et ex tunc vacavit sedes Wyntoniensis plusquam duobus annis, immo fere tribus annis. Nam Wilhelmus Rex post mortem Walkelini tenuit Episcopatum Wyntoniensem in manu propriâ usque ad mortem ipsius, viz. ab anno Domini MXCVIII. usque ad annum Domini MC. Quo anno moritur Wilhelmus Rex, & Henricus frater ejus coronatur. Qui quidem Henricus Rex primo regni sui anno, viz. anno Domini MC. dedit Episcopatum Wyntoniensem Wilhelmo Gyffard. Sed quoniam ad voluntatem Regis quosdam Episcopos, qui institutiones à Rege susceperant, Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus noluit consecrare, vel cum eisdem communi-

WILHELMUS GIFFARD.

 care,

care; Rex versus in animum pravum contra eum irâ incanduit vehementi. Præcepitque Rex Henricus Girardo Eboracensi Archiepiscopo, ut eos consecraret. Sed Wilhelmus Gyffard timens Sancti Anselmi rigorem, sprevit consecrationem Eboracensis Archiepiscopi. Quare Regis injusto judicio à regno Wilhelmus Gyffard est eliminatus tertio anno post dationem prædictam, anno viz. Dominicæ Incarnationis MCII. Et sic stetit Wilhelmus Gyffard non consecratus minister Ecclesiæ Wyntoniensis per septem annos, viz. usque ad annum ab incarnatione verbi MCVII. Quo anno consecratus est Wilhelmus Gyffard ab Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo apud Cantuariam die Dominicâ III. Idus Augusti. Et sic secundùm Auctorem *de Concordantiis* totum illud tempus à morte Walkelini usque ad obitum Regis Wilhelmi junioris, quo etiam obitûs anno coronatus erat Henricus primus frater ejusdem Wilhelmi Rufi, quando Rex Henricus dedit Episcopatum Wyntoniæ prædicto Wilhelmo Gyffard, assignatur pro tempore vacationis solummodo. Unde & quidam Chronicantes illos septem annos ante consecrationem Wilhelmi connumerantes inter annos Pontificatûs ipsius, dicunt ipsum pontificâsse annis viginti octo; sed in rei veritate non pontificabat consecratus nisi viginti uno in totum aut viginti duobus annis. Anno enim Gratiæ MCVII. consecratus est in Episcopum Wyntoniæ ab Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo; & anno Gratiæ MCXXIX. Henricus Blesensis post ipsius Wilhelmi obitum successit in Episcopatum.

Anno gratiæ MXCIX. & anno regni Wilhelmi Rufi duodecimo XIII. Kalendas Julii Christiani cœperunt urbem Acon. Postea verò Jerusalem pergunt Christiani; obsessâque civitate capta est à Godefrido & Roberto Normannorum Ducibus & aliis Nobilibus quàm plurimis. Ingressusque est universus exercitus sextâ feriâ horâ nonâ mense Julio, decimâ die mensis, anno Domini MXCIX. ex quo fideles Christiani peregrini votum & viam tantæ peregrinationis assumpserunt anno nono. Civitas sancta Jerusalem in sublimibus montibus sita est; ut habetur in Chronicâ Matthæi Parisiacensis. *Vide locum apud Matthæum Paris, quem Rudburnus transcripsit à* pag. 51. lin. 50. *ad* pag. 52. lin. 12.

Sed ad majorem horum declarationem & etiam sitûs totius terræ sanctæ, dignè duximus hîc inserendum, quæ venerabilis pater Dominus Jacobus de Vitriaco Jerosolymitanus Patriarcha & Apostolicæ sedis Legatus in libro suo, quem *de conquæstu Terræ Sanctæ* composuit, & etiam quæ frater Brocardus Ordinis Fratrum Prædicatorum in libro suo *de Terrâ Sanctâ* scribit: in cujus Prologo sic idem Brocardus notabiliter procedit. 'Cum in veteribus Historiis 'legamus, sicut dicit Beatus Jeronymus, quosdam lustrâsse provincias, maria 'transisse, ut ea, quæ ex libris noverant composita viderent; quid mirum si 'Christiani terram illam, quam Christi sonant Ecclesiæ universæ, videre & 'visitare desiderent? Verùm ego frater Brocardus Ordinis Prædicatorum vi'dens quosdam affici desiderio ea saltem aliqualiter imaginari, quæ non 'possunt præsentialiter intueri, & cupiens eorum desiderio satisfacere, quan'tum possum, terram ipsam, quam pedibus meis pluries pertransivi, & quan'tum potui, consideravi, & notavi diligenter, & studiosè descripsi; scire vo'lens, quòd nihil in hâc descriptione posui, nisi quod vel præsentialiter in lo'cis ipsis existens vidi vel stans in montibus aliquibus vel locis aliis, ubi ac'cessum habere non potui à Syrianis vel Saracenis aut aliis terræ habitatori'bus, diligentissimè, quod quærebam, interrogans annotavi. Totam terram 'ipsam à Dan usque Bersabee & à mari Mortuo usque ad mare magnum, qui 'sunt ejus termini, aut pedibus, ut dictum est, perambulavi; vel oculis, ubi 'accessum habere non potui, diligenter consideravi. Advertens autem quo'modo possem hoc describere, ita ut posset à legentibus imaginatione com'prehendi, cogitavi centrum aliquod ponere in eâ terrâ, & circa illud totam

'terram

'terram modo debito ordinare. Et ad hoc elegi civitatem Aconensem tan-
'quam plus aliis notam, quæ tamen non est in medio sed in Occidentali ejus
'fine supra mare sita; & ab ipsâ pertraxi quatuor lineas, quatuor mundi par-
'tibus correspondentes; & quamlibet quartam divisi in tertiam, & in singu-
'lis divisionibus posui civitates & loca in scriptis magis nota; ut singulorum
'locorum situs posset de facili reperiri, ad quam partem mundi esset collocata.
Hæc Brocardus in Prologo.

Incipit Divisio Terræ sanctæ per loca & Provincias secundùm Jacobum de Vitriaco & Brocardum.

SCiendum autem est in principio, quòd terra ista, quam Sanctam dicimus, &c. *Hoc loco Rudburnus integrum ferè Brocardi librum (qui typis olim excusus prostat) nonnullis resecatis & stilo nonnihil immutato, exscripsit usque ad finem capitis* 2di. lib. 2di. *Rudburnus quidem Jacobum Vitriacum etiam sequi præ se fert. Quantum autem augurari possum, ipse Vitriaci librum nunquam vidit; ea solummodò Vitriaci habens quæ Brocardus in opus suum transcripsit, & plurima sanè ex eo se transcripsisse ipse sub fine* cap. 1. lib. 1. *agnoscit. Prologus Brocardi qui superiùs invenitur, evulgato multò brevior est & valde diversus. Illum itaque solum exprimendum duxi. Cæterùm Rudburnus ad* lib. 2. cap. 2. §. 5. *Brocardi (ubi de Sirorum & Græcorum fide disseritur) sequentem de Concilio Florentino suâ ætate celebrato narrationem intexuit.*

Græci similiter Christiani sunt, sed Schismatici, nisi quòd in magnâ parte Concilio generali sub Domino Gregorio Papâ decimo ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ redierunt. Hæc sunt verba Brocardi de reditu Græcorum ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ. Sed pro hoc ulteriùs notandum, quòd anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo tricesimo septimo Dominus Papa Eugenius quartus Concilium Basiliæ per Prælatos & Doctores celebratum transtulit cum consensu Cleri sui per sententiam suam ad civitatem Ferrariæ; cui translationi patres Basileæ congregati consentire noluerunt, affirmantes Papam Romanum Concilium generale non posse dissolvere, nec ad alium locum transferre legitimè absque consensu ejusdem Concilii sic dissoluti vel translati; eo quòd sic ordinavit & statuit Concilium sacrum Constantiense in capite quod incipit, *Frequens*, Concilium generale esse super Papam in authoritate. Unde Papæ & prædictæ translationi per sententiam Papæ a Basileâ Ferrariæ Basilienses contradixerunt; & Dominum Papam Eugenium quartum citaverunt, ut compareret Basilieæ, recepturus & subiturus quod Basilienses judicarent. Et etiam sic mandaverunt, ut sententiam suam de translatione Concilii à Basileâ Ferrariæ revocaret; aliter enim affirmabant se ipsum Papam excommunicare & à Papatu per sententiam suam deposituros. Quod & postea indiscretè fecerunt. Sed isti citationi Papa Eugenius, qui ante Papatum vocabatur Gabriel, non obedivit, nec Basileæ comparuit, nec sententiam suam de translatione Concilii à Basileâ ad civitatem Ferrariæ revocavit. Sed anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo tricesimo octavo Ferrariæ Concilium generale celebravit, consentiente Clero Græcorum & Latinorum in magno numero, in præsentiâ Johannis Imperatoris Romeorum, i. e. Græcorum sedentis in cathedrâ bassâ à terris non multum elevatâ à sinistris Papæ, & in præsentiâ Domini Joseph de ordine Sancti Basilii Monachi Episcopi. Et iste Joseph fuit Patriarcha Constantinopolitanus, qui sedebat etiam à sinistris Papæ post Imperatorem Græcorum. Et in dexterâ parte Papæ ex opposito Imperatoris Græcorum fuit sedes parata Imperatori Romanorum, qui ibi non interfuit. Et in præsentiâ istorum & Prælatorum ac Magistrorum copiosæ multitudinis fuit decretum, Concilium generale

 rale

rale ibidem Ferrariæ legitimè congregari & ibidem celebrari. Decreto publicato in ambone, i. e. pulpito per Episcopum, & sic viginti limitati ex parte Græcorum & viginti limitati ex parte Latinorum electi fuerunt ad arguendum & respondendum in materiis & articulis Græcorum, in quibus contra Latinos Ecclesia Græcorum à veritate diu recesserat. Quorum unus articulus fuit, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio; quod negabant Græci dicentes, Spiritum Sanctum à Patre non à Filio procedere. Iste alius articulus fuit: Animas & spiritus dampnatorum puniri ante finale judicium, & animas [impiorum] immediatè post separationem à corpore puniri, & animas sanctorum sine morâ post exitum à corporibus beatificè & clarè Deo frui; quod negabant Græci dicentes, hæc pœnalia, & beatitudinem in finale judicium reservari. Item alius Articulus fuit; Animas plurimorum in Purgatorio fuisse, Græcis negantibus Purgatorium esse. Item quòd licitum fuit addere Symbolo illi, quod in Missis canitur, illud de Spiritu Sancto, *Qui à patre filioque procedit*; licèt in uno Concilio priori dedaratum fuit, Spiritum Sanctum à Patre procedere per Filium; Græcis asserentibus, quòd non licebat addere, nec mutare Symbolum illud. Item alius articulus fuit, quòd Papa Romanus fuit in regendâ Ecclesiâ Domini verus successor Sancti Petri Apostoli, & caput præeminens in auctoritate ante quemcunque Patriarcham & quemcunque alium Prælatum, & quòd Constantinopolitanus Patriarcha secundus post ipsum Papam est in dignitate. Et in istis Articulis Græci videntes se evidentiis Scripturarum & Sanctorum Doctorum testimoniis & rationibus Latinorum non posse satisfacere, nec allegata per Latinos posse evacuare, subscripserunt & fatebantur Ecclesiam Latinorum veram fidem in prædictis tenuisse, & Græcam Ecclesiam deviasse a veritate. Et Dominus Joseph Patriarcha per octo dies ante mortem suam subscripsit, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: & mortuus est, & sepultus infra octo dies, postquam illi articulo subscripserat; quià aliis articulis non subscripsit, quia dum ibi viveret, pertractati & decisi ibidem non fuerant; & sepultus fuit anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo tricesimo nono tertio Idus Junii in civitate Florentiæ inter Fratres Prædicatores; ad quam Civitatem Dominus Papa transtulit illud Concilium à Ferrariâ Civitate propter pestem Ferrariæ dominantem. Eodem anno in crastino Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ Basilienses per suam sententiam in scriptis Dominum Eugenium vocatum & Basileæ non comparentem excommunicaverunt, & nequiter à Pontificatu per suam sententiam deposuerunt. In quâ sententiâ & depositione vocali & non reali fuit unus Cardinalis, sc. Arelatensis titulo Sanctæ Ceciliæ, & undecim Episcopi, quorum septem fuerunt Episcopi titulati, habentes nomen non populum subjectum, & fuerunt ibidem septem vel octo Abbates. In quâ depositione nulli Embassiatores alius regni nec Civitatis nec Universitatum nec Ducum interfuerunt, nec consenserunt illi depositioni. Et in eodem anno Domini post istam sententiam Basiliensium sic indiscretè prolatam, Græci prædicti in Concilio Florentiæ celebrato subscripserunt in publicâ sessione Domini Papæ & Imperatoris Romeorum, i. e. Græcorum, & in præsentiâ Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, sc. Græcorum & Latinorum, fatentes & confitentes fidem Latinæ Ecclesiæ in omnibus articulis prædictis. Quæ subscriptio fuit ab eis facta & scripta anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo tricesimo nono in octavis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, sc. in vigiliâ Translationis beati Thomæ Martyris & Archiepiscopi Cantuariensis. Et fuit illa subscriptio Græcorum & Latinorum facta Florentiæ in publicâ sessione Domini Papæ & Ecclesiæ Græcorum & Latinorum; & subscripserunt omnes Prælati eorum ibidem existentes, exceptis tribus; & fuerunt in numero triginta sex de Prælatis & Episcopis Græcorum, qui subscripserunt. Et in Concilio prædicto Ferrariæ & Florentiæ fuerunt tantùm

quatuor

quatuor Doctores de Angliâ, qui fuerunt Doctores sacræ Theologiæ & Ordinis fratrum Carmelitarum, sc. Magister Johannes Kylynghal Provincialis, Magister Johannes Thorp, Magister Wilhelmus Thorp frater ejus, & Magister Walterus Hunt, qui fuit unus de viginti Doctoribus supra nominatis, qui fuerunt deputati ad disputandum & respondendum in materiis Græcorum in illo Concilio Ycumenico. Ycumenicus autem est, i. Orbicularis sive Universalis secundùm Græcos, quando de toto orbe Christianitatis veniunt ad Concilium. Quando enim una pars sive patria à Concilio excipitur; tunc Concilium illud non est Orbiculare sive Universale; sicut si Francia, Italia, Hispania, & aliæ patriæ venirent ad Concilium seclusâ Ecclesiâ Græcorum sive Græciâ; tunc Concilium illud non est Ycumenicum, i. Orbiculare, sive Universale; quià non veniunt de toto orbe sive rotunditate totius Christianitatis. Et ideò quia de toto Ecclesiâ, sc. Græcorum & Latinorum Florentiæ convenerunt; ideo Græci vocant illud Concilium Ycumenicum, i. Orbiculare sive Universale. Et octo fuerunt Concilia Ycumenica ante istud Concilium Florentiæ secundùm Græcos. Unde nunquam fuit post primam separationem Græcorum ab Ecclesiâ Latinorum tanta & talis unio. In illâ enim Unione quæ fuit sub Gregorio nono in Concilio Lugdunensi, Patriarcha fuit in Concilio, qui non habuit, ut dicunt Græci, potestatem decidendi vel subscribendi nomine Ecclesiæ Græcorum; sed Ecclesia Græcorum dedit ei potestatem, ut idem Patriarcha cum Latinis in illo Concilio Lugdunensi conferret & allegata & responsa Latinorum reportaret, & secum in Græciam conferret, sed nihil cum Latinis contra Ecclesiam Græcorum vel ejus assertiones idem Patriarcha concluderet. Et tamen idem Patriarcha non consentiente Ecclesiâ Græcorum, nec Imperatore eorum cum Dominis temporalibus, conclusit cum Latinis in illo Concilio Lugdunensi; & viginti sex conclusiones abjuravit nomine suo & Ecclesiæ Græcorum; quæ isti abjurationi non consensit tunc. Sed in isto Ycumenico Concilio, i. e. totius orbis Christianitatis Concilio Florentiæ celebrato anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo tricesimo nono fuit Dominus Imperator Romeorum, i. e. Græcorum Johannes Palæologus cum Dominis suis temporalibus, cum Patriarchâ ipsorum Constantinopolitano & quadraginta Prælatis, i. e. Episcopis; & omnes Prælati Græcorum subscripserunt fidem Latinorum, i. e. Ecclesiæ Occidentalis in die Sabbati ante Festum Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli coram Imperatore & se ipsis Græcis. Tres tamen Græci non subscripserunt de Prælatis, quorum unus fuit Episcopus Ephesinus habens titulum Episcopalem Civitatis Ephesinæ, ubi fuit Sanctus Johannes Evangelista; non tamen illam Civitatem rexit, sed tantum illius titulum habuit; & alius Prælatus Græcus fuit mortuus Ferrariæ, & Patriarcha Joseph fuit mortuus ante istam subscriptionem, & sepultus Florentiæ tertio Idus Junii, tamen per octo dies ante mortem suam subscripsit, & affirmavit articulum de Spiritu sancto, s. Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio. Alii enim articuli, in quibus posteà subscripserunt, non fuerunt in morte Patriarchæ disputati & conclusi. Et Imperator Græcorum in Sabbato prædicto ante Natalitia Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli suis Prælatis dixit: Volo exonerare conscientiam meam, & onero. Vos sicut respondebitis coram summo Deo, deducto omni honore meo & timore & omni occasione in contrariam remotâ, dicatis an scitis vel possitis evacuare allegata, argumentationes Latinorum & eorum responsiones vestris argumentis; & habentes Deum solum præ oculis onero vos dicere, quæ intelligitis, & an poteritis ista evacuare an non. Et responderunt decem Prælati; quòd non sciverunt nec potuerunt evacuare allegata Latinorum. Dignum ergo est, dixit Imperator, ut subscribatis. Et sic in octavâ die Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli subscripserunt omnes Prælati Græci, exceptis tribus, publicè in Ecclesiâ majori Florentiæ, & fidem Latinorum in prædictis articu-

lis

lis decreverunt, Domino Papâ eodem die, ſc. die Lunæ Miſſam de Spiritu Sancto celebrante. Et iſte Dominus Papa fuit Venetus, i. e. de Venetiâ ortus, & ſæcularis Sacerdos, & non privatæ Religionis, neque profeſſionis ſingularis, quando fuit electus in Cardinalem per Gregorium duodecimum. Et exhibuit in Concilio illo expenſis ſuis propriis omnes Græcos in Concilio numero ſexcentos. Et fuerunt decem & novem Doctores ſacræ Theologiæ & unus in Jure Canonico, qui diſputarent cum quadraginta Græcis in articulis præfatis. Doctores autem Angliæ ibi non fuerunt, exceptis quatuor prædictis Carmelitis; quia nec ſalvum conductum nec tutam viam habere potuerunt, reſiſtentibus pluribus & ſpecialiter Duce Burgundiæ tunc præcipuo inimico regni Angliæ. Et licèt Papa pro ſalvo conducto pro Anglis illi Duci ſcriberet; tamen obtinere tunc non potuit. De Græcis etiam addit Brocardus in libro ſuo *de Terrâ Sanctâ*, quòd ſine dubio dicuntur multis erroribus implicati; ſed hoc de eis communiter dici poteſt, quòd apud eos Prælati ſunt Monachi & multæ abſtinentiæ, & converſationis mundæ, & devoti ſunt valdè. Communiter Prælatos multùm honorant, &c. *Exin Brocardi verba Author proſequitur uſque ad finem* cap. 2*di.* lib. 2*di. ut ſuprà annotatum eſt. Demum ad Cruce-ſignatos reverſus, regnum Hieroſolymitanum à Roberto repudiatum, Godefrido datum hiſce verbis narrat.*

Et hæc de hiis dicta ſufficiant. Captâ ergo, ut diximus, ſanctâ Civitate Jeruſalem ab inclytis Principibus Godefrido & Roberto Normannorum Duce, cum Principes in ipsâ ſanctâ Civitate in quiete & lætitiâ ſpirituali quieviſſent, viz. in Sabbato Ramis palmarum, convenerunt octavâ die tractaturi per gratiam Spiritûs Sancti, ut aliquem de ſuo eligerent collegio, qui præſit Civitati Regiæ ac regioni regiam ritè obtinens dignitatem. Et cùm diligenter fuſis orationibus, & accenſis ſuper altaria cereis, commiſſiſque eorum ſingulis candelis extinctis, ut per accenſionem indicium panderetur divinæ voluntatis. Denique cùm in Sabbato Paſchali, quæ octava dies eſt hujus conventionis, Robertus Dux Normannorum apud Jeroſolimam inter cæteros aſtaret, expectans ignem de ſupernis in cereum alicujus deſcendere; cereus ipſius Roberti Ducis Normannorum ter divinitùs accenſus eſt; ter, quod ſine lachrymis recitare nequeo, clam extinxit, electioni de ſe divinitus factæ nullatenus conſentiens. Ab omnibus enim in Regem Jeroſolymorum electus eſt; *ſed auditâ morte fratris ſui Wilhelmi Regis Angliæ, regnum Jeroſolymitanum non reverentiæ contuitu recuſavit, ſed aut laborum metu, aut regni Anglicani cupidine; quâ de causâ nunquam poſtmodùm in bello fortunatus fuit. Tandem omnes relicto Duce Roberto, unanimiter, conſtanter, imo obſtinatè contradicente, Ducem Godfridum conſonantes gaudenter elegerunt; & electum ſepulchro Domini cum laudibus & ympnis ſolempniter erubeſcente Duce Roberto præſentaverunt. Et hoc meritò, ut primus ad capturam qui intravit, primus & digniſſimus in dominatu acclamaretur. Erat nempe iſte Robertus. *Dein Rudburnus Roberti Ducis mores ex Malmsburienſi* fol. 86. *depingit*; *& Wilhelmi Regis necem ex Matthæo Paris refert.*

Tandem Wyntoniæ deportatur, & in Eccleſiâ Cathedrali ſepelitur in medio Chori. Hæc Mattheus Pariſiacenſis de morte Regis Wilhelmi Rufi. Quid verò Wilhelmus Malmesbirienſis de iſtius Regis morte ſcribit, dignum duximus in ſequentibus interſerendum. Multa, inquit, de ipſius interitu & prævisâ & prædicta homines ferunt, &c. *Vide locum quem Rudburnus exſcripſit à* fol. 70. *b.* lin. 54. *ad* fol. 71. *à* lin. 44.

Pauci ruſticanorum cadaver in rhedâ caballariâ compoſitum Wyntoniam in Epiſcopatum devexêre, cruore undatim per totam viam ſtillante. Ibi infra ambitum turris multorum Procerum conventu, paucorum planctu terræ traditum. Neque defuêre opiniones quorundam dicentium, ruinam turris, quæ poſterioribus annis accidit, peccatis illius contigiſſe; quòd injuria fuerit,

rit illum sancto tumulari loco, qui totâ vitâ petulans & lubricus, moriens etiam Christiano caruerit viatico. Sed videtur, quòd hîc contrarietus possit oriri; ut enim habetur in scriptis Wyntoniensis Ecclesiæ, Walkelinus Episcopus Wyntoniæ turrim illam fabricavit, qui anno undecimo Wilhelmi Regis Rufi obiit, & non invenitur post illam fabricationem quæ facta est per Walkelinum, turrim illam cecidisse; quia fortissima turris facta est, & adhuc extat secundùm latomos firmissima inter omnes hujusmodi turres in Regno Angliæ. Ad istud respondendum est; quòd veritas taliter opinantium, quòd pro peccatis Wilhelmi Regis Rufi eo ibidem sepulto turris ipsa cecidit, habetur isto modo. Walkelynus ejusdem sedis Episcopus in vitâ suâ turrim ipsam non fecit fieri; sed post ipsius mortem antiquâ turri ipsius Ecclesiæ, sepulto in eâ Wilhelmo Rege Rufo, cadente, de maximâ quantitate sive summa pecuniæ, quam Walkelynus Præsul suæ Ecclesiæ legavit in suo decessu ad ejusdem Ecclesiæ necessaria providenda, sufficiens portio sumpta est pro sumptibus ad novam Turrim fabricandam. Et quia de bonis ipsius Walkelyni fabricata est, quamvis post mortem ejus; tamen nomen fundatoris ipsius Turris, sicut dignum est, sibi retinet; quæ Turris usque hodie firmissimè stat. Istud est dictum Auctoris *de Concordantiis Historiarum Angliæ* sub literâ *V*. Ipse enim Auctor multa scribit de Ecclesiâ Wyntoniensi, in quâ quondam nutritus erat. Jam ad dicta Wilhelmi Malmesbiriensis de Rege Wilhelmo Rufo redeamus. Si quis verò desiderat scire corporis ejus qualitatem, &c. *Quære locum Malmsburiensis à Rudburno descriptum à* fol. 70. *à* lin. 52. *ad* fol. 70. *b*. lin. 53. *dein à* fol. 69. *à* lin. 12. *ad* fol. 70. *à* lin. 48. *istâ duntaxat clausulâ aliunde interjectâ.* Iste Rex Wilhelmus non permisit orationes fieri pro eo aut pro Ecclesiâ: Orate, inquit, quod vultis; ego faciam quod placet mihi.

Hæc Wilhelmus Malmesbiriensis *de Regibus* libro quarto. Matthæus Parisiacensis in *Chronicâ* suâ de isto Rege Wilhelmo Rufo ita scribit. Rex Anglorum Wilhelmus cognomento, capite & mente Rufus & vulpinus fuit. Monasterium Sanctæ Mariæ Eboraci de rapinis & extorsionibus, quibus regnum Angliæ & Normanniæ multipliciter afflixit, fundavit. Et reædificavit Civitatem Karleoli per annos trecentos desolatione Danicâ desolatam; & ex Australibus Angliæ finibus, viz. ex terrâ Gewyseorum illuc habitatores transmisit. Urbem verò quondam insignem Alclud vocatam, sub tempore Britonum & Pictorum ad solum destructam circa annum Gratiæ octingentesimum septuagesimum vastantibus Danis partes Northanhumbrinas, hanc urbem sic destructam reliquit. In quo loco Britanniæ illa fuerat constructa, varia sunt scripta Auctorum. Beda dicit *de Gestis Anglorum* libro primo capitulo duodecimo, illam fuisse constructam ad Occidentalem sinum illius marini brachii, quod olim separabat Pictos à Britannis, ubi Vallum Severi sive murus extenditur. Iste famosus ad Occidentem terminatur; & sic videtur secundùm ipsum, quòd non multum distet à Lugubalia, i. e. Kaerlyl, quia & ipsa ad finem illius muri ponitur. Volunt aliqui, quòd Alclud sit illa, quæ modò vocatur Aldeburg, quod sonat Villam veterem, quæ ponitur apud flumen Ouse non longè à Burbrigge, quæ distat ab Eboraco quindecim milliaribus ad Occidentem. Alii volunt, ut Alclud sit urbs ista, quæ nunc vocatur Burghame in Borealibus finibus Westmerlond juxta Cumberlond super flumen Edenæ sita; cujus adhuc miranda apparent vestigia. Ebrancus Rex illam condidit. Iste Wilhelmus Rufus perversorum semper usus est, consilio. Quicquid mali poterat, id semper agebat; suis nequam, alienis nequior, sibi nequissimus. Subjectos omnes continuis tallagiis vexabat, vicinos guerris, & exactionibus assiduis provocabat; nec respirare poterat Anglia sub ipso miserabiliter suffocata. Ipse namque, & qui ei famulabantur omnia rapiebant, omnia conterebant & subvertebant, adulteria violenter & impunè committebant. Quicquid fraudis & nequitiæ antea non erat, hiis temporibus pul-

pullulavit. Ipsâ die, quâ obiit in proprio tenebat Archiepiscopatum Cantuariensem, Episcopatum Wyntoniensem, & Saresbiriensem cum duodecim Abbatiis, quos aut vendebat, aut ad firmam dabat, aut in manu suâ tenebat. Nec luxuriæ scelus exercebat occultè, sed ex impudentiâ coram sole. Clerum omnem exosum habuit. Et quamvis operibus fuisset levis, in verbis tamen stabilis fuerat; adeò ut si cui bonum, aut malum promitteret, inde securus esse posset. Et cùm esset pecuniæ avidissimus, quoddam tamen semel gessit memoriâ dignum. Defuncto namque quodam Abbate semel in Angliâ, duo Monachi collectâ magnâ pecuniæ summâ Regem adeunt, ut Abbatis officium alter alterum supplantando obtineret. Cum quibus quidam eâ intentione tertius perrexit; ut Abbatem constitutum humiliter domi reduceret. Cùmque coram Rege duo starent, & unus altero plura promitteret, Rex à tertio Monacho tunc tacente, quid dare vellet, inquisivit. At ille nihil se promittere, aut dare velle, respondit. Accede ergo tu, Rex inquit, solus dignus es tam sacrum onus subire. Iste etiam Wilhelmus Rex fecit magnam Aulam Westmonasterii ad placita regni tenenda. In diebus hujus Regis, ut scribit Mattheus Parisiacensis, sub anno viz. Domini MXCI. qui est quartus regni hujus Regis, in Fuldensi Cœnobio lues exitialis adeò grassata est, &c. *Vide Matthæi locum, quem Rudburnus etiam suprà descripserat. Huic narratiunculæ succedit Historia fundationis ordinis Cisterciensis ex Malmsburiensi desumpta à* fol. 71. *b.* lin. 10. *ad* fol. 72. *b.* lin. 8.

Hæc Wilhelmus Malmesbiriensis. De primo Abbate Cisterciensium, qui de Monasterio Molesmo in Burgundiâ venerat, in quo sunt Nigri Monachi Ordinis Sancti Benedicti, & in Cistellenses, i. e. Cistercienses aliquanto tempore dominabatur; & fecit secundùm quod docuit, & alios facere compellebat, & pòst relictâ hâc Religione ad Molesmense Cœnobium rediit, qui quidem Abbas Robertus vocabatur; scribuntur hii versus;

Abba Molismensis niger es bis Sancte Roberte.
Ordo Cistercensis cæpit fundamina per te.

Cui successit Albericus, cui Stephanus qui & Hardingus; sub quo Sanctus Bernardus, cùm viginti duorum annorum esset ætatis, habitum Religionis assumpsit; ut scribit Martinus in *Chronicâ suâ de Pontificibus & Imperatoribus*. Quod autem quidam Chronicantes scribunt, quòd anno octavo Regis Henrici Beuclerk viz. anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octavo Ordo Cisterciensis incepit, hoc intelligitur secundùm Mattheum Parisiacensem in *Chronicâ* suâ, ubi agit de tempore Regis Henrici primi, de quibusdam Monachis Monasterii sanctæ Mariæ Eboraci, viz. de Priore cum duodecim Monachis, qui Religionem istam incæperunt primitùs in Angliâ, sed non diu permanserunt in ipsâ Religione, ut dicunt Monachi Monasterii Sanctæ Mariæ Eboraci; quia eò quòd sine licentiâ extra Monasterium abierunt, ad pristinam Religionem revocati sunt observandum. Sic ergo Wilhelmus Rufus Rex Anglorum obiit anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo, regni sui anno tertio decimo, Nonas Augusti quarto, ætatis suæ quadragesimo quarto.

CAPI-

CAPITULUM III.

De Rege Henrico primo post Conquestum, dicto Beuclerk.

ANno Domini millesimo centesimo, eodem viz. anno quo frater suus Wilhelmus Rex junior obierat, Henricus apud Westmonasterium à Mauricio Londoniensi Episcopo Nonas Augusti, quarto viz. post obitum fratris die, in Regem coronatus est, coronam illi imponente Thomâ Eboracensi Archiepiscopo. Nam Beatus Anselmus tunc exulabat. Coronatus est cùm esset triginta unius annorum, maximè annuente Henrico Warwycensi Comite. Iste solus paterno funeri omnium fratrum suorum affuit; propter ea benedictione paternâ, maternâque hereditate thesaurisque multum ditabatur. Hic tertio paterni regni anno in thoro regio genitus, postmodùm in liberalibus artibus in Universitate Cantebriggiæ suum primum protrivit tyrocinium, factusque est inibi Magister in Artibus. Istum aliquando à fratre suo Wilhelmo læsum pater perspiciens, hausto spiritu Prophetiæ, consolatus est dicens: Ne fleveris fili; & tu Rex eris. Hic Henricus ultimo paterni regni anno, ætatis verò suæ nonodecimo, à patre suo factus est Miles. Hoc anno Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus rediit ab exilio. Misit namque Rex Henricus ad eum nuncios, ut de exilio rediret ad pastoralem sui regiminis curam. Anselmus sic rediens ab exilio, desponsavit Matildem filiam Malcolmi Regis Scotiæ Henrico Regi Angliæ, ex quâ genuit Wilhelmum & filiam unam, nomine & honestate matrem repræsentantem. Pro genealogiâ hujus Matildis est notandum, quòd Rex Anglorum Edmundus Ferreum latus Anlicè *Irensyde* filius Etheldredi Regis Angliæ, non ex Emmâ uxore legitimâ sed ex concubinâ genitus, habuit duos filios Edwynum, sc. & Edwardum. Hii duo pueri Edmundo patre interempto jussu Knuti Regis missi sunt ad Regem Swevorum, ut perimerentur; sed miseratione ejus conservati, misit eos Rex Swevorum ad Regem Hunnorum. Quos Rex terræ, ut cognovit qui essent, benignè eos retinuit. Deinde citò post major obiit, & junior Edwardus Agatham sororem Reginæ Hunorum, i. e. Hungarorum duxit in uxorem; ex quâ genuit Edgarum, Christinam & Margaretam; quæ Margareta posteà nupta fuit prædicto Malcolmo Regi Scotiæ. Christina verò in sanctimoniali habitu consenuit apud Rameseyam. Edgarus, qui dictus est Adelyng, sine liberis discessit. Habuit enim Margareta filios ex Malcolmo Rege Scotiæ Edwardum, Edgarum, Alexandrum & David, qui post patrem regnaverunt in Scotiâ successione continuâ. Senior frater Edwardus in bello cum patre occubuit; cæteri regnaverunt, ut dictum est. Habuit enim hæc Margareta Regina filias Matildem, sc. & Mariam. Matildem Rex Angliæ Henricus primus Wilhelmi Conquæstoris filius, ut diximus, duxit in uxorem. Mariam Eustachius junior Comes Boloniæ similiter duxit in uxorem. Hæc Matildis Regina Henrici primi Regis Angliæ fuit velo sacro Deo dicata, ac professa. Propter quam causam noluit consentire patri neque matri suadentibus, ut tam excellentissimum Principem causâ pacis reformandæ in maritalem thorum acciperet. Tandem ad ultimum quia consideravit, quòd melior foret obedientia quàm victima, Abbatissæ hoc suggerentis paruit judicio, maledicens fructui ventris sui affuturo. Beatus Anselmus Archiepiscopus, ut dictum est, solemnia desponsationis celebravit. Qualis verò vindicta de isto zelotypio, quo Christum de sponsâ suâ Rex Henricus defraudaverat, similiter & ex maledictione fructûs per devotissimam Reginam subsecuta sit, par-

tim in immediatè ſequentibus, partim cùm de Henrico ſecundo & de matre ejus filiâ iſtius nobiliſſimæ Reginæ nomine Matildi pertractabimus. Nam primogenitus iſtius Henrici Regis cognomento Beuclerk ex Matilde filiâ Malcolmi Regis Scotiæ nomine Wilhelmus poſt fidelitatem & homagium præſtitum ab omnibus Magnatibus & Nobiliſſimis, & omnibus Plebanis, ſubmerſus eſt cum multis nobilibus non longè à terrâ, mari exiſtente tranquilliſſimo quando abſorbebantur, patrem in Angliam proſperè navigantem ſequi geſtiens, anno viz. Dominicæ Incarnationis MCXX. anno regni Regis Henrici viceſimo. Iſti omnes qui ſubmerſi fuerunt, vel ferè omnes, ut fertur, ſodomiticâ labe polluebantur. Iſte Wilhelmus primogenitus Henrici palam comminatus fuerat Anglis; quòd ſi aliquando dominium ſuper eos acciperet; quaſi boves ad aratrum trahere eos faceret.

Rex Henricus aſſenſu totius Cleri & Populi Londoniis congregati, pollicitis amplioribus, blandis ſermocinationibus, legum emendationes quibus oppreſſa fuit injuſtè Anglia tempore Wilhelmi patris ſui, & hoc juramentorum firmiſſimâ aſſertione confirmabat, Chartam libertatum promiſſarum inde confectam, quæ ſic incipit: *Henricus Dei gratiâ Rex Angliæ Hugoni de Bokelond Vicecomiti, &c.* (q) Factæ autem ſunt hujus tenoris tot chartæ, quot ſunt Comitatus in Angliâ; Et expedienter fabricato Sigillo conſignatæ ſunt Rege ſic jubente. Tranſmiſſæ ſunt & poſitæ in Abbatiis ſingulorum Comitatuum ad hujuſmodi rei perpetuandam memoriam. Succeſſu verò temporis, quùm maligno ſpiritu inſtigante pœnituit Regem hoc feciſſe, ſublatæ ſunt hæ cartæ diverſis viribus vel fallaciis, vix tribus remanentibus, viz. apud Cantuariam, apud Sanctum Albanum, & apud Monaſterium Sanctæ Mariæ Eboraci.

(q) Extat apud Matthæum Paris ad annum 1100.

Beatus Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, dummodo exulabat, procurabat in Curiâ Romanâ; quòd nullus Prælatus, Epiſcopus vel Abbas vel Clericus inveſtituras alicujus Eccleſiaſticæ dignitatis de manu ſuſcipiat Laicorum. Unde Henricus Rex conceſſit Cathedralibus & Conventualibus Eccleſiis Angliæ primò ex conceſſione regiâ & permiſſione licentiam eligendi aliquem de earum gremio in Epiſcopum vel Abbatem, & hoc ad inſtantiam Domini Paſchalis Papæ. Nam à tempore Conquæſtûs uſque ad iſtud tempus Reges pro ſuis temporibus Epiſcopos in Epiſcopatibus & Abbates in Abbatiis ad eorum voluntatem præfecerunt, & quibuſcunque voluerant, contulerunt.

Propterea dedit Henricus Rex Epiſcopatum Wyntonienſem Wilhelmo Gyffard; & continuò de poſſeſſionibus ſuis cunctis ad Epiſcopatum pertinentibus liberam dedit poteſtatem. Sed in hoc facto, ut ait Matthæus Pariſiacenſis in *Chronicâ* ſuâ de tempore hujus Regis, tam patriſſans quàm fratriſſans Wilhelmum Gyffard inveſtivit contra nova ſtatuta Concilii. Et quoniam ad voluntatem Regis quoſdam Epiſcopos, qui inſtitutiones à Rege ſuſceperunt, Beatus Anſelmus noluit conſecrare, vel cum eiſdem communicare; Rex verſùs in arcum pravum contra eum irâ incanduit vehementi. Propter quod iterum transfretat Beatus Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus; & manſit in partibus tranſmarinis uſque ad annum octavum Regis Henrici. Et cum Beato Anſelmo Wilhelmus Gyffard toto tempore exulabat. Sprevit enim Wilhelmus Gyffard conſecrari ab Archiepiſcopo Eboracenſi Girardo, cui præcepit Rex ut ipſum Wilhelmum conſecraret. Quare Regis injuſto judicio Wilhelmus Gyffard à regno eſt eliminatus; ut ſuperiùs dictum eſt in præcedenti Capitulo. *Sequuntur geſta anni* 1101. *ex Florilego deſcripta.*

Anno tertio regni Regis Henrici primi, viz. anno gratiæ milleſimo centeſimo ſecundo, Rogerus ad Epiſcopatum Sareſbyrienſem eſt electus. Et hæc erat prima electio omnium Eccleſiarum Cathedralium in Angliâ ſive Conven-

ventualium post Conquæstum ; ut scribit auctor *de Concordantiis Historiarum Angliæ* sub literâ *R*. Hunc Rogerum habebat Rex Henricus à secretis, cujus maximè utebatur consilio. Nam & ante regnum omnibus suis præfecerat Rex primùm Cancellarium, mox Episcopum constituerat, prudentiam viri expertus. Solerter amministrati Episcopatûs officium spem infudit ; quòd majori dignus haberetur munere. Itaque totius regni moderamen illius delegavit justitiæ, sive ipse adesset Angliæ sive moraretur Normanniæ. Refugit Episcopus tantis se curis involvere ; nisi tres Archiepiscopi viz. Anselmus, Radulphus, Wilhelmus, & postremo Papa injunxissent ei munus obedientiæ. Satagit ita fieri Henricus Rex, non nescius, quòd fideliter sua tractaret commoda Rogerus. Nec defuit ille spei regiæ ; sed tantâ integritate, tantâ se agebat industriâ, ut nulla contra eum conflaretur invidiâ. Denique plerumque Rex triennio, nonnunquam quadriennio & eo ampliùs in Normanniâ moratus, cùm in regnum reverteretur deputabat Justiciarii modestiæ, quòd nihil aut parum inveniebat molestiæ. Inter hæc Ecclesiastica officia non negligere, sed cotidie manè omnia honestè persolvere ; ut expeditiùs & tutiùs cæteris posset accedere : Pontifex magnanimus, & nullis unquam parcens sumptibus, dum quæ facienda proponeret ædificia præsertim consummaret. Quod cùm alias tum maximè in Saresbiriâ est videre. Fecit enim ibi ædificia spatio diffusa, numero pecuniarum sumptuosa, specie formosissima. Ita justè composita ordine lapidum, ut junctura perstringat intuitum & totam maceriam unum mentiatur esse saxum. Ecclesiam Saresbiriensem & novam fecit, & ornamentis excoluit ; ut nulli in Angliâ cedat, sed multas præcedat ; ipseque non falsò possit dicere Deo : (r) *Domine dilexi decorem domûs tuæ.* In veteri Anglorum Wilhelmus Malmesbiriensis non compotans annos de isto Rege Henrico sic scribit. *Ista quæ de Rogero Episcopo Rudburnus tradit, hausit ex Wilhelmo Malmsburiensi* lib. 5. fol. 91. *quem in sequentibus exscribere pergit à* fol. 91. *à* lin. 19. *ad* lin. 45. *&* fol. 91. *b.* lin. 53. *usque ad* fol. 96. *à* lin. 30. *ne verbo quidem mutato, istis duntaxat ex suo Wilhelmi codice additis ad* fol. 94. *à* lin. 52. *quæ in nostris exemplaribus desiderantur,*——Apostolorum ; & ibi unxit eum Hostiensis Episcopus inter scapulas & in brachio dextero. Posthæc à Domino Apostolico ad Altare eorundem Apostolorum deductus, & ibidem——.

(r) Psalm. XXIII. 8.

Huic ut antè fatus sum filia Regis Angliæ nupta, exhibebat patrem fortitudine, matrem religione. Contendebat in eâ pietas industriæ ; nec quod magis probares, facilè discerneres. De isto Henrico Imperatore plura inferiùs dicentur ; sed ista hic sufficiunt dicta. Modò ad ea quæ alii Chronicantes de Rege Angliæ Henrico Beuclerk scribunt, & nos cum favore legentium pennam dirigamus. Hoc anno viz. secundo regni Regis Henrici Beuclerk & anno Dominicæ Incarnationis MCI. incœpit ordo Templariorum.

De his quæ acciderunt anno tertio regni Regis Henrici Beuclerk.

Anno Dominicæ Incarnationis MCII. & anno regni Regis Henrici tertio, secundùm Authorem in Flores Historiarum Beatus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus tenuit Concilium Londoniis in Ecclesiâ Sancti Pauli, &c. *Vide locum.* Sed Auctor *de Concordantiis Historiarum Angliæ* dicit Auctorem istum in Flores Historiarum & cum ipso opinantes in hoc à veritate deviare. Quia hoc Concilium celebratum est anno secundo regni Regis Henrici, anno viz. Dominicæ Incarnationis MCI. ut superiùs in principio hujus Capituli declaratum est. Ut enim declarat Auctor *de Concordantiis Historiarum Angliæ* sub literâ *H*. Primo anno regni sui, eodem viz. anno, quo frater suus Wilhelmus Rufus obiit, anno sc. Dominicæ Incarnationis MC. Anselmum revocavit ab exilio ; qui Anselmus eodem anno matrimonio copulavit Regi Henrico Matildem filiam Malcolmi Regis Scotiæ & Margaretæ Reginæ. Et non

 multa

multo post celebrationem nuptiarum Rex Malcolmus in eodem anno rediit in Scotiam; & quamdiu vixerit, ultra non est reversus in Angliam. Quomodo ergo Anselmus Cantuariensis Archipontifex in præsentiâ duorum Regum celebraret viz. anno gratiæ MCII. & qui erat annus regni Regis Angliæ Henrici primi tertius? Item dedit Episcopatum Wyntoniensem Henricus Rex Wilhelmo Gyffard Cancellario suo primo anno regni sui, qui Wilhelmus Gyffard à Rege investitus recusavit consecrationem suam à Girardo Eboracensi Archiepiscopo, quemadmodum velle Regis erat, secundo anno regni Regis Henrici, & hoc statim in initio regni viz. anno Dominicæ Incarnationis MCI. quum Anselmus Archiepiscopus videns contra investituras Ecclesiarum se nihil prodesse, eò quod cor Regis versum sit in arcum pravum, ut dictum est, exilium elegit, & cum eo Wilhelmus Gyffard à regno eliminatus est. Et ideo dictum istud Auctoris in Flores Historiarum non videtur posse stare. *Succedunt gesta annorum* 1103, 1104. *ex Florilego, congestis ex Matthæo Paris, quæ de Roberto Duce Normanniæ in sequentibus etiam annis refert.*

De his quæ acciderant anno sexto Regis Henrici primi.

Anno Dominicæ Incarnationis MCV. & anno Regis Henrici primi sexto, David Rex Scotorum & frater Matildis Reginæ Anglicè nominatæ, Mold the good Queen usque in hodiernum diem, Henrico Rege Anglorum existente in Normanniâ, venit in Angliam; ut sororem sibi valde dilectam fraternâ ductus dilectione visitaret. Qui cùm quâdam die in thalamum ejus supervenisset; domum invenit Leprosis plenam. Regina in medio stans, deposito pallio suo lintheo se præcinxit, & aquâ pelvi impositâ cœpit lavare & extergere pedes singulorum; genibusque deflexis ore & oculis, deformes deosculabatur. Quod frater admirans, ait: Quid facit soror ac Domina mea nobilissima? Certè si Rex sciret ista, os vestrum labiis regiis nunquam deoscularetur. Et illa subridens ait: Pedes Regis æterni quis nescit labiis Regis morituri esse præferendos in paupere illius ministro qui ait: (ſ) *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Peractoque præclarissimæ pietatis officio, fratrem cum omni corporis humanitate, & cordis alacritate recepit, altera Martha, in domum suam. Hæc autem Regina beatissima inter alia pietatis opera versùs Occidentalem Londoniarum plagam unam domum ad Leprosorum sustentationem cum oratorio & officinis ædificavit. Et vocatur Hospitale Sancti Ægidii. Et est istud Hospitale in Holborne.

(ſ) Matth. XXV. 40.

De his quæ acciderunt anno septimo regni Regis Henrici I.

Anno gratiæ MCVI. & anno regni Regis Henrici primi septimo secundùm Auctorem in Flores Historiarum, constitutus est in Ecclesiâ Sanctæ Mariæ de Suthwerk London Ordo Canonicorum; quam Ecclesiam fundavit Wilhelmus Gyffard Wyntoniensis Episcopus: Et Henricus Rex multa Castella obsedit in Normanniâ. *Sequuntur gesta annorum undecim proximè succedentium ex Westmonasteriensi, paucis admodum de Matthæo Paris interjectis, deprompta. De suo autem istas solummodo lacinias Rudburnus dedit, viz. ad annum* 1107. Consecrati sunt Wilhelmus Wintoniensis, Rogerus Sarum, Remelinus Herefordensis, qui secundùm quosdam dicitur Reymundus, secundùm verò quosdam Reginaldus, *& ad annum* 1110. Monachi Novi Monasterii Wintoniensis translati sunt ad Hydam extra civitatem, quæ data est eis in escambio.

De anno nonodecimo regni Regis Henrici I.

Anno Domini MCXVIII. & anno regni Regis Henrici primi nono decimo, obiit Matildis Regina Angliæ, Anglicè usque in hodiernum diem appellata Molde the Good Quene; & secundum Auctorem in Flores Historiarum Wyntoniæ in Veteri Monasterio sepulta est. Et idem habetur in scriptis ejusdem Monasterii. Nam habetur consimile Epitaphium ejusdam in quodam lapide

lapide marmoreo posito super locum sepulturæ ipsius Reginæ in cryptâ Orientali: *Hic jacet Matildis Regina filia Margaretæ Reginæ Scotiæ, & uxor Regis Henrici primi, ab Anglis vocata* Molde the Good Queen. Attamen in quibusdam Monasteriis Angliæ fit tumba ipsius, ac si ibidem jaceret; sed in rei veritate sepulturæ locum habuit in prædicto Veteri Cœnobio Wyntoniæ. Cujus sanctissimæ Reginæ ossa modò per Henricum Blesensem & fratrem Regis Stephani ac nepotem hujus Regis Henrici primi ex sorore Adalâ translata sunt & posita in sarcophago plumbeo cum ossibus nobilissimæ Frytheswydæ Reginæ matris Sanctæ Frytheswydæ virginis, supra locum vocatum, The Holy Hole. De cujus bonitate & morum probitate dicere per singula si volumus, dies deficiet; cujus animæ misereatur Altissimus. *Reliqua hujus anni gesta, uti & sex sequentium annorum ex Florilego & Matthæo Paris desumuntur. Notandum tamen Antipapam, quem* Mauricium *ipsi (ad annum* 1121.) *appellant,* Burdinum *à Rudburno rectiùs vocari. Ad finem anni* 1124. *ista adduntur.*

Eodem anno [viz. MCXXIV.]. facta est concordia inter Wilhelmum Gyffard Wyntoniensem Episcopum & Monachos ejusdem Ecclesiæ; & Episcopus restituit eis omnia ablata. *Exin post exhibita ex Florilego anni* 1125. *gesta, & ex Wilhelmi Malmsburiensis Historiâ Novellâ anni* 1126. *gesta Rudburnus sic progreditur.*

Sed tamen antequam ulteriùs procedamus recitando scripta Wilhelmi de istâ materiâ, videndum est, quid quidam alii Chronicantes de prædicto Henrico Imperatore Alemannorum sentiant. Ranulphus Cestrensis recitat in suo *Policronicon,* agens de tempore regni Regis Henrici primi; quòd iste Henricus Imperator post patris sui carnalis incarcerationem, ac postea quia similiter patrem suum spiritualem, viz. Papam custodiæ carcerali tradidit, tandem pœnitentiâ ductus, imperium relinquens in veste peregrini clam aufugit; & sic in Angliam veniens, in civitate Cestrensi quamdiu superstes esset, vitam heremiticam duxit, seipsumque Godestallum nominavit. Nesciebat enim Imperatrix, quò devenerat; æstimabat enim ipsum Imperatorem aliquo casu infortunii mortem incurrisse; sive per Neptunicas artes, sive per alias malignorum spirituum calliditates. Quæsivit tamen diligenter dilectum, & non invenit; vocavit, sed non respondit sibi. Quod cùm patri retulisset, misit nuncios solempnes ad Imperatricem filiam suam, ut ad se quàm citiùs veniret. Quod & fecit, secundùm patris desiderare permaximum. Et sic secundùm istos post longam & diuturnam & diligentem inquisitionem, ac ad ultimum inventione minimè habitâ, misit ad patrem, qui auditâ relatione, ut dictum est, nuncios solempnes pro filiâ. Sed priusquam ulterius de adventu Imperatricis in Angliam stylum dirigamus; notandum, quòd iste Wilhelmus Malmesbiriensis, & similiter Auctor in Flores Historiarum, & quidam alii, connotant annos hujus Henrici primi Regis ab incarnati Verbi centesimo primo; quem quidem annum faciunt annum primum Henrici Regis, & non attendunt partem anni centesimi Dominicæ Incarnationis; quâ parte regnavit post mortem fratris, qui interfectus est die ad Vincula Sancti Petri, & ipse Henricus quarto die post obitum fratris in Regem sublimatus est. Auctor verò *de Concordantiis Historiarum Angliæ* ipse sequitur connotationes ab anno centesimo Dominicæ Incarnationis, & ponit ipsum annum primum regni Henrici primi Regis, quæ secundùm ipsum est verior connotatio. Hæc ideo hic scribo; ne quis miretur de nostrâ in hâc parte computatione annorum; quia sequimur Auctorem *de Concordantiis Chronicantium Angliæ.* Et sic acta vicesimi septimi anni regni Regis Henrici primi hîc terminantur cum anno regni ipsius vicesimo sexto. *Sequuntur gesta anni* 1127. *ex Malmsburiensis Historiâ Novellâ & Westmonasteriensi, gesta anni* 1128. *ex Westmonasteriensi solo.*

Item

Item obiit eodem anno [viz. MCXXVIII.] præ memoriæ Dominus || Wilhelmus Gyffard Wyntonienſis Epiſcopus. Qui venerabilis pater Eccleſiæ ſibi commiſſæ non minùs ſtudens prodeſſe quàm præeſſe, in ſuavem memoriæ ſuæ poſteris redolentiam ea quæ hic exprimuntur, jamdudum Eccleſiæ profectibus aſſignata, ſed proceſſu temporis potius de voluntate, quàm de ratione injuſtè ablata in debitum priſtinum reducens ſtatum, totam ſc. omnino oblationem ebdomadæ Pentecoſtes, & Eccleſiam de Clerâ ad miniſterium Altaris jure perpetuo reſtituit, & dimidiam piſcaturam de Boteleia pari devotione in augmentum victûs Monachorum devotus reddidit. Ipſe verò ut in præmiſſis factum prædeceſſoris ſui Walkelini corrigens, in dignam & ſpecialem memoriæ ſuæ laudem jus Patronatûs omnium Eccleſiarum, quæ ſunt in Maneriis Monachorum, nullo ſibi vel ſucceſſoribus ſuis jure Advocationis in eiſdem Eccleſiis in poſterum retento, Priori & Conventui liberè in perpetuum poſſidendum debitâ reſignatione reſtituit. Et ne quis proceſſu temporis aliquâ temeritate ſeu malignitate contra factum ſuum venire audeat; omnes infractores vel violatores memorati ſui facti ſub generali clauſulâ debitâ cum ſolempnitate vinculo anathematis innodavit.

WILHELMUS GIFFARD.

Sequitur Chartæ tenor Privilegii quantum ad jus Patronatûs Eccleſiarum à Wilhelmo Gyffard Wyntonienſi Epiſcopo eidem Wyntonienſi Eccleſiæ conceſſi.

'WIlhelmus Dei gratiâ Wyntonienſis Epiſcopus præſentibus & futuris fidelibus ſalutem & benedictionem. Noverit univerſitas veſtra, 'quòd prædeceſſor meus Dominus Walkelinus Epiſcopus, poſtquam ſuſcepit 'Epiſcopatum, dimidiavit omnia quæ pertinebant ad Eccleſiam Wyntonienſem, medietatem ſibi & aliam medietatem Conventui aſſignans. Poſtea Symeon frater ejus, primus in Eccleſiâ Prior factus, reſignavit Epiſcopo omnes milites, qui pertinebant ad partem Conventûs pro diverſis expenſis. Epiſcopus 'deinde apruntavit trecentas libras terræ de parte Monachorum ad Eccleſiam 'faciendam; quâ perfectâ, reſtituerentur eis ſine omni occaſione. Procedente tempore favente eodem Priore uſurpavit ſibi jus Patronatûs omnium Eccleſiarum ſuarum & Eccleſiam de Ellendune ad libros faciendos: Conventui 'debitâ reſignatione reſtitui, & præſenti chartâ confirmavi & dignitates eorum '& libertates, poſſeſſiones & conſuetudines, & omnia jura ſua. Dominus 'etiam Rex Henricus præcepit & prohibuit, ne aliquis eos vexaret, infra civitatem vel extra, neque in ullo loco, & ne manus apponeret in illis, quæ ad 'eos pertinent ſine eorum aſſenſu. Hoc idem præcepto regio ſub anathemate confirmavi, adjiciens, quòd quicquid in præjudicium eorum fiet, pro infecto habeatur. Et ut liberi ſint ſtandi pro ſe & Eccleſiâ ſuâ; & ne aliqui 'ſucceſſorum meorum, nec aliqui alii quicquam auferunt ab eis de jure ſuo, 'malum potiùs quam bonum exemplum ſequendo, non attendentes nomen 'patris & paſtoris magis deligant, & beneficia filiis adulterinis, nepotibus &

|| Obiit iſte anno 1128. exeunte, 8. Cal. Februarii, ſeu anno 1129. ineunte, prout Florentii Continuator habet; poſtquam ſedi Wintonienſi annis 21. cum dimidio à conſecratione præfuiſſet. Conſecratum enim fuiſſe anno 1107. 3. Id Auguſti Florentius, Eadmerus, Weſtmonaſterienſis & Stubbius produnt. Malè Hovedenus illum anno 1108. Malmsburienſis & Dicetenſis die 4. Id Auguſti conſecratum ſcribunt. Immani errore Rudburnus in Hiſtoriâ *Minori* Giffardum anno 1142. obiiſſe ſcripſerat. Illi tamen præivit Chronicon MS. Lambethanum in anno 1321. deſinens.

'paren-

'parentibus, quàm filiis spiritualibus, quibus loco Dei præsunt & per quos fe-
're omnia bona sua possident. Hanc chartam dedi dictis Monachis meis ad
'munimentum; ut diligentiùs orent pro salute animæ meæ, & Prædecesso-
'rum & Successorum eam manutenentium & Regum & omnium Benefacto-
'rum suorum, coram Rogero Episcopo Sarum, & Bernardo Episcopo de
'Sancto David, Ricardo Archidiacono, Ricardo Gere, Capellanis meis,
'Gaufrido Catel, Wilhelmo de Pontearch, & pluribus aliis. Quicunque
'hanc chartam firmam & stabilem esse permiserit; sit ei à Deo gratia & mi-
'sericordia. Si verò aliquis contra eam fuerit, vel eam deleverit; deleat
'Deus nomen ejus de libro vitæ, nisi se emendaverit.

Sequitur Charta restitutionis ejusdem Wilhelmi Pontificis de Ecclesiis Dominicorum Maneriorum totius Prioratûs.

'Wilhelmus Gyffardus Dei gratiâ Wyntoniensis Episcopus omnibus Ba-
'ronibus & Ministris suis Francis & Anglis Salutem & Benedictio-
'nem Dei. Sciatis me reddidisse Deo & beato Petro & Ingulfo Priori & Mo-
'nachis quasdam Ecclesias, quas ab eis injustè aliquando abstuleram, sicut eos
'inveni saisitos, quando veniebam ad Episcopatum, tali consideratione, ut
'Clerici mei, qui eas nunc tenent, de jure & manu Prioris eas teneant,
'quamdiu vixerint, & talem redditum ei reddant, qualem eo tempore redde-
'bant eadem & Ecclesiæ. Post obitum verò eorum liberè permaneant in ma-
'nu Prioris. Sunt autem hæ Ecclesiæ, de Alwarestoke, de Drokeneford,
'de Estsexentum, de Crundele, de Aweltunâ, de Fyshidâ, de Patteneiâ,
'de Wembergâ, de Celboldyntonâ, de Wils, de Nutstill, de Millebrok, de
'Weseneistunâ, de Wordiâ, de Portland, de Elledunâ. Præterea quicquid
'ad honorem Prioratus pertinet, sive in Præpositis Maneriorum, sive in ser-
'vientibus Curiæ providendis atque constituendis, ita plenè & perfectè con-
'cedo & confirmo ei qui nunc à Deo & à me consilio & assensu communi
'Monachorum ordinatus est, sicut ipsum Prioratum aliquis Antecessorum
'suorum aliquo tempore meliùs habuit. Si quis huic nostræ concessioni
'faverint, & ad hoc ut rata firmaque permaneat, adjuverint; augeat eis Do-
'minus gratiam & misericordiam. Si quis verò hæc pervertere & adnihilare
'temptaverit; Dei maledictione & meâ se sciat alligari, nisi resipiscat, &
'emendatione congruâ, quod malefecit, emendet. Hujus rei testes & con-
'firmatores fuerunt Rogerus Episcopus Sarum, Bernardus Episcopus de Sancto
'David, Gaufridus Cancellarius, Ricardus Archidiaconus, Rogerus de Me-
'leford, Ricardus Gere, Bernardus Capellani Episcopi.

Iste Præsul incomparabilis Wilhelmus Gyffard existens Wyntoniensis Episcopus habitum suscepit Monachalem in popriâ Ecclesiâ. Unde & Epitaphium istud metricè confectum ponitur, insculpitur in lapide marmoreo superposito loco sepulturæ ejusdem in navi Ecclesiæ Cathedralis Wyntoniæ, viz. ante magnam Crucem, quam dedit Stigandus Archiepiscopus eidem Wyntoniensi Ecclesiæ, ad cujus etiam pedes jacet Walkelinus ejusdem sedis Præsul humatus.

Wilhelmus Gyffard Præsul jacet hîc tumulatus;
Qui suscepit adhuc vivens habitum Monachatûs.

Iste Wilhelmus Gyffard ex Cancellario Regis Henrici & regni Angliæ factus est Episcopus Wyntoniæ; qui qualis quantus fuerit in Ecclesiâ Dei, & quod vir alti sanguinis extiterat; ostendit titulus Monasterii Sancti Benedicti & Sanctæ Hildæ Wytebiensis Ecclesiæ metricè in ejus laudem sic compositus.

Gallia

Gallia flet prolem, Wyntonia filia patrem ;
Qui venit magni de ſemine Karolo-magni.
Nobilitando genus clarum de ſydere ſydus,
Cui Deus haud vilis curam commiſit ovilis ;
Ut pro ſe regeret quos condidit, atque foveret.
Forma ſacerdotis, decus ordinis, & vita lucis
Ornas, inſtituis, regali tramite ducis.
Qui te noverunt, notum fieri voluerunt,
Ac deſcripſerunt quicquid potius potuerunt.
An placeat Chriſto laus tanta revolvere ſiſto.
Qui novit purè meritis, qui ſunt ſibi curæ,
Quicquid ſit ſcriptum verum vel carmine fictum ;
Judicio totum Jeſu diſcerno relictum.
Ergo precamina fundite concina concio Cleri,
Ut ſuper æthera cœlicus incola poſſit haberi.
Nos quoque vobiſcum paſtus cœleſtis ibiſcum,
Poſt hoc naufragium maris accipiamus in ævum.
Dulce ſit examen apud hunc, quod firmet & Amen.

Item lachrymando de morte iſtius nobilis Præſulis Wyntonienſis Wilhelmi Gyffard metricè ſic ſcribit Eccleſia Radyngenſis de novo fundata.

Dum miſero mundo mortem morſus dedit Adæ ;
Mordentem potuit ſub iniquâ ponere clade:
Unius morſus communem fundere mortem,
Innotuit natis & in unam ducere ſortem.
Omnes inde rei ſumus, ut pariter moriamur,
Peccantiſque patris veſtigia dura ſequamur.
Quid juvat ergo reos factos pro ſorte parentis
Divitiæ, cenſus, & abyſſus plurima mentis?
Quid juvat immenſas ventris protendere peſtes?
Quid juvat intextas auro perquirere veſtes?
Si ſenſus ſi divitiæ, ſi ſplendida cœna
Propagare necis poſſent reſtringere fræna.
Neſtoreos pluresque dies hic continuâſſet,
Et formare dies per ſæcula multa parâſſet.
Sed valet hiis minimè ſpatioſum tempus haberi.
Nil igitur prodeſt per prædia longa teneri.
Non potuit per divitias confundere mortem,
Dives enim pariter ſubit hanc cum paupere ſortem.
De paribus memores capiunt ſibi fata futuri.
Non gerit exemplum ſolus generis perituri,
Totus in exemplo mundus fugit ; aſt fugientem
Currit ad hunc homo, ſed ſequitur trux pœna ſequentem.
Hiis ergo memor eſto tui ſortiſque propinquæ.
Exitium fugiens vir gaudia tanta relinque.
Sed memorate pater, quem vita pudica probavit,
Quem pia ſimplicitas dignum Deitate paravit,
Elyſias hic carpe vias ſedeſque piorum ;
Tartareas nunquam ſubeas, pœnáſve malorum.
Nobilis ordo patrum, cor, dextra, facetia, virtus.
Te vir honeſte nimis vivere non faciunt.
Dives eras Wilhelme, probus, pietatis amator.
Extendêre dies non tamen iſta tuos.

Con-

Contemptor laudis, laudanda ſequendo beatus,
Eccleſiæ ſanctæ tutor amicus eras.
Multa tibi ſpecies fuit & ſapientia multa,
Cultus honeſtatis ſobrietaſque comes.
Formoſam faciem, procerum corpus habebas.
Lætitiam vultûs moribus exuperans.
Tu miſeros paſti, gazas ſuper aſtra levâſti.
Et largus cunctis, & tibi pauper eras.
Odiſti mundum, lutulenta negotia mundi.
Juſtitiâ fervens, turpibus aſper eras.
Præſulis officio, paſtoris honore levatus,
Subjectis ſocius, inferior ſociis.
Pes fueras claudis, cæcis mutabile lumen,
Portans invalidos, qui cecidêre levans.
Os tu plebis eras, Regis ſecretior auris;
Illum ſubjectis, ſe ſibi concilians.
Ecce ſubis mortem; quam nulla ſcientia tollit
Delitiæ nullæ, nullus honoris amor.
Tranſitus iſte gravis, gravis hæc mutatio carnis;
Cùm caro fit vermis, vermis & ipſe cinis.
Ex pietate ſuâ, quâ nos in mente reformat,
Indiſcreta Trias te ſuper aſtra ferat.
Wilhelmus fratres naturæ debita ſolvit;
Eccleſiæ Præſul Wyntonienſis erat.
Hoc in honore virum ſeſe prudenter agebat,
Præclaris ornans moribus officium.
Eccleſiæ curam, Regi reddebat honorem;
Debita diſtinguens Cæſaris atque Dei.
Vita genus, vel honor, diſcretio, ſive poteſtas
Compellebant hunc libera verba loqui.
Pontificale decus cum Nobilitatis honore
Huic nomen dederant & ſatis extulerant.
Simplex & rectus fuit & ſub utroque modeſtus;
Sic nec crudelis ſive remiſſus erat.
Stantibus auxilium, fuit & relevatio lapſis,
Eccleſiæ decus & gloria Pontificum.
Hæc bene firma fuit tali ſuffulta columpna:
Illos conſilio juvit & auxilio.
Religione Deum, plebemque colebat amore.
Sic fuit eximii nominis & meriti.
Jam prope jam Clerus jam pæne Monaſticus Ordo
Hoc defecerunt deficiente patre.
Plebs commiſſa ſibi tali viduata parente,
Nunquam ſe ſimilem ſperat habere virum.
Anglia gaudebat vivo, nunc plorat ademptum;
Nam multum patriæ proderat ille ſuæ.
Anglia Pontificem, Normannia deflet alumpnum;
Nam Præſul fuit hîc, traxit at inde genus.
Sed quia poſt mortem jam nemo poteſt revocari
Ad nos nec fletu, nec prece nec pretio;
Jam Dominum fratres, jam toto corde precemur,
Ut regni cœli gaudia dentur ei. *Amen.*

Sæpe igitur meritò recommendandus Præſul Wyntonienſis Wilhelmus Gyfſard die quâ obiit Apoſtolicæ Sedis erat Legatus per totam Angliam, Scotiam, & Walliam; ſicque in ſenectute bonâ ſæculo vale faciens, ſepultus eſt in propriâ Eccleſiâ in navi Eccleſiæ prope gradus ſubpulpiti, ad caput Walkelini prædeceſſoris ſui pedes habens extenſos; cujus Epitaphium monumenti metricè ſuprà recitatum eſt.

De anno triceſimo regni Regis Henrici I.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXXIX. & anno regni Regis Henrici primi triceſimo, ſecundùm Auctorem in Flores Hiſtoriarum, Philippus filius Regis Francorum, &c. *Conſule Florilegum, cujus verbis ſubjicitur narratio de crinito pœnitente ex Wilhelmi Hiſtoriâ Novellâ* fol. 99. *b.* lin. 20.

HENRICUS.

Hoc anno Wilhelmo Gyffard ſucceſſit in Epiſcopatum Wyntoniæ * Henricus Bleſenſis, frater Regis Stephani & nepos iſtius Regis Henrici ex ſorore Adalâ. Hic Henricus primævis temporibus Monachus apud Cluniacum efficitur, poſtmodùm fit Epiſcopus Gurtonenſis. Deinde à Rege iſto Anglorum Henrico datur Abbatia Glaſtonienſis ei in commendam, Papâ hoc annuente; ad ultimum fit Epiſcopus Wyntonienſis. Wilhelmus ſenior Rex Angliæ ſive Conquæſtor filiam habuit nomine Adalam, quæ nupſit Stephano Bleſenſi Comiti, qui genuit ex eâ quatuor filios, ſc. Ottonem Soliacenſem Comitem, Stephanum, qui huic Henrico Regi ſucceſſit in regnum Angliæ; Henricum iſtum Gurtonenſem Epiſcopum ac poſteà Wyntonienſem Pontificem, & Theobaldum magnum, à quo Theobaldo nati ſunt quatuor filii, ſc. Henricus Comes Campaniæ, Theobaldus Comes Bleſenſis, Stephanus Comes Saccecacenſis, & Wilhelmus Archiepiſcopus Senonenſis & poſteà Remenſis. De iſto Henrico Bleſenſi ac Wyntonienſi Epiſcopo plura dicenda ſunt in ſequentibus. *Succedunt geſta anni* 1130. *ex Wilhelmi Hiſtoriâ Novellâ à* fol. 99. *b.* lin. 33. *ad* fol. 100. *à* lin. 43. *additis in fine nonnullis ex Florilego. Iſtis etiam loco poſtremo ſubjectis* [Obiit Algodus primus Prior S. Mariæ de Suthwerk quod Monaſterium fundavit Willelmus Gyffard Wintonienſis Epiſcopus; cui Algodo ſucceſſit Algarus.] *Dein geſta anni* 1131. *ex utroque congeſta; quodque de geſtis anni* 1132. *Wilhelmus habet à* fol. 100. *b.* lin. 9. *ad* lin. 23.

Eodem anno viz. [MCXXXII.] triceſimo tertio anno regni ſui Henricus Rex Anglorum fecit novum Epiſcopatum apud Karleolum; & poſuit ibi primum Epiſcopum nomine Athelwlphum Sancti Oſwaldi Priorem, cui peccata ſolitus erat confiteri. Hic autem creatus Antiſtes, in Eccleſiâ ſedis ſuæ Canonicos poſuit Regulares, & eam multis honoribus ampliavit. Hoc anno naſcitur Henricus Rex poſteà ſecundus. Eodem anno defunctus eſt Robertus Ceſtrenſis Epiſcopus; qui Rege concedente ſedem Cathedralem tranſtulit ad Coventreyam, & locum illum caput conſtituit Merciorum. Habet ille Epiſcopatus uſque hodie tres ſedes, viz. Ceſtrenſem, Lychefeldenſem, & Coventrenſem. Ceſtria dicitur urbs Legionum; unde ſciendum, prout aliàs ſcripſimus, quòd duplex eſt urbs Legionum Britannicè vocata *Kaerlegion*, vel *Kaerleon*. Una eſt in Demeciâ, i. e. Suthwalliâ, quæ dicitur *Kaeruske*, ubi Uſca flumen cadit in Sabrinum mare juxta Glomerganciam, à Belino Rege Britonum quondam conſtructa, quæ Metropolis fuit Demeciæ. Dicta eſt urbs Legionum, eò quòd ad inſtantiam Reginæ Veſpaſiano & Arvirago concordatis miſſæ ſunt aliquæ Legiones Romanæ in Hyberniam. In quâ urbe tres fuerunt egregiæ olim Eccleſiæ, ut ſcribunt Ganfridus Monumetenſis & Walterus Oxenfordenſis, viz. una Julii Martyris virginum choro venuſtata. Alia

* Electus eſt Henricus anno 1129. menſe Octobri, conſecratus Wintoniæ à Willelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo 15. Cal. Decembris ejuſdem anni, teſte Continuatore Florentii; adeò ut ſedem antea Gurtonenſem non tam Epiſcopali quàm commendatorio jure adminiſtraverit. De obitu ipſius, pariter ac temporibus ſequentium Epiſcoporum Wintonienſium conſule Annales Wintonienſes.

beati

beati Aaron Canonicorum ordine nobilitata. Tertia verò Metropolitanâ sede totius Cambriæ Monachis fuit insignita; de quâ postmodùm usque Menevyam sedes illa est translata. In hâc urbe Amphibalus doctor sancti Albani extitit oriundus. De quâ materiâ diffusiùs tractavimus in primo libro præsentis laboris. Est & alia urbs Legionum. Urbs quædam in confinio Angliæ ad prospectum Kambriæ inter duo marina brachia Dee & Messee situata, quæ tempore Britonum caput fuit & Metropolis Venedociæ, i. Northwalliæ, cujus fundator fuit Marius Rex Britonum. Hæc autem aliquando vocata Britannicè *Kaerleon*, Latinè *Legecestria*, nunc autem dicta est *Cestria urbs Legionum*; eo quod ibidem hyemarent Legiones militares, quas Julius Cæsar ad subjugandum Hyberniam, & postmodùm Claudius Cæsar ad subigendum Orchades Insulas inde transmiserat. *Sequuntur gesta anni* 1133. *ex Westmonasteriensi, paucis ex Parisio additis*; *dein in anno* 1134. *obitus Roberti Ducis ex utroque.*

Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXV. & anno regni Regis Henrici primi tricesimo sexto Henricus Rex in Normannia cùm die quadam à venatu redisset, apud Sanctum Dionysium in sylvâ Leonum de murænâ comedisset avidiùs, quam amare præ cæteris cibariis consueverat; & cùm medici eam ei prohibuissent, Rex minimè adquievit. Cùm autem naturâ succumbente invaluisset infirmitas; Rex Henricus in fata concessit, cùm regnâsset annis completè triginta quinque, & à Nonis Augusti usque ad Kalendas Decembris, i.e. quatuor mensibus, diebus quatuor minùs, i.e. in tricesimo sexto anno regni sui. Hic Rex magnificus pro redemptione animæ suæ Cœnobia fundavit de Radyng, de Cirencestre, de Prato ante Rothomagum, & de Mortuomari. Construxit etiam, ut fertur secundùm Wilhelmum Malmesbyriensem *de Pontificibus* libro primo, Rex iste Henricus Monasterium de Hydâ extra muros Wyntoniæ, quod priùs infra urbem fuerat. In quod Monasterium translati sunt Monachi Novi Monasterii anno Domini MCX. & anno regni Regis Henrici undecimo. Quo etiam anno Anselmus Cantuariæ Archiepiscopus obiit. Municipia verò præter turres & Castella viginti quinque Henricus Rex construxit opere sumptuoso, &c. *Exin Rudburnus sepulturam Henrici Regis narrat ex Matthæo Paris, obitum pariter & sepulturam ex Wilhelmi Historiâ Novellâ à* fol. 100. *b.* lin 25. *ad* fol. 101. *à* lin. 5. *His succedunt elogia Serlonis, Lanzonis & Godefridi ex ejusdem Historiâ Veteri, à* fol. 96. *b.* lin. 46. *ad* fol. 97. *b.* lin. 42.

CAPITULUM IV.

De tempore Regis Stephani.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXXXV. undecimo Kalendas Januarii, vicesimâ secundâ die post mortem avunculi sui Henrici, Londoniæ Stephanus Comes Boloniæ coronatus est in Regem Angliæ à Wilhelmo Cantuariensi Archiepiscopo, antequam corpus Henrici Regis sepulturæ traderetur, & contra sacramentum fidelitatis, quod Matildi Imperatrici de regno Angliæ nunquam sibi usurpando præcipuè jurâsset; diadema regni, Deum temptans, & fidem violans, temerè invasit. Unde obtenebrans benivolæ intentionis oculos in Matildem Imperatricem per Hugonem Bygot Henrici Regis senescallum præstito juramento, sicque probante cavillosè coram Archiepiscopo Cantuariæ, quòd Rex Henricus in extremis agens Imperatricem exhæredavit, Stephanum sic successorem constituendo. Omnium ferè Episcoporum, Comitum & Baronum, qui per prius juraverunt Matildi de successione regni, per-

pervertit in Stephanum, virum quidem strenuum & audacem, sed contra juramentum suum Imperatrici factum. Die Sancti Stephani Londoniis coronatus est, qui prius sacramentum Imperatrici præstiterat. Qua propter idem Wilhelmus Archiepiscopus Cantuariæ minimè per annum supervixit; & omnes Magnates regni, qui Stephano juramentum fecerant, miserum sortiti sunt finem. Fertur etiam, quòd hostia Christi die coronationis Regi Stephano porrecta, subito disparuit. Coronatus Rex Stephanus juravit coram Proceribus apud Oxoniam, 1*mo*. quòd Prælaturas vacantes in manu suâ non teneret. 2*do*. Quòd neminem de sylvis propriis implacitaret. 3*do*. Quòd Electionibus canonice celebratis consentiret, & electos continuo investiri permitteret. 4*to*. Quod nullius Clerici sylvas in manu retineret, sicut Rex Henricus fecerat. 5*to*. Vovit Danalwed, i. e. de qualibet Hydâ terræ duos solidos, quod Antecessores ejus accipere consueverant pro sustinendâ gwerrâ contra Danos, nec tempore pacis voluerunt remittere, ipse benignè in perpetuum condonaret. Hæc autem specialiter & alia multa generaliter se juravit servaturum. Sed humani generis inimico procurante, fidem in omnibus enormiter violans, nihil horum quæ promiserat, observavit. Hæc Matthæus Parisiacensis. Auctor verò in Flores Historiarum dicit, quòd ad prædictam Coronationem Regis Stephani tres solummodo fuerunt Episcopi cum Archiepiscopo Cantuariæ Wilhelmo. Rex autem Stephanus statim coronatus thesaurum, quem avunculus suus Henricus congesserat, occupavit sc. centum millia librarum, exceptis vasis aureis & argenteis & gemmis impretiabilibus. Wilhelmus Malmesbiriensis *in Novellâ Anglorum Historia* de Coronatione Regis Stephani ita scribit. Interea Stephanus Comes Moritonii & Bononiæ, &c. *Vide Willelmi locum, quem transcripsit Rudburnus à* fol. 101. *à* lin. 5. *ad* lin. 23. *& dein Chartam Stephani Regis de libertatibus ex eodem dedit, atque ista subnotavit.*

Notandum hîc sicut & in præcedenti Capitulo, quòd antiquitus Reges Angliæ enumerabant annos regni eorum, in quibus regnabant completè, & non quantitatem anni præcedentis, quam tenebant post mortem Prædecessoris. Nam iste Rex Stephanus coronatus est anno Dominicæ Incarnationis MCXXXV. quo anno Rex Henricus primus obiit; & tamen non scribit Stephanus Rex hunc annum primum annum regni sui, quamvis in isto anno primitus & ipse regnabat, sed annum sequentem. Unde plurimi Historiographi falluntur quantum ad computationem annorum regni diversorum Regum; eò quòd non attendunt istam regni descriptionem. Coronatus est ergo Stephanus, &c. *Ad Wilhelmi verba redit* fol. 101. *à* lin. 22. *& persequitur usque ad* lin. 30. *Postremò reliqua hujusce anni gesta ex Matthæo Paris & Florilego breviter enarrat. Anni* 1136. *gesta referre exorsus, Willelmi Novellam Historiam describit à* fol. 101. *à* lin. 39. *ad* 101. *b.* lin. 51. *omissâ Stephani Regis Chartâ, quam suprà posuerat.*

Eodem anno [viz. MCXXXVI.] obiit Wilhelmus Cantuariensis Archiepiscopus. Et Henricus Episcopus Wyntoniæ abstulit pollicem manûs Sancti Jacobi de Radyngo, & dedit Ecclesiæ suæ. *Sequuntur gesta anni* 1137. *ex Florilego simul & Wilhelmo desumpta.*

Hoc anno Henricus Wyntoniensis Episcopus incœpit facere domos de Wlveseye & alias in maneriis pertinentibus ad Episcopatum Wyntoniæ, & similiter Hospitale Sanctæ Crucis juxta Wyntoniam. *Sequuntur quæcunque habet Wilhelmus de gestis anni* 1138. *obsidio Bedfordensis & expeditio Davidis Scotiæ Regis in Angliam ex Matthæo Paris.*

Circa hæc tempora [viz. annum MCXXXVIII.] obiit magister Hugo de Sancto Victore juxta Parisiam, litteris & religione summus. De quo ferunt, quòd cum in extremâ infirmitate laboraret, & nullum cibum retinere posset, corpus tamen Dominicum sibi dari instanter postulavit. Fratres verò ejus turbationem

bationem sedare volentes, simplicem oblatam non consecratam attulerunt hostiam. Quod ille in spiritu recognoscens, ait: Deus misereatur vestri fratres; cur mihi illudere voluistis? Iste non est Deus meus. Mox illi Eukaristiam consecratam attulerunt. Quod ille videns sed retinere non valens, erectis manibus ait: Ascendat filius ad patrem & Spiritus ad Deum, qui creavit illum; & statim expiravit. Volunt tamen alii, quòd iste Hugo propter ingentem vomitum non posset Eucharistiam retinere; & cùm hâc de causâ fratres ei verum sacramentum afferre noluissent, rogavit ut saltem super latus ejus Sacramentum poneretur. Quo facto, latus infirmi se aperuit & hostia corpori se immersit. Hæc Wilhelmus Mimacensis Episcopus in *Rationale Divinorum.*

In sequentibus Author librum Wilhelmi Historiæ Novellæ secundum ab initio usque ad finem anni 1140. fol. 105. *b.* lin. 30. *verbatim exscribit, additis in fine anni* 1140. *nonnullis ex Matthæo Paris de Stephani Regis & Roberti Comitis captione & liberatione mutuâ. Post hæc gesta anni* 1141. *ex Matthæo Paris & Westmonasteriensi narrantur. Postremò ad Malmsburiensem reversus, Novellam ejus Historiam pergit exscribere à* fol. 105. *b.* lin. 32. *(ubi priùs desierat) ad* 107. *b.* lin. 32. *Et in his quidem deficit uterque Codex MS. magno Anglicanæ Historiæ dispendio. Quod unicum igitur restabat, sequentis Historiæ Epitomen brevissimam ex eodem Codice MS. quem in fronte operis laudavi, descriptam subnexui; rem tamen paulò altiùs, à Normannorum sc. adventu, repetendo.*

Inter *Alwynum,* qui annis XV. sedit, & Henricum Blesensem fuerunt Episcopi tres per spatium LXXX. annorum, viz.

Stigandus, qui magnam Crucem ex argento cum imaginibus argenteis in pulpito Ecclesiæ contulit; sedit annis XXII. & jacet in sarcophago plumbeo ex australi parte altaris summi juxta Cathedram Episcopalem.

Walkelinus, natione Normannus, qui turrim in medio Chori cum quatuor columnis à fundamentis renovavit; seditque XXIX. annis; & in navi Ecclesiæ ante gradus pulpiti jacet humatus. Hujus Episcopi anno XXIV. dilectus Deo Godfridus, qui miraculis coruscat, factus est Prior Wyntoniæ.

Willelmus Gyffarde, Domini Regis Cancellarius, non de genere Anglorum; qui Monachus in Ecclesiâ suâ factus est; qui Pentecostalia huic Ecclesiæ contulit: Sedit annis XXVIII. sepultusque est in medio voltæ in navi Ecclesiæ ad gradus pulpiti ad caput Willelmi Episcopi. Hujus anno VII. obiit Godfridus Prior Wyntoniæ; qui in Prioratu vixit XIII. annis. Qui humatus est in domo capitulari in sinistrâ parte versùs Orientem, miraculis coruscans. Cui successit Gaufridus.

Henricus Blesensis, frater Regis Stephani, ex Abbate Glastoniensi. Qui S. Thomam in Archiepiscopum consecravit Cantuariensem; & in omnibus ei favorabilis extitit, & consolator in tribulationibus suis mirificus. Iste benignissimus Præsul Henricus in tantum dilexit suam Ecclesiam; quòd omnia quæ habuit minima forent. Pedem S. Agathæ, magnam crucem cum imaginibus de auro purissimo ad majus Altare, & alia ornamenta plurima, quæ lingua non potest enarrare, suæ Ecclesiæ contulit. Dedit etiam Manerium de Elme propter causas prænominatas & alias quamplurimas magis impugnantes, cùm de provinciâ Angliæ actum sit. Huic Henrico Episcopo Lucius Papa pallium misit anno Domini MCXLII. volens apud Wyntoniam Archiepiscopum constituere & secundum Angliæ Primatem, & septem ei Episcopos, qui olim ad regnum Westsaxonum pertinebant, additâ natâ Legaciâ. Sed subortis multorum murmurantium indignantiumque nec non invidentium contradictionibus, ad tempus dissimulavit Papa cum silentio propositum suum consummare; volens in posterum vitâ comite invitis murmuratoribus, sicut justum

justum fuerat, propositum suum confirmare. Sed Papa non diu superfuit: ut scribit Matthæus Parisiensis in Historiâ Regis Stephani. Iste Henricus sedit annis XLIII. & sepultus est in Ecclesiâ suâ coram summo Altari. Cui successerunt per ordinem.

Ricardus Toclyn, qui Manerium de Hamme redemit, & de Cuoel emit, & suæ contulit Ecclesiæ. Seditque annis XVII. & sepultus est ad aquilonarem partem summi Altaris Choro proximè.

Godefridus Lucy, ad altare B. Mariæ ad finem cum aliis voltam, ubi extra Capellam B. Virginis humatus est; cùm sedit XVII. annis.

Petrus de Rupibus, qui Ecclesiæ Wyntoniensi extitit in omnibus specialis pater & amicus. Qui pedem S. Philippi suæ Ecclesiæ contulit cum plurimis aliis ornamentis. Sepultusque est in Ecclesiâ suâ; cùm sedit annis XXXIV.

Willelmus Rale, qui sedit annis X.

Audomarus, frater Henrici III. qui sedem occupavit annis XII. cujus corpus ad aquilonarem plagam altaris reconditum est.

Johannes Gervays, annis VI.

Nicolaus Ely, hujus Ecclesiæ specialis patronus, XII. annis.

Johannes de Pontissarâ, cujus assensu inter ipsum & successores suos & Priorem & Conventum Ecclesiæ suæ facta est compositio; quòd de cætero Priores forent perpetui, cùm antea erant dativi. Sedit annis XXIV. & sepultus est ex aquilonari plagâ majoris Altaris.

Henricus Wodelok, ex Priore ejusdem Ecclesiæ. Multa ornamenta huic Ecclesiæ contulit; & sedit annis XIII. sepultusque est ad gradus Chori.

Johannes Sendale, sedit annis IV.

Rigaldus de Asserio annis III.

Johannes Stratford sedit X. annis; & postmodùm Archiepiscopus Cantuariæ ordinatus est.

Adam Orleton XII. annis.

Willelmus de Edyngdone sedit XXI. annis. Hic multa ornamenta & jocalia suæ Ecclesiæ contulit; & sepultus est in eâdem Ecclesiâ in Capellâ propriâ.

Willelmus de Wykeham, qui navem Ecclesiæ cum alis, prout nunc cernitur, renovari & voltari fecit; aliaque quamplurima beneficia suæ Ecclesiæ contulit. Seditque annis XXXVII. & in Ecclesiâ suâ in opere quod fecit honorifice in Capellâ ad Australem plagam tumulatus est.

Henricus Beaufort, frater Henrici IV. & S. R. E. Presbyter Cardinalis, successit in Episcopatum.

THOMÆ

THOMÆ RUDBORNE PROLOGUS

In Historiam suam Minorem.

MUlti nobiles ac pietatis studio maximè operam dantes viri extiterunt, qui prioribus sæculis Monasteria, Ecclesias, Xenodochias, in quibus ut à ministris in his degentibus devotè Deo vacaretur, quamplurimas fundavere. Quorum beneficia Deo placabilia sustentatis horum donis gratuitis minimè recognoscere est maximam ingratitudinem incurrisse; per quam ut degeneres possent à paternâ possessione exhæredari. Et quia nostris temporibus, qui nostris Fundatoribus super hanc ingratitudinem maximè sunt invigilantes, & ad quæstiones ab ipsis motas de nominibus Fundatorum, de eorum donis & donatis, de eorum sepulturis, nos minimè propter ignorantiam eorum petitionibus satisfacientes, efficimur illis omnibus exosi & despicabiles; pœnitetque eos sic nos sufficienter suis donativis ditâsse & pavisse. Rogatus ergo à fratribus Wintoniensis Ecclesiæ Monachis, ut ego Commonachus & confrater ejusdem Ecclesiæ Thomas Rudborne de penuriâ ac tenuitate meâ qua habundo, inspectione Chronicorum aliquod libellum compendiosum de Regibus ac cæteris regni Magnatibus, qui essent fundatores & benefactores Ecclesiæ Anglicanæ, componerem. Cupiens igitur ipsis religiosis viris secundùm ingenii mei exigentiam voluntati in aliquo parere, istud subsequens Breviarium Chronicorum de Regibus, Episcopis, Comitibus, Baronibus scribere disposui, excerptum de libris & dictis Sanctorum Bedæ & Gildæ, & de libris & scriptis venerabilium in Christo Patrum M. Thomæ Rudborne Menevensis & M. Johannis Langdene Roffensis Episcoporum, & Archidiaconi Lincolinensis, Archidiaconi Oxenfordensis, Gaufridi Monumetensis, & Matthæi Parisiacensis, virorum honorabilium, ad complacentiam & utilitatem dictorum fratrum; ne locus detur otio, cùm otiositas inimica sit animæ. Et secundùm Philosophorum honestum delectabile magis delectat & animos hominum ab otiositatis vitio repellit, quàm si fuerit honestum minimè delectans, puta obscura Doctorum scripta & difficilis sacræ paginæ intelligentia; quæ illos, qui non sunt profundioris scientiæ, lectores efficiunt pigros & somnolentos, ne carpant viam, ut convallium legant lilia. Sed narrationes de Regibus, de Episcopis, de cæteris Magnatibus, & quæ in eorum temporibus acciderunt audire vel legere, cùm sint quædam honesta, maximè delectant & elucidant sensum audientis & legentis infirmiori scientiâ obvolutum. Ista propterea perspiciens, Britannorum & Anglorum Regum, Episcoporum & Procerum medullam Cronicorum inserui. Et incipit hæc Cronica ab adventu Bruti in Britanniam usque ad octavum decimum annum Henrici Regis tertii. Et super quæ hic leviter pertranseo, in majori nostrâ Chronicâ opitulante Dei clementiâ supplebo. Et si quid nimis præsumptuosè in opere & indiscretè cancellavi; prudentiorum in hac facultate Doctorum correctioni me recommendo.

ANNA-

ANNALES Ecclesiæ Wintoniensis,

Ab anno DCXXXIII. ad annum MCCLXXVII.

Authore Monacho Wintoniensi.

ANno DCXXXIII. Kinegilsus filius Celrici Rex Westsaxoniæ. Istum baptizavit S. Birinus Episcopus. Baptizatur ab eodem Birino filius Kinegilsi Kinewalchus; & omnes Saxones ejusdem regni credentes baptizati sunt. Iste dedit S. Birino civitatem Dorcacestram; ut sederet interim in eâ, donec conderet Ecclesiam tanto sacerdote dignam in regiâ civitate. In votis enim ejus erat in Wintoniâ ædificare templum præcipuum; & collectis jam plurimis ad opus ædificii, terram totam ambientem Wintoniam à centro Wintoniæ usque ad circumferentiam ab omni parte lineâ exeunte septem leucas habentem ædificandæ Ecclesiæ in dotem dare disposuit. Quæ quia letiferâ præventus ægritudine per se complere non potuit; vicario usus est; vocatumque ad se filium suum Kinewalchum fecit jurare coram S. Birino in animam suam, quòd ipse Ecclesiam sede Episcopali dignam construeret in Wintoniâ, & terram quam circinaverat eidem Ecclesiæ ad opus ministeriorum ejus ex parte suâ Deo offerret, & in jus perpetuum confirmaret.

Anno DCXXXIX. Kinewalchus filius Kinegilsi. Iste post vexationes quas pertulit à Pendâ Rege Merciorum propter repudium filiæ suæ, Ecclesiam pulcherrimam construxit in Wyntoniâ; & totam terram, quam Pater voverat Ecclesiæ, contulit & confirmavit. Agilberto verò Episcopo Dorcacestriæ successore Birini diffugiente ad votum Regis sedem transferre Wyntoniam, Rex qui linguam Agilberti (quia Gallus erat) parum noverat, fecit sibi nactâ occasione sacrari in Episcopum novæ Sedis quendam Saxonem nomine Wine; & divisa est una Diocesis in duas. Apposuit Kinewalchus Rex post oblationem patris factam de Chiltecumbâ, de suo proprio dono ditare Wintoniensem Ecclesiam; cui tria Maneria, sc. Duntun, Alresford & Wordiam contulit; & in illâ humatus est.

Anno DCLXX. Escuinus cognatus Kinegilsi Rex Westsaxonum: Iste humatus est Wintoniæ.

Anno DCLXXII. Centuinus Kinegilsi filius de acquisito Rex Westsaxonum, Wintoniæ quiescit.

Anno DCLXXXIII. Ina Rex Westsaxonum, dedit iste Ecclesiæ Wintoniensi in Vectâ insulâ, quæ nunc dicitur Wicth, in loco qui vocatur Ewerlande XXX. hidas terræ, & in Bresdingâ L. hidas.

Anno DCCXXI. Ethelardus Rex Westsaxonum. Hujus conjux Frithefwitha Regina dedit Wintoniensi Ecclesiæ Tantonam de suo patrimonio. Et ipse Ethelardus de suâ parte addidit ad prædictum Manerium ad opus ejusdem Ecclesiæ VII. mansas.

Anno DCCXXXV. Cutredus cognatus Ethelardi Rex Westsaxonum. Hic dedit in Vectâ insulâ Wintoniensi Ecclesiæ apud Muleburnam XL. hidas & apud Banewadam XXV. hidas & apud Witthingebam XXII. hidas & terram quæ vocatur Drucam, & Manerium quod vocatur Clera.

Anno DCCC. Egbertus Rex Westsaxonum. Hic totius insulæ Monarchiam adeptus, non est oblitus pro collato sibi honore Deo gratias reddere; qui dedit Deo & Wintoniensi Ecclesiæ in Vectâ insulâ apud Cawelburnam XXX. hidas, apud Scaldeblotam XLII. hidas & IV. villas, sc. Drokenesford, Wordiam, Aweltonam, & Beddintonam. Sepultus est tandem in Ecclesiâ Wintoniæ.

Anno DCCCXXXVII. Edulfus filius Egbirti Rex Angliæ. Iste fuerat Subdiaconus in Ecclesiâ Wintoniensi; & quia Rex Egbirtus non habuit alium hæredem, dispensante summo Pontifice assumptus an dicam retractus fuit ad regnum de Clericatu. Iste totam terram de dominico suo decimavit, & decimam quamque hidam contulit Conventualibus Ecclesiis per regionem. Et hinc factum est, ut totam ex integro terram de Chiltecumba nomine decimæ pro unâ solâ hidâ Wintoniensi Ecclesiæ restitueret, quam Kinegilsus & Kinewalchus Reges priùs dederant, sed inter istius & illorum tempora alienata fuerat ab Ecclesiâ. Dedit etiam idem Rex Edulfus eidem Wintoniensi Ecclesiæ ad augmentum Tantoniæ CXLIII. hidas terræ, & II. Maneria, sc. Brichtwellam & Wembergam eidem contulit Ecclesiæ, in qua & sepultus est.

Anno DCCCLXXII. Eluredus filius Edulfi Rex Angliæ. Iste fecit in Wintoniâ in cœmiterio Episcopalis Ecclesiæ novum Monasterium; quod multis ditatum possessionibus S. Grimbaldo dedit, ut sic illum retineret in Angliâ. Iste Regum Anglorum ante dies suos rude & incompositum, totum erudivit & informavit ad regulam. In proverbiis ita enituit, ut nemo post illum amplius. Rex Eluredus sepultus est in Novo Monasterio apud Wintoniam. Iste Eluredus dedit ad augmentum Tantoniæ villam quæ dicitur Rinctune, ad opus Wintoniensis Ecclesiæ.

Anno DCCCCI. Edwardus filius Eluredi Rex Angliæ. Hujus filia fuit S. Edburga, cujus sacrum corpus in Wintoniâ requiescit apud Nunnemenstre sine fallaciâ; licet Monachi de Malverna se falsò jactitent illud habere. Iste dedit Ecclesiæ Wintoniensi IV. Maneria, sc. Husseburnam, Whitchurche, Owertonam & unam Stokam. Dedit & Novo Monasterio, quod pater suus erexit in Wintoniâ, prædia multa; in quo quiescit humatus.

Anno DCCCCXXIV. Edelstanus filius Edwardi Rex Angliæ. Iste dedit Wintoniensi Ecclesiæ caput S. Justi Martyris & tria Maneria, sc. Chilbeldintam, Enedford & Eismereswordam. Monasterio etiam Malmesberiæ multa contulit; in quo humatus fuit.

Anno DCCCCXLVI. Edredus frater Edmundi Rex Angliæ. Corpus ejus in Wintoniâ sepultum est; cui adhuc vivens duo Maneria dudum amissa restituerat, sc. Duntonam & Hesseburnam.

Anno DCCCCLIX. Edgarus frater Edwii filius Edmundi Rex Angliæ. Non fuit in Angliâ Monasterium sive Ecclesia, cujus non emendaret cultum vel ædificia. In Wintoniensi Ecclesiâ & Novo Monasterio, quod nunc ab eventu dicitur de Hida, Monachos posuit loco Clericorum; quia Clerici illi nomine tenus Canonici frequentationem chori, labores vigiliarum & ministerium altaris Vicariis suis utcunque sustentatis relinquentes, & ab Ecclesiæ conspectu ne dicam Dei plerunque absentes septennio, quicquid de Præbendis percipiebant locis & modis sibi placitis absumebant. Nuda fuit Ecclesia intus &

extra; quia Vicarii non habebant unde eam vestirent & tegerent, nec Præbendarii qui prædicebantur talibus poterant intendere: vix inveniretur unus & is sorte coactus, qui vel pauperem pallam aut calicem quinque solidorum conferret altari. Rex Edgarus ista considerans, & dolens tam divites eleemosinas collatas Ecclesiæ non in Ecclesiâ nec in ministris Ecclesiæ nec in pauperibus expendi, mandavit Trasonibus & sæpe consuluit per Episcopum eorum Athelwoldum & per Dunstanum Archiepiscopum; ut bona Ecclesiæ non sine causá percipientes in Ecclesiâ perpetuò facerent stationem. Canonicis mandata Regis & monita surdâ aure transeuntibus, & nolentibus singulis pro annuo canone mille librarum auri vel per annum esse Claustralibus, Rex instans proposito, & malens per Canonicos quàm per aliud genus arctioris religionis administrari negotium, ablatas quibusdam eorum Præbendas contulit Vicariis, quos viderat in Ecclesiâ perstantes assiduò. Sed & illi promoti in Canonicatum, Vicarios sibi facientes, facti sunt similes vel vagaciores & sæculariores prioribus. Rex itaque circa correptionem Canonicorum nihil proficiens, postquam genuinum fregit in illis, de Ecclesiâ & de Novo Monasterio illos ejiciens, & Monachos in locis illorum constituens, illorum dispersionem istorum aggregationem à Papâ Johanne XIII. ratam haberi meruit & confirmari. His ita factis, Rex Edgarus Novum Monasterium ampliavit possessionibus; & Wintoniensi Ecclesiæ dedit Manerium quod dicitur Awintona, & apud Itinstokam X. hidas, & apud Madanlegam III. hidas, & apud Breoudunam XIII. hidas & apud Aderingefeldam II. hidas & apud Thucam VII. hidas. Rex Edgarus habuit duos filios, Edwardum ex legitimâ suâ Reginâ, & Ethelredum ex relictâ Ethelwoldi Comitis filiâ. Qui Ethelwoldus Wintoniensi Ecclesiæ villam de Wilitha dederat; quem Rex pulchræ uxoris gratiâ in forestâ de Werewelle telo transjecerat.

Anno DCCCCLXXIX. Ethelredus frater Edwardi Martyris Rex Angliæ. Iste dedit Wintoniensi Ecclesiæ Hawntam & Sudtunam, & hidam & dimidiam in loco qui dicitur Celseshord, & duas piscaturas apud Brendefordam cum unâ virgatâ terræ, & apud Ginnahetche cum terrâ adjacente; & Duntonam bis amissam restituit.

Anno MXXXV. Rex Canutus dedit Wintoniensi Ecclesiæ terram trium hidarum quæ vocatur Hille, & feretrum ad reliquias S. Birini magnum & magni, & candelabrum argenteum cum VI. brachiis, qualia modò in Ecclesiis videmus pretiosissima de aurichalco, & II. signa; & in eâdem Ecclesiâ sepultus est.

Anno MXLII. Hardecanutus Rex oppetiit apud Lametham improvisâ morte præventus; & sepultus est in Ecclesiâ Episcopali apud Wintoniam. Tempore Hardecanuti Regis Emma Regina morabatur Wintoniæ, multùm familiaris Elwino Wentanæ tunc civitatis Episcopo: Omnia in regno potens, plurimis referta divitiis, solo contenta filio qui regnabat, & soli intenta Pontifici quem colebat. Non deerant qui in Neustriam nunciarent Edwardo matris cum Episcopo suspectam familiaritatem; Episcopum esse in causâ præcipuum, quòd mater filiorum suorum alterum (a) non fleret, alterum non exhiberet. Emma Regina mater Hardecnuti pro animâ Hardecnuti Regis dedit Wintoniensi Ecclesiæ plurima ornamenta in auro & argento, in gemmis & vestibus pretiosis, & duo Maneria, sc. Westwode & Peripperminster. Habebat enim Regina illa multa Maneria, quæ Ethelredus Rex illi in dotem dederat; & Cnutus & Hardecnutus Reges in jus hæreditarium confirmaverant, quibuscunque vellent assignanda locis & conferenda personis.

(a) Elfredum sc. à Godwino Comite insidiis sublatum.

Anno MXLIII. Edwardus filius Ethelredi Rex Angliæ, post mortem Hardecnuti venit Wintoniam incognitus plebeio amictus habitu; quandoque in curiâ matris quandoque in domo Episcopi comedens, sed ignotus, affectus eorum sedulus explorabat. Demum agnitus, in Regem electus & consecratus est

est Wintoniæ. Iste instituit & cartâ confirmavit, ut quoties ipse vel aliquis successorum suorum Regum Angliæ diadema portaret Wintoniæ vel Wigorniæ vel Westmonasterii, Præcentor loci recipiat de fisco ipsâ die dimidiam marcam & Conventus centum sumnellos & unum modium vini. Hæc Carta est apud Westmonasterium. Iste accepit in conjugem Editham filiam Godwini, ab utroque perpetuâ virginitate servatâ. Godwinum ante omnes homines honorabat; matrem suam nec colebat nec publicè confundebat. De Neustriâ accersivit quosdam, qui sibi benefecerant exulanti, inter quos & Robertum, quem priùs Episcopum Londini, & postea fecit Archiepiscopum Cantuariensem. Hujus Archiepiscopi crebras suggestiones Rex Edwardus mente revolvens, ad tantum acerbitatis perductus est vir mali nescius; ut Godwinum Comitem, qui illum Regem fecerat, & cujus filiam desponderat, de regno cum filiis suis expelleret: Matri suæ Emmæ Reginæ quicquid in hoc mundo possederat usque ad pretium quadrantis auferret, & illam in Abbatiâ de Warewellâ retrusam cum summâ parcitate faceret exhiberi; Alwinum Wentanum Episcopum, matris ut dicebatur amasium, omnibus patrimonii sui prædiis spoliatum extra terminos civitatis Wentanæ proferre pedem sub capitis periculo prohiberet. Godwinus cum filiis suis regnum egreditur. Alwino Episcopo sedes sua mutatur in carcerem. Regina apud Warewellam custodiæ tradita, sed minùs arctam quàm filius dictaverat habens custodiam, permissa est scribere omnibus Episcopis quos sibi fidos crediderat & dolores suos exponere. Forma scriptorum talis erat: 'Se de Pontificis dedecore plùs torqueri & erubescere quàm de proprio; paratam se Dei probare judicio Pontificem injustè diffamatum nunquam carnem suam tetigisse; nunquam se vel illum contra Regem aliquid egisse vel agere voluisse. Accederent ad Regem Episcopi, & intercederent pro Coepiscopo; inducerent modis omnibus illum, ut matris pro se & Episcopo purgationem reciperet. Bonam conscientiam publicè impetitam de crimine non debere nisi publicâ satisfactione purgari, placere sibi candentis ferri examen. Tantum apponant, ut Rex jubeat examen fieri in Ecclesiâ S. Swithuni Wintoniensis. Securam se esse de Sancti suffragio pro conscientiæ testimonio. Si in exequendo negotio moram fecerint, se mori-turam, ne paupertas sua rideatur diutiùs: quia, *Nil habet infœlix paupertas durius in se, Quàm quòd ridiculos homines facit.* Regem filium suum, si plùs eligat nec convictam nec confessam matrem punire quàm purgationem ejus admittere, ab omnibus hominibus infamandum. *Omne etenim vitium tantò conspectius in se Crimen habet, quantò qui peccat major habetur.* Filius hodie matrem persequitur, Rex Reginam, qui & manum misit in Christum Domini.

Singuli Episcoporum, ad quos Regina scripserat, rescriptis se invicem consuluerunt; & die condicto convenientes ad Regem, convenerunt eum super querelis suæ matris & precibus. Rex Edwardus, ut erat miræ simplicitatis & innocentiæ, qui nihil unquam egit perperam nisi ex alterius suggestione, allegationibus Episcoporum se sustinuisset facillimè superari, & quicquid in matrem aut Episcopum falsâ seductus credulitate crudelitatis admiserat, non solùm sine recipiendâ satisfactione purgatoriâ temperâsset, immo ipse veniam petiturus ad arbitrium Episcoporum de præsumptione satisfecisset; nisi Robertus Archiepiscopus quem Rex adsciverat obstitisset. Tanti fuit homo ille in oculis Regis; ut si diceret nigram cornicem esse candidam, Rex citiùs ori illius quàm oculis suis crederet. Consummatum fuisset ipsâ die negotium ad honorem matris & filii; nisi cùm assisterent filii Dei coram Domino, affuisset inter illos etiam ille Satan. Robertus Archiepiscopus non rogatus partis se fortioris faciens advocatum, talibus Coepiscoporum industriam illudere conatus est, & avertere mentem Regis à matre. 'Convenistis fratres Dominum meum Regem pro matre suâ ferâ non fœminâ: ut vobis parcam, non vestris sed illius verbis retorquetis crimen matris in filium. *En scelus, ecce Jovem*

'*placidum nimis, hanc nimis aulam! Quæ sceleris tractat coram Jove de Jove*
'*causam.* Ausa est impudentissima mulierum in Regem injurias diffamatio-
'num evomere; & illum frequentatorem suum, qui scit simulare sanctita-
'tem, qui de virtute locutus clunem agitat, illum *Cujus ad effigiem non tantum*
'*meiere fas est*; ut Regem reum sacrilegii faceret, ausa est Christum Domini
'nominare. Notate malitiam mulieris. Ad hoc tantùm Elwinum suum
'Christum Domini nominavit; ut Rex qui manum misit in illum, pro sacri-
'legio plecteretur. Sed accedamus ad causam. Fœmina vult purgare Ponti-
'ficem. Et quis purgabit eam; quæ dicitur consensisse in necem filii sui
'Eluredi, & procâsse venenum Edwardo? Sed esto: quòd authoritatem ha-
'beat supra sexûs conditionem, quia Regina est. Si vultis ut consentiam in
'inauditam à sæculis purgationem; & vos consentietis, ut ego disponam ge-
'nus examinis; quòd si penitus illæsa pertulerit, me in Deum & Regem reum
'condemnabitis honore privandum, & purgatis honores pristinos restituetis.
'Totam culpam Regis, quam nullam esse præsumo, in me recipio. Non
'vos suspendam diutiùs: fœmina illa infamis pro seipsâ quatuor, pro Episcopo
'quinque, sc. novem continuos passus super novem ignitos vomeres fa-
'ciat nudatis pedibus. Si titubaverit, si singulos vomeres pleno pede non
'presserit, si quantulumcunque læsa fuerit; sententia proferatur in mæchum
'& fornicariam. Uterque religionis arctissimæ perpetuò claustri recludatur
'in carcerem. Noveritis etiam, quòd plùs de indulgentiâ quàm de rigere pro-
'cedit sententia; quæ non dicam decernit sed sustinet pedali examine crimen
'capitale purgari. Placere videbatur & Regi & Episcopis, quod Archiepisco-
pus decreverat; & die nominato statuitur convenire Wintoniam.

Ad Reginam refertur sententia; quæ non minùs inde turbata est quàm si vocaretur ad nuptias. Reginam taliter examinandam præconatur fama per regnum; tantusque populorum fit concursus ad civitatem Wentanam, quòd nunquam antea illic unâ die tot visi sint homines convenisse. Rex ipse S. Edwardus venit Wintoniam; nec defuit unus ex omnibus regni Magnatibus præter Robertum Archiepiscopum, qui apud Douram ægritudinem simulabat; ut si fortè aliter accideret quàm sperabat, posset sine impedimento profugere; & ita factum est.

Regina de mandato Regis reducta est Wintoniam de Warewellâ; & totâ nocte proximè præcedente diem agonis sui pervigilavit ad sepulchrum S. Swithuni. Non est opus ut dicam, quòd toto corde oraverit, quòd parum nocte illâ dormierit, quòd vota fecerit, ut in tanto mereretur salvari discrimine. Et tamen dormire nolens dormitavit paululum; & vidit B. Swithunum sibi assistentem, & hæc audivit dicentem sibi. Constans esto filia; ego sum Swithunus quem invocas; ego tecum sum, ne paveas. Confundentur qui te persequuntur; quia cùm transieris per ignem, flamma non nocebit te. Tu autem remittes hanc noxam filio tuo. Die facto convenit ad Ecclesiam Cletus & populus; & Rex ipse sedebat pro tribunali. Regina producitur ante filium; & an velit prosequi quod promiserat, convenitur. Quæ

> Respondere parat; meruitque silentia vultus.
> Postquam fœmineo rediit mens mota stupore;
> Gratia verborum tenero distillat ab ore.

Domine, inquit, & fili. Ego illa Emma quæ te genui, pro te de tuis impetita de crimine in te & Eluredum filios meos, & de consensu turpitudinis & proditionis cum hujus sedis Episcopo, invoco hodie Deum testem in corpus meum, ut peream, si quid horum quæ mihi imposita sunt vel mente commiserim. In pavimento Ecclesiæ scopato novem vomeres igne candentes ponuntur in ordine. Quibus breviter benedictis, subtrahuntur Reginæ calcei & caligæ;

ligæ; & posito peplo & rejecto flamine succincta à duobus hinc inde Episcopis ducebatur ad tormentum. Flebant qui eam ducebant Episcopi; & qui multò plus timebant quàm illa, animabant illam ut non timeret. Fit per Ecclesiam fletus intolerabilis; & fuit omnium vox una dicentium *S. Swithune, S. Swithune, tu illam adjuva.* Si interim reboâssent tonitrua, non audirentur à populo; tantis viribus tantis vocibus clamabatur in cœlum, ut S. Swithunus vel tunc vel nunquam festinanter accurreret. Deus vim patitur, & servus suus Swithunus extrahitur violenter de cœlo. Regina sine clamore hanc ineundo faciebat orationem. *Deus qui liberâsti Susannam de senibus iniquis, qui liberâsti tres pueros de camino ignis, tu de incendio mihi parato per merita S. Swithuni me liberare digneris.* Videte miraculum. Episcopis pedes illius dirigentibus, super novem vomeres novem passus faciens, & singulos eorum totius corporis pleno premens pondere, sic omnes supergressa vomeres, nec ferrum nudum nec sensit incendium. Unde & dixit Episcopis. Nunquid quod maximè petieram non obtinebo? Quare me ducitis extra Ecclesiam, quæ in Ecclesiâ debueram examinari? Erat enim procedens ulteriùs, & nondum sciebat quòd consummâsset examen. Ad quod Episcopi, sicut singultiendo poterant, responderunt. Domina nostra respice, jam fecisti; jam res acta est, quam faciendam existimas. Respexit, & aperti sunt oculi ejus; & tunc primò vidit ferrum, & intellexit miraculum. Ducite me, inquit, ad filium meum: ut videat pedes meos, & sciat quia nihil mali passa sum. Reversi Episcopi cum Reginâ, inveniunt illum operto capite prostratum in terrâ; jamque ei pro miseratione verba defecerant, quia erumpebant cum verbis lacrimæ, & non poterat se continere. Qui cùm elevatus rem agnovisset ex integro; procidit ille Sanctissimus ad pedes matris dicens: Mater peccavi in cœlum & in te; jam non sum dignus vocari filius tuus. Ad quem mater: Vocetur ad te Elwinus Episcopus; & cùm illi satisfeceris, de me citiùs veniam consequeris. Vocato ad Regem Episcopo, qui non sederat in ordine Episcoporum, Rex veniam cum lacrimis postulat & meretur; & virgis cæsus à singulis Episcoporum, per manum flentis matris tres ictus accepit. Et sic datis osculis & receptis, Rex illos in gratiam, & illi Regem in venerationem receperunt; & redditum est Reginæ & Episcopo quicquid illis sublatum fuerat. Declamatus est jubente Rege in Ecclesiâ & in atrio exteriùs per plorantes populos modus & ordo miraculi; & conversus est tam subito fletus illorum in risum, quòd simul videres illos ridentes & flentes.

Regina Emma donata omnibus Maneriis dotis suæ, quæ illi priores Reges confirmaverant, non est oblita liberatoris sui; deditque ipsâ die S. Swithuno in oblationem pro IX. vomeribus IX. Maneria, quorum hæc sunt nomina: ········ Elwinus Episcopus de suo patrimonio dedit S. Swithuno alia IX. Maneria, quæ sic nominantur: ········ Rex ipse Edwardus donationes Reginæ & Episcopi ratas habuit & confirmavit; & insuper de suo dominico dedit S. Swithuno duo Maneria, sc. Meones & Portlande, & terram V. hidarum, quæ vocatur Wrockeshale. Regina & Episcopus certabant se invicem superare in ornamentis faciendis Ecclesiæ S. Swithuni de thesauris suis. Sed ille superatus est; quia vel illa plùs potuit, vel plùs dilexit decorum domûs Dei.

Anno MXLVII. Elwinus Episcopus mortuus est; & Stigandus illi successit; qui de donis Emmæ Reginæ condidit magnam crucem cum duabus imaginibus, sc. Mariæ & Johannis; & illas cum trabe vestitas auro & argento copiosè dedit Wintoniensi Ecclesiæ.

Anno MLII. Emma Regina migravit à sæculo, & sepulta est in Ecclesiâ S. Swithuni Wintoniensis.

Anno MLIII. Godwinus Comes obiit. Githa uxor Godwini, fœmina multas habens facultates, pro animâ ejus multis Ecclesiis in eleemosinâ multa con-

contulit; & Wintonienſi Eccleſiæ dedit duo Maneria, ſc. Bleodonam & Eramkumbam, & ornamenta diverſi generis.

Anno MLXIX. Aldredus, qui de Monacho Wintonienſi Epiſcopus Herefordenſis, & de hoc Archiepiſcopus Eboracenſis factus eſt, Regem publicè excommunicavit; quia contra jus Eccleſiaſticum ſe habebat in regno; nec multò poſt de vitæ hujus inquietudine ad quietem tranſivit.

Anno MLXX. Petrus & Johannes Cardinales ab Alexandro Papâ miſſi pervenerunt in Angliam; & coacto Concilio ad voluntatem Regis Stigandum Archiepiſcopum & alios plures Epiſcopos & Abbates degradaverunt aſſenſu & voluntate Willelmi Regis. Rex autem Archiepiſcopatum Cantuarienſem Lanfranco Abbati Cadomenſi, Thomæ Eboracenſem, Walkelino Epiſcopatum Wintonienſem conceſſit. Eodem verò anno quicquid auri vel argenti in Eccleſiis fuerat, abſtulit Rex. Stigandus Archiepiſcopatum Cantuarienſem, & Epiſcopatum Wintonienſem, & multas Abbatias antea ſolus poſſidebat; publicas nundinas ex Epiſcopatibus & Abbatiis faciens; ſacros honores Eccleſiarum hos ſibi comparans pecuniâ, iſtos aliis linguâ venditans. Sed ego conjicio illum errore peccâſſe, quòd homo illiteratus eſſet, & quòd neſciret quantum delinqueret, rem Eccleſiaſticorum negotiorum ſicut publicorum actitari debere exiſtimans. Nunquam verò à Româ Pallium meruit.

WALKELINUS.

Anno MLXXII. Hoc anno Stigandus, qui dudum Archiepiſcopus, juſſu Regis captus & in Wintoniæ oppido poſitus eſt; ubi etſi invitus luit quicquid in Archiepiſcopatu deliquit. Graviùs enim memor amiſſorum torquebatur, quàm delectaretur habendo. Ibi demum mortuus, & in Eccleſiâ Wintonienſi, cui aliquantulo præfuerat tempore, honorificè ſepultus eſt. Dederat autem idem Stigandus Eccleſiæ Wintonienſi maximam crucem cum duabus imaginibus auro & argento optimè compoſitis. Eodem anno Wlurico Novi Monaſterii Abbate degradato, Rewalanus loco ejus ſubſtituitur.

Anno MLXXIII. Sciendum, quòd Rex Willelmus quolibet anno, dum quietus fuerat, ter coronari conſueverat, Wigorniæ ad Natale, Wintoniæ ad Paſcha, Londoniæ ad Pentecoſten.

Ab antiquo conſtitutum eſt, & in Concilio Lanfranci Archiepiſcopi diffinitum; ut in Conciliis Archiepiſcopus Eboracenſis ad dextram Dorobernenſis ſedeat, Lundonienſis Epiſcopus ad ſiniſtram, Wintonienſis Epiſcopus juxta Eboracenſem. Si Eboracenſis deſit; Lundonienſis ad dextram, Wintonienſis ad ſiniſtram: cæteri in ordine ſicut fuerint ordinati.

Anno MLXXIX. Walkelinus Epiſcopus à fundamentis Wintonienſem cæpit reædificare Eccleſiam.

Anno MLXXXII. Simeon, vir virtutis amator, frater Walkelini Epiſcopi, ex Præpoſito Wintonienſi, quem nos Priorem vocamus, Abbas Elienſis factus eſt; & Godefridus ejuſdem loci Monachus vir perfectæ bonitatis & pietatis loco ejus ſubſtituitur. Quantæ autem diſcretionis & bonitatis & caritatis prædicti præpoſiti Simeon & Godefridus fuerint, teſtantur quæ adhuc ſunt in Wintonienſi Eccleſiâ illorum donaria. Dictus itaque Simeon frater fuerat Walkelini Epiſcopi & Monachus de S. Audoeno. Factus itaque Prior Wintonienſis, cùm videret Monachos in Refectorio carnibus aſſiduè veſci, fecit exquiſita piſcium parari cibaria & dari eis. Illi autem delectati in his, rogabant hujuſmodi eis donari cibaria, & tunc velle abſtinere à carnibus. Datæ ſunt autem eis piſces; & abſtinuerunt à carnibus.

Anno MLXXXIV. obiit Hugo Epiſcopus Londinenſis, & Arfaſtus Epiſcopus Nordfolchienſis. Wlunodus Abbas Certeſiæ dimiſit morte præventus Abbatiam Odoni. Alicia ſucceſſit Beatrici in Abbatiâ Monialium Wintonienſium.

Anno MLXXXVI. Henricus Regis filius Miles factus eſt; & tres Capellani Regis tres ſuſceperunt Epiſcopatus, Mauricius Londonienſem, Willelmus Nord-

Nordfolchiensem, Robertus Cestriensem; & Geroldus Monachus Wintoniensis Abbatiam de Craneborna, quam transtulit ad Teokesberiam. Cristina virgo Deo devota Regis filia Sanctimonialis facta est apud Rumesiam. Fertur Regem concessisse Episcopo Walkelino ad perficiendam Ecclesiam quam inchoaverat Wintoniensem tantum lignorum de Hanepinges, quantum quatuor diebus & noctibus per carpentarios acquirere poterat. Carpentariis igitur innumerabilibus congregatis, totum nemus in præfixo termino solo dejectum est & ad Wintoniam deductum. Post hæc venit Rex per Hanepingam, & postquam respexit illuc, admirans quasi in extasi factus: Nunquid fascinatus sum? an amens effectus? ubi inquit sum? Nonne hîc juxta Wintoniam nemus habui valde delectabile? Agnitâ denique re gestâ, in furorem versus est. Walkelinus itaque sumptâ circa se vetustâ capâ, impetravit ab ostiariis Regis ingressum usque in Regis cameram. Ad pedes autem ejus procidit. Domine, inquit, novi quòd multos habeas Clericos & Capellanos promovendos; & ob hoc contra me quæris occasionem. Accipe ergo, si placet, quem mihi dedisti Episcopatum. Reservato mihi cum amicitiâ tuâ officium, quod dudum in Capellâ tuâ habui. Quid multa? Postremò Rex, certè, inquit, Walkeline ego nimis prodigus largitor, & tu nimis avidus extitisti acceptor. Pacificatur itaque Regi, cum amoris redintegratione ad Episcopatum suum rediit.

Anno MLXXXVII. Londonia cum Ecclesiâ S. Pauli combusta est. Stigandus Episcopus Cicestriæ de hoc sæculo migravit.

Anno MLXXXVIII. Gila Wellensis Episcopus decessit; successitque ei Johannes Regis Capellanus & Medicus; qui datâ Regi multâ pecuniâ sedem Episcopalem Bathoniam transtulit. Godefridus Cicestrensis Episcopus obiit; & successit ei ········ Radulfo Abbate Wintoniensi defuncto, commisit Rex Abbatiam Radulfo Passeflabere Capellano suo.

Anno MLXXXIX. commisit Rex Radulfo Passeflabere Archiepiscopatum Cantuariensis defuncto Lanfranco. Ipse autem Regi quicquid inde aliquo modo lucrari poterat, ut de ejus cogitaret promotione, donavit.

Anno MXC. Rex abstulit magnum thesaurum de Wintoniensi Ecclesiâ.

Anno MXCI. Radulfus Episcopatum Cicestriæ suscepit, & Herebertus Abbas Ramesiæ Episcopatum de Nordfolchiâ, & Willelmus Episcopatum Dunelmensem. Ecclesia Croilandiæ combusta est.

Anno MXCII. commisit Rex Radulfo Passeflabere Episcopatum Lincolniensem & Abbatiam Certesiæ. Odo enim Abbatiam Abbas dimisit, nolens eam de Rege more Sæcularium tenere. Prædictus verò Radulfus, vir quo in malo nemo subtilior, Ecclesias sibi commissas expoliavit bonis omnibus; & divites simul & pauperes ad tantam deduxit inopiam, ut mallent mori quàm sub ejus vivere dominatu.

Anno MXCIII. In præsentiâ omnium ferè Episcoporum atque Abbatum Angliæ cum maximâ exultatione & gloriâ de veteri Monasterio Wintoniensi ad novum venerunt Monachi VI. Idus Aprilis. Ad Festum verò S. Swithuni factâ processione de novo Monasterio ad vetus, tulerunt inde feretrum S. Swithuni, & in novo honorificè collocaverunt. Sequenti verò die Domini Walkelini Episcopi cœperunt homines primùm vetus frangere Monasterium; & fractum est totum in illo anno, excepto portico uno & magno altari.

Anno MXCIV. Fuit magna discordia inter Archiepiscopum Thomam & Robertum Electum Lincolniæ, pro eo quòd Archiepiscopus Episcopatum Lincolniensem sibi dixit esse debere subjectum, & quia prohibuit ne ab Anselmo consecraretur. Robertus denique tria millia marcarum Regi donavit; ut Episcopatum Lincolniensem de subjectione Archiepiscopatûs Eboracensis liberaret. Quod & factum est, datis Archiepiscopo duabus Abbatiis, sc. de Selebi & S. Oswaldi in Gloecestriâ. Inventæ sunt Reliquiæ S. Swithuni aliorumque

rumque plurimorum Sanctorum sub altari Veteris Monasterii. Simeon Abbas decessit.

Anno MXCVII. Transfretavit Rex, & regnum Walkelino & Radulfo Passeflabere commisit. Radulfus XVI. Ecclesias carentes Pastoribus sub tutelâ suâ habebat Episcopatus & Abbatias, quas ad extremam paupertatem perduxit. Ecclesiæ quibus Pastores præerant, dabant singulis annis Regi CCC. vel CCCC. marcas, aliæ plus, aliæ verò minus. In tantâ erant tam ordinati miseriâ quàm Laici; quòd tædebat eos vitæ eorum.

Anno MXCVIII. Venerabilis & piæ memoriæ Walkelinus Episcopus migravit ad Dominum, quem toto corde dilexerat. Mandaverat enim ei Rex die Natalis Domini post incæptum Missarum officium; ut absque omni dilatione CC. libras ei transmitteret. Ipse autem intelligens, quòd absque rapinâ pauperum vel thesauri Ecclesiarum exspoliatione ad præsens hoc facere non posset, pro hujusmodi rebus atque similibus tædebat eum vitæ suæ; & factâ oratione petiit, ut eum de hac ærumnosâ vitâ eriperet. Quod factum est X. die sequente. Erat itaque vir perfectæ pietatis & sanctitatis, immensæque prudentiæ, & tantæ demum abstinentiæ, ut nec carnes nec pisces comederet, nec cerevisiam vel vinum biberet nisi rarissime, & tunc permodicum. Semper se cum Monachis habebat; & quoties celebrabat Missarum solennia in Capellâ suâ Wintoniensi, Diaconum & Subdiaconum Monachos habebat. Non enim minùs Conventum suum diligebat, quàm si omnes Dii essent. Ecclesiam Wintoniensem in religione & numero Monachorum & in domorum ædificiis plurimùm melioravit. Sed primùm quidem novus advena Monachos exosus fuerat; sed facilè correctus, umbraticum illud odium sæpe deploravit. Deinceps fovens eos ut filios, diligens ut fratres, honorans ut dominos, nonnunquam eis auxilium & familiaritatem exhibuit. Nullum conviciis incesserat, pronuntians quòd Episcopalis gravitas suam indignâ maculâ respergeret gloriam, si in pauperiorum descenderet contumeliam. Unum est permaximè quod doluit; quòd ad CCC. libratas terræ Monachis auferens suis & successorum usibus implicuit.

Anno MXCIX. Radulfus factus est Dunelmensis Episcopus. Osmundus Sarum Episcopus obiit. Ille idem Osmundus construi & consecrari fecit Sarum Ecclesiam.

Anno MC. Rex à sagittâ perforatus est in Novâ Forestâ à Waltero Tirel, & sepultus in Ecclesiâ S. Swithuni Wintoniensi. Henricus autem frater ejus in Regem consecratus à Maurico Londoniensis Episcopo apud Londoniam. Dedit itaque Rex * Willelmo Cancellario suo Episcopatum Wintoniensem, sed ipse eam noluit suscipere nisi de Anselmo Archiepiscopo. Odoni reddidit Abbatiam Certesiæ. Roberto Episcopo Cestriæ dedit Coventriam. Radulfus Passeflabere in carcerem trusus est. Hugo de Monacho Wintoniensi Abbas Novi Monasterii factus est.

WILLELMUS GIFFARD.

* Willelmus nominatus à Rege anno 1100. consecrationem à Girardo Archiepiscopo Ebor. accipere noluit; ne injuriam Anselmo Cantuariensi faceret. Consecratus demum est ab Anselmo Cantuariæ 1107. 3. Idus Augusti. Cancellarius erat trium Regum, Willelmi I. Willelmi II. & Henrici I. abrogato illi plùs semel officio, atque iterum restituto. Primò itaq; Cancellarius erat sub exitum Willelmi I. & initia Willelmi II. atque eo titulo insignitur in donatione Willelmi I. factâ Ecclesiæ S. Petri de Scrobesbiri; quod constat ex *Inspeximus* Henrici III. Chart. 51. H. 3. m. 1. Cancellarium fuisse inter annos 1093. & 1100. constat ex Subscriptione ejus ad Chartam Willelmi II. Regis datam Ecclesiæ Roffensi, cui subscribit etiam Robertus Lincolniensis Episcopus, in Textu Roffensi f. 181. Roberto igitur & præivit & successit in Cancellariatûs munere. Eundem Cancellarium fuisse inter annos 1100. & 1108. liquet ex. chartâ Henrici Regis datâ Gundulfo Episcopo Roffensi, ibid. f. 187. & ex aliâ ejusdem datâ Ecclesiæ Roffensi in Registro Roffensi cap. 6. Anno 1103. Waldricum quendam Cancellarium Regis fuisse comperio in Textu Roffensi f. 220.

Anno MCI. Evasit de carcere Radulfus de Passeflabere, & profectus est ad Ducem Normanniæ. Item coronatus est Rex apud Wintoniam ad Pascha; suscepitque Gifardus Episcopatum Wintoniensem assensu Anselmi. Dux Robertus venit in Angliam cum CC. navibus, & cum eo Radulfus Passeflabere. Post multa autem incommoda regno illata pacificati sunt fratres, sc. quòd Rex daret ei singulis annis MM. libras. Radulfo autem reddidit Episcopatum suum.

Anno MCII. Londonia bis combusta est, Wintonia semel, & Gloecestria cum Abbatiâ. Rogerus Cancellarius Regis factus est Episcopus Sarum.

Anno MCIII. Willelmus Giffard Episcopatum Winton. amisit, quia noluit illum de Geroldo Archiepiscopo Eboracensi recipere; & Romam profectus est. Reversusque idem Episcopatum suum suscepit omnibus bonis intus exteriúsque exspoliatum.

Anno MCVI. Edulfus Monachus Wintoniensis suscepit Abbatiam de Malmesberiâ.

Anno MCVII. Consecrati sunt Willelmus Giffard & Rogerus Sarum ab Anselmo Archiepiscopo. Ernulfus Prior Cantuariæ suscepit Abbatiam de Burgo; Hugo Monachus Wintoniæ Certesiæ, Petrus Gloecestriæ. Obiit Mauricius Londoniensis Episcopus. Godefridus Prior Wintoniensis venerabilis memoriæ decessit; successitque ei Gaufridus Monachus loci ejusdem. Turris Ecclesiæ ejusdem cecidit Nonis Octobris.

Anno MCVIII. Radulfus Episcopus Cicestrensem fecit dedicari Ecclesiam. Gundulfus Episcopus Rovecestriæ obiit; deditque Archiepiscopus Anselmus Episcopatum Radulfo Abbati de Sais. Decessit Geroldus Archiepiscopus Eboracensis, & successit ei quidam Clericus Regis Thomas nomine. Ricardus etiam Clericus Comitis de Belesme Episcopatum Londoniensem suscepit.

Anno MCIX. Geroldus Abbas Theokesbiriæ Regis animum nolens nec valens satiare muneribus, Abbatiâ relictâ ad Ecclesiam Wintoniensem, cujus professus fuerat, reversus est.

Anno MCX. Fecit Rex transponere Monasterium S. Grimbaldi de atrio Episcopalis Ecclesiæ in suburbium civitatis ad aquilonem cum Monachis & Reliquiis. Robertus Theokesbiriæ Abbas factus est.

Anno MCXI. Willelmus Episcopus Gaufridum Priorem deposuit; & assensu Conventûs substitutus est Gaufridus, qui fuit Hordarius. Eodem anno dedit Episcopus Willelmus Regi, vellet vel non, DCCC. marcas. Illo anno combusta est Cantuaria & Tantonia & Oxonia, & multæ aliæ urbes. Ipso anno depositæ sunt Reliquiæ S. Adelwoldi de veteri feretro, & impositæ in novo. Interfuit autem Regina & tres Episcopi & quinque Abbates.

Anno MCXIII. Petrus Abbas Gloecestriæ decessit; successitque ei Willelmus Monachus Ecclesiæ ejusdem.

Anno MCXIV. Suscepit Episcopatum Wigorniensem Theobaldus. Eodem anno migravit Archiepiscopus Eboracensis Thomas; successitque ei Turstanus. Archiepiscopatum Cantuariensem suscepit Radulfus, qui fuerat Episcopus Rovecestriæ. Ecclesia Cicestriæ combusta est. Archiepiscopus Cantuariensis dedit Episcopatum Rovecestriæ Ernulfo Abbati de Burgo, Abbatiam de Burgo Johanni Monacho de Seis.

Anno MCXV. Reginaldus Episcopus Herefordensis decessit; successitque ei Gaufridus.

Anno MCXVI. Facta est discordia inter Archiepiscopos; quia Eboracensis à Cantuariensi consecrari nolebat, gratis Archiepiscopatum dimisit. Eodem anno quæsivit Papa à Rege quasdam consuetudines; quas nunquam prædecessores sui habuerant. Qua de re misit Rex ad eum Radulfum Archiepiscopatum Cantuariensem, & Herebertum Episcopum Norvicensem, & Hugonem

gonem Abbatem de Certesie. Obiit Robertus Cestrensis Episcopus, & Herlewinus Abbas Glastoniensis.

Anno MCXVII. Reversi sunt à Romano Pontifice Turstanus Archiepiscopus Eboracensis, & Herebertus Norwicensis Episcopus, & Hugo Abbas Certesiæ: Radulfus Cantuariensis Archiepiscopus remansit in Normanniâ cum Rege. Robertus primus Prior locum Meretonii accepit. Gilebertus Abbas Westmonasterii obiit.

Anno MCXVIII. Edulfus Abbatiam Malmesberiæ sine causâ amisit.

Anno MCXIX. Gaufridus Herefordensis Episcopus obiit. Kalixtus Papa tenuit Concilium apud S. Remigium; & consecravit Turstanum Eboracensem Archiepiscopum. Gaufridus factus est Abbas S. Albani. Henricus Comes de Warewich obiit.

Anno MCXXI. Dedit Rex Ricardo Clerico suo Episcopatum Hereford. Roberto Episcopatum Cestrensem, Ewerardo Episcopatum Norwicensem, & Abbatiam Westmonasterii Hereberto Monacho ejusdem loci, & Abbatiam Abbandoniæ Vincentio, & Abbatiam Glastoniæ Sefrido Monacho de Sais.

MCXXII. Fuit enormis & non tam narranda quàm tacenda discordia inter Episcopum Willelmum Wintoniensem & Monachos suos pro dilapidatione, & præcipuè pro IX. Ecclesiis, quæ de Maneriis Monachorum fuerant, quas eis abstulit. Nescientes igitur quid eis agendum esset, crucium pedes invertunt sursum & capita deorsùm; & processionem nudis pedibus contra Solis cursum & morem Ecclesiasticum fecerunt; ut sicut Episcopus contra decreta canonica victûs eis necessaria in Ecclesiâ Deo deservientibus abstulit, sic ipsi Ecclesiæ contra jus & decreta Ecclesiastica deservirent. Fovebant autem partem Monachorum Rex; Episcopi verò partem fovebant omnes ferè Capitanei Angliæ. Glocestria cum Ecclesiâ S. Petri combusta est.

Anno MCXXIII. Hoc anno defuncto Radulfo Cantuariensi Archiepiscopo successit Willelmus de Curbuil Prior S. Osithæ; consecratusque est à Willelmo Giffard Wintoniensi Episcopo. Theobaldus Wigorniensis Episcopus decessit.

Anno MCXXIV. Facta est concordia inter Willelmum Giffard & Monachos mediante Rege. Jussu enim Regis venit Episcopus solus in Capitulum Monachorum. Monachi verò, ut eis mandaverat Rex, nudi pedes & corpore ad pedes illius prociderunt, omnem pro delicto satisfactionem spondentes. Visâ itaque humilitate & compunctione eorum, procidit ipse ad pedes illorum; ut erat vir pietatis perfectæ & mitissimus hominum; reddiditque eis omnia interrogata; & cartâ suâ hæc & alia multa sub anathematis vinculo confirmavit Conventui perpetuò possidenda.

Anno MCXXV. Mutilati sunt omnes monetarii totius Angliæ, exceptis tribus apud Wintoniam. Johannes de Crema generale Concilium apud Londonias tenuit. Radulfus ut fertur Passeflabere apud prædictum Johannem de incontinentiâ & multis aliis quæ non decent sanctos accusatus est; sed degradandus citatus multoties, multas excusationes opponens citationibus, non apparuit judicio. Quocirca legatus venit Dunelmum, honorificéque susceptus est. Post vina cor bene bibentium lætificantia, captus est & accensus Legatus amore virginis miræ pulchritudinis neptis Pontificis. Convenit eam; conventa thalamum ejus thorumque moribus instituenda Romanis, ut ei ab Episcopo fuerat imperatum, ingressa est. Ingressâ illâ thorum, thalamum ingreditur Episcopus cum Clericis & pueris, poculisque & luminaribus noctis tenebras claritate suâ radiantibus. Circumstantesque Legati lectum, clarâ voce clamabant: Benedicite, benedicite. Iste inde stupefactus, Quid, inquit, facitis pro S. Petro? Domine, ait Episcopus, nostræ consuetudo est patriæ, quòd quoties quis generosus nupserit, hic ei ab amicis debetur honor & reverentia. Surge ergo, & bibe quod in hoc quem porto calice est. Quod si renueris;

eris; certè ecce jam bibiturus es calicem, post quem ultra non sities. Vellet denique vel nollet surrexit; & nudatus usque ad inguen, bibit ad novam nuptam dimidium quod erat in Pontificis calice. Discessitque inde Pontifex, jam non sollicitus de Pontificatûs amissione. Legatus verò priusquam diesceret, cum concubinâ suâ & blando dedecore inde fugiens, quàm citò potuit Romam reversus est.

Anno MCXXVI. Gaufridus Prior obiit.

Anno MCXXVII. Randulfus Episcopus Dunelmensis obiit.

Anno MCXXVIII. † Willelmus Wintoniensis Ecclesiæ Episcopus, compatientissimus & piissimus hominum, migravit ad Dominum. Hic vir venerabilis & suavis memoriæ post infestationes Monachis Wintoniensibus per pravorum hominum suggestionem & instinctu nefario illatas, & post factam inter eos concordiam, tanquam cor suum universos dilexit & singulos, in tantum quòd quoties venit aliunde Wintoniam, ad Ecclesiæ ostia descendit, & factâ oratione cum gemitu & quandoque cum lacrimis Conventum adiit, sive in Claustro sive in Refectorio esset, deditque super eos benedictionem suam. Quoties verò poterat, occasionem quærebat esse cum illis; ita ut meridianam suam solitus esset facere cum illis in illorum Dormitorio, & in Refectorio cum eis reficere, etiam ad cœnam quandoque, & tamen in novissimo loco cum Novitiis. Demum siquidem suscepto Monachatu in Infirmariâ Monachorum Deo spiritum reddidit.

Anno MCXXIX. || Henricus nepos Regis Henrici ex sorore Adelâ, frater Stephani Comitis Moretonii & Boloniæ, postea Regis, ex Abbate Glastoniæ Episcopus Wintoniensis factus est. HENRICUS BLESENSIS.

Anno MCXXX. Robertus Episcopatum Herefordensem suscepit.

Anno MCXXXIV. Henricus Wintoniensis Episcopus Legationis officium gerebat in Angliâ.

Anno MCXXXVIII. fecit Henricus Episcopus ædificare domum quasi palatium cum turri fortissimâ in Wintoniâ, castellum de Merdonâ & de Fernham & de Wantham & de Duntonâ & de Tantonâ.

Anno MCXXXIX. Rogerus Episcopus Sarum obiit, & Archiepiscopus Eboracensis.

Anno MCXLI. Stephanus Rex à Roberto Comite Glouцestriæ captus est. Imperatrix igitur a Domino Legato Henrico Wintoniensi Episcopo & omnibus ferè Capitaneis Angliæ apud Wintoniam in Dominam suscepta est, suscepitque omnium homagium & fidelitates. Londonienses tamen non fecerunt fidelitatem, aut si fecerunt, hoc inviti. Licèt autem fecerint annon, semper ei insidiabantur; ita ut cùm fortè fuisset Londoniæ, illam capere modis omnibus tentaverunt; sed præmunita relictis supellectilibus suis clanculò cum suis aufugit. Factâ demum inter Legatum & Imperatricem discordiâ, Imperatrix cum suis Castellum tenuit regium & orientalem partem Wintoniæ & Burgenses cum eâ, Legatus cum suis Castrum suum cum parte occidentali & Londoniensibus. Quid multa? Combusta est civitas & depopulata. Ecclesia Sanctimonialium combusta & Ecclesia de Hidâ; & excrustata est magna Crux, inventæque sunt in illâ plusquam D. marcæ argenti & auri XXX.

Anno MCXLIII. decessit Innocentius Papa, successitque Cælestinus. Henricus Episcopus tempore prædicti Innocentii Papæ propter nimiam dilectionem, quæ fuit inter eos, Romam profectus est. Quo anno profectus fuerit,

† Obiit anno 1129. ineunte, 8. Cal. Februarii, juxta Continuatorem Florentii. die 10. Cal. Febr. juxta Calendarium vetus Wintoniensis Ecclesiæ *Vitellius E* 18.

|| Iste electus 1129. mense Octobri consecratus est Wintoniæ à Willelmo Cant. Archiepiscopo eodem anno 15. Cal. Decembr. prout refert Continuator Florentii. Electum die 11. Octobris referunt Annales Winchelcumbenses.

 non

non affirmo. Sed ipſe exegit apud Papam, quòd de Epiſcopatu Wintonienſi Archiepiſcopatum faceret, & de Abbatiâ de Hidâ Epiſcopatum, & quòd Epiſcopatum Ciceſtriæ ſibi ſubjiceret. Et hoc fecit propter crebram decertationem quæ fuit inter Epiſcopum & Archiepiſcopum Cantuarienſem. Iſte enim major videri voluit quia Archiepiſcopus, ille quia Legatus.

Anno MCXLV. Gaufridus Abbas S. Albani obiit; & ſucceſſit ei Radulfus.

Anno MCXLVI. obiit Robertus Comes Gloeceſtriæ. Hic Robertus vir bonus atque fideliſſimus Magnatum totius Angliæ, cùm fautores Henrici Epiſcopi Wintonienſis Eccleſiam Sanctimonialium Wintoniæ & de Werewellâ & Eccleſiam de Hidâ incenderent; pepercit Eccleſiæ S. Swithuni, cùm eam facilè poſſet ſi vellet comburere.

Anno MCXLVII. exulatus eſt Archiepiſcopus Eboracenſis Willelmus ab Archiepiſcopatu ſuo. Henricus autem Wintonienſis Epiſcopus propter ſanctitatem ejus, & quia eum ordinaverat & conſecraverat, honorificè eum in domum ſuam ſuſcepit cum ſuis, & neceſſaria ſicut ſibi & ſuis invenit. Ille autem, quantum potuit, & quantum paſſus eſt Henricus Epiſcopus, cum Monachis Wintonienſibus fuit; & illorum ſanctitatem tanquam Angelorum dilexit, comedens & bibens cum illis, & in Dormitorio illorum dormiens.

Anno MCXLVIII. deceſſit Robertus Epiſcopus Herefordenſis; ſucceſſitq; ei Gilibertus Folioth Abbas Gloeceſtriæ.

Anno MCXLIX. profecti ſunt Romam Monachi plerique de Hidâ contra Hugonem de Lens Abbatem ſuum, appellato priùs Abbate ipſo ab eiſdem Monachis pro quibuſdam controverſiis quæ vertebantur inter eos. Appellaverant etiam iidem Monachi Henricum Epiſcopum de dilapidatione theſauri Eccleſiæ ſuæ, & maximè de excruſtatione magnæ crucis Eccleſiæ ſuæ & ablatione.

Anno MCL. tranſlatæ ſunt Reliquiæ ſanctorum Confeſſorum Birini, Swithuni, Ædde, Birſtani, Elfegi. Obiit Gaufridus Abbas S. Albani; cui ſucceſſit Robertus de Gorram.

Anno MCLI. Henricus Epiſcopus Wintonienſis Romam profectus eſt purgare ſe coram Summo Pontifice de his quæ imponebantur ei à Bernardo Abbate Clarewallenſi & Monachis de Hidâ & multis aliis. Pacificatus Papæ poſt multas cavillationes & multa munera ab Epiſcopo data, & multò plura promiſſa, cum priori poteſtate ſuâ reverſus eſt ad propria.

Anno MCLII. obiit Theobaldus Bleſenſis frater Henrici Epiſcopi, & Gilebertus de Clarâ, & Radulfus de Perronâ.

Anno MCLIV. Willelmus Archiepiſcopus Eboracenſis pacificatus ſuis mediante Epiſcopo Henrico, cùm reverſus eſſet de exilio, veneno extinctus eſt, ut fertur, ab Archidiacono ſuo miſſo veneno in calice ſuo.

Anno MCLV. Robertus Epiſcopus Exoniæ, & Matildis Abbatiſſa Rumeſiæ, & Robertus de Gorram Abbas S. Albani obierunt.

Anno MCLIX. obierunt Walterus Ceſtrenſis Epiſcopus, & Ingulfus Abbas Abendoniæ, & Rogerus de Heveſham, & Willelmus Comes de Warennâ in regreſſu de obſidione Toloſæ.

Anno MCLX. obierunt Robertus Epiſcopus Exoniæ, & Aluredus Wigorniæ.

Anno MCLXI. Magiſter Bartholomæus Epiſcopus Exonienſis factus eſt, & Ricardus Pecche Ceſtrienſis. Londonia combuſta eſt, & Wintonia, & Cantuaria, & Exonia.

Anno MCLXII. Thomas conſecratus eſt in Archiepiſcopum apud Cantuariam ab Henrico Wintonienſi Epiſcopo in præſentiâ XIV. Epiſcoporum in Octavis Pentecoſtes, quinque annis Cancellariæ functus officio, ætatis verò tæ annum agens XLIV.

Anno MCLXIII. dimiſit Gilbertus Folioth Epiſcopatum Hereford. & ſuſcepit

cepit Episcopatum London. Rogerus verò Glauconiensis Comitis filius factus est Episcopus Wigorn. & Robertus de Melundino Episcopus Hereford. consecratique sunt ab Archiepiscopo. Eodem anno dedicavit Archiepiscopus Thomas Monasterium de Radingâ, præsente Rege Henrico & multis Angliæ Magnatibus. Henricus de Exsexâ victus est à Roberto de Munford, & factus est Monachus Radingæ.

Anno MCLXIV. obierunt Willelmus frater Regis & Rogerus Abbas de Radingâ & Walkelinus Abbas Abendoniæ.

Anno MCLXVI. obierunt Robertus Episcopus Bathoniensis & Robertus de Chenni Episcopus Lincolniensis & Robertus de Melun Episcopus Herefordensis, & Robertus de Gorram Abbas S. Albani, cui successit Simeon, & Gaufridus Comes de Mandewillâ.

Anno MCLXVII. magna Crux consecrata est ab Henrico Episcopo.

Anno MCLXVIII. obierunt Robertus Comes Leicestriæ & Patricius (*b*) Episcopus Sarum.

(*b*) *lege* Comes

Anno MCLXIX. obierunt Nigellus Episcopus Elyensis & Hilarius Cicestrensis.

Anno MCLXX. obiit Symeon Abbas S. Albani.

Anno MCLXXI. Henricus * Wintoniensis Episcopus, quo nemo unquam pudicitior vel prudentior, nemo misericordior, vel in rebus ecclesiasticis augendis vel decorandis sollicitior, migravit ad Dominum, quem toto corde dilexerat, & cujus ministros Monachos sc. & alios quosque Religiosos tanquam ipsum Dominum honoraverat: Cujus anima in sinu Abrahæ requiescat. Obiit Selidus Abbas.

Anno MCLXXII. coronatus est Henricus filius Regis Henrici cum Margaretâ uxore suâ filiâ Regis Francorum Lodovici apud Wintoniam. Quidam Rogerus Sacerdos ictu fulminis periit in Ecclesiâ de Andivre nocte Natalis Domini.

Anno MCLXXIII. Ricardus Prior Cant. electus est in Archiepiscopum Cant. Ricardus † Archidiaconus Pictaviensis Kalendis Maii electus est in Episcopum Wintoniensem, Gaufridus Ridel in Elyensem, Robertus Foliot in Herefordensem, Johannes Decanus in Cicestrensem, Robertus Prior Winton. in Abbatem Glastoniensem.

RICARDUS.

Anno MCLXXIV. Ricardus & cæteri Electi, de quibus suprà scriptum est, ordinati sunt & consecrati II. Non. Octobr.

Anno MCLXXV. Walterus Prior Winton. factus est Abbas Westmonasterii, & Thomas Prior Montis-acuti Abbas de Hida, & Prior Bermundesiæ Abbas Abbendoniæ.

Anno MCLXXVIII. combusta est & redacta in pulverem Ecclesia de Theokesberiâ. Eodem anno obiit Fromundus Abbas Theokesberiæ. Willelmus Abbas Ramesiæ Abbas Cluniacensis factus est.

* Obiit mense Septembri proximè sequente martyrium S. Thomæ Cant. (viz. anno 1171.) inquit Giraldus de jure Menev. Ecclesiæ, Dist. 7. Obiit 1171. 6. Cal. Augusti, inquit Bartholomæus Cotton in Annalibus Norvic. 6. Id. Augusti, Historia Glastoniensis, & Radulfus de Diceto de Præsul. cap. 6. die 5. Id. Augusti, Obituarium Cant. Sedes vacavit triennio.

† Ricardus Toclivius, aliis *Hokelin*, aliis *de Ivelcestriâ* cognominatus, contra consuetudinem antea receptam intronizatus est 1173. 16. Cal. Junii, ante consecrationem. Confirmatus anno sequenti à Ricardo Cant. Archiepiscopo die 1. Octob. consecratus est ab eadem Cantuariæ 6. Octobr. Sedit annis 14. septimanis 11. obiit 1188. 11. Cal. Januar. Ista Diceto in Imag. Hist. p. 568, 582, 641. De die obitûs conveniunt Gervasius, Florilegus, & Obituarium Cant. Soli Annales de Lanercost illum in Festo S. Thomæ Apostoli decessisse volunt. Iste anno 1179. in magno Parliamento Windesoræ habito constitutus est unus ex Justiciariis itinerantibus; postea ab Henrico Rege Archijusticiarius Angliæ renunciatus.

Anno MCLXXX. obiit Rogerus Ebor. Archiepiſcopus. Eodem anno Thomas Abbas de Hidâ renunciavit Abbatiæ ſuæ. Nocte Vigiliæ S. Swithuni accenſa eſt monetaria in Wintoniâ; & egreſſus inde ignis conſumit majorem partem & meliorem Wintoniæ.

Anno MCLXXXII. innotuit ſe primùm S. Barnabas apud Hidam per miracula à Deo meritis ejus perpetrata; & tunc cœpit renovari & meliorari eadem Eccleſia.

Anno MCLXXXIV. obierunt Ricardus Cant. Archiepiſcopus & Girardus Ceſtrenſis Epiſcopus & Waleranus Roffenſis. Glaſtonia tota combuſta eſt.

Anno MCLXXXV. Venit Patriarcha Jeroſolimitanus in Angliam; receptuſque fuit honorificè apud Wintoniam ad proceſſionem, præſente tunc Rege & omnibus ferè Epiſcopis & Abbatibus totius Angliæ. Johannes Abbas de Hidâ Romam profectus eſt propter pallium Baldewini Electi Cant. Gilebertus de Glanwilla Roffenſis Epiſcopus factus eſt.

Anno MCLXXXVI. Bartholomæus Exonienſis Epiſcopus obiit.

Anno MCLXXXVII. Robertus de Melun de Subpriore Wintonienſis Eccleſiæ factus eſt Abbas Malmesberiæ. Johannes Prior Wintonienſis Eccleſiæ, vir bonæ ſimplicitatis, migravit ad Dominum; cui ſucceſſit Robertus filius Henrici.

Anno MCLXXXVIII. Introducti ſunt in Eccleſiâ Wintonienſi viri armati; qui minimè metuentes mittere manus ſuas in Chriſtos Domini, quoſdam de miniſtris Dei extraxerunt nefario quorundam Magnatum inſtinctu atque imperio. Eodem anno migravit ad Dominum Ricardus bonæ memoriæ Wintonienſis Epiſcopus.

GODEFRIDUS DE LUCI.

Anno MCLXXXIX. ſuſcepit Epiſcopatum Wintonienſem Dominus || Godefridus de Luci, & Ricardus Theſaurarius Epiſcopatum London. & Willelmus Cancellarius Regis Epiſcopatum Elyenſem. Obiit Gaufridus Ridel Epiſcopus Elyenſis.

Anno MCXC. Ricardus Rex Angliæ iter arripuit versùs Jeroſolimam cum Baldewino Cant. Archiepiſcopo & Huberto Walteri Epiſcopo Sarum & Radulfo de ··········

Deeſt in Codice folium unum aut alterum.

··········· Johannes de Cuſtances, nepos Archiepiſcopi Rothomagenſis, Wigornienſis Epiſcopus factus eſt.

Anno MCXCVII. Willelmus de Longo-campo Elyenſis Epiſcopus & Regis Cancellarius viam ingreſſus eſt moriens, quam vivens promeruerat; & Pictaviis ubi deceſſerat ſepultus eſt; homo quidem prudentiâ ſæculi & gratiâ labiorum mirâ æſtimatione inſignis, & quo nemo unquam in integritate ſemel conceptæ dilectionis fidelior extitit; qui & meritò Pater Monachorum poterat appellari, niſi cùm olim utrumque teneret gladium auctoritate Apoſtolicâ & Regiâ conſiliis conſenſiſſet religioni adverſantium, ut in magno Concilio ſuo apud Londonias ejectionem Monachorum de Coventre quantum in ipſo fuerat confirmâſſet. In Normanniâ obierunt Willelmus Comes Sa-

|| Godefridus, filius Ricardi de Luci, Angliæ Juſticiarii, qui abdicato munere anno 1179. Canonicus Regularis factus eſt in Abbatiâ de Leſnes, quam in fundo ſuo ipſe fundaverat, ante ſuſceptum Epiſcopatum Decanus erat S. Martini London. & Juſticiarius itinerans anno 1179. Vid. Hoveden. f. 337. Ad Sedem Wintonienſem nominatus à Ricardo Rege apud Pipewelle 1189. 15. Sept. conſecratus eſt apud Weſtmonaſterium die 22. Octobris ſequentis. Malè Matthæus Paris illum die 1. Nov. conſecratum ſcribit. Anno 1197. Juſticiarius Angliæ conſtitutus, obiit 1204. 12. Sept. juxta Waverleienſem Chronographum, 11. Sept. juxta Wintonienſem noſtrum, cui ſuffragatur Obituarium Abbatiæ de Winteneiâ.

rum

rum & Willelmus de (*c*) Specioso-campo, viri quidem generositate naturæ ac liberalis animi benignitate valde illustres; quorum mors immatura ingentem mœstitiam parentibus suis intulit & amicis. Magister Martinus Monachus, olim Prior de Tudford, licèt non electus canonicè, Abbas tamen Certesiæ factus est, cuicunque piguit vel cui non, vivente adhuc altero Abbate. In cujus susceptione quasi infaustum aliquod accidit prognosticon. Cùm enim ad processionem à Conventu de more susciperetur; serviens quidam deprendens pallia statim ut ingressus est Abbas Ecclesiam corruit; & tam citò minister introitûs sensit pœnam, quàm citò ministraturus Abbas Abbatiæ suscepit honorem. Ricardus frater H. Episcopi Sarum Decanus Sarum effectus est. Eustachius Cancellarius Regis, vir multæ scientiæ & discretionis, in Episcopum Eliensem electus est. Accessit ad Risum Regem Walliæ Petrus Episcopus Menevensis, deprecans eum paterno affectu, ne pacem sanctæ Dei Ecclesiæ & Domini sui Regis Anglorum turbaret. Sed Episcopus super his nihil proficiens, conviciatus & plurimùm exacerbatus de curiâ recessit. Sequenti verò nocte à Rege missi filii infideles Episcopum staminiâ tantum femoralibusque indutum de stratu suo extraxerunt; donec per manus hominum Willelmi de Breus ereptus est. Manè verò facto citatis Episcopus Archidiaconibus suis & totius Episcopatûs Presbyteris, cum illis pariter Regem & Regis filios cum totâ terrâ suâ anathemate perculit. Intravit igitur sicut aqua in interiora obstinati Regis & sicut oleum in ossibus ejus Episcopi maledictio; & defunctus est sub anathematis vinculo non post multos hos dies. Grifinus autem paulò patre clementior cum fratribus suis & amicis ad Episcopum accessit, misericordiam cum lacrimis postulans, debitam omnem subjectionem & reverentiam Domino suo Regi Anglorum & sibi exhibiturum promittens. Episcopus igitur sub hac conditione vapulato Regis defuncti corpore jam fætido, vapulatis & filiis, cum mortuo vivos eorumque terram absolvit assensu & auctoritate Domini Archiepiscopi Cantuariensis.

(*c*) sc. Bello-campo.

Anno MCXCVIII. Eustachius Cancellarius Regis consecratus est apud Londoniam ab Archiepiscopo Cant. in Episcopum Eliensem VIII. Idus Martii. Hugo de Nunante Episcopus Cestrensis in languorem decidit. Monachi Coventrenses introducti sunt in Ecclesiam suam; & Prior de Wenloc Magister Jorbertus Prior eorum effectus est. Episcopus Sarum imperio Domini Regis de omnibus possessionibus suis disseisiatus transfretavit mense Februarii. Dominus Godefridus Episcopus Wintoniensis transfretavit X. Cal. Aprilis; reversus est in Angliam mense Junii; XVI. Cal. Augusti apud Pevenesè applicuit. Gaufridus filius Petri, vir ingenuus & specialis amator Wintoniensis Ecclesiæ, fecit transferri patrem suum, qui fuerat ejusdem loci Monachus conversus ad succurrendum, de cæmiterio Monachorum in Ecclesiam & ibi honorificè recondi in præsentiâ Abbatis de Theokesberiâ & Abbatis de Hidâ & aliorum plurimorum virorum nobilium VIII. Idus Maii. Obiit Simon Abbas de Persorâ apud Bermundeseiam IV. Idus Maii. Archiepiscopus Eboracensis pacificatus est Regi fratri suo, mediante Episcopo Wintoniensi Godefrido; suscepitque eum Rex in osculo pacis. Hugo de Nunant Episcopus Cestrensis introductis Monachis de Coventre in Ecclesiam suam, de qua per eundem Episcopum ejecti fuerant, post diutinum languorem & pœnam intolerabilem miseram vitam meritâ morte terminavit VI. Cal. Aprilis in Parasceve; & in Ecclesiâ Becci Herlewini sepultus est. Herbertus Pauper Episcopus Sarum reversus de Normanniâ cum gratiâ Domini Regis, applicuit in Angliam VI. Idus Junii. Walterus Prior Bathoniensis, vir multæ scientiæ & religionis, apud Werewellam vitam in Christo finivit. Hic de Subpriore Hidensi pro bonâ sanctitatis suæ famâ Prior Bathoniensis factus, postquam Monachos Monastico Ordini ad unguem informaverat, cogitans intra se quàm frivola gloria mundi, Quàm rerum fugitivus honor, quàm nomen inane Prælatus, malens

sibi

ſibi tantùm prodeſſe quàm aliis præeſſe, contulit ſe ad Cartuſienſes. Ubi cùm quidam Monachus Hidenſis veniſſet causâ viſendi eum, & vidiſſet eum circa ollas & olera valde intentum, qui multùm paulò antè intenderat circa ſalvandas animas, quaſi cum irriſione ait. Domine pater, quod facis eſt Kere, quod tractas Kerewiwere. Ille autem ad ſe reverſus poſt non multos hos dies tam prece quàm præcepto magiſtrorum intelligens quòd ſanctius eſt multas animas quàm ſolam ſalvare, ad Prioratum ſuum reverſus eſt, & ibi ſe ſtrenuè uſque ad obitum ſuum habuit; ſepultuſque eſt apud Bathoniam II. Cal. Junii. Lumbardus Judæus commodavit conventui X. libras & unam marcam in Vigiliâ S. Swithuni. Gaufridus de Muſchampo, qui fuerat Archidiaconus de Clivelande, Epiſcopus Ceſtrenſis factus eſt, & conſecratus ab Archiepiſcopo Huberto Walteri in Eccleſiâ Cant. XI. Cal. Julii. Petrus Menevenſis Epiſcopus, vir religionis eximiæ, & tam vitæ forma quàm informatio morum, fracto fragilis luteo corporis vaſe migravit, ab eo ſtolâ immortalitatis veſtiendus in cœlis, pro quo in terris multas multoties mundi preſſuras perpeſſus eſt. Magiſter Anſelmus Monachus Radingæ factus eſt Abbas de Perſorâ. Euſtachius Sacriſta de Mideltonâ ejuſdem Eccleſiæ Abbas effectus eſt. Ricardus Nigelli quondam Elienſis Epiſcopi filius & Regis Henrici Apotecarius & demum Londonienſis Epiſcopus, vir venerandæ & piiſſimæ recordationis & ſcientiæ, cujus ſingula verba ſingulis quibus loquebatur viſa ſunt ſtillare dulcedinem, Exiit è medio, corpuſque reliquit inane, IV. Idus Septembris. Iſte vir benigniſſimus & miſericordiſſimus in tantum totius Angliæ potentes & induſtrios viros præcelluit; quòd illius reſpectu omnes reputari poterant & reputabantur avari. Sciens itaque & memoriter recolens, quòd nil turpe magis, nil pejùs honores Inquinet excelſos quàm cœna negata potentis; exactiſſimæ liberalitatis & munificentiæ vir ille, cujus eſt in cœleſti benedictione memoria, omnes ad menſam ſuam admittebat, niſi quos propria malitia aut reproba vita repulerat. Menſe Septembri obiit Johannes de Cuſtances Wigornienſis Epiſcopus.

Anno MCXCIX. obierunt Andreas Abbas de Burgo, & Juliana Abbatiſſa Rumeſiæ menſe Februario. Ricardus Rex apud oppidum Chaulew telo perfoſſus eſt VII. Cal. Aprilis, obiitque VIII. Idus ejuſdem menſis, die videlicet Martis. Sepultumque eſt corpus ejus ad pedes patris ſui Henrici Regis apud Fontem Everardi. Scitu quidem dignum eſt, quòd dictus Rex ſepultus eſt cum eâdem coronâ & cæteris inſignibus regalibus, quibus præcedenti quinto anno coronatus & infulatus fuerat apud Wintoniam. Magiſter Willelmus Pica electus eſt in Abbatem Glaſtoniæ. Matildis patria ſoror Walteri Walerandi facta eſt Abbatiſſa Rumeſiæ III. Non. Junii. Hugo Abbas Radingæ Cluniacenſis Abbas factus eſt. Dedicata eſt Eccleſia Ciceſtriæ à Sefrido ejuſdem loci Epiſcopo II. Idus Septemb. Johannes Rex coronatus eſt apud Weſtmonaſterium die Aſcenſionis Domini, ſc. VI. Kal. Junii.

Anno MCC. inchoata eſt & perfecta turris Wintonienſis Eccleſiæ. Menſe Martio obiit Odo Abbas de Bello; cui ſucceſſit Johannes de Duvrâ Monachus Cantuarienſis. Eodem verò anno obiit Willelmus Simplex Abbas Rameſiæ; & ſucceſſit ei Yvo Prior de Burgo. Eodem etiam menſe Prior S. Albani nomine Acharius factus eſt Abbas de Burgo. Obiit Willelmus Poſtard Abbas Weſtmonaſterii. Radulphus de Arundel, qui fuerat Prior de Herlie, factus eſt Abbas Weſtmonaſterii. Johannes de Grai, qui fuerat Archidiaconus Oxon. factus eſt Epiſcopus Norwicenſis; & conſecratus eſt apud Londoniam ab Archiepiſcopo Huberto Walteri. Eodem anno conſecratus eſt Gilda filius Willelmi de Breus Epiſcopus Herefordenſis. Obiit piæ & ſanctæ recordationis Hugo Epiſcopus Lincolnienſis, qui fuerat Prior Cartuſiæ.

Anno MCCI. mediâ ferè horâ noctis Sanctorum ſeptem Dormientium enormis quædam & nimis luctuoſa evenit diſſonantia inter duos pſeudofratres de Hida

Hidâ & geminos ejusdem loci Abbates. Unde perplures plurimam, quam non moruerant, pœnam perpessi sunt & grave dispendium.

Anno MCCII. Dominus Wintoniensis Godefridus de Lucy constituit Confratriam pro reparatione Ecclesiæ Winton. duraturam usque ad quinque annos completos. Obierunt Gaufridus Comes de Pertico, & Alanus Abbas Theokesberiæ, qui fuerat Prior Cantuariensis. Hoc anno formata & confirmata est pax & concordia inter Dominum Cantuariensem & Monachos loci ejusdem per arbitros eis à Summo Pontifice datos super causâ quæ vertebatur inter eos pro Ecclesiâ de Lameiâ; quam Dominus Cantuariensis fabricari fecerat in præjudicium, ut putabatur, Cantuariensis Ecclesiæ. Forma hæc est: 'Eustachius Eliensis Episcopus, Abbas S. Edmundi, Lincolniensis Decanus loco 'Domini H. Episcopi Lincoln. constitutus, electi arbitri à Domino Cantuariensi & Conventu juxta formam compromissi, pro bono pacis & tranquillitatis 'providimus & ordinavimus; ut si placet Domino Cantuariensi ædificare Ecclesiam apud Lameiam, hoc modo fiat. Ædificet ubi voluerit, dummodo 'non sit super fundamenta operis illius quod auctoritate Domini Papæ dirutum est. Instituantur in Ecclesiâ illâ Canonici ordinis Præmonstratensis; 'ita quòd non sint plures quàm XX. nec pauciores quàm XIII. Hanc Ecclesiam poterit dotare Dominus Archiepiscopus usque ad quantitatem C. librarum annuarum de Ecclesiis ad ipsum pertinentibus, vel de aliis bonis quæ 'possidet nomine Cant. Ecclesiæ, exceptis Ecclesiis de Moncketon, de Estrie, 'de Hemesford & de Mepeham, & Ecclesiis quæ sunt in maneriis Monachorum, & exceptis aliis rebus quæ coram nobis in quæstionem ductæ sunt. 'Erit autem Ecclesia illa mediocris, juxta numerum personarum præfatum & 'prædictam dotem modificata; habito etiam respectu ad ······ mediocritatem ædificandi Ecclesiam, quibus utuntur Canonici ejusdem Ordinis. Sanè 'ad tollendam omnem materiam suspicionis & scandali, providimus, ne in 'Ecclesiâ illâ Archiepiscopi ordines aut concilia aut consecrationes Episcoporum aut benedictiones Abbatum non celebrent aut crisma conficient. Nec 'facient Archiepiscopi congregationem Sæcularium, & dotent de bonis Cant. 'Ecclesiæ sine assensu Conventûs. Clerici verò habeant Ecclesias quas modò 'tenent, quoad vixerint, sub annuâ pensione. Post obitum verò singulorum ad Ecclesiam Cant. revertentur.'

Anno MCCIV. obiit Godefridus de Lucy Episcopus Wintoniensis III. Idus Septembris. Obiit Alianora Regina & Sefredus Episcopus Cicestriæ.

Anno MCCV. obiit Hubertus Walteri Archiepiscopus Cant. VI. Idus Julii * Petrus de Rupibus Romæ à Papâ Innocentio III. consecratus est in Episcopum Wintoniensem Dominicâ proximâ ante Festum S. Michaelis.

PETRUS DE RUPIBUS.

Anno MCCVI. Petrus Wintoniensis Episcopus Româ reversus, apud Wintoniam solenni processione receptus est, & intronizatus Dominicâ in Ramis Palmarum VII. Idus Aprilis.

Anno MCCVII. M. Stephanus de Langeton consecratus est in Archiepiscopum Cant. à Domino Papâ Innocentio apud Viterbium XV. Cal. Julii. Hoc anno natus apud Wintoniam Henricus filius Regis Johannis de Reginâ Isabellâ Kalendis Octobris vocatur nomine avi sui Henrici.

* Rectè Chronicon MS. Lambethanum consecratum Romæ ab Innocentio Papâ 1205. 7. Cal. Octobris fuisse refert; malè Florilegus Cal. Octobris. Obiit anno 1238. 5. Id. Junii, authore Matthæo Paris, 5. Id. Julii ex sententiâ Wintoniensis nostri. Justiciarius Regis factus est anno 1214. die. 1. Februar. Plura extant Johannis Regis rescripta apud Prynnii collect. vol. 2. p. 355. vol. 3. p. 22. de electione Ricardi de Marisco ad Sedem Wintoniensem anno 1214. factâ. Verùm errore manifesto vox *Winton.* pro *Dunelm.* irrepsit seu scribæ seu editoris vitio. Illo enim tempore Petrus summâ apud Regem gratiâ viguit, & 24. annis superfuit.

Anno MCCIX. Regina Iſabella peperit filium nomine Ricardum in die Epiphaniæ.

Anno MCCXIII. Johannes Rex abſolutus eſt à Pandulfo Domini Papæ Legato die S. Margaretæ apud Wintoniam, durante tamen interdicto.

Anno MCCXVI. Lodovicus applicavit in Tanet Sabbato poſt Aſcenſionem. Johannes Rex terga dedit; licet facilè poſſet reſiſtere. In Vigiliâ Pentecoſtes venit Johannes Wintoniam & Galas Legatus. In craſtino Pentecoſtes ſc. feriâ ſecundâ veniente Lodovico, Rex receſſit cum Petro Wintonienſi Epiſcopo, qui die Pentecoſtes excommunicaverat Ludovicum & omnes ſuos fautores. Rex autem tradidit Caſtrum Wyntonienſe Savarico de Maulyon ad cuſtodiendum cum civitate; qui ſtatim poſt diſceſſum Regis Suburbium igne ſuccendit, & receſſit. Ludovicus obſedit Caſtrum; & poſt multos dies traditum eſt ei Caſtrum per conſilium dicti Savarici; & poſtea in brevi cœpit cætera Caſtella Hanteſcyrvæ. Obiit Johannes Rex XIV. Cal. Novemb. apud Newerk; & corpus ejus humatum eſt Wygorniæ. Et Henricus filius ejus annorum X. coronatus in Regem eſt die Apoſtolorum Symonis & Judæ apud Gloverniam à Legato Gales & multis aliis.

Anno MCCXVII. Ricardus Epiſcopus Ciceſtriæ tranſlatus eſt uſq; Sarum.

Anno MCCXXI. Petrus Epiſcopus Wintonienſis profectus eſt apud S. Jacobum. Idem Epiſcopus ſuſcepit crucem.

Anno MCCXXII. obiit Ranulfus Epiſcopus Cyceſtriæ, cui ſucceſſit Radulphus de Nova-villâ. Obiit Johannes de Hydâ; cui ſucceſſit Walterus ejuſdem Eccleſiæ Monachus.

Anno MCCXXIV. Petrus Epiſcopus Wyntonienſis in plenâ Synodo excommunicavit moleſtatores & inſurgentes contra jura Eccleſiæ. Eccleſia de Monteſfonte dedicata eſt.

Anno MCCXXVII. Petrus Epiſcopus Winton. & Willelmus Epiſcopus Exon. arripuerunt iter versùs Terram Sanctam.

Anno MCCXXVIII. obiit Stephanus Archiepiſcopus Cant. Nonis Julii. Ricardus Epiſcopus Sarum factus eſt Epiſcopus Dunelmenſis. Walterus Monachus Cant. electus eſt in Archiepiſcopum.

Anno MCCXXIX. Robertus de Byngeham factus eſt Epiſcopus Sarum. Ricardus Cancellarius Lincolnienſis factus eſt Archiepiſcopus Cant.

Anno MCCXXX. Henricus Rex rediit in Angliam; poſt Feſtum Omnium Sanctorum in majori Eccleſiâ Wintonienſi cum ſolenni proceſſione à Conventu ſuſceptus eſt, præſente Ricardo Archiepiſcopo Cant. cum quibuſdam Suffraganeis ſuis.

Anno MCCXXXI. obiit Rogerus Archidiaconus Wintonienſis peregrinus. Eccleſia S. Ægidii Wintoniæ combuſta eſt. Petrus Epiſcopus Wintonienſis reverſus eſt à Terrâ Sanctâ, receptus in Eccleſiâ ſuâ die S. Petri ad Vincula; & optulit pedem S. Philippi.

Anno MCXXXII. Henricus Rex commiſit Petro Epiſcopo Wintonienſi plurimos Comitatus & Caſtella in cuſtodiâ & Petro de Rywalles & Theſaurariam ſuam. M. Johannes Blundus electus eſt in Archiepiſcopum Cant. ſed caſſatus à Domino Papâ. Puer quidam nomine Stephanus cruciatus eſt & occiſus à Judæis Wintoniæ XVI. Cal. Novembris.

Anno MCCXXXIII. Magiſter Eadmundus Theſaurarius Sarum electus eſt in Archiepiſcopum Cant. & à Domino Papâ confirmatus.

Anno MCCXXXIV. conſecratus eſt M. Eadmundus in Archiepiſcopum Cantuarienſem IV. Non. Aprilis. Orta eſt diſſentio inter Regem Henricum & Petrum Epiſcopum Wintoniemſem & Petrum de Ryvallis. Inhibita eorum transfretatio eſt apud Dovere; & in Vigiliâ Apoſtolorum Petri & Pauli venerunt apud Wintoniam. In Depoſitione S. Swythuni venit Ricardus Syward & multi alii, quærentes Petrum de Ryvallis; quem mini-

minimè invenientes, equos Episcopi & Prioris violenter abduxerunt. Episcopus verò hujusmodi invasores excommunicavit; & interdicta est Ecclesia & tota civitas. Manè autem pœnituerunt, & absoluti sunt. In crastino reconciliata est Ecclesia & civitas. Petrus Episcopus Wintoniensis in crastino Cinerum profectus est Romam, transfretavit IV. Non. Martii. Eodem mense pacificati sunt idem Episcopus Petrus & Monachi S. Swithuni die S. Cuthberti per W. Officialem & Magistrum R. de Stamford.

Anno MCCXXXV. M. Robertus Grossetește factus est Episcopus Lincolniensis XV. Cal. Julii.

Anno MCCXXXVI. Petrus Episcopus Wintoniensis à Româ rediens venit Wintoniam in die S. Andreæ. Quædam balæna capta fuit apud Molebrok mense Septembri; quæ adjudicata fuit coram Rege Priori & Conventui.

Anno MCCXXXVIII. obiit Petrus Episcopus Wintoniensis V. Idus Julii. Eadmundus Archiepiscopus Cant. à Româ reversus venit in Angliam mense Februario.

Anno MCCXXXIX. Edwardus primogenitus Regis Henrici & Alianoræ Reginæ natus est Londoniæ XIV. Cal. Julii. Item Willelmus de Ralye consecratur in Episcopum Norwicensem ab Eadmundo Archiepiscopo Londoniæ. Otto Legatus interdixit Ecclesiam Wintoniensem; quia non poterit videre thesaurum.

Anno MCCXL. Postulatio † Willelmi de Raleye Episcopi Norwicensis in Episcopum Wintoniensem VI. Idus Junii. S. Eadmundus transfretavit; quia non potuit facere officium suum pro Rege & Ottone Legato; & obiit apud Punteny XI. Cal. Septemb. & sepultum fuit corpus ejus in Abbatiâ de Pontiniaco.

WILLELMUS DE RALEY.

Anno MCCXLI. feretrum S. Swithuni fractum est flabello de turri cadente. Reliquiæ ejusdem Sancti ostensæ sunt XVI. Cal. Junii. M. Nicolaus de Franham consecratus est in Episcopum Dunelmensem V. Idus Junii. Obiit Gilbertus Marescallus V. Cal. Julii. Walterus frater ejus factus est Comes de Penbrok.

Anno MCCXLII. Henricus Rex & Alianora Regina venerunt Wintoniam V. Cal. Maii. Die Apostolorum Philippi & Jacobi venit Regina in Capitulo Wintoniensi receptura societatem. Die Translationis S. Nicolai Rex & Regina, Ricardus Comes frater Regis & R. Marescallus miserunt se in mare apud Portesmuthe versùs Wasconiam.

Anno MCCXLIII. Rex rediens de Wasconiâ applicuit apud Portesmuthe VII. Cal. Octob. & in Vigiliâ S. Michaelis venit Wintoniam. Die Apostolorum Petri & Pauli Willelmus de Raleye translatus est in Episcopum Wintoniensem & confirmatus; qui in Vigiliâ Natalis venit Wintoniam, sed intrare

† Electus est à Monachis Winton. anno 1238. antequam ad Episcopatum Norwic. promoveretur: quamvis Monachi minis regiis territi, ab electione citò post recesserint. Rex etenim Willelmum Episcopum electum Valentinum ad Sedem Winton. transferri voluit: quem Monachi constanter repulerunt; & loco ejus Radulphum de Nevil Episcopum Cicestrensem eodem anno elegerunt. Rex magis adhuc excandescens, electionem missis procuratoribus in Curiâ Romanâ cassari obtinuit anno sequenti. Priorem etiam alienigenam, natione Britonem, Conventui violenter præfecit; qui plures Monachos ad partes Regis traxit. Valentinus interim à Papâ impetraverat, ut ad Episcopatum Leodiensem eveheretur, & Wintoniensem simul teneret; quùm Viterbii veneno extinctus obiit 1239. 1. Nov. Vide Matthæum Paris p. 473, 517. Anno 1240. Willelmus Raley iterum à Monachis invito & inscio Rege electus, confirmatus est à Papâ 1243. 13. Sept. & post multas repulsas admissus à Rege 1244. mense Aprili, intronizatus 20. Novembris. Obiit anno 1250. circa Festum S. Matthæi juxta Matthæum Paris; rectiùs circa Festum S. Egidii, quod vult Thomas Wikes. Die 1. Septembris obitum contigisse confirmat Obituarium de Winteneiâ.

non potuit. Et accessit nudis pedibus ad singulas portas civitatis, quæ clausæ fuerunt contra ipsum præcepto Regis. Hoc viso recessit; & in crastino S. Thomæ Martyris venit ad portam de Kyngate, prædicans populo verbum Dei. Quâ prædicatione finitâ, interdixit matricem Ecclesiam & cæteras Ecclesias infra muros civitatis existentes; & excommunicavit Monachos & Clericos & Majores civitatis & omnes Ballivos ejus. Item transfretavit IX. Cal. Martii; quia quidam machinabantur ei malum. Bonifacius admissus est ad Sedem Cant. & à Domino Papâ confirmatus in Nativitate B. Mariæ.

Anno MCCXLIV. Electus Cantuariensis venit in Angliam die S. Gregorii. Willelmus Episcopus Wintoniensis ad mandatum Regis reversus est in Angliam; & dedit ei Rex osculum pacis. Solutum est interdictum Wintoniensis Ecclesiæ die Decollationis S. Johannes Baptistæ; & recepit idem Willelmus Episcopus possessionem Episcopatûs. Rogerus Præcentor Sarum consecratus est in Episcopum Bathoniensem III. Idus Septembris à Willelmo Episcopo Wintoniensi; & Fulco Basset in Episcopum Londoniensem ab eodem Willelmo apud Londoniam. Alienora Regina peperit filium nomine Eadmundum XVII. Cal. Februarii.

Anno MCCXLV. Reversio Episcopi Willelmi Wintoniensis à Concilio Lugdunensi: venit Wintoniam X. Cal. Julii. Privilegium quoddam redditum est Monachis Wintoniensibus, quod dolosè per Willelmum Episcopum fuerat sublatum.

Anno MCCXLVI. dedicatio Ecclesiæ Belli-loci Regis XV. Cal. Julii a Willelmo Episcopo Wintoniensi. Henricus Rex habuit apud Wintoniam grande Colloquium Idus Julii; ubi saisivit Comitissam de Warennâ de virgâ Marescalli.

Anno MCCXLVII. Walterus Prior Wintoniensis III. Non. April. de Prioratu suo discessit; cui successit Johannes de Calceto. Willelmus de Ebor. consecratus est in Episcopum Sarum II. Idus Julii à Fulcone Episcopo Londoniensi. Rex fuit Wintoniæ ad Natale. Obiit Rogerus Episcopus Bathoniensis.

Anno MCCXLVIII. Nova moneta fabricata est apud Wintoniam post Octavas Epiphaniæ. Obiit Walterus Abbas de Hidâ; successit Rogerus de S. Walerico. Item V. Cal. Junii, sc. die Ascensionis, cecidit flabellum de turri S. Swithuni, quando classicum vespertinum pulsabatur, & ferè contrivit J. Monachum. Justiciarii itinerantes in crastino S. Hilarii apud Wintoniam, sc. Henricus de Bathoniâ, Rogerus de Cobham, Willelmus de Wilton & Rogerus de Cerne. Nicolaus Episcopus Dunelmensis renunciavit Episcopatui suo ad Purificationem B. Mariæ.

Anno MCCXLIX. Rex tenuit Pentecosten suam apud Wintoniam. Bonifacius Archiepiscopus Cant. applicuit in Angliâ die S. Matthæi Apostoli; & eodem die convocatum fuit generale Capitulum apud Exoniam; sed prolongatum fuit usque ad Festum S. Kalixti Papæ apud Londoniam, quia tunc omnes Prælati Exoniæ non convenerant. Bonifacius Cantuariæ intronizatus est in Festo Omnium Sanctorum. Item Rex tenuit Natale suum apud Wintoniam; & Bonifacius Cant. Archiepiscopus celebravit Missam; ubi Rex inimicos suos de Wasconiâ fecit sibi tributarios. Johannes de Calceto Prior Wintoniensis est electus in Abbatem de Burgo; cui successit Willelmus de Tanton die S. Scolasticæ Virginis. Transfretatio Willelmi Episcopi Wintoniensis & Episcopi Lincolniensis & aliorum plurimorum post mediam Quadragesimam.

Anno MCCL. Orta est gravis dissensio inter Bonifacium Cant. Archiepiscopum & inter Fulconem Londoniensem & Canonicos S. Pauli pro visitatione faciendâ in ipsâ Ecclesiâ. Item obiit Willelmus Episcopus Wintoniensis Turonibus, & Kalendis Septembris ibidem sepultus est in Ecclesiâ S. Martini. Ele-

Electus est || Adomarus frater Regis Angliæ ad Episcopatum Wintoniensem II. Non. Novembr. & XIX. Cal. Februarii à Domino Papâ confirmatus est. Henricus Rex tenuit Natale suum apud Wintoniam.

ADOMARUS DE LEZIGNAN.

Anno MCCLI. Henricus Rex fuit in die Pentecostes apud Wintoniam. Dominus Adomarus Electus Wintoniensis applicuit in Angliâ apud Doveram die Natalis S. Johannis Baptistæ; qui in crastino Magdalenæ venit Wintoniam, & cum magnâ processione susceptus est Domino Rege præsente & multis aliis. Dedicatio Ecclesiæ de Heyles Comitis Ricardi Nonis Novembris.

Anno MCCLII. post Octavas Paschæ data fuit diffinitiva sententia à Domino Papâ pro Domino Bonifacio Cant. Archiepiscopo contra Episcopum & Canonicos Londonienses pro visitatione faciendâ in ipsâ Ecclesiâ & in cunctis Ecclesiis provinciæ suæ. Henricus Rex tenuit Natale suum apud Wintoniam. Obiit M. Ricardus de Wyce Episcopus Cicestriæ VI. Idus Aprilis; cui successit Johannes cognomento Episcopus, Canonicus ejusdem Ecclesiæ. Magna discordia inter Bonifacium Cant. Archiepiscopum & Adomarum Electum Wintoniensem pro advocatione Hospitalis B. Thomæ Martyris de Suthwerk. Tandem pacificati sunt.

Anno MCCLIII. In Festo S. Trinitatis, quod fuit XVII. Cal. Julii, Henricus Rex Angliæ fuit apud Wintoniam; & inde perrexit apud Portesmuthe ad transfretandum in Wasconiam. Convocatio omnium Abbatum & Priorum Nigri Ordinis facta fuit apud Exoniam in crastino S. Matthæi Apostoli propter quoddam privilegium à Domino Papâ omnibus Episcopis Angliæ transmissum in gravamen Ordinis Monastici. Obiit Robertus Grossetešte Episcopus Lincolniensis IV. Non. Octobr. cui successit Henricus de Lexingtoun Canonicus & Decanus ejusdem Ecclesiæ per electionem XVI. Cal. Junii. Item obiit Hugo de Rupibus Archidiaconus Wintoniensis. Item orta est magna dissentio inter Monachos Wintonienses & Adomarum Electum Winton. quare Willelmus de Tanton Prior transfretavit ad Papam.

Anno MCCLIV. Regina in Vigiliâ Pentecostes venit Wintoniam; & sextâ feriâ recessit versùs Portesmuthe ad transfretandum in Wasconiam cum Edwardo primogenito suo ad Regem. Consecratus est Henricus de Lexingtoun in Episcopum Lincolniensem Dominicâ post Ascensionem à Bonifacio Cant. Archiepiscopo apud Londoniam. Obiit Hugo Eliensis Episcopus, quondam Abbas S. Eadmundi; cui successit M. Willelmus de Kylkenni Cancellarius Domini Regis. Willelmus Prior Wintoniensis venit Romam; cui Innocentius Papa ante obitum suum dederat de consensu fratrum annulum, mitram, baculum & alias dignitates. Quare adiit Curiam Romanam fuit causa hæc; quia Dominus Adomarus Electus ipsum privaverat Prioratu suo & cæteros Obedientiarios suis obedientiis, quòd renuerunt reddere compotum de bonis Ecclesiæ apud Wlvensiam coram fidelibus Episcopi, sicut anteà facere consueverant.

Anno MCCLV. obiit Walterus de Gray Archiepiscopus Eboracensis. Do-

|| Adomarus, frater Henrici Regis uterinus, de Lezignan in rescriptis regiis ejusce temporis cognominatus, juvenis 23. circiter annorum, adhuc existens Acolythus, enixis Henrici precibus intervenientibus, exeunte anno 1250. electus est, confirmatus à Papâ 1251. consecratus ab eodem 1260. medio mense Maio, invitis Angliæ Baronibus, qui Henricum de Wengham loco ipsius superstitis à Monachis eligi fecerant sub initium anni 1259. Anglis enim Adomarus ob turbatum regni statum & prava consilia Henrico Regi data maximè invisus fuit; ab eisdem Angliâ depulsus 1258. 18. Julii. Quin & anno sequenti Proceres & Communitas regni scriptâ ad Papam gravi epistolâ orabant; ut illum ab administratione Wintoniensis Ecclesiæ amoveret; eò quòd regnum multis annis turbaverit & expilaverit, & Henricum Regem ac Edwardum Principem infatuaverit. Extat Epistola in Annalibus Theokesbiriæ & in Registro Ramesiensi.

minus

minus Rex voluit pacificare Adomarum Electum & Monachos Wintonienses. Sed Conventus sperabat meliorem pacem consequi per Dominum Papam; & ideo renuit pacem, & non deceptus fuit.

Anno MCCLVI. Pacificati sunt Adomarus Electus & Monachi Wintonienses. M. Egidius de Bridport electus est in Episcopum Sarum, & confirmatus à Domino Papâ, & consecratus a Domino Bonifacio Cant. Archiepiscopo V. Idus Marcii. Magister Sewallus Electus Eboracensis consecratus est X. Cal. Augusti in Ecclesiâ suâ Eboracensi. Obiit Abbas de Middeltonâ; cui successit Willelmus de Tanton quondam Prior Wintoniensis, qui obligaverat Kavorcinis Ecclesiam Wintoniensem in VII. millibus marcarum propter placitum quod fuit inter Adomarum Electum & Monachos Wintonienses. Unde dictus Adomarus Electus solvit dictis Kavorcinis pro dictis Monachis IV. · · · · · marcas unâ die apud Londoniam; pro quarum medietate Conventus Wintoniensis communi consensu & voluntate concessit dicto Electo & suis successoribus in perpetuum insulam de Portlande cum membris de Waynnie, Wylarum, & Helewelle; & fuit confirmatum tam per Papam Alexandrum quam Regem. Justiciarii itinerantes sederunt apud Wintoniam post Festum S. Hilarii, quorum R. Walerandus fuit capitalis. Adomarus Wintoniensis Electus transfretavit in patriam suam die Conversionis S. Pauli; & rediit Dominicâ proximâ post Festum Exaltationis S. Crucis.

Anno MCCLVII. In octavis Assumptionis B. Mariæ fuit Convocatio omnium Prælatorum apud Londoniam coram Bonifacio Cant. Archiepiscopo ad tractandum de statu Anglicanæ Ecclesiæ. Sed imperfectum fuit negotium propter gwerram Regis in Walliâ. Obiit Episcopus Exoniensis; cui successit Magister Walterus Archidiaconus Surreyæ mense Februario.

Anno MCCLVIII. Rex tenuit Pentecosten suam apud Wintoniam; & inde recessit usque Wodestok. Convocatio Comitum & Baronum & omnium Magnatum Angliæ apud Exoniam ad Parliamentum; & inde venientes Wintoniam circa Festum depositionis S. Swithuni, commorabant ibidem usque post Translationem S. Benedicti. Ubi exulârunt Willelmus de Valentiâ, Galfridus & Gwydo fratres ejus; & Adomarus Electus frater eorum, sævitiâ & austeritate Baronum compulsus, eligere debuit aut carcerem subire cum uno de fratribus prædictis ad voluntatem Baronum, aut cum aliis fratribus suis terram exire tanquam exul. Auditis hujusmodi conditionibus, timens seditionem Baronum, elegit potiùs cum dictis transfretare. Fuit etiam tunc temporis discordia inter Dominum Regem & Edwardum filium suum; sed in Capitulo S. Swithuni Winton. sunt pacificati. Obiit Abbas Westmonasterii tunc temporis Wintoniæ. Andræas de Londoniâ, quem dictus Electus Priorem fecit Wintoniensem, Prioratum suum resignavit IV. Idus Julii; & eodem die per compromissionem electus est iterum in Priorem ratione minarum Ricardi Comitis Gloucestriæ & aliorum Magnatum. Dedicatio Ecclesiæ Sarum III. Calend. Octobris. Convocatio omnium Magnatum Angliæ Londoniæ ad Festum Translationis S. Edwardi. Dicto Adomaro Electo adhuc vivente & in Curiâ Romanâ pro jure suo existente, Monachi Wintonienses elegerunt Henricum de Wengham V. Non. Januarii in Episcopum Wintoniensem per formam compromissionis. Item in Octavis Purificationis B. Mariæ facta fuit Convocatio omnium Episcoporum & Abbatum Angliæ apud Londoniam coram Archiepiscopo Cant. & Magnatibus Angliæ; & duravit Parliamentum usque ad Quadragesimam.

Anno MCCLIX. Dominus Hugo Bigot, Gilbertus de Preston & Robertus Walerandus Justiciarii venerunt Wintoniam X. Cal. Junii; ubi Walterus de Scoteneye pro morte W. de Clare equis distractus, & post in patibulo suspensus est. Henricus de Wengham electus est in Episcopum Londoniensem.

Anno

Anno MCCLX. Rex venit Wintoniam VIII. Cal. Septembr. & solenni processione susceptus. Johannes de Calceto Abbas Burgi factus est Thesaurarius Angliæ. Præfatus Adomarus Wintoniensis Electus à Domino Papâ Alexandro consecratus in Episcopum Wintoniensem, obiit Parisiis in Vigiliâ S. Nicholai, sc. pridie Non. Decemb. Interdicta fuit Ecclesia S. Swithuni Winton. in Vigiliâ Epiphaniæ per Albericum Domini Papæ Notarium; sed solutum fuit interdictum in Vigiliâ Conversionis S. Pauli. In crastino Purificationis facta fuit Electio apud Wintoniam de Episcopo; ubi LIV. Monachi de Conventu & Oliverus de Tracy, qui se gerebat pro Archidiacono Surreyæ, Magistro P. de S. Omario vero Archidiacono Surreyæ in Curiâ Romanâ existente pro jure suo qui expulsus fuerat per potestatem sæcularem, elegerunt Willelmum de Taunton Abbatem de Middeltoun in Episcopum; & septem alii Monachi illius Conventûs elegerunt Andream de Londoniâ Priorem suum. Quam quidem electionem Dominus Papa postmodum cassavit: ut infrà.

Anno MCCLXI. Andreas Prior S. Swithuni per quandam submissionem coram Bonifacio Archiepiscopo Cant. confectam Prioratu se privavit. Idem ad Dominum Papam pro illo facto & pro negotio electionis appellavit: & nuncios solennes cum exeniis pluribus Curiæ destinavit: sed in vacuum laboravit. Obiit Johannes Episcopus Cicestriæ; cui successit Magister Stephanus, cæteris Canonicis pauperior; qui per quorundam invidiam, ut dicitur, fuit electus. XIV. Cal. Aprilis delatum est cor Adomari quondam Episcopi Wintoniensis apud Wintoniam, & juxta magnum altare decenter humatum; ubi plurima coruscant miracula.

Anno MCCLXII. obiit Ricardus Comes Glocestriæ, apud Tewkesbiriam sepultus. S. Ricardus Episcopus Cicestrensis canonizatus est. Cassatâ electione Wintoniensi non vitio personæ sed aliunde quæsitâ occasione, M. * Johannes Exoniensis, Cancellarius Eboracensis, stans in Curiâ Romanâ, in Episcopum Wintoniensem consecratus est. Obiit Egidius Episcopus Sarum; electus est Walterus de Wyle Subdecanus Ecclesiæ Sarum, invidiâ ut dicitur mediante. Andreas Prior Wintoniensis per Johannem Episcopum cedens Prioratui quamvis invitus, culpis suis exigentibus apud Hidam mittitur incarcerandus. Unde exiens per cantelam & fraudem, talia adinvenit falsitatis commenta, quòd meritis B. Thomæ Martyris sit à compedibus & carcere liberatus. In cujus signum ipsi compedum annuli apud Cantuariam, ipso eos cum superscriptione offerente, pro ludibrio, ne dicam pro miraculo, reservantur. Obiit Johannes de Chauce Abbas de Burgo, Thesaurarius Angliæ.

JOHANNES DE EXONIA.

Anno MCCLXIII. post Pascha N. de Traci, W. Bonquer, Willelmus de Englesfeld & Adam de Granvile Justiciarii Itinerantes sederunt apud Wintoniam, sibi invicem dicentes, & non quæ Regis sed quæ sua sunt quærentes. Andreas Prior Wintoniensis Curiam Romanam adiit. Obiit Rogerus de S. Walerico Abbas de Hidâ. Wintonienses in seipsos & suos vicinos insurgendo, tam intus quàm extra sæcularium & Ecclesiasticarum personarum possessiones præripiebant, & ad contribuendum coegerunt, sub specie juris Regis malitiam palliantes.

Anno MCCLXIV. quarto Nonas Maii Wintonienses contra Priorem & Conventum S. Swithuni insurrexerunt, & portam Prioratûs & portam quæ vocatur Kingate cum Ecclesiâ S. Swithuni supra & universis ædificiis & reddi-

* Johannes Exoniensis, Oxoniensis Godwino perperam dictus, consecratus est in Curiâ Romanâ 1262. paulò ante Festum S. Michaelis, ex fide Chronici Dovorensis. Reversus in Angliam, professionem obedientiæ Bonifacio Archiepiscopo fecit apud Wengham. Obiit in Curiâ Romanâ 1268. 20. Januarii, juxta Annales Londinenses, Wintonienses, & Waverleienses, 19. Januarii juxta Wigornienses.

tibus

tibus Prioris & Conventûs prope murum combusserunt; & quosdam de Prioratu infra septa Monasterii nequiter interfecerunt. IV. Non. Septemb. obiit Magister ····· de Karvilla Thesaurarius Sarum.

Anno MCCLXV. obiit Radulphus Prior Wintoniensis. VIII. Idus Julii; cui successit Valentinus ejusdem Ecclesiæ Monachus XII. Cal. Augusti. Item civitas Wintoniæ capta fuit per Simonem de Monteforti juniorem XVII. Cal. Augusti. Item obiit Agnes Abbatissa B. Mariæ Winton. III. Cal. Septemb. Item III. Idus Septemb. venit Henricus Rex Wintoniam; qua die electa est Eufemia Monacha illius Ecclesiæ in Abbatissam, & recepta à Rege eâdem die. Interdicta est Ecclesia Wintoniensis in Vigiliâ S. Nicolai; & die quartâ sequenti relaxatum fuit illud interdictum. Item XVII. Cal. Januarii interdicta est civitas Wintoniæ infra & extra propter ingressum Simonis de Monteforti junioris; & in Vigiliâ B. Thomæ Apostoli relaxatum fuit illud interdictum.

Anno MCCLXVI. obierunt Walterus de Cantilupo Wigorniensis & Norwicensis Episcopi. Eodem anno suspensi sunt ab officio & beneficio Londoniensis & Cicestrensis Episcopi per Dominum Ottobonum; qui post suas appellationes transfretavit. Similiter Dominus Johannes Episcopus Wintoniensis tunc temporis suspensus Romam profectus est. M. Nicolaus de Ely electus est in Episcopum Wigorniensem; & consecratus est Dominicâ proximâ ante Festum S. Michaelis. M. Walterus Giffard ab Episcopatu Bathoniensi ad Archiepiscopatum Eboracensem postulatus, à Domino Papâ confirmatus est.

Anno MCCLXVII. quarto Nonas Augusti venit Dominus Legatus Wintoniam, & cum solenni processione receptus est; qui die S. Oswaldi Regis & Martyris Ecclesiam S. Swithuni visitavit; & VII. Idus Augusti Prioratum, quem Valentinus priùs resignaverat, ordinavit, & custodes in Prioratu constituit, & omnem curam concessit eisdem. Et inde profectus est dictus Legatus versùs Walliam ad pacificandum Principem Walliæ cum Rege. Item XIX. Cal. Augusti venit Dominus Edwardus apud Wintoniam; & inde ad insulam Vectam profectus, eam cepit & custodiæ suorum mancipavit. Item III. Calend. Novemb. venit Dominus Rex Wintoniam, & cum solenni processione receptus est. Item V. Idus Decemb. venit Legatus Wintoniam, & ad Abbatiam de Hidâ declinavit; qui cùm unà cum Domino Rege Festum Natalis Domini celebrâsset ibidem; quinto die sc. in Festo B. Thomæ Martyris manè recedens interdixit dictam Abbbatiam de Hida & Ecclesiam propter quandam pugnam factam inter homines ipsius Legati & homines Abbatis; & duravit illud interdictum per quatuor septimanas.

NICOLAUS DE ELY.

Anno MCCLXVIII. obiit Johannes Episcopus Wintoniensis in Curiâ Romanâ Viterbii XIII. Cal. Februarii; cui successit † Nicholaus de Ely Episcopus Wigorniensis VI. Cal. Martii per ordinationem Domini Papæ Clementis; qui in crastino Apostolorum Philippi & Jacobi à Domino Rege receptus, in die Pentecostes sc. VI. Cal. Junii apud Wintoniam cum solenni processione susceptus est & intronizatus, & Missam solenniter celebravit. Item XIX. Cal. Maii celebravit Dominus Legatus Concilium suum Londoniæ in Eccesiâ S. Pauli; ubi varias constitutiones & statuta præcepit observari. Item ad instantiam Domini Legati in crastino depositionis S. Swithuni Valentinus in Priorem Wintoniensem restitutus est, ordinatione tamen Legati illæsâ remanente. Item M. Godefridus Giffard Cancellarius Domini Regis in Episco-

† Translationis & intronizationis tempora noster rectè assignavit. Obiit annno 1280. 12. Februarii, apud Waverleiam sepultus 16. Febr. Cor autem Wintoniam die tertio sequenti delatum, in Ecclesiâ Cathedrali tumulatum est. Annal. Waverl. & Tho. Wikes Malè Annales Wigorn. 12. Jan. decessisse, & Wintoniæ sepultum esse produnt. Obituarium Wintoniense obitum die 13. Februarii reponit.

pum

pum Wigorniensem electus, à Domino Rege est susceptus & ab Archiepiscopo confirmatus. Item XVIII. Cal. Novemb. tenuit Dominus Rex Parlamentum suum apud Wintoniam; in quo fecit Edwardum filium suum Senescallum Angliæ: & ibidem tenuit Rex suum Natale; ubi constituit dictum Edwardum custodem Londoniæ & omnium castellorum suorum in Angliâ.

Anno MCCLXIX. tertio Nonas Junii consecratus est Johannes Breton in Episcopum Hereford. apud Waverley à Domino Nicolao Episcopo Wintoniensi. Item IX. Cal. Septemb. Dominus Ricardus Rex Alemanniæ reversus applicuit, & venit Wintoniam. In crastino S. Michaelis venientes Justiciarii de Forestâ apud Wintoniam, sc. Dominus R. de Clifford & socii sui, ibidem sederunt usque ad Festum Omnium Sanctorum. Interim & alii Inquisitores ad inquirendum de feloniâ & proditione factis Domino Regi per Comitatum. Item translatum est corpus S. Edwardi Regis, &c. [*Vide reliqua apud Annales Wigornienses.*]

Anno MCCLXX. Parlamentum omnium Magnatum Angliæ in quindenâ Paschæ ad tractandum de vicesimâ & de itinere Crucesignatorum sc. Domini Edwardi & aliorum Magnatum regni. Quod cùm diu tractatum esset; tandem compromiserunt omnes se posituros in ordinatione Domini Ricardi Regis Alemanniæ, ut quod ille pronuntiaret omnes tenerent. Cujus pronunciationi non consentiebant Gilbertus Comes Gloverniæ & multi alii. Unde prolongatum fuit illud negotium usque post octavas S. Johannis Baptistæ. Post octavas S. Johannis convenerunt ferè omnes Magnates apud Londoniam ad tractandum de præmissis. Interim orta est discordia inter J. Comitem de Warennâ & Alanum la Zuche coram Justiciariis de Bauco Londoniæ; ubi dictus Alanus letaliter fuit vulneratus, unde postea obiit. Dictus etiam Comes de Warennâ die Dominicâ post Festum S. Petri ad Vincula apud Wintoniam juramento XXV. Militum præstito, quòd ex præcogitatâ malitiâ non perpetravit dictum facinus nec in contemptu Domini Regis, per MCC. marcas pacificatus est Domino Regi. Item Dominus Edwardus, &c. [*Reliqua dabunt Annales Wigornienses.*] Item Dominus Rex Festum Natalis Domini celebravit in Castro Wintoniensi; & in crastino B. Thomæ Martyris inde recessit versùs Londoniam.

Anno MCCLXXI. quinto Cal. Augusti sederunt apud Wintoniam Justiciarii ad deliberandum carcerem & ad inquirendum super aliis, sc. Dominus W. de Wyntershylle & alii. III. Non. Januarii obiit Walterus de la Wyle Episcopus Sarum, &c. [*Vide Annales Wigornienses.*]

Anno MCCLXXII. recessit Dominus Rex de Wintoniâ post Epiphaniam, &c. [*prout apud Annales Wigornienses.*]

Anno MCCLXXIII. post Festum S. Hilarii factâ Convocatione, &c. [*Reliqua habes apud Annales Wigornienses.*]

Anno MCCLXXIV. Andreas, qui quondam fuit Prior Wintoniensis, de Curiâ Romanâ reversus, &c. [*Reliqua verbatim ferè exscripsit Author Annalium Wigorn. præter ea quæ sequuntur.*]

Eodem anno dictus Robertus Archiepiscopus Cant. causâ visitationis transitum suum faciens per Episcopatum Wintoniensem, in crastino S. Katerinæ venit Wintoniam; & ibi à Domino Episcopo loci ac Clero & populo honorificè susceptus est cum processione. Qui feriâ III. & feriâ IV. sequentibus fecit suam visitationem in Prioratu S. Swythuni, & feriâ V. in Abbatiâ Sanctimonialium B. Mariæ ibidem, & III. Non. Decemb. in Abbatiâ de Hidâ. Inde progrediens per alia Monasteria ipsius Episcopatûs, celebravit Festum Natalis Domini apud Byterne manerium Episcopi Wintoniensis prope Suthamptoun.

Anno MCCLXXV. die XVIII. Cal. Aprilis peperit Alianora Regina Domino Edwardo Regi Angliæ apud Wyndesoram filiam, & vocavit eam Isabel-

lam. Eodem anno, &c. [*Cætera quære apud Annales Wigornienses.*]

Anno MCCLXXVI. cùm dissensio inter illos de civitate Wintoniensi orta annis pluribus elapsis usque ad hæc tempora perduràsset, & eorum discordia coram Domino Rege esset demonstrata; præcepit Dominus Rex & injunxit, ut pax inter eos haberetur, ne ampliùs inde clamorem audiret. Quâ quidem occasione iram sui remittens, concessit eis omnia quæ ad villam pertinebant in pristino statu obtinenda; & abscessit versùs Lutegershalle & Marlebergam VII. Cal. Februarii. Sequenti quidem die convenientes quidam ex parte Domini Regis, pacem inter illos reformabant. Quo facto, Majorem suum elegerunt & Præpositos, ac Baillivos ut pro more antea erat substituerunt. Eodem anno ortâ contentione inter Monachos S. Swithuni Winton. & Nicholaum Episcopum ejusdem, eò quòd omnes ferè de Conventu parti Andreæ quondam Prioris adhærebant, nitentes ipsum habere in Priorem; Valentinus, qui tunc Prior extitit, sinistro ductus consilio se sponte submisit & Prioratum resignavit. Unde dictus Episcopus maneria ipsius Prioratûs in manus suas cepit circa Festum S. Dunstani, ac tenuit usque ad gulam Augusti; & Alexandrum tunc Suppriorem à suo Supprioratu & quosdam alios à suis obedientiis amovit, & Gilbertum de Froylle Monachum fecit Suppriorem. Tandem ex parte Domini Regis venientes apud Wintoniam & Decanus Sarum & quidam Miles, ut pacem inter partes reformarent, dictus Episcopus de eorum consilio prædictum Valentinum in pristinum statum Prioratûs restituit die S. Petri ad Vincula apud Merdonam; & duos instituit de novo Obedientiarios, Infirmarium videlicet & Custodem Anniversariorum. Processu verò temporis dictus Dominus Episcopus volens uti potestate & consuetudine prædecessorum suorum, præfatum Valentinum Prioratu suo totaliter privavit, non tamen sine causâ ut dicitur; & Johannem de Durevillâ Monachum ejusdem Monasterii, natione Normannum, Priorem creavit, instituit, & installavit per Officialem suum III. Non. Decemb. anno eodem. Hoc anno III. Idus Januarii, horâ vespertinâ venit Dominus Rex Edwardus, &c. [*Reliqua exhibent Annales Wigornienses.*]

Anno MCCLXXVII. quarto Idus Januarii, Lunâ videlicet secundâ, audita sunt primò tonitrua apud Wintoniam, sc. mediâ nocte, cum inundatione pluviæ subsequente, licèt clarum fuerit tempus in die. Item mense Februarii & mense Martii inundatio pluviarum continua, &c. [*Cætera habent Annales Wigornienses.*]

SUC-

SUCCESSIO
Episcoporum VVintoniensium
Ab anno MCCLXXVII. ad Reformationem.

JOHANNES DE PONTOYS.

DEfuncto Nicolao, Monachi Wintonienses Robertum Episcopum Bathon. electione factâ Antistitem sibi asciverunt. Electum Johannes Cant. Archiepiscopus ob crimen pluralitatis Beneficiorum olim commissum rejecit virtute canonis à Concilio Lugdunensi anno 1274. lati. Rejecto Bathoniensi, Monachi elegerunt Richardum de la More Archidiaconum Winton. & Subdecanum Lincoln. 1280. 6. Novembr. Admissus is à Rege fuit, sed ab Archiepiscopo Ecclesiasticæ disciplinæ observantissimo ob idem pluralitatis crimen reprobatus. Romam igitur petiit, inito itinere 1281. 5. Cal. Martii; & pro confirmatione electionis suæ obtinendâ multum desudavit. E contra Archiepiscopus missis ad Curiam procuratoribus nullum non lapidem movit, ut illum Episcopatu excluderet; tantâ usus instantiâ, ut nisi res pro voto cederet, Archiepiscopatum abdicare decreverit. Sic enim ad Procuratores suos scribit. *Nec excidat à memoriâ vestrâ vel linguis cùm expedit; quòd presens Electus Wintoniensis primus est qui pro pluralitate beneficiorum extitit in Angliâ ab Episcopali repulsus honore. Quem si per gratiam vel quoquo modo confirmari contingat; confusum reputamus totius Angliæ Cleri statum, nec nobis ex tunc forè honestum in Angliâ remanere. Insurgent enim filii Diaboli, detentores Beneficiorum sacrilegi, contra nos uno impetu; qui nunc sunt de honoribus desperati.* Electio demum à Papâ cassatâ est anno 1282. haud ita tamen ob importunas Archiepiscopi preces, quàm quia Ricardus ne obolum quidem pro confirmatione habendâ Simoniæ metu dare vellet. Ricardo exauthorato, Papa Episcopatum contulit M. Johanni de Pontissara Archidiacono Exoniensi, Juris civilis in urbe Mutinâ ante 12. annos Professori; & in Curiâ Romanâ consecrari fecit. Nunquam quidem electum fuisse Rotulus Cantuariensis Ecclesiæ dicit: rite tamen electum fuisse 1282. 9. Junii sui-ipsius Registrum affirmat. Temporalia ipsi restituta sunt ex mandato Regis 1282. 11. Augusti. Iste anno 1284. finem dedit controversiæ; quæ inter Episcopos & Monachos Winton. circa custodiam temporalium Prioratûs vacantis frequenter exarsit. Factâ enim compositione mutuâ, Prior & Conventus Episcopo & successoribus suis in perpetuum habenda concessit maneria de Drokensford, Alrarestok cum Goseport & Harontre, cum tenentibus eorum de Heling, & Hamelettam de Cnoel. Pro his autem Episcopus vicissim pro se & successoribus suis concessit & remisit totum jus quod habuit in temporalibus Prioratûs S. Swithuni durante quavis vacatione, & in omnibus maneriis & terris Prioratum spectantibus; salvâ duntaxat Episcopo & successoribus advocatione seu patronatu ejusdem: ita tamen, quòd potestatem habeat ponendi unicum servum in Prioratu nomine recognitionis patronatûs sui, cui durante vacatione Capitulum necessaria subministrabit. Obiit

Registr. Peckham f. 68.

Annal. Wigorn.

Registr. Peckham f. 143.

Waverley.

Registr. Giffard Ebor.

Rot. Profess. autogr. 5.

Pat. 10. E. 1. m. 6.

Registr. de Pontoys.

Annal. London. Chron. Winton. breve.

apud Wolesey 1304. 4. [juxta alios 3.] Decembr. in australi pariete chori Ecclesiæ Wintoniensis sepultus.

HENRICUS WOODLOCK.

Registra Winchelsey, Woodlock, Morton. Pat. 33. E. 1. m. 26. Registr. Cant. Registr. suum. Annal. London.

Henricus Woodlock, aliàs de Merewelle, à loco natali puto, dictus, Prior Ecclesiæ Wintoniensis, successit, electus à Monachis suis 1305. sub initio Februarii, confirmatus ab Archiepiscopo in principio Quadragesimæ die 3. juridico post Festum S. Matthiæ, temporalia obtinuit à Rege die 12. Martii, consecratus ab Archiepiscopo in Ecclesiâ Cant. 1305. 30. Maii, intronizatus die 10. Octobr. Exulante Roberto Archiepiscopo, Edwardum II. Regem coronavit, 1308. 24. Februarii. Plurima dona contulit Ecclesiæ de Merewelle; in qua Henricus Blesensis Episcopus Collegium quatuor Sacerdotum olim fundaverat, à Petro Episcopo anno 1226. multis auctum. Obiit anno 1316. 29. [juxta alios 28.] Junii apud Farnham.

JOHANNES DE SANDALE.

Pat. 6. E. 2. par. 1. Registr. Ebor. Registr. Cant. Registr. Morton. Chron. breve Winton. Registr. Prioratus de Suthw.

Henrico subrogatus est Johannes de Sandale, Kendale Walsinghamo malè appellatus, Clericus Regis. Is Locumtenens Thesaurarii Regis constitutus fuerat 1312. 4. Octobr. anno sequenti Thesaurarius; Canonicus Ebor. admissus 1314. 6. Maii, Cancellarius Angliæ anno 1315. creatus: Episcopus Wintoniensis electus 1316. mense Augusto. Obiit anno 1319. die 2. [juxta alios 8.] Novembris apud Suthwerk, in Ecclesiâ S. Mariæ ibidem sepultus.

RIGAUDUS DE ASSERIO.

Registr. Prioràt. de Suthwerk. Johannes Trikelowe in Annal. Willelmus Dene in Hist. Registr. Cranborn. Henr. Blanford in Contin. Jo. Trikelowe. Registr. Reynold.

Post Johannis obitum Monachi Wintonienses Adamum commonachum suum die 30. Novembr. elegerunt. Verùm antehac auditâ Johannis morte, Papa provisionem Episcopatûs Winton. sibi reservavit, eidemque invito Rege præfecit Rigaudum de Asserio, nuncium suum in Angliâ per plures annos, & Canonicum Aurelianensem. Consecratus is fuit ex mandato Papæ ab Episcopis Londinensi, Eliensi, & Roffensi in Cœnobio S. Albani 1320. 16. Novembr. & professionem obedientiæ Waltero Archiepiscopo apud Cantuariam renovavit 1321. 16. Januarii. Obiit apud Avinionem in Curiâ Romanâ 1323. 12. April. Nuncius mortis ejus ad Archiepiscopum delatus est 1323. 25. April. Malè itaque Chronicon breve Winton. obitum ejus in diem 11. Martii retulit.

JOHANNES DE STRATFORD.

Registr. Cant. Chron. breve Winton. Birchington. Will. Dene. Registr. Cant. Dugdal. Orig. Jurid.

Post Rigaudi obitum, Johannes de Stratford, Archidiaconus Lincoln. & Canonicus Eboracensis, in Curiâ tunc presens, ad Episcopatum Winton. à Papâ provisus est die 20. consecratus à Vitali Cardinali Albanensi die 26. Junii anno 1323. non autem 1322. quem Birchingtonus malè posuit. Rex Robertum de Baldok, Archidiaconum Midlesexiæ, Cancellarium suum, Rigaudo successorem designaverat; & Episcopatum à Johanne præreptum ægrè ferens, illi temporalia restituere diu recusavit. Anno demum sequenti Johannes sub finem mensis Junii Regis gratiam & temporalia Episcopatûs sui obtinuit; professionem Archiepiscopo fecit apud Mortelak 1324. 1. Dec. apud Cantuariam renovavit 7. Decemb. Anno 1325. Willelmo de Melton Archiepiscopo Ebor. summo Scaccarii Thesaurario constituto die 30. Julii, iste Locumtenens Thesaurarii factus est 6. Nov. Anno 1331. Cancellarius Angliæ renunciatus est in Parlamento die 28. Nov. Sigillum Roberto fra-

tri custodiendum tradidit 1333. 23. Junii. Eodem anno electus ad Archiepiscopatum Cant. 3. Nov. Cancellarius iterum constitutus est. 1335. 6. April dato sibi Vicario Roberto fratre. Tertiò etiam Cancellariatûs munere donatus est 1341. 28. April.

ADAM DE ORLETON.

Adamus Episcopus Wigorniensis, Legatione tunc fungens in aulâ Galliæ Regis, redemptâ malis artibus Galli gratiâ, precibus ejus ad Sedem Wintoniensem transferri à Papâ obtinuit, inconsulto Rege Angliæ, qui Papæ in alterius gratiam scripserat. Rex igitur jure merito iratus, temporalia illi restituere distulit usque ad 1334. 16. Sept. quo die rogatus ab omnibus Episcopis in Parliamento London. coactis, temporalia reddi jussit. Translatus fuerat Adamus à Papâ 1333. 1. Dec. Obiit 1345. 18. Julii, multis annis ante obitum cæcus.

Adam Merimuth in Contin. Florilegi.

Regist. Priorat. de Suthwerk.

WILLELMUS DE EDYNDON.

Willelmus Edyndon, summus Angliæ Thesaurarius, quod muneris suscepit 1345. 10. April. Rege precibus intercedente provisus est à Papâ ad Sedem Wintoniensem eodem anno. Electus quidem fuerat à Monachis Winton. è grege suo quidam Johannes Devenesche; cui in Willelmi gratiam rejecto Papa beneficium ecclesiasticum majoris pretii proximè vacaturum in Angliâ reservavit. Vacante igitur mox Abbatiâ S. Augustini, Abbas creatus est. Willelmus Episcopus factus, pluribus adhuc annis Thesaurarii munus summâ laude gessit, ad Cancellariatum Angliæ promotus 1357. 19. Febr. Post Simonis Islip mortem Archiepiscopus Cantuariensis electus 1366. 10. Maii, diem ultimum imminere præsentiens, oblatam dignitatem adire noluit. Eodem anno die 11. Sept. Testamento condito præcepit, ut de bonis suis expenderetur ad perfectionem navis Ecclesiæ Cathedralis Winton. à se inchoatæ, & ad subsidium domûs sive Cantuariæ de Edyngdon à se fundatæ. Reliqua Domibus Religiosis quamplurimis & famulis suis legavit. Obiit 1366. 8. Octobr. juxta Registrum *Langham*, die 7. Octobr. juxta Obituarium Cant. rectiùs. Astipulatur enim Chronicon Anonymum insigne, additque ipsum omnem ferè thesaurum suum seipso vivente pauperibus erogâsse, & apud Edyngdon sepultum esse in loco quem ipse fundaverat, & viris religiosis, qui Bon-hommes vocantur, repleverat.

Thorn. Hist. col. 2082.

Registr. Cant.

Registr. Langham.

Galba E. 7.

WILLELMUS WICKHAM.

Post Edindoni obitum Monachi Wintonienses sub ejusdem anni finem Willelmum Wickham, Privati Sigilli Regii Custodem, Rege sic volente, concorditer elegerunt. Natus is apud Wickham in agro Hantonensi, ex infimâ sorte ad summam dignitatem mirâ industriâ & fœlicitate emersit; favore & beneficiis ecclesiasticis ab Edwardo Rege, cui diutiùs fideliter inservierat, adeò cumulatus, ut anno 1366. mense Junio præter Archidiaconatum Lincoln. valoris annui 350. librarum, 13. Præbendas è pinguioribus in variis Ecclesiis Cathedralibus, & Ecclesiam de Manyhynet in Diocesi Exon. tenuisse memoretur. Electionem ejus nescio quam ob causam Papa diu confirmare distulit; à Rege tamen interpellatus administrationem Episcopatûs eidem contulit 1366. 11. Dec. quo nomine spiritualia Sedis Winton. Willelmus ab Archiepiscopo Cant. accepit 1367. 22. Febr. Post integrum annum Urbanus Papa electione dissimulata Episcopatum illi provisionis titulo donavit 1367. 12. Julii. Consecratus est Londini in Ecclesiâ S. Pauli à Simone Archiepiscopo

Registr. Langham.

Eirchinton p. 47. Regiſtr. Langham.&Morton.

copo 1367. 10. Octobr. Cancellarius Angliæ circa eadem tempora die 17. Septembr. renunciatus. Anno 1376. Johannis Lancaſtriæ Ducis inſidiis favore Regio, quem hactenus illæſum expertus fuerat, excidit; & dignitate ſuâ pariter ac poſſeſſionibus ſpoliatus eſt. Cauſam Godwinus ſibi notam datâ operâ reticere voluit. Scire autem volentibus Monachus Eveſhamenſis, qui Ranulphi Ceſtrenſis Polychronicon continuavit, dabit. Refert is Willelmum de regiæ prolis ſucceſſione ſollicitum, Edwardo Regi ſuggeſſiſſe, 'quòd Philippa Regina quondam uxor ipſius dictum Ducem in utero ſuo nunquam 'portavit, ſed ſuppoſuit eum pro filio; quod ob timorem Regis celavit, ſed 'ante mortem ſuam, ut idem Epiſcopus aſſeruiſſe dicitur, ut debuit, ſibi fatebatur; & ei injunxit, ut hoc Domino ſuo, cùm videret opportunum, 'mandaret. Propter quod idem Dux fingens colorem eum perſequendi, impoſuit ſibi, quòd falſus fuit patri ſuo diverſis modis, quando ipſius extitit 'Cancellarius. Unde erat Regi in magnâ ſummâ pecuniæ condemnatus. 'Pro quâ condemnatione in manus Regis omnia ejus Temporalia erant capta 'anno 1376. nec ſibi ante mortem Regis (quæ medio anno ſequenti contigit) fuerant reſtituta. Et licèt totus Clerus & tota Communitas preces 'funderent pro eiſdem, non tamen fuerant exauditi. Poſt Johannis obitum rebus iterum gerendis admotus, Cancellarius Angliæ conſtitutus eſt 1389. 4. Maii. Obiit anno 1404. 27. Septembris.

Regiſtr. Arundell.

HENRICUS BEAUFORT.

Henricus Johannis Lancaſtriæ Ducis ex Catharinâ Swinfordâ filius, Epiſcopus Lincolnienſis, Henrici Regis fratris ſui operâ Willelmo ſucceſſor per Papalem proviſionem datus, ſpiritualia Epiſcopatus Winton. accepit ab Archiepiſcopo Cant. in Palatio Epiſcopi Londinenſis 1405. 18. Martii. Quater Angliæ Cancellarius factus eſt; primùm anno 1404. dein anno 1414. exin anno 1417. 12. Octobr. munus depoſuit 1418. 23. Julii. Anno denique 1424. 16. Julii magni Sigilli cuſtodiam accepit. Anno 1426. Cardinalis Eccleſiæ Romanæ titulo S. Euſebii à Martino Papâ die 23. Junii renunciatus, galerum accepit die 25. Martii ſequentis. Obiit 1447. 11. April. annis non minùs quàm divitiis gravis. Teſtamento ante biduum condito, ſingulis ferè totius Angliæ Eccleſiis Cathedralibus & Cœnobiis vaſa argentea gemmaſque ingentis pretii, & nominatim Eccleſiæ Wellenſi vaſa argentea deaurata ponderis 283. unciarum, & ſummam 148. librarum, legavit.

Regiſtr. Arundell. Dugdal. Orig. Juridic. Regiſt. Stafford Obituar. Cant. Regiſtr. Well.

WILLELMUS WAYNFLET.

Willelmus Waynflet, Canonicus Wellenſis ab anno 1433. & Collegii regalis Etonenſis Præpoſitus, à Nicolao Papâ ad Wintonienſem Sedem proviſus 1447. 10. Maii; profeſſionem obedientiæ Archiepiſcopo Cant. fecit in ædibus Lambethanis 1447. 16. Junii, conſecratus die 30. Julii ſequentis. Cancellarius Angliæ conſtitutus eſt 1457. Octob. 11. & in eo munere Georgium Nevil Epiſcopum Exon. ſucceſſorem habuit 1460. 25. Julii. Erravit Godwinus, qui illum ab anno 1449, ad 1458. Cancellariatum tenuiſſe ſcribit. In illo ſiquidem temporis intervallo Cancellarii ordine fuerunt Johannes Stafford Archiepiſcopus Cant. Johannes Kemp Archiepiſcopus Ebor. 1450. Ricardus Comes Sarum 1454. & Thomas Bourchier Archiepiſcopus Cant. cui ſucceſſit Willelmus noſter anno 1457. Obiit iſte 1486. 11. Auguſti.

Regiſt. Stafford Dugdal. Orig. Juridic.

PETRUS COURTNEY.

Poſt medii anni vacationem Petrus Courtney huc à Sede Exonienſi tranſlatus

ſlatus eſt bullâ Innocentii Papæ datâ 1487. 29. Jan. menſe Februario à Monachis proviſionis Papalis inſciis ritè electus. Obiit anno 1492. die 22. Septembris.

Regiſtra Morton & Kemp.

THOMAS LANGTON.

Thomas Epiſcopus Sarum Wintoniam tranſlatus, Spiritualia quæ vocant, ſeu juriſdictionem ſpiritualem Sedis Winton. ab Archiepiſcopo Cant. ſibi commiſſam accepit 1493. 24. Junii. Obiit anno 1500. paulò antè 10. Octob. quo die Spiritualia Epiſcopatûs Winton. à Monachis Eccleſiæ Cant. Sede Archiepiſcopali vacante, in manus ſuas accepta ſunt. Paucis ante obitum diebus ad Archiepiſcopatum Cant. Johannis Morton morte nuperâ vacantem electus eſt, teſte Chronico Londinenſi; quod quidem obitum ejus menſe Januario contigiſſe refert, errore manifeſto.

Regiſt. Morton.

Regiſtr. Cant.

Vitell. A. 16.

RICARDUS FOX.

De Ricardo Foxo à Sede Dunelmenſi ad Wintonienſem poſt Langtoni obitum tranſlato, rebuſque ab illo Wintoniæ geſtis nil habeo quod adjiciam Godvini dictis, niſi quòd anno 1528. 14. Sept. obierit.

Obit Cant.

THOMAS WOLSEY.

Wintonienſem Epiſcopatum per Foxii mortem vacantem Thomas Wolſeius Archiepiſcopus Eboracenſis, qui nil tunc non poterat, Rege annuente & Papa è contra hiſcere non audente, arripuit & jure commendatorio tenuit, relicto Epiſcopatu Dunelmenſi, quem priùs eodem jure tenuerat. Inſtallatus eſt Wintoniæ per procuratorem 1529. 11. April. Obiit anno 1530. 29. Novembr.

Liber niger Archidiaconi Cant. p. 63.

STEPHANUS GARDINER.

Poſt quatuor fermè annorum vacationem Wintonia Epiſcopum accepit Stephanum Gardiner anno 1534. conſecratum; qui Reformationi Eccleſiæ ſe invito & pro viribus adverſante factæ ſuperfuit.

EPISTOLÆ TRES DE MONACHIS

ex Ecclesiâ Wintoniensi non ejiciendis.

[Ex Bibliothecâ Cottonianâ *Vitellius* E. 4.]

EPISTOLA *Wintoniensis Ecclesiæ ad Alexandrum II. Papam, Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi MLXXI. Indictione IX.*

Occasionem istarum Epistolarum vide apud Rudburnum pag. 245. & Eadmerum Hist. Nov. l. 1. p. 10.

DOmino sancto & in Christo semper venerabili, universali Papæ Alexandro, humilis fratrum congregatio in Ecclesiâ Sanctorum Birini, Swithuni & Adelwoldi Deo deserviens in civitate Wentanâ fideles orationes cum æterno famulatu per omnia sæcula. Inter innumeras omnium contritorum Anglicæ Ecclesiæ querelas, ô omnium mœrentium unica respiratio & periclitantium desiderabilis portus Domine Papa, extremæ prolis vestræ paternâ aure incumbite querimoniæ; & qui omnium vos invocantium gemitibus compati debetis ex officio pastoralitatis susceptæ, singultibus quoq; nostris & precibus quæsumus adestote pro Dei & B. Petri amore. Videatis nos humi prostratos coram majestate Apostolicæ Sedis vestræ, supplicantes videlicet & obtestantes per viscera misericordiæ Dei nostri & per pietatem B. Petri & hujus universalis matris Ecclesiarum, quæ sinu præcellentissimæ benignitatis ad se confugientes protegere consuevit; ne patiamini nos humilem Christi gregem nativo professionis nostræ septo violenter ejectos irruentibus lupis exponi; in quo sc. Ecclesiæ septo ab ipsâ infantiâ plantati & radicati, & vicissim bonis usi & mala perpessi, jam per multa annorum sæcula inolevimus; ita videlicet ut ipsa antiquitas jam nobis pro auctoritate esse posset, etsi nullum auctorem haberemus. At inclitus & à Deo electus Rex Edgarus, pater B. Edwardi Regis & Martyris & sanctarum Virginum Edgithæ & Alfgivæ, ipse quoque adhuc in humanâ vivens carne plurimâ declaratus sanctitate, cùm per matrices Ecclesias Clericos à fœminarum consortio non posset compescere, habito Synodali Concilio per S. Dunstanum Cantiæ Archiepiscopum & S. Adelwoldum Wintoniæ Præsulem cum aliis totius Britanniæ Episcopis Cœnobitis, instituit tres Anglorum Ecclesias, Metropolitanam sc. Cantiam & Wentoniam & (*a*) Wyrensem Ecclesiam, de eisdem Clericos castitatem profitentes ad Monasticam exhortatus vitam. Quorum sanctorum Episcoporum merita, ut omnino sanctitati vestræ non sint incognita, prior Cantianæ Archipræsul Ecclesiæ adhuc mortalis sæpe Angelorum choris legitur interfuisse, eorumque harmoniam auditam retinuisse & discipulos suos docuisse. Alter quoque noster sc. patronus S. Adelwoldus in utero matris Deo

(*a*) viz. Wigorniensem.

Deo ſanctificatus prægnanti genitrici demonſtratur divinitus hoc modo. Videt enim futurorum uſa viſione, ſibi in ore creviſſe quaſi ſpeciem excelſiſſimæ arboris, ejuſque univerſos ramos innumeris coopertos dependentibus cucullis. Demonſtratâque cuidam Sancto viſione, didicit ſe in utero ferre patrem & inſtructorem multorum Monachorum in diverſis locis. Quod verum fuiſſe in eo etiam adhuc evidentiſſimè edocet gratia Dei omnipotentis. Qui poſt multa conſtructa Cœnobia, cùm Præſul eſſet in noſtrâ, cui adhuc ſub B. Petro deſervimus, Eccleſiâ jam tunc Canonicorum officiis Clericalibus deditâ; eumque exoſum haberent, quòd ab eo pro ſuâ arguerentur incontinentiâ, ab eis veneno potatus, interiùs deſæviens virus orationis repreſſit antidoto, & mortis caruit periculo. Ex eorum tempore defluxerunt pluſquam centum anni; ſibique invicem ſucceſſerunt in ſede beati Patroni quamplures Dei gratiâ ſanctiſſimi Apoſtolici; & nullius tempore minitati ſumus à loco noſtro expelli. Quòd verò nunc veſtro terremur tempore, precamur item itemque millies veſtris paternis provoluti pedibus; ut malivolorum ſuggeſtione poſthabitâ, paternè agatis in nobis vos pro amore B. Benedicti & ſupradictorum terræ noſtræ patronorum ſuppliciter exorantibus; ut nos & loco noſtro reinſeratis clementiùs, & Apoſtolicâ veſtri auctoritate, ne denuo evelli poſſimus, per privilegii veſtri gratuitum propugnaculum ſtabiliatis intentiùs. Nos verò quod pravâ conſuetudine in nobis eſt declamatum, ex veſtræ paternitatis inſtitutione emendare conabimur per Dei gratiam & auxilium.

Epiſtola Alexandri Papæ vel Reſcriptio.

ALexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, congregationi Monaſterii Wintoniæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Legati noſtri, qui ad partes veſtras miſſi Concilium ibi celebraverunt, ſicut à pleriſque majoribus & antiquioribus gentis veſtræ ſe didiciſſe confeſſi ſunt, Eccleſiam veſtram à vetuſtâ conſtitutione in ordine & officio atque cultu Monachorum extitiſſe nobis indicaverunt. Sunt etiam nonnulli, qui aſſerunt ferè omnes majores Eccleſias ejus terræ conſuetudinem Monaſtici Ordinis ex eo cepiſſe & tenuiſſe, quòd S. Auguſtinus Legatus beatiſſimi Papæ Gregorii & ejus terræ prædicator, quos perceptâ fide ad obſequium divini miniſterii & Eccleſiaſticos ordines perducere potuit, in hâc formâ religionis & cultu præcipuè conſtituit & ordinavit. Quibus quoniam longè nos impares eſſe cognoſcimur, ſtatuta mutare vel infringere indignum eſſe ducimus, præſertim cùm ea Catholicæ fidei eruditionibus obeſſe non invenimus. Unde per præſentiâ ſcripta ſtatuimus & confirmamus; ut Eccleſia veſtra in eo ſtatu Monaſtici Ordinis, quo hactenus manſit, deinceps ſine omni læſione & perturbatione conſiſtat. Vos autem ut cariſſimos filios admonemus; quatinus propoſitum veſtræ profeſſionis eâ ſinceritate & ſtudio de die in diem adjuvante Domino in melius proficiendo peragatis; ut ex interiori conſcientiâ veſtrâ ſervitus & devotio divino conſpectui placeat, & exterioris forma converſationis nulli reprehendendi vos occaſionem tribuat; ſed omnibus exemplum ſanctitatis & erga diligentiam veſtræ religionis amorem & deſiderium confirmandæ dilectionis præbeat. Cæterùm ſi quis audaci temeritate vel pravo ſtudio hunc ſtatum & ordinem Eccleſiæ veſtræ mutare vel confundere attemptaverit; proculdubio ſciat ſe iracundiam Apoſtolicæ Sedis incurrere, & niſi ceſſet anathematis in ſe judicium provocare.

Epiſtola Alexandri Papæ ad Landſrancum Dorobernia Archiepiſcopum.

ALexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, in Chriſto fratri Lanfranco Cantuariorum Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pervenit ad aures noſtras, quòd Monaſterium Wintoniæ multas perſecutiones & indignas oppreſſiones ab his ſuſtineat, quorum immoderata pravitas ordinem & officium Monachorum inde ejicere ac prorſus expellere certat. Verùm quia nobis non leve videtur tam antiquas Conſtitutiones, & ut dicitur à B. Auguſtino prædicatore ejus terræ profectas & ductas, ſubitâ & inconſultâ permutatione diruere; nec eas Catholicæ fidei eruditionibus obviare videmus: fraternitatem rogando monemus, ut his qui talia conantur prudenti defenſione reſiſtat, & præfatum Monaſterium à ſtatu & ordine Monaſticæ congregationis labefactari aut deſtitui quoad poteſt nullatenus patiatur neque permittat. Præterea de liberatione capti Epiſcopi, quod experientiæ tuæ commiſimus, valde miramur, an hoc tua prætermiſerit negligentia, an Regis pœnam adjiciens contempſerit inobedientia. Per præſentium etiam latorem dilectionem tuam interpellare curavimus; ut quæ apud te impetrare deſiderat, dummodo concedenda ſint, tua ſibi benignitas pro noſtrâ caritate concedat.

Lantfredi Epiſtola præmiſſa Hiſtoriæ de Miraculis S. Swithuni Epiſcopi Wintonienſis.

DIlectiſſimis fratribus Wintoniæ commorantibus in S. Petri Cœnobio quod nuncupatur Vetuſtiſſimum, jugis concordia, ſalus ac perhennis gloria, gaudium inenarrabile, ſplendor ſine fine, pax ſempiterna, caritas continua, hîc & in cœlo multiplicetur à Domino. Licèt cariſſimi ac affabiles adelphi per univerſam ferme Europam ſint divulgata penitus Miracula, quæ præpotens auctor miraculorum dignatus eſt largiri gentibus Anglorum per S. Swithuni meritum; tamen ne tanta Dei beneficia queant poſteritatem latere ſuccedentem, nequiſſimus cunctorum pravis actibus hominum, utpote nullâ divinæ prærogativâ ſcientiæ, nullâ fultus bonitatis autoritate, verùm veſtris obtemperans juſſionibus, veſtris confiſus orationibus, tremens ad tantam pelagi magnitudinem acceſſi; & quaſi ſtillam de undis oceani, ita de plurimis Sancti miraculis perpauca decerpſi. Quapropter efflagito conditorem rerum; quatinus non meum reſpiciat meritum ſed affectus jubentium. Vos etiam pro meis precor orare delictis; ne me ſeducat ſpiritus falſitatis. Nimirum animus terrenis inretitus curis nihil veritatis excogitare poterit; niſi priùs fallacis caligines erroris ſpiritus ſcientiæ & pietatis expulerit. Et quoniam perparum ſcimus de ſignis mirabilibus, prodigiis ac virtutibus, quæ Sanctus iſte in ſuâ geſſit orationibus vitâ: nimirum ut inquit Priſcianus auctor Grammaticæ artis peritiſſimus, ſtudiis literarum tranſeuntibus in negligentiam per ſcriptorum inopiam: veniamus ad ea quæ poſt ejus obitum indubitanter ſunt peracta ad viri Dei tumulum. Idcircoque acceſſimus maximè ad evolvenda hujus Sancti miracula; quoniam ut beneficia Dei digniſſimum eſt laudare, & juſtiſſimum eum neſcientibus prædicare; ſic impiiſſimum eſt illa ſilendo negare, & nequiſſimum eadem ignorantibus non enarrare. Humanus animus iſtius eſt naturæ; ut quotieſcunque legendo didicerit vel audiendo ſacros actus antiquorum vel mores patrum, relinquat cordis duritiam deſeratque mentis contumaciam ſectatricem vitiorum, & inclinetur ad miſericordiam, ſectetur-que humilitatem magiſtram virtutum.

SUC-

SUCCESSIO PRIORUM Ecclesiæ Wintoniensis.

QUÆ de Monachis Ecclesiam Winton. ab ipso anno 169. inhabitantibus Rudburnus refert, meræ sunt næniæ. Illam Canonicis Sæcularibus repletam puto, quando Kenwalchius Rex illuc Sedem Episcopalem à Dorcestriâ anno circiter 663. transferri voluit. Multis quidem Rudburnus (supra pag. 217, &c.) probare nititur Monachos in Ecclesia Winton. primitùs institutos, Edwii Regis tyrannide brevi tempore locum Canonicis Sæcularibus dedisse, eundemque Ethelwoldi Episcopi favore sub Edgaro Rege recuperâsse. Incassum verò. Mihi enim tantùm non constat Canonicos Sæculares Ecclesiam Winton. à primâ fundatione insedisse, usquedum ab Ethelwoldo Episcopo anno circiter 963. injuriâ expulsi essent. Ut alios enim sententiæ meæ testes mittam, Eadmerus *in Vitâ Oswaldi Archiepiscopi Ebor.* Canonicos tempore Odonis Archiepiscopi Ecclesiam tenuisse disertè tradit; idemque refert Johannes Tinmuthensis in *Historiâ Aureâ.* Præ aliis autem fidem meretur Monachus Ramesiensis, qui Vitam S. Oswaldi anno circiter millesimo (certè ante annum 1006.) conscripsit. Is Oswaldum Decanum Wintoniensem factum esse narrans, hæc habet. *In diebus illis non Monastici viri nec ipsius sanctæ institutionis regulæ erant in regione Anglorum. Sed erant religiosi & dignissimi Clerici; qui tamen thesauros suos non ad Ecclesiæ honorem sed suis dare solebant uxoribus.* Præposito Canonicorum Decani titulus datus erat. Successio Decanorum nos penitus fugit; neque aliorum nomina occurrunt præter Oswaldum, quem Decanum curâ Odonis Archiepiscopi factum dignitate abdicatâ ad Monachos Floriacenses ante annum 938. recessisse Eadmerus refert, & Swithuni, quem ex Præposito Ecclesiæ Winton. Episcopum esse factum anno 852. Rudburnus suprà affirmavit. Anno demum 963. circiter Canonicis ab Ethelwoldo ejectis, Monachi de Abendoniâ introducti sunt, datusque ipsis Præpositus, quem Priorem vocant,

Vol. 2. par. 2. p. 193.

Brithnothus, Abbas Eliensis anno 970. ab Ethelwoldo factus, teste Historiâ Eliensi & Rudburno suprà p. 202.

Brithwoldus, Hunc Brithnotho in Prioratu successisse, & ad annum usque 1006. tenuisse, levibus tantùm (ut verum fatear) conjecturis ductus suspicor. Opinor tamen; eundemque illum fuisse Brithwoldum Præpositum, cui Elfricus Monachus Winton. librum S. Matthæi à se Saxonicè versum anno circiter 987. donavit, & ad Episcopatum Wiltoniensem anno 1005. evectum esse. Brithwoldum sanè Wiltoniensem isto anno consecratum esse infra ostendemus, & Alfricum eodem circiter Prioratum Winton. obtinuisse suprà demonstravimus; ut Brithnotho Brithwoldum, Brithwoldo Alfricum successisse non possim non suspicari.

Suprà p. 135.

Elfricus, ad Archiepiscopatum Ebor. anno 1023. evectus; de quo satis superque in Dissertatione peculiari superiùs positâ. Ab hoc anno desideratur Successio Priorum usque ad annum 1070. nisi forsitan,

Chron. breve Winton. vetus. *Wlfsigius* Præpositus, qui anno 1065. obiisse dicitur, Wintoniensis (quod mihi videtur) perhibeatur.

Annal. Winton. *Simeon*, Walkelini Episcopi frater, à Walkelino, ut videtur, Monachis Winton. præfectus, ejusdem operâ Abbas Eliensis factus est 1082.

Godefridus, loci Monachus, ex urbe Cameraco ortus, successit anno 1082. à Walkelino Episcopo suffectus, religione & literaturâ insignis juxta Malmsburiensem, qui librum Epistolarum, & Epigrammata satyrica, & versus de Angliæ Primatum laudibus ab illo conscripta memorat. Extat adhuc liber Epigrammatum in Bibliothecâ Cottonianâ *Vitellius* A. 12. Obiit diuturno morbo confectus, anno 1107.

De gestis Pontif. l. 2. f. 140.

Annal. Winton. *Gaufridus*, loci ejusdem Monachus, Godefridum excepit 1107. depositus à Willelmo Episcopo anno 1111.

Annal. Burton Monastic. I. 272. *Gaufridus* alius, Cœnobii Hordarius, à Willelmo Episcopo substitutus anno 1111. Abbas Burtonensis factus est anno 1114. Obiit 1151. 2. Augusti. Scripsit ille Vitam S. Modwennæ Virginis. Notari non indignum est primos 7. Abbates Burtonenses è Cœnobio Wintoniensi delectos fuisse.

Eustachius, obiit anno 1120.

Hugo successit Eustachio anno 1120. Horum nomina atque successionem exhibent Annales vetusti Wintonienses inediti in Bibliothecâ Cotton. *Vitellius* A. 17.

Gaufridus III. obiit anno 1126. juxta Annales Wintonienses suprà editos.

Robertus, Abbas Glastoniensis electus anno 1173. sin Glastoniensi Historiæ magis credendum sit, 1171.

Walterus successit, ad Abbatiam Westmonasteriensem translatus anno 1175. juxta Annales Winton. 1176. ex mente Johannis Flete. Scripsit ille librum de gestis Willelmi & Henrici Episcoporum Winton. à Rudburno aliquoties citatum.

Annal. Winton. *Johannes*, obiit anno 1187.

Robertus filius Henrici successit eodem anno.

S. electus in Abbatem Burtonensem, confirmatus est à Rege 1214. 23. Jan. [*Pat.* 15. *Johan. par.* 1. *m.* 5. *apud Prynn. vol.* 2. *p.* 352.] Illum Historia Cœnobii Burtonensis non agnoscit. Certè brevi admodum tempore præsedit.

Annal. Burton. Rogerus enim Normannus Abbas factus est anno 1215.

Annal. Waverley. *Walterus*, obiit anno 1239. Walterus quidam Prior Winton. obiisse die 10. Novembr. in Obituario Cantuariensi dicitur.

Annal. Teokesber. Hist. Roff. *Andreas*, natione Brito, successit à Rege invitis Monachis intrusus 1239. ut Willelmum Valentinum in Episcopum Winton. eligi per fas & nefas efficeret. Obiit anno 1243.

Annal. Winton. *Walterus*, Prioratum resignavit 1247. 3. April. Illi Rex injuriâ Episcopo

Annal. Teokesbir. factâ Prioratum anno 1243. contulerat. Eundem itaque omnesque complices suos Episcopus excommunicavit, & civitatem supposuit interdicto.

Annal. Teokesbir. *Johannes de Calceto*, sive *de Chauce*, successit 1247. Abbas Petriburgensis electus 1249.

Annal. Winton. *Willelmus de Tanton*, subrogatus est Johanni 1249. 10. Febr. ad Abbatiam Middletonæ translatus post medium annum 1256. Episcopus Wintoniensis à Monachis electus fuit 1261. 3. Febr. sed rejectus à Papâ, Episcopatu excidit.

Annal. Winton. *Andreas de Londoniâ*, ab Adomaro Episcopo Electo invitis Monachis suffectus 1256. post sumptuosissimam litem adversùs alium Priorem à Monachis electum Romæ agitatam, vi nummorum à Papâ confirmatus est. Postea tamen exulante patrono suo Adomaro, Prioratum resignavit 1258. 12. Jul. & eodem iterum die à Monachis vi minarum electus est, resignare denuo coactus à Bonifacio Archiepiscopo 1261.

Mat. Paris.

Annal. Winton. *Radulfus Russel* successit, qui obiit 1265. 8. Julii.

Valen-

Valentinus subrogatur 1265. 21. Julii, resignavit medio anno 1267. restitutus 1268. mense Julio, in crastino depositionis S. Swithuni; resignavit iterum anno 1276. ab Episcopo restitutus die 1. Augusti, & ab eodem privatus die 3. Decemb. ejusdem anni. Annal. Winton. Annal. Wigorn.

Johannes de Durevillâ, natione Normanus, ab Episcopo Conventu invito suffectus 1276. 3. Decemb. obiit anno 1278. Annal. Winton. Annal. Wigorn.

Adam de Farnham, Prior factus est anno 1279. Sede Winton. vacante post Nicolai Episcopi obitum, se visitationi Johannis Cant. Archiepiscopi subjicere recusavit. Excommunicatus igitur ab Archiepiscopo ob inobedientiæ crimen 1282. 10. Julii, sese cum Monachis suis Archiepiscopo submisit, & absolutus est 1282. 31. Aug. & visitationem pro more subiit. Obiit ante annum 1284. Annal. Waverley. Registr. Morton & Peckham.

Willelmus de Basynge, Prioratum resignavit anno 1284. obiit anno 1288. 3. April. teste Registro Prioratûs de Twinham. Registr. de Pontoys.

Willelmus de Basynge II. electus à Monachis, confirmatus est ab Archiepiscopo 1284. 25. Aug. Obiit 1295. mense Maio. Id.

Henricus Wodelock, aliàs *de Merewelle*, electus 1295. die Lunæ proximâ ante Festum S. Barnabæ, viz. die 6. Junii, Episcopus Winton. electus est anno 1305. Id. & Registra Woodlock & Morton.

Nicolaus de Tarente, confirmatus ab Henrico Episcopo 1305. 29. Julii, obiit anno 1309. mense Julio. Registr. Woodlock.

Ricardus de Enford, confirmatus ab eodem Episcopo 1309. 25. Aug. superfuit anno 1325. Id.

Alexander, Prior erat annis 1332, & 1346. quod ex Registro Cœnobii de Hidâ *Domitian A.* 14. f. 214, 219. constat.

Hugo de Basyng. Hugoni cuidam Priori Winton. Willelmus Edyndon Episcopus 20. libras legavit anno 1366. ad orandum pro animâ ipsius; & Hugonem de Basyng anno 1382. Prioratum tenuisse in Registro Collegii Wickhamici Wintoniensis comperio. Registr. Langham.

Robertus de Rodeburne, præfuit annis 1385, & 1393. quod ex eodem Registro liquet.

Thomas Nevyle, isto Prioratum tenente Ecclesia Winton. ab Archiepiscopo Cant. jure Metropolitico visitata est 1404. 17. Octobr. Registr. Morton.

Willelmus Aulton, Cœnobio Winton. præsedit annis 1444, & 1447. Willelmus quidam Prior Winton. die 10. Januarii obiisse in Obituario Cantuariensi fertur. Regist. Stafford

Ricardus Marlborough, ex Hordario Prior factus, non longè post annum 1447. successit. Reg. Morton.

Henricus Berle, Prioratum gessit anno 1457. Reg. Coll. Winton.

Thomas Sylkestede, tempore ipsius, sede utraque Cant. & Winton. tunc vacante, Ecclesia Wintoniensis visitata est à Conventu Cantuariensi 1501. 27. Febr. Monachi tunc inerant Conventui Winton. 35. Valor annuus proventuum Cœnobii mille libræ. Registr. Cant.

Willelmus Basynge, Prioratum tenuit anno 1538. Idem, puto, Prior ultimus Cœnobium suum 1539. 15. Nov. tradidit in potestatem Henrici Regis, qui exauthoratis Monachis Canonicos Sæculares, quibus hodienum Ecclesia subest, postliminio reduxit. Registr. Coll. Winton.

Ne vacaret hæc pagina, apposui elogium maximi Præsulis Willelmi Waynflete Episcopi Wintoniensis ex Epistolâ nuncupatoriâ Fr. Laurentii Gulielmi de Savonâ S. T. D. Ord. Minor. in Conventu Londinensi, libro suo, cui titulus est Triumphus amoris D. N. J. Christi, *anno* 1485. *conscripto præmissâ.*

OPeræ prætium fore existimavi, Reverendissime Pater ac colendissime Domine, librum hunc caritati vestræ dirigere, tradere ac consignare; ut res amore & caritate referta ad patrem misericordiæ Dominumque clementissimum referatur; in cujus gremio blandè ac benignè suscepta foveatur, & pastorali auctoritate illustrata ac defensata, pleniùs rutilet, securiùs degustetur, diutiúsque in suo robore conservetur. Ut quod mea tenuitas majestati atque præstantiæ tantarum rerum conferre non potuit; pastoralis authoritas, veneranda canities, consummata prudentia, laudata prædicataque à multis sapientia, multis verò in rebus probata per pietatis opera caritas, quæ vestro in pectore conquiescunt, conferant & conservent. Optimo ergo jure, Reverendissime Pater, hunc librum, quasi amoris divini fasciculum, in sinu gremioque vestro fovendum conservandumque tradiderim; & tanto æquiùs atque congruentiùs, quanto major est benignitas, caritas atque misericordia, quæ passim atque publicè ubique in populo de tanto Pontifice prædicatur. Quippe cùm nullus omnino existat, qui ad tanti Patris misericordiæ sinum confugerit, qui multâ cum clementiâ se susceptum fuisse non asserat. Addamus autem id quod nullâ invidiâ obscurari, nullâ tergiversatione negari, nullâ denique detractorum perfidiâ deleri potest. Quanta videlicet fuerit liberalitas, quanta charitas in pectore tanti Pontificis; quandoquidem Collegium tam magnificum, tam amplum & speciosum, tot sumptibus, tantâ cum sollicitudine, construi omnino & ab ipsis fundamentis usque ad summum elevari complerique fecit. In quo tot venerabiles Sacerdotes ad cultum Dei sanctissimum officiosissimè constituti, tot Baccalarii sacratissimæ Theologiæ, tot Magistri Artium, tot sacrarum literarum studentes, continuè foventur & sustentantur; ut sacris literis honestissimisque bonarum artium disciplinis libero animo incumbant, hauriantque hujusmodi disciplinas, maxima ornamenta humanæ vitæ; & has postquam adepti fuerint, aliis utiliter ac sine invidiâ impertiantur. Addamus autem, quàm speciosum Templum, quàm magnificum, quàm solenne, cum suis ornamentis, libris, casulis, jocalibusque, divino cultui dignè peragendo deputatis, eodem in Collegio constructum sit; spatiosumque Claustrum suis columnis sustentatum atque ornatum, pulcherrimisque deambulatoriis circumvallatum. Quàm splendida insuper Bibliotheca, cunctarum pænè facultatum diversorumque Doctorum voluminibus constructa atque munita. Quàm insuper aprico situ aquarumque circumfluentium commoditate maximâ circumdata existat tantorum ædificiorum spatiosa moles. Ut non modò Sacerdotum atque Studentium apta, commodissima, atque delectabilis mansio sive Collegium nomen sortitum sit; quin & longè veriùs Paradisus quædam deliciarum animi & corporis dici mereatur. Omittimus alia complura, quæ multis in Ecclesiis variisque locis & splendidissimis ædibus, quotidianisque & piis operibus, erga pauperes jussu piissimi Pastoris distributa conspiciuntur quotidiéque elargiri videntur. Hoc solùm de Collegio, quod gloriosæ Apostolissæ D. N. J. Christi Magdalenæ dedicatum est, sufficiens utique speculum & exemplar esse dinoscitur contestans ac prædicans, quanta sit caritas in pectore tanti Pontificis constituta.

ERNULFI
Episcopi Roffensis
COLLECTANEA
DE REBUS
ECCLESIÆ ROFFENSIS,

A primâ Sedis Fundatione ad sua Tempora.

ACCEDUNT

EDMUNDI DE HADENHAM, Monachi Roffensis, Annales Ecclesiæ Roffensis ab anno DCIV. ad annum MCCCVII.

WILLELMI DE DENE Historia Roffensis ab anno MCCCXIV. ad annum MCCCL.

Successio Episcoporum Roffensium ab anno MCCCL. ad Reformationem.

Libellus Monachorum Roffensium de jure eligendi Episcopi.

Jura & Consuetudines Episcopatûs Roffensis.

Successio Priorum Ecclesiæ Roffensis.

ERNULFI Episcopi Roffensis COLLECTANEA De Rebus Ecclesiæ Roffensis.

A primâ Sedis Fundatione ad sua Tempora.

[Ex Textu Roffensi, quem composuit Ernulfus.]

Nomina Episcoporum Roffensium.

I. JUSTUS (*a*), obiit iv. Idus Novembris.
II. ROMANUS (*b*).
III. PAULINUS (*c*), obiit vi. Idus Octobris.
IV. YTHAMAR (*d*).

(*a*) Justus, natione Romanus, à S. Gregorio Papâ in Britanniam missus est anno 601. ut S. Augustino Cantuariensi in propagandâ fide subsidium ferret; quod & sedulò nec infœliciter fecit. Diffusâ latiùs per regiones circumvicinas fide, Augustinus Episcopos in civitatibus vicinis constituere consultum duxit; & Mellitum Londoniæ, Justum Rovecestriæ Episcopos ordinavit anno 604. Ecclesias Cathedrales in utrâque urbe Ethelbertus Rex Cantuariorum Augustini precibus, in illâ S. Paulo, in istâ S. Andreæ sacras construxerat, & possessionibus opimis dotaverat. Post Ethelberti obitum, qui anno 616. 24. Febr. contigit, solum vertere ab Eadbaldo, qui successit, rege Ethnico coactus, Galliam cum Mellito secessit. Eadbaldo brevi pòst ad fidem converso revocatus, Sedi Roffensi ad annum usque 624. præfuit; quando Cantuariam post Melliti obitum translatus est. *Beda Hist. Eccl. l.* 1. *c.* 29. *l.* 2. *c.* 3, 5, 6, 7, 8.

(*b*) Justus ad Archiepiscopatum Cant. translatus, Romanum pro se Rovecestriæ Episcopum ordinavit; eundemque ad Honorium Papam, qui Pontificatum iniit 626. 28. Sept. legavit ante finem anni 627. quo ipse morti succubuit. Romanus legatione susceptâ mare trajiciens naufragio interiit. *Beda l.* 2. *c.* 8, 20.

(*c*) Paulinus, missus à Gregorio Papâ in Britanniam unà cum Justo anno 601. Archiepiscopus Eboracensis ordinatus est anno 625. Eboraco fugatus à Cedwallâ Britonum Rege anno 633. Cantuariam rediit; & Episcopatûs Roffensis, qui sexennio vacaverat, curam sibi ab Eadbaldo Rege & Honorio Archiepiscopo commissam suscepit, & ad obitum tenuit. Obiit anno 644. 10. Octobr. sepultus in Ecclesiâ Roffensi; postquam sedi præfuisset annos 11. (sic enim Bedæ locum corrigendum puto) menses 2. dies 21. *Beda l.* 1. *c.* 29. *l.* 2. *c.* 20. *l.* 3. *c.* 14.

(*d*) Primus Anglorum Ithamar dignitatem Episcopalem obtinuit, Paulino in Sede Roffensi subrogatus ab Honorio Archiepiscopo anno 644. Ortu is Cantuariensis fuit, nulli tamen antecessorum moribus & doctrinâ, Bedâ judice, inferior. Introitum ejus in annum 647. referunt Annales MSS. sub Asserii Menevensis nomine circumlati. Malè puto. Beda enim illum Paulino è vestigio substitutum fuisse innuit. Anno 655. Deusdedit Archiepiscopum Cant. consecravit; eodemque Archiepiscopatum tenente, idque brevi pòst, ut videtur, fato cessit. *Beda l.* 3. *c.* 14, 20.

V. DAMIANUS (*e*).
VI. PUTTA (*f*).
VII. CUICHELMUS (*g*).
VIII. GYBMUNDUS (*h*).
IX. TOBIAS (*i*).
X. ALDUULFUS (*k*).
XI. DUNNO (*l*).

(*e*) Damianus de genere Australium Saxonum successit, à Deusdedit Archiepiscopo consecratus. Post ipsius obitum Sedes Roffensis authore Bedâ diu vacavit. Obiisse videtur paulò ante Deusdedit, qui mortuus est 664. 4 Julii. Cedda enim Archiepiscopus Ebor. ordinandus Cantuariam veniens, compertâ Deusdedit Archiepiscopi morte, sine consecratione habitâ recessit: & Wighardus Presbyter, successor Deusdedit Archiepiscopo designatus, missus est Romam consecrandus. Sin verò Damianus Deusdedit Archiepiscopo superfuisset; uterque ab illo consecrationis munus suscepisset. Nec tamen diu ante Deusdedit obiisse potuit. Aliter enim Archiepiscopus ante obitum suum successorem illi subrogâsset. *Beda l.* 3. *c.* 20. *l.* 4. *c.* 1, 2.

(*f*) Theodorus Archiepiscopus Cantuariam veniens medio anno 669. Puttam virum ecclesiasticis disciplinis instructum, & more Romano modulandi maximè peritum, Ecclesiæ Roffensi Episcopum ordinavit. Interfuit is Synodo Herefordensi à Theodoro coactæ anno 673. Anno 676. Cantiâ ab Ethelredo Merciorum Rege miserè vastatâ, & civitate Roffâ communem cladem passâ, Episcopus tunc absens, cui in rebus sæculi industria defuit, nunquam redire certus, ad Sexulfum Merciorum Episcopum secessit; acceptâque ab isto Ecclesiolâ quadam & agello modico, ibidem consenuit, regiones vicinas Romanis ecclesiastici cantûs legibus instituens; neque ut derelictum Episcopatum resumeret, ullis argumentis adduci potuit. Synodo tamen Hethfeldensi anno 680. interfuit. *Beda l.* 4. *c.* 2, 5, 12. *Conc. Angl. Tom. I. p.* 680.

(*g*) Rectiùs Quichelmus; sic enim Bedæ dicitur. Consecratus is loco Puttæ à Theodoro Archiepiscopo anno circiter 676. post non multum temporis rerum inopiâ coactus Episcopatum deseruit. *Beda l.* 4. *c.* 12.

(*h*) Quichelmo recedente, Theodorus Gebmundum substituit. Dicitur is interfuisse Concilio Berghamstedensi anno 697. Indictione 1. & privilegio Witredi Regis subscripsisse anno 700. *Beda l.* 4. *c.* 12. *Concil. Angl. tom.* 1. *p.* 194, 199. Obitum ipsius in annum 692. Godwinus retulit. Qua Authoritate id fecerit, mihi est incompertum. Illum tamen ante medium annum 693. quo Brectwaldus Archiepiscopus à Godwino Galliarum Metropolitano consecratus est, obiisse conjicio. Archiepiscopi enim consecratio ad Episcopos Roffenses tunc temporis spectâsse videtur. Quòd Concilio Berghamstedensi anno 697. adfuisse dicatur. Indictionis numerus errorem indicat; chartasq; & privilegia, si quæ alia adsint argumenta, parùm moramur, conjecturam confirmant Annales Roffenses. Illum anno 693. obiisse in Annalibus Saxon. Petriburg. demum comperi.

(*i*) Defuncto Gebmundo, Tobias, vir Græcæ pariter ac Latinæ linguarum cognitione & eruditione multiplici instructus, Theodori Archiepiscopi & Adriani Abbatis discipulus, loco illius à Brectwaldo Archiepiscopo Cant. ordinatus est. Obiit anno 726. sepultus in porticu S.Pauli Apostoli, quam intra Ecclesiam Roffensem sibi ipsi in locum sepulchri fecerat. Ista de illo Beda *l.* 5. *c.* 9, 24. Consecratus videtur anno 693. quod & Florilegus innuit. Anno etenim sequenti Concilio Becanceldensi interfuit. *Concil. Angl. Tom.* 1. *p.* 189. Pessimè calculos subduxit Pseudo-Asserius in Annalibus MSS. qui introitum illius in annum 715. rejecit.

(*k*) Aldwlf à Berchtwaldo Archiepiscopo loco Tobiæ ordinatus, anno 731. superfuit. Atque ista tantummodo de illo refert Beda *l.* 5. *c.* 24. Consecratum anno 727. tradunt Annales Saxonici MSS. *Domitian A.* 8. Anno 731. Tatwinum Archiepiscopum Cantuariensem consecravit. Anno 732. obtinuit ab Ethelbaldo Rege Merciorum vectigal annuum unius navis sibi & successoribus suis concedi, chartâ datâ mense Septembri anno regni Ethelbaldi Regis 17. Idem dono accepit ab Eadberhto Rege Cantuariorum terram decem aratrorum in loco qui dicitur Andscohesham; & donationem à Nothelmo Archiepiscopo anno 738. confirmari obtinuit. *Textus Roff. f.* 121, 119, 120. Obiisse dicitur à Florentio anno 741. à Simeone Dunelm. autem, Chronico Mailros & Pseudo-Asserio anno 739.

(*l*) Dunno, Anglicè Dun, successit Aldulfo anno 740. juxta Mailrosensem, consecratus anno 741. juxta Chronologiam Saxonicam. Interfuit Synodo Cloveshoviensi 747. *Concil. Angl. tom.* 1. *p.* 242.

XII. EAR-

XII. EARDULFUS (*m*).
XIII. DIORA (*n*).
XIV. WEORMUNDUS (*o*).
XV. BEORNMODUS (*p*).
XVI. TADNOTHUS (*q*).
XVII. BADENOTHUS (*r*).
XVIII. CUTHUULFUS (*ſ*).

(*m*) Quonam anno Eardulfus Dunnoni ſucceſſerit, incertum eſt. Prima de illo in Textu Roffenſi fit mentio anno 761. quo ſeſqui-jugerum terræ in civitate Roffâ ad augmentum Eccleſiæ à Sigiredo Cantiæ Rege obtinuit Indictione 15. Anno ſequenti Eardwlfus Cantuariorum Rex illi paſcua 12. gregum porcorum donavit. Anno 764. Offa Merciorum Rex terram 20. aratrorum in Æſlingahain; anno 765. Ecgberhtus Rex Cantiæ terram quandam intra Caſtelli mœnia eidem dedit. *Textus Roffen.* f. 122, 123, 124, 126. Magis adhuc ad rem faciunt Annales Roffenſes; qui Woldham illi ab Ethelbirto Rege anno 750. donatam memorant.

(*n*) Diora, aliis Dyorannus, ſucceſſit ante annum 778. quo Ecgberht Rex Cantiæ donavit illi atque Eccleſiæ Roffenſi terram in Bromley & mariſcum de Scaga; & donum eidem confirmavit anno 779. Idem dedit ipſi terram infra mœnia urbis anno 781. & terram decem aratrorum in Hallinges. *Textus Roff.* f. 129, 136, 131, 128.

(*o*) Weremundus, Anglicè Worre, ſucceſſit. Illi terram ſex aratrorum in Trotteſclib Offa Rex Merciorum anno 788. donavit; terram etiam unius aratri in Broomgeheg in Synodo Celcuthenſi anno 789. Ethelbertus Cantuariorum Rex 20. jugera anno 790. *Textus Roff.* f. 132, 133, 135. Poſtrema tamen donatio additâ Cealnothi Archiepiſcopi ſubſcriptione meritò ſuſpecta redditur. In Concilio equidem Calcuthenſi anno 789. habito chartæ Offæ Regis datæ Eccleſiæ Wigornienſi ſubſcripſiſſe reperitur in vetuſtiſſimo exemplari inter Archiva Eccleſiæ Wigorn. ipſi Concilio ætate parum inferiori. Interfuit Concilio Becanceldenſi 798. ſeu potiùs Cloveſhovienſi 803. (unicum enim fuit Concilium, idque Cloveſhoviæ habitum) eodemque anno obiiſſe videtur. Florentius quidem obitum ejus & Chronologia Saxonica ſucceſſoris introitum in annum 802. referunt. Verùm aut Concilium anno 802. habitum eſſe, aut Weremundus anno 803. obiiſſe dicendus eſt. *Concil. Angl. tom.* 1. p. 318, 325.

(*p*) Beornmodus Weremundum excepit, anno 802. conſecratus juxta Chronologiam Sax. & Florentium, ſeu potiùs 803. ſiquidem Concilium Cloveſhoviæ iſto anno coactum perhibeatur. Extat in Regiſtro Eccleſiæ Cant. Profeſſio ejus facta Ethelardo Archiepiſcopo Cant. à quo conſecratus erat. Obiit autem Ethelardus 803. menſe Maio. Illi & Eccleſiæ ſuæ Roffenſi Kenulfus Rex dedit tria aratra ad meridianam urbis partem anno 804. Indict. 11. Egbertus Rex terras plures anno 838. Indict. 1. Ethelwlfus Rex terram in Holanbeorges 841. Indict. 4. *Textus Roff.* f. 137, 138, 139. Interfuiſſe Synodo Celcuthenſi 816. legitur in *Concil. Angl. tom.* 1. *p.* 328. Mitto plures ejus ſubſcriptiones; quæ circa hæc tempora factæ in Regum Chartis in Monaſtico Angl. & alibi reperiuntur. Quod verò Florilegus & Annales Roffenſes illum anno 804. defunctum Puthrico locum ceſſiſſe referunt, error eſt manifeſtus. Puthricus enim ille, rectiùs Burthricus dicendus, ante finem extremum ſæculi Epiſcopatum non optinuit; & Tadnothum Beornmodo ſucceſſiſſe Indiculus vetuſtus Epiſcoporum Roff. ad calcem Chronologiæ Saxonicæ confirmat.

(*q*) De Tadnotho nil aliud dicendum habeo, quàm ex Textu Roffenſi f. 122. conſtare, illum temporibus Ceolnothi Archiepiſcopi & Berhtwlfi Merciorum Regis, viz. inter annos 841, & 852. Sedi Roffenſi præfuiſſe.

(*r*) De Badenotho nil præter nomen ab Ernulfo aſſervatum ſupereſt. A Beornmodo enim ad Burhricum Willelmus Malmſburienſis & Florentius in Indiculis ſuis Epiſcoporum Roff. omnes prætermiſerunt. Badenotho Godwinum quendam Godwinus *lib. de Præſulibus p.* 567. temerè ſubjecit, non aliâ ratione ductus, niſi quòd Godwinus Epiſcopus Roffenſis Chartæ Witlaſii Regis Merciorum datæ Cœnobio Croilandenſi anno 833. & alteri Bertulfi Regis 851. apud Ingulphum p. 488, 490. ſubſcripſiſſe reperiatur: quaſi verò aliquid Monachorum chartis pro lubitu confictis contra aliorum monumentorum fidem tribuendum ſit.

(*ſ*) Cuthwlfo Epiſcopo Etheredus Rex plures terras anno 868. donaſſe dicitur in Textu Roffenſi f. 141.

XIX. SUITHULFUS (*t*).
XX. BURHRICUS (*u*).
XXI. CEOLMUNDUS (*x*).
XXII. CYNEFERTHUS (*y*).
XXIII. ÆLFSTANUS (*z*).
XXIV. GODUUINUS I. (*a*).
XXV. GODUUINUS II. (*b*).
XXVI. SYWARDUS (*c*).
XXVII. ERNOSTUS (*d*).

(*t*) Swithulfo Episcopo Ethelulfum Regem anno 880. Indict. 13. terram in Cucolanstan contulisse narrat Textus Roffensis f. 142. Idem anno 897. Custos occidentalis Cantii adversùs Danorum irruptiones ab Alfredo Rege constitutus, brevi post tempore peste extinctus obiit. *Floril. & Chronol. Sax.*

(*u*) Burhricus, aliis Burthricus, & Burgrice, & Puthricus dictus, successit; cui Edmundus dedit tria aratra in Mallinges, donum confirmante Odone Archiepiscopo, apud *Textum Roff.* f. 143. Edmundus regnare cœpit 941. desiit 946. Eidem manerium de Frekingham ab Alfredo Rege, qui anno 901. obiit, donatum esse Libellus Monachorum Roff. prodit. Anno 938. subscripsit chartæ Athelstani Regis datæ Cœnobio Malmsburiensi apud *Willelmum in Vitâ Aldelmi p.* 32. Inania sunt, quæ de successione ejus anno 804. Florilegus & Annales Roff. & de subscriptione Chartæ Berthulfi Regis datæ Cœnobio Wigorn. anno 841. Monasticon *tom.* 1. *p.* 122. & de ordine inter Chineferthum & Alfstanum medio Godwinus habent.

(*x*) Nil alibi de eo traditur. Successit Burhrico post annum 941.

(*y*) Solum nomen superest. Obiit ante annum 955.

(*z*) Alfstanus, aliis Athelstanus, confirmationem manerii de Bromleage ab Edgaro Rege obtinuit anno 955. in *Textu Roff.* f. 151. subscripsit chartis Edgari datis Cœnobio Ramesiensi & Malmsburiensi anno 974. *Monastic.* 1. *p.* 236. *& Vita Aldelmi p.* 33. Obiisse Episcopum quendam Roffensem anno circiter 984. Osbernus in *Vitâ Dunstani* p. 114. docet. Hunc Alstanum fuisse Annales breves & admodum vetusti Roffenses MSS. *Vespasian A.* 22. à Benedicto Monacho conscripti hisce verbis confirmant. *Anno* 984. *obiit Elfstanus Episcopus Roffensis; successit Godwinus.* De contentione inter ipsum & Ethelredum Regem, & obsidione ejusce gratiâ urbi Roffensi anno 983. illatâ consule Florilegum *in anno* 983. & Osbernum *in Vitâ Dunstani p.* 114. Ista quidem Godwinus successori ejus constanter tribuit; verùm invitâ veritate, uti ex prædictis facilè patebit.

(*a*) Godwinus, nonnullis Godricus, successit anno 984. Illi Ethelredus sex mansas in Woldham donavit anno 995. Indict. 8. & Bromley primis regni annis oblatum restituit 998. Indict. 11. eidem 15. mansas in Stantun & Hiltune contulit anno 1012. Indict. 10. *Textus Roff.* f. 155, 154, 158, 160. Mitto subscriptiones illius, quibus plurimas Ethelredi Chartas munivit. Magis notandum venit, quod Florentius, Hovedenus, aliique tradunt, illum à Danis in expugnatione urbis Cantuariensis anno 1011. unà cum Elphego Archiepiscopo captum fuisse.

(*b*) Hunc prætermittit Malmsburiensis, agnoscit tamen cum Ernulfo Florentius. Quo anno Episcopatum inerit, prorsus latet. Id solum constat, illum anno 1038. superfuisse. Quæ de vacatione mortem ejus succedente Godwinus habet, incerta sunt; nullo authore comprobata. Quin potius sedes Episcopales sub pacifico Edwardi regno aliquantisper vacasse nullibi reperitur; & binos Episcopos sedem aliquam 74. annis simul regere potuisse exemplo non caret. In obituario Cant. Godwinus alter 7. Id. Martii, alter 2. Id. April. obiisse dicitur.

(*c*) Siwardus, Abbas Certeseiæ, longè alius à Siwardo Abbate Abendonensi & Edsii Archiepiscopi Vicario, quantumvis Godwinus Malmsburiensem secutus refragetur; prout supra p. 107. ostenditur, consecratus est Cantuariæ à Stigando Archiepiscopo anno 1058. ex fide Annalium Sax. MSS. *Domitian A.* 8. & Petriburg & Florentii. Anno 1070. Lanfranci Archiepiscopi consecrationi adfuit; & 1072. subscripsit concordiæ inter Lanfrancum Cant. & Thomam Ebor. Archiepiscopos initæ, *apud Ingulphum p.* 92. *edit. Oxon.* Obiit anno 1075. juxta Annales antiquos Roff. *Vespas. A.* 22. Malè Florentius id in annum 1067. rejecit.

(*d*) Ernostus, Monachus Beccensis, consecratus à Lanfranco in Ecclesia S. Pauli London. sub initium anni 1076. vix dimidio anno superstes, obiit die 15. Julii. *Chronol. Sax. & Obituar. Cant.*

XXVIII. GUN-

XXVIII. GUNDULFUS (*e*).
XXIX. RADULFUS (*f*).
XXX. ERNULFUS (*g*).

(*e*) Consecratum fuisse à Lanfranco anno 1077. Dominicâ 3. Quadragesimæ *Vita* ipsius refert *pag.* 291. Contigit ea dicto anno die 19. Martii; ut falsi sint & Author *Vitæ* & Annales vetusti breves; qui consecratum die 21. Martii fuisse narrant. Obiit anno 1108. die 8. Martii, Dominica 3. Quadragesimæ. Sic enim Author *Vitæ* p. 291. & Obituarium Cant. perhibent. Malè Dunelmensis diem 7. Martii posuit.

(*f*) Radulphus, antea Abbas Sagiensis in Normanniâ, successor ab Anselmo designatus 1108. 29. Junii, consecratus est die 9. Augusti sequentis. Electus ad Archiepiscopatum Cant. 1114. 26. April. intronizatus est die 17. Maii, prout habet Eadmerus *Hist. Nov. p.* 96, 110. Malè Godwinus ex Florentio Radulfum die 11. Augusti consecratum scribit.

(*g*) Ernulfus, natione Gallus, Lanfranci discipulus, primùm Monachus apud Cœnobium S. Luciani in Belvaco, dein in Ecclesiâ Cant. mox Prior Cant. & exinde Abbas Petriburgensis, electus est in Episcopum Roffensem 1114. 28. Sept. intronizatus die 10. Octobr. sequentis, consecratus Cantuariæà Radulpho Archiepiscopo 1115. 26. Decembr. ex fide Eadmeri & Florentii. Sedit annos 9. & dies aliquot, atque obiit annos 84. natus, anno 1124. 15. Martii.

Donationes Ecclesiæ Roffensi factæ.

ANno ab Incarnatione Domini DC. Rex Ethelbertus fundavit Ecclesiam S. Andreæ Apostoli Rofi; & dedit ei Prestefeld, & omnem terram quæ est ad Meduwaie usque ad Orientalem portam civitatis in Australi parte, & alias terras extra murum civitatis versùs partem Aquilonalem.

Anno ab Incarnatione Domini DCCXXXVIII. Eadberhtus Rex Cantuariorum dedit Ecclesiæ S. Andreæ Apostoli Hrofi Stokes, & terram x. aratrorum in Hou quæ vocatur Andscohesham, & commendavit Ealdulfo Episcopo.

Anno ab Incarnatione Domini DCCLXIV. Offa Rex Merciorum, & Sigeredus Rex Cantiæ donaverunt Ecclesiæ S. Andreæ Æslingeham cum omnibus appendiciis suis, sc. Freondesberiam & Wicham, videlicet xx. aratrorum; & commendaverunt Earduulfo Episcopo. Item Rex Offa & Ecbertus Rex Cantuariorum dederunt Ecclesiæ S. Andreæ Bromgeheg; & commendaverunt Episcopo Dioran, & postea Episcopo Waermundo.

Ecgberhtus Rex Cantiæ dedit Ecclesiæ S. Andreæ Heallingas, id est, terram x. aratrorum; & commendavit Episcopo Dioran.

Anno ab Incarnatione Domini DCCLXXXVIII. Offa Rex Merciorum dedit Ecclesiæ S. Andreæ Trottesclib; & commendavit Waermundo Episcopo. Obiit Offa Rex Anglorum ii. Idus Augusti.

Coenuulf Rex Merciorum dedit Ecclesiæ S. Andreæ Borcstealle; & commendavit Beornmodo Episcopo.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXVIII. Ecbertus Rex Westsaxonum & Cantuariorum dedit Ecclesiæ S. Andreæ magnas libertates, & ista Maneria, Hallinges & Snodigland; & commendavit Episcopo Beornmodo.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCXLI. Ætheluulf Rex Occidentalium Saxonum dedit Ecclesiæ S. Andreæ Holanbeorgestun; & commendavit Episcopo Beornmodo.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXX. Ætheluulf Rex Saxonum dedit

dedit Ecclesiæ S. Andreæ Cucolanstan; & commendavit Suuithuulfo Episcopo.

Eadmundus Rex Anglorum dedit Ecclesiæ S. Andreæ Meallingas; & commendavit Episcopo Burhrico.

Quidam præpotens ac probus homo nomine Brihtricus cum uxore Ælfsuuithâ dederunt Ecclesiæ S. Andreæ Damtunam & Langafeldam & Dærente & Falcheham; & commendaverunt Ælfstano Episcopo.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLV. Edgarus Rex Anglorum dedit Ecclesiæ S. Andreæ Bromleage; & commendavit Ælfstano Episcopo.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCV. Ethelred Rex Anglorum dedit Ecclesiæ S. Andreæ Wldeham & Litlanbroc; & commendavit Episcopo Goduuino. Idem dedit Ecclesiæ S. Andreæ Stantun & Hiltun, sc. xv. mansas terrarum; & commendavit Episcopo Goduuino.

Willelmus primus Rex Anglorum reddidit Fracenham terram S. Andreæ Lanfranco Archiepiscopo, quam iniqui injustè abstulerant, & ipse justè reddidit Gundulfo Episcopo. Sic etiam Stoches terram S. Andreæ eripuit ipse Lanfrancus de invasione tyrannorum; & reddidit prædicto Gundulfo Episcopo & Monachis ejusdem. Idem Willelmus Rex reddidit Roffensi Ecclesiæ Denintunam & Falcheham olim injustè ablatas. Præterea inter cætera bona magna, quæ eidem Ecclesiæ in vitâ suâ fecit, imminente articulo mortis suæ centum libras ei dedit, & tunicam propriam regalem, & cornu eburneum, & alia plura ornamenta. Obiit is V. Idus Septembris.

Willelmus filius Willelmi Regis dedit Ecclesiæ S. Andreæ Manerium suum Lamhytham; & commendavit Gundulfo Episcopo. Idem concessit libertates, quas Ecclesia Roffensis huc usque obtinuit; & suâ Cartâ confirmavit omnium prædictorum dona. Obiit IV. Nonas Augusti.

Lanfrancus Archiepiscopus dedit Ecclesiæ S. Andreæ Manerium Hedenham ad victum Monachorum; quod concessit prædictus Willelmus filius Willelmi Regis. Obiit Lanfrancus V. Cal. Junii.

Estunam Manerium idem Rex Willelmus filius Willelmi dedit Ecclesiæ S. Andreæ; & commendavit Episcopo Gundulfo.

Nobilissimus Rex Henricus multa bona contulit, scilicet Ecclesias de Boxle, de Eilesford, Derenteford, Suttune, cum Capellis de Wilmintune, & de Kingesdune, item Ecclesias de Chiselherste & de Wlewich, item Decimas de Strodes & de Chealkes, & alia multa.

De Placito apud Pinendenam inter Lanfrancum Archiepiscopum & Odonem Baiocensem Episcopum.

TEmpore magni Regis Willelmi, qui Anglicum regnum armis conquisivit & suis ditionibus subjugavit, contigit Odonem Baiocensem Episcopum & ejusdem Regis fratrem multò citiùs quàm Lanfrancum Archiepiscopum in Angliam venire, atque in Comitatu de Cant. cum magnâ potentiâ residere, ibique potestatem non modicam exercere. Et quia illis diebus in Comitatu illo quisquam non erat, qui tantæ fortitudinis viro resistere posset, propter magnam quam habuit potestatem, terras complures de Archiepiscopatu Cantuarberiæ & consuetudines nonnullas sibi arripuit, atque usurpans suæ dominationi ascripsit. Postea verò non multo tempore contigit præfatum Lanfrancum Cadomensis Ecclesiæ Abbatem jussu Regis in Angliam quoque venire, atque in Archiepiscopatu Cantuarberiæ Deo disponente totius Angliæ regni Primatem sullimatum esse. Ubi dum aliquamdiu resideret, & antiquas Ecclesiæ suæ terras multas sibi deesse inveniret, & suorum negligentiâ ante-

antecessorum illas distributas atque distractas fuisse repperisset; diligenter inquisitâ & bene cognitâ veritate, Regem quàm citiùs potuit & impigrè inde requisivit. Præcepit ergo Rex Comitatum totum absque morâ considere, & homines Comitatûs omnes Francigenas, & præcipuè Anglos in antiquis legibus & consuetudinibus peritos, in unum convenire. Qui cùm convenerunt, apud Pinendenam omnes pariter consederunt. Et quoniam multa placita de diratiocinationibus terrarum & verba de consuetudinibus legum inter Archiepiscopum & prædictum Baiocensem Episcopum ibi surrexerunt, & etiam inter consuetudines Regales & Archiepiscopales, quæ primâ die expediri non potuerunt; eâ causâ totus Comitatus per tres dies ibi fuit detentus. In *illis* tribus diebus diratiocinavit ibi Lanfrancus Archiepiscopus plures terras, quas tunc tenuerunt homines ipsius Episcopi, videlicet Herbertus filius I*vonis*, Turoldus de Hrovecestriâ, Radulfus de Curva-spinâ, & alii plures de hominibus suis; cum omnibus consuetudinibus & rebus, quæ ad easdem terras pertinebant, super ipsum Baiocensem Episcopum & super ipsos prædictos homines illius & *alios*; scilicet Detlinges, Estoces, Prestetuna, Damtuna, & multas alias minutas terras. Et super Hugonem de Monte-forti diratiocinavit Hrocinges & Broc; & super Radulfum de Curva-spinâ lx. solidatas de pasturâ in insulâ Grean. Et omnes illas terras & alias diratiocinavit ita liberas atque quietas; quòd in illâ die qua ipsum Placitum finitum fuit, non remansit homo in toto regno Angliæ, qui aliquid inde calumniaretur, neque super ipsas terras etiam parvum quicquam clamaret. Et in eodem Placito non solùm istas prænominatas & alias terras, sed & omnes libertates Ecclesiæ suæ & omnes consuetudines suas renovavit, & renovatas ibi diratiocinavit soca, saca, toll, team, flymena-fyrmthe, grithbrece, foresteal, haimfare, infangennetheof, cum omnibus aliis consuetudinibus paribus istis vel minoribus istis, in terris & in aquis, in sylvis, in viis, & in pratis, & in omnibus aliis rebus infra civitatem & extra, infra burgum & extra, & in omnibus aliis locis. Et ab omnibus illis probis & sapientibus hominibus qui affuerunt fuit ibi diratiocinatum, & etiam à toto Comitatu concordatum atque judicatum; quòd sicut ipse Rex tenet suas terras liberas & quietas in suo dominico, ita Archiepiscopus Cantuarberiæ tenet suas terras omnino liberas & quietas in suo dominico. Huic Placito intersuerunt Goisfridus Episcopus Constantiensis, qui in loco Regis fuit, & justiciam illam tenuit; Lanfrancus Archiepiscopus, qui (ut dictum est) placitavit, & totum diratiocinavit; Comes Cantiæ, videlicet prædictus Odo Baiocensis Episcopus; Ernostus Episcopus de Hrovecestrâ; Ægelricus Episcopus de Cicestrâ, vir antiquissimus & legum terræ sapientissimus, qui ex præcepto Regis advectus fuit ad ipsas antiquas legum consuetudines discutiendas & edocendas in unâ quadrigâ; Ricardus de Tunebrigge, Hugo de Monte-forti, Willelmus Dearces, Hamo Vicecomes, & alii multi Barones Regis & ipsius Archiepiscopi, atque illorum Episcoporum homines multi; & alii aliorum Comitatuum homines etiam cum isto toto Comitatu, multæ & magnæ auctoritatis viri Francigenæ scilicet & Angli. In horum omnium præsentiâ multis & apertissimis rationibus demonstratum fuit; quòd Rex Anglorum nullas consuetudines habet in omnibus terris Cantuariensis Ecclesiæ nisi solummodo tres. Et illæ tres quas habet consuetudines hæ sunt. Una, si quis homo Archiepiscopi effodit illam regalem viam quæ vadit de civitate ad civitatem. Altera, si quis arborem incidit juxta regalem viam, & eam super ipsam viam dejecerit. De istis duabus consuetudinibus, qui culpabiles inventi fuerint, atque detenti dum talia faciunt, sive vadimonium ab eis acceptum fuerit sive non, tamen ad insecutionem ministri Regis & per vadimonium emendabunt quæ justè emendanda sunt. Tertia consuetudo talis est. Si quis in ipsâ regali viâ sanguinem fuderit aut homicidium, vel aliud aliquid fecerit quod nullatenus fieri licet, si dum hoc facit deprehensus atque detentus

tus fuerit; Regi emendabit. Si verò deprehenſus ibi non fuerit, & inde abſque vade datâ ſemel abierit; Rex ab eo nichil juſtè exigere poterit. Similiter fuit oſtenſum in eodem placito; quòd Archiepiſcopus Cantuarienſis Eccleſiæ in omnibus terris Regis & Comitis debet multas conſuetudines juſtè habere. Etenim ab illo die quo clauditur *Allelujah*, uſque ad Octavas Paſchæ ſiquis ſanguinem fuderit, Archiepiſcopo emendabit. Et in omni tempore tam extra Quadrageſimam quam infra quicunque illam culpam fecerit, quæ Cilduuite vocatur; Archiepiſcopus aut totam aut dimidiam emendationis partem habebit: infra Quadrageſimam quidem totam, & extra aut totam aut dimidiam emendationem. Habet etiam in eiſdem terris omnibus quæcunque ad curam & ſalutem animarum videntur pertinere. Hujus Placiti multis teſtibus multiſque rationibus determinatum finem poſtquam Rex audivit, laudavit, laudans cum conſenſu omnium Principum ſuorum confirmavit; & ut deinceps incorruptus perſeveraret, firmiter præcepit. Quod propterea ſcriptum eſt hîc, ut futuræ in æternum memoriæ proficiat; & ipſi futuri ejuſdem Eccleſiæ Chriſti Cantuarberiæ ſucceſſores ſciant, quæ & quanta in dignitatibus ipſius Eccleſiæ à Deo tenere atque à Regibus & Principibus hujus regni æterno jure debeant exigere.

De Fracenham.

WIllelmus gratiâ Dei Rex Anglorum Epiſcopo Erfaſti, Balduuino Abbati, Picoto & Rotberto Malet Vicecomitibus & cæteris fidelibus meis ſalutem. Sciatis quòd ego conceſſi Archiepiſcopo Lanfranco Manerium qui vocatur Fracenham; ſicuti Heroldus tenebat eâ die quando mare tranſivi, & ſicuti Turbertus & Gotinus ab ipſo Heroldo tenebant; in omnibus terris, pratis, paſchuis, ſylvis, ruſticis, & ſochemanis, & cæteris omnibus.

Willelm̄ kyng gret erfast biscop ⁊ baldeƿine abbod ⁊ Picot sciregerefan ⁊ rodbært malet ⁊ ealle þa þegenas þas þis geƿrit to cymð freondlice. ic kyðe eoƿ þ ic an lanfrance arcebiscop þ land æt fracenham sƿa full ⁊ sƿa forð sƿa harold hit fyrmest hæfde þæs deges þe ic fyrmest fram ofer sæ com. ⁊ sƿa sƿa þurbearn ⁊ goti of harolde heolden on eallan landan. ⁊ mæde ⁊ læse. ⁊ ƿeode ⁊ geneatas ⁊ socumen. ⁊ ealle þing þe þas togebyrað.·.

Quomodo Lanfrancus terras extractas Eccleſiæ S. Andreæ & alias acquiſitas Monachis contradidit; & de Gundulfo Epiſcopo.

PRæterea notandum, ac fidelibus omnibus futuris maximè temporibus, quantæ valentiæ quantæve Eccleſiæ Chriſti Cantuarberiæ necnon & Eccleſiæ S. Andreæ Hroveceſtriæ hic piæ memoriæ Lanfrancus Archiepiſcopus utilitati & honori dum vixit extiterit, ſciendum eſt. Hic namque non ſolùm illas, quæ ſuperiùs nominatæ ſunt, terras Eccleſiæ Chriſti, verùm etiam ex diverſorum dominatione tyrannorum Eccleſiæ Hrofenſi ſuæ ratione prudentiæ ac ſapientiæ adquiſivit; acquiſitas verò Eccleſiæ, unde antiquorum negligentiâ fuerant extractæ atque diſperſæ, contradidit; videlicet Denitunam, Stoches, Falcenham & Fracenham, de manibus prædicti Baiocenſis Epiſcopi & hominum ſuorum & aliorum hominum quaſi quadam placitorum violentiâ extorſit. Et hæc non ſolùm ſed & alia bona ad opus Monachorum, quos eidem Eccleſiæ ipſe primùm inſtituit, quoad vixit impendit. Inſtitutis verò ſervitio Dei & ſancti Apoſtoli Andreæ omnia, quæ illorum victui vel veſtitui neceſſaria fore videbantur, certo apparatu præparare procuravit. Annitente tamen ac per omnia ſuffragante beatæ memoriæ Gundulfo Epiſcopo, quem ipſe Monachum & Sacriſtam S. Mariæ Beccenſis Eccleſiæ, dum ipſe

quoque

quoque Prior ejusdem fuit Ecclesiæ, merito sanctitatis ac beatæ religionis præ cæteris omnibus adamavit; adamatum verò post se in Angliam quàm citiùs potuit venire fecit; & eum omni domui suæ immo rebus omnibus suis quas in Archiepiscopio habuit solum post sese præ omnibus aliis præposuit. Præpositum autem atque in omni sapientiæ & prudentiæ sensu diu probatum, tandem divino admonitus instinctu, à sese devotè consecratum prædictæ Ecclesiæ præfecit Antistitem. Qui xxxi. annis inibi superstes existens, Ecclesiam S. Andreæ, penè vetustate dirutam, novam ex integro ut hodiè apparet ædificavit. Officinas quoque Monachis necessarias, prout loci necessitas pati potuit, omnes construxit. Ipsos etiam Monachos xxii. suscepit, susceptos verò sanctæ religionis habitu induit; indutos postmodùm sacris Ordinibus aptos vel sanctæ religionis benedictione dignos ipsemet benedixit, consecravit, & quantâcunque valuit diligentiâ & per se & per alios in Dei timore & amore semper instruxit; instructos quidem post Deum super omnia amavit, honoravit, atque in eo quod potuit omnibus diebus vitæ suæ beneficiis multimodis augmentare non cessavit. Et cùm non ampliùs in introitu Episcopatûs sui quàm quinque invenisset in Ecclesiâ S. Andreæ Canonicos; die quâ sæculo præsenti decessit; plusquam sexaginta Monachos bene legentes & optimè cantantes in servitio Dei & Apostoli sui Deum timentes & super omnia amantes reliquit. Sed inter cætera quæ illis beneficia nonnulla contulit, unum illis dignum memoriâ fecit. Fracenham, quod (ut dictum est) ab alienorum injustâ potestate Archiepiscopus prudentiæ suæ ratione Lanfrancus extorsit, & ad victum Monachorum æternaliter fore constituit, Gundulfus Episcopus, quia ipsum Manerium longinquis regionibus à Hrovecestrâ nimis erat remotum, ipsum Manerium in suâ ac suorum omnium retinuit manu successorum; atque pro illo licentiâ & consilio sæpedicti Archiepiscopi Lanfranci Wldeham Monachis æternaliter dedit; malens quidem sese ac suos successores annuis laboribus equitando victum ibi tam longè quæritare, quàm Monachos vel ejusdem villæ pauperes homines singulis annis in annnonam deportando fatigare.

De Falchenham.

INter cætera beneficia ipsius Archiepiscopi, Falchenham quoque (sicut supra diximus) ab injustâ extorsit Baiocensis Episcopi potestate; partim auxilio magni Regis Willelmi, pro quâ re Radulfus Cadomensis Monachus ejus tunc existens Capellanus, ad Regem ipsum pro ipso auxilio in Normanniam fuit transmissus, partim pactione pecuniæ videlicet lx. librarum, quas Archiepiscopus Regi illi promisit se daturum; unde xxx. libras accepit, xxx. ei condonavit. Tandem literis Regis, quas secum Radulfus Episcopo detulit, ac pecuniâ promissâ adeptus est Archiepiscopus ipsum Manerium; statim illud constituens ad victum Monachorum, xv. reddens firmam dierum.

Quomodo Willelmus Rex filius Willelmi Regis rogatu Lanfranci Archiepiscopi concessit & confirmavit Rofensi Ecclesiæ S. Andreæ Apostoli ad victum Monachorum Manerium nomine Hedenham; quare Gundulfus Episcopus Castrum Rofense lapideum totum de suo proprio Regi construxit.

ALiud quoque beatæ memoriæ Gundulfus Episcopus non minùs memorabile illis contulit beneficium, sed omni potiùs omnibus sæculis venturis dignum veneratione. Castrum etenim, quod situm est in pulchriori parte Hrovecestræ, pro regiâ concessione illius doni, quod sæpe dictus Archiepiscopus

copus prædictæ Ecclesiæ ad victum Monachorum disposuerat, dare Manerium videlicet quod situm est in Comitatu de Bucingeham nomine Hedenham, non enim aliter ut ratum permaneret ipsi Ecclesiæ illud absque Regis concessione potuit dare, quia pater Regis illud dederat Archiepiscopo in vitâ suâ tantùm, ut sullimatus fuit in Archiepiscopio. Unde Willelmo filio ejus ipsum patrem succedente in regno, ab Archiepiscopo & Episcopo de ejusdem Manerii concessione requisitus, respondit centum libras denariorum habere se velle pro ipsâ concessione. Quod postquam Archiepiscopus & Episcopus audierunt, consternati valde pariter responderunt, illam tantam pecuniam neque tunc in promptu sese habere, nec etiam unde eam acquirere potuissent sese scire. Duobus autem amicis utrique parti faventibus, Rodberto videlicet filio Haimonis & Henrico Comite de Warwic, hinc regium honorem & integram ejus observantibus voluntatem, hinc verò amicitiæ favorem & pro Dei amore Ecclesiæ prædictæ magnificum & profuturum honorem, Regi consuluerunt, quatinus pro pecuniâ, quam pro concessione Manerii exigebat, Episcopus Gundulfus, quia in opere cæmentarii plurimùm sciens & efficax erat, Castrum sibi Hrosense lapideum de suo construeret. Quod ubi Archiepiscopo & Episcopo innotuit, tunc proculdubio magis consternati dixerunt & regiæ concessioni ex toto sese abnuere, etiam & ipsum Manerium in profundo maris potiùs situm iri malle, quàm prædictam Ecclesiam S. Andreæ futuris temporibus regiis exactionibus mancipari debere. Nam quotiescunque quidlibet ex infortunio aliquo casu in Castro illo contingeret aut infractione muri aut fissurâ maceriei; id protinus ab Episcopo vel Ecclesiâ exigeretur usu reficiendum assiduo. Sicque Episcopus & Ecclesia futuri sæculi temporibus omnibus summâ districtione regiæ summitteretur exactioni. Isto itaque metu perterritus uterque, Absit hoc à me, inquit Archiepiscopus; absit quoque à me, inquit & Episcopus. Responsum hoc audiens Comes Henricus, quasi modestæ stimulis iræ commotus; honestatis dans concitò fremitus, inquit: Hactenus meâ æstimatione ratus sum Archiepiscopum Lanfrancum unum ex viris universi orbis extitisse sapientissimis; nunc autem nec insipientiæ (quod absit) esse dico, neque illâ quidem qua dudum sapientiâ callebat impræsentiarum vigere ullatenus asserere audeo. Quid enim gravedinis, inquit, in hoc est, Castrum ad ultimum majus pro xl. libris ad voluntatem Regis facere, factum verò Comiti vel Vice-comiti Comitatûs seu aliis etiam quibus Regi placuerit monstrare, monstratum etiam ex omni parte integrum liberare, semel verò liberato sese penitus expedire, nec unquam ulteriùs inde se intromittere, nec etiam eò respicere? Ad hoc Regem adversùs Episcopum vel Ecclesiam futuræ servitutis occasionem nullatenus quærere, immo potiùs eos ab omni servituti liberare, atque sicut Regem decebat pro Dei timore & sæculi honore in summâ libertate eos conservare velle. His ergo & aliis nonnullis hujuscemodi rationibus tandem acquievit Archiepiscopus. Igitur hoc pacto coram Rege inito, fecit Castrum Gundulfus Episcopus de suo ex integro totum, costamine ut reor lx. librarum. Quod quamdiu in sæculo subsistere poterit, pro Gundulfo Episcopo manifesto indicio quasi loquens erit, æternum quidem illi ferens testimonium; quòd Manerium Hedenham Ecclesiæ & Monachis S. Andreæ ab omni exactione & calumniâ Regis & omnium hominum permanebit liberrimum & quietissimum in sæcula sæculorum.

Concessio Willelmi Magni Regis.

Willelmus Dei gratiâ Rex Anglorum Haimoni Dapifero & omnibus suis teignis in Episcopatu Roffensi salutem. Mando & præcipio, ut eas consuetudines, quas Ecclesia S. Andreæ Rofensis civitatis habuit in terris vestris,

ſtris, ſeu in annonâ, ſeu in porcis, vel aliis rebus, tempore Edwardi Regis, habeat, & vos exolvatis.

De Contentione inter Gundulfum & Pichot.

TEmpore Willelmi Regis Anglorum magni, patris Willelmi Regis ejuſdem gentis, fuit quædam contentio inter Gundulfum Hroſenſem Epiſcopum & Pichot Vicecomitem de Grendebruge pro quadam terrâ quæ erat de Fracenham & jacebat in Giſelham, quam quidam Regis ſerviens Olchete nomine Vicecomite dante præſumpſerat occupare. Hanc enim Vicecomes Regis eſſe terram dicebat; ſed Epiſcopus eandem S. Andreæ potiùs eſſe affirmabat. Quare ante Regem venerunt. Rex verò præcepit, ut omnes illius Comitatûs homines congregarentur; & eorum judicio cujus terra deberet rectiùs eſſe probaretur. Illi autem congregati terram illam Regis eſſe potiùs quàm B. Andreæ timore Vicecomitis affirmaverunt. Sed cùm illis Baiocenſis Epiſcopus, qui Placito illi præerat, non bene crederet; præcepit ut ſi verum eſſe quod dicebant ſcirent, ex ſeipſis duodecim eligerent, qui quod omnes dixerant jurejurando confirmarent. Illi autem cùm ad conſilium ſeceſſiſſent, & inibi à Vicecomite per internuntium conterriti fuiſſent; revertentes verum eſſe quod dixerant juraverunt. Hi autem fuerunt Edwardus de Cipenham, Heruldus & Leofuuine ſaca de Exninge, Eadric de Giſelham, Wlfuuine de Landuuade, Ordiner de Berlingeham, & alii ſex de melioribus Comitatûs. Quo facto, terra in manu Regis remanſit. Eodem verò anno Monachus quidam Grim nomine, quaſi à Domino miſſus, ad Epiſcopum venit. Qui cùm audiret hoc quod illi juraverant; nimium admirans, & eos deteſtans, omnes eſſe perjuros affirmavit. Ipſe enim Monachus diu Præpoſitus de Frachenham extiterat, & ex eâdem terrâ ſervitia & coſtumas ut de aliis terris de Frachenham ſuſceperat, & unum ex eiſdem qui juraverant in eodem Manerio ſub ſe habuerat. Quod poſtquam Epiſcopus Hroſenſis audivit; ad Epiſcopum Baiocenſem venit, & Monachi verba per ordinem narravit. Quæ ut Epiſcopus audivit, Monachum ad ſe venire fecit, & ab ipſo illa eadem didicit. Poſt hæc verò unum ex illis qui juraverant ad ſe fecit venire; qui ſtatim ad ejus pedes procidens, confeſſus eſt ſe perjurum eſſe. Hinc autem cùm illum qui priùs juraverat ad ſe venire feciſſet; requiſitus ſe perjurum eſſe ſimiliter confeſſus eſt. Denique mandavit Vicecomiti, ut reliquos obviàm ſibi Londoniam mitteret, & alios duodecim de melioribus ejuſdem Comitatûs, qui quod illi juraverant verum eſſe confirmaverant. Illuc quoque fecit venire multos ex melioribus totius Angliæ Baronibus. Quibus omnibus Londoniæ congregatis, judicatum eſt tam à Francis quàm ab Anglis illos omnes perjuros eſſe; quandoquidem ille, poſt quem alii juraverant, ſe perjurum eſſe fatebatur. Quibus tali judicio condemnatis, Epiſcopus Hroſenſis terram ſuam ut juſtum erat habuit. Alii autem duodecim cùm vellent affirmare iis qui juraverant ſe non conſenſiſſe; Baiocenſis Epiſcopus dixit, ut hoc ipſum judicio ferri probarent. Quod quia ſe facturos promiſerunt, & facere non potuerunt; judicantibus aliis ſui Comitatûs hominibus, trecentas libras Regi dederunt.

DONATIONES.

ÆGelricus Presbyter de Cætham, qui quondam Canonicus Ecclesiæ S. Andreæ extiterat, pro animâ uxoris suæ Godgyfæ, & pro eo quòd sepelierunt eam honorificè Monachi, dedit eis unam mansam reddentem xii. denarios per annum.

Ælfuuine preoster sunu [*Presbyteri filius*] cum uxore suâ dederunt Ecclesiæ S. Andreæ & Monachis illic Deo servientibus unum mariscum infra insulam de Grean pro animabus suis in perpetuum. Pro quo beneficio ipsi Monachi servitium in fine promiserunt facere, sicuti pro fratre & sorore.

Golduuinus Presbyter de Rovecestrâ dedit Ecclesiæ S. Andreæ dimidiam Hagam in Rovecestrâ pertinentem ad Freondesberiam. Pro quo beneficio Monachi S. Andreæ juxta petitionem suam fecerunt ibidem filium suum Monachum.

Hæc Conventio habita est inter Monachos Roffenses & uxorem Rodberti Latimarii. Hæc mulier tenebat quandam terram de Freondesburiâ, quæ post mortem suam Monachis Roffensibus cedere debebat. Diu ergo ante mortem suam placuit ei, ut terram eandem redderet S. Andreæ & Monachis. Monachi verò pro hac re magis confirmandâ dederunt illi lx. solidos; quos postea Brodo Presbyter, qui ejus filiam habebat, callidè extorsit, &c. Hujus conventionis sunt testes Rodbertus Presbyter filius Golduuini Presbyteri, &c.

Gislebertus Clericus de Hedenham concessit Ecclesiæ Roffensi S. Andreæ tres hidas terræ, quas habuit in suo dominico in Hedenham, eâ conventione quòd quando ipse voluerit fiet ibi Monachus. Et hoc idem concessit & confirmavit Radulfus filius suus ex toto. *Postea fit mentio* Osmundi generi Gisleberti.

ANNA-

ANNALES Ecclesiæ Roffensis,

Ex Historiâ Ecclesiasticâ

EDMUNDI DE HADENHAM

Monachi Roffensis.

ANno DCIV. Augustinus Archiepiscopus Cant. sacravit Justum primum Roffensem Episcopum; ut commemorat Beda cap. III. lib. II. & Presbyteros ad serviendum Deo in Ecclesiâ Roffensi ordinavit; ad quorum victum Rex Ethelbertus unam portionem terræ dedit, quam vocavit Prestefeld, eò quòd Presbyteri Deo servientes jure perpetuo eam possiderent.

Anno DCXXXIV. hoc tempore Roffensis Ecclesia pastorem non habens, quomodo curam illius rexit Paulinus; habetur in xx. capite libri II. Bedæ.

Anno DCXLIV. S. Paulinus Archiepiscopus quondam Eboraci, sed tunc Roffensis Antistes, migravit ad Dominum; in cujus loco Honorius Archiepiscopus sacravit Itamarum Anglum genere, vitâ & eruditione antecessoribus suis æqualem.

Anno DCLXIX. Puttha Roffensis Episcopus ordinatus est à Theodoro Cant. Archiepiscopo.

Anno DCXCIII. Brithwaldus Archiepiscopus Cant. post Gibmundum Roffensis civitatis Episcopum, Thobiam Præsulem consecravit, virum sc. Latinâ linguâ & Græcâ multipliciter eruditum.

Anno DCCXV. hoc anno Thobias Roffensis Episcopus obiit; post quem Episcopatûs officium. Aldulphus Bertwaldo Archiepiscopo consecrante suscepit.

Anno DCCXXXVIII. Eadbertus Rex Cantuariæ dedit Ecclesiæ S. Andreæ Apostoli Roff. Stokes, & commendavit Eldulfo Episcopo; Rege Ethelberto & Nothelmo Archiepiscopo testibus, & hanc donationem confirmantibus.

Anno DCCL. Ethelbirtus Rex Cantuariorum hæreditavit S. Andream Apostolum de Woldeham; & commisit illud Erdulfo Episcopo.

Anno DCCLXII. Sigeredus dimidiæ Cantiæ Rex dedit Eardulfo Episcopo Roffensi terram juris sui quasi unius & semis jugeri in civitate Roffi ad augmentum Monasterii B. Andreæ, jacentem ab aquilonari parte Monasterii, & pertingentem usque ad septentrionalem murum præfatæ civitatis, intra terras quas antea ab Oriente & Occidente possederat; Eadberto Rege Cantiæ & Bregwino Archiepiscopo confirmantibus.

Anno DCCLXIV. Offa Rex Merciorum & Sigeredus Rex Cantiæ dederunt Ecclesiæ S. Andreæ Roffensis Eslingeham, Frendesberiam & Wicham, viz. xx. aratrorum, & commendaverunt Eardulfo Episcopo; Eadberto Rege & Bregwino Archiepiscopo confirmantibus.

Anno DCCLXXVIII. Egbertus Rex Cantuariæ dedit Ecclesiæ S. Andreæ Roffensis Hallinges & quandam partem terræ apud Bromleye; Lamberto Archiepiscopo crucis signo confirmante.

Anno DCCLXXXVIII. Offa Rex Merciorum dedit Roffensi Ecclesiæ & Episcopo ejusdem loci nomine Wermudo Trottesclyve; Lamberto Archiepiscopo confirmante.

Anno DCCLXXXIX. Offa Rex dedit Ecclesiæ Roffensi & Wermudo Episcopo terram unius aratri apud Bromleiam, & terram in civitate Roff. ad augmentum Monasterii; Lamberto Archiepiscopo subscribente.

Anno DCCCIV. Beornredus Roffensis Antistes diem clausit extremum. Cui successit Puthricus in Episcopatum.

SIWARDUS. Anno MLVIII. Siwardus Abbas de Certeseyâ consecratur Episcopus ad Roffensem Ecclesiam.

Anno MLXXV. Sywardus Roffensis Episcopus obiit; cui successit Arnustus, Beccensis Monachus. Tempore verò prædicti Sywardi veniens à Normanniâ in Angliam, paucis diebus supervivens, fatum explevit; derelictâ Ecclesiâ miserabili & vacuâ omnium rerum, indigentiâ intus & extra. In eâ enim quatuor tantùm Canonici erant; qui victu exili & indumento plebeio vitam tolerarent. Has miserias corrigere parans sapientissimus Archiepiscopus Lanfrancus Arnustum Beccensem Monachum loco dedit. Sed is in eo anno tantùm dimidio vixerat. Volens autem Lanfrancus Archiepiscopus, ut ex more antiquorum in Ecclesiâ Roffensi Monachus succederet, cogitare cœpit, qui hoc onus sibi injunctum portare valeret. Cogitanti tandem Gundulfi istius occurrit sanctitas, quæ jam certis experimentis satis ei fuerat approbata. Ordinatur itaque vir verè dignissimus Episcopatu Gundulfus in Ecclesiâ Dorobernensi xii. Cal. Aprilis, anno ab Incarnatione Domini MLXXVII. undecimo verò adventûs Normannorum in Angliam sub Comite Willelmo, Rege postmodum Anglorum nobilissimo. Consecratus autem ex more propriam tendit invisere Sedem; tripudiantibus turbis Rofensem ingreditur urbem; Pontificali sedi intronizatus inducitur; Præsul omni veneratione ex eo habetur. *Ista ferè verbatim ex Gundulphi Vitâ, quam Author in sequentibus ferè totam intexuit.*

(Margin: ARNOSTUS. GUNDULFUS.)

RADULFUS. Anno MCXIV. Radulfus Roffensis Episcopus ad Archiepiscopatum Cant. eligitur v. Cal. Maii. Prædictus Radulphus inter cætera bona quæ fecit Ecclesiæ suæ Roffensi, dedit duas casulas optimas, & aliam ad Missam majorem, & tres capas, & Albam pretiosam cum amictu lapidibus pretiosis inserto, & stolam, &c. & parvum feretrum ex unâ parte argenteum; & Textum pulchrum deauratum, in quo vita & historia S. Andreæ; & duo pallia ad pendendum. Dedit etiam decimam de Yfeld, Wenninate & de Dune.

ERNULFUS. Anno MCXV. consecratus est Ernulfus Abbas de Burgo in Roffensem Episcopum; qui multa bona Ecclesiæ suæ contulit. Inter cætera verò bona sua dedit Ecclesiam de Hadenham, & dimidiam hidam & unam hagham terræ, & Ecclesiam de Codinton & de Kingesleye. Fecit etiam Dormitorium, Capitulum, Refectorium. Et fecit fieri casulam principalem cum arbore de auro brudatam, & capam principalem cum skillis argenteis, & albam cum amictu lapidibus pretiosis inserto, &c. & Textum cum Evangeliis & lectionibus in principalibus diebus, & Missalem & Benedictionale & Capitulare, & duo candelabra argentea deaurata, & nobili opere constructa, & ampullam vinariam ad Missam argenteam & deauratam, & dalmaticam principalem, & alias duas de albo serico, &c. Et notandum, quòd non est aliquis Monachus de Angliâ natus postea factus Episcopus Roffensis, qui possit annotari inter Benefactores Ecclesiæ suæ, nisi Ernulphus.

Anno

Anno MCXXIII. Ernulfus Roffensis Episcopus obiit; cui successit Johannes (*a*) primus; qui dedit Ecclesiam de Frendesbury cum Capellâ de Strodes. Dedit etiam casulam & Albam paratam, & amictum cum lapidibus, & stolam, & phanum, & tapetum majorem, & crucem cum pede de argento. Transtulit corpus Ithamari Episcopi. Incœpit & plura bona facere; sed non permansit in suo robore. Nam melius bonum non incipere, quàm post inceptum retrorsum ire. JOHANNES I.

Anno MCXXXVIII. Johannes Roffensis Episcopus obiit. (*b*) Eodem anno Ecclesia Roffensis & tota civitas combusta est cum omnibus officinis Monachorum. JOHANNES II

Anno MCXLII. Ascelinus (*c*) Prior Doveriæ factus est Roffensis Episcopus; qui dedit Ecclesiam de Suthflete ad anniversarium ejus; & confirmavit terram Radulphi Clerici in Borstalle, & somam Bedæ Comitissæ in London. & hidam dimidiam in Hadingham, quæ fuit Radulphi Clerici. Iste primùm præsumpsit dare Officialitates & Serviantias in Ecclesiâ Roffensi. Et notandum, quòd bonum quòd fecit non habet effectum. Quod autem de malo fecit, semper perseverat à tempore. Gundulfi Episcopi primus Pistor fuit quidam Herebertus tam Episcopi quàm Monachorum. Quod contigit, quia Episcopus assiduè morabatur apud Roffam propter combustionem officinarum. Peractis officinis, recessit Herebertus pistor cum Episcopo; cui successit Wlfricus; quem educandum commendaverat Gundulfus Episcopus W. Celerario: cui Celerarius dedit Eilaf fratrem ipsius in adjutorium subpistorem. Ventilator primus erat Robertus Brente pater Hereberti Russel; & illud officinæ accepit post mortem patris sui. Mortuo Wlfrico, successit prædictus frater ejus Eilaf in magisterium pistoriæ; & Galfridus filius Wlfrici in subpistoriam, quam antè habuit idem Eilaf. Horum temporibus animadvertit Conventus de magnis damnis. Quod pro vero comperientes, expulerunt omnes quatuor de Curiâ, omnino Episcopo inconsulto. Galfridus solus recuperavit subpistoriam de gratiâ Prioris & Conventûs; quòd duxerat sororem Sylvestri Celerarii. Post mortem Eilaf rogatu Walteri Episcopi suscepit illud officium Gilbertus de manu Ernulfi Prioris in domo Infirmorum. Humfridus Costard, Willelmus Blundus, Grafferdus. Grafferdo repulso successit simoniacè Ethelstanus filius Athelerdi per Ascelinum Episcopum. His temporibus venit quidam Legatus, Hincmarus Tusculanensis Episcopus; qui multas correxit injurias ab eodem Ascelino Monachis illatas. Inter cætera facta est mentio de Galfrido; qualiter à famulatu infirmorum fratrum contra ASCELINUS.

(*a*) Johannes prius Archidiaconus Cantuariensis, si Florilego & Florentio tribuendum sit, à Rege ad Episcopatum Roff. nominatus, à Willelmo Archiepiscopo consecratus est Cantuariæ 1125. 24. Maii. Obiit anno 1137. 20. Junii. Sic Gervasius & Annales breves Roff. Addunt utrique Ecclesiam Roffensem cum officinis omnibus & universâ civitate conflagrâsse die tertio ejusdem mensis. Die 22. Junii obitum illius reponit Obituarium Cantuariense. Malè Annales nostri annum 1138. designant.

(*b*) Johanni successit alter ejusdem nominis Episcopus, à Godwino aliisque prætermissus. Illum tamen exhibent Additamenta ad Ernulfi catalogum in Textu Roffensi fol. 111. anno circiter 1200. scripta, Catalogus alius Episcoporum Roff. anno circiter 1220. scriptus, *Vespasian A.* 22. Catalogus tertius eorundem ad calcem Annalium Roff. anno circiter 1370. scriptus *Nero D.* 2. & Registrum antiquum Roffensis Ecclesiæ. Addit istud eundem fuisse Monachum Sagiensem, & dedisse Ecclesiæ Roffensi duo pallia ad pendendum. Consecratus erat post medium annum 1137. obiit ante exitum anni 1142.

(*c*) Ascelinus, aliis Anselmus, ex Sacristâ Ecclesiæ Cant. Prior Dovoriæ anno 1139. ex Priore Dovoriæ Episcopus Roffensis anno 1142. factus est. Anno sequenti terram in Pinindunâ Ecclesiæ suæ conquisivit. Obiit anno 1148. die 24. Jan. juxta Gervasium, 23. Jan. juxta Obituarium Cantuariense. *Hucusque Episcopi Roffenses omnes fuerunt Monachi*; inquit Catalogus tertius Episcoporum Roff. suprà citatus.

volun-

voluntates Monachorum expulsus fuerat. Evocans autem Episcopum Legatus jussit in virtute obedientiæ, ut amoveret prædictum Ethelstanum. Et statim coram omnibus qui aderant restitutus est Grafferdus. Dixit autem Legatus Episcopo; quòd non debuisset hoc fecisse pro baculo suo. Post Grafferdum tulerunt Monachi Willelmum Freode de Bracino, & posuerunt in loco Grafferdi; & in loco Willelmi posuerunt in Bracinum Elredum fratrem Jordani Supprioris. Et notandum, quòd tunc temporis non erant perpetui Servientes sed annui. Post Willelmum Freode ceperunt Monachi de lavendriâ Robertum Spicard rogatu Osberni de Scapeiâ Monachi; in cujus loco posuerunt in lavendriâ Hamonem Pinel. Post Robertum Spicard successit Matthæus Piscator. Post Matthæum Willelmus de Westerfeld, post Willelmum Robertus Milcsop, & cæteri. Et notandum, quòd Prior illis temporibus ordinavit omnes Servientes.

Anno MCXLVI. Ascelinus Episcopus Roffensis obiit. Eodem anno Eugenius Papa possessiones Ecclesiæ S. Andreæ Roffensis confirmavit in hunc modum. 'Eugenius Episcopus, servus servorum Dei dilectis filiis Brieno Priori 'Ecclesiæ B. Andreæ Roffensis & ejus Fratribus tam præsentibus quàm futuris, 'regularem vitam professis in perpetuum. Ad hoc universalis Ecclesiæ cura 'nobis à provisore omnium bonorum Domino commissa est; ut religiosas diligamus personas, &c. Quapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus annuimus; & præfatam Andreæ Apostoli Ecclesiam, in quâ 'divino mancipati estis servitio, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus, '& præsentis scripti privilegio communimus: statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona tam ex dono quàm & concessione bonæ memoriæ 'Lanfranci, Anselmi, Radulfi, Theobaldi Cantuariensium Archiepiscoporum, & Gundulfi Roffensis Episcopi, Willelmi & Henrici Anglorum Regum, aliorumque fidelium impræsentiarum justè & canonicè possidetis, aut 'in futurum poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata 'permaneant. Concessionem autem vobis rationabiliter factam ab Ernulfo 'Episcopo vestro de Synodalibus denariis, & scripti ejus paginam confirmatam & ratam esse censemus. Præterea concordiam, quæ inter vos & venerabilem fratrem nostrum Ascelinum Episcopum vestrum per præfatum Theobaldum Cant. Archiepiscopum de Lambethâ & quibusdam aliis possessionibus justè & canonicè facta est, ratam & firmam esse decrevimus. Præposituram quoque ipsius civitatis, sicut hactenus super homines vestros & Episcopi & præposituræ Regis quartam partem rationabiliter habuistis, socam 'etiam & sacam, tol & team, & infangtheof, cæteras quoque consuetudines '& libertates vestras, vobis confirmamus, &c. Data trans Tiberim per manum Roberti S. R. E. Cardinalis Presbyteri & Cancellarii v. Calend. Maii, 'indictione VIII. anno Incarnationis Dominicæ MCXLVI. Pontificatûs verò Eugenii III. Papæ anno ii.

WALTERUS. Anno MCXLVIII. Walterus (*d*) consecratur in Episcopum Roffensem; qui dedit terram, quæ pertinet ad mandatum pauperum in Borstalle. Et sciendum,

(*d*) Walterus, Theobaldi Archiepiscopi frater, & Archidiaconus Cant. Episcopus electus est à Monachis Roff. præsente Archiepiscopo & eligendum designante, in Capitulo Cantuariensi juxta antiquam consuetudinem. Neq; enim jus electionis in Monachos Ecclesiæ Roff. Theobaldus transtulit, prout habet Godwinus; *Sed consuetudo erat ab antiquis temporibus constituta, & à piis patribus observata; viz. quòd Episcopus Roffensis debeat eligi in Capitulo Cantuariensi ex dono Archiepiscopi & electione conventûs Roffensis Ecclesiæ. Factâ autem electione debet Electus jurare super quatuor Evangelia fidelitatem Ecclesiæ Christi Cant. & Archiepiscopo; & quòd non debeat Episcopus Roffensis operam dare vel consentire, ut Ecclesia Cant. privetur honore vel dignitate quam habet in Ecclesiâ Roffensi; & quòd debeat baculus pastoralis*

endum, quòd in Cœnâ Domini ad mandatum pauperum non erant olim nisi duo denarii ; & ipse accrevit tertium denarium. Dedit etiam casulam de viridi cyclade, & albam paratam, & stolam & fanum, & pallium de cyclade, unde facta est dalmatica & duæ paraturæ Albarum ; & duas Albas paratas, quas habuit in Capellâ suâ ; & dalmaticam & tunicam, quæ secundæ principales sunt, & calicem aureum, & textum Evangeliorum aureum, & cristallum cum balsamo, & mitram.

Anno MCLIV. Adrianus Papa Roffensem Ecclesiam insignivit privilegiis in hunc modum. 'Adrianus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis 'Reginaldo Priori Ecclesiæ B. Andreæ Roffensis ejusque Fratribus, &c. Re'ligiosis desideriis dignum est facilem præbere assensum. *Sequitur Bulla prolixa admodum ; in quâ omnes Ecclesiæ Roffensis terræ & proventus sigillatim annumerantur & confirmantur.*

Anno MCLXXVII. Roffensis Ecclesia cum omnibus officinis & totâ urbe infra & extra muros secundò combusta est iii. Idus Aprilis, anno XCVII. ex quo Monachi in eâdem Ecclesiâ instituti sunt.

Anno MCLXXVIII. Alexander Papa confirmavit omnia privilegia antecessorum suorum, quæ concessa fuerant Ecclesiæ Roffensi. 'Alexander Epis'copus, servus servorum Dei, dilectis filiis Silvestro Priori S. Andreæ Roffen'sis ejusque Fratribus, &c. Religiosam vitam professis Apostolicum docet 'adesse præsidium, &c. ut suprà in Bullâ Alexandri III.

Anno MCLXXXII. Walterus Episcopus Roffensis viam universæ carnis ingressus est ; cui successit Gualerannus (*e*) : qui dedit Ecclesiæ suæ Psalteri- GUALERANNUS.

is Episcopi Roffensis defuncti à Monachis Roffensibus ad altare Christi Cant. deferri ; & quòd vacante Sede Cant. vel absente Archiepiscopo debeat Episcopus Roffensis in Cant. Ecclesiâ episcopalia ministrare, sicut propius & privatus Cant. Ecclesiæ Capellanus, si tamen à Conventu Cant. fuerit vocatus. Hac igitur factâ fidelitate, consecratus est ab ipso fratre suo Theodbaldo Cant. Archiepiscopo. Verba sunt Gervasii in Chronico p. 1362. Facta sunt ista sub initium anni 1148. quamvis in impressis Gervasii annus 1147. margini apponatur. Fidem astruit autographa professio Walteri Theobaldo oblata (inter Archiva Ecclesiæ Cant.) in cujus tergo ista comparent. *Consecratus est in Ecclesiâ Cant. anno* 1148. 2. *Id. Martii. Hominium Archiepiscopo antea fecerat de terris Episcopatûs sui 6. Cal. Febr.* Parile juramentum Ernulfum Episcopum in confirmatione suâ præstitisse author est Eadmerus *Hist. Nov. p.* 111. Walterus obiit 1182. 26. Julii. Incendium Roffensis Ecclesiæ illo præsidente 1177. 10. April. contigisse Gervasius docet p. 1456.

(*e*) Gualerannus, sive Walerannus, Archidiaconus Baiocensis, Ricardi Cant. Archiepiscopi Clericus domesticus, electus est in Capitulo Roffensi 1182. 9. Nov. præsente Archiepiscopo, *Archiepiscopus autem Evangelii textum in manibus habens, in Spiritualibus curam Episcopatûs commisit electo ; per annulum etiam eundem instituit Regalium possessorem. Præsens erat ibi regni Justiciarius, in institutione Roffensis Episcopi Regi nil vendicans. Nam si consuetudo memoriam hominum sursum versum excedens exquiratur ; profectò reperies, quòd Roffensis Episcopus, non ut alii per regnum Episcopi vel Abbates, in regiis præstationibus Regi seu Vicecomiti tenetur obnoxius ; quinimo duntaxat Archiepiscopo soli vel Officialibus suis in quibuslibet functionibus publicis pro tempore satisfaciet. Ricardus Archiepiscopus transfretavit apud Dovoram Idus Novembris ; & in Sabbato sequentis decimi mensis Roffensem Electum ordinavit Presbyterum, & sequenti die Dominicâ eundem in Episcopum apud Lexoviam consecravit.* Ista habet Radulphus de Diceto *Imag. Hist. p.* 615. Ægrè admodum tulerunt Monachi Cant. Episcopum Roffensem extra Ecclesiam suam semet inconsultis electum & consecratum fuisse ; & utrique tam Archiepiscopo quàm Episcopo litem moverunt. Res tandem eâ lege convenit, ut Gualerannus Cantuariam adveniens, fidelitatem Ecclesiæ metropoliticæ, multis & inter hos Archiepiscopo præsentibus, juraret ; ejusdem etiam prærogativas in electione & institutione Episcopi Roffensis olim observatas conservare sponderet, depositamque in altari summo mitram & baculum pastoralem ab Archiepiscopi manibus iterum acciperet. Factum id 1183. 19. Aug. Gervasius refert in *Chronico p.* 1464. Obiit Gualerannus 1184. 29. Aug. in animo tunc habens Monachos Ecclesiâ Roffensi ejicere, & Canonicos Sæculares inducere. Cujus exequendi gratiâ iter ad Curiam Romanam meditabatur, in ipso itineris apparatu apud Roffam extinctus.

um glossatum, & Epistolas Pauli, & Sermones M. Petri, & mitram, & casulam rubeam, & dalmaticam aurifriso optimè ornatam, & stolam, & phanum, &c.

Anno MCLXXXIV. obiit Gualerannus Roffensis Episcopus; cui successit Gilbertus (f) Archidiaconus Lexoviensis, qui multa mala Monachis Ecclesiæ suæ intulit, & multis possessionibus privavit: de quo inferiùs dicemus.

GILBERTUS DE GLANVIL.

Anno MCCI. Sanctus Willelmus du Pert martirizatur extra civitatem Roffensem; & in Ecclesiâ Cathedrali Roffensi sepelitur, miraculis coruscando.

Anno MCCXIV. durante adhuc Interdicto obiit Gilbertus Roffensis Episcopus; qui xxx. annis Episcopatum tenuit. Hic cùm consilio suo faventibus quibusdam Ecclesiæ suæ Monachis venisset ad Dormitorium; effractâ magnâ cistâ, tulit magnum Sigillum, necnon & cartas Regum & privilegia Pontificum; non obstante sententiâ priùs latâ à Summis Pontificibus, Archiepiscopis, & Episcopis prædecessoribus suis. Constructo namque & ab eo fundato novo opere de Strodes, fundum prædicti operis ab Ecclesiâ suâ prædictâ vi abstulisse refertur. Abstulit etiam omnes Ecclesias, quas Reges, Archiepiscopi & Episcopi dederunt; necnon præsentationes, dispositiones Vicariorum, sicut superiùs dictum est, numero xv. suo patronatui fraudulenter appropriavit. Prædecessor verò suus bonæ memoriæ Gundulphus ordinavit numerum Monachorum sexagenarium; qui quidem numerus usque ad adventum istius Gilberti Ecclesiæ Roffensi laudabiliter ministravit. Sed in adventu ejus eorundem Monachorum prædia quædam, reditus & præbendas usque ad quingentas libras in perpetuum delevit. Iste octavus fuit à Gundulpho; magnas omni tempore suo machinationes Ecclesiæ suæ paravit: Officiales dedit, Serviantias constituit; exenium per quandam compositionem Fratrum factam sibi adjudicavit. Pensiones Ecclesiæ prædictæ ordinavit de quibusdam ab eâ raptis, de aliquibus modicum, de quibusdam verò nihil. Nec mirum, si injustus Pontifex injustè judicavit. Ut breviter autem de eo concludamus; omnia quæcunque bona vel honesta Gundulphus dum viveret studuit ordinare, iste destruere diligenter insistebat. Hoc tempore magna fuerat perturbatio in Ecclesiâ Roffensi; cujus occasione Prior & Conventus multa bona, unà cum argento quo Lanfrancus feretrum S. Paulini decoraverat, in placito inter eos & Episcopum vendiderunt. Iste Borealis de Northumbriâ oriundus, satis manifestavit vera esse quæ de partibus illis dicuntur, quòd ab Aquilone prodit omne malum. Decreta B. Gregorii in hac parte parvi-pendens, qui dicit, 'ut Episcopi nullam molestiam Abbatibus, vel Monasteriis Monachorum inferre præsumant. Sub perpetuâ securitate & quiete Domino adjuvante absque ullius gravamine permaneant. Indicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, & ex auctoritate Apostolorum Principis prohibemus, cujus vice huic Ecclesiæ Romanæ auctore Domino præsidemus; ut nullus Episcoporum ultra præsumat de redditibus vel rebus vel cartis Monasteriorum vel de cellis quæ ad ea pertinent, quocunque modo qualibet exquisitione minuere, nec dolos vel minutiones aliquas facere. Iste verò Legista dictum vulgare evidenter implevit; quia cùm leges Legistæ sustinere tenentur, leges totaliter destruunt & confundunt. Hic cùm Cancellarius esset Regalis, matris Ecclesiæ bona cancellare non desiit spiritualis. Defunctus

(f) Electus est apud Otteford 1185. 16. Julii, Presbyter ordinatus apud Lametham die 21. Septembr. consecratus Cantuariæ à Baldwino Archiepiscopo die 29. Sept. Post quatuor annos Baldwino Archiepiscopo versùs Terram Sanctam iter ineunte, *Roffensis Episcopus, ab antiquo Vicarius Archiepiscopi, tam in territorio Cantiæ, quàm in Ecclesiis maneriorum Archiepiscopi curam pastoralem suscepit.* Diceto *Imag. Hist.* p. 615. Anno 1195. Justiciarius Regis à mense Octobri ad Maium sequentem constitutus est. Obiit 1214. 24. Junii, juxta Matthæum Paris, Florilegum & Obituarium Cant.

est

est autem prædictus Gilbertus, primus Ecclesiæ Roffensis perturbator; & sepultus à parte Boreali prædictæ Basilicæ, inter fundatores confundator; cujus sepulchro titulum satis ei competentem patres prædecessores imposuerunt; qui sic incipit,

Laude Dei clausâ, fuit hic hac clausus in aulâ.
Luce Jovis lux septima mœsta silentia fregit.

Congruè laude Dei clausâ moritur, cujus vita laudem canentium ora conclusit plurimorum. Et ut apertè dicamus, in tantum in eum, ut creditur, ultio divina excrevit; ut sanctæ Ecclesiæ, quæ pro Hæreticis & perfidis Judæis exorat, in transitu istius nequaquam divina celebrare permitteretur. Quia ipso vivente per septennium duravit totius Angliæ Interdictum. Quo defuncto & tumulato, statim solutum est Interdictum.

Anno MCCXV. post Festum S. Michaelis Rex Johannes Castrum Roffense obsedit, in quo erant quidam Barones strenuissimi, videlicet Willelmus de Albineto cum multis aliis. Quibus quùm Robertus filius Walteri, qui Londini cum universo exercitu deses & otiosus jacebat, tenebatur succurrere, noluit. Unde Castrum memoratum miserabiliter captum est; & deprædata est Roffensis Ecclesia, adeò ut nec pixis cum corpore Christi super altare remaneret. Et Nobiles capti, & apud Corf in carcerem detrusi, ad voluntatem Regis vix viventes sunt redempti.

Eodem anno (*g*) Benedictus Præcentor S. Pauli London. consecratus est in Roffensem Episcopum viii. Calend. Martii. BENEDICTUS

Anno MCCXXV. Henricus III. Rex dedit Monachis Roffensis Ecclesiæ Ecclesiam de Hertelepe; cujus donationem Stephano Cant. Archiepiscopo & ejusdem loci Conventu approbantibus & cartis suis confirmantibus; Ricardus dictus Prior de Derente electus est in Priorem Roffensem. Item magnum fossatum circa civitatem Roffensem incœptum est.

Anno MCCXXVI. Benedictus Episcopus Roffensis obiit.

Anno MCCXXVII. Introitus in novum Chorum Roffensem. Eodem anno electus est & consecratus M. (*h*) Henricus de Sanford in Episcopum Roffensem in hunc modum. Mortuo bonæ memoriæ Benedicto Roffensi Episcopo, & in die S. Thomæ Apostoli honorificè sepulto, transmisimus quosdam de Fratribus nostris ad Dominum Cantuariensem Stephanum Archiepiscopum, petentes eligendi licentiam. Nobis igitur præcavere volentibus, ne Ecclesia diutiùs esset sine Pastore quasi vidua, Capitulum subivimus ad electionem; & maturiori facto consilio in die S. Protomartyris Stephani, invocatâ Spiritûs S. gratiâ, perfecimus electionem, unanimi voto consentientes concorditer in personam M. Henrici de Sanford Archidiaconi Cantuariensis. Et publicatâ electione & factâ appellatione, incontinenti transmisimus ad Archiepiscopum quosdam de Fratribus nostris, sc. R. Priorem de Derente, W. Sacristam & J. Camerarium, referentes eidem electionem jam factam. Quo audito Dominus Archiepiscopus egit gratias Domino pro personâ Electi & pro Capituli nostri concordiâ. Progressu verò temporis præpedita est electionis confirma- HENRICUS DE SANFORD.

(*g*) Electus est in Capitulo Roffensi, præsente Stephano Archiepiscopo, 1214. 13. Dec. consecratus Oxoniæ in Ecclesiâ B. Mariæ de Oseneiâ 1215. 22. Febr. Obiit 1227. mense Decembri, ex fide Annalium Benedicti Roff. *Vespasian A.2.* Rectiùs Annales nostri obitum ejus in annum 1226. retulerunt.

(*h*) Electus 1226. 26. Decembr. consecratus est 1227. 7. Id. Maii, juxta Chronicon Dovoriæ & Annales Waverleienses, 7. Cal. Maii juxta Annales Wigornienses. Utraque dies illo anno in Dominicam incidit. Anno 1229. Dominicâ S. Trinitatis, Ricardum Cant. Archiepiscopum consecravit, eo munere ipsi præ aliis adjudicato, quòd Episcopus Roffensis perpetuus esset Archiepiscopi Cant. Sacellanus. Obitum anno 1235. 24. Febr. contigisse inter omnes convenit.

tio per Monachos Cantuarienſes; eò quòd vendicabant baculum paſtoralem Roffenſis Eccleſiæ mortuo Paſtore debere deferri ad Eccleſiam Cant. ante confirmationem Roffenſis Electi. Nobis tandem & ipſis conſtitutis in præſentiâ Domini Cantuarienſis apud Maideſtone, nobis petentibus electionem noſtram confirmari, & illis contradicentibus, compromiſſum eſt in arbitros, & confirmatus eſt Electus noſter præmiſsâ legitimâ examinatione ſuper electione. Et ductus eſt Electus in Capellam, Priore Roffenſi incipiente *Te Deum laudamus*. Deciſa eſt igitur lis mota inter Monachos Cant. & Roffenſes per arbitros electos apud Londoniam in Vigiliâ S. Johannis ante portam Latinam: ut abſoluti ſint Monachi Roffenſes ab impetitione Cantuarienſium. Tandem convocatis Epiſcopis conſecratus eſt Magiſter Henricus Electus Roffenſis apud Cantuariam in capellâ Archiepiſcopi, præſentibus cum Domino Archiepiſcopo Epiſcopis Wintoniæ & Exoniæ, viz. in die Tranſlationis S. Andreæ; qui tandem in die Octavarum ejuſdem Apoſtoli in Eccleſiâ propriâ honorifice eſt receptus & intronizatus.

Anno MCCXXXII. Henricus Roffenſis Epiſcopus, quùm in Sabbato quo cantatur *Sitientes venite ad aquas*, apud Sydingeburniam præſente Electo Cantuarienſi parato tranſalpinare Ordines celebráſſet; aſtante Clero & populo ſermonem faciens, fiducialiter proteſtatus eſt dicens: Gaudete omnes in Domino fratres, ſcientes indubitanter, quòd uno & eodem die nuper exierunt de Purgatorio Rex quondam Anglorum Ricardus & Stephanus Cant. Archiepiſcopus cum uno Capellano ejuſdem Archiepiſcopi, ad conſpectum divinæ majeſtatis migraturi; & in illâ die nonniſi illi tres de locis pœnalibus exierunt. Et his dictis meis fidem adhibeatis pleniſſimam & certam; quia mihi & cuidam alii tertiâ jam vice hoc per viſionem revelatum eſt ita manifeſtè, quòd ab animo meo omnis dubitationis ambiguitas removetur.

RICARDUS DE WENDOVER.

Anno MCCXXXV. obiit Henricus de Sanford Roffenſis Antiſtes vi. Cal. Martii; & electus eſt (*i*) M. Ricardus de Wendover vii. Calend. Aprilis in craſtino Annuntiationis Dominicæ. In eodem tempore mota eſt lis inter Archiepiſcopum & Conventum Roffenſem ſuper electione Roffenſis Epiſcopi: qui appellaverunt pro libertate Eccleſiæ ſuæ & jure Eccleſiæ ſuæ ad ſedem Papalem; & miſſis duobus Fratribus & quibuſdam aliis Clericis, obtinuerunt literam à Domino Papâ Gregorio ad Judices, viz. ad Dominum Abbatem de Waldene & Dominum Priorem de Mertone & Archidiaconum Nortamptoniæ. Quibus demandatum fuit à Domino Papâ, ut infra iv. menſes poſt ſuſceptionem literarum cauſam terminarent, aut eam diligenter inſtructam ad Sedem remitterent Apoſtolicam. Et vacabat Roffenſis Eccleſia per totum annum.

Anno MCCXXXVI. Miſerunt Monachi Roffenſes nuncios ſuos ſecundò ad Curiam Domini Papæ cum relatione cauſæ electionis ſuæ, viz. Fratrem A. de Granvillâ & Symonem de Clyve ii. Idus Martii. Quæ relatio reprobata eſt à Domino Papâ, eò quòd non facta eſt in causâ litis conteſtatio. Et reſcripſit Dominus Papa iterum aliis Judicibus, ut cauſam pleniùs inſtructam ad Sedem remitterent Apoſtolicam. Redierunt autem dicti Nuncii in Octavis Nativitatis B. Mariæ in Angliam cum mandato Domini ad Judices per Curiam Romanam ſuper eandem cauſam.

Anno MCCXXXVII. Nuncii Roffenſis Eccleſiæ tertiò petierunt Curiam Romanam cum relatione cauſæ ſuæ xiii. Calend. Martii; & ſteterunt in Curiâ per totum annum, impediti per guerram inter Dominum Papam & Imperatorem Alemannorum, & per diſſenſionem Cardinalium, & rurſum

(*i*) Electus anno 1235. 26. Martii, confirmatus eſt à Papâ 1238. 13. Martii, conſecratus ab Edmundo Archiepiſcopo apud Cantuariam 1238. 21. Nov. in Eccleſiâ S. Gregorii. Eccleſiæ enim metropoliticæ Archiepiſcopus ſacra interdixerat. Malè Chronicon Dovorenſe illum die 5. Aprilis conſecratum narrat. Obiit 1250. 12. Octobris.

per

per expectationem adventûs Domini Eadmundi Cant. Archiepiscopi ad Curiam Romanam pro dictâ causâ Ecclesiæ Roffensis.

Anno MCCXXXVIII. data est sententia pro Monachis Roffensibus à Domino Papâ super controversiâ motâ inter Archiepiscopum & eosdem Monachos de Episcopo sibi eligendo. Vocatusque est pluries Dominus Archiepiscopus ad audientiam Domini Papæ eodem die, ut interesset sententiæ; qui existens in curiâ, noluit comparere nisi per Procuratores, viz. M. Symonem de Langeton Archidiaconum Cant. & Magistrum T. de Frakeham. Et confirmatus est eodem die à Domino Papâ Electus Roffensis M. Ricardus de Wendover die S. Cuthberti. Et ob hanc causam factum est Festum S. Cuthberti duplex in Ecclesiâ Roffensi, quod priùs fuerat in Albis. Et redierunt dicti nuncii Roffenses cum summâ victoriâ à Sede Apostolicâ XVII. Calend. Augusti. Consecratus est igitur M. Ricardus Electus Roffensis apud Cantuariam in crastino S. Edmundi Regis in Ecclesiâ S. Gregorii; quòd Archiepiscopus suspenderat Ecclesiam Cant. à divinorum celebratione; assistentibus Archiepiscopo Rogero Nigro Londoniensi, Roberto Grossetesté Lincolniensi, & Hugone Eliensi, & Radulpho de Nevile Cicestrensi Episcopis & Archidiacono Cant. cum Nobilium Clericorumque multitudine, præmissâ debitâ postulatione à Ricardo Priore Roffensi. Installatus est idem Episcopus in die B. Andreæ Apostoli apud Roffam per M. Symonem Archidiaconum Cantuariensem.

Anno MCCXXXIX. in crastino S. Johannis Baptistæ electus est Willelmus de Hoo Sacrista in Priorem à Monachis Roffensibus in præsentiâ Domini Ricardi Episcopi. Eodem etiam anno mota est quæstio inter Priorem & Conventum Roffensem & fratres Hospitalis de Strode per literas Domini Papæ super Ecclesiis de Eylesforde & de S. Margaretâ & de S. Michaele; qui ex utrâque parte consenserunt in arbitros, sc. Abbatem de Lesnes & Magistrum W. de Ligesfelde & M. Walterum de London Officialem Domini Episcopi Roffensis, consentiente etiam Ricardo Episcopo Roffensi. Qui auditis diligenter hinc inde propositis & allegationibus, & testibus utriusque partis productis & diligenter examinatis, protulerunt arbitrium pro Monachis Roffensibus; & destructa est compositio facta olim per violentiam inter Dominum Gilbertum Episcopum Roffensem & Priorem & Conventum ejusdem loci; & adjudicata est Monachis præfatis Ecclesia S. Margaretæ in perpetuum, cum octodecim marcis de Ecclesiâ de Eylesforde, absque duabus marcis quas priùs Camerarius Roffensis recipiebat. Quod actum est in Vigiliâ S. Margaretæ.

Anno MCCXL. data est sententia à Domino Cancellario S. Pauli London. per consensum Domini Legati pro Domino Gregorio de Romanio præsentato à Priore & Conventu Roffæ ad Ecclesiam de Boxle xv. Calend. Martii; & sic præsentatus obtinuit Ecclesiam illam. Dedicatum est altare in Capellâ Infirmariæ Roffensis in honore B. Virginis Mariæ ii. Calend. Martii à Domino Johanne Episcopo Suffraganeo Domini Eadmundi Cant. Archiepiscopi; qui confisus de Dei misericordiâ, omnibus ibidem causâ orandi venientibus omnibus Festivitatibus gloriosæ Virginis, necnon in Anniversario dedicationis dicti Altaris, confessis & verè pœnitentibus, de sibi injunctâ pœnitentiâ xv. dies in perpetuum duraturos relaxavit. Eodem anno dedicata est Ecclesia Roffensis à Domino Ricardo Episcopo ejusdem loci & Episcopo de Bangor Nonis Novembris. Eodem tempore miserunt Prior & Conventus Roffensis procuratorem suum ad Curiam Romanam contra Archiepiscopum Cantuariensem pro Ecclesiâ de Northflete & aliis negotiis, sc. Robertum Monachum; qui mortuus est in Curiâ.

Anno MCCL. concessa est quædam Bulla Monachis Roffensis Ecclesiæ de Ser-

Serviantiis ab Episcopo non donandis ab Innocentio iv. Papâ in hunc modum.
'Innocentius Episcopus &c. Dignum arbitramur & congruum, ut Ecclesia
'suffraganea Metropolitanæ, cujus debet imitari vestigia, moribus & consue-
'tudinibus se conformet. Cùm igitur inter te frater Episcope ex unâ parte
'& vos filii Prior & Conventus ex alterâ super sergentariis Laicorum & Obe-
'dientiariis Roffensis Ecclesiæ ac aliis diversis articulis fuisset coram nobis ali-
'quam diu litigatum; nos volentes, &c. Dat Lugduni vii. Id. Julii, Pon-
'tificatûs nostri anno viii.

LAURENTIUS DE S. MARTINO.

Anno eodem obiit Ricardus de Wendover Roffensis Episcopus iv. Idus Octobris apud Frakenham, & sepultus est apud Westmonasterium. In cujus loco electus est M. (l) Laurentius de S. Martino xiv. Cal. Novembr. & confirmatus est apud Lugdunum à Bonifacio Cant. Archiepiscopo in octavis Purificationis B. Mariæ. Arripuerunt etiam iter versùs Curiam Romanam Alexander de Glanvillâ Roffensis Prior & Fr. Osbernus de Stoke & Fr. Adam de Essex pro causâ electionis in die S. Bricii; & steterunt in Curiâ Romanâ per xxi. hebdomadas; ita quòd venerunt ad Ecclesiam suam cum gloriosâ victoriâ in Vigiliâ Palmarum, sc. vi. Idus Aprilis.

Anno MCCLI. consecratus est M. Laurentius de S. Martino in Episcopum Roffensem apud Lugdunum à Domino Bonifacio Archiepiscopo Cant. die Palmarum, sc. v. Idus Aprilis. Eodem anno obiit Alexander Prior Roffensis iii. Nonas Martii; obiit autem modo qui sequitur. Cùm prædictus Roffensis Episcopus, quem idem Alexander unicè diligebat, quippe qui eum creaverat, Conventum Roffensem coadunâsset, & in eodem Capitulo cum Priore prænominato præsideret; cœpit ab eis institutiones Officialium vendicare. Cœpit etiam districtissimis inquisitionibus à singulis perscrutari de ipsorum Maneriis, & quibus munimentis & auctoritatibus essent super eisdem Maneriis roborati. Ex quibus Maneriis duo sibi vendicans, maximum sc. & minimum, dicebat ea de jure non Conventui sed Episcopo debere competere. Cúmque super hac quæstione Priorem juberet sine dilatione respondere; Prior ad tam gravis exactionis tonitruum stupefactus, substomacans etiam quòd ab illo tam celeriter impeteretur quem sic promoverat, tantis doloris & iracundiæ fluctibus est absorptus; quòd nec unum verbum proferre voluit. Sed mox obmutescens, & pallore nimio suffusus, ante vesperam viam universæ carnis ingrediens, successorem habuit virum pacificum & modestum nomine Symonem de Clyve, qui tunc Sacristæ fungebatur officio.

Anno MCCLVI. Laurentius de S. Martino Roffensis Episcopus transfretavit ad Curiam Romanam; ubi impetravit canonizationem B. Willelmi Martyris, qui in Ecclesiâ Roffensi requiescit. Præterea impetravit appropriationem trium Ecclesiarum ad Episcopatum suum, sc. Ecclesiam de Yselham, quæ ad patronatum dicti Episcopi spectabat; & alias duas Ecclesias, sc. de Frendesbery & de Derteford, quæ fuerunt de Patronatu Monachorum Roffensium, quas quidem habuerunt olim in proprios usus, viz. Ecclesiam de Frendesbery quæ spectabat ad Eleemosynariam, & Ecclesiam de Derteford ad Cameram. Et hac de causâ noluit summus Pontifex dictas Ecclesias sibi appropriare, antequam dicti Monachi jus suum resignarent; & ita dictæ Ecclesiæ remanent annuatim pensionariæ per constitutionem dicti Pontificis, viz. Ec-

(l) Laurentius de S. Martino, Regis Clericus, electus est à Monachis sub exitum anni 1250. consecratus à Bonifacio Cant. Archiepiscopo apud Lugdunum 1251. 9. April. Obiit 1274. 2. Junii. *Dedit nobis Ecclesiam de Sutton, & appropriavit Ecclesiam S. Werbergæ.* Sic quidem Annales breviores Roff. sæpiùs citati. Diem 3. Junii Annales nostri ponunt. Mense Junio illum obiisse confirmant Chronica Londinense & Dovorense.

clesia

clesia de Derteford x. marcarum & Ecclesia de Frendesbery x···· marcarum. Ita quòd dictus Episcopus appropriavit dictis Monachis duas Ecclesias, sc. Ecclesiam S. Wereburgæ de Ho cum pertinentiis & Ecclesiam de Suttone cum adjacentiis, per resignationem M. Willelmi de Lichefeld. Quam dictam Ecclesiam de Suttune bonæ memoriæ Gundulfus Episcopus Monachis priùs dedit in proprios usus. Quam quidem Ecclesiam Gilbertus de Glanevillâ à prædictis Monachis vi abstulit, & alia multa bona; sicut prænotatum est. Iste fuit primus qui dedit Serganciis terras; quod nullus ante ipsum fecit; & permisit ipsas vendere. Iste verò Laurentius per multum tempus Senator Romanorum fuisse dicitur.

Anno MCCLXII. frater Johannes de Rensham eligitur in Priorem Roffensem, Magistro N. Officiali & fratre R. de Lewis singulorum vota scrutantibus, Symone de Cleve debilitato Prioratum resignante.

Anno MCCLXIV. Johannes Comes Warrennæ venit cum Domino R. de Leyburne & quibusdam aliis Rofam, ut civitatem & castrum munirent & custodirent. Comes verò Leicestriæ & Barones, qui erant Londoniæ & apud Tonebrigge, hoc audientes, venerunt cum multitudine gravi; & villam obsederunt, & viriliter pugnaverunt. Sed parte adversâ strenuè resistente, illâ die nil perfecerunt, excepto quòd horrea S. Andreæ & quasdam alias officinas combusserunt extra murum existentes, suburbio circumquaque & aulâ regiâ Castri à Domino R. de Leyburne primitùs combustis. In crastino autem die, quo Dominus pro peccatoribus extitit crucifixus, Symon Comes pontem & propugnacula superædificata mirabili artis ingenio fecit concremare. Sicque post multas plagas stragesque suorum civitatem est ingressus, ···· de Clara ex parte aliâ cum multitudine armatorum illam hostiliter impugnante & prævalente; quasi uno momento & unâ horâ, sicuti inter se condixerunt, circa horam vespertinam ingressi. Tota civitas & quicquid in eâ, ut moris est, præda fiebat diripientium. Ecclesiam insuper B. Andreæ satellites Diaboli gladiis evaginatis introgressi, filios ipsius & quosque repertos in eâ cum timore & horrore crucifixerunt cum Domino qui patitur in suis electis; auro & argento aliisque pretiosis inde violenter ablatis. Multæ etiam Regum chartæ & munimenta alia, Ecclesiæ Roffensi necessaria, in Capellâ Prioris extiterunt deperdita & dilacerata. Quidam etiam Monachi ipsius Ecclesiæ nocte illâ custodiebantur incarcerati. Equites verò in equis armati circa altaria discursantes, quosdam ad illa confugientes nefandis manibus extraxerunt. O luctuosa funestaque dies, in qua nobilis Ecclesia Roffensis cum omnibus contentis in eâ vilium hominum facta fuit prædatio, qui ipsi non plus honoris seu reverentiæ quàm vilissimo prostibulo seu tugurio deferebant! *Portæ siquidem ejus circumquaque exustæ sunt, chorus ejus in luctum, & organa ejus in vocem flentium sunt concitata.* Quid plura? loca sacra, utpote Oratoria, Claustra, Capitulum, Infirmaria, & oracula quæque divina, stabula equorum sunt effecta; & animalium immunditiis spurcitiisque cadaverum ubique sunt repleta.

Anno MCCLXXIV. obiit Laurentius Roffensis Episcopus in crastino SS. Marcelliani & Petri; & sepultus est honorificè in Basilicâ sedis suæ juxta magnum altare à parte boreali. Eodem anno successit (*m*) Walterus de

(*m*) Walterus de Merton custodiam Sigilli magni, ægrotante Henrico Wengham Cancellario, obtinuit 1258. 7. Maii. Cancellarius à Rege inconsultis Baronibus renunciatus est anno 1261. dato sibi annuo 400. marcarum stipendio. Idem iterum ætate provectâ Cancellarius Angliæ factus est anno primo Edwardi I. Regis. Episcopus Roffensis electus est 1274. die 20. Julii circiter, confirmatus & consecratus eodem die apud Gillingham, sc. 1274. 21. Octobr. *Annal. London. Wigorn. Winton. & Registr. Cant.* Obiit 1277. 29. Octobr. juxta Petrum Ickham & Epitaphium apud Weaver p. 313. anno 1278. 27. Octob. juxta Annales Benedicti Roff. Rectiùs illi.

Merton.

WALTERUS DE MERTON. Mertonâ Cancellarius novi Regis Edwardi; & consecratus est apud Gillingham à venerabili patre Domino Roberto de Kilwardeby Cantuariensi Archiepiscopo. Qui quidem Walterus ante tempus electionis suæ Domum Scolarium in Universitate Oxoniensi honorificè construxit, & eam amplissimè dotavit, ad sustentationem Scholarium studentium in arte Dialecticâ & Theologicâ in perpetuum. Idem verò post ejus consecrationem duo Maneria sc. Colehamberi & Middeltone de novo Episcopatui acquisivit. Et licèt fuerit magnæ auctoritatis & potentiæ; tamen Priori & Conventui nil boni fecit, vel etiam bonum notabile procuravit.

Anno MCCLXXVIII. obiit Walterus de Mertone Episcopus Roffensis; & sepultus est honorificè in Ecclesiâ eâdem in parte Boreali juxta sepulchrum S. Willelmi. Successit (*n*) Johannes Monachus & Præcentor Ecclesiæ prædictæ; qui consecratus erat apud Lamehithe à Roberto de Kilwardeby die Dominicâ proximâ post Ascensionem Domini unà cum Electo Norwicensi. Iste Johannes de gremio Monasterii alitus & ad Scholas missus, & in Monachorum oculis tantam gratiam & favorem invenit; quòd gravibus missis & expensis in patrem & pastorem Ecclesiæ suæ ipsum eligentes gratanter promoverunt; quem reputabant tam humilem & quietum habiturum in Episcopatu, sicut & in Claustro. Quia inter cæteros virtutum flores, in fronte Pastoris floret humilitas. Promotus autem in Episcopum, de Claustralibus nihil curabat, de Priore parum cogitabat, Serviantias contulit, Officiales instituit, exenium S. Andreæ percepit. Nam sperabant Monachi, priusquam eligeretur, immo putabant ipsum habuisse imitatorem Gundulphi; sed mutatus in virum alium, insectator Gilberti efficiebatur. Ecce quæ merita reddit filius matri suæ, cujus ubera suxit, & cujus adipe satiatus est? Quùm ad Pastorum officium aliquis anhelat; humilem & placabilem se omnibus reddit; nulli est odiosus, nulli injuriosus; libertates Ecclesiæ tuetur, ac pro eâdem agonizatur totâ virtute. Sed cùm baculum Pastoris apprehenderit; subitò delabitur de superlativo in comparativum; de comparativo in positivum. Ita quòd secundùm Psalmistam, * *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Et de assimili Versificator egregius

JOHANNES DE BRADEFELD.

* Psal. XIV. 1.

Optimus esse soles; te fecit honor meliorem.
Æstimo quòd fies de meliore bonus.

Anno MCCLXXXI. à Festo Nativitatis Domini ferè usque ad Purificationem gelu frigoris atque nivis abundantia tanta fuit, quantam senes illius temporis antea in Angliâ non senserunt. Quinque namque arcus pontis Londinensis, & pons Roffæ totus corruit & asportatus est; & à Roffâ usque ad Strodam siccis vestigiis transierunt.

Anno MCCLXXXIII. obiit Johannes Episcopus Roffensis in die S. Gregorii Martyris; & sepultus est in Ecclesiâ eâdem à parte Australi juxta ostium excubitorum. Successit M. (*o*) Thomas de Ynglethorp, Decanus S. Pauli

THOMAS DE INGLETHORP.

(*n*) Johannes de Bradefeld, id enim illi cognomen fuit, consecratus est 1278. 29. Maii; obiit 1283. 23. April. ex fide Annalium Wigorn. & breviorum Roff. Apud nostros igitur Annales pro *die S. Gregorii* infra legendum est *die S. Georgii Martyris.*

(*o*) Mortuo Johanne Episcopo, electus est à Monachis Johannes de Kyrkeby, Archidiaconus Coventrensis; qui electioni de se factæ consentire noluit, & juri suo coram Archiepiscopo renunciavit apud Michelham 1283. 16. Junii; prout Instrumentum autographum inter Archiva Ecclesiæ Cant. asservatum docet. Repetitâ electione subrogatus est Thomas de Inglethorp; qui confirmationem à Johanne Archiepiscopo Cant. obtinuit 1283. 9. Julii, consecrationem ab eodem in Ecclesiâ Christi Cant. suscepit die 26. Septembr. sequentis. Tunc enim Episcopos ad consecrationem ejus in Ecclesiâ Cant. Archiepiscopus adesse jubet (in Registro *Peckham*) atque ipso revera die consecratum esse Chronicon Dovorense testatur. Nostri tamen Annales Dominicâ sequenti consecratum volunt. Obiit anno 1291. 11. Maii, juxta Thomam Wikes, die 12. Maii juxta Annales Benedicti Roff.

London. & consecratus est apud Cantuariam v. Nonas Octobris à venerabili Archiepiscopo Cant. Fr. Johanne de Peccham de ordine Minorum.

Eodem anno dimisit Johannes de Renham Prioratum Roffensem ante Festum Nativitatis Domini. Successit Fr. Thomas de Woldeham in Vigiliâ Natalis Domini. Istius autem Episcopi temporibus orta est dissensio inter ipsum Episcopum & Priorem; eò quòd Monachis Officiales in domo suâ constituit, Sergantias plùs ad nocumentum quàm ad commodum Ecclesiæ contulit. Exenium etiam S. Andreæ percepit minùs justè; asserens hæc omnia sui juris esse. Et Prior è contra recalcitravit quantum potuit. Requisitus igitur super hoc Archiepiscopus dixit Priori: Descendam & videbo. Declinante autem Archiepiscopo apud Roffam, absente Priore, idem Episcopus sibi occurrit. Intrantibusque illis Capitulum Monachorum, Archiepiscopus ad collegium fecit collationem, finitoque sermone Monachis infit: Non huc intravimus ut Metropolitanus in præjudicium Episcopi seu Ecclesiæ, sed ut Patronus istius Ecclesiæ. Et assumpto in testimonium quodam Justiciario tunc præsente, nomine Solomon de Roffâ, quòd Rex de hujusmodi non intromitteret defectu Patroni; hæc palam omnibus referebat. Post hæc amoto Episcopo & omnibus aliis, exceptis prænominatis & juratis Archiepiscopo, Claustralibus etiam ab Officialibus segregatis, super præmissis eos diligenter examinavit. Et examinatione completâ, inclinavit Archiepiscopus citiùs verædictioni Claustralium quàm Officialium. Tunc vocato Episcopo ad se dixit. Ex insinuatione fidelium accepimus, quòd Ecclesiæ Roffensi injuriamini, contra voluntatem Prioris & Seniorum Capitulum hujusmodi faciendo, Officialibus duntaxat parti Episcopi cohærentibus. Tunc Archiepiscopus ad Episcopum: Domine tu malefacis. Et Episcopus ad Archiepiscopum: Prædecessores mei ita fecerunt. Et Archiepiscopus. Per S. Franciscum si Angelus hoc fecisset, malè fecisset; si prædecessores vestri hujusmodi incumbebant possessioni, titulum tamen & causam prætermittere non debetis. Quia satis succedit in vitium, qui alterius injuriam continuat & errorem. Et sic Episcopus se retraxit, & saniori consilio adhærere cœpit.

Anno MCCXCI. obiit bonæ memoriæ M. Thomas de Ynglesthorp Episcopus Roffensis. Hujus corpus xvi. Calend. Junii, viz. die Jovis proximâ ante Festum S. Dunstani Archiepiscopi traditum fuit sepulturæ cum solennitate debitâ in eâdem Ecclesiâ juxta magnum Altare ex parte australi. Hic vir laudabilis, mitis & affabilis, jocundus & hilaris, ac in mensâ dapsilis, locetur cum beatis. Evolutis autem aliquantis diebus post tumulationem istius Episcopi, exivit Conventus processionaliter apud Frendesbury pro pluviâ postulandâ. Erat enim eis ventus contrarius; ita quòd irruente turbine in eorum oculos, vix Processionalia sua potuerunt intueri. Et celebratâ ibidem Missâ, rogavit Prior Magistrum de Strode; ut per pomœrium suum sibi & suis transire liceret. Hoc Magistro concitò aspirante subdit: Et ultra statum meum, si necesse foret. Duo autem fratres Hospitalis illius hoc audientes indignati sunt; & domui suæ in hac parte præjudicium oriri arbitrantes, ad posticum quo Monachi egressuri erant, cum ribaldorum sequelâ properabant, & transitum eorundem impedire conabantur. Accedentes igitur Monachi ad posticum, liber egressus minimè patebat. Unus autem ex astantibus Monachis Magistrum aggreditur: Nonne transeundi licentiam nobis concessisti? Et Magister: Et concessi, & iterum concedo. Tunc quidam Monachus postico diruto, arrepto fratre nomine Johanne de Eshe, projecit in sterquilinium. Et alii lanceas vexillatas gestantes in manibus exploratores postici abigebant. Alii tollentes baculos è manibus ribaldorum, quendam uxoratum Clericum à culpâ non à pœnâ absolvebant. Illis sanè eidem Clerico plenam indulgentiam denegantibus, subsequitur absolutio Archiepiscopi. His verò peractis

prætereuntes Monachi Litaniam cantabant *Domine miserere Christe.* Et statim subsequitur Letania major *Out, out, out.* Et sic cessavit Processio hujus in loco usque adhuc.

THOMAS DE WOLDEHAM

Posthæc electus fuit Fr. (*p*) Thomas de Woldeham. Sed ob injurias à Clericis Domini Archiepiscopi sibi irrogatas eidem electioni penitus renunciavit. Et eligendi licentiâ petitâ & obtentâ, iteratò Monachi eundem elegerunt; mentaliter opinantes malorum cursum mutatum in melius; quòd etiam errata corrigeret pro quibus pugnârat, & quasi uberrimè flebat, dum Prior exstiterat. Consecratus autem apud Chartham in Festo Epiphaniæ Domini, pressuræ quam amarissimè tempore sui Prioratûs sustinuit, parum meminebat. In crastino Epiphaniæ successit Johannes de Reyneham in Prioratum.

Anno MCCXCII. sederunt Justiciarii Itinerantes Cantuariæ; ubi super catellis fugitivorum & libertatibus furcarum inter Episcopum Roffensem & Monachos Ecclesiæ ejusdem, prout in cartis Regum eorundem Monachorum continetur, fuerat placitatum. Eatenus erat quidam Solomon, non ille peritissimus de Bibliâ, sed de Roffâ; qui propter suam injusticiam ab officio & consilio Domini Regis amotus fuerat. Hic Justiciarios, in quantum potuit, contra Monachos excitavit; quòd Episcopatum Roffensem, quem votis omnibus concupivit, Monachis contradicentibus non obtinuit. Et sic Justiciarii suâ falsâ instigatione obcæcati, plùs parti Episcopi quàm Monachorum inclinantes, ipsos Monachos proprio jure abdicârunt. Jurati verò metu ducti, jus Monachorum celabant inviti. Unus ex eis perceptus amicus, in xx. solidis fuerat amerciatus. Hinc cæteri perterriti redimebant tempus, quia dies mali erant. Prosternatis igitur furcis apud Frendesburye, supersederunt Justiciarii pro tempore feriato à Festo S. Margaretæ Virginis usque ad Festum S. Michaelis. Mirum in modum infra tempus illud manifestam injuriam sequitur vindicta. Fuit quidam Ballivus apud Malling, Gilbertus nomine; qui festinus prosternationem furcarum primus referre cupiens, versus Episcopum iter arripuit. Quo in itinerando buccellam panis accipiente, simul cum buccellâ statim mortem gustavit. Senescallus quidem Domini Episcopi Henricus de Hehum, semper dans consilium Achitophel, infirmatus expiravit. Vicecomes Cantiæ statim occubuit. Et Dominus Solomon, ut ipse retulit, intoxicatus per Officialem Domini Episcopi nomine Gynandum, diem clausit extremum. Qui Gynandus postea captus, incarceratus, concatenatus, per patriam damnatus, in prisonâ Episcopi recipitur. Tandem solenniter purgatus, apud Grenwicum liberatur. Audientes igitur Justiciarii mortem supradictorum, timuerunt valde. Et quidam eorum apud Roffam accedentes, pœnitentes ac gementes, Priori & quibusdam aliis de Conventu dixerunt. Sapientiâ Solomonis nequiter decepti, injustè & incircumspectè processimus contra vos; & quare non indicastis nobis? Utinam scivissemus jus vestrum & munimenta vestra! Sed proh dolor, non est per nos reversio. Commendetur ergo memoriæ; fortè visitabit vos Dominus coram aliis Itinerantibus tempore opportuno.

Anno MCCXCIV. obiit Johannes Renham Prior Roffensis. Successit Thomas de Shelfordiâ.

Anno MCCCI. Fr. Thomas de Shelford dimisit Prioratum Roffensem

(*p*) *Thomas de Woldeham*, alibi *de Suthflete* dictus, Prior Ecclesiæ Roffensis, in Episcopum à Monachis suis electus, consecratus est ab Archiepiscopo in Ecclesiâ parochiali de Chartham prope Cantuariam 1292. 6. Jan. die Epiphaniæ Dominicæ. Obiit 1317. 28. Febr. *Annal. brev. Benedicti Roff.*

propter

propter debilitatem corporis. Post Festum Purificationis successit Johannes de Greenstreet.

Anno MCCCIV. erat quidam Dacianus, cognomento Stephanus de Dane, Constabularius Castri Roffensis, Monachorum adversator ibidem in quantum potuit. Hic concitavit cives Roffenses contra ipsos Monachos; ut eos talliarent de his quæ mere sunt spiritualia, viz. de clausu suo & Prestefelde, ubi tallagium nunquam dare consueverunt. Sed quidam è fratribus contra hoc decertans coram Baronibus è Scaccario, usque ad decisionem negotii viriliter elaborabat. Et sic quieti Monachi à jugo servitutis illius. Idem Dacianus ab officio est suspensus.

Anno MCCCVII. concessit Rex Monachis Roffensibus appropriationem terræ de Ores, quæ de feodo Monachorum fuit; & suâ chartâ confirmavit.

WILLELMI DE DENE
Notarii Publici
Historia Roffensis
Ab anno MCCCXIV. ad MCCCL.

ANno Domini MCCCXIV. cedente fratre Johanne de Grenestrete officio Prioris, frater Hamo de Hethe in Vigiliâ Translationis B. Andreæ Apostoli, VIII. Id. Maii, in Capitulo Roffensi ad nominationem fratrum per Dominum Thomam de Woldeham tunc Episcopum præfectus est in Priorem. De qua quidem præfectione quidam invidentes per M. Willelmum de Briston erga Dominum Walterum tunc Archiepiscopum Cant. procurârunt ad visitandum Capitulum Roffense & Diocesin. Habebat tunc Archiepiscopus potestatem visitandi per Commissarios per privilegium Clementis VIII. Hervicus de Stanton & alii Justiciarii in Cantiâ itinerantes apud Roffam tunc extiterunt. Missis igitur literis Archiepiscopi ad Capitulum ad suam recipiendam visitationem, pro centum equis cum pertinentiis procurari se velle per Capitulum præmunivit. Factâ ideo providentiâ pro adventu Archiepiscopi pro numero tot equorum, tandem personaliter venire se excusans, tres Clericos viz. M. Willelmum de Knapton Archidiaconum Norwicensem, Thomam de Chertham, & Robertum de Norton loco ipsius constituit. Videns tunc Prior quòd providentiam factam pro adventu Archiepiscopi finaliter perderet, ad diem quo visitârunt Commissarii Capitulum, vicinos Milites & probos homines de patriâ vocavit ad expendendum providentiam prædictam; & sic introitum suum uno & eodem die habuit, & Visitatores recepit. Dominus autem Episcopus dicto die personaliter interesse noluit, per prædictos invidentes instigatus; licèt plurimùm per Priorem fuisset interpellatus. Recedente itaque Episcopo paucis de suis ibidem dimissis, multum doluit Prior atque erubuit pro eo quòd eidem Episcopo per septennium in officio Capellani astitisset, & credebat quòd eò citiùs hunc honorem impendisset. Visitantibus ergo Commissariis Capitulum, compertum erat per plures fratres, quòd Prior per quinque vix nominatus assumptus erat in Priorem, & unus alius per viginti & majorem partem Capituli nominatus repulsam patiebatur. Super quo Prior positus fuit ad rationem coram eisdem Commissariis; quibus respondebat protestando, quòd ejus responsio in præjudicium nulli cederet, dicens quòd sufficienter fuit nominatus & de consensu omnium hujusmodi nominationi consensit, & ductus fuit ad installandum eo renitente per compulsionem totius Conventûs, & omnes sibi tunc obedierunt ut Priori suo sine contradictione aliquali. Tunc Visitatores Conventum interrogârunt, si vera essent quæ Prior dixit; qui omnes responderunt, quòd sic. Et Visitatores dixerunt: Quare nos tunc sic trufâstis de Priore vestro talia deponendo? Producit etiam Prior literam Episcopi ad hujus nominationis probationem. Nitebatur multùm Knapton ad depositionem Prioris, per invidentes corruptus. Tunc Priorem ab officio dimiserunt. Duravit illa Visitatio in Diocesi Roffensi à Festo Translationis S. Benedicti usque Festum Paschæ proximè sequens.

Multa

Multa discrimina passus est tunc Prior, eò quòd invenit Ecclesiam in DC. libris ære alieno oneratam, & bona Ecclesiæ distracta & alienata, & multos Fratres rebelles, & finaliter Ecclesiam ita desolatam, ut nisi affuisset consolatio divina, Ecclesia nunquam fuisset relevata. Unde Prior magnum conflictum habuit pro dispersis colligendis & habitis conservandis contra Episcopum & Walterum de Fynchyngfeld. Tandem tamen de manibus Walteri terras de Forstalle & Bedesham, & CC. marcas, & Ecclesias de Hertlepe & de Hoo, quas habebat ad firmam & compotum, Prior evicit & eripuit, &c.

Anno sequenti orta fuit dissentio inter Episcopum & Capitulum pro exenio S. Andreæ detento per J. de Grenestrete tunc Priorem; & postea per Priorem H. per tres annos continuatum. Percepit tamen Episcopus, & fuit in possessione percipiendi partem exenii antedicti quolibet anno, atque de triginta annis debitis de Maneriis de Frendesbery & Stoke.

Anno tertio à præfectione Prioris H. circa Purificationem B. Mariæ Virginis ægrotavit Thomas de Woldham Episcopus Roffensis. Quo vergente ad occasum, res Episcopatûs plurimum distrahebantur per malam custodiam suorum. Venit ergo ad eum Prior per unum diem ante mortem ipsius; & coram Episcopo prostratus, veniam petiit de commissis contra eum. Petiit etiam absolutionem & revocationem omnium sententiarum latarum per ipsum in Capitulo Roffensi; quæ omnia Episcopus benignè concessit atque dedit. Obiit ultimo die Februarii; cujus obitus Priorem per triduum latebat periculosè apud Bromlegh. Quarto verò die obitûs sui venit Prior cum executoribus de ejus sepulturâ tractaturus. Ordinato die sepulturæ, scripsit Prior Priori Cant. & omnibus Abbatibus & Prioribus circumvicinis, ut ejus sepulturæ interessent.

THOMAS DE WOLDHAM.

Defuncto igitur Episcopo, Monachos de Waleton ad interessendum electioni clam vocavit propter metum deprecantium magnorum. Nam Archiepiscopus pro suo Cancellario, Domina de Badelesmere pro M. Thomâ de Northwode, literas direxerunt. Quorum preces & omnium aliorum magnorum ac aspirantium multorum Capitulum obaudiens, assignato die ad eligendum, per viam scrutinii concorditer Priorem suum Hamonem de Heth elegit anno à Nativitate Domini (*a*) MCCCXVI. xv. Cal. Aprilis. Præsentatus fuit idem Electus Waltero Cant. Archiepiscopo apud Lambeth ut Patrono & xi. Cal. April. admissus ab eodem; & datus fuit dies opponere volentibus ad comparendum ubicunque xiii. Cal. Maii. Quo die adveniente in Capellâ de Lamheth, & nullo oppositore comparente, pronuntiatâ electione per M. Andream de Bregge, Fratribusque J. de Westerham Monacho & G. de Mepeham Sacristâ productis & juratis ad instruendum officium, datus fuit dies iv. Non. Maii ad audiendam pronuntiationem productorum. Quo die adveniente, dicto Electo comparente & confirmationem suæ electionis petente, respondit Archiepiscopus, quòd ligatæ fuerunt manus ejus, & quòd non potuit ulteriùs procedere, quia Papa provisionem Ecclesiæ Roffensis ad opus Fratris Johannis de Puteolis Gallici, Confessoris Dominæ Reginæ, reservavit. Habitoque super hoc tractatu diligenti quid foret faciendum, tandem de consilio totius Concilii Archiepiscopi & majorum Doctorum Angliæ idem Archiepiscopus signavit Domino Papæ Johanni XXII. quòd electio præcessit per unum diem reservationem, & totum processum habitum coram ipso. Et

HAYMO DE HETHE.

(*a*) Scriptum fuerat in autographo MCCCXV. Verùm annum 1316. (eumque exeuntem) & veritati & Authoris menti magis convenire manifestis indiciis constat. Electum fuisse Haymonem exeunte anno 1316. consecratum apud Avinionem 1319. sub finem mensis Augusti, confirmant Annales breves Roff. Benedicti Monachi, *Vespasian A*.22.

con-

consultum (*b*) erat Electo, ut nullo modo Curiam Romanam adiret, nullo tamen cogitante de Constitutione *Cupientes*, de Elect. lib. vi. Sic Electus misit M. Robertum de Redeswelle Juris Civilis Doctorem, & Sacristam prædictum ad Curiam pro causâ ipsius. Quibus Procuratoribus Nonis Maii versùs Curiam iter arripientibus, ix. Cal. Junii ad Curiam applicuerunt; præsentatisque literis Archiepiscopi & exposito negotio Domino Papæ per Willelmum de Testâ S. Ciriaci in Thermis Presbiterum Cardinalem, tandem Papa ad prosecutionem dicti Cardinalis de consensu Procuratoris Reginæ sc. Johannis de Jargolio Gallici, totum negotium ad partes Angliæ Dominis Gaucelino titulo SS. Marcellini & Petri Presbytero & Lucæ S. Mariæ in Viâ latâ, Cardinalibus tunc existentibus in Angliâ commisit; quòd si electionem invenirent canonicam & de personâ idoneâ esse celebratam, & Electum de jure suo non cecidisse per Constitutionem *Cupientes* pro eo quòd iter versùs Curiam non arripuit infra mensem à tempore notificationis reservationis prædictæ sibi factæ, & electionem reservationem prædictam præcessisse, eundem confirmarent & facerent consecrari: sin autem, infirmarent, & silentium imponerent Electo memorato.

Commissionem prædictam Electus recepit apud Roffam ix. Cal. Septembr. & eandem misit per M. Andream de Bregges, & R. de Selham Monachum, & Willelmum de Dene Notarium, Cardinalibus prædictis tunc apud Dunelmum existentibus; qui Procuratoribus prædictis Electi diem præfixerunt proximum juridicum post Festum S. Lucæ. Quo die adveniente coram prædictis Cardinalibus in Palatio Episcopi London. Procuratores Electi comparuerunt, &c. [*Post multos dies juridicos, cùm electio ritè facta fuisse comprobata esset, & Electus doctrinæ examen subiisset*;] demum xv. Cal. Febr. Cardinales in dubium revocârunt, an Electus teneretur observare Constitutionem *Cupientes*. Super hoc Papam consulere decreverunt. Consultationem verò factam cum toto processu coram eis habito per Fredericum Electum Saonensem confirmatum ad Curiam transmiserunt. Electus verò Roffensis Nicolaum de Bereham L. D. & Willelmum de Dene Notarium suos constituit Procuratores ad prosequendum negotium in Curiâ Romanâ. Domina verò Regina misit J. de Jargol. Procuratorem suum ad Curiam ad impediendum. Direxit namque Dominus Rex Angliæ literas supplicatorias Papæ & Cardinalibus pro expeditione Electi Roffensis prædicti. Et Domina Regina è contra scripsit eisdem pro ipsius Confessore; & literas Regis & trium Reginarum Franciæ supplicatorias Papæ similiter & Cardinalibus dirigendas procuravit. Præsentatis igitur processu & consultatione & literis, Papa vehementer admirabatur, quòd Regina Angliæ contra preces Domini sui scribere ausa fuit, &c. [*Ipsius tamen intercessioni magis detulit; adeò ut spretâ Auditorum, quibus causa commissa fuerat, relatione pro Electo factâ, in id unicè intenderet*,] ut electionem si posset, per aliquem rigorem juris enervaret.

Pendente sic negotio usque adventum Cardinalium de Angliâ, & illis in Curiâ existentibus, iii. Id. Novembris Papa in Consistorio secundùm formam prioris commissionis in Angliâ factæ dictum negotium recommisit terminandum: & illi suis Auditoribus Petro de Nogareto & Sefrido de Vesano illud idem commiserunt. Propositis igitur coram eis toto processu & allegationibus

(*b*) Factum id subdolè ab Archiepiscopo Hamo Episcopus conqueritur, eo consilio, ut protractâ diutiùs electionis causâ plures ipsi proventus ex diuturniori Sedis Roffensis vacatione accederent. Temporalia enim vacantis Episcopatûs Roffensis penès Archiepiscopos Cant. manebant. Eâdem olim vafritie Bonifacium Archiepiscopum Laurentii Episcopi confirmationem distulisse, & Johannem de Pecham Thomæ de Woldham confirmationem excogitatis subinde remoris protraxisse addit in Libello adversùs Archiepiscopum Cant. quem Willelmus in Historiâ suâ collocavit f. 21. à nobis prætermissum.

bus partis utriusque, Petrus de Nogareto, qui semper adversabatur Electo, dubia nova adinvenit. Inter quod erat, an Electus teneretur comparere personaliter coram Cardinalibus in Curiâ & ipsius electionis petere confirmationem? Quod cùm Procuratores Electi & amici intellexerant; de consilio eorum omnium deliberatum fuerat mittere pro Electo,ut ad Curiam veniret festinanter. Receptis igitur ille literis de veniendo die Circumcisionis, die Sabbati proximo post Festum Conversionis S. Pauli ad Curiam venit, & Cardinalibus judicibus suis se præsentavit, & pro expeditione negotii sui continuè institit. Porrò interim Regina Angliæ animum Regis allexerat ad deprecandum Papam & Cardinales pro ipsius Confessore; & factum est, ut Rex preces contrarias sub uno sigillo fieri jussit. Unde mirabantur Cardinales, & inconstantiæ imputabant. Scripsit etiam supplicando Adamarus Comes Pembrochiæ Cardinalibus pro eodem hoc modo; ' Quia nobis supplicavit Fr. J. de ' Puteolis Dominæ Reginæ Angliæ Confessor, ut vos pro Episcopatu Roffensi ' sibi conferendo excitaremus ad interponendas partes vestras erga Dominum ' Papam. Hanc literam Papa postea vidit & legit; & ab illo tempore propter ipsius manifestam ambitionem Fratrem repellere nitebatur, & Electum expedire præcepit. Die igitur Sabbati proximâ post Festum S. Gregorii convenientibus xvi. Auditoribus pro suis consiliis dandis, & diligenti habitâ investigatione singulorum, ex iis xii. concordârunt, quòd Electus per Constitutionem *Cupientes* à jure suo nullatenus cecidit, & quòd Electio ejus de jure esset confirmanda. Quod cùm Domino Papæ in Consistorio per G. Cardinalem esset intimatum; jussit statim Papa Electum expediri. Datus fuit hinc dies Electo ad audiendam pronuntiationem, viz. die Sabbati in Passione Domini; infra quem diem prædictus G. Cardinalis per preces Regis & Reginæ Angliæ corruptus, intimavit Papæ, quòd contraria consilia per majores Curiæ recepisset; & sic institit, quòd Dominus Papa dictum negotium ad se revocavit; Cardinale se exuente, quòd versùs Parisios pro pace reformandâ inter Gallicos & Flandrenses erat statim profecturus.

Tunc de negotio omnes desperabant, in tantum quòd Monachus socius Electi derelicto solo Electo ad partes redire properavit. Multi verò Anglici interim pro Episcopatu Roffensi lubendo erga Papam & Cardinales per literas Regis Angliæ & varia promissa procurando institerunt, nil tamen perfecerunt. Johannes de Jargolio Procurator Reginæ & ipsius Eleemosynarius, qui reservationem procuravit, videns se non posse procurationis suæ expeditionem consequi quam optavit, & pro qua immensas expensas apposuit Papam exenniendo & Cardinales ac advocatos remunerando, in Vigiliâ S. Andreæ Apostoli, cujus tamdiu impediverat jus, cœpit pro nimiâ angustiâ ut dicebatur graviter infirmari, & die Dominicâ sequenti in Curiâ subitò moriebatur. Quin & Johannes de Nanton, Camerarius Reginæ, qui eandem reservationem similiter procuraverat, judicio Dei apud Derteford de equo suo cadens expiravit.

Tandem ad instantem procurationem W. de Testâ Cardinalis ultimo die Aprilis factâ mentione Domino Papæ in pleno Consistorio pro negotio terminando, surrexit Jacobus de Columpnâ Cardinalis, & dicebat Papæ: Pater sancte, neque Electus neque Confessor Reginæ Angliæ Episcopatum obtineat Roffensem; sed tertio detur. Institerat diu pro Fr. Laurentio de Gloucestriâ, Theologo & Monacho, Priore de Boxgrove, tunc in Curiâ existente; ut Papa sibi contulisset. Cui Papa statim respondit: Certè non faciemus; absit quòd sic faceremus. Et continuò Domino Lucæ Cardinali soli negotium commisit terminandum. Lucas Cardinalis sex Auditores majores de Palatio consuluit, qualiter esset procedendum; qui omnes dixerunt, quòd Electus fuit de jure confirmandus. Re ad Papam in Consistorio relatâ die Lunæ proximâ ante Festum S. Mariæ Magdalenæ, Papa præcepit Lucæ Cardinali, ut Electum juxta consilia sibi data confirmaret. Inte-

Interim autem ægrotavit Electus usque ad mortem, & graves patiebatur vomitus atque fluxum; & ferè extinguebatur propter nimiam corruptionem in civitate & calorem. Propterea extra civitatem ad Castrum vocatum Ponserewe in unâ liturâ fecit se deportari. Audiens verò Lucas Cardinalis, quòd Electus de civitate recessisset, instigatus per aliquos æmulos, per cursorem Electum citavit in hospitio ejus, ut in Vigiliâ S. Mariæ Magdalenæ pronuntiationem compareret auditurus, sperantes quòd ad diem non venisset. Statim Procurator Electi apud Ponserewe misit, & hoc Electo nunciavit. Electus igitur se fecit per aquam ad civitatem transvehi; & à duobus tentus se fecit duci ad domum Cardinalis Lucæ. Et comparente ipso, dicebat Cardinalis, quòd Ecclesiam Roffensem diu languentem diutiùs languere non permitteret; & auctoritate Domini Papæ Electum confirmavit. Quo facto Electus iteratò in lectum decidit; & per infirmitatem quinque septimanis ejus consecratio erat ad ipsius magnum damnum prorogata. Veniens tunc ad Curiam Fr. Robertus Wirsop Ordinis S. Augustini, unus adspirantium ad Episcopatum Roffensem, cum literis Regis & Procerum Angliæ pro Episcopatu habendo, Electum invenit confirmatum. Unde multùm dolens, expectavit tamen, sperans mortem Electi graviter infirmantis, ut sic optinuisset Episcopatum. Tandem convalescente Electo, & ab Cardinali Hostiensi per assignationem Domini Papæ (c) Dominicâ proximâ post Festum S. Bartholomæi in Ecclesiâ Fratrum Prædicatorum Avinione consecrato, cuncti aspirantes spe suâ defraudati prosequi cessârunt. Erant autem duo Abbates Græci Monachi de Regulâ S. Basilii, eodem die cum Episcopo benedicti. Tunc institit cotidiè pro Bullis suis habendis; sed impeditus fuit non per Constitutionem *Cupientes*, sed per pecuniam habere volentes, ab illo die consecrationis suæ usque ad diem Veneris proximum post Festum S. Dionysii; quo die recessit de Curiâ sine Bullis, defectu pecuniæ ipsum cogente: accepta à Papâ, quem à Cardinali Testâ introductus visitavit, licentiâ Dominicâ proximâ post Festum Exaltationis S. Crucis. Postea in Vigiliâ S. Michaelis horâ vesperarum coram Camerario pro communi servitio in MCCCCXL. florenis se Episcopus obligavit. His ita gestis, Episcopus dicto die Veneris, ut præmittitur, de Curiâ recessit anno MCCCXIX. & in Vigiliâ Omnium Sanctorum apud Dovoriam applicuit, dimisso Scutifero in Curiâ ad portandas Bullas; & de Dovoriâ ivit apud Saltwode in personatu, Bullas expectando per tres septimanas. Die verò S. Clementis Bullas recipiens, Cantuariam perrexit; & factâ ibi quadam professione (d) consuetâ à Suffraganeis in Romanâ Curiâ consecratis, & publicatis Bullis suis, usque Archiepiscopum est profectus. Diebus verò Dominicâ & Lunæ sequentibus in Capitulo Roffensi & in Curiâ de Arcubus London. Bullas similiter fecit publicari.

Proficiscente Episcopo ad quærendum Archiepiscopum, invenit eum apud Sleford Diocesim Lincoln. visitantem; & præsentatis eidem Archiepiscopo rescriptis Apostolicis die Dominicâ primâ Adventûs Domini, factis professione, obedientiâ & fidelitate, à custodiâ Temporalium & Spiritualium Episcopatûs Roffensis Archiepiscopus ex tunc se amovit, & ea Episcopo reddidit & restituit; & scripsit Domino Regi & Reginæ pro Temporalibus, quæ in eorum manu fuerunt, ut & ea Episcopo liberarent. Procedente ulteriùs Episcopo apud Eboracum, ubi tunc Rex erat, se eidem præsentavit; & traditis sibi literis Archiepiscopi, assignatus fuit ad faciendum fidelitatem pro manerio de Middylton & Cobehamberg coram Clericis Cancellariæ; & factâ ibi fideli-

(c) Factum id anno 1319. die 26. Augusti.

(d) Professionem subjectionis Archiepiscopo Cant. olim Avinione inter consecrandum factam, renovavit apud Cantuariam coram magno Altari 1319. 24. Novembr. *Registr. Cant. Ecclesiæ.*

tate

tate literas patentes Regis habuit ad Escheatorem citra Trentam pro liberatione Maneriorum prædictorum die S. Nicholai. Dominus Hugo le Despenser tunc Camerarius Regis prædictas literas impedivit, quousque pro feodo suo contra omnem justitiam & consuetudinem per regnum Angliæ priùs usitatam ab Episcopo decem libras extorquendo recepisset. Recedente igitur Episcopo de Eboraco, apud Borstall pervenit in Festo Natalis Domini ibidem morando. Et quòd Capitulum Roffense Priore carebat, intronizationem acceleravit, & fecit die S. Hilarii, viz. in Octavis Epiphaniæ. In crastino verò intravit Capitulum; & Fr. Johannem de Westerham præfecit in Priorem. Deinde rediit ad videndum & visitandum Maneria Episcopatûs; & invenit omnia destructa & distracta, & ita malè custodita, quòd in septennio non possent reparari.

Forma autem obedientiæ & fidelitatis, quam die Dominicâ iv. Non. Decembr. anno MCCCXIX. in Capellâ Castri de Sleford Dominus Hamo Roffensis Episcopus Waltero Cant. Archiepiscopo in mei Notarii publici & testium subscriptorum præsentiâ præstitit, hîc sequitur.

'Ego Hamo Ecclesiæ Roffensis Episcopus profiteor Ecclesiæ sanctæ Cant. 'canonicam subjectionem & reverentiam & obedientiam; tibique venerabili 'Patri Domino Waltero Dei gratiâ Cant. Archiepiscopo totius Angliæ Primati '& successoribus tuis canonicè intrantibus fidem & canonicam obedientiam ac 'subjectionem promitto. Necnon adjutor ero ad defendendum, retinendum '& conservandum jura & libertates ac consuetudines Ecclesiæ Cant. prædictæ 'pro posse meo. Et hoc propriâ manu subscribo.

'Jeo Hamon par la soeffraùnce de Dieu Evesqe de Roucestre serray foil & 'loyal a vous Sire Wauter par la grace de Dieu Ercevesqe de Canterbire & Pri- 'mat de tut Engleterre; & leaninent frai les services & les custumes, qe 'les terres & les possessions deivent, qe jeo cleym de vous tenir; si Dieu moy 'ayde & ses saemtuaries.

Sequitur Historia prolixa de processu litium inter Hamonem Episcopum & Walterum Archiepiscopum de proventibus Episcopatûs Roffensis Sede vacante ab Archiepiscopo pro more perceptis, de præsentatione ad Ecclesiam de Northone vacantem factâ ab Archiepiscopo ratione custodiæ Temporalium Episcopatûs Roff. post confirmationem Hamonis in Curiâ Romanâ, & de restitutione implementorum ad maneria Episcopatûs pertinentium, quæ sub custodiâ Archiepiscopi amota fuerunt.

Anno regni Regis Edwardi filii Regis Edwardi xiii. Dominicâ primâ Adventûs Fr. Hamo Episcopus Roffensis Spiritualia & Temporalia Episcopatûs sui à Waltero Archiepiscopo Cant. recepit: qui post ipsius intronizationem toto anno sequenti in Episcopatu suo residens cum paucâ familiâ, circa reparationem domorum Episcopatûs & culturam terrarum plurimùm insudavit. Et quia de proprio non habebat unde viveret; Clerus Roffensis magnam subventionem in exeniis & pecuniâ, viz. de marcâ duodecim denarios, ei faciebat.

Anno MCCCXX. Hamo Roffensis Episcopus rogatus interfuit consecrationi Rigaudi Electi Winton. in Ecclesiâ S. Albani Dominicâ primâ post Festum S. Martini. Hiemavit postea Episcopus Hamo apud Trottysclyve, correctiones visitationis suæ, quam ante Festum S. Michaelis præcedens in Capitulo & Diocesi Roffensi fecerat, faciendo, & pro pecuniâ colligendâ ad solvendum pro communi servitio in Curiâ Romanâ plurimùm sollicitando. Pro qua solutione boscum de Elmestede in Bromlegh vendidit pro ducentis marcis. Angebatur enim in Festo Purificationis sequenti illud servitium solvere, quod extendebatur ad summam MCCCCL. florenorum, quos tunc solvit; ac præterea diversis creditoribus C. marcas, quas mutuaverat pro animalibus emendis ad carucam pro terris excolendis. Visitante insuper Episcopo Hamone Monasterium de Hegham, octo Moniales fecit professas.

Obiit tunc Johannes de Westerham Prior; quo die Veneris proximo ante Festum Purificationis sepulto, loco ipsius fratrem J. de Speldherst Celerarium ad nominationem fratrum eodem die Episcopus præfecit. Celebrare postea Ordines in Sabbato quatuor temporum in Ecclesiâ Cathedrali Roffensi proposuit, & fecit. In Cœnâ Domini ibidem Chrisma celebravit; & duobus diebus sequentibus Missas celebravit; ac post Pascha apud Frakeham commorans, per unum mensem Decanatum de Iselham visitando. Deinde apud Filchestowe se divertens, Monachos visitaturus, ubi septem diebus morabatur, per mare de illinc transiens, in Vigiliâ SS. Petri & Pauli in marisco Omnium Sanctorum in Hoo applicuit.

Anno MCCCXXI. in crastino Festi S. Leonardi Rex apud Tonebrige agens Episcopo Roffensi denunciando supplicavit; quòd Monasterium Mallyngense, quod per Abbatissam dicti loci destructum esse, sicut per querelam omnium Monialium acceperat [dixit,] adiret, defectusque corrigeret, Abbatissamque, quæ fratris sui Bartholomæi de Badlesmere ausu temerario multa mala fecerat, deponeret omni modo. Igitur Episcopus tanti Domini denuntiationem ac pericula imminentia ponderans, mox ad visitandum Moniales scripsit; ibique multas querelas contra Abbatissam per omnes Moniales depositas; ad quas Abbatissa consilium non habens nescia respondere, gratis cessit vel invita. Rursus ad electionem seu potiùs nominationem novæ Abbatissæ Episcopus procedens, quandam Dominam Agnetem de Leyburne Conventus elegit in Abbatissam, electionis formâ sc. nominationis de consuetudine non observatâ.

Post Parlamentum Londini solutum recedente Episcopo versùs Trottysclyve ubi hiemavit, per Stone transiens, ibi Abbatem de Lesnes Rogerum de Derteford, cujus electionem apud Grenewych paulò ante confirmaverat, ei munus benedictionis impendit. Deinde apud Roffam veniens, Johannem de Grenestrete quondam Priorem defunctum sepelivit; & in crastino ejus sepulturæ, viz. die Sabbati quatuor temporum in Adventu Domini Ordines celebravit.

Anno MCCCXXII. Rex Parlamentum convocavit in tres septimanas Paschæ apud Eboracum. Soluto Parliamento Episcopus Roffensis per Neworke repedavit; quùm per Suthfolchiam, Northfolchiam, Holondiam, Lyndeseyam, & apud Bartone Humbram transiens, ad Eboracum venit. Summa expensarum suarum XXXIII. libræ per v. septimanas eundo, redeundo & morando cum xi. equis. Et non sic evasisset, nisi † vectigalia navigio transvexisset; quia hoc anno erat magna caristia bladi. Morabatur tunc Episcopus apud Hallyng per totam æstatem, domos dirutas reparando.

† l. victualia.

Rex tunc convocavit Prælatos & Proceres regni apud Ripoun in Festo S. Martini; & dehinc assignavit eos apud Eboracum ad tractandum & consulendum de repulsione Scotorum, qui totam patriam de Blackemor & Holdernesse & de Eboraco usque ad Scotiam deprædaverant & combusserant, captâ prædâ magnâ cum obsidibus nullo persequente Scotiam redierunt. In quo tractatum Communitas decimum, Cives sextum denarium concesserunt. Igitur ad rogatum Regis Prælatis & Clero per Archiepiscopum Cant. apud Lyncoln. convocatis in Festo S. Hilarii, Archiepiscopus ibidem congregatis Regis indigentiam exponens, de consilio & auxilio Regi faciendo Prælatos & Clerum interpellavit. Clerus verò asserens, quòd Papa Regi duas decimas concessisset, hoc sufficere debere pro auxilio. Consilium itaque responsionem & deliberationem suam in scriptis Archiepiscopo & Prælatis tradidit; quam deliberationem Archiepiscopus & Prælati ad Regem incautè mittentes; Rex ob hoc ad iram provocatus, Justiciarios & alios magnos ad inducendum Clerum per minas & blanditias Lyncolniam destinavit. Clerus quoque exin constantior effectus, respondebat se nolle recedere à suâ primâ deliberatione; cujus tenor talis est.

'Super

'Super eo quod injungitur Religiosis & Clero, quòd deliberent super aux-
'ilio & consilio impendendis Domino nostro illustri Regi Angliæ, expositis
'indigentiâ ipsius & periculo imminenti; videtur Religiosis & Clero totius
'Cant. provinciæ jam præsentibus sanum esse consilium, quòd Dominus noster
'Rex, Magnates & Proceres in universo in principio Deo & orationibus Ec-
'clesiæ devotè se studeant commendare, & ab injustis exactionibus & oppressi-
'onibus Ecclesiæ & Ecclesiasticis personis ac populo illatis desistant, & allici-
'ant corda subditorum. Quantum ad subsidium ex parte dicti Domini Re-
'gis petitum, unanimiter respondent; quòd cùm sanctissimus Pater Johan-
'nes Papa XXII. attentis causis & rationibus ex parte Domini Regis nunc ex-
'pressis, volens sibi de sufficienti subsidio quantum facultates Ecclesiæ An-
'glicanæ suppetunt providere, eidem concesserit Decimam biennalem; non
'licet Religiosis nec Clero nec possunt ultra concessionem hujusmodi absque
'offensâ & contemptu Sedis Apostolicæ quicquam concedere istâ vice; cùm
'illud onus jam impositum per Dominum Papam sit personis Ecclesiasticis ni-
'mis grave & importabile multis, tum propter defectum annonæ anni instan-
'tis & aliorum præcedentium, tum propter caristiam imminentem & gravi-
'orem futuram, ut verisimiliter formidatur, ac etiam propter præstationes
'varias & insolitas & oppressiones alias non ignotas, quas Religiosi & Clerus
'hactenus tolerârunt. Vobis igitur Rev. Patri ac Domino Waltero Dei gra-
'tiâ Cant. Archiepiscopo totius Angliæ Primati Religiosi & Clerus vestræ
'Provinciæ in istâ congregatione præsentes, istam deliberationem suam ex-
'hibentes, humiliter supplicant & devotè; quatinus præmissis omnibus &
'singulis per vos in subsidium Religiosorum & Cleri si placet ponderatis, ip-
'sam deliberationem veritate fultam benignè admittere dignemini, ac Reli-
'giosos & Clerum vestrum erga Dominum nostrum Regem clementer & mi-
'sericorditer in hac parte excusare; eisdemque sæpiùs ac diu fatigatis, consi-
'deratis locorum distantiis & viarum discriminibus, velitis si placet, solutâ
'Congregatione præsenti, tribuere licentiam recedendi.

Tempore isto tantus timor & vecordia atque miseria omnes invaserant; quòd nullus ausus est palam loqui veritatem. Unde factum est, quòd nonnulli regni destructionem & miseriam necnon & desolationem amaro animo deflentes, scripturas querulas continentes has lamentationes solo projecerunt.
'Petitur à Clero Cant. Provinciæ super remedio providendo contra Scotos
'inimicos Regis & regni ac Ecclesiæ & totius populi Anglicani. Et utinam
'qui hujusmodi petunt consilium, necessitatem & causam adverterent peten-
'di! Est enim regnum in casu periclitationis, nisi Deus avertat: sicut cla-
'mat populus ex causis infrascriptis. Imprimis, ut asseritur, plerique Mag-
'natum errant in fide Catholicâ, in articulo sc. resurrectionis, & in sexto
'præcepto Decalogi; caracteribus, carminibus, præstigiis & sortilegiis &
'Merlini vaticiniis fidem adhibent ænigmaticis, ne dicam de spiritibus inclu-
'sis. Deum non verentur, proximum non diligunt, Ecclesias & loca sacra
'deprædant & expoliant, libertates ipsius impugnant, &c.

Hiemavit hoc anno Episcopus apud Stone, Festum Natalis Domini ibidem celebrando; & post Festum versùs Hallynge divertens, vineam destructam excolere fecit per totam Quadragesimam. Multùm sollicitus & cogitativus reparationi domorum Episcopatûs dirutarum vacavit diligenter. Secessit igitur versùs Trottysclyve, Festum Paschæ celebraturus; & post Festum pistrinum & novam boveriam fecit ibidem; quorum sumptus ad XXV. libras se extendunt, excepto proprio meremio. In Festo siquidem S. Georgii veterem aulam de Hallynges diruere fecit & novam inchoare; quæ per annum integrum & septimanas XV. fuit in faciendo; cujus custus CXX. libræ. Meremium tamen de bosco Hospitalis de Strode, viz. LXVI. arbores; reliquum de proprio fuit. Molendinum de Holbergh simul eodem tempore novum factum

fuit de meremio de Perstede, & custavit x. libras. Æstivavit itaque Episcopus, & in Pentecoste fuit apud Trottisclyve. Post quod Festum magna pars familiæ ipsius ad vagandum per noctes assueta, ac etiam otio plusquam operi studens, & propterea ab Episcopo redarguta, nolens corripi sese, conspirantes multi insurrexerunt contra eum; quos Episcopus statim licentiari fecit sine spe redeundi. Et hoc ipsius domestici sunt machinati. Circa Festum S. Barnabæ præ nimiâ curiositate & tristitiâ ingratitudinis suorum Episcopus graviter ægrotare cœpit, & usque ad Festum Omnium Sanctorum sic languebat, antequam convaluit.

Anno regni Regis Edwardi XVII. intrante [Christi MCCCXXIII. medio] Rex Episcopo Roffensi literas destinavit; ut simul cum Abbate Rameseyæ Regem Franciæ adiret, & nuncium portaret pro prorogatione homagii Ducatûs Aquitaniæ, & pace reformandâ cum Flandrensibus. Qui considerans conditiones Regis & Magnorum & eorum varietatem, negotiique difficultatem, propriam insufficientiam ac corporis invaletudinem, expensas & laborem, & quòd grates nullas reportaret; cum literis excusatoriis Clericum Regi apud Beverlacum mittens, à nuncio prædicto faciendo se petiit excusari, propter infirmitatem prædictam. Qui denique prece multâ magnorum excusatus, & alius pro eo ad idem subrogatus, absque Regis indignatione jussus est domi remanere. Episcopus apud Bromlegh hiemavit. Johannes de Frendesbury Rector Ecclesiæ de Bromlegh, & Executor testamenti Thomæ de Woldham Episcopi Roffensis eodem tempore submisit se gratiæ & ordinationi Episcopi super lite diutinâ inter eos habitâ de defectu implementorum domorum Episcopatûs & legati non soluti; & in Curiâ de Arcubus comdemnatus fuit in cc. libris. Episcopus post Festum Purificationis apud Hallinge se divertit; & in Quinquagesimâ sequenti fuit apud La Place; ubi Seneschallus Archiepiscopi Walteri Magister J. de Rodeswelle & alii de familiâ Archiepiscopi Thomæ de Heth & aliis de familiâ Episcopi Roffensis, qui barras super wallos Thamisiæ ad præparandum viam carectæ Episcopi ducentis harnesia de Thamisiâ apud hospitium Episcopi præstruebant, insultum facere nitebantur, sed non prævalueruut. Tribus septimanis Parlamentum duravit. Quo soluto Episcopus apud Hallynge rediens in die Annuntiationis B. Virginis, per totam æstatem illic commorans, residuum operis faciendi de Aulâ complere fecit. Ante Pentecosten per unam septimanam vocatus ad consilium Regis Londoniam, Bromlegh perrexit; & ibi tribus septimanis ægrotavit; unde à dicto concilio fuit excusatus. Rex tunc apud Tonebregge in Festo S. Johannis Bapt. veniens, Episcopum ad faciendum servitium suum in dicto Festo invitavit. Episcopus Domino Regi apud Malling occurrit ad salutandum eum; & usque Tonebregge secutus est eum, Festum cum eo celebrans. Episcopus Winton. M. Johannes de Stratforde ibidem Regi fuit reconciliatus; qui M. Roberto Baldok Regis Cancellario instigante, quia Episcopatum ab ipso fraudulenter surripuit ut dixit, multas persecutiones sustinuit.

Anno regni Regis Edwardi XVIII. [Christi MCCCXXIV.] circa Festum Exaltationis S. Crucis Agnes de Leybourn Abbatissa de Malling obiit; & die Sabbati quatuor temporum sequenti Episcopus apud Mallyng ultro progrediens, eodem die Monialibus omnibus instantissimè acclamantibus, Loram de Retlyng, omni ingenio & discretione prælaciæ ac regiminis carentem, in Abbatissam Episcopus præfecit licèt invitus, sciens eam insufficientem & ignaram; & in crastino eam benedixit: cujus benedictio Monasterii fuit maledictio. Episcopus tunc Abbatissæ inhibuit, ne ancillæ suæ corrodium daret, sicut fieri malè consuevit; earumque sigillum commune sequestravit, inhibens ne præter ipsius Episcopi licentiam petitam & obtentam eo uteretur. Episcopus apud Hallyng hiemavit, & in novâ Aulâ Festum S. Andreæ

dreæ celebravit; cui festo Abbates & Priores. D. Henricus de Cobeham, Militesque plures, aliique de patriâ valentes interfuerunt. Eodem tempore molendinum de Borstalle factum est novum; & custavit in omnibus lx. marcas.

Anno regni Regis Edwardi XIX. [Christi MCCCXXV.] Archiepiscopus Eboracensis ad officium Thesaurariæ assumptus fuit in Parlamento Westmonasterii inchoato in Festo Translationis B. Thomæ. Cui facto Walterus Archiepiscopus Cant. contradixit in quantum potuit, dicens quòd duæ Cruces in unâ provinciâ portari non deberent; sed non prævaluit jure clamando. Archiepiscopus igitur Cant. Archiepiscopum Ebor. pro bajulatione Crucis suæ per totam civitatem London. excommunicari mandavit. Nichilominus Eboracensis in Anniversario boni Regis Edwardi pro ipsius animâ apud Westmonasterium Missam celebravit, tamen sine Pallio. In crastino dicti Anniversarii Cant. Archiepiscopus in Parlamento in viridi camerâ Eboracensi Archiepiscopo se confabulando sociavit, cùm tamen de suo mandato ipsum sciret excommunicatum. Quod Episcopus Roffensis cùm perpendisset, Archiepiscopum Cant. leniter præmuniendo est allocutus, ut ab ipsius societate & communicatione secederet, quem excommunicari demandavit. Episcopus apud Trottisclyve Natale Domini celebravit; & post tres septimanas apud Hallynge declinans, per totam Quadragesimam & æstatem sequentem circa clausuram murorum & reparationem novarum Capellæ & Cameræ cum totâ familiâ suâ multùm desudavit.

Anno regni Regis Edwardi XX. [Christi MCCCXXVI.] Rex Archiepiscopo Viennensi & Episcopo Auriacensi Domini Papæ ac Reginæ Angliæ nunciis occurrit, ad tractandum de reditu Reginæ, filii Regis, & Comitis Cantiæ exulantium, sicut vulgariter dicebatur; qui modicum ibi proficientes, ab invicem discesserunt. Rex per Ledes versûs Roffam progrediens, occurrit ei Episcopus Roffensis apud Bexledowne; & equitando versùs Roffam causam itineris sui Episcopo exposuit. Deinde Hugo de Spenser filius Episcopo inter alia retulit; quòd Archiepiscopus & Episcopus nuncii prædicti petierunt ex parte Reginæ securitatem ad Regem redeundi cum filio & Comite antedictis; quibus responsum fuit, quòd securitatem exigere non oporteret, sed securè & salvo redire possent; & ut hoc facerent, Rex pro eis multoties misit; sed Rogerus de Mortuo-mari redire dissuasit, mortem comminans si redierint. Valde conquestus est dictus Hugo de Spenser Episcopo de Willelmo Norwicensi Episcopo; quòd Regem tradiderat Angliæ, & ideo factus est Episcopus; asserens quòd Rex Angliæ non habuisset pacem in divitiis, si Regina & Episcopus Norwicensis & eorum complices discordiam inter Reges non suscitâssent. Rex quoque in Camerâ Prioris Episcopo dixit; quòd quædam Regina olim Domino suo Regi in præceptis obedire nolens, à dignitate regali deposita fuit. Cui Episcopus dixit: Malas gratias habeat, qui hoc vos docuit: quin ulteriùs dixissent, quomodo duo Consiliarii Regis Assueri Aman & Mardocheus sibi invicem invidentes, unus eorum fuit suspensus & alter sublimatus: adjiciens, quòd hanc materiam prædicâsset in præsentiâ Regis apud Tonebregge, si Rex misisset. Ad quod Dominus Hugo respondit, quòd fuisset mirabilis prædicatio, quia eum tangebat. Et Rex ait: Non pepercisset tibi, Domine Hugo, Episcopus in prædicando. Et subjunxit Episcopus; quòd in prædicationibus & in confessionibus audiendis quilibet sacerdos dicère debet omnem veritatem non plùs parcendo majori quàm minori. Et his dictis Episcopus recessit. In crastino post meridiem conduxit Regem versùs Gravesende; & in equitando Rex dixit Episcopo. Quando vis petere aliquid à me? Multa fecisti pro me & Domino Hugone; & nunquam retribui tibi. Multa feci pro his qui ingrati sunt mihi, quos promovi ad statum magnum, & facti sunt mihi hostes in capite. Et ideo Domine Hugo, præcipio

pio tibi; quòd si Episcopus Roffensis quicquam habeat facere, fiat. Ad quod dixit Hugo: Domine libentissime; quia bene meruit, & erga vos bene se semper habuit. Episcopus itaque à Rege & Hugone licentiâ petitâ, cum eorum benevolentiâ apud Hallynges divertit; & nunquam postea Regem vidit.

Regina & sequaces sui die Mercurii ante Festum S. Michaelis in Angliâ applicuerunt. Cujus adventu audito Rex & adhærentes sui fugerunt ad partes Bristolliæ; quas Regina cum filio & totâ sequelâ ac omnes Majores regni & totus populus seditiosus, qui semper sunt & fuerunt proni ad seditionem, insecuti sunt. Walterus Archiepiscopus Cant. Episcopis London. Winton. Exon. Wigorn. & Roffensi apud Lamheth in quindenâ S. Michaelis convocatis, tractatum de Episcopis mittendis ad Regem & Reginam pro pace reformandâ in Ecclesiâ S. Pauli habere proponens, Roffensis Episcopus dissuasit Archiepiscopo, ne in civitatem vel ultra Thamisiam transiret ad tractandum; exponens ei quòd corda totius populi ab Episcopis aversa fuerant, & omnes Episcopos oderunt, quia totum malum quod contigit in Angliâ, pigritiæ, fatuitati & ignorantiæ Episcoporum fuit imputatum; & omnes Reginam dilexerunt, & Regem oderunt. Tunc in crastino apud Lamheth omnes Episcopi vocati convenerunt ad tractandum de duobus mittendis ad Regem & Reginam. Wintoniensis ire concessit, si socium haberet. Cæteris ire negantibus, tandem omnes Episcopi Roffensem rogaverunt, ut cum eo iret; qui totaliter se excusavit. Die Mercurii proximâ ante Festum S. Lucæ convenerunt in civitate London apud la Gyld Hall omnes majores & minores, consilium ineuntes, quomodo Episcopos London. & Exon. & alios Regis Justiciarios ad Fratres Prædicatores tunc congregatos dolo caperent & occiderent, & mercatores in civitate deprædarent, acceptâ occasione de adventu Reginæ, quòd Reginæ adhærere nolentes proditores regni publicè censerentur. Unde factum est, quòd in certis locis positæ sunt insidiæ ad explorandum adventum Episcopi Exon. Qui cùm venisset, & ad Ecclesiam S. Pauli confugisset; in hostio Ecclesiæ à malefactoribus comprehensus, extractus, percussus & graviter vulneratus, traxerunt eum per plateas & vicos usque ad magnam Crucem in Chepe filii Diaboli, non verentes manum ponere in Christum Domini. Sed eum spoliantes, & vestibus suis exuentes, ausu crudeli pejores quàm Pagani, virum utique fidelem, providum & discretum ac regno valdè necessarium truculenter decapitârunt, caput de corpore abscissum super collistrigium statuentes, corpus canibus ad corrodendum projicientes, & ad sepeliendum prohibuerunt.

Episcopus Roffensis in camerâ suâ sedens ad mensam, & magnum tumultum audiens, misit ad Archiepiscopum ad explorandum quidnam esset. Compertum est Archiepiscopum & suos omnes versùs Cantiam fugisse. Episcopum autem Roffensem, qui ad ipsius rogatum dimissis ad se omnibus equis ibi remansit, de eventu rei non præmunivit. Episcopus Roffensis statim considerans loci & temporis pericula, pedes cum suis fugit apud Lesnes, ubi pernoctavit; & in crastino apud Stone cibum sumens, apud Hallynges se recepit. Tunc conturbata est tota terra; & in circuitu impii ambulantes, animalia & alia bona pacificorum, quos hostes Reginæ dixerant, sub tali colore ubique deprædantes abduxerunt. Episcopus Roffensis nummosus reputabatur; & præmunitus fuit per J. de Scapeyâ Monachum Roffensem, qui in toto conflictu cum Episcopo Londoniæ & per viam fuit, ne ad Roffam veniret, propter insidias paratas ad eum capiendum. Hoc audito mox ingressus est batellum Episcopus; & de nocte usque Boxlee navigans, ibi pernoctavit. In crastino apud grangiam Abbatis cibum sumens, horâ vesperarum apud Roffam equitavit cum paucis. In viâ obviam habuit quosdam de Roffâ malefactores, qui Episcopo insultum fecissent, si ausi fuissent. Mansit tunc Episcopus in Eccle-

siâ

siâ Roffensi per totam septimanam, Festum Omnium Sanctorum vocatis melioribus & vicinis ad mensam inibi celebrans. Post prandium apud Hallynge secessit. Post cujus recessum convenerunt multi malefactores ad Ecclesiam, quia ad mensam invitati non fuerant, tumultum magnum facientes quæsitâ opportunitate deprædandi Ecclesiam, & non inventâ confusi recesserunt. Post Festum S. Nicolai die Dominico Episcopus apud Maydeneston cum Archiepiscopo bis literis interpellatus fuit, & tunc verbotenus, ut ejus in comitivâ apud Wallingford, ubi Regina tunc morabatur, omni modo veniret; sed hoc facere Episcopus expressè recusavit; adjiciens, quòd erga Reginam fuit excusatus. Miserat enim fratrem minorem Johannem de Heth ad Reginam apud Gloverniam ad eum excusandum. Episcopus Archiepiscopo dissuasit, ne Londoniam cum excommunicatis ad Parliamentum veniret; sed persuadens ut ad Ecclesiam Cant. iret, ubi Majores de regno ad ipsum confugerent ad tractandum; sed non profuit, quia *Verba ferit vento, qui prædicat infatuato.* Plus enim timuit Reginam, quàm Regem Cœli.

In crastino Epiphaniæ apud Westmonasterium omnes Prælati, Comites, Barones atque populus in multitudine magnâ, & præcipuè cives Londonienses, cum magno strepitu ad Parliamentum Reginæ regnantis convenerunt. In quo per Herefordensem Episcopum, adhærentibus sibi multis aliis Episcopis, propositum fuit; quòd si Regina Regi adhæreret, occideretur ab eo. Et tandem quæsitum fuit, quem mallent regnare patrem Regem vel filium; & hoc primo die Parliamenti. Et congregatis in Parliamento per eundem Episcopum injunctum fuit; quòd quilibet ad suum hospitium iret, & in crastino post sumptionem cibi & potûs omnes potati redirent, & quæsitioni Episcopi responderent horâ tertiâ. Quibus redeuntibus iteratò, propositâ eâdem quæstione, quidam ex abundantiâ cordis, quidam metu ducti, nonnulli tacitè propter metum Londoniensium, quæstioni respondere nolentes. Tandem unâ voce omnium Filius in Regem sublimatur; factis sibi homagiis, in magnam Aulam novum Regem duxerunt, dicentes, *Ecce Rex vester.* Archiepiscopus Cant. Walterus publicè prædicavit: *Vox populi vox Dei.* Wintoniensis Episcopus addidit: *Cujus caput infirmum, cætera membra dolent.* Herefordensis subdidit: *Væ terræ, cujus Rex puer est.* Et pace factâ in populo per T. Wake & Londonienses sibi adhærentes, *Ave Rex* in excelsis proclamatur. In qua proclamatione Episcopus Roffensis stans in excelsis cum aliis Prælatis & Majoribus regni, quia non cecinit cum aliis, nec consensit canere *Gloria, laus & honor* Regi novo; malè est depressus, & comminatus ad mortem. Episcopus Roffensis licèt à Justiciariis ad faciendum fidelitatem Regi, sicut cæteri Prælati, [interpellatus fuisset] nullam tamen fecit; sed misit Archiepiscopum ad respondendum pro eo. Archiepiscopus Eboracensis, Episcopi London. Roffensis & Carleolensis, cum aliis non consenserunt.

Interim Londonienses sibi metuentes de crudelitate patratâ in Episcopum Exon. ad palliandum iniquitatem eorum Archiepiscopos Cant. Ebor. & Dublin. & cæteros Episcopos ad Parlamentum congregatos apud Gyld Halle venire coegerunt; ubi omnes Episcopi, Eboracensi, Londoniensi & Carleolensi exceptis, jurârunt manutenere & defendere jura & libertates civitatis London. in præsentiâ Comitis Cantiæ & multitudinis immensæ; qui ad videndum fatuitatem Episcoporum, quomodo Machumeto sacrificabant, confluxerunt. Ubi Walterus Archiepiscopus Cant. opprobria & convitia multa sustinuit à Londoniensibus; & vadiavit eis l. dolia vini pro concordiâ habendâ; & in exeundo aulam ita malè depressus fuit, quòd turpiter accidit sibi. Episcopus Roffensis in præsentiâ Notarii viz. Nicholai Northe & testium ad hoc vocatorum protestatus fuit; quòd non fuit intentionis suæ jurare, nisi salvo ordine suo, & salvis omnibus contentis in Magnâ Cartâ.

Anno

Anno MCCCXXVII. post coronatum Edwardum juvenem Regem, in quâ coronatione Episcopi Norwicensis & Roffensis Letaniam canebant, regnavit Rogerus de Mortuo-mari & Regina imperavit circiter iv. annis. Episcopus verò Roffensis per Prælatos & alios Magnos regni pro collatione Ecclesiæ de Bromlegh nimium infestatus, de Parlamento recedens usque Trottisclyve, per totam Quadragesimam ibi morabatur. In secundâ hebdomadâ Quadragesimæ Rex & Regina mater versùs Cantuariam peregrinantes, Episcopus Roffensis die Sabbati dedit eis obviàm, & cum novo Rege in mensâ fuit. In crastino Episcopus Reginæ duas pelves argenteas præsentans precii xx. marcarum, cum benevolentiâ Regis & Reginæ apud Trottisclyve remeavit. Quod videntes malefactores prædones de patriâ, confusi, Episcopum deprædare qui comminabantur, à tali comminatione cessârunt. Die Dominicâ mediæ Quadragesimæ subsequenti M. Jacobus de Berkelee consecratus fuit in Episcopum Exon. cui consecrationi Cicestrensis & Roffensis Episcopi Cantuariæ interfuerunt: ubi cives Cantuarienses exemplo Londoniensium seditiosè commoti, omnia officia & ordinationem totius Festi vendicabant; quia per totum regnum in singulis Comitatibus, Burgis & villis malefactores dominabantur. Quod videns Episcopus Roffensis, post Pascha apud Hallynges se divertens, cœpit curiam de Hallynges versùs Cœmiterium muris claudere altis. Cameram Clericorum, lardarium, & coquinam novas fecit; & morabatur ibi per totam æstatem & hiemem usque Festum Purificationis. Nec est prætereundum, quomodo post Festum S. Trinitatis in æstate prædictâ omnes de Roffâ ad deprædandam Ecclesiam Roffensem Cathedralem conspirantes, sub quæsito colore habendi ingressum in Ecclesiam nocte & die ad ministrandum infirmis viaticum; & denegato eis introitu, ostia Ecclesiæ hostiliter in multitudine armatâ invadentes, ostia fregerunt, & per totam noctem usque in crastinum usque ad horam tertiam Monachos inclusos obsidentes; nescio quo pacto tumultus conquievit. Eodem anno die S. Edmundi Confessoris obiit Walterus Archiepiscopus Cant. apud Mortelak; & sepultus est in Ecclesiâ Cant. die Veneris proximâ post Festum S. Katerinæ, cujus sepulturæ affuerunt Wintoniensis & Roffensis Episcopi. Episcopus Roffensis confirmavit Johannem Abbatem de Lyesnes in Festo S. Andreæ. Post Circumcisionem Domini Londoniam adiit: pro appropriatione Ecclesiæ de Burnedish cum Episcopo Norwicensi tractavit, & negotium terminavit. Eodem tempore appropriavit Ecclesiam de Westerham Capitulo Cant. retentâ sibi pensione x. solidorum singulis annis.

Anno ii. regni Regis Edwardi tertii [Christi MCCCXXVIII.] Episcopus die Jovis post Festum Purificationis apud Trottisclyve secedens, ibi sedit per totum annum; & Curiam ejus muris altis circumcinxit, cameram novam pro Episcopo, & alteram pro Clericis ac coquinam fecit. Summa expensarum C. marcæ. In Vigiliâ Nativitatis B. Johannis Bapt. obiit Willelmus Noble carissimus frater Episcopi. In crastino Nativitatis S. Mariæ Symon Archiepiscopus Cant. de Curiâ Romanâ veniens consecratus, & per Roffam transiens, pro fidelitate faciendâ & temporalibus recipiendis ad Regem perrexit. Idem Archiepiscopus & ejus fratres M. Edmundus & Fr. Thomas de Mepham nimiùm sollicitantes pro Clericis & familiâ ad serviendum sibi habendis, quia in toto regno Angliæ idoneum seu sufficientem ad ejus obsequium invenire nescierunt, Angelos & non homines quæsierunt ad hoc opus. Tandem tamen de familiâ nulli alteri convenienti se valavit; quod exitus rei postea probavit. Die octavâ ante Festum Natalis Episcopus Roffensis accepit literas Comitum Kanciæ & Marescalli continentes, quòd omnibus aliis prætermissis Londoniam veniret ad tractandum cum eis & Prælatis super magnis periculis imminentibus Regi & regno; 'eò quòd Rex in multitudine armatorum innumerosâ equitabat, patriam devastando, res & bona Ecclesiæ & 'regni-

'regnicolarum contra Magnam Cartam & juramentum in coronatione ipsi-
'us præstitum diripiendo & capiendo, necnon & fideles suos regni Pares de-
'struendo. Quibus Comitibus Episcopus rescribendo pro infirmitate suâ se excusavit. Archiepiscopus verò Episcopo scripsit, ut illuc veniret & sibi assisteret omni modo; cui misit excusationem similem. De quo Archiepiscopus commotus cœpit dicere: Episcopus Roffensis in quiete se delectat. Ad quem unus de suis placendo dixit. Episcopus Roff. vult esse A. per se, per se solitarius. Quod verbum cùm Episcopo innotuisset, respondit Episcopus. Malo esse A. per se, quàm cum literis aliis, i. e. Prælatis Londoniæ congregatis sillabicari. Mirabatur enim Episcopus, quòd Archiepiscopus in profunditate hyemali Londoniam ire disposuit cum juvenibus ac improvidis ac imperitis super causis coloratis, exquisitis ac Archiepiscopum latentibus, retro Regem conventicula faciendo, tractaturus. In crastino Purificationis B. Mariæ Episcopus Roffensis sepelivit Johannam de Hadlee Priorissam de Heygham; & loco ipsius Matildam de Colcestre Priorissam confirmavit apud Grenewych.

Anno III. regni Edwardi tertii [Christi MCCCXXIX.] per Quadragesimam & æstatem Episcopus visitavit Diocesin Roffensem; & in Vigiliâ novi Festi corporis Christi dedit obviam Regi redeunti de partibus transmarinis; & in ipso Festo missas Regis celebravit, & cum Rege comedit. Rogatus tunc Episcopus, ut ad consilium Regis apud Wyndlesore veniret, illic venire se excusavit; quia difficile, grave ac sumptuosum foret pauperi Episcopo Roffensi Parlamenta Regis & Concilia ubique in regno sequi, nec sufficiunt facultates Episcopatûs ejus id facere, sufficit tamen sibi Londoniam ad Parlamentum venire. Archiepiscopus tunc consilio suo vocato, disposuit provinciam visitare; & aggressus est primò pauperiorem & impotentiorem invadere Episcopum Roffensem, quia eum faciliùs potuit superare; quem ad visitandum recepit die Lunæ proximâ post Festum S. Michaelis cum lxxx. equis per unum diem & noctem. Summa expensarum die visitationis xxiv. libræ. Nulla dona dedit Clericis nec Officialibus. In visitatione, quam Episcopus Roffensis in Diocesi Roffensi exercuit, Johannem de Frendesbury Rectorem Ecclesiæ de Bromlegh privavit propter inobedientiam; & Ecclesiam contulit M. Hugoni de Penebregg, quem tamen Johannes vi extrusit. Idem Johannes misit Capellanum suum cum aliis pluribus apud Roffam; qui cùm ad summum altare Ecclesiæ Cathedralis Roffensis pervenissent, Capellanus faventibus sibi quibusdam de Monachis superpellicio & stolâ indutus, candelam accensam & campanulam in manu tenens, Episcopum nominatim excommunicavit. Quam excommunicationem Episcopus postea per totam Diocesin fecit revocari; & Clericum excommunicantem graviter punivit. Visitante tunc Archiepiscopo Diocesin Roffensem, inhumaniter & durè ac injustè contra Episcopum Roffensem egit, ac malè eum tractavit, expensas multas injuriosas sibi imponendo. Residenti itaque Episcopo apud Hallyng die Jovis ante Festum S. Martini misit Archiepiscopus Clericos suos ad examinandum Episcopum super delatis per Capitulum Roffense in visitatione suâ. Fuerunt enim hæc delata. 'Hamo Dei gratiâ Roffensis Episcopus concedere
'consuevit Rectoribus Ecclesiarum suæ Diocesis literas vagas dispensationis
'pro non residendo. Item non defendit jura & libertates Ecclesiæ suæ. I-
'tem prosterni fecit boscum de Cobehambery & de Stone, &c. Item non
'circuit Episcopatum suum, sicut tenetur, pro officio Episcopali impenden-
'do, sed moratur apud Hallyng & Trottysclyve, & pueros ubique non con-
'firmat. Item rarò prædicat in Diocesi suâ. Item præfecit Priorem Rof-
'fensem, qui nunc est, quamvis eum scivit illegitimum. Item quòd in e-
'lectione Prioris Roff. facit scrutinium cum Clericis suis, nullo Monacho ad-
'juncto. Item quòd Fr. Johannem de Wodestok sibi de incontinentiâ dela-

'tum non correxerit. Item quòd est impatiens, & de facili excandescit in 'homines. Item quòd est inconstans in dictis, promissa non adimplens. 'Item quòd plures Monachos Roffenses deposuit ab officio & incarceravit abs- 'que sufficienti criminum objectorum probatione. Item quòd ponit diver- 'sos Officiarios in Prioratu Roffensi usque ad viginti & ampliùs contra privi- 'legia Ecclesiæ Roff. ubi non debuit ponere nisi quatuor vel quinque. Item 'quòd deputat consanguineos suos & alios ad hujusmodi officia; qui in ipsis 'officiis non ministrant, sed subrogant alios, quibus medietatem stipendio- 'rum debitorum assignant. Item quòd licèt ab antiquo fuisset ordinatum, 'quòd quoties Episcopus Roffensis solemnizaret Festum S. Andreæ in dictâ 'Ecclesia & in aulâ suâ ibidem, perciperet à Capitulo quoddam exenium æsti- 'mationis x. librarum, & non aliter; Episcopus se Festum ibidem solemp- 'nizaturum sæpiùs simulans, exenium recepit, & onus non subiit supra- 'dictum. Item quòd tenementum apud Frakenham tradidit fratri suo in 'feudum pro minimo pretio. Item quòd tradidit Hospitale de Strode sæcu- 'laribus personis gubernandum contra ordinationem factam in fundatione do- 'mûs; ipsique custodes sæculares prædictum Hospitale destruxerunt. Item 'quòd recepit dimidiam marcam argenti pro redditione ratiocinii testamen- 'torum. Super his & aliis Episcopus positus ad rationem, respondendo om- nia facta sua justificavit; & sententialiter diffinitivè ab officio Archiepiscopi dimissus fuit; mediante tamen pecuniâ. Hæc & alia plura Monachi Capi- tuli sui procurârunt; licèt Episcopus multa bona eis fecerit, & benè labora- verit in statu Prioris & Episcopi, Ecclesiam oneribus multis & gravaminibus relevando. Sed non mirum; quia naturale est Monachis Roffensibus & con- suetum Episcopos & Priores suos benemeritos toto nisu prosequi & diffamare, ac si possent à statu suo amovere. Sic enim Thomas de Woldham Thomam de Ingilthorp & Johannem de Bradefeld in visitationibus Archiepiscoporum est prosecutus; & semper necesse est, quòd Episcopi Roffenses habeant bacu- lum paratum ad defendendum contra Monachos.

Anno IV. regni Regis Edwardi tertii [Christi MCCCXXX.] ordinatum fuit, quòd Regina uxor Regis, quia gravida fuit & imprægnata, die Domi- nicâ in Quinquagesimâ coronaretur. Et coronata fuit à Symone Archiepisco- po Cant. Herefordensi & Roffensi Episcopis Letaniam canentibus. Acci- dit paulò post, quòd Archiepiscopus Cant. in Curiâ Romanâ excommunica- tus fuit. Propter quod apud Mortelak multis diebus solitarius residens ab omni labore quievit. In quindenâ post Pascha Prælati & Clerus per Archi- episcopum apud Lamheth vocati fuerunt pro contributione Regi faciendâ; ubi Prælati pro parte Regis procurati omnes, excepto Roffensi Episcopo, ad contribuendum consenserunt. Norwicensis cum Roffensi contendebat pro dissensu. Propter quod Roffensis ad hospitium suum pergens, noluit in crastino ibi venire, nisi fuisset pro eo missum. Sed omnibus expectantibus eum, & ipso Episcopo redeunte, Officialis Cant. qui locum tenebat Archie- piscopi absentis, sic exposuit. Quòd si contingeret D. Papam duas decimas Regi concessisse; quæsivit an Regi ultra concessum esset contribuendum? Respondit Episcopus Roffensis, quòd nullo modo est contribuendum. Cu- jus responsioni totus Clerus convocatus adhærebat; quia consensus omnium & dissensus ab ipso Roffensi dependebat. Parliamentum habitum est mense Novembri. Ab illo Archiepiscopus Cant. propter bajulationem Crucis Ar- chiepiscopi Ebor. se absentans, convocatis Suffraganeis suis quæsivit ab eis, an contra Eboracensem sibi vellent adhærere. Illis omnibus expresse negan- tibus, solus Roffensis sibi adhæsit. Archiepiscopus interrogavit Episcopum Roffensem, quid esset facturus. Episcopus respondit; quòd petitâ licentiâ a Rege, & factâ monitione & comminatione in Parliamento, ne quicquam con- tra statum & jus Ecclesiæ Cant. tractarent vel statuerent, ad partes secederet,

& à Parlamento absentaret. Tunc majores de concilio Archiepiscopi dixerunt, quòd Rex Temporalia Archiepiscopi caperet in manibus suis. Quibus Episcopus. Major honor non posset Archiepiscopo accedere, quàm si pro justitiâ & causâ Ecclesiæ ipsius persecutionem pateretur: adjiciens, quòd multa commoda per hoc sequerentur: viz. quòd tunc haberet bonam causam superfluam & inutilem familiam amovendi, ac subsidium à Clero suo petendi & obtinendi; & quòd per illam viam & non aliam relevabitur. Placuit Archiepiscopo consilium ejus; sed non est secutus illud.

Anno quinto regni Edwardi III. [Christi MCCCXXXI.] in primâ septimanâ Quadragesimæ Episcopus perrexit videre defectus & ruinas ædificiorum Ecclesiæ Roffensis; & inveniens tam in Ecclesiâ quàm in officiis omnibus domos omnes reparatione magnâ indigere, pro domibus reparandis, Refectorio & longo pistrino noviter ædificandis, cc. libras Capitulo tradidit; ultra cccc. marcas, quas eis antea dedit ad ædificia Maneriorum Capituli reparanda & stauro instauranda. Die S. Lucæ proximò sequenti Episcopus Cancellum, quem novum fecerat, & Ecclesiam de Iselham jure proprio dedicavit. In Festo SS. Simonis & Judæ, mortuo jam Rectore de Burnedish; misit Clericos suos cum Procuratore pro inductione Ecclesiarum de Catyngton & de Burnedish habendâ, factâ inductione per Officialem Archidiaconi Suffolc. Visitavit tunc jure proprio Decanatum de Iselham; & in crastino S. Martini cœpit visitare, & in Festo Nativitatis terminavit. Die Sabbati quatuor temporum ad petitionem Monachorum S. Edmundi in Ecclesiâ de Iselham proprio jure ordinario Ordines celebravit. Quo die summo manè quidam M. Herveus Bermere commissionem unam ad celebrandum Ordines ibidem auctoritate Willelmi de Hermine Norwicensis Episcopi Episcopo Roffensi offerens, rogando ut illam admitteret, & ne in præjudicium Domini sui Norwicensis Episcopi Ordines celebraret. Cui Episcopus respondit; quòd jure proprio & non auctoritate Norwicensis Episcopi Ordines celebrare ibidem intendebat. Fuerunt enim superstites in Monasterio & villâ de Bury & in Archidiaconatu Sudburiæ Monachi, Presbyteri & Clerici multi; qui antiquitus à Laurentio, Waltero, Johanne, Thomâ de Ingelthorp & Thomâ de Woldham Episcopis Roffensibus in Ecclesiis de Iselham & Frekenham sacros majores & minores Ordines receperunt. Episcopus Norwicensis pro dictâ Ordinum celebratione plurimùm commotus, *litem illi in Curiâ Cant. movit; sed incassum, productis ab Episcopo Roffensi sententiis eâ de re ab Archiepiscopis Huberto, Bonifacio, & Johanne Pecham in favorem suæ Sedis olim latis.*

Anno VI. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXXXII.] factum est Londoniæ Concilium Regis in Festo S. Hilarii. In quo Concilio Episcopus Roffensis licèt absens, tamen vocatus, si pecuniam effudisset, Regis Thesaurarius fieri potuisset. Sed nullam obtulit; ideo nullum officium obtinuit. *Sequuntur plura alia Episcopi hoc anno gesta, notatu parum digna.*

Anno VII. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXXXIII.] Episcopus Roffensis illo toto Autumno apud Trottisclyve commorans, die Dominicâ prox. post Festum Assumptionis B. Mariæ apud Maghfeld Archiepiscopum Symonem in magnâ tristitiâ sedentem videre perrexit ad consolandum eum & consulendum, quòd per omnes vias satageret à sententiâ qua ligatus erat absolvi. Qui quidem Archiepiscopus cùm respondisset, se parum curare de absolutione; Episcopus Roffensis apud Trottisclive rediit. Die verò Jovis ante Assumptionem B. Mariæ apud Roffam veniens, Johannis de Speldhurst tunc Prioris resignationem officii Prioratûs in scriptis admittens, Johannem de Scapeyâ Doctorem in Theologiâ ad nominationem Capituli modo antiquitus usitato præfecit in Priorem. Modus verò antiquitus talis est; quòd omnes Monachi in Capitulo congregati, & ad hoc specialiter per Episcopum præmuniti, exceptis Monachis in cellâ de Filchestowe qui ad id vocari non

debent, Episcopus vota singulorum singillatim scrutans sic dicendo, *Quem nominas tu in Priorem?* Factoque hujusmodi scrutinio & habitâ collatione cum Clericis de meritis, zelo & numero personarum nominantium per Episcopum, idem Episcopus unum de nominatis, quem suis judicio & reputatione magis idoneum invenerit, assumens, sic nominato administrationem spiritualium & temporalium committit. Et statim ab omnibus Prior sic ad stallum suum ducitur, Episcopo prosequente & dicente benedictionem super installato. Postea Episcopus coram omnibus in Capitulo constitutus omnibus præcipiet, quòd Priori suo obediant. Fuit Prior ille optimis moribus & conditionibus, in scientiâ & literaturâ multipliciter insignitus; quem Episcopus à juventute educaverat, materiam bonam in eo prævidens, & habitu Monachali postea induit; quòd Ecclesiæ proficeret in futurum, spem habuit bonam: quod rei exitus postea approbavit. Die Lunæ ante Nativitatem B. Mariæ Episcopus ad videndum novas domos apud La Place, quas fieri fecerat, est profectus; & sic per Dertford ad videndum fenestram in Cancello Ecclesiæ, quam similiter fecerat fieri; & deinde apud Stone ad ordinandum novam wallam contra Thamisiam. Die verò Lunæ proximâ post Festum S. Matthæi Capitulum Roffense visitavit. Die Martis post Festum S. Paulini in aurorâ Symon Archiepiscopus Cant. apud Maghfeld obiit; quem Episcopus Roffensis die Martis post xiv. dies obitûs sui in Ecclesiâ Cant. sepelivit. Celebravit Festum S. Andreæ Episcopus apud Trottisclive; & exenium S. Andreæ de Monachis Roffensibus toto tempore suo pacificè percepit.

Anno viii. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXXXIV.] Dominicâ mediâ Quadragesimæ Episcopus Roffensis literas Johannis Cant. Archiepiscopi deprecatorias recepit; quòd Pallium sibi directum per Papam ad eum apud Eboracum deportaret. Roffensis tunc Episcopus Pallium apud Trottisclyve per v. septimanas & ampliùs expectavit, & ad eundum se paravit. Tandem Archiepiscopus pro nuncio Regis mare transiens, & in Pontino apud la Garde moram faciens, Episcopo Roffensi iteratò scripsit, quòd ad ipsum cum Pallio festinaret. Recepit Episcopus Roffensis Pallium in Capellâ de Hallyng die Lunæ ante Festum S. Georgii; & mare transiens die Sabbati sequenti, Pallium cum Bullis Papæ Archiepiscopo liberavit in Ecclesiâ villæ de Rue prope la Garde in Pontino; & mox ad partes Angliæ remeavit; cum magno tamen periculo & incommodo propter tempestatem in mari iter peregit. Episcopus æstivavit apud Hallynge; excepto quòd per xii. dies post Exaltationem S. Crucis in Parliamento Regis fuit Londoniæ, & quòd in Intronizatione Johannis Cant. Archiepiscopi die Dominicâ in Festo S. Dionisii præsens fuit.

Forma dandi Pallium Johanni Archiepiscopo Cant. anno MCCCXXXIV. die xxiv. Aprilis.

'Ad honorem Dei omnipotentis & B. Virginis & SS. Petri & Pauli & D. 'Papæ Johannis XXII. & S. R. E. necnon & Cant. Ecclesiæ tibi commissæ, 'tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri sumptum, plenitudinem videlicet 'Pontificalis officii; ut utaris eo infra Ecclesiam tuam certis diebus, qui ex-'primuntur in privilegiis ei ab Apostolicâ Sede concessis.

Item forma Juramenti.

'Ego Johannes Archiepiscopus Cant. ab hac horâ in antea fidelis & obedi-'ens ero B. Petro sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ & Domino meo Jo-'hanni Papæ XXII. suisque successoribus canonicè intrantibus. Non ero in 'consilio aut consensu vel facto, ut vitam vel membrum [perdant] vel capi-'antur malâ captione. Consilium verò, quòd mihi crediturì sint per se aut

'nuncios

'nuncios seu per literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Pa-
'patum Romanum & regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum & defen-
'dendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ
'Sedis in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adju-
'vabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonicâ præpe-
'ditione. Apostolorum limina singulis trienniis visitabo aut per me aut per
'meum nuncium, nisi Apostolicâ absolvar licentiâ. Possessiones verò ad mei
'Archiepiscopatûs mensam pertinentes non vendam neque donabo neque im-
'pignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, inconsulto Ro-
'mano Pontifice. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

Anno ix. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXXXV.] Episcopus Roffensis integrum ferè annum in litigando adversùs Episcopum Norwicensem in Curiâ Cant. insumpsit.

Anno x. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXXXVI.] Episcopus Norwic. ad Parlamentum Regis, licèt graviter infirmus, spe tamen officium in Curiâ Regis obtinendi veniens, ut dicebatur, die Mercurii proximo post Festum Annuntiationis B. Mariæ ex hac vitâ inopinatè est subtractus: cujus animæ remittat Deus injuriam quam Ecclesiæ Roffensi fecit. Asserunt tamen quidam ipsius Secretarii, quòd ante mortem suam totum processum, quem in Curiâ contra Roffensem fecerat, per literas suas patentes revocavit. Die Veneris in crastino S. Jacobi Episcopus apud Roffam fuit invitatus ad ponendum fundamentum novi Refectorii; pro cujus fundatione & facturâ & aliorum ædificiorum licèt aliàs Priori mille marcas tradidisset, nunc tamen specialiter ad inchoandum novum Refectorium Priori & Conventui tradidit c. marcas; alioquin inchoatum non fuisset. Die verò Lunæ in crastino Nativitatis B. Mariæ Capitulum visitavit. In quâ visitatione J. de Hwytefeld Monachus Roffensis istud Thema proposuit, * *Fratres tuos visitabis:* quod quidem thema sic est prosecutus. 'Dominus Episcopus istud Capitulum habet visitare ut fratres, '& non ut alios subditos; quia per ipsos est creatus & promotus; & si non 'fuisset Monachus, Episcopus non fuisset. Et adjecit: Non potest Domi-'nus Episcopus dicere Capitulo suo, sicut dixit Johannes Norwicensis Epis-'copus Capitulo suo, viz. † *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*; quia Fra-'tres nostri de Capitulo elegerunt eum. Hoc verò modo coram Conventu, Clericis & Laicis multis ibi congregatis ad vituperium Episcopi sermonem suum continuavit totum. Et fortè non sine causâ; quia in Infirmitorio à Fratribus pro unâ lagenâ vini ad sic dicendum fuit conductus. Finito sermone, Episcopus verba sequentia Thematis sic est prosecutus. 'Filius noster hic 'thema assumpsit, *Fratres tuos visitabis.* Sed ubi omisit, nos incipimus; *& 'cum quibus ordinati sunt disce.* In quibus verbis astruxit, quòd visitandi 'sunt ut filii; & non ut fratres, & ut discipuli & non ut magistri. Et ad hoc 'quod dixit, quòd per eos extitit promotus, respondit Episcopus; quòd quan-'tum studuerunt uno die in eligendo promovere, tantum & decies plus falsò '& malitiosè laboraverunt & viribus totis institerunt ad dejiciendum jam pro-'motum; & sic quicquid meruerunt in electione, demeruerunt; quoniam il-'lum quantum in eis fuit dejecisse voluissent si prævaluissent. Et finiendo sermonem suum respondit Episcopus; quòd in nullo Monachis tenebatur. Orta est tunc dissensio inter Episcopum & Priorem; eò quòd Prior ex confidentiâ quorundam magnorum Episcopum & quosdam de suis parvi-pendebat & gravari clam procurabat, de tempore præterito parum cogitans. Hoc tamen fecit ut juvenis de meritis suis & virtutibus se extollens, & insufficientiam Episcopi fortè parvi-pendens. Sed qualitercunque inter Episcopum & Priorem stet lingua bilancis, valeat tamen semper Ecclesia Roffensis. Tunc verò

* 1 Reg. xvii. 8.

† Johan. xv. 16.

Epis-

Episcopus Diocesin totam visitavit; & in Vigiliâ S. Michaelis rediit apud Hallynge. Die Lunæ in quindenâ S. Hilarii apud Westmonasterium Comes Cornubiæ frater Regis est sepultus. Johannes Cant. Missam celebravit, Henricus Lincoln. Evangelium, & Thomas Hereford. Episcopi Epistolam cum mitris indutis legerunt; quod nunquam antea visum fuit, nisi in Ecclesiâ Lugdunensi, ubi omnes Canonici portant mitras super capita; & ideo qui in novitatibus semper delectantur, novo semper sensu abundant, & non veterascunt.

Anno xi. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXXXVII.] inter Episcopum & Priorem de serviantiis redimendis multoties extitit tactum. Unde factum est, quòd Prior pro licentiâ Regis habendâ lxxx. libras diversis obtulit, & promisit de bursâ Episcopi solvendas inscio Episcopo. Quod cùm Episcopus intellexisset, pecuniam quam habuit apud Roffam fecit alibi deportari. Attraxerat enim ea pecunia corda quorundam ad machinandum mirabilia. Sed amotâ illâ pecuniâ pro parte cessavit illa machinatio. Episcopus grangias de Brumheye, Frendesbury & Denyton, necnon & domos Manerii de Stone cum domo vaccarum apud Hallyng, in magnis sumptibus fecit reparare; similiter apud Middilton unam novam grangiam, & apud Frekenham molendinum novum ventricium fieri fecit. Die Veneris ante Translationem B. Thomæ Martyris fuit Episcopus Cantuariæ, & Ecclesiam Cathedralem reconciliavit: & iterum erat Cantuariæ in Festo S. Andreæ pro consecratione Episcopi Cicestrensis.

Anno xii. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXXXVIII.] Episcopus Roffensis die Dominicâ proximâ post Festum Translationis B. Thomæ in Capellâ Archiepiscopi apud Lamhethe præsens fuit cum aliis Episcopis in consecratione Episcopi London. quem Episcopus Cicestrensis Vicarius Archiepiscopi in remotis agentis consecravit.

Anno xiii. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXXXIX.] Episcopus misit sex homines ad arma cum equis coopertis ad defendendam costeram Cantiæ adversùs insultus Gallicarum Navium.

Anno xiv. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXL.] Episcopus misit octo homines armatos suis sumptibus apud Sandwycum ad conducendum Regem ultra mare. Ipse autem apud Hallynge & Trottisclive moram fecit; & in Festo S. Andreæ exenium S. Andreæ, quod Gundulphus ordinavit, integrè percepit. Interfuit etiam Cantuariæ in consecrationibus Episcopi Wigorn. in Dòminicâ Palmarum sumptibus ipsius Episcopi Wigorn. & Episcopi London. mediocriter procuratus secundâ Dominicâ Quadragesimæ. Qui quidem Episcopus London. cùm moram traheret in hospitio ipsius Episcopi Roffensis apud La Place ad requisitionem Domini Cant. Archiepiscopi avunculi ipsius Episcopi London. camera illic incendebatur. In Vigiliâ S. Andreæ Episcopus Roffensis Monasterium de Liesnes visitavit. Rex circa Festum S. Hilarii vocavit Archiepiscopum Cant. in Ecclesiâ suâ Cant. commorantem ad Concilium suum Londoniæ tentum. Qui venire se excusans propter pericula quæ metuebat, asserens se libenter velle ad Parliamentum Regis sed non ad Consilia venire. Nam animus Regis ab Archiepiscopo & benevolentia totaliter fuit subtracta.

Anno xv. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXLI.] Abbas de Liesnes, cùm per Episcopum suum repertus fuisset inobediens, incorrigibilis & rebellis, necnon super criminibus multis convictus, bona Conventûs decoquens, adeò quòd Canonici sui nec victum nec vestitum haberent; jure cogente à statu suo est privatus. Qui sic privatus appellavit, Romam petiit, & languens ibi diu expectavit. Episcopus Roffensis cum suis tenentibus solvit Regi pro suâ decimâ lanâ in Cantiâ xii. libras & semissem.

Anno

Anno xvi. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXLII.] Episcopus apud Trottisclyve per totum annum residens, Refectorium, Dormitorium & alios defectus in Ecclesiâ sumptibus suis pro majori parte fecit reparare.

Anno xvii. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXLII.] Episcopus Roffensis in crastino Festi Corporis Christi Capitulum visitavit. Et sic inde discedens, Monasterium Monialium de Hegham similiter visitans, & deinde per Hoo parvulos confirmando transiens, apud Hallynge repedavit; ibique tunc die Veneris ante Festum S. Johannis Bapt. Abbati de Liesnes cvi. libras, xiii. sol. solvit pro quodam annuo redditu vi. marcarum, vi. sol. viii. den. uni Presbytero celebranti in Ecclesiâ Roffensi annuatim in perpetuum solvendo ab eisdem Abbate & Conventu de Liesnes.

Anno xviii. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXLIII. Episcopus Campanile novum Ecclesiæ Roffensis petris atque lignis altiùs fecit levare & illud plumbo cooperire, necnon & quatuor campanas novas in eodem ponere, quarum nomina sunt hæc, Dunstanus, Paulinus, Itamarus, atque Lanfrancus. Volens Rex amicitiam & potentiam contra Regem Franciæ sibi ampliare, misit Priorem Roffensem & D. Willelmum Trussell ad Regem Castelli in Hispaniâ in civitate Burgensi tunc existentem pro maritagio filii Regis Castelli & hæredis sui & filiæ Regis Angliæ. Qui Prior & Willelmus nuncium gratis accipientes, illud fœliciter & discretè perfecerunt.

Anno xix. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXLIV.] Episcopus circa Festum S. Michaelis feretra SS. Paulini & Ythamari de marmore & alabastro fecit renovare; pro qua quidem renovatione CC. marcas dedit.

Anno xxiii. regni Regis Edwardi III. [Christi MCCCXLVIII.] obiit Johannes de Stratford Archiepiscopus Cant. apud Maghfeld, dux Regis & ejus Consiliarius principalis in vitâ suâ; & ideo post mortem ipsius pro mercede suâ omnia ejus bona confiscantur, possessiones & prædia destruuntur. Toto hoc tempore Episcopus Roffensis moram fecit apud Hallynges & Trottisclive, sollicitus de mirabilibus mundi; & Ordines celebravit in utroque loco certis interstitiis temporum. Eodem anno pestis antea inaudita in Angliâ desæviebat. Episcopus Roffensis de modicâ familiâ suâ iv. Sacerdotes, v. Scutiferos, x. homines de ministerio, vii. Clericos juvenes, & vi. pagetos perdidit; & sic non remansit in aliquo officio qui sibi serviret. Apud Mallinges fecit duas Abbatissas; & mox obierunt. Nec remanserunt ibidem nisi iv. Professæ & quatuor non professæ Moniales; de quibus Episcopus uni spiritualia alteri temporalia custodienda commisit, quia non inveniebatur sufficiens persona ad officium Abbatissæ. In hac pestilentiâ plures Capellani & stipendiarii Curati noluerunt sine excessivo salario deservire. Hos Episcopus Roffensis dato ad Archidiaconum Roff. mandato anno MCCCXLIX. die xxvii. Junii, sub pœnâ suspensionis & interdicti jussit eisdem stipendiis deservire. Plures etiam Clerici beneficiati, numero Parochianorum per pestem adeò diminuto, ut de reliquis oblationibus vivere non possent, beneficia sua deserverunt. Hos Episcopus mandavit Parochias suas repetere; & Rectoribus seu Vicariis Beneficiorum exilium, quorum proventus annui ad verum valorem x. marcarum se non extendunt, licentiam dedit annuatim unum Annuale vel alium Missarum numerum, pro quibus æqualia debeantur stipendia, à suis Parochianis vel alienis undequaque recipere, hujusmodi exilitate proventuum durante.

Post mortem Archiepiscopi Papa ad preces Domini Regis M. Johanni de Offord ejus Cancellario Archiepiscopatum dedit, viro debili & paralitico; qui pecuniam magnam undique mutuans ad magnam summam, inutiliter Papam eam exeniavit & presentavit, & totam perdidit; quia non multùm post vixit, sed die Ascensionis Domini obiit, & in Ecclesiâ Cant. est occultè

sepultus,

ſepultus, electus non conſecratus; & ſic multos creditores depauperando deſtruxit. Nam his temporibus in foro venalium majora Beneficia & pinguia ſunt cara; quòd vix vel nunquam emptores beneficiorum lucrum inde poſſint reportare, ſed omni eorum tempore langueant indigendo. Sicuti noſtris temporibus plures vidimus beneficiatos eſſe ſemper atque vivere in egeſtate & angariâ. De quibus Fr. Thomas de * London de Ordine Prædicatorum Epiſcopus Elienſis unus fuit, & multi alii quorum non eſt numerus. Et nichilominus non obſtante tantâ cariſtiâ ſemper emptores inveniuntur ad confuſionem Eccleſiæ & deſtructionem. Per idem tempus Capitulum Cant. M. Thomam Bradewardyn de Condennâ Roffenſis Dioceſeos oriundum, quem mox poſt mortem Archiepiſcopi elegerant, ſecundò nunc elegerunt; & priuſquam electio ad Papam pervenit, Papa M. Thomæ more ſolito dedit Archiepiſcopatum Cant. malens grates habere ipſemet quàm eligentes. Sed poſt collationem ſuam Dominus Rex pro Electo ſcripſit, qui aliàs eum impedivit. Sed quòd dolendum eſt dicere, Archiepiſcopatus ita eſt deſtructus per tot vacationes & malam cuſtodiam atque per ſolutiones factas Curiæ Romanæ; quòd diebus noſtris non creditur poſſe reparari. A diebus B. Thomæ non eſt viſum vel auditum, quòd Eccleſia Cant. in rebus & poſſeſſionibus necnon & in oneribus inſolitis, ut diebus iſtis exiſtit, depauperata extiterit & deſtructa. Igitur M. Thoma de Curiâ Romanâ revertente conſecrato, versùs Londoniam feſtinavit, & in Hoſpitio Epiſcopi Roffenſis apud La Place per quatuor dies infirmus pauſans obiit. Tunc mox Capitulum Cant. M. Simonem de Iſlepe Clericum Regis elegit; & ad preces Regis Papa miſit ſibi in Angliâ Bullas confirmationis & conſecrationis cum onere conſueto. Qui in Eccleſiâ S. Pauli London. ab Epiſcopis London. Winton. & Wigorn. eſt conſecratus. Unde Monachi Cantuarienſis indignati, offenſi & murmurantes pœnituerunt de facto ſuo. Archiepiſcopus verò Archiepiſcopatum ſuum rebus omnibus & poſſeſſionibus ſpoliatum & deſtructum inveniens & denudatum, quò ſe verteret ignorabat.

*I. Lyld.

Anno xxiv. regni Regis Edwardi III. [Chriſti MCCCXLIX.] per totum illum annum Epiſcopus Roffenſis ſenex & decrepitus apud Trottiſclyve morabatur, languens & dolens de ſubitâ mutatione ſæculi; quia in omnibus Maneriis Epiſcopatûs ædificia & clauſuræ corruebant, & vix Maneria illo anno de centum libris reſpondebant. Præterea in Monaſterio Roffenſi tanta fuit victualium inopia, quòd Monachi ad triturandum panem ſuum ſunt coacti. Prior tamen omnibus bonis abundabat. Sed quia Prior Roffenſis per quoſdam Gallicos viz. Comitem de Ew & Camerarium de Kambrevile, qui apud Cam in Normanniâ capti erant & in Angliam ducti, gratiam & amicitiam Papæ & Regis Franciæ adeò adquiſierat; quòd parum de ſuâ curâ & officio curabat, immò veriùs parvi-pendebat ſtatum ſuum. Et tamen (*e*) Epiſcopus Roffenſis in tempore illo Epiſcopatum in manus Papæ ad opus ipſius Prioris reſignaverat. Et Rex Priorem Papæ honorabiliter & ſufficienter ſcribendo commendavit; ſed ipſe Prior tantum confidebat de amicitiâ ſupra-

(*e*) Papa reſignationem Hamonis minimè ratam habuiſſe videtur. Hamo enim Epiſcopatum tenuit uſque ad obitum, qui contigit 1352. 4. Maii; ſi Obituario Cant. credendum ſit. De anno quidem neutiquam ambigendum. Dies autem dubio non caret. In Regiſtro enim *Iſlip* Temporalia Epiſcopatûs poſt Hamonis mortem in Archiepiſcopi manus 1352. 29. Nov. Spiritualia die 7. Decembr. accepta leguntur. Sedem tamen die 22. Octobris præcedentis vacaſſe conſtat; ut mirum ſit Temporalia Archiepiſcopo tamdiu intacta fuiſſe.

dictâ;

dictâ; quòd statum Episcopalem necnon & Prioratûs Roffensis pro nichilo reputans, propriæ voluntati & prudentiæ inhærendo, omnium amicorum ipsius & aliorum audientium obloquium & vituperium incurrebat. Episcopus Roffensis Abbatias & Monasteria de Liesnes & Mallyng visitans, invenit ea ita destructa per malam diutinam custodiam; quòd durante isto sæculo usque ad diem judicii creditur ea non posse reparari. Dominicâ primâ mensis Augusti Archiepiscopus Cant. Symon de Yslepe Ecclesiam suam intrans, festum tenuit in Refectorio Monachorum ad vitanda solita excessiva & superflua communia, quæ Deo odiosa sunt, & quorum memoria cum sonitu perit, & facientes ea pro magno tempore depauperat. Nam festa intronizationum & consecrationum Episcoporum & incœptionum Clericorum in Universitatibus plùs ad ostentationem, jactantiam & pompam fiunt quàm ad honorem.

SUCCESSIO Episcoporum Roffensium

Ab anno MCCCLII. ad Reformationem.

JOHANNES DE SHEPEY.

Will. Dene in fine.

HAymo Episcopus munus abdicare anno 1349. in animo habuit. Successor illi Regis favore & Monachorum votis designatus est Johannes de Schepey, S. T. P. Prior Roffensis Ecclesiæ; qui meritorum & amicorum fiduciâ ad altiorem dignitatem aspirans, apud Papam effecisse videtur, ne Hamonis resignatio rata haberetur. Episcopatum igitur invitus Hamo usque ad obitum tenuit. Isto demum defuncto anno 1352. Monachi licentiâ eligendi ab Archiepiscopo die 27. Decembr. acceptâ, Johannem Priorem suum ad Episcopatum rite elegerunt. Eundem antea Papa solito provisionis titulo sedi Roffensi præfecerat, Bullâ 1352. 22. Octobr. datâ. Consecratus sub initium anni 1353. temporalia & spiritualia Episcopatus sui à Roberto Priore Cant. Archiepiscopi tunc in transmarinis agentis Vicario, accepit 1353. 28. Februarii. Summus regni Thesaurarius anno 1356. constitutus, id muneris adhuc anno 1358. administravit. Obiit anno 1360. 19. Octobr. in manerio suo vocato *La Place* juxta Lametham.

Registr. Islip. — Pat. 30. E. 3. par. 3. m. 10. — Walsingham p. 173. — Registr. Islip.

WILLELMUS WITLESEY.

Registr. Islip.

Monachi Roffenses licentiâ eligendi ab Archiepiscopo acceptâ 1360. 23. Octobr. Willelmum Witlesey Archidiaconum Huntindoniensem, & Archiepiscopi Cant. in Spiritualibus Vicarium, Episcopum elegerunt. Electum Innocentius Papa jure provisionis confirmavit 1361. 31. Julii. Spiritualia Episcopatûs sui Willelmus ab Archiepiscopo accepit 1361. 28. Nov. Temporalia, interposito priùs de fide Sedi Cant. præstandâ juramento, die 25. Decembr. Consecratus est anno sequenti die 6. Februarii; Wigorniam translatus 1363.

Birchington p. 45.

THOMAS TRILLECK.

Registr. Islip.

Thomas Trilleck, in Jure Licentiatus, Canonicus Wellensis admissus 1329. 20. April. postea Decanus Ecclesiæ S. Pauli London, ad Episcopatum Roffensem (priùs electus à Monachis) provisus est ab Urbano Papâ 1364. 6. Martii. Spiritualia ab Archiepiscopo recepit 1364. 23. Julii, temporalia 26. Decemb. consecratus demum apud Lametham 1365. 5. Januar. Sic enim Birchintoni locum emendandum sentio. Obiit anno 1372. circa Natale Domini.

Birchington p. 45. Continuatio Higdeni.

THOMAS DE BRYNTON.

Id. — Registr. Witlesey.

Post Trillegi obitum Monachi licentiâ eligendi ab Archiepiscopo datâ 1372. 27. Dec. Priorem suum Johannem de Hertley in Episcopum elegerunt. Electum Gregorius Papa rejecit; & loco ejus Episcopatum Thomæ de Brynton jure

jure provisionis contulit 1373. 31. Jan. Is Decretorum Doctor, & Ecclesiæ Norwicensis Monachus, cùm perlustratis Angliæ gymnasiis Romam adveniret, non vulgaris eruditionis famâ Papæ gratiam nactus, summus ab ipso Romanæ Sedis Pœnitentiarius renunciatus fuerat. Episcopus Roffensis creatus, Spiritualia Sedis suæ ab Archiepiscopo accepit 1373. 20. Martii, temporalia ab eodem 8. April. Postea Ricardo II. Regi à Confessionibus admotus, obiit anno 1389. Bromtonum vocat Monachus Eveshamensis, Higdeni Continuator; qui plura de illo habet.

Bale Cent. 12. cap. 12.

Walsingham p. 336.

WILLELMUS DE BOTLESHAM.

Rejecto Johanne Barnet, quem Monachi elegerunt, Urbanus vi. Papa Episcopatum Willelmo de Botlesham, Ordinis Prædicatorum, Episcopo Landavensi donavit 1389. 27. Aug. Istum enim jamdiu charum habuerat; *quia secum permanserat in persecutionibus suis tempore quo apud Luceriam fuit obsessus:* ut verbis utar Walsinghami, qui eundem Johannem minùs rectè appellat. Translatus à Papâ ad Sedem Roffensem, spiritualia & temporalia ab Archiepiscopo Cant. juramento fidelitatis præmisso, apud Lametham 1389. diebus 14, & 15. Decembr. recepit. Obiit anno 1400. mense Februario. Mors enim ejus Archiepiscopo nunciata est 1400. 26. Febr.

Registr. Courtney.

P. 337.

Registr. Arundell.

JOHANNES DE BOTLESHAM.

Johannes de Botlesham, Juris Licentiatus, medio anno 1398. Vicarius erat Generalis Archiepiscopi Ebor. Postea in familiam Archiepiscopi Cant. ascitus, Episcopatum Roffensem anno 1400. adeptus est, consecratus à Thomâ Archiepiscopo in Ecclesiâ Cant. die 4. Julii. Testamentum condidit 1404. 15. April. & ante 24. diem Aprilis obiit.

Registr. Scrope

Registr. Arundell.

RICARDUS YONG.

Ricardus Yong, Episcopus Bangorensis, provisus erat ad Episcopatum Roffensem à Bonifacio Papâ 1404. 28. Julii. Papâ autem post bimestre tempus defuncto, translatio nondum completa authoritate caruit. Provisionem quidem ratam habuit Innocentius Bonifacii successor; verùm Ricardus penès Angliæ hostes (Wallos rebelles puto) in captivitate detentus, novam Sedem adire non potuit; & procuratores ipsius admittere Archiepiscopus recusavit. Ut Sedes enim diu vacaret, maximè interfuit Archiepiscopo; cui pro more redditus ejus durante vacatione cesserunt. Hominis misertus Innocentius Papa literis ad Archiepiscopum datis 1406. 22. April. illum per procuratores admitti jubet. Rescribit Archiepiscopus se non abnuere, Bullas autem translationis sibi nondum à Ricardo transmissas. Inter hæc moritur Innocentius; succedit Gregorius XII. qui translationem Ricardi 1406. 11. Novembr. confirmavit. Tandem igitur aliquando Ricardus temporalia & spiritualia Sedis Roff. ab Archiepiscopo obtinuit; factâ professione apud Lametham 1407. 2. Maii. Anni tamen translationis illius in scriptis publicis à Bonifacii bullâ editâ numerantur. Testamentum condidit 1418. 17. Oct. & ante decem dies exactos obiit.

Registr. Arundell.

Registr. Chichley.

JOHANNES KEMP.

Johannes Kemp, L. D. Archidiaconus Dunelmensis, electus à Monachis Roffensibus 1419. mense Januario, provisus est à Martino Papâ die 26. Junii, admissus ab Archiepiscopo ad temporalia pariter ac spiritualia die 9. Sept. eodem

Id.

dem circiter tempore consecratus. Natus is fuerat in parochiâ S. Gregorii de Wye Dioc. Cant. ubi postea collegium Sacerdotum fundavit ad latus occidentale Cœmiterii Ecclesiæ, titulo Collegii SS. Gregorii & Martini de Wye; primumque illis præpositum Ricardum Ewan constituit 1448. 14. Jan. Cicestriam translatus est 1421. 28. Febr.

Registr. Kemp. Ebor.

Registr. Chichley.

JOHANNES LANGDON.

Registr. Chichley.

Reg. Molash.

Tho. Cawston Hist. de Monachis Cant.

Cent. 7. cap. 68.

Obit. Cant.

Translato Cicestriam Johanne, electus est à Monachis Thomas Spofford Abbas Cœnobii S. Mariæ Ebor. quem ante consecrationem susceptam Papa Herefordiam transtulit 1421. 17. Nov. eodemque die ad Episcopatum Roffensem provisionis titulo evexit Johannem Langdon. Monachus is in Ecclesiâ Christi Cant. anno 1398. admissus, S. T. B. 1400. creatus, summâ eruditionis laude enituit; & inter alia ingenii monumenta in lucem edita, scripsit Chronicon de rebus Angliæ, quod Thomas Rudburnus in Præfatione ad *Historiam Minorem* laudat. Doctorem Theologiæ apud Oxoniam creatum fuisse Balens asserit; & ni me multum fallit memoria, illum Collegii Cantuariensis apud Oxoniam, Monachorum Cant. eo tempore proprii, Custodem fuisse, quando Roffensis Episcopus constitutus est, in Registro Cant. deprehendi. Certè Subprior Monachorum Ecclesiæ Cant. antea fuerat & in Synodi Londinensis anno 1411. sessione primâ concionem habuit. Consecratus est Cantuariæ ab Henrico Archiepiscopo 1422. Dominicâ S. Trinitatis. Missus ad Concilium Basileense ineunte anno 1434. obiit ibidem ante exitum anni die 30. Septembr. Corpus in Angliam reportatum Londini sepultum fuisse Baleus docet.

THOMAS BROUNS.

Registr. Chichley.

Thomas Brouns, aliis Brown, utriusque Juris Doctor, Decanus Ecclesiæ Sarum, & per plures annos Archiepiscopi Cant. in spiritualibus Vicarius, consecratus est in Episcopum Roffensem ab Henrico Archiepiscopo apud Cantuariam 1435. 1. Maii; & sequenti die tam spiritualia quàm temporalia sedis suæ ab eodem restituta accepit. Ad Concilium Basileense ablegatus; ut decessoris vices inibi suppleret, dum rebus in Concilio gerendis operam navaret, Episcopus Norwicensis renunciatus est bullâ Eugenii Papæ datâ 1436. 19. Septembr.

WILLELMUS WELLS.

Registr. Stafford & Chichley.

Bekinton. epist. f. 134.

Thomæ Spofford ad Episcopatum Roffensem electo successit in Abbatiâ S. Mariæ Ebor. Willelmus Wells; idemque Thomæ Brouns Episcopi ad Norwicum translati locum excepit, consecratus anno 1436. Dominicâ in Ramis Palmarum. Anno 1440. ad Papam & Imperatorem à Rege legatus est. Testamentum condidit 1444. 7. Febr. quod post obitum ipsius in Curiâ Archiepiscopali probatum est die 14. Maii sequentis. Obitum die 2. Martii intermedii contigisse Godwinus scribit. Undenam id hauserit, incertum. Falsum autem esse constat ex Registro *Stafford.* Anno enim 1444. 26. Febr. Archiepiscopus Robertum East receptorem omnium temporalium proventuum Ecclesiæ Roff. vacantis constituit; & die 3. Martii Monachi Roff. licentiam eligendi Episcopum ab Archiepiscopo postulârunt, die sequenti concessam.

JOHANNES LOWE.

Bale Cent. 7. cap. 91.

Johannes Lowe, è Comitatu Wigorniensi oriundus, in Collegio Wigorniensi Fratrum Eremitarum S. Augusti à teneris annis educatus, literarum & pro-

provectioris ingenii famâ Doctoratûs gradum adeptus, Prior Cœnobii Augustiniani apud Londinum, & demum Ordinis sui Provincialis constitutus est. Instructissimam libris undique conquisitis in Conventu suo Londinensi bibliothecam posuit; plures & ipse libros elucubravit. Tandem Episcopus Asaphensis, & ex Asaphensi Roffensis evasit, translatus ab Eugenio Papâ 1444. 22. April. spiritualia & temporalia à Johanne Cant. Archiepiscopo accepit die 14. Junii sequentis. Obiit anno 1467. in Ecclesiâ Roffensi sepultus. Regist. Stafford.

THOMAS ROTHERAM.

Thomas Scot, Rotheram à loco natali dictus, successit. Is licentiam consecrationis extra Ecclesiam Cant. suscipiendæ obtinuit 1468. 27. Martii, Lincolniam translatus anno 1471. Registr. Cant.

JOHANNES ALCOCK.

Johannes Alcocke, Decanus Capellæ Regiæ S. Stephani apud Westmonasterium, Custos Rotulorum constitutus est 1462. 29. April. Anno 1472. Episcopatum Roffensem adeptus est, indultâ ei licentiâ consecrationis extra Ecclesiam Cant. suscipiendæ 1472. 13. Martii. Anno sequenti die 20. Sept. Magni Sigilli custodiam accepit. Wigorniam translatus est anno 1476. Registr. Cant.

JOHANNES RUSSELL.

Johannes Russel, ab anno 1472. Archidiaconus Berkesiensis, ad Episcopatum Roffensem promotus, licentiam consecrationis extra Ecclesiam Cant suscipiendæ tulit 1476. 20. Septembris. Edwardi Principis pueritiæ regendæ admotus, Lincolniam translatus est anno 1480. Registr. Well. & Cant.

EDMUNDUS AUDLEY.

Edmundus Audley, Artium Magister, Canonicus Wellensis admissus 1475. 27. Oct. Eboracensis 1478. 29. Oct. Roffensis Episcopus anno 1480. renunciatus, licentiam consecrationis extra Ecclesiam Cant. suscipiendæ obtinuit die 18. Septembr. Herefordiam translatus est medio anno 1492. Registr. Well. Ebor. Cant.

THOMAS SAVAGE.

Thomas Savage, L. D. Canonicus Ebor. admissus 1451. 25. Jun. postea Decanus Capellæ Regiæ Westmonasteriensis factus; ad Episcopatum Roffensem evectus, licentiam consecrationis extra Ecclesiam Cant. suscipiendæ à Conventu Cant. impetravit 1493. 13. April. Provisus antea fuerat ab Alexandro Papâ 1492. 3. Dec. Londinum demum translatus est sub exitum anni 1496. Registr. Ebor. Cant. & Morton.

RICARDUS FITZ-JAMES.

Ricardus Fitz-James, S. T. P. Vicarius de Mynhead in agro Somersetensi, Canonicus Wellensis admissus 1475. 4. Martii, Custos Collegii Mertonensis apud Oxoniam à Thomâ Archiepiscopo Cant. constitutus 1483. 20. Martii, Episcopus Roffensis creatus, licentiam consecrationis extra Ecclesiam Cant. suscipiendæ obtinuit 1497. 17. Maii. Ciceſtriam translatus est ineunte anno 1504. Post translationem enim completam Spiritualia Episcopatûs in Archiepiscopi manus accepta sunt 1504. 20. Febr. Registr. Well. Bourchier, Cant. & Warham.

JOHAN-

JOHANNES FISHER.

Geo. Lilius in Vitâ ejus.

Johannes Fisher, honestis parentibus apud Beverlacum in agro Eboracensi natus anno 1459. post prima literarum elementa in Scholâ Ecclesiæ Collegiatæ Beverlacensis hausta, Cantabrigiam missus, altiorum disciplinarum studio in Aulâ S. Michaelis fœliciter incubuit, Artium Magister anno 1491. S. Theologiæ Doctor 1501. creatus; brevi post Willelmo Melton præceptori suo ad Cancellariatum Eboracensis Ecclesiæ translato in Præfecturâ Aulæ dictæ successit; & supremum Academiæ magistratum anno 1501. atque iterum 1504. gessit. Crebrescente raræ eruditionis famâ, Margaretæ Comitissæ Richmundanæ à sacris est adscitus; ipsique author erat, ut in literarum & pietatis incrementum duo magnifica Collegia, alterum Christo, alterum D. Johanni Evangelistæ sacrum, apud Cantabrigiam fundaret & amplissimis redditibus dotaret: annua quinetiam stipendia Theologiæ Prælectori in utraque Academiâ in perpetuum solvenda assignaret. Anno 1504. Episcopus Roffensis à Rege designatus, à Julio Papâ confirmatus est editâ Provisionis bullâ die 14. Octobris. Præsul certè optimus, & nullis non laudibus dignus, seu eruditionem spectes, quæ longè supra vulgus Theologorum posita est; seu vitæ sanctitatem, qua ad Apostolici temporis Episcopos propiùs accessit. Nec minori curâ Cancellarii sibi ab Academiâ Cantabrigiensi demandatum quàm Episcopi munus obiit; reformatis Academicorum moribus, sublevatâ paupertate, studiis provectis. Cui dum officio sedulus incumberet, Collegii Reginalis Præfecturam sibimet à Sociis anno 1505. delatam non aspernatus, triennio administravit. Collegium insuper D. Johannis, quod Margareta Comitissa anno 1513. defuncta imperfectum reliquerat, curâ totius operis ipsi demandatâ, fœliciter consummavit; & præter edita in Collegii usum statuta saluberrima, fundis & redditibus non contemnendis de suo auxit: ut bibliothecam suo tempore instructissimam mittam eidem donatam, sed aliorum injuriâ subreptam, & consilium de tertio Collegio apud Cantabrigiam propriis sumptibus construendo initum. Anno 1512. Concilio Lateranensi, à reliquis Angliæ Præsulibus legatus, interfuit. Anno 1529. divortium matrimonii inter Henricum Regem & Caturinam Reginam olim initi acriter oppugnavit; tanto quidem partium studio abreptus; ut errorem viro erudito indignum passus, fidem & favorem adhibuerit deliris somniis Elizabethæ Barton Sanctimonialis Cantianæ; quæ revelationem cœlitus datam ementita, iniquos adversùs Regis divortium rumores in vulgus sparsit. Hujus præstigiis patrocinium dedisse Episcopus ineunte anno 1534. convictus, carceris pœnam & bonorum omnium confiscationem meruisse adjudicatus est. Libertatem autem simul ac bona redemit, datâ Regi ter mille librarum summâ, quæ integros unius anni proventus ex Episcopatu Roffensi prodeuntes valere eo tempore censebatur. (si Authori Vitæ ejus fides sit habenda.) Eodem circiter tempore lata fuerat Lex in Comitiis regni publicis, Regis & Annæ Bolenæ conjugium confirmans, regnique successionem proli regiæ ex illâ suscipiendæ annectens, additâ juramenti formulâ, quod ejusce gratiâ à Magnatibus regni præstari deberet. Id Fisherus præstare nolens, in carcerem datus est 1534. 21. April. Sententia in ipsum lata in sequentibus regni Comitiis anno eodem exeunte habitis confirmata fuit; decretumque est Episcopatum Roffensem à die 2. Januarii sequentis vacaturum. Nullus tamen ipso vivente Episcopatum vacantem accepit. In eodem Parlamento lege publicâ sancitum fuerat, omnes suprematum regium oppugnantes vel abnegantes læsæ majestatis crimine deinceps teneri. Suprematui regio Episcopus & olim palam obnitebatur, & nuper in privatis colloquiis obnixus dicebatur; vix tamen capitis discrimen adiisset, nisi Paulus III. Papa intempestivo admodum consilio usus, dig-

Regist. Warham.

dignitatem Cardinalitiam, titulo S. Vitalis Presbyteri Cardinalis, illi contulisset 1535. 21. Maii, insigniis Cardinalitiis Calesiam usque transmissis. Eâ re Henricus Rex maximè commotus, Episcopum judicio sisti & oppugnati supreamatûs pœnam evestigio subire jussit. Sententiâ igitur 1535. 17. Junii à Judicibus prolatâ, capite truncatus est in colli prope Turrim Londinensem die 22. ejusdem mensis, in Cœmeterio Ecclesiæ Omnium Sanctorum de Berking dictæ in urbe Londinensi sepultus.

JOHANNES HILSEY.

Johannes Hilsey, S. T. D. ex Academiâ Cantabrigiensi, Ordinis Prædicatorum, & Conventûs Dominicani Londinensis Præses, post Fisheri mortem sufficitur, non tamen ante annum 1537. consecratus. Conventum Dominicanorum Londinensem jure commendatorio simul rexit, eundemque Regi in manus tradidit 1538. 10. Nov. Reformationi Ecclesiæ suo tempore inchoatæ favebat.

NICOLAUS HETHE.

Nicolaus Hethe, S. T. D. Henrici Regis Eleemosynarius, successit, electus 1540. 26. Martii, consecratus in Ecclesiâ S. Pauli die 4. Aprilis.

Registr. Cranmer.

LIBEL-

LIBELLUS A Monachis Roffensibus

Anno MCCCLX. oblatus

de Jure eligendi EPISCOPI.

EThelbertus Rex fundavit Ecclesiam Roffensem ; & dedit Manerium de Hallinges S. Justo Roffensi Episcopo primo.

Ethelbertus Rex dedit Manerium de Snodelonde Bernardo Episcopo Roffensi.

Kenewolphus Rex Cantiæ dedit Manerium de Borstall Dyoranno Episcopo Roffensi.

Ethelwolphus Rex dedit Manerium de Cuculstane Swyndulpho Episcopo Roffensi.

Offa Rex dedit Trottesclyve Wermundo Episcopo.

Aupredus Rex dedit Manerium de Frekyngham Burrico Episcopo Roffensi.

Edmundus Rex dedit Mallynge eidem Episcopo.

Ethelredus Rex dedit Manerium de Stone Godrico Episcopo Roffensi.

Eadgarus Rex dedit Manerium de Bromlee Ethelstano Episcopo Roffensi.

Gauleramnus Archidiaconus Baiocensis in Episcopum à Monachis Roffensibus [electus fuit,] qui consecratus est in partibus transmarinis tempore Ricardi Archiepiscopi Cant. qui obiit anno MCLXXXIII. Baldwynus successit.

Mortuo Gauleranno Episcopo, literas Domini Regis suscepimus in hæc verba. 'Edwardus Dei gratiâ Rex Angliæ, &c. Priori & Conventui Roffensis Ecclesiæ salutem. Mando vobis, quatinus omni occasione remotâ tu 'Prior & duodecim de Monachis tuis discretis sitis apud Westmonasterium '[coram] me vel Justiciariis meis in crastino S. Andreæ Apostoli, parati facere electionem in Episcopum in Ecclesiâ vestrâ ; & ibi vobiscum habeatis 'literas de Capitulo vestro patentes de ratihabitione illius electionis. Teste 'Ranulpho de Glanvillâ apud Westmonasterium, per Osbertum de Camerâ. Euntibus igitur Monachis, & de licentiâ Domini Regis redeuntibus ut in Capitulo Roffensi fieret electio, unanimi assensu Capituli electus M. Gilbertus de Glanvillâ tunc temporis Archidiaconus de Lisewys in Pastorem. Quo facto, literas Domini Regis suscepimus in hæc verba.

'Henricus Dei gratiâ Rex Angliæ &c. Priori & Conventui Roffensis Eccle'siæ salutem. Audito qualiter negotium processit in eligendo vobis Episco'po; gavisi sumus, & quòd pacificè & unanimiter in electione vestrâ egistis, 'multimodas vobis gratiarum referimus actiones. Personam siquidem ele'ctam idoneam esse credimus regimini Ecclesiæ, nobisque & vobis confidimus 'per gratiam Dei profuturam, & quòd ejus promotio communiter nobis pro'venit commodo pariter & honore. Rogamus itaque, ut personæ eidem 'debitam

'debitam reverentiam & obedientiam exhibeatis & honorem, caram etiam & 'dilectam habeatis. Teste &c.

Tunc processu temporis missi sunt Monachi apud Otteford ad Dominum Archiepiscopum Baldewynum; à quo impetraverunt Electum suum confirmari. Et notandum, si objicitur quòd Dominus Archiepiscopus dixit in confirmatione suâ sic *Do tibi Episcopatum Roffensem*; quia verba hujusmodi usitata sunt in confirmationibus faciendis; & ideo non nocet, quia præcesserat electio in Capitulo; quod nullus probare potest nisi illi qui interfuêre electioni, scilicet qui sunt de Collegio. Et moneri debet, quòd Dominus H. de Cobham & alii decedentibus Episcopis Roffensibus gerebant custodiam Episcopatûs nomine Regis, & de exitibus respondebant ad Scaccarium Domini Regis.

Mortuo Gilberto Roffensi Episcopo, literas Domini Nicolai Tusculanensis Episcopi tunc temporis Legati suscepimus in hæc verba. *Nicholaus Dei gratiâ Tusculanensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis filiis Priori & Capitulo Roffensi salutem. Mandatum Domini Papæ suscepimus in hæc verba:* 'Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Nicolao Tus'culanensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam bene'dictionem. Prudentiam tuam in Domino commendamus; quòd Roffensi 'Episcopatu vacante, cùm super ipsius custodiâ quæstio verteretur inter caris'simum in Christo filium nostrum Johannem Angliæ Regem illustrem & ve'nerabilem fratrem nostrum Stephanum Cant. Archiepiscopum S. R. E. Car'dinalem; tu sicut accepimus, sine præjudicio utriusque ipsam accepisti cu'stodiam detinendam. Ut autem eidem Episcopatui in spiritualibus & tem'poralibus utiliter consulatur; fraternitati tuæ per Apostolica scripta manda'mus; quatinus injungas ex parte tuâ Roffensi Capitulo, ut absque moræ 'dispendio personam idoneam sibi præficiant canonicè in Pastorem, & requi'rant regium assensum. Tuque vocatis qui fuerint vocandi, cognoscas ad 'quem tempore vacationis pertineat ipsius Episcopatûs custodia; eique illam 'assignes, ad quem cognoveris pertinere, nisi fuerit ei priùs de Pastore provi'sum. Dat. Viterbii Idus Septembr. Pontificatûs nostri anno xvii. *Hujus igitur auctoritate mandati absque moræ dispendio vobis præficiatis personam idoneam in Pastorem; salvâ auctoritate Domini Papæ, si quæ literæ Apostolicæ apparuerint. Dat. &c.*

Ex tenore literarum istarum patet apertiùs, quòd Dominus Papa voluerit nos gaudere electione Canonicâ; & istas literas habemus penès nos. Et memorandum, quòd Dominus Legatus residens in Capitulo nostro monuit nos sæpiùs, ut eligeremus auctoritate literarum Domini Papæ; & commendavit quosdam de suis, asserens illos dignos honore Episcopali. Sed casu distulimus electionem. Processu verò temporis pervenerunt ad nos literæ Domini Regis; in quibus continebatur de eligendo & providendo nobis Pastorem: de cætero intenderemus Domino Archiepiscopo Cant. sicut consuevimus intendere Domino Regi & suis prædecessoribus. Qualiter autem intendebamus Domino Regi, ex prædictis patet. Istæ literæ resederunt penès Archiepiscopum, nobis reclamantibus. Cùm igitur accessisset ad nos Dominus Archiepiscopus Stephanus, & nos sæpiùs invenisset difficiles, eò quòd timebamus mutationem statûs Ecclesiæ nostræ; asseruit non esse timendum, sed promisit fideliter se fore egregium & sollicitum pastorem & tutorem Ecclesiæ de Roffâ. Tandem cùm esset diutiùs & sæpiùs tractatum inter nos de eligendo pastore; & essemus solliciti providere virum idoneum secundùm Deum utilem & Regi & regno, qui esset gratiosus in conspectu tam Regis quàm Archiepiscopi; pervenit ad nos fama & opinio Magistri Benedicti Præcentoris S. Pauli, pro quo etiam Dominus Archiepiscopus spospondit & defixit animam suam. Habito igitur inter nos diligenti tractatu, & quandoque cum Archie-

 piscopo

piſcopo tum in thalamo Prioris tum apud Hallynge, præfiximus diem electioni noſtræ, feſtum ſc. S. Luciæ Virginis. Veniente igitur ad nos Domino Archiepiſcopo & reſidente in Capitulo, & præmonente attentiùs & exorante, ut provideremus nobis Paſtorem ſecundùm Deum, virum quidem diſcretum, providum, moribus ornatum, idoneum ad executionem officii Epiſcopalis, qui commodè ſciret & poſſet vices ejus ſupplere in omnibus; intulimus dicentes: Domine Pater, ſumus eligere. Et nobis recedere volentibus à Capitulo, dixit M. Simon frater Domini Cantuarienſis. Non debetis exire; ſed Dominus meus exibit; quia electio facienda eſt in Capitulo. Et hoc dicto exivit Dominus Archiepiſcopus & frater ejus cum eo. Quo facto, tractavimus diligenter de perſonâ Magiſtri Benedicti & de perſonis quorundam aliorum. Sed quoniam prævaluerat fama & opinio M. Benedicti, quem Dominus Archiepiſcopus in multis commendaverat, & alii quamplures dignis laudibus extulerunt; unanimi aſſenſu concorditer prædictum Benedictum elegimus in Paſtorem. Tunc vocato Domino Archiepiſcopo, recitata eſt electio coram eo, & tandem publicata. Et ſine moræ diſpendio direximus duos de Monachis, ſc. Willelmum tunc Priorem de Rente & Willelmum de Hoo ſocium ejuſdem pro eo Pariſiis; quia tunc ibidem rexit in Scolis. Qui revertens in Angliam, apud Herges confirmatus eſt, & tandem apud Oſeneiam in die Converſionis S. Pauli cum honore conſecratus.

Charta Johannis Angliæ Regis de Patronatu Epiſcopatus Roffenſis.

Ex Regiſtro *Warham* fol. 114.

HEnricus Dei gratiâ Rex Angliæ & Franciæ & Dominus Hiberniæ, omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Inſpeximus irrotulamentum cujuſdam Cartæ Domini Johannis quondam Regis Angliæ progenitoris noſtri in hæc verba. ‘Johannes Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus ‘Hiberniæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, Archiepiſ‘copis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Viceco‘mitibus, Præpoſitis, & omnibus Ballivis & fidelibus ſuis ſalutem. Sciatis ‘nos pro ſalute animæ meæ & anteceſſorum & ſucceſſorum noſtrorum Regum ‘Angliæ, de communi conſilio Comitum, Baronum & aliorum fidelium no‘ſtrorum, reddidiſſe & conceſſiſſe Deo & Eccleſiæ Chriſti Cant. & venerabili ‘Patri noſtro Stephano Cant. Archiepiſcopo totius Angliæ Primati & S.R.E. ‘Cardinali patronatum Eccleſiæ Epiſcopalis Roffenſis cum omnibus pertinen‘tiis, dignitatibus, libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis. Ita quòd va‘cante illâ Sede Epiſcopali, cuſtodiam & ordinationem illius Eccleſiæ idem ‘Archiepiſcopus & ſucceſſores ſui habeant liberè & pacificè in perpetuum ut ‘patroni. Ita quòd in ordinatione illius Eccleſiæ de Epiſcopo & Epiſcopi ele‘ctione nec ante nec poſt electionem Epiſcopi regius requiretur aſſenſus; ſed ‘totum ad Archiepiſcopum quicunque fuerit pertinebit. Epiſcopus autem ‘vel Electus loci illius Temporalia, quæ priùs vocabantur Regalia, de manu ‘prædicti Archiepiſcopi & ſucceſſorum ſuorum plenariè recipiet; & fidelita‘tem ei faciet de feodis pertinentibus ad Eccleſiam illam Epiſcopalem, tan‘quam Patrono ejuſdem Epiſcopatûs. Servitia autem, quæ nobis inde & hæ‘redibus noſtris debentur, Epiſcopus qui pro tempore ibi fuerit faciet prædi‘cto Archiepiſcopo & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum tanquam Dominis & ‘Patronis; & ipſe Archiepiſcopus & ſucceſſorés ſui eadem ſervitia per manus ‘ſuas nobis & ſucceſſoribus noſtris facient. Faciet quoque Epiſcopus Roffen-

‘ſis

'sis nobis & hæredibus nostris fidelitatem tanquam Principi, sed non propter 'feodum. Quare volumus & firmiter præcipimus, quòd prædictus Archie- 'piscopus & successores sui prædictum Patronatum Episcopatûs Roffensis, 'cum custodiâ & ordinatione ejusdem cùm vacaverit, habeant & teneant liberè '& quietè, pacificè, integrè, plenariè, cum omnibus pertinentiis, dignita- 'tibus, libertatibus, & liberis consuetudinibus suis, in perpetuum; sicut 'prædictum est. Prohibemus autem ex parte Dei omnipotentis & B. Mariæ '& omnium Sanctorum & nostrâ; ne quis contra hanc piam & liberam reddi- 'tionem & concessionem nostram venire præsumat. Quod si quis fecerit, 'maledictionem Dei & B. Mariæ & omnium Sanctorum ac nostram incurrat. 'Testibus Dominis, W. Londoniensi, P. Wintoniensi, R. Eliensi, E. Here- 'fordensi, J. Bathoniensi & Glastoniensi, H. Lincolniensi Episcopis, R. Co- 'mite Cestriæ, W. Marescallo Comite Pembrokiæ, W. Comite Arundellæ, 'W. Comite Warennæ, W. Comite de Ferrariis, S. Comite Wintoniæ, W. 'Briwerre, Roberto filio Walteri, Galfrido de Maundevillâ, Ricardo de 'Muntfich, Thomâ de Erdinton. Dat. per manus M. Ricardi de Marisco 'Cancellarii nostri apud Novum Templum Londoniæ xxii. die Novembris 'anno regni nostri xvi. Nos autem tenorem irrotulamenti Cartæ prædictæ ad requisitionem Henrici Chicchelee nunc Archiepiscopi loci prædicti duximus exemplificandum per præsentes. In cujus rei testimonium has literas nostras fieri fecimus Patentes. Teste meipso apud Westmonasterium vii. die Julii, anno regni nostri xiii.

Irrotulatur in memorandis Scaccarii de anno xiii. Regis Henrici VI. inter recorda de Termino Paschæ, rotulo xi. ex parte Rememoratoris Thesaurarii in quodam processu tangente Henricum Archiepiscopum Cantuariensem.

Pat. 16. Johan. Regis, n. 11.

REX Priori ac Monachis Roffensibus ac liberè tenentibus de Episcopatu salutem. Sciatis quòd reddidimus venerabili Patri nostro Domino Stephano Cantuariensi Archiepiscopo patronatum Episcopatûs Roffensis cum omnibus pertinentiis, tanquam jus suum. Et ideo vobis mandamus, quòd ei tanquam Domino & Patrono ejusdem Episcopatûs sitis in omnibus intendentes. Et in hujus rei testimonium has literas, &c. Teste Domino P. Wintoniensi Episcopo apud Novum Templum London. xxii. die Novembris, anno regni nostri xvi.

JURA
Epiſcopatus Roffenſis
Anno MCCCLX.

Subſcriptæ Eccleſiæ pertinent ad collationem Epiſcopi Roffenſis qui pro tempore fuerit.

Eccleſia de Suthflete, quæ taxatur ad xxx. marcas.
Eccleſia de Bromlegh, quæ taxatur ad xxx. marcas.
Eccleſia de Stone, quæ taxatur ad xxxii. marcas.
Eccleſia de Snodelonde, quæ taxatur ad x. libras.
Eccleſia de Cukeſtoun, quæ taxatur ad xii. marcas.
Eccleſia de Woldeham, quæ taxatur ad x. marcas.
Eccleſia de Troteſchyne, quæ taxatur ad x. marcas.
Eccleſia S. Clementis in Roffâ, quæ non taxatur propter exilitatem.
Eccleſia de Langefeld, quæ taxatur ad v. marcas.
Eccleſia de Frakenham Decanatûs de Selham immediatæ juriſdictionis ejuſdem, quæ taxatur ad xxxiii. marcas.

Subſcriptæ Vicariæ pertinent ad collationem ejuſdem.

Vicaria Eccleſiæ de Frendesbery appropriatæ Epiſcopatui Roffenſi.
Vicaria Eccleſiæ de Derteford eidem appropriatæ.
Vicaria Eccleſiæ de Iſelham, immediatæ juriſdictionis Roffenſis, eidem appropriatæ.
Vicaria de Brundiſche Norwicenſis Dioceſeos etiam appropriatæ pertinet ad præſentationem Epiſcopi Roffenſis ſede plenâ.

Subſcriptæ Eccleſiæ pertinent ad compræſentationem Epiſcopi & Capituli. Capitulum tamen nihil juris habebit niſi duntaxat appoſitionem ſigilli ſui. Scilicet Dominus Epiſcopus nominare habet & ſcribere, & Capitulum apponere ſigillum.

Eccleſia de Retherfeld Ciceſtrenſis Dioceſeos, quæ taxatur ad lxxx. marcas.
Eccleſia de Mixebery Lincolnienſis Dioceſeos.
Eccleſia de Henle Lincolnienſis Dioceſeos.
Eccleſia de Stourmouth Cantuarienſis Dioceſeos.
Eccleſia de Norton ejuſdem Dioceſeos.

Subſcriptæ Eccleſiæ ſunt penſionariæ Epiſcopatui Roffenſi.

Eccleſia de Eſtgrenewych, } appropriatæ Abbati de Gandavo.
Eccleſia de Leveſham, }

Eccle-

Ecclesia de Derlyngge, } appropriatæ Prioratui de Bermundeseye.
Ecclesia de Cobeham, }
Ecclesia de Legh appropriata Prioratui de Tonebrigge.
Ecclesia de Westreham appropriata Prioratui Ecclesiæ Christi Cant.
Ecclesia de Eselyngham in Hoo, x. solidos.
Ecclesia de Lamheth Wintoniensis Dioceseos, v. marcas.

Subscriptæ Vicariæ pertinent ad præsentationem Magistri Hospitalis de Strode, de consensu tamen expresso Episcopi.

Vicaria de Eylesford.
Vicaria de Hallynges.

Item Episcopus Roffensis habet præficere Cantorem, Celerarium & Sacristam in Ecclesiâ Cathedrali Roffensi ad nominationem Prioris & Capituli; & debent induci & investiri.

Subscripta Officia pertinent ad collationem Episcopi infra Prioratum Roffensem.

Officium Portarii sive Janitoris.
Officium Coci primi & secundi.
Officium Pistoris primi & secundi.
Officium Pandoxatoris primi & secundi.
Officium Sartoris primi & secundi.
Officium Lotricis, & alia minuta, de quibus non constat ad præsens; & vocantur prædicta officia Serviantiæ.

Confert etiam sub his verbis Serviantiam talis officii vacantis. *Tibi conferimus, & te investimus in eâdem ad beneplacitum nostrum revocandâ*, vel *quamdiu nobis placuerit.*

Item percipiet præfatus Episcopus singulis annis in Festo S. Andreæ à Priore Roffensi magnum exenium, quod vocatur Exenium S. Andreæ.

Item percipiet ii. pelliceas pro frigore à Camerario dictæ Ecclesiæ.

Item Capellanus ejusdem percipiet à Priore pro necessariis suis xl. solidos vel iv. marcas.

Item percipiet præfatus Episcopus de Abbatissâ de Mallynges unum aprum, ut creditur, & certam portionem ceræ pro decimis vinearum de Hallynges.

Item confert Archidiaconatum Roffensem.

Item præficit Custodem Hospitalis novi Operis de Strode.

Sciendum est, quòd dictus Episcopus habet plenam jurisdictionem & inductionem in omnibus Ecclesiis collationis suæ, & Archidiaconus nullam.

Item consimilia habet in Vicariis Ecclesiarum appropriatarum Hospitali de Strode; & hac ratione, quia illæ Ecclesiæ dudum pertinebant ad collationem Domini Episcopi Roffensis.

Excer-

Excerpta quædam ex Consuetudinario Roffensi.

OMnes Episcopi Roffenses à Gundulfo ad Gualerannum dati fuerunt per Reges & Archiepiscopos. Successit tunc Gilbertus electus à Capitulo; qui pro juribus & prædiis Ecclesiæ recuperandis & congregandis, quæ per injuriam & desidiam antecessorum erant alienata, detracta & dispersa, viriliter multùm insudavit. Siquidem in Registris Cantuariensi & Roffensi hæc scripta invenit. Cantuariensis, Roffensis, & Londinensis Ecclesiæ contemporaneæ sunt; & Roffensis semper usque ad tempora Normannorum Regibus in capite de regalibus servitiis intendebat. Ante quorum tempora Cantuariensis Ecclesia Co-episcopos habere consueverat apud S. Martinum commorantes, fundo juxta posito ad victum & vestitum pauperrimè dotatos; quorum corpora ibidem tumulata sepulchra adhuc apparentia manifestant. Hi Archiepiscoporum absentium defectum supplentes, sacramenta ecclesiastica conficiebant. Quorum ultimo Lanfranci temporibus de medio sublato, Archiepiscopus vir magnanimus, decentiorem sibi Vicarium providere desiderans, Gundulfum tunc temporis Roffensem Episcopum convenit; ut officium illud in se susciperet, necnon & de septem militum servitio Regi principaliter debito de ipsius Regis assensu & quasi medio responderet, & de duabus marcis Vicecomiti solvendis pro libertatis conservatione. Et ad horum solummodo distractionem faciendam licet servienti de Otteforde venire apud Trotesclyve, & non alibi; nec aliquam summonitionem ex parte Regis vel alterius admittere debet nisi per Archiepiscopum. Et si ad mandatum ipsius quocunque ierit, insuper & ad officium exequendum, procurationem infra notatam instituit.

Eadem habentur in Additamentis ad Textum Roffensem Ernulfi Episcopi fol. 220.

Hæ sunt Consuetudines, quæ debentur à Domino Cantuariensi Archiepiscopo Episcopo Roffensi, sc. cùm ad petitionem Archiepiscopi aliquò proficiscitur Episcopus, quotquot diebus iter fecerit in eundo, moram faciendo vel redeundo, singulis diebus percipiet xx. solidos sterlingos. Similiter Archiepiscopatu vacante cùm officium Episcopale exercuerit. Quòd si cum Archiepiscopo ierit, in optione erit Archiepiscopi, vel omnia necessaria ei invenire, vel ut ipse & Clerici sui & Servientes ad mensam cum eo comedant. Et ad vesperam habebit duos cereos idoneos, & xiv. majores candelas & xxv. minores, ad numerum sc. xxv. equitaturarum, & vinum & cerevisiam abundantem, & quinque solidos singulis diebus ad familiam & equos. Si autem Archiepiscopus non potuerit aliquâ interveniente causâ officium suum exercere, vel Archiepiscopatus vacaverit; vices ejus debet supplere Roffensis Episcopus modo prædicto, tam in consecrationibus Regum quàm Episcoporum, & in omnibus aliis ad officium Archiepiscopale spectantibus, cum prædictâ procuratione. Hoc officium exercuit Gilbertus toto tempore Baldwini Archiepiscopi in Syriâ agentis, & postea vacante Archiepiscopatu; & procurationem accepit. Fundavit etiam Gilbertus Hospitale de Strodes; & Ministros instituit ad vivendum regulariter, & ad recipiendum pauperes concurrentes. Gilberto successit per electionem Benedictus Thesaurarius Regis; qui fecit omnes aulas Episcopatûs. Et illi Henricus de Sanford, Philosophus magnus; cui Ricardus Wendover de Bromlegh; cujus electionem S. Edmundus Archiepiscopus infirmare nitebatur, dicens quòd provisio Ecclesiæ Roffensis de Episcopo sibi & successoribus suis competebat. Capitulum verò tunc ab eo ad Curiam Romanam appellans, per triennium in Curiâ litigabat. Latâ denique sententiâ pro Capitulo contra Archiepiscopum, Ricardus in Curiâ

Curiâ confirmatus fuit, & Cantuariæ in Monasterio S. Gregorii à S. Edmundo consecratus. Cui successit Laurentius. Hic appropriationem trium Ecclesiarum mensæ Episcopali impetrans, contra Bonifacium Archiepiscopum pro scutagio & aliis libertatibus placitando composuit. Cui successit &c.

Anno Domini MCCLVI. intravit Laurentius Episcopus Roffensis Capitulum Ecclesiæ Roffensis, Domino Symone Priore tunc præsente ac toto Capitulo congregato, proposuit damna gravia & expensas, quæ passus fuit occasione discordiæ & litis pro defensione jurisdictionis & status ejusdem Roffensis Ecclesiæ contra Bonifacium Cant. Archiepiscopum, & seu potiùs contra Regem & Reginam fautores ejusdem Archiepiscopi. Et quòd hujusmodi occasione oportuit eum adire Sedem Romanam non sine magnis laboribus & sumptibus, pro eo quòd de iis non potuit in Angliâ contra eundem Archiepiscopum per Curiam Regis justitiam obtinere. Ad hæc subjecit; quomodo ipse non tantum bona Episcopatûs Roffensis, quæ ad hoc minimè suffecerunt, sed etiam patrimonialia bona & aliunde quæsita mobilia & immobilia in prædicta consumpserit, utpote sine quibus non poterat sustinuisse tam grandia onera expensarum. Quinetiam cum hujusmodi bonis suis & aliis de dicto Episcopatu provenientibus in dictâ discordiâ adeò fuit exhaustus, quòd vix habuit pro se & familiâ suâ interdum esui necessaria; quòd etiam non potuit mutuum invenire; & aliquo anno contigit dictâ guerrâ durante, quòd præter redditus annuos vix de Maneriis omnibus ad Episcopatum spectantibus lx. marcas sterlingorum percepit.

SUC-

SUCCESSIO PRIORUM Ecclesiæ Roffensis.

ECclesiam Roffensem ante Gundulphi tempora insederunt Canonici Sæculares. Refert quidem Author vitæ Gundulphi famam ad Lanfrancum delatam Monachos olim inibi sedem habuisse. Sic enim illo tempore ferebant Monachi, Ecclesias Cathedrales & Conventuales sibimet olim datas, à Sæcularibus ereptas fuisse. Hoc commento usi, & Lanfranci favore innixi, plurimas sibi Ecclesias deturbatis Sæcularibus obtinuerunt. Res enim parum nota impudenti mendacio facilè obduci potuit; & Monachi præ aliis clamosi ope Archiepiscoporum è grege suo primis Normannorum temporibus delectorum prævaluerunt. Quod Ecclesiam Roffensem attinet, non aliam puto Monasticæ religionis inibi olim vigentis rationem adduci potuisse, quàm quòd primi Episcopi fuerint Monachi. Certè Siwardus Episcopus anno 1075. moriens Ecclesiam Canonicis Sæcularibus subditam reliquit, licèt frequentibus rapinis & sacrilegio tàm miserè depauperatam, ut vix quinque Canonicis alendis sufficeret. Illo circiter tempore Lanfrancus Monachos Ecclesiæ Cantuariensi induxerat; eosdemque Roffensi inducere volens, Episcopatum Gundulpho hac conditione dedit, ut eliminatis Sæcularibus, religionem Monasticam in Ecclesiâ suâ institueret. Canonici quidem, summâ rerum inopiâ animos fracti, manus facilè dederunt, nonnulli etiam cucullam induerunt. Introductis Monachis, Lanfranci liberalitate & Gundulfi diligentiâ Ecclesia & reddituum & ædificiorum amplitudine mirum in modum brevi adaucta est. Primus Ecclesiæ Roffensi Prior à Gundulfo datus est

Vita Gundulfi p. 280.

Ordouuinus, de quo frequens fit mentio in Textu Roffensi. Subscripsit ille Chartæ Gundulfi Episcopi de institutione Prioratûs 1089. 20. Sept. datâ. Plurimis quidem antea annis vivente adhuc Lanfranco Monachi introducti fuerant, istâ demum Chartâ confirmati. Ordowinus Prioratum ante obitum deposuisse, & iterum accepisse videtur. Abdicavit annos inter 1089. & 1096. Successit

Monastic. tom. 3. p. 2.

Arnulfus. Extat enim in Archivis Ecclesiæ Cant. Charta autographa Arnulfi Prioris Roffensis; subscribunt Letardus Portarius & Henricus filius ejus. Ille Prior Ecclesiæ Cant. anno 1096. constitutus, Abbatiam Petriburgensem anno 1107. Episcopatum Roffensem 1114. obtinuit.

Radulfus, Monachus Cadomensis, cum Lanfranco in Angliam pervenit, & Ernulfo in Prioratu Roffensi anno 1096. successisse videtur. Certè Radulphus Abbas de Bello medio anno 1107. electus, in antiquâ Historiâ de Bello, tunc cùm in Abbatem electus est, Roffensis Ecclesiæ Prioratum sub Gundulpho Episcopo strenuè administrâsse dicitur: quod & Ordericus Vitalis confirmat. Gundulpho morienti anno 1108. adfuit, frustra à Monachis Roff. in Episcopum expertus.

In biblioth. Cotton *Domitian A.* 2.

Vita Gundulfi p. 292.

Ordo-

Ordowinus, post Radulphi translationem Prioratum iterum suscepit anno 1107. In Textu enim Roffensi chartæ Gundulfi Episcopi Ecclesiæ Mallingensi datæ subscribunt simul Ordowinus Prior & Radulphus Abbas de Bello. Idem Prioratum sub Ernulfo Episcopo tenuisse ibidem dicitur; atque adeo anno 1115. superfuit. Fol. 198. Fol. 193. 196.

Letardus, Ecclesiæ Roff. ante annum 1096. Ostiarius, Prior erat Ernulfo Episcopatum administrante. Text. Roff. f. 192.

Brianus, præfuit anno 1145. Confirmationem possessionum Ecclesiæ suæ ab Eugenio Papâ obtinuit 1146. Obiit die 5. Decembris. Additament. ad Text. Roff. f. 207. Obit. Cant.

Reginaldus, confirmationem privilegiorum Ecclesiæ Roff. ab Adriano Papâ impetravit anno 1154. Die 29. Aprilis obiisse dicitur in Obituario S. Augustini Cant. Annal. Roff.

Ernulfus II. Prioratum tenuit tempore Walteri Episcopi, atque isto, ni fallor, ordine. Annal. Roff.

Willelmus de Borstalle, ex loci Celerario Prior ante Silvestrum factus memoratur in antiquo Ecclesiæ Roff. Registro, *Vespasian A.* 22.

Silvester, ex Celerario Prior factus, possessiones Ecclesiæ suæ ab Alexandro Papâ confirmari obtinuit anno 1178. Fecit is Refectorium & Dormitorium & tres fenestras in Capitulo versùs Orientem. Annal. Roff.

Ricardus, ex Priore Roff. Abbas Burtonensis factus anno 1182. obiit 1188. 19. April. Annal. Burton. Monast. 1. p. 272.

Alfredus, Abbas Abendoniæ ab Henrico II. Rege creatus est annos inter 1185. & 1189. Hist. Abendon.

Osbernus de Scapeyâ, ex Sacristâ Prior factus, dum Sacristæ adhuc munus obiret, *perfecit Historias M. Petri & Breviarium de Capellâ Infirmarii, & Isaiam glossatum Ascelini Episcopi, & librum de Claustro Animæ, & Psalterium magnum quod est in Choro cum catenâ, & fenestram ad altare S. Petri*, & alia multa: prout habet Registrum Roff. modò citatum.

Radulphus de Ros, præfuit anno 1199. quod ex Additamentis ad Textum Roffensem constat. Dum Sacrista adhuc esset, *fecit bracinum, & cameram Prioris majorem & minorem, & domos lapideas in Cæmiterio & hosteleriam, & grangiam in vineâ, & stabulum; & fecit magnam Ecclesiam tegere & plurimam partem plumbare*; & alia multa, referente Registro Roff. suprà laudato. Fol. 118.

Helias, Prior *fecit plumbare magnam Ecclesiam; & stabulum fecit sibi & successoribus suis lapideum; & partem Claustri versùs Dormitorium plumbare fecit; & Lavatorium & ostium Refectorii fieri fecit.* Ista de illo habet Registrum sæpe dictum.

Willelmus, anno 1222. Prioratum gessisse in Registro quodam Ecclesiæ Roff. (in Bibliothecâ Cotton. *Domitian A.* 10.) traditur.

Ricardus de Derente, electus est in Priorem Roff. anno 1225. post Octavas Pentecostes in crastino Synodi; prout habet Chronicon breve Roffense *Vespasian A.* 22. Eundem annis 1228, 1236, & 1238. præfuisse constat ex Annalibus Roff. Registro Roff. supra citato, & Florilego.

Willelmus de Hoo, loci Sacrista, in Priorem electus est 1239. 25. Junii. Dum Sacristæ adhùc manere fungeretur, construi fecit totum Ecclesiæ Roffensis chorum ab alis Australi & Boreali de oblationibus factis ad feretrum S. Willelmi. *Postea Prior per biennium, quòd noluit consentire venditioni bosci de Chetindone, nimiâ persecutione persecutus, mutato habitu apud Wobbourne Monachus obiit.* Ista refert Registrum antiquum Ecclesiæ Roff. *Vespasian A.* 22. Annal. Roff.

Alexander de Glanvillâ, electus anno 1242. Obiit mœrore subito confectus 1252. 5. Martii. Chron. breve Roff.

Symon de Clyve, Ecclesiæ Sacrista, successit anno 1252. Corpore debilitatus resignavit 1262. Annal. Roff. Id.

Eee *Johannes*

Johannes de Renham, aliis *Rensham*, electus 1262. resignavit 1283. mense Dec. Sic enim Edmundus & Benedictus Monachi Roff. Annalium & Chronici brevis authores rem obducunt. Verè autem à Johanne Cant. Archiepiscopo Ecclesiam Roff. jure Metropolitico visitante est depositus anno 1283. circa Natale Domini. Causam Archiepiscopus attulit in decreto depositionis, quod in Registro suo extat. *Invenimus*, inquit, *Priorem suspectum haberi de inhonestâ procuratione electionis Domini Johannis nuper Episcopi, & in id multa consumpsisse mobilia; & quædam alia dicitur alienâsse perpetuò non sine scrupulo Symoniæ; de quibus etiam in nullo se rationabiliter excusavit*. Datum est Decretum 1283. 24. Oct. & Johannem ab officio Prioris citra Natale Domini penitus absolutum esse denuntiat.

Registr. Pecham fol. 87.

Annal. Roff. & Chron. breve.

Thomas de Woldeham, electus 1283. 24. Dec. ad Episcopatum Roffensem provectus est exeunte anno 1291.

Id.

Johannes de Renham seu *Reyneham*, ad Prioratum iterum electus est 1292. 7. Jan. obiit anno 1294.

Id.

Thomas de Schulford seu *Shelford*, successit anno 1294. resignavit 1301.

Id.

Johannes de Greenstreet, electus 1301. mense Februario, abdicavit 1314.

W. Dene, & Chron. breve.

Hamo de Hethe, Prior electus 1314. 8. Maii, ad Episcopatum Roff. electus est 1317. consecratus 1319.

Id.

Johannes de Westerham, præfectus ab Hamone Episcopo in Priorem 1320. 14. Jan. Obiit 1321. die. 30. Januarii sepultus.

Id.

Johannes de Speldherst, loci Celerarius, in Priorem à Monachis electus, & ab Episcopo præsente confirmatus 1321. 20. Jan. resignavit 1333. 12. Augusti.

Id.

Johannes de Scapeiâ, sive *Shepey* S. T. P. successit, ad Episcopatum Roff. promotus sub finem anni 1352.

Chron. breve Roff.

Robertus de Suthflete, custos Cellæ de Filchestowe, Johanni subrogatus est anno 1352. obiit anno 1361.

Id. & Registr. Courtney.

Johannes de Hertlepe seu *Hertley*, ejusdem Cellæ Custos, electus est 1361. 6. Aug. resignavit 1380. 6. Novemb.

Eadem, & Registr. Chichley.

Johannes de Scapeyâ, loci Supprior, electus 1380. 14. Decembr. Prioratum administravit annis 39. obiit 1419. 2. Augusti.

Registr. Chichley.

Willelmus Tunbrygg, electus à Monachis, confirmatus est ab Archiepiscopo Cant. (Sede Roffensi tunc vacante) 1419. 21. Aug. Willelmus quidam anno 1443. præfuisse in Registro Ecclesiæ Roff. *Faustina C.* 5. legitur. Eodem Prioratum tenente Ecclesia Roff. ab Archiepiscopo visitata est 1444. mense Martio.

Regist. Stafford.

Johannes, Prior anno 1445. in Registro Roff. mox citato reperitur.

Apostolat. Ben. in Append. p. 207.

Willelmus Wold, nomen ejus apud Reynerium occurrit. Isto circiter tempore Prioratu functus videtur.

Registr. Morton.

Willelmus Bishop, anno 1496.

Registr. Warham.

Willelmus Frysell, Prior factus est 1509. 11. Septembr.

Registr. Cranmer.

Walterus Philips, Prior ultimus, Conventum in manus regias tradidit 1540. mense Martio. Rex autem eodem anno Monachis emissis Canonicos Sæculares introduxit, primumque Ecclesiæ de novo fundatæ Decanum Walterum constituit.

BAR-

BARTHOLOMÆI DE COTTON
Monachi Norwicenſis

ANNALES
Eccleſiæ Norwicenſis

Ab anno MXLII. ad annum MCCXCV.

ET

HISTORIA

DE

Epiſcopis Norwicenſibus

Ad annum MCCLXXXXIX.

ACCEDUNT

Continuatio Hiſtoriæ de Epiſcopis NORWICENSIBUS ab anno MCCLXXXXIX. ad annum MCCCCXLVI. authore Monacho Norwicenſi anonymo.

Succeſſio Epiſcoporum NORWICENSIUM ab anno MCCCCXLVI. ad Reformationem.

Succeſſio Priorum Norwicenſis Eccleſiæ.

BARTHOLOMÆI DE COTTON
Monachi Norwicensis
ANNALES
Ecclesiæ Norwicensis.

ANNO MXLII. Stigandus factus est Episcopus East-Angliæ.

Anno MXCI. Dominus Herbertus Episcopus suscepit Episcopatum Theofordensem.

Anno MXCIV. v. Idus Aprilis Episcopatus Theofordensis translatus est Norwicum ab Herberto Episcopo. Hic Herbertus ex Abbate Ramesiensi empto Præsulatu factus est Episcopus Theofordensis; sed postmodùm pœnitentiâ ductus Romam profectus est, & symoniacum baculum & annulam Papæ resignavit. Veruntamen Apostolicæ Sedis indulgentiâ propitiante restitutus est.

Anno MXCVI. Norwicensis Ecclesia fundata est à Domino Herberto Episcopo.

Anno MCXIX. Herbertus Episcopus Norwicensis heu diem clausit extremum!

Anno MCXXI. Eborardus Episcopus Norwicensis consecratus est.

Anno MCXLV. Eborardus Episcopus Norwici recessit è Norwico.

Anno MCXLVI. Helias Prior Norwicensis obiit.

Anno MCXLIX. Eborardus Episcopus Norwicensis Fontineo vitam finivit.

Anno MCL. apud Norwicum S. Willelmus puer translatus est à cœmiterio in Capitulum. Tempore sub eodem Willelmus de Turbes consecratus est in Episcopum Norwicensem.

Anno MCLVIII. Ricardus Prior Norwicensis obiit.

Anno MCLXXI. Ecclesia Norwici combusta est.

Anno MCLXXIV. Willelmus de Turbes Episcopus Norwicensis obiit.

Anno MCLXXV. Johannes Oxoniæ consecratus est in Episcopum Norwicensem.

Anno MCC. Johannes Oxoniæ Episcopus Norwici obiit; cui Johannes de Grei successit.

Anno MCCI. Girardus Prior Norwici obiit; cui successit Willelmus de Walsham.

Anno MCCV. Johannes Episcopus Norwicensis in Archiepiscopum Cant. ad petitionem Johannis Regis postulatus est. Anno autem sequenti electio à Papâ cassata est.

Anno MCCIX. Gaufridus Archidiaconus Norwicensis ad Scaccarium Regis intendens negotiis, cœpit secretiùs cum sociis suis sermocinari de sententiâ in Regem illatâ; dicens non esse tutum viris beneficiatis in obsequio Regis excommunicati ulteriùs immorari. Et his dictis ad propria non licentiatus re-

recessit. Quo postea per ministros Regis capto indutus ferreâ, tam victualium penuriâ quam ipsius copiæ ponderositate compressus, migravit ad Dominum.

Anno MCCXIV. Johannes de Grey Episcopus Norwicensis obiit.

Anno MCCXVII. Willelmus de Walsham Prior Norwicensis obiit; cui successit Ranulfus.

Anno MCCXVIII. Ranulfus Prior Norwicensis factus est Episcopus Cicestrensis; & Pandulfus venit Legatus in Angliam.

Anno MCCXIX. Willelmus Ode de Norwico factus est Prior Norwicensis.

Anno MCCXXII. Pandulfus Norwicensis Electus ordinem suscepit Sacerdotis, & in Episcopum consecratus est à Papâ Honorio. Eodem anno Ranulfus Cicestrensis obiit.

Anno MCCXXVI. Pandulfus Norwicensis Episcopus obiit; cui successit Thomas de Blunvile consecratus. Et Prædicatores & Minores cœperunt habitare in Norwico.

Anno MCCXXXIII. visitatio facta est per Thomam Episcopum Norwicensem in Episcopatu suo per mandatum Domini Papæ, & per alios alibi.

Anno MCCXXXV. Willelmus filius Odæ Prior Norwicensis obiit; cui Simon de Elmham successit installatus.

Anno MCCXXXVI. Thomas de Blumvile Episcopus Norwicensis obiit. Tempore sub eodem Simon Prior Norwicensis electus est in Episcopum ejusdem Ecclesiæ.

Anno MCCXXXIX. cassatus est Simon Prior Norwicensis, ejusdem * domûs Electus. Eodem anno electus est Willelmus de Ragele ad Episcopatum Norwicensem.

* l. Ecclesiæ.

Anno MCCXLI. Monachi Wintonienses in multis oppressionibus constituti, Willelmum de Ragele Norwicensem Episcopum in Episcopum Wintoniensem postulârunt. Eodem anno orta est discordia magna & ira inter Regem Henricum & Willelmum de Ragele quondam Episcopum Norwicensem, eo quòd postulationi de se factæ non consensit in Episcopum Winton.

Anno MCCXLIII. confirmatur à Papa Willelmus de Ragele quondam Norwicensis Episcopus in Episcopum Wintoniensem invito Rege.

Anno MCCXLIV. Rex saniori usus consilio, Episcopum Wintoniensem Willelmum à partibus transmarinis revocavit, gratiam suam & ablatorum restitutionem pollicendo. Eodem anno Walterus de Suthfeld eligitur ad Episcopum Norwicensem; qui anno sequenti consecratus est.

Anno MCCLVII. Walterus de Suthfeld Episcopus Norwicensis obiit; & electus est Simon de Waltone & confirmatus. Eodem anno Simon Prior Norwici, vir eximiæ sanctitatis, vi. Idus Junii obiit; cui Rogerus de Skerningâ successit.

Anno MCCLVIII. Dominicâ in passione Domini consecratus est Magister Simon de Waltone in Episcopum Norwicensem vi. Idus Martii. Tempore sub eodem concessa est ad relevationem exhæredatorum vicesima pars omnium bonorum de viris Ecclesiasticis tam de temporalibus quàm de spiritualibus, tamen secundùm taxationem Domini Walteri de Suthfend quondam Episcopi Norwicensis. Eodem anno in crastino Circumcisionis obiit Simon de Waltone Episcopus Norwicensis; cui successit Rogerus de Skerninge consecratus.

Anno MCCLXVI. electus est Nicalaus de Bramtone in Priorem Norwicensem, & xiv. Kal. Maii confirmatus, & à Ricardo Gernun Camerario Norwici installatus per mandatum Rogeri Episcopi. Eodem tempore xvii. Kal. Januarii post **** Barones præfati venerunt de Insulâ apud Norwicum, ut civitatem comprehenderent. Cives verò præparaverunt se ad resistendum. Sed Barones corde audaciores, viribus prudentiores, virtute nobiliores, civitatem viriliter aggressi sunt; & eam sibi in brevi horâ potenter subjugarunt. Dominus

minus J. de Evile dux eorum. Et intrantibus illis in civitatem, quamplurimos occiderunt, alios ceperunt & sub vigilanti custodiâ posuerunt. Et totâ nocte & manè usque ad horam quasi undecimam civitatem deprædârunt. Et omnibus congregatis, cum captivis suis ad Insulam præfatam cum gloriâ & victoriâ triumphaliter remeârunt.

Anno MCCLXVIII. xi. Kal. Martii heu obiit Nicolaus de Bramtone Prior Norwicensis; & vii. Kal. Martii cum magnâ sollemnitate & honore ab Episcopo Rogero sepultus est: cui successit Willelmus de Brunham installatus.

Anno MCCLXXII. In die Apostolorum Petri & Pauli, horâ qua Conventus Norwici prima psallebat, facta sunt tonitrua magna & coruscationes & fulgura, sed & ictus tonitrui in tantâ fortitudine simul in turrim Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis Norwici descendit; quòd lapides quamplurimos de præfatâ turri horribiliter evulsit, & in terram violenter prostravit, & eam non mediocriter deturpavit. Sed & omnes fratres præ timore de choro fugerunt, exceptis tribus, quorum unus cecidit in terram quasi mortuus, & cæteri duo psalmodiam pro modulo suo sustentabant, quousque cæteri reversi, unde creditur à pluribus, quòd ista acciderant in præsagium futuri & majoris infortunii. Eodem anno cives in crastino S. Laurentii obsederunt Curiam Monachorum per girum; qui cùm per insultum non potuerunt habere ingressum, apposuerunt ignem videlicet ad magnas portas Monasterii, ultra quas erat quædam Ecclesia parochialis; & eas cum prædictâ Ecclesiâ & cum omnibus ornamentis, libris & imaginibus & cum singulis in eadem contentis combusserunt. Item apposuerunt ignem in eodem instanti ad magnam domum eleemosynarum, & ad portas Ecclesiæ, & ad magnum campanile; quæ omnia cum campanis statim combusta sunt. Quidam verò ex ipsis extra turrim Sancti Georgii ignem in magnum campanile, quod fuit ultra chorum, per balistas traxerunt; ex quibus ignibus tota Ecclesia præter Capellam beatæ Mariæ miraculosè salvata est; combusserunt Dormitorium, refectorium, aulam hospitum, infirmariam cum Capellâ; & quasi omnia ædificia Curiæ consumpserunt igne. Quam plures de familiâ, aliquos Subdiaconos, aliquos Clericos, aliquos laicos, in claustro & infra septa Monasterii interfecerunt; aliquos extraxerunt; & in civitate morti tradiderunt, aliquos incarceraverunt. Post quæ ingressi, omnia sacra vasa, libros, aurum & argentum, vestes & omnia alia, quæ non fuerunt igne consumpta, deprædati fuerunt: Monachos omnes, præter duos vel tres, à Monasterio fugantes. His non contenti, malitiam suam usque ad tertium diem continuaverunt, comburendo, interficiendo, deprædando. Quæ cùm patefacta fuerunt Domino Henrico III. Regi; multum condoluit, & destinavit literas suas ad omnes portus Angliæ & ad omnia maritima, quòd si qui de Norwico fuissent inventi, quòd fuissent capti & detenti, quousque aliud ab ipso reciperent in mandatis. Similiter mandavit omnibus Episcopis & Magnatibus regni Angliæ; quòd die Sancti Egidii comparerent coram ipso ad sanctum Edmundum, consilium daturi, qualiter contra prædictos malefactores fuisset procedendum. Eo anno Dominus Rogerus Episcopus tunc temporis convocavit totum Clerum suæ Diocæseos apud Eyam in crastino Decollationis Sancti Johannis Baptistæ pro præmissis; & de eorum consilio omnes prædictos malefactores in genere, aliquos etiam nominatim, excommunicavit & denunciavit excommunicatos, monitione in formâ juris precedente; Civitatemque Norwicensem Ecclesiastico subposuit interdicto; & in prolatione ejusdem sententiæ dies clarissima versa est quasi in noctem, & quoddam tintinnabulum in campanili eodem tempore fractum cecidit. Eodem anno die Sancti Egidii tenuit Dominus Rex Parliamentum suum apud Sanctum Edmundum; & de consilio Magnatum Angliæ personaliter accessit Norwicum ad vindicandum facinus prædictum; & ibidem venit ad festum Exaltationis Sanctæ Crucis; & ad petitionem Domini Regis Episcopus relaxavit interdictum,

dictum, dum Rex fuisset in civitate. postea Justiciarii Domini Regis fecerunt quosdam ex delinquentibus equis trahi ad furcas, postea suspendi, demum corpora eorum comburi; quod divites perpendentes, muneribus corruperunt Justitiarios, liberos homines patriæ, consilium Domini Regis, & etiam xlviii. milites cinctos gladio juratos, ita quod tunc cessavit punitio; & per falsitatem & malitiam imposuerunt multa falsa Willelmo de Brunham tunc temporis Priori. Propter quæ liberatus fuerat carceri Domini Episcopi; & omnia maneria spectantia ad Prioratum seisita fuerunt in manum Regis, scilicet ea quæ inventa fuerunt in custodiâ suâ. Tota etiam civitas & omnes libertates eidem civitati concessæ captæ fuerunt in manu Domini Regis; & Rex assignavit custodes ad custodiendum civitatem nomine suo. Quamplures etiam de civitate, timentes adventum Regis, fugerunt extra civitatem; qui ferè postquam Rex recesserat, omnes reversi sunt. Et erat dolendum, quòd in prædicto facinore quamplures Sacerdotes & alii Clerici infra sacros & extra existentes, quamplures etiam forinseci de patriâ, fuerunt consentientes & agentes. Dolendum est insuper, quòd xlviii. milites decepti per aliquos de ipsis majores muneribus corrupti, dixerunt falsò & malitiosè; quòd Ecclesia fuit combusta per ignem intus existentem malè custoditum. Dicebant tamen, & hoc verum, quòd cives fecerunt insultum & apposuerunt ad portas & ad alia loca, &c. Tradidit Dominus Rex maneria Conventûs Norwicensis residua in custodiâ Prioris de Binham sub hac formâ, quod inveniret omnia necessaria Conventui Norwicensi, residuum salvo custodiret sine wasto, quousque aliud haberet in mandatis; & ea quæ fuerunt in manibus Obedientiarum, non fuerunt seisita nec tradita in alicujus extranei custodiâ. Sub eodem tempore vi. Kal. Octobris recessit Rex à Norwico; & in crastino frater Willelmus de Brunham renunciavit Prioratum Norwici sponte, purè & absolutè in manibus Episcopi apud Thorp tunc infirmi. Statim post Kal. Octobris electus est Willelmus de Kirkeby in Priorem Norwicensem, & eodem die confirmatus apud Thorp,& in crastino installatus per Willelmum de Ho Præcentorem ad mandatum Episcopi; qui impetravit maneria extra manus Regis sine aliqua retentione. In die Sancti Lucæ Evangelistæ proximò sequente renovatum est interdictum in civitate Norwicensi per prædictum Episcopum. Eodem anno Rogerus Episcopus interdictum in civitate Norwici à vigiliâ Natalis Domini usque in crastinum Epiphaniæ relaxavit, & eodem die iteratò illud renovavit. Eodem anno ad petitionem Roberti de Kilwarbi nondum in Archiepiscopum consecrati fuit interdictum in civitate Norwici relaxatum usque in Octavas Paschæ, & eodem die sequenti fuit tertiò innovatum. Eodem anno circa festum Omnium Sanctorum missi sunt procuratores Norwici ad Curiam Romanam contra cives Norwicenses cum serie totius facti sub sigillis quatuor Suffraganeorum Ecclesiæ Cantuariensis. Sub eodem anno Dominicæ Incarnationis Idus Februarii obiit Willelmus de Brunham, quondam Prior Norwici.

Anno MCCLXXV. cùm quatuor millia marcarum fuissent petita ex parte Prioris & Conventûs Norwici; mediantibus Decano Sarum & Domino Thomâ de Clare, & à civibus duo millia marcarum oblata, Dominus Rex ordinavit in hunc modum. ‘Edwardus Dei gratiâ, &c. habito super præmissis prudentium virorum consilio, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti dictum ‘nostrum pronunciamus in hunc modum. In primis dicimus & ordinamus; ‘quòd omnes actiones & querelæ, quas habebant vel habere poterant ad invicem usque ad hanc diem vel ratione vel occasione, remittant hinc inde; & ‘quòd dicta communitas reddat Priori & Conventui ad reparandum seu reædificandum Ecclesiam & Prioratum prædictas iii. millia marcas ad terminos infra scriptos, videlicet quolibet anno centum Marcas, medietatem scilicet ad ‘quindenam Pentecostes, & aliam medietatem ad quindenam Sancti Martini, ‘quo-

'quousque dicta summa fuerit persoluta. Dicimus etiam & ordinamus; 'quòd dicta Communitas fieri faciat unum vas aureum ponderis x. librarum 'auri, pretii centum librarum argenti, ad tenendum Corpus Christi super al-'tare dictæ Ecclesiæ, in honore corporis Christi in eâdem Ecclesiâ perpetuò 'remanendum. Dicimus insuper & ordinamus; quòd dicti Prior & Conven-'tus faciant ex quacunque parte voluerint introitum dicti Prioratûs absque 'damno vel præjudicio alieno. Adhuc dicimus & ordinamus; quòd prædicti 'Episcopus, Prior & Conventus bonâ fide in Curiâ Romanâ & alibi sumpti-'bus communitatis, exceptis expensis quas faciet nuncius prædictorum Epis-'copi, Prioris & Conventûs qui ibit ad Curiam Romanam ad impetrandam 'relaxationem sententiarum latarum in dictam communitatem Norwicensem, 'procurent, quòd dicta communitas & eorum civitas à sententiâ excommuni-'cationis & interdicti & aliis latis in ipsas rationibus & occasionibus supra-'dictis absolvantur, & dictæ sententiæ totaliter relaxentur. Et si forte super 'præmissis vel eorum aliquo dubitationem oriri contigerit; nos ad declaran-'dum & interpretandum dubitationem hujusmodi retinemus nobis plenariam 'potestatem. Datum apud Westmonasterium v. die Octobris, anno regni no-'stri tertio. Eodem anno Calendas Novembris Rogerus Episcopus Norwi-censis relaxavit interdictum in civitate Norwici.

Anno MCCLXXVI. post diem Palmarum Frater Robertus Archiepiscopus Cantuariensis misit litteras suas Prioribus de Ordine Prædicatorum & Minorum de Norwico; ut absolverent excommunicatos de civitate Norwici auctoritate suâ & Episcopi Norwici, qui vices suas sibi commiserat, ut dixit.

Anno MCCLXXVII. die Sancti Vincentii obiit Rogerus Episcopus Norwicensis. Eodem anno circa Festum Sancti Johannis Baptistæ obiit Johannes Papa; cui successit Nicolaus. Eodem anno die Sancti Matthiæ Apostoli Willelmus de Middletone electus est in Episcopum Norwicensem; & quinto decimo die sequente fuit confirmatus.

Anno MCCLXXVIII. die Dominicâ proximâ ante Ascensionem Domini Willelmus de Middleton in Episcopum Norwicensem est consecratus. Eodem anno Dominicâ primâ Adventus Domini fuit dictus Willelmus Episcopus inthronizatus. Eodem die dedicavit magnam Ecclesiam Sanctæ Trinitatis Norwicensis; in quâ dedicatione fuerunt præsentes & condedicantes Johannes de Chisil Episcopus Londoniensis, Thomas de Cantulupe Herefordensis, & Stephanus Waterfordensis Episcopi, & Archiepiscopus Sagiensis. Erant etiam præsentes Dominus Edwardus Rex, Regina, plures Comites & Barones, & cæteri Magnates.

Anno MCCLXXXVI. iv. Nonas Aprilis dedicata est Ecclesia magnæ Gernemutæ à Willelmo de Middletune Episcopo Norwicensi in honore Sancti Nicolai Episcopi; & translatum est Festum Dedicationis usque in diem Translationis Sancti Nicholai sequentem ab eodem Episcopo, qui etiam dedicavit Cœmiterium ipso die.

Anno MCCLXXXVIII. bonæ memoriæ W. de Middletone Episcopus Norwicensis reversus de Wasconiâ; qui dum ibi fuerat, Senescallus Domini Regis in civitate Burdegalensi effectus erat; qui in esculentis & poculentis aliis præ cæteris Magnatibus Angliæ ibi moram trahentibus se exhibuit recommendatum; & mox post ejus reversionem in Angliam viam universæ carnis ingressus est. Cujus corpus sepultum erat in Capellâ Domini Norwicensis Episcopi; scilicet die Dominicâ post Festum Nativitatis B. Mariæ. Eodem die accesserunt ad Regem duo Monachi Norwicenses, ab eo licentiam petituri, ut moris erat in Angliâ, eligendi; ipsumque Regem invenerunt in regno Aragoniæ. Petitâ ab eo licentiâ & obtentâ, die Sabbati proximâ ante Festum Sancti Martini domum reversi sunt; statueruntque Monachi diem Jovis scilicet Sancti Martini ad electionem perficiendam; & processerunt in ele-

electionem per modum compromissi; & compromiserunt in viii. viris fide dignis; qui omnes elegerunt Magistrum Radulfum de Walpol Archidiaconum Eliensem in Episcopum & Pastorem Ecclesiæ Norwicensis. Quæ quidem electio tunc displicuit omnibus & singulis de totâ Diocesi Norwicensi, & omnes unanimiter maledicebant totum Conventum, & maximè eligentes. Factâ electione destinârunt ad ipsum quendam nuncium cum totius Conventûs consensu. Postmodùm accesserunt ad ipsum Electum tres Monachi, humiliter & devote interpellantes, ut electioni de se factæ benignum præstaret assensum. Quo præstito dictus Electus unà cum duobus Monachis accesserunt ad Dominum Regem in partibus transmarinis; ipsumque inveniebat apud bonam Guardam in ingressu Aragoniæ. Quo invento petierunt ab eo, ut electioni de Prædicto Electo factæ regium præstaret assensum; qui pro voto jocoso animo annuebat; reversique sunt in Angliam die Conversionis Sancti Pauli; & ibi die Dominicâ sequente venerunt ad Curiam Archiepiscopi Cantuariensis, qui cum multiplici gaudio fuerant ibi recepti; & die Martis sequente dictum Electum sollemniter apud Suthmallinge confirmavit; & statum Monachorum, vitam pariter & honestatem Norwicensium occasione suæ electionis publicè & solemniter recommendavit; & dicto Electo ad consecrationem suam celebrandam apud Cantuariam in mediâ Quadragesimâ terminum præfixit. Eodem anno electus est Magister Willelmus de la Cornere in Episcopum Sarum, & apud Cantuariam consecratur. Eodem anno, videlicet vii. Idus Martii, in crastino Sancti Fœlicis Episcopi, obiit Willelmus de Kirkeby Prior Norwicensis; cui successit Henricus de Lakenham. Eodem anno combusta erat Ecclesia Fratrum Prædicatorum apud Sanctum Botulfum unà cum Refectoriis & aliis domibus; & plures seldæ cum diversis generibus mercium ibidem combustæ sunt.

Anno MCCLXXXIX. Radulfus de Walpole Episcopus Norwicensis visitavit Diocesim suam.

Anno MCCXC. Dominus Robertus de Clarâ & Prior Sanctæ Trinitatis Londoniæ incarcerati sunt pro ipso, quòd ipsi citârunt Dominum Edmundum Comitem Cornubiæ in Palatio Regis apud Westmonasterium, quòd compareret coram Archiepiscopo. Commotus etiam Rex valdè, & jussit eos custodiri in Turri Londoniæ; & dicebat Palatium suum privilegiatum esse à Sede Romanâ, & quòd nullus ibi debeat citari.

Anno MCCXCV. citatus est Prior Norwicensis ad Parliamentum Regis per tale Breve: 'Edwardus Dei &c. dilecto nobis in Christo Priori Norwicensi salutem. Quia super quibusdam negotiis nos & Regnum nostrum ac vos cæterosque Prælatos de eodem Regno tangentibus, quæ sine vestrâ & eorum præsentiâ nolumus expediri, Parliamentum nostrum tenere & vobiscum super his colloquium habere volumus & tractatum; vobis mandamus in fide & dilectione quibus nobis tenemini, firmiter injungentes; quòd sitis ad nos apud Westmonasterium primo die mensis Augusti proximo futuro, vel saltem infra tertium diem subsequentem ad ultimum, nobiscum super dictis negotiis tractaturi & vestrum consilium impensuri; & hoc nullo modo omittatis. Teste meipso apud Westmonasterium xxiv. die Junii, anno regni nostri xxiii.

BARTHOLOMÆI DE COTTON
Monachi Norwicensis
Historia de Episcopis Norwicensibus.

I. (*a*) CHristianissimo Rege Orientalium Anglorum Sigeberto regnante, primus Episcopus fuit (*b*) FÆLIX natione Burgundus; qui Sigeberto in Galliâ exulanti familiaris effectus, Angliam cum eodem post mortem Eorpwaldi venit; eoque regnum Provinciæ sortito, Episcopus ordinatus totam ad fidem prædicando convertit. Hic Scolas literarum opportunis locis constituit; & in civitate sedem habuit, quæ nunc Silthestowe vocatur supra mare in orientali parte Suffolchiæ. Hic cùm xvii. annis Ecclesiam rexisset, sepultus est in Dommoc civitate sedis suæ. Sed postea inde translatus est apud Seham; ubi aliquando secundùm quosdam fuit Sedes Episcopalis; quæ est villa juxta stagnum Eliense: qui locus postea destructus à Danis, corpus ejus quæsitum & repertum, in Ramesiensi Cœnobio humatum est. Cui successit

II. THOMAS (*c*) Diaconus suus, ex Girviorum provinciâ oriundus. Cui successit post v. annos

III. BONIFACIUS (*d*), qui & *Bersigel*, genere Cantius. Hic xvii. annis præfuit. Cui successit

IV. BISI [*e*], vir venerabilis, à Theodoro Archiepiscopo institutus. Tandem morbo correptus is locum dedit. Defuncto itaque Bisi, duo Episcopi Provinciam illam usque ad tempus Egbriti Regis Westsaxonum rexerunt; quorum unus sedebat apud Dommoc, & alter apud Elmham; ut infrà patebit.

(*a*) Omnia quæ de Episcopis Norwicensibus habet usque ad Normannorum tempora, Bartholomæus ex Historiâ Willelmi Malmsburiensis *de gest. Pontif. Angl. l.* 2. *c.* 2. nonnullis prætermissis descripsit.

(*b*) Quo primùm anno Fælix fidem Christianam inter Orientales Anglos prædicaverit, parùm inter Historicos convenit. Factum id anno 636. Chronologia Saxonica & Florentius volunt. Id anno 630. vel sequenti potiùs contigisse censerem. Author enim est Beda Honorium Archiepiscopum Cant. Thomæ & Bonifacio Fælicis successoribus consecrationis munus impendisse. Fælix autem sedit annis 17. Thomas 5. & Honorius obiit anno 653. Post annum igitur 631. Fælix prædicationem auspicari non potuit. Porrò ex ejusdem fide Fælix à Sigiberto Rege in Orientalem Angliam primùm adductus erat. Sigibertus Eorpwaldo post trium annorum interregnum successit. Eorpwaldus ab Edwino Northanhumbrorum Rege ad fidem conversus, brevi post interiit. Ipse autem Edwinus fidem ante annum 627. amplexus non est. Fælix igitur provinciam ante annum 630. intrare non potuit. Sedit annis 17. ex omnium sententiâ. Obiit anno 650. juxta Florilegum, anno 649. juxta Thomam Eliensem, anno 647. juxta Florentium, qui solus veritatem attigit. Obitum die 8. Martii contigisse, corpusque illius ab Ethelstano Abbate ad Ramseiam Canuto regnante translatum esse refert Capgravius in *Legendâ novâ, f.* 146.

(*c*) *Jacobus* à Gervasio malè appellatur. Sedit is annos 5. ex concordi omnium voce; atque adeò obiit anno 652. vel sequenti; certè ante exitum anni 653. quo Honorius Archiepiscopus post consecratum Bonifacium Thomæ successorem decessit.

(*d*) *Berchtgislus* Bedæ, *Bertgilsus* Florentio, *Beorhtgils* Textui Roffensi dictus, sedit annis 17. authore Bedâ l. 4. c. 5. Obiit anno circiter 669.

[*e*] Bisi, aliis *Bosa* nominatus, consecratus est à Theodoro Archiepiscopo post medium annum 669. Anno 673. interfuit Synodo Herudfordensi. Brevi pòst *ipso adhuc superstite, sed gravissimâ infirmitate ab administrando Episcopatu prohibito, duo sunt pro illo Æcca & Badwine electi, & consecrati Episcopi; ex quo usque hodie Provincia illa duos habere solet Episcopos.* Beda l. 4. c. 5. Factum id anno 673. Florentius, 674. Westmonasteriensis & Pseudo-Asserius scribunt.

Epiſcopi apud Elmham.

I. BEDWINUS (*a*).
II. NORTHBERTUS (*b*).
III. ETELATUS (*c*).
IV. EDELFRIDUS (*d*).
V. LAMFERTUS (*e*).
VI. ATHELWLVUS (*f*).
VII. WNFERTHUS (*g*).
VIII. SIBBA (*h*).
IX. HUNFERTUS (*i*).
X. HUMBRITTUS (*l*).

Epiſcopi apud Domoc.

I. ETTA [*a*].
II. EASCULPHUS [*b*].
III. EADREDUS [*c*].
IV. CUTHWINUS [*d*].
V. ALBERTUS [*e*].
VI. EGLAFUS [*f*].
VII. HARDREDUS [*g*].
VIII. ALSINUS [*h*].
IX. TITEFERTUS [*i*].
X. WEREMUNDUS [*l*].
XI. WILREDUS [*m*].

Hi duo Epiſcopi erant Orientalium Anglorum, ſc. Wnfertus, qui & Alherdus, Elmamenſis, & Thitheſertus Domucenſis, quum Offa Rex regnavit, & fecit Epiſcopatum apud Lichefeld.

Humbrittus & Wilredus Epiſcopi erant Orientalium Anglorum tempore Ludecani Regis Merciorum & Egbritti Regis Weſtſaxonum. Sed eodem Ludecano & anteceſſore ejus Burthredo incurſantibus provinciam, & Epiſcopis neceſſariorum copiâ deſtitutis, ex duobus unus factus eſt, & apud Elmham ſedem obtinuit.

(*a*) *Bedwinus*, Bedæ *Badwini*, Malmsburienſi *Baldwinus*, Florentio *Beadwine*, Textui Roffenſi *Eadewine* dictus, ſedem Epiſcopalem apud Elmham in agro Norfolcienſi anno 673. accepit; S. Oſitham habitu ſanctimoniali induit anno 675.

(*b*) *Rothberht* in Textu Roffenſi, *Northbertus* apud Malmsbur. appellatur.

(*c*) *Netholacum* Malmsburienſis, *Heatholacum* Florentius, *Hadulacum* Beda, *Hathelacum* Textus Roff. vocant. Sedem Helmhamenſem tenuit anno 731. quo Beda Hiſtoriam terminavit.

(*d*) *Æthelſerthus* Florentio, *Æthelſrith* Textui Roffenſi dicitur.

(*e*) *Lanſerthus* à Florentio, *Lamferd* à Malmsburienſi vulgato, *Fanfred* à Codice MS. Lichfeld, *Eanfrith* à Textu Roff. nominatur.

(*f*) *Æthelwlſum* Florentius, *Athewlf* Malmsburienſis, *Athelwulf* Textus Roff. appellant.

(*g*) *Alberd* à Malmsburienſi, *Haraldus* à Matthæo Paris (in Vitâ Offæ Regis p. 22.) *Hunferthus* à Florentio vulg. *Alberd* à Florentio MS. *Aibeard* à Textu Roff. *Ealbeard* in Actis Concil. vocatur. Rectiſſimè hunc Bartholomæus noſter Sibbano præponit, eundemque fuiſſe docet cum Alherdo, quem Titfrido Domocenſi & Offæ Regi coætaneum fuiſſe apud omnes in confeſſo eſt. Sic enim Epiſcopos Elmamenſes diſponunt Textus Roff. & Florentius MS. *Albeard*, *Sibba*, *Hunferth*. Præfuit Alherdus tempore Archiepiſcopatûs apud Lichfeld ab Offâ poſiti, viz. anno circ. 787. ſubſcripſit chartæ Offæ Regis datæ Eccleſiæ Roff. 789. apud Text. Roff. f. 133. Adfuit Synodo Cloveſhovienſi 803. apud Concil. Angl. p. 325. Malè è contra Malmsburienſis ordine conturbato Alherdum Sibbano ſubjecit, non aliâ puto ratione ductus, quàm ut in utrâq; Epiſcoporum ſerie nonum Offæ Regi coætaneum faceret.

(*h*) *Sigge* Malmsburienſi dicitur, *Sibbanus* in Actis Concil. Angl. p. 328. in quibus Synodo Calcuthenſi anno 816. interfuiſſe reperitur.

(*i*) *Huſerd* Malmsburienſi vulgato, *Huſred* Codici Lichfeld, *Hunſertbus* Florentio, *Hunferth* Textui Roff. audit. De ordine ipſius apud Malmsburienſem conturbato ſuprà dictum eſt. Conſecratus eſt à Wlfredo Archiepiſcopo Cant. cui profeſſionem obedientiæ ſcriptam dedit. Synodo Calcuthenſi anno 824. adfuiſſe legitur in Concil. Angl. p. 335.

(*l*) *Humbrittus*, Textui Roff. *Hunberht*, Aſſerio *Nunberchus*, aliis *Humbertus* dictus, Hunfertho ſucceſſit ante annum 826. modò Ludecano Regi æqualis fuerit. Anno 856. 25. Dec. Edmundum Eaſtanglorum Regem coronavit; & cum eodem martyrium tulit, à Danis occiſus 870. 20. Novembr.

[*a*] *Etta*, Bedæ *Ecci*, Florentio vulgato *Æcca*, Flor. MS. *Aecec*, Malmsburienſi *Heta*, Florilego *Acca*, Gervaſio *Eata*, Textui Roff. *Æcce*, ſedem Epiſcopalem apud Dommoc in agro Suffolcienſi anno 673. accepit. Anno 675. juncto cum Bedwino Helmeamenſi miniſterio S. Oſithæ velum induxit.

[*b*] *Aſtulfus* Malmsburienſi, *Eſculphus* Florentio, *Æſcwulf* Textui Roffenſi audit.

[*c*] *Edredum* Malmsburienſis, *Eardredum* Florentius, *Ealdberchtum* Beda, *Eadredum* Textus Roff. appellant. Sedi Domocenſi præfuit anno 731. quo Beda Hiſtoriam finivit. Heardelſus Epiſcopus Dunmocenſis, qui ſubſcripſit actis Synodi Cloveſh. anno 747. habitæ, (Concil. Angl. p. 242.) non alius videtur.

[*d*] *Guthwine* apud Textum Roff. appellatur.

[*e*] *Albrithus* à Malmsburienſi, *Aldbertus* à Florentio, *Alberht* à Textu Roff. appellatur.

[*f*] *Eglaſum* Florentius & Textus Roff. vocant.

[*g*] *Eudredum* Malmsburienſis vulg. *Erdredum* Codices Lich. & Trin. *Headredum* Florentius vulg. *Heardredum* Florentius MS. & Textus Roff. nominant.

[*h*] *Albun* à Malmsburienſi vulg. *Halim* à Codice Lich. *Ælſounus* à Florentio MS. & Textu Roff. appellatur.

[*i*] *Titfrid* Malmsburienſi vulg. *Tidfrid* Codici Lich. *Hidſerthus* Florentio, *Widſrith* Textui Roff. dicitur. Iſtum Sedi Domoc illo tempore præfuiſſe, quo Offa Rex Archiepiſcopatum Lichefeldiæ poſuit, viz. anno circiter 787. apud omnes in confeſſo eſt. Idem Synodo Becanceldenſi interfuit anno 798. Cloveſhovienſi 803. Calcuthenſi 816. *Concil. Angl. p.* 318, 325, 328.

[*l*] *Wermundum* Florentius, *Wærmund* Textus Roff. appellant. Hunc Florilegus anno 870. obiiſſe refert.

[*m*] *Wildred* nonnullis dictus, chartæ Witlafii Regis datæ Cœnobio Croilandenſi anno 833. apud Ingulphum fol. 480. ſubſcripſiſſe fingitur, Veriſimiliora tradit Florilegus, illum nimirum Humberto Helmeamenſi & Weremundo Domocenſi Epiſcopis anno 870. defunctis in utrâque Sede ſucceſſiſſe, propriam autem ſedem apud Helmham poſuiſſe, & poſt plures annos defunctum Athulfo locum dediſſe. Quæ de centum annorum enim vacatione Godwinus tradit, gratis ſunt dicta, nullius Hiſtorici teſtimonio confirmata. Dani quidem Provinciam illo tempore inſederant. Non ideo tamen Epiſcopi animarum curam dereliquerunt. Conſtat certè Humbertum & Weremundum anno 870. deceſſiſſe, iis ſucceſſiſſe Wilredum; medioque ſæculo ſequenti alios Epiſcopos ſedem Elmamenſem tenuiſſe; ut ſi Wilredum longævum demus, ullam admitti vacationem non ſit neceſſe.

Epiſcopi

Episcopi utriusque Sedis.

XXVI. ADULPHUS (*a*). Hic fuit tempore Regis Edwini.
XXVII. AFFRICUS (*b*).
XXVIII. TEDREDUS (*c*).
XXIX. TEDREDUS (*c*).
XXX. EDELSTANUS (*d*).
XXXI. ALGARUS (*e*) Sanctus, qui per visionem cognovit decessum S. Dunstani Archiepiscopi.
XXXII. ALWINUS (*f*).
XXXIII. ELFRICUS (*g*).

(*a*) *Adulphus*, aliis *Athulphus*, seu *Eadulphus*, consecratus est ab Odone Archiepiscopo post annum 938. Extat Professio Odoni facta in Archivis Ecclesiæ Cant. Eundem sub Edwio Rege, ab anno sc. 955. ad 959. claruisse Florentius prodit. Anno 963. subscripsit chartæ Edgari Regis datæ Ecclesiæ Ebor. apud Monastic. tom. 3. p. 128.

(*b*) Rectiùs *Alfricus*. Sic enim dicitur in Textu Roff. & in codicibus MSS. Willelmi Malmsbur. Confirmavit is Chartam Edgari Regis datam Cœnobio Croilandensi anno 966. apud Ingulphum f. 502. Neque alius videtur à Sigefrido, quem ex Monacho Glaston. Episcopum Norwic. factum tempore Edgari Regis, Nonis Aprilis obiisse Historia Glastoniensis refert.

(*c*) Aliis *Theodredus*. Alter alteri ejusdem nominis successisse ab omnibus perhibetur. Utriusque autem tempus incompertum latet. Obiit posterior ante annum 975. siquidem fides adhibenda sit Thomæ Eliensi (in Hist. Eli. MS. par.2. *Titus A.* 1.) qui Athelstanum Episcopum Edgaro Regi contemporaneum ponit. Sin verò Textui Roffensi magis sit tribuendum; Theodredus Helmamensis Episcopus chartæ Etheldredi Regis Ecclesiæ Roff. anno 995. datæ subscripsisse inibi narratur. Alter ex his à Radulpho Dicetensi *Bonus* cognominatur. Id autem cognominis Theodredi Londinensis Episcopi proprium fuisse arbitror. Referunt quidem Registra Cœnobii Buriensis in Monastico tom. 1. p. 293, 294. Teodredum Londinensem fuisse antea Elmamensem Episcopum. Verùm Chronologia adversatur. Constat enim Theodredum Londinensem ante annum 940. Episcopatum istum tenuisse.

(*d*) Malmsburiensi *Athelstanus*, Textui Roffensi *Elstanus* dictus. Illum Thomas Eliensis Edgaro Regi æqualem, ante annum 975. consecratum esse, & post annum 981. defunctum, in Cœnobio Eliensi sepultum tradit.

(*e*) Hunc Sacerdotem fuisse, *doctrinâ & actionis merito præcipuum*, quando Dunstanus Archiepiscopus è vivis excessit, viz. anno 988. postea ad Sedem Helmamensem promotum, Malmsburiensis ex antiquo authore *Vita Dunstani* refert. Subscripsit is chartæ Etheldredi Regis datæ Ecclesiæ Roff. anno 1012. apud Textum Roff. f. 161. & Chartæ Canuti Regis datæ Ecclesiæ Christi Cant. anno 1018. in Concil. Angl. tom. 1. p. 533. Obiit anno 1021. ex fide Florentii, Chronici Mailrosensis, Hovedeni & Florilegi. Ælfgarus quidam Episcopus die 24. Decembris obiisse in Obituario Eliensi memoratur. Non alius is à nostro Norwicensi fuit. Sic enim habent Annales Saxonici Petriburg. in anno 1021. *Obiit Ælfgar Episcopus* ꝼe ælmeꞅꝼulla (eleemosinis plenus) *in diluculo diei Natalis Christi.*

(*f*) Aliis *Alfwinus*, *Aldwinus*, & *Ealwinus*, Textui Roffensi *Elfwin*, successit Algaro anno 1021. ex eorundem fide. Hallucinatur itaque Thomas Eliensis, qui ab Ethelredo Rege Episcopatu donatum asserit. Alii itidem Historici, ex quorum mente Monachos Ecclesiæ S. Edmundi de Burgo Clericis ejectis anno 1020. induxit. Id quidem eo anno Canutus Rex fecit. Anno autem sequenti Ailwinus ad Episcopatum evectus Ecclesiæ Buriensis fundamenta jecit, tradente Chronico Johannis de Oxenedes Monachi de Hulmo. Abdicato demum Episcopatu, ad Cœnobium Eliense, ex quo olim prodierat, recessit; ubi post plures annos vitam finivit, authore Thomâ Eliensi.

(*g*) Aliis *Alfricus* & *Aluric*, & *Elricus*. Multa contulit Cœnobio S. Edmundi de Burgo; quæ in Monastico tom. 1. p. 292. memorantur. Obiit ante annum 1035.

XXXIV. ELFRICUS, iste fuit Prior Elienfis (*h*).
XXXV. STIGANDUS, (*i*) sed ejectus; pro quo
XXXVI. GRIMKETEL electus, tenuit duos Episcopatus, scil. Orientalium Anglorum, & Orientalium Saxonum, vel Australium Saxonum secundùm quosdam & veriùs. Sed tandem Stigandus tantum procuravit; ut sibi Australium Saxonum Episcopatum procuravit, Grimketel dejecto, & fratri suo Egelmero Episcopatum Orientalium Anglorum. Unde prædictus successit frater ejus.
XXXVII. AGELMARUS, (*l*) scil. frater Stigandi, cui successit

Episcopi Thetfordenses.

XXXVIII. ARFATTUS, (*m*) Hic transtulit sedem de Elmham apud Tefordiam tempore Willelmi Regis ex edicto Concilii, ut prius dictum est. Hic fuit antè Capellanus Regis Willelmi.
XXXIX. WILLELMUS DE BELFAGO, (*n*) vir egregius, prædicto successit; & apud Thefordiam similiter sedit; & isti duo tantùm.

(*h*) *Elfricus* seu *Eluricus* II. cognomento *Bonus*, successit Elfrico seniori ante obitum Canuti Regis. Alter enim Elfricus sub Canuto & Haroldo Regibus præfuisse fertur in Registro Buriensi (apud Monasticon tom. 1. p. 292.) & iste *Bonus* triennio post Canutum obiit. Anno scilicet 1038. obiit ex fide Florentii, Westmonasteriensis, & Annalium Saxon MSS. *Domitian A.* 8. Obitum quidem ejus Florentius & Westmonasteriensis in annum etiam 1044. referunt. Cùm verò in id utrique conveniat Stigandum quo tempore Episcopatum Estangliæ suscepit, Regi à sacris fuisse, & eundem Haroldi Regis Capellanum fuisse omnibus notum sit, Haroldus autem anno 1040. obierit: satius videtur Stigandi introitum in annum 1038. conjicere.

(*i*) Variam fortunam in Episcopatu Estangliæ Stigandus subiit. Primò enim à Grimketello Seolesiensi Episcopo ejectus locum cessit. Grimketellus utramque Sedem simul tenuit. Mox vice versâ Stigandus Grimketello utrâque Sede deturbato utramque obtinuit. Stigandum à Grimketello primùm ejectum arbitror anno 1040. quando Hardecanutus Rex Haroldo fratri succedens, odio fratris plurimos ipsius amicos & clientes injuriis affecit & bonis spoliavit. Post biennium defuncto Hardecanuto, Edwardus successit, annitentibus maximè Godwino Comite & Livingo Episcopo Wigorniensi, quos Hardecanutus præ aliis exagitaverat. Tunc igitur vice versâ Haroldi clientes in integrum restituti, Hardecanuti autem depressi. Illo itaque tempore Stigandum ejecto Grimketello Sedem suam Helmeamensem recepisse conjicio. Nec nudâ quidem restitutione contentus, administrationem Episcopatûs Seolesiensis à Grimketello lege talionis abreptam sibi committi impetravit. Utramque dehinc Sedem rexit ad annum usque 1047. quando Alwino Episcopo Wintoniensi defuncto, cathedram Wintoniensem involavit, Agelmaro fratri Helmamensem dereliquit; ægrè exoratus, ut proprius Seolesiæ Episcopus concederetur, Hecca sc. Regis Capellanus. Mortuo enim eodem circiter tempore Grimketello, defuit Stigando prætextus Sedis istius in usum suum ulteriùs sequestrandæ. Ista mihi in re admodum involutâ & vero magis similia & Historiæ magis consentanea videntur. Nonnulla quidem suadent ipsum ablatum Grimketello Episcopatum Estangliæ Agelmaro statim consignâsse, & solam Seolesiam ad annum 1047. tenuisse. Nec repugno.

(*l*) Fratris potentiâ sibi in Sede Helmamensi subrogatus, unà cum eodem est depositus in Synodo Wintoniensi anno 1070. in Octavis Paschæ habitâ.

(*m*) Aliis *Arfastus* & *Herfastus*, Willelmi Regis Capellanus, summâ apud eum gratiâ plurimis annis ante subjugatam Angliam vigebat. Medio anno 1070. Episcopatu Helmamensi à Rege donatus; Cancellariatu anno 1073. forsan & pluribus circumcirca annis fungebatur. Sedem ex Helmham ad Thetfordiam transtulit præcepto Concilii Londinensis à Lanfranco anno 1075. habiti, quo cautum est ut Sedes Episcopales à villis in urbes celebriores transferrentur. Obiit anno 1085. juxta Annales vetustos Roffenses MSS. aliosque Anonymos valde antiquos *Nero C. 6.* anno 1084. juxta Annales Wintonienses.

(*n*) *Willelmus de Bewfewe* in Chartulario Cœnobii de Binham dictus, Regis Clericus nominatus est à Rege ad Episcopatum Thetfordensem anno 1085. in Festo Nativitatis Domini, & consecratus anno sequenti à Lanfranco Archiepiscopo apud Cantuariam unà cum Roberto Episcopo Cestrensi. Obiit anno circiter 1091.

Episcopi

Episcopi Norwicenses.

XL. HERBERTUS (*o*) successit Willelmo tempore Willelmi junioris, cognomento Losinga. Hic priùs fuit Prior Fiscamni, postea Abbas Ramesiæ; & pater suus Robertus Abbas Wintoniæ. Hic Herbertus in Pago Oxoniensi natus, Fiscamni Monachus, post ejusdem loci Prioratum strenue administratum, translatus à Rege Willelmo, qui secundus ex Normannis obtinuit imperium, Rameseiæ Abbatis jure prælatus est; unde post exactum terminum ad Orientalium Anglorum Episcopatum electus & consecratus est. Erat quippe vir omnium literarum tam sæcularium quàm divinarum imbutus scientiâ, facundiâ incomparabili, venustus corpore, jocundus aspectu, ut solo visu plerunque à nescientibus quòd esset Episcopus deprehenderetur. Mentis quippe gratia radiabat in vultu; & morum tranquillitas corporis officium suo famulatui subigebat. Fide integer, spe erectus, quicquid agebat, quicquid loquebatur, sapientiâ disponebat, confirmabat veritate, caritate saporabat, temperabat modestiâ; & omne bonum, cujus maximè visceribus affluebat, supponebat judicio, ut eandem ipse consequi mereretur. Vir igitur prudentis consilii, vagæ sedis non ferens injuriam; quæ nunc in vico qui Elmham dicitur in sacello ligneo, nunc verò apud Tefordense opidulum in alienæ possessionis Ecclesiâ, sive in aliis quibuslibet locis pro singulorum Episcoporum lubitu habebatur; multum sibi locum Norwici comparavit pecuniâ primò à Regibus Willelmo secundo & Henrico, deinde ab ipsius loci civibus; in quo in S. Trinitatis nomine incœpit & majori ex parte perfecit Ecclesiam. Congregatis in eâ sexaginta & eo ampliùs Monasticæ disciplinæ viris, ibidem tam sibi quàm successoribus suis Episcopalem cathedram collocari & in perpetuo consecrari à Domino Paschali Papâ obtinuit. Monachorum quoque paci consulens & securitati, oblationes Ecclesiæ ab omni exactione liberans, Monachorum omnino esse censuit, eorum usibus omnimodis profuturis. Sed & possessiones discrevit; quarum partem non modicam tam à Rege Henrico quàm à cæteris fidelibus ipsius Regis assensu multo labore & precio acquisierat; ut liquidò constaret, quæ Monachorum quæque Episcopalibus usibus deservirent. Nec parum quoque in hoc vir sagacis ingenii providit posteritati; quòd hinc Monachorum inde Episcopales officinas seorsim constituit; ne popularis frequentia, qua Episcopus carere non potest, Monasticæ paci inquietudinem generaret: manifestis declarans indiciis, quàm studiosus religiosæ traditionis æmulator extiterat. Nec priùs destitit, quàm constitutionem suam Apostolicæ & Regiæ auctoritatis privilegiis confirmaret; Apostolici anathematis mucrone feriendum obtinens, si quis Monachos expellere vel temerè vexando fatigare, vel eorum bona auferre, minuere, retinere moliretur. Præterea ut Sanctorum patrocinia sibi compararet; alias præclari operis constituit Ecclesias; primam in colle, qui Episcopali Ecclesiæ interjecto flumine imminet, secundam Norwici in Curiâ Episcopi, tertiam apud Elmham,

(*o*) Sæpiùs *Herebertus* dictus, *ex Priore Fiscamnensi Abbas Ramesiæ à Willelmo II. Rege factus, post tres annos Episcopus Thetfordensis efficitur. Ipse cœpit ædificare Ecclesiam Norwicensem anno* 1096. *in loco vocato Cowholme. Cartam Monachis introductis dedit anno* 1101. *mense Septembri.* Sic Cartularium de Binham (in Collect. Dodsworth vol. 59. f. 3. in Biblioth. Oxon.) Episcopus Thetfordensis creatus est anno 1091. consecratus à Thomâ Eboracensi Archiepiscopo, vacante tunc Sede Cant. Anno 1094. 9. April. Sedem Episcopalem à Thetfordiâ ad Norwicum transtulit, fide Annnalium Bartholomæi. obiit 1119. 22. Julii. Sic enim Chronicon breve Norwicense (*Vitellius C.* 9.) Florentii Continuator, & Radulphus de Diceto produnt. Malè Hovedenus diem 23. Aug. diem 21. Junii Weaverus posuit.

quartam

quartam Levinæ, quintam Gernemutæ, i. e. ad hoſtium Gerni fluminis; quas omnes perpetuo jure Monachorum tradidit dominio. Fœlix religioſorum collectio, ſi tali ei paſtore diutius uti licuiſſet! O dira, O miſera mortalium conditio, ea citiùs deperire, quæ nobis diutius conſtare præoptamus! O diem omni lacrimarum fonte plangendam, æternis damnandam tenebris; quæ mundum tanti viri præſentiâ viduaverit! obiit enim Herbertus Epiſcopus, vir per omnia catholicus, æternam mundo ſui nominis ſuis in operibus memoriam relinquens: multoque omnium comprovincialium dolore ſepultus eſt in ipsâ Epiſcopali Eccleſiâ, quam ipſe ſtabilierat poſſeſſionibus, libriſque & diverſi generis ornamentis ditaverat, ante dominicum altare in ſacrophago tanti viri humatione digno. Tranſiit autem anno ab Incarnatione Domini MCXIX. Pontificatûs autem ſui viceſimo nono, xi. Cal. Auguſti, ſub Rege Henrico primo, præſidente Romanæ Eccleſiæ Domino Papâ Gelaſio, regnante Domino N. J. Chriſto, cui cum Patre & Spiritu S. honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Iſte Herbertus apud Tefordiam Monachos Cluniacenſes inſtituit. Unde licèt quidam Simoniæ culpam ei imponant; quòd à Rege Willelmo Epiſcopatum per adulationem & pecuniam adquiſivit, quòd tunc temporis Reges ſine omni electione pro lubitu ſuo conferebant Epiſcopatus, licèt injuſtè: mihi tamen videtur, quòd excuſatur per Apoſtolum dicentem; * *Redimentes tempus, quia dies mali ſunt*; & per Decratalem qui dicit, quòd licitum eſt Clerico emere jus Eccleſiæ ſuæ de manu laici, ſi aliter habere non poſſit. Veruntamen vir prudens in omnibus, tandem ſentiens conſcientiam ſuam læſam aliquantulum, Romam profectus, annulum & baculum reſignans, & culpam ſuam confitens, indulgentiam & reſtitutionem bonis actibus exigentibus à Domino Papâ meruit. Vacante Epiſcopatu Norwicenſi annis tribus poſt mortem ejus, ſucceſſit ei

* Epheſ. v. 16.

XLI. EBORARDUS (*p*) Archidiaconus Saleſberiæ, qui conſecratus eſt à Radulpho Archiepiſcopo. Hic deceſſit apud Fontanum anno Pontificatûs ſui xxix. iv. Idus Octobris, anno gratiæ MCL. ſub Rege Stephano. Et nota quòd Epiſcopatus Norwicenſis iv. habet Archidiaconatus, & xlv. Decanatus.

Archidiaconatus Norwicenſis habet XII. Decanias.

Norwicum & Taverham.	Holt.	Brecles.
Blafend.	Walſingham.	Lenniam.
Ingewerth.	Toſtes.	Thetford.
Sparham.	Buſele.	Fleeg.

Archidiaconatus Norfolcienſis habet XII. Decanias.

Reppes.	Waxtoneſham.	Rokelund.	Hecham.
Hunlierd.	Brock.	Kenewik.	Dunham.
Depwade.	Redenhale.	Fincham.	Hengham.

(*p*) Conſecratus eſt Cantuariæ à Radulpho Archiepiſcopo 1121. 12. Junii; obiit 1149. 15. Octobr. Depoſitum fuiſſe Hencicus Huntindon in libro MS. *de contemptu mundi* narrat. *Vir crudeliſſimus*, inquit, *& ob hoc jam depoſitus.* Factum id cenſeo anno 1145. quando Everardum à Norwico receſſiſſe Bartholomæus in Annalibus ſcribit: & Sefridum Epiſcopum Ciceſtrenſem ob crimen parile tunc amotum conſtat. Latuit id Hiſtoricos noſtrates ferè omnes; in dubium tamen trahi nequit, cùm Henrici, qui infra ſeptennium ſcripſit, fide confirmetur. Tempore ipſius, anno 1144. 22. Martii, contigit martyrium Willelmi pueri à Judæis clàm crucifixi; cujus memoria poſtea Eccleſiæ Norwicenſi plurimùm profuit. Meminit ejus Chronicon breve Norwic. hiſce verbis. *Anno Gratiæ 1144. 11. Cal. Aprilis S. Willelmus à Judæis martyrizatur anno Pontificatûs ſui 29.*

Archi-

Archidiaconatus Suffolchiæ habet XIII. Decanias.

Ludingland.	Wayneford.	† Plumesgate.	Gipewyth.
Dosemere.	Hoxene.	Lose. Cleydone.	Samford.
Harleford.	Donewik.	Colneyse.	Wileford.

† Plumestede *Cod. alter.*

Archidiaconatus Suthburiæ habet VIII. Decanias.

Fordham.	Stowe.	Sutbire.	Hertismere.
Tinghoe.	Tedwardistre.	Blakeburne.	Clare.

De domibus Religiosis Norffolchiæ & Suffolchiæ.

Habet autem Episcopatus Norwicensis plura Cœnobia Religiosorum. Sed præcipua sunt Abbatia S. Edmundi, S. Benedicti de Monachis; & Prioratus de Buthlee, & Prioratus S. Trinitatis, & etiam S. Petri de Gipewico de Canonicis. Habet etiam plures domos de Monialibus, & plures de Ordine Præmonasterii, & plures de Ordine de Symplingham, & plures Prioratus de Ordine Cluniacensi, & Abbatiam de Sibbetone de Ordine Cistercensium.

XLII. WILLELMUS (*q*) dictus *Turbe*, anno Domini MCL. Eborardo successit. Hic fuit genere Normannus, ab adolescentiâ Monachus Norwicensis, denique Prior ejusdem loci, deinde ab eodem conventu electus in Episcopum, & consecratus à Theobaldo Cant. Archiepiscopo. Hujus tempore combusta fuit Norwicensis Ecclesia. Hic anno Pontificatûs sui xxv. obiit xvi. Cal. Februarii; & sepultus est in Ecclesia sua Norwicensi. Huic successit,

XLIII. JOHANNES primus (*r*), qui dicebatur *Johannes de Oxoniâ*, anno Dom. MCLXX. Hic fuit Decanus Sarisberiensis. Hic consummavit Ecclesiam ab Herberto incœptam; & Infirmariam ædificavit, & multa bona Monachis fecit. Hic etiam Ecclesiam S. Trinitatis de Gipwico & officinas ejusdem incendio consumptas reædificavit; & Ecclesiam consecravit ibidem. Hic anno Pontificatûs sui xxvi. decessit, iv. Nonas Julii; & sepultus est ante magnum Altare cum prædictis, sc. Herberto & Willelmo, anno Domini MCC. & Regis Johannis anno secundo. Cui successit,

(*q*) Quicunque Everardum depositum fuisse nesciunt, Willelmi introitum in annum 1150. referunt, & ab isto Pontificatûs sui annos numerant. Sic Florilegus, & uterque Chronographus Norwicensis. Verè autem Willelmus Turbus Everardo deposito subrogatus est anno 1146. eodem anno à Theobaldo Archiepiscopo apud Cantuariam consecratus. Testatur id Gervasius in Chronico, testis omni exceptione major. Quòd Willelmus Prior Ecclesiæ Norwicensis antea fuisse dicitur, vix stare potest. Anno enim 1146. obiit Helias Prior; cui successit Ricardus. Forsitan Willelmus Subprior erat, qui Prioris secundi titulo sæpissimè cohonestatur. Obiit anno 1174. ineunte, die 20. Jan. juxta Gervasium, die 16. Jan. juxta Dicetensem, die 17. Jan. juxta Bartholomæum & Chronicon breve Norwic. quibus suffragatur Epitaphium illius apud Weaverum. Addit Chronicon Norwicense obitum anno 1175. contigisse.

(*r*) Johannes, Decanus (non Archidiaconus, quod vult Godwinus) Sarisburiensis, in Episcopum Norwic. electus est apud Eignesham 1175. 26. Nov. consecratus apud Lamethamdie 14. Decembr. sequentis à Ricardo Archiepiscopo; authore Radulpho de Diceto *Imag. Hist. p.* 588. Anno 1176. legatus ab Henrico Rege in Siciliam, ut Joannam ejus filiam Siculo Regi ducendam traderet, transfretavit 6. Cal. Sept. Virginem regiam Siculis tradidit apud S. Ægidium 5. Id. Novembr. & in Angliam paulò ante Natale Domini reversus est. Anno 1179. Justiciarius itinerans constitutus est. Obiit 1200. 2. Junii. *Chron. Norwic. Obiit. Cant. &c.*

XLIV. JOHANNES DE GRAY (*s*), Clericus & Justitiarius Domini Regis Johannis, anno Domini MCCI. & anno Regis Johannis II. Hic fecit aulam & totam choream ædificiorum apud Geywode. Hic postulatus fuit in Archiepiscopum Cant. Sed postulatione ejus cassatâ apud Curiam Romanam, electus & consecratus est ibidem consensu Domini Papæ Stephanus de Langedone in Archiepiscopum Cantuariæ. Hic anno Pontificatus sui xiv. transiit xv. Cal. Novembris; & sepultus est apud Norwicum: & vacavit Sedes vii. annis, cui tandem successit

XLV. PANDULPHUS (*t*) Domini Papæ Legatus; qui post electionem suam Romam reversus, consecratus est à Domino Papâ Honorio anno Domini MCCXXII. & Regis Henrici tertii sexto. Hic archam cum reliquiis Monachis dedit. Hic anno Pontificatûs sui v. transiit, sc. xvi. Cal. Octobris; & sepultus est apud Norwicum in matrici Ecclesia. Cui successit,

XLVI. THOMAS DE BLUNVILE (*u*), & à Stephano Cant. Archiepiscopo consecratur anno Domini MCCXXVI. & Regis Henrici XI. Hic anno Pontificatûs sui x. transiit, xvi. Cal. Septembris: & vacavit Sedes iii. annis. Cui tandem successit,

(*s*) Johannes Gray, Archidiaconus Glocestrensis, ad Episcopatum Norwic. à Rege promotus, consecratus est Westmonasterii in Capellâ S. Caterinæ 1200. 24. Sept. ab Huberto Archiepiscopo, contra appellationem à Monachis Cantuariensibus interpositam. Monachi enim asserebant nullum Sedis Cant. Suffraganeum extra Ecclesiam Metropoliticam sine ipsorum licentiâ consecrari debere. Hubertus è contra Monachorum petulantiam exosus, jurisdictionem suam nullis limitibus coerceri voluit. Votum tamen postea Monachi tulerunt dono Edmundi Archiepiscopi; qui anno circiter 1235. Monachis concessit, & solenni chartâ confirmavit; ut nullus Episcopus extra Ecclesiam Cant. sine ipsorum licentiâ in scriptis habitâ consecrari posset. Edmundi concessionem consuetudo hucusque observata stabilivit. Verùm ista παρόδως. Anno 1211. summus Hiberniæ Justiciarius seu Prorex constitutus, provinciam fœlicissimè administravit. Obiit 1214. 18. Octobr. in territorio Pictaviensi, à Româ redeuns, apud S. Johannem Angeliacum. Id præter Bartholomæum, Annales Prioratûs de Suthwerk, Chronicon breve Norwic. & Obituarium Cant. tradunt. Godwinus, & ab ipso deceptus Weaverus, diem 1. Novembris illi fatalem posuerunt.

(*t*) *Pandulphus*, cognomento *Masca*, rebus in Angliâ sub Johanne & Henrico Regibus autoritate Papali gestis apud Historicos nostrates notissimus, anno 1218. in Angliam iterum legatus, Episcopus Norwicensis anno eodem electus est. Medio anno 1221. Romam reversus, Legati munus obire desiit; atque anno sequenti die 29. Maii apud Romam consecratus est. Romæ positus vir callidus, & pro more gentis suæ lucri avidissimus, Ecclesiam Norwic. plurimis debitis gravatam causatus, primitias omnium beneficiorum Ecclesiasticorum suæ Diocesis sibi concedi impetravit. Easdem successores sui à Clero Norwicensi ad annum usque 1288. summâ injuriâ exegerunt. Obiit 1226. 16. Sept. Sic quidem præter Bartholomæum, Chronicon breve Norwic. & Obituarium Cant. produnt; quamvis Godwinus diem 17. Augusti posuerit. Johannes de Taxton quidem, Monachus Buriensis, in Annalibus suis Pandulfum in Italiâ die 16. Augusti obiisse refert. Quæ de Cardinalatu illius nonnulli habent, mihi falsa videntur.

(*u*) Thomas de Blundevile, Clericus de Scaccario Regis, Huberti de Burgo summi Angliæ Justitiarii potentiâ substitutus est, à Stephano Archiepiscopo consecratus 1226. Dominicâ primâ ante Nativitatem (viz. die 20. Dec.) narrante Matthæo Paris, Johanne de Taxton, & Annalibus Wigorn. Addunt Annales ipsum Hugonis nepotem fuisse. Consecratus est apud Westmonasterium in Capellâ B. Caterinæ. Obiit 1236. 1. Sept. juxta Chronicon. Norwic. & Annales Roff. die. 16. Augusti juxta Obituarium Cant. Parisium & Florilegum, die 20. Aug. juxta Annales Johannis Walingford, die 15. Sept. juxta Annales Prioratûs de Suthwerk.

XLVII.

XLVII. WILLELMUS DE RALEE (*w*) anno Dom. MCCXXXIX. & Regis Henrici tertii xxiii. Et anno Pontificatûs sui iii. postulatus est ad Episcopatum Wintoniensem; & anno sequenti confirmatus & consecratus, & anno Domini MCCL. obiit apud Turonas. Cal. Septembris. Cui successit in Norwico

XLVIII. WALTERUS DE SUTHFELD, (*x*) Regens in Decretis apud Parisios, anno Domini MCCXLIII. electus, & anno sequenti consecratus est. Hic fecit Hospitale S. Egidii in Norwico, & possessionibus ditavit. Hic etiam fecit novam Capellam B. Mariæ in Cathedrali Ecclesiâ Norwicensi; ubi postea sepultus est anno Pontificatûs sui xiii. xv. Cal. Junii, anno Regis Henrici III. xli. qui etiam locus meritis ejus usque in hodiernum diem miraculis coruscat.

XLIX. SIMON DE WANTON (*y*) Domini Regis Henrici Clericus & Justitiarius, ei successit anno Domini MCCLVIII. qui eodem anno vi. Idus Martii in Episcopum est consecratus à Bonifacio Archiepiscopo Cant. Hic viii. anno Pontificatûs sui transiit, iv. Nonas Januarii, & sepultus est in Capellâ prædictâ, quam ædificavit Walterus Episcopus. Cui successit,

L. ROGERUS DE SKERNYNG (*z*), Prior Ecclesiæ ejusdem & Monachus, anno Domini MCCLXV. & Regis Henrici III. xlix. & anno sequenti consecratus est ab Archiepiscopo. Tempore hujus combusta est Ecclesia Norwicensis à civibus Norwicensibus, anno ultimo Regis Henrici III. Hic anno Pontificatûs sui xii. sc. die S. Vincentii Martyris, transiit anno Regis Edwardi V. Cui successit,

---

(*w*) Thomæ successit Radulphus quidam 1236. 28. Oct. ipso forsitan die electus. Certè eo die (quicquid velit Godwinus) consecrari non potuit. Dominicus enim non erat. Obiit idem anno sequenti. Meminerunt ejus Florilegus & Historia Roffensis. Defuncto Radulpho, Monachi elegerunt Simonem de Elmham Priorem suum; cujus electio Rege procurante futilibus de causis iniquè est cassata anno 1239. apud Romam, authore Johanne Walingford in Annalibus MSS. Tunc itaque Monachi Norwicenses Willelmum de Raleigh Clericum Regis familiarem & Exoniensis Ecclesiæ Thesaurarium in Episcopum elegerunt, ipsum in Episcopum Cestrensem paulò ante electum fuisse nescientes. Optione Willelmo datâ utrum Episcopatum mallet, Norwicensem prælegit. Consecratus est Londini ab Edmundo Archiepiscopo in Ecclesia S. Pauli 1239. 25. Sept. Anno 1242. die 1. Sept. (juxta Chronicon. breve Norwic.) ad Episcopatum Winton. postulatus, post plurimas difficultates confirmatus est à Papâ 1243. admissus à Rege 1244. mense Aprili.

(*x*) Walterus electus à Monachis Norwic. anno 1243. confirmatus est à Bonifacio Cant. Archiepiscopo electo 1244. eodem anno consectatus apud Karhowe extra Norwicum. Obiit 1257. apud Colcestriam die 20. Maii juxta Matthæum Paris, die 19. Maii juxta Chronicon breve Norwic. Johannem de Oxenedes, & Johannem de Walingford. Iste Walterus, mandato Innocentii Papæ, qui Regi decimam omnium bonorum Ecclesiasticorum per triennium percipiendam concesserat, anno 1254. fecit descriptionem valoris reddituum ad Ecclesiasticos in totâ Angliâ spectantium. Missis enim (verba sunt Annalium Burton) per totum regnum præceptis, in singulis Capitulis & Decanatibus cujuscunque Diocesis fecit Decanum & tres Rectores vel Vicarios, qui fuerint majoris auctoritatis, inquirere veritatem & sub juramento certificare quæ sit justa æstimatio omnium proventuum Ecclesiasticorum tam majorum quàm minorum, & prædictas justas æstimationes in scriptis fideliter redigere, ad se transmittendas. Ista descriptio Walteri curâ habita in tabulas publicas descripta est; & dato *Taxæ Norwicensis* nomine, in cunctis ferè Cleri censibus deinceps usurpata fuit.

(*y*) Simon de Waltone, aliis *de Wanton*, confirmatus est à Bonifacio Archiepiscopo Cant. 1257. 2. Aug. consecratus ab eodem apud Cantuariam 1258. 10. Martii, intronizatus die 17. Martii Dominicâ Palmarum. Obiit 1265. (exeunte) die 2. Jan. *Chronic. breve Norwic. & Jo. Oxenedes.*

(*z*) Consecratus est Cantuariæ ab Ottobono Papæ Legato 1266. 19. Sept. Obiit 1278. 22. Jan. apud Suthelmham manerium suum, sepultus apud Norwicum in octavis S. Agnetis. *Rot. Profess. autogr. 5. Jo. Oxenedes.*

LI. Magister WILLLELMUS DE MIDDLETONE (*a*), Archidiaconus Cant. qui anno Domini MCCLXXVIII. Dominicâ post Ascensionem consecratus est ab Archiepiscopo Cant. Roberto de Kylwardby, & primâ Dominicâ Adventûs Domini sequentis intronizatus. Quo die Ecclesiam Norwicensem, nunquam antea dedicatam, dedicavit, præsente Rege Edwardo & Episcopis & Magnatibus plurimis, anno Regis Edwardi v. Hic anno Pontificatûs sui xi. ultimo die mensis Augusti transiit, & sepultus in capellâ Walteri Episcopi ad caput ejusdem. Cui successit,

LII. Magister RADULPHUS DE WALPOL (*b*), Archidiaconus Eliensis, die S. Martini electus, & in medio Quadragesimæ consecratus apud Cantuariam a Domino Johanne de Pecham Archiepiscopo Cant. anno Domini MCCLXXXVIII. & Regis Edwardi XV. qui anno Pontificatûs sui xi. translatus ad Episcopatum Eliensem, à Bonifacio Papâ VIII. qui stetit per ii. annos & plus usque ad diem S. Cuthberti; & decessit xiii. anno primæ consecrationis suæ eodem die quo consecratus fuit, & sepultus est in Ecclesiâ Eliensi. Cui successit,

LIII. JOHANNES (*c*) Prior Eliensis, ex dono Bonifacii prædicti, eodem anno quo prædictus Radulphus translatus fuit ad Ecclesiam Eliensem: in crastino S. Trinitatis anno Domini MCCLXXXXIX. fuit consecratus à Domino Roberto de Winchelse Archiepiscopo Cant. anno Regis Edwardi XXVI. Hic procuravit confirmationem de primis fructibus à Domino Papa Clemente.

(*a*) Electus 1278. 24. Febr. consecratus à Roberto Archiepiscopo apud Lametham die 29. Maii, Ecclesiam Norwicensem dedicavit 1278. 27. Nov. obiit 1288. 1. Sept. (juxta alios 31. Aug.) apud manerium suum de Tlingg in Essexiâ; & Norwicum delatus, die 12. Sept. sepultus est. *Tho. Wikes, Chron. breve Norwic. Jo. Oxenedes.*

(*b*) Electus 1288. 11. Nov. confirmatus ab Archiepiscopo 1289. 1. Febr. consecratus est Dominicâ media Quadragesimæ, viz. die 20. Martii. Illum in confirmatione Johannes Archiepiscopus Cant. sic allocutus est. *Domine Electe, in Episcopatu Norwicensi est malus abusus de perceptione primorum fructuum beneficiorum vacantium in Diocesi Norwic. & Deo displicet & homini, & ex radice cupiditatis processit. Ideo suadeo vobis pro salute animæ vestræ; ut pro bono publico Ecclesiarum dictæ Diocesis quod illam non continuetis, sed annihilare studeatis.* Cui respondit idem Electus: *Domine & Pater reverende, libenter faciam quod mihi dixistis; & promitto hoc facere quantum in me est.* Radulphus demum ad Ecclesiam Eliensem translatus est 1299. 15. Jul. *Jo. Oxenedes, Registr. Winchelsey.*

(*c*) Johannes Salmon, seu Saleman, Prior Eliensis, in Episcopum Eliensem electus medio anno 1298. cassatus est à Bonifacio Papâ medio anno 1299. Episcopatu Eliensi Radulpho Episcopo Norwicensi dato. Johannes autem vicissim ad Episcopatum Norwicensem à Papâ jure provisionis promotus est 1299. 15. Julii, confirmatus à Roberto Archiepiscopo apud Chartham die 3. Octobr. consecratus ab eodem in Ecclesiâ Cant. die 15. Novembris. *Registr. Winchelsey.* Anno 1320. Cancellarius Angliæ in frequenti Ordinum consessu à Rege est renunciatus. Anno 1325. legatus à Rege ad Franciam, ibi cœpit ægrotare. Domum propterea rediens, obiit apud Folkeston in litore Cantiano 1325. 6. Julii. *Chron. breve Norwic. W. Dene in Hist. Roff. Adam Merimouth in Continuat. Florilegi.*

CON-

CONTINUATIO
Historiæ Bartholomæi Cotton
DE
Episcopis Norwicensibus.

Authore Monacho Norwicensi anonymo.

LIII. QUIN & instrumenta prædecessorum suorum Episcoporum Norwici, & aliorum fidelium multorum, super Ecclesiis & Ecclesiasticis bonis Monachis concessa, coram se exhiberi faciens; eadem omnia de verbo ad verbum ex Decreto exemplari fecit innovari & publicari; & omnia prædicta instrumenta concessit, ratificavit & confirmavit. Hic etiam Ecclesiam de Westhale appropriavit ad Cantariam quatuor Capellanorum in Capellâ S. Johannis ex parte Occidentali Ecclesiæ, quam sumptibus suis honorificè construxit. Hic etiam contulit decem libratas in Cresyngham officio Camerariæ ad augmentationem vestimentorum Monachorum. Et Ecclesiam suis vestimentis pretiosis ac aliis ornamentis quamplurimum decoravit. Hic obiit anno Pontificatûs sui xxvi. Cui successit Willelmus Ayremym Episcopus.

LIV. WILLELMUS AYREMYN (*a*), Clericus Domini Regis, ex collatione Papæ factus Episcopus Norwici anno Domini MCCCXXV. Qui Ambassiator Regis factus ad Curiam Romanam missus est; & oblitus Ambassiationis suæ causam, impetravit sibi ipsi à Domino Papâ Episcopatum Norwici.

(*a*) Post Johannis obitum Monachi Norwicenses elegerunt Robertum de Baldok, Archidiaconum Middlesexiæ & Cancellarium regni, anno 1325. mense Julio. Rex assensum præstitit die 28. Julii, Archiepiscopus confirmavit die 11. Augusti. Verùm Electus audito rumore certo, quòd Papa Sedis dispositionem sibi reservaverit, Temporalia Regi, Spiritualia Archiepiscopo reddidit; jusque suum utroque præsente in Monasterio de Langedon prope Dovoram abrenunciavit 1325. 3. Sept. Episcopatum mox Papæ dono delatum accepit Willelmus Ayremyn. Iste Canonicus Eboracensis admissus est anno 1316. Wellensis 1324. Custos Rotulorum 1316. 19. Aug. Locum tenens Johannis Norwic. Episcopi Angliæ Cancellarii infirmitate detenti 1323. Episcopus Norwicensis precibus Isabellæ Reginæ à Papâ creatus 1325. Reginæ enim in iniquis adversùs maritum machinationibus sedulam diu operam præstitit; & ipsius potentiâ invito Rege ad Episcopatum provectus est. Qua de re vide Historiam Roff. Willelmi Dene in anno 1326. A Rege demum ad Temporalia admissus anno 1326. die 9. Novembr. mandatum pro intronizatione ab Archiepiscopo obtinuit die 19. Decembr. Anno sequenti rerum summâ ad Isabellam Reginam & Edwardum Principem devolutâ, Cancellarius Angliæ sub finem anni renunciatus est; Thesaurarius postea constitutus 1331. 1. April. Obiit 1336. 27. Martii; ex fide Chronici brevis Norwic. & Willelmi Dene.

wici. Quo audito Rex misit Satellites ad Norwicum, ut eum comprehenderent. Sed occultatus à Monachis, latuit in Ecclesiâ suâ; ipsiusque per amicos inter ipsum & Dominum Regem facta est concordia. Hic postea in sublevationem officii Celerarii contulit cc. libras, eo pacto ut Celerarius & Subcelerarius post mortem dicti Willelmi pro animâ ejus omni die celebrarent vel facerent celebrari. Hic obiit anno Pontificatûs sui xi. Cui successit in Episcopum

LV. ANTONIUS DE BEEK (*b*), Magister in Theologiâ, Clericus in Curiâ Romanâ, ex donatione Papæ, anno Domini MCCCXXXVI. factus est Episcopus Norwici. Hujus tempore voluit Archiepiscopus Cant. Winchelse visitâsse Capitulum & Diœcesin Norwicensem. Sed quòd non perfecerat ordinem suum in visitando alias Diœceses secundùm jura; ideo Episcopus & Capitulum restiterunt ei unanimi consensu; appellantes ad Curiam Romanam, & resistentes ei viis & modis. Postquam verò Archiepiscopus in personâ suâ in pulpito præparato ante portas Ecclesiæ super vacuam terram pro parte exposuerat causam suam; impeditus tum à Burgensibus villæ, non complevit velle suum. Supervenit enim Monachus Norwicensis, qui in pulpito * omnibus evidentibus visitationis causam Archiepiscopi declaravit esse nullam. Hic etiam post convocatis Priore & senioribus apud Hewyngham; ubi investigatâ & disputatâ electione & præfixione Monachorum in majoribus officiis: tandem compertum est per seniores Monasterii, quòd electio Officiariorum ad majora officia tantùm pertinuit ad Priorem & Seniores, præfixio autem eorundem soli Episcopo pertinebat. Hic verò obiit anno Pontificatûs sui vii. à ministris propriis, ut dicitur, subitò intoxicatus. Eodem anno successit

* Rationibus evidentibus, vel omnibus videntibus.

LVI. WILLELMUS BATEMAN (*c*), Doctor Juris Civilis, natus de Norwico, & Archidiaconus Norwicensis, Auditor Curiæ Romanæ, electus à toto Capitulo in Episcopum Norwicensem anno Domini MCCCXLIII. Hic primos fructus omnium Ecclesiarum Norwicensium vacantium, post multas lites & controversias inter Episcopum & Diœcesin, Episcopatui per Bullas Apostolicas perpetuò confirmavit. Hic etiam duo Collegia in Universitate Cantabrigiæ fundavit, viz. S. Trinitatis, & Annunciationis B. Mariæ vocatum Gunwyle-hale; quæ ditavit redditibus & ædificiis, exstruxit ad commendationem perpetuam Clericorum. Hic contulit summo altari Norwicensi imaginem magnam S. Trinitatis in Tabernaculo, totam de argento & deauratam, ad magnum valorem. Item minorem imaginem S. Trinitatis, cum reliquiis ponderis xx. librarum. Hic similiter appropriavit Ecclesiam de Frenge officio Prioris ad illum finem, quòd perpetuaretur una Cantaria pro animâ ejus ad primum altare in Choro; ita ut unusquisque ibi celebrans per septimanam reciperet duos solidos, quod & factum est. Etiam statuit, quòd de eâdem Ecclesiâ de Frenge unusquisque Monachus reciperet iv. solidos ad duo Festa, viz. omnium Sanctorum, & S. Thomæ ad Nativitatem Domini. Statuit insuper, quòd quilibet Monachus reciperet duos solidos de Priore S. Leonardi ad Festum S. Johannis Baptistæ: & de Infirmario & Præcentore iv. solidos, scil. ad duos anni terminos viz. Assumptionis B. Mariæ & Conceptionis. Item statuit, quòd panis & cervisia Monachorum custodirentur per Monachum in futurum. Hic in tantum libertates, immunitates & jura Ecclesiæ dilexit; quòd nec propter timorem Regis nec aliorum Magnatum

(*b*) Illum anno 1343. die 19. Decembr. obiisse tradit Chronicon breve Norwicense.

(*c*) Istum anno 1355. die 6. Januarii apud Avionem obiisse constat ex Registro *Islip*. Ipso præsidente, anno 1348. & sequenti grassata est per Angliam lues atrocissima; adeò ut in Comitatu Norwicensi (verba sunt Chronici brevis Norwic.) interierint 57374. homines, præter Clericos & pauperes mendicantes.

quo-

quorumcunque ea voluit permittere mutilari. Unde Dominum Robertum de Morle propter direptiones † fatigatas per eum in maneribus & parcubus, non obstantibus Brevibus Regiis, immo non obstante quod Dominus Rex Edwardus omnia Temporalia Episcopo pertinentia in manus suas confiscaverat, dictum Dominum Robertum nudis pedibus capite discooperto publicam & sollemnem pœnitentiam subire coegit: Ita ut idem Dominus Robertus in tunicâ suâ cum cereo ponderante vi. libras in manu suâ veniret, & ad summum altare Ecclesiæ Cathedralis offerret, veniam pro delictis humiliter supplicando. Hic postea reconciliatus Domino Regi, electus est à toto Parliamento; ut cum Domino Henrico Duce Lancastriæ ad Curiam Romanam pro declarando jure Edwardi Regis, quod habuit in regno Franciæ ratione matris suæ, dirigeret gressus suos. Quò cum pervenisset, omnibus ritè peractis, viam universæ carnis fœliciter est ingressus. Cui successit

† Factas.

LVII. THOMAS PERCY (d), ex dono Summi Pontificis ad interventum Domini Henrici Ducis Lancastriæ, frater Comitis Northumbriæ, Bacularius in Artibus, Universitatis Oxoniensis, anno Domini MCCCLVI. Hic primò deceptus per Clericos, voluit appropriâsse omnes Decanias pertinentes Ecclesiæ Cathedrali Capellæ S. Mariæ de Campis. Sed impeditus per Monachos, & postea pleniùs edoctus, de exhæredatione juris Ecclesiæ Cathedralis summè pœnituit; & integer Monasterio ex animo factus est amicus. Hic ad reparationem Presbiterii, quod in magno vento prostratum est per Campanile, viz. in Festo S. Mauri Abbatis, contulit cccc. marcas ex propriis thesauris. Hic impetravit subsidium à toto Clero Diocesis Norwicensis ad reparationem dicti Presbiterii, viz. novem denarios de librâ. Hic obiit anno Pontificatûs sui xiv. Cujus executores Willelmus Swynflet & alii fecerunt appropriari officio Præcentoris ad illum effectum, quòd idem Præcentor pro animâ dicti Thomæ Episcopi perpetuò celebraret vel faceret celebrari ad altare dicti Thomæ. Vacante sede Norwicensi, stetit Dominus de Spencer in guerris Domini Papæ; qui prece & precio fratri suo Henrico Spenser Episcopatum Norwicensem impetravit. Et vacavit tunc sedes Episcopalis fermè per duos annos.

LVIII. HENRICUS SPENSER (e), consecratus fuit in Curiâ Romanâ; & postea veniens in Angliam ad Ecclesiam suam, per Archidiaconum Norwici inthronizatus est ··············

LIX. ALEXANDER (f) ······················ Sequenti verò die Alexander Prior convocato Capitulo, de consensu omnium ordinavit; quòd in Festo Exaltationis S. Crucis procederent ad electionem futuri Pontificis solemniter percelebrandam. Erga quam diem omnes & singuli, qui habebant jus in electione, publicè sunt citati. Allucescente itaque die prædictâ

(d) Batemanno in Curiâ Romanâ defuncto, Papa Episcopatum Thomæ Percy statim contulit. Temporalia is à Rege obtinuit 1355. 14. April. Angliam autem non ante initium anni 1361. ingressus videtur. Eo enim anno die 6. Febr. professionem obedientiæ Archiepiscopo Cant. apud Lametham fecit; eandemque in Ecclesiâ Cant. renovavit anno 1363. in Vigiliâ Pentecostes. Obiit apud Blofeld 1369. 8. Augusti. *Registra Islip, Cranborn, & Witlesey.*

(e) Henricus Spenser, seu Dispenser, Canonicus Sarisburiensis, provisus est ad Sedem Norwic. ab Urbano Papâ 1370. 3. April. Spiritualia Episcopatûs sui ab Archiepiscopo accepit die 12. Julii, Temporalia à Rege die 14. Augusti. De rebus bellicis ab ipso foràs gestis consule Walsinghamum *Hist. Angl.* in annis 1381, 1382, 1383. & Henricum Knighton *lib.* 5. *p.* 2671, *&c.* de rebus domi gestis Johannem Capgravium in *Vitâ* ejus, de odio adversùs Wiclevistas concepto Walsinghamum p. 340. Obiit 1406. 23. Augusti, teste Registro *Arundell.*

(f) Desunt plura in Codice MS. Alexander Totington, loci Prior, electus est 1406. 14. Sept. provisus à Gregorio Papâ 1407. 19. Jan. Spiritualia ab Archiepiscopo accepit apud Glocestriam 1407. 20. Octobr. Temporalia à Rege die 23. Octobr. Obiit anno 1413. Ex Registro *Arundell.*

Exal-

Exaltationis S. Crucis, Prior & Conventus ad electionem unanimiter accesserunt in Capitulo, præsidente Alexandro Priore. Habitoque sermone & perlectâ Decretali à Magistro Willelmo Stukle, qui vias canonicas in jure nominatas eis recitabat. Et dum hæc agerentur, inopinatè surrexit Dominus Thomas Lynne Supprior, ut credebatur, ad instinctum Alani Qwaplode Præcentoris, nullo de Conventu hoc conjiciente, ivit ad Dominum Alexandrum Priorem Ecclesiæ, & tangens eum dixit: *Ego Thomas Lenne nomine meo & nomine Capituli eligo istum virum Dominum Alexandrum in Pastorem & Episcopum Ecclesiæ Norwicensis.* Omnibus verò de Conventu mirantibus, & tacentibus, nullo reclamante, Magister Willelmus Stukle altâ voce incœpit: *Te Deum laudamus.* Surgentes autem omnes duxerunt eum in Ecclesiam, collocantes ante summum altare; ubi K. Frater electionem sic canonicè factam publicavit. Quâ electione, ut moris est, per Procuratores Capituli Henrico Regi post Conquæstum IV. præsentatâ, Rex electionem acceptare renuit; & Electum apud Winsoram Castellum fermè per annum imprisonavit: se asserens nunquam sufferre dictum Electum gaudere dignitate Pontificali in Ecclesiâ Norwicensi. Sed tandem Rex precibus Reverendissimi Patris Thomæ Arundell tunc Cant. Archiepiscopi, aliorumque Regni Magnatum devictus, suum consensum & favorem post biennium Electo attribuit. Et sic pluribus fatigatus laboribus, anno Domini MCCCCVIII. Henrici verò Regis Quarti IX. à prædicto Thomâ Archiepiscopo consecratus est. Qui ad Ecclesiam suam divertens, plurima bona circa reparationem sui Palatii & maneriorum Episcopi, totaliter quasi per incuriam Henrici Spenser prædecessoris sui ruinam minantium, peregit. Hic obiit anno Pontificatûs sui vi. Henrici V. primo; & sepultus est in Ecclesiâ suâ Cathedrali in Capellâ B. Mariæ ad pedes piæ memoriæ Walteri Episcopi. Cui successit

LX. Magister RICARDUS CURTTENAYE (g), in utroque Jure Licentiatus, & Cancellarius Oxoniæ, per electionem Capituli Norwicensis, ad instantiam Henrici Regis V. qui anno Domini MCCCCXIII. à Domino Thomâ Arundell Archiepiscopo Cant. præsente Rege Henrico V. & diversis regni Magnatibus, apud Cantuariam honorificè consecratus est. Hic enim sanguine extitit nobilis, staturâ procerus, facie decorus, linguâ facundus, omnique corporis venustate perornatus. Qui plurimis Regis & regni negotiis præpeditus, nunquam installatus fuit. Hic transfretavit in Normanniam cum Rege Henrico V. Qui quidem Rex festinanter terram Normanniæ ingressus, properavit ad obsedendum villam vocatam Arleflete. In quâ obsessione prædictus Episcopus diem clausit extremum, Pontificatûs sui anno ii. xviii. die Cal. Septembris sub Rege Henrico V. & tumulatus est apud Westmonasterium in sepulturâ Regum in Septentrionali parte à feretro S. Edwardi Regis, in ipsius hostii ingressu pone magnum Altare. Cui successit per electionem Capituli Norwicensis

(g) Ricardus Courtney, Willelmi Courtney Archiepiscopi Cant. consanguineus, curâ ipsius bonis literis est institutus. Meminit illius Archiepiscopus in supremo Testamento hisce verbis: *Item lego filio & alumno meo Ricardo Courtenay centum marcas, & multos libros in casu quo Clericus esse velit, & optimam mitram meam in casu quo fuerit Episcopus.* Voto Archiepiscopi & omini dato Ricardus non defuit, Decanus Assavensis ante annum 1402. creatus, Canonicus Ebor. 1403. 1. Jun. admissus, Canonicus Wellensis 1408. Decanus Wellensis 1409. Cancellarius Academiæ Oxon. annis 1407, & 1411. constitutus, demum ad Episcopatum Norwicensem anno 1413. evectus. Obiit 1415. 14. Sept. in Comitatu Henrici Regis villam de Harflew in Normanniâ tunc obsidentis. Sic quidem Registrum *Chichley* testatur. Obituarium tamen Cant. obitum ejus die 16. Septembris contigisse refert.

LXI.

LXI. Dominus JOHANNES WAKERYNG (*h*), vir per omnia pius & pudicus, castus, munificus, dapsilis & mansuetus, Custos privati Sigilli Regii. Cujus promotionis tempore schisma quasi generale fuit in Ecclesiâ. Tres enim regnaverunt Antipapæ. Et igitur ne regnum Angliæ cuiquam scismatico in aliquo confaveret, Electus prædictus per Henricum Chichele Cant. Archipræsulem confirmatus & consecratus fuit sub Rege Henrico V. anno regni sui iv. & anno Domini MCCCCXVI. Quo tempore celebratum fuit sacrum Concilium Constantiense, ad quod destinatus fuit cum aliis Ambassiatoribus per Regem Henricum prædictus Episcopus. Cujus sacri Consilii labore cessavit Schisma prædictum; & in eodem Concilio electus fuit in Papam Martinus V. qui post suam Intronizationem prædicti Domini Episcopi confirmationem & consecrationem gratanter ratificavit. Hic perfecit claustrum in opere lapideo ex parte Occidentali ab hostio aulæ hospitum; plurimisque jocalibus Monasterium ditavit; & obiit in Domino Pontificatûs sui anno x. die v. Idus Aprilis, Regis Henrici VI. anno ii. & sepultus est in Ecclesiâ suâ Cathedrali ante altare S. Georgii: ubi perpetuam unius Monachi pro se & suis stabilivit Cantariam. Cui successit

LXII. Magister WILLELMUS ANEWYK (*i*), Legum Doctor & Custos privati Sigilli Regii; qui consecratus est ab Henrico Cant. Archiepiscopo in Ecclesiâ S. Pauli Londoniarum sub Henrico VI. anno regni sui iv. anno Domini MCCCCXXVI. Qui Pontificatûs sui anno x. translatus est ad Episcopatum Lincolniæ; ubi dies suos per plures annos in magno honore ducens, bono fine in Domino pausavit; & fieri fecit ex suâ gratiâ majus hostium Occidentale cum fenestrâ supereminente in Ecclesiâ Cathedrali Norwicensi. Cui successit in Episcopatu Norwicensi

LXIII. Magister THOMAS BROWNE (*l*), utriusque Legis Doctor, Episcopus Roffensis. In cujus tempore cives Norwici contra matricem insurrexerunt; & eam penitus conculcare ac privare suis libertatibus studuerunt. Contra quos prædictus Episcopus per se & per suos amicos ac per multimodas expensas viriliter se opposuit; tanquam turris fortitudinis pro libertate domûs Domini. Veruntamen in diebus ejus litis molestia in toto non est sedata, nec pacis jocunditas ad plenum redintegrata. Hic obiit apud Hoxon Pontificatûs sui anno ix. viii. Idus Decembris, sub Rege Henrico VI. anno regni sui xxvi. & sepultus est in Ecclesiâ suâ Cathedrali, in navi Ecclesiæ, coram altare Crucifixi sumptibus ejus præparatum. Cui successit per electionem Capituli Norwicensis viâ Spiritus Sancti ········.

(*h*) Johannes Wakering, Custos Rotulorum creatus 1405. 2. Martii, Canonicus Wellensis 1409. 30. Julii admissus, Magni etiam Sigilli Custos constitutus est 1410. à die 19. ad 31. Januarii; anno 1416. Episcopus Norwicensis à Monachis electus, confirmatus est ab Henrico Archiepiscopo die 27. Maii, consecratus ab eodem in Ecclesiâ S. Pauli die 29. Maii. Obiit in manerio suo de Thorp 1425. die 9. Aprilis. Ex Registro *Chichley*.

(*i*) Willelmus Alnwick, provisus est ad Episcopatum Norwic. à Martino V. Papâ, bullâ 1426. 27. Febr. datâ; consecratus ab Henrico Archiepiscopo in Ecclesiâ Cantuariensi 1426. 18. Augusti; Lincolniam translatus 1436. 19. Septemb. Registr. *Chichley*.

(*l*) *Thomas Brown*, aliàs *Brous*, translatus est à Sede Roffensi ad Norwicensem ab Eugenio Papâ 1436. 19. Sept. Obiit apud Hoxne 1445. 5. Decembr. ex fide Registrorum *Chichley* & *Stafford*. Anonymus tamen noster obitum ejus die 6. Dec. Obituarium Cant. die 28. Novembr. reposuit. Moriens legavit plurimam pecuniæ vim tenuioris fortunæ Scholaribus, qui è Diocesi suâ oriundi bonis literis operam in utravis Academiâ dederunt, distribuendam.

SUCCESSIO Episcoporum Norwicensium

Ab anno MCCCCXLVI. ad Reformationem.

LXIV. WALTERUS LYHERT.

Bale Cent. 8. cap. 34.

Regiſtr. Bekynton.

Regiſt. Stafford.

EPiſcopatum Norwicenſem Johanni Stanberio Etonenſis Collegii Præpoſito ab Henrico Rege donatum Willelmus Polus Comes Suffolcienſis præripuit, & Capellano ſuo à Papâ conferri obtinuit. Is erat Walterus Lyhert, aliis *Hart* dictus, S. Theologiæ Baccalaurens, Rector Eccleſiæ de Hyham in Dioceſi Wellenſi, & Collegii Orialenſis apud Oxoniam Præfectus, Epiſcopus Norwicenſis proviſione Papali renunciatus eſt 1446. 24. Jan. conſecratus apud Lametham die 27. Februarii ſequentis. Anno 1449. à Rege & Præſulibus Angliæ in Sabaudiam legatus, Fœlici Antipapæ author fuit, ut renunciato Papatu pacem Eccleſiæ donaret. De beneficiis ab ipſo Eccleſiæ Norwicenſi collatis Godwinum conſule. Neque enim aliorum verba exſcribere libet. Multa utrique Academiæ beneficia tum erectis ædificiis tum libris donatis contulit. Obiit 1472. 17. Maii.

Epitaph. apud Weaver p. 795.

LXV. JACOBUS GOLDWELL.

Jacobus Goldwell, Decanus Sarum, Edwardo IV. Regi ab Epiſtolis, olim Aulæ S. Georgii in Academiâ Oxonienſi Præſes, Waltero ſucceſſit, ad Temporalia admiſſus à Rege 1473. 25. Febr. Eccleſiam de Magnâ Chart in Dioceſi Cant. unde ortum traxiſſe videtur, vetuſtate fatiſcentem reſtituit, magnâque ex parte reædificavit. Collegium itidem Omnium Animarum Oxon. cujus alumnus olim fuiſſe dicitur, uberrimis beneficiis ditavit. Obiit 1499. menſe Februario, juxta Regiſtrum *Morton*, 1498. 23. Nov. juxta Obituarium Cant.

Weaver. loc. cit.

LXVI. THOMAS IAN.

Regiſtr. Morton.
Lib. ruber. Well.
Regiſtr. Cant.

Thomas Jan, Legum Doctor, Canonicus Wellenſis & Windleſorianus, Archidiaconus Eſſexienſis, & Decanus Capellæ Regiæ, Jacobo in Sede Norwicenſi ſubrogatus, confirmatus eſt ab Archiepiſcopo 1499. 24. Julii; licentiam conſecrationis extra Eccleſiam Cant. ſuſcipiendæ impetravit 1499. 17. Octobr. Prædia nonnulla Collegio Novo Oxonienſi, ex quo olim prodierat, donavit. Obiit 1500. menſe Septembri. Spiritualia enim poſt obitum ſuum in Capituli Cant. poteſtatem ſunt accepta 1500. 28. Sept.

LXVII. RICARDUS NIX.

Regiſtra Savage, Well. Fox. Ebor.

Jano ſubſtituitur Ricardus Nix, Legum Doctor, Rector Eccleſiæ de Warmouth in Dioceſi Dunelmenſi. Canonicus Reſidentiarius Eccleſiæ Wellenſis iſte admiſſus fuerat 1492. 27. Febr. Vicarius Generalis Ricardi Fox Epiſcopi

Wel-

Wellensis 1492. 10. Maii, Archidiaconus Wellensis 1494. 10. Julii, Canonicus Eboracensis 1494. 30. Julii. Licentiam consecrationis extra Ecclesiam Cant. suscipiendæ obtinuit 1501. 17. April. Ecclesiæ Norwicensis laquear pulcherrimè deauravit; atque alam ejusdem aquilonarem construxit: cæterùm nullis non vitiis, si Nevillo *Historiæ Norwicensis* authori fides, infamis, & effræni præcipuè libidine exæstuans. Extremâ senectute Reformationi Ecclesiæ fœliciter inchoatæ tam præfractè adversatus est; ut quamvis Papæ suprematum solenni juramento abnegâsset, clandestinum tamen cum Curiâ Romanâ commercium habere non sit veritus. Ad Regem delatus, & criminis convictus, carceri, quem Marescalli vocant, diu mancipatus est. Remissâ demum senectutis intuitu offensâ, brevi pòst obiit (ante plures annos oculis captus) 1536. 14. Jan. in album Monachorum Cantuariensium religionis ergo ascriptus. Sic enim habet Obituarium Cant. *Die 19. Cal. Febr. obiit Dominus Ricardus Nyx Episcopus Norwic. frater & benefactor noster.* Paucis ante obitum suum diebus binos sibi Chorepiscopos ascivit. In nuperis enim regni Comitiis lata lex fuerat, ut in majoribus Episcopatibus Chorepiscopi (Suffraganeos Episcopos Senatus-consultum vocat) instituerentur, eâ ratione eligendi, ut Episcopus duos Regi præsentaret, atque ex his Rex quem magis vellet ad Chorepiscopatum designaret. Hac methodo electi Johannes Salisbury, antea Prior Monasterii de Horsham, & Thomas Mannyng, Prior de Butley, à Thomâ Archiepiscopo Cant. simul consecrati sunt apud Lametham 1536. 19. Martii, huic apud Gipeswicum, illi apud Thetfordiam Sede datâ.

Registr. Cant. Weaver. p. 796.

Registr. Cranmer.

LXVIII. WILLELMUS REPPS.

Willelmus Reppis, aliàs Rugge, S. Theologiæ Doctor, in Aulâ Gonvilii apud Cantabrigiam educatus, dein Abbas S. Benedicti de Hulmo factus, inter Theologos Cantabrigienses strenuè laboravit ut de Henrici Regis nuptiarum divortio sententiam ab Academicis, qualem Rex voluerat, obtineret; quod & denuo effecit. In hujusce laboris mercedem successor Ricardo Nix à Rege designatus, electus est à Monachis 1536. 31. Maii, confirmatus ab Archiepiscopo die 28. Junii. Ne tamen integrâ frueretur dignitate; paulò pòst susceptum Episcopatum fundos & maneria Sedis suæ omnia redditibus Cœnobii sui de Hulmo in perpetuum commutare coactus est, prætextu quidem ampliandarum Episcopatûs possessionum, quamvis reipsâ veteres Episcopatûs fundi novos infinitis parasangis excederent. De resignatione ipsius, rebusque post annum 1540. gestis, alio loco agendum est.

Reg. Cranmer.

Succeſſio Priorum Eccleſiæ Norwicenſis.

MOnachos in Eccleſiâ Norwicenſi primùs inſtituit Herbertus Epiſcopus anno circiter 1100. Duplicem Priorum Norwicenſium ad annum uſque 1344. ſucceſſionem exhibuit Henricus Spencer Epiſcopus Norwic. in libro ſuo Memoriali *Claudius E.* 8. Pleroſque etiam Bartholomæus in Annalibus ſuis dedit. Reliquos aliunde hauſimus, nomina eorundem uſque ad annum 1471. monumentum quoddam Eccleſiæ Norwicenſis repræſentavit.

Ingulphus, Prior primus, obiit die 16. Januarii.

Helias, obiit 1146. 22. Octobr.

Ricardus, obiit 1158. 16. Maii. Malè Weſtmonaſterienſis obitum ipſius in annum 1168. retulit.

Elricus, obiit die 11. (in altero exemplari die 12.) Junii.

Tancredus, obiit die 15. Junii.

Girardus ſucceſſit anno 1185. obiit 1201. 17. Decembr.

Willelmus de Walſham, obiit 1218. 14. Febr. in altero exemplari 23. Febr.

Ranulphus de Warham, Epiſcopus Ciceſt. ſub initium anni 1219. factus eſt.

Willelmus filius Odonis, obiit 1235. 12. April.

Simon de Elmham, obiit 1257. 8. Junii, vir eximiæ ſanctitatis, & eminentis literaturæ, judice Matthæo Paris.

Rogerus de Skerninge, electus in Priorem 1257. 21. Auguſti, in Epiſcopum Norwicenſem 1266. 23. Januarii.

Nicolaus de Bramtoun, loco Rogeri electus, ab Epiſcopo confirmatus eſt 1266. 18. April. obiit 1269. 19. Febr.

Willelmus de Brunham, rectiùs *Burnham*, reſignavit 1272. 27. Septembr. obiit 1273. 13. Febr. juxta Bartholomæum, 12. Febr. juxta Spencerum.

Willelmus de Kirkeby, electus 1272. 1. Octobr. obiit 1289. 9. Martii.

Henricus de Lakenham, receſſit 1309. obiit 1311. 21. Octobr.

Robertus de Langele, obiit 1326. die 24. (in exemplari alio, die 22.) Sept.

Willelmus de Claxtoun, obiit 1344. 16. Auguſti.

Simon Bohonum ſucceſſit.

Regiſtr. Iſlip. *Laurentius Leeke* Simonem excepit. Hunc anno 1354. præfuiſſe comperio.

Nicolaus de How proximè memoratur.

Reg. Arundel. *Alexander Totington*, Epiſcopus Norwicenſis *ex Priore veterano* (Walſinghami verbis utor) electus 1406. 14. Sept.

Reg. Arundel. & Chichley. *Robertus Burnham* præfuit annis 1411, 1415, 1425.

Reg. Chichley. *Willelmus Worſted*, miſſus ad Concilium Baſileenſe nomine totius Cleri Angliæ proteſtationem de ſuprematu Regis Angliæ in temporalibus interpoſuit anno 1432. exeunte. Extat ea in Regiſtro Willelmi Molaſh Prioris Eccleſiæ Cant. f. 206.

Reg. Stafford. *Johannes Heverland*, Prior erat anno 1445.

Johannes Mallet ſucceſſit.

Thomas Bohonum, obiit anno 1471.

Johannes Bonwelle eodem anno ſuffectus.

Reg. Morton. *Willelmus*, quo Prioratum adminiſtrante Eccleſia Norwicenſis à Johanne Cant. Archiepiſcopo viſitata eſt anno 1499. menſe Aprili. Monachi tunc inerant 47. & in his Willelmus Caſtleton.

Hall. f. 184. *Robertus*, ad Abbatiam S. Albani dono Regis tranſlatus ſub exitum anni 1529.

Reg. Cranmer. *Willelmus Caſtleton* Prioratum tenuit anno 1536. Idem (ut videtur) Priorum ultimus Cœnobium ſuum anno circiter 1540. tradidit Regi, qui Monachorum loco Canonicos Sæculares ſubſtituit.

THOMÆ

THOMÆ CHESTERFELD
Canonici Lichfeldensis
HISTORIA
DE
Episcopis Coventrensibus
ET
LICHFELDENSIBUS
A primâ Sedis fundatione ad annum MCCCXLVII.

ACCEDUNT

Additamenta ad eandem Historiam, authore WILLELMO WHITLOCKE Canonico Lichfeldensi.

Continuatio ejusdem Historiæ ab anno MCCCXLVII. ad annum MDLIX. Eodem Authore.

Epistola LEONIS III. Papæ ad Kenulphum Merciæ Regem de Archiepiscopatu Lichefeldensi.

Epistola Episcoporum Angliæ ad LEONEM III. Papam.

Successio Priorum Coventrensis Ecclesiæ.

Successio Decanorum Lichfeldensis Ecclesiæ.

THOMÆ CHESTERFELD
Canonici Lichfeldensis
HISTORIA
De Successione Episcoporum Coventrensium & Lichfeldensium.

Incipit de Episcopis Sanctæ Merciensis Ecclesiæ, quæ nunc Lichesfeld dicitur.

(a) INterfecto Pendâ Rege paganissimo Merciorum ab Oswio Rege Northanhumbrorum, fratre sc. sancti Regis Oswaldi; cùm idem Rex Oswius Christianus regnum ejus acciperet; & gentem Merciorum finitimarumque Provinciarum ad fidem Christi converteret: primò fundatâ Ecclesiâ Merciensi & eâ factâ Cathedrali, sc. ab Incarnatione Domini || DCLVI.

|| DCLVII. Codex Cotton. *Vespas. E. 16.* Sic etiam Codex Lichfeld.

DUI-

(a) Nusquam crassiores tenebræ, nusquam plures nodi, quàm in successione Episcoporum Merciensium; neque certa lux ubivis est exspectanda ab Historico nostro, qui quascunque in Ecclesiæ suæ tabulatis traditiones invenit, sine examine subtili in opus suum congessit. Consultum igitur videtur, ut brevem Episcopatuum in Merciâ primò fundatorum Chronographiam, qualem ex Bedâ aliisque expiscari potuimus, præmittamus. Inter antiquos Anglos ab Augustino usque ad Theodorum Archiepiscopum limites Episcopatuum limitibus regnorum definiri solebant; & unicuique regno ad fidem converso suus Episcopus ordinabatur. Hinc Augustinus Diocesis suæ Cantuariensis limites intra regnum Orientalium Cantuaritarum, Roffensis intra præfecturam (vix alia enim eo tempore erat) Occidentalium conclusit. Saxonibus autem Orientalibus suum Antistitem apud Londinum assignavit. Atque hinc fit, quòd hodienum una eademque Provincia seu Comitatus pluribus Episcopis conterminis in ditionem cedat, inter plures sc. Reges olim distributa. Pari modo integrum Merciorum regnum, quod omnium longè amplissimum fuit, in primâ conversione unicum accepit Episcopum. Primus huic regno fidem intulit Peada Pendæ Regis Merciorum immanissimi tyranni & Paganis ritibus deditissimi filius; qui in partem regni à patre superstite vocatus, Mediterraneos Anglos à Merciis propriè dictis divulsos seorsim regendos accepit. Is in Northanimbriam anno 653. profectus, ab Oswio Rege ad fidem conversus est; & à Finano Episcopo baptizatus. Ut idem beneficium subditis suis impertiret, quatuor Presbyteros secum reduxit, Ceddam (postea Episcopum Londinensem) & Addam, & Betti & Diumam; qui sacra mysteria Mediterraneis Anglis, quinetiam & Merciis id concedente Pendâ Rege, tradiderunt. Nondum tamen aliquis ex illis Episcopus ordinatus fuerat. Demum Pendâ tyranno ab Oswio Rege 655. 15. Nov. interfecto, victori simul ac Peadæ Regi placuit, ut Episcopus Mediterraneis Anglis & Merciis daretur. Mercios enim ab australi Trentæ parte sitos Oswius Peadæ regendos dederat. Ordinatus est igitur Diuma medio tempore inter Oswii victoriam & Peadæ necem, quæ anno 656. tempore Paschali contigit. Dehinc Oswius integrum Merciorum regnum ditioni suæ subjectum tenuit ad annum usque 658. quo à Merciis fugatus, Wlfero Pendæ filio locum dedit. Is Merciorum Episcopatum à Cellacho derelictum Trumhero dedit, atque isti defuncto Jarumannum substituit. Hactenus Merciorum

DUIMA.

(b) Duima factus est primus Episcopus Merciorum & Mediterraneorum Anglorum, Lindisfarorum, Wicciorum, finitimarumque Provinciarum.

rum Episcopi inter Mediterraneos Anglos, quorum Metropolis Legecestria fuit, resedisse videntur: nullam tamen Cathedram sive certam sedem sibi positam habuerunt, in Monasteriis vitam agere contenti. Anno 669. Cedda Merciorum Episcopus post Jarumannum renunciatus, sedem in Lichfeldiâ Wlfheri Regis beneficio primus obtinuit, quam & successoribus suis transmisit. Crescente indies fidelium numero, consultum videbatur Theodoro & Episcopis in Synodo Herudfordensi anno 673. coactis, ut plures Episcopi instituerentur, præcipuè in Merciorum provinciâ; quæ dimidiam ferè Angliam tunc temporis complexa, unico Episcopo subdebatur. Huic decreto Winfridus Ceddæ successor, qui Diocesin suam immensam mutilari noluit, refragatus, à Theodoro depositus est anno 675. Sexulfus igitur, qui Winfridum excepit, ut Theodoro morem gereret, Episcopalem Sedem apud Herefordiam instituit anno 676. & institutæ præfecit Puttam, cui tantillam Diocesis suæ partem largitus est. Nondum tamen res ex Theodori mente gesta est, adversante Wilfrido Episcopo Eboracensi, forsitan etiam Wlfhero & Ethelredo Merciorum Regibus, apud quos Wilfridus nil non poterat. Annos inter 670, & 675. Egbirtus Rex, superato Wlfhero Merciorum Rege, Lindisiensem provinciam ditioni suæ subjecit; quæ proinde lege istius sæculi à Merciensis Episcopi Diocesi avulsa, Northanimbrorum Episcopi Wilfridi parochiæ est annexa. Anno autem 678. Egbirto Rege in partes tracto, Theodorus Archiepiscopus plures Episcopos in provinciâ Northanimbrorum invito Wilfrido ordinavit, & in his Eathedum, cui provinciam Lindisiensem subjecit, & in Siddeneiâ seu Sidnacestriâ urbe sedem dedit. Anno sequenti receptâ à Merciis post acre certamen Lindisiensi provinciâ, Eathedus fugatus est; provinciaq; in Lichfeldensis Episcopi ditionem rediit. Pauxillo autem tempore permansit. Anno enim nondum elapso Theodorus coactâ apud Hethfeldam Synodo prius decretum de augendo Episcoporum numero renovavit: cui Ethelredus Merciorum Rex, æquiora jam sentiens exulante Wilfrido, obtemperavit. Eodem igitur anno sc. 679. Diocesis Lichfeldensis in quatuor parochias est divisa: (quinta enim Herefordensis ante quadriennium instituta fuerat) sc. in Lichfeldensem, Legecestrensem, Lindisiensem & Wigorniensem. Primæ sedes apud Lichfeldiam ante decennium posita permansit, secundæ apud Legecestriam posita est, tertiæ apud Dorcacestram, quartæ apud Wigorniam. Saxulfo data est singularum optio. Ipse Lichfeldensem maluit; tum quòd pristina Sedes fuerat, tum quòd longè cæteris ampliorem ditionem adhuc retineret. Cuthwinus Legecestrensem, Ethelwinus Lindisiensem, Tatfrithus Wigorniensem acceperunt. Quinaria ista (annumerato sc. Herefordensi Episcopatu) Diocesis Lichfeldensis divisio Historicos nostros mirè torsit. Eadhedum enim & Ethelwinum Episcopos à Theodoro, parvo interveniente temporis intervallo, ad diversas Sedes, hunc ad Dorcacestram, ad Sidnacestram illum, consecratos reperientes; atq; Ethelwinum Eadhedi depulsi loco subrogatum eandem parochiam, diversâ quantumvis sede, obtinuisse nequaquam animadvertentes, præsertim cùm certus Siddeneiæ situs hactenus sit ignotus; diversas ac toto cœlo distantes parochias illis dederunt, alteri Lindisfarorum, alteri Suthanglorum, immani sanè errore, cùm Australes Angli pluribus intermediis regnis à Merciorum Diocesi disjuncti fuerint, quin & fidem Christianam nondum receperint. Nondum tamen res inconcussa mansit. Plures adhuc mutationes Diocesis Lichfeldensis subiit. Sedem enim Legecestrensem Cuthwinus, seu morti seu levitati suæ seu aliorum injuriæ cedens, brevi dereliquit. Exin Sexulfus utriusque Diocesis curam gessit usque ad obitum, qui anno circiter 691. contigit. Illo tempore Wilfridus Episcopus Eboraco pulsus, ad Ethelredum Merciorum Regem, amicum integerrimum, se recepit; & à Rege sibi commissum Episcopatum Legecestrensem post Saxulfi mortem regendum tulit. Hedda interim Lichfeldensem obtinuit. Wilfrido autem Synodi Nestrefeldensis sententiâ ejecto anno 703. utraque Diocesis iterum coaluit, Heddæ soli subjecta. Post Heddam Aldwinus etiam, qui proximè successit, utramque tenuit. Aldwino autem defuncto, utraque Diocesis suum accepit Episcopum, Lichfeldensis Huictam, Legecestrensis Tottam. Ab illo tempore Lichfeldensis parochia iisdem limitibus distincta permansit; donec sæculo postremo Diocesis Cestrensis ab illâ fuerit avulsa. Ista mihi de modo ac tempore divisionis Dioceseos Merciorum maximè verisimilia videntur; nonnulla quidem solis conjecturis innixa, quæ tamen post acre examen præ aliis placuerunt.

(b) Duima, sæpiùs Diuma dictus, consecratus à Finano videtur sub initium anni 656. Obitum anno 658. rectè positum opinor.

Pau-

Paucitas enim Sacerdotum cogebat unum Antistitem duobus populis præfici. Beda dicit, quòd iste Duima natione Scotus à Finano Northanhumbranæ gentis Episcopo ordinatus, cùm sub pauco tempore non paucam plebem Domino adquisisset; defunctus est apud Mediterraneos Anglos in regione quæ vocatur Infeppingum anno Domini DCLVIII. Rexit Ecclesiam Merciensem annis ii.

CELLACH.

(c) Cellach defuncto Duimâ suscepit Episcopatum Merciorum; & ipse similiter de Scotorum natione. Qui non multo post relicto Episcopatu reversus est ad Insulam Hii, anno Domini DCLIX.

TRUMHERE.

(d) Trumhere natione Anglicus, sed à Scotis Episcopus ordinatus, post Cellach Episcopatum Merciorum rexit annis iii. Quod temporibus Regis Wlferi factum est; obiitque anno Domini DCLXII.

JARUMANNUS.

(e) Jarumannus Anglicus, sed à Scottis Episcopis ordinatus, post Trumhere rexit Episcopatum Merciorum annis iv. sub Rege Merciorum Wlfero; & obiit anno Domini DCLXVII.

CEDDA.

(f) Cedda Sanctus, Anglicus, Jarumanno successit. Iste Cedda priùs fuit consecratus Episcopus Ecclesiæ Eboracensi à Wine Episcopo Wintoniensi anno Domini

(c) Diumam excepit Cellach seu Ceollach, à Finano similiter Northanimbrorum Episcopo ordinatus. Illo enim tempore Mercia Oswio Northanimbriæ Regi subjacebat. Quùm verò ipso eodem anno Mercii resumptis armis libertatem pristinam asseruissent, & ejecto Oswio Wlfherum regem sibi præfecissent; Cellachus Episcopus, qui à Northanimbris datus fuerat, Merciâ excedere & in Northanimbriam se recipere necesse habuit. Factum id sub initium anni 659. non malè censeri potest.

(d) Recedente Ceollacho, Wlfherus Rex Merciis suis Episcopum præfecit Trumherum, Abbatem Monasterii de Ingetlingum. Quamvis autem Mercii & Northanimbri motis nuper armis ferali odio digladiarentur; Merciorum tamen Episcopus à Finano consecrationem petere coactus est. Mercia enim ad fidem seu à Scotis seu ab Anglis Scoticam disciplinam edoctis conversa, antiquam Britanniæ in sacris disciplinam & in Paschate celebrando traditionem observabat; quo nomine à Cantianorum Præsulum Romanam disciplinam sequentium communione sejuncti erant Merciorum Episcopi & Presbyteri. Obitum Trumheri anno 662. Historicus noster non malè reposuit.

(e) Jarumannus, patriâ linguâ Gearoman appellatus, eandem ob causam à Scotis Northanimbriæ Episcopis consecratus est. Nondum enim habita fuerat Synodus Streneshalchensis, in qua universa Anglia Romanam disciplinam admittere & Pascha Romano more observare anno 664. decrevit. Post Jarumanni obitum, qui anno 667. contigit, Sedes Merciorum biennio vacavit. Curam ipsius interim gessit Wilfridus, qui ad Northanimbrorum Episcopatum ordinatus, à Ceddâ exclusus fuerat. Is in Abbatiâ suâ Ripensi delitescens, frequenter à Wlfero Rege ad ministeria Episcopalia inter Mercios obeunda accitus fuit; donec anno 669. Sedem propriam obtineret, referente Heddio in *Vitâ* ejus cap. 14.

(f) Restitutâ Wilfrido Sede suâ Northumbrensi, Merciorum provincia Episcopi seu proprii seu adscititii solatio penitus destituta fuit. Ceaddam igitur Northanimbriâ ejectum Wlfherus Rex suadente Wilfrido accersivit, & Episcopum regioni suæ præfecit. Iste frater erat Ceddi Presbyteri, qui fidem Merciorum Provinciæ primus intulerat, & Episcopus postea Londinensis factus in Monasterio suo Lestingensi anno 664. diem extremum clauserat, commisso priùs fratri Ceaddæ Monasterii regimine. Ex hoc Cœnobio evocatus ab Oswio Rege Ceadda anno 664. Northanimbrorum Episcopatum accepit. Ad eandem quidem Sedem

Domini DCLXIII. Et rexit Ecclesiam Eboracensem annis tribus; tamen pallium non optinuit. Postea cùm redargutus esset à Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo, quòd non erat ritè consecratus; humiliter cessit, & in Monasterio suo Lestingay, unde priùs Abbas fuerat, secessit. Deinde Jarumanno Merciorum Episcopo defuncto, Sanctus Cedda per eundem Theodorum Cant. Archiepiscopum Ecclesiæ * Lichesfeldensi postulatus, & Episcopus factus est anno Domini DCLXVII. Qui cùm eandem Ecclesiam Lichesfeldensem duobus annis & dimidio gloriosè rexisset; migravit ad Dominum vi. Non. Marcii anno Domini DCLXX. & Lichesfeldiæ sepultus est.

* Merciensi *Cod. Cotton.* 1, & 2.

WINFRIDUS.

(*g*) Winfridus Anglicus successit S. Ceddæ; qui per Theodorum Archiepiscopum Cant. datus & consecratus, rexit Ecclesiam Lichesfeldensem annis

dem Wilfridus à Rege designatus & à Galliæ Episcopis ordinatus fuerat. Verùm sive ipso moram inutilem in Galliâ faciente, seu mutato interim Regis consilio, Episcopatus absente Wilfrido Ceaddæ datus est. Factum id medio anno 664. Annum 663. Historicus noster malè posuit. Ceadda enim à Rege Episcopatu donatus, missus est in Cantiam, ut à Deusdedit Archiepiscopo consecraretur. Archiepiscopum autem recèns defunctum inveniens, ad Wine Wintoniensem Episcopum divertit; & ab isto, associatis sibi duobus de Britonum gente Episcopis, consecratus est. Obiit Deusdedit medio anno 664. & eodem circiter tempore Episcopi Roffensis & Londinensis fato cesserant. Medio anno 669. Theodorus Archiepiscopus Cant. Angliam appulit; qui Ceaddam Episcopatûs Northanimbrorum non justum possessorem inveniens, & crimini vertens quòd ab alienæ communionis Episcopis consecratus fuerat, ipsum ab Episcopatu suo deturbavit, & Wilfridum restituit. Ceadda in ordinem redactus, ad Monasterium suum Lestingense se contulit; ubi vir sanctissimus, abreptam dignitatem æquissimè ferens, vitam agere quietam decrevit. Ea animi mansuetudo Wilfridi amorem adeò conciliavit; ut Wlfhero Regi Episcopum sibi dari postulanti Ceaddam præ aliis commendaverit. Eo ipso itaque, ut videtur, anno Ceadda Merciis præfectus, Sedem Episcopalem, amplis redditibus dotatam à Wlfhero, apud Lichfeldiam primus accepit. Erravit Lichfeldensis noster, qui introitum Ceaddæ in annum 667. retulit; & antiquum Lichfeldensis archivi monumentum à Dugdalio prolatum, quod Ecclesiam Cathedralem anno 666. consecratam asserit. Præfuit Ceadda Merciorum Diocesi annis duobus cum dimidio; atque anno 672. 2. Martii defunctus est, sepultus primò juxta Ecclesiam S. Mariæ; sed postmodum constructâ Ecclesiâ S. Petri, in eandem ossa ejus sunt translata; referente Bedâ *l.* 4. *c.* 3.

(*g*) Winfridus, Heddio *Wulfridus* dictus, Ceaddæ Episcopi Diaconus, ipsi defuncto à Theodoro Archiepiscopo subrogatus est anno 672. Synodo Herudfordensi interfuit anno 673. si calculum vulgarem sequamur, rectiùs autem anno 672. 24. Sept. habitæ. Indictio enim prima fuit, teste Bedâ l. 4. c. 5. In hac Synodo, Canone 9. decretum fuerat; ut plures Episcopi, crescente numero fidelium, instituerentur. Addit quidem Textus Bedæ Latinus, *Sed de hac re ad præsens siluimus.* Præterquam autem quòd in versione Saxonicâ desint, non tam verba Synodi quàm aliunde interjecta videntur. Vel si Theodorus silentium eâ de re in Synodo egisse perhibeatur; fixum tamen animo permansit plures Sedes Episcopales constituere. Orientalium igitur Anglorum Episcopatum illo circiter tempore bifariam divisit; & Lichfeldensem proximò aggressus, Winfridum sibi refragantem ab Episcopatu deposuit. Factum id *per meritum cujusdam inobedientiæ* solummodo Beda prodit. Verùm si quis ejusce temporis res gestas ac consilia perpendat; non aliâ ratione factum inveniet. Depositum esse Winfridum anno 675. Florentius tradit, anno 674. Westmonasteriensis, cui suffragatur Lichfeldensis noster. Plus tamen Florentio deferre soleo, fidem ejus præ aliis comprobatam habens. Winfridus sede suâ deturbatus, ad Monasterium suum Adbarvense rediit; & postea in exteras regiones, fortè Pontificem Romanum adeundi animo, recessit. Anno enim 678. (quo tempore Wilfrido ex Northanimbriâ depulso Egfridus Rex insidias à Gallis poni curaverat) per Galliam iter faciens, captus est ab insidiatoribus, quos Egfridus subornaverat, errore nominis deceptis, & omni pecuniâ spoliatus, multisque è sociis suis occisis, nudus humi miserè derelictus est. Rem narrat Heddius *in Vitâ Wilfridi* cap. 24.

iii.

iii. sub Wlfero Rege. Deinde propter meritum cujusdam inobedientiæ Theodorus Archiepiscopus offensus, eundem Winfridum de Episcopatu deposuit anno Domini † DCLXXIV. Qui rediit ad Monasterium suum, quod dicitur Adberwe; ibique vitam religiose finivit.

† DCLXXIII *Cod. Cotton.* 1, & 2.

SEXWLFUS.

(*h*) Winfrido deposito, Theodorus in loco ejus ordinavit Episcopum Sexwlfum; qui erat constructor & Abbas Monasterii quod dicitur Medhamstede, i. e. Petresborugh. Iste Sexwlfus sub Regibus Merciorum Wlfero & Ethelredo rexit Episcopatum Lichesfeldensem annis xx. & obiit anno Domini DCXCIV. || Tempore Ethelredi Regis Merciorum & Sexwlfi Episcopi Episcopatus Lichesfeldensis in duas Parochias dividebatur, videlicet, in Lichesfeldensem & Legecestrensem.

|| *Deest ultima periodus* in Cod. Cotton. 1, & 2.

HEDDA.

(*i*) Post Sexwlfum Episcopum Provincia Merciorum duos habuit Episcopos, scil. Heddam Lichesfeldiæ, & Wilfridum Leogecestriæ. Sed Wilfridus

---

(*h*) Winfrido successor à Theodoro datus est Sexwlfus, in Textu Roffensi *Seaxwulf* dictus. Non tamen statim Diocesis Merciorum in plures parochias dispertita est; nisi forsitan Sedis Herefordensis anno sequenti fundatæ ratio habeatur. Vult quidem Godwinus Diocesin Lichfeldensem post exauthoratum Winfridum à Theodoro in binas divisam fuisse, quarum altera Saxulfo, altera Eadhedo data est. Verùm Eadhedum unà cum Bosâ & Eatâ, quos anno 678. consecratos esse constat, à Theodoro consecratum fuisse Beda testatur l. 4. c. 12. idemque Sexulfum Episcopatum anno 676. tenuisse, & ante Lindisiensem provinciam, cui postea Eadhedus præsedit, ab Egfrido Rege subactam utrique provinciæ tam Lindisiensi quàm Merciensi propriè dictæ præfuisse, fidem facit. Mutationes terminorum Diocesis Lichfeldensis Sexwlfo præsidente sæpiùs factas antea retulimus. Hîc tantum addere liceat sententiam nostram de tempore divisionis quinariæ factæ ab Historico nostro confirmari. Utcunque enim Codex noster apertè refragetur, & divisionem istam tempore Aldwini Episcopi factam velit; uterque tamen Codex Cottonianus omissâ ultimâ periodo, quæ in Vitâ Sexwlfi superiùs legitur, atque eâ quæ divisionem sub Aldwino factam & post obitum ipsius confirmatam inferiùs tradit, loco earum ista reponit in fine Aldwini Vitæ. *Tempore Ethelredi Regis Merciorum & Sexwlfi Episcopatus Lichfeldensis in quinque parochias dividebatur, viz. Herefordensem, Wigorniensem, Lichefeldensem, Legecestrensem & Lindisiensem.* Astipulatur etiam Ranulfus Cestrensis in Polychronico suo l. 5. c. 19. *Anno* inquit, 680. *Theodorus Archiepiscopus coegit Concilium Episcoporum apud Hatfeld. Quo in tempore provincia Merciorum, quam solus Sexwlfus tunc regebat, divisa est in quinque parochias; una apud Legecestriam, alia apud Wigorniam, tertia apud Lichfeldiam, quarta in Lindesciâ apud Sideneiam, quinta apud Dorcestriam. Sed Putta mansit apud Hereford, quondam institutus per Sexwlfum.* Præfuit Sexwlfus sedi Lichfeldensi annis 20. juxta nostratem Historicum, calculum sc. ducendo à 674. ad 694. quo obiisse dicitur. Florentius & Chronologia Saxonica vulgata (tacet enim manuscripta *Tiber. B.* 4.) obitum ejus anno 705. contigisse produnt. Verùm testis omnibus major Heddius (in vitâ Wilfridi cap. 43.) refert Wilfridum Northanimbriâ iterum depulsum anno 691. ad Ethelredum Merciæ Regem amicum suum recessisse, ibique Sexwlfi nuper defuncti Episcopatum suscepisse, Legecestrensem scilicet provinciam, quæ post Cuthwini obitum seu cessionem Sexwlfo in ditionem iterum redierat. Heddio fidem astruit Beda l. 4. c. 23. l. 5. c. 12. apud quem Wilfridus, patriâ tunc exulans & Mediterraneorum Anglorum Episcopatum gerens, Ostforum Wigorniensem Episcopum anno 691. & Suidbertum Fresonum Episcopum 693. consecrâsse legitur. Saxulfi itaque obitus in anno 691. reponendus videtur.

(*i*) Hedda, aliis Headda, post Sexwlfi obitum Lichfeldensi pararochiæ anno 691. præfectus, Legecestrensem etiam post ejectum à Synodo Niddensi Wilfridum anno 703. sibi asseruit. Nil de obitu illius alibi occurrit; adeò ut Thomæ calculum amplecti sit necesse. Parum etenim curandum diploma Croilandense (apud Ingulphum f. 485.) cui Aldwinus anno 716. subscripsisse fingitur.

postea

postea ejectus: Hedda solus ambas Parochias regebat. Per istum Heddam Episcopum * constructa est Ecclesia Lichesfeldensis † ii. Kal. Januar. anno Domini DCC. Et ossa S. Ceddæ Episcopi translata sunt in eandem. Hedda verò post Ecclesiam constructam supervixit annis || xxi. & mortuus est anno Domini DCCXXI.

* Dedicata. Codex Cotton. Vitell. C. 9.
† ix. Id. & Codex Lichfeld.
|| xxii. Cod. Lichfeld.

ALDWINUS.

(*l*) Post Heddam Aldwinus, qui & Wor nominatur, Episcopus consecratus, similiter regebat ambas parochias, scil. Lichesfeldensem & Legecestrensem *. Deinde tempore Athelbaldi Regis Merciorum & hujus Aldwini Episcopi, consecrationis suæ anno tertio, Episcopatus Lichesfeldensis divisus fuit in quinque Parochias, videlicet, in Herefordensem, Wygorniensem, Lichesfeldensem, Legecestrensem, & Lindisiensem; Aldwinusque rexit Episcopatum Lichesfeldensem post divisionem in quinque Parochias annis sex; & obiit anno Domini † DCCXXX. Aldwino defuncto divisio Episcopatûs Lichesfeldiæ in quinque Parochias, ut supra notatur, confirmata est circa annum Domini DCCXXXII. Lichesfeldenses hi subsequentes sunt Episcopi post divisionem.

* Annis viii. & obiit anno Domini DCCXXIX. *Ista addit, sequentia omittat Cod. Cot. 1.*
† DCCXXXIX *Cod. Cot. 2.*

|| WICTA.

|| Huitta. *Cod. Cot.* 1, & 2.

(*m*) Wicta Episcopus post Aldwinum rexit Episcopatum Lichesfeldensem annis vi. & obiit anno Domini † DCCXXXVI.

† DCCLII. *Id.*

HEMELE.

(*n*) Hemele Episcopus rexit Episcopatum annis xv. & obiit anno Domini DCCLII.

CUTHFRITHUS.

(*o*) Cuthfrithus Episcopus rexit Episcopatum annis * tribus; & obiit anno Domini DCCLV.

* Quatuor *Cod. Lichfeld.*

(*l*) Heddam excepit Aldwinus seu Eadwine, qui & Wor dictus est. Episcopatum Lichfeldensem simul ac Legecestrensem anno 721. acceptum anno 731. rexit, quando Tatwino Archiepiscopo Cant. manus imposuit, Bedâ teste l. 5. c. 24. Utrumque simul Episcopatum eo tempore ipsum obtinuisse constat. Beda enim Episcopos singulis Angliæ parochiis illo anno præsidentes recensens, nullam de Legecestrensi Episcopo mentionem injecit. Nulla igitur facta est Diocesis suæ, qualem innuit Thomas, ante annum 731. divisio; quin nec ipso vivente facta videtur. De obitu ejus nil certum ex Historiâ nostrâ proferri potest. Terni enim ipsius Codices totidem annos à se invicem diversos ponunt. Certiùs videtur, quod concordi Hovedeni, Florilegi, Mailrosensis & Dunelmensis voce prolatum est, Aldwinum scilicet anno 737. defunctum esse.

(*m*) Defuncto Aldwino, *iterum divisa est* (Merciorum Diocesis) *in duas parochias Leicestrensem & Cestrensem* seu Lichfeldensem. Verba sunt Textûs Roffensis: quibus consonat Malmsburiensis; nisi quòd apertè hallucinatus, Dorcestrensem Episcopatum eodem tempore institutum velit. Legecestrensem accepit Totta, Lichfeldensem Wicta. De Tottâ alibi agendum est. Wicta, aliis *Wita*, in Textu Roffensi *Hwita*, in Codice Lichfeldensi Malmsburiensis *Witta* dictus, Aldwino successit in sede Lichfeldensi anno 737. & Synodo Cloveshoviensi anno 747. interfuit; neque postea aliquid de ipso occurrit. Obitum in anno 752. reponit uterque Codex Cottonianus.

(*n*) *Hemele* seu *Hemel*, soli Textui Roff. *Cemele* dictus, anno 764. à Florilego & Pseudo-Asserio, anno 765. à Mailrosensi, Dunelmensi & Hovedeno obiisse dicitur. His magis adhibendum quàm Historico nostro Lichfeldensi, apud quem omnia ab anno 700. ad 800. adeò sunt perturbata, ut nil sanum ex iis exsculpi possit.

(*o*) *Cuthfrith*, aliis *Cuthred*, ab Historicis supra memoratis, ab his anno 765. ab illis anno 764. successisse dicitur. Is itaque, modò Lichfeld. tabulato à Thomâ descripto de tempore Episcopatûs gesti fides sit adhibenda, anno circiter 768. obiisse dicendus est.

BER-

BERTHUNUS.

(p) Berthunus Episcopus rexit annis iv. & obiit anno Domini DCCLIX.

HIG-

(p) Ordo pariter ac tempora sequentium trium Episcoporum apud Historicos nostros maximè sunt perturbata. Westmonasteriensis ponit Aldulfum pallio Archiepiscopali anno 766. donatum fuisse, huic Berthunum, qui & Humbertus dicebatur, ante annum 794. successisse, atque isti anno 795. defuncto Higebertum; singulos autem dignitatem Archiepiscopalem obtinuisse. Eodem ordine Episcopos hosce Lichfeldenses antea disposuerat Matthæus Paris in Vitâ Offæ Regis. E contra reliqui omnes Historici ordinem in Historiâ nostrâ Lichfeldensi positum observant. Sic Florentius, sic Textus Roffensis, sic etiam Malmsburiensis. Quamvis enim vulgaria ipsius exemplaria Higbertum omittant; omnes tamen quos vidi Codices MSS. illum loco suo proximè ante Aldulfum reponunt. De ordine igitur Episcoporum parum dubitandum est; de tempore autem datæ Episcopis Lichfeldensibus & ablatæ dignitatis Archiepiscopalis, & singulorum Episcoporum ab anno 768, ad 800. successione, scrupuli manent inextricabiles. Longum esset, nec utile quidem, singulorum Historicorum & monumentorum dissonantias recensere. Se caligare penitus Spelmannus fatetur (Concil. Angl. tom. 1. p. 304.) & Willelmus Watsius, Matthæi editor, non aliam effugiendi viam adinvenit, quàm ut Berthunum & Higebertum unum eundemque fuisse statueret. Audax sanè commentum, quod nullum è tot Historicis sibi suffragantem habet. Eodem sanè jure uterque Episcopus idem cum Aldulfo statui potuisset; & tunc quidem triceps illud monstrum nullas non difficultates exsufflâsset. Res quidem Watsio & Spelmanno ideò malè cessit; quòd Historicis & chartis, licèt erroris manifesti convictis, fidem abrogare vererentur. Ut à Parisio enim initium faciamus; is multa de Archiepiscopis Lichfeldensibus (in Offæ Vitâ) tradidit, quæ certissima erroris indicia prætendunt. Apud ipsum enim Chartas in Auctarium Additamentorum p. 237, 238. rejectas Higebertus Archiepiscopus anno 793. confirmâsse dicitur. Ibidem tamen Humbertus Archiepiscopus reliquias S. Albani 793. 1. Aug. adinvenisse, & Synodo post biennium ferè habitæ interfuisse narratur. Mitto alia. Quod Florilegum quidem spectat, is Archiepiscopalem dignitatem Aldulfo Lichfeldensi ab Adriano Papâ anno 765. datam palliumque anno 766. transmissum retulit; quamvis certum sit Adrianum Papatum ante annum 772. assecutum non esse; quod & ipse Florilegus fatetur. Denique Acta Concilii Calcuthensis, ex Matthæi Historiâ de Vitâ Offæ Regis à Spelmanno prolata, neutiquam majorem fidem merentur, quàm mendaces illæ Chartæ ibidem collocatæ, quarum ne uni quidem annus Indictionis appositus convenit. Ut certiora itaque investigemus; notandum est de his inter omnes convenire: 1o. Dignitatem Archiepiscopalem sedi Lichfeldensi ab Offa Rege donatam & ab Adriano Papâ confirmatam fuisse, vivente & Provinciæ suæ parte non modicâ spoliato Jamberto Archiepiscopo Cant. 2o. Jambertum in Synodo Calcuthensi spoliatum esse, omnesque Merciæ & Orientalium Anglorum Episcopatus Metropoli Lichfeldensi subjectos fuisse. 3o. Statim post Offæ obitum Archiepiscopum Lichfeldensem à Kenulfo Rege & Leone Papâ in ordinem redactum fuisse, & Archiepiscopo Cantuariensi iterum subjectum. Hinc igitur constat integram rem gestam esse inter annos 772. quo Adrianus Papatum iniit, & 799. quo Ethelardus Archiepiscopus Cant. Romam adiit. Porrò Calcuthense Concilium anno 785. habitum fuisse produnt Chronologia Saxonica, Florentius, Huntindoniensis, Hovedenus & alii. Spelmannus quidem annum 787. maluit, Mailrosensis 786. & antiquissima quædam diplomata, in Archivis Roffensi & Wigorniensi asservata, annum 789. Pluribus autem & potioribus Historicis magis ascribendum est. Sic itaque rem gestam arbitror. Anno 785. obiit Berthunus Episcopus Lichfeldensis. Id Florentius testatur. Eodem anno coactâ Synodo Celchuthensi Higebertus (Sigibertum Textus Roffensis vocat) in successorem electus est; cui Provinciæ suæ partem jure Archiepiscopali regendam concedere Jambertum Archiepiscopum Cant. multùm quantumvis renitentem Offa Rex in eodem Conventu coegit. Id Chronologia Saxonica, Florentius & alii supra memorati produnt. Nondum tamen authoritatem Archiepiscopalem assumere ausus est Higebertus, re apud Romam necdum confirmatâ, nec Pallio remisso. Id Acta Concilii probant (Concil. Angl. p. 301.) in quibus Higbertus nudo Episcopi titulo usus subscribit. Chartæ quidem & diplomata plurima, quæ in eâdem Synodo consignata dicuntur, Higberti Archiepiscopi nomen affixum

HIGBERTHUS.

Higberthus Episcopus rexit annis v. & obiit anno Domini DCCLXIV.

ALDULFUS.

* Consecratus est anno DCCLXIV. *Ista interserit Cod. Cot.* 1, & 2.
† DCCCXII. *Cod. Cot.* 1. DCCC. *Cod. Cot.* 2.

Aldulfus Lichesfeldensis Archiepiscopus, * rexit Provinciam Merciorum & Orientalium Anglorum annis xxxvi. & obiit anno Domini † DCCC. Hujus Aldulfi tempore Offa Rex Merciorum ab Adriano Papâ impetravit & obtinuit, ut sedes Archiepiscopatûs Merciorum esset apud Lichesfeldiam; & quòd omnes Pontifices Merciorum Provinciæ Archiepiscopo Lichesfeldensi subjicerentur, videlicet Wigorniensis, Herefordensis, Legecestrensis, Sidnacestrensis; & etiam Episcopi Orientalium Anglorum, scil. Helmamensis, & Domucensis, vocabaturque Archiepiscopus Lichesfeldensis Aldulfus. Nam Papa Adrianus primus misit ei Pallium. Remanserunt autem Archiepiscopo Cant. quatuor Episcopi, videlicet Londoniensis, Wintoniensis, Roffensis, & Selesiensis. Horum Episcopatuum quidam adhuc manent, quidam venali ambitu alteris Episcopatibus sunt uniti. Fuit enim sedes Metropolis apud Lichesfeld toto tempore istius Aldulfi Archiepiscopi. Post mortem verò ejus Kenulfus Rex Merciorum impetravit à Papâ Leone successore Adriani Papæ & optinuit; quòd Sedes Metropolis Cantuariensis Ecclesiæ, quæ per Regem Offam spoliata fuerat, dignitati pristinæ restitueretur.

---

affixum habent. Verùm impudentium Monachorum commenta parum moramur. Solum ex Præsulibus Lichfeld. Aldulphum Archiepiscopalem dignitatem obtinuisse Historici potiores referunt. Porrò Higbertus ante rem ab Adriano Papâ confirmatam & Pallium remissum anno 786. decessit; cui Aldulphus eodem anno subrogatus, ab Eanbaldo Archiepiscopo Eboracensi, Tylberto Episcopo Hagustaldensi (qui anno 789. obiit) & Hygbaldo Lindisfarnensi consecratus est, Palliumque ab Adriano donatum accepit. Id Mailrosensis, Hagustaldensis, & Dunelmensis confirmant. Quamdiu Offa regnum tenuit, honor Archiepiscopalis Aldulfo intactus remansit. Illo autem 794. 29. Julii rebus humanis exempto, Egberthus qui successit, pristinam dignitatem throno Cantuariensi restituere meditatus, ante anni ejusdem exitum interiit. Successit Kenulfus, qui post finem anni 795. missis ad Leonem Papam Adriani successorem literis obnixè petiit, ut Lichfeldensis Sedes dignitate novâ exueretur, Cantuariensi in integrum restitutâ. Rescribit Papa dignitatem Metropolitanam Sedi Lichfeldensi non sine Regum & Præsulum Angliæ consensu atque precibus ab Adriano decessore suo donatam esse. Epistolam antea ineditam infra exhibui. Rem itaque perendinante Papâ, Ethelardus Archiepiscopus iter Romam iniit anno 799. (ex complurium, anno 798. ex Annalium Petriburg. Saxon. calculo) Rexque aliis datis literis, addito etiam munere non contemnendo, idem obnixiùs postulat. Extat Epistola apud Malmsburiensem *de gestis Reg. l.* 1. *c.* 5. Cessit demum Papa importunis Ethelardi precibus & regiis muneribus; dignitatemque Archiepiscopalem Præsulibus Lichfeldensibus in perpetuum abrogari, Cantuariensibus in integrum restitui decrevit. (Extat decretum apud Malmsburiensem loco cit.) Id Alcuinus Ethelardo datis literis (ibid. fol. 113.) summopere gratulatur; ne tamen Aldulfus *pater pius diebus suis Pallio exuatur*, orat, Neutiquam Ethelardus Alcuino morem gessit; sed in Angliam brevi reversus, Aldulfo lituum Archiepiscopalem abstulit, & universas Merciorum Dioceses Sedi suæ postliminio subjecit. Hinc in Actis Concilii Clovesboviensis anno 803. habiti *Alduulfi Episcopi Lichefeldensis* nomen occurrit (Concil. Angl. p. 325.) In eodem Concilio controversia inter ipsum & Werenbertum Legecestrensem Episcopum de limitibus parochiarum suarum olim mota finem accepit. Quamdiu huic Synodo superfuerit, parum constat. Illum anno 812. decessisse alter è Codicibus Cottonianis memorat. Verùm in re incertâ nil temerè definio. Nonnihil tamen suadet utriusque Codicis Cottoniani & alterius Lichfeldensis concordia; qui Herewini successoris obitum post quinquennale regimen in anno 817. ponunt.

HERE-

HEREWINUS.

(q) Herewinus Lichesfeldensis Episcopus successit Aldulfo; rexitque Episcopatum annis || xi. & obiit anno Domini † DCCCXII.

|| v. *Cod. Cot. uterque & Cod. Lichfeld.*
† DCCCXVII. *Iidem.*

ATHELWALDUS.

(r) Athelwaldus Lichesfeldensis Episcopus successit Herewino *. Per istum Athelwaldum Episcopum Canonici instituti sunt primò in Ecclesiâ Cathedrali Lichesfeld anno Domini DCCCXXII. sub Chelwlfo Rege Merciorum, Huictâ tunc existente Canonicorum Præposito. Erant enim tunc in Ecclesiâ Lichesfeldensi Canonici † xix. cum suo Præposito, quorum xi. fuerunt Presbiteri, & ix. Diaconi. Athelwaldus autem rexit Episcopatum Lichesfeldensem annis xxxv. & obiit anno Domini || DCCCXLVII.

* Consecratus est anno DCCCXVIII. *Cod.Cot. uterq;.*
† xx. *Cod. Lichfeld.*
|| DCCCLVII. *Cod.Cot. uterq;.*

HUNBERTHUS.

(ſ) Hunberthus Lichesfeldensis Episcopus rexit annis xx. & obiit anno Domini * DCCCLXVI.

* DCCCLXXVII *Cod. Cot. 1.* DCCCLXVII. *Cod. Cot. 2.*

(q) Rectè Thomam Herewini tempus posuisse arbitror; modò Codicis utriusque Cottoniani & alterius Lichfeldensis lectio admittatur. In his enim quinquennio præfuisse & anno 817. obiisse dicitur. Chartæ quidem Witlafii Regis Monachis Croilandensibus anno 833. datæ subscripsisse apud Ingulphum (fol. 488.) fingitur. Verùm cùm suspecta semper sit Chartarum fides; ista præ aliis certissima falsitatis indicia præfert. Simul enim subscripsisse dicuntur Eanbaldus Eboracensis, Wilredus Domocensis & Godwinus Roffensis Episcopi; qui Sedes dictas illo tempore neutiquam obtinuerunt. Consecratum esse Herewinum à Wlfredo Archiepiscopo Cant. ex Registro Ecclesiæ Cant. constat; eundemque Synodo Celchuthensi anno 816. interfuisse Acta Concilii docent, *Concil. Angl. tom.1. p.*328.

(r) *Herkenwaldum* vocat Malmsburiensis vulgatus, *Athelwaldum* autem Codex ejusdem MS. Lichfeldensis. Sic etiam Textus Roffensis & Florentius. Consecratus est anno 818. juxta veriorem Codicis utriusque Cottoniani lectionem. Iidem illum anno 857. obiisse volunt. Isti quidem calculo sequentium Episcoporum tempora maximè conveniunt; nec multùm abludit Florilegus, qui annum 958. posuit. Chronologia autem Saxonica Ethelwoldi obitum in anno 828. retulit; & Registrum Ecclesiæ Cant. Humbertum à Wlfredo Archiepiscopo (qui anno 829. obiit) consecratum tradit. Atque his magis tribuendum æstimo; neque enim tempora à Codicibus Cottonianis posita sibi invicem concordant, cùm ab anno 818, ad 857. anni duntaxat 35. intermedii ibidem numerentur.

(ſ) *Hunberthus* seu *Humberht*, prolixam fidei suæ & obedientiæ Wlfredo Archiepiscopo Cant. fecit professionem; quæ in Registro Ecclesiæ Cant. asservatur. Idem anno 864. obiisse à Florilego dicitur, anno 867. à Codice Cottoniano secundo, 877. à primo. In hoc tamen singulis convenit, ipsum annis duntaxat 20. præsedisse. Pares etiam in sequentibus emergunt scrupuli. Kinebertum enim, qui Hunberto successit, anno 890. decessisse singuli Codices consonâ voce produnt; quamvis Florilegus eundem anno 872. obiisse & Tunbertum successorem habuisse referat. Utervis autem calculus admittatur, Kinebertus post Ceolnothum Archiepiscopum obiisse dicendus erit; cùm tamen Tumberhti professio Ceolnotho facta in Registro Ecclesiæ Cant. reperiatur. Nec Tumbertus quidem Humberto & Kineberto intermedius reponi potest. Refragatur enim Textus Roffensis, qui Kynefyrthum Humberhto subjicit, & in illo desinit. Porrò Florilegus, Tunberti Episcopi Lichfeld. introitu in annum 872. relato, Tunfrithi Episcopi Lichfeld. obitum in anno 928. retulit: quod Godwinum induxit, ut Tunbertum à Tunfritho diversum statueret. Quamvis omnes Episcoporum Anglicorum, quos vidi, Catalogi vetusti (& sanè quamplurimos vidi) unicum agnoscant Tunfrithum seu Tunbrihtum. Hic sanè aquam mihi hærere fateor. Frustra enim à commentitiis Monachorum Chartis lux exspectatur. In tantâ caligine id sententiæ præ aliis placet, ut rejecta Florilegi & Registri Cantuariensis fide, Humberthum anno 867. obiisse Codici Cottoniano secundo concedamus, & in reliquis Historici nostratis ductum sequamur.

KYNEBERTHUS.

(*t*) Kyneberthus Lichesfeldensis Episcopus rexit annis † xxiii. & obiit anno Domini DCCCXC.

† xx. *Cod. Lichfeld.*

TUNFRITHUS.

(*u*) Tunfrithus Episcopus rexit annis xxx. & obiit anno Domini DCCCCXX.

AELLE.

(*x*) Aelle Episcopus, qui & Alwinus, rexit annis xxiv. sub Athelstano Rege totius Angliæ; & obiit anno Domini DCCCCXLIV.

ELGARUS.

(*y*) Elgarus Episcopus rexit annis xvi. & obiit anno Domini DCCCCLX.

KYNSIUS.

(*z*) Kynsius Episcopus rexit annis xiv. & obiit anno Domini DCCCCLXXIV.

WINSIUS.

Winsius Episcopus rexit annis xviii. & obiit anno Domini DCCCCXCII.

AELFEGUS.

(*a*) Aelfegus Episcopus rexit annis xv. & obiit anno Domini MVII.

GODWINUS.

Godwinus Episcopus rexit annis xiii. & obiit anno Domini MXX.

LEOFGARUS.

(*b*) Leofgarus Episcopus rexit annis || vii. & obiit anno Domini MXXVII.

|| vi. *Cod. Lichfeld.*

BRITHMARUS.

(*c*) Brithmarus Episcopus rexit annis xi. & obiit anno Domini MXXXVIII.

(*t*) *Cinebert* apud Malmsburiensem, *Kynesyrth* apud Textum Roffensem appellatur.

(*u*) *Bumfrithum* vocat Malmsburiensis vulgatus, *Tunfrithum* autem Codices MSS. *Tumbrihtum* Florentius, qui eundem tempore Burhredi Regis Merciorum & Alfredi Regis Westsaxonum Episcopatum gessisse scribit. Burhredus regnum tenuit ab anno circiter 852, ad 874. Alfredus ab 872, ad 901. adeò ut si Thomæ calculus admittatur, Tunfrithus soli Alfredo contemporaneus fuisse censendus erit.

(*x*) Ælla, *qui & Ælfwinus, Præsulatum gessit tempore Æthelstani Regis*, inquit Florentius, Thomæ satis concors.

(*y*) *Alfgarus* à Florentio dicitur.

(*z*) Quæ de Episcoporum Lichfeldensium temporibus sequuntur, non malè posita existimo. Refragantur quidem nonnullibi Chartæ & diplomata Monastica. Sic Kinsius chartæ Edredi Regis Croilandensibus anno 948. atque alteri Edgari Regis anno 966. datæ subscripsisse (apud Ingulfum f. 498, 502.) dicitur; & Winsius (inibi Wysige dictus) chartam aueam Edgari Novo Monasterio Wintoniensi datam anno 966. (apud Selden. Spicileg. ad Eadmer. p. 160.) confirmâsse fingitur. Verùm id genus furfuris parum curamus.

(*a*) *Elfeth* & *Elfeh* is à Malmsburiensi appellatur, *Ælfeah* in Textu Roffensi, in quo nomen ipsius chartis Ethelredi Regis anno 995, & 998. datis affixum reperitur, *f.* 154, 159.

(*b*) Malmsburiensi *Lefgar*, Florentio *Leovegarus* dictus.

(*c*) *Brihtmar* seu *Brihtmar*, anno 1039. obiit juxta Florentium, Mailrosensem, Annales Petriburg. Saxon. & alios.

WLSI-

WLSIUS.

(d) Wlsius Episcopus rexit annis xvi. Hujus Wlsii Episcopi tempore, videlicet anno Domini MXLIV. Leofricus Comes Herefordiæ ampliavit & quasi de novo reædificavit Monasterium Coventriæ, ditavitque illud divitiis amplissimis; & ejectis sanctis Monialibus, quæ ibidem Deo servierant à tempore Knuti Regis Dacorum & Anglorum primi fundatoris ejusdem Monasterii, idem Leofricus Monachos ibidem primò fecit institui. Præfecit eisdem Monachis Leofwinum Abbatem; qui postea defuncto Wlsio Episcopo, à Rege Edwardo Sancto datus, Episcopus Lichesfeldensis factus est. Wlsius obiit anno MLIV.

LEOFWINUS.

Leofwinus Lichesfeldensis Episcopus, qui fuit Abbas Coventriæ, rexit annis * xii. & obiit anno Domini MLXVI.

* xi. Cod. Cot. 2.

Post adventum Normannorum.

PETRUS.

(e) Petrus Lichesfeldensis Episcopus à Rege Willelmo Bastard datus, consecratus est anno Domini MLXVII. Sedes Lichesfeldensis translata est in Cestriam tempore Lanfranci Cant. Archiepiscopi, qui sedem transtulit anno Domini MLXXV. per Petrum Lichesfeldensem Episcopum. Et sciendum est, quòd à † tempore fundationis Ecclesiæ Lichesfeldensis || usque ad tempus Lanfranci Archiepiscopi Cant. semper fuit Sedes Cathedralis apud Lichesfeldam tantùm, sine conjunctione alicujus alterius Ecclesiæ. Petrus tunc Cestrensis Episcopus obiit anno Domini MLXXXVI. qui solus apud Cestriam sepultus est.

† Principio. Cod. Cot. uterq.

|| Viz. anno Domini DCLXVI. Iidem.

ROBERTUS DE LYMESY.

(f) Robertus de Lymesy, secundus Cestrensis Episcopus, consecratus est anno Domini MLXXXVIII. * [Erat in Cestrensi Diocesi quoddam Cœnobium Coventreia nomine, quod Comes magnificentissimus Leofricus cum Godefâ uxore suâ construxerat tanto auri & argenti spectaculo, ut ipsi parietes Ecclesiæ angusti viderentur esse receptaculis thesaurorum. Hoc Robertus iste Cestrensis Episcopus comperiens, ambitione possidendi ipsas gazas impetravit transferri ad Coventreiam Sedem suam. Et sic] Sedes Lichesfelden-

* Quæ uncis inclusa sunt, ex Cod. Cot. utroq; interseruntur.

(d) *Wulsius* seu *Ulsius*, anno 1053. mense Octobri è vivis excessisse fertur à Florentio & Annalibus Winchelcumbensibus. *Wulsig Episcopus Lichfeld. obiit* 1053. *ante Festum Omnium Sanctorum.* Sic Annales Petriburg. Saxon.

(e) Petrum anno 1067. consecratum anno 1086. defunctum esse Annales Burtonenses confirmant. Rectiùs forsan sub finem anni 1085. obiisse censendus est. Robertum enim successorem à Rege nominatum fuisse apud Glavorniam anno 1085. in Festo Natalis Domini Florentius & Simeon Dunelmensis testantur.

(f) Consecratum fuisse unà cum Willelmo Helmeamensi Episcopo apud Cantuariam à Lanfranco anno 1086. Chronologia Saxonica affirmat. Is mortuo Leowino Abbate Coventriæ, custodiam Abbatiæ à Rege obtinuit, atque illuc Sedem Episcopalem transtulit. Factum id anno 1095. plures Historici tradunt; quamvis Florentius anno 1102. 18. April. Sedem Episcopalem de Cestriâ ad Coventriam translatam esse referat. Abbatiam forsitan Coventrensem Petrus anno 1095. comparavit, non tamen Coventriam ante 1102. migravit. Obiit anno 1117. fide Florentii, Hovedeni & Annalium Burton. die 30. Augusti juxta Obituarium Cœnobii Salopiensis, die 1. Sept. juxta Lichfeldensem nostrum. Sedes quadriennio ferè vacavit.

ſis prædicta migravit de Ceſtriâ ad Coventreiam anno Domini MXCV. per Robertum de Lymeſy ſecundum Ceſtriæ Epiſcopum, & primum Epiſcopum Coventrienſem: qui ſolus ad Ceſtriam ordinatus erat per collationem Domini Regis Willelmi Ruffi; quia uſque ad illa tempora Reges conferebant omnes Epiſcopatus in Angliâ per inveſtituram annuli & baculi. Robertus de Lymeſy Epiſcopus obiit Kal. Septembr. anno Domini MCXVI. & apud Coventriam ſepultus eſt.

ROBERTUS PECTHE.

(*g*) Robertus Pecthe ſucceſſit Roberto de Lymeſy, per Regem Henricum ſeniorem datus; qui conſecratus eſt anno Domini MCXVII. Robertus Pecthe Epiſcopus Coventr. obiit xi. Cal. Septembris anno Domini MCXXVII. & apud Coventriam ſepultus eſt.

ROGERUS DE CLINTOUN.

(*h*) Rogerus de Clintoun Coventrienſis Epiſcopus, per Regem Henricum ſeniorem datus, conſecratus eſt anno Domini MCXXVIII. Qui Eccleſiam Lichesfeldenſem erexit tam in fabricâ quàm in honore, numerum Præbendarum augendo, Caſtrum Lichesfeldenſe muniendo, villam vallo vallando, milites infeodando. Et tandem ſignaculo Crucis aſſumpto Jeroſolimam petens, apud Antiochiam obiit xvi. Cal. † Maii anno Domini MCXLVIII. & ibidem ſepultus eſt. Iſte Rogerus fecit has Eccleſias Præbendas Eccleſiæ Lichesfeldenſi annexas, ſc. Hardewic, Hinutoun, || Drinnerſtoun, Offechirche, Waſpretoun, Sutham, Oleſtoun, & Eccleſiam S. Trinitatis de Coventriâ.

† Martii. *Cod. Lichfeld.*

|| Arnmerſton. *Id.*

GUALTERUS DURDENT.

(*i*) Gualterus Durdent, qui fuit Prior Cantuariæ, ſucceſſit Rogero de Clintoun; qui per Regem Stephanum datus eſt, Monachis Coventrenſibus & Canonicis Lichesfeldenſibus propter electionem diſcordantibus. Nam tunc primò conceſſa erat eis à Rege licentia Epiſcopum eligendi. Iſte Walterus Epiſcopus Coventrenſis & Lichesfeldenſis conſecratus eſt vi. Nonas Octobris à Theobaldo Cant. Archiepiſcopo anno Domini MCXLIX. Gualterus Durdent Epiſcopus obiit anno Domini MCLXI. & Coventreiæ ſepultus eſt. Rexit Epiſcopatum annis xii.

(*g*) *Robertus Peche*, Latinè *Peccatum*, ab Henrico Rege, *cui* (ut habet Florentii Continuator) *in curâ panis ac potûs ſtrenuè miniſtrare ſolebat*, Epiſcopatu Coventrenſi donatus, à Radulfo Archiepiſcopo apud Abendoniam conſecratus eſt 1121. 13. Martii. Obiit 1127. 22. Aug. juxta noſtrum, die 21. Auguſti juxta Obituarium Salopienſe. Sedes biennio vacavit.

(*h*) Rogerus de Clinton, Goſfridi de Clintunâ viri olim potentiſſimi nepos, & Archidiaconus Buckinghamenſis, Epiſcopatum Coventrenſem emit à Rege 3000. marcarum pretio (ſi Dunelmenſi fides) conſecratus à Willelmo Archiepiſcopo 1129. 17. Nov. Contra Florentius (cui magis adhibendum) Presbyterum 1129. 21. Dec. ordinatum eſſe, Epiſcopum die ſequenti apud Cantuariam conſecratum, & menſe Januario anni ſequentis apud Coventriam intronizatum eſſe refert. Obitum Thomas rectè deſignavit.

(*i*) Walterus Durdens, ex Priore Eccleſiæ Cantuarienſis Epiſcopus Coventrenſis anno 1149. electus, *à Theobaldo Archiepiſcopo conſecratus eſt Cantuariæ die 2. Octobris ad altare Chriſti, præſentibus & cooperantibus Suffraganeis ſuis, Roberto ſc. London. Epiſcopo, Waltero Roffenſi Antiſtite, & Nicolao Glamorganenſi ſive Landavenſi Præſule, acceptâ ab eo pro more hac manuſcriptâ profeſſione de ſubjectione & obedientiâ ſibi & ſucceſſoribus ſuis exhibendâ.* Scripta ſunt hæc in tergo Profeſſionis autographæ, quæ in Archivo Eccleſiæ Cant. hodienum aſſervatur. *Rot. Profeſſ. autogr.* 2. Obiit 1161. 7. Dec. ex fide Obituariorum Cantuarienſis & Salopienſis.

RICAR-

RICARDUS PECTHE.

(*l*) Ricardus Pecthe post mortem Walteri Episcopi consensu Monachorum Coventrensium & Canonicorum Lichesfeldensium, voluntate Regis Henrici II. mediante, Episcopus Coventrensis consecratus est anno Domini MCLXII. Ricardus Pecche Episcopus in fine vitæ suæ Canonicum induit habitum in Ecclesiâ S. Thomæ Martyris juxta Staffordiam; quam ipse de Episcopio fundaverat. Tandemque obiit Nonis Octobris anno Domini MCLXXXI. & in eâdem Ecclesiâ S. Thomæ sepultus est.

GERARDUS DE PUELLA.

(*m*) Gerardus de Puellâ, Clericus S. Thomæ Martyris, per Monachos Coventrenses & Canonicos Lichesfeldenses concorditer electus Episcopus Coventrensis & Lichesfeldensis, consecratus est anno Domini MCLXXXIII. sub Rege Henrico II. Iste Gerardus Episcopus obiit pridie Idus Januarii anno Domini MCLXXXIV. & apud Coventreiam sepultus est. Rexit Episcopatum anno uno.

HUGO DE NONANT.

(*n*) Hugo de Nonant, quondam Clericus ejusdem S. Thomæ Martyris, per Monachos Coventrenses & Canonicos Lichesfeldenses electus est Episcopus

(*l*) Ricardus Peche seu Peccatum, anno 1162. Episcopatum Coventrensem assecutus, summus Hiberniæ Justiciarius seu Prorex anno 1181. constitutus est. Obiit 1182. 6. Octobris, feriâ 4. fide Annalium Ecclesiæ S. Werburgæ Cestrensis.

(*m*) *Gerardus Puella*, sive *La Pucelle*, Clericus erat Ricardi Cant. Archiepiscopi domesticus; de quo Willelmus Thorn in Historiâ suâ (col. 1821.) ista prodit. *Habebat Ricardus Archiepiscopus duos commensales Clericos, juris peritos, veritatis tamen & justæ justitiæ amulos, M. Gerardum de Pucellâ & Petrum Blesensem. Hi duo inter omnes mundi tunc temporis æstimabantur, nec immeritò, eloquentiores.* Archiepiscopo agente ad Episcopatum Coventrensem electus, ab eodem consecratus est 1183. 25. Sept. Postquam autem septimanis 16. sedisset, apud Lichfeldiam non sine suspicione veneni extinctus est 1184. 13. Jan. diem 12. Januarii Thomas posuit. Verùm obitum Gerardi die 13. contigisse Gervasius, Obituarium Cant. & Annales Cestrenses fidem faciunt. Insignia Ecclesiæ metropoliticæ Cant. beneficia contulisse videtur. In Obituario enim Cant. sic legitur. *Idibus Jan. obiit piæ memoriæ Gerardus Coventrensis Episcopus; pro quo fiet servitium, sicut pro uno Archiepiscopo.*

(*n*) Hugo de Nonant, Clericus familiaris S. Thomæ Archiepiscopi, & Archidiaconus Oxoniensis, vir præclaræ eloquentiæ & pietatis, Giraldo judice, electus est anno 1185. consecratus apud Lametham à Baldwino Archiepiscopo 1188. 3. (2. legendum puto) Cal. Febr. teste Gervasio. Inter electionem & consecrationem Legati vices in Angliâ sibi à Pontifice Romano commissas obiit; atque eâ fretus potestate in ipsâ Cant. Ecclesiâ præsente Archiepiscopo mitratus incessit. Acerrimus Monachorum adversarius, quos toto Episcopatûs gesti tempore indefessis laboribus oppugnabat. Nec injuriâ quidem. Monachi enim, qui plurimis Ecclesiis Cathedralibus insederant, assiduis rixis & contentionibus Antistites suos exagitârunt; in hoc contrarii Canonicis Sæcularibus, quibus cum Episcopis ut plurimum summoperè convenit. Monachos ex Ecclesiâ suâ Coventrensi Hugo ejecit, & Canonicos introduxit anno 1190. quamvis post septennem litem, & immensam pecuniæ vim effusam, Monachi decreto Papæ restituti fuerint, in pristinas sedes reducti ab Huberto Cant. Archiepiscopo 1198. 18. Jan. Historiam Controversiæ uberem dabunt Annales Burtonenses, & Giraldus in Vitâ Hugonis. Nec hoc contentus Hugo, operam Baldwino Archiepiscopo adversùs procaces Ecclesiæ suæ Monachos decertanti strenuam præstitit; in solenni Conventu *Monachos ad Diabolum amandandos*, & *si mihi velletis adquiescere, infra breve spatium temporis nec unus remaneret in Angliâ*, clamitans, Nil mirum igitur Monachos Hugonis memoriam immanibus convitiis deturpâsse, & pulchram de conscientiæ morituri stimulo ob Monachos malè habitos fabellam excogitâsse. Veriora de moribus atque obitu illius Giraldus docebit. Obiit apud Betherlevin in Normanniâ 1198. 27. April. die Passionis Dominicæ, ibidem in Monachorum Cœnobio sepultus; quamvis non desint, qui cum Thomâ eundem Cadomi sepultum statuant.

Gervas. Chron. col. 1556.

copus Coventrensis & Lichesfeldensis. Consecratus est anno Domini MCLXXXVI. sub Rege Henrico II. Iste Hugo de Nonant Episcopus ejecit Monachos de Monasterio Conventrensi; & loco eorum instituit Canonicos Sæculares anno Domini MCXC. Qui Canonici manserunt ibidem annis vii. Postea septennio elapso, ad instantiam Regis Ricardi tunc regnantis, qui eidem Hugoni Episcopo fuerat offensus, per Hubertum Cant. Archiepiscopum & Apostolicæ Sedis Legatum Monachi Coventrenses in Monasterio suo sunt introducti; Hugone de Nonant Episcopo tunc in Normanniâ moram faciente. Causa enim offensionis Regis Ricardi fuit, eò quòd Robertus de Nonant, frater Hugonis Episcopi prædicti, ad Henricum Imperatorem, qui tunc Regem Ricardum tenuit in carcere, cum litteris Regis Franciæ & Johannis Comitis Moretoun venerat; ut liberationem Regis Ricardi disturbaret. Unde dictus Rex Ricardus causam adventûs ejusdem Roberti ignorans, rogavit eum pro se obsidem esse; qui negavit. Quâ de re Rex Ricardus iratus; quàm citiùs liberatus fuit, jussit Hugonem de Nonant Episcopum, fratrem ejusdem Roberti, spoliari de suo Episcopatu anno Dom. MCXCIV. & Robertum fratrem ejus in carcere retineri apud Dovore omnibus diebus vitæ suæ. Postea anno revoluto Rex Ricardus reddidit Hugoni de Nonant Episcopatum suum pro quinque millibus marcis argenti. Hugo de Nonant Episcopus Coventrensis & Lichesfeldensis obiit vi. Kal. Aprilis anno Domini MCXCIX. & apud Cadomum in Normanniâ sepultus est, ubi obiit.

GALFRIDUS DE MUSCHAMP.

(*o*) Galfridus de Muschamp successit Hugoni, ad monitionem Huberti Cant. Archiepiscopi & Domini Papæ Legati per Monachos Coventrenses & Canonicos Lichesfeldenses electus, Episcopus Coventrensis & Lichesfeldensis consecratus est Idibus Martii apud Westmonasterium anno Domini MCXCIX. sub Rege Ricardo. Per istum Galfridum Episcopum medietas Ecclesiæ de Wolveye facta est Præbenda Lichesfeldensis. Galfridus de Muschamp Episcopus obiit ii. Nonas Octobris anno Domini MCCVIII. & apud Lichesfeldiam sepultus est tempore Interdicti. Rexit Episcopatum annis x.

WILLELMUS DE CORNHULL (*p*).

Galfrido Episcopo defuncto, Monachi Coventrenses per seipsos tempore Interdicti elegerunt Josbertum Priorem suum in Episcopum Coventrensem; decretumque suum ad Stephanum Cant. Archiepiscopum in transmarinis agentem transmiserunt. Quod audiens Rex Johannes, portum maris prohibuit: Priorem de Baroniâ suâ dissaysavit; quam etiam postea intervenientibus trecentis marcis recuperavit. Deinde electione de prædicto Josberto

(*o*) Galfridus de Muschamp, Archidiaconus Clivelandiæ, Ricardi Regis favore ad Episcopatum electus, consecratus est Cantuariæ ab Huberto Archiepiscopo 1198. 21. Junii. Testatur id professio ipsius Autographa in Archivis Ecclesiæ Cant. reperta. Idem confirmant Matthæus Paris, Florilegus, Dicetensis, Gervasius, & Annales Wintonienses: ut lapsus sit Thomas, qui illum 1199. 15. Martii consecratum refert. Obiit 1208. 6. Octobr. quod præter Lichfeldensem nostrum Obituarium Salopiense & Annales de Suthwerk produnt.

(*p*) Quem Galfrido Godwinus substituit, Walterus Gray Episcopatum Coventrensem nunquam assecutus est. Electus quidem fuit à Canonicis Lichfeldensibus anno 1210. Verùm cùm neque Monachi Coventr. sine Canonicis Lichfeld. nec Canonici sine Monachis ritè possent eligere; Pandulphus Legatus electionem cessavit. Communi demum utriusque Capituli consensu Willelmus de Cornhull electus, apud Radingam consecratus est 1215. 25. Jan. *Rot. Profess. autogr.* 3. Diem obitûs vix alius præter Thomam designavit, sc. 1223. 14. Cal. Sept. Matthæus Paris & Westmonasteriensis obitum die circiter 14. Sept. contigisse volunt; Godwinus die 19. Junii, qui tamen nullum testem laudat.

Priore

Priore pendente, Canonici Lichesfeldenses ad mandatum Domini Regis per se elegerunt Walterum de Gray in Episcopum. Unde & utraque electio, scil. de Josberto Priore & de Waltero de Gray, per Pandulfum Legatum adnullata est, Archiepiscopo Cant. tunc in transmarinis agente. Postea per Monachos Coventrenses & per Canonicos Lichesfeldenses, de concilio & voluntate dicti Legati, in quem vota sua contulerant Canonici Lichesfeldenses, in Willelmum de Cornhull Archidiaconum Huntindoniensem pariter consentientes, idem Willelmus in Episcopum Coventrensem & Lichesfeldensem electus, Episcopus Coventrensis & Lichesfeldensis consecratus est viii. Kalend. Februarii anno Domini MCCXV. sub Rege Johanne. Iste Willelmus Episcopus Capitulo Lichesfeldensi primò liberam in Domino concessit potestatem eligendi aliquem de gremio in Decanum Lichesfeldensis Ecclesiæ. Confirmata est hæc Concessio per Papam Honorium III. Nam antea usque ad hoc tempus Episcopus solebat conferre Decanatum sicut & Canonicatum. Unde defuncto Radulpho de Nevill Decano Lichesfeldensi, cui Rex Johannes Sede vacante tempore Interdicti Decanatum contulerat, Canonici Lichesfeldenses convocato Capitulo ad electionem Decani primò processerunt; elegeruntque canonicè Willelmum de Mancestre in Decanum; qui confirmatus est ab eodem Willelmo Episcopo, anno Domini MCCXXII. Willelmus de Cornhull Coventrensis & Lichesfeldensis Episcopus obiit xiv. Kalend. Septembris anno Domini MCCXXIII. & Lichesfeldiæ sepultus est. Rexit Episcopatum annis viii.

ALEXANDER DE STAVENBY (*q*).

Post obitum Willelmi Episcopi ortâ contentione inter Ecclesias de Coventreiâ & de Lichesfeldiâ de electione futuri Episcopi, profectus est ad Regem Galfridus Prior pro Ecclesiâ Coventrensi, & Willelmus Decanus pro Ecclesiâ Lichesfeldensi, ad postulandam licentiam eligendi. Quibus Dominus Rex licentiam dedit, pronuntiante verbum Regis Hugone de Burgo Justiciario sub hac formâ verborum. *Dominus Rex concedit licentiam eligendi Coventrensem Episcopum omnibus illis, qui debent & consueverunt eligere.* Quibus verbis utraque pars contenta fuit. Dictus verò Willelmus Decanus in præsentiâ Domini Regis denuntiavit Priori Coventrensi; quòd si crederet aliquam partem se vel Ecclesiam Coventrensem habere in electione; certis die & loco conveniret utraque Ecclesia ad tractandum de electione. Priore verò istud omnino recusante, dictus Decanus invocans testimonium Regis & Magnatum sibi assidentium super denuntiatione illi factâ, necnon & Stephani Cant. Archiepiscopi ibidem præsentis, appellationem coram eodem Cant. Archiepiscopo interposuit; ne ad electionem Monachorum Coventrensium aliquem Electum admitteret, confirmaret, vel consecraret. Exinde recedentibus partibus, & adeuntibus singulis suam Ecclesiam, Conventus Coventrensis contempto in omnibus Capitulo Lichesfeldensi elegit præfatum Galfridum suum Priorem, publicans Electionem in Ecclesiâ Coventrensi, & præsentans Electum suum cum decreto Archiepiscopo Cant. confirmandum: qui confirmationem ejus distulit; tum quòd Canonici Lichesfeldenses appellaverant, tum quòd regium consensum non optinuerant. Scripsitque Archie-

(*q*) Alexander, quem de Wendock Baleus (Cent. 3. cap. 94.) cognominat, & doctrinâ scriptisque editis enituisse memorat, consecratus est Romæ ab Honorio Papâ die Paschatis. Id inter omnes convenit. Annum etiam eundem, viz. 1224. (quo Pascha in diem 14. Aprilis incidit) designant. Solus autem Thomas die 30. Martii (qui Paschalis erat anni 1225.) consecratum scribit. Istum erràsse nequaquam dubito. Obiit Alexander apud Andover 1238. 26. Decembris.

piscopus

piscopus Domino Regi; quòd Electioni factæ regium præstaret assensum; vel causam rescriberet, quare non præstaret. Rex verò rescribens allegavit; quòd Electio fuit contentiosa maximè, cùm Lichesfeldenses appellassent; nec rei contentiosæ regium tenebatur assensum præstare. Et appellavit Dominum Papam; ne Cant. Archiepiscopus ipsum Electum confirmaret. Archiepiscopus verò Canonicos Lichesfeldenses citari fecit; quòd comparerent certâ die, propositur si quid canonicum haberent contra Electionem. Convenientibus partibus coram Archiepiscopo apud Lameth, proposuerunt Canonici Electionem ipso jure fore nullam, eò quòd celebrata fuit post appellationem ab eis legitimè interpositam; illis contemptis & exclusis, qui consueverunt electioni interesse. Unde Dominus Cant. processit ad cassationem Electionis per os Magistri Alexandri de Maltham Officialis Domini Cant. in hunc modum. *Nos igitur auctoritate Cant. Ecclesiæ Electionem factam à Monachis Coventrensibus sine Canonicis Lichesfeldensibus infirmandam duximus & cassandam.* Latâ igitur sententiâ contra Monachos Coventrenses, & cassatâ Electione illorum, Monachi infra decem dies præsentiam Domini Papæ appellantes, Romam profecti sunt. Post hæc comparentibus Monachis in præsentiâ Domini Papæ ex unâ parte, & procuratoribus Lichfeldensibus ex alterâ; post multas altercationes Dominus Papa factum Archiepiscopi Cant. circa cassationem Electionis de Galfrido Priore auctoritate Apostolicâ confirmavit. Deinde Dominus Papa Honorius III. tractavit de providendo Ecclesiis Coventrensi & Lichesfeldensi de pastore. Et vocatis partibus utriusque Ecclesiæ petiit, quòd conferrent vota sua in eum. Procuratores verò Lichesfeldenses institerunt; quòd liberè possent eligere per se; cùm non demeruissent, sicut Monachi, ut jure eligendi privarentur hac vice; nec tamen explere potuerunt. Immo semper instabat Papa; quòd Procuratores Lichesfeldenses vota sua conferrent in eum. Tandemque concilio quorundam Cardinalium Procuratores Lichesfeldenses genibus flexis coram Papâ, optulerunt unum pileum in manus Papæ, dicentes: *Pater Sancte, nos sumus hîc tres Canonici habentes potestatem à Capitulo eligendi Episcopum. Nos illam potestatem in manibus vestris committimus; ut vice Ecclesiæ nostræ nobis provideatis de Pastore.* Et ita pileum Papa accepit; & quæsivit à Monachis, si vellent consentire. Quibus negantibus, & dicentibus se nunquam velle cum illis eligere: respondit Papa. *Certè nichilominus fiet.* Tandem acclamantibus pluribus, quòd facerent voluntatem Papæ; consenserunt. Dominus verò Papa Honorius III. providit eodem die de pastore utrique Ecclesiæ tam Coventrensi quàm Lichesfeldensi, assignans illis Magistrum Alexandrum de Stavenby; quem idem Papa postulantibus Canonicis, Monachis verò postulare nolentibus, in Vigiliâ Paschæ ordinavit in Presbiterum; & die Paschæ in crastino consecravit Episcopum unà cum Episcopo Parisiensi, sc. iii. Kalend. Aprilis anno Domini MCCXXIV. tempore Regis Henrici III. Iste Alexander Episcopus auxit numerum Præbendarum in Ecclesiâ Lichesfeldensi per Præbendas de Terven & de Welintoun, quas fecit. Et etiam exaltavit & ditavit Ecclesiam Lichesfeldensem in multis utilitatibus. Adhuc autem lite pendente in Curiâ Romanâ inter Ecclesias de Coventreiâ & de Lichesfeldiâ post mortem Papæ Honorii, tandem partibus diu fatigatis, & ut parceret earum laboribus & expensis, Papa Gregorius IX. de consilio Cardinalium terminavit causam in hunc modum; videlicet quòd unâ vice in Coventrensi Ecclesiâ Conventus Coventrensis & Capitulum Lichesfeldense electionem Episcopi celebrent, & alterâ vice similiter ab utrisque in Ecclesiâ Lichesfeldensi Electio celebretur. Et sic causa terminata est anno Domini MCCXXVIII. Alexander Coventrensis & Lichesfeldensis Episcopus obiit vii. Kalend. Januarii anno Domini * MCCXXXVIII. & Lichesfeldiæ sepultus est.

*MCCXXVIII. Cod. Lichfeld.

HUGO

HUGO DE PATISHULL.

(*r*) Hugo de Patishull post mortem Alexandri in Coventrensi Capitulo à Monachis Coventrensibus & à Decano & Canonicis Lichesfeldensibus, unum Collegium quoad hoc facientibus, primus post provisionem Apostolicam in Coventrensem & Lichesfeldensem Episcopum & pastorem electus est. Qui consecratus est anno Domini MCCXL. sub Rege Henrico III. Per istum Hugonem Ecclesia de Colewich facta est Præbenda Lichesfeldensis. Hugo de Patishull Coventrensis & Lichesfeldensis Episcopus obiit vi. Idus Decembris anno Domini MCCXLI. & Lichesfeldiæ sepultus est ante altare S. Stephani. Rexit Episcopatum anno uno & dimidio.

ROGERUS DE WESEHAM.

(*s*) Hugone defuncto, congregatis Monachis Coventrensibus & Decano & Canonicis Lichesfeldensibus in Capitulo Lichesfeldensi super Electione celebrandâ; quidam eorum elegerunt Fr. Willelmum Præcentorem Ecclesiæ Coventrensis in Episcopum; & quidam elegerunt Abbatem de Evesham. Unde ad Sedem Apostolicam appellatum est. Altercatione igitur factâ super dictâ Electione in Curiâ Romanâ, Papa Innocentius iv. utroque Electo dimisso, providit & contulit Episcopatum Coventrensem & Lichesfeldensem Domino

(*r*) Controversiam de electione futuri Episcopi, quæ Alexandri mortem excepit, Thomæ penitus intactam, è Matthæo Paris aliisque repetere extra rem non erit. Defuncto Alexandro, Monachi Coventrenses simul ac Canonici Lichfeldenses unanimi suffragio Willelmum de Rale, Clericum Regis præcipuum, in Ecclesiâ Coventrensi anno 1239. die circiter 24. Febr. elegerunt. Brevi autem pòst Willelmus à Monachis Norwicensibus postulatus, Episcopatum Norwicensem maluit. Re igitur ad secundam electionem devolutâ, Canonici electionem in Ecclesiâ suâ fieri debere affirmabant, fidem nuperæ Compositionis appellantes. E contra Manachi omnia sibi adhuc integra manere, & electionem in Ecclesiâ Coventrensi renovandum esse, donec aliquis inibi electus Episcopatu potitus esset, prætendebant. Motâ hac nec definitâ quæstione, bina Capitula dissiluerunt. Coventrense Nicolaum de Farnham, virum optimum, Lichfeldense Willelmum de Mancestre Decanum suum elegerunt. Willelmus tam eximium virum à Coventrensibus postulari videns, juri suo renunciavit, & Canonicos induxit, ut salvo Ecclesiæ suæ jure electioni à Monachis factæ consensum adhiberent. Juncto itaque utriusque Capituli suffragio postulatus Nicolaus assensum denegavit, atque adhuc Episcopari seriò noluit. Tertiâ demum electione celebratâ postulatus est Hugo de Pateshulle, Canonicus Londinensis, Simonis de Pateshulle, summi quondam Angliæ Justiciarii filius, Angliæ (non Cancellarius, quod vult Godwinus verbis Parisii vitiatis deceptus, sed) Thesaurarius, quod munus inierat 1234. 1. Junii. Is ægrè exoratus, ut Episcopatum susciperet, ab Archiepiscopo confirmatus est anno 1239. circa Natale Domini, ab eodem in Prioratu prope Gilfordiam consecratus 1240. 1. Julii. Obiit 1241. 7. Decembr. juxta Parisium & Florilegum, 8. Dec. juxta Thomam, 13. Dec. juxta Johannem de Walingford.

(*s*) In narrandâ electione, quæ Hugonis mortem subsecuta est, Historicis non adeò convenit. Refert Matthæus Paris Ricardum Crassum, Abbatem Eveshamiæ, magni Sigilli Regii Custodem, quem Rex electoribus commendaverat, à Canonicis Lichfeldensibus nonnullis electum esse, majorem tamen Capitulorum simul unitorum partem Willelmo de Montepessulano, Præcentori Coventrensi, suffragia contulisse. Re ad Papam delatâ, Ricardi electionem confirmatam esse, ipsum autem Ricardum ante consecrationem susceptam apud Riolam in Vasconiâ 1242. 8. Dec. diem obiisse. Renovatâ itaque electione, Willelmum à Capitulo Coventrensi, nonnullis etiam Lichfeldensibus suffragantibus, iterum electum esse, sed à Rege non admissum, & sumptuosis litibus fatigatum electioni suæ anno 1245. sponte cessisse in præsentiâ Papæ. Illi, procurante Roberto Episcopo Lincolniensi, à Papâ subrogatus est, Rege penitus inconsulto, Rogerus de Weseham, Lincolniensis Decanus, consecratus ab eodem in Con-

Domino Rogero de Weſeham Decano Lincolnienſi, qui tunc ad Concilium Lugdunenſe venerat. Conſecratuſque eſt Rogerus de Weſeham ibidem apud Lugdunum per Papam Innocentium IV. anno Domini MCCXLV. tempore Regis Henrici III. Iſte Rogerus Epiſcopus auxit numerum Præbendarum in Eccleſiâ Lichesfeldenſi per Præbendas de Rintoun & de Bobenhul & etiam de Boultoun, quæ eſt Archidiaconatui Ceſtriæ annexa. Willelmus de Manceſtre Decanus Lichesfeldenſis obiit vii. Idus Februarii anno Dom. MCCLIV. Et Radulphus de Sempingham in Decanum electus anno eodem & confirmatus eſt. Per idem tempus Monachi Coventrenſes & Canonici Lichesfeldenſes compoſuerunt inter ſe [&] ſcripto ſigilliſque firmârunt; quòd ſemper in electione Epiſcopi pares quoad numerum eligentium cenſeantur, anno Domini MCCLV. Rogerus de Weſeham Coventrenſis & Lichesfeldenſis Epiſcopus cùm rexiſſet Epiſcopatum annis xi. propter invalitudinem corporis de licentiâ Summi Pontificis ſponte ceſſit oneri ſui Epiſcopatûs circa Feſtum S. Nicholai anno Domini MCCLVI.

ROGERUS DE MEYLAND.

(*t*) Poſt hæc congregatis Monachis Coventrenſibus & Decano & Canonicis Lichesfeldenſibus in Coventrenſi Capitulo, elegerunt concorditer Rogerum

Concilio Lugdunenſi. Id à Roberto Epiſcopo factum eſt vafro conſilio, ut Eccleſiam Ailesburienſem à Decanatu Lincolnienſi jam vacante ſubtraheret. Decanos enim ſibi jamdiu recalcitrantes expertus, eorum inſolentiam demptâ ubertate nimiâ reſecare voluit. Iſta Matthæus Paris, cui Florilegus aſtipulatur. E contra Annales Theokesbirienſes tradunt Ricardum Abbatem anno 1241. canonicè electum fuiſſe, ſed non multò pòſt electioni renunciâſſe, atque tunc denuo Wilellmum ab utroque Capitulo ritè poſtulatum eſſe. Electionem Thomas brevi narratione perſtrinxit. Id tamen ſemper cavendum, ne in rebus hujuſmodi fides facilè adhibeatur Hiſtoricis Monachis, qui in narrandis Canonicorum & Monachorum jurgiis in gregalium ſuorum partes cæco impetu tranſire ſolent. Conſecratus eſt Rogerus unà cum Ricardo Epiſcopo Ciceſtrenſi; Temporalia Epiſcopatûs ſui à Rege accepit 1246. 1. Jan. Poſt decem exacti Epiſcopatûs annos longâ invaletudine & paralyſi laborans, ſponte abdicavit 1256. factâ reſignatione apud Brewode 1256. 4. Decembr. in præſentiâ Henrici de Lexinton Decani Lincoln. ad id à Papâ deputati. Obiit 1257. 20. Maii die Dominicâ apud Brewode, ſepultus apud Lichfeldiam à Fulcone Archiepiſcopo Dublinenſi die 24. Maii. Iſta tradunt Annales Burtonenſes.

(*t*) Cedente Rogero Epiſcopo, Henricus Rex Monachos obnixè rogavit, ut Philippum Lovel Theſaurarium ſuum eligerent. Eum ſibi minùs gratum ut amolirentur, Monachi Rogerum de Molend ſeu de Longaſpatâ, Regis & Ricardi Comitis Cornubiæ nepotem, elegerunt. Filius is erat natu tertius Willelmi de Longaſpatâ Comitis Sarum & Evæ uxoris, quæ filia erat & hæres Willelmi Fitz-Patrick Comitis Sarum. Ipſe tunc Subdiaconus, Papæ Capellanus, & Canonicus Lichfeldenſis electus eſt apud Coventriam 1257. 31. Jan. authore Hiſtorico Burtonenſi. Conſecratus eſt à Bonifacio Archiepiſcopo in Eccleſiâ Cant. 1258. 10. Martii, unà cum Simone Norwic. & Waltero Exon. Epiſcopis, *aſtantibus Ægidio Sarum, Johanne Bathon. &c. Cæteri miſerunt literas excuſatorias, præter Laurentium Roff. & Petrum Hereford. qui non fuerunt in regno. Quatuor verò Epiſcopi Wallenſes non potuerunt venire nec mittere propter guerram.* Sic Regiſtrum Eccleſiæ Cant. Rogerus linguæ Anglicanæ parum ſciens, omnem Dioceſis ſuæ curam inſuper habuit. Quin & in regionibus tranſmarinis vitam agens ſocordem, ut quovis modo Capitulorum & Religioſorum ſuæ Dioceſis gratiam redimeret, quamplurimas ipſis Eccleſias nullo habito delectu appropriavit. Johannes igitur Peckham, Archiepiſcopus vigilantiſſimus, tam grave ſcandalum pati nolens, illi 1282. 19. Nov. mandatum direxit; ut in Dioceſi ſuâ de cætero reſideret, ut nullas appropriationes Eccleſiarum ampliùs faceret, utque provideret ſibi aliquem Epiſcopum linguæ vulgaris gnarum, qui ſumptibus ſuis Dioceſin circuire & Epiſcopalia officia exequi valeat. Neque hoc mandato ſatisfactum putans, eidem anno 1284. E. Archidiaconum Derbiæ, coadjutorem dedit, aſſignatâ centum marcarum penſione annuâ, ut nil ſine ejus conſilio & aſſenſu diſponeret, injungens. *Regiſtr. Peckham f.* 82, 96. Obiit 1295. 16. Dec. apud Lichfeldiam die 3. Januarii ſequentis ſepultus.

de

de Meyland in Episcopum Coventrensem & Lichesfeldensem, sc. † ii. Kalend. Februarii anno Domini MCCLVI. Rogerus de Weseham, qui cessit Episcopatui Coventrensi & Lichesfeldensi, obiit xiv. Kalend. Junii anno Domini MCCLVII. & Lichesfeldiæ sepultus est. Et post ejus obitum vi. Idus Martii anno eodem Rogerus de Meyland sic electus in Episcopum Coventrensem & Lichesfeldensem apud Cantuariam consecratus est. Radulfus de Sempingham Decanus Lichesfeldensis obiit x. Kalend. Aprilis, viz. die Dominicâ qua cantatur *Lætare Jerusalem*, anno Domini MCCLXXX. Et Johannes de Derby infra quindenam Paschæ proximè sequentis in Decanum Lichesfeldensem electus est; & postea anno eodem à Rogero Episcopo est confirmatus. Per istum Rogerum de Meyland Coventrensem & Lichesfeldensem Episcopum adauctæ sunt hæ Ecclesiæ & factæ Præbendales Ecclesiæ Lichesfeldensis, viz. Ecclesia de Boultoun per proximum Prædecessorem suum ordinata & per istum confirmata defuncto Rectore ejusdem, Ecclesia de Flixtoun, Ecclesia de Sondiaker, & parva Pypa. Rogerus de Meyland Episcopus Coventrensis & Lichesfeldensis obiit xvii. Kalend. Januarii anno Domini MCCXCV. & Lichesfeldiæ sepultus est. Sedit annis xxxviii.

† xi. *Cod. Cot. uterque.*

GUALTERUS DE LANGETOUN.

(*u*) Gualterus de Langetoun post mortem Rogeri de Meyland per Monachos Coventrenses & Decanum & Canonicos Lichesfeldenses in Capitulo Lichesfeldensi congregatos concorditer & pacificè in Episcopum Coventrensem & Lichesfeldensem electus est x. Kalend. Marcii anno Domini MCCXCV. Gualterus de Langetoun Episcopus Coventrensis & Lichesfeldensis per Cardinalem Albanensem apud Cambreye consecratus est xi. Kalend. Januarii anno Domini

(*u*) Walterus de Langton, Willelmi de Langton Decani Eboracensis nepos, ipse liberæ Capellæ de Bruges Decanus, Canonicus Lichfeld. & Capellanus Papæ, ex Vestiarii Regii Præposito Custos magni Sigilli creatus est 1292. 25. Octobr. & summus Angliæ Thesaurarius 1295. 28. Sept. Post Rogeri Præsulis Lichfeldensis obitum, legatione pro Rege in partibus transmarinis tunc fungens, electus est 1296. 20. Febr. ab Archiepiscopo confirmatus in Capitulo Ecclesiæ Cant. 1296. 11. Junii, ad temporalia admissus à Rege die 16. Julii, consecratus apud Cameracum à B. Cardinali Episcopo Albanensi die 22. Decembr. Nondum tamen thesauro regio præesse desiit (Thesaurarium enim 1399. 10. Nov. fuisse constat ex Registro *Winchelse*) donec Edwardi Principis, Edwardi Regis primogeniti, & æmulorum insidiis dejectus gravissimas injurias & persecutionem subiret. Causam non aliam fuisse refert Walsinghamus, quàm quòd dissolutissimum Principem *de suis corripuit insolentiis, & superfluis compescuit ab expensis.* Isto igitur agente, anno 1301. Regio favore excidit; & gravissimorum criminum apud Papam accusatus, Romam accitus est, citatione datâ 1301. 10. Maii, ut in propriâ personâ responderet. Exhaustâ incassum apud Romam immensâ pecuniæ summâ, ad Archiepiscopum Cantuariensem ut coram ipso se purgaret, remissus est. Nullo negotio id confecit, attestantibus innocentiæ suæ innumeris tam è Clero quàm populo. Eâ de re Papa ab Archiepiscopo certior factus, Episcopum in integrum restituit, & cum uberiori gratiâ remisit ad propria. Insignem ultionis divinæ in Johannem quendam, accusatorem ejus præcipuum, editæ exemplum Westmonasteriensis narrat. Purgatâ famâ Langtonus gratiam Regis brevi recuperavit, ab eo Thesaurarius iterum renunciatus est & tanti habitus, ut illi anno 1307. moriens supremi testamenti executionem demandaret, & exequiarum curam unicè delegaret. Nec tamen perditissimos Edwardi Principis mores Præsul optimus vivente patre castigare desiit; & præsertim Petrum de Gavestone, Principis amasium, acriter sæpiùs increpuit; quòd Principis mores corrumperet, & ad facinora ineptiasque infames provocaret; eundemque pravitatis suæ tenacem exilio demum mulctari fecit. Edwardo Principe post patris obitum regnum adepto, Petrus ab exilio confestim revocatus, Regi fit author, ut nullum non malum Episcopo immerenti inferat. Ablato igitur Thesaurarii munere, arctissimo carceri mancipatur, bona diripiuntur, muneris gesti

ratio

Domini MCCXCVI. ſub Rege Edwardo III (*x*). Johannes de Derby Decanus Lichesfeldenſis obiit iv. Idus Octobris anno Domini MCCCXIX. Succeſſitque ei Stephanus de Segrave, electus in Decanum Lichesfeldenſem Vigiliâ S. Nicholai proximè ſequenti; & poſtea à Waltero Epiſcopo confirmatus eſt menſe Septembri anno Domini MCCCXX. Iſte Walterus Epiſcopus Clauſum Lichesfeldenſe muro lapideo circumcinxit. Feretrum magnum pro Reliquiis Sancti Ceddæ precii duarum millium librarum præparavit. Caſtrum de Ecclesſhale & Manerium de Heywode proſtravit, & de novo reædificavit. Unum calicem & duas fialas de auro puriſſimo precii octoginta librarum, & unam Crucem de auro puriſſimo lapidibus precioſis undique ornatam precii ducentarum librarum, & veſtimenta plurima & precioſa precii inæſtimabilis, magno Altari Lichesfeldenſi donavit. Magnum pontem ultra † Vivarium Lichesfeldenſe conſtruxit. Vicarios Lichesfeldenſes domibus, quibus inhabitant in Clauſo Lichesfeldenſi, feoffeſſavit; eiſque cuppam argenteam ponderis quinque marcarum largitus eſt; & eiſdem Vicariis viginti ſolidos annuos in augmentum eorum communæ de Eccleſiâ de Tibbeſshulf ordinavit. Fabricam Capellæ B. Mariæ, ubi ſepultus eſt, fundavit; & pecuniam ſufficientem ad eandem Capellam plenè conſtruendam in Teſtamento ſuo legavit & dimiſit. Paviagium Lichesfeldenſe per xxi. annos duraturum, & alias quamplures libertates Eccleſiæ Lichesfeldenſi conceſſas, ab illuſtri Rege Edwardo III. impetravit. Gualterus de Langetoun Coventrenſis & Lichesfeldenſis Epiſcopus, poſtquam hæc & alia plurima beneficia Eccleſiæ Lichesfeldenſi contuliſſet; apud Londoniam obiit v. Idus Novembris anno Domini MCCCXXI. & apud Lichesfeldiam ſepultus eſt Nonis Decembris. Rexit Epiſcopatum annis xxv.

† Vinarium *Cod. Lichfeld.*

ROGERUS DE NORBURG.

Poſt mortem Walteri de Langetoun Epiſcopi, Monachi Coventrenſes & Decanus & Canonici Lichesfeldenſes in Capitulo Coventrenſi ſimul convevenientes ſuper electione futuri Epiſcopi celebrandâ: & poſt longum tractatum de eâdem, ortâ contentione inter eoſdem Monachos ex unâ parte & Canonicos

ratio poſcitur, accuſatores muneribus palam propoſitis ſubornantur, crimina flagitioſiſſima confinguntur. Cauſâ autem in forum prolatâ, neque criminis alicujus à Papâ nec repetundarum reus à regiis judicibus deprehendi potuit. Integram rem Hiſtorici noſtri breviter tranſcurrunt; & illum bonis reſtitutis ſemi-gratiam Regis brevi nactum eſſe ſubinnuunt. Non ita facilè tamen rem compoſitam arbitror. Anno enim 1310. 24. Martii; & 1311. 29. April. Temporalia Epiſcopatûs in manu Regis fuiſſe mihi compertum eſt. Extat etiam in Regiſtro Willelmi Greenfeld Archiepiſcopi Ebor. Commiſſio à Willelmo quibuſdam data 1311. 2. Julii, *ad petendos & recipiendos ad libertatem Eccleſiaſticam Walterum Epiſcopum Coventrenſem & Johannem de Hotot Clericum, cuſtodiæ carcerali in Caſtro Eboracenſi pro homicidio eis impoſito mancipatos.* Carcere eductus Epiſcopus vices Petro adeò non rependit; ut univerſo Cleri ac Procerum cœtu adverſùs Petrum eodem anno conjurante, & de regni ſtatu invito Rege reformando pacta quædam ſingulorum juramentis ſancita promulgante, ipſe ſolus conjurare noluerit. Quamobrem à Roberto Archiepiſcopo in Synodo Londinenſi excommunicatus, à Papâ abſolutus eſt. In tam inſignis fidei præmium Theſaurarius Angliæ 1312. 14. Martii renunciatus eſt. Obiit Londini 1321. 16. Nov. die Lunæ, ex fide Willelmi de Shepeſheved in Chronico MS. die 9. Novembris juxta Hiſtoricum noſtratem.

(*x*) *Quarto* legendum, quod etiam Codex Cottonianus confirmat. Sic enim ſemper Edwardum Regem, quem nos *Primum* vocamus, Author Chronici Lichfeldenſis appellat, quod Hiſtoriolæ huic præfixum erat, & non alium Authorem habuiſſe videtur. Sic etiam infra prope finem hujuſce Vitæ *Edwardo* V. legendum eſt. Sic enim Edwardus, quem nos *Secundum* appellamus, in Chronico memorato dicitur. Forſan & hic loci dicebatur. Sciolus autem quiſpiam eraſo numero ab Authore poſito *Tertium* utrobique repoſuit; quod in Codice noſtro facilè comparuit.

nonicos Lichesfeldenſes ex alterâ de quadam Compoſitione factâ tempore Rogeri de Weſeham Epiſcopi, videlicet quòd Monachi Coventrenſes & Canonici Lichesfeldenſes erunt pares in electione Epiſcopi quoad numerum eligentium : quam Compoſitionem ſcripto & eorum ſigillo firmatam Monachi penitus negantes, & ad electionem per ſe procedere minantes : Canonici Lichesfeldenſes, ne hoc facerent, ad Sedem Apoſtolicam appellârunt. Monachi verò appellatione contemptâ, ſpretis Canonicis, ad electionem per ſeipſos procedentes, Henricum Priorem ſuum in Epiſcopum Coventrenſem elegerunt. Quod videntes Canonici Lichesfeldenſes, appellationem ſuam renovantes, contra eundem Electum & Monachos direxerunt ad Curiam Romanam. Interim Dominus Papa Johannes XXII. providit & contulit Epiſcopatum Coventrenſem & Lichesfeldenſem Rogero de Norburg (y). Qui poſtea apud Abbatiam de Halis per Thomam Wigornienſem Epiſcopum auctoritate Apoſtolicâ cum aliis quinque Epiſcopis ſibi aſſiſtentibus, v. Kalend. Julii Epiſcopus Coventrenſis & Lichesfeldenſis conſecratus eſt anno Domini MCCCXXII. Stephanus de Segrave Decanus Lichesfeldenſis in Archiepiſcopum Armachanum per Papam Johannem XXII. apud Avinionem conſecratus eſt iii. Kalend. Maii anno Domini MCCCXXIV. Et idem Johannes Papa citò pòſt contulit Decanatum Lichesfeldenſem cuidam Vaſconi nomine Rogerio de Covenis ; qui poſtea inſtallatus fuit per Procuratorem die Dominicâ in craſtino Commemorationis Animarum anno Domini MCCCXXV. Qui quidem Procurator juravit in animâ dicti Rogeri Domini ſui, antequam inſtallatus erat ; quòd obſervaret ſtatuta & [omnes conſuetudines antiquas & approbatas Eccleſiæ Lichesfeldenſis, prout Prædeceſſores ſui in omnibus obſervaverunt : ſicut in Statutis continetur. Hic obiit in partibus tranſmarinis : & contulit Dominus Papa Decanatum Johanni Garſiæ ; qui inſtallatus eſt per Procuratorem. Iſte Johannes poſtea præfectus eſt in Epiſcopum Marcilienſem per Papam Benedictum XII. & contulit idem Benedictus Decanatum Lichesfeldenſem Magiſtro Ricardo Radulphi Doctori in Theologiâ ; & inſtallatus eſt idem Ricardus in propriâ perſonâ xii. Kalend. Maii anno Domini MCCCXXXVII. Idem Ricardus electus in Archiepiſcopum Armachanum, & conſecratus apud Exoniam à Venerabili Patre Domino Johanne de Grandiſono Epiſcopo Exonienſi & aliis Epiſcopis tribus anno Domini MCCCXLVII. Poſtea eodem anno Symon de Boriſley Decanus Lichesfeldenſis præfectus per Papam Clementem VI. inſtallatus eſt Lichesfeldiæ in propriâ perſonâ vi. Idus Januarii. [*Hic deſinit Codex noſter. Codex Cottonianus ſequentia adjecit.*] Rogerus Epiſcopus propter ingentia beneficia, quæ Walterus Langton Prædeceſſor ſuus in templum, civitatem & Epiſcopatum Lichefeldenſem contulit, illius corpus intulit in ſepulchrum magnificentius ad auſtrale cornu principis Altaris ; & ipſe juxta ſepultus eſt, poſtquam rexiſſet Eccleſiam ſibi creditam annis xxxviii.

(y) *Rogerus de Northburgh*, ſeu *de Norbrige*, Canonicus Lincolnienſis Eccleſiæ factus eſt 1316. Archidiaconus Richmundenſis 1317. 24. Sept. Cancellarius Academiæ Cantabrigienſis 1321. ad Epiſcopatum Lichfeldenſem proviſus eſt à Johanne Papâ 1322. 20. Junii, conſecratus die 27. Junii eodem anno. Profeſſionem obedientiæ Archiepiſcopo Cant. præſtandæ fecit in Eccleſiâ Cant. die 31. Aug. Theſaurarius Angliæ creatus eſt 1327. obiit 1358. 22. Nov. Sic Regiſtra *Cant. Ebor. Reynolds & Iſlip.* Quod verò habet Regiſtrum ultimum, ipſum ſc. obiiſſe 1358. 10. Cal. Dec. in Feſto S. Luciæ, error eſt manifeſtus. Is enim dies S. Cæciliæ, dies 13. Decembr. S. Luciæ ſacer eſt. Obitum anno potiùs 1359. contigiſſe conjicio. Illo certè anno Walſinghamus defunctum eſſe ſcribit. Obitum in anno 1360. die 10. Decembr. Godwinus repoſuit. Verùm Robertum antea ſucceſſiſſe conſtat. Rogerus inter benefactores Academiæ Cantabrig. memoratur.

ADDITAMENTA
AD
HISTORIAM
Veterem Lichfeldensem,

Ex Historiâ Lichfeldensi recentioris cujusdam scriptâ circa annum MDLXXV.

[Gulielmus Whitlocke, Canonicus Lichfeldensis, is fuisse videtur.]

Addit. i.

ANNO salutis humanæ DCCIII. Wlferi filius Cenredus fit Merciorum Rex, quinquennio regnans post resignationem regni factam per Ethelredum patruum suum; qui [relicto regno] apud Bardeneye attonsus est in Monachum. Kenredus verò post quinquennium regni Romam profectus anno Domini DCCX. reliquum vitæ complevit. Ante Monachatum patris genitus in regno Merciorum successit Kenredo Ceolredus, viii. ferè annis dedecorosè regnans. Ecclesiarum jura impedivit fregitque, Sanctimonialiumque turpis fit stuprator. Cùm splendidè inter suos Comites convivium celebraret; sine confessione & viatico discessit; & Lichefeldiæ sepultus est. Sic Historiola Lichfeldensis.

Addit. ii.

Aldulphus Lichefeldensis Archiepiscopus rexit provinciam Merciorum & Orientalium Anglorum annis xxxvi. annuente Adriano Romano Archiepiscopo, Archiepiscopali fungens autoritate anno salutis humanæ DCCLXXVII. Hujus Aldulfi tempore, &c. Hæc ex Historiolâ Lichfeldensi.

Addit. iii.

Antiquissimæ Præbendæ Lichefeldensis Ecclesiæ per venerabilem *Athelwaldum* Episcopum [institutæ] ordine.

Præbenda in Ecclesiâ Præbendali de Berkiswiche.
Præbenda in Ecclesiâ Præbendali de Weeford.
Præbenda in Ecclesiâ Præbendali de Sallow.
Præbenda in Ecclesiâ Præbendali de Hondesum.
Præbenda in Ecclesiâ Præbendali de Tachebrocke.
Præbenda de Freeford.
Præbenda in Ecclesiâ Præbendali de Ecclešhall.
Præbenda de Bishophull.
Præbenda in Ecclesiâ Præbendali de Ologtonâ, quia duæ sunt in dictâ Ecclesiâ.
Præbenda in Ecclesiâ Præbendali de Ichinton.
Præbenda de Curburgh.
Præbenda in Ecclesiâ Præbendali de Terven, quæ fuit subrogata in loco antiquissimæ Præbendæ de Burton in Wirhall.
Præbenda de Gayâ minori.
Præbendâ de Gayâ majori.

Præben-

Præbenda in Eccleſiâ Præbendali de Longedon.
Præbenda de Stotfold.
Præbenda in Eccleſiâ Præbendali de Prees.
Præbenda in Eccleſiâ Præbendali de Colwiche.
Præbenda in Eccleſiâ Præbendali de Bruwode.
Præbenda in Eccleſiâ Præbendali de Alrewas.
Præbenda in Eccleſiâ Præbendali de Wolveye, quæ diviſa eſt in Præbendam & Rectoriam, & populus eſt indiviſus.

Sciendum quòd Præbendæ tres, ſc. Sondiacre, Hida, & Pipa minor, inſtitutæ ſunt locis trium Præbendarum quæ de burſâ communi ſolvebantur.

Ethelredo regnante ſuper univerſos Anglos, & *Alphego* Epiſcopo Eccleſiam Lichfeldenſem Dioceſinque moderante, nobilis fœmina Wulfruna vidua Microcoſmi conceſſit Collegio per ſe inchoato in Wulverhampton decem jugera caſſatarum; ut pro ea fierent orationes ibi. Dedit alia decem jugera caſſatarum in memoriâ conjugis ſui, & pro Elthredâ tertiâ vice alia decem jugera caſſatarum. Erat hæc unica filia Microcoſmi & Wulfrunæ. Sigwicke Metropolitanæ urbis Archiepiſcopus facultatem conceſſit conſtruendæ Baſilicæ & Collegii de Wulwerhampton per manum notarii & ſcribæ Regis Ethelredi in menſe Octobris in Dominico die, xvii. Calend. Lunâ xxii. Indictione vii. anno Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCCXCVI. Dotatio & confirmatio literis Saxonicis in pergameno conſcripta in ruderibus muri reperta eſt laminâ plumbeâ incluſa circa annum Domini MDLX. Addit. iv.

Anno ab Incarnatione MIV. Indictione ix. tempore Ethelredi Regis Angliæ patris S. Edwardi Regis & Confeſſoris, quidam nobilis nomine Wulfricus cognomento Apol conſtruxit Abbatiam de Burton vocatum; deditque ei omnem hæreditatem paternam appreciatam DCC. libris; & quoniam nondum utebantur ſigillis, fecit donum ſuum his confirmari ſubſcriptionibus; prout in Chartâ continetur: Addit. v.

Ego Ethelred Rex Anglorum hoc donum perpetuâ dicavi libertate.
Ego Athelſtane filius Regis.
Ego Sigbich filius Regis.
Ego Edmundus filius Regis.
Ego Edred filius Regis.
Ego Cadinge filius Regis.
Ego Edgar filius Regis.
Ego Alfric Archiepiſcopus compoſui.
Ego Wulſtane Archiepiſcopus concluſi.

Subſcripſerunt alii Epiſcopi decem, Dux unus & certi Abbates. Hæc ſumpſimus ex quodam vetuſtiſſimo Codice Lichfeldenſi.

Petrus itaque Ceſtrenſis factus Epiſcopus [à Willelmo Conquæſtore] poſuit Cathedram in Eccleſiâ S. Johannis, ibidem Decanum & certos Canonicos inſtituens, perquirens fundos & redditus unde alerentur. Cùm per Henricum VIII. ex conſenſu Parliamenti decimæ de omnibus eccleſiaſticis beneficiis concederentur; in Eccleſiâ S. Johannis Decanus fuit, octo Præbendarii, & decem Vicarii. Addit. vi.

Robertus de Lymeſy. Hic de unâ trabe divitis Eccleſiæ Coventrenſis corroſit quingentas marcas argenti; quas apud Lichefeldiam in magnas ædificationes inſumpſit. Fuit iſte Robertus charus Regi Henrico I. à quo Romam mittitur coram Romano Pontifice pro Rege contra Anſelmum de præficiendis Epiſcopis per Regem cum annulo & baculo. Addit. vii.

Robertus Peech. Sub eo Ceſtriæ in S. Wereburgæ templo Canonici ſunt in Monachos converſi. Addit. viii.

Wal-

Addit. ix. *Walterus Durdent.* Huic Episcopo Waltero & suis successoribus Rex Stephanus concessit potestatem cudendæ monetæ. Item Henricus II. concessit Episcopo de Coventry in perpetuum MD. acras ad perticam xxv. pedum de assertis & forestam de Canock cum illis lxxx. acris quæ sunt apud Bruodam.

Addit. x. *Hugo de Nonant.* Iste Hugo perquisivit à Rege Richardo I. Episcopatui villas de Canock & Ridgley. Londini etiam emit domos pro se & successoribus suis Episcopis. Quorundam etiam statutorum Ecclesiæ suæ Cathedralis author fuit.

Addit. xi. Rex Johannes, cùm esset Comes Moritoniæ, donavit Ecclesiæ Cathedrali Lichefeldensi jus patronatûs Ecclesiæ Parochialis de Bakewell, confirmans impressione sui sigilli in templo Cathedrali Lichfeldensi, præsente Episcopo Domino Hugone Nonant, certis Nobilibus suis ministris, & ministris Ecclesiæ. In regno confirmatus, omnia Ecclesiæ indulta ratificavit.

Addit. xii. *Willelmus de Cornhull.* Inter cætera ejus benevolentiæ erga Ecclesiam suam Lichfeldensem indicia, manent per eum donata communæ Canonicorum Ecclesiæ de Hope, Capella de Tydswell, Eclesia de Ernleye, Ecclesia de Canoco, Ecclesia de Rugley, cum earum pertinentiis ad communam panis & cerevisiæ. Galfridus Muschamp Episcopus Coventrensis donavit communæ Ecclesiæ Lichefeldensis, quæ supra modum tenuis erat, xx. marcas annuas de Ecclesiâ de Hope ad cerevisiam.

Addit. xiii. *Alexander de Stavenby.* Henricus III. Rex huic Alexandro Episcopo concessit & etiam successoribus suis; ut liberè condant testamenta sua de omnibus rebus suis mobilibus & immobilibus; ita ut nec Reges nec Constabularii manus intendant vel impediant dispositionem eorum, ut antea consueverunt. Willelmus Mancester Decanus & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Lichefeldensis suis scriptis approbârunt piam intentionem Episcopi sui Domini Alexandri; quòd magnificis donis Ecclesiam de Lichefeld; & quòd vice Præbendalis Ecclesiæ de Burton in Wirhall, quæ ab antiquo fuerat Præbendalis, donârit Ecclesiam de Tervin; Ecclesiamque ipsam de Tervin hospitale fecit & hospitium naufragantibus. Burtona istis diebus annectitur Collegio D. Johannis in Lichefeldiâ. Erant tunc certæ Præbendæ in Ecclesiâ Cathedrali Lichefeldensi, quæ Bursariæ appellabantur; quòd de bursâ Domini Episcopi, ut scribitur, salarium receperunt. Una Præbenda erat in quatuor marcis, altera verò in totidem, tertia in tribus marcis. Præbendæ autem de Sondiacre, Hida, & Pipa vice illarum extinctarum constitutæ sunt.

M. Nicolaus de Legâ, Canonicus Lichfeldensis ac Præbendarius Præbendæ bursariæ quatuor marcarum, ad hæc tempora perquisitis domibus & terris Cantariam in Ecclesiâ Cathedrali instituit; cujus Cantarista salarium accepit vii. librarum annuarum. Obiit Nicolaus de Legâ Lichefeldiæ mense Junii anno Domini MCCLXVIII. Hugo Sotesby Canonicus etiam Lichfeldensis Cantariam S. Radegundis virginis instituit. Pro salario assignavit in perpetuam eleemosynam omne jus quod habuit in servitio & redditu sex hominum de Wittinton & septimi de Elmhurst, & etiam de servitio quod habuit quatuor aliorum hominum de Wittinton, redditum quatuor solidorum, & unum burgagium apud stalla Lichfeld. anno sc. salutis humanæ MCCXLII. Inter alia Domini Alexandri Episcopi benefacta relatu dignum est; quòd constituto salario vi. librarum & x. solidorum aut circiter, Presbyterum in Ecclesiâ Lichfeldensi servire voluit, qui Cantarista perpetuus D. Ceddæ vocaretur.

Addit. xiv. Dominus *Hugo Patisbull* emptas & perquisitas terras dedit Decano & Capitulo. Decanus & Capitulum assignavit Vicariis Choralibus domus; & fundi sunt juxta Oratorium de Stowe. M. Petrus Rodenor Canonicus & Cancellarius Ecclesiæ Cathedralis Lichfeldensis legavit cc. libras ad pios usus anno Domini MCCLXXV. Idem annuo redditu donavit Succentorem in perpetuum.

Roge-

Rogerus de Wesebam. Hic paralysi correptus, cessit oneri sui Episcopatûs sponte; & donatus est pensione ex Episcopatu. Cessit fatis xiv. Cal. Julii anno salutis humanæ MCCLVII. & Lichfeldiæ sepultus est. Ejus corpus quiescit sub Oratorio ligneo ex adverso monumenti Doctoris Radclife. Addit. xv.

Rogerus Meiland, consanguineus Regis Henrici III. Subdiaconus & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Lichfeldensis, electus est concorditer per Canonicos Lichfeldenses & Monachos Coventrenses in Episcopum Coventrensem & Lichfeldensem: sacratus Cantuariæ vi. Idus Martii anno Domini MCCLVII. Ecclesiam de Boulton defuncto Rectore in Ecclesiâ Cathedrali Lichefeldensi confirmavit Præbendam. Ecclesias etiam Parochiales de Flixton & de Sondiacre & Parvâ Pipâ fecit Præbendales. Pensionem xx. librarum ex Ecclesiâ parochiali de Wigan exeuntem, concessam per Rectorem ejusdem Magistrum W. Langton Canonicum Lichfeldensem, Canonicis, Vicariis & pauperibus confirmavit. Possessiones penè amissas revocavit. Communam Canonicorum diurnam à vi. denariis ad xii. auxit. Privilegia, consuetudines & Præbendas Decano & Capitulo confirmavit. Legavit successoribus boves vel lx. marcas. Obiit grandævus anno Domini MCCXCV. sepulturæ datur ad Cathedram Domini Episcopi die xvii. Cal. Januarii. Addit. xvi.

Anno Domini MCCXCI. mensis Maii die iv. civitas Lichfeldiæ & tota habitatio Fratrum Minorum combusta sunt.

Walterus de Langeton, ad mansum Vicariorum duas Canonicorum domos assignavit. Vicariis dedit cuppam argenteam, & xx. solidos annuos in augmentum illorum communæ de Ecclesiâ de Tibbeshull. Palatium Domini Episcopi & domos aliquot Canonicorum ædificavit. Anno salutis humanæ MCCCX. castrum de Eccleshale & manerium de Heywode prostravit, &c. Addit. xvii.

Anno Domini MCCCXV. vii. Idus Aprilis combustum fuit campanile cum campanis in clauso Lichfeldensi. Instituit præterea in suâ Cathedrali Ecclesiâ ordinationem, ut duo Presbyteri Capellanos in perpetuum imbuerent; quorum alter Cantarista dicebatur B. Mariæ Cantariæ cum annuo stipendio v. librarum xv. solidorum, alter Cantarista Regum Angliæ & Regis Edwardi primi & etiam secundi cum salario annuo circiter v. librarum. Perquisiverat infra x. milliaria urbis London. manerium de Grenford, quod proposuerat ad pios usus dare Ecclesiæ suæ Cathedrali; sed ad voluntatem Regis Edwardi I. liberè Regi dedit. Unde Rex ad vota Episcopi concessit Ecclesiæ Cathedrali Lichfeldensi jus advocationis Ecclesiæ de Worfeld in Comitatu Salopiæ & jus patronatûs Ecclesiæ de Cestreton in Comitatu Warwick. Ex hac Vicarii ex dono Capituli recipiunt redditus; ex alterâ Dominus Decanus & Canonici Residentiarii templum instaurant. Summam pecuniæ cc. marcarum præstitit ad solutiones faciendas, donec stati redditus solvantur. Reliquit Ecclesiæ moriens DCCCCiv. marcas. Et postquam hæc & alia quamplurima beneficia Ecclesiæ Lichfeldensi contulisset; apud Londoniam obiit v. Idus Novembris anno Domini MCCCXXI. & apud Lichefeldiam Nonis Decembris sepultus est per fratrem Episcopum Glascuensem. Iniquior erga venerandum hunc Patrem fuit Bonifacius VIII. Papa Romanus, ad delationes malevolorum adigendo Episcopum ut Romæ se purgaret: quod factum est sub triginta manibus.

Rogerus Norbrige, Archidiaconus Richmond, post Walterum Langton consecratus Episcopus, &c. Certæ Præbendæ ad hæc tempora in Ecclesiâ Lichfeldensi per Romanum Pontificem collatæ sunt. Turris ad portam Occidentalem perfecta est, & fossa Clausi mundata, sumptibus Capituli. Addit. xviii.

Ejus-

Ejusdem Authoris

CONTINUATIO

Historiæ Lichfeldensis

Ab anno MCCCLIX. ad annum MDLIX.

Author res gestas Præsulum & Canonicorum Lichfeldensium à morte Roberti Norbrige scripto commissurus, Historiam Decanorum altiùs repetit.

De Decanis.

ATHelwaldus Episcopus Lichfeldensis, post Duinam primum ejusdem Ecclesiæ Episcopum numero decimus septimus, in anno salutis humanæ DCCCXXII. Chelwlfo tunc super Mercios regnante, instituit in suâ Cathedrâ Lichfeldensis Ecclesiæ xx. Canonicos; quorum *Huitta* quidam constitutus est Præfectus, nominabaturque Præpositus Canonicorum. Ex reliquo grege fuit ipse Presbyter, decem erant Presbyteri, & novem Diaconi. Non liquet, quibus temporibus Præpositus Canonicorum transmutatus sit in Decanum.

Dominus Ricardus Peche Episcopus Coventrensis & Lichfeldensis condolens tempore hostilitatis Decanatum ad nihilum ferè fuisse redactum, dedit D. *Ricardo de Dalam* Decano Lichfeldensi ad augmentum Decaniæ terras & redditus circa annum MCLXX. De Decanis aliis non legimus nec ante hunc nec post usque ad annum Domini MCCXX. per L. annos incertum qui fuerint Decani. Tunc contulerat Dominus Rex Johannes sede Episcopali vacante Lichfeldensi Decanatum Lichfeldensem cuidam *Radulpho de Nevill*; qui mortuus est ad hæc tempora. D. Willelmus Cornhull istis temporibus Lichfeldensis Episcopus Capitulo Lichfeldensi primò concessit potestatem eligendi aliquem de gremio in Decanum suum. Confirmavit hanc concessionem Romanus Episcopus Honorius III. Antea Episcopus solebat conferre Decanatum sicut & Canonicatum. Primò elegerunt Canonici in Decanum M. *Willelmum de Mancetor*, qui confirmatus est à Domino Cornhull Episcopo anno Domini MCCXXII. *Willelmus de Mancetor* cessit fatis vii. Idus Februarii in anno Domini MCCLIV. In illis xxviii. annis, quibus summâ cum laude præfuit, instituit Cantariam D. Petri nomini dicatam. Cantarista salarium recepit annuum v. librarum & circiter xv. solidorum. Eodem anno M. *Radulphus de Sempringham* per Canonicos in Decanum electus, confirmatus est per Dominum Rogerum Weseham Episcopum. Instituit Cantariam S. Andreæ ad annuum salarium v. librarum & ampliùs. Obiit M. *Radulphus de Sempringham* anno Domini MCCLX. Præfuit vi. annis. M. *Johannes Derbye* Præbendarius in Ecclesiis Wellensi & etiam Sarisburiensi, infra quindenam Paschæ sequentis in Decanum per Canonicos Lichfeldenses electus, confirmatus est à Domino Rogero Weseham Episcopo. Obiit M. *Johannes de Derbye* Decanus iv. Idus Octobris in anno Domini MCCCXIX. Domi-

Dominus Walterus Episcopus illius corpus honorificè sepelivit. *M. Stephanus Segrave* per Canonicos in Decanum Lichfeldensem electus in Vigiliâ S. Nicolai, confirmatur per Dominum Walterum Episcopum in anno Domini MCCCXX. Postquam causas Capituli cum maximis expensis contra Monachos Coventrenses in Curiâ Romanâ optimè curâsset; per Romanum Episcopum effectus est Archiepiscopus Armachanus. Vix quinque annis præfuit Capitulo.

ROGERUS NORBRIGE.

Rogerus Episcopus ad australem partem Chori juxta angulum altaris construxit magnificum sepulchrum ex albo lapide ad translationem corporis Prædecessoris sui Domini Walteri. Rogerus ipse, sicut mandavit, sepultus est sub marmore juxta monumentum à se extructum pro D. Waltero Episcopo. Corpus verò prædicti Domini Walteri Episcopi quod xlix. annis terrâ contectum in loco minùs decenti juxta Capellam B. Mariæ jacuerat, ad humilem petitionem Capituli Lichfeldensis & M. Hugonis de Hopwas Custodis Spiritualitatis Episcopatûs Coventr. & Lichfeld. Sede vacante, ex autoritate Reverendissimi Domini Simonis Cant. Archiepiscopi, Magnatiensis Episcopus transtulit, & in monumento novo tum parato condidit, peractis de more sacris, die xviii. mensis Maii in anno Domini MCCCLX. Tunc facta est distributio x. Marcarum, pauperibus singulis denarios recipientibus. Tempore verò Translationis corporis Domini Walteri quondam Episcopi Decanus Lichfeldensis fuit M. Johannes Buckingham; sed abfuit, & præcedebant Canonici M. Johannes de Melborne locum tenens Decani, M. Rogerus de Massington Cancellarius, Johannes de Pynot, Robertus de Walkinton, Alanus de Conyngburgh, Hugo de Hopelwas, Johannes Mardys, Ricardus Bowke, Robertus de Byrtington, Johannes de Sulgrave, & Rogerus Dorthburgh.

ROBERTUS STRETTON.

(*a*) Eximius vir Robertus Stretton, utriusque Juris Doctor, unus Auditorum Rotæ in Curiâ Romanâ, post mortem Rogeri de Norburgh Episcopi consecratus est Episcopus Coventr. & Lichfeld. anno Domini MCCCLX. die Dominicâ, v. Cal. Octobr. Sedit annis xxv. Moriens Ecclesiæ donavit cc. marcas; quarum bona pars in usum Vicariorum Choralium collata fuit per ejus executorem testamenti M. Thomam Stretton Lichfeldensem. In domo Capitulari per reverendi Patris mortem declaratur Sedes Episcopalis esse vacua anno Domini MCCCLXXXV. Aprilis die quarto. Corpus conditum est in Oratorio S. Andreæ. Lichfeldensis Decanus tunc erat M. Willelmus Packington in remotis agens; qui quidem resignabat officium Decani ultimo Aprilis in anno Domini MCCCXC.

(*a*) Robertus Stretton, Canonicus Lichfeldensis, instante Edwardo Walliæ Principe (cui à sacris erat) electus est à Capitulis Coventrensi & Lichfeldensi post Rogeri obitum, & à Papâ Innocentio provisus 1360. 22. April. De consecrationis morâ ob illiteraturam ejus ab Archiepiscopo & Episcopis Angliæ injectâ vide supra in Birchingtoni Historiâ p. 44. Archiepiscopus demum Papæ mandato & Principis instantiâ coactus electum confirmavit 1360. 20. Sept. Consecrare autem dedignatus, vices suas commisit Londinensi & Roffensi Episcopis; à quibus Robertus die 27. ejusdem mensis consecratus est. Anno sequente die 6. Febr. in Archiepiscopi præsentiâ apud Lametham constitutus, obedientiam canonicam ipsi professus est, *alio professionem legente* (verba sunt Registri) *quòd ipse legere non posset*. Huic anno 1381. 7. Sept. Sede Cant. tunc vacante, Capitulum Ecclesiæ Cant. literis datis præcepit; ut infra decem dies Coadjutorem sibi assumeret; quippe qui senectute & cæcitate officio Episcopali obeundo impar jamdiu factus fuerat. Obiit in manerio suo de Heywode 1385. 28. Martii; quod abunde constat; quamvis Sedem vacare non ante 4. diem Aprilis declaratum esse Author noster prodat.

WALTERUS SKIRLAW.

(*b*) Dominus Walterus Skirlow, utriusque Juris Doctor, consecratus fuit Episcopus Lichfeldensis & Coventrensis die Dominicâ, xix. Cal. Februarii anno salutis humanæ MCCCLXXXV. Quùm Lichfeldiæ sedisset anno uno; translatus est primò ad Ecclesiam Cathedralem Bathoniensem, postea fit Episcopus Dunelmensis. Obiit Dunelmi anno Domini MCCCCVI. Per executores testamenti sui Decano & Capitulo & etiam cætui Vicariorum munificus fuit in tantum, ut tam publicè quotannis in templo quàm privatim inter Vicarios pro eo fierent preces xxiv. die Martii.

RICHARDUS SCROPE.

(*c*) M. Richardus Scrope, ex nobili Scrupporum familiâ originem ducens, Cantabrigiæ primò Artium inde utriusque Juris Professor, post Cancellarius prædictæ Academiæ & Decanus Cicestrensis, Episcopus Lichfeldensis & Coventrensis consecratus est Janniæ, ubi tunc Curia Romana residebat, die ix. Augusti, in anno Domini MCCCLXXXVI. Mense Augusto in suâ personâ installatus Lichfeldiæ, præsente Rege Ricardo II. cum Magnatibus, sequens præstitit juramentum. 'Ego Ricardus Scrope Episcopus Lichfeldensis & Coventrensis ero fidelis Ecclesiæ Lichfeldensi. Jura & libertates ejusdem defendam contra omnes pro meo posse. Possessiones ejusdem Ecclesiæ injustè dispersas & facultates ejusdem pravè alienatas congregabo. Statuta & statuenda ac consuetudines antiquas approbatas & assuetas, cùm eas vel ea noverim, observabo. Possessiones ad mensam Episcopalem spectantes non alienabo. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia. Quo juramento præstito, Dominus Rex Angliæ dixit. Certè Domine magnum præstitisti juramentum.

Dominus Hugo Calvelei, Eques Auratus, instituit Collegium D. Bonifacii in villâ Bunberiæ in Diocesi Lichfeldensi circa annum Domini MCCCLXXXVIII.

Anno MCCCLXXXVIII. die Veneris xix. Augusti, præsentibus in domo Capitulari Domino Episcopo Scrope, Magistris Cheyney, Morton, Stretton, & Thomâ Stretton. & Willelmo Balshaw, & Magistro Sutton non re-

(*b*) Walterus Skirlaw, Orientalis regionis Eboracensis Archidiaconus (Canonicum Eboracensis Ecclesiæ admissum 1370. 29. Nov. comperio) post electionem legitimam Episcopus Lichfeldensis ab Urbano Papâ provisionis titulo renunciatus est 1385. 28. Junii; professionem fecit apud Otteford 1386. 7. Jan. consecratus ab Archiepiscopo Cant. in Ecclesiâ Westmonasteriensi 1386. 14. Januarii, assistentibus Archiepiscopo Episcopis 10. suffraganeis, & præsentibus Angliæ atque Armeniæ Regibus. Eodem anno, nondum in Ecclesiâ Lichfeldensi installatus, ad pauperiorem Episcopatum Bathoniensem Urbani bullâ datâ 1386. 18. Aug. translatus est invitus. Factum id fuisse conjicio Rege procurante, cui Michael de-la-Pole Suffolciæ Dux Walterum invisum reddiderat. Episcopum enim adversæ factionis partem fovisse constat.

(*c*) Waltero subrogatus est eodem die ab Urbano Papâ Ricardus Scrope, Prothonotarius Apostolicus, & ab eodem in Curiâ, quæ tunc Januæ resedit, consecratus. Ista produnt Registrum *Courtney* & Higdeni Continuator. Uterque de die consecrationis tacet. Factum id Godwinus die 6. noster die 9. Augusti asserunt. Uterque malè. Bulla enim provisionis ante diem 18. edita non est; & neutra dies fuit Dominica. Apud Whitlocum igitur reponendum puto diem 19. qui Dominicus isto anno fuit. Erat Ricardus vir natalium splendore & eruditione consummatâ maximus; cui nihil ad summam fœlicitatem defuit præter exitum meliorem. Thesaurarius Angliæ constitutus fuerat 1371. 27. Martii, Cancellarius Academiæ Cantabrigiensis anno 1378. antea Officialis Episcopi Eliensis. Postquam Ecclesiæ Lichfeldensi plusquam decennio præfuisset, Eboracum translatus est 1398. 2. Julii.

sidentiario,

sidentiario, ordinata fuit allocatio trium denariorum dietim pro quolibet Vicario, & de cohabitatione eorundem, in tribus Indenturis, quæ roboratæ sunt sigillis Episcopi, Decani & Capituli, & Vicariorum.

Anno MCCCXC. post resignationem Decani Packington, M. Thomas Stretton electus est in Decanum Lichfeldensem; & confirmata est electio per Dominum Episcopum. Tunc temporis lorica forisfacta est Capitulo ad pretium unius marcæ pro effusione sanguinis in Cœmiterio.

Anno Domini MCCCXCIV. assentientibus Domino Scrope Episcopo & Residentiariis die Veneris post Festum Annuntiationis B. Mariæ, in domo Capitulari omnes Canonici convenerunt; & quia onerabatur Ecclesia expensis cc. marcarum pro appropriatione Ecclesiæ de Worfeld communæ Capituli auctoritate Romani Episcopi pro defensione introituum & reddituum & pro emendatione Caparum, unanimiter concordatum est super Decimâ biennali, sc. ut quilibet Præbendarius solveret quolibet horum duorum annorum duos solidos pro qualibet librâ secundùm ratum suæ Præbendæ.

Anno Domini MCCCXCV. Executores ultimæ voluntatis Richardi de Bermincham Canonici tunc defuncti fundârunt Cantariam ad altare S. Andreæ cum salario quatuor librarum annuarum.

Anno MCCCXCVII. Dominus Episcopus Scrope visitans Ecclesiam Cathedralem, in domo Capitulari cum consensu Capituli decrevit; quòd ex pecuniâ relictâ per Dominum Walterum de Langton ducentæ Marcæ cederent in relevationem Canonicorum Residentiariorum & Vicariorum ad modum præstiti: ut in ordinatione Baggæ gratiæ continetur.

Anno Domini prædicto Dominus Ricardus Episcopus translatus est à Sede Episcopali Lichfeldensi & Coventrensi ad Metropoliticam Ecclesiam Eboracensem vi. Nonis Julii, anno ix. Pontificatûs Bonifacii ix. Ordinavit ante translationem, datâ sufficienti pecuniâ Capitulo Lichfeldensi, ut in Ecclesiâ Cathedrali Lichfeldensi Anniversarium pro eo celebraretur annuatim Junii die viii. nempe illo die decollabatur.

JOHANNES BRUGHILL.

(*d*) Johannes Brughill, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, qui fuit Confessor Domini Richardi Regis, à Sede Landavensi translatus est ad Ecclesiam Cathedralem Lichfeldensem & Coventrensem circa initium mensis Septembris in anno Domini MCCCXCVIII. Installatus fuit in Festo Nativitatis B. Mariæ. Dominus Decanus Stretton, octo Residentiarii, plures Præbendarii non residentes, & Vicarii obviaverunt ei nudipedi ad introitum Cœmiterii juxta Occidentalem portam templi, processionaliter Chorus induxit eum ad sedem Episcopi. Juramentum præstitit idem quod prædecessor ejus Dominus Scroupe. Completâ installatione Dominus Rex Richardus in Palatio celebravit convivium, omnes ministros Ecclesiæ invitans. Aderant cum Rege Archiepiscopi Cantuariensis, Eboracensis, Dublinensis, alii Episcopi & Nobiles. Bonus hic Pater potestatem dedit Vicariis, ut beneficia obtinerent unâ cum officiis suis Lichfeldiæ commorantes. Sed Archiepiscopus Cant. in suâ Metropoliticâ visitatione cassavit benevolam concessionem benevoli Episcopi. Cantuariensis Archiepiscopus in suâ visitatione in anno Do-

(*d*) Johannes Burghill à Sede Landavensi ad Lichfeldensem translatus est à Papâ pro solo suæ arbitrio voluntatis, inquit Walsinghamus, medio anno 1398. Obiit anno 1414. mense Maio. Capitulum enim Cant. Sede Archiepiscopali tunc vacante, jurisdictionem Episcopatûs vacantis arripuit 1414. 24. Maii, quam Henricus Archiepiscopus, plenam Sedis suæ possessionem jam nactus, sibi vindicavit die 10. Junii sequentis. Ex Registris Cant. Ecclesiæ & Chichleii.

mini MCCCCII. menſe Junii in domo Capitulari Lichfeldiæ, præſentibus omnibus Canonicis, ex voluntate eorum ordinavit, ut decima triennalis levaretur de ſingulis Præbendis duorum ſolidorum quolibet anno de qualibet librâ ſolvend. ad Feſta Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ & Purificationis B. Mariæ, ſc. pro facturâ ſtallorum in Choro, pro recuperandis certis penſionibus ſubſtractis, Winwick, Bernford, S. Katerinæ, S. Petri, S. Stephani; & pro recuperatione caparum. Folio Regiſtri 64. Junio.

Dominus Epiſcopus Brughill multifariam de omnibus ordinibus Eccleſiæ benemeritus, beneficii loco obtinet, ut pro vino tanquam de benefacto oretur publicè in Eccleſiâ Cathedrali. Vitâ functo anniverſarius cum diſtributione pecuniarum decernitur iii. Idus Septembris. Similiter Monachi Coventrenſes fecêre, annuatim diſtribuentes civ. ſolidos. Præfuit annis xvii.

M. Johannes de Odenbie, Archidiaconus Derbiæ, Præbendarius de Biſhophull, executor ultimæ voluntatis Domini Burghill Epiſcopi, conſtruxit domum pro Cantariſtis circa hæc tempora in Clauſo cohabitare incipientibus de bonis magnâ ex parte prædicti Epiſcopi.

JOHANNES CATRICKE.

(*e*) Johannes Catricke ex Cathedrali Eccleſiâ Menevenſi ad Eccleſiam Lichfeldenſem & Coventrenſem tranſlatus eſt menſe Maii in anno Domini MCCCCXV.

M. Robertus Wolveden ex Præcentore electus in Decanum Lichfeldenſem poſt mortem Thomæ Stretton in anno Domini MCCCCXXVI.

WILLELMUS HEYWORTH.

(*f*) Willelmus Heyworth, homo ſagacis ingenii, ex Abbate Monaſteri

(*e*) Johannes Katryk ſeu Keterich, Epiſcopus Menevenſis, ad ſedem Lichfeldenſem tranſlatus eſt bullâ Papali 1415. 1. Febr. Profeſſione factâ Spiritualia ab Archiepiſcopo accepit die 21. Junii. Anno 1417. in Concilio Conſtantienſi præſens, ad quod medio anno ſuperiori profectus fuerat, unus ex 30. electoribus conſtitutus eſt, qui è diverſis nationibus delecti Martinum V. Pontificem die 11. Nov. authoritate Concilii deſignârunt. Menſe Septembri ejuſdem anni in Concilio obierat Robertus Sareſburienſis Epiſcopus. Eodem die Cardinalis de Urſinis Epiſcopus Albanenſis datis ad Henricum Regem literis enixè petit, ut Johannes Roberto ſucceſſor detur, ſummoperè prædicatis gravitate ejus, fide atque eruditione, quæ in Concilio enituerant. Addit non nemo univerſum Cardinalium cætum in ejuſdem favorem ſcripſiſſe. Cardinalis certè Albanenſis literas autographas vidi. Exoptatam tamen dignitatem Johannes obtinere non potuit, ſeu Rege ſeu Capitulo Sarisburienſi renuente. Soluto Concilio, Florentiam in Martini Papæ comitatu migravit; ubi audito Edmundi Epiſcopi Exonienſis obitu, ad ſedem Exonienſem à Papâ transferri obtinuit, bullâ tranſlationis apud Florentiam datâ 1419. 20. Nov. Breviſſimo quidem tempore recenti dignitati ſuperſtes. Sub finem enim menſis ſequentis apud Florentiam obiit: de quo plura vide in Epiſcopis Exon. Iſta mihi ex Regiſtro *Chichley* certiſſimè conſtant.

(*f*) Quæ de Jacobi Cary ſucceſſione & poſt breve tempus ad Epiſcopatum Exon. tranſlatione Godwinus habet, rejicienda ſunt. Eodem enim die, quo Johannes Coventr. & Lichfeld. Epiſcopus ad Eccleſiam Exon. tranſlatus eſt, ſc. 1419. 20. Nov. Papa Epiſcopatum Coventrenſem Willelmo Heyworth contulit. *Eccleſiam Coventr. & Lichfeld.* (ipſiſſima ſunt Bullæ verba) *ideo vacantem, quòd nos hodie venerabilem fratrem Johannem Exon. tunc Lichfeld. & Coventr. Epiſcopum, apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum, ad Eccleſiam Exon. tunc vacantem duximus transferendum, contulimus Willelmo Abbati Monaſterii S. Albani.* Neque dici poteſt Willelmum Johanni (id enim verius ei nomen) Cary Epiſcopo Lichfeldenſi ad Exoniam tranſlato in hac Bullâ ſubrogari. Nondum enim Sedes Exonienſis vacaverat per obitum Johannis Catryk, qui menſe ſequenti decubuit. Willelmus ab Archiepiſcopo confirmatus, ſpiritualia Epiſcopatûs ſui accepit 1420. 28. Nov. Quòd conſecratum eo die referant Godwinus & Hiſtoricus noſter, errore manifeſto tenentur. Is enim dies Dominicus non erat. Id ſolummodo de conſecratione ipſius (in inſtrumento Profeſſionis autographo) reperi, factam eſſe à Ricardo London. Epiſcopo vice Henrici Archiepiſcopi. Anno circiter 1434. Concilium Baſileenſe adiit.

Alba-

Albanensis consecratur Episcopus Lichfeldensis & Coventrensis in Capellâ Domini Episcopi Londinensis apud Fulham die xxviii. Novembris in anno salutis humanæ MCCCCXX. obiit die x. Aprilis anno MCCCCXLVI.

M. Roberto Wolveden fatis cedente mense Novembri, M. Johannes Verney eligitur in Decanum Lichfeldensem, confirmaturque à Domino Willelmo Episcopo in anno MCCCCXXXII. Episcopus Willelmus Heyworth dedit Sacristæ Ecclesiæ Cathedralis Lichfeldensis ac Magistro Gildæ B. Mariæ civitatis Lichfeld. ad usum pauperum indigentium quendam fundum in Baconstrete situatum inter tenementa Vicariorum, reddendo Episcopo unam rosam ad Festum Baptistæ si petatur. Decanus Stretton & Capitulum confirmavit in Festo S. Katerinæ in anno Domini MCCCCXXIV.

WILLELMUS BOTHE.

(*g*) Willelmus Bothe, vir discretus, ex Rectore Ecclesiæ Parochialis de Prescotte in Comitatu Lancastriæ consecratur Episcopus Lichfeldensis & Coventrensis in Ecclesiâ Cathedrali D. Pauli London. die ix. mensis Julii in anno Domini MCCCCXLVII. Post quintum consecrationis annum translatus est ad sedem Archiepiscopalem Ecclesiæ Eboracensis.

NICOLAUS CLOOSE.

(*h*) M. Nicolaus Cloose, Theologiæ Professor, socius Regalis Collegii Cantabrigiæ, Episcopus Carliolensis, Willelmo Bothe translato ad Eboracensem Ecclesiam, transfertur ad Ecclesiam Lichfeldensem & Coventrensem in anno Domini MCCCCLII. Infra annum decessit.

REGINALDUS BOLARS.

(*i*) Reginaldus Bolars, primò Abbas Glocestrensis, deinde Herefordensis Episcopus, translatus est ad Ecclesiam Lichfeldensem & Coventrensem mense Aprili in anno Domini MCCCCLIII. regnante Henrico VI. Recepit Bullas Translationis apud Fulham iii. die mensis Aprilis anno prædicto. Præfuit Ecclesiæ Coventrensi & Lichfeldensi annis vi.

JOHANNES HALSE.

(*l*) D. Johannes Halse datus est Episcopus Ecclesiæ Cathedrali Lichfeldensi & Coventrensi per Regem Henricum VI. consecratusque est Coventriæ in Ecclesiâ Cathedrali in Capellâ S. Clementis die xxv. mensis Novembris in anno Domini MCCCCLIX. Obiit anno MCCCCXC. die Dominicâ die iii. Octobris, optimè meritus de omnibus ordinibus Christianorum; & Lichefeldiæ sepultus est. Reperit hic pius Pater statum Ecclesiæ corruptiorem.

(*g*) Willelmus Bothe, Canonicus Londinensis, ad Episcopatum Lichfeld. à Nicolao Papâ provisus 1447. 26. April. professionem fecit in Ecclesiâ de Croidon die 2. Maii, consecratus ut supra; Eboracum translatus 1452. 21. Julii. Ex Registris *Stafford* & *Bothe*.

(*h*) Nicolaus Carleolensis Episcopus ad Lichfeldiam translatus est à Nicolao Papâ 1452. 30. Aug. professionem apud Lametham fecit 1452. 15. Octobr. & ante diem 1. Novembris sequentis obiit. Ex Registro *Kemp*.

(*i*) Reginaldus Bolars, aliis Butler, Episcopus Herefordensis, ad Sedem Lichfeldensem provisione Papali translatus est 1453. 7. Febr. confirmatus ab Archiepiscopo apud Fulham 1453. 4. April. Ex Registro *Kemp*.

(*l*) Johannes Halse, ex Collegii Exoniensis Oxoniæ alumno Collegii Orialensis Præpositus creatus 1445. 23. Martii, demum ad Episcopatum Lichfeldensem promotus, licentiam consecrationis extra Ecclesiam Cant. suscipiendæ obtinuit 1459. 11. Novembr. Obiit 1490. 30. Decembr. Ex Registris Ecclesiæ Cant. & Archiepiscopi *Morton*.

Evo-

Evocavit ergo ex Academiis eruditos & discretos viros, quos Præbendis & regimini Ecclesiæ præfecit: Dominum Salter, utriusque Legis Professorem, qui sub hoc & tribus Pontificibus subsequentibus Cancellarius fuit; Thomam Mylley, qui à libellis & Registrarius D. Episcopo fuit: Hic splendidas ædes latericias juxta stagnum ad Occidentem posuit pro Canonicis Residentiariis: & Henricum Ediall, qui contiguas & proximas magnificentiùs ædificavit: magnificum etiam virum Georgium Strangwaies, Theologiæ Professorem, qui similes posuit ad Orientalem partem Clausi. Sub hujus Pontificatu providit Deus Ecclesiæ Lichefeldensi Decanum Dominum Johannem Yotton, Theologiæ Professorem insignem; qui fundos Ecclesiæ donavit ad alendum Presbyterum in perpetuum, qui vel Theologus esset, & Evangelium D. N. J. Christi gratis in circumjacentibus Ecclesiis prædicaret; vel Juris Professor, & causas pauperum necessariò litigantium in Consistorio Domini Episcopi Lichefeldensis gratis procuraret. Multi præter istos egregii viri Ecclesiæ ornamento fuerunt; inter quos emicuit Jacobus Berisforde, qui in Collegio S. Johannis infra Academiam Cantabrigiensem constituit reditus ad duos Scholares perpetuò alendos.

In anno Domini MCCCCLXXXIX. die xvii. Martii, die Mercurii inter horam septimam & octavam post meridiem Johannes Whelpdale Capellanus Regis Henrici VI. Præbendarius de Ternim, diem clausit extremum.

Anno Domini MCCCCXCII. die Jovis, xxv. Octobris, circa horam sextam manè M. Thomas Heywood, Decanus Lichfeldensis proximus post Johannem Verney, suæ ultimæ voluntatis executores constituens M. Thomam Mille, Thomam Reynauld & Paicston Sacristam, diem clausit extremum. Triennio ante mortem xl. libras in Capitulo donavit ad ædificationem Bibliothecæ latericiæ juxta domum Decani. Aliqua ex infinitis ejus beneficiis alibi perscribentur. Residentiarii tum erant Mille, Strangways, & Halse.

M. Johannes Yotton, sacræ Theologiæ Professor, fit Decanus Lichfeldensis anno Domini MCCCCXCIII. Centum marcas ad fabricam dedit, incipiens residere. Sic tunc Magister Egerton. Doctor Richardus Salter, Præbendarius de Hondesacre, post Alreweys, solvendo centum marcas incœpit residere ad Festum Baptistæ in anno MCCCCLXXXVI.

WILLELMUS SMITH.

(*m*) Willelmus Smith, Archidiaconus Surreyæ, per Regem Henricum VII. præficitur Arthuri Principis consiliis, & anno Domini MCCCCXCII. circa initium mensis Aprilis Episcopus consecratur Lichfeldensis & Coventrensis. Hic bonus Pater Xenodochium pauperum & Scholam Grammaticam in civitate Lichfeldensi instituit cum magnificis ædibus. Post quartum annum, quem Lichfeldiæ sedere cœperat, ad Cathedralem Ecclesiam Lincolniensem translatus, collocavit Oxonii magnificum Collegium de Æneo-naso. Et in parochiâ de Prescot in Comitatu Lancastriæ in villâ Farnworth, ubi & ipse & parentes ejus originem habuêre, curavit ut pensio annua x. librarum perpetuò solveretur Grammaticam docenti.

JOHANNES ARUNDELL.

(*n*) Johannes Arundell, ex nobili Arundellorum prosapiâ genitus, conse-

(*m*) Willelmus Smith, Decanus Capellæ Regiæ S. Stephani infra Palatium Westmonasteriense, post electionem legitimam provisus est ab Alexandro VI. Papâ ad Sedem Lichfeldensem 1492. 1. Octobr. licentiam consecrationis extra Ecclesiam Cant. accipiendæ adeptus 1492. 30. Decembr. Lincolniam translatus anno 1495. Ex iisdem Registris.

(*n*) Johannes Arundell, Collegii olim Exoniensis apud Oxoniam alumnus, consecratus est 1496. 6. Novemb. Exoniam translatus anno 1502. teste Registro Cant. Ecclesiæ.

cratus

cratus est Episcopus Lichfeldensis & Coventrensis die vi. Novembr. in anno Domini MCCCCXCVI. ad Episcopatum verò Exoniensem translatus est penultimo Junii in anno Domini MDII. Paulò pòst repentino morbo correptus, Londini vitam finivit; & in Ecclesiâ S. Clementis juxta Strand sepelitur.

Collegium de Mancetor permissione Willelmi Episcopi erigitur circa hæc tempora.

Bibliotheca latericia perficitur per Decanum Yotton in anno MD.

M. Ricardus Delfes inchoavit residere in anno MDII.

M. Jacobus Berfford Præbendarius de Pipâ minori obiit Residentiarius MDXX.

M. Thomas Mille Præbendarius Præbendæ de Dorsett Residentarius donavit certas terras ad alendum pauperculas mulieres in Bacon-strete. Splendidas ædes infra Clausum, quas hoc anno MDLXXV. Magister Sale inhabitat, erexit. Obiit penultimo Januarii, anno Domini MDIV. Corpus, ut ipse voluit, conditum est ad pedes Episcopi Domini Halse.

M. Georgius Strangeweys, primò Præbendarius de Stotfold, deinde de Colwich, Canonicus Residentiarius, erexit splendidas ædes; quas hoc anno MDLXXV. M. Arthurus Dudley inhabitat.

M. Henricus Ediall, Canonicus Lichfeldensis non residentiarius, ædificavit latericias ædes juxta ædes Magistri Milli.

GALFRIDUS BLYTHE.

(*o*) Galfridus Blythe, ut ipse de se scribit, in Scholarem Collegii Regalis Cantabrigiæ adscitus anno Domini MCCCCLXXXVI. secundo anno postquam rexit in Artibus, Archidiaconus Cliveland & Præbendarius Strenshall in Ecclesiâ Eboracensi, & non longè pòst Decanus ejusdem Ecclesiæ factus est. Regis Henrici VII. legatione fungitur ad Ladislaum Hungariæ Regem. Rediens anno Domini MDIII. mensis Septembris die xxvii. Lichfeldensis & Coventrensis Episcopus consecratus est. Viginti annis continuis præfectus fuit Marchiæ Walliæ. Hujus Episcopatus insignis fuit dignissimo Decano Domino Jacobo Denton, Regalis etiam Collegii Cantabrigiæ alumno, utriusque Juris Professore; qui aquæductum patefecit Vicariis & Cantaristis; & adjumento Domino Episcopo fuit in extruendâ domo pro Choristis Ecclesiæ Lichfeldensis, quorum numero addi quatuor novos curavit, perquisitis & constitutis redditibus unde nutrirentur. Templum tunc temporis reparatur & ordinatur; ad cujus instaurationem contulit Dominus Episcopus L. quercus & xx. libras; dedit etiam in ornatum templi aulæa pretii xx. librarum, & Imagines argenteas D. Ceddæ & S. Katerinæ. Per xxxii. annos, quo tempore præfuit Ecclesiæ, nihil detrimenti passa est nec in terris ad firmam ponendis, nec in Præbendarum advocationibus concedendis. Londini migravit è vitâ, & Lichefeldiæ sepultus est.

Decanus Yotton secundo die Augusti inter decimam & undecimam horam nocte diem clausit extremum, sepultus quarto Augusti in anno Domini MD······

(*o*) Galfridus Blithe, Johannis Blithi Sarisburiensis non ita pridem Episcopi frater, Aulæ Regiæ apud Cantabrigiam Præfectus, Canonicus Eboracensis Ecclesiæ admissus est 1493. 8. April. Decanus 1498. 24. Martii, Episcopus Lichfeldensis consecratus est 1503. non tamen die 27. quem Whitlocus, neque etiam die 7. Sept. quem Godwinus posuit. Neuter enim dies erat Dominicus. Ex Registris Eborac. Ecclesiæ. Construxit Galfridus Episcopus Capellam Nortonæ in Comitatu Derbeiensi; ubi parentibus tumulum statuit alabastrinum, & Cantariam ordinavit. Præfecturam Aulæ Regiæ simul cum Episcopatu tenuit.

M. Ra-

M. Radulphus Collingwood, Decanus præfectus eodem anno, inchoavit residentiam primo Januarii. Solvit ad fabricam centum marcas.

M. Radulphus Collingwood, Theologiæ Professor, & Præbendarius de Dorset, post Yotton Decanus Lichfeldensis factus mense Januario, in more habuit primus & solus omnium Decanorum concionem ad populum quolibet die Dominico habere ad tempus horæ dimidiatæ.

M. Jacobus Denton, utriusque Juris Professor, per collationem Domini Galfridi Episcopi admissus est ad Præbendam de Stotfold per suum procuratorem Dominum Salter anno MDIX. Proximè post Dominus Collingwood in propriâ personâ factus Decanus Lichfeldiæ installatus est.

Venerabilis vir Arthurus Sutton aliàs Dudley admissus fuit ad Præbendam de Pipâ parvâ vacante per mortem Pauru Episcopi anno MDXXI. die xix. Decembris per Procuratorem.

Anno Domini MDXXIV. Thomas Wolseus Archiepiscopus Ebor. & Cancellarius, Romanæque Ecclesiæ Legatus, ad erectionem Collegii in Ecclesiâ Christi in Academiâ Oxoniensi, & Collegii & Scholæ de Ipswich ubi ipse natus fuit, ex authoritate Romani Pontificis suppressit certa minora Cœnobia, & inter illa Monasterium sive Cœnobium Virginum de Farewell. Hujus Cœnobii fundi perquisiti sunt a Domino Episcopo Blythe & Decano Denton & Capitulo Lichfeldensi ad pios usus in Ecclesiâ.

Nec memoriæ excidere debet, quòd bonus Pater Episcopus Blyth, dum sedulò officio Præsidentis incumbit in Marchiâ Walliæ, proditionis insimulatus est ab æmulis; sed judicio regiorum Consiliariorum liberatus est anno XIV. regni Henrici VIII.

ROLANDUS LEE.

(*p*) Rolandus Lee in Hospitio S. Nicholai infra Academiam Cantabrigiæ Pontificii & Civilis Juris Professor, Domini Galfridi Coventrensis & Lichfeldensis Episcopi Cancellarius aliquamdiu fuit. Eo sublato, ex Præbendario de Corburgh consecratus est Episcopus Lichfeldensis & Coventrensis apud Croidon xix. die mensis Aprilis anno Domini MDXXXIV. Per illustrissimum Principem Henricum VIII. præficitur & iste Marchiæ Walliæ ix. annis, quo tempore Episcopatum rexit. Iste Marchiam latrociniis purgavit. Istius etiam consilio Rex illam provinciam in Comitatus distribuit. Liberatus est & ille à crimine læsæ majestatis judicio Regii Concilii, cujus insimulabatur falsò ab æmulis. Adscivit hic Episcopus in Senescallum familiæ providum virum Richardum Walkerum ex ludo literario sive Grammaticali scholâ Lichfeldensi. Cui post sacros Ordines contulit Rectoriam in Wirhall, Decanatum S. Johannis in Cestriâ, & Præbendam de Price in Ecclesiâ Cathedrali Lichfeldensi, Archidiaconatus etiam de Stafford & Derbiæ. Fit præterea Henrico VIII. à sacris, Sacellanum vocamus, Rector Ecclesiarum Parochialium de Gotham & Leeke, & Decanus Ecclesiæ Cathedralis Cestriensis. Tanti hic fuit apud Dominum suum Episcopum; ut executor constitutus sit illius ultimæ voluntatis. Obiit Episcopus Salopiæ die xxiv. Januarii, anno sui Episcopatûs x. Corpus Salopiæ conditum est.

(*p*) Rolandi tempora Whitlocus optimè digessit; neque aliud addendum habeo, nisi quod Rolandus Archidiaconus antea Cornubiensis fuerat, & Thomæ Wolseii Cardinalis in Visitatione totius Ecclesiæ Anglicanæ anno 1529. habitâ Commissarius Generalis; quódque ad Cathedram Lichfeldensem aditum sibi fecerit celebrato inter Henricum Regem & Annam Bolenam matrimonio 1532. 14. Novembr. Electus est 1534. 10. Jan. confirmatus ab Archiepiscopo die 16. Aprilis, consecratus in Capellâ Archiepiscopali apud Croidon die 19. April. Ex Registris S. Benedicti de Hulmo & Cranmeri Archiepiscopi.

Sere-

Sereniffimus Princeps Henricus VIII. die xvi. Julii, anno regni fui xxxiii. falutis verò humanæ MDXLI. ad incrementum religionis & commodiorem eruditionem fubditorum fuorum, ex Monafterio D. Wereburgæ in civitate Ceftriæ non ita multò antè fuppreffo per literas fuas patentes erexit Epifcopalem Sedem, & certis limitibus diftinxit Diocefin, magnâ ex parte minuto Lichfeldenfi & Coventrenfi Epifcopatu: ut de Eboracenfi Metropoliticâ Ecclefiâ & Archidiaconatu Richemundiæ nihil dicam. Archidiaconus Ceftriæ cum amplâ fuâ jurifdictione & Præbendâ de Bolton avulfus eft à Lichefeldenfi Cathedrali Ecclefiâ, & adjicitur Ceftrienfi. Deus in æternum fortunet progreffum ex religiofo animo & pio propofito inftitutum.

Fuit quidem Archidiaconus (q) Ceftriæ omnium Archidiaconorum Diocefeos Ceftrenfis, Lichfeldenfis & Coventrenfis facilè princeps ab initio. Coventrenfis, Staffordenfis, Salopienfis, & Derbienfis Archidiaconi in exterioribus minifteriis Ecclefiafticis habebantur quafi oculi Domini Epifcopi; folus Archidiaconus Ceftrenfis jure pervetufto gavifus & ufus eft ftallo in Choro Lichfeldenfi & voce in Capitulo: in urbe Lichfeldenfi magnificas habuit ædes. Petrus Lichfeldenfis Epifcopus decreto Synodi Londinenfis fub Lanfranco Cant. Archiepifcopo celebratæ, qui ad Ecclefiam S. Johannis in Ceftriâ juffus eft fedem fuam transferre, pofuit ibi paucos Canonicos; & Archidiacono Ceftrenfi domos, circa annum falutis MLXX. Epifcopus Lichfeldenfis & Coventrenfis Dominus Rogerus Meiland, nepos Henrici III. Regis, Ecclefiam parochialem de Bolton fecit Præbendalem in Ecclefiâ Lichfeldenfi, annexuitque Archidiaconatui Ceftrenfi circa annum Domini MCCLX. Infigniores viri Archidiaconatu Ceftriæ femper funt donati. Dominus Robertus Groffeteft feu Grouthead, Latinè Capito dictus, qui factus Lincolnienfis Epifcopus circa annum MCCL. non paffus eft Innocentium IV. Romanum Pontificem Italos pueros noftri fermonis ignaros Præbendis & Rectoriis in Ecclefiâ Cathedrali & Diocefi fuis præficere, primò fuit Archidiaconus Ceftrenfis. Archidiaconus etiam Ceftrenfis à Baleo fcribitur fuiffe Johannes Bafingus, vir in trivio & quadrivio ad plenum eruditus, ut Parifienfis verbis utar, circa annum falutis MCCL. Et Ricardus Fitzrauf feu filius Radulphi Ceftrenfis Archidiaconus per Regem Edwardum III. effectus, pòft Lichfeldenfis Decanus, ad extremum Armachanus Archiepifcopus, omni literarum genere floruit. Ut infinitos alios omittam; noftrâ ferè memoriâ eximii viri D. Johannes Vefey aliàs Harman Exonienfis Epifcopus & D. Cuthbertus Tunftallus Dunelmenfis Epifcopus per hunc Archidiaconatum ad altiores gradus afcenderunt. Poftremus D. Gulielmus Knight, juris Cæfarei Profeffor, in domo Capitulari Lichfeldiæ Archidiaconus Ceftrenfis inftallatus eft anno MDLII.

Digniffimo Decano Doctore Denton, dum caufas regias apud Ludlow tractaret, poftquam xi. annis Capitulum Lichfeldenfe moderatus effet, mortuo & fepulto, D. Richardus Sampfon Lichfeldenfis Decanus ad voluntatem Regis Henrici VIII. effectus eft. Sed nec hic diu perftitit, fed in Epifcopum Ciceftrenfem præfectus eft; locumque dedit M. Richardo Williams, qui fuit à Sacris Regi Henrico VIII. illique charus, quòd in ordinandis majoribus operibus in architecturâ multùm valeret.

Anno xxx. Henrici VIII. Regis ftatuæ Divorum è templis fublatæ funt, & fcrinia argentea & aurea, unà cum gemmis & aliis ornamentis annexis ad

(q) Præter iftos à Whitloco memoratos, Archidiaconi Ceftrenfes fuerunt Willelmus tempore Walteri Durdent Epifcopi, Radulphus Academiæ Oxonienfis Cancellarius anno 1231. Jordanus de Wymburn anno 1282. Robertus de Rodewell anno 1289, & 1296. & Chriftophorus Talbot filius Johannis Comitis Salopienfis anno 1460. defuncti.

fiscum regium delata sunt. Sed supplicatione Rolandi Episcopi beneficus Rex permotus D. Ceddæ scrinia necessariis Cathedralis Ecclesiæ usibus gratiosè donavit.

Anno Henrici VIII. Regis xxxiii. authoritate Parliamenti decretum est, ut Decanus & Capitulum Lichfeldense per se æquivaleret, ac si Capitulum Coventrense permaneret. Tunc etiam decretum, quòd Episcopatus Cestrensis & Episcopatus Sodorensis à jurisdictione Cant. Archiepiscopi eximerentur, & Archiepiscopo Ebor. subjicerentur unà cum suis Diocesibus.

RICHARDUS SAMPSON.

(r) D. Richardus Sampson, de Hospitio S. Clementis in Academiâ Cantabrigiensi Legum Professor, Cicestrensis Episcopus, ab Ecclesiâ Cathedrali Cicestrensi ad Coventrensem & Lichfeldensem Cathedralem Ecclesiam translatus est Lambethæ xii. die Martii in anno Domini MDXLII. Iste etiam per Henricum VIII. præficitur Walliæ; at sub Rege Edwardo VI. ab ejus administratione submovetur. Moritur apud Eccleshall anno Domini MDLIV. Septembris die xxv.

Richardus Williams Decanus Lichfeldensis, quòd viduam in uxorem duxerat, in Consistorio Domini Episcopi Lichfeldensis privatur officio Decani & omnibus aliis Ecclesiasticis beneficiis.

RADULPHUS BANE.

(s) Radulphus Bane, de Collegio S. Johannis in Academiâ Cantabrigiensi S. Theologiæ Professor, Hebraicæ linguæ peritissimus, postquam Parisiis Hebraicas literas per aliquot annos docuisset, in patriam rediens, ànno salutis humanæ MDLIV. Ecclesiæ Lichfeldensis & Coventrensis Episcopus consecratus est. Pro temporis ratione quantum licuit egit, ut Ecclesia temporis iniquitate penè obruta ab injuriis vindicaretur, & alienatas possessiones reciperet. Serenissimæ Dominæ nostræ Reginæ Elizabethæ sacramentum ex decreto Parliamenti præstare recusans, de lege privatus est Episcopatu ipso facto. Paulò post Islingtoniæ juxta Londinum decedens è vitâ ex calculo in vesicâ, ibidem sepultus est anno Domini MDLIX. postquam præfuisset Episcopatui Lichfeldensi quadriennio.

Post privationem à Decanatu Lichfeldensi Ricardi Williams, Johannes Rambrigius in Academiâ Oxoniensi Theologiæ Professor fit Decanus Lichfeldensis sub regno Reginæ Mariæ. Regnante Reginâ Elizabethâ, nemine cogente Angliâ egrediens, & in Flandriâ oberrans, â latronibus occisus est.

THOMAS BENTHAM.

(t) D. Thomas Bentham, in villâ Shirborne in Comitatu Eboracensi honestis parentibus natus, in Collegio Magdalenensi infra Academiam Oxoniensem fœliciter in omni genere doctrinæ educatus à puero, ibique Theologiam professus, inque transmarinis Academiis per certos annos fœliciter in studiis versatus, Linguæ Sanctæ callentissimus, Græci non minùs quàm Latini sermonis peritus, per Serenissimam Dominam nostram Reginam Elizabetham

(r) Qui sequuntur Episcopi, terminum à nobis Operi præsenti positum egrediuntur: Disjungere tamen nolui, ne Whitlocci Historia manca prodiret. Ricardus Sampson Episcopus Cicestr. ad Lichfeldensem sedem postulatus est 1543. 19. Febr. confirmatus ab Archiepiscopo die 9. Martii. Ex Registro *Cranmer*.

(s) Consecratus est 1554. 18. Nov. *Registr. Ecclesiæ Cant.*

(t) Consecratus est 1559. 24. Martii, teste Registro *Parker* vol. 1. f. 61. quod de anno exeunte seu 1560. inchoato intelligendum est.

Lich-

Lichfeldensi & Coventrensi Episcopatui præficitur anno primo sui regni in anno ab orbe per Christum redempto MDLIX. consecratus autem est à Matthæo Cantuariensi Archiepiscopo apud Lambetham xxiv. die mensis Martii in eodem anno: à Duinâ primo Lichfeldensi Pontifice ordine sexagesimus quintus.

Memoriale ex Archivis Ecclesiæ Lichfeldensis.

Civitas Lichfeldensis olim ex bello Liches nominata fuit. Et sunt ibi duo Monasteria; quorum unum vocatur Statio S. Ceddæ, quod est in Orientali plagâ, ubi S. Cedda orationes & prædicationes populo faciebat; quod nunc vocatur Stow. Aliud verò Monasterium in Occidentali plagâ in honorem B. Virginis Mariæ construitur. Clausum fossatis & septis, à Regibus Merciorum olim pluribus donis decoratum; ubi sedes Episcoporum posita est. Et est illud Monasterium situm inter Leman Sych & Way-cliffe. Clausum verò hujus Monasterii dividitur in duas partes; quarum altera dicitur Major, altera Minor. In majore Clauso locus Episcopi construitur in angulo versùs Orientem in parte boreali; & continet in se in longitudine cccxx. pedes & in latitudine clx. pedes. Locus verò Decani juxta locum Episcopi existens, continet in se medietatem loci Episcopi in longitudine & latitudine. Cætera verò loca Canonicorum circa prædictum Monasterium constituta continent singulatim medietatem loci Decani; exceptâ illâ mansione quæ fuit M. Odonis de Bikennar, quia ipse perquisivit ab Episcopo quandam placeam in Lemanskey, & eam inclusit de petrâ. Sunt & in prædicto Clauso xxvi. mansiones cum mansione Episcopi. Mensurantur loca per pedes regales.

EPISTOLA Leonis III. Papæ AD Kenulphum Regem.

DOmino excellentiſſimo filio Coenulpho Regi Merciorum ſeu omnibus dilectiſſimis Epiſcopis atque glorioſiſſimis Ducibus Leo Papa. Inclitæ excellentiæ veſtræ per harum tranſvectores literarum videlicet Bryne Presbyterum & Cildas ſeu Ceolberht miniſtros, veſtros recepimus apices; quos relegentes, plenos fide & olitanâ traditione erga B. Petrum Principem Apoſtolorum ejuſque vicarium repperimus roboratos. Et ſicut Prædeceſſores veſtri Chriſtianiſſimi Reges ſemper ex eâdem B. Petri Eccleſiâ fontem veritatis hauriebant & inreprehenſibilem orthodoxamque fidem; ita & veſtra excellentia protectricem & doctricem prorſus utens uſque tenus amplectere & tenere habebit. Quòd verò inquiſiſtis, unde contigiſſet, quòd beatæ recordationis Adrianus Papa & anteceſſor noſter Dorovernenſis Epiſcopi auctoritatem contra morem minuiſſet, & in duas Archiepiſcopias ſedes auctoritate ſuâ confirmaret; ad quod veraciter reſpondimus, quòd non aliter hoc feciſſet niſi pro eo quòd Rex veſter præcellentiſſimus Offa ſuis literis teſtatus eſt, ut in id omnium veſtrûm una voluntas & unanima eſſet petitio vel propter vaſtitatem terrarum veſtrarum & extenſionem regni veſtri, nec non & aliis quam plurimis cauſis & utilitatibus. Pro his præcipuè cauſis honorem Pallii Merciorum Epiſcopo Dominus Adrianus Apoſtolicus direxit. Illud verò quod in veſtris referebatur apicibus nos interrogare, ſi ſummi Pontificatûs auctoritas in civitate Lundoniâ, ubi B. Auguſtinus S. Gregorio dirigente honorem Pallii percepit, Canonicâ licentiâ poſſit haberi: nos nequaquam illis ſummi Pontificatûs autoritatem tribuere audemus; ſed primatum illum, ſicuti Doroverni conſtitutus eſt, primam ſedem & concedimus & cenſentes promulgamus: quia ſanctus & venerabilis prædeceſſor noſter Cœleſtinus Papa nos docuit inquiens: Non ſit vana gloriatio; Palliatis Epiſcopali more qui Epiſcopi ſunt ſequantur. Et ideo Canonicè oportet illum Primatem exiſtere atque vocari, & per ordinem, ſicut à prædeceſſoribus noſtris conſtituitur, Archiepiſcopalem ſedem ita venerare & honorare in omnibus. De illâ verò Epiſtolâ, quam Ædelheardus reverentiſſimus & ſanctiſſimus nobis emiſit, quemadmodum popoſcit veſtra excellentia, eademque liquidiùs relegentes ſicut decebat, ſanctitati ejus enucleatius reddidimus reſponſum; quia nos de Clerico illo apoſtatâ, qui aſcenderat in regnum, ſimilem illum deputantes Juliano Parabatæ, anathematizantes abjicimus, ſalutem animæ ejus procurantes. Nam ſi adhuc in ipſâ perſiſteret iniquâ actione; nobis celeriter enuntiare ſtudemini; ut nos Apoſtolicum commonitorium omni generalitati tam Principibus quamque cuncto populo inſulæ Brytanniæ morantibus adhortantes mittimus; ut eum à nequiſſimo expellere regno, & ſalutem animæ illius

illius procurare. Nam pro hujusmodi regi valde nimisque beatificavimus & laudavimus fratrem nostrum præfatum Archiepiscopum; quia pro fide orthodoxâ animam suam posuit. Vestram autem scientes fructificatam in omnibus bonis præcelsâ scientiâ ad memoriam deducimus; qualiter sanctæ recordationis quod Offa Rex provictoris regni quam tenuit B. Petro auctori suo Signiferum & Comitem in ipso regno utens atque amplectens coram Synodo tam omnibus Episcopis seu Principibus atque Optimatibus cunctoque populo insulæ Brytanniæ morantibus, quamque & nostri fidelissimi missi Georgii & Theophilacti, sanctissimis Episcopis votum vovit eidem Dei Apostolo B. Petro clavigero regni cœlorum; ut per unumquemque annum, scilicet quantos dies annus habuerit, tantos mancusas eidem Dei Apostolo Ecclesiæ nimirum CCCLXV. pro alimoniâ pauperum & luminariorum concinuatione emittere, quod & fecit; ut tam ipse quàmque in posteris ejus qui ipso regno tenere videntur, usque in perpetuo propter ejusdem regni victorias B. Petro suis almis suffragiis concedente. Et si vestra excellentia ampliores victorias & honores in ipso habere regno cupit; instar persolvens per eam amplius quàm amplius in perpetuum permaneat confirmatum, ut ipse Dei Apostolus semper per vos in ipso victoriam concedat regno, & in vitâ æternâ cum Sanctis omnibus sine fine vos regnare faciat.

EPISTOLA

EPISCOPORUM Angliæ ad LEONEM Papam.

OMnes Episcopi & sacerdotes totius Britanniæ Insulæ venerabili Papæ Leoni salutem in Christo. Notum fore cupimus almitati vestræ, sicut legimus in historiis Anglorum scribente Bedâ Historiographo & laudabili Doctore nostro; quòd non tam ingens labor incumbebat anterioribus nostris, scilicet Pallii gratiâ Romam usque fatigari, quemadmodum postea mos inolevit. Scripsit namque ipse præfatus Doctor, quòd beatus Papa Gregorius Augustinum prædicatorem genti Anglorum direxerit non Episcopum ordinatum sed Monachum, cum aliis ejusdem religionis cooperatoribus. Ipse namque Augustinus post conversionem prædictæ gentis ab Etherio Arelatensi Archiepiscopo Archiepiscopus ordinatus est; juxta quod jussa sancti Patris Gregorii acceperat. Postea verò Augustinus successorem sibi Laurentium adhuc vivens ordinavit; exemplum sequens B. Petri principis Apostolorum, qui Clementem adjutorem & successorem sibi consecrâsse perhibetur. Post Laurentium Mellitus sedem Dorovernensis Ecclesiæ suscepit; & post Mellitum Justus; qui ambo susceperunt scripta exhortatoria à Pontifice Romanæ & Apostolicæ Sedis Bonifacio, datâ sibi ordinandi Episcopos autoritate; cujus auctoritatis ista est forma. *Dilectissimo fratri Justo Bonifacius. Pallium per latorem præsentium fraternitati tuæ benignitatis studiis invitati direximus; concedentes etiam tibi ordinationes Episcoporum exigente opportunitate Deum præveniente misericordiâ celebrare; ita ut Christi Evangelium plurimorum adnuntiatione in omnibus gentibus, quæ nec dum conversæ sunt, dilatetur, & cætera.* Nam iste Justus antea ab Augustino Episcopus ordinatus est, sicut & Mellitus. Ipse quoque Justus ordinavit Paulinum Episcopum; & Honorius Papa misit Pallium ipsi Paulino; ubi gentem Nordanhymbrorum cum suo Rege ad fidem Christi Paulino evangelizante conversam esse didicit. Qui Paulinus post

obitum

obitum prædicti Juſti Honorium Dorovernenſi Eccleſiæ Archiepiſcopum ordinavit; cui etiam præfatus Papa Honorius miſit Pallium & literas, in quibus continentur hæc. *Dilectiſſimo fratri Honorio Honorius ſalutem. Juxta veſtram petitionem & filiorum noſtrorum Regum, vobis per præſentem noſtram præceptionem vice B. Petri Apoſtolorum Principis autoritatem tribuimus; ut quando unum ex vobis divina ad ſe juſſerit gratia evocari, is qui ſuperſtes fuerit alterum in loco defuncti debeat Epiſcopum ordinare. Pro qua etiam re ſingula veſtræ dilectioni Pallia pro eâdem ordinatione celebrandâ direximus; ut per noſtræ præceptionis autoritatem poſſitis Deo placitam ordinationem efficere; quia ut hæc vobis concederemus longa terrarum mariſque intervalla, quæ inter nos ac vos obſiſtunt, ad hæc nos condeſcendere coegerunt; ut nulla poſſit Eccleſiarum veſtrarum jactura per cujuſlibet occaſionis obtentum quoquo modo provenire; ſed potiùs commiſſi vobis populi devotionem pleniùs propagare. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime frater.* Item Albinus vel Alquinus maximus librarius ſcripſit ad Offam Regem Anglorum dicens; quòd Archiepiſcopus ſemper ab Archiepiſcopo debeat ordinari, & Pallium ei debere mitti à Domino Apoſtolico. Sed Regum diſſentiones hanc turbaverunt ordinationem; ita ut non potuit fieri quod fieri debuit; quamvis ſancti Canones firmiſſimè decreviſſent nunquam ob Regum diſſentiones Eccleſiaſtica ſtatuta violari debuiſſe. Tunc temporis impleverunt ſancti & Apoſtolici viri illud laudabile præceptum Salvatoris noſtri dicentis: * *Gratis accepiſtis; gratis date.* Tunc ſine viribus elanguit Simoniaca Hæreſis; quia non pecuniâ emebatur donum Dei, ſed gratis, ſicut ipſe juſſerat, donabatur. Timendum eſt tamen vendentibus gratiam Dei hoc quod Petrus Apoſtolus Simoni dicebat: † *Pecunia tua tecum ſit in perditione; non eſt tibi pars neque ſors in ſermone hoc.*

* Matth. X. 8.

† Act. VIII. 20.

SUC-

SUCCESSIO PRIORUM Coventrensis Ecclesiæ.

INsigne Monasterium Coventriæ fundârunt Leofricus Merciorum Comes & Godiva uxor anno Domini MXLIII. Id ad culmen perductum ab Archiepiscopo Cant. Edsio iv. Non. Octobris dedicatum est, Abbate Leofwino cum xxiv. Monachis in eodem instituto: tot & tantis redditibus atque ornamentis à piis fundatoribus ditatum; ut omnia Angliæ Monasteria auri, argenti & gemmarum copiâ antecelleret. Harum cupidine allectus divitiarum Robertus de Lymesy Episcopus Cestrensis, mortuo Leofwino Abbate, custodiam Abbatiæ à Rege impetravit, & Episcopatûs sui sedem ad Coventriam transtulit anno MXCV. Ex eo tempore Monasterium Coventriæ loco Abbatum Priores habere cœpit. In Ecclesiis enim Cathedralibus, quibus Monachi insederunt, Episcopus Abbatis vices supplevit. Coventriæ sederunt post Robertum de Lymesy Episcopi quinque, viz. Robertus de Peche, Rogerus de Clinton, Walterus Durdent, Ricardus Peche, Gerardus Puella; qui se *Coventriæ* Episcopos solummodo, omisso *Lichfeldiæ* titulo, nominare solebant. Post Gerardi mortem Hugo Nonant Episcopus sedem Episcopalem ad Lichfeldiam postliminio retulit. Ecclesia tamen Coventrensis mansit Cathedralis, & paria cum Lichfeldensi in electione Episcopi communis suffragia obtinuit, usque ad extremam dissolutionem sub Henrico VIII. Rege.

Hoveden f. 25. Chron. Galfridi Pr. de Cov. MS. Hist. Lichfeld.

Leofwinus, Abbas primus, Episcopus Lichfeldensis factus est anno 1053.

Leofwinus, Abbas ultimus, interfuit Synodo Londinensi anno 1075. obiit paulò ante annum 1095.

Laurentius, Priorum primus occurrit, quamvis plures ante ipsum Prioratum tenuisse neutiquam sit dubitandum. Frequens de eo fit mentio in Monastico Angl. Tom. iii. p. 220, 235. ubi res ab illo gestæ annis 1144, 1149, & 1162. memorantur. Obiit demum anno 1179. 4. Cal. Febr. Post obitum ipsius Prioratus integro quadriennio vacavit.

Dugdal. Antiq. Warwic. p. 105

Obituar. S. Augustini Cant.

Moyses, Ricardi Cant. Archiepiscopi Capellanus, medio anno 1183. in Priorem electus est die ante electionem Gerardi Pucellæ Episcopi [ex Monastico Tom. iii. p. 220.] Ipsum pariter ac Monachos omnes Hugo Episcopus è Monasterio Coventrensi ejecit anno 1190. Canonicis Sæcularibus ipsorum loco institutis. Obiit Moses in exilio apud Romam anno 1198. 17. Cal. Augusti, ex fide Obituarii Cantuariensis.

Joybertus seu *Jorbertus*, Prior de Wenloc, Monachis anno 1198. 15. Cal. Februarii ab Huberto Archiepiscopo jussu Papæ denuo restitutis Prior datus est. Is anno 1208. post Galfridi Episcopi mortem ad Episcopatum à Monachis suis electus, contradicentibus Canonicis Lichfeldensibus dignitate excidit. Obiit anno 1216. 18. Cal. Julii. Ex Matthæo Paris, Annalibus Winton. & Historiâ Lichfeldensi.

Galfridus,

Galfridus, loco ipsius Prior electus anno 1216. 16. Cal. Augusti, post Willelmi Cornhull Episcopi obitum anno 1223. Episcopus à Monachis Coventrensibus est electus. Repugnante autem Capitulo Lichfeldensi, electio ab Archiepiscopo Cant. & Honorio Papâ cassata est, [ex Historiâ Lichfeldensi.] Iste Galfridus scripsit Chronicon MS. hodienum asservatum, quod vidit Vir Cl. Gulielmus Dugdale, & ex eo descripsit dies obituales trium præcedentium Priorum & electionem ipsius Galfridi, in Antiq. Warwic. p. 105. Obiit anno 1236. juxta Annales Theokesberienses.

Rogerus, obiit anno circiter 1248.

Willelmus Prior fuit anno 1249, & 1257.

Henricus Irreys, Prior Coventr. in Episcopum electus est à Monachis suis anno 1321. Quod sine assensu Capituli Lichfeldensis factum, frustra fuit. Obiit Henricus post annum 1342.

Willelmus de Dunstaple Prioratum tenuit anno 1349.

Willelmus de Greenburgh Prior erat anno 1361.

Jacobus de Horton anno 1391. Monasterio Coventrensi præfuit.

Rogerus Cotton præfuit anno 1396.

Ricardus Crosby, Prior erat anno 1399, & 1414. Ex Registro *Chichley*.

Ricardus Notyngham. præfuit anno 1437. obiit sub initium anni 1453. Ex Registro *Kemp*.

Johannes Shotteswell, Subprior, loco Ricardi electus anno 1453. mense Martio. Ex Registro *Kemp*.

Thomas Derham, obiit anno 1481. April. 21.

Ricardus Shaw, Prior fuit anno 1495, & 1499. Ex Registro *Morton*.

Willelmus Polesworth, anno 1500.

Johannes Webbe, vir eruditus, judice Balæo, Prioratum tenuit anno 1523.

De Scriptor. par. 2. p. 73.

Thomas Weford Prior anno 1533. Registr. *Cranmer*.

Thomas Camswell, Priorum ultimus, Monasterium in manus regias resignavit anno 1539. die 15. Januarii; & annuum stipendium 185. marcarum à Rege accepit.

Valor annuus reddituum Prioratûs tempore dissolutionis æstimabatur 731. lib. 19. sol. 5. den.

SUC-

SUCCESSIO DECANORUM Ecclesiæ Lichfeldensis.

CLericos Sæculares Episcopis Lichfeldensibus à primâ Sedis fundatione adhæsisse & Ecclesiæ Cathedrali in sacris obeundis inserviisse dubio caret. Primus autem Ethelwaldus Episcopus certas illis Præbendas quibus alerentur viritim consignavit, & Huictam titulo *Præpositi Canonicorum* præfecit. Factum id circa annum 822. Quo tempore Præpositi Decanorum nomen assumpserint, quive Canonicis seu Præpositi seu Decani ad sæculum usque duodecimum vergens præfuerint, penitus latet.

Ex Historiâ Lichfeldensi & aliis.

Ricardus de Dalam Decanorum primus occurrit; cujus tempore Decanatus ad exilem censum antea redactus, à Ricardo Episcopo amplis reditibus anno circiter 1170. est dotatus. Nomen ejus in Monastico Angl. tom. 3. sæpiùs invenitur.

Radulphus de Nevill, Decanus à Johanne Rege, Sede vacante, tempore Interdicti creatus est annos inter 1208, & 1214. Obiit anno 1222.

Willelmus de Mancestriâ, electus anno 1222. à Canonicis Lichfeldensibus, quibus Willelmus de Cornhull Episcopus Decanum suum eligendi potestatem primus commiserat. Antea enim Episcopi Deçanos pro arbitrio designare solebant. Obiit Willelmus anno 1254. 7. Februarii.

Radulphus de Sempringham, Academiæ Oxoniensis Cancellarius, Archidiaconus Lichfeldensis factus est anno 1253. Decanus post Willelmum anno 1254. obiit anno 1260. Ista docent Annales Burtonenses, quibus suffragatur etiam Willelmus Whitlock. Magis tamen adhibendum arbitror Thomæ de Chesterfeld, qui Radulphi obitum in annum 1280. (exeuntem) 23. Martii protelat. Character enim, quem apponit, istum sc. diem cum Dominicâ mediâ Quadragesimæ compositum fuisse, veritati adamussim congruit.

Johannes de Derby electus est anno 1281. in fine Aprilis, obiit 1319. 12. Octobr. Ipsum ad Parlamentum literis regiis sæpiùs evocatum fuisse, annis sc. 1295, 1300, 1302, 1304. comperio. Neque enim illo sæculo infrequens erat, ut Decani celebriorum Ecclesiarum Cathedralium unà cum Abbatibus & Prioribus Monasteriorum ad supremum Ordinum consessum adsciscerentur.

Dugdal. Summ. Parl. p. 9, 29, 41, 45.

Stephanus de Segrave, Academiæ Cantabrigiensis Cancellarius anno 1306. Decanus Lichfeldensis electus est 1319. 5. Decembr. confirmatus ab Episcopo anno 1320. mense Septembri. Demum ad Archiepiscopatum Armachanum in Hiberniâ evectus, consecratus est 1324. 29. April.

Rogerus de Covenis, natione Vasco, Johannis XXII. Papæ provisione Decanatum obtinuit, per Procuratorem installatus 1325. 3. Nov. Huic in partibus transinarinis defuncto successit provisionis Papalis beneficio

Johannes Garsias, seu *Gasquy*, postea Episcopus Massiliensis à Benedicto Papâ anno 1334. creatus.

Ricardus filius Radulphi, S. T. P. Archidiaconus Cestrensis, pietate & eruditione clarissimus, ad Decanatum à Papâ provisus, installatus est 1357.

 20.

20. April. ad Archiepiscopum Armachanum promotus anno 1347.

Symon de Borisley, Decanatum provisione Papali obtinuit anno 1347. installatus 1348. 8. Januarii.

Johannes Buckingham Decanus erat anno 1360. Idem (ni fallor) Episcopus Lincoln. anno 1363. factus est.

Willelmus Packinton Decanatum resignavit 1390. 30. April.

Thomas Stretton electus anno 1390. obiit anno 1426.

Thomas Wolveden, Ecclesiæ Lichfeldensis Præcentor, fit Decanus anno 1426. Obiit anno 1432. mense Novembri.

Thomas Verney electus est anno 1432.

Thomas Ileywood successit, anno demum 1492. 25. Octobr. defunctus.

Johannes Yotton S. T. P. subrogatus est anno 1493. obiit die 2. Augusti anno 1510. quantum auguror.

Radulphus Collingwood, S. T. P. Yottono successit. Annum Historia Lichfeldensis hoc in loco corrupta non expressit. Id tamen anno 1510. contigisse opinor. Isto enim anno Radulphus Collingwood Archidiaconatum Coventrensem die 2. Octobris deposuit.

Dugdal Antiq. Warwic. p. 127.

Jacobus Denton, L. D. & Canonicus Windesoriensis, successit paulò ante annum 1519. Decanatum tenuit annis 11, Anno 1524. in Hiberniam à Rege legatus, ut nuperas regni seditiones sedaret, & pro arbitrio puniret seu condonaret.

Reg. Cranmer.

Ricardus Sampson L. D. paulò ante annum 1530. successit, ad Episcopatum Cicestrensem promotus anno 1536.

Ricardus Williams, Decanatu donatus est ab Henrico Rege, cui à Sacris erat, anno 1536.

MONA-

MONACHI WIGORNIENSIS
ANNALES
DE REBUS
Ecclesiæ Wigorniensis

A primâ ejus fundatione ad annum MCCCVIII.

ACCEDUNT

Continuatio Historiæ de Episcopis WIGORNIENSIBUS ab anno MCCCII. ad annum MDXL.

Vita brevis S. WLSTANI Episcopi Wigorn. authore HEMMINGO Monacho Wigorniensi coævo.

Acta Synodi apud Wigorniam à S. WLSTANO habitæ anno MXCII.

Compositio inter Episcopum & Monachos Wigornienses facta anno MCCXXIV. de electione Prioris.

Successio Priorum Wigorniensis Ecclesiæ.

MONACHI WIGORNIENSIS ANNALES DE REBUS Ecclesiæ Wigorniensis.

CONsiderantes pro multis causis in religione Cronicas esse necessarias, istas vobis de vetustis rotulis neglectisque schedulis excerpsimus; & quasi de sub mensâ Domini fragmenta colligimus, ne perirent. Non enim debet vestras urbanas aures offendere rudis & inculta Latinitas, qui soletis in Scripturis magis sensui quàm verbis incumbere, fructui potiùs quam foliis inhærere. Nec mirandum, si liber annuatim augmentatur, ac per hoc à diversis compositus, in alicujus fortè manus inciderit, qui proloquens fecerit barbarismum. Vestri itaque studii erit; ut in libro jugiter schedula dependeat, in qua cum plumbo notentur obitus illustrium virorum & aliquod de regni statu memoriale, cùm audiri contigerit. In fine verò anni non quicunque voluerit, sed cui injunctum fuerit, quod verius & melius censuerit ad posteritatis notitiam transmittendum, in corpore libri succinctâ brevitate describat; & tunc veteri schedulâ subtractâ, nova imponatur.

Anno DCLXXX. (a) tempore Athelredi Regis Merciorum & Theodori Archiepiscopi constituta est Sedes Episcopalis Wigornensis Ecclesiæ. Boselus Episcopus primus. Et vixit annis xi.

BOSELUS.

Anno DCLXXXIX. Bosel Wigorniensis Episcopus primus obiit; cui successit Ostforus (b).

OSTFORUS.

Anno

(a) Diocesis Lichfeldensis integrum Merciorum regnum olim complexa est; anno demum 679. authoritate Æthilredi Regis & Theodori Archiepiscopi Cant. in quinque Parochias divisa. Harum una erat Wigorniensis, cujus ditioni subdebantur Provinciæ Wigorniensis, Glocestrensis & dimidia Warwicensis. Sedes apud Wigorniam Wicciorum Metropolin posita. Primus huic Episcopus designatus est TATFRITH, *vir strenuissimus & doctissimus atque excellentis ingenii*, ex Hildæ Abbatissæ Monasterio Streoneshalensi delectus; qui priusquam consecrari posset, morte immaturâ abreptus obiit. Defuncti loco electus est Bosel; quem anno 680. consecratum fuisse non malè perhibere possumus. Sic enim præter Annales nostros Florentius innuit. Anno 691. Boselus tam gravi corporis infirmitate depressus, ut officium Episcopale implere non posset, sponte abdicavit. *Beda l.* 4. *c.* 23. *Florentius.*

(b) *Ostfor*, rectiùs juxta Bedam & Florentium *Oftfor* dicendus, Presbyter doctissimus, in Cœnobio Streoneshalensi sacrarum literarum scientiam hausit. Dein in Cantiam profectus, eruditissimo Archiepiscopo Theodoro adhæsit. Romam postremò adiit, ut studia sua consummaret; quod quidem illo tempore non leve doctrinæ & sanctitatis argumentum Anglis erat. In patriam reversus ad provinciam Wicciorum divertit; fidemque maximâ sedulitate diu prædicavit. Recedenti igitur Boselo Antistiti anno 691. non alius dignior est habitus qui substitueretur. Vacavit tunc Sedes

Anno DCXCII. Ostforus Wigorniensis Episcopus II. obiit.

EGWINUS. Anno DCXCIII. Sanctus Egwinus (c) III. Episcopus Wigorniensis consecratur; qui Abbatiam de Evesham construxit.

Anno DCCXVII. Sanctus Egwinus Episcopus Wigorn. III. obiit; cui WILFRID. Wilfridus (d) successit.

MILRED. Anno DCCXLII. Wilfridus Wigorn. Episcopus obiit; cui Milredus (e) successit.

Anno DCCLXXV. Milredus V. Wigorn. Episcopus obiit; cui Wer-WERMUND. mundus (f) successit.

Anno DCCLXXVIII. Wermundus VI. Wigorn. Episcopus obiit: cui TILHERUS. Thilherus (g) Abbas de Beorcleâ successit.

Anno DCCLXXX. Offa Rex dedit Ecclesiæ Wigorn. Groppethorne, Netherton, Elmelewe, Cherton, Hampton, Bengeworthe, & magnam Bibliam cum duabus armillis ex auro.

---

des Archiepiscopalis Cant. A Wilfrido itaque Eboracensi Episcopo, qui è Northumbriâ pulsus in Merciam se receperat, Æthilredo Rege jubente consecratus est. Id quidem fieri non poterat ante initium anni 692. quo Wilfridus Merciam intravit. Defunctus est Ostforus ante exitum ejusdem anni. *Beda l.* 4. *c.* 23. *Florentius.*

(c) Ecgwinus successit anno 692. juxta Florentium; obiit 717. 30. Decembr. ex ejusdem, Annalium Eveshamensium, & Brithwaldi fide. Wilfridum successorem illo adhuc superstite electum esse Florentius tradit; ut Episcopatum ante obitum abdicâsse videatur. Historia Eveshamensis illum Eveshamense Cœnobium anno 702. construxisse & post annos 6. relicto Episcopatu Abbatiam ejusdem suscepisse refert. Sanè Florentius testatur illum anno 708. Romam in Kenredi & Offæ Regum comitatu profectum, epistolam privilegii à Constantino Papâ pro Monasterio suo Eveshamensi tuendo impetrâsse. Religiosa istius Cœnobii fundatio maximam viri sanctissimi memoriæ injuriam fecit, Monachi enim, ut majorem fundatori & loco suo religionem conciliarent, ineptissimas fabulas de eo confinxerunt. Hinc nata commenta de visione B. Mariæ Virginis circa imaginem suam in Ecclesiâ Eveshamensi collocandam ei factâ, de confirmatione Constantini Papæ & literis ejusdem argumenti, de Synodo Londinensi Bertwaldi Archiepiscopi & stabilito in eâdem imaginum cultu: quæ si falsa esse probare contenderem, tempus inutiliter tererem. Adeò tamen his nugis deceptus est Baleus; ut arreptâ inde ansâ vir intemperantis zeli in Ecgwinum acerrimè debacchatus sit, *Cent.* 1. *cap.* 91. Multa Godwinus de Egwino congessit; quæ ex Brithwoldo hausisse præ se fert: quamvis ipse Brithwoldi opus nunquam viderit; sed ex Capgravio ista omnia descripserit. Brithwoldus enim Monachus Glastoniensis scripsit Vitam S. Egwini, quæ exstat in Codice valde vetusto Bibliothecæ Cottonianæ *Nero E.* 1. Eam Capgravius abbreviatam, nonnullibi etiam turpissimis fabulis vitiatam, in *Legendâ* suâ *Novâ* f. 123. reposuit. Malè inter alia refert Capgravius Egwinum Episcopatu Wigorniensi pulsum fuisse. Id enim solummodo tradit Brithwoldus, illum iniquè apud Regem accusatum, Romam ab illo missum fuisse & à Papâ accitum, ut se purgaret; quod primo colloquio effecit, & honorificè à Papâ remissus est.

(d) Ecgwino defuncto sub exitum anni 717. *Wilfridus Præsulatum Wigorn. Ecclesiæ suscepit*, authore Florentio: quæ quidem verba cum Ecgwini secessione conciliari possunt, si Ecgwinus Wilfridum non tam successorem quàm coadjutorem sibi asciviffe perhibeatur. Presbyterum sive Sacellanum Egwini antea fuisse Registrum antiquum Ecclesiæ Wigorn. docet. Præfuit anno 731. quando Beda Historiam Ecclesiasticam absolvit. Obiit 745. juxta Continuationem Epitomes Bedæ & Annales Mailrosenses, 743. juxta Florentium, quem in successione Episcoporum Wigorn. delineandâ sequi præstat, tum quòd tempora præ aliis nostræ gentis Historicis optimè digesserit, tum quòd ipsi Monacho Wigorniensi vetusta Ecclesiæ suæ monumenta deesse non poterant.

(e) Milredus sive Mildredus successit anno 743. Synodo Cloveshoviensi interfuit 747. Obiit 775. *Florentius, Concil. Angl. tom.* 1. *p.*242. Annum obitûs 772. Chronologia Saxonica vulgata, 792. Florilegus posuerunt. *Hildredus* in Textu Roffensi dicitur.

(f) Weremundi tempora ab Authore nostro posita Florentius confirmat.

(g) Tilherus Abbas successit 778. obiit 781. *Florentius.* Hunc Textus Roffensis *Gilhere* appellat.

Anno

Anno DCCLXXXI. Tilherus VII. Wigorn. Episcopus obiit; cui Heathoredus (*h*) successit. HEATHORED

Anno DCCLXXXII. Othredus Dux dedit Ecclesiæ Wigorn. Stoke & Schepstone.

Anno DCCXCVIII. Heathoredus VIII. Wigorn. Episcopus obiit; qui dedit nobis Ictacumbe; cui successit Denebertus (*i*). DENEBERHT

Anno DCCCXXII. Denebertus ix. Wigorn. Episcopus obiit; qui dedit nobis de patrimonio suo Manerium de Herforton: cui successit Heabertus (*l*). HEABERHT.

Anno DCCCXXXII. S. Kenulfus Rex Merciorum obiit; qui dedit Ecclesiæ Wigorn. Hynewike, Halle, Bradewe, Humelte, Lockesleye.

Anno DCCCXLVI. Heabertus X. Wigorn. Episcopus obiit; qui dedit nobis Crokleye; cui Alheunus (*m*) successit. ALHUNUS.

Anno DCCCLII. Berwlfus Rex Merciorum obiit; qui dedit Ecclesiæ Wigorniæ Mucton & Grimelewe. Cui successit Burhedus Rex; qui dedit nobis Wlvardelewe.

Anno DCCCLXXII. Halheunus XI. Wigorn. Episcopus obiit; cui Werefridus (*n*) successit. Hic unus magistrorum Ælfredi Regis extitit; & jussu illius libros Dialogorum B. Gregorii Papæ de Latinâ in Anglicam linguam transtulit. WEREFRITH

Anno

(*h*) Heathoredi tempora Florentius eodem planè modo disposuit. Ethelredum Malmsburiensis nominat. Interfuit ille Synodo Calcuthensi anno 789. & coram Offâ Rege & Jamberhto & Hygberto Archiepiscopis litem movit Wulfheardo filio Cussan de terris apud Intamburgam & Bradanlegam ad Ecclesiam Wigorn. spectantibus, quæ Wlfheardus injustè detinuit. Convenit utrinque, ut terræ post Wlfheardi obitum ad Ecclesiam redirent. Extat Compositio paucis post annis transcripta in Ecclesiæ Wigorn. tabulatum.

(*i*) Deneberhtus ab anno 798. ad 822. Sedem tenuit, attestante Florentio. In Synodo Cloveshoviensi anno 803. præsens, compositionem cum Wlfheardo anno 789. initam confirmari obtinuit. Habetur Confirmatio in archivo Ecclesiæ Wigorn. In eâdem Synodo Denebertus cum Wlfheardo Herefordensi Episcopo diremit de limitibus utriusque Diocesis. Compositionem descripsi ex antiquo admodum Ecclesiæ Wigorn. Registro; eandemque à Spelmanno editam *Concil. Angl. tom.* 1. *p.* 326. postea deprehendi. Interfuit idem Synodo Celcuthensi anno 806. *ibid. p.* 324. Hunc Sedi Lichfeldensi in Metropolin evectæ subjectum fuisse Malmsburiensis scribit, *de Gest. Reg. l.* 1. *c.* 4. quod ad Heathoredum antecessorem referendum erat.

(*l*) In successione sequentium Episcoporum maxima est inter Historicos discordia. Seriem Willelmus Malmsburiensis sic contexuit: *Denebertus*, *Herebertus*, *Alwinus*, *Henferdth*, *Ecelin*, *Wilfert*, *Kinewold.* Aliter Indiculus Episcoporum ad calcem Florentii vulgati. *Deneberhtus*, *Heaberhtus*, *Alhwinus*, *Werefert hus*, *Wilferthus*, *Æthelhunus*, *Kinewaldus.* Ab utroque diversus est ejusdem Indiculi Codex Abendoniensis. *Deneberhtus*, *Alhwinus*, *Æthelhunus*, *Wilferthus*, *Hereferthus*, *Kynewold.* Chronicon autem Florentii tam vulgatum quàm Abendoniense MS. & Annales nostri cum Willelmo conveniunt. His etiam consonat Florilegus, nisi quòd Werefrithum binomium fecerit. *Heaberhtus* autem, quem *Eadbertum* Florilegus, *Herebertum* Malmsburiensis appellant, Deneberto successit anno 822. consecratus à Wlfredo Archiepiscopo Cant. cui subjectionis professionem scriptam obtulit. Synodo Cloveshoviensi adfuit 824. Londinensi 833. Obiit 848. juxta Florentium, 846. juxta Annales nostros, 847. juxta Westmonasteriensem.

(*m*) *Alhunus* sive *Alhwinus* vel *Alfwinus*, Heaberhtum excepit. Obiit 872. ex concordi omnium sententiâ.

(*n*) *Werefrith*, Malmsburiensi *Henferdth*, Westmonasteriensi *Herefridus* & *Werferthus*, Dicetensi *Averefredus*, Indiculo ad calcem Florentii MS. *Hereferthus* dictus, consecratus est ab Æthelredo Archiepiscopo Cant. 873. 7. Junii die Pentecostes. Annum quidem 872. Florentius & alii designârunt. Verùm characteres appositi 873. fuisse evincunt. Vir erat eruditionis pro sæculi sui captu non vulgaris, Latinis quippe literis non mediocriter imbutus. Ab Alfredo Rege itaque in aulam accitus, ipsi à consiliis & literis erat; atque ejus jussu libros

Anno DCCCCXV. Werfertus XII. Wigorn. Episcopus obiit, qui dedit nobis Mernanclive. Cui Æthelhunus (*o*) Abbas de Beorclea successit.

ÆTHELHUN

Anno DCCCCXXII. Æthelhunus XIII. Episcopus Wigorn. obiit; cui Wilferthus (*p*) successit.

WILFERTH.

Anno DCCCCXXIX. Wilferthus XIV. Wigorn. Episcopus obiit; cui Kenewoldus (*q*) successit.

KYNEWOLD.

Anno DCCCCLV. Rex Anglorum Edredus obiit; cui Edwius filius germani sui Edmundi Regis successit. Hic Rex dedit nobis Tepsinton.

Anno DCCCCLVII. Kenewoldus XV. Wigorn. Episcopus obiit; qui dedit nobis Oddingleye & Lawarne.

DUNSTANUS

Anno DCCCCLVIII. Dunstanus (*r*) Glastoniensis Abbas ab Odone Cant. Archiepiscopo Episcopus Wigorniæ consecratur.

Anno DCCCCLX. S. Odo obiit; cui Dunstanus Wigorniensis Episcopus successit.

OSWALDUS.

Anno DCCCCLXII. Religiosus Monachus Oswaldus, (*ſ*) Archipræsulis Odonis fratruelis, ad Wigornensem Ecclesiam eligitur Episcopus.

Anno DCCCCLXIX. S. Oswaldus Wigorniensis Episcopus Monachos primò Wigorniæ constituit.

Anno DCCCCLXXI. Winsinus S. Helenæ Presbyter anno iii. conversionis suæ Monachis Wigorniensis Ecclesiæ primus Prior instituitur.

Anno DCCCCLXXII. Oswaldus Wigorniensis Episcopus Eboracensem Archiepiscopatum suscepit.

Anno DCCCCLXXXIII. Oswaldus Monachos apud Westburi constituit.

Anno DCCCCLXXXIV. Idem apud Persoram; ubi primus Abbas Fulbertus.

---

bros Dialogorum B. Gregorii Saxonicè convertit. Ab Alfredo evocatum Asserius in anno 884. narrat; quamvis ante plures annos evocari potuerit. Anno circiter 874. Danis Merciam devastantibus, trans maria fugere coactus fuerat. Ab Alfredo demum reductus, Grimbaldum jubente Rege secum adduxisse videtur. Atque hinc Florentius illum in Galliam Grimbaldi adducendi gratiâ ab Alfredo legatum refert. Versionem equidem Saxonicam Dialogorum Gregorii post annum 890. confecit. Alfredus enim Rex in præfatione eidem præmissâ Plegmundi Archiepiscopi meminit. Werefridum anno 915. obiisse constat. Godwinus à Baleo deceptus illum anno 911. decessisse ponit; & Wilfreth quendam, omnibus Historicis ignotum, substituit; quem anno 915. obiisse vult: sumptâ quidem erroris ansâ ex binis nominibus Werefritho apud Florilegum datis, & ordine in Indiculo Episcoporum ad Florentii calcem inverso.

(*o*) *Æthelhunus*, à Malmsburiensi Ecelin, à Dicetensi *Adelhunus* dictus, Werefritho successit anno 915. obiit 922. juxta Florentium & Florilegum.

(*p*) In Wilferthi temporibus definiendis nostro concordat Florentius. Westmonasteriensis tamen annum obitûs 930. posuit.

(*q*) *Kynewoldus*, seu *Coenwaldus*, sive *Coenwalchus*, *vir magnæ humilitatis & Monasticæ professionis*, succellit anno 929. obiit 957. authore Florentio.

(*r*) Kynewoldum excepit Præsul suo tempore potentissimus Dunstanus, ad Cantuariensem thronum anno 960. translatus.

(*ſ*) Maximus Monachorum patronus Oswaldus sedem Wigorniensem post Dunstanum accepit, anno 960. consecratus juxta Florentium, cujus calculo fidem præ Annalibus hisce adhibendam censeo. Anno 972. Archiepiscopatum Eboracensem regendum accepit, neque tamen Wigorniensem dereliquit. Exemplum secuti sunt Aldulfus & Wlstanus successores; qui post Oswaldum utramque Sedem usque ad annum 1023. obtinuerunt. Exemplo præiverat Dunstanus, Monachorum Anglicorum Patriarcha, qui Episcopatus Wigorniensem & Londinensem simul administraverat: neque Edgaro Regi quicquid Episcopis Monasticis denegare fas erat. Huic quidem cupiditati Oswaldi successores Bullam Formosi Papæ Oswaldo simul cum Pallio datam prætexebant (*Monastic. tom.* 3. *p.* 131.) misero sanè commento, cùm Formosus ante 70. annos in vivis esse desierit. Obiit Oswaldus 992. 28. Febr. Wigorniæ in Ecclesiâ S. Mariæ, quam ipse à fundamentis construxerat, sepultus, authore Florentio.

Anno

Anno DCCCCLXXXV. Idem apud Winchelcumbe, ubi primus Abbas Germanus.

Anno DCCCCLXXXVI. Fundata est Ecclesia de Remesheye ab Oswaldo cum Aylwino Comite.

Anno DCCCCLXXXVIII. Sanctus Oswaldus suis precibus resuscitavit Fulbertum Abbatem Persoræ.

Anno DCCCCXCI. Sanctus Oswaldus Archiepiscopus Monasterium de Ramesey in honorem S. Benedicti Abbatis consecravit; & Monachos de Wigorniâ ibidem primò instituit.

Anno DCCCCXCII. Præsul transivit Oswaldus, & astra petivit. Cui successit venerabilis Aldulfus (*t*) Abbas de Burgo S. Petri, & ipse Archiepiscopus Ebor. sedit annis xi. & dimidium. ALDULFUS.

Anno ············ Wlstanus (*u*) Episcopus Wigorniensis, & ipse Archiepiscopus Ebor. sedit annos xxii. WLSTANUS.

Anno ············ Leoferbius (*x*) Episcopus Wigorn. sedit annis xi. LEOFSIUS.

Anno ············ Brithegus (*y*) Episcopus Wigorn. sedit annos vi. BRIHTEAGUS

Anno ············ Livingus (*z*) Episcopus Wigorn. sedit annos xv. LIVINGUS.

Anno-

(*t*) *Aldulph*, sive *Ealdulf* seu *Adulf*, Abbas Petriburgensis, in utraque Sede successit anno *992*. obiit 1002. 6. Maii, in Ecclesiâ Cathedrali Wigorn. tumulatus, juxta Florentium. Eundem tamen die 4. Junii obiisse Obituarium vetus Wigorn. Ecclesiæ, die 5. Junii Obituarium Petriburgense tradunt. Quòd *Malmsburiensem* Abbatem antea fuisse Godwinus scribit; error est manifestus pro *Medeshamstudensis*.

(*u*) Aldulfo in utraque Sede suffectus est Wlstanus Abbas (locus Abbatiæ latet) *Reprobus* cognominatus. Rationem cognominis exhibet liber Ecclesiæ Wigorn. *Nam nimis erravit, dum rebus nos spoliavit, & ipse Archiepiscopus Ebor.* Plurima sc. Maneria ad Ecclesiam Wigorn. spectantia alienavit, & Sedi Ebor. quam simul tenuit, transcripsit. Seu potiùs administrato simul tamdiu utroque Episcopatu, possessiones utriusque haud ita benè divisæ fuerant. Separatis itaque Episcopatibus, Archiepiscopi Ebor. utpote potentiores plurima Wigorn. Ecclesiæ abstraxerunt. Haud minùs equidem Oswaldus & Wlstanus culpandi erant. Verùm istorum utroque Sanctis annumerato, Wlstanus solus crimen tulit. Maneria illa Wlstanus secundus ab Archiepiscopis Ebor. non sine difficili certamine erepta Ecclesiæ Wigorn. postliminio restituit. Obiit Eboraci 1023. 28. Maii, in Cœnobio Eliensi sepultus. *Florentius*, *Stobæus*, *Obituar. Wigorn.*

(*x*) Pace Septemtrionali Angliæ donatâ, proprium sibi Antistitem recepit Eboracum post Wlstani mortem, proprium & Wigornia. Wigorniensis creatus est *Leoffsius* sive *Leoffsinus* Abbas Thorneiensis. *Lessium* hunc appellat Malmsburiensis, *Leofricum* Annales Petriburg. Saxon. Obiit in Episcopali villâ Kemeseiâ 1033. 19. Augusti, in Ecclesiâ suâ Cathedrali sepultus. Sic quidem Florentius, cui de die obitûs suffragatur Obituarum pervetustum Wigorn. Malè tamen à Florentio apponitur feria 3. quæ dies 21. Aug. fuit. Malè etiam ab Annalibus Winchelcumb. feria 6. & ab Annalibus Menev. dies 29. Augusti.

(*y*) *Brihteagus*, Malmsburiensi *Britegus*, libro Wigorn. *Brictegus*, Annalibus Petriburg. Sax. *Brihtch*, Indiculo ad calem Florentii MS. *Byrheagus* dictus, in pago Bercheriensi natus, Wlstani decessoris ex sorore nepos, ex Abbate Perscorensi in Episcopum Wigorn. evectus est anno 1033. Missus brevi post à Canuto Rege, Gunnildam filiam ejus in Germaniam duxit Imperatori uxorem collocandam. Alienatas ab Ecclesiâ Wigorn. terras quamplurimas cognatis suis transcripsit, & in his Himeltun, Speclea, & Wlfrintun Halhega, quas Egelrico fratri suo concessit. Ista omnia Hemmingus tradit in libro *de possessionibus Ecclesiæ Wigorn.* anno circiter 1090. conscripto. Obiit Brihteagus 1038. 20. Dec. feriâ 4. Sic præter Florentium produnt Annales Saxonici Boyeriani & Obituarium Eliense ac Wigorniense vetus. Die tamen 19. obitum contigisse Annales Petriburg. Saxon. statuunt.

(*z*) Sedem Wigorniensem post Brihteagi obitum regendam suscepit Livingus Episcopus Cridiensis & Cornubiensis; & utrumque Episcopatum simul tenuit, dono Haroldi Regis, cujus maximam sibi gratiam (vereor ne malis artibus) conciliaverat. De genere ejus & rebus alibi gestis consule Historiam Episcoporum Exon. Quiddam tamen

ALDREDUS. Anno ·········· Aldredus (a) Episcopus Wigorn. & ipse Archiepiscopus Ebor. sedit annos xxi.

Anno MLVIII. Aldredus in civitate Gloverna principalem Ecclesiam in honore S. Petri dedicavit; & Wlstanum Wigorniensem ibidem Abbatem constituit; sicque Jerusalem profectus est.

WLSTANUS. Anno ·········· Wlstanus (b) Episcopus Wigorn. sedit xxxiii. annis, iv. mensibus, & iv. diebus.

Anno MLXXXIV. Inceptio operis Wigorn. Monasterii per S. Wlstanum.

Anno MLXXXV. Major Malvernia fundata est per Alwium Monachum.

Anno MXCII. Anselmus consecratus est in Archiepiscopum Cant. à Thomâ Archiepiscopo Eboracensi. Tunc primò vocati sunt Cantuarienses Archiepiscopi; qui priùs totius Angliæ Metropolitani vocabantur. Rex Willelmus concessit Anselmo Abbatiam S. Albani in alodium.

Anno ·········· Obiit S. Wlstanus Episcopus Wigorniensis.

SAMPSON. Anno ·········· Sampson (c) Episcopus Wigorn sedit annos xvii.

Anno MCXII. Sampson XXV. Wigorn. Episcopus obiit.

Anno MCXIII. Civitas (d) Wigornia cum principali Monasterio & Ca-

---

men non ignobile Wigorniæ ab eo gestum verbis antiqui admodum Ecclesiæ ejusdem Registri dabo. *Spegen Comes, Godwini Comitis filius, Abbatissam Leomynstre è Monasterio surreptam sibi conjugio sociavit, atque annum integrum tenuit; donec increpationibus Edsii Cant. Archiepiscopi & Livingi Episcopi deterritus sit. Qua tamen irritatus, Merebroc, Hastun & Ferecleobyrig nos privavit.* Anno 1040. in necem Alfredi Principis ante quadriennium nefariè interfecti conspirâsse accusatus, ab Haroldo Rege exauthoratus est, sede Wigorn. Alfrico Archiepiscopo Ebor. commissâ. Anno sequenti redemptâ Regis gratiâ Episcopatum recepit, & ad obitum usque tenuit. Obiit 1046. 23. Martii die Dominicâ, juxta Florentium, Annales Winchelcumbenses, Saxonicos (*Domitian A.* 8.) & Menevenses, die 19. Martii juxta Historiam Glaston. 20. Martii juxta Annales Saxonicos Boyerianos. Author nostrorum Annalium annos Pontificatûs 15. ab suscepto primùm Episcopatu Cridiatunensi numerat.

(a) Aldredus sive Ealdred, Monachus primùm Wintoniensis, postea Abbas Tavestokensis, Livingo successit anno 1046. A Rege ad Imperatorem legatus anno 1054. integro anno apud Hermannum Coloniensem Archiepiscopum moram fecit. Anno 1056. medio Episcopatu Herefordensi donatus, utramque simul Diocesin rexit usque ad annum 1060. exeuntem; quando ad Archiepiscopatum Ebor. electus, Herefordensem dimisit, Wigorniensem Episcopatum adhuc retinere in animo habens. Romam autem anno sequenti profectus, non aliâ conditione Pallium à Nicolao Papâ obtinere potuit, nisi ut Wigorniensem etiam dimitteret. Ex *Florentio* & *Stobeo*. Beneficia Ecclesiæ Wigorn. præstita Liber Wigorniensis sic recenset. *Tempore S. Edwardi Regis redemit à quodam ministro Regis Aky nomine Tetinton pro 8. marcis auri, reddiditque Conventui. Dedit etiam piscariam de Hallage & Scadevelle, cum terris quæ ad illas pertinent.* Longè majorem tamen Sedi Wigorn. ad Eboracum abeuns injuriam fecit, abreptis summâ fraude plurimis Maneriis: qua de re vide Malmsburiensem in *Vitâ* S. Wlstani.

(b) Wlstanus, sanctitate notissimus, ex Priore Ecclesiæ Wigorn. Episcopus electus est in Curiâ Regis 1062. 29. Aug. consecratus apud Eboracum die 8. Sept. ab Aldredo Archiepiscopo. Stigando enim Cantuariensi munus Archiepiscopale tunc à Papâ interdictum erat: quamvis Wlstanus non Aldredo sed Stigando professionem subjectionis inter consecrandum fecerit. Ista ex Florentio. Obiit Wlstanus 1095. 19. Januarii: quem calculum in notis ad *Vitam* ejus p. 267. assertum vide. Obituarium tamen Wigorniense vetustum diem 20. Januarii posuit.

(c) Sampson, Canonicus Baiocensis, in Episcopum Wigorn. ab Anselmo consecratus est apud Londinum in Ecclesiâ S. Pauli 1096. 15. Junii, Presbyter die præcedenti apud Lametham ab eodem ordinatus, teste Eadmero *Hist. Nov. p.* 35. cui succenturiatur Florentius. Obiit apud Westburiam 1112. 5. Maii die Dominicâ. *Hic tempore Willelmi Junioris dedit Conventui Tibritton,* inquit Liber Wigorniensis. Westberiam tamen Monachis ablatam Malmsburiensis criminatur, *de gest. Pontif. f.* 161. *a.*

(d) Incendium Florentius ad hunc annum pluribus narrat, & Cathedralem Ecclesiam conflagrâsse addit. Rectè à nostro designatur illius dies, quem Godwinus falsum exhibuit.

stello

ſtello igne cremata eſt xiii. Cal. Julii. Thomas (*e*) Prior Wigornienſis, & Colemannus Monachus & Capellanus B. Wlſtani, obierunt. Teolfus (*f*) XXVI. Epiſcopus, Regis Capellanus ſuſcepit Epiſcopatum Wigornienſem, Wigornienſis Eccleſia cum caſtello & villâ & uno Monacho & viginti hominibus combuſta eſt. Obiit Petrus Abbas Glouceſtriæ; cui ſucceſſit Dominus Willelmus Monachus ejuſdem domûs, & benedicitur in Eccleſiâ Cathedrali Wigorniæ. Sacriſta Wigorn. recepit capam ejus de Samet. cum veſtimento; & honeſtè pvocuravit Conventum Wigorn.

THEOLFUS.

Anno MCXV. Radulfus Archiepiſcopus Pallium ſuſcepit v. Kal. Julii, & Teolfum in Epiſcopum Wigorn. conſecravit. Wilfridus Epiſcopus S. David & Reignelmus Herefordenſis obierunt: & pro Wilfrido Bernardus, & pro Reignelmo Gaufridus Epiſcopi conſecrantur.

Anno MCXVIII. Dominus Florentius Wigornienſis Monachus deceſſit Nonis Julii.

Anno MCXX. Radulfus Cant. Archiepiſcopus Clericum quendam David nomine Walenſem natione apud Weſtmonaſterium conſecravit ad Epiſcopatum Bangorenſis Eccleſiæ.

Anno ········ Theolfus obiit, qui ſedit annos xi. Succeſſit illi Simon (*g*) XXVII. Epiſcopus Wigorn. qui ſedit annis xxv.

SIMON.

Anno MCXXXIX. obiit Walterus de Lacy Abbas Glouceſtriæ; cui ſucceſſit Gilbertus.

Anno MCXLVII. obiit Robertus Epiſcopus Herefordenſis; cui ſucceſſit Gilbertus Abbas Glouceſtriæ. Item ſucceſſit Gilberto in Abbatem Hamelinus.

Anno ·········· Johannes de Pageham (*h*) XXVIII. Epiſcopus Wigorn. ſedit annis vii.

JOHANNES DE PAGEHAM

(*e*) Obiit uterque 1113. 4. Octobr. Sabbato juxta Florentium. Colemannus Wlſtani Epiſcopi Cancellarius chartæ Monachis ab eodem datæ 1088. ſubſcripſit apud Hemmingum f. 192.

(*f*) *Theulfus*, ſeu *Teolfus*, quem *Thewaldum* & *Theodwaldum* vocant Eccleſiæ Wigorn. archiva, rectiſſimè *Theobaldus* eſt dicendus. Sic enim ab Eadmero (*Hiſt. Nov. l. 5. p.* 113.) & Annalibus Winton. nuncupatur. Regis is Henrici Capellanus, & Canonicus Baiocenſis, Epiſcopatum Wigorn. dono Regis apud Windleſoram accepit 1113. 28. Decembr. conſecratus Cantuariæ à Radulfo Archiepiſcopo 1115. 27. Junii. Obiit in villâ ſuâ Hamtunenſi 1123. 20. Octobr. Sabbato. Sepultus prope Sampſonem deceſſorem ſuum in navi Eccleſiæ Wigorn. ante imaginem Crucifixi. Iſta ex Eadmero, Florentio & Malmsburienſi hauſta ſunt. Florentii quidem liber vulgatus obitum Theobaldi die 21. Octobris collocat. Verùm Codex optimus Abendonienſis diem 20. legit, quem nota affixa indubium reddit. *Hic dedit Eccleſiæ Wigorn. piſcariam de Bevereye, cum terrâ quæ ad illam pertinet, & terram quandam in Suburbio.* Liber Wigorn.

(*g*) Simon, Adeleidæ Reginæ Capellanus (Cancellarium Florentius appellat) in Normanniâ electus 1125. poſt Paſcha in Angliam venit, & cum ſolemni proceſſione Eccleſiam Wigorn. intravit die 8. Maii die Aſcenſionis Dominicæ. Presbyter à Willelmo Archiepiſcopo apud Cantuariam ordinatus eſt 1125. 23. Maii, Epiſcopus in craſtino conſecratus. Et hactenus quidem Florentius cum Continuatore ſuo Epiſcoporum Wigorn. tempora diligenter expreſſit. Simonem ob morum humanitatem & liberalitatem Malmsburienſis prædicat *de geſt. Pontif. l.* 4. *f.* 161. & in eodem Catalogum ſuum claudit. Quod de Alfredo enim in editione Savilianâ ſequitur, ab alienâ manu Codici Saviliano acceſſit. Obiit Simon anno 1150. ex fide Thomæ Wikes, Gregorii Caergwent, & Annalium Theokesber. 1149. (exeuntem intellige) 20. Martii, fide Annalium Menevenſium.

(*h*) Rectè Annales noſtri Johannem Alfredo præpoſuerunt. Suffragantur enim Thomas Wikes, Gervaſius, Annales Theokesbir. Winchelcumb. & Menev. aliaque indubiæ fidei monumenta. Godwinus tamen ordinem invertit, deceptus à loco Malmsburienſis interpolato. Conſecratus eſt Cantuariæ à Theobaldo Archiepiſcopo (cui à ſacris erat) 1151. 4. Martii. Id præter Gervaſium & Annales Menev. docet Profeſſio ejus autographa, in archivo Eccleſiæ Cant. etiamnum aſſervata. Obiit idem apud Romam anno 1158.

ALUREDUS. Anno · · · · · · · · · Alnredus (*c*) XXIX. Episcopus Wigorn. sedit annis iv.

Anno MCLXII. Fromundus factus est Abbas Theukesburiæ, & benedicitur Wigorniæ. Sacrista Wigorn. recepit capam ejus cum vestimento parvi pretii. Visitavit Conventum de pitantiâ competenti.

ROGERUS. Anno MCLXIII. Rogerus (*d*) filius Comitis Glonceſtriæ ad Pontificatum Wigorn. eligitur.

Anno MCLXIV. Rogerus consecratur in Episcopum Wigorn. Kal. Septembris.

Anno MCLXV. Rogerus Wigorn. Episcopus intronizatur iv. Non. Februarii.

Anno MCLXVII. Rogerus Episcopus Wigorn. transfretavit. Robertus Episcopus Hereford. iv. Kal. Martii obiit, & G. Archidiaconus Wigorn. successit.

Anno MCLXX. Willelmus de Bello-Campo obiit; & ad ostium Capituli Wigorn. sepelitur.

Anno MCLXXI. fundatus est Prioratus S. Ægidii Abbatis parvæ Malverniæ à duobus fratribus, qui nati fuerant apud Betkeforde. Primus enim erat Prior sc. Jocelinus, secundus Prior Edredus. Habitum religionis & regulam B. Benedicti & consuetudines à Capitulo Wigorn. [acceperunt.]

Anno MCLXXII. Rogerus Episcopus Wigorn. Romam petiit, Regem excusaturus, quòd nec ejus mandato nec voluntate Archiepiscopus occisus est. Abbatia de Wiggemore fundata est isto anno.

Anno MCLXXIV. Dominus Rogerus Abbas Persoræ obiit. Item Robertus Foliat consecratur Episcopus Herefordensis.

Anno MCLXXV. Turris nova Wigorn. corruit.

Anno MCLXXVI. Andreas Abbas Cireceſtriæ obiit.

Anno MCLXXVII. Canonici Waltamenses Sæculares amoti sunt. Matthæus Archidiaconus Glouceſtriæ obiit. Succedit Dominus Willelmus de Norhale.

Anno MCLXXVIII. Monasterium Teokesburiæ incendio conflagravit. Fromundus Teukesburiæ Abbas obiit. Ricardus de Lucy construxit Ecclesiam de Lines.

(*c*) Aluredus sive Alfredus, Henrici Regis Capellanus, successit, intronizatus 1158. Dominicâ in Ramis Palmarum viz. die 13. Aprilis. Sic quidem Annales Menev. & Theokesbir. quamvis Winchelcumbenses annum 1159. reponant. Obiit 1160. ex concordi omnium sententiâ. Quæ Godwinus de Florentii circa Aluredum silentio habet, mirum est erudito viro excidere potuisse. Florentium enim 1118. 7. Julii obiisse ex Historiis ipsi Godwino familiaribus satis superque constabat.

(*d*) Rogerus Roberti Comitis Glocestr. Henrici I. Regis filii nothi filius ex furtivo concubitu susceptus, ad Episcopatum Wigorn. electus est 1163. mense Martio, tunc ætate juvenis, consecratus 1164. 23. Aug. intronizatus 1165. 2. Feb. ex Annalibus Menev. & Teokesbir. Vir ob insignem pietatem & ecclesiasticæ disciplinæ studium à Giraldo (in Opere *de sex Episcopis coævis*) summopere prædicatus: quem Nigellus etiam Monachus Cant. in insigni Epistolâ ad Willelmum de Longo-campo Eliensem Episcopum collaudat, hisce quæ sequuntur addītis. *Cùm quidam ad Episcopatum, nescio si dignus, fuisset electus, & Cantuariæ consecrandus à Ricardo Archiepisopo de more advenisset; præfatus Wigorn. Episcopus Metropolitano & Suffraganeis suis scripsit, dicens: Ego huic electioni nec consentio nec consentiam, nec subscribo nec subscribam, nec præsentiam meam exhibeo nec in posterum exhibebo: & vos scitis quare. Tu autem Domine miserere nostri.* S. Thomæ Cantuariensi in rebus afflictis constanter adhæsit; quâ de re extant præclara ipsius Thomæ in Epistolis suis testimonia. Hunc itaque post Thomæ necem Henricus Rex ad Alexandrum Papam anno 1171. legavit, ut imperati seu approbati facinoris suspicionem ab illo amoliretur. Ad Romam iterum transfretavit Rogerus anno 1178. & Concilio Romano interfuit. Domum redeuns, apud Turonas obiit 1179. 9. Augusti, ibidem sepultus. Ex Annalibus Theokesber. Dicetensi & Parisio. Die 10. Augusti obitum ejus malè reponunt Annales Menevenses.

Anno

Anno MCLXXIX. obiit Hamelinus Abbas Glonceſtriæ; cui ſucceſſit G. Carbones. Rogerus Epiſcopus Wigorn. obiit. G. benedicitur Wigorniæ die Aſſumptionis S. Mariæ. Sacriſta Wigorn. habuit capam ejus cum veſtimento; & miſit Coventui per Capellanum ſuum pro pitantiâ lx. ſolidos.

Anno MCLXXX. Tranſlatio S. Frideſwidæ Oxoniæ ii. Idus Februarii. Baldewinus (*e*) Abbas de Forde conſecratur in Epiſcopum Wigorn. die S. Laurentii. BALDWINUS.

Anno MCLXXXI. Henricus Abbas Winchecombæ obiit. Succeſſit Criſpinus ejuſdem loci Prior, & benedicitur Wigorniæ in tranſlatione S. Wlſtani. Sacriſta accepit capam cum veſtimento; & miſit Conventui per Celerarium ſuum xl. ſolidos.

Anno MCLXXXII. Robertus factus eſt Abbas Teokesburiæ; benedicitur Wigorniæ in feſtivitate B. Michaelis. Sacriſta Wigorniæ accepit capam cum veſtimento; & miſit Conventui per Capellanum ſuum xl. ſolidos. Criſpinus Abbas Winchecumbæ & W. Epiſcopus Rouceſtriæ, & O. Abbas Malmeſberiæ obierunt.

Anno MCLXXXIII. Tranſlatio S. Egwini Eveſham.

Anno MCLXXXIV. Baldewinus Epiſcopus Wigorn. electus eſt in Archiepiſcopum Cantuariæ.

Anno MCLXXXV. obiit Hugo de Mortuo-Mari fundator Abbatiæ de Wiggemore.

Anno MCLXXXVI. obiit Robertus Foliot Epiſcopus Hereford; cui ſucceſſit Willelmus le Ver. Willelmus de Norhal (*f*) factus eſt Epiſcopus Wigorniæ. WILLELMUS DE NORHALE

Anno MCLXXXIX. Radulphus Prior obiit; ſucceſſit Magiſter Senatus, Monachus ejuſdem domûs. Tota ferè Wigornia igne combuſta eſt. Willelmus de Stoke Monachus Wigorniæ factus eſt Abbas Sireburniæ.

Anno MCXC. obiit Willelmus Wigorn. Epiſcopus, & Radulfus de Glanvile, & Baldewinus Archiepiſcopus. Defuncto Willelmo Wigorn. Epiſcopo v. Non. Maii, Robertus (*g*) eligitur Id. Julii. ROBERTUS.

(*e*) Baldwinus, infimæ ſortis parentibus in urbe Exonienſi natus, depoſito quem geſſit Archidiaconatu, vitam Monaſticam juxta Ordinis Ciſtercienſis regulas amplexus eſt. Demum Abbas Fordenſis, & ex Abbate Epiſcopus Wigorn. conſtitutus, conſecrationem accepit apud Lametham 1180. 10. Auguſti. Id præter Annales hoſce, Gervaſius & Annales Theokesbir. produnt. Ad Cantuarienſem thronum poſtea tranſlatus fuit, electione factâ 1184. 2. Decembr.

(*f*) Hunc Archidiaconum Glocestr. anno 1177. factum fuiſſe Annales noſtri ſuprà narrant, & Theokesber. confirmant. Canonicus Londinenſis antea fuerat. Electus eſt apud Weſtmonaſterium à Radulfo Priore & Monachis Wigorn. 1186. 21. Sept. & eodem die à Baldwino Archiepiſcopo conſecratus, teſte Radulpho Dicetenſi *Imag. Hiſt. p.*631. Obiit 1190. 3. Maii juxta Annales Teokesbir. 2. Maii juxta Menevenſes, 28. Martii juxta Pariſium. Primum calculũ Annales noſtri confirmant.

(*g*) Robertus, Lincolnienſis Canonicus, filius unicus & hæres Willelmi Seneſcalli Normanniæ, favente Willelmo Elienſi Epiſcopo regni tunc Cancellario, Epiſcopus Wigorn. electus eſt 1190. menſe Julio, confirmatus à Gilleberto Roffenſi Epiſcopo, Archiepiſcopi in Syriâ tunc agentis Vicario. Conſecrationis munus obeundi vendicârunt Epiſcopus Roffenſis, quòd Archiepiſcopi Capellanus, & Londinenſis, quòd ejuſdem Decanus eſſet. Uterque tamen, ne Robertus alibi quàm in Eccleſiâ Metropolitanâ conſecraretur, appellavit. Robertus moræ impatiens, Clementis Papæ mandatum anno 1191. impetravit; ut à Willelmo Elienſi Papæ Legato apud Weſtmonaſterium conſecrari poſſet. Convocatis itaque apud Weſtm. hujuſce gratiâ Epiſcopis Angliæ 1191. 7. April. adſunt Monachi Cantuarienſes, & appellationem renovant. Epiſcopi habito inter ſe conſilio Robertum Cantuariæ potiùs conſecrandum eſſe decernunt. Factum id à Willelmo Legato, aſſiſtentibus ſibi ſex Epiſcopis 1192. 4. Maii. Iſta ex Gervaſio, qui in tempore conſecrationis lapſus eſt. Conſecratus enim fuit Robertus 1191. 5. Maii: quod ex Dicetenſi, Annalibus Menev. Waverl. Teokesber. & Winchelc. conſtat. Obiit 1193. 30. Junii juxta Annales Teokesbir. & Winchelc. 14. Julii juxta Menevenſes.

Anno MCXCI. Robertus Wigorn. Episcopus consecratur.

HENRICUS DE SOLIACO. Anno MCXCIII. Robertus Wigorn. Episcopus obiit. Henricus (*h*) Abbas Glastoniæ ii. Idus Decembris consecratus est in Episcopum Wigorn. Herebertus Archidiaconus Cantuariæ eligitur in Episcopum Sarum.

Anno MCXCV. Hugo Dunelmensis & Henricus Wigorn. Episcopi obierunt. Item Alanus Prior Hospitalis Jerusalem consecratus est in Episcopum de Bangor.

JOHANNES DE CONSTANTIIS. Anno MCXCVI. venerabilis vir M. Johannes de Constantiis (*i*), Decanus Rothomagensis factus est Episcopus Wigorn. & consecratur xiv. Cal. Novembr. Magister Senatus, Theologus & Prior Wigorniæ, cessit Prioratui die S. Edmundi Regis. Successit Dominus Petrus, Monachus ejusdem Ecclesiæ.

Anno MCXCVII. obiit Willelmus Eliensis Episcopus, Domini Ricardi Regis Cancellarius, & Willelmus Comes Sarum, & Willelmus de Bello-Campo.

Anno MCXCVIII. ordinantur Gaufridus Episcopus Cicestr. & Anselmus Abbas de Persore. Obierunt Hugo de Nonant Episcopus Cestriæ, & Petrus Episcopus de Sancto David, & Ricardus London. Episcopus, & Walterus Prior Bathoniæ & Johannes Episcopus Wigorniensis. Item Galfridius filius Petri Justiciarius Angliæ factus est. Bonæ memoriæ Dominus Johannes de Constantiis & optimæ conversationis obiit; cujus sanctitatis refulgent insignia. Nam corpus ejus sacrum cum indumentis Pontificalibus usque hodie manet integrum & incorruptum. Monachi Coventriæ recuperant Ecclesiam suam cum omnibus pertinentiis; quibus præficitur Gorbertus Prior de Wenloch. Symon Abbas Persoræ obiit. Anselmus succedit; & benedicitur Wigorniæ die Omnium Sanctorum. Sacrista noster habuit capam ejus de Pal cum vestimento. Misit Conventui pro pitanciâ iv. marcas.

MAUGERIUS. Anno MCXCIX. Magister Maugerius (*l*) Archidiaconus Eboracensis eligitur in Episcopum Wygornensem; & ab Archiepiscopo Cant. cassatur, quia non erat legitimus; unde Curiam appellavit. Videns autem Papa elegantiam tanti viri, eum in Episcopum Wygornensem confirmavit; & illud pul-

(*h*) Henricus de Soilli, ex Bermundesiæ Priore Abbas Glaston. anno 1189. creatus, ex Abbate Episcopus Wigorn. constituitur 1193. ut Savarico Bathoniensi Episcopo Abbatiam Glaston. ambienti locum faceret. Electus est 1193. 4. Dec. consecratus apud Cantuariam ab Huberto Archiepiscopo die 12. ejusdem mensis, intronizatus 1194. 6. Januarii. Ex Annalibus Teokesbir. Menev. & Suthwerc. Obiit 1195. 24. Octobr. juxta Annales Teokesbir. 25. Oct. juxta Menev. 22. Novembr. juxta Obituarium Salopiense.

(*i*) Johannes de Constantiis, Walteri de Constantiis Episcopi Lincoln. & postea Rothomagensis Archiepiscopi nepos, Decanus Rothomagensis creatus est anno 1189. Episcopus Wigorniensis ab Huberto Archiepiscopo consecratus 1196. 20. Octobr. Factum id in Abbatiâ Hammensi prope Londinum Dicetensis tradit. Nota autem in tergo Professionis autographæ apud Strafford consecratum fuisse testatur. Intronizatus est 1196. 28. Octobr. Obiit 1198. 24. Septembr. Ex Annalibus Teokesbir. Menev. & Suthwerc. Soli Annales Menevenses obitum die 25. Septembr. statuunt.

(*l*) Maugerius sive Malgerius, Archidiaconus non Eboracensis sed Ebroicensis, Ricardi Regis Medicus, Episcopus Wigorn. electus est 1199. ante exitum Augusti, consecratus apud Romam ab Innocentio Papâ 1200. die S. Trinitatis, viz. die 4. Junii. In Angliam reversus, professionem subjectionis Metropolitano suo præstandæ in Ecclesiâ Cant. fecit 1200. 29. Octobr. in Ecclesiâ propriâ intronizatus 1200. 12. Novemb. Ex Dicetensi, instrumento Professionis autogr. Annal. Teokesbir. & Winchelcumb. Anno 1208. 24. Martii Papâ jubente Angliam interdicto supposuit; & sententiam 1209. 23. Martii renovavit. Quo facto in Galliam secedens usque ad obitum delituit. Obiit apud Pontiniacum, pace regno atque Ecclesiæ Anglicanæ nondum restitutâ, 1212. 1. Julii, ex fide Annalium Theokesberiensium.

chrum

ehrum Decretale pro eo composuit, quod sic incipit *Innotuit*. Ægidius de Brewes eligitur in Episcopum Herefordensem.

Anno MCC. Helias Abbas Radingæ benedicitur. Maugerius consecratur Romæ à Papâ Innocentio; & rediens Wigorniam intronizatur. W. de Verdun factus est Archidiaconus Gloucestriæ.

Anno MCCI. Miracula de S. Wlstano incœperunt xiv. Kal. Februarii; quæ per totum annum & ampliùs adeò crebrescebant, ut nunc xv. nunc xvi. uno die curarentur ab omnibus languoribus.

Anno MCCII. Ecclesia Cathedralis Wygorniæ cum omnibus adjacentibus ei officinis & magnâ parte civitatis xv. Kal. Maii igne conflagravit alieno quartâ nocte Paschatis. Die S. Ægidii venerunt Wygorniam ex mandato Domini Papæ Hubertus Archiepiscopus Cant. Eustachius Elyensis, & Abbates duo de S. Edmundo & de Wlburnâ, inquisituri de miraculis S. Wlstani; & oppressi à gloriâ multitudinis curatorum & eorum testium recesserunt gaudentes. Alanus Abbas Theokesbiriæ obiit; qui fuerat Prior Ecclesiæ Christi Cant. Monachi Wigornienses viz. Walterus de Bradewas & Randulfus de Hevesham cum sociis Româ prosperè redierunt; qui illuc post Epiphaniam ierant cum literis Huberti Cant. Archiepiscopi & omnium Episcoporum Angliæ testantium mirabilia, quæ Deus per merita B. Wlstani in Ecclesiâ Wigorniensi operatus est: quas in eundo Deus à periculo maris per merita ejusdem Patris mirabiliter & misericorditer liberavit. Tradidimus totam terram nostram de West ad firmam hominibus villarum illarum à Festo S. Laurentii in xv. annos. Dominus Thomas de Erdinton Miles recepit de nobis ad firmam Alnuston & Schepeweston à Pascha usque ad xvi. annos pro xxx. libris annuis.

Anno MCCIII. Beatissimus Wlstanus canonizatus est Romæ ix. Cal. Maii cum magnâ solennitate. Duellum in Curiâ Prioris inter Godefridum de Elsiston & Odonem de Miregros. M. Willelmus Bles Cantor Lincoln. consecratur in Episcopum Lincoln. Rogerus de Mortuo Maii fidelitatem juravit Ecclesiæ Wigorniensi de xx. solidis de Wurbenli. W. Sacrista de Theokesbiria benedicitur in Abbatem ejusdem Domûs. Deposito Petro Priore in Vigiliâ Natalis Domini, successit ei Randulphus eâdem die. Anselmus Abbas Persore, Willelmus de Stotevil obierunt.

Anno MCCIV. Gervasius benedicitur in Abbatem Persoræ apud Wygorniam. Symon Archidiaconus Wellensis consecratur in Episcopum Cicestr. Ossa B. Wlstani pridem ab Episcopo Johanne de Constantiis noctu & irreverenter levata, noctu etiam reponuntur ab Episcopo Malgerio. Obiit Petrus quondam Prior Wygorniæ.

Anno MCCV. Ægidius Episcopus Hereford. confirmavit nobis pensionem xl. solidorum in Ecclesiâ de Lindrugge. Episcopo Malgerio adjudicata fuit sententialiter possessio subjectionis Abbatiæ de Hevesham; sed adhuc restabat quasi de proprietate. Henricus Prior Gloverniæ succedit Thomæ Abbati ejusdem loci defuncto; & benedicitur Wigorniæ die S. Michaelis. Magister W. Subdecanus Lincoln. vir bonus & justus, occiditur in Ecclesiâ Cathedrali Lincoln. à quodam Subdiacono die Dominicâ.

Anno MCCVI. Sententiatum est Romæ pro Ecclesiâ de Hevesham; ut sit exempta in capite; & facta est commissio de valle. Petrus de Rupibus Episcopus Winton. consecratus Romæ, intronizatur Dominicâ Palmarum apud Wintoniam. Jocelinus consecratur in Episcopum Bathoniæ apud Radingam die S. Trinitatis ab Episcopo London. O. persona de Lindrugge & Prior Wygorniæ concordati sunt sub tali formâ; quod Ecclesia de Lindrugge solveret nobis singulis annis c. solidos ad duos terminos, ad Festum S. Michaelis l. ad Festum S. Mariæ in Martio l. & ipse habebit omnes decimas de Mora & de Neweh. excepto fœno. Hinewich data est ad firmam hominibus *vil-*

læ

læ usque ad xv. annos pro iii. quarteriis frumenti per annum & xv. quarteriis avenæ, & unâ marcâ argenti, & unâ carratâ fæni, & unâ straminis. Willelmus Episcopus Lincoln. in Vigiliâ Ascensionis, Henricus Marescallus Episcopus Exon. in Octobri, Martinus Abbas Certesiensis, Abel Sacrista Wigorn. die S. Johannis ante Port. Lat. Rogerus Dod Decanus Wig. obierunt.

Anno MCCVII. Rex fecit tallagium per Angliam de tertiadecimâ; Episcopos nec Ecclesias Cathedrales nec eorum feoda taxavit. Defuncto A. personâ de Herforton, dedimus Ecclesiam M. Roberto de Clipston. Rex Johannes cùm circa Festum Nativitatis B. Mariæ venisset Wygorniam; & post solemnem processionem, cum qua susceptus fuit, ad tumbam B. Wlstani aliquamdiu orâsset; accessit ad eum Randulphus tunc ejusdem loci Prior, rogans quatenus ei libertatem in quatuor Maneriis donaret, Lindrugge, Wuleward, Stoke & Clivâ, cum pertinentiis suis. Quâ libertate donatâ & regali signo confirmatâ, centum etiam marcas, quas ei pro libertate illâ reddere tenebamur, ad claustrum & officinas nostras reficiendas condonavit. W. Archiepiscopus Rothomagensis, Symon Episcopus Cicestr. Senatus quondam Prior Wigorn. obierunt. Galfridus Archiepiscopus Ebor. quòd noluit dare Regi tertiamdecimam de Archiepiscopatu suo nec finem facere, sicut Cant. Ecclesiæ Suffraganei facerunt, dissaisitus est & in exilium pulsus. Hernorton quæ diu fuerat ad firmam pro xii. marcis, tradita est ad firmam hominibus ejusdem villæ pro xxiv. marcis, & xii. quarteriis avenæ ad xii. annos à Festo S. Lucæ. Bureston quæ fuerat ad firmam pro viii. marcis, tradita est ad firmam pro xii. Isto anno ix. Cal. April. incœpit Interdictum generale per Angliam, & Episcopi pro depressione Ecclesiæ secesserunt in Franciam.

Anno MCCVIII. Eustachius Elyensis, Maugerius Wigorn. W. London. Episcopi executores Interdicti, & Ægidius Hereford. transfretârunt in Gallias, gratis exilium subeuntes. Episcopus Dunelmensis Philippus, & G. Coventrensis obierunt. Galfridus de Mariscis cepit in Hiberniâ super Regem Angliæ nobilem civitatem Limeric & alia plura castella; quod Rex suspicatus fuisse per Willelmum de Breaus, mandavit eum ut ad Curiam veniret; qui venire renuit, & castella sua in Walliâ munivit. Unde Rex magnum exercitum congregans, super eum properavit. Sed Willelmus de Breaus redditis v. castellis & obsidibus & mille marcis, Regem fecit redire. Sed eodem anno cùm exercitus Regis iterum properaret super eum; relictis terris suis & castellis fugit in Hiberniam cum totâ familiâ suâ, nolens contra Dominum suum arma ferre.

Anno MCCIX. Regina Isabella nocte Epiphaniæ peperit Ricardum postea Regem Alemanniæ. Magna tribulatio fuit hoc anno & præterito super omnes Ecclesiasticas personas; quia à curâ Christianitatis omnes ferè Laici pedem retrahebant; sed victualium plena fuit abundantia. Stoka rediit in manus Camerarii. Cuidam propter immane & inauditum scelus quod perpetraverat injunctum est à M. Petro de Corboil Archiepiscopo Senonensi; ut omnibus diebus Veneris totâ vitâ suâ carnibus vesceretur, & aliis diebus abstineret. Hugo Archidiaconus Wellensis signifer Domini Regis xiii. Cal. Januarii consecratur in Episcopum Lincoln. Indultum est à Domino Papâ, ut singulæ Ecclesiæ Conventuales celebrarent semel in hebdomadâ. Randulphus Prior Wigorniæ conquisivit in Curiâ Domini Regis totam terram Hugonis de Guihteton; & factum est Chirographum inter eos in eâdem Curiâ. Henricus Archidiaconus Stafford. eligitur in Episcopum Exoniensem. Walterus de Grai Cancellarius Domini Regis eligitur in Episcopum Coventrensem. Episcopi executores causæ Cantuariensis ad mandatum Domini Regis venerunt in Angliam de pace tractaturi; sed infecto negotio redierunt.

Anno MCCX. In vigiliâ Circumcisionis Domini incœpit gelu tam forte, quòd Sabrina sicut & alia flumina congelatus fuit usque ad iv. milliaria ultra Glou-

Glouceſtriam: ita quòd hominibus & equis ſe præbebat tranſmeabilem, & duravit uſque ad noctem S. Valentini; & infra iv. dies tota glacies diſſoluta ſine damno diſparuit. Dominus Rex grave & inauditum tallagium fecit ſuper omnes Eccleſias Angliæ tam Parochiales quàm Conventuales, cujuſcunque religionis eſſent vel conditionis, ita quòd nec etiam leproſis parceretur. Unde & ab Eccleſiâ Wigornienſi ducentas marcas exegit, & unam caretam cum quatuor equis. Dedimus Eccleſiam de Lindrugge Radulpho fratri Prioris Randulphi. Recepimus in Aſcenſione Domini Eccleſiam de Verubure ad firmam totâ vitâ M. Radulphi de Stok pro xx. marcis annuis. Willelmus de Breaus evadit in Franciam; uxor ejus & hæres capti & incarcerati fame pereunt. Mauricius nepos Epiſcopi factus eſt Archidiaconus Glouceſtriæ.

Anno MCCXI. Rex exulavit Walterum de Laci; quia non dimiſit uxorem ſuam filiam Willelmi de Breaus. Rex talliavit in principio Quadrageſimæ omnes Clericos Angliæ. Wulvardelewe rediit in Annuntiatione in manus Prioris. Stephanus Archiepiſcopus Cant. caſſavit electiones Walteri de Grai Cancellarii & Archidiaconi Staffordenſis. Bradewas rediit in manus Prioris. Rex Johannes cum magno exercitu profectus ſuper Lewelinum Principem Norwalliæ, quatuor Caſtra in terrâ ejus firmavit. Sed Lewelinus ad pedes Regis veniens, cum eo ob gratiam filiæ Regis quam pridem in uxorem acceperat; remiſit etiam Domino Regi omnes terras ſuas, præter Snaudone & Angleſiam & aliam parvam terram ultra Snaudone ſupra mare; & obſides dedit de fidelitate. Dedit etiam decimam vaccarum & xl. dextrarios & xl. chaſcurs. Prior in Feſto S. Johannis Baptiſtæ recepit ad firmam Eccleſiam de Bergâ ſingulis annis pro xviii. marcis. Duo Clerici nuncii Domini Papæ venerunt in Angliam propter pacem Eccleſiæ; ſed infecto negotio redierunt. Randulphus Prior fecit novam aſſiſam in firmis; & adjecit redditui Infirmariæ lx. ſolidos annuos de terrâ Hugonis de Guihteton. Willelmus de Stok iii. Non. Aprilis Abbas Sireburn. Willelmus de Breaus in anguſto exul, obierunt.

Anno MCCXII. Facta eſt ſocialis conventio inter Eccleſiam Wygorn. & Eccleſiam de Stratflur. Lewelinus & alii Principes totius Walliæ aſcitis ſibi undecunque copiis militaribus caſtra de novo per Walliam conſtructa capiunt, comburunt & dejiciunt; & crebris irruptionibus Marchias noſtras inquietant. Londonia magnâ ex parte comburitur cum ponte & ultra & citra pontem; & multa millia hominum combuſta & aquis ſubmerſa perierunt. Infirmi per Angliam communicantur. Cùm Rex iret versùs Ceſtriam ſuper Walenſes, & perveniſſet uſque ad Notingeham; nunciatum eſt ei quòd Magnates Angliæ abſoluti à fidelitate ejus ipſum caperent. Unde revocato exercitu ipſe remanſit. Robertus autem filius Walteri fugit in Franciam, Euſtachius de Veſci in Scotiam; alii cum Rege pacificati remanſerunt. In Octobris initio conceſſam eſt O. Bolt molendinum de Neweh. per cartam Conventûs uſque x. annos pro lx. ſolidis. Quidam de Hiberniâ, cui trimo abſciſſa fuerat lingua, curatur ad tumbam S. Wlſtani. Propter quod miraculum idem ipſe Dominus cognomento Pippard ædificavit magnam Eccleſiam in Hiberniâ in honore B. Wlſtani Epiſcopi & Confeſſoris; & dedit Eccleſiæ Wigorn. prædictum locum cum xxx. carucatis terræ. Stephanus Cant. Archiepiſcopus & Coepiſcopi exules, Thomas de Erdinton & alii nuncii Regis vadunt Romam. Archiepiſcopus miſit Priori cauſam officialitatis. G. Archiepiſcopus Ebor. J. Archiepiſcopus Dublin. R. Epiſcopus Bangor. S. Abbas S. Edmundi, & in octavis S. Johannis Baptiſtæ Maugerius Epiſcopus Wigorn. obierunt.

Anno MCCXIII. H. Archidiaconus Stafford eligitur & conſecratur in Archiepiſcopum Dublin. Recepimus ad firmam de W. de Mauno tres partes prati de Doddeham uſque ad x. annos; ſed totum datum eſt præ manibus.

 De-

Defuncto W. de Weremorâ, rediit Cropthe cum Nederton in manus Prioris & Codeston in manus Camerarii. Radulfus Prior ii. die Decembris eligitur in Episcopum Wygorn. & electioni subscriptum est à toto Conventu. Sed postmodum suggestione Nicholai Tusculani Episcopi Legati Angliæ recessum est ab Electione illâ.

WALTERUS DE GRAY.

Anno MCCXIV. Interdictum solutum est iii. die Julii; quod duraverat per vi. annos & iii. menses. Walterus de Grai (*m*) Cancellarius Domini Regis in Episcopum Wygorn. eligitur xx. die Januarii, confirmatur v. die Februarii, consecratur v. die Octobris. Simon Apuleus, Decanus Ebor. eligitur & consecratur in Episcopum Exon. primo die Octobris. Randulphus Prior Wygorniæ per consilium Legati renuncians electioni de se factæ in Episcopum Wygorniensem, xxii. die Januarii eligitur, & benedicitur xxiii. die Februarii Eboraci à Legato in Abbatem Evesham. Abbas Selebi transfertur in Abbatem Ramesiæ. Hugo Prior Theokesbiriæ electus in Abbatem ejusdem Domûs, benedicitur in Ecclesiâ Wygorniæ ab Ægidio Episcopo Hereford. ad mandatum W. Wygorniensis * Clerici. Silvester factus est Prior [Wigorn.] xii. Cal. Februarii. Walterus Episcopus Wigorn. dedit nobis Ecclesiam de Clivâ in proprios usus. Episcopus Walterus recuperavit super Fiandum de Wileton, qui desponsaverat hæredem R. de Overci, Eston & Ablinton cum advocationibus Ecclesiarum & advocationem Ecclesiæ de Giate. Radulfo autem remansit manerium de Giate, & duæ hidæ & dim. in Ablinton. Willelmus Archidiaconus Huntindon. consecratur in Episcopum Coventrensem. Johannes de Grai Episcopus Norwicensis obiit.

* f. Episcopi.

Anno MCCXV. Dominus Silvester de Evesham Monachus Wigorn. factus est Prior ejusdem Ecclesiæ xii. Cal. Februarii. Willelmus Archidiaconus Huntindoniæ consecratur in Episcopum Coventrensem viii. Cal. Februarii. Walterus de Grai Episcopus Wigorn. dedit Priori & Conventui Ecclesiam de Clivâ juxta Evesham in proprios usus. Tradidimus ad firmam Clivam pro xl. marcis, Seggesburie pro xxviii. marcis, Stoke pro xxvi. libris, Dominicum Wulvarl. & Bureston pro viii. libris usque ad xii. annos. Martinus Abbas Blanch-Land. consecratur in Episcopum Bangorensem xvi. die Junii. Bernardus Monachus Teokesbiriæ eligitur in Abbatem ejusdem Domûs. Pandulfus Romanus genere, Subdiaconus Domini Papæ, eligitur præcepto Domini Papæ in Episcopum Norwicensem. Terminus firmæ de Mora & Neweh. prorogatur ad xvi. annos. Prior & Episcopus cum aliis Prælatis omnibus profecti sunt Romam ad generale Concilium. Walterus de Grai Episcopus Wigorn. transfertur in Archiepiscopum Ebor. apud Romam in Generali Concilio. Reginaldus filius Willelmi de Breaus desponsavit filiam Lewelini quondam Principis solius Norwalliæ, nunc Principis totius Walliæ. Hugo de Mortuo-Mari fecit fidelitatem de Wrbehall in Capitulo Wigorn. de xx. solidis annuis, quos antecessores sui Ecclesiæ prædictæ contulerant per manus quorundam percipiendos; quibus eo quòd redditum suum non redderent ejectis, precio ipse prædictam terram suscepit redditum redditurus. Generale Concilium celebratum est Romæ in Ecclesiâ Lateranensi sub Innocentio III. Papâ. Hic Innocentius sedit Papa Romæ annis xviii. & in vi. anno Papatûs

(*m*) Walterus Cancellarius Regis creatus est anno 1207. vel sequenti, si Chartis antiquis, 1209. si utrique Matthæo fides. Ad Episcopatum Wigorn. electo Rex Cancellariatum deponendi licentiam dedit, & à Curiæ nexibus absolvens electionem ratam habuit 1214. 26. Januarii. Consecratio apud Cantuariam celebrata est 1214. 5. Octobr. Ex Annalibus Teokesbir. & Suthwerc. & Rotulo 3. Cant. Professionum autogr. Ad Archiepiscopatum Ebor. translatus est 1215. à Canonicis Ebor. electus & à Papâ confirmatus, in Concilio Lateranensi mense Novembri, teste Matthæo Paris p. 271.

sui

ſui canonizavit beatiſſimum Wlſtanum Wygorn. Epiſcopum, & compoſuit orationem ipſius Sancti, quæ ſic incipit, *Spiritum nobis Domine tuæ caritatis.*

Anno MCCXVI. Silveſter Prior Wigorniæ rediit de Concilio Romano; iii. die Aprilis eligitur in (n) Epiſcopum Wigorn. in Capitulo Wigorn. & conſecratur iii. die Julii à Papâ Innocentio III. & intronizatus fuit die Nativitatis B. Mariæ. Petrus benedicitur in Abbatem Theokesbiriæ eâdem die. Cepimus ad firmam de Thomâ de la Mare vineam de Doddeham ad xx. annos. Henricus Decanus Hereford. eligitur in craſtino Purificationis, & conſecratur xv. Cal. Januarii à Silveſtro Epiſcopo Wigorn. præcipiente Legato in Epiſcopum Hereford. aſſiſtentibus Epiſcopis de Mide, de S. Aſaph, de S. David, & Landavenſi. Civitas Wigorniæ malo uſa conſilio, ſubdidit ſe Lodovico primogenito Regis Franciæ; & recepit nomine ejus W. filium W. Mareſcalli. Sed die S. Kenelmi ſupervenientibus Comite Ceſtriæ, Faukiſio & aliis regni fidelibus, licèt ſe cives ad ſtuporem obſidentium viriliter ſe defenderent; tandem per Caſtrum non uſquequaque fideliter obſervatum irrumpunt in urbem, & cives adhuc ad propugnacula ſe defendentes ex inſperato ceperunt; & per exquiſita tormenta quicquid habuerunt & amplius eis abſtulerunt. Milites etiam ad cuſtodiam civitatis relictos à juvene Mareſcallo fugâ ſibi conſulente ad præmunitionem patris ut dicebatur, ab Eccleſiâ Cathedrali, ad quam captâ civitate fugerunt, violenter abſtraxerunt; & Eccleſiam Cathedralem deprædaverunt; & ccc. marcas à Monachis exegerunt; ita quòd oportebat opus feretri S. Wlſtani fuſum in ſolutionem dictæ pecuniæ tradere; ſed & omne inſtaurum illorum abſtulerunt in capite & in membris. Sed & nos ad cumulum malorum tanquam excommunicati, eo quòd divina celebravimus inimicis Regis exiſtentibus in civitate, ſuſpenſi, vix die Aſſumptionis relevati fuimus. Johannes Rex Angliæ obiit apud Newewerke in craſtino S. Lucæ; & ſepultus eſt in Cathedrali Eccleſiâ Wygorn. coram magno Altari inter SS. Oſwaldum & Wlſtanum: ut verificetur illud quod dictum eſt in Merlino: *Et inter Sanctos collocabitur.* S. Camerarius Wigorn. factus eſt Prior ejuſdem loci in Octobri. Willelmus Supprior Wigorn. eligitur in Abbatem Alenceſtriæ; quo non conſentiente electioni, M. ejuſdem Eccleſiæ Monachus eligitur. Willelmus de Bradewe dimiſit Supprioratum ad preces Epiſcopi, ſc. ut adhæreret ei: ſed citò pòſt infirmatus, remanſit in Clauſtro.

SILVESTER DE EVESHAM

Anno MCCXVII. Epiſcopus grave fecit tallagium ſuper Clericos totius Epiſcopatûs. Caſtrum Wygorniæ nobis redditum eſt tanquam jus noſtrum uſque ad motam turris Vigiliâ Paſchatis per literas Regis ſub ſigillo W. Mareſcalli tutoris ejus; & Epiſcopus Silveſter excommunicavit omnes qui venirent contra. In craſtino S. Marci viſi ſunt inter cœnam duo Soles à Johanne de Glouceſtriâ Monacho & aliis Monachis. Quinto Cal. Maii in veſpere factus eſt Sol rubeus ſicut ſanguis, & ſic duravit per multos dies. Ricardus Epiſcopus Ciceſtriæ transfertur in Epiſcopum Saleſburiæ. Ricardus de Mariſco conſecratur in Dunelm. à Waltero de Grai Archiepiſcopo Ebor. apud S. Oſwaldum Glouceſtriæ. Terminus firmæ Halle & Ginel & Hinewik prorogatur per xii. annos. Magiſter Alexander Abbas Cireceſtriæ obiit apud Kemeſeye, & ſepelitur Wygorniæ.

Anno MCCXVIII. Eccleſia Cathedralis Wygornienſis dedicata eſt vii. Id. Junii in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ & B. Petri Apoſtoli & ſanctorum Confeſſorum Oſwaldi & Wlſtani, ſc. majus Altare in honore S. Mariæ & S.

(n) Tempora electionis, conſecrationis &c. Silveſtri ſingula in his Annalibus poſita confirmant Annales Theokesberienſes & Winchelcumbenſes. Ex his autem conſtat illum Peruſii conſecratum fuiſſe:- quod quidem notare volui, ne quæ de reditu ejus hic habentur, ſiniſtrè accepta lectori fraudem facerent.

Oſwaldi,

Oswaldi, & medium in honore S. Petri & S. Wlstani, à venerabili Episcopo Wygorniensi Silvestro, astantibus ei juvene Rege Henrico, & Petro Winton. Ricardo Salisbur. Hugone Hereford. Radulfo Cicestr. Londoniensi, Norwicensi, de Sancto David, de Landaf, de Sancto Asaph, & de Bangor Episcopis; & de S. Edmundo, de S. Albano, de Westmonasterio, de Radingâ, de Habindonia, de Ramesie, de Burgo, de Gloucestria, de Salopia, de Bristoll, de Cirecestria, de Evesham, de Theokesbiria, de Winchecumba, de Persora, de Bardeny, de Alecestriâ Abbatibus, & aliis Abbatibus & Prioribus multis de diversis Angliæ partibus: præsentibus etiam nobilibus viris de Estsex & de Hereford Comitibus, Waltero de Laci, Waltero de Clifford, Hugone de Mortuo-mari, Waltero de Bello campo, Willelmo Briwerre, Johanne Marescallo, Roberto Corbet, Johanne Extraneo Baronibus, & aliorum Nobilium multitudine infinitâ. Eâdem die post dedicationem translatum est corpus gloriosi Confessoris S. Wlstani in feretrum. Randulphus Prior & Monachus Norwicensis consecratur in Episcopum Cicestriæ viii. Idus Januarii. Episcopus Silvester institit ad deafforestationem Horewellæ & Ambresberiæ; & obtinuit pro viii. mensibus. Obtinuit etiam nundinas S. Wlstano iv. diebus ante Festum S. Barnabæ. Stephanus Archiepiscopus Cant. diu detentus Romæ, cum gratiâ Curiæ Romanæ revertitur Angliam. Abbas quondam Belli-loci datur Ecclesiæ de Carduil in Episcopum à Legato Gualâ iv. Nonas Augusti. Bonæ memoriæ Silvester Episcopus Wigorn. obiit apud Ramesiam xvii. Cal. Augusti; & sepultus est Wigorniæ xiii. Cal. Augusti. Guala Legatus non consentiens Conventui Wigorn. ut eligerent sibi Episcopum de Capitulo suo, post appellationes omissas & iteratas in Concilio Winton. dedit nobis Episcopum invitis & reclamantibus Willelmum Blensem (o) Archidiaconum de Bukingham; in quem postea consensimus per consilium & preces Domini Cantuariensis. Willelmus Archidiaconus Bukinghamiæ consecratur in Episcopum Wigorn. & intronizatur v. Kal. Novembris. Willelmus de Bradewe factus est Sacrista Wigorn. Magister W. Scottus factus est Archidiaconus Wigorn. in Decembri. Thomas de Erdinton sapientissimus & facundissimus obiit Wigorniæ xiii. Cal. April. cucullatus, & Adam Amisii, & Nicholaus de Powik Monachi, & Johannes de Bramcestre Archidiaconus Wigorniensis.

WILLELMUS DE BLEIS.

Anno MCCXIX. Hugo Foliot Archidiaconus Salopiensis in Junio eligitur, & in Octobri consecratur in Episcopum Herefordensem. Terra matris meæ traditur H. fratri meo liberè tenenda pro xx. solidis annuis; & Homagium ejus receptum fuit à Simone Priore, præsentibus W. de Bradewe Sacristâ, Rogero de Bathoniâ Celerario, Ernaldo de Beverburn Monachis, Radulfo de Kintheton milite, Gervasio de Walton, Johanne Senati Personâ de Bradewe, Ricardo de Grunel Janitore, Roberto de Walton Chamberlango, qui habuit cappam pro homagio, Johanne Paschali, & aliis. Willelmus Blesensensis Episcopus Wigorn. celebravit Synodum Wigorn. tertiâ die post Festum S. Matthæi; in quâ appellatum fuit ab Abbate Evesham, quia non potuit mitratus interesse, & primum locum post Episcopum obtinere. Prior Goldcliviæ consecratur in Episcopum Landavensem in Octobri. Dedimus Ecclesiam S. Andreæ Simoni de Walton. Ricardus Persona S. Martini factus est Decanus Wigorn. succedens Reginaldo Personæ S. Andreæ. Albreda de Bradewe,

(o) Consecratum apud Westmonasterium 1218. 7. Octobr. fuisse Radulphus Coggeshall & Florilegus in Chronicis suis produnt. Anno 1219. atque iterum 1229. coactâ Synodo Diocesanâ, Constitutiones quamplurimas sancivit egregias & satis prolixas; quæ apud me extant. Obiit apud Alwichekirke 1236. 17. Augusti, apud Wigorniam sepultus. Ex Annalibus Theokesbir.

dewe, Hugo de Mapenour Episcopus Herefordensis, Willelmus Marescallus custos Regis & Regni, Robertus de Mortuo Mari, Ricardus de Brechene Monachus Wigorniensis, obierunt.

Anno MCCXX. Episcopus Willelmus fecit hìc intus singularem examinationem de statu interiore & exteriore; nitens ut videbatur ad depositionem Simonis Prioris per suggestionem ut putabatur aliquorum; sed Priore appellante & saniore parte Conventûs nihil actum est. Abbas Fontanensis factus est Episcopus Hely, Pandulpho Legato & Domino Cantuariensi id agentibus auctoritate Domini Papæ, cassatis priùs Romæ Magistro de Eboraco & Willelmo de Burgo Archidiacono Norwicensi. Magnæ campanæ fusæ sunt sub W. de Bradewe Sacristâ & à Willelmo Episcopo consecratæ in honore S. Salvatoris & ejus Genitricis, & hauteclere in honore S. Johannis Evangelistæ cum pari suo. Hoc anno apposuit Deus glorificare Sanctum suum Wlstanum in miraculis pluribus, sed præcipuè die solemni Paschæ post *Agnus Dei* in curatione surdi & muti, qui simul & semel ab utroque curatus est incommodo; quod tanto jocundius, quanto inusitatius. Willelmus de Mandevil Comes Essexiæ dedit Sacristariæ Wigorn. redditum c. solidorum per Cartam suam. Ricardus de S. Martino junior Supprior, W. de Eport quondam Sacrista, Johannes Poher, Radulfus de Cinhteton Februario, Robertus de Lech Persona de Stoke, obierunt. Ecclesia Novi loci à Petro Episcopo Winton. fundata ab eodem dedicata est v. Cal. Octobris.

Anno MCCXXI. Willelmus de S. Mariæ Ecclesiâ Episcopus London. cessit Episcopatui; cui successit Eustachius de Faukebrigâ. Justiciarii itineraverunt in hoc Comitatu in crastino Trinitatis, sc. Martinus de Pateshull & socii ejus. Ubi diratiocinavimus ad vocationem de Duderhulle contra Willelmum de Stutevillâ & Margaretam de Say uxorem ejus. Ecclesia de Duderhulle dedicatur; & ibidem benedicitur v. Idus Julii Thomas Prior de Winchecumbâ in Abbatem ejus Domûs; unde portavimus capam ejus & vestimentum; & prædictus Abbas respexit Capitulum Wigorn. pro professione suâ Ecclesiæ factâ de pitanciâ satis abunde. Pandulfus deponit insignia Legationis. Walterus Prior Leministriæ factus est Abbas Salopesbiriæ. Per S. Wlstanum suscitatus fuit puer de Pecton defunctus; & pugil nomine Thomas de Eldesfed exoculatus & ementulatus in duello in prato de Kingesham juxta Prioratum Wigorn. oculos recepit & virilia miraculosè per merita gloriosi Pontificis Wlstani; & postea suscepit habitum in Hospitali prædicti Sancti & honorificè ibi diu vixit. Unde versus de eo. *Sexu privatus fit vir; videt exoculatus.* Veniunt literæ Domini Papæ; quibus indultum fuit Priori & successoribus suis, ne amoveri [possint] nisi causâ cognitâ per Judices à Papâ delegatos, & sepulchrum confirmatum. Sed appellante Episcopo & literas accusante, coactus est Prior Romam ire; & profectus est die Veneris post Festum Omnium Sanctorum, & transfretavit die S. Clementis, portans secum literas Conventûs de mutuandis cccc. marcis, & xl. marcas ad expensas. Magister W. de Lichfeld remansit in servitio Conventûs pro v. marcis annuis; & profectus est cum Priore. Episcopus Willelmus contulit personatum Ecclesiæ de Duderhulle cuidam nepoti suo auctoritate Concilii; cùm Prior priùs appellâsset. W. de Bradewe deponitur de Sacristâ; & Osbertus substituitur. Eâdem die excommunicantur tres Monachi ab Episcopo; sed ad mandatum Archiepiscopi absolvuntur. Postea contradictum fuit Episcopo volenti ingredi in Capitulum cum Clericis; & appellatum est ad Archiepiscopum. Magister Abbas Robertus Winchecumbiæ obiit. Willelmus Episcopus London. renuntiavit Episcopatui. Subrogatus est ei Eustachius, & consecratus est à Roffensi Episcopo. Petrus Episcopus Winton. profectus est ad S. Jacobum. Quidam Presbyter crucifigi se fecit à duabus mulieribus.

Anno

Anno MCCXXII. Prior noster Symon suspenditur ab officio à Papâ propter quasdam falsas literas ad opus ejus & Conventûs impetratas per quendam Cursorem. Episcopus etiam Româ reversus, eundem deposuit; & Willelmum Normannum substituit, majore parte Conventûs appellante. Idem etiam Episcopus miro modo Conventum afflixit, suspendens, excommunicans, injurias & damna plurima inferens; donec Archiepiscopus Prioratum sequestravit. Symon Prior suspensus rediens absolvitur; & quia ab iniquo judicio Episcopi appellavit, reexcommunicatur, & Romam revertitur; contra quem Episcopus misit Michaelem Archidiaconum Gloucestriæ. Adeò magna tempestas ventorum, imbrium & tonitruorum orta est circa Festum S. Andreæ; ut extra stragem modicarum domorum, magnæ arbores gardinorum & sylvarum evellerentur; & duæ minores turres Wygorniæ corruerunt. Hylarius & Osbertus Sacrista obierunt. Obiit Ranulphus Episcopus Cicestriæ.

Anno MCCXXIII. magna controversia inter Conventum Wygorn. actorem & Episcopum super injuriis: item inter Willelmum Normannum & Conventum. Electi sunt nepos Willelmi Briwerre Willelmus in Episcopum Exon. Walterus Malus-Clericus in Episcopum de Carduil. Abbatia de Persorâ cum maximâ parte villæ xiii. Cal. Junii conflagravit. Symon Apuleus Episcopus Exon. & Willelmus de Cornhull Episcopus Coventr. & Symon Prior hujus loci, obierunt. Obiit etiam Symon Episcopus London.

Anno MCCXXIV. incœptum est novum opus frontis Wigorn. Ecclesiæ, Episcopo Willelmo jaciente fundamentum. Willelmus nepos Willelmi Briwer ii. Cal. Maii consecratur in Episcopum Exon. Faukisius alienigena & ignobilis, qui sanctam Wigorn. Ecclesiam olim sacrilegâ invasione deprædaverat, in multis confidens opibus, quas turbato Angliæ regno nequam prædo congesserat, castrum de Bedeford munitissimum, in quo Henricum de Breibrok unum Justiciariorum Regis captum incluserat, contra Regem detinere præsumpsit. Quod Rex cum machinis bellicis & grandi post Pentecosten exercitu obsessum post viii. septimanas expugnavit & solo tenus diruit. Fratrem etiam ejusdem Faukisii & alios ferè centum, qui se Regi dederant, suspendit; & Faukisium exulavit. Henricus Abbas Gloucestriæ x. Cal. Septembris obiit. Thomas de Bredon Prior Gloucestriæ benedicitur die S. Mauri apud Wigorniam in Abbatem ejusdem Ecclesiæ. Sacrista noster habuit capam ejus cum vestimento de Samere; & respexit Conventum Wigorn. de pitanciâ satis curialiter. Cumanus de Cremâ suscepit à Priore & Conventu Wigorn. literas procurationis ad impetrandum & contradicendum; & cartam de dimidiâ marcâ annuatim percipiendâ, donec dederimus ei Beneficium ad valentiam x. marcarum, & unam marcam singulis annis quibus steterit pro nobis in Curiâ Romanâ pro expensis: & profectus est die S. Laurentii de Oxoniâ. Advocatio Capellæ de Berge adjudicata est Conventui Wigorn. apud London. contra Dominum de Berge; & consolidata est matrici suæ de Liverburi, & data est Domino Martino de Pateshull. In crastino S. Leodegarii convenientibus in Capitulo Wigorniensi Domino Stephano Cant. Archiepiscopo, & Dominis Jocelino de Bathon. & Henrico Lincoln. Episcopis, & R. de Evesham & Symone de Radingâ Abbatibus, & M. Stephano de Ckenton Cancellario Domini Cant. & aliis multis, pro reformandâ pace inter Dominum Willelmum Wigorn. Episcopum & Conventum ejusdem Ecclesiæ, item inter Willelmum quondam Priorem Malverniæ & Conventum prædictum; tandem compromissione factâ à partibus in prænominatis personis sex sub juramento standi eorum provisioni super omnibus quæstionibus motis, pax reformata est mediante pacis osculo secundùm tenorem autentici dictorum Provisorum. In crastino S. Edmundi præfecit nobis Episcopus in Priorem secundùm formam provisionis venerabilem virum M. Willelmum de Bedeforde Priorem de Tinemuthâ.

Anno

Anno MCCXXV. Confraternitas hujus Ecclesiæ incœpit in Januario die S. Wlstani, duratura per septennium. Humbreton, Fepsinton, Tibreton, Hernorton & Lippard & omnes aliæ novæ Forestæ per Angliam sunt deforestatæ. Galfridus de Burgo consecratur in Episcopum Hely, & Abraham in Episcopum S. Asaph. Facta est concordia personalis inter Willelmum Priorem Wigorn. & Walterum Rectorem Ecclesiæ de Bredon super decimis agrorum & vellerum & omnibus aliis minutis decimis Curiæ de Codeston pro viii. solidis annuis, salvo jure utriusque. Prior ædificavit in Augusto novam domum suam cum appendiciis; & consummavit in Decembri. Dedimus Ecclesiam de Tiberton Roberto Capellano Decano Wigorn. & Ecclesiam S. Martini Cumano Lumbardo Procuratori nostro. Nobile Torneamentum factum fuit apud Wigorniam; sed Episcopus excommunicavit omnes torneatores. Willelmus Briwerre dedit nobis calicem aureum ad pondus iv. marcarum, nisi propter combustionem vel famem vel necessariam redemptionem non amovendum. Episcopus de Hely quondam Abbas Fontanensis, Johanna de Mortuo-Mari uxor Willelmi de Bello-campo, Johannes de Newenton Monachus Wigorn. Ricardus Decanus Wigorn. obierunt.

Anno MCCXXVI. mortuo Reginaldo de Scortegrave firmario revertitur Stoka in manus Camerarii in Martio. Prior Leministriæ benedicitur in Abbatem Radingæ. M. Willelmus Scotus Archidiaconus Wigorn. eligitur in Episcopum Dunelm. sed Rex non consensit. Dedimus Ecclesiam de Seggeburg Heliæ de Bradewe. Suscepto Petro de Eport inter Fratres Minores, dedimus Ecclesiam de Stoke Anketillo de Parco. Justiciarii itinerantes venerunt Wigorniam die Veneris ante Festum S. Nicholai. Thomas nepos Huberti de Burgo consecratur in Episcopum Norwic. Dominicâ proximâ ante Natale Domini. Willelmus Blesensis Episcopus Wigorn. reddidit nobis situm sartrini nostri ad Occidentem Ecclesiæ. Symon Abbas Radingæ, Willelmus Comes Saresburiæ, Ricardus de Marisco Episcopus Dunelm. Bartholomæus Monachus Wigorn. Teobaldus Persona de Seggebury, Pandulphus Episcopus Norwic. obierunt.

Anno MCCXXVII. M. Henricus de Saltford Archidiaconus Cant. die S. Marci consecratur in Episcopum Roffensem. Homines de Scepewe finito termino firmæ suæ in Annuntiatione B. Mariæ, protogârunt firmam suam usque ad viii. annos per incrementum xx. solidorum & medietatis proventuum. Radulfus de Wylenton consummavit Capellam B. Mariæ in Abbatiâ S. Petri Gloucestriæ; & dedit reditum ad sustentationem duorum sacerdotum ibidem in perpetuum divina celebrantium. Willelmus de Maundevil Comes Essexiæ obiit in Januario; qui dederat in dotalitium Ecclesiæ Wigorn. redditum c. solidorum. Willelmus Archiepiscopus Ebor. & ‖ Willelmus Episcopus Carduliensis profecti sunt in Britanniam minorem pro filiâ Comitis ducendâ Regi in uxorem. Item alii missi sunt in Austriam; ut peterent filiam Ducis in uxorem. Item missi sunt alii ad Regem Galætiæ pro assumendâ filiâ ejus Regi in uxorem. Sed omnes infecto negotio redierunt. Hugo de Mortuo-Mari obiit.

‖ l. Walterus.

Anno MCCXXVIII. Ricardus Episcopus Sarum transfertur in Episcopum Dunelm. Stephanus Cant. Archiepiscopus, Henricus Dublinensis, Eustachius London. Thomas Elyensis, Thomas Abbas Gloucestriæ, obierunt.

Anno MCCXXIX. M. Ricardus Magnus consecratur in Archiepiscopum Cant. Radulfus Abbas Evesham, Radulfus de Pateshull, obierunt.

Anno MCCXXX. Lewelinus vocato Willelmo de Breusâ ad Festum Paschale in dolo, suspicans eum adulteratum fuisse cum uxore suâ, membris succisis fecit eum suspendi in patibulo innocentem, ut dicebatur, & inculpabilem; & castrum suum munitissimum de Roeld solo tenus diruit. Radulphus de Mortuo-Mari duxit in uxorem filiam Lewelini conjugem quondam Reg-

Regnerii de Breusâ. Quidam liberæ conditionis de manerio de Kyderm. recuperavit communem pasturam apud Witfeld pertinentem ad manerium de Wlvard. coram Justiciariis itinerantibus apud Wigorniam in crastino Trinitatis. Thomas Prior Eveshamiæ benedicitur in Abbatem ejusdem domûs ab Episcopo Coventrensi. E. Thesaurarius Hereford. consecratur in Episcopum Landavensem. Henricus de Bamton Celerarius Cunicestriæ benedicitur apud Wigorniam in Abbatem ejusdem domûs die Natalis Domini. Prior dedit Domino Regi in subsidium guerræ suæ xxiv. marcas. Solvimus itidem Domino Papæ pro decimâ nostrâ xx. libras. Gilbertus de Clare Comes Gloucestriæ, Gilbertus de Lacy, Mauricius de Gaunt, Reimundus de Burgo, Walterus Abbas Cunicestriæ, Margerie de Say, & alii nobiles, obierunt.

Anno MCCXXXI. Anselmus nepos Marescalli consecratur apud Cantuariam in Episcopum Menevensem. Ecclesia de Novoburgo assignatur ad inveniendum vinum Conventui Gloucestriæ. Conflagratis Brewen & Radenoura cum Ecclesiis, & factâ magnâ strage laicorum & Clericorum à Walensibus, sc. à Lewelino & complicibus suis; & ob hoc communi consilio Episcoporum Angliæ & Officialium Domini Cantuariensis excommunicatis, & terris eorum ecclesiastico interdicto suppositis, Rex firmavit castrum Matildis; quod mutato nomine vocatur Maugre Lewelin. Dicta verò sententia confirmata à Domino Papâ, denuntiabatur per totam Angliam singulis Dominis & Festis. Tradidimus Herferton ad firmam hominibus ejusdem villæ usque ad x. annos, Fepsinton hominibus villæ usque ad viii. annos, & dominicum de Pensex Edwino rotario tantùm in vitâ suâ pro tertiâ garbâ. Inveniemus autem ei singulis annis xviii. homines ad metendum, &c. Defuncto Ricardo Cant. Archiepiscopo prope Reatum, R. de Nevill Episcopus Cicestr. Cancellarius postulatur in Archiepiscopum.

Anno MCCXXXII. reprobatâ postulatione Cancellarii in Archiepiscopum, Conventus Cant. elegerunt Priorem suum in Martio; & profectus Romam, ad voluntatem & instantiam Domini Papæ cessit dictæ Electioni. Postea obtentâ liberâ electione, elegerunt Magistrum J. Blundum Theologum; & profectus est Romam. Firma de Alveston rediit in manus nostras, &c. Die S. Vitalis facta fuit Confœderatio inter Abbatem & Conventum Westmonasterii & nos; secundùm quod continetur in Cartis hinc inde confectis. Emimus molendinum de Doddeham cum homagio & servitio cujusdam hominis. Item emimus terram Willelmi de Mannis apud Doddeham. Henricus Rex confirmavit nobis situm Castri. Item dedit nobis advocationem Ecclesiæ de Bremesgrave. Justiciarii itinerantes sederunt apud Coventriam circa Festum S. Johannis. Justiciarii itinerantes de Forestâ sederunt apud Wigorniam in crastino Translationis S. Thomæ. Rex tenuit Natale apud Wigorniam. Mortuo Petro Teokesbiriæ Abbate, successit ei R. Prior ejusdem Ecclesiæ; & benedicitur Wigorniæ à Willelmo de Bleys Episcopo die Pentecostes. Sacrista noster habuit capam ejus de Baudek cum vestimento parvi pretii; & misit Conventui xl. solidos pro procuratione suâ. Translato Abbate de Hales ad Abbatiam de Wolbek, successit ei R. Canonicus ejusdem Ecclesiæ; & benedicitur in Abbatem apud Wigorniam. Fecit redemptionem pro vestimentis suis; & respexit Conventum Wigorn. pro pitantiâ xx. solidis. Mortuo Thomâ Abbate Winchelcumbæ, successit ei Henricus ejusdem Ecclesiæ Sacrista, & benedicitur Wigorniæ Dominicâ Lætare Jerusalem. Sacrista habuit capam ejus de Pal cum vestimento; & misit Conventui pro procuratione suâ xl. solidos. Mortuo M. Abbate Alincestriæ, successit ei B. ejusdem Ecclesiæ Celerarius, & benedicitur Wigorniæ die S. Oswaldi Archiepiscopi. Sacrista habuit capam ejus cum vestimento parvi pretii; misit Conventui per Celerarium suum pro procuratione suâ dimidiam Marcam.

Anno

Anno MCCXXXIII. Dominicâ Quinquagesimæ Dominus Episcopus sopitâ controversiâ inter ipsum & Priorem Majoris Malverniæ super subjectione & visitatione, admissus fuit solemniter cum processione apud Malverniam, & procuratur. In crastino intravit Capitulum, & prædicavit causâ visitationis. Willelmus de Mapenoste petens jus in terrâ Willelmi de Manus, quietum nobis clamavit totum jus quod se habere dicebat. Dominus de Doddeham confirmavit nobis quicquid habemus in Doddeham. xvi. Cal. Junii Episcopus celebravit Synodum. Mortuo Willelmo Normanno, manerium de Clivâ rediit in usus nostros ad Festum S. Johannis; & traditur ad firmam hominibus illius villæ, excepto molendino, à Festo S. Johannis in v. annos. Cassatâ Romæ electione M. Johannis Blundi, Conventus Cant. elegit M. Eadmundum de Abendon. Mortuo Ricardo Abbate S. Edmundi, successit ei ejusdem loci Prior.

Anno MCCXXXIV. Dominicâ Quadragesimæ Dominus Episcopus procuratus fuit causâ visitationis apud Majorem Malverniam. Dominicâ *Lætare* M. Eadmundus de Abendoniâ consecratus fuit in Archiepiscopum Cant. & insignitus pallio apud Cantuariam. Mortuo Gilberto Abbate de Persorâ, successit ei Rogerus ejusdem Ecclesiæ Monachus; & benedicitur in Abbatem apud Wigorniam. Sacrista habuit capam & albam. Satisfecit Conventui in procuratione pro xl. solidis. Rex procurante Archiepiscopo recepit ad pacem suam Henricum de Burgo, & fratres Marescalli, & Gilbertum Basset, & Ricardum Sward; & die Pentecostes cinxit Gilbertum Marescallum cingulo militari, & Comitem de Penbroc apud Wigorniam. Mora rediit in manus nostras. Cedente D. Abbate de Bristoll, Willelmus ejusdem Ecclesiæ Prior successit; & benedicitur in Abbatem apud Wigorniam. Satisfecit Sacristæ de albâ & capâ, & Conventui de procuratione, sc. xl. solidis. Emimus residuum terræ Aluredi de Penhull. De consensu Domini Episcopi & nostro & M. Michaelis salvo jure suo facta fuit provisio per M. Michaelem Grimel & Willelmum de Tinton Rectorem Ecclesiæ de Kemeseye super Ecclesiâ S. Helenæ; videlicet quòd cassatâ pensione vii. marcarum quam percipere consuevimus, tota jurisdictio dictæ Ecclesiæ & Capellæ de Eleines, sc. citra Sabrinam, residebit in perpetuum penès Episcopum; & tota jurisdictio Capellæ de Wik & de Wichenforde cum pertinentiis residebit in perpetuum penès Conventum in proprios usus, salvis honestis Vicariis. Henricus Foliot Herefordensis Episcopus obiit.

Anno MCCXXXV. Willelmus de Cirenceltriâ factus est Monachus in Vigiliâ S. Dunstani. Cœpimus molendinum de Sepeston ad firmam, &c. Episcopus de consensu Capituli contulit Sacristariæ Ecclesiam de Fubbury salvâ Vicariâ, & de eâdem per Sacristam Conventui die anniversario unam marcam. Factâ provisione super Ecclesiâ S. Helenæ, remansit in usus nostros portio in Occidentali parte Sabrinæ, & jus præsentandi Vicarios ad Capellas de Wik & de Wichenforde, & Episcopo portio apud Eleines facto ibi Vicario, salvâ decimâ de dominico Albarum Sororum & jus instituendi Vicarium apud S. Helenam, excepto redditu Civitatis quem assignavit Capitulo apud Carnar. cassatis viii. marcis quas percipere consuevimus. Justiciarii itinerantes de omnibus placitis sederunt apud Wigorniam circa Festum S. Kenelmi. Mortuo Philippo de Muttun, uxor ejus fecit finem Priori pro hærede, sc. pro relevio, gardâ & maritagio, pro x. marcis. Dedimus Regi xxx. marcas. Henricus de Sanford Episcopus Roucestriæ, Abbas S. Albani, M. Michael Rector S. Helenæ obierunt.

Anno MCCXXXVI. mortuo Willelmo de Furnellis, optentâ gratiâ Domini Regis super advocatione Ecclesiæ de Bremesgrave Willelmus de Bleys Episcopus contulit nobis Ecclesiam illam in proprios usus, salvâ Sacristariæ Capellâ de Grafton; & ordinatâ Vicariâ admisit Vicarium ad præsentatio-

 nem

nem nostram. Confirmavimus Canonicis de Keynesham c. solidos de Ecclesiâ S. Wereburgæ Bristoll. Confirmavimus Monialibus de Uske Capellam. Confirmavimus Monachis de Malverniâ Majori decimas de dominico suo apud Malverniam & apud Powik. Walterus de Bello-campo obiit die S. Guthlaci. Mortuo Willelmo de Bleys Episcopo xv. Cal. Septembr. impetratâ licentiâ à Domino Rege, elegimus nobis in Episcopum M. (*p*) Walterum de Cantilupo iii. Cal. Septembr. Confirmatur xii. Cal. Octobris. Thomas de Blunwillâ Episcopus Norwicensis obiit. Mortuo Thomâ Abbate Eveshamiæ, successit ei Ricardus Prior de Hurlege. Contulimus Ecclesiam S. Andreæ Ricardo de Coventry Clerico Electi. Willelmus de Bello-campo fecit homagium Episcopo; & tenebatur ei pro relevio in lxxv. libris, quas legavit fabricæ Ecclesiæ. Legavit insuper cc. libras.

WALTERUS DE CANTILUPO.

Anno MCCXXXVII. confirmavimus Abbati & Conventui Radingæ Ecclesiam de Ruginton. Emimus molendinum de Sepweston, &c. Walterus de Cantilupo Wigorn. Electus ordinatur à Domino Papâ in Diaconum Viterbii ii. Non. April. & in Presbyterum xiv. Cal. Maii; & consecratur ab eodem v. Non. Maii; & præsentibus Rege & Reginâ Angliæ, & Reginâ Scotiæ, & Legato, & Domino Cantuariensi, & cæteris Regni Magnatibus, intronizatur iii. Id. Octobris. Contulimus Matthæo de Cantilupo Ecclesiam de Croppethorn, & Magistro G. de Persorâ Ecclesiam de Herferton, & M. Thomæ de Johannestoun Ecclesiam de Stok. Legatus celebravit Concilium in Octavis S. Martini; in quo privavit Beneficiis Ecclesiasticis eos qui successerunt patribus immediatè. Esus carnium interdictus est Monachis, salvâ constitutione Regulæ. Episcopus visitavit Majorem Malverniam & cæteras domos religiosas Episcopatûs; & correxit corrigenda. Concessimus M. Hamelino singulis annis xii. marcas; donec provisum ei fuerit in beneficio ecclesiastico. Ricardus Episcopus Dunelm. & Ricardus Comes Cestriæ, & Robertus de Bathoniâ obierunt.

Anno MCCXXXVIII. ex mandato Domini Papæ unanimi consensu Domini Walteri de Cantilupo Episcopi Wigorn. & Domini Alexandri Coventr. & Lichfeld. Episcopi facta fuit limitatio inter Episcopatus Wigorniensem & Coventrensem; ita quòd tota villa de Duddel. cum Ecclesiis & earum pertinentiis lege Diocesanâ pertinebit ad Episcopum Wigorn. Situs verò Castri ejusdem villæ & cella Monachorum cum pertinentiis suis in Comitatu Stafford. pertinebit ad Episcopum Coventrensem. Emimus pratum de Hampton, &c. Dominus Legatus legitimavit Clericos illegitimos. Conventus Rovecestriæ obtinuit nomine possessionis in causâ Electionis contra Dominum Cantuariensem. Walterus de Cantilupo Episcopus movit placitum contra Petrum de Salso Marisco de villâ de Upton, &c. Et Dominus Episcopus iterum visitavit Majorem Malverniam, & correxit corrigenda. Petrus Winton. & Alexander Coventr. Episcopi obierunt.

Anno MCCXXXIX. dedimus Ecclesiam S. Clementis Magistro R. de Coderuge. Willelmus de Ralege consecratur in Episcopum Norwicensem. M. Matthæo de Grimelewe privato Beneficio auctoritate Concilii contuli-

(*p*) *Confirmatus est* 1236. 8. *Cal. Nov. benedicitur die S. Andreæ, intronizatur in Octavis Andreæ, Romam transfretavit circa Purificationem B. Mariæ.* Sic Annales Theokesberienses, qui in reliquis, viz. diebus consecrationis & solennis intronizationis, cum Wigorniensibus consentiunt. Quantâ fortitudine ac constantiâ Pontificum Romanorum Legatis ab Anglicano Clero pecuniam emungentibus, Othoni anno 1237. exeunte, & Rustando anno 1255. obstiterit; Matthæus Paris ubertim refert p. 448, & 915. Constitutiones 30. in Synodo Diocesanâ anno 1240. promulgavit; quæ in Tomo 2. Concil. Angl. reperiuntur p. 240. Correctiones & interpretationes earundem postea ab eodem factæ penes me servantur ineditæ.

mus

mus Capellas de Grimelewe & de Hanawe, R. tunc Decano Wigorn. Episcopus dedicavit Conventuales Ecclesias de Majori Malverniâ, de Winchecumbâ, de Alenceſtriâ, de Teokesberiâ, de Gloverniâ, & de Persorâ. Emimus molendinum de Alveſton, &c. Dominus Episcopus visitavit Conventum Glouceſtriæ; & motâ quæſtione super visitatione singulari, recognitum fuit à Conventu in Capitulo coram sæcularibus, quòd ex officio suo singularem potuit facere inquisitionem. Motâ quæſtione versùs Dominum Petrum de Salso Marisco super manerio de Upton, Dominus Episcopus obtinuit coram Juſticiariis de Banco compositione amicabili annuum redditum c. solidorum & advocationem Ecclesiæ, & quoddam pratum & duas mansuras apud Upton, & servitium dimidii militis, de residuo incremento de Upton remanente Domino Petro. Radulphus de Maydeneſton Episcopus Hereford. tranſtulit se ad Ordinem Fratrum Minorum. Dominus W. de Cantilupo pater Domini Episcopi obiit.

Anno MCCXL. Dominus Episcopus obtinuit nundinas à Domino Rege apud Blockel per v. dies, & apud Stratford per iv. & apud Alvichurch per iii. & mercatum apud Alvichurch feriâ iv. Juſticiarii de Foreſtâ sederunt apud Wigorniam per xv. poſteriores dies Februarii. Cepimus Horsleye ad firmam, &c. Dedimus Ecclesiam S. Andreæ Sampsoni, & Ecclesiam S. Swithuni Johanni Capellano. Episcopus celebravit Synodum die S. Annæ. Dedimus Ecclesiam de Yccumbe W. de Scordiche. Episcopus contulit Eleemosynariæ Wigorn. de eâdem Ecclesiâ annuum reditum trium marcarum: sicut Carta ipsius teſtatur. Confirmavit etiam decimas & pensiones noſtras, & decimas Sacriſtariæ. Dedimus Papæ cxl. marcas. Henricus de Pateshull consecratur in Episcopum Coventrensem. Tam Conventuales quàm Parochiales Ecclesiæ dederunt subsidium Papæ. Dominus Wigorniensis consecravit Episcopum Herefordensem. Edmundus Cant. Arthiepiscopus & de Landaf Episcopus, & Warennæ & Lincolniæ Comites obierunt.

Anno MCCXLI. pacificati sunt Episcopus & R. de Gurnay; ita quòd molendinum de Redwik remaneret Episcopo, & præterea annuus redditus x. librarum. Legatus & Wigorniensis Episcopus ac alii vocati ad Concilium Romanum transfretârunt. M. Nicolaus de Farneham consecratur in Episcopum Dunelmensem. Juſticiarii itinerantes sederunt apud Wigorniam poſt octavas Paschæ. Fecimus pacem cum personâ & liberis de Neweh. &c. G. Comes Mareſcallus, Soror Arthuris Comitissa Hereford. G. Basset, J. Biset, obierunt.

Anno MCCXLII. Comes Ricardus & Dominus Episcopus applicuerunt in Angliam. Dedimus Domino Regi in subsidium transfretationis in Gasconiam xx. libras argenti. Episcopus visitavit Conventum Glouceſtriæ; & factâ singulari examinatione, correxit corrigenda: unde Prior & quidam alii amoti fuêre. Visitavit etiam Conventum S. Auguſtini Briſtoll; & Willelmo Abbate cedente successit Camerarius de Keynesham, benedictus apud Wigorniam: Satisfecit Conventui de procuratione & Sacriſtæ de capâ cum veſtimento. Visitavit & alias domos religiosas. Mortuo Hugone de Clivâ recepimus herietum ejus, &c. Episcopus celebravit Ordines apud S. Oswaldum Glouceſtriæ. Contulimus Michaeli Ecclesiam de Croppethorn, & D. Vicariam ejusdem, & R. de Coderugge Capellas de Grimelewe & de Hallawe, & A. Ecclesiam S. Clementis. Mortuo Thomâ Priore Malverniæ Majoris, Episcopus vacante Prioratu habuit inde cuſtodiam; & factâ examinatione super electione J. succedentis coram Abbate & Conventu Winchecumbæ confirmavit eum; & per Officialem Episcopi inſtallatur, factâ Episcopo canonicâ obedientiâ, Abbate Weſtmonaſterii se opponente. Mortuo Willelmo Priore successit R. Sacriſtarius in Vigiliâ S. Edmundi. Johannes Episcopus Bathon. & Thomas Comes Warewik obierunt.

Anno MCCXLIII. Emimus terram Willelmi de Bodeham apud Wlvardel, &c. Dedimus R. Vicarium de Clivâ, & P. Capellano Capellam S. Clementis. Mortuo W. Archidiacono Wigorn. ſucceſſit Vincentius, inſtallatus per Subpriorem vice Prioris. Mortuo H. Abbate Glouceſtriæ ſucceſſit W. Prior ejuſdem loci; qui die quo inſtallari debuit, morte præventus deceſſit. Cui ſucceſſit Johannes Præcentor ejuſdem loci. Sacriſta percepit albam & capam tam pro W. non inſtallato quàm pro Johanne inſtallato. Satisfactum fuit Conventui de procurationibus. Willelmus de Ralege Epiſcopus Norwic. transfertur per Dominum Papam in Epiſcopum Wintonienſem. Bonifacius avunculus Reginæ confirmatur in Archiepiſcopum Cant. Prior dedit Regi unam cuppam, & Reginæ alteram. Thomas Monachus Eveſhamiæ eligitur in Abbatem ejuſdem domûs.

Anno MCCXLIV. Emimus terram Symonis de Solers apud Doddeham, &c. Confirmavimus compoſitionem inter Epiſcopum & J. Poer ſuper eſcambio terrarum apud Fladebur & Wichenef. Dedimus W. Capellano Vicariam de Wichenef. Dominus Papa dedit M. Rogerum de Sarum in Epiſcopum Bathon. propter diſſenſionem inter Capitula Bathonienſe & Wellenſe. M. Walterus eligitur in Epiſcopum Northwicenſem. Fulco Baſſet conſecratur in Epiſcopum London. Thomas Monachus Eveſhamiæ benedicitur in Abbatem ejuſdem loci. Electus Cant. ordinatur in Presbyterum ab Epiſcopo. Cantuarienſis Electus dedit M. Ricardo de Wichio authoritate Concilii Epiſcopatum Ciceſtriæ, Rege contra appellante. Radulphus de Nevil Cancellarius Epiſcopus Ciceſtriæ obiit.

Anno MCCXLV. Bonifacius avunculus Reginæ conſecratur à Domino Papâ in Archiepiſcopum Cant. Dominicâ poſt Epiphaniam. M. Ricardus de Wichio, cui Dominus Papa contulerat Epiſcopatum Ciceſtriæ Rege reclamante, caſſatâ viciosâ electione Roberti Paſſelewe, conſecratur à Domino Papâ Dominicâ poſt cineres. Dominus Rex petiit auxilium à domibus religioſis per Angliam ad maritandam filiam ſuam primogenitam; cui dedimus c. ſolidos & cuppam argenteam. In craſtino S. Auguſtini Cant. M. Archidiaconus Glouceſtriæ ſententialiter, culpis ſuis exigentibus, auctoritate Domini Epiſcopi privatus eſt omni officio & beneficio. Archidiaconatus collatus eſt ab Epiſcopo Magiſtro W. Lupo, & Eccleſia de Stratford Magiſtro N. de Widebroc. Dominus Epiſcopus iturus ad Concilium transfretavit in Vigiliâ Aſcenſionis. Dominus Papa conſecravit & dedit M. Rogerum Decanum Lincolniæ in Epiſcopum Coventrenſem. Walterus Mareſcallus Comes de Penbroc obiit, & Anſel frater ejus, antequam in ſaiſina eſſet dicti honoris ante Natale. Aernalius Camerarius obiit.

Anno MCCXLVI. David Princeps Walliæ obiit primâ die Quadrageſimæ; ſucceſſerunt ei filii Griffini primogeniti fratris ſui. Dominus Rex admiſit in gratiam ſuam Epiſcopum Ciceſtrenſem, & reſtituit ei Temporalia. Facta eſt diſtributio diviſionis hæredibus Mareſcalli in octavis S. Johannis Baptiſtæ. Dominus Walterus rediit à tranſmarinis apud Wigorniam die S. Jacobi. Dominus Carleolenſis tranſtulit ſe ad ordinem Prædicatorum. Incœpta eſt Abbatia apud Hayles. Comitatus Wigorn. amerciatus fuit ſuper xl. marcis pro falſo judicio; & judicatum fuit à Juſticiariis de Banco, quòd Hundredum de Oſwaldeſlawe non debet adjuvare ad hujuſmodi amerciamentum.

Anno MCCXLVII. Molendinum de Mulderham ceſſit perpetuò in uſus noſtros in Purificatione. Mortuo Roberto Epiſcopo Sarum, ſucceſſit ei Willelmus de Eboraco. Cedente H. Abbate de Winchecumbâ, ſucceſſit J. Celerarius ejuſdem domûs; & benedicitur in Abbatem apud Wigorniam à Domino Epiſcopo Hereford. ad mandatum Domini Epiſcopi Wigorn. Sacriſta recepit albam & capam cum veſtimento. Abbas ſolvit Conventui xl. ſolidos pro procuratione. Dedimus Capellas de Doddeham & Kinthwike W. Capellano.

no. Dedimus in subsidium Domini Papæ. Justiciarii itinerantes de Forestâ sederunt apud Wigorniam à die S. Martini usque ad Festum S. Nicholai. Jus patronatûs Ecclesiæ de Haleford cessit in perpetuam jurisdictionem Wigorniensis Episcopi de consensu Prioris & Conventûs de Kenilworth. Episcopus Menevensis, de S. Asaph, & Robertus de Bathoniâ obierunt.

Anno MCCXLVIII. Dedimus Capellam de Tyburton Willelmo de Legâ, & Capellas de Doddeham & de Knithinton W. Capellano, ita quòd singulis Capellis singulos inveniet Capellanos. Formata est pax inter Episcopum & Abbatem Eveshamiæ & ejusdem loci Conventum post Conceptionem S. Mariæ. M. Thomas Walensis factus est Episcopus Menevensis. M. Willelmus de Button factus est Episcopus Bathoniensis.

Anno MCCXLIX. Justiciarii itinerantes sederunt apud Wigorniam ab octavis Epiphaniæ usque ad Festum S. Scolasticæ, sc. Rogerus de Thurkilby, Gilebertus de Preston, M. Symon de Walteris, Johannes de Cobeham. Dedimus in subsidium Domino Regi xv. marcas. Dominus Wigorniensis consecravit Episcopum de S. Asaph, assistentibus sibi de Bangor & de Mithe Episcopis. W. de Braci quietam clamavit communiam de Tiburton, &c. Contulimus Ecclesiam de Seggesbury W. Clerico, & Capellam de Tyburton W. Capellano. Orta est discordia inter Dominum Episcopum & W. de Bello-campo propter wreccum navium & captionem carrucarum & averiorum ejusdem Episcopi contra libertates Ecclesiæ.

Anno MCCL. Dissentio inter Episcopum & nos super quibusdam articulis Hundredi de Oswaldeslawe. xiv. Cal. Junii Episcopus transfretavit iturus * Londoniam contra W. de Bello-campo. Magister W. de Powyke remansit de consilio nostro pro x. marcis. ii. Kal. Julii manè factus fuit terræ motus. Sententia lata fuit pro Episcopo in Curiâ Romanâ apud Lugdunum contra W. de Bello-campo super excommunicatione, quam dictus Episcopus in ipsum tulit pro violentiâ ab illo illatâ contra libertates Hundredi de Oswaldeslawe.

* f. Lugdunum.

Anno MCCLI. Mortuo R. Abbate Persoræ, successit ei Gler Monachus de Feskam. Willelmus de Cantilupo frater Domini Episcopi obiit. Dominus Episcopus rediit à Curiâ Romanâ, susceptus cum processione die S. Dunstani. Willelmus de Bello-campo & excommunicati sui absoluti fuerant ab Episcopo in formâ Ecclesiæ, Rege & Magnatibus regni præsentibus, die S. Edwardi. Rex admisit Episcopum in gratiam suam. Ecclesia de Heyles dedicata fuit ab Episcopo & aliis, quartâ die post Festum Omnium Sanctorum. Margareta filia Regis Henrici nupsit filio Regis Scotiæ apud Eboracum in crastino Natalis Domini cum solennitate maximâ.

Anno MCCLII. Dominus Cantuariensis obtinuit à Domino Papâ, quòd possit visitare singula Capitula tam Religiosorum quàm Canonicorum Sæcularium cum procurationibus. Postea impetratum fuit à Domino Papâ per commune consilium Prælatorum & Cleri, quòd Procurationes taxatæ fuerunt. Dedimus Vicariam Capellæ de Wicheneford Petro Capellano, & Capellam S. Clementis de Wygorn. J. Capellano. Mortuo Ricardo de Condicate Priore die S. Michaelis, successit ei Thomas installatus die Omnium Sanctorum, qui officio † Prioris xxxii. annis & ampliùs functus fuit. Custodia Prioratûs medio tempore remansit integrè & absolutè tam in interioribus quàm exterioribus in manus Supprioris & Celerarii; Rege Henrico proferente sententiam, quòd custodia Prioratûs non ad ipsum pertinuit tempore vacationis. Dedimus Capellam de Herferton Sampsoni de Bremesgrave. Dedimus Capellas de Doddeham & Kinthwyk G. Capellano.

† l. Subprioris.

Anno MCCLIII. Dedimus pro taxatione carrucarum & redituum nostrorum in subsidium tallagii Domini Papæ, sicut cæteri Religiosi & Clerici, plusquam xvii. marcas. Dedimus Domino Regi in subsidium transfretationis

nis in Gasconiam xl. marcas. Tradidimus ad perpetuam firmam molendinum de Muldeham, &c. Mortuo Thomâ Archidiacono Gloucestriæ Rectore Ecclesiæ de Stoke, dedimus eandem M. Simoni de Walton. Ricardus Episcopus Cicestr. pro quo Dominus miracula operatus est, & S. Robertus Groceteste Episcopus Lincolniæ obierunt. Confœderatio inter nos & Conventum de Wenlok, & inter nos & Conventum Abendoniensem. Obiit Hugo de Rupibus Archidiaconus Wintoniensis.

Anno MCCLIV. Congregatio omnium Abbatum & Priorum nigri Ordinis apud Oxoniam in crastino S. Matthæi Apostoli propter quoddam privilegium à Domino Papâ omnibus Episcopis Angliæ transmissum in gravamen Monastici Ordinis. Tradidimus M. Symoni de Walton manerium nostrum de Herferton ad firmam, &c. Taxatio generalis tam de temporalibus quàm de spiritualibus facta fuit per Angliam exceptis Baroniis.

Anno MCCLV. Contulimus Ecclesiam de Seggesberege Willelmo nepoti Prioris. Justiciarii itinerantes sederunt apud Wigorniam iv. Nonas Julii per xv. dies; & iterum sederunt post Festum S. Michaelis per xv. dies. Confirmavimus Monialibus de Wystan situm loci earum & cætera eis collata. Dedicata fuit Ecclesia earum apud Wystan ii. Idus Julii. Piæ memoriæ Dominus Walterus de Gray Archiepiscopus Ebor. qui legavit nobis insignia Capellæ pretiosa, decessit. Thomas Eveshamiæ Abbas decessit. Dedimus Domino Regi pro taxatione Spiritualium vii. lib. xiii. den. ob. & pro taxatione Temporalium xix. lib. x. den. ob. Confœderatio inter nos & Conventum de Burgo. Dedimus Domino Regi pro warrennâ unam marcam auri, &c.

Anno MCCLVI. Die Paschæ installatus fuit per Priorem Magister H. de Cantilupo Archidiaconus Gloucestriæ. Obtinuimus à Domino Rege custodiam boscorum nostrorum infra Forestas de Pekham & Kinfar, datis ei l. marcis, & Reginæ v. marcis, & Cancellario ii. marcis, & Clericis vii. solidis. Contulimus Ecclesiam de Wlvardelewe Magistro J. de Winton. Sewallus Archiepiscopus Ebor. consecratus fuit ab Episcopo Wigorn. ad mandatum Domini Papæ. Willelmus Episcopus Sarum obiit; cui successit Ægidius de Bridport. Hugo Prior Eveshamiæ installatur in Abbatem Eveshamiæ die S. Egwini. Dedimus Magistro J. Ecclesiam S. Andreæ. Emimus terram, &c. Cedente W. Archidiacono Wigorn. successit ei ....

Anno MCCLVII. M. Simon de Walton confirmatur in Episcopum Norwicensem feriâ sextâ post Festum S. Petri ad Vincula. Quo confirmato, dedimus Ecclesiam de Stoke Domino M. de Cantilupo. Consecratur Dominicâ qua cantatur, *Isti sunt dies.* Intronizatur in octavis sc. die Palmarum. Episcopi de Coventriâ & de Excestriâ consecrati fuerunt cum Domino Norwicensi. Dominus Eboracensis excommunicatur ab Archiepiscopo Cant. ad mandatum Domini Papæ. Dominus Episcopus recuperavit returnum Brevium à Domino Rege, &c.

Anno MCCLVIII. Perambulatio facta fuit & limitata ad mandatum Domini Regis inter manerium de Norton & de Alvechirche. M. Harlotus nuncius Domini Papæ venit in Angliam; solvimus ei pro procuratione xl. solidos Convenit inter nos & Abbatem Radingæ super tenementis apud Tydinton, &c. Sewallus Archiepiscopus Ebor. obiit. Mortuo Ricardo Episcopo Lincoln. successit Ricardus Decanus.

Anno MCCLIX. Rotunda Tabula sedit apud Warewyk circa Festum Assumptionis B. Mariæ. Mortuo Fulcone Episcopo London. successit Henricus de Wingham Cancellarius. Quidam Romà missi in Angliam à Domino Papâ, interfecti sunt Londoniæ in conspectu totius populi. Terra & tenementa W. de Credynton cum molendino cesserunt in usus nostros, &c.

Anno MCCLX. Dominus Cantuariensis Dominicâ proximâ ante Festum Exaltationis S. Crucis visitavit cum Clericis suis Dominum Episcopum & Con-

Conventum. Solvimus pro procuratione suâ iv. marcas. Mortuo Thomâ Priore, successit ei Ricardus de Dumbelton Celerarius, & installatur in Vigiliâ Natalis Domini. Custodia Prioratûs medio tempore remansit integrè & absolutè tam in interioribus quàm exterioribus in manu Supprioris & Celerarii. Mortuo M. de Cantilupo, contulimus Ecclesiam de Stoke Sampsoni de Bremesgrave. Dedimus Ecclesiam de Humelton R. de Canthtebruge Clerico Domini Wigorniensis. Capitulum generale Fratrum Minorum sedit Wigorniæ.

Anno MCCLXI. Justiciarii itinerantes venerunt apud Wigorniam in octavis S. Johannis Baptistæ, sc. G. de Preston, M. de Lutlebury, G. de Leuken, W. de Englesfeld; & totus Comitatus eos admittere recusavit; quòd vii. anni nondum erant elapsi, postquam Justiciarii ibidem ultimò sederunt. Summitas clocherii Ecclesiæ Evesham conflagravit fulgure. Obtinuimus decimas de Monewode spectantes ad Ecclesiam de Bremere à Magistro H. de Langley Rectore Ecclesiæ de Upton juxta Wichenford. Contulimus Ecclesiam de Bradewe Magistro G. de Doverdale, & H. Decano Wigorn. Ecclesiam S. Andreæ. Hoc anno Andreas Prior S. Swithuni per quandam submissionem coram Bonifacio Archiepiscopo confectam Prioratu se privavit. Item ad Dominum Papam tam pro hac submissione quàm pro negotio electionis appellavit, & Curiæ Romanæ nuncios destinavit. Delatum est cor Adomari Episcopi apud Wintoniam, & in parte boreali magni Altaris humatum est; ubi plura coruscant miracula.

Anno MCCLXII. Justiciarii itinerantes de Forestâ sederunt apud Wigorniam in octavis Paschæ, sc. Dominus A. Laruche, N. de Romesi, & Magister W. de Poywik. Maxima occisio Walensium per D. Rogerum de Mortuo-Mari & alios Marchisos hoc anno. Dedimus Ecclesiam de Lyndrugge Emerico de Breauce; & Dominus Herefordensis confirmavit nobis x. marcas percipiendas annuatim de eâdem. Contulimus Ecclesiam de Humelton Magistro J. de Scheldeslewe. Obiit Ricardus de Clare Comes Gloverniæ, & apud Theokesbyrie sepultus est. Ortâ dissentione coram Summo Pontifice super electione Episcopi Winton. Dominus Papa contulit dictum Episcopatum M. Johanni de Exoniâ Cancellario Ebor. cassatâ priùs electione factâ de W. de Taunton, tamen non vitio personæ sed aliundè quæsitâ occasione. Item obiit Ægidius Sarum. Andreas Prior Wintoniæ malè gratè cedens Prioratu, culpis suis ut dicitur exigentibus, per Johannem Episcopum apud Hidam mittitur incarcerandus. Unde exiens per cautelam & fraudem, talia adinvenit falsitatis commenta; quòd meritis B. Thomæ Martyris sic à compedibus & carcere liberatus est.

Anno MCCLXIII. Ecclesia de Bremere cum suis pertinentiis, quas Sampson habuit de nobis ad firmam, rediit in manus nostras, &c. Andreas Prior Wintoniæ Curiam Romanam adiit. Simon Comes Leicestriæ & Barones parti suæ adhærentes, volentes promissiones Oxonienses à Domino Rege eis concessas in omnibus observari, insurrexerunt contra dictum Dominum Regem & suos fautores, discurrentes cum vi armatâ per Angliam subjugando sibi castella, Civitates & Burga. Dominus Rex & Barones compromiserunt in Dominum Regem Franciæ; quòd dictis suis starent & ejus arbitrio de provisionibus Angliæ observandis. Qui ut dicebatur ob favorem Dominæ Reginæ & Domini Edwardi dictas provisiones cassavit omnino; & Cartam libertatis Angliæ, unde provisiones prædictæ fuerant extractæ, adjudicavit bonam; & in tantum erravit. Dicti Barones audientes contrarietatem dicti Domini Regis, & ipsius corruptionem intelligentes, contra sententiam suam appellârunt, & dictis suis renunciârunt de plano. Dominus R. Comes de Ferrariis, Dominus P. de Monteforti, & R. filius Comitis Simonis Leicestriæ & alii Magnates venerunt apud civitatem Wygorniæ cum exercitu magno, & ob-

obsederunt eam; & post plurimos insultus eam ceperunt ii. Cal. Martii; & quicquid extra Ecclesiam poterant invenire, deprædaverunt unà cum toto Judaismo; quosdam autem Judæos ceperunt & imprisonaverunt, & quosdam occiderunt. [*Sequitur in hoc & sequentibus annis Historia satis ampla & justa discordiæ inter Henricum Regem & Barones. Quæ cùm ad res Wigorniensis Ecclesiæ minùs spectet, & apud Matthæum Paris & Matthæum Westmonasteriensem uberior habeatur; illam prætermittere consultum duxi.*]

Anno MCCLXIV. Communitas Wintoniensis in se & suos vicinos circumquaque insurgentes, portam Prioratûs Winton. cum redditibus suis prope portam & Ecclesiam S. Swithuni ultra portam de Kingate combusserunt; & homines Prioratûs, quos attingere potuerunt, infra septa Monasterii interfecerunt. Celebratum est Episcoporum Concilium in Angliâ apud Radingam; ubi data fuit sententia in genere super omnes contradicentes provisionem Oxon.

Anno MCCLXV. Pridie Idus Februarii obiit piæ memoriæ venerabilis Walterus de Cantilupo (q) Episcopus Wigorn. apud manerium suum de Blockelewe; & sepultus est cum magno honore in Ecclesiâ suâ Cathedrali Wygorniensi juxta magnum Altare. Obiit Radulphus Russel Prior Wintoniæ, & Agnes Abbatissa B. Mariæ Winton. Ottobonus S. Adriani Diaconus Cardinalis ab Apostolicâ Sede missus Legatus applicuit apud Dovere iii. Cal. Novembr. Qui in Angliam missus est ad confirmandam Anglicanæ Ecclesiæ pacem, & discordiæ lollium quod inter Barones & regios complices inimicus homo seminârat evellendum & destruendum. Legatus verò quasi ex præcellenti Regi favens, Episcopos Londoniensem, Wigorniensem, & Cicestrensem, quia Comiti Leycestrensi in quibusdam favorabiles extiterant, ab officio suspendit & beneficio. Episcopum verò Winton. eâdem sententiâ innodavit. Aliis tamen de causis & ipsis Episcopis autoritate Papali, qua fungebatur, injunxit; ut Summum Pontificem in propriis personis adirent, super objectis & objiciendis coram eo responsuri, & pro meritis accepturi quod Apostolica dictaret authoritas.

NICOLAUS DE ELY.

Anno MCCLXVI. Hoc anno M. Nicholaus (r) Archidiaconus Elyensis

(q) *Dominus Walterus Wigorn. Episcopus in articulo mortis positus, se dicebat errâsse fovendo partem Simonis de Monteforti; & super hoc literas ad Legatum direxit, petens beneficium absolutionis; quod obtinuit, & decessit.* Ista Florilegus ad annum 1265. Maximo sanè studio Walterus Baronum adversùs Henricum Regem arma moventium partes propugnaverat; adeò ut ipsis prælium Lewense anno 1264. commissuris absolutionem impenderit, fortiter decertandum in peccatorum remissionem suadens, omnibusque mortem in tam justâ causâ oppetituris facilem cœli ingressum pollicitus. Hunc itaque aliosque complices Episcopos Guido Sabinensis Cardinalis Papæ Legatus anno 1265. sacris interdixit. Quam tamen sententiam, factâ ad Concilium Generale appellatione, minimè observârunt. Acriorem igitur sententiam Ottobonus Legatus, qui Guidoni successit, expediendam ratus, cunctos Episcopos Baronibus olim astantes excommunicavit. Morbo extremo tunc Walterus decubuit; qui in pace Ecclesiæ dormire cupiens, pœnitentiam præ se tulit, & absolutionem à Legato impetravit. Obiit anno 1266. 2. Febr. juxta Nicolaum Trivetum, 1267. 5. Febr. juxta Matthæum Paris, 1265. 12. Febr. juxta Annales nostros. Annum Trivetus, diem Chronographus noster rectiùs designârunt.

(r) Nicolaus Archidiaconus Eliensis magni Angliæ Sigilli custodiam accepit 1260. 18. Octobr. dimisit anno sequenti. Thesaurarius Angliæ anno 1262. constitutus est; & Sigilli custodiam iterum suscepit 1263. 18. Decembr. dum Rex in transmarinis partibus ageret retinendam. Consecratum fuisse Thomas Wikes refert 1266. in Octavis Pentecostes, viz. die 23. Maii, Annales Winton. 1266. Dominicâ proximâ ante Festum S. Michaelis, viz. die 26. Septembr. Annales nostri 1266. 19. Sept. Id solum habet instrumentum Professionis autographum, ipsum simul cum Rogero Norwicensi Episcopo consecratum fuisse ab Ottobono Legato. Nicolaus anno 1268. 24. Febr. ad Episcopatum Wintoniensem postulatus, à Wigorniâ recessit. Commemoratur in Missâ Benefactorum Academiæ Cantabrigiensis.

eli-

eligitur in Episcopum Wigorn. vii. Idus Maii; confirmatur xiii. Cal. Julii; consecratur xiii. Cal. Octobr. & intronizatur vi. Cal. ejusdem. Item Londoniensis, Wintoniensis, & Cicestrensis Episcopi per Othonem Legatum ab officio & beneficio sunt suspensi ratione cujusdam Concilii apud Radinges editi; & Romam profecti sunt. Obiit Margareta Comitissa Lincolniæ, & Petrus de Sebaudiâ Comes Richemundæ. Item vi. Idus Julii natus est Domino Edwardo filius primogenitus vocatus Johannes apud Windleshore.

Anno MCCLXVII. Pridie Nonas Augusti Dominus Otho Legatus visitavit Ecclesiam Wintoniensem; & ipsam invenit indebitam de decem mille marcis & ampliùs. Dominus Rex tenuit Natale suum apud Wintoniam cum Othone Legato; qui in recessu suo Abbatem & Conventum de Hidâ interdixit ratione cujusdam contentionis inter homines eorum habitæ. Ventus vehemens in crastino S. Hilarii, per quem cecidit turris S. Katerinæ. Obiit Johannes Episcopus Winton. in Curiâ Romanâ xiv. Cal. Februarii; & Viterbii sepultus est. Cui successit M. Nicolaus de Ely: qui à Sede Wigorn. usque ad Sedem Winton. translatus est, & ab Othone Legato est confirmatus.

Anno MCCLXVIII. Nono Cal. Maii Dominus Otho Legatus celebravit Concilium suum Londoniis. In crastino Depositionis S. Swithuni Valentinus Prior Winton. per Dominum Nicolaum Episcopum Prioratui est restitutus. Nicolaus de Hely Episcopus Wigorn. postulatur ad Ecclesiam Wintoniensem; cui successit Godefridus Giffard (f), Domini Regis Cancellarius; qui appropriavit nobis tunc Ecclesiam de Grimelewe cum Capellâ de Hallawe. Octobonus Legatus iter arripuit repatriandi; & iv. Idus Julii misit se in mare. Obiit Petrus de Eggeblanche Episcopus Herefordiæ; cui successit Johannes le Bretun, & à Bonifacio Cant. Archiepiscopo confirmatus, & à Nicolao Wintoniensi Episcopo consecratus apud Waverleye.

GODEFRIDUS GIFFARD.

Anno MCCLXIX. Obiit Warinus de Bassingeburne, miles probus & fidelis. Dominus Rex perendinavit Wintoniæ per xi. septimanas, sic per totum Autumnum. S. Edwardus à veteri feretro in novum translatus est; præsente Domino Henrico Rege, qui secundùm edictum suum coronam portare disposuit, sed non portavit. Unde vendicantibus sibi jus & consuetudinem de pincernariâ Wintoniæ & Londoniæ civibus, noluit Dominus Rex ut quis eorum serviret propter discordiam & periculum quod posset imminere; sed

(f) Godefridus, Walteri Giffard Archiepiscopi Ebor. frater, summus Angliæ Cancellarius anno 1267. creatus est. Anno sequenti ad Episcopatum Wigorn. evectus, Sigillum Regi tradidit 1268. 29. Octobr. die Lunæ. Consecrationis vel electionis dies invenire non potui. Inferiùs tamen anni Pontificatûs ab illo gesti à mense Septembri anni 1268. numerantur. Intronizatum fuisse 1268. in Festo Natalis Domini Thomas Wikes prodit. Anno 1278. Justiciarii Itinerantis munus ipsi à Rege delatum obiit. Magnam illi cum Johanne Pechamo Archiepiscopo controversiam de jurisdictione motam fuisse in Registro *Peckham* reperio. Inter alia Archiepiscopus Officialem illius admonuit, & tandem severè injunxit; ne manifesti criminis convictos pœnâ pecuniaria mulctaret, sed potiùs peregrinationibus seu aliis religiosis exercitiis castigaret. Obiit Godefridus 1302. 26. Januarii; quod (ut Annales nostros mittam) ex Registro Wigorn. Ecclesiæ constat. Magnificum sibi tumulum, dum in vivis erat, construxerat prope magnum altare supra B. Oswaldi feretrum, deturbato Johannis de Constantiis Episcopi corpore, & in eodem se sepeliri jusserat. Archiepiscopus autem Robertus edito 1302. 10. Jan. mandato, sepulchrum illius ad inferiorem locum removeri & ab australi summi altaris parte collocari, ossaque Johannis Episcopi loco suo reponi præcepit. Ex Registro *Winchelsey* f. 146. Factum id; & humiliori loco Godefridus sepulturam accepit. Quod quidem illi fœlicissimè cessit. Tumulum namque ejus magnâ cum religione Pontificii die 19. Januarii, quæ S. Wlstano sacra est, hodienum visitare solent, Wlstani esse perperam credentes.

 jussit

jussit utramque partem discumbere. Unde Londonienses indignantes recesserunt. Wintonienses verò remanserunt, comedentes & bibentes in Curiâ; & cum licentiâ Domini Regis recedentes remeârunt ad propria. Dominus Rex tenuit Natale suum apud Wintoniam. Obtinuimus jurisdictionem Officialitatis vacante Sede Episcopali Wygornensis Ecclesiæ, factâ compositione super hoc inter Archiepiscopum Cant. & Capitulum Wygornense.

Anno MCCLXX. Dominus Edwardus in Castello Wintoniæ petitâ a Domino Rege licentiâ transfretandi versus Terram Sanctam, venit in Capitulo Winton. Nonis Augusti, & accepit licentiam à Conventu; rogans humiliter ut orarent; & sic iter suum versus Portesmuthe ubi transfretare proposuerat arripuit: & cum eo W. de Valentiâ, Dominus Thomas de Clare, Dominus Rogerus de Clifford & multi alii. Qui mutato proposito Cantuariam adierunt; & apud * Doroberniam transfretaverunt † xiv. Cal. Septembris. Item || xv. Cal. Augusti obiit Bonifacius Archiepiscopus Cant. Et venerunt Monachi Cant. apud Wintoniam ipsius mortem nuntiantes Domino Regi, & petentes licentiam eligendi; quam circa Festum Assumptionis B. Virginis apud Clarendone obtinuerunt; & eligentes suum Priorem in Archiepiscopum, præsentaverunt eum Domino Regi apud Wodestoke in crastino Nativitatis B. Mariæ Virginis. Quod negotium Dominus Rex distulit usque ad Festum Translationis Sancti Edwardi. Obiit Eufemia Abbatissa Sanctæ Mariæ Winton. xii. Calendas Decembris; cui successit Lucia Priorissa ejusdem Monasterii; quam Dominus Rex in Vigiliâ Sancti Nicholai sibi præsentatam in Castro Wintoniensi, gratanter recepit. Justiciarii itinerantes de Forestâ sederunt apud Wigorniam. Dominus Henricus filius Regis Alemanniæ interfectus fuit Viterbii ad Missam suam à Guidone de Monteforti in Ecclesiâ S. Silvestri iv. Idus Martii, cujus ossa delata sunt in Angliam xii. Cal. Junii, & sepulta apud Hayles juxta Senchiam Reginam matrem suam.

* l. Dovoriam.
† xiii. Cal. Augusti *Annal. Winton.*
|| x. Cal. Augusti *Annal. Winton.*

Anno MCCLXXI. Hoc anno iii. Non. Januarii obiit Walterus de la Wyle Episcopus Saresbiriæ; & electus est M. Robertus de Weychamton Decanus Sarum vii. Cal. Martii. In secundâ hebdomadâ Quadragesimæ fecit Dominus Episcopus Nicolaus Winton. suam visitationem in Ecclesiâ Winton. feriâ ii. & apud Hidam feriâ iii. & in Abbatiâ de S. Mariâ feriâ iv. & postea per Episcopatum. Item feriâ ii. Quadragesimæ convocatio Episcoporum apud Radinges ad tractandum de jurisdictione Cant. Ecclesiæ; utrùm ipsi Episcopi deberent obedire Capitulo Cant. annon. Et factis interlocutoriis appellatum est à Monachis Cant. ad Sedem Apostolicam, ne aliquid attemptetur in præjudicium Ecclesiæ suæ. Item convocatio Abbatum & Priorum Nigri Ordinis apud Oxeneford post clausum Pascha; ubi præsidentes fuerunt de Evesham & de Winchecumbe Abbates. Obiit Dominus Johannes filius Domini Edwardi primogenitus; qui in custodiâ Domini Ricardi Regis Alemanniæ existebat, & sepultus apud Westmonasterium. Item obiit Dominus Philippus Basset in fine mensis Octobris; & sepultus est apud Stanley. Justiciarii itinerantes de Forestâ sederunt apud Wygorniam. Hoc anno tenuit Dominus Rex Natale suum apud Wintoniam in castello; & moram traxit ibidem causâ infirmitatis suæ usque post Epiphaniam Domini.

Anno MCCLXXII. Recessit Dominus Henricus Rex de Wintoniâ post Epiphaniam; quia Justiciarii itinerantes sc. M. Rogerus de Seyton & socii sui sedere debebant ibidem. Item obiit Rex Ricardus Alemanniæ apud Berchamstede, & sepultus est apud Hayles. Cui successit Edmundus filius ejus in hæreditatem Comitatûs Cornubiæ; & suum fecit homagium Domino Regi. Idem factus est miles à Domino Rege iii. Idus Octobris sc. in Festo S. Edwardi Regis apud Westmonasterium. Item hoc anno, sc. xvi. Cal. Decembr. Henricus iii. Rex Angliæ obiit apud Westmonasterium; & die Dominicâ

minicâ sequente sc. die S. Edmundi Regis & Martyris, sepultus est in Monasterio novo Westmonasterii ante magnum altare. Antequam corpus Regis Henrici traditum esset sepulturæ Gilbertus Comes Gloverniæ in præsentiâ Domini Archiepiscopi Ebor. & aliorum Episcoporum, Comitum & Baronum ibidem existentium, nullius coertione sed propriâ voluntate ductus, tactis sacrosanctis corporale præstitit juramentum, quòd pacem regni pro viribus custodiret, & fidelitatem Domino Edwardo tanquam Domino suo per omnia observaret. Similiter dictus Archiepiscopus Ebor. & etiam Herefordensis & Warenniæ Comites & multi alii qui tunc præsentes erant ibidem. Item cùm Dominus Papa vacante Sede Cant. per resignationem Prioris Cant. qui electus fuerat in Archiepiscopum, quam apud Sedem Apostolicam fecerat, Ecclesiæ Cant. providisset de Fr. Roberto de Kilwardeby de Ordine Prædicatorum; idem Robertus die Dominicâ proximâ ante Festum B. Luciæ Virginis & Martyris, sc. iii. Id. Decembr. per Episcopum Exon. spiritualia Ecclesiæ Cant. recepit apud Londonias, & feriâ ii. temporalia Archiepiscopatûs; & feriâ iii. sequente traditum fuit sibi sigillum Officialitatis ejusdem. Piæ memoriæ Dominus Ricardus de Dumbelton, Deo & hominibus amabilis, Prior Wygorniensis Ecclesiæ obiit, & sepultus est à Godefrido Episcopo in claustro cum prædecessoribus suis. Cui successit Dominus Willelmus de Cirencestre Sacrista ejusdem Ecclesiæ.

Anno MCCLXXIII. Hoc anno post Festum S. Hilarii factâ convocatione omnium Prælatorum Angliæ & aliorum Magnatum regni apud Westmonasterium post mortem illustris viri Regis Henrici III. convenerunt Archiepiscopi & Episcopi, Comites & Barones, Abbates & Priores, & de quolibet Comitatu quatuor Milites, & de qualibet civitate quatuor. Qui omnes in præsentiâ Dominorum Walteri Archiepiscopi Ebor. Rogeri de Mortuo-Mari, Roberti Burnel tunc Bathoniensis Ecclesiæ Electi, qui in loco Domini Edwardi Regis Angliæ præfuerunt, sacramentum eidem Domino Edwardo tanquam terræ Principi præstiterunt, & de pace regni fideliter & firmiter custodiendâ præceptum susceperunt. Ubi Dominus Walterus de Mertone Cancellarius constitutus est; & ut moram trahat apud Westmonasterium tanquam in loco publico usque adventum Principis injunctum est eidem. Et ibidem provisum est, quòd nulli sint Justiciarii itinerantes usque adventum Principis, sed || totum in Banco. In eâdem Convocatione venerunt duo nuncii Domini Papæ Londoniam; qui supplicationem ipsius Clero regni destinatam, sc. ut decimam omnium bonorum ecclesiasticorum per biennium Domino Edwardo & ejus germano pro eorum damnis & expensis in Terrâ Sanctâ factis concederent, ostenderunt. Super hoc deferentes & ostendentes quosdam articulos Apostolicæ potestatis, super quibus inquirerent; prout inferiùs continetur, videlicet. [*Vide Articulos apud Annales Waverleienses* p. 227.]

|| f. Tantùm.

Item eodem anno Henricus de Sandwich Episcopus Londinensis, qui per Octobonum Legatum, ut suprà dictum est, suspensus fuerat & ad Curiam Romanam destinatus, de ipsâ Curiâ est reversus circa Purificationem B. Mariæ gratiâ Domini Papæ adepta; qui obiit eodem anno mense Augusti, & sepultus est in Ecclesiâ S. Pauli London. Dominicâ primâ Quadragesimæ sc. iv. Cal. Martii consecratus fuit Fr. Robertus de Kylewardebi in Archiepiscopum Cant. apud Cantuariam; non tamen intronizatus, quia Pallium dignitatis à Curiâ Romanâ nondum susceperat. Quo postmodum sc. viii. Idus Maii suscepto & sibi imposito per manus Nicolai Winton. & Walteri Exon. Episcoporum apud Tenham, incathedratus fuit mense Septembri circa Nativitatem B. Mariæ. Item concessa est decima Ecclesiarum & Religiosorum Domino Edwardo & ejus germano ad supplicationem Domini Papæ, & soluta pro duobus annis ferè hoc anno. Item vi. Idus Maii transfretaverunt Winton. Wigorn. & Exon. Episcopi in occursu Domino Edwardo, qui ipso anno

 de

de Terrâ Sanctâ reversus Parisios venit, & inde reversus est in Wasconiam. Hoc anno Fr. Robertus Archiepiscopus Cant. xiv. Cal. Januarii visitavit Episcopum Wigorn. & in crastino cum Clericis suis || Conventum procuratus fuit in Refectorio.

|| f. à Conventu.

Anno MCCLXXIV. Hoc anno M. Johannes de Chishulle consecratus est in Episcopum London. * iii. Cal. Julii. Item eodem anno obiit Robertus de Stichulle Episcopus Dunelmensis in suâ reversione à Concilio Lugdunensi: cui successit Robertus de Halilande Monachus Dunelm. & consecratus est à Waltero Ebor. Archiepiscopo. Edwardus Rex de Terrâ Sanctâ & de Wasconiâ reversus, ii. die mensis Augusti in Angliam applicuit apud Doroberniam; & die Dominicâ proximâ post Assumptionem B. Mariæ sc. die S. Magni Martyris xiv. Cal. Septembr. per impositionem manuum Roberti Archiepiscopi Cant. unctus est in Regem, & coronatus apud Westmonasterium, præsente Domino Rege Scotiæ & illustrium virorum copiosâ multitudine. Item M. Robertus de Wychamton Electus Sarum in Concilio Lugdunensi consecratus est per dictum Archiepiscopum Cant. & die Dominicâ proximâ post exaltationem S. Crucis est intronizatus apud Sarum. Item eodem anno dictus R. Archiepiscopus Cant. visitavit Episcopatum Winton. & celebravit Natale suum apud Biterne, & Dominus Rex Natale suum apud Wodestoke. Item Andreas quondam Prior Winton. de Curiâ Romanâ reversus venit Wintoniam vi. Cal. Februarii in manu forti cum multitudine armatorum; & positis per Episcopum Winton. custodibus in Ecclesiâ S. Swithuni ne ingrederetur; tertiâ die sequenti insultum fecerunt qui secum venerunt, ut in possessionem dicti Prioratûs per vim induceretur. Unde Dominus Episcopus per Fratres Prædicatores petito respectu usque in crastinum ut sibi meliùs consuleret, vocatis undique fidelibus suis munivit Ecclesiam. Quo facto videns præfatus Andreas quòd non potuit propositum suum complere, recessit ii. Cal. Februarii manè. Episcopus verò convocatis omnibus Sacerdotibus de civitate in Capitulum S. Swithuni excommunicavit & excommunicare fecit dictum Andream & omnes Monachos ejusdem Monasterii, qui dicto Andreæ in facto tam præsumptuoso consilium vel auxilium præstiterunt; & civitatem Winton. ipso die posuit sub interdicto. Septimâ die sequente, quæ fuit vii. Idus Februarii, factâ inquisitione per illos de civitate de his qui dicto Andreæ consilium & auxilium præstiterunt quando dictum insultum fecit, dictus Episcopus ad instantiam multorum fide dignorum interdictum relaxavit. Cùm autem hujusmodi contentio hinc inde mota ad audientiam Domini Regis pervenit per xxiv. juratos de civitate, quòd non poterant ipsam civitatem regere & pacem custodire ob tales & tantos pacis perturbatores; missi sunt à Domino Rege D. Rogerus de Mortuo-Mari & Nicholaus de Stapeltone Justiciarii Wintoniam; qui diligentem fecerunt inquisitionem super omnibus supradictis. Unde plures culpabiles inventi capti & incarcerati fuerunt. Quidam autem latenter fugam inierunt †. Archidiaconus quidam Roffensis, qui ob causam præfati Andreæ tanquam judex ipsius venerat Wintoniam & moram per aliquod tempus fecerat ibidem, cùm ad vii. articulos sibi per prædictum Rogerum de Mortuo-mari objectos, in quibus dicebatur se egisse contra pacem regni, noluisset respondere, tanquam pacis perturbator & Regiæ Majestatis contemptor, ductus est in Castrum Wintoniense ||, & ibidem retentus per plures dies. Tandem liberatus per literas Domini Regis mediante interventu Episcoporum & multorum Clericorum ad propria remeavit; & post paucos dies defunctus est. Non multò quidem pòst obiit frater ejus Laurentius de S. Martino Episcopus Roffensis: Cui successit Walterus de Mertonâ, per Conventum Roffensem canonicè electus, & à Domino Roberto Cant. Archiepiscopo * confirmatus xii. Cal. Novembris. Item eodem anno confectum est sacrum Crisma die Cœnæ apud Waverle à venerabile patre D. Nicholao

* Penultimâ die Aprilis. *Sic Annales Winton.*

† Quanquam ad tempus *adduit Annales Winton.*

|| Præcepto dicti Rogeri. *Id.*

* Confirmatus & consecratus xii. Cal. Nov. apud Roffam. *Id.*

Nicholao de Ely loci Diocesano; qui die eodem cum Clericis suis majoribus comedit in Refectorio Monachorum, propriis tamen sumptibus. Item anno eodem sc. xviii. Cal. Aprilis peperit Alienora Regina Domino Edwardo Regi Angliæ filiam, & vocavit eam Ysabellam. Willelmus de Cirencestre Prior Wygornensis obiit; cui successit Dominus Ricardus de Feckeham Camerarius in Festivitate S. Matthæi Apostoli.

Anno MCCLXXV. Hoc anno Robertus Burnel in Episcopum Bathoniensem est electus, & à Roberto Cant. Archiepiscopo confirmatus, & consecratus apud Londoniam vii. Idus Aprilis, qui tunc die Palmarum habebatur. Item anno eodem obiit Johannes le Breton Hereford. Episcopus; cui successit M. Thomas de Cantilupo canonicè electus, & à sæpedicto Roberto Cant. Archiepiscopo confirmatus. Item in quindenâ Paschæ factâ Convocatione omnium Magnatum Regni Londoniis, ubi Dominus Edwardus Parliamentum suum tenuit. In quo quidem Parliamento quasdam novas leges constituit ad communem utilitatem totius Regni. Item mense Octobri circa Festum S. Lucæ Evangelistæ Rex Angliæ tenuit aliud magnum Parliamentum apud Westmonasterium; in quo quasdam alias leges constituit inter Judæos observandas. Ubi de communi consensu Archiepiscoporum, Comitum, Baronum, & omnium Magnatum totius regni concessum fuit dicto Domino Regi quintumdecimum omnium laicarum possessionum Regni in subsidium causâ suæ novitatis & etiam causâ expensarum factarum in Terrâ Sanctâ. vii. Cal. Julii fuit duellum in pasturâ de Hardewik pro Ecclesiâ de Temedebyr; sed factâ pace remansit Ecclesia cum Abbate de Lyre. vii. Idus Julii fuit duellum pro ballivâ de Hembury; & pugil Episcopi vicit pugilem Philippi de Stok. Item obiit Humfridus de Bohun Comes Herefordiæ; & apud Lantoniam juxta Gloucestriam sepelitur. Per idem tempus datis à nobis xxx. marcis Domino Roberto de Mortuo-mari, remansit nobiscum advocatio Ecclesiæ de Underhulle. Hoc anno Justiciarii itinerantes sederunt Wigorniæ. Item anno eodem peperit Domina Alienora Regina Angliæ filium apud Baionam in Vasconiâ in Vigiliâ S. Katerinæ Virginis; & baptizatus est à Waltero Exoniæ Episcopo, & vocatum est nomen ejus Alfonsus post Regem Hyspaniæ, qui eum ibidem de sacro fonte levavit; & confirmatus fuit ab Archiepiscopo Auxicano. Rex ad Parliamentum Westmonasterii, &c. *Reliqua hujus anni Westmonasteriensis verbatim descripsit.*

Anno MCCLXXVI. Hoc anno iii. Idus Januarii horâ vespertinâ venit Edwardus Rex primò post reversionem suam à Terrâ Sanctâ & Alienora Regina ad Castrum Wintoniense; & die sequente causâ orationis & reverentiæ Sanctorum adivit Monasterium S. Swithuni; ubi ab Episcopo loci & Conventu cum solemni processione receptus est. Et cùm per plures dies ob Parliamentum suum ibidem moram traxisset; venit Gasto de Biernâ in conductu Domini Rogeri de Clifford xii. Cal. Februarii; qui sequenti die juxta ordinationem Regis Franciæ Domino Edwardo Regi se repræsentans, & ipsius gratiæ se submittens de omnibus transgressionibus quas contra Dominum Regem se fecisse dicitur, detentus est in dicto Castro quasi incarceratus, sub custodiâ tamen honorificâ; qui postmodùm † ad mandatum Domini Regis ductus est Londoniam, & ibidem in pleno Parliamento liberatus sub tali formâ; viz. adiret Curiam Domini Regis Franciæ, ibidem pro meritis recepturus prout idem Rex duxerit ordinandum. Item in eodem Parliamento concessit Dominus Rex, & demandavit per totam Angliam; quòd Cartæ de communibus libertatibus, quæ tempore Henrici Regis avi Regis Henrici patris sui factæ fuerunt, & etiam de Forestis, in suo robore per omnia permanentes observentur. Item inter hæc contigit, quòd cùm Alienora filia quondam Simonis de Monte-forti Comitis Leycestriæ, quæ vivente patre afficata fuit Leulino Principi Walliæ, conducenda esset à partibus Gallicanis per mare

† sc. Primo die Maii. *Addunt Annal. Winton.*

re usque ad Walliam, ut dictus Leulinus eam secundùm formam Ecclesiæ duceret in uxorem; capta fuit prope Bristoul & Almericus frater ejus cum eâ & duo Fratres Prædicatores de Walliâ & quidam miles de Franciâ & eorum familia. Quæ captio cùm Domino Regi constaret, ex ejus mandato ab invicem separati, & ad varia Castra sunt transmissi custodiendi. Item xvi. Calend. Julii in Vigiliâ S. Botulfi Abbatis celebrata est Translatio S. Ricardi quondam Cicestrensis Episcopi in Ecclesiâ suâ Cathedrali Cicestriæ à venerabili patre Roberto Archiepiscopo, præsentibus Rege Edwardo & Majoribus natu totius Angliæ cum multitudine Prælatorum: in qua Translatione & etiam pòst plurima coruscant miracula. Item ortâ dissentione inter Monachos S. Swithuni & Nicolaum de Ely Wintoniensem Episcopum, eò quòd ferè omnes de Conventu parti Andreæ quondam Prioris adhærebant, nitentes ipsum habere Priorem. Sed Dominus Episcopus eorum propositum revocans, inimicum quendam nomine Valentinum ejusdem domûs Monachum in Priorem promovit; quem die S. Birini Episcopi proximè sequenti Prioratu suo totaliter privavit, & Johannem de Urnullâ Monachum ejusdem Ecclesiæ natione Normannum Priorem instituit. xvii. Cal. Augusti Willelmus de Bello-Campo Comes Warewik venit Wigorniam horâ Completorii; quòd falsus rumor venit ad eum, quòd pater ejus Willelmus projectus fuit de sepulchro. Sed aperto sepulchro ipse & alii filii ejus cognoverunt eum certis signis; & sic recessit. iv. Cal. Octobris Rex Edwardus venit Wigorniam; Calendis Octobris discessit versùs Evesham. Post Festum S. Michaelis facta fuit concordia inter Willelmum Comitem de Warewyk & Ricardum Priorem Wigorniæ de placito Curiæ, datis eidem Comiti centum libris; & chirographum in Curiâ Regis levatum fuit. Post Pascha ad Parliamentum, &c. *Reliqua habet Florilegus.*

Anno MCCLXXVII. obiit Walterus de Mertonâ Episcopus Roffensis; cui successit Johannes de Bradefend Monachus & Præcentor Roffensis Monasterii. Item hoc anno Fr. Johannes de Wik, & Johannes de Harley habitum Monachalem in Ecclesiâ Wigorn. in Vigiliâ Omnium Sanctorum à Domino Ricardo de Feckeham tunc Priore susceperunt. Item Dominus Edwardus Rex, &c. *Cætera descripsit Florilegus, non tamen verbatim ut superiora, sed in compendium redacta.*

Anno MCCLXXVIII. Hoc anno mense Januarii obiit Reginaldus Episcopus Norwicensis; qui Monachus extiterat dicti Monasterii. Cui successit M. Willelmus de Middeltone tunc Archidiaconus Cantuariensis, à Conventu Norwicensi electus, à Roberto Archiepiscopo confirmatus & consecratus apud Lameie iv. Non. Junii. Item durante adhuc dissentione inter Nicolaum Episcopum Winton. & Conventum S. Swithuni, venerunt de Glastingebirye & de Radinges Abbates, Ordinis ipsorum anno eodem præsidentes; quorum instantiâ & consilio dictus Episcopus Conventui remisit omnem rancorem quem versùs eum habuit, & ad pacis osculum singulos Monachos admisit xi. Cal. ······· exceptis tamen his qui in Curiâ Romanâ tunc agebant. Item viii. Cal. Martii declinavit Robertus Archiepiscopus Cant. apud Sarum causâ visitandi ibidem; ubi à Domino Roberto Episcopo loci & Canonicis illius honorificè receptus est. Qui eodem anno à Domino Papâ Nicolao in Cardinalem Portuensem vocatus, & circa Festum Nativitatis B. Johannis Baptistæ resignato Archiepiscopatu versùs Curiam Romanam transfretavit. Item in solemnitate Paschali fuit Dominus Edwardus & Regina apud Glastoniam cum Abbate loci; ubi Dominus Rex tumbam Arturi fecit aperire. Tamen causâ à pluribus ignoratur; & ossa ipsius Regis inventa collegit, & in thesaurariâ ipsius Monasterii decenter deponi fecit, quousque ea possit honorificentiùs collocare. Item in medio mensis Octobris Dominus Edwardus Rex tenuit magnum Parliamentum apud Westmonasterium; ubi fuit

Rex

Rex Scotiæ, & fecit Domino Regi Angliæ homagium ſuum de terris quas tenet in Twedale & Weſtmerlond; ſalvo tamen Regi Angliæ jure ſuo quod ſe habere dicit in terrâ Scotiæ & Loweneſce. Item dedicata eſt Eccleſia Cathedralis Norwicenſis pridie Cal. Decembris à venerabili patre Willelmo de Middeltone Epiſcopo loci, præſente Domino Rege & Cleri & populi infinitâ multitudine. Item xiv. Cal. Decembr. de conſilio & prudentiâ Domini Regis unâ die & unâ horâ diei per totum regnum Angliæ capti ſunt & incarcerati omnes Judæi de regno pro retunſione monetæ. Quorum domus & diverſoria diligenti ſcrutinio fuerunt inquiſita, & reperta infinita pars reconſionis, quæ totaliter cedebat ad fiſcum regium ad magnum damnum terræ. Et dicti Judæi ad Turrim London. detenti, & anno ſequenti magna pars illorum ſuſpenſi, & multi Chriſtiani qui ipſorum complices inventi ſunt. Item hoc anno die S. Matthæi Apoſtoli, quæ tunc feria quarta erat, dedicata eſt Baſilica de Waverle in honore glorioſæ Virginis Mariæ à venerabili patre Domino Nicholao Winton. Epiſcopo, qui univerſis eâdem die præſentibus piâ devotione annum relaxationis indulſit, & xl. dies omnibus præmiſſum locum viſitantibus & frequentantibus, de injunctâ ſibi pœnitentiâ; anniverſarium per octavas dictæ Dedicationis conceſſit perpetuò duraturum. Volens igitur dictus Pontifex ex abundanti gratiâ & devotione, ut univerſa cum ſummâ laude quæ tantæ ſolemnitati congruunt adimplerentur, cunctis eodem die ad dictam ſolennitatem advenientibus propriis ſumptibus victualia ſplendidè ac copiosè uſque ad quadrantem noviſſimum miniſtravit; & hoc non ſolùm primâ die, ſed etiam ferè per novem dies ſolennitatis continuos locum dictum adeuntes in victualibus ſuſtentavit. Suis etiam omnibus Clericis & Laicis inhibuit diſtrictè, ne de his quæ ſibi in Dedicationibus jure feodali debebantur modicum quid vendicarent, ſed ab eo retributionem omnium horum expectarent. Erant autem in dictâ celebritate Abbates ſex & alii Prælati, quamplures Milites & matronæ, plebis etiam promiſcui ſexûs tanta multitudo quòd ad plenum dinumerari non potuit. Numerus tamen diſcumbentium primâ die vii. mille & lxvi. utriuſque ſexûs æſtimabatur ſecundùm diſtributionem & computationem ferculorum; qui præfati Pontificis diffuſâ largitate opulenter refecti, glorificantes & laudantes Deum omnes ad propriâ remeârunt. Item circa Feſtum B. Margaretæ Virginis facta fuit quædam ordinatio inter Nicolaum Winton. Epiſcopum & Conventum S. Swithuni, de conſenſu Domini Regis cepit Prioratum in manu ſuâ, & cuſtodem dicti Prioratûs conſtituit Dominum Willelmum de Breybeof, & per eundem dictum Conventum fecit miniſtrari. Item obiit Robertus de Kylewarbi Cardinalis Portuenſis. Item ii. Idus Aprilis Aſſiſa fuit ſuper montem Malverniæ inter Epiſcopum Hereford. Thomam de Cantilupo & Comitem Glouceſtriæ Gilbertum; quæ dixit chaciam eſſe ſolius Epiſcopi uſque ad cacumen montis. iii. Idus Octobris Rex Edwardus venit Wigorniam; cui occurrit Lewelinus: & in craſtino viz. die S. Edwardi Rex dedit ei Elianoram filiam Simonis de Monteforti in uxorem. Rex Edwardus regiam dignitatem cupiens ampliare, &c. *Reliqua habet Weſtmonaſterienſis.*

Anno MCCLXXIX. Hoc anno iv. Idus Martii Regina Angliæ peperit filiam apud Wodeſtok; & vocata eſt ······ Item Dominus Rex cuſtodiam Prioratûs S. Swithuni Nicolao loci Epiſcopo integrè reſignavit; qui Adam de Farnham ejuſdem Eccleſiæ Monachum in Priorem promovit, & alios quamplures ſuæ parti adhærentes conſtituit Obedientiales pro ſuo libito voluntatis. Item circa Feſtum B. Johannis Baptiſtæ applicuit in Angliam Fr. Johannes de Peccham de Ordine Fratrum Minorum, à Domino Nicolao Papâ Cant. Archiepiſcopus præfectus & conſecratus; & iii. Cal. Auguſti factâ convocatione Epiſcoporum Provincialium apud Radinges quædam generalia ſtatuta promulgavit, & viii. Idus Octobris habuit ingreſſum ſuum apud Cantuariam

præ-

præſente Domino Rege & Epiſcopis & aliis quampluribus Magnatibus terræ. Item hoc anno in craſtino Apoſtolorum Philippi & Jacobi depoſitus fuit Fr. Rogerus de regimine Abbatiæ de Bruere; cui ſucceſſit Robertus de Eſtal Monachus ejuſdem loci. Item Fr. Warinus Abbas de Cumba ulterius abbatizare noluit; cujus ceſſionem admiſit pater Abbas, quibuſdam Abbatibus ſibi aſſiſtentibus; & ſucceſſit eidem Fr. Jordanus de Twangham tunc Prior Waverleyæ. Item obiit Walterus Giffard Ebor. Archiepiſcopus; cui ſucceſſit M. Willelmus Wikewane Theſaurarius Eccleſiæ Ebor. qui Curiam Romanam adiit, & ibidem à Domino Papâ admiſſus & confirmatus eſt. Item vi. Idus Septembris Fr. Johannes de Derlingtone de Ordine Prædicatorum admiſſus eſt & confirmatus apud Waltham in Dioceſi London. ab Archiepiſcopo Cant. Item obiit Ricardus de Graveſhende Epiſcopus Lincoln. cui ſucceſſit M. Oliverus de Lexintone Decanus Lincoln. qui à Conventu unanimiter electus eſt, & ab Archiepiſcopo Cant. confirmatus apud Lamhethe in quindenâ Paſchæ. Item hoc anno tenuit Dominus Rex Natale ſuum apud Wintoniam; & moram traxit ibidem uſque poſt Epiphaniam. Qui annus Regis Edwardi ſeptimus, &c. *Reliqua vide apud Florilegum.*

Anno MCCLXXX. Hoc anno in craſtino Epiphaniæ recedente Rege à Caſtro Wintoniæ versùs Novam Foreſtam, reverſus eſt Cancellarius ejus Londoniam; ut apud Weſtmonaſterium quaſi in loco certo omnes indigentes & Brevia petentes & jura ſua proſequentes remedium invenirent ibidem. Item in craſtino S. Hilarii ſederunt Juſticiarii de Foreſtâ apud Wintoniam. Item pridie Idus Januarii obiit fœlicis recordationis Dominus Nicolaus Wintoniæ Epiſcopus; & in Baſilicâ glorioſæ Virginis Mariæ de Waverleye, quam nuper dedicaverat, cum ſummâ devotione à venerabilibus patribus Dominis Willelmo Norwic. & Roberto Bathon. Epiſcopis xiv. Cal. Martii traditur ſepulturæ. Qui Dei miſericordiâ & B. Virginis glorioſæ beatorumque Apoſtolorum Petri & Pauli Omniumque Sanctorum meritis confidentes, univerſis fidelibus verè pœnitentibus, qui pro animâ dicti Pontificis hîc vel alibi orationes fecerint ſpeciales, quorumque Dioceſani ratum hoc habuerint, lxxx. dies de injunctâ ſibi pœnitentiâ relaxârunt. Item obiit Johannes de Chiſhulle Epiſcopus London. poſt quem electus eſt Fulco Lovel in Epiſcopum London. qui electioni de ſe factæ nullâ ratione voluit acquieſcere. Quod videntes Canonici Eccleſiæ S. Pauli iteratò poſtulabant licentiam eligendi; qui vocatis vocandis & qui intereſſe debuerant, elegerunt M. Ricardum de Graveſhende per modum compromiſſi; qui à Domino Rege admiſſus & à venerabili patre Johanne Archiepiſcopo conſecratus eſt apud Coventrey. Item in Cathedrali Eccleſiâ Winton. vocatis vocandis & qui intereſſe debuerunt, die S. Benedicti Abbatis in menſe Martii communiter totus Conventus per modum compromiſſi poſtulârunt Robertum Burnel Epiſcopum Bathon. in Epiſcopum Wintoniæ. Pro quâ poſtulatione miſſi ſunt ad Curiam Romanam nuncii ſolemnes; ſed Dominum Papam ad hoc flectere non potuerunt: dicente dicto Domino Papâ ipſum Robertum Burnel ſufficiens habere beneficium; & ideo electionem de eo factam totaliter caſſavit. Sed idem Dominus Papa de gratiâ ſuâ ſpeciali Conventui Wintoniæ conceſſit, quòd iteratò eligerent, & de tali Epiſcopo & paſtore ſibi providerent, qui tam Clero quàm populo meritis fieret neceſſarius. Interim obiit Walterus Epiſcopus Exon. menſe Junii. Cui ſucceſſit M. Petrus de Exoniâ; & à Domino Johanne Cant. Archiepiſcopo confirmatus & conſecratus apud Cantuariam. Item poſt reverſionem nunciorum Eccleſiæ Winton. de Curiâ Romanâ iterum convenit in unum Conventus S. Swithuni cum duobus Archidiaconis Wintonienſi & * Sarum die S. Leonardi; qui eodem die unanimi conſenſu elegerunt M. Ricardum de la More profeſſorem Theologum in Epiſcopum ſuum & Paſtorem. Qui ſtatim ad Dominum Regem tranſmiſſus, & ab eo benignè admiſſus,

* l. Surrienſi.

missus, & postea ad Archiepiscopum per compromissores præsentatus est; qui dictam electionem confirmare recusavit. Et ideo tam Electus quàm Conventus ad Sedem Apostolicam appellârunt. Item pridie Non. Septembr. obiit Nicholaus III. Papa. Item M. Thomas de Bek Thesaurarius Domini Regis electus in Episcopum Carduil, & à Domino Willelmo Archiepiscopo Ebor. confirmatus & consecratus. Item Justiciarii itinerantes sederunt Wintoniæ, sc. Solomon de Rovecestre, D. Ricardus de Boylande, Robertus Fulco, & Willelmus de Breybeof. Item obiit Dionisius Abbas Belli-loci Regis, Rex, Pontifices & Principes Anglicani, &c. *Cætera dabit Matthæus Westmonasteriensis.*

Anno MCCLXXXI. Hoc anno Ricardus de la More Wintoniensis Electus cum suis compromissoribus ratione suæ appellationis factæ coram Domino Johanne Archiepiscopo versùs Curiam Romanam profecti sunt; & v. Cal. Martii mare ingressi in quadam scaphâ prospero vento transierunt. Item ix. Cal. Maii Fr. Willelmus de Gisors tunc Celerarius Belli-loci Regis electus est in Abbatem illius loci; Abbatibus de Waverle, de Gratiâ Dei, & de Thame tunc præsentibus. iii. Cal. Aprilis dedimus Ecclesiam de Stoke Prioris M. Willelmo de Chirintone. v. Cal. Maii dedimus Ecclesiam de Seggesbery Roberto Capellano de Dudrehulle. vi. Cal. Maii Godefridus Episcopus Wigorn. ejusdem civitatis primum lapidem pavimenti [posuit]. Item memorandum quòd anno regni Regis Edwardi vii. Templarii implacitaverunt nos de Ecclesiâ de Bremesgrave coram Justiciariis de Banco in Octavis Trinitatis. Et Prior venit, & dixit quòd non potuit respondere sine Rege; & protulit Cartam Regis Henrici patris prædicti Edwardi, quæ statim fuit ibidem inrotulata de verbo ad verbum. Et fuit alius dies datus partibus, & interim loquendum cum Rege; & sic continuati sunt dies de termino in terminum usque ad Parliamentum post Pascha anno regni Regis Edwardi ix. In quo Parliamento fuit Carta adjudicata bona, &c. Edmundus Comes Cornubiæ fundavit Oxoniæ Monasterium Cisterciensium Monachorum eâ intentione, ut pro tribus sacerdotibus sæcularibus, quos pater ejus Ricardus pro animâ suâ divinâ voluit celebrare, sex Monachi, de quibus magis confidebat, Deum devotiùs exorarent. Obiit Henricus Dominus de Harleye, qui habuit sex filios Monachos ex conjuge suâ Johannâ: unum apud Wygorniam nomine Johannem qui impetravit indulgentiam MCLXXXV. dierum pro animabus prædictorum Henrici & Johannæ; alium apud Bellum-locum Regis juxta Southamtone nomine Ricardum; tertium apud Hayles nomine Willelmum; quartum apud Bordesleye nomine Walterum; quintum apud Rouforde in Schirwode nomine Nicolaum; sextum apud Necteleye supra mare nomine Rogerum; quorum animabus propitietur Deus. Eodem tempore recepimus ab executoribus bonæ memoriæ Domini Nicholai de Ely Winton. Episcopi xxx. marcas ad pitanciam, & unam bibliam, præter l. marcas, quas priùs nobis liberaliter donavit. Et Sacrista N. de Norton cepit ab eisdem executoribus lx. marcas ad turrim Ecclesiæ reædificandam. iv. Non. Decembr. fuit inquisitio de novis domibus apud Bremesgrave, &c. Vigiliâ Natalis Domini Rex Edwardus venit Wygorniam; & die S. Stephani discessit versùs Kemeseye. Cùm falsa assisa adjudicâsset Johanni de Grafton advocationem Capellæ de eâdem villâ, quæ ordinata fuit ad luminaria circa Regem Johannem invenienda; Ricardus Prior Wigorn. impetravit attinctam in curiâ Domini Regis, & placitavit per vi. annos propter varias & fraudulentas adversariorum dilationes; tandem Rex jussit ut omni modo pax fieret aut attincta procederet, & sic die S. Vincentii Rege existente apud Cirencestre Johannes de Grafton recognovit advocationem Capellæ de Grafton pertinere ad Priorem, datis eidem lxxxv. marcis, & Johanni de Cave v. marcis, qui ibidem habebatur pro personâ. Quidam miles Petrus de Maule nomine implacitavit Abbatem

batem de Witebi per breve Regis; contra quod Abbas proposuit rationabiles exceptiones, quas Justiciarii nolebant admittere, sed coegerunt ipsum respondere ad principale. Ita ventum est ad Assisam, quæ dixit contra Abbatem. Unde perdidit tunc xxxvi. carucatas terræ & medietatem villæ illius & medietatem portûs & duo molendina & xx. marcas. Quod cùm Rex certissimè cognovisset, jussit Abbatem iterum habere seisinam omnium perditorum; salvo jure militis, si per melius Breve vellet iterum placitare. iii. Cal. Martii dedimus Ecclesiam S. Swithuni M. Petro de la Flage.

Anno MCCLXXXII. Hoc anno venerabilis Thomas de Cantilupo Romam proficiscitur pro injuriâ sibi illatâ ab Archiepiscopo Johanne de Peccham; & à Summo Pontifice cum magno honore suscipitur; & ibi infirmatus recessit ad Abbatiam S. Severi extra Urbem Veterem, ibique viii. Cal. Septembr. diem clausit, & transivit ad æternum. Cujus corpus ibidem coctum fuit; & aquâ illâ projectâ in quodam secreto loco, statim ut dicunt fons vivus emanavit, ibique multa miracula postea evenerunt. Ossa ejus delata sunt & sepulta apud Herefordiam; cor suum legavit Domino Edwardo Comiti Cornubiæ. Simon de Wyre Cantor Wigorn. versùs Romam iter arripuit viii. Idus Aprilis. xviii. Cal. Maii Ricardus Abbas Teukesburiæ obiit. Papâ Martino jubente Archiepiscopus Cant. & Suffraganei sui x. Cal. Maii Emericum de Monte-forti de custodiâ eduxerunt. Idus Martii præsentibus Priore Ordinis S. Augustini de Lodelawe, Domino Brienno de Bromtone & aliis militibus & multis aliis apud Kinlet apparuerunt tres Soles, unus in Oriente, alius in Occidente, tertius in Meridie. xviii. Cal. Junii Rex Edwardus venit Wigorniam; & ibi cum Magnatibus tenuit Parliamentum, qualiter Lewelinum Principem Walliæ expugnaret, qui pacem regni Angliæ homicidiis & incendiis pessimè perturbavit. ix. Cal. Junii Thomas de Kemeseye benedicitur in Abbatem Theokesburiæ apud Wigorniam die S. Trinitatis à Godefrido Episcopo loci ejusdem. Sacrista habuit capam ejus de Baudekyn cum floribus de liz, & vestimentum cum stolâ & maniplo cum grifonibus; & curialissimè Conventum procuravit, mittens per Celerarium suum unum dolium vini Philippo Priori & aliud dolium Conventui & xl. solidos. Item Dominus Johannes de Ganeworthe Abbas Winchecumbæ, qui multa bona domui suæ adquisierat, cessit curæ pastorali; cui successit Dominus Walterus de Wykewone Celerarius domûs ejusdem, & benedicitur à Godefrido Episcopo Wigorn. Sacrista habuit capam ejus de burello pal & vestimentum rubeum cum leonibus; & misit Conventui unum dolium vini pro exhibitione suâ. Kalendis Augusti Willelmus Abbas Eveshamiæ obiit. Episcopus Godefridus visitavit Monachos majoris Malverniæ; qui accusaverunt Priorem suum crimine pessimo. Unde postea contigit, quòd v. Cal. Octobr. cùm Episcopus sederet ad mensam apud Kemeseye, iv. Monachi de eâdem domo prostraverunt se ante Episcopum iteratò conquerentes de Priore; qui in crastino rediit, & Priorem deposuit: ille depositus fugam iniit, & scandalo addidit apostasiam. Kalendis Octobris Episcopus visitavit Conventum Wigorn. & recepit procurationem. vii. Cal. Novembr. Rogerus de Mortuo-mari obiit. viii. Idus Novembr. apud pontem de Angleseyâ xv. milites & xxxii. armigeri nobiles & nominati & mille pedites cum eis territi à Walensibus, cùm vellent fugere à facie arcûs, impediebantur à mari fluctuante, & ferè omnes submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Hoc anno post Festum B. Michaelis Fr. Johannes de Peccham Archiepiscopus Cant. Provinciale Concilium celebravit, &c. *Cætera vide apud Westmonasteriensem & Annales Waverleienses ad annum* 1281.

Anno MCCLXXXIII. per totam Angliam ubicunque Regii ministri æstimabant esse pecuniam de Decimâ collectâ in subsidium Terræ Sanctæ; eodem tempore v. Cal. Aprilis venerunt cum equis & armis, & quæ invenerant aspor-

asportabant. Sed in Prioratu Wigorn. nullum depositum invenerunt. Ad instantiam Johannis de Kirkebi gratis dedimus Regi ad guerram suam in Walliâ xxx. marcas. Rex cepit tricesimam ab omnibus his, qui nihil ei gratis dederunt, secundùm æstimationem omnium bonorum à termino S. Michaelis præteriti habitorum usque ad eundem terminum iterum habendorum. iii. Cal. Maii exiit hoc edictum. vi. Cal. Maii Johannes Episcopus Rovecestriæ obiit. vii. Idus Maii factâ convocatione Londoniæ omnium Prælatorum Provinciæ Cant. Archiepiscopus & Suffraganei sui promiserunt Regi existenti in Walliâ quandam summam pecuniæ inter se communiter providendam. Sed Religiosi & Clerici multis modis priùs gravati, huic consilio non adquieverunt, sed usque ad quindenam post Festum S. Michaelis distulerunt ad talia respondere. vi. Idus Maii dedimus Ecclesiam S. Andreæ Willelmo de Winchecumbe. xvii. Cal. Junii dedimus Ecclesiam de Humeltone Roberto Paet de Wygorniâ. xiv. Cal. Julii Vicecomes Wigorn. cepit W. de Ledebury & complices suos per præceptum Regis; qui per multum tempus sententiâ majoris excommunicationis fuerant innodati, quia idem W. apud Majorem Malverniam nomen Prioris contra justiciam usurpavit. iv. Non. Augusti quidam Willelmus, priùs frater de Wenloc postea princeps latronum, captus cum equo ducebatur ad judicium de Oswaldeslawe cum equis & armis, ne ab aliis latronibus eriperetur; & ibi prout meruit accepit. Eodem anno Robertus le Ster dedit Priori & Conventui pratum in Dudleyâ ad sustentationem trium equorum, qui specialiter intitulantur Claustralibus spatiaturis. Rex tenuit Parliamentum apud Acton ad instantiam Roberti Burnel Episcopi Bathon. Post S. Michaelis Johannes Archiepiscopus & Clerus tricesimam Regi omnium spiritualium per biennium concesserunt; ita quòd ante Festum Omnium Sanctorum anni sequentis ista pecunia non exigatur. Episcopus Godefridus admisit terram de Kinthewyk; ne majorem Malverniam visitaret, sicut ipse aliquando fecit, & sui prædecessores Episcopi Wigorn. fecerant ab antiquo. vii. Cal. Decembr. Rex Edwardus, subjugatâ totaliter Walliâ, venit Wygorniam gratiâ visitandi S. Wlstanum, erga quem amorem habuit specialem. Rex Edwardus per totam Angliam cepit tricesimam omnium Temporalium; sed allocavit pecuniam eidem liberaliter priùs datam. Quidam Nobilis nomine Johannes Giffard providit locum Oxoniæ extra muros, & possessiones dedit ad sustentationem xiii. Monachorum, quos de Conventu Gloucestriæ elegit; volens animam suam & animam Matildis de Longespeye quondam uxoris suæ à professoribus S. Benedicti in perpetuum benedici. Kal. Januarii dedimus Ecclesiam de Seggesbery M. Johanni de Buterly tunc existenti in Curiâ Romanâ. *Reliqua exhibet Florilegus ad annum* 1282.

Anno MCCLXXXIV. obiit Reginaldus de Hamme Abbas Gloucestriæ; cui successit nobilissimus vir morum elegantiâ & parentum nobilitate Dominus Johannes de Gamages Prior Herefordensis; & benedicitur à Godefrido Episcopo Wigorn. Sacrista habuit capam ejus de baudekin cum vestimento. Misit Conventui ad pitanciam c. solidos per Fr. Johannem de Harleye Monachum Wygorniæ. vi. Idus Julii Episcopus visitavit apud Wigorniam. Regina peperit filium apud Kaernervan, quem vocavit nomine patris sui Edwardum, viii. Cal. Maii. Torneamento apud Kaernarven existente, multi Nobiles cum in quodam solario tripudiarent impudicè, corruente domo miserabiliter corruerunt. xiv. Cal. Septembr. Alfonsus filius Regis obiit. Aurifaber Londoniensis vulnerans Clericum fugit ad Ecclesiam B. Mariæ de Arcubus: propter quod amici ipsius vulnerati & ejus concubina custodem prædictæ Ecclesiæ ut se absentaret quadam nocte pecuniâ corruperunt; & eâdem nocte illum aurifabrum in eâdem Ecclesiâ ferro occiderunt, obturantes vulnus bombace, & in Ecclesiâ fune suspenderunt; facientes famam quòd seipsum interfecit. Sed postea cognitâ veritate, custos qui absentavit se, per-

petuo carcere damnatur; interfectores equis trahebantur, & ejus concubina comburebatur. xi. Cal. Novembr. M. Walterus Scamail consecratus fuit apud Sunninges in Episcopum Salesberiæ. Post octavas Epiphaniæ Justiciarii itinerantes sederunt apud Warewik. Rex Edwardus præcepit, ut collectores quindecimæ omnium spiritualium essent Londoniis in crastino clausi Paschæ cum omnibus rotulis & ureragiis trium annorum præcedentium, & cum primâ solutione vicesimæ anni intrantis ab Episcopis ei concessæ. Rex Edwardus apud Aberconwey, &c. *Vide cætera apud Westmonasteriensem ad annum* 1283.

Anno MCCLXXXV. tertio Idus Aprilis dedimus Vicariam de Hallawe Ricardo Capellano de Bradewas. iii. Non. Julii Johannes Archiepiscopus apud Malverniam majorem visitavit; & Conventum ibidem absolvit à sententiâ excommunicationis. Rex die Assumptionis fecit filiam suam nomine Mariam velari apud Ambresbury cum xiii. puellis filiabus Nobilium. Item dedit arma xliv. militibus apud Wintoniam die Nativitatis B. Mariæ. Item statuta sua per totum regnum Angliæ jussit firmiter observari. Item cepit scutagium per totam Angliam. Item Willelmus de Wykewone Archiepiscopus Ebor. obiit; & sepultus fuit apud Pontiniacum. ii. Non. Novembr. dedimus Ecclesiam de Iccumbe M. Radulfo de Wivile. viii. Idus Januarii cecidit nix alta; per quam pontes confracti fuerunt, & plures homines perierunt. Die S. Marci apud Caernarvon Snoudoniæ natus est Regi filius, &c. *Reliqua dabit Florilegus ad annum* 1284.

Anno MCCLXXXVI. Hoc anno obiit Alexander Rex Scotiæ xv. Cal. Aprilis. xviii. Cal. Julii dedimus Ecclesiam de Stoke Willelmo de Hengam. Nonis Julii Elianora mater Regis suscepit habitum Sanctimonialis apud Ambresburiam, Rege interim in Galliâ existente. ii. Non. Augusti dedimus Ecclesiam S. Swithuni M. Roberto Peet. iv. Cal. Januarii obiit Ricardus de Feckeham Prior Wygorniæ; & in die Circumcisionis à Godefrido Episcopo in Ecclesiâ fuit sepultus. Cui successit Philippus Aubin Subprior ejusdem domûs, in crastino Epiphaniæ Prior creatus, & in die S. Wlstani fuit installatus. Die Purificationis B. Mariæ dedimus Ecclesiam de Lindruge M. Johanni de Buterleyâ. v. Idus Februarii dedimus Ecclesiam de Seggesbury Nicholao de Dumbelton Subdiacono; quam noluit accipere, quia audivit quòd M. Johannes de Buterley eam resignavit in manus Episcopi tempore vacationis Prioratûs Conventu ignorante. ix. Cal. Martii Godefridus Episcopus intravit Capitulum cum Sæcularibus, quædam dura propositurus. vi. Cal. Martii Episcopus & Prior litem distulerunt. xiv. Cal. April. Willelmus Episcopus Landavensis obiit. Per idem tempus misimus procuratorium cum certo Procuratore ad Curiam Romanam. De terrâ Franciæ Rex Philippus egrediens. *Reliqua habet Florilegus ad annum* 1285.

Anno MCCLXXXVII. quinto Cal. Aprilis primò ostendit Deus mundo sanctitatem Thomæ de Cantilupo Episcopi Herefordensis per miracula manifesta. vi. Idus Aprilis Episcopus Godefridus sepelivit Robertum de Mortuo-mari coram altari SS. Simonis & Judæ in Ecclesiâ Wigorniæ Cathedrali. Justiciarii itinerantes sederunt apud Gloucestriam à Festo clausi Paschæ usque ad Festum S. Johannis Baptistæ, &c. v. Idus Junii Res Ab-meraduc non ferens injurias à ministris Regis sibi & aliis illatas, tria castra prostravit, & Constabularios cum omnibus aliis interfecit. Quidam pestilentes venenum vino miscuerunt; quo potu M. Hugo de Evesham Cardinalis vi. Cal. Augusti vitam finivit temporalem. Res Ab-meraduc se subdidit voluntati Regis tunc in Galliâ existentis. Illis diebus rumor ferebatur, quòd Guido de Monteforti navigans versùs Curiam navali bello superatus à Rege Aragonum xv. millibus interemptis captus fuit. xviii. Cal. Octobris propter periculum ignis amota fuit camera juxta capellam Infirmariæ; quam qui iterum reædificat,

cat, hoc eveniat ei quod reædificanti Jerico legitur Josue imprecatum. vii. Cal. Octobris Episcopus Godefridus visitavit curialiter. vi. Cal. Decembr. Abbas Westmonasterii Willelmum de Ledeburi Priorem Majoris Malverniæ deposuit; cui successit Ricardus de Eston, qui erga Willelmum de Wykewone aliquando extitit ingratus. vii. Cal. Februarii dedimus Vicariam de Gimele Simoni de la Frithe Capellano. Quia bestiæ sylvæ transeuntes terminos Herefordenses frequenter ibant & non revertebantur; Gilbertus Comes Gloucestriæ super Malverniæ montes fossatum fecit. iv. Idus Martii præsentavimus ad Ecclesiam Omnium Sanctorum Willelmum de Werministre. ii. Non. Martii M. Robertus de Fangef Archidiaconus Gloucestriæ obiit apud Voxhole; & xvi. Cal. April. sepultus fuit Wigorniæ ante altare S. Crucis in Ecclesiâ Cathedrali. Illis diebus juxta Wroccestre in loco quidem Bilebury per quendam incantatorem Diabolus coactus cuidam puero apparuit; & urnas & navem & domum cum immenso auro ostendit. Ecclesia de Bernwelle ictu fulguris cremabatur. vii. Cal. Aprilis Monasterium de Middeltoun in Wiltechire ignis consumpsit.

Anno MCCLXXXVIII. octavo Cal. Maii ignis veniens de incendio pistrini & bracini Ecclesiæ Persorensis clocherium primò invasit, & totam ferè cremavit Ecclesiam, & de villâ plusquam xl. mansiones. Tanta fuit copia frumenti & raritas monetæ; quòd quarterium vendebatur pro xviii. denariis. Die S. Jacobi in nundinis S. Botulfi ignis multorum mercatorum bona consumpsit. Pluribus expensis est facta domus beverensis; Antè fuit camera, sic parva capella coquina. xiv. Kal. Octobr. Episcopo Godefrido celebrante Ordines apud Westburie, Thomas de Wich. Cantor Wigorn. secundùm consuetudinem antiquam vocavit vocandos. Sed Johannes Ebroicensis Archidiaconus Gloucestriæ nepos Episcopi asserebat idem officium ad se pertinere. Unde innuente Episcopo Cantor violenter expulsus à Cancello fuerat; & statim appellavit pro statu Ecclesiæ Wigorniensis. ix. Cal. Octobr. apud Oxoniam in Prioratu S. Benedicti generale Capitulum extitit Monachorum. Per idem tempus [Episcopus] nitebatur Ecclesias Maneriorum suorum annectere ad Præbendas de Westburie. x. Cal. Januarii quibusdam Fratribus profitentibus, sicut mos est, in præsentiâ Domini Godefridi Episcopi, post Missam Stephanus de Witton Commonachus noster porrexit Episcopo literas inhibitorias; ne pendente in Curiâ Cantuariensi hujus appellationis negotio quicquam in partis præjudicium appellantis attemptaret. Et statim appellavit idem Stephanus Sedem Apostolicam, & pro tuitione curiam Cantuariæ. Post hæc mox Episcopus intravit Capitulum, & sic incœpit: Ego huc veni, ut corrigerem excessus cotidianos. Cui respondet Prior: Non pertinet ad vos Pater. Et Episcopus: Nonne facitis mihi professionem? Et Prior: Non, sed Deo & Ecclesiæ. Et iterum idem Stephanus appellavit; ne Episcopus tractando seu etiam aliqualiter faciendo contra ipsorum consuetudines & compositionis vim, seriem vel effectum. Deinde donationem factam de Archidiaconatu Wigorn. sede Romanâ vacante revocavit; quia illam Dominus Papa infirmavit. v. Idus Novembr. dedimus Ecclesiam de Bradewas Domino Waltero le Ster. vi. Idus Januarii Procurator Domini Francisci Archidiaconi Wigorn. installatus fuit post Vesperas per Nigellum le Waleys. iii. Idus Januarii Prior & sui non obtentâ pace & quiete, coram Episcopo renovaverunt provocationes & appellationes. xix. Cal. Februarii venit Episcopus cum suis ad ostium Capituli, petens ingressum ad corrigendum excessus cotidianos. Cui Prior respondit: Domine Pater ingredere secundùm compositionem in nomine Domini; & secundùm quod vos hactenus fecistis & antecessores vestri. Sed Episcopus noluit. Propterea appellavimus, & copiam ei dedimus. Post hæc Episcopus appellavit; sed nobis copiam negavit. xvii. Cal. Februarii misit Episcopus Clericos suos cum sigillo suo; & concessit

omnia

omnia spiritualia esse in eo statu in quo fuerunt xv. Cal. Octobr. hoc est pridie antequam Cantor expulsus esset apud Westbury, & compositionem antiquam stare in robore suo, & omnia mota causâ litis perpetuò non moveri, & mediantibus xl. marcis temporalia de Alveston suo tempore dimittebat; & per suum manifestè testabatur se ibi de amerciamentis tenentium Prioris nihil unquam per ministros suos recepisse. *Sequitur de liberatione Principis Salernitani.*

Anno MCCLXXXIX. tertio Nonas Junii obiit Johannes de Fernley Officialis Wigorn. ii. Non. Junii apud Bremesgrave Episcopo ibidem celebrante Ordines, non permisit Cantorem exercere officium suum; immemor pacis factæ, quam credimus esse Wallicam & inanem. Ante Pascha apud Bredone thesaurus Episcopi diminuebatur per fures usque ad valorem cc. marcarum. Die S. Jacobi M. Galfridus de Norwico consilio nostro adhæsit. iii. Non. Augusti Episcopus Godefridus extorsit à nobis ad Sacristariam Capellam de Graftone, quam recuperavimus in curiâ Regis, non allocans nobis pro laboribus & expensis, quæ per veram computationem ad cc. libras ascendunt per vii. annos placitando. ii. Idus Augusti post continuam moram trium annorum in transmarinis partibus Rex Edwardus & Regina applicuerunt apud Douram. A vi. Non. Julii usque ad iii. Cal. Augusti pro majori parte tempus pluviosum extitit & ventosum. Die S. Ægidii contra adnexionem Ecclesiarum ad Præbendas de Westbury Bulla venit. vi. Idus Novembr. apud Radinges dicta Bulla coram Judice ······ fuit audita. xvii. Cal. Januarii Willelmus de Braci fuit sepultus apud Malverniam Majorem. Miracula multa Deus ostendit in Capellâ de Abendon; quam Edmundus Comes Cornubiæ præcedenti anno admonitus in somnis ædificavit in loco, ubi B. Edmundus Confessor communem accepit nativitatem. iii. Idus Februarii habuimus diem apud Radingam; sed Decanus Eveshamiæ, qui fuit Judex delegatus, non venit, sed literam excusatoriam illuc misit. Kal. Martii corpus cujusdam civis Wygorniæ nomine H. Poche, resistentibus Fratribus Minoribus multis, Sacrista vi obtinuit, & in cœmiterio nostro tradidit sepulturæ. vi. Non. Martii Henricus de Culdewelle Abbas Persoræ obiit in manerio suo quod Leye ab incolis nuncupatur. xiv. Cal. Aprilis eidem successit Willelmus de Leya Celerarius ejusdem domûs; & fuit benedictus in Abbatem apud Withindon. Sacrista noster habuit capam ejus de baudekin & vestimentum de serico cum arboribus. Remisimus ei exhibitionem Conventûs propter combustionem Ecclesiæ illius. Nonis Martii G. portavit literas Regis & Reginæ & aliorum Magnatum; ut nos confirmaremus adnexionem Ecclesiarum ad Præbendas de Westburie. iii. Idus Martii Joiosa uxor Roberti de Mortuo-mari juxta eundem ad altare SS. Simonis & Judæ traditur sepulturæ. xv. Cal. April. Rex Edwardus declinans Monachos Eveshamiæ tanquam immunditias, apud Offenham fecit moram. Et xiii. Cal. April. Rex venit ad Feckeham, & xi. Cal. April. venit Wigorniam, cum processione ab Episcopo & Conventu susceptus. Et in crastino Missâ solemni de S. Wlstano auditâ, apud Humelton comedit, & ad Feckeham rediit. Item Vigiliâ Annuntiationis inquisitionem cepit de toto Comitatu; & Forestarios & quosdam alios de venatione indictatos incarceravit. Memorandum quòd Fratres Minores mendaciter nos ad Archiepiscopum accusabant, quòd à nobis fuerunt graviter cæsi & vulnerati: & ad aures Regis pervenit hujusmodi rumor falsus. Per idem tempus de sepulturâ taliter fuit ordinatum. In Cathedrali Ecclesiâ post Missam dictam pro mortuo, proviso quòd Ecclesia nihil perdat, si Fratres Minores possunt legitimè probare quòd corpora sibi sunt legata, ea liberè ad suam efferant sepulturam. Archiepiscopus accusantibus Fratribus pro eis nostro Episcopo hæc verba scripsit; quòd Monachi spoliis & plagis cum aliis injuriis in facto cujusdam funeris ab eis contra justitiam ablati ipsos nequiter

&

& crudeliter gravaverunt. Et addidit: Nos non intendimus istam nequitiam dimittere incorrectam; qui plagas Fratrum nec debemus nec possumus sine lacrimis tolerare.

Anno MCCXC. Quarto Cal. April. unusquisque indictatorum de venatione invenit sex plegios coram Hugone de Turbervile, qui eum manucaperent in periculo corporum suorum & omnium rerum veniendi coram Rege Nonis Aprilis apud Wodestoke, quæ die fuit tunc feria iv. in ebdomadâ Paschæ, Regis judicium vel misericordiam audituri. Sed quia non fuit alia judicii æquitas nisi Regis voluntas; taxata fuit Episcopi redemptio ad D. marcas, & Prioris ad cc. Die Martis in hebdomadâ Pentecostes x. Cal. Junii nuncii nostri amicis procurantibus convocati fuerunt coram consilio Regis; ubi vivâ voce exposuerunt damna & pericula quæ possent contingere Ecclesiæ Wygornensi, si Ecclesiæ pertinentes ad donationem Episcopi in Ecclesiâ de Westburi essent Præbendales: & lecta carta S. Wlstani, ubi jacta fuit ejus maledictio quâ innodantur qui à Monachis auferunt illum locum. Rex personaliter ad Consilium venit, nunciis interim recedentibus. Rex audito negotio & intellecto, nuncii revocantur. Tunc cœpit Cancellarius tepidè exponere Regis voluntatem. Sed Rex hoc intelligens, proprio ore nunciis sic respondit. Bene vellem, si vos velletis, Ecclesias fieri Præbendales. Sed damnum Ecclesiæ vestræ nolo. Facite quod vobis videbitur expedire. Præterea Consilium Regis intelligens omnes Præbendas Lincolnienses præter v. in manibus esse Romanorum, & Archidiaconatum Wigorn. similiter, & sic quæ possent ad Regem fortè spectare tempore vacationis ad Papam devolvi, non adquievit; quòd Ecclesiæ quæ quoquam modo ad Regis donationem possent venire, fierent Præbendales. Et Gilbertus Comes Gloucestriæ ait. Ecclesiæ pertinent ad Baroniam; ideo status Ecclesiarum non potest mutari plusquam Baroniæ. Pridie Cal. Maii idem Comes Johannam filiam Regis duxit uxorem. viii. Idus Junii venerunt nobis literæ de Curiâ Romanâ de Archidiaconatu tenendo ad firmam pro xc. marcis; & in Festo S. Johannis Baptistæ cœpimus, &c. Rex habens custodiam H. de Mortuo-mari, præsentavit Priori Johannem Gunni ad Ecclesiam Omnium Sanctorum, & Prior Episcopo; & x. Cal. Julii accepit administrationem. vii. Idus Julii Johannes filius Ducis Brabanciæ duxit uxorem Margaretam filiam Regis Angliæ. vi. Idus Julii de facto non de jure installati fuerunt apud Westburi Nigellus Walensis, Johannes de Redberne, Johannes de Bereford. v. Idus Julii apud Abindon Monachorum fuit Capitulum generale. Literæ Archiepiscopi venerunt ad Episcopum, jubentes eum corpus H. Poche exhumatum Fatribus Minoribus reddi sepeliendum; aut Priorem & Conventum citare, quòd proximo die juridico ante Ad Vincula S. Petri coram Archiepiscopo ubicunque esset comparerent; & eos qui manus violentas in Fratres injecerunt. Vigiliâ S. Jacobi Godefridus Episcopus personaliter cepit inquisitionem; & per Clericos & Laicos juratos invenit, quòd ultima voluntas defuncti fuit in cœmeterio B. Mariæ sepeliri: & quòd nullus Fratres per malum tetigit, sed turbâ comprimente ad cumulos fimi offenderunt & ceciderunt. In crastino S. Jacobi in viâ publicâ juxta Herforton Priore transeunte, Forestarii à garcionibus ejus arcus & sagittas abstulerunt, & ex utrâque parte cornibus ululabant; & ad hanc injuriam, patria convenit. iii. Cal. Septembr. ignis exiliens de carbonibus negligenter extinctis Ecclesiam S. Andreæ de Wichio & majorem partem villæ incendio conflagravit. Kal. Octobr. M. Willelmus de Luda, consecratur in Episcopum Elyensem. vii. Idus Novembr. Episcopus Godefridus cum cxl. equis venit; & per tres dies visitavit cum magnâ multitudine, procuratus primo die tantùm. In camerâ Prioris cubavit. Secundo die pro statu suo & Conventûs Prior appellavit. Quartâ die Episcopus iratus discessit; quia injustis Præbendis de Westbury majores Ecclesias Episcopatûs per sigillum nostrum noluimus adnectere

&

& confirmare. iv. Cal. Decembr. Elianora Regina obiit; & Londoniis xvi. Cal. Januarii ſepulta fuit. Die S. Luciæ Officialis Archidiaconi Priorem monuit per literas Archiepiſcopi; ut infra xv. dies funus H. Poche Fratribus redderetur, aut ex tunc Prior & majores de domo ſuſpenderentur. Hinc fuit proviſum & per Fratres mendaces firmiter promiſſum; quòd clam cum qua poſſent modeſtiâ cadaver aſportarent. Sed vice versâ in craſtino S. Thomæ Apoſtoli cum magnâ pompâ & tumultu, privilegium ſuum populo maternâ linguâ exponentes, & omnes quos poterant ad ſpectaculum invitantes, ad confuſionem noſtram per magnam plateam cum cantu tumultuosè illud efferebant. Nonis Martii W. Pœnitentiarius & H. de Cornera per præceptum Godefridi Epiſcopi cineres populo dederunt, & pœnitentes emiſerunt; Priore interim in Capitulo Conventui prædicante. Sed poſtea cineres Prior benedixit, & Conventui dedit; nec de officio Epiſcopi ſe intromiſit. iii. Idus Martii Edwardus Rex pro animâ Reginæ nuper mortuæ c. marcas nobis miſericorditer perdonavit: & cogitans Scotiam ſubjugare, in antiquis Cronicis de jure Regum Angliæ quæſitum & inventum eſt. x. Cal. April. litera Epiſcopi patens venit; in qua nobis multa inuſitata & præjudicialia patuerunt; contra quam per tabellionem ſtatim fuerat appellatum.

Anno MCCXCI. Tertio Cal. Maii contra gravamina Godefridi Epiſcopi eidem literam miſimus inhibitionis. Villam & Eccleſias Lichfeld. & habitationem Fratrum Minorum, excepto Clauſo & Eccleſiâ Canonicorum, ignis combuſſit. Die vi. Maii ſcripſit nobis Godefridus Epiſcopus neſcio quid cogitans, quòd in craſtino veniret ad nos de arduis negotiis ſtatum noſtrum & ordinem tangentibus tractaturus; & venit. Sed mediante Roberto Burnel Bathonienſi Epiſcopo tunc Cancellario, Epiſcopus noſter ſtatuta, quæ nos ſub pœnâ excommunicationis obſervare juſſerat, per ſententiam revocavit. Et ut omnes lites hinc inde uſque ad finem menſis Octobris ſub ſpe pacis quieſcerent, proviſum eſt. Tunc confirmavimus ſcriptum inter Epiſcopum Wigorn. & Comitem Gilbertum Glouceſtriæ de foſſato Malverniæ; in quo dicitur quòd Vigiliâ Aſſumptionis duo dami & Vigiliâ Nativitatis Domini duæ damæ dabuntur Epiſcopo annuatim; & nobis idem dabitur Sede vacante. v. Idus Maii Johanna Comitiſſa Glouceſtriæ peperit filium à Bathonienſi baptizatum; cui nomen imponitur Gilebertus. ii. Idus Maii apud Kemeſey coram Epiſcopo Bathon. Epiſcopus Wigorn. ſtatuta malitioſa caſſavit, adnullavit & revocavit, & conceſſit quòd Prior & Conventus ab exactione ſcutagii de Toteſton & de Lanverne ſint immunes; & ſuper hoc ipſis faciet omnem ſecuritatem, quam ſciverint providere. iv. Idus Junii in Hiberniâ apud Corc. Fratrum Minorum fuit Capitulum generale; ubi Fratres Hibernenſes venerunt armati cum quadam Bullâ; pro qua ortâ contentione contra Anglicos pugnaverunt, & multis mortuis & vulneratis hinc inde, Anglici tandem urbis auxilio cum Ordinis ſcandalo ſuperabant.

Bullæ Papales ſunt Fratribus exitiales.
Qui quondam mites, faciunt nunc prælia, lites.

v. Cal. Julii Regina Alienora mater Regis apud Ambrebury obiit Sanctimonialis; & iv. Idus Septembr. Rege præſente & multis Prælatis Angliæ ibidem ſepulta fuerat cum honore. Nonis Auguſti præſentavimus ad Eccleſiam de Humelton Magiſtrum H. de Raggeleye. Rex perſonaliter apud Bergevein inquiſivit per xxiv. veritatem de Caſtro, quod rebellante Comite Herefordiæ Comes Glouceſtriæ per vim conſtruxit. Citò poſt hoc Rege tranſeunte per Herefordiam, Juſticiarii illius de majoribus Herefordiæ fecerunt judicium: ſed juſtitiam Deus novit. v. Idus Novembr. Rex Edwardus venit Wigorniam. In craſtino S. Martini Rex diſceſſit versùs Fladebury. Dedimus ad petitionem

titionem Regis cuidam servienti suo per nostras literas victum & vestitum. Papa concessit Regi decimam omnium spiritualium secundùm verum valorem per vi. annos in subsidium Terræ Sanctæ. Die S. Luciæ innotuit nobis, quòd Episcopus Godefridus contra statum Capituli nostri Bullam pessimam impetravit. xix. Cal. Januarii dedimus Ecclesiam de Pakinton cuidam, cujus nomen & mores & faciem ignoramus. Prior factus fuit custos obventionum collectarum ad Terram Sanctam à Concilio Lugdunensi usque nunc & per vi. annos qui sequuntur in Episcopatu Cestriæ & Wigornensi. vi. Idus Januarii Fraude Capellani caput asportatur Alani. Die xiii. Februarii Archiepiscopus celebravit Concilium Provinciale; qualiter Terra Sancta recuperari valeat, & recuperata in posterum conservari. Et si Fratres Hospitalis S. Johannis & Fratres Militiæ Templi Hierosolymitani ad unius Ordinis unitatem seu religionis unionem auctoritate Apostolicâ sint uniendi. Et decrevit, quòd quilibet Episcopus, quod melius & efficacius sibi videbitur, in scriptis mittat auditoribus assignatis; & ipsi de omnibus consiliis inter se eliciant quid Archiepiscopus Domino Papæ potuerit pro consilio destinare. Rex actor & judex libertates decrevit suas esse, quas Marchienses & patres eorum habuerant ab atavis. vi. Idus Martii Rege procurante Papa misit quosdam, qui inquirerent verum valorem nostrorum temporalium undecunque. Liberiores nobis fuerunt Pharaonis Ægyptii sacerdotes. Gen. xlvii. *Joseph subjecit omnem terram Pharaoni præter terram sacerdotum.* En ut cernitis, & nos & terram nostram Pharao possidet.

'Edwardus Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquita-'niæ, dilectis sibi in Christo Priori & Conventui Wigorn. salutem. Mitti-'mus vobis sub sigillo Scaccarii nostri præsentibus appenso transcripta quarun-'dam literarum quæ in Thesaurariâ nostrâ resident tenorem qui sequitur con-'tinentes. A tuz iceaus ki ceste lettre verrount, &c. *Literas vide apud Florilegum ad annum* 1291.

Anno MCCXCII. duodecimo Kal. Maii in parte aquilonari principalis altaris ad detrimentum fundamenti Ecclesiæ M. Johannes habuit sepulturam. Fratres de Papâ Nicholao & de Archiepiscopo Johanne Cant. sic dicebant: Solem & Lunam sub nostro habitu nos habemus. Sed iv. Non. April. Sol cognovit occasum suum. v. Non Maii obstaculum navium cum serurâ in gurgite de Teukesbury patria delevit. Die S. Trinitatis per violentiam Processionum compugnantium sanguis in Ecclesiâ fundebatur; & tamen ut creditur non tetigit pavimentum; quod demum viii. Idus Junii nobis innotuit manifestè; qui post hoc simplici corde in Ecclesiâ celebrabant, à celebratione abstinuerunt, donec cum eis Episcopus dispensasset. Et ecclesiasticum officium totaliter in Capitulo dicebatur usque ad Vigiliam B. Barnabæ, quando Episcopus pollutam Ecclesiam purificavit. v. Idus Junii, sc. in Translatione S. Benedicti, per Nicholaum Sacristam templi facies adornatur, ponendo tabulas ex utrâque parte imaginis Matris Dei, continentes multarum imaginum pulcherrimam comitivam.

Lux magis est clara, quo major ponitur ara.
Et stat in altari frons sine fronte pari.

Miracula inchoata in die S. Trinitatis ad tumbam Adæ Monachi Gloucestrensis, ad honorem nominis Christi fidelium excitant devotionem. Prædicatores & Minores mali interpretatores caveant, ne in hoc facto jure dici debeant Antichristi. Die Assumptionis B. Mariæ obiit M. Radulfus de Pirie. xv. Cal. Septembr. dedimus Ecclesiam de Wlvardelew Magistro G. de Norwys. v. Cal. Septembr. Capitulum concessit M. Thomæ de Lughore pensionem xl. solidorum, donec providerimus in beneficio competenti. Ad Festum

ſtum S. Michaelis apud Norham Capitulum generale Monachorum fuerat celebratum; & iterum erit Oxoniæ anni circulo evoluto. vii. Cal. Novembr. Robertus Burnel Epiſcopus Bathoniæ obiit Cancellarius, Regi tam utilis, plebi tam affabilis, omnibus amabilis; vix noſtris temporibus illi ſimilis invenietur. iv. Cal. ejuſdem dedimus Eccleſiam S. Martini Waltero de Kemeſey Clerico Epiſcopi. Die S. Clementis fuit Robertus Epiſcopus Bathon. in Eccleſiâ Wellenſi tumulatus: & Johanna Comitiſſa Glouceſtriæ in caſtro de Kaerfili poſt partum filiæ purificata. In craſtino S. Nicholai Johannes de Peccham Archiepiſcopus Cant. apud Mortelake mortem invenerat temporalem; & xiv. Cal. Januarii cum ſuis anteceſſoribus habuit ſepulturam;

Sol obſcuratur, ſub terrâ Luna moratur;
Ordo turbatur, ſtellarum lux hebetatur.

Die S. Johannis Apoſtoli apud Theokesbury venit ſpiritus procellæ cum tonitruo & fulgure vehementi; ex quibus ignis comburens & non illuminans exiit, & combuſſit Clocherii ſummitatem. Hoc anno Juſticiarii itinerantes natione Aquilonares, ſc. Johannes de Berewyk & alii, in æſtate apud Herefordiam, & in hyeme apud Salopesbiriam placitabant; & poſt natale Domini apud Lichfeld incœperunt; ſed ad Staffordiam fuerant revocati. Eo tempore Hugo de Craſingham & Willelmus de Mortuo-mari Clericus & alii natione Occidentales in partibus Aquilonis Juſticiarii extiterunt. Idibus Februarii M. Robertus de Winchelſeye Archidiaconus Eſtſexiæ in Cantuarienſem Archiepiſcopum fuerat electus.

'Mun Seignur Sire Edward Rey de Engleterre è ſovereyn ſeignur du Re-'aume de Eſcoce, jeo Johan de Baillol Reys de Eſcoce devenk voſtre homme 'lyge de tot le reaume de Eſcoce oue lés aportenaunſes, e od kant ki apent le 'quel ieo tenk e dey e dreyt e cleym pur moy e pur mes heyrs Reys de Eſcoce 'tenyr heritablement de vus e de vos heyrs Reys de Engleterre de vie e de 'membre e de terrien honur coutre totes gens ki poent vivere ou mourir: e 'le Reys le receit en la furme ſauue ſeon dreyt e le dreit autri. i. ceſt homage 'fu fet au Neof Chaſtel ſur Tyne en Engleterre le jour Seint Eſtienne, le an 'de grace MCC. nonante e deus, e du regne le Reys Edward XXI.

Anno MCCXCIII. decimo ſexto Cal. Junii M. Willelmus de Marchiâ in Bathonienſem Epiſcopum conſecratur. Barones quinque Portuum dolentes ſocios ſuos à Normannis truncatos, inter canes ſuſpenſos & excoriatos, Idibus Maii cum homicidis navale prælium commiſerunt, & interfectis bellatoribus & nautis navium CCXLVI. cum prædâ maximâ victores Anglici redierunt: per multitudinem navium numeroſitas interfectorum poterit cogitari. Londonienſes per cædem civium & direptionem rerum & libertatum ſe offendiſſe quondam Regem vel propinquos ejus poſſunt infallibiliter æſtimare. Nam Daviticam offenſam contra Joab & Semei Solomonis ſapientia vindicavit. Cum Thomas Monachus in Curiâ Romanâ vi. annos & amplius continuaſſet; xvi. Cal. Julii rediit debilitatus, & gravatus quòd ſede Romanâ vacante ejus mora inutilis videbatur. iii. Non. Septembr. Altare ſplendidum ſplendidius efficitur per appoſitionem tabulæ Paſſionis. xv. Cal. Octobr. quia in arenti terrâ ſtat Eccleſia de Wlvardeley; dedimus Magiſtro G. de Norwiko Eccleſiam de Overebury, quæ irriguam terram habet. xii. Cal. Octobr. apud Briſtolliam Edwardus Rex Henrico Comiti de Barres Elianoram filiam ſuam primogenitam dederat in uxorem: & Archiepiſcopus Dublinenſis eccleſiaſticum officium adimplevit.

Mos hujus terræ non eſt confeſſa referre.
Funus Walteri ſuper hoc vult teſtis haberi.

Qui existens Lector Fratrum Minorum Herefordiæ, cujusdam viri confessionem audivit, & eam detexit. Unde postea confitens erubuit, & in irâ Fratrem illum cum secure in capite percussit, & ei imposuit silentium sempiternum. v. Idus Januarii dedimus Ecclesiam de Wlvardeley M. Willelmo Hondsum de Gloucestriâ. Die xvi. Februarii venit Clericus Regis cum oblatione Regali, & obtulit B. Wlstano monile aureum & ad magnum Altare duos pannos aureos; quia tunc Rex cogitaret quòd transiret in Franciam festinanter. Eodem die Capitulum ordinavit, quòd qualibet hebdomadâ pro Rege tres Missæ celebrentur de S. Wlstano, donec Rex ad Angliam prosperè rediret.

Gallorum levitas Germanos justificabit.
Italiæ gravitas Gallos confisa necabit.
Gallus subcumbet Aquilæ victricia signa.
Mundus adorabit: erit urbs vix Præsule digna.
Constantine cades & equi de marmore facti,
Et lapis erectus in alta palatia Romæ.
Terræ motus erit. Quæ non procul auguror esse.
Mille ducentenis & nonaginta sub annis
Et tribus adjunctis, consurget Aquila grandis.
Papa citò moritur; Cæsar regnabit ubique;
Sub quo cessabit tunc vana gloria Cleri.

Anno MCCXCIV. Regem Angliæ absorbuit immoderatus amor mulieris Gallicæ & neptis propriæ; cui incauti internuncii promittebant, quòd si Regem Franciæ cum Gasconiâ feofaret, illam mulierem cum Gasconiâ feofatam reciperet, ut optavit. Sed Rex Anglorum fraudem Gallicam non advertens, contra consilium suorum fidelium, & præcipuè Johannis de Langeton Cancellarii, his diebus per Cartam sigillo suo signatam de Gasconiâ Regem Franciæ feofavit. Sed non multò pòst Rex Franciæ omnia quæ Rex Angliæ in transmarinis partibus habuit, proprio judicio abstulit violenter. Hæc est causa, quare Rex Angliæ indignabatur, sc. à muliere se contemni & Francorum fraudibus se decipi vel deludi. Circa Pentecosten habito consilio cum suis militiam electam cum multitudine peditum & classe terribili; ut Francorum superbiam flammâ & ferro mediantibus edomaret. Sed erat eis ventus contrarius; & ferè usque ad Assumptionem in partibus de Portesmuthe exercitus morabatur. Et hæc interim contigerunt. xix. die Junii edictum, quòd indictati de latrocinio vel de morte hominis vel de Forestâ & de feloniâ qualicunque vel proscripti, qui possent salvos manucaptores per se vel per amicos invenire, qui Regis exercitum versùs Vasconiam vellent sequi; Rex quantum in se est concedit omnibus talibus pacem suam. Scito per ministros Regis summâ saccorum lanæ diligenter scrutatâ in Angliâ & inventâ, Rex decrevit, quòd de singulis saccis lanæ approbatæ v. marcas, & de sacco communis lanæ iii. marcas Regi redderent venditores. Die iv. regii scrutatores in omnibus locis suspectis scrinia signabant, ubi maximum depositum putabatur. Rex Angliæ sciens quia victoria de cœlo est, per literas petiit, quatinus ab omnibus sic oretur, ut Regis Regum dextera assumptum negotium sic disponat, quatinus Deo cedat ad gloriam, & ad regni Angliæ commodum & honorem. Rex noster per nuncios solemnes misit Regi Alemanniæ lx. mille libras; ut ejus esset amicus & inimicis ejus totaliter inimicus. Et eundo his rebus prosperè peractis, redeundo cùm essent naves Angliæ cxl. Gallici cum navibus ccxx. cum eis navale prælium commiserunt. Et xix. die Julii Gallicis illis interfectis, & xl. navibus submersis, cum clxxx. navibus captis, victores Anglici redierunt. Sed quia quosdam socios optimos amiserant, non fuit victoria sine luctu. Primâ die Septembris Rex venit serò ad S. Wlstanum,

num, & à Conventu audivit ſolemnes verſus de ipſo Sancto, & Miſſam in craſtino Epiſcopo celebrante. Et obtulit ad tumbas iv. firmacula aurea cum vi. marcis; & versùs veſperam rediit ad Perſoram. Die xix. Septembris Rex habuit colloquium Londoniæ cum omnibus Epiſcopis & Archidiaconis & Abbatibus; & Clerus ibi ſimiliter habuit Procuratores. Ubi licèt inviti omnium bonorum ſuorum medietatem Regi publicè conceſſerunt. Et tale edictum fuit propoſitum; quòd quicunque huic exactioni contradicerent, à regno & Regis gratiâ fierent alieni. Die xxii. M. Willelmus de Monte-forti intrando ad Regem ſubitò cecidit & exſpiravit. Wallicis videbatur, quòd nimis opprimebantur cuſtodibus Anglicanis. Convenerunt igitur xxix. die ſimul; & omnes Anglicos, quos apprehendere poterant, cum mulieribus & parvulis peremerunt. Idibus Octobris convenientibus nobis in unum, omnia onera portabilia & importabilia libenter ſuſcepimus; quando ix. Fratres cum Priore de ſubtractione providè pròvidebant, præter diminutionem panis cotidiani, quem nobis B. Wlſtani ſanctitas dereliquit, qui communiter dicitur quòd hoc non fieret anathemate interdixiſſe. Die xxi. Novembris Rex Edwardus venit Wigorniam, & die S. Katerinæ Miſſam audivit de S. Wlſtano Priore celebrante; & in craſtino versùs Ceſtriam iter ſumpſit. Die viii. Decembris Walenſes cum igne & armis undique hoſtiliter Rex invaſit. Circa idem tempus Rex cepit decimam bonorum omnium liberorum, & ſextam partem Eccleſiarum infra x. marcas æſtimatarum; & de propriis maneriis & de civibus & mercatoribus idem fecit. x. Cal. Januarii M. Willelmus de Glouceſtriâ Eccleſiam de Wlvardeleye reſignavit; & in Kalendis ejuſdem repræſentatus fuerat ad eandem. M. Robertus Electus Cantuarienſis à Domino Papâ invitis Fratribus Minoribus conſecratur; & applicuit apud Gernemuthe primâ die Januarii, ut audivi. vi. Idus Januarii Epiſcopo in grabbato apud Hercelbun decumbente, Thomas de Hundelep & Thomas de Wich. provocationes & citationem Curiæ Cant. ſuper Præbendis & aliis gravaminibus coram eo publicè innovabant. Die xiii. Februarii Comes Herefordiæ cum aliis Nobilibus & patriæ Comitivâ amovit obſidionem Wallenſium circa Caſtrum de Bergeveni, & terram eorum combuſſit, & maximam prædam abduxit, & populum ſine numero interſecit. Die v. Martii Willelmus de Bello-campo Comes Warewik commiſit bellum cum Wallenſibus in loco qui dicitur linguâ eorum Meiſmeidoc; & proſtravit ex illis de nobilioribus DCC. viros, præter ſubmerſos & lethaliter vulneratos. Sed Madocus Ap Lewelin eorum Princeps cum dedecore vix evaſit. *Sequuntur res Anglorum in Vaſconiâ hoc anno geſtæ.*

Anno MCCXCV. Rex poſt Paſcha cum ſepties ······· navibus bellicis intravit Angleſeyam; & eodem tempore cum his qui oderunt pacem erat pacificus, recipiendo xi. millia Wallenſium ad pacem ſuam. Sed voluntas Regis indeterminata Wallenſium pax fuerat illâ vice. Tunc fundato Caſtro, quod vocatur Beaurmareys, & deputatis ibi cuſtodibus, ſuperiores partes Snoudoniæ pertranſivit. Deinde mandavit Domino Willelmo Comiti Warewik, quòd in partibus Meronnith ſibi occurrat. Et Comes in manu validâ xiii. die Maii de Mungomeri movit caſtra. Tranſeunte Rege ad partes Walliæ meridionales, Abbas de Stratflur ſtultè promiſit Regi, quòd certo die & loco Comitatum de Cardigan adduceret ad pacem Regis. Sed Rege cum exercitu armato diutiſſimè expectante, ibidem de Wallenſibus nullus venit. Ideo iratus dixit: Accendite, accendite. Et ſic ignis qui nunquam dicit, Sufficit, ſimiliter Abbatiam & patriam involvebat. Poſtea Morgan, qui illius patriæ Princeps dicebatur, Comite Warewik ducente, cum DCC. viris venit ad pacem Regis. Die xxix. Maii, qui tunc fuit dies Trinitatis, ignis negligenter ad veſperas deportatus habitaculum Fratrum Minorum Staffordiæ totum crudeliter examinavit. Die viii. Junii Walterus Perſona de Tredinton

dinton obiit. v. Cal. Julii venerunt Londonias Prænestinus & Albanensis Episcopi Cardinales cum multâ comitivâ; sed signa Papalia non habebant. Die iv. Julii Rex misit Johannem Buceturte versùs Vasconiam ducentem xii. millia peditum electorum. Die xx. Julii Rex & sui manè Wigorniam navigio venerunt; & die eodem vesperas, & in crastino Missam de S. Wlstano fecit solemniter decantari: & obtulit firmaculum xi. marcarum B. Wlstano, & unum c. solidorum B. Oswaldo, & duos pannos nobiles ad altare. Deinde post Missam Rex flexis genibus coram S. Wlstano, astante Priore & Cantore, dixit: Quid retribuam B. Wlstano pro omnibus, quæ suis sanctis precibus retribuit mihi? Hoc exiguum voveo coram Deo & Sanctis ejus, sustentationem trium Monachorum & duorum cereorum coram Sancto ardentium, cùm providebitur meis sumptibus adquietabo. Duo nuncii Domini Papæ duplicem Procurationem sc. vi. marcas ubicunque Ottobonus procurationem habuit, exigebant. Gallici portum de Dovere invaserunt, & partem combusserunt, multa asportaverunt, fœminas rapuerunt, Monachum infirmum occiderunt, & recesserunt. Sed iterum redierunt, ut facinus ampliarent; & sic cc. de sociis suis amiserunt, præter eos quos absorbuit aqua maris. Ultimo die Julii Madocus Ab Lewelin ducente Domino Johanne Haveringe venit cum suâ familiâ ad pacem Regis. Eodem tempore Conan apud Brekenoc, fingens se esse leprosum, capitur & Regi mittitur; qui reclusit eum, non tamen vii. diebus, sed donec posset inter lepram & lepram discernere secundùm legem. Ad Vincula S. Petri Rex tenuit Parliamentum Londoniis; ubi uterque Cardinalis pro guerrâ, quæ orta est inter Regem Angliæ & Regem Franciæ, de pace publice prædicavit. Quibus Rex respondit; quòd adquiesceret paci, quæ idonea sibi & suo esset regno: sed quòd confœderatus fuit Regi Alemanniæ, ideo sine ejus assensu contra suum honorem esset pacem concedere sive treugam. Deinde auditis gravaminibus regni Angliæ, Cardinales cum Clericis Angliæ ad Regem Franciæ redierunt; & alii nuncii Regi Alemanniæ mittebantur. Die xiv. Septembris apud Hereford Conan, unus ex quatuor Ducibus Wallicorum qui infideliter portabant arma contra Regem, equis ad suspendium trahitur sub cratem. Thomas de Turbervile miles de familiâ Regis convictus fatebatur, quòd Rex Franciæ promisit ei Walliæ principatum, si Regem & regnum perderet Anglicorum; & spospondit, & quærebat opportunitatem sæpissimè quomodo Regem interficeret; quod non permisit Deus. Ideo viii. die Octobris Londoniæ per larvales homines teterrimos coram Judicibus ductus, dixit judicandus. In hoc negotio non sum solus. Et super corium bovinum tractus, ne concitò moveretur, nec Deum nec Sanctum aliquem invocavit; sed sine devotione & impœnitens suspendebatur. iii. Non. Octobr. dedimus Ecclesiam de Doddeham cum Capellâ de Kinthwyk Roberto de Barnebi, petente Priore, postpositis omnibus parentibus Monachorum. Die xxiii. Julii Episcopus Godefridus contulit M. Thomæ de Stoke Ecclesiam de Kemesey, & M. Johanni de Evereus Ecclesiam de Tredinton, & M. Waltero Burdun Archidiaconatum Gloucestriæ. Papa Bonifacius contulit Ecclesiam de Blokele Bartholomæo de Ferentino vacantem per mortem Petri de Escoce, qui obiit Anagniæ vii. Idus Augusti procurando Ecclesias Episcopi fieri Præbendales contra commodum Ecclesiæ Wigorn. Die xiii. Novembr. Robertus de Clifford duxit uxorem filiam Thomæ de Clarâ neptem Comitis Gileberti. Post diem Animarum iv. Monachi cum Ricardo de la Linde Clerico testes fuerunt recepti & examinati Londoniis in Ecclesiâ B. Mariæ de Arcubus ad probandum, quòd Episcopus Ecclesias de patronatu suo in Ecclesiâ de Westburie præbendavit. Et ad Festum B. Katerinæ idem fuit factum de vii. senibus & valetudinariis per Magistrum W. Brun Rectorem Ecclesiæ de Lak in Ecclesiâ Wygornensi. Die vii. Decembris Gilebertus Comes de Clarâ & Hereford obiit; & xxii. die apud Teukebury cum patribus suis eum Godefridus

fridus Episcopus sepelivit. Die xxviii. Novembris Rex ad Archiepiscopum Robertum sic personaliter loquebatur: Vobis regratior de curialitate anno præterito mihi factâ. Sed quòd vestro adjutorio plùs indigeo nunc quàm tunc; ideo peto, quòd sicut promisistis idem adjutorium ad guerram meam ulteriùs impendatis. Tunc Archiepiscopus habito consilio cum Clero bonorum Ecclesiæ Regi decimam offerebat. Sed Rex hoc pro nihilo reputavit; & suos Justiciarios ad eos misit, qui minando consulebant ut Regi facerent voluntatem, & contradictorum nomina eis traderent. Tunc Archiepiscopus: Absit ut inter caput & membra divisio fiat ulla; ad unum & idem voluntas omnium inclinatur. Item Archiepiscopus dixit Prælatis Ecclesiæ: Consulite de his; sed noscite quòd sine adjutorio se & vos Rex non potest defendere contra hostes. Responderunt: Juvabimus de periculo; quòd fortè Papa dicet; Clerus fovet illos, qui contra jura destruunt Christianos. Et illi: Regem nostrum sustinemus; qui repetit suum quod Regi tradidit infideli, sed regnum non appetit alienum. De difficultate, quòd per multas præstationes, sc. decimæ, vicesimæ, tricesimæ & hujusmodi, Rex thesauros Ecclesiæ exhausit. Et illi: Ideo Clerus minùs præstare poterit istâ vice. Tunc Archiepiscopus de consilio Cleri Regi obtulit illud idem sc. decimam; hoc tamen addito, quòd si in sequenti anno bona pax non fuerit vel treuga de qua spes pacis concipi non potuerit, Regem secundùm quod potuerint adjuvabunt. Quam conditionem vultu placido Rex accepit. Rex constituit certos custodes super omnes possessiones ad transmarinos Monachos vel Canonicos pertinentes; & unicuique per hebdomadam xviii. denarios jussit dare. Et si in propriâ custodiâ res suas voluerint tenere; unusquisque vi. manucaptores, quorum quilibet xx. libratas terræ habuerit, Regi inveniet; quòd de extentâ rebus impositâ ad Regis Scaccarium fideliter respondebit. Die xv. Januarii apud Plimhuthe in Cornubiâ Edmundus germanus Regis & Henricus Comes Lincolniæ cum xxv. Baronibus & mille equis coopertis & x. millibus peditum transfretabant. Die iii. Januarii Rogerus Episcopus Cestriæ sepultus fuit apud Lichfeld; & plures ibi fuerunt, qui ad exequias illius funeris transactis xxx. annis libentiùs venissent. Die ix. Januarii M. Reginaldus de Henton familiares Clericos Episcopi juratos examinavit de Præbendationibus factis in Ecclesiâ de Westburi, reclamante Capitulo Wigorniensi. Die xi. Januarii obiit Nicholaus de Dumbelton; pro quo tenemur solvere annis singulis l. solidos Sacerdoti Sæculari celebranti pro animâ ejus, dum duraverint l. marcæ, in quibus ei communitas tenebatur; & Eleemosinariæ xii. libræ remittebantur, ut fiat pro mortuo partitio secundùm conscientiam distribuentis. Ante Pascha Rex venit contra Scotos cum MMD. equis coopertis & xl. millibus peditum electorum. Tota lingua Walensium de Glamorgan elegerunt sibi Capitalem, viz. Rees ap Morgan; qui subitò cœperunt expugnare Comitem Gloucestriæ; & castra de Morlers & Kenles & alia plura ceperunt & prostraverunt; & sic mota est guerra inter Comitem & homines suos. Item Rex penetravit totam Walliam juxta castrum de Morlers; omnes Walenses de dominio Comitis Gloucestriæ Rex suscepit ad pacem suam contra voluntatem dicti Comitis; & dedit eis custodem Dominum Walterum Hackelute. Item Rex rediit de Suthwalliâ versùs Northwalliam; & à Northwalliâ iter arripuit versùs Londoniam pro adventu duorum Cardinalium, qui missi fuerant ad tractandum de pace inter Reges Franciæ & Angliæ; & responso accepto redierunt in Franciam. Item Rex Angliæ cum maximo exercitu iter arripuit versùs Scotiam; quia Rex Scotiæ contra homagium suum, quod fecerat Regi Angliæ, adhærebat Regi Franciæ; volens prodere Dominum suum Regem Angliæ de dominio regni Scotiæ. Item Cardinalis Albanensis rediit de Franciâ in Angliam, & venit ad Regem apud Berewik in Scotiâ ad tractandum de pace.

Anno

Anno MCCXCVI. In die Paschæ, qui tunc contigit die Annuntiationis Domini, Widonem filium Willelmi Comitis Warewyk cum multis aliis filiis Nobilium Rex accinxit gladio militari. Penultimo die Martii Rex civitatem Berewyk vi & armis superatam ante vesperam expugnavit; & iratus exercitus pro morte Ricardi fratris Comitis de Cornubiâ & pro quibusdam nautis interfectis, multos de civibus interfecit. Cùm audisset Comes Patritius, quòd uxor ejus & filii in castro suo de Donbar obsidebantur; cum ccccxxxvi. equis coopertis & vi. millibus peditum acceptis à Rege venit ut obsidionem Scoticam amoveret. Et ob iter audivit, quòd adversariis suiis redditum esset Castrum. Sed nihilominus castrum circumdedit obsidione. Et xxvii. die Aprilis Comes de Marinon & Alexander de Bailol cum M. equis, ex quibus quingenti fuerant ferro cooperti, & XL. millibus peditum super nostros de Scotiâ venerunt. Cum quibus commiserunt Johannes Comes de Warrenna & Willelmus Comes Warewik cum aliis Nobilibus Anglicanis, dimissis pueris regiis ad custodiam castri. Ad quos Ricardus Siward & Willelmus de Seint-Cler exierunt, sed non redierunt. Et commisso prælio Ingramum de Bailol & Episcopum de Aberden & Patricium de Graham cum multis Nobilibus & tribus millibus peditum per agros mortuos reliquerunt; & nullus de nostris cecidit, sed tantùm fuerunt duo milites vulnerati. Et obsessi Regi castrum in crastino reddiderunt; quod Rex Comiti Patricio redonavit; & nobiliores infra inventos suis fidelibus tradidit custodiendos, ut Comiti Warewik Comitem de Aseles, & sic de aliis. Edmundus frater Regis in Gasconiâ obiit, ducendo exercitum Anglicorum. Vir magnæ perfectionis & eximiæ sanctitatis Dominus Philippus cognomento Aubin, Prior Ecclesiæ Cathedralis Wygorniæ, Nonis Julii obiit; & eum Abbas Eveshamiæ vi. Idus postea sepelivit. Cui successit Symon de Wyre Subprior ejusdem domûs; quem iii. Idus ejusdem mensis præfecit Episcopus in Priorem. In mense Augusti Johannes quondam Rex Scotiæ ductus Londoniis à Rege deputatam recepit comitivam, cum qua ab urbe potuit egredi & per spatia xx. leucarum per patriam spatiari. Thomas de Seggesberye Commonachus noster habens de pitanciâ nostrâ xx. libras anni præteriti, xv. Cal. Octobr. iter arripuit versùs Romam. ix. Cal. Octobr. Symon Prior fuit installatus per Officialem Archidiaconi; cui Godefridus loci ejusdem Episcopus & Willelmus Comes Warewik & Edmundus de Mortuo-mari per suam præsentiam honorem maximum in convivio faciebant. Jacobus de Bello-campo miles defunctus in senectute bonâ, amicus Ecclesiæ Wigorn. Non. Octobr. in eâdem meruit sepulturam. Willelmus de Molendinis iii. Cal. Novembr. morte præventus, partem Orientalem Ecclesiæ S. Oswaldi, quam de terrâ levaverat, non perfecit. Ad altare S. Crucis, ubi nunc jacet, vasa sufficientia providebat, & annuum redditum xii. solidorum ad luminaria sustinenda, &c. xix. Cal Februarii convenientibus in unum apud Londoniam Roberto Archiepiscopo & Clero; non videbant viam per quam Regi quicquam possent promittere aut donare propter quædam verba in Constitutione Papæ Bonifacii VIII. sic inceptâ: 'De 'fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolicâ statuimus; quòd qui'cunque Prælati Ecclesiasticæque personæ Religiosæ vel Sæculares quorum'cunque Ordinum, conditionis seu statuum, collectas vel tallias, decimam, 'vicesimam seu centesimam suorum & Ecclesiarum proventuum vel bonorum 'Laicis solverint vel promiserint vel se soluturos consenserint, aut quamvis 'aliam quantitatem, portionem aut quotam ipsorum proventuum vel bono'rum, æstimationis vel valoris ipsorum, sub adjutorii, mutui, subjectionis, 'subsidii vel doni nomine seu quovis alio titulo, modo vel quæsito colore, abs'que autoritate Sedis Apostolicæ; nec non Imperatores, Reges seu Principes, 'Duces, Comites seu Barones, potestates, Capitanei, Officiales seu Recto'res, quocunque nomine censeantur, civitatum, castrorum vel quorumcun-

'que

'que locorum constitutorum ubilibet; & quivis alius cujuscunque præ eminentiæ, conditionis & statûs, qui talia imposuerint, exegerint vel receperint, aut apud ædes sacras deposita Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum ubilibet arrestaverint, saisiaverint seu occupare præsumpserint; vel arrestari, saisiri aut occupari mandaverint; aut occupata, saisita seu arrestata receperint; nec non omnes qui scienter in prædictis dederint auxilium, consilium vel favorem, publicè vel occultè; eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Die Purificationis B. Mariæ in Capellâ de Walsingham juraverunt pro Rege de pactis tenendis Hugo le Despenser & Dominus Walterus de Bello-campo; & pro Comite Flandrensium Dominus de Bomund & Dominus de Cut de certis articulis. Et maritagium inter Edwardum filium Regis & filiam Comitis factum est; & habebit centum millia marcarum, ut ducat filiam Comitis Flandriæ in uxorem. Thesaurum Comitis Cornubiæ sumptibus Comitis ad Londoniam Rex adduxit de castro, quod Berchamstude Anglicè nominatur. Clerus cum B. Laurentio regiæ voluntati thesauros Ecclesiæ non exponens, sicut priùs frequenter fecerat, iram regiam sic accendit; ut contra Clerum ita scriberet universum. Sed caveat unusquisque, ne Papalis dignitas offendatur. 'Edwardus Dei gratiâ, &c. 'Vicecomiti Wigorniæ salutem. Propter aliquas certas causas tibi præcipimus; quòd omnia laica feoda totius Cleri in baillivâ tuâ tam Archiepiscoporum, Episcoporum & Religiosorum quàm aliorum Clericorum quorumcunque, cujuscunque statûs existant, unà cum bonis & catellis in eisdem inventis, sine dilatione capiatis in manum nostram, & ea salvò custodire faciatis; 'ita quòd nec ipsi nec aliquis per ipsos ad ea manum imponant, donec aliquid 'inde præceperimus; & hoc nullo modo omittatis. Teste meipso apud Ely 'xii. die Februarii. Et in aulâ Regis Johannes de Meringham publicè proclamavit; ne quis causas in curiâ Regis Religiosorum defenderet vel Clericorum; sed Laicorum causæ procederent sicut priùs: & quòd Religiosi & Clerici fuerunt extra pacem & defensionem regiam, pronuntiavit: & quòd nullum Breve transgressionis de Cancellariâ exiet pro Religioso vel Clerico qualicunque, quocunque modo gravati fuerint contra pacem. iii. Cal. Februarii tale fuit Regis consilium, quòd præciperet præscriptam duritiam fieri contra Clerum. Sed dies illa dies iræ; quia eâdem die meliores & nobiliores de exercitu Regis in Gasconiâ oppressi Gallicâ multitudine ceciderunt. Item contra Religiosos & Clericos fuit propositum hoc edictum. 'Omnia mobilia 'sua perdent, nisi Regis voluntatem fecerint citra Pascha; & feoda annexa 'Ecclesiis vel hæreditate contingenda per annum in suis manibus Rex tenebit: post hoc per breve eschaetæ capitales Domini feodum recuperabunt. 'Ex tunc tales nec ement nec vendent; nec præsumat aliquis talibus deservire, seu aliàs communicet quoquo modo. Et si resistant spoliatoribus, incarcerentur. vi. Idus Martii dedimus Ecclesiam B. Swithuni M. Henrico de la Lec. xv. Cal. April. dedimus Henrico de Bluntesdone v. marcas annuæ pensionis. Item Dominus Papa Bonifacius in favorem Ecclesiasticæ libertatis autoritate Apostolicâ sub majoris excommunicationis sententiâ inhibuit, ne Prælati & Ecclesiasticæ personæ, cujuscunque dignitatis, statûs aut conditionis existant, sub adjutorii intuitu aut doni nomine, Imperatoribus, Regibus seu Principibus absque Sedis Apostolicæ autoritate & licentiâ aliqua de cætero conferant subsidia.

Anno MCCXCVII. In Vigiliâ Annuntiationis Londoniis in Convocatione Prælatorum coram Archiepiscopo tres Milites & tres Clerici nuncii Domini Regis schedulas Gallicè scriptas prætendebant; ne ipsi vel per eos aliqui contra Dominum Regem vel aliquem suorum vel sibi adhærentium vel protectionem habentium aliquid consulere vel agere attemptarent. In fine Concilii dixit Archiepiscopus. Universos & singulos propriis conscientiis

vos

vos dimitto. Sed mea conscientia pro Rege, protectione vel alio colore dare pecuniam non permittit. Papa Bonifacius VIII. Clero Franciæ ita scripsit. 'Licèt constitutionem ediderimus pro ecclesiasticâ libertate; non tamen fuit 'nostræ mentis intentio ipsi Regi aliisve Principibus Sæcularibus in tam arcto, 'necessitatis articulo, præcipuè ubi ab extrinsecis injusta timetur invasio, & 'ab intrinsecis ejusdem regni subversio formidatur, ac etiam Prælatorum, 'Ecclesiarum, personarum ecclesiasticarum eminens periculum imminet, vi-'am subventionis excludere; quo minùs ipsi Prælati, Ecclesia, Ecclesiasticæ-'que personæ libero arbitrio atque sponte de nostrâ licentiâ pro communi de-'fensionis auxilio, in quo proprium cujuslibet interesse conspicitur, Principi-'bus ac sibi ipsis provideant juxta suarum modum facultatum. x. Cal. Junii dedimus quintam partem bonorum nostrorum, sc. LX. libras; ut regia protectio defenderet nos & nostra. xii. Cal. Maii Johannes Chainel missus à Rege cepit lanam & pelles laneas & salita coria cujuscunque fuerant ad opus Regis. Et simpliciores facientes de lanâ propriâ sibi vestes, comprehendebantur, ut majestatis regiæ contemptores. Item Rex præcepit; quòd Vicecomes c. boves crassas & cc. arietes in Comitatu suo ante Pentecosten modis omnibus provideret. Papa Bonifacius VIII. Monachos non diligit nec quoscunque alios Religiosos; quia his depositis in Ecclesiis nobilibus plantat contra statuta evangelica Sæculares. Suscepimus firmam Archidiaconatûs Wigorniæ ad quinquennium, solvendo xc. marcas Londoniis annuatim. Die S. Laurentii Robertus Archiepiscopus in Convocatione Prælatorum Londonii dixit Clero: Cùm depressionem Ecclesiæ coram Rege tangerem; respondit Rex: Si Clerus dederit mihi bonorum suorum congruam portionem ad guerram meam; antiquas cartas libertatum & cartas de Forestâ faciam firmiter observari. Ideo consulatis; Primò utrùm liceat nobis Regi contribuere. Secundò de contributionis quantitate. Tertiò quid petendum de libertate. Quartò de Regis magnâ necessitate. Ad primum articulum dicunt; quòd videtur eis quòd non; & hoc propter pœnam statuti, nisi priùs petita licentia Summi Pontificis fuerit & obtenta; quia in tali redemptione esset titulus & color quæsitus: nec decet nec expedit Prælatis absque Proceribus tam communia negotia pertractare. Ad secundum articulum & tertium dicunt; quòd pendent de primo. Ad quartum dicunt; quòd Principis instans indigentia ipsos non excusaret de pœnâ statuti. Veruntamen cùm Dominus Rex de beneplacito suo decreverit statum Ecclesiæ depressum relevare; ipsum eo libentiùs de bonis suis per aliquam viam licitam liberaliter, specialiter respicient & gratanter. Cùm quidam Prælati conscientiam habeant de protectione regiâ, quam de bonis Ecclesiarum suarum redemerant licèt inviti, & ideo se abstinent; ad minus petunt, quòd via aliqua ordinetur, per quam hujusmodi scrupulo subveniatur. Multitudo est in causâ; & ideo tali periculo citiùs esset subveniendum. Archiepiscopus mandavit Episcopis; quòd per quemlibet Episcopum personaliter in suâ Cathedrali Ecclesiâ denunciarentur omnes illi Cal. Septembr. excommunicati; qui bona Ecclesiæ & Ecclesiasticarum personarum præter voluntatem & gratam permissionem eorundem consumpserint vel abstulerint. Sed acceptâ prohibitione Domini Regis Godefridus noster Episcopus scripsit nobis. *Expedit ut executionem publicationis quorundam articulorum, quos pridie vobis transmisimus, supersedere curetis.* Sed tamen x. Cal. Octobr. per Decanum & alium illa executio publicè pronuntiatur. Contra quam Rex evidenter coram testibus publicis Notariis appellavit in qualibet Ecclesiâ Cathedrali. vi. Cal. Octobr. cùm ministri regii exigerent sextam partem infra burgum bonorum omnium & octavam extra burgum; responsum fuit eis per Comitatum. Rex Henricus aliquando promisit communicati regni; quòd libertates Magnæ Cartæ & Forestæ concederet

& confirmaret, si daretur ei quintadecima quam tunc petebat. Sed pecuniâ acceptâ libertates tradidit oblivioni. Ideo quando habuerimus libertatum seisinam, gratis dabimus pecuniam nominatam. xiii. Cal. Septembr. sepulta fuit in Ecclesiâ Cathedrali Matildis de Evereus juxta locum ubi Episcopus frater ejus disposuit sublimiùs sepeliri. Die S. Lucæ Simon Prior per commissionem Godefridi Episcopi suscepit professionem iv. Monachorum; & ex illis junior extitit Marmeducus. Scoti effrænati per xl. leucas in Angliâ fuderunt multum sanguinem innocentem. Ideo Aichiepiscopus Robertus in crastino S. Nicholai ut pastor bonus, motus de Christi ovibus non defensis, in Convocatione Cleri providit; quòd quisque Diocesanus per Clericos colligeret decimam Episcoporum & Religiosorum secundùm verum valorem ad stipendia bellatorum, qui possent vim vi repellere in hac parte. Rex de omni populo cepit nonam. Et secundùm taxationem Northwycensem decimam Clericorum Clerici, ut decuit, colligebant. Declaratio excerpta. 'Ad eum 'qui condidit, interpretatio noscitur pertinere. Declaramus, quòd Constitutio ipsa vel ejus inhibitio ad donaria vel mutua Ecclesiasticarum personarum omni coactione vel exactione cessante se aliquatenus non extendat; feuda censualia sive jura, servitia debita præfata Constitutio non includit. Et 'quòd compositionis vel transactionis titulo cum Rege & aliis Dominis temporalibus, ut ante Constitutionem poterant, liberè valeant convenire. Addicimus insuper, si pro universali vel particulari defensione necessitas immineret; se nequaquam extendit Constitutio memorata, quin Rex à personis Ecclesiasticis petere & recipere subsidium vel contributionem possit, inconsulto etiam Romano Pontifice. Clericos non clericaliter viventes eadem Constitutio non defendit. Rex Edwardus ducens exercitum in Flandriâ inutiliter contra hostes, Cartam de Forestâ & Cartam Magnam de libertatibus sigillo regio confirmavit; & petitiones Baronum per suas literas approbavit; & quòd decimæ, vicesimæ, tricesimæ & hujusmodi de cætero non exigantur nisi per commune consilium. Ante Purificationem facta fuit perambulatio de Forestâ de Kynefare, &c. x. Die Februarii perambulatio circa Forestam de Feckeham. ii. Idus Martii Rex applicuit apud Doveram; & v. Non. Maii misit oblationem Sanctis, sc. monile aureum & ix. candelas ad tumbas, & xiv. solidos in argento.

Anno MCCXCVIII. sexto Cal. Aprilis obiit M. Willelmus de Ludâ Episcopus Eliensis. iv. Cal. April. cùm Rex Edwardus veniret versùs Londoniam; caminum Regis ignem pestiferum eructavit, qui combussit Aulam minorem & cameras circumstantes; & Ecclesiam Westmonasterii invasit, sed gratia divina per manus fortium ignis impetum reprimebat: Et occulto Dei judicio omnia alia ædificia Monachorum præter Capitulum in carbones & cineres convertebat. ix. Cal. Junii Walterus præceptor Fratrum S. Wlstani spiritum Deo reddidit; qui primus de habitu illorum illius loci præceptor extitit & promotor. In hebdomadâ Pentecostes apud Eboracum omnia quæ priùs Baronibus & Communitati terræ Rex concessit, non timore territus sed merâ voluntate & sine precio confirmavit. Et ideo in præsenti meruit amari; & futuris temporibus benedici. Nonis Junii Willelmus Beor Monachus Gloucestriæ incœpit de Theologiâ; & talentum à Deo sibi traditum non abscondit. Doctrina divina congruè committitur his qui habent habitum B. Augustini, qui cum suis Commonachis Christianæ fidei extitit primus doctor. Willelmus de Bello-campo Comes de Warewik graviter infirmatus, in absentiâ omnium amicorum per consilium Fr. Johannis de Olneye condidit testamentum; qui avertit voluntatem ejus, ne cum prædecessoribus suis in Cathedrali Wigorn. sed inter Fratres Minores sibi eligeret sepulturam. Qui v. Idus Junii obiit. Deinde habuit solemnes vigilias in Conventu Persorensi

ſorenſi & in Eccleſiæ Wigornenſi. Tandem Fratres cum corpore tanti viri, quaſi victores captâ prædâ, v. Cal. Julii per plateas & vicos civitatis circuibant, & ſpectaculum cuilibet faciebant: & ſic in loco ſepelierunt, ubi nondum quiſquam poſitus fuerat, in quo tempore hyemali merſus dicetur melius quàm ſepultus, ubi olera creſcere quondam vidi. ii. Idus Julii exercitus Regis impugnabat caſtrum de Drillintone; & qui intus fuerant ſe in craſtino reddiderunt. Et xvii. Cal. Auguſti ad templum de Lyſtone, ubi Rex fuit, exercitus remeavit. Et xii. Cal. horâ nonâ Rex intelligens inimicos ſubitò venientes, uſque ad Lyneſcu frænis equorum non depoſitis cum exercitu proceſſit, & in armis pernoctavit. Et in craſtino, ſc. die Magdalenæ Rex cum exercitu uſque ad horam tertiam equitavit. Et tunc vidit inimicos in montibus & vallibus quaſi cc. millia peditum; & mille fuerunt equites æſtimati. Et cùm Rex feſtinanter appropinquaret; inimici ſe intra loca ſuæ defenſioni congrua retraxerunt. Sed Rex per acies bene ordinatas ibi eos juſſerat expugnare. Et primus congreſſus talis fuit, quòd nunquam inter Chriſtianos bellum fortius videbatur. Et ultima acies primitùs obviavit; & ex illis per æſtimationem l. millia ceciderunt, præter eos qui in pelago perierunt. Arbitrium Papæ Bonifacii VIII. & Benedicti Gaetani inter Edwardum Regem Angliæ & Philippum Regem Franciæ. *Infra tempus*, &c. Clerus Oxoniæ injuriis Burgenſium provocatus, ſine reverſione de illâ diſcedere diſponebat. Sed tandem per communes arbitros inter eos pax læſa fuit taliter reformata. Duo majores ſuo perpetuò ab illo officio removentur. Duodecim diſcordiæ amatores in illo municipio ampliùs non manebunt; & ſex magis rei voluntatem regiam expectabunt. Et communitas villæ pacabit Clero cc. marcas infra annum pro laboribus & expenſis. In craſtino B. Clementis venerunt ad Oxoniam tres Monachi de Conventu Malmesbiriæ ſuo perpetuo ibidem moraturi; quorum unus in Feſto B. Katerinæ Prior perpetuus per Dominum Johannem Giffard fuerat inſtitutus. iii. Idus Novembris A. & A. & R. coram Johanne Epiſcopo Landavenſi ſuſceperunt habitum profeſſionis. N. Abbas de Hales primum diem novi anni habuit noviſſimum vitæ ſuæ. xiv. Cal. Novembr. dedimus Eccleſiam de Croppethorn M. Petro de Piriton, cui ſpecialiter tenebamur. ii. Cal. Januarii obiit Umfredus Comes Herefordiæ; & in Monaſterio de Waledene ſepelitur. viii. [Cal.] Februarii Johannes Canonicus de Hales in Abbatem ejuſdem domûs à Ricardo Herefordenſi Epiſcopo fuit apud Boſebury benedictus. Kal. Februarii ſtella comata & rubea versùs Auſtrum in veſpere videbatur, quæ versùs Orientem claros radios prætendebat.

Anno Domini MCCXCIX. M. Robertus de Lech perſona de Martle per fas & nefas ab adoleſcentiâ ſuâ nummorum numerum augmentavit; & ille avarus iv. Id. Aprilis à prædonibus peremptus pecuniam perdidit atque vitam. Defuncti funus patriæ [nec] vir dolet unus. iii. Idus Maii M. Petrus de Piriton ad Eccleſiam de Croppethorn fuit iterum præſentatus. iv. Cal. Junii Johannes Giffard obiit; qui Monachis Ordinis S. Benedicti Oxoniæ ſtudentibus locum contulit ſpatioſum; & apud Malmesbury habuit ſepulturam. vi. Cal. Julii Johannes Epiſcopus Landavenſis reconciliavit Eccleſiam Perſorenſem; quia cuſtos Eccleſiæ muliebri conſilio infatuatus, in loco illo ſacrato ignem obtulit alienum. iv. Cal. Julii Ricardo de Stoctone Capellano Wycheneforde vacantem contulimus Vicariam. Eo die conceſſimus M. Roberto de Dovebrige annuatim duas marcas, dum in Curiâ Romanâ noſtra negotia procurabit. Et eo die litera abſolutionis à Roberto Archiepiſcopo portabatur. Rex promiſit communitati terræ per literas ſigillo ſuo ſignatas; quòd in quindenâ poſt Feſtum S. Michaelis nova perambulatio foreſtas Regis ab aliis nemoribus ſeparabit, & ex tunc libertates Angliæ erunt in omnibus obſervatæ;

vatæ; & hoc Regis mandatum fuit in urbe Wigorn. maternâ linguâ iv. Non. Julii publicè proclamatum. In Suburbio Wigorn. quidam accendentes ignem immoderatum die S. Laurentii circa opera cupiditatis, unde flamma exiit & plateam versùs S. Johannem ex utrâque parte circa mediam noctem totaliter devoravit. Eâ tempestate Abbas S. Augustini Bristoll veniens ad Eilmendesbury & inclinatâ jam die multi armati intraverunt subito super eum, inter quos noti milites & alii de patriâ videbantur; & ea quæ Abbas pro domûs suæ utilitate secum habuit rapuerunt, & Senescallum suum propter veritatem & justitiam peremerunt. vi. Idus Septembr. Margareta soror Philippi Regis Franciæ in Angliam applicuit apud Dovere; per cujus adventum captivi nostri liberè redierunt de custodiâ Gallicanâ. Quam Edwardus Rex iv. Idus ejusdem valde manè in Ecclesiâ Cantuariensi cepit in conjugem & consortem: Et Robertus Archiepiscopus quod ad officium ecclesiasticum pertinet adimplevit. xii. Cal. Octobr. dedimus Ecclesiam S. Clementis Henrico de Hereford Capellano. vii. Cal. Novembr. Simon de Clifford miles in Ecclesiâ Cathedrali Wigorn. coram altari S. Johannis Baptistæ habuit sepulturam. iii. Cal. Novembr. absente custode castri Gloucestriæ omnes Scoti de vinculis carceralibus evaserunt, & multam armaturam quam invenerant asportabant. ii. Non. Novembr. Godefridus Episcopus imposuit nomen Prioris Minoris Malverniæ Johanni de Dumbelton, qui priùs fuit Monachus Wigorniensis. Monachi Ecclesiæ Eliensis in caritate fundati & radicati Priorem proprium in Episcopum elegerunt. Sed quidam conspexerunt sub eo sibi illicita non licere; & cùm se dolerent assueta relinquere, Johannem de Langetone nominabant. Tandem ambo Electi coram Papâ constituti, neuter eorum obtinuit hunc honorem. Sciens verò Papa scientiam & virtutes quæ Pontifici conveniunt in Priore, contulit ei Norwycensis Ecclesiæ Præsulatum; qui xvii. Cal. Septembr. à Roberto Archiepiscopo apud Cantuariam consecratus; & intronizatus in Cathedrâ fuit ut decuit ad Natale. In crastino Animarum Archiepiscopus Prælatis & Procuratoribus Provinciæ Cant. apud Novum Templum arcanum consilium demonstravit. Et dicebatur tunc omnibus, quòd quicunque ostenderet alicui alteri hoc secretum, majoris excommunicationis fulmine feriretur. Et Episcopi ibi non præsentes si audire voluerint quid sit dictum; pœna eis comminata quæ sit hoc secretum revelantibus exponatur. vii. Idus Decembr. M. Henricus de Newynton suscepit procuratorium nostrum ad exigendum libros & alia omnia, quæ Thomas de Seggesbury Monachus Wigorn. possidebat; qui in Romanâ Curiâ viii. Cal. Octobr. obiit, & inter Fratres Prædicatores Ananiæ sepelitur. vi. Idus Januarii Johannes de Bradenestok in Capitulo à Priore coram pluribus absolutus cereum vii. librarum obtulit in Ecclesiâ Cathedrali, qui ardebit inter Horas Canonicas atque Missas; & per septennium eum quolibet anno semel secundùm pondus pristinum renovabit. ii. Idus Martii ad Parliamentum Regis Londoniis Archiepiscopus & Prælati cæteri convenerunt. Et auditâ Regis voluntate, majores regni communi consilio responderunt. Cùm acceperimus securam seisinam de boscis nostris & libertatibus sæpiùs promissis; ad reprimendam Scotorum insaniam vicesimam libenter dabimus nostro Regi. Sed Archiepiscopus cum Clero Regi dare decimam non promisit neque vicesimam illâ vice. Iste annus extitit jubileus.

Anno MCCC. Kalendis Maii Johannes de Bello-campo in Ecclesiâ Wigorn. habuit cum suis antecessoribus sepulturam. v. Non. Maii Hugo le Despenser Justiciarius Forestæ ad Hospitale S. Wlstani omnes Forestarios de Feckeham cum patriâ convocavit; & illis qui culpabiles de viridi vel venatione dicebantur pecuniam imposuit moderatam, ut quod factum est differatur usque ad adventum Justiciariorum itinerantium de Forestâ; & pronuntiavit publicè

publicè ex parte Regis, quòd antiqua Carta de Forestâ erit in omnibus articulis observanda. iv. Non. Maii Regis oblatio talis erat; ad majus Altare baudekinus & vii. solidi cum candelâ. S. Wlstano firmaculum aureum specialiter mittebatur, & viii. candelæ illuminandæ coram Sanctorum capitibus atque tumbis. Bonifacius Papa statuit de consilio fratrum; quòd Prædicatores & Minores in Ecclesiis Parochialibus non prædicabunt nisi priùs petitâ licentiâ & obtentâ; & quòd de legatis quocunque modo ipsis Fratribus Rectores Ecclesiarum possunt petere quartam partem. xi. Cal. Junii ad petitionem M. Willelmi de Hondsum dedimus Ecclesiam de Wlvardele cuidam Scolari Stephano fratri suo. iii. Cal. Junii perambulatio Forestæ de Feckeham per, &c. viii. Idus Junii M. Reginaldus de Heydon per præceptum Archiepiscopi fidelem fecit examinationem de Symone le Chamberleng, utrùm infra annum probationis an post apud Minorem Malverniam habitum projecerit Monachalem. Eodem tempore Albi Monachi de Oxoniâ hoc infortunium pertulerunt: nimis elevantes locum habitationis suæ, propter cursum aquæ impeditum prata patriæ perierunt. Hinc Kal. Julii patria gravata divertit fluminis impetum super illos; ita quòd fuerunt domus eorum aquâ fluminis adimpletæ. Dicebatur, quòd iv. Non. Junii Margareta Regina in manerio de Brothertone peperit filium, qui Thomas in baptismate vocabatur. ii. Idus Junii apud Cantuariam M. Johannes de Aldrebi fuit in Episcopum Lincolniæ consecratus. iii. Idus Junii Godefridus Episcopus misit Officialem M. Robertum de Gloucestriâ & Johannem de Rodeberne Priorem & Capitulum visitare: coram quibus venientibus M. Galfridus & duo Monachi extra ostium Capituli provocando dixerunt. Non estis aliqualiter admittendi, nec debetis visitationis officium exercere; quia hoc esset contra compositionem hactenus observatam. Archiepiscopus nolens arare in bove & asinâ in diocesi suâ, viii. Prædicatoribus & viii. Minoribus tantùm dedit licentiam prædicandi & confessiones audiendi, cùm per Rectores vel Sacerdotes ecclesiarum ad hoc officium sunt vocati. xiv. Cal. Septembr. Godefridus Episcopus emisit hujusmodi commissionem, invalitudine corporis impeditus, M. Roberto de Gloucestriâ & Fr. Nicolao de Norton Sacristæ ad visitandum Priorem & Capitulum. 'Vobis committimus vices nostras, hoc modo videlicet, ut vos 'Sacrista quatinus contingit spiritualia soli visitetis, & de factis & excessibus 'quos inveneritis corrigatis; quoad temporalia vos Officialis & Sacrista præ'dicti simul hujus correctionis & visitationis officium & ea qualitercunque 'contingentia sub formâ debitâ impleatis. Capitulum communiter ordinavit, quòd ad Nativitatem B. Mariæ cuilibet Monacho xviii. denarios Infirmarius providebit; ut singuli sibi provideant species quas cognoverint suis qualitatibus convenire. In fine Augusti in exercitu peditum paucitas victualium, frigidi aeris asperitas, Regem redire de Scotiâ coegerunt. Et citò post nautæ Quinque Portuum classem xxviii. navium expugnabant; & Scotorum xv. millia peremerunt, & insequebantur eorum Principem fugientem. xi. Cal. Octobr. Oxoniæ Monachi Ordinis S. Benedicti generale Capitulum celebrabant; ubi Walterus Abbas Westmonasterii præsidebat; qui decrevit, quòd de esu carnium quilibet Prælatus, sicut viderit expedire, potest cum suis subditis dispensare; & decrevit preces prolixas omittere inter horas hactenus observatas. Et dubito quòd futuris temporibus superfluum videbitur *Pater Noster*. Rumor vulgaris fuit, quòd Kal. Octobr. Edmundus Comes Cornubiæ raptus fuit subitò de hac vitâ, relinquens Regem hæredem suum; qui dictum Comitatum contulit Thomæ filio suo juniori. Ad præceptum Archiepiscopi in provinciâ Cantuariæ Clerus contribuit de qualibet marcâ iv. denarios ad reformandum statum Ecclesiæ variis oppressionibus fatigatæ; inter quas Regis protectio nos contra Papæ sententiam non protexit. Kal. Januarii

rii dedimus Ecclesiam de Humelton Johanni de Bradewas, quam Henicus de Raghel Rector negligens multo tempore tenuit contra jura. Eodem tempore Ecclesia dedit decimam, sed invitè. Ad Natale Domini Johannes de Dumbelton dimisit Parvæ Malverniæ Prioratum; & xvi. Cal. Februarii Willelmo de Molendinis Monacho ejusdem domûs Episcopus imposuit illud onus. vii. Id. Februarii Rex Edwardus filium suum Principem Walliæ nominavit; & per idem tempus ei Cestriæ contulit Comitatum. xv. Cal. Januarii obiit Walterus de Wygorniâ Abbas Alincestriæ; cui successit Robertus de Oudebi, ejusdem dum viveret Capellanus. iii. Non. Martii obiit Ricardus de Estone Majoris Malverniæ dictus Prior; cujus bonitatem plures sentient non habendo. ii. Idus Martii Robertus de Wynclelsé Archiepiscopus Cantuariæ venit ad Wigorniam; & in Capitulo prædicavit. Deinde eodem die apud Wyke Godefridum Episcopum infirmum & debilem visitavit; & ut decuit extitit procuratus. Idus Martii Archiepiscopus Priorem personaliter & cæteros Monachos per Clericos suos visitavit; & exiens ad Aulam Prioris cum suâ familiâ se convertit; quia magna Aula hospitum & domus aliæ fuerunt occupatæ per multos hospites non vocatos. Carta Regia, quam Prior habet in custodiâ, confirmans ultimam perambulationem, eo die in castro Comitatui fuit publicè recitata; & seisinam diu desideratam patria cum canibus mox accepit. xiii. Cal. April. quando Archiepiscopus (*a*) intravit Capitulum, dies tribulationis & increpationis dies iste. Quia deposuit tunc Subpriorem, Præcentorem, Camerarium; sed || Sacristam & tertium Priorem & Pitanciarium, septa Monasterii per annum ne exeant, suspendebat. x. Cal. April. Rex Edwardus & Archiepiscopus cum multis aliis Nobilibus fuerunt apud Hayles; quando Edmundus Comes Cornubiæ ibi suscepit debitam sepulturam. Anno ab origine mundi MMMMMDV.

|| Nicolaum de Norton, Regist. *Winchelsé* fol. 283.

Anno MCCCI. Kalendis Aprilis gaudium Paschale in Ecclesiâ Lantoniæ juxta Glocestriam turbabatur; quando Paschalem cereum reformando Ecclesiam & iv. campanaria cum campanis incendium devoravit. xvi. Cal. Maii Rex venit Wigorniam; in cujus Comitatu Regina prægnans extitit illâ vice. xiii. Cal. ejusdem Rex memor voti sui antiqui, advocationem Ecclesiæ de Wrhfeld Priori & Conventui contulit ad sustentationem trium Monachorum & duorum cereorum in festis B. Wlstani & octavis jugiter ardentium, & ad majorem Missam cotidiè sint accensi; & præcepit istud negotium per cartam regiam roborari: deinde versùs Kemeseiam navigavit. Nonis Maii annuente Archiepiscopo Wydo Comes Warewyk sepelivit matrem suam in Ecclesiâ Fratrum Minorum Wygorniæ juxta Comitem patrem suum; licèt ipsa vivens alibi disposuerit sepeliri. Nonis Junii Laurentius Monachus Gloucestrensis inter Doctores Theologiæ sedem meruit & honorem. iii. Idus Julii Symon Prior Prioratum cum suis pertinentiis in manibus Archiepiscopi similiter resignavit. xvi. Cal. Augusti Johannes de Wyke Subprior tunc feriâ iv. nobis præfectus fuerat in Priorem; & xiv. Cal. Augusti Archiepiscopum visitavit; & xiii. Cal. ejusdem installatus vicinos de patriâ convocavit. xiv. Cal. Aug. dum Archiepiscopus Conventum Majoris Malverniæ visitaret; M. Willelmus de Gloucestriâ de multis articulis contra nostrum Episcopum confectis strictè sub anathemate seniores Monachos Wigorn. requisivit. Nonis Augusti apud Wodestok Regina peperit: Nominat Edmundum partum

(*a*) Anno sequenti Archiepiscopus Injunctiones 13. Monachis Wygorniensibus observandas transmisit ad morum emendationem & religionis profectum editas, *& ut religionis honestas apud eos exulans ad Ecclesiæ decorem celeriter revocetur*. Scriptæ sunt anno 1301. in Vigiliâ Assumptionis B. Mariæ, atque extant in Registro *Winchelsé* fol. 83.

Regina

Regina secundum. xi. Cal. Octobr. apud Norhamton Monachi S. Benedicti tenebant Capitulum generale. iv. Non. Octobr. Johanna Comitissa Gloucestriæ peperit filium; quem viii. Idus ejusdem Johannes Episcopus Landavensis Thomam in baptismate nominavit. Ad Festum Omnium Sanctorum innotuit nobis, quòd duplicem decimam & quintamdecimam dabimus nostro Regi: & per decretum Papæ per tres annos Romæ nos decimam persolvemus. iii. Cal. Decembr. Domina de Clifford dicta Comitissa sepulturam habuit Wygorniæ in dexterâ parte altaris in Ecclesiâ Cathedrali. ii. Non. Aprilis in Cantiâ quidam Robertus cognomine Le Porsare fuit nequiter interfectus; cujus vitam Deo fuisse placidam multis miraculis declaratur. Godefridus Episcopus acceptâ resignatione Willelmi de Doverâ appropriavit nobis Ecclesiam de Duderhulle; & Johannes Prior xi. Cal. Februarii introductus fuit in eam per M. Symonem de Wynetone Clericum Episcopi specialem coram vicinis de patriâ & majoribus de Wychenford qui tunc erant. Expletis xxxiii. annis & iv. mensibus cum xiv. diebus Pontificatûs Episcopi Godefridi vii. Cal. Februarii die Veneris circa Completorium spiritum reddidit creatori; & ii. Non. Februarii sepultus fuit in Ecclesiâ Cathedrali Wygorniæ per Johannem Episcopum Landavensem. Johannes Prior tempore vacationis Cathedræ Wygorniensis veniens, ut debuit, visitare; cui Conventus Teukesbiriæ & Monachi Gloucestriæ & Wynchekumbiæ & Canonici Cirecestriæ cum januis clausis pertinaciter restiterunt; & ratio eorum fuit, quòd bis in illo anno priùs fuerant visitati.

Anno MCCCII. M. Johannes de S. Germano Monachus Wigorn. electus fuit in Episcopum Wygornensem viii. Cal. April die Dominicâ, & vii. * Cal. April. à Rege receptus fuerat cum honore. Unus de instructoribus examinatus dixit, quòd Electus Wygorniæ requisitus à compromissariis invitus & etiam cum lacrimis consensit electioni de se faciendæ, volens divinæ resistere voluntati; & ideo Archiepiscopus distulit confirmare. vi. Idus Junii Episcopi & Prælati provinciæ Cantuariæ apud Novum Templum Londoniæ universaliter fuerant congregati. v. Nonis Junii concessimus M. Radulfo de la Le Procuratori nostro in Curiâ Romanâ xl. solidos; & si eidem in ecclesiastico beneficio sit provisum, illa pensio statim cesset. ii. Idus Julii magna pars ruens in Dormitorio nostro, quæ a multo tempore ruinam minabatur, nostram negligentiam manifestat. xvii. Cal. Augusti electionem Elyensem Archiepiscopus reprobavit. Kal. Septembr. quidam juvenis Monachus contra consilium Prioris & Magistri sui indiscretè à cibo & potu & somno abstinens, ut cantum meliùs memoriæ imprimeret, circa mediam noctem turbato cerebro fratrum nequiem perturbavit; cui petenti caput S. Wlstani fuit allatum, & Sanctus ei in somnis dixit: Caput meum super tuum positum fuit; ecce ego venio cum capite meo, & sanus factus es. Et amovit schedulam de vertice ejus, dicens: Nisi ego intervenissem, usque ad Festum S. Oswaldi in istâ debilitate perdurâsses. In crastino S. Michaelis tradidimus ad firmam Hermitagium quod vocatur Hemeryeschirche in parvâ Pakintonâ. Hoc anno obiit M. Willelmus de Marchiâ Episcopus Bathoniæ; cui successit M. Walterus de Haselesaw Decanus Wellensis, confirmatus à Roberto Cant. Archiepiscopo, est consecratus in die SS. Symonis & Judæ, & intronizatus die Natalis apud Wellas, die Epiphaniæ apud Bathoniam. Die Circumcisionis vendidimus unam liberationem Adæ de Piriæ civi Wigorniæ & Gunnildi uxori ejus ad vitam eorum tantùm pro l. libris, viz. unum panem Monachalem & duas lagenas melioris cerevisiæ & unum ferculum de carne vel pisce. xvi. Cal. Novembr. Johannes de S. Germano Electus Wygorniæ coram Domino Papâ cessit juri suo; & ix. Cal. Novembr. Papa Fr. Willelmum de Geynesberhu de Ordine Minorum creavit in Episcopum Wigorn. vii. Cal. Decembr. Apud Ca-

* l. Idus.

WILLELMUS DE GEYNESBURGH.

Caveresham Humfredus Comes Herefordiæ accepit Ysabellam filiam Regis Angliæ in uxorem. Infra Natale quidam defamatus & in villâ Wygorniæ incarceratus fugit ad Ecclesiam Cathedralem; quem viri sanguinum & dolosi ad exteriores domos Cœmiterii vocaverunt; & ne rediret ad Ecclesiam, ostium vergens ad cœmiterium firmaverunt; quos trinâ ammonitione præmissâ Sacrista cum tribus sociis, nisi ab hac stultitiâ desisterent, excommunicari publicè denuntiavit. Post hæc pedes ejus vinculis ferreis constrinxerunt, & custodiam multorum adhibuerunt, qui eum vicissim cæderent, & ne effugeret custodirent; quem ita afflictum terram Regis abjurare in eodem loco coegerunt. Tunc Ballivi civitatis Ricardus Colys & Adam de Pirie extiterunt; qui pro hoc delicto cum suis ministris venientes, stare mandatis Ecclesiæ juraverunt; & iii. Non. Februarii post processionem ad ostium Ecclesiæ publicè pœnituerunt. ii Non. Feb. coram Johanne Priore, Sede vacante, Henricus Fouke cum suis sociis ad altare B. Mariæ fecerunt solemnem professionem. xiv. Cal. Martii Dominus Walterus de Bello-campo Senescallus Regis obiit apud Chalefonte; & vi. Cal. Martii inter Fratres Minores Londoniæ habuit sepulturam. M. Johannes de S. Germano Monachus Ecclesiæ Wygorn. in Episcopum & Pastorem Ecclesiæ supradictæ die Annuntiationis Dominicæ canonicè electus, & a Domino Rege vii. Idus Aprilis honorificè susceptus, Metropolitano cum debitâ reverentiâ præsentatur; à quo ne munus consecrationis inconsulto Papâ obtinere posset, ob instructorum depositionem impeditus, appellatione interpositâ impecuniosus ac absque Procuratore Capituli & comite Monacho Curiam Romanam inconsultiùs adiens, ibidem jure suo per Apostolica mandata in manibus ejusdem resignato, Sedes Wygornensis Fr. Willelmo de Gaynesborhu de Ordine Minorum gratiosè confertur; quique per manum ······· in Episcopum & Pastorem sæpedictæ Ecclesiæ consecratur; & apud Wygorniam v. Idus Junii juxta consuetudinem Ecclesiæ Anglicanæ reverenter intronizatur. Et sic Ecclesia Wygorn. non personæ Electi defectu aliquo nec Electionis aliquali vitio, sed inopiâ solummodo pecuniæ tam nobili thesauro eâ vice miserabiliter vacuatur.

Anno MCCCIII. septimo Idus Aprilis & in nocte Paschæ apud Beoleye de candelâ negligenter portatâ exiit ignis immoderatus, & combussit Curiam Wydonis de Warewik cum equis & curribus & omni apparatu, quem ibi habebat. vi. Cal. Maii misit Rex solemnem oblationem, sc. ad magnum altare pannum auro textum, & ad feretrum B. Wlstani monile aureum centum & ampliùs solidorum & ix. candelas maximas & xxviii. solidos de argento. vi. Idus Maii Robertus Archiepiscopus Cantuariæ motus nescio qua voluntate, privavit Monachos Wygorniæ de Ecclesiâ de Doderhulle, quam Godefridus Episcopus eis contulit gratiosè. Abbatem Gloucestriæ & Abbatem Teukesburiæ rebelles tempore vacationis sententia Judicum de Arcubus condemnavit. iii. Non. Junii inter Regem Franciæ & Regem Angliæ fuerunt fœdera pacis publicè Londoniis proclamata & terra Gasconiæ Regi Angliæ totaliter restituta est. v. Idus Junii fuit intronizatio Episcopi Willelmi de Gaynesborhu; sed expensas intronizationis Conventus noluit super se assumere illâ vice, ne postea in consuetudinem verteretur.

Anno Domini MCCCIV. Die S. Kenelmi Regis obiit Dominus Edmundus de Mortuo-Mari; & sepultus est in Abbathiâ de Wiggemor; & circa Festum B. Mariæ Magdalenæ redditum est castrum de Strillinge Regi Angliæ; & sic sedata est tota guerra Scotiæ, quæ totaliter restat pro voluntate Regis disponenda. Item die S. Annæ matris S. Mariæ obiit Fr. Ricardus Frend coquinarius Wygorniæ.

Anno MCCCV. Insurrexerunt iterum Scoti contra Dominum Regem Angliæ per abettum Roberti Bruys Comitis de Karrik; qui interficere fecit nobilem

bilem virum Dominum Johannem dictum Le Redecomyn fraudulenter in Ecclesiâ Fratrum Minorum apud Donfres, eò quòd eidem contra Dominum Regem Angliæ in suâ rebellione renuit consentire; & primum vulnus mortale eidem inflixit ante altare. Hoc anno Justiciarii Domini Regis, qui vocantur Trailbastun, primò itineraverunt per Angliam; & sederunt apud Wygorniam ······· & apud Herefordiam post Festum S. Johannis Baptistæ, & apud Salopiam post Festum S. Michaelis. Eodem anno captus est Dominus Willelmus dictus le Waleis, qui fuerat Capitaneus gentis Scotorum contra Dominum Regem Angliæ multo tempore; qui ob merita sua morti addictus apud Londoniam primò ad colla equorum trahebatur ad patibulum, postea suspensus, deinde decollatus, postea evisceratus, & viscera igne concremata; postremò corpus ejus divisum est in quatuor partes, quæ ad quatuor partes Scotiæ missæ fuerant suspendendæ.

Anno MCCCVI. Die Annuntiationis Dominicæ memoratus Robertus le Brys fecit se coronari in Regem Scotiæ. Item die Pentecostes accepit Dominus Edwardus filius Regis Angliæ cingulum militiæ à patre suo apud Westmonasterium; & facti fuerunt Milites Rogerus de Mortuo-mari filius Edmundi de Mortuo-mari & Edmundus de Arundel unà cum aliis Bachilariis numero circiter ccc. quorum pars maxima profecti sunt in Scotiam unà cum Domino Edwardo filio Regis prædicti.

Anno MCCCVII. obiit Dominus Johannes de Gamages Abbas S. Petri Gloucestriæ xv. Cal. Maii; & fuit vir eximiæ religionis & magnæ perfectionis; & die Dominicâ qua cantatur *Misericordia Domini* manè transiit ad Dominum, & fuit litera Dominicalis B. Hic fuerat Monachus in eâdem Ecclesiâ per lxii. annos; Abbas fuit xxi. annis; & fuit sepultus feriâ iii. à Domino Willelmo de Geynesburhu Episcopo Wigorn. & à multis Abbatibus in eâdem Ecclesiâ cum magno honore juxta ostium Claustri; cujus facies adeò læta apparuit & rubea, ac si eum nulla infirmitas tetigisset. Cui successit Dominus Johannes Choky, Supprior ejusdem loci; & benedicitur apud Hertulbury feriâ iv. in hebdomadâ Pentecostes. Sacrista noster habuit capam ejus de baudekyn cum vestimento secundùm antiquam consuetudinem Ecclesiæ nostræ; & fuit installatus die Apostolorum Petri & Pauli. Item obiit Dominus Nicolaus Abbas de Habendon; cui successit Dominus Ricardus de Clive Episcopi Wigornensis Bachilarius in Theologiâ & Monachus ejusdem Ecclesiæ. Hoc anno venit quidam Cardinalis in Angliam, tractaturus cum Magnatibus regni de maritagio inter Dominum Edwardum filium Regis Edwardi & Ysabellam filiam Regis Franciæ. Eodem anno missi sunt apud Herefordiam Episcopi Londoniensis Radulfus de Baldac & Mimatensis per Dominum Papam ad inquirendum districtè de miraculis per merita venerabilis Thomæ de Cantilupo perpetratis; & traxerunt moram ibidem fere per dimidium annum. Item Comes Assoles & Dominus Symon Frisel proditores Scotiæ suspensi sunt apud Londoniam, diversis pœnis afflicti. Item hoc anno obiit nobilissimus Rex Angliæ Dominus Edwardus apud Karlel in Translatione S. Thomæ Martyris: qui regnaverat annis xxxiv. mensibus viii. diebus v. & sepultus est apud Westmonasterium in Vigiliâ Apostolorum Symonis & Judæ. Item hoc anno coronatus est Dominus Edwardus filius Edwardi in Festo S. Matthiæ Apostoli apud Westmonasterium. Item capti sunt omnes Templarii per totam Angliam iv. Idus Januarii. Item Dominus Edwardus dedit cuidam simplici Bachilario de Gasconiâ nomine Petrus de Gavelleston Comitatum Cornubiæ & neptem suam in uxorem filiam Comitis Gloverniæ. Item Dominus Walterus de Langeton Episcopus Cestriæ detentus est in custodiâ Domini Regis.

Anno MCCCVIII. In crastino nativitatis B. Johannis Baptistæ Dominus Petrus de Gavarston memoratus in exilium relegatus est ab Angliâ per pru-

dentiam Comitum & Baronum & per assensum Domini Regis certis de causis, nunquam in Angliam iterum reversurus, & per sententiam latam solemniter per Archiepiscopum Cant. & alios Episcopos nonnullos, & omnes & singulos qui ejus reversionem ab exilio in Angliam unquam consilio, auxilio procurarent vel favore. Item post Festum S. Michaelis Dominus Rogerus de Mortuo-mari iter arripuit versùs Hyberniam; & ibi Dominus Galfridus de Genevilla feofavit eundem & Dominam Johannam uxorem suam de omnibus terris & tenementis quas habuerant vel habere poterant in totâ Hyberniâ: & postea intravit Ordinem Fratrum Prædicatorum in Festo S. Andreæ Apostoli.

Subnectitur in Codice Genealogia Familiæ de Mortuo-Mari dictæ; quæ in Diocesin Wigorniensi sedem habuit, & frequentem in his Annalibus mentionem obtinuit. Illam itaque disjungere nolui.

Postquam S. Edwardus Rex & Confessor ab hac luce migravit; Willelmus Conquæstor regnum Angliæ strenuè obtinuit, & in ipsius Regem Angliæ gloriosè extitit coronatus interessentibus CCLX. militibus suæ victoriæ participibus, quos à partibus Franciæ & Normanniæ secum adduxit, & in his Domino Radulpho de Mortuo-mari milite omnium strenuissimo. Qui quidem habuit filium & hæredem Hugonem de Mortuo-Mari fundatorem Abbatiæ de Wigmore; qui quidem habuit uxorem Dominam Matildem filiam Domini Willelmi Longæspatæ Ducis Normanniæ; de qua genuit Rogerum Dominum de Wygmore; qui quidem desponsavit Dominam Milesaunt filiam Comitis de Derby; de qua genuit Radulphum de Mortuo-mari Dominum de Wigmore. Qui quidem Radulphus desponsavit Gladusam filiam Leuellini Principis Walliæ, de qua genuit Rogerum Mortimer: cui quidem desponsavit Dominam Matildem de Breuse filiam primogenitam Domini Willelmi de Breuse & Evæ filiæ Willelmi Marescalli, qui dicebatur Vetus Marescallus; de qua genuit Edmundum Mortimer. Qui quidem Edmundus duxit in uxorem Margaretam filiam Domini Willelmi de Fendelles de Hispaniâ; de qua genuit Rogerum Mortimer primum Comitem. Qui desponsavit Dominam Johannam Genyvile; de qua genuit Edmundum Mortimerum secundum Comitem. Qui quidem Edmundus desponsavit Elizabetham filiam Bartholomæi de Badelesmere, de qua genuit Rogerum 3*m*. Comitem. Qui quidem Rogerus duxit in uxorem Dominam Philippam filiam Domini de Montaghu Comitis Sarum; de qua genuit Edmundum 4*m*. Comitem. Qui quidem duxit in uxorem Dominam Philippam hæredem Domini Leonelli Ducis Clarentiæ secundi geniti Regis Edwardi III. de qua genuit Rogerum de Mortimer 5*m*. Comitem. Qui quidem Rogerus duxit in uxorem Dominam Alienoram filiam Domini Thomæ Holonde Comitis Cantiæ; de qua genuit Edmundum Comitem & Annam. Quæ quidem Anna desponsata erat Ricardo Comiti Cantebrigiæ; & quia dictus Edmundus obiit absque liberis, tota hæreditas descendit ad Dominum Ricardum Eboracensem filium dictorum Ricardi & Annæ.

CONTINUATIO HISTORIÆ DE Episcopis Wigorniensibus

Ab anno MCCCII. ad MDXL.

WILLELMUS DE GAINSBOROUGH.

Mortuo Godefrido Giffard, Monachi Wigornienses è cœtu proprio elegerunt virum optimum Johannem de S. Germano 1302. 25. Martii. Electionem Rex Edwardus dato assensu die 7. Aprilis confirmavit. Archiepiscopo autem confirmationem suam denegante, Romam itum est. Lite adhuc pendente, Electus in Curiâ Romanâ præsens, seu moræ impatiens, seu Papæ voluntati obsecundans, juri suo cessit 1302. 17. Octobr. Sæpiùs Johannes iste in Archivis Ecclesiæ Wigorn. memoratur. Anno enim 1301. ad officium Prioris inter sex alios Episcopo præsentatos nominatus est. Anno 1302. ex Academiâ Parisiensi, ubi studiis operam dabat, ad electionem Episcopi evocatur. Anno 1315. in Epistolâ Academiæ Parisiensis ad Priorem Wigorn. scriptâ hoc titulo laudatur. *Rev. Doctor M. J. de S. Germano confrater vester humilis & membrum nostrum venerabile, in sacrâ paginâ actu regens.* Superfuit anno 1317. Cedente Johanne, Papa (Bonifacius VIII. is erat, qui Pontificiam authoritatem per fas & nefas ampliare contendit) novo planè exemplo usus, tam Rege quàm Capitulo Wigorniensis inconsultis, Episcopum Wigorniensem creavit Willelmum de Geynsborough, Ordinis Minorum Theologum, die 24. ejusdem mensis; eundemque paucis post diebus consecravit. Willelmus sanè non vulgari eruditionis & ingenii famâ tunc enituit; quippe qui Theologiam in Cœnobio Minoritarum Oxonii, ac postea Romæ in sacro Palatio prælegerat; atque ipsi Edwardo Regi in pretio est habitus, ad Philippum Franciæ Regem propter pacem ineundam olim legatus. Accepti tamen ipso inconsulto Episcopatûs crimen Rex ipsi impunè cedere nequaquam permisit. Cùm temporalia enim Episcopatûs ipsi restituit apud Wyndesoram 1303. 4. Febr. scriptam exegit renuntiationem clausulæ illius Bullæ Papalis, in qua Papa præ se tulit *se illi committere administrationem Spiritualium & Temporalium Episcopatûs prædicti.* Inolevit hinc consuetudo, quæ ad Reformatam usque Ecclesiam Anglicanam obtinuit; ut Episcopi in accipiendis à Rege Temporalibus renunciarent in scriptis omne jus, quod prætextu Provisionis Papalis in Temporalia Episcopatuum habere possent, seque ea soli Regis liberalitati accepta referre protestarentur. Neque hac tamen protestatione Rex Edwardus pacatus, Willelmo audaciam non sine gravi multâ condonavit. Episcopus enim *pro verbis illis in judicium tractus, finem fecit cum Rege in Cancellariâ pro mille marcis solvendis ad voluntatem Regis,* quamvis postea Rex officiis Episcopi, quæ summâ fide

Chronic. Cœnobii de Hales.

Bale cent. 4. cap. 91.

Pat. 31. E. 1. m. 39.

Instrumenta autog. plurima.

Pat. 34. E. 1. m. 22.

fide

fide & diligentiâ præstitit, delinitus, mulctam ipsi remisit 1306. 21. Martii. Quod Spiritualem attinet jurisdictionem, eam ab Archiepiscopi Cant. Vicario sub initium anni 1303. acceperat, factâ priùs ad magnum altare Ecclesiæ Metropoliticæ professione obedientiæ canonicæ; quam quidem professionem (sic temporum illorum consuetudo ferebat) in Archiepiscopi præsentiâ, quamprimum ad ipsum advenit, renovavit. In Ecclesiâ Wigorn intronizatus erat 1303. 9. Junii. Memoriâ non indignum est, quò fundorum Episcopalium illo tempore conditio magis pateat, quod de Temporalibus Episcopatûs Wigorn. anno 1302. vacantis inveni. *Temporalia Episcopatûs erant in manu Regis, quousque seminaverit totum semen hyemale & quadragesimale. Quæ blada sic seminata Episcopus emebat à Rege pro* DXII. *marcis.* Anno 1307. Willelmus à Rege in Galliam legatus, ut de matrimonio inter Edwardum filium Regis primogenitum & Isabellam Galliæ Regis filiam ineundo tractaret, rem quidem pro voto confecit; ipse autem in reditu veneno, ut creditur, extinctus, cum maximâ familiæ suæ parte, interiit. Anno 1308. ineunte obitum contigisse opinor. Quod de portentosâ istius circa Papæ infallibilitatem doctrinâ Godwinus retulit, id sicut alia quamplurima ex unico accepit Baleo, qui in conviciis effundendis non quicquid verius, sed quicquid acerbius esset, scribere voluit.

Reg. Cranborn. — Chron. de Hales. — Placita Parlam. 31. E. 1. p. 335. — Annal. de Lanercost.

WALTERUS REYNOLD.

Petrum Foxum Sabaudum post Willelmi obitum à Papâ subrogatum fuisse, sed electione Walteri priùs factâ repulsam tulisse Godwinus refert; quod nullibi à me compertum est. Episcopatum autem adeptus est Walterus, Reginaldi cujusdam pistoris Windesoriensis filius, Edwardi I. Regis Capellanus, & Edwardi II. juventuti regendæ præfectus, Canonicus Ecclesiæ S. Pauli London. & Rector Ecclesiæ de Wymbeldone, consecratus à Roberto Archiepiscopo in Ecclesiâ Cant. 1308. 13. Octobr. Thesaurarius Angliæ constitutus fuerat 1307. 22. Augusti, Cancellarius postea renunciatus 1311. 6. Julii. Cantuariam translatus est 1313. 24. Sept. Bullâ Papali, quæ publicata est in Ecclesiâ S. Pauli 1314. 4. Januarii.

Registr. Ecclesiæ Cant. — Pat. 1. E. 2. par. 1. m. 21. — Clauf. 4. E. 2. m. 6. dorso. — Reg. Reynold.

WALTERUS DE MAYDENESTON.

Anno 1313. die 1. Octobr. Papa provisionis titulo dedit Episcopatum Wigorn. Waltero de Maydeneston, viro utique diffamato in Angliâ de inhonestâ conversatione & vitâ. Verba sunt Adami Merimuthensis, Canonici Londinensis, qui in Curiâ Romanâ tunc præsens erat, à Waltero Episcopo Wigorn. missus ad prensandum sibi Archiepiscopatum. Aderat etiam in Curiâ Walterus Maydenston; & Episcopatum Wigorn. Raynoldi translatione vacantem sibi conferri obtinuit. Illi etiam Papa Pallium Archiepiscopo deferendum commisit, cum quo appulit apud Dovoriam 1314. 12. Febr. idemque Archiepiscopo die sequenti tradidit. Plura de illo non reperio.

Cont. Florilegi. — Registr. Ecclesiæ Cant.

THOMAS COBHAM.

Successit Papæ dono Thomas Cobham, *vir supereminentis literaturæ, multisque virtutibus redimitus,* inquit Walsinghamus. Illustri genere in agro Cantiano natus is fuerat; & in Academiâ Cantabrigiensi bonis literis institutus videtur. Cancellarius enim ejusce Academiæ fuit, eoque nomine in Missâ Benefactorum memoratur. Canonicus Wellensis factus est 1299. 13. Dec. Archidiacocus Lewensis ante exitum anni 1301. Præcentor Eboracensis 1312. 14. Julii, Canonicus S. Pauli London. ante annum 1313. Vir tantâ eruditionis famâ, tam egregiâ insuper vitæ sanctimoniâ illustris; ut vix alio quàm *Boni* seu *Probi Clerici* titulo innotesceret, & ad summam Ecclesiæ Anglicanæ dignitatem omnium votis jampridem designaretur. Post obitum

Hist. Angl. in an. 1313. — Registr. Well. — Reg. Winchelse — Reg. Grenfeld.

demum

demum Roberti Winchelsey in Archiepiscopum à Monachis Cantuariensibus unanimi suffragio electus est 1313. 28. Maii. Ipse Parisiis tunc agebat, & literas Capituli de electione suâ ibidem accepit die 6. Junii; electioni consensit die 8. Junii, Regi Angliæ apud Parisios tunc degenti à Capituli Procuratoribus præsentatus die 9. Junii, Rex inducias accepit usque ad 24. Junii; & Electo tunc iterum apud Pontoyse præsentato, rem usque ad reditum in Angliam distulit. Assensum siquidem electioni canonicæ viri omnium judicio dignissimi palàm denegare vix ausus est; interim autem apud Papam precibus & muneribus egit, ut Walterus Episcopus Wigorn. Archiepiscopatum consequeretur. Thomas itaque de assensu regio desperans, à Pontiniaco ad Curiam Romanam Avinione tunc positam illico discessit. Walterus missis ad Papam Procuratoribus, qui amplissimis mandatis instructi ipsum modò Archiepiscopum atque etiam successores suos in quacunque vellent pecuniæ summâ Cameræ Apostolicæ persolvendâ obligare possent, Curiam Romanam, apud quam omnia erant venalia, facilè in partes suas traxit; & rejecto Thomâ Archiepiscopus renunciatus est. Ut id faceret Papa, se provisionem Sedis Cant. bullâ 1317. 27. April. sc. ante Thomæ electionem, datâ sibi reservâsse commentus est; eoque prætextu usus, electionem irritam fuisse declaravit. Neque tamen defuit sibi Thomas; qui electionem suam strenuè defendit; nec ut ipsi renunciaret, ullis conditionibus adduci potuit. Papa quidem, ut vir optimus repulsam æquiùs ferret, Episcopatum Wigorniensem jure provisionis ipsi contulit eodem die quo Archiepiscopatum Waltero, sc. 1313. 24. Sept. Verùm vir generosus oblatam sibi minorem dignitatem accipere dedignatus, majorem sibi jure debitam dari postulavit, tantâ verborum fiduciâ usus; ut & Curiam Romanam & Regem Angliæ plurimùm exacerbaverit. Wigorniensis itaque Episcopatus Waltero Maydenston datus est; & Thomas Curiam indignatus reliquit, in Angliam tamen metu Regis intrare non ausus; donec intercedente Waltero Archiepiscopo cum Rege in gratiam redierit. Papam quinetiam magnitudo meritorum brevi conciliavit; adeò ut vacantem iterum Episcopatum Wigorn. ipsi contulerit; & à Cardinali Hostiensi 1317. 11. Cal. Julii (Junii legendum puto) apud Avinionem consecrari fecerit. In Angliam appulit mense Novembri; & cum solenni Monachorum processione Ecclesiam Cant. die 15. Nov. ingressus, professionem obedientiæ Archiepiscopo præstandæ coram magno altari innovavit. Plura ab illo conscripta Baleus recenset. Nescio an ex his ulla supersint. Certè rei literariæ Præsul eruditissimus tam liberalitate quàm scriptis profecit. Bibliothecam enim supra veterem Congregationis domum Oxoniæ anno circiter 1320. inchoavit; & quamvis fato immaturo abreptus manum illi supremam non admoverit, pecuniam tamen ad consummandum & libros ad instruendum eam plurimos Universitati legavit. Obiit 1327. 27. Augusti.

Reg. Ecclesiæ Cant.

Reg. Reynold.

Ad. Merimuth.

Johannes London. in Chron.

Reg. Cranborn.

Cent. 4. c. 98.

Antiq. Oxon. l. 2. p. 48.

Reg. Reynold. Obit. Cant.

ADAM DE ORLETON.

Post Thomæ obitum Monachi Wigorn. Wlstanum de Bransford Priorem suum ritè elegerunt. Electionem Rex assensu suo confirmavit 1327. 8. Sept. Archiepiscopus 3. Octobr. Eundem tamen Archiepiscopus (quamvis à Rege pluries requisitus) consecrare distulit, donec ipse mense medio sequenti obierit. Archiepiscopo defuncto, Rex Capitulo Cant. mandavit, ut Wolstanum consecrari facerent. Frustra autem. Et Archiepiscopus enim & Capitulum Papæ offensam sunt veriti. Papa enim Episcopatum jure provisionis contulerat Adamo Episcopo Herefordensi tunc in Curiâ Romanâ pro negotiis Angliæ Regis expediendis præsenti, Bullâ datâ paulò ante 1327. 25. Sept. Postea anno 1333. quæsitâ malis artibus Galli Regis gratiâ, hujus intercessione ad Wintoniam invito Angliæ Rege transferri obtinuit authoritate Papali die 1. Decembr. Rex Angliæ itaque illum in Curiâ Romanâ mense

Registr. Ecclesiæ Cant.

Reg. Reynold.

Ad. Merimuth.

Jocelin p. 219.

Walsingham p. 133.

Aprili 1334. accusari fecit; interpositâ appellatione, ne vir tot criminibus infamis ad altiorem gradum promoveretur. Accusatio tribus ferè articulis constitit: sc. quòd Robertum Baldok Clericum & Cancellarium Regis violenter comprehendi & incarcerari fecerit 1326. mense Novembri; quòd eodem mense apud Oxoniam prædicaverit esse Edwardum Regem tyrannum, sicque subditos ejus ad ipsum deponendum & incarcerandum incitaverit; & quòd ipsius consilio Isabella Regina à marito recessit. Accusationem Adamus elusit; & Regis gratiam notâ vafritie adeptus, eodem anno possessionem Episcopatûs Winton. accepit. Responsio illius ad accusationem supra dictam extat in calce Scriptorum x. Anglic. col. 2763. Primus erat omnium Episcoporum Angliæ (si Stigandum & Ricardum Pauperem excipias) qui à secundo ad tertium Episcopatum translatus est. Unde Versificator quidam illius temporis hoc illi tristichon posuit.

Ex archivis Castri de Belvoir.

Trinus erat Adam; talem suspendere vadam.
Thomam despexit, Wlstanum non bene rexit.
Swithunum maluit. Cur? quia plus valuit.

SIMON MONTACUTUS.

Hist. Dunelm.

Simoni Montacuto (linguâ vulgari *Montagu*) Episcopatum Wintoniensem conferri Rex voluerat. Hunc autem Adamo Papa contulit; & Simonem ipsi in Sede Wigorniensi suffecit. Illum demum ab Ecclesiâ Wigorniensi ad Eliensem per Benedictum XII. Papam translatum fuisse sub initium anni 1337. Historia Eliensis tradit.

THOMAS DE HEMENHALE.

Successit Thomas, Monachus Ecclesiæ Norwicensis; de quo Registrum Ecclesiæ Cant. à Johanne Cranborn scriptum ista habet. *Iste Thomas Wigorn. Episcopus primò electus fuit in Episcopum Norwicensem. Et quia negotium hujus electionis in Angliâ non valuit expediri; idem Electus se transtulit ad Curiam Romanam; & ibi moram faciens aliqualem, obtinuit Episcopatum Wigorn. de collatione Domini Benedicti* XII. *quem propriis manibus consecravit. Subsequenter in Vigiliâ Translationis B. Thomæ Martyris* (sc. die 6. Julii) *anno* 1337. *præfatus Episcopus Wigorn. fecit in Ecclesiâ Christi Cant. coram magno altare professionem suam in formâ infrascriptâ, præsentibus, &c.* Ad Episcopatum Norwicensem à Commonachis suis electum fuisse post mortem Willelmi Ayremin anno 1336. in Archivo Norwic. Ecclesiæ reperio, provisione autem Antonio de Beck factâ rejectum. Frater Thomas de Hemenhale inibi appellatur, nomine sc. ducto à natali vico, qui septimo circiter lapide à Norwico versùs Austrum dissitus in Provinciâ Norfolcianâ habetur. De obitu nil constat.

Reg. Norwic. 2.

WOLSTANUS DE BRAUNSFORD.

Tandem aliquando post continuam 7. Episcoporum à Papâ provisorum successionem Monachi Wigornienses Episcopum à semetipsis electum acceperunt, Wolstanum sc. Priorem suum. Confirmatus is fuit à Vicario Archiepiscopi apud Cantuariam 1339. 20. Martii; & ibidem consecratus est à Roberto Cicestrensi Episcopo Dominicâ in Ramis Palmarum, viz. die crastino. Obiit apud Hertlebury 1349. 6. Augusti. Temedum fluvium apud Braunsfordam vicum natalem in agro Wigorniensi ponte conjunxit.

Reg. Cranborn. Reg. Radulphi de Salop. Well. Reg. Eccl. Cant.

JOHANNES DE THORESBY.

Reg. Eccl. Cant.

Wolstani defuncti loco Monachi Wigorn. elegerunt Johannem de Evesham Priorem suum ante diem 11. Sept. verùm electo frui non licuit. Clemens enim

enim Papa Johannem Menevensem Episcopum ad Wigorniam transtulit bullâ datâ 1349. 4. Sept. eidemque Archiepiscopus spiritualia commisit 1350. 11. Jan. Iste anno 1350. summus Angliæ Cancellarius renunciatus est, tradito sibi magno Sigillo die 16. Junii. Ad Eboracum translatus est medio anno 1352.

Reg. Islip. Claus. 23. E. 3. p. 1. in 8. dorso. Reg. Thoresby Ebor.

REGINALDUS BRIAN.

Johanni successit in utrâque Sede, tam Menevensi sc. quàm Wigorniensi, Reginaldus Brian. Professionem is Archiepiscopo apud Lametham fecit, & spiritualem Episcopatûs Wigorn. jurisdictionem ab eodem accepit 1353. 7. April. Anno 1361. ad Sedem Eliensem ab Innocentio VI. Papâ translatus, *translatione per eum minimè acceptatâ* obiit. Verba sunt Bullæ Papalis successori datæ. Nec tamen translationem repulisse Reginaldum opinor, sed antequam compleri posset obiisse. Peste siquidem extinctus est apud Alvechirche 1361. 10. Decembr.

Reg. Islip.

JOHANNES BARNET.

Johannes Barnet, Thomæ de Insulâ Episcopi Eliensis Capellanus, Rectoriâ de Derham ab isto donatus est anno 1351. postea Canonicus Residentiarius Ecclesiæ Paulinæ London. Archidiaconus Londinensis, quo nomine ad Parlamentum anno 1363. à Rege adscitus est, & demum Archidiaconus Essexiensis, ad Episcopatum Wigorniensem exeunte anno 1361. electus est. Eidem Innocentius Papa provisionis bullam contulit 1362. 10. Januar. spiritualia Archiepiscopus commisit 1362. 4. Martii. Eodem anno magnus Angliæ Thesaurarius constitutus est; & ad Episcopatum Wellensem translatus est 1363. 24. Novembr.

Reg. Elien. Reg. Paul. Summon. ad Parl. Reg. Drokensford. Reg. Islip. Pat. 37. E. 3. p. 1. m. 27.

WILLELMUS WITLESEY.

Willelmus Witlesey successit, Simonis Islip Archiepiscopi Cant. consanguineus, ab Episcopatu Roffensi ad Wigorniensem translatus 1364. 6. Martii, authore Birchingtono. In Academiâ Cantabrigiensi literis institutus videtur. Custos enim Domûs S. Petri Cantab. anno 1349. fuit; librosq; suos omnes ejusdem Domûs Scholaribus moriens legavit. Ex Academiâ à Simone Archiepiscopo evocatus, factus est ipsius in Curiâ Romanâ Procurator, postea Vicarius generalis, & Officialis seu Decanus de Arcubus, Archidiaconus Huntindoniensis, ac Rector Ecclesiarum de Croidon & Cliff. A Wigorniâ demum ad Cantuariam translatus est 1368. 11. Octobr.

Reg. Ecclesiæ Cant. Hist. MS. de Pontif. Rom. Jocelin p. 253. Reg. Witlesey.

WILLELMUS DE LENNA.

Sedem Wigorniensem Willelmi Witlesey translatione vacantem eodem die sc. 1368. 11. Octobr. Urbanus V. Papa contulit Willelmo Cicestrensi Episcopo. Huic Archiepiscopus spiritualia 1369. 31. Maii commisit. Obiit 1373. 18. Novembr.

Reg. Witlesey. Reg. Courtney.

HENRICUS WAKEFELD.

Walterus de Legh, Ecclesiæ Wigorn. Prior, in Episcopum à Capitulo ritè electus, à Papâ injustè cassatus est; ut locum faceret Henrico de Wakefeld Archidiacono Cantuariensi & Hospitii regii Thesaurario, quem ad Ecclesiam Eliensem anno 1373. electum in Thomæ Arundelli gratiam Papa non minùs injustè cassaverat. Huic itaque bulla provisionis data est 1375. 12. Sept. Professionem fecit apud Lametham 1375. 3. Octobr. Consecratus est apud Hatfeldiam in Eliensis Episcopi Capellâ ab Episcopis Eliensi, Roffensi & Herefordensi 1375. 28. Octobr. Thesaurarius Angliæ factus est 1377. 11. Januarii.

Monachus Eveshâm in Continuat. Higdeni. Reg. Sudbury. Reg. Elien. Pat. 50. E. 3. p. 2. m. 4.

arii. Obiit 1395. 3. Martii inter redeundum à Parlamento Londinensi apud Blokesley. Die 11. Martii obitum contigisse Godwinus prodit. Verùm mihi sunt authores Monachus Eveshamensis coævus, & Johannes Jocelinus in Collectaneis suis.

Vespasian A. 9.

TIDEMANNUS DE WINCHCOMB.

Post Henrici obitum Monachi Priorem suum Johannem Grene elegerunt. Jamdiu autem Sedes Episcopales pro Canonicorum seu Monachorum arbitrio conferri & Papa & Rex noluerant. *Successit enim Henrico* (verbis Walsinghami utor) *ad preces Regis Papali provisione quidam Monachus Cicestrensis* (lege *Cisterciensis*) *Regis Physicus, dictus Robertus Tydeman, spretâ & cassatâ electione legitimâ M. Johannis Grene.* Paulò fusiùs Monachus Eveshamensis in Continuatione Polychronici. *Successit Tidemannus, quondam Monachus de Hayles, postea Episcopus Landavensis, postremò ad Sedem Wigorn. translatus est in Conversione S. Pauli proximè sequenti* (mortem Henrici Wakefeld.) *Cujus utrique installationi Rex interfuit.* Hunc de Winchcomb dictum esse Registrum ipsius docet. Quòd Robertum Walsinghamus appellat, error videtur. In Registro enim *Arundell* Ricardus Clifford post obitum Tidemanni O.B. successisse dicitur. Obiit Tidemannus 1401. 10. Junii. Vacavit Ecclesia mensibus 4. His circiter temporibus Baleus Willelmum Badby Ordinis Carmelitani, Johanni Lancastriæ Duci à confessionibus sacris, Episcopum Wigorn. electum esse, & non diu superfuisse tradit. Ut hæc monumentis nostris concilientur, vix laborandum esse censeo, cui multis indiciis constat quàm parum fidei Baleo sit habendum. Si qua tamen ejus ratio adhibeatur; hoc potissimum loco post Tidemanni obitum Willelmi electionem reponerem. Quatuor enim menses Tidemanni morti & Ricardi Clifford electioni intercessisse Monachus Eveshamensis prodit.

*Hist. p. 352.

Biblioth. Lambeth.

Monachus Evesham.

Cent. 6. c. 71.

RICARDUS CLIFFORD.

Ricardus Clifford, Clericus Ricardi II. Regis, summâ apud ipsum gratiâ potitus, quo nomine aulâ regiâ anno 1388. à Baronibus rebellibus ejectus est, ex Archidiacono Cantuariensi Episcopus Bathoniensis à Bonifacio Papâ renunciatus fuerat ante medium annum 1401. Rex autem Henricus Episcopatus pro Papæ arbitrio conferri noluit. Ricardo itaque, quamvis sibi à Privato Sigillo esset, temporalia Episcopatûs reddere recusavit, Henricum Bowet legitimè electum fuisse causatus. Quod tamen maximè in Ricardi laudem fecit, populi Angliæ universi Procuratores in Parlamento coacti à Rege suppliciter postulabant 1401. 3. atque iterum 5. Martii; ut Ricardo acceptæ provisionis Papalis veniam indulgeret, ipsumque Episcopatu Bathoniensi, non obstantibus severis adversùs Provisiones legibus, frui permitteret. Respondit Rex id nequaquam fieri posse, Bowetum enim legitimè electum esse; suum tamen favorem Ricardo non defuturum. Ricardum itaque Papa ad Wigorniam transtulit, Bullâ datâ 1401. 19. Aug. Consecratus is fuit à Thomâ Archiepiscopo Cant. in Ecclesiâ S. Pauli London. 1401. 9. Octobr. Electum eo die fuisse dicit Monachus Eveshamensis, errore facili. Londinum demum translatus est Ricardus 1407. 22. Junii.

Walsingham p. 334.

Rot. Parlam. 2. H. 4.

Reg. Arundell.

THOMAS PEVERELL.

Thomas Peverell, Ordinis Carmelitani Theologus, à Landavensi sede ad Wigorniensem translatus est à Gregorio xii. Papâ 1407. 4. Julii. Professionem Archiepiscopo apud Glocestriam fecit 1407. 20. Novembr. Obiit 1418. (exeuntem intellige) 1. Martii, in Ecclesiâ Wigorn. sepultus, authore Baleo, cui in Carmelitarum rebus tutò credi potest. Ipse enim Carmelita, Ordinis

Reg. Arundell.

Cent. 7. c. 49.

Ordinis sui annales summâ diligentiâ pervolverat. Quod 1417. 1. Martii Godwinus habet, typograhi erratum arbitror: sua enim ex Baleo hausit. Antiquitatum Oxoniensium Author Peverellum 1417. 23. Augusti obiisse, & in Ecclesiâ Carmelitarum Oxon. sepultum fuisse tradit. Veriorem autem esse Balei calculum confirmat petitio Monachorum Wigorn. ad Regem pro licentiâ eligendi post Peverelli obitum, data 1419. 9. Martii; quæ inter Epistolas Bekintoni reperitur.

Par. 1. p. 104.

Tiberius B. 6.

PHILIPPUS MORGAN.

Philippus Morgan, utriusque Juris Doctor, Menevensis Diocesis, ad Episcopatum Wigorn. provisus est à Martino V. Papâ 1419. 19. Junii; & professione Archiepiscopo factâ per Procuratorem suum die 9. Septembr. spiritualia accepit, consecratus in Ecclesiâ Cathedrali Rothomagensi 1419. 3. Decembr. Hunc, Normanniæ tunc Cancellarium existentem, Henricus Rex invictissimus deputaverat 1418. mense Novembri ad tractandum apud Alenconiam cum Legatis Ludovici Galliæ Delphini. Ad Episcopatum Eliensem translatus est 1426. 27. Februarii.

Reg. Chichley. Par. 1. p. 22.

Reg. Morgan.

Registr. Caroli Bothe Hereford.

Reg. Chichley.

THOMAS POLTON.

In Actis Concilii Regii sub Henrico VI. reperio conclusum inibi fuisse 1426. 14. Jan. ut Thomas Polton Cicestrensis Episcopus ad Episcopatum Wigorn. transferretur. Hunc itaque Martinus V. Papa, præstito pro more Bullæ provisionalis ministerio, transtulit 1426. 27. Febr. eidemque Archiepiscopus, acceptâ obedientiæ professione, Spiritualia commisit 1426. 26. April. Ad Curiam Romanam pro regiis negotiis expediendis profecturus, testamentum condidit 1432. 6. Decembr. quod post mortem ejus in Curiâ Archiepiscopali probatum est 1433. 18. Octobr.

Reg. Chichley.

THOMAS BOURCHIER.

Post Thomæ Polton obitum Papa Episcopatum Wigorn. Thomæ Brouns Decano Sarum in Concilio Basiliensi tunc præsenti jure provisionis contulit; scriptisque ad Regem literis enixè petiit, ut provisionem ejus ratam haberet. Rex è contra datis ad Thomam literis jubet, ut provisioni renunciet; aliter se nunquam passurum, ut aliquem in Angliâ, nedum Wigorn. Episcopatum obtineat. Datis insuper ad Papam literis, se provisioni neutiquam consentire dicit. Vult autem Thomam Bourchier consanguineum suum ab illo provideri; atque eâ conditione Thomæ Brouns Episcopatum Roffensem dari concedit. Regi Papa, sedente Concilio Generali, adversari non ausus, morem gessit; atque ita Episcopatum Wigorn. obtinuit Thomas Bourchier, Willelmi Comitis de Ew & Comitissæ Staffordiæ filius, & Henrici Comitis Essexiæ frater, Hospitii Nevilliani apud Oxoniam alumnus, ejusdemque Academiæ ab anno 1434, ad 1437. Cancellarius, Decanus itidem S. Martini London. Provisus est ab Eugenio Papâ 1434. 9. Martii. Professionem Archiepiscopo fecit 1435. 20. April. Ante hunc itaque diem consecratus non erat; Temporalia tamen à primâ Bullarum publicatione ipsi permissa opinor, ætatis autem defectu consecratum non esse. Neque enim obiit ante annum 1486. Vacante interim Episcopatu Eliensi, ipse à Monachis postulatus est mense Januario anni 1436. invito Rege, & à Papâ confirmatus. Bullas tamen Papales eâ de re accipere seu Sedem Eliensem adire ausus non est, metu legum patriarum, quæ bullas Pontificias absque licentiâ regiâ accipientibus gravissimas pœnas irrogârunt. Ad eandem autem Sedem Rege concedente denuo translatus est 1443. 20. Decembr.

Literæ autogr. *Cleop.* E. 3.

Registr. Well.

Reg. Chichley.

Hist. Elien.

Reg. Stafford.

JOHANNES CARPENTER.

Reg. Stafford. Translato ad Eliensem Sedem Bourchiero, Johannes Carpenter S. T. D. ad Wigorniensem eodem die sc. 1443. 20. Dec. ab Eugenio IV. Papâ provisus est. Professione apud Lametham factâ, spiritualia ab Archiepiscopo accepit 1444. 28. Febr. Collegii Orielensis apud Oxoniam Socius is olim fuerat, & ex Socio Præpositus, Academiæ quinetiam Cancellarius annis 1437. & 1438. Quo munere perfunctus, in Synodo totius Cleri apud Londinum habitâ 1438. 6. Octobr. peroravit, petens confirmationem decreti Synodalis anno 1421. sanciti de promovendis ad Beneficia majoris pretii ecclesiastica Academicis. Postquam Episcopatum adeptus est, nil magis cordi habuit, quam matris Academiæ ædificia & redditus amplificare. Post annum enim 1447. aliquam sumptuum partem in Aulâ B. Mariæ Oxon. ædificandâ impendit. Anno 1476. Orielensibus suis ex testamento supremo detulit latifundia quædam in Comitatu Oxoniensi, quibus Socium unum è Diocesi Wigorn. natum enutriri voluit. Donavit etiam hebdomadalem 4. solidorum exhibitionem sex pauperioribus Scholaribus ex æquo dividendam. Aulam insuper B. Mariæ iisdem transcripsit; librosque sacros & ornamenta varia Ecclesiæ B. Mariæ contulit in usum Præfecti & Scholarium ejusdem Collegii. De magnificâ ejusdem liberalitate in restaurando & dotando Collegio Westberiensi Godwinum consule. De obitu illius nil reperio, nisi quòd testamentum anno 1476. condiderit.

Reg. Chichley. 6. Octobr.

Antiq. Oxon. par. 2. p. 362. 104.

JOHANNES ALCOCK.

Successit Johannes Alcock anno 1476. si Godwino fides; mihi enim introitus illius penitus est imcompertus, Registro ejus in fronte mutilato. Illum Synodo Londinensi ineunte anno 1481. interfuisse, neque antea memoratum, comperio. Anno 1484. fundavit Capellam S. Trinitatis juxta Ecclesiam S. Trinitatis de Kingston super Hull; & Cantariam perpetuam in eâdem posuit. Illum Baleus, qui de paucissimis æqua sensit, ob vitæ sanctimoniam & egregiam abstinentiam summopere prædicat, *neminem per Angliam majori sanctitatis nomine insignitum fuisse asserens*. Plura quinetiam Opuscula ad pietatem ferè spectantia ipsi conscripta refert. Ex his libellum, cui titulus *Mons Perfectionis*, ante annum 1500. typis expressum vidi. Ad Episcopatum Eliensem translatus est sub exitum anni 1486.

Reg. Bourchier.

Reg. Rotherham Ebor.

Cent. 8. c. 57.

ROBERTUS MORTON.

Alcocum excepit Robertus Morton, Legum Doctor, Archidiaconus Wintoniensis, Johannis Morton Archiepiscopi Cant. ex fratre nepos; qui licentiam consecrationis extra Ecclesiam Metropoliticam accipiendæ à Capitulo Cantuariensi obtinuit 1487. 24. Januarii. Rotulorum Præfectus 1479. 30. Maii constitutus fuerat.

Reg. Eccl. Cant.

JOHANNES GIGLIS.

Johannes Giglis sive de Liliis LL. D. gente Italus, patriâ Lucensis, Pontificis Romani in Angliâ Quæstor erat titulo Collectoris Cameræ Apostolicæ, Canonicus Wellensis admissus est 1478. 7. Dec. In Synodo Londinensi anno 1481. coactâ primam concionem habuit die 21. Martii; & in eâdem decimam à Clero Papæ concedi incassum flagitavit. Anno 1489. authoritatem ab Innocentio VIII. Papâ accepit usuram, simoniam, furta, homicidia, rapinas, adulteria, stupra & quæcunque ferè crimina remittendi; præterea indulgendi & dispensandi, ut tam bona aliena quàm fraude acquisita salvâ conscientiâ aliquis retinere posset, solutâ aliquâ eorum parte Papæ Commissariis seu eorum vices agentibus. Neque minùs proprio quàm Papali lucro prospexit, Episcopatum

Reg. Stillington.

Reg. Bourchier.

Bulla in Registro Morton. f. 18.

copatum Wigorn. anno 1497. adeptus virtute Bullæ Papalis die 30. Augusti datæ. Spiritualia ab Archiepiscopo 1497. 18. Oct. accepit, per Procuratorem installatus 1498. 12. April. Obiit 1498. 25. Augusti. Reg. Giglis. Reg. Morton.

SILVESTER GIGLIS.

Episcopatum Johannis morte vacantem dono Papali accepit Silvester, illius ex fratre nepos, Cameræ itidem Apostolicæ in Angliâ Collector; quod muneris usque ad obitum retinuit. Provisus est 1498. 24. Dec. installatus per Procuratorem 1499. 6. April. Anno 1512. Concilium Lateranense à Rege missus adiit. Obiit in Curiâ Romanâ 1521. 16. April. Reg. Giglis. Reg. Warham.

JULIUS DE MEDICIS.

Post Silvestri obitum Leo X. Papa Episcopatum Wigorn. contulit patrueli suo Julio de Medicis, Juliani filio, quem ex Ordinis Hierosolymitani Milite Cardinalem & Archiepiscopum Florentinum anno 1513. creaverat. Julius Sedem Wigorn. 1521. 31. Julii acceptam titulo Administratoris integro anno tenuit, & post medium annum 1522. abdicavit. Titulus ipsi fuerat: *Julius miseratione divinâ tituli S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis, Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, necnon perpetuus Commendatarius seu Administrator Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis.* Onuphrius. Reg. Warham.

HIERONYMUS DE GHINUCCIIS.

Successit Adriani Papæ dono Hieronymus Ghinuccii sive de Nugutiis, homo Italus, bullâ Provisionis datâ 1522. 26. Sept. installatus per Procuratorem 1523. 2. Martii. Rege tamen Angliæ intercedente, saltem permittente, Episcopatu auctum fuisse arbitror. Ipsi enim perquam utilis fuit; & pro negotiis ipsius in regionibus externis multùm & fideliter laboravit, sæpius in Hispaniam, semel in Italiam legatus; adeò ut anno circiter 1533. & Henricus Angliæ & Franciscus Galliæ Reges dignitatem Cardinalitiam illi conferendam à Clemente VI. Papâ expeterent. Maximo Henricum beneficio ante biennium devinxerat, sedulò conquisitis in Italiâ & Hispaniâ Theologorum definitionibus adversùs matrimonium Regis & Caterinæ Reginæ olim initum. Anno tamen 1535. mutatis affectibus id prœmii à Rege tulit; ut lege publicâ in Parlamento latâ mense Martio Episcopatu amoveretur, eo nomine quòd alienigena esset & in parochiâ suâ non resideret. Reg. Warham. Reg. Wigorn. Hist. Reform. Angl. p. 88. 148, &c.

HUGO LATIMER.

Hugo Latimer, in Provinciâ Lecestrensi natus, in Academiâ Cantabrigiensi institutus, præclaram probitatis & doctrinæ famam obtinuit. Anno 1534. de propagato in Academiâ Cantab. Lutheranismo accusatus fuisse dicitur. Anno tamen 1530. comperio quendam Hugonem Latimer A. M. ab Academiâ Cantabrigiensi deputatum cum Warhamo Archiepiscopo aliisque Episcopis & Theologis consedisse, & unà cum illis Versionem S. Scripturæ Anglicam pluresque Lollardorum libros damnâsse. Anno 1534. Annæ Reginæ à sacris admotus, ejusdem favore Episcopus Wigorniensis anno 1535. renunciatus est, die 20. Augusti installatus. Vir quidem raro pietatis infucatæ zelo & simplicissimis moribus præditus, sive autem nimio animi impetu seu judicii elimati defectu incautus & parùm prudens. Anno 1539. latis lege publicâ sex articulis fidei qui ab omnibus teneri atque doceri deberent, Latimerus assensum inhibuit, dissimulare tamen nefas habuit. Abdicato itaque 1539. 1. Julii Episcopatu, ad vitam privatam rediit, & integro ferè decennio sacris manum non adhibuit. Bale cent. 8. c. 85. Hist. Reform. p. 32. Instrumentum Originale. Reg. Wigorn. Stow in Chron. p. 616.

JOHANNES BELL.

Reg. Cranmer.
Reg. Wigorn.

Latimero subrogatus est Johannes Bell, LL. D. Regis Capellanus & Consiliarius, Archidiaconus Glocestrensis; Sylvestri, Julii & Hieronymi Episcoporum Wigorn. Vicarius generalis; quem à Capitulo Wigorniensi ritè electum Archiepiscopus apud Lametham confirmavit 1539. 11. Augusti. Henrici Regis Procurator fuerat anno 1529. in causâ divortii coram Wolseio & Campegio Cardinalibus tractandi; & anno sequenti Oxoniam à Rege amandatus fuerat ad roganda Theologorum eâ de re suffragia. Postquam Episcopatum obtinuit, Collegio Baliolensi Oxon. (cujus olim alumnus fuerat) dedit prædia & redditus nonnullos in parochiâ Clerkenwellensi prope Londinum, ad alendos in Collegio dicto Scholares duos è Diocesi Wigorn. oriundos. Superfuit anno 1540.

Antiq. Oxon. par. 2. p. 72.

VITA

VITA S. WLSTANI Episcopi Wigorniensis.

Authore HEMMINGO *Monacho Wigorniensi.*

LArgifluâ Dei omnipotentis gratiâ præordinante, & beatâ semperque Virgine Mariâ (ut par est credere) suffragante, adjunctâ simul beati Oswaldi intercessione, ALUREDUS Archiepiscopus venerabilem virum WULSTANUM, nondum ad Episcopatûs apicem electum, Ædituum constituit Wigornensis Ecclesiæ. Vidit enim in illo castitatem vigere, aliasque diversas virtutes in eo mansionem habere: Illum laude dignis moribus præditum fore, nec suam vitam cæterorum ducere more: Mundanam omnino pompam despicere, & cœlestem duntaxat inhianter concupiscere. Unde non solùm ab ipso Aldredo Archiepiscopo, verùm etiam ab omnibus, Regibus videlicet, Ducibus & Principibus, honorabatur & summo affectu diligebatur. Dignis eum quique attollebant honoribus, & ob religionis cultum diligebant præ omnibus; quos ipse mutuâ caritate, ut erat columbinæ simplicitatis, in Christi complectebatur visceribus. De die verò in diem ad meliora proficiens, Deique adjutorio virtutes virtutibus addens, Prioratum Wigornensis Ecclesiæ dispensatione divinâ coactus est suscipere. Quod tamen potius causâ obedientiæ quàm adipiscendæ suscepit gloriæ. Venerabilis interea Comitissa Godgiva, famâ bonitatis ejus auditâ, totis illum cœpit diligere visceribus, & in diversis hujus sæculi subvenire necessitatibus. Cujus siquidem precibus Comes Leofricus, conjunx videlicet suus, duas terras, Blacawella & Wulfordilea vocatas, illi donavit; quas antea Dani cæterique Dei adversarii vi abstulerant, & ab ipsâ Wigornensi Ecclesiâ penitus alienaverant. Alteram quoque terram; quam incolæ illius Ikacumb nuncupant, filius præfati Comitis Ælfgarus nomine à quibusdam optinuit, & pro suæ remedio animæ prædicti viri Dei juri tradidit. Cernens autem venerandus Archiepiscopus ALDREDUS hunc servum Dei bonis operibus insudare, nichil de terrenis curare, solummodo cœlestibus inhiare, in Episcopatum Wigornensis Ecclesiæ decrevit eum sullevare. Quod sicut disposuit mente, licèt multùm reniteretur ille, non multò pòst implevit opere. Suscepto itaque tanti honoris culmine, qualiter illud Deo se protegente tenuerit, quàm sanctis operibus decoraverit, nullus edicere poterit. Mansit autem in Episcopatu xxxii. annis, mensibus iv. & iii. septimanis. Prioratum verò Wigornensis Ecclesiæ suscepit pro ipso frater illius Ælfstanus nomine; qui terras tres, Lenc videlicet, & Dunhamstede & Pecceslea, suâ acquisivit strenuitate. Ipse etiam servus Dei Wulstanus in hac qua manemus heremo adhuc manens, omnibus omnia fiebat, ut omnes Christo lucrari posset. A Willelmo quoque Rege cæteris ampliùs amabatur, cæteris ampliùs majoris minorisque gloriæ viris pro vitæ suæ merito honorabatur. Cui poscenti dedit terram duorum cassatorum, quæ Cullaclis dicitur, & alteram xv. cassatorum, quæ Ælfestun nominatur. Has insuper terras, Mittun scilicet & Eastun, & duas Lynderycgeas & Penhyl & Grimanleah sibi reddidit. Quæ ille omnia Thomæ venerabili Priori, qui Prioratum post Ælfstanum optinuit, commisit. Molendinum quoque apud Northwican & quartam partem terræ ad usus fratrum donavit. Et Monasterium, quod in Westbirie situm est, ejusdem Prioris Thomæ custodiæ mancipavit. Quod videlicet Monasterium beatus Oswaldus priùs exstruxit, Monachis stabilivit, & terris hominibusque illas excolentibus ditavit. Verùm post mortem illius sic à perversis diaboli filiis, scilicet à piratis, vastatum est; ut non remaneret nisi unus solummodo Presbiter, qui divinæ servitutis officium

cium raro explevit. At recordandæ memoriæ Wlstanus post susceptum Episcopatûs honorem illud reædificavit; terris, hominibus & vestimentis ad Dei servitium pertinentibus nobilitavit, ibidemque secundùm loci positionem Monachos coadunavit; & Monasterium cum omnibus quæ ibi erant Ecclesiæ Wigorniensi subjugavit.

ACTA SYNODI apud Wigorniam à S. WLSTANO habitæ anno MXCII.

✠ EGO Wlstanus gratiâ Dei Wigornensis Episcopus decrevi Synodum congregare in Monasterio Sanctæ MARIÆ in criptis, quas ego à fundamentis ædificavi, & per misericordiam Dei postea dedicavi. Hæc Synodus habita est anno Dominicæ Incarnationis MXCII. Indictione xv. Ad hanc Synodum invitati convenerunt omnes sapientissimæ personæ de tribus Comitatibus nostræ Dioceseôs, Wigracestriæ videlicet, Glaucestriæ, Warewicciæ; eò quòd ego longævus dierum, imbecillitatem corporis mei sentiens, & finem vitæ meæ instare intelligens, cupiebam res ecclesiasticas nostræ curæ commissas canonicè tractare, & quæq; emendanda forent illorum sapienti consilio corrigere & emendare. Nostrâ itaque humilitate in hac Synodo præsidente, orta est quæstio inter duos Presbiteros, Alfnothum scilicet Presbiterum Sanctæ Elenæ & Alam Presbiterum Sancti Albani, de parochiis & consuetudinibus Ecclesiarum suarum. Horum Presbiterorum altercatio Sanctam Synodum multùm detinuit. Hanc litem ego canonicè discindere cupiens, jussi seniores quosque & quibus notissimæ essent antiquæ institutiones Ecclesiarum seu parochiarum Wigracestriæ, veritatem edicere, tam de supradictarum, quàm de omnium Ecclesiarum urbis Wigracestriæ, antiquissimis institutionibus & parochiis. Et cùm inter supradictorum Presbiterorum disceptationem auditus est à Sanctâ Synodo clamor filiorum Ecclesiæ, Monachorum videlicet, quòd ipsi dampna paterentur suorum redituum, quos justè habere debuissent de suâ Ecclesiâ, Sanctæ Elenæ scil. propter tam diuturnam Presbiterorum discordiam jussi, sicut de institutionibus cæterarum Ecclesiarum, sic etiam de hujus matris Ecclesiæ institutione dicerent. Ad harum rerum scrutinium ex nostro præcepto fuerunt, Thomas Prior, Alfere Secretarius, Godricpirl Camerarius, Uhtred Cantor, Agelric Archidiaconus, Edwine frater ejus, Frideric, Agelmar Presbiter, cum aliis quamplurimis, quos ad hoc elegi. Hi omnes igitur communi habito consilio reversi in Sanctam Synodum, affirmaverunt nullam esse parochiam in totâ urbe Wigrac. nisi tantum matris Ecclesiæ. Ecclesiam verò Sanctæ Elenæ vicariam hujus matris Ecclesiæ extitisse à temporibus Æthelredi Regis & Theodori Archiepiscopi, qui locum tunc fundaverunt, & ibi BOSELUM primum Episcopum constituerunt anno Incarnationis Domini DCLXXX. Indict. vii. Hæc institutio à tempore supradicti Boseli per tempora omnium Episcoporum hujus Sanctæ Ecclesiæ per manus Clericorum in hac sede servientium inconvulsa servata est usque ad tempora beati OSWALDI Archiepiscopi, qui opitulatione Ædgari Regis & auctoritate pii patris Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi de irregulari conversatione Clericorum in regularem conversationem & habitum Monachorum transtulit & mutavit hujus Ecclesiæ congregationem anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXIX. Indict. xii. Hujus pii patris OSWALDI temporibus Wynsius, Sanctæ Elenæ Presbiter, Vicarius hujus Sanctæ matris Ecclesiæ extitit. Hic idem monitis Sancti OSWALDI, cum cæteris qui in Clecali habitu huic Ecclesiæ utcunque serviebant, mundo posthabito, Monasticæ religi-

religionis habitum suscepit, & claves Ecclesiæ Sanctæ Elenæ, quarum ipse sicut Vicarius custos extiterat, cum terris, decimis, cæterisque redditibus, ad communem usum Monachorum reddidit. Wynsio proinde Monacho facto cum cæteris qui secum sponte converti elegerunt; tam prædicta Ecclesia quàm cæteræ, quæ nunc usque Monachorum sunt Ecclesiæ, terræ, sepulturæ vel quælibet aliæ consuetudines seu dignitates ecclesiasticæ, quæ Clericorum quasi propria hactenus extiterant, in jus Monachorum transierunt, & in communem usum illorum redactæ sunt, assensu Regis Eadgari & Beati DUNSTANI, Sanctique OSWALDI Archiepiscoporum. Anno tertio conversionis Winsii Presbyteri beatus Oswaldus Prioratum ei super Monachos hujus Ecclesiæ concessit assensu ejusdem Regis. Concessit etiam illi omnibusque suis successoribus Prioribus hujus Ecclesiæ Decanos esse super omnes Ecclesias suas & Presbiteros; ita videlicet quòd nullus Decanus, nullus Archidiaconus de Monachorum Ecclesiis seu Clericis se intromittat nisi per Priorem Ecclesiæ. Omnes ecclesiasticas consuetudines Prior sicut summus Decanus Episcopi pro suis Ecclesiis Episcopo persolvat. Harum rerum, sicut ab antecessoribus nostris didicimus, & his nostris temporibus sub antecessore vestro ALDREDO & vobis hactenus servatas vidimus, testes sumus. Hoc igitur testimonium ego Wlstanus verum comprobans, litem Presbiterorum sedavi; & veram comprobationem testimonio hujus Sanctæ Synodi literis nostris & Sigillo corroboravi; cavens ne à modo de his rebus in hac sanctâ & matre Ecclesiâ inter Monachos & alias quaslibet personas dissensio sive scandalum oriatur. Servantibus hæc vita æterna donetur in cœlestibus. Qui autem fregerit, vel in pejus mutaverit, cum Diabolo & Angelis ejus perpetuis dampnetur cruciatibus. AMEN.

Titulus in dorso,

Privilegium Sancti Wlstani de Ecclesiâ S. Elenæ.

& Sancti Wlstani.

Compositio inter Episcopum & Monachos Wigornienses anno MCCXXIV. *inita de electione* PRIORIS.

NOverint universi præsentes literas inspecturi, quod cùm inter Dominum W. Episcopum Wigorn. & Conventum ejusdem Ecclesiæ ex uno latere variæ quæstiones essent obortæ, tam super institutione cujusdam W. quondam Prioris de Malvern, quem prædictus Episcopus dicto Conventui præfecerat in Priorem, quàm super institutione & destitutione Priorum aliàs pro tempore faciendâ: Item pro custodiâ dicti Prioratus Prioratu vacante, & super provenientibus tumbæ & feretrorum beati Wulstani, super pensionibus & debitis Conventui ad mandatum Episcopi detentis, nec non super modo ingrediendi Capitulum, & dampnis & expensis & quæstionibus, & aliis injuriis hinc inde vario modo sicut dicebatur illatis. Item cùm ex alio latere inter dictum Conventum & præfatum W. quem illis dederat in Priorem, ob institutionem ejusdem W. aliis quæstionibus & injuriis hinc inde illatis, similiter orta esset nonnulla contentio; viris providis & discretis pluries inter eos de pace reformandâ convenientibus in Capitulo Wigorn, Dominis S. Cantuar. Archiepiscopo & J. Bathon. & H. Lincoln. Episcopis, nec non de Evesham & de Rading Abbatibus, cum aliis discretis viris, dicti Episcopus & Conventus Wigorn. super omnibus quæstionibus similiter inter se motis in dictos Dominos Cantuar. Bathon. & Lincoln. & memoratos Abbates de Evesham & de Rading

Vide Annales Wigorn. in anno 1224.

Rading & Magistrum S. de Eketun Clericum dicti Domini Cantuar. quos compositores amicabiles elegerunt, spontaneâ voluntate compromiserunt, super sacrosancta jurantes, quòd eorum starent ordinationi in omnibus quæstionibus inter ipsos obortos. Secedentibus igitur in partem dictis Compositoribus, & nunc ad hanc partem nunc ad illam habentibus regressum, ut habitâ frequenti collatione eos facilius ad concordiam revocarent, tandem pensato statu Ecclesiæ Wigorn. & considerato animarum periculo quod imminebat, ponderatis etiam variis circumstantiis illud negotium tangentibus, magnâ super hoc cum viris discretis habitâ deliberatione, ita ad honorem Dei & Ecclesiæ, ad pacem etiam & tranquillitatem partium concorditer ordinârunt. Imprimis ut dictus W. quondam Prior Malvern. quicquid juris habuit vel sibi vendicavit in Prioratu Wigorn. absolutè & simpliciter resignaret; quod & in eorum præsentiâ sine dilatione fecit ibidem. Factâ igitur resignatione, providerunt quòd idem W. ad honestam sustentationem suam Manerium de Clive, quod est Prioris Wigorn. omnibus diebus vitæ suæ in usus proprios retinebit in eâdem integritate qua consuevit dictus Conventus & Prior eorum illud manerium retinere, salvâ Conventui Ecclesiâ ejusdem villæ cum decimis rusticorum & liberorum tenentium & aliis pertinentiis, præterquam de dominico manerii quod apud memoratum W. sicut dictum est, remanebit. Providerunt autem, quòd idem W. nichil alienet vel aliquid tempore suo faciet, quo minùs dominium manerii cum pertinentiis post decessum ipsius ad Conventum revertatur in eâdem integritate quâ illud recepit. De debitis etiam à dicto W. prætextu hujus litis contractis, præmissâ taxatione præmissorum, & dicti W. sacramento obsecuto, statuerunt, quòd Conventus Wigorn. vel eorum Prior ipsi pro expensis illis centum marcas persolvat, ita ut in Festo Natalis Domini proximè venturo percipiet viginti quinque marcas, [& in sequenti Festo Annunciationis B. Virginis viginti & quinque marcas] & in sequenti Festo Nativitatis beati Joannis Bapt. viginti & quinque marcas, & residuas viginti & quinque marcas in sequenti Festo beati Michaelis. De Monachis etiam, qui fuerunt dicto Episcopo vel memorato W. providerunt, quòd ipsi ad Conventum in bonâ pace & gratiâ revertantur; ita quòd ad invicem omni injuriâ sepultâ, & rancore semoto, se fraternâ caritate pertractent. Ordinârunt etiam, quòd hac vice nullum habeant Priorem de domo suâ; sed dictus Dominus Wigorn. de extraneis Monachum aliquem, quem secundùm conscientiam suam idoneum reputaverit, excepto dicto W. jam amoto, eis hac vice præficiat in Priorem. De cætero autem vacante Prioratu sic providerunt ordinationem faciendam; ut Conventus septem Monachos, quos voluerit, de gremio suo (injunctum est tamen, ut de melioribus hoc faciat) Episcopo suo præsentet; qui necesse habebit unum ex illis septem, quem voluerit, illis præficere in Priorem; quem quidem Episcopus Wigorn. non poterit amovere, nec alium Priorem deinceps nisi ex justâ causâ, sicut prædecessores sui facere consueverunt. Circa custodiam autem Prioratûs vacantis ordinatum est sub hac formâ; ut Dominus Episcopus Wigorn. vacante Prioratu Ecclesias ad præsentationem Prioris & Conventûs spectantes, quas interim vacare contigerit, liberè conferat personis idoneis. Custodias etiam & eschaetas, nec non maritagia, liberum tenementum etiam conferat, si acciderint hii casus Prioratu vacante; toto residuo tam in capite Prioratûs & maneriis eorum quàm in Ecclesiis, quas habent in usu proprio, nec non in aliis beneficiis seu redditibus, ad solius Conventûs custodiam pertinente; nec per collationem Ecclesiarum, Custodiarum, Eschaetarum, Maritagiorum, quæ fiet ab Episcopo Prioratu vacante, aliquid Conventui vel Priori præjudicium generetur; quin Priore eis ordinato, ad ipsos aliâ vice spectet ordinatio seu præsentatio omnium præmissorum, cùm iterum vacaverint vel acciderint Prioratu non vacante. Propter præmissa non differatur ordinatio Prioris vel protrahatur;

sed

ſed quanto commodiùs fieri poterit, vacante Prioratu deſtinabit Conventus ad Epiſcopum ſuum, ubicunq; fuerit in Angliâ, aliquos de gremio ſuo, qui ei ſeptem Monachos nominatos à Conventu per literas patentes Conventûs præſentent; ut ſic ordinatio ſine difficultate procedat. Si verò Epiſcopus exiturus ſit regnum, ad quaſcunq; partes iturus; ſtatuet aliquem loco ſuo, qui unum de ſeptem nominatis à Conventu eis Priorem præficiat vice ſuâ: ſive jam Prioratu vacante ipſe regnum egredi ſtatuerit, ſive eo agente extra regnum contigerit Prioratum vacare; ut undiq; provideatur Eccleſiæ, ne per abſentiam Epiſcopi Priore remaneat deſolata. Et ſi nemine conſtituto loco ſui, qui poſſit, ſicut dictum eſt, præficere, contigerit Epiſcopum egredi regnum; ne vel ſic per negligentiam vel deſidiam Epiſcopi contingat ordinationem Prioris impunè differri; hoc in pœnam ipſius ſtatuerunt, ut ſive ante egreſſum ipſius vacaverit Prioratus,ſive poſtea,nichil interim per ipſum vel ſuos de dictis Eccleſiis, Cuſtodiis, Echaetis vel Maritagiis conferatur, ſed illâ vacatione pertineant ad ſolum Conventum. De proventibus autem tumbæ & feretrorum B. Wolſtani ita ſtatuerunt; ut medietas eorum de cætero ſpectet ad Epiſcopum, medietas ad Conventum; & ad cuſtodiam illam Epiſcopus pro parte ſuâ & Conventus pro parte ſuâ quos voluerint cuſtodes, honeſtos Clericos vel Monachos, deputabit. Circa ingreſſum verò Epiſcopi ſive modum ingrediendi Capitulum ita providerunt; ut cùm voluerit Epiſcopus Capitulum eorum intrare, præmuniat Conventum, utrùm tractare velit de ſpiritualibus ſeu ordinem tangentibus, vel potiùs de temporalibus; & ſi veniat de ſpiritualibus ſeu ordinem tangentibus tractaturus, ſolus ſine Clericis moretur, dum tractaverit de præmiſſis. Sive verò tractaturus veniat de temporalibus, liberè cum Clericis ſuis ſæcularibus Capitulum ingrediatur. Sed ſi inciderit aliquid tractandum de ſpiritualibus ſeu ordinem tangentibus; ſtatim Clerici ſæculares ſine difficultate recedent, Epiſcopo ſolo interim ſine Clericis ſuis ſæcularibus remanente. Proviſum eſt etiam, quòd omnes penſiones vel redditus ſeu beneficia, quæ conſueverunt Prior & Conventus percipere in Eccleſiis Dioceſis Wigorn. & de novo ſunt retenta, ipſis ſtatim & ſine difficultate reſtituantur; & Epiſcopus eis penſiones ſeu redditus nomine perpetui beneficii confirmabit. Omnia autem alia debita, exceptis præmiſſis, dampna etiam & expenſa, & alia hinc inde petita, ordinârunt dicti Proviſores ad invicem remittenda. Et quòd Dominus Epiſcopus omnem cum ſuis eis offenſam, rancorem & indignationem remittat, ipſos ad pacis oſculum benigniùs admittendo; & quòd ipſi & alii Monachi, qui fuerant Domino Epiſcopo vel memorato W. unà cum eodem W. ad invicem ſibi rancorem & indignationem remittant, pacis oſculo mediante; quod & factum eſt ibidem in præſentiâ Proviſorum. Si verò viderit dictus Epiſcopus Eccleſiam Wigorn. reconciliandam, eò quòd nuper ſine auctoritate illius fuerit reconciliata; liberè eam reconciliet, dum tamen ſine præjudicio Monachorum. Injunxerunt etiam Proviſores partibus in virtute præſtiti juramenti; ut in ſingulis Capitulis fideliter ordinationem præmiſſam obſervent: Statuentes nichilominus ipſam futuris temporibus ab Epiſcopis & Monachis Wigorn. qui pro tempore fuerint, in perpetuum obſervandam. Si quid verò in quæſtionibus jam motis forſitan fuerit hic omiſſum; iidem Proviſores hoc ordinationi ſuæ plenariè reſervârunt. Huic igitur ordinationi in ſcriptis redactæ appoſuerunt Sigilla ſua dicti Proviſores, injungentes dictis Epiſcopo & Conventui, ut & ipſi ſimiliter Sigilla ſua apponant, & Priorem cum creabitur inducant ſimiliter ad conſentiendum præmiſſis, & quòd etiam Sigillum ſuum apponat. Datum in Capitulo Wigorn. anno Domini milleſimo ducenteſimo viceſimo quarto, die Jovis proximâ poſt Feſtum Beati Michaelis.

SUCCESSIO PRIORUM Ecclesiæ Wigorniensis.

CAnonicos Sæculares in Ecclesiâ Wigorniensi à primâ ejus fundatione usque ad Oswaldi tempora consedisse constat ex Actis Concilii Wigorn. sub Wlstano habiti, aliisque certissimis testimoniis. Quibus artibus Oswaldus Canonicis ejectis Monachos induxerit, Eadmerus refert in *Vitâ* illius. Cœnobium ille Monachis in Sede Episcopali construxit anno 969. Canonici tamen adhuc Ecclesiam matricem tenuerunt, neque Monachis locum cesserunt ante annum 971. quando Prior constitutus est

Vol. 2. p. 202, 203.

Annal. Wigorn. & Teokesbir.

Wynsinus, sive *Wynsius*. Hunc, antea Ecclesiæ Wigorn. Canonicum & Ecclesiæ parochialis S. Helenæ adjacentis Presbyterum, Oswaldus induxit, ut in Monachorum claustra transiret anno 969. factâ (si opinari fas sit) Prioratûs donandi promissione. Illum enim ad Ramesiense Cœnobium paulò antè à se positum ablegavit, ut religione Monasticâ institueretur; nulli tamen interim Prioratum contulit, sed Wynsinum anno posthac tertio ad Wigorniam revocatum Monachis primum præfecit. Paucissimi ex Canonicis habitum Monasticum induisse videntur. Refert enim Monachus Ramesiensis, qui Oswaldi Vitam uberi atque affectato stilo ante annum 1005. digessit, illum quamplurimos Monachos ex Ramesiâ unà cum Wynsino accivisse. Monachorum Præfectus in Ecclesiis Cathedralibus tunc quidem sæpiùs, posteà autem solo, *Prioris* titulo innotuit: in antiquis tamen Ecclesiæ Wigorn. monumentis eundem quatuor nominibus insignitum reperio, sc. *Prioris*, *Præpositi*, *Primi*, & *Decani*. Singula sæpiùs occurrunt in antiquissimo Hemmingi codice *de possessionibus Ecclesiæ Wigorn.* anno circiter 1094. scripto. Postea reliquis antiquatis, unicum *Prioris* nomen obtinuit: quamvis in Epistolis Osberti de Clarâ Prioris Westmonast. qui ab anno 1108, ad 1140. claruit, Warinum Priorem Wigorn. *Decani* titulo aliquoties compellatum inveniam. Obiit Wynsinus ante annum 992.

Æthelstanus, Prioratum tenuit tempore Oswaldi Episcopi. Chartis enim hujus tempore confectis subscribunt apud Hemmingum modò *Winsige Primus*, modò *Æthelstan Primus*.

Æthelsinus, obiit die 7. Julii.

Æthelsinus alter, obiit die 4. Decembris. Horum duorum Wigorn. Decanorum, sic enim dicuntur, nomina atque obitus exhibuit vetustissimum Ecclesiæ Wigorn. Obituarium, literis Saxonicis exaratum, ex quo plerosque obitus Jo. Jocelinus manu propriâ descripsit. Ordo autem & tempora eorundem pariter ac Godwini sequentis penitus latent. Alterum tamen Æthelsinum Ethelredi Regis tempore præfuisse liquet. Sic enim in Registro Wigorn. Ecclesiæ Noelliano legitur. *Villas de Swinford in Staffordscire Ægelsinus quondam Decanus Wigorn. homo prudens in sæcularibus, ita ut Regis Consiliarius extitit, ut Wlstani Episcopi relatione didici, à Rege Ethelredo emit Ecclesiæ pro ducentis libris argenti.*

God-

Godwinus. Nomen ejus occurrit in antiquissimo Ecclesiæ Wigorn. Registro, ex quo pleraque excerpta dedit Laurentius Noellus, vir antiquitatum Anglicanæ gentis studiosissimus, in Collectaneis suis *Vespasian A.* 5.

Æthelwinus, sive *Agelwinus*, obiit die 26. April. ex Obituarii dicti fide. Huic proximè successit

S. Wlstanus, Agelwino subrogatus est ab Aldredo Episcopo teste Florentio, post annum itaque 1046. Bromtonus & Ranulfus Cestrensis illum anno 1058. Prioratum adiisse narrant, nostrum sc. Wlstanum confundentes cùm Wlstano alio Monacho Wigorniensi, quem Abbatem Glocestriæ ab Aldredo illo anno factum fuisse Annales Wigorn. Florentius, & Chronicon Glocestrense referunt. Hinc etiam Ingulfus lapsus Wlstanum nostrum ex Priore Wigorn. Abbatem Glocestr. ex Abbate Episcopum Wigorn. evasisse scribit. Certè ante annum 1058. Wlstanus Prioratum obtinuit. Refert enim antiquum Ecclesiæ Wigorn. Registrum Leofricum Ducem & Godivam ejus uxorem Aldredo Episcopo tunc sedente reddidisse Blackwellam Ecclesiæ *tempore S. Wlstani cùm fuit Prior.* Obiit autem Leofricus 1057. 31. Augusti. Vir eruditus W. Hopkins, Canonicus Wigorn. in Ecclesiæ suæ monumentis versatissimus, retulit mihi se alicubi legisse Wlstanum anno 1050. Priorem fuisse factum. Iste collapsum Cœnobii Wigorn. statum egregiè restauravit. Cùm Danorum enim invasionibus & intestinis dissidiis res Ecclesiastica ita succubuisset, ut pro numeroso Monachorum grege, quem Oswaldus hìc loci instituerat, vix duodecim superfuissent; ipse miserum Ecclesiæ suæ statum sublevavit, & ad numerum quinquagenarium Monachos adauxit. Anno demum 1062. ad Episcopatum promotus, Prioratum dereliquit.

Florentius.

Ælfstanus, Wlstani frater, ipsi ad Episcopatum transeunti successit anno 1062. authore Hemmingo in brevi, quæ præmittitur, Wlstani *Vitâ*.

Ægelredus. Hujus mentionem facit Eadmerus in Prologo ad *Vitam* Dunstani hisce verbis: *Subprioris & Cantoris officium in Ecclesiâ Cantuariensi strenuissimè per multum temporis administrabat; & postmodum ob religiosam prudentiam Wigornensi Ecclesiæ sub beatæ memoriæ Wlstano Episcopo prælatus erat.* Hemmingus quidem in *Vitâ* S. Wlstani refert *Thomam post Ælfstanum Prioratum obtinuisse* à Wlstano sibi commissum: ut vir eruditus supra memoratus suspicatus fuerit Ægelredum non alium à Thomâ fuisse; cùm frequens Monachis esset binis nominibus uti. Memet suspicio subiit Ægelredum eundem fuisse cum Agelrico sive Alrico Archidiacono, cujus nomen in plurimis apud Hemmingum chartis ab anno 1088, ad 1095. confectis subscriptum occurrit. In Cœnobiis enim, quæ jus Archidiaconale in prædiis & Ecclesiis suis obtinuerunt, erat Monachus qui Archidiaconi titulo & munere insignitus est. Sic, ut alios mittam, Ricardum de Crokesley ex Archidiacono Abbatem Westmonasterii anno 1246. electum esse legimus. Verùm utraque suspicio fortioribus è contra argumentis expugnatur. Monachis enim in conversione duntaxat nomina sua commutare erat familiare; Ægelredum autem hoc nomine, dum Subprioris officio apud Cantuarienses fungebatur, innotuisse ex Eadmero liquet; ut diversitatem nominum insignem taceam. Thomæ enim nomen illo apud nos sæculo solis Normannis, Ægelredi solis Anglis in usu erat. Neque etiam Agelricus ille, qui Chartis apud Hemmingum subscripsit, Archidiaconus erat Conventûs, sed potiùs Episcopi Wigorn. Sic enim vetustissimum Ecclesiæ Wigorn. Registrum habet. *Mortuo Wlstano Willelmus Rex relevamen* 185. *librarum à tenentibus Episcopatûs Wigorn. exegit, & in his* 5. *libras ab Alrico Archidiacono.* Monachum autem fuisse Episcopi Archidiaconum exemplo caret. Eadmero interim, qui se Ægelredo familiarem fuisse dicit, fidem abrogare nefas est: ut Hemmingi verba de successione non immediatâ accipere sit necesse. Nec refragantur quidem verba. Illic enim operam dedit non successionem Priorum Wigorn. sed beneficia Ecclesiæ Wigorn.

Vol. 2. p. 212.

F. 192, 193, &c.

Jo. Flete in Hist. Westm.

à Wlstano præstita exhibere. Cùm nullum itaque insigne beneficium Wlstanus Ægelredo Prioratum tenente præstiterit; hunc intactum prætermisit.

Thomas, chartæ Wlstani Episcopi 15. hidas in Alfestun Ecclesiæ Wigorn. donanti 1089. 20. Maii subscripsit, & iterum chartæ ejusdem Ecclesiam de Westbiri donanti 1093. apud Hemmingum f. 192, 193. Obiit 1113. 4. Octobris. (Florentius.)

Nicolaus, Prior à Theobaldo Episcopo constitutus, obiit 1124. 24. Junii feriâ 3. Liber vulgatus feriam 4. perperam habet. (Malmsbur. in Vitâ Wlstani l. 3. c. 17. Contin. Florentii MS.)

Guarinus sive *Warinus*. Huic Willelmus Malmsburiensis *Vitam S. Wlstani* à se conscriptam anno circiter 1140. nuncupavit. Eundem Osbertus de Clarâ in Epistolâ ad Simonem Episcopum Wigorn. sic memorat. *Petitio venerabilis viri Wigornensis Ecclesiæ Decani obtinuit à me religioso favore Warini, &c.* Guarinum anno 1140. præfuisse constat ex Monastico *tom.* 1. *p.* 470. Eidem Henricus I. Rex anno (ut videtur) 1130. apud Wigorniam positus Chartam dedit. (Epist. f. 45. — Archiv. Wigorn.)

Radulphus obiit 1143. ex fide Annalium Winchelcumb.

David successit 1143. depositus 1145. Ex iisdem, & Annal. Teokesbir.

Osbertus sive *Osbernus*, successit 1145. & eodem anno defunctus est. Ex iisdem. (Annal. Winchelc.)

Radulphus de Bedeford, successit anno 1146. Iste quinque Episcopos Wigornienses sc. Johannem anno 1150. Aluredum 1158. Rogerum 1163. Baldwinum 1180. & Willelmum 1186. ordine elegit, & Archiepiscopo consecrandos præsentavit. Obiit anno 1189. (Diceto Imag. Hist. p. 631. — Annal. Winchelc.)

Senatus successit 1189. ex loci Præcentore Prior factus, vir eruditionis non infimæ, qui plurima scripsisse à Baleo dicitur. Unicam ejus lucubrationem vidi. sc. *Expositionem in Canonem Missæ*, opus non inutile. Prioratum Senatus sponte abdicavit 1196. 20. Novembr. obiit 1207. (Cent. 3. cap. 10. — Annal. Wigorn. — Annal. Teokesbir.)

Petrus successit 1196. depositus 1203. 24. Decembr. obiit 1204. (Annal. Wigorn.)

Randulphus de Evesham, à loco natali cognominatus, successit 1203. 24. Decembr. Episcopus Wigorn. electus 1213. 2. Decembr. Episcopatum à Nicolao Papæ Legato coactus est commutare Abbatiâ Eveshamensi, ad quam electus est 1214. 22. Januarii. Obiit 1229. 17. Decembr. Vacavit Prioratus anno ferè integro, Waltero Episcopo post diutinam moram consecrato. (Id. & Hist. Evesham.)

Silvester de Evesham, Prior electus 1215. 21. Januarii, Episcopus 1216. 3. April. (Annal. Wigorn.)

Simon, loci Camerarius, successit 1216. mense Octobri, à Willelmo Episcopo depositus 1222. Papam appellavit, & pendente lite obiit 1223. (Id. & Archiva Wigorn.)

Willelmus Normannus, Malverniæ Prior, Simoni deposito subrogatus est ab Episcopo 1222. reclamante Conventu. Post biennalem litem in arbitros utrinque compromissum est. Horum decreto Willelmus jus suum resignavit 1224. 3. Octobr. assignato sibi manerio de Clive. (Annal. Wigorn. — Compositio supra. p. 544.)

Willelmus de Bedeford, Prior antea Tinemuthensis, Monachis Wigorn. ab Episcopo præfectus est 1224. 4. Octobr. Obiit 1242. 29. Octobr. Willelmum quendam Priorem Wigorn. antea Monachum S. Albani fuisse Thomas Walsinghamus *in Historiâ Cœnobii S. Albani* refert. Hunc non alium ab isto fuisse arbitror. Tinemutha enim Cella erat Monachorum S. Albani. (Annal. Teokesbir. — Nero D. 7.)

Ricardus de Gundicote, Prior ab Episcopo nominatus est 1242. 17. Novembr. installatus die 19. ejusdem mensis. Obiit 1252. 29. Septembr. (Annal. Teokesbir. — Annal. Wigorn.)

Thomas, loci Supprior, successit, installatus 1252. 1. Nov. Obiit sub exitum anni 1260. (Annal. Teokesbir.)

Ricardus de Dumbleton, loci Celerarius, installatus est 1260. 24. Decembr. obiit 1272. Hujus tempore Capitulum Wigorn. Ecclesiæ composuit cum Bonifacio Archiepiscopo Cant. circa jurisdictionem Episcopalem Sede Wigorn. vacante (Annal. Wigorn.)

vacante exercendam hac lege, ut in omni vacatione Prior Archiepiſcopum de Epiſcopi vacatione certiorem reddat, & Archiepiſcopus Priorem ſine morâ conſtituat Officialem ſuum durante vacatione; utque Prior rationem Officialitatis ſuæ Archiepiſcopo reddat, & reſervatâ ſibi parte tertiâ duas tertias emolumentorum omnium Archiepiſcopo perſolvat. Facta eſt Compoſitio 1268. 28. Julii, & etiamnum obſervatur. — Archiva Lambeth. & *Tiberius E.* 4.

Willelmus de Cirenceſtre, loci Sacriſta, ſucceſſit; ex ſeptem Monachis à Conventu juxta Compoſitionem anno 1224. initam præſentatis ab Epiſcopo delectus 1272. 21. Decembr. Obiit 1274. — Annal. Wigorn. & Regiſtr. Giffard.

Ricardus de Feckenham, loci Camerarius, ex 7. Monachis à Conventu die 21. Sept. præſentatis nominatus eſt ab Epiſcopo 1274. 25. Sept. Obiit 1286. 29. Decembr. — Id.

Philippus de Aubin, alias *de Worceſter*, ex Subpriore Prior per Epiſcopi deſignationem evaſit 1287. 6. (juxta Annales Wigorn. 7.) Januarii, inſtallatus die 19. ejuſdem menſis. Obiit 1296. 7. Julii. Poſt ejus mortem Capitulum Monachos 7. elegit die 11. Julii; & ex his — Id.

Symon de Wire, aliàs *Wireceſter*, loci Subprior, nominatus eſt ab Epiſcopo 1296. 13. Julii. Reſignavit is (à Roberto Archiepiſcopo coactum arbitror) 1301. 13. Julii. — Id.

Johannes de la Wyke, Subprior, ex 7. Monachis à Conventu die 16. Julii electis nominatus eſt ab Epiſcopo 1301. 18. Julii, inſtallatus die 20. Julii. Obiit 1317. 5. Octobr. Quo defuncto Capitulum 7. Monachos nominavit die 20. Octobr. Ex his — Id. & Regiſtr. Eccl. Wigorn.

Wolſtanus de Braunsford ab Epiſcopo præfectus eſt 1317. 21. Nov. ad Epiſcopatum Wigorn. electus 1338. conſecratus 1339. — Regiſtr. Eccleſiæ Wigorn.

Symon le Botiler, ex ſeptem Monachis à Conventu 1339. 12. April. nominatis delectus eſt ab Epiſcopo die 13. Aprilis. Obiit eodem anno. — Regiſtr. Branſford.

Symon Crompe, ſimili ratione ab Epiſcopo præfectus eſt 1339. 6. Nov. Obiit 1340. 10. April. — Id.

Johannes de Eveſham, S. T. B. ex ſeptem à Conventu die 21. April. nominatis præfectus eſt ab Epiſcopo 1340. 22. April. Bullam de Pontificalium inſularum uſu ſibi & ſucceſſoribus ſuis à Clemente VI. Papâ impetravit 1351. 8. Januar. atque aliam ejuſdem argumenti ab Urbano V. Papâ 1365. 14. Febr. Obiit 1370. 27. Martii. — Id. Regiſtr. Courtney. Reg. Eccl. Wigorn.

Walterus de Legh, loci Eleemoſynarius, ex ſeptenis à Capitulo die 2. Aprilis electis nominatus eſt ab Epiſcopo 1370. 4. April. Obiit anno 1388. — Reg. Eccl. Wigorn.

Johannes Green S. T. P. loci Infirmarius, ex ſeptem Monachis à Capitulo die 21. Aug. nominatis electus eſt ab Epiſcopo 1388. 22. Aug. Obiit anno 1395. — Id.

Johannes de Malvern, loci Sacriſta, ex ſeptenis à Conventu die 15. Sept. electis præfectus eſt ab Epiſcopo 1395. 19. Sept. Obiit ante annum 1423. — Id.

Johannes Fordham, Ricardum Beauchamp Wigorniæ Comitem Iſabellæ Comitiſſæ deſponſavit 1423. & filium ex hoc conjugio ſuſceptum anno ſequenti baptizavit. Eundem annis 1434, & 1435. præfuiſſe aliunde conſtat: tempus autem introitûs latet; adeò ut incertum ſit, quiſnam fuerit Johannes Prior Wigorn. qui à Clero Anglicano inter alios miſſus Concilium Conſtantienſe anno 1416. adiit. Fordhamus obiit ineunte anno 1438. — Monaſtic. vol. 1. p. 158. Reg. Stafford. Well.

Thomas Ledbury, ex ſeptem à Conventu die 13. Febr. nominatis electus eſt ab Epiſcopo 1438. 14. Febr. Obiit ſub exitum anni 1443. vel introitum ſequentis. — Reg. Eccl. Wigorn. Reg. Bourchier. Epiſc.

Johannes Hertilbury, ex ſeptem Monachis à Capitulo die 15. Jan. electis deſignatus eſt ab Epiſcopo 1444. 16. Jan. Obiit 1455. 16. Dec. — Regiſtr. Epiſc.

Thomas Muſard ſucceſſit, atque obiit anno 1469. — Archiva Wigorn.

Robertus

Reg. Eccl. Wigorn. *Robertus Multon*, loci Celerarius, ex septenis die 14. electis præfectus est ab Episcopo 1469. 16. Aug. Obiit anno 1492.

Id. *Willelmus Wenloke*, loci Sacrista, ex septem Monachis die 24. Junii nominatis præfectus est ab Episcopo 1492. 2. Julii. Obiit anno 1499.

Id. *Thomas Mildenham*, loci Sacrista, ex septem die 21. Julii electis designatus est ab Episcopo 1499. 4. Sept. Obiit anno 1507.

Johannes Weddesbury, præfectus ante 1507. 16. Sept. Obiit anno 1518.

Id. *Willelmus Moore*, Subprior, ex septem Monachis à Capitulo die 27. Sept. nominatis electus est ab Episcopo 1518. 2. Octobr. Prioratum abdicavit ineunte anno 1536. assignatis sibi maneriis de Crowle & Grimley, quæ usque ad adultum Elizabethæ regnum quietè tenuit. Willelmum More L. B. Episcopum Colcestrensem, Sedis Eliensis Suffraganeum, consecratum Londini in Cœnobio Fratrum Prædicatorum 1536. 20. (nisi legendum sit 22.) Octobr. reperio. Hunc non alium à nostro fuisse opinor.

Registr. Cranmer.

Id. *Henricus Holbech*, Prior Nigrorum Monachorum Cantabrigiæ studentium, successit, lege quidem hactenus receptâ non electus, sed per viam compromissi 1536. 13. Martii, Rege electionem ejus literis Conventui datis præcipiente & electum confirmante die 22. Martii. Idem Episcopus Suffraganeus Sedis Wigorniensis titulo Bristoliensis Episcopi apud Lametham consecratus est 1538. 24. Martii, & Prioratum simul tenuit. Anno demum 1540. 18. Jan. Monachis ex Ecclesiâ Wigorn. quam annis 569. insederant, regio mandato ejectis, Canonici Sæculares denuo sunt introducti; quibus Henricus titulo immutato Decani loco præfuit; donec medio anno 1544. Episcopus Roffensis creatus, Decanatum Johanni Barloo tradiderit.

Registr. Cranmer.

CANO-

CANONICI WELLENSIS HISTORIA DE EPISCOPIS Bathonienſibus & Wellenſibus

A primâ ejus fundatione ad annum MCCCCXXIII.

ACCEDUNT

Continuatio ejuſdem Hiſtoriæ ab anno MCCCCXXIII ad annum MDXL.

ADAMI DE DOMERSHAM Monachi Glaſtonienſis Hiſtoria de contentione inter Epiſcopos Bathonienſes & Monachos Glaſtonienſes ab anno MCXCII. ad annum MCCXC.

Succeſſio Priorum Eccleſiæ Bathonienſis.

Succeſſio Decanorum Eccleſiæ Wellenſis.

CANONICI WELLENSIS
HISTORIA
DE
EPISCOPIS
Bathoniensibus & Wellensibus

A primâ ejus fundatione ad annum MCCCCXXIII.

ACCEDUNT

Continuatio ejusdem Historiæ ab anno MCCCCXXIII ad annum MDXL.

ADAMI DE DOMERSHAM Monachi Glastoniensis Historia de contentione inter Episcopos Bathonienses & Monachos Glastonienses ab anno MCXCI ad annum MCCXC.

Successio Priorum Ecclesiæ Bathoniensis.

Successio Decanorum Ecclesiæ Wellensis.

HISTORIA
DE
Episcopis Bathoniensibus & Wellensibus
A primâ Sedis fundatione ad annum MCCCCXXIII.

Authore Canonico Wellensi.

Nomina Episcoporum in Somerset à tempore Danielis Episcopi anno ab Incarnatione DCCIV. [*Ista de Daniele Episcopo initium faciant Historiæ Minoris Wellensis, à Majori quæ sequitur diversæ. Reliqua ejusdem Historiæ Majori intexui.*]

DANIEL.

Daniel (*a*) consecratus in Episcopum Congresberye; qui transtulit Sedem Episcopalem à Congresberye ad Welliam. Hic inter Regem Inam & Adelburgam nuptias celebravit; & Reginâ mediante Manerium de * Tyderton nuncupatum ab eodem Rege sibi & successoribus suis impetravit. Qui cùm sedisset in Episcopatu xliii. annos; relictâ terrâ morientium transivit ad terram viventium. Huic successit *Sigarius* Episcopus, quem supplantavit Alwynus. *Alwynus* post obitum Sigari

* Tydeston. *Cod. altr.*

(*a*) Statutum à suscepti operis initio mihi erat de fabulosis Britanniæ Episcopis tacere. Cùm autem Historicus noster de Daniele Congresberiensi mentionem ingesserit; hunc penitus intactum prætermittere non possumus. Sic igitur habet fabula, prout apud Chronicon Glastoniense legitur. *Anno Domini CLXVII. Episcopatus Somersetiæ per SS. Faganum & Deruvianum sumpsit exordium, & in Kungresburiâ per multum tempus Sedes Episcopalis fuit. Sederunt itaque in eâdem Sede plurimi Pontifices successivè usque ad tempus Inæ Regis Westsaxonum; quorum numerum, gesta & tempora nusquam reperimus descripta. In tempore autem prædicti Regis Daniel, qui in Cathedrâ de Kungresburiâ sedebat ultimus, Sedem illam, quæ illic per DC. annos vel ampliùs remanserat, ad villam quæ tunc Tethiscine, nunc verò Welles nominatur, Inâ Rege donante & ei consentiente, transtulit. Iste autem Daniel in eodem Episcopatu ultimus erat Episcopus Britonum.* Translationem Sedis Episcopalis istam Cl. Usserius in annum 721. retulit in Indice Chronol. ad Antiqu. Britann. Annus 704. Historico nostro magis placuit Welliam eo tempore Tethiscine dictam fuisse Chronicon Glastoniense prodit. Et sanè Tudingtun eam antiquitus dictam fuisse Registrum Wellense confirmat, atque aliunde Theodoroduni nomen hausit Lelandus, qui ut voces barbaras in Latinas convertat, vim priscis vocabulis inserre solet. Cœnobium hic loci Ina Rex posuisse dicitur, idque amplis prædiis Kenulphus anno 766. dotâsse. Kenulphi Chartam Godwinus Episcopus exhibuit, quasi indubium antiquitatis Wellensis monumentum, consuetâ deceptus in curiâ. Quod si Episcopos subscribentes investigâsset, annosque Dominicæ Incarnationis & Indictionis contulisset, commentitium esse facilè perspexisset. Quos Danieli successisse Historicus noster perhibet, Sigarius &c. vix ante trecentos annos à Danielis ætate exactos Episcopatum obtinuerunt.

vixit xiii. diebus. Cui successit *Britellinus*, huic *Burwoldus*, huic *Leovingus*, huic *Bridelwynus*, huic *Alwynus*, huic *Brithelwynus*, huic *Merewyt*, huic *Dudoco*, &c.

Historia Episcoporum Bathoniensium & Wellensium.

Sequitur Prohæmium de tempore primævæ inchoationis Sedis Episcopalis Welliæ, in qua à sui principio successerunt seriatim xvi. Episcopi, quorum ultimus fuit Johannes natione Turonensis, qui transtulit Sedem Wellensem in Bathoniam, & fuit primus Bathoniensis Episcopus. Cui successerunt in Sede Bathoniensi xx. Episcopi; prout legentibus inferiùs pleniùs patebit.

Anno Domini DCCCCI. (*b*) Edwardus cognomento Senior, primus sc. ante Conquæstum Normannorum, post patrem suum Alfredum aliàs Aluredum super totam Angliam cœpit regnare. Cujus anno iv. sc. anno Domini DCCCCV. Formosus Papa propter magnam carentiam Episcoporum in Angliâ per literas suas Apostolicas Regi & populo Anglorum directas maledictionem suam transmisit loco benedictionis, quam olim sanctus Papa Gregorius

(*b*) Ad veriora, nobis tamen haud magis nota, accedimus. Invaluit enim apud plerosque nostros Historicos fides de septem Episcopis à Plegmundo Archiepiscopo apud Cantuariam unâ die consecratis, & mandato Formosi Papæ eâ de re anno 904. vel sequenti ad Plegmundum misso. Rem narrant Malmsburiensis, Florilegus & Registrum Cantuariense in anno 905. Dicetensis in anno 909. Indiculus Episcoporum ad calcem Florentii 7. Episcopos unâ die consecratus habet; de anno autem & mandato silet. Integram rem prætermittunt Chronologi plures Saxonici, Florentius & Historici potiores. Formosi Papæ Epistolam imprimis fictam esse constat. Ipse enim sub initum anni 996. obiit; Edwardus autem Rex anno 901. primùm regnare cœpit. Sequentium sæculorum religio vetuit; ne res tanti momenti ecclesiastica Papâ inconsulto fieret; atque hinc Papale mandatum intercessisse Historici sequiores crediderunt. Necesse igitur erat Bullam confingere; quamvis miselli homunciones Chronologiæ ignari temporibus malè compositis fraudem prodiderint. Dein quæ de septennali Sedium Episcopalium in totâ Westsaxoniâ vacatione iidem Historici narrant, planè falsa sunt. Wintoniæ enim Denewlphus sedit ab anno 879, ad 909. testibus Florentio & Chronologiâ Saxonicâ: & Asserius Sedi Schireburnensi ab Alfredo Rege præpositus, ante annum 909. non obiit. Porrò annus 905. novorum Episcopatuum fundationi & Parochiarum distributioni minùs erat accommodus. Dani Northumbriam & Eastangliam tunc insederunt; neque Mercii ad Edwardi Regis nutum adhuc spectabant. Utrosque autem Edwardus frequentibus præliis hoc ipso anno debellavit, atque anno sequenti pace factâ in ditionem accepit. Ab anno 906, ad 910. pax ubique per Angliam obtinuit; omnesque totius gentis Provinciæ Edwardi nutum suscipiebant. Hoc igitur potissimum tempore Ecclesiæ diuturno bello afflictæ damna resarciri, novæ Sedes institui, & singularum limites definiri optimé possent. Sanè tam constans est traditio de 7. Episcopis uno die à Plegmundo ordinatis; ut ei fidem temerè abrogare nollem. In his designandis Historico nostro reliqui omnes conveniunt. Factum id anno 909. fuisse solus Dicetensis (in *Abbrev. Chron. p.* 453.) narrat; forsitan & solus veritatem attigit. Denewlfum Episcopum Winton. & Asserum Sciréburn. hoc anno obiisse tantùm non constat. Ealhardum Episcopum Dorcestr. circa annum 897. obiisse Chronologia Saxonica docet; neque alium ipsi subrogatum reperio ante Kenulfum, qui inter septem Episcopos à Plegmundo consecratus dicitur. Seolesiensium Episcoporum successio adeò est obscura; ut ex eâ nullum in utramvis partem argumentum duci queat. In hoc igitur propendeo; ut septem Episcopos simul à Plegmundo consecratos fuisse concedam, & annum à Dicetensi positum non rejiciam. Neutiquam tamen dissimulandum arbitror, me in Excerpta quædam Historiæ à Monacho quodam Abendoniensi ante exitum sæculi decimi conscriptæ incidisse; in quibus sic legebatur. *Anno 904. quia per annos plenè 7. tota Westsaxonia vacâsset Episcopis, Australium etiam Saxonum Provincia, & Australium Merciorum; Rex cum Archiepiscopo Plegmundo singulis Provinciis Gewissorum, singulos Episcopos ordinari constituit,*

gorius illuc transmiserat; eò quòd in pluribus locis Ecclesiæ Cathedrales in Angliâ vii. annis fuerunt Episcoporum solatio destitutæ. Unde factâ per Plegmundum Archiepiscopum Cant. strictâ interpretatione dictarum literarum Apostolicarum in præsentiâ Regis prædicti, idem Plegmundus precibus regiis inclinatus vii. Episcopos unâ die apud Cantuariam consecravit. Unum in Merciâ apud Dorchester juxta Walingford idem Rex & Archiepiscopus posuerunt, cujus Sedes est nunc apud Lincolniam. Secundum verò posuerunt Episcopum apud Selesey super Australes Saxones, cujus Sedes est hodie apud Chichester. Tertium posuerunt apud Wintoniam, cujus Sedes usque hodie ibidem celebris perseverat. Quartum apud Schireburnam, cujus Sedes est nunc apud Sarisberiam. Ulteriùs præfati Rex & Episcopus tres Ecclesias Collegiatas concordi consensu in Cathedrales Ecclesias erexerunt. Quarum prima fuit Ecclesia Collegiata S. Germani in Cornubiâ, in qua quintum posuerunt Episcopum. Secunda fuit Ecclesiâ S. Crucis Cridintoniæ in Devoniâ, in qua in Ecclesiam Cathedralem erectâ sextum posuerunt Episcopum. Quorum quinti & sexti Episcoporum Sedes Episcopales citò postea fuerunt in unam redactæ; & illa in Exoniam fuit translata, ubi in magno honore usque hodie perseverat. Tertia Ecclesia Collegiata fuit S. Andreæ Welliæ, quam Dominus Rex & Archiepiscopus in Cathedralem Ecclesiam erexerunt; ad quam dictus Rex præfato Archiepiscopo primum præsentavit Episcopum nomine Athelmum, priùs Abbatem Glasconiæ; qui ab eodem Archiepiscopo primus in Episcopum Wellensem extitit ordinatus: & totus Pagus Somersetiæ fuit sibi in Diocesin assignatus. Et sic clarè patet, quòd Somersetia tempore hujus Regis Edwardi primi anno DCCCCV. proprium primò recepit Episcopum, quæ priùs sub Episcopatu Sciréburnensi fuerat constituta. Sedes tamen Episcopalis Wellensis postea tempore Regis Willelmi Rufi per quendam Johannem de Touris Episcopum Wellensem, annuente eodem Rege, in Bathoniam fuit translata, ubi usque hodie manet. Ortâ tamen postea inter Canonicos Wellenses & Monachos Bathonienses grandi discordiâ, utrùm in

stituit, in quinque sc. parochias Sedem distribuens, quod antea duo possederant. Ordinati sunt ergo septem unâ die. Frithestanus ad Winton. Æthelstanus ad Cornubiensem primus, Werstanus ad Sciréburnensem, Æthelhelmus ad Fontanensem primus, Eadulfus ad Cridiatunensem primus, Suthsaxonibus quoque Beornocus, & Suthmerciis Canulfus apud Dorcacestram nostram. Neque sic tamen res conficitur. Præterquam enim, quòd qua fide Excerpta fuerint facta, nullatenus constet; Monachus iste Abendonensis manifesto errore tenetur. Si enim novorum Episcopatuum Præsules anno 904. consecrati fuerint; septem simul Episcopi consecrari non poterant: Nondum enim Sedes Wintonienses & Sciréburnenses vacârunt. Sin autem septem fuisse simul ordinatos statuatur; ordinatio anno 904. fieri non potuit. Hoc igitur modo rem conciliari & difficultates maximas eximi posse arbitror. Edwardus Rex & Plegmundus Archiepiscopus communi consilio atque authoritate Synodum anno 904. vel sequenti coegerunt; & in eadem decreverunt, ut tres novi Episcopatus in Westsaxoniâ instituerentur. Isti ex parochiis Episcoporum Wintoniensis & Sciruberniensis assumendi erant. Horum autem Episcopatus ipsis viventibus mutilare iniquum duxerunt; præsertim cum eorum uterque de Rege & republicâ egregiè meruisset. Rem itaque conficiendam decreverunt, quamprimum hos Episcopos è vivis excedere contigerit. Sic etiam olim integra Westsaxonia, quæ ad Episcopi Winton. ditionem spectabat, post Heddæ Episcopi obitum anno 703. in duas Dioceses divisa fuerat; atque aliæ parochiarum divisiones Sede Episcopali vacante fieri solebant. Anno autem 909. commodum accidit, quòd uterque Episcopus tam Wintoniensis quàm Sciréburnensis obierunt. Mercia itidem Australis in Edwardi ditionem anno 906. redacta Episcopo carebat; quinetiam Suthsaxonia eodem tempore Pastore suo viduata est. Tribus igitur novis Episcopatibus in Westsaxoniâ institutis, & Episcopis ad quatuor antiquas Sedes tunc vacantes à Rege nominatis, Plegmundus septem simul Episcopos anno 909. consecravit.

Ecclesiâ Bathon. vel in Ecclesiâ Wellensi Episcopalis Sedes præcipuè remaneret; Canonicis Wellensibus asserentibus translationem Sedis Episcopalis Wellensis non posse locum tenere, eò quòd dicta Translatio facta sit præter eorum consensum, juris ordine minimè observato, utpote nullâ necessitate cogente, nec aliqua causâ legitimâ id poscente. Cujus discordiæ Robertus, quondam Monachus Lewensis, tertius Bathoniensis Episcopus, finem fecit; qui à Sede Apostolicâ impetravit, quòd in utrâque Ecclesiâ Sedes Episcopalis de cætero maneret; nomen tamen Bathoniæ debet præponi. Et sic usque hodie vulgus observat.

ATHELMUS.

Athelmus (*a*) primus Episcopus Wellensis. Illi successit

WLFELMUS.

Wlfelmus (*b*), secundus Episcopus Wellensis. Quo post dictum Adelmum ad Sedem Cantuariensem translato, successit ei

ELFECHE.

Elfeche (*c*), tertius Episcopus Wellensis; quem Martilogium Ecclesiæ Wellensis vocat Elfegum. Cui defuncto successit

WLFELMUS.

Wlfelmus (*d*), quartus Wellensis Episcopus. Cui successit

BRITHELMUS.

Brithelmus (*e*), Monachus Glasconiæ, quintus Episcopus. Iste fecit Archidiaconatum

(*a*) *Athelmus* sive *Adelmus*, à Florentii Indiculo MS. *Æthelbelmus* appellatus, primus Sedi Wellensi præfuit, anno 909. si calculos supra rectè posuimus, consecratus. Hunc priùs Abbatem Glastoniæ fuisse Historicus noster supra malè retulit. Frustra enim in successione Abbatum Glastoniensium quæritur. Ex Monacho quidem Glastoniensi Episcopum Wellensem evasisse Historia Glastoniensis (in Monastico tom. 1. p. 8.) prodit. Verùm neque huic fides semper est habenda. Plures apud eum Præsules è Cœnobio Glastoniensi prodiisse dicuntur, qui Glastoniam nunquam viderunt; plures etiam sequentium Episcoporum Wellensium ejusdem Monasterii Abbates seu Monachi fuisse feruntur, qui è Clero Sæculari vel ex aliis saltem Cœnobiis delecti sunt. Neque tamen idcirco isti Historiæ tempora eorundem exhibenti fides est abroganda. Monachis enim solemne erat Episcoporum, quibus subjacebant, obitus in Fastis & Martilogiis suis notare: quod Anonymum Historiæ Compilatorem inducere potuit, ut eosdem in Abbatum seu Monachorum album inferret. Certè Athelmum Monachum non fuisse Johannes Bromton (p. 838.) disertè affirmat. De Athelmi translatione ad Sedem Cantuariensem supra egimus p. 99. eamque anno 923. vel sequenti factam fuisse ostendimus.

(*b*) Wulfhelmus Athelmo in Sede Wellensi anno 923. in Cantuariensi 927. vel 928. successit. Rationes calculi supra p. 100. expedivimus.

(*c*) *Elfeche*, Malmsburiensi *Elfeh*, Florentio *Elfeagus*, Dicetensi *Alfeth*, Textui Roff. *Ælfheah* dictus est. Nil de ipso memoratum superest.

(*d*) Wulfhelmus Chartæ Ethelstani Regis Cœnobio Malmsburiensi datam anno 938. Indictione 8. confirmâsse dicitur apud Malmsburiensem *in Vitâ Aldhelmi p.* 32. Verùm Indictionis numerus Chartam fraudis arguit. Hoc tamen tempore Wlfhelmus sedisse non malè censeri potest.

(*e*) Brihthelmus successit, ad Cantuariam ab Edwio Rege translatus sub initium anni 959. ad Welliam ab Edgaro Rege remissus ante exitum ejusdem anni: quâ de re vide supra in Dissertatione de Archiepiscopis Cant. p. 101. Obiit anno 973. Welliæ sepultus, teste Florentio. Obitum die 15. Maii contigisse Historia Glastoniensis docet. Quod verò & illic & apud Historicum nostrum additur, Brithelmum fuisse Monachum Glastoniæ, vero est absimile. In accerrimâ enim inter Monachos & Clericos

chidiaconatum Glastoniæ, & procurante S. Dunstano dedit illum Abbati & Conventui Glasconiæ liberum ab omni consuetudine Episcopali. Huic successit

KYNEWARDUS.

Kynewardus (*f*), sextus Episcopus. Huic successit

SIGARUS.

Sigarus (*g*), Abbas Glastoniensis, septimus Episcopus. Cui successit

ADELWYNUS.

Adelwynus (*h*), aliter Ealwynus, octavus Episcopus Wellensis. Cui successit

BURWOLDUS.

Burwoldus (*i*), nonus Episcopus; de quo nihil loquitur Willelmus Malmsberiensis nec in libro suo *de Pontificibus*, nec in libro suo *de Regibus*, quod potui reperire. Martilogium tamen Ecclesiæ Wellensis ipsum commemorat. Et in eâdem Ecclesiâ Wellensi cernitur sepulchrum nomini suo ascriptum. Cui successit

LEOVINGUS.

Leovingus (*l*), decimus Episcopus Wellensis, qui & Elfstanus dictus est,

---

cos luctâ Edwius Rex, qui Clericis impensè favebat, Monachos maximè odit, hunc potissimum ad thronum Cantuariensem evexit; eundemq; Edgarus Rex, Monachis devinctissimus, dejecit. Privilegium itidem Brithelmi de jure Archidiaconali Monachis Glaston. collato commentitium videtur. Id quidem juris in Ecclesiis suis vicinis Glastonienses ex Brithelmi dono post ducentos circiter annos vendicârunt; quando plures ejusmodi exemptiones à jurisdictione Episcoporum seu Archidiaconorum ordinariâ à Monachis impetratæ, plures confictæ fuerunt. Verùm hisce sæculis virorum religiosorum simplicitas nil tale meditata est.

(*f*) Kynewardus, Middeltunensis Abbas, successit anno 973. obiit 975. authore Florentio. Sic etiam Chronologia Saxonica. *Anno* 975. *decem noctes ante Edgari Regis obitum* (viz. die 8. Julii) *cessit Episcopus iller per indolem naturæ bonus, cui Cyneweard nomen.* Istum die 28. Junii obiisse, & Monachum Glastoniensem olim fuisse Historia Glastoniensis refert. Florilegus Kinewaldum vocat, & anno 985. decessisse tradit; quem Godwinus sequitur. Malè uterque.

(*g*) Sigarus, nonnullis Sigegarus dictus, successit anno 975. Abbatem fuisse Glastoniensem Willelmus Malmsburiensis in *Historiâ Glaston.* agnoscit; eundemque Cœnobio ab anno 972, ad 1000. præfuisse docet. Abbatiam itaque cum Episcopatu simul tenuit; quod ætate illâ non infrequens erat. Hunc sanè Chartæ Ethelredi Regis anno 995. editæ subscripsisse in Textu Roffensi f. 154. reperio; nomenque ejus in chirographo Siricii Archiepiscopi (quod suprà habetur p. 104.) occurrit: ut illum anno 995. superfuisse parùm dubitem. Neque sic tamen Willelmi calculos in *Historiâ Glaston.* comprobatos habeo; ut ei multum tribuam. Satius videtur, ut cum Florilego obitum Sigari in anno 997. reponamus; ne Adelwyno successori locus auferatur. Illum die 28. Junii obiisse Historia Glastoniensis docet, *in Monastico tom.* 1. *p.* 9.

(*h*) *Adelwynus*, Malmsburiensi *Elwinus*, Florentio *Alfwinus* dictus, successit anno 997. ex Florilegi fide. Obiisse circa annum millesimum videtur.

(*i*) Hunc nullibi memoratum invenio. Fidem tamen Historico nostro, qui sua ex Archivis Ecclesiæ Wellensis hausit, negare haud æquum est. Sedem itaque brevissimo tempore tenuisse Burwaldus censeri potest. Unde factum est, ut de illo altum sit apud alios silentium.

(*l*) *Livingus*, qui & alio nomine *Elfstan* seu *Ethelstan* appellatus est, Burwaldum excepit, ipso sæculi initio consecratus, si Chartarum subscriptionibus fides sit habenda. Chartam enim Ethelredi Regis Cœnobio Sceptoniensi datam anno 1001. atque aliam ejusdem Ecclesiæ Christi Cant. datam 1002. subscriptione suâ roborâsse legitur in *Monastico tom.* 1. *p.* 217, 507. Ad Cantuariensem thronum anno 1013. translatus est, teste Florentio. Diversum à Livingo Elfstanum facit Catalogus Episcoporum Wellen. anno circiter 1220. scriptus; & Livingo Elfstanum, Elfstano Ethelwinum successisse perhibet. Perperam id factum credo.

tempore

tempore Regis Ethelredi. Post S. Elfegum ad Sedem Cantuariensem translatus est. Cui successit

EATHELWYNUS.

Eathelwynus (*m*), Abbas Eveshamiæ, XI. Episcopus Wellensis. Cui successit

BRITHWINUS.

Brithwinus (*n*), XII. Episcopus, qui supplantavit Eathelwinum, & ipsum de Sede Episcopali dejecit; qui postea reversus, Brithwinum à Sede suâ ejecit. Brithwinus verò tandem reversus, Eathelwinum de Sede suâ Episcopali Wellensi ejecit. Quo ejecto, ambo brevi postea mortui sunt. Sed Brithwinus supervixit xiii. diebus tantummodo. Quibus defunctis successit

MEREWNIT.

Merewnit (*o*), Abbas Glastoniæ, XIII. Wellensis Episcopus, qui & Brithwinus dictus est. Cui successit

DUDOCOUS.

Dudocous (*p*) sive Dudoc, XIV. Wellensis Episcopus, de Saxoniâ in partibus Alemanniæ oriundus. Hic villas de Congresberye & Banewelle à piissimo Rege S. Edwardo Confessore sibi & suis successoribus impetravit. Qui cùm sedisset xxvii. annis, vii. mensibus, & vii. diebus, obdormivit in Domino. Huic successit

(*m*) Eathelwynus successit. Ethelwinum appellant Malmsburiensis & Florentius, & Abbatem Eveshamensem antea fuisse confirmant. Adelmum Dicetensis vocat in *Historiâ de Episcopis Angliæ cap.9.* Fidem Florentio addit Historia Eveshamensis; quæ Elfwardum Abbatiam Eveshamensem post Ethelwinum anno 1014. suscepisse refert. Hunc à Brithwino ejectum fuisse, & Episcopatum suum recuperâsse, & ab eodem iterum exauthoratum fuisse, narrant præter Historicum nostrum Malmsburiensis & Dicetensis, qui tam Ethelwinum quàm Brithwinum in Sede Episcopali bis reponit. Nullus tamen mutuæ ejectionis & successionis tempora exhibuit, quæ aliunde investiganda sunt. Constat itaque utrumque ante exitum anni 1027. quo Merewit Episcopus successit, interiisse. Ethelwinus Sedem tenuit anno 1019. Isto siquidem anno chartam Canuti Regis Ecclesiæ Exoniensi datam (in *Monastico tom.* 1. *p.*228.) confirmavit. Brithwinus autem Episcopatum anno 1023. adierat. Illum enim medio anno 1023. Canuto Regi in Translatione corporis S. Elphegi adfuisse Annales Petriburg. & Saxon. testantur. Nulla insignis rerum in Angliâ publicarum mutatio inter annos 1019, & 1027. contigit; & Canutus Rex optimus à Simoniæ labe procul abfuit; ut tantæ in Episcopatu Wellensi turbæ vix in aliud commodiùs referri possint, quàm in mutationem Archiepiscoporum, qui in rebus ecclesiasticis ferè nil non poterant. Livingus itaque à Welliâ ad Cantuariam anno 1013. translatus, Ethelwinum sibi subrogari fecerat. Livingo anno 1020. defuncto, Ethelwinus patrono destitutus ab Ethelnotho Archiepiscopo in Brithwini gratiam exauthoratus videtur. Post annum 1023. Ethelwinus Episcopatum ejecto Brithwino recuperavit; & ab eodem iterum ejectus anno 1026. vel sequenti, brevi pòst interiit. Ista mihi verisimiliora sunt.

(*n*) *Birthwinum* Florentius vulgatus, *Byrhwinum* Codex MS. appellat. De tempore hujus supra in Ethelwino dictum est.

(*o*) *Merewnit*, Malmsburiensi *Mervith*, qui & *Brithwi*, Dicetensi *Merethwith*, Florentio *Birthwius* dicitur. Abbas Glastoniæ factus est anno 1017. & post decem annos, anno sc. 1027. in Episcopum Wellensem est promotus. Obiit 1034. Glastoniæ sepultus in aquilonari porticu. Ista Malmsburiensis in *Historiâ Glaston.* docet. Eundem anno 1034. obiisse, & loco dicto ad S. Johannem Baptistam tumulatum esse Historia Glastoniensis in *Monastico tom.* 1. *p.* 9. confirmat. Sepulturam etiam confirmant Annales Petriburg. & Sax. obitum autem anno 1033. reponunt; quibus suffragantur insignes Annales Saxonici *Domitian A.*8.

(*p*) *Dudocus* à Florentio appellatur, *Bodeca* ab Indiculo ad calcem ejus, *Dudeca* à Radulpho Dicetensi, *Duduc* ab Annalibus Petriburg. Sax. Obiit anno 1060. ex fide Florentii, Annalium Petriburg. & Westmonasteriensis. Anno itaque 1033. Sedem capessivit; siquidem 27. annis & 7. mensibus præsederit.

GISO.

GISO.

Giso Hasban (q), XV. Wellensis Episcopus, natione Lotharingus, de civitate Hasbaniensi, ex vico S. Trudonis, Capellanus S. Edwardi Regis & Confessoris. Hic cùm in quadam Ambassiatâ cum aliis à dicto Rege ad Apostolicam Sedem missus fuisset pro quibusdam negotiis conscientiam dicti Regis moventibus; Apostolicus sibi contulit Sedem Wellensem. Et sic in Episcopum consecratus est Romæ die Paschæ, i. e. xvii. Cal. Maii, anno Domini MLX. Hic invenit tantùm * x. Canonicos in Ecclesiâ Wellensi, tam bonis mobilibus & ornamentis ecclesiasticis quàm possessionibus ad Ecclesiam suam spectantibus per Haroldum Comitem Cantiæ & Westsexiæ spoliatos, & publicæ mendicitati subjectos. Unde à Domino suo S. Edwardo Rege † possessionem de Wedmore, & de Reginâ Edithâ terram quæ || Merken & Modesley vocatur, ad sui & fratrum suorum sustentationem impetravit. Deinde post mortem Edwardi Regis præfatus Haraldus regnum Anglorum invasit in Festo Epiphaniæ Domini apud Lambhith; ubi ipse præter consensum Procerum capiti suo propriis manibus regium diadema imposuit. Is statim omnes possessiones dicti Gisonis & Canonicorum Wellensis Ecclesiæ perpetim confiscavit. Sed juvante S. Andreâ dictæ Ecclesiæ Patrono, impius super iniquitate suâ paulò tempore gavisus est. Regnavit tamen in Angliâ à vi. die Januarii usque ad xi. diem Novembris proximè sequentis. Quo die in loco, ubi nunc est Monasterium & villa de Bello in Suthsexiâ, in prælio inter ipsum & Willelmum Ducem Normanniæ inito est occisus. Nam vi. anno Episcopatûs Gisonis Willelmus Dux Normanniæ armatâ manu Angliam ingressus, illam in lxxii. diebus totaliter conquisivit. Et die sequenti, i. e. feriâ secundâ in die Natalis Domini, fuit in Regem Angliæ coronatus; & citò postea ferè omnes possessiones ab Ecclesiâ Wellensi per Haraldum ablatas Gisoni restituit, exceptis quibusdam ad Monasterium S. Petri Glocestriæ applicatis, & exceptis Congresburye, Banewell & Kilmington & * plurimis aliis. Anno tamen xi. regni sui restituit Banewell; & donavit eidem Episcopo & suis successoribus Jatton cum Ecclesiâ. Giso etiam Ecclesiam de Wynesham à quodam prædecessore suo alienatam de manibus cujusdam Ealsiæ recuperavit; & iterum eandem villam de manibus dicti Regis Willelmi Conquestoris Ecclesiæ Wellensi restitui procuravit; nenon maneria de Combe S. Nicholai, Wormestorre, † Lydtun à quodam Arsero in Willelmi Regis præsentiâ comparavit. Auxit numerum Canonicorum in Ecclesiâ Wellensi; fecitque eis Claustrum, Dormitorium & Refectorium, & unum de eis nomine Isaac fecit eis Præpositum. Et cùm sedisset circiter xxviii. annos, obdormivit in Domino: sepultus in Ecclesiâ Wellensi prope altare à parte Septentrionali; sicut Dudocus prædecessor ejus à Meridie. Cui successit

* v. *Cod. alter.*

† Maperium. *Hist. minor.*

|| Werke. *Id.*

* Paucis. *Cod. alter.*

† Lutton. *Cod. alter.*

JOHANNES.

Johannes (r) Turonensis, arte Medicus, in Episcopatum Wellensem successit.

(q) *Giso seu Gisa*, Florentio MS. *Bisa* dictus, Romam adiit in Aldredi Archiepiscopi electi Ebor. Comitatu sub initium anni 1061. atque ibidem consecratus est 1061. 15. Aprilis die Paschali. Annum designat Florilegus: & verum esse tam Aldredi comitatus quàm dies Paschalis comprobant. Malè itaque Canonicus noster annum 1060. malè & Godwinus 1059. posuit. Anno 1070. Giso Lanfrancum consecravit, Synodo Londinensi interfuit 1075. obiit 1088. *Florentius, Acta Concil. Angl. tom. 2. Annal. Winton.*

(r) Johannes de Villulâ, Turonensis Ecclesiæ Presbyter, (sic enim in professione autogr. Lanfranco datâ appellatur) postquam maximos ex Medicinâ quæstus fecisset, Episcopatum Wellensem obtinuit, vereor ne nummis ex Medicinâ conflatis emerit.

cessit. Qui destructis Claustro & aliis ædificiis solennibus per venerabilem Gisonem ad usum Canonicorum constructis, Canonicos foràs ejectos inter populares habitare coegit; & fundum, in quo priùs habitabant, sibi & suis successoribus usurpavit; Palatiumque suum Episcopale ibidem construxit. Et licet ipse confractus senio inde pœniteret; tamen ædificia Canonicorum destructa minimè reparavit, nec fundum eis injustè ablatum restituit. Hic etiam inconsultis Canonicis Wellensibus & præter eorum consensum transtulit Sedem Episcopalem Wellensem in Abbathiam Bathoniensem; & redditus pertinentes ad mensam Abbatialem Monasterii Bathoniensis mensæ suæ Episcopali univit; & dimisso nomine Episcopatûs Wellensis, primus omnium fecit se Bathoniensem Episcopum appellari. Hic etiam urbem Bathoniæ à Rege Willelmo II. sibi & successoribus suis emit pro quingentis marcis argenti. Et cùm sedisset in Episcopatu circiter xxxvi. annis, obiit grandævus, sepultus in Ecclesiâ Bathoniensi, quam ipse à fundamentis construxerat. Tempore hujus Johannis Episcopi Johannes Archidiaconus terras Ecclesiæ Wellensis & præposituram Canonicorum sibi indebitè usurpavit; dicto Episcopo non resistente, sed potiùs annuente. Unde Canonici Wellenses ad pristinam inopiam fuerunt redacti, & publicæ mendicitati subjecti. Johanni de Tours primo Bathoniensi Episcopo successit

GODEFRIDUS.

Godefridus (f), natione Teutonicus, secundus Bathoniensis Episcopus; qui movit quæstionem contra Johannem Archidiaconum pro terris Canonicorum Wellensium & eorum Præpositurâ recuperandis. Sed non prævaluit; obsistentibus sibi Henrico I. Rege & Rogero Episcopo Sarum, qui partes Johannis fovebant injustè. Unde Godefridus post litem diutinam tædio multùm confectus, cùm sedisset circiter xiii. annos, obiit; sepultus in Ecclesiâ Bathoniensi.

rit. Willelmus enim Rex junior Præsulatus gratis dare piaculum duxit; & Johannes in rebus aliis à Simoniâ penitus non abhorruit. Melius tamen sperari posset; si Malmsburiensem secuti, illum tempore Willelmi Senioris Episcopatum adivisse admittamus. Refert enim Malmsburiensis (de *Pontif. l.* 2. *f.* 144.) Johannem translationem Sedis suæ à Welliâ ad Bathoniæ Willelmi senioris tempore frustra meditatum, juniore regnante perfecisse. Malmsburiensis sanè Johannem familiariter novit; ut error ipsi difficilis fuerit. Quotquot tamen Gisonis obitum & Johannis introitum memorant, Annales sc. Brutonenses & Wintonienses, annum 1088. designant. Historicus quidem noster annos 36. Episcopatûs gesti dedit illi, quem anno 1122. obiisse constat. Verùm 34. legendum esse numerus annorum Gisoni ab eodem datus & Annales Brutonenses suadent. Anno 1091. Johannes impetratâ à Willelmo Rege Abbatiâ Bathoniensi, Sedem Episcopalem ad Bathoniam transtulit. Verba Chartæ Regiæ, quæ in Registro Wellensi extat, sic se habent: *Concessi Johanni Episcopo Abbatiam S. Petri Bathon. cum omnibus appendiciis, &c. Dedi, inquam, ad Sumersetensis Episcopatûs augmentationem, eatenus præsertim ut inibi instituat Præsuleam Sedem, anno Dominicæ Incarnationis* 1090. (lege 1091.) *regni verò mei* 4. Tunc sc. confirmatum est donum; factum autem priùs fuisse anno 1088. idem Registrum docet. Integram postea urbem Bathoniam ab Henrico Rege quingentis argenti libris mercatus est, authore Malmsburiensi; urbem sc. à Willelmo emptam ab Henrico confirmari obtinuit. Obiit Johannes 1122. 29. Decembr. teste Florentii Continuatore. Simeon Dunelmensis diem 26. Godwinus diem 9. Decembr. errore facili posuerunt: quamvis id Godwinus in emendationibus suis postea correxerit.

(f) Godefridus, Reginæ Capellanus (Cancellarium Regis fuisse error est Godwini) nominatus est à Rege ad Episcopatum Bathon. anno 1123. tempore Paschali, consecratus à Willelmo Cant. in Ecclesiâ S. Pauli London. 1123. 26. Augusti. Obiit 1135. 16. Augusti. *Annal. Winchelcumb. Contin. Florentii, Rad. de Diceto, Annales Waverlei, Bruton.*

ROBER-

ROBERTUS.

Robertus (*t*), tertius Bathoniensis Episcopus, Monachus Cœnobii Lewensis; quem Henricus Episcopus Wintoniensis commodo illuc acceperat, ut Monasterio suo S. Swithuni ad tempus præesset; & postea Glasconiam ipsum transmisit, ut res Abbatiæ ibidem disponeret, eò quòd non rectè eorum aratra incedebant; Godefrido successit. Hic Ecclesias de Northcory & Pederton à Rege Stephano impetravit; necnon terras & Præposituram Ecclesiæ Wellensis per Johannem Archidiaconum nuper distractas & flebiliter dissipatas eidem Ecclesiæ restituit; auxilio & consilio Regis Stephani mediante. Ordinavit etiam in Ecclesiâ Wellensi Decanum & Subdecanum, Præcentorem & Succentorem, Thesaurarium & Cancellarium, quem vocavit Archiscolam in statutis Ecclesiæ Wellensis, quæ ipse primus edidit omnium in eâdem. Tum Decanus, Subdecanus, &c. non habebant tunc temporis illa beneficia eis annexa, quæ eorum successores nunc habent in Ecclesiâ antedictâ. Pacificavit etiam Monachos Bathonienses & Canonicos Wellenses super quadam lite inter ipsos suscitatâ, ut prædicitur in Proœmio. Complevit fabricam Ecclesiæ Bathoniensis per Johannem Turonensem inchoatam. Dedicavit Ecclesiam Wellensem, præsentibus Gocelino Sarum, Simone Wigorn. & Roberto Herefordensi Episcopis. Multas ruinas ejusdem Ecclesiæ destructionem ejus in locis pluribus comminantes egregiè reparavit. Distinxit Præbendas Ecclesiæ Wellensis, quæ fuerunt primitus in communi; & de novo fundavit in eâ duas, viz. Jatton & Hyswish in marisco, cui annexuit Ecclesiam de Compton Episcopi. Cùmque sedisset annis || xxix. mensibus iv. obdormivit in Domino. Post cujus mortem vacavit Episcopatus annis viii. mensibus viii. & diebus xv.

|| xxxi. *Hist. minor.*

REGINALDUS.

Reginaldus (*u*), quartus Bathoniensis Episcopus, natione Lumbardus, ætatis * xxxiii. annorum, in Romanâ Curiâ consecratus successit. Qui acquisivit

* *In margine* xxiv. ut nonnulli tradunt.

(*t*) Robertus, Henrici Episcopi Wintoniensis operâ ad hunc Præsulatum evectus, successit anno 1135. quo præsidente Ecclesia Bathoniensis cum totâ civitate conflagravit 1137. 29. Julii, authore Monacho Wigorniensi qui Florentium continuavit. Iste litem acerrimam inter Monachos Bathon. & Canonicos Wellen. jamdiu motam hac lege consopivit; ut Episcopus neque à Sede Bathoniensi nec à Wellensi solâ, sed ab utrâque simul, titulum duceret: ut in electione Episcopi Monachi & Canonici simul coeuntes paria haberent suffragia, solennis autem electionis pronuntiatio penès Decanum Wellensem esset; utque Episcopus in utrâque Ecclesiâ intronizaretur. Extat compositio in Registro *Drokensford*: quam ante annum 1139. initam esse constat ex eo quòd Willelmus Cant. Thurstinus Ebor. & Rogerus Sarum Episcopi subscripserint. Eandem postea confirmavit Alexander III. Papa. Obitus Roberti diversis calculis dubius redditur. Illum Annales Cœnobii Brutonensis (quod in Dioecesi Wellensi situm erat) sic exprimit. *Robertus Episcopus Bathon. obiit anno 1166. pridie Cal. Septembr. qui dedit domui Brutoniæ Ecclesias de Westbury & Banwelle; cui successit Reginaldus:* & in Catalogo Episcoporum Well. ad calcem Annalium. *Anno 1166. obiit Robertus, cùm sedisset annis 31.* Iidem tamen Annales Episcopum Bathoniensem dedicationi Ecclesiæ de Keynsham anno 1171. interfuisse referunt. Verùm Priorem legendum esse suspicor. Robertum enim anno 1166. obiisse Annales Wintonienses & Canonicus noster confirmant; & Sedem ab anno 1166. ad 1170. vacâsse ex Epistolis S. Thomæ constat. Tempus vacationis sequentis à nostro positum cum veritate nemo conciliabit. Credidisse videtur Canonicus Robertum anno 1165. obiisse.

(*u*) Reginaldi gesta Historicus noster breviùs quàm pro viri dignitate enarravit. Nos ex Radulphi Dicetensis libro *de Episcopis Angliæ* supplebimus. *Reginaldus, Saresbiriensis Archidiaconus, electus est tempore Henrici II. Regis. Iste fuit consecratus à Ricardo Cant. Archiepiscopo, cùm regrederetur à Curiâ Romanâ, inter valles Moriana in Ecclesiâ*

quisivit à Rege Richardo I. ad Terram Sanctam armatâ manu peregrè transeunte manerium de Northcory cum terrâ de Wrentich & † Hautre; & dedit illud Canonicis Wellensibus ad commune suum augmentum. Fundavit Hospitale S. Johannis Bathoniæ. Hic etiam primus omnium fecit villam Welliæ liberum Burgum; & Burgenses ejusdem exoneravit in perpetuum ab operibus servilibus, quibus ipsi fuerant multum priùs oppressi. Multas Præbendas in Ecclesiâ Wellensi fundavit de novo; multaque alia bona fecit tam Bathoniensi quàm Wellensi Ecclesiis. Et cùm sedisset in Episcopatu Bathoniensi annis xxvii. obiit, sepultus in Ecclesiâ Bathoniensi.

† Hacch. *Cod. alter.*

SAVARICUS.

Savaricus (*x*), quintus Episcopus Bathon. successit annis xii. qui fuit consanguineus Henrici Imperatoris Alemanniæ, qui Regem Angliæ redeuntem è Terrâ

clesiâ S. Johannis, & in Vigiliâ S. Johannis Baptistæ, Archiepiscopo Tarentasiæ præsente, manum etiam apponente, acceptâ priùs purgatione, quòd mortem B. Thomæ neque verbo neque facto neque scripto procuravit scienter. Alii juraverunt, quòd sicut opinabantur, conceptus fuit, priusquam Jocelinus pater suus ad gradum sacerdotii promoveretur. Et sic cum Archiepiscopo rediit in Angliam. Intronizavit autem eum prædictus Archiepiscopus Richardus solemniter viii. Cal. Decembr. Iste Reginaldus, cùm sedisset annis xvi. & septimanis vi. & diebus ii. nominatus est à Monachis Cant. Cantuariensis Electus. Transcursis autem à die nominationis xxix. diebus, die Natalis Domini anno bissextili, feriâ iv. obiit apud Dogemeresfeld in territorio Wintoniæ. Sepultus est autem Bathoniæ prope majus altare die S. Thomæ Martyris. Filius erat Reginaldus Jocelini Episcopi Sarum, Archidiaconatu Saresberiensi à patre donatus. Scriptis ad hunc paulò ante Episcopatum susceptum literis Petrus Bathoniensis Archidiaconus (Epist. 61.) nimium aucupii studium castigat, & Præsulatum brevi conferendum auguratur. Ejusdem ad Episcopatum electi, & in inimicitiarum S. Thomæ, qui Jocelinum patrem olim suspenderat, suspicionem adducti Petrus innocentiam tuetur & præclaras dotes laudat epistolâ 45. Consecratum fuisse 1174. 23. Junii, intronizatum 1174. 24. Nov. Dicetensis (*in Imag. Hist. p.* 585.) rectè posuit, & Gervasius astipulatur. Anno 1179. ad Concilium Lateranense profectus est. Ante annum 1180. conventione inter ipsum & Abbatem Glastoniensem Robertum factâ, Abbas dedit Ecclesiæ Wellensi Ecclesiam suam de Pilton, ita quòd de eâdem duæ fierent Præbendæ in Ecclesiâ Wellensi. Episcopus autem Abbati & Conventui vicissim concessit, ut in perpetuum Archidiaconi essent decem Ecclesiarum, viz. S. Johannis in Glastoniâ, de Mera, Stret, Budekeleg, Siperwica, Sowi, Miriling, Pilton, Pennard, & Dichesicte. Conventionem Henricus Rex diplomate suo confirmavit. Anno 1189. 27. Nov. manerium de Northcurri de Ricardo Rege emit. Ecclesias de Northcurri & Perretonâ Stephanus Rex olim dederat Roberto Episcopo ad faciendum Præbendas in Ecclesiâ Wellensi. [Ex Registro Wellensi.] Denique ut valetudinariorum inopiam sublevaret, Nosocomium Bathoniæ posuit. Electum fuisse ad Cantuariensem thronum 1191. 27. Nov. & obiisse 1191. 26. Decembr. supra ostendimus p. 113. Radulphus enim tempora obitûs malè disposuit. Plura de Reginaldo suppeditat Liber *de gestis S. Thomæ post martyrium.* In eo inter Clericos S. Thomæ eruditos memoratur *Reginaldus natione Anglus, sed educatione & cognomento Lombardus, pro ætate prudens & industrius, animosus & efficax in agendis:* qui cum S. Thomâ aliquamdiu stetit, sed postea animo deficiens ad Henrici Regis partes se transtulit; & demum ab aulâ ad Ecclesiam assumptus, in Bathoniensem Episcopum promotus est. Medio anno 1171. à Rege ad Papam legatus est; ut suspicionem cædis S. Thomæ ab ipso amoliretur.

(*x*) Savaricus, Geldewini filius, Archidiaconus Northamtunensis, & Thesaurarius Ecclesiæ Sarum, electus est à Monachis Bathon. *sine Canonicis Wellensibus, ipsis irrequisitis & hoc penitus ignorantibus.* Verba sunt Registri Wellensis. Romam adveniens, Cœlestini Papæ mandato Presbiter ordinatus est ab Albano Albanensi Episcopo 1192. 19. Sept. teste Dicetensi. Die sequenti juxta disciplinæ ecclesiasticæ leges eundem consecratum arbitror. De Abbatiâ Glastoniensi in Episcopalem Sedem ab isto transmutatâ Adamus Monachus in Historiâ proximè sequenti fusè agit. Id solummodo hic loci addendum existimo, Savaricum nempe Bathoniensis & Glastoniensis Episcopi stilum deinceps assumsisse, eodemque

Terrâ Sanctâ per Leopoldum Ducem Austriæ captum in carcere diu detinuit minùs justè. Hic obtinuit ab Imperatore, quòd idem Rex aliter non deberet carcere liberari, nisi priùs eidem Savarico & successoribus suis concederet Monasterium Glastoniæ in excambium pro civitate Bathoniæ. Et cùm Rex gravissimam pro suâ libertate redemptionem plenariè solutam ac ex tunc diram incarcerationem & annualem perspiceret se non posse aliter è carcere liberari, nisi votis Imperatoris annueret in hac parte; misit pro Abbate Glastoniæ; qui in Alemanniam ad Dominum Regem accessit: & Episcopatu Wigorniæ ei collato, Savaricus Abbathiam Glastoniæ obtinuit; quam Apostolicâ, Regiâ & ordinariâ authoritate mensæ suæ Episcopali univit, ipsamque ad terminum vitæ suæ tenuit sic unitam; transtulitque Sedem suam Episcopalem illuc, & se fecit Glastoniensem Episcopum publicè appellari. Hic erexit Ecclesias Parochiales de Ilmestre & Longe-Sutton in Præbendas Ecclesiæ Wellensis; quarum primam Abbati de Muchelney, secundam Abbati de Athelney & eorum successoribus contulit in perpetuum possidendas. Hic etiam Episcopatum suum & Ecclesiam Wellensem multis possessionibus ampliavit; & de novo concessit Burgensibus Wellensibus libertatem quam Reginaldus concesserat. Hic etiam Archidiaconatum Bathoniæ Priori & Conventui Bathoniensi & eorum successoribus integraliter possidendum concessit. Savarico tandem defuncto, & apud Bathoniam tumulato, Eustachius Prior Glastoniæ & ejusdem loci Conventus, faventibus eis Rege Henrico & Reginâ cum cæteris regni Magnatibus, à Papâ petierunt, ut Episcopi Bathonienses à possessione Monasterii eorundem amodo privarentur, & quòd in pristinum statum Monasterium reduci deberet. Quorum petitionem Papa ad tempus distulit exaudire, pro eo quòd Ecclesia Bathoniensis vacationis suæ tempore legitimo caruit defensore.

JOCELINUS.

Jocelinus (y), sextus Bathoniensis Episcopus, successit Savarico annis ‖ xxxvi. Contra quem statim in suis primordiis dictus Eustachius Prior & Monachi Glastoniæ coram Papâ gravem quæstionem moverunt; petentes quòd dictus Episcopus & omnes successores sui deberent à possessione dicti Monasterii in perpetuum amoveri: & quòd dictum Monasterium deberet sub regimine Abbatiali ad pristinum statum restitui & reponi. In qua lite idem Episcopus ad tempus viriliter se defendit. Quod considerantes Rex & Regina ac cæteri Magnates regni parti dictorum Monachorum faventes, quòd Episcopus non potuit facilè ad eorum votum in hac parte convinci, quandam inter partes

‖ xxxvii. *Cod. alter.*

demque Jocelinum successorem usum esse: quod ex Archivis Ecclesiæ Wellensis constat. Anno 1203. 6. Octobr. edito decreto Savaricus Præbendas omnes Ecclesiæ Wellensis à jurisdictione Archidiaconi Wellensis exemit. Obiit apud Scienes la vielle 1205. 8. Augusti, fide Annalium Prioratûs de Suthwerk. Diem confirmant Parisius, Historia Roffensis, Annales Bruton. & Obituarium Cant. Annos regiminis 12. ipsi tribuunt Annales Brutonenses & Canonicus noster; & die 19. Sept. (quæ Dominica anno 1193. erat.) consecratum fuisse Parisius asserit: ut in eam adducar sententiam, Savaricum anno (non 1192. quem Parisius & Dicetensis posuerunt, sed) 1193. consecratum fuisse. Ista de Savarico adnotanda habui. Quæ de rebus ab illo in Germaniâ gestis Godwinus ex Hovedeno narrat, certiùs ex isto peti possunt.

(y) Jocelinus sive Gocelinus de Welles 1204. 1. Sept. factus est Justiciarius Communium Placitorum, saltem unus ex Justiciariis, coram quibus mulctæ levatæ sunt: inquit Cl. Dugdalius *in Orig. Juridic. p.* 41. Eundem Jocelinum Troteman Annales Marganenses vocant. Electus est à Monachis Bathon. & Canonicis Wellen. coadunatis: cujus electionis occasione inter utrosque iterum convenit de electione Episcopi simili modo in perpetuum faciendâ. Mutatis autem paululum antiquis conditionibus, Priori

tes concordiam procuraverunt; videlicet quòd dictus Episcopus permitteret in audientiâ Apostolicâ definitivam sententiam contra se fieri, & in rem judicatam transire; & ipse retineret in perpetuum sibi & successoribus suis maneria de Winscombe, Pokilchurch, Blakeford, & Cranemere, ac advocationes Ecclesiarum de Winescomb, Pokilchurch, Aysheberye, * Cristin, Manfelde, Bockland, & liberæ Capellæ de Blakeford. Quod & factum fuit; & sic pax inter partes prædictas fuit reformata. Iste Episcopus perquisivit de Hugone Lincolniensi Episcopo maneria de Congresberye, Chedder & Axbrige, tenenda à Domino Rege ad perpetuam feodi firmam. Isti duo Episcopi Jocelinus & Hugo Lincolniensis fundârunt Hospitale S. Johannis Wellensis. Jocelinus fundavit multas Præbendas in Ecclesiâ Wellensi de novo, dotavit etiam omnes dignitates, personatus & officia dictæ Ecclesiæ in formâ adhuc durante: ipsamque Wellensem Ecclesiam vetustatis ruinis enormiter deformatam prostravit, & à pavimentis erexit dedicavitque; assignans ei in dotem ad augmentum communæ Canonicorum Manerium de Winescombe cum Ecclesiâ; multosque alios redditus ad augmentum dictæ Ecclesiæ perquisivit, unde Ministri usque hodie sustentantur. Vicarios in Ecclesiâ singulis Præbendariis ordinavit; tribus exceptis, quibus non provisit morte præventus. Hic sibi similem anteriorem non habuit, nec huc usque visus est habere sequentem. Tandem defunctus, in medio Chori Welliæ honorificè sepelitur. Hic primo anno consecrationis suæ servitium B. Mariæ in Ecclesiâ Wellensi fecit cotidie decantari. Capellas etiam cum cameris de Welles & Woky notabiliter construxit.

* Cristynmalford. *Cod. alter.*

ROGERUS.

Rogerus (z), septimus Bathoniensis Episcopus successit; qui priùs fuit Præ-

ori Bathoniensi reservatum est jus Episcopum electum denuntiandi & postulandi; utque Episcopus in Ecclesiâ Bathon. semper priùs inthronizari deberet, concordatum est. Electum Jocelinum Capitula Bathon. & Well. in literâ certificatoriâ de electione sic commendant. *In sinu Ecclesiæ nostræ à primo lacte coaluit, & sine querelâ hactenus inter nos est conversatus.* [Ex Registris Ecclesiæ Well.] Consecratus autem est à Willelmo Episcopo London. (Sede Cant. tunc vacante) apud Radingam in Capellâ S. Mariæ anno 1206. 28. Maii, die S. Trinitatis, ex fide Annalium Waverl. & Suthwerc. & duplicis Registri Cant. Res ab illo gestas Historicus noster ubertim satis retulit; nos tempora singularum ex Registris Ecclesiæ Wellensis apponemus. Anno 1218. 17. Maii concedente Jocelino Honorius Papa dissolvit unionem inter Ecclesias Bathon. & Glaston. Savarico procurante ante 24. annos factam; statuitque ut deinceps Conventus Glaston. proprii Abbatis regimini subesset; salvo jure patronatûs, quod Rex Johannes Episcopis Bathon. in Monasterio eodem contulit. Johannes enim Rex chartâ 1215. 9. Jan. datâ Jocelino & successoribus suis concesserat patronatum Abbatiæ Glaston. si contigerit, quòd Ecclesia Glaston. Abbatis regimini iterum subderetur. Antiquitus in Eccclesiâ Wellensi duæ erant Præpositurae, de Wynesham, & de Cumbâ. Primam Jocelinus assentiente Capitulo univit secundæ, utque unica deinceps esset, statuit 1234. 26. Dec. Ecclesiam Wellensem in honore S. Andreæ dedicavit 1239. 23. Octobr. quando Manerium de Wynescumb ipsi dedit. Eodem anno dedit Ecclesiæ Wellensi Ecclesias de Chedder & Northcurri, quinetiam Ecclesias de Congresbury, Mudeford, Lideard, & S. Cuthberti, in augmentum communæ Canonicorum ejus. Anno 1242. constituit, ut cessante formâ prioris distributionis Canonicis factæ in pane de grangiâ, Episcopus singulis diebus, quibus apud Welliam fuerit, accipiat 13. denarios pro communâ, Decanus autem, Præcentor, Archidiaconus, Cancellarius, & Thesaurarius sigillatim 12. denarios, alii omnes Canonici singulis diebus 6. denarios, Vicarii unicum denarium. Obiit 1242. 19. Novembr. Ex Registr. Well. & Annal. Bruton.

(z) Mortem Jocelini Episcopi Canonici Wellenses Monachis Bathoniensibus denuntiârunt 1242. 22. Nov. Rescribunt Monachi 1243. 30. Januar. *Licèt neque de jure nec de consuetudine ad vos unà nobiscum Episcopi electio pertinere noscatur; ex abundanti tamen vos vocamus,* &c. Ipsi interim, impetratâ

Præcentor Ecclesiæ Sarum, electus in Bathoniensem Episcopum per Priorem & Capitulum Bathoniæ, reclamantibus & appellantibus Decano & Capitulo Ecclesiæ Well. Habitoque suæ electionis decreto, statim igitur ad Curiam Romanam accessit; ubi cùm pervenisset, cernens quòd nullum jus in Episcopatu prædicto sibi per electionem suam competere potuit, eò quòd electio sua fuit omnino invalida, supplicavit Papæ, quatinus electione & appellatione rejectis sibi mero motu de Episcopatu dignaretur providere authoritate Apostolicâ; ne per hujus litis dependentiam Ecclesia prædicta diu vacaret & gravia dispendia tempore vacationis suæ pateretur: quòd & factum fuit. Et sic à Romanâ Curiâ rediit infra breve Bathon. Episcopus consecratus. Decanus tamen & Capitulum Wellense contra Priorem & Capitulum Bathoniense in Romanâ Curiâ fortiter prosequebantur pro injuriâ eis in hac parte illatâ, eò quòd absque sui culpâ eorum mediante dolo Bathoniensis Episcopi electione illâ vice fuerint privati injustè. Unde Episcopus Rogerus in tantum ita instantiùs penes Papam procuravit; quòd ipse pacem fecit inter partes prædictas; & formam apposuit in eorum mutuis electionibus de cætero faciendis; quæ usque hodie observatur. Hic Rogerus donavit Capitulo Wellensi custodiam Decanatûs ejusdem Ecclesiæ pro toto tempore vacationis ejusdem, quotiescunque, qualitercunque & quandocunque dictum Decanatum vacare contigerit deinceps. Dedit etiam eis duas partes omnium fructuum, reddituum & proventuum ad Ecclesias parochiales in totâ Diocesi Bathoniensi spectantium toto tempore vacationis earundem; qui quidem ad Episcopum & Prædecessores suos spectabant. Tertiam verò postea dedit Archidiaconis suis; ut ipsi & eorum Officiales dictos fructus Ecclesiarum per mortem vacantium colligerent, & dictis Decano & Capitulo de duabus partibus integrè responderent. Hic Rogerus cùm sedisset in Episcopatu suo annis tribus, obiit, Bathoniæ sepultus.

WILLELMUS BYTTON I.

Willelmus † Bytton (*a*) primus, vii. Bathoniensis Episcopus, successit. Hic voluit abstulisse à dictis Decano & Capitulo donationes per dictum Rogerum eis concessas; ipsosque longo tempore impedivit de possessione Ecclesiæ de Congresberye, quam bonæ memoriæ Jocelinus prædecessor suus appropriaverat ad augmentum communæ Canonicorum Welliæ residentium, cùm vacaret post mortem Rectoris ejusdem. Unde dicti Decanus & Capitulum ad Curiam Romanam directè, & tuetoriè Cantuariensem Archiepiscopum,

† Button. *Cod. alter.*

petratâ priùs Regis licentiâ, Canonicis non expectatis Rogerum eligunt. Electum Rex ad temporalia admisit 1243. mense Junio. Canonici Papam appellant. Papa editâ anno 1244. sententiâ parem esse debere Monachorum & Canonicorum in Episcopo eligendo potestatem definivit; Episcopatum tamen Rogero non ritè electo contulit, eâ lege, ut Præbenda ejus Saresberiensis nepoti suo concederetur. Consecratus est Rogerus apud Radingam 1244. 11. Sept. Ex Registr. Well. & Cant. & Annal. Teokesbir. Obiit 1247. 21. Dec. juxta Annales Brutonenses, 1248. circa Festum S. Hilarii juxta Parisium, Florilegum & Johannem Walingford. Hinc ipso S. Hilarii die Rogerum obiisse Godwinus temere posuit. Annales forsitan Bruton. diem 12. Cal. Jan. pro 12. Jan. corruptè substituerunt.

(*a*) Willelmus Button, Archidiaconus Wellensis & Rector Ecclesiæ de Sowy, electus est sub initium anni 1248. Consecratus in Curiâ Romanâ eodem anno in Octavis Pentecostes, viz. die 14. Junii, in Angliam anno sequenti rediit. Anno 1253. ab Henrico Rege ad Ferdinandum Hispaniæ Regem legatus, Alianoram Hispani filiam Edwardo Angli filio primogenito nuptum dari impetravit. Anno 1256. Dominicâ 2. Adventûs Domini, professionem obedientiæ apud Otteford præstitit Bonifacio Archiepiscopo, quem post susceptum Episcopatum tunc primùm vidit. Anno 1263. Ecclesiam B. Mariæ de Stall Monachis Bathoniensibus appropriavit. Obiit 1264. 3. April. *Ex Historiâ Glaston. Matthæo Paris, Rotulo 5. Profess. autogr. Registris Cant. & Well. & Annalibus Bruton.*

appel-

appellârunt; qui post paucas expensas hinc inde effusas pacem fecit inter partes. Et inde idem Episcopus dictam Ecclesiam de Congresberye mensæ Capitulari de novo univit; & ex tunc illi & eorum successores præfatas Ecclesiam & donationes eis priùs concessas, ut prædicatur, possederunt pacificè & quietè. Iste convocatâ Cleri sui Synodo || speciali, edidit Constitutiones in Bathoniensi Diocesi obbservandas, quas Synodales appellant. Et cùm sedisset annis xvii. obiit, & Welliæ in novâ Capellâ B. Mariæ Virginis tumulatur.

|| Generali. *Cod. alter.*

WALTERUS GYFFARD.

Walterus Gyffarde (*b*), IX. Bathoniensis Episcopus, successit. Hic fuit Thesaurarius Angliæ. Et cùm sedisset in Episcopatu annos ii. translatus fuit ad Episcopatum * Dunelmensem. Cui successit

* l. Eboracensem.

WILLELMUS BYTTON II.

Willelmus † Bytton (*c*) secundus, X. Episcopus Bathoniensis; & cùm esset Decanus Bathoniensis, successit Waltero Gyffarde; & sedit vii. annis, & in Australi parte Chori Wellensis quiescit; ubi ad præsens multis fulget miraculis.

† Button. *Cod. alter.*

ROBERTUS BURNELL.

Robertus Burnell (*d*), Thesaurarius Angliæ, XI. Bathoniensis & Wellensis Episco-

(*b*) Defuncto Willelmo, Capitula licentiam eligendi à Rege petierunt 1264. 9. April. Die 22. Maii convenientibus in Ecclesiâ Wellensi quatuor ex singulis Capitulis Bathon. & Wellen. electus est Walterus Giffard, Canonicus Wellensis, Subdiaconus & Capellanus Papæ. [Registr. Ecclesiæ Wellensis] Consecratum fuisse à Parisiensi Episcopo in absentiâ Bonifacii Archiepiscopi Godwinus narrat; qui id à Jocelino accepit, quamvis pro more authorem non laudat. Errâsse autem Jocelinum constat ex Professione autographâ inter consecrandum lectâ; in cujus tergo adnotatur ipsum à Petro Episcopo Herefordensi vice Bonifacii consecratum esse. Anno 1265. 10. Augusti Walterus summus Angliæ Cancellarius renuntiatus est, datâ sibi pensione 500. librarum quotannis percipiendâ. Eboracum translatus est 1266. 15. Octobr. *Dugdal. Chron. Ser. p.* 20. Annal. Bruton.& Stobæus.

(*c*) Willelmus de Buttone, Willelmi primi Episcopi cognominis nepos, & Walteri Giffard consanguineus, electus est 1267. 10. Febr. & temporalia à Rege accepit die 4. Martii. Archidiaconum Wellensem fuisse Matthæus Paris testatur: ut tres ejusdem nominis in hoc Archidiaconatu successerint. Willelmum enim de Button Archidiaconum Wellensem anno 1244. Registrum Well. memorat. Iste Episcopatum anno 1248. assecutus, Archidiaconatum tradidit nepoti ipsius Willelmo, qui Episcopatum anno 1267. obtinuit. Denique in Registro Walteri Giffard Archiepiscopi Ebor. reperio Willelmum Button Archidiaconum Wellensem Ecclesiæ Ebor. Canonicum esse factum 1270. 16. Octobr. Dedit ille Capitulo Wellensi Ecclesiam de Stokegummer 1271. 2. Oct. eâ conditione ut 50. solidos Capellano pro animâ ipsius quotidiè celebraturo, & totidem pro anniversario ejusdem, annuatim solverent. Obiit 1274. 4. Decembr. frequenti plebis vicinæ cultu post obitum celebratus. Inoleverat enim opinio de eximiâ ipsius sanctitate; quæ ipso vivente famam adeò præclaram meruerat, ut ab illo potissimum Robertus Cant. Archiepiscopus anno 1273. consecrari voluerit, isthoc argumento motus, *quòd famâ sanctitatis inter cæteros multùm efflorebat*; referente Matthæi Paris Continuatore p.108.

(*d*) Licentiâ eligendi 1274. 13. Dec. postulatâ, septem ex utroque Capitulo designati in Ecclesiâ Wellensi 1275. 23. Febr. coeuntes elegerunt Robertum Burnell, Canonicum Wellensem & Archidiaconum Eboracensem. Electionem Rex confirmavit die 3. Febr. Electum Archiepiscopus consecravit in Ecclesiâ de Merton 1275. 7. April. quamvis Annales Wigorn. Londini consecratum perhibeant. Cancellarius Angliæ creatus fuerat 1274. 21. Sept. idque munus usque ad obitum administravit. Thesaurarium fuisse neutiquam reperio. Sub initium Pontificatûs sui patronatum Monasterii Glaston. Regi remisit, acceptâ loco ejus

Episcopus, successit annis xviii. & Welliæ in navi Ecclesiæ solenni tumbâ sepultus est. Hic Episcopatum multis franchesiis & libertatibus ornavit; parentelam suam multùm ditavit, & ipsos magnis honoribus exaltavit. Idem aulam Episcopalem Welliæ sumptibus suis fieri fecit; & bona per ipsum & prædecessores suos Ecclesiæ Wellensi appropriata chartis regiis & munimentis roborari procuravit.

WILLELMUS DE MARCHIA.

Willelmus de Marchiâ (*e*), Thesaurarius Scaccarii Angliæ, XII. Bathoniensis Episcopus, sedit annis x. & in Ecclesiâ Wellensi ex parte australi in muro inter ostium Claustri & altare S. Martini sepelitur. Ad cujus tumbam olim multa præclara fiebant miracula.

WALTERUS HASELSHAWE.

Walterus Haselshawe (*f*), XIII. Bathoniensis Episcopus, sedit vii. annis; & Welliæ sepelitur in navi Ecclesiæ juxta altare ubi prima Missa matutinalis indies celebratur.

---

jus civitate Bathon. seu potius possessione civitatis uberioribus privilegiis auctâ. Urbs enim jamdiu penès Episcopos fuerat. Tunc etiam Episcopus & Abbas Glaston. jus suum in plurimis Maneriis & Ecclesiis invicem remiserunt, chirographo 1275. 3. April. confecto. Ecclesias de Jevelton, Burnham, Stanton, Dru, & Coleworth Ecclesiæ Wellensi adquisivit. [Ex Registro Ecclesiæ Well.] Medio anno 1278. post Robertum Kilwarby ad Cardinalatum S. R. E. translatum Archiepiscopus Cant. à Monachis canonicè electus est. Electi causam Rex Nicolao Papæ impensè commendavit literis datis 1278. 10. Julii; aliisque ad Robertum dignitatem oblatam detrectantem 1278. 11. Aug. scriptis ipsum enixè rogat, ut electioni de se factæ consentiat. Paruit Robertus, missisque ad Curiam Romanam nunciis electionem confirmari petiit. Incassum autem. Papa enim spretâ electione Archiepiscopatum Johanni Peckham contulit. Assiduam Regi operam Robertus in rebus Angliæ, Walliæ, Franciæ & Scotiæ gerendis præstitit. Anno 1286. 13. Maii cum Rege in Franciam transfretavit; & cum eodem in Angliam rediit 1289. 12. Augusti. Obiit in Comitatu regio apud Berwicum in confiniis Scotiæ 1292. 25. Octobr. apud Welliam sepultus die 23. Nov. *Ex Registr. Cant. Rotulis Cancellaria, Annalibus Bruton. & Wigorn.* Inter benefactores Academiæ Cantabrigiensis idem commemoratur.

(*e*) Willelmus de la March, Clericus Regis, Thesaurarius Angliæ anno 1290. constitutus, officio isthoc amotus est medio anno 1295. Interea temporis ad Episcopatum Bathon. & Wellen. (Canonicus tunc Wellensis) in Capitulo Bathoniensi electus 1293. 30. Jan. confirmatus est à Rege die 1. Martii, à Capitulo Cantuariensi (Archiepiscopatu vacante) die 12. Martii: consecratus in Ecclesiâ Cant. per Ricardum Episcopum London. die Pentecostes, sc. die 17. Maii. Sic Registra Cant. & Well. & Annales Bruton. & Wigorn. tradunt. Die Jovis in septimanâ Pentecostes Annales Londinenses consecratum dicunt, errore manifesto. Obiit Willelmus 1302. 11. Junii, relictâ haud vulgari sanctitatis famâ. Annis enim 1324, & 1325. Capitulum Wellense Procuratores suos ad Papam legavit ad petendam illius Canonizationem. Idem & Episcopi Angliæ universi postulàrunt literâ datâ 1325. 4. Dec. idem & Edwardus Rex. Transmisit insuper Capitulum amplam miraculorum, quæ ab illo post mortem patrata dicebantur, relationem. Nil tamen impetratum reperio. In fatis enim non erat, ut Willelmus Sanctorum albo inferretur.

(*f*) Walterus de Haselshawe, Canonicus, Archidiaconus & Decanus ordine Wellensis, ad Episcopatum electus 1302. 7. Aug. ab Archiepiscopo confirmatus est die 11. Septembr. à Rege ad Temporalia admissus die 12. Septembr. ab Archiepiscopo apud Cantuariam consecratus die 4. Novembr. intronizatus apud Welliam die Natalis Domini, apud Bathoniam die Epiphaniæ sequentis. Die 28. Octobr. Annales Wigorn. consecratum produnt. Diem autem 4. Nov. exhibent bina Ecclesiæ Cant. Registra, Registrum *Winchelse*, & Annales Bruton. Obiit 1308. 11. Decembr. apud Welliam sepultus die 15. Decembris, fide Annalium Bruton.

JOHAN-

JOHANNES DROKENSFORD.

Johannes Drokynsforde (*g*), Custos Garderobæ & Locum-tenens Thesaurarii Angliæ, XIV. Episcopus Bathoniensis, sedit annis xix. Iste Episcopatum suum plurimis ædificiis solennibus insignivit; libertates per Reges Episcopatui suo concessas non solùm literatoriè renovavit, sed etiam ampliavit; & quoad ditationem & exaltationem familiæ suæ similis fuit prædecessori suo Roberto Burnell. Et Welliæ sepelitur ante altare S. Johannis Baptistæ.

RADULPHUS DE SALOPIA.

Radulphus de Salopiâ (*h*), XV. Episcopus Bathoniensis, pater insignissimus, & eleemosynarum largitor copiosus. Hic fuit electus per Decanum & Capitulum Wellense ac Priorem & Capitulum Bathoniense, & per Cantuariensem Archiepiscopum consecratus, non obstante generali Episcopatuum collatione ad Sedem Apostolicam reservatâ per Papam Johannem XXII. Unde postea obtinuit per Sedem Apostolicam declarari reservationem hujusmodi pro illâ vice ad Sedem Bathoniensem non debere extendi. Hic appositis laboribus magnis & expensis non modicis, procuravit à Rege deafforestari maneriâ de Chedder & Axbrigge existentia tunc infra Forestam de Mendepe. Et ejus Maneriorum deafforestatio fuit in ejus perambulatione certis metis & bundis inter eandem Forestam & dicta Maneria positis evidenter distenta. Hic etiam annuente Rege omnes feras dictæ Forestæ venando destruxit: &

(*g*) Johannes de Drokenesforde, Canonicus Wellensis, Eboracensis & Suthwellensis, Rector Ecclesiæ de Balsham in Comitatu Cantabr. vestiarii regii Præfectus, & Locum-tenens Thesaurarii Angliæ ad Curiam Romanam profecturi constitutus 1305. 22. Octobr. Episcopus Bathon. & Wellen. in Capitulo Bathoniensi electus est 1309. 5. Febr. ab Archiepiscopo apud Lametham confirmatus die 15. Maii, apud Cantuariam consecratus die 9. Novembr. Anno 1312. Rege Edwardo in Galliam profecto, totius Angliæ præfecturam sibi commissam vice Regis gessit. Obiit apud Dogmersfeld 1329. 9. Maii, apud Welliam sepultus die 23. Maii in Capellâ B. Caterinæ, in qua Cantariam mense superiore fundaverat. Ex Registris *Grenfeld*, *Corbrig*, *Winchelse*, *Drokensford*, Cant. & Well. Historiâ Adami Merimuth, & Annalibus Bruton. Sedit annos 20. menses 3. dies 9. juxta calculum istorum Annalium.

(*h*) Radulphus de Salopiâ, vestiarii regii Custos, Præbendâ in Ecclesiâ Sarum à Rege donatus est 1297. 20. Junii. Idem postea anno 1328. Cancellarius Academiæ Oxon. in Episcopum à Canonicis Wellensibus 9. & totidem Monachis Bathoniensibus in Capitulo Wellensi electus est 1329. 2. Junii, ab Archiepiscopo confirmatus die 21. Julii, à Rege ad Temporalia admissus die 3. Sept. (quamvis Rex scriptis ad Papam literis alium quendam ad Episcopatum promoveri postulaverat) ab Archiepiscopo apud Cantuariam consecratus eodem die. Sic quidem narrant Registrum *Cranborn* & Willelmus Dene. Annales autem Bruton. (qui in reliquis conveniunt) die 3. Decembr. consecratum fuisse produnt. His magis accedo. In ipsius enim Radulphi Registro comperio ipsum die 17. Decembr. solvisse donaria (feoda vulgò dicuntur) servis Archiepiscopi familiaribus pro consecratione suâ debita, quæ 19. librarum summam illo sæculo confecerunt. Episcopatûs provisionem Johannes Papa sibi reservaverat, saltem reservâsse præ se tulit; eumque electione canonicâ sibi præreptum fuisse ægrè tulit. Radulfum itaque accusari fecit, quòd Episcopatum invito Rege per vim & arma occupâsset; & hac strophâ usus, virum integerrimum ingenti pecuniæ summâ mulctavit. Rem pluribus narrat Registrum ipsius, paucis Walsinghamus. Cancellariatum Oxon. unà cum Episcopatu aliquamdiu tenuit. *In eleemosynarum largitione erat valde profusus, & multis aliis piis operibus semper devotè intentus:* inquit anonymus Higdeni Continuator. Plurima charitatis opera Historicus noster retulit. Nos ex Registro *Islip* apponemus illum in supremis tabulis facultates suas trifariam distribuisse. Harum unam partem pauperibus & colonis suis, aliam Fratribus Mendicantibus, reliquam amicis tenuioribus & famulis suis transcripsit. Obiit apud Wyvelescombe 1363. 14. Augusti, teste Registro *Islip*.

sic violentia Forestariorum cessavit, qua ipsi communem plebem solebant indies opprimere. Hic etiam Episcopale Palatium apud Welliam forti muro lapideo circumcinxit; & aquam undique circumduxit. Quandam habitationem perpulchram pro Vicariis & Choristis Ecclesiæ Wellensis, loco ad ædificandum impetrato, suis sumptibus construxit; ipsumque locum sic constructum eisdem Vicariis & successoribus suis ad perpetuam ipsorum cohabitationem liberè dedit, & donum chartis regiis confirmavit, absque aliquo redditu inde reddendo præter Orationes Dominicas & Salutationes Angelicas. Perquisivit etiam x. || libras annui reddităs solvendas dictis Vicariis & successoribus per manus suas & successorum suorum. Univit Ecclesiam plebanalem de Chyw mensæ suæ Episcopali; decimas terrarum dominicalium manerii de Chyw & jurisdictionem ordinariam totius Parochiæ sibi & successoribus suis tantummodo reservando. Residuum verò omnium decimarum & reddituum ad dictam Ecclesiam de Chyw qualitercunque spectantium assignavit Vicario ejusdem Ecclesiæ pro tempore existenti; ut inde ipse solvat annuatim Priori & Capitulo Bathoniensi xx. marcas de novo, & v. marcas eis debitas ab antiquo, & * v. marcas annuas inter præsentes Ministros Ecclesiæ Wellensis dividendas in obitu suo ibi tenendo. Multa etiam vestimenta ecclesiastica pretiosa dictis Ecclesiis Bathoniensi & Wellensi in testamento suo reliquit; quæ in eis usque hodie perseverant. Palatium Episcopale Wellense muro lapideo batellato & cornellato cum fossatis claudere fecit. Construxit de novo Capellam de † Wyvelescombe, & totam Curiam de Claverton, & unam Cameram honestam valde sumptuosam apud Evercrich. Quibus completis, cùm sedisset xxxiv. annis, in Vigiliâ Assumptionis B. Mariæ anno MCCCLXIII. apud || Wyvelescombe obdormivit in Domino, sepultus in Presbyterio Ecclesiæ Wellensis inter gradus Chori & summum altare in tumbâ de alabastro, cui imago supponitur valde conforma figuræ illius. Unde plures Indulgentiæ sunt concessæ omnibus locum ejus sepulturæ visitantibus & devotè pro animâ ipsius Radulphi orantibus.

|| Marcas. *Cod. alter.*

* viii. *Hist. minor.*

† Wynescombe. *Cod. alter.*

|| Windlescourt *Hist. minor.*

JOHANNES BARNET.

Johannes Barnet (*i*), Thesaurarius Angliæ, xvi. Episcopus, sedit tribus annis; & postea ad Sedem Eliensem translatus fuit.

JOHANNES DE HAREWELL.

Johannes Harewell (*l*), nobilissimi Principis Edwardi primogeniti Regis

(*i*) *Post Radulphi mortem Walterus de Monyngton Abbas Glastoniensis in Episcopum subdolè electus est. Electio autem cassata est à Simone Archiepiscopo Cant.* Sic Registrum Wellense. E contra Monachus Eveshamensis, qui Higdeni Polychronicon continuavit, in gregalium suorum partes pronus, rem ita narrat. *Loco Radulphi Abbas Glastoniensis, vir multùm venerabilis, unanimiter erat electus. Sed ab æmulis, qui ad illum Episcopatum conspiraverunt, ne ad Curiam Romanam transiret, impediebatur.* Walterum enim, Canonicis Wellensibus invitis vel prætermissis, Monachi Bathonienses elegisse videntur. Isto igitur justè rejecto, Johannes Barnet, summus Angliæ Thesaurarius, translatus est à Sede Wigorniensi ad Bathoniensem bullâ Urbani V. Papæ 1363. 24. Nov. Spiritualem Episcopatûs sui jurisdictionem ab Archiepiscopo accepit 1364. 7. April. Ad Eliensem demum Sedem transiit bullâ ejusdem Papæ translatus 1366. 15. Dec. Ex Registris *Islip* & *Langham*. Dum Sedi Bathoniensi adhuc præesset, anno 1365. dedit Ecclesiæ Paulinæ London. molendinum aquaticum & 98. jugera terræ & annuum 44. solidorum redditum, eâ conditione, ut Hymnus decantetur, & Oratio ad B. Virginem & altera pro Defunctis recitentur quotidie coram Imagine B. Virginis.

(*l*) Johannes Harewell, Legum Baccalaureus, & Archidiaconus Bercheriensis, post legitimam electionem provisus est ab Urbano V. Papâ ad Episcopatum Bathon. 1366. 15. Dec. Spiritualia ab Archiepiscopo accepit 1367. 7. Maii, authore Registro *Langham*; apud Burdegalam antea consecratus anno 1366. (exeuntem intellige) die 7. Martii, fide Canonici Wellensis. Nil præterea de ipso memoratum invenio, nisi quòd testamentum condiderit 1386. 29. Junii, quod post obitum ipsius ab Archiepiscopo probatum est die 20. Augusti sequentis. Ex Registro *Courtney*.

Edwardi III. in Vasconiâ Cancellarius, xvii. Episcopus, successit annis xix. mensibus iv. qui die vii. Martii anno MCCCLXVI. consecratus est apud Burdeaux in Ecclesiâ Collegiatâ S. Severini per Heliam Archiepiscopum Burdegalensem ascitis duobus aliis Episcopis. Iste ad constructionem Occidentalis turris in parte Australi Wellensis Ecclesiæ duas partes expensarum apposuit; ac pro vitro Occidentalis fenestræ ejusdem Ecclesiæ centum marcas persolvit; duasque magnas campanas in dictâ turri Australi pendentes fieri fecit propriis sumptibus. Dedit etiam eidem Ecclesiæ unum Missale pretii xx. librarum, & certa vestimenta ecclesiastica pretiosa. Et Welliæ quiescit humatus ante altare S. Kalixti. Cui successit

WALTERUS SKYRLAWE.

Walterus Skirlawe (*m*), utriusque Juris Doctor, priùs Cestrensis Episcopus, xviii. Episcopus Bathoniensis, annis ferè tribus; deinde ad Ecclesiam Dunelmensem fuit translatus. Cujus executores dederunt Ecclesiæ Wellensi pro obitu suo ibi tenendo xxxi. capas choristales albas pretii, ut creditur, cl. librarum. Cui successit

RADULPHUS ERGHUM.

Radulphus Erghum (*n*), Legum Doctor, xix. Episcopus; qui ix. die Decembris apud Bruges in Flandriâ anno MCCCLXXV. consecratus est in Episcopum Sarum; ubi sedit Episcopus per xii. annos integros, & ulteriùs à ix. die mensis Decembris usque ad Festum Exaltationis S. Crucis anno MCCCLXXXVIII. quo die apud Cantabrigiam præsentatæ fuerunt sibi literæ Apostolicæ de translatione suâ factâ ab Episcopatu Sarum ad Episcopatum Bathon. Et eâdem die Rex Richardus II. contulit sibi Temporalia sua. Sedit in Episcopatu Bathon. annis xii. mensibus vi. diebus vi. & in navi Ecclesiæ Wellensis sepelitur juxta altare S. Edmundi Episcopi. Iste dedit Decano & Capitulo Wellensi patronatum Ecclesiæ de Pokulchurche, & l. marcas in subsidium expensarum factarum circa unionem dictæ Ecclesiæ ad mensam Capitularem & alia onera in Ecclesiâ Wellensi supportanda, ac unum messuagium in Welliâ, quod vocatur *le George*, ad supportanda quædam alia onera per ipsum limitata. Dedit etiam eisdem unum calicem auri cum patenâ pretii liv. librarum, unum Missale pretii xxii. librarum, duas pelves argenti deauratas pretii xx. librarum, & unum osculatorium pretii viii. librarum. Fecit etiam construi per Executores suos in vico vocato *la Mounterye* mansiones pro xiv. Capellanis in dictâ Ecclesiâ Wellensi indies celebrantibus. Cui successit

(*m*) Walterus Episcopus Lichfeldensis translatus est Bathoniam ab Urbano VI. Papâ 1386. 18. Aug. Dunelmum iterum ab eodem translatus 1388. 3. April. Factum istud intercessione Baronum Angliæ rebellium; quorum partes Walterus plus justo fovebat. *Registr. Courtney.* Ignoscas, quæso, Lector errori superiùs commisso p. 450. ubi dixi Walterum à Sede ditiore Lichfeldensi ad pauperiorem Bathoniensem translatum fuisse. Revera enim Bathoniensis opulentior erat Lichfeldensi; adeò ut Walterus aut translationem invito Rege impetraverit à Papâ, aut Baronum partes nondum sectatus fuerit.

(*n*) Radulphus, Sarum Episcopus, ad Bathoniam translatus est bullâ Urbani VI. Papæ datâ 1388. 3. April. Professionem Archiepiscopo apud Cantabrigiam fecit die 14. Sept. & Spiritualia die sequenti accepit. Bullæ in Capitulo Wellensi lectæ sunt die 19. Sept. Cantariam in Ecclesiâ Wellensi fundavit 1399. 20. Januar. pro animâ Gilberti & Agnetis parentum suorum & Agnetis Robas sororis suæ. Testamentum ejus in Curiâ Archiepiscopali probatum est 1400. 19. April. *Ex Registris Courtney, Wellensi, & Arundel.* Si tamen Canonicus noster annos Pontificatûs gesti rectè posuerit; Radulphus 1401. 20. Martii obiit. Obitum 1401. 10. April. contigisse Godwinus refert; cui in Historiâ Episcoporum Bathon. præcipuè credendum est. Eam enim præ aliis diligenter contexuit, Ecclesiæ Wellensis Canonicatu diu potitus. Errorem itaque in Registro *Arundel* aut in excerptis meis cubare arbitror.

HEN-

HENRICUS BOWET.

Henricus Bowet (o), Legum Doctor, xx. Episcopus, apud Bathoniam electus à majori parte Capitulorum Bathoniensis & Wellensis. Sed Papa spretâ electione ipsius providit venerabili viro Richardo Clifford Archidiacono Cantuariensi, Custodi Privati Sigilli Regii, de Episcopatu prædicto. Cujus provisioni Rex Henricus IV. noluit consentire. Ideo Richardus, quia liberationem Temporalium Episcopatûs prædicti à Rege non potuit obtinere, dictam provisionem penitus refutavit, vacationemque Sedis Episcopalis Wigorniensis modico tempore expectavit, de qua Papa statim sibi providit; ac postea Henrico contulit dictum Episcopatum Bathoniensem. Qui sedit ibi annis ferè viii. deinde translatus ad Sedem Eboracensem. Cui successit

NICOLAUS BUBWITH.

Nicholaus Bubwith (p), xxi. Episcopus, vir utrobique discretus ac in spiritualibus & temporalibus circumspectus & providus, maneriorumque Episcopatûs sui sedulus reparator. Ipse priùs fuit London. deinde Sarum, postea Bathoniensis Episcopus. Ipse etiam antiquas libertates Episcopatûs sui literis regiis confirmavit, & eundem Episcopatum suum novis libertatibus ampliavit.

Ob reverentiam bonæ memoriæ Radulphi Erghum nuper Bathoniensis Episcopi hos viros prædictos, temporibus suis magnificos, præsentibus recitare curavi; ipsorumque nomina per oblivionem modernis ferè incognita ad memoriam futurorum novæ scripturæ beneficio commendavi. Quorum animas quæso pro beneficiis nobis in terris largitis omnipotens Dominus collocare dignetur in cœlis de suâ ineffabili bonitatis clementiâ.

(o) Henricum Bowet, Archidiaconum Lincolniensem, Capitula Bathon. & Wellen. canonicè elegerunt. Episcopatum interea Bonifacius IX. Papa, Rege inconsulto, Ricardo Clifford Atchidiacono Cantuariensi jure provisionis contulit. Hunc à Rege rejectum Papa, ut repulsam æquiùs ferre posset, ad Episcopatum Wigorniensem transtulit 1401. 19. Aug. eodemque die Henricum Bowet Sedi Bathoniensi provisionis titulo præfecit. Spiritualia Henricus ab Archiepiscopo accepit, professione per Procuratores factâ, 1401. 28. Sept. & consecratus est à Thomâ Archiepiscopo in Ecclesiâ S. Pauli London. 1401. 20. Novembr. præsente Henrico Rege. Neque enim antea ipsum Archiepiscopus confirmare vel consecrare ausus fuerat, intercedente Papali alterius provisione. Anno 1401. 9. Dec. Suffraganeum sibi Episcopum constituit Fr. Johannem Grenlaw O. M. Episcopum Soltaniensem; qui paulò antè consecratus fuerat à Johanne Sorensi & Thomâ Constantiensi Episcopis. Ipse enim Henricus arduis regni negotiis admotus, Thesaurarius Angliæ 1402. 27. Febr. creatus est: & medio anno 1406. Henrici Regis filiam Danorum Regi matrimonio jungendam in Daniam deduxit. Horum laborum mercedem tulit Archiepiscopatum Eboracensem; ad quem à Gregorio XII. Papâ, Rege postulante, provisus est 1407. 7. Octobr. Ex Registris *Arundell* & *Bowet*. Multis ante Episcopatum susceptum annis juratissimus Henrici Ducis Herefordensis postea Regis Angliæ cliens fuerat; adeò ut Ricardi Regis mandato sub exitum anni 1398. læsæ majestatis accusatus ad capitale supplicium damnatus fuerit. Vitam tamen illi Ricardus indulsit eâ conditione, ut deinceps exularet.

(p) Nicolaus Bubwith, supremus Angliæ Thesaurarius, qui spiritualia Episcopatûs Sarum ab Archiepiscopo Cant. acceperat 1407. 2. Octobr. ad Episcopatum Bathoniensem à Gregorio Papâ provisus die 7. ejusdem mensis, spiritualem illius jurisdictionem ab Archiepiscopo apud Maydenston recepit 1408. 1. April. eodemque die Temporalia à Rege obtinuit. Anno 1414. ad Concilium Constantiense legatus, iter iniit sub finem anni; & in electione Martini V. Pontificis 1417. 11. Nov. unus ex 30. electoribus constitutus, suffragium tulit. Anno 1423. Ecclesiam de Buckland-Abbatis Dioceseos Sarum, cujus patronatus ad Sedem suam spectavit, Ecclesiæ Wellensi appropriavit ad sustentandos tres Capellanos quotidie pro animâ ipsius celebraturos ad altare in navi Ecclesiæ sumptibus suis erectum. Anno itidem sequenti in Ecclesiâ Bathon. Capellam ædificavit; & in eâdem perpetuam Cantariam posuit. Obiit 1424. 27. Octobr. Ista omnia Registrum ipsius docet, cui in multis consonat Registrum *Arundell*.

CONTINUATIO HISTORIÆ DE Episcopis Bathoniensibus & Wellensibus Ab anno MCCCCXXIV. ad annum MDXL.

JOHANNES STAFFORD.

Mill. Catal. honor. p. 432.

NIcolao successit vir perquam nobilis juxta ac eruditus Johannes Stafford, filius natu nonus Humfredi Stafford Comitis Staffordiæ, postea Ducis Buckinghamiæ creati 1444. 14. Sept. & in prælio Northamtunensi occisi 1460. 10. Julii, Abbatis-villæ in Provinciâ Dorcestrensi natus, ad multiplices honores & dignitates successivè provectus. Ex causarum Advocato Vicarius generalis ab Henrico Archiepiscopo Cant. constitutus, postea adjunxit Decanatum S. Martini London. & Præbendas in Ecclesiis Lincolniensi & Saresberiensi. Ab Henrico V. Rege Privati Sigilli Custos ab Henrico VI. summus Angliæ Thesaurarius 1422. 18. Dec. renuntiatus, munus abdicavit 1426. 18. Martii. Eundem Ecclesiæ Wellensis Canonicum Nicolaus Episcopus anno 1413. Decanum 1423. creavit. Demum Nicolao successor designatus, in Ecclesiâ Fratrum Prædicatorum Londini consecratus est 1425. 27. Maii in Festo Pentecostes. Anno 1432. Cancellariatum Angliæ die 28. Febr. sibi delatum suscepit, & ad annum usque 1450. administravit. Hoc munere ab Episcopalibus officiis in Diocesi suâ obeundis avocatus, Johannem Olensem Episcopum 1437. 10. Martii sibi Suffraganeum ascivit. Anno 1442. 10. April. Henricus Archiepiscopus gravi senectute fractus, datis ad Eugenium Papam literis, ut Archiepiscopatum abdicare sibi liceret, enixè petiit; & Johannem Wellensem Episcopum, quem subrogari sibi voluit, hoc elogio cohonestavit. *Fidenter ac securè in testimonio conscientiæ meæ carissimum fratrem meum Johannem Bathon. Episcopum, regni Angliæ Cancellarium, ut patrem maximè meritum, & pro utilitatibus dictæ sanctæ Sedis, si universa virtutum dona, quæ in eo concurrunt, quæ (quod non dubito) S. V. nota esse debent, pensentur, summè necessarium, ad præsidentiam ejusdem sanctæ Sedis V. S. humiliter recommendo. Profectò si præter eminentem scientiam suam & cæteras virtutum dotes, quibus faciliter reliquos superat, nobilitatem sanguinis, potentiam amicorum necessariorumque suorum, ac hospitalitatis gratiam in eo probè attendimus; non puto facilè inveniri posse, qui usquequaque in aptitudine, habilitate & merito ad tantum regimen commodè subeundum meritis sibi possit æquari.* Ejusdem argumenti literas Henricus Rex ad Papam dedit 1442. 24. April. qui Johannem Papæ antea commendaverat, si Henricum mori contigerit, 1440. 2. Sept. Archiepiscopatum tamen Henricus ante obitum non dereliquit; cui Johannes anno 1443. auspicatò successit, bullâ Papali provisus die 13. Maii, à Rege admissus die 6. Augusti.

Jocelin p. 286. — Pat. 1. H. 6. p. 1. m. 15. — Reg. Bubwith. — Reg. Stafford. Well. — Dugdal. Chron. Ser. p. 60. — Epist. Bekinton. f. 53. — Ibid. f. 54. — Reg. Stafford. Cant.

THOMAS

THOMAS DE BEKYNTON.

Johannem excepit Thomas, vir egregiè eruditus, & insignis eruditorum patronus. Beckhamptonæ in Somersetensi pago natus, in Collegio Wiccamico Wintoniensi bonis literis institutus est. Exin in Socium Collegii Novi Oxon. anno 1408. ascitus, Legum Doctor & Academiæ Cancellarius creatus est. In aulam regiam evocatus, Henrico VI. Regi adolescentulo à studiis, proyectiori ab epistolis admotus est; multisque titulis & dignitatibus cumulatus. Erat enim S. Leonardi prope Hastinges in Diocesi Cicestr. & Suttonæ in Diocesi Saresber. Rector, Decanus Curiæ Archiepiscopalis de Arcubus dictæ ab anno circ. 1430. Cancellarius Humfridi Glocestriæ Ducis, Archidiaconus Buckinghamensis, Canonicus Eboracensis 1435. 7. Julii, Wellensis 1439. 21. April. admissus. Maximis regni negotiis & secretioribus Regis consiliis ab anno circiter 1430. ad acceptum Episcopatum adhibitus, & Privati Sigilli Custos ante exitum anni 1432. renuntiatus, maximam fidei, prudentiæ & doctrinæ famam tulit. Incredibilis certè diligentiæ & in rebus agendis solertiæ indubia argumenta hodie supersunt plura ab ipso conscripta vel congesta literarum, instructionum, orationum, fœderum, aliorumque monumentorum res in Angliâ quin & universo orbe Christiano suo tempore gestas spectantium volumina. Ex his tria vidi perinsignia. Primum in Bibliothecâ Archiepiscopali Lambethanâ asservatum continet plurimas ipsius Epistolas seu proprio seu regio nomine scriptas, aliorumque seu ad ipsum seu ad Regem, dum Regi ab epistolis esset, missas; aliaque ejus ætatis præclara monumenta quæ in manus ipsius inciderunt, sine ullo ordine congesta. Haud dissimile est secundum, quod in Bibliothecâ Cottonianâ habetur; nisi quòd hoc intuitu congestum videatur, ut Formularii loco inserviat. Innumera ferè in eo reperiuntur instrumenta, epistolæ, orationes, pacta, aliæque formulæ rerum in Angliâ & Galliâ gestarum ab anno 1417. Tertio, quòd ibidem extat, ipse titulum dedit: *Opus compilatum per Thomam Bathoniensem Episcopum ex literis, allegationibus, conclusionibus, conventionibus & tractatibus, nonnullisque aliis negotiis concernentibus jus & titulum Regis Angliæ ad regnum Franciæ, cum aliis multis quæ eâ occasione secuta sunt.* Incipit à tempore Edwardi III. Regis, & ad media Henrici VI. tempora deducitur. Inibi inter alia habentur Historiæ valde prolixæ seu Diaria duarum Legationum à Rege Henrico VI. missarum. Prima titulum habet *Acta & processus in Conventione Atrebatensi anno* 1435. Secunda *Acta in Conventione pro tractatu pacis habitâ in marchiis Calesiæ anno* 1439. Huic adfuerunt ex parte Regis Angliæ Henricus Cardinalis Winton. Archiepiscopus Ebor. Episcopi Norwic. & Menev. qui Calesiam appulerunt die 26. Junii. Eos die crastino secutus est Bekyntonus Regis Secretarius. Angliam reversi appulerunt die 2. Octobris. Idem in Vasconiam à Rege medio anno 1442. legatus, diurnalem totius itineris atque legationis Historiam conscripsit; quæ in Registro Caroli Booth Episcopi Hereford. locum habet. Anno 1433. mense Novembri domo inferiori Convocationis Cleri Angliæ præsedit; quando, nomine totius Cleri sententiam ab Episcopis rogati proposuit Concilium generale solo Papæ Romani nutu dissolvi posse; adeòque ab Eugenii fide discedendum non esse, si Papam alterum à Basileensi Concilio creari contigerit. Tandem anno 1443. diuturni laboris præmium accepit Episcopatum Bathoniensem. Defuncto siquidem Henrico Archiepiscopo Cant. Rex Johannem Bathoniensem Episcopum Henrico, Thomam Johanni subrogari voluit. Thomas scriptis ad Blondum Foroliviensem Papæ Secretarium, quocum maxima sibi intercessit familiaritas, literis 1443. 27. April. regium consilium ostendit; utque rem Papæ citò expediendam commendet, petit. Bullas provisionis Eugenius Papa edidit 1443. 13. Maii. Harum autoritate spiritualia Episcopatûs Bathon. Thomas ab Archiepiscopo

Chaundler in Vitâ ejus.

Antiq. Oxon. p. 134.

Reg. Chichley.

Reg. Ebor. & Well.

Tiberius B. 6.

Tiberius B. 12.

Reg. Chichley, vol. 2.

Reg. Stafford.

chiepiscopo obtinuit die 5. Octobr. Consecratus est autem à Willelmo Lincoln. Episcopo, assistentibus Willelmo Sarum. & Nicholao Landav. in Ecclesiâ Collegiatâ veteri Etonensi 1443. 13. Octobr. & mox in Ecclesiâ novâ ejusdem Collegii vix semiconstructâ sub papilione ad altare erectum supra locum ubi Rex Henricus, fundator magnificus, primum posuerat lapidem, primam Missam Pontificalibus indutus celebravit. Episcopatum adeptus, regiis negotiis & consiliis adhiberi non desiit. Suffraganeum enim sibi Episcopum constituit 1443. 24. Nov. Jacobum Achadensem Episcopum; ipsoque ad Sedem Bangorensem translato, Johannem Tinensem Episcopum, Canonicum Regularem Ord. S. Augustini, 1459. 17. Octobr. sibi Suffraganeum ascivit. Anno 1445. antiqua inter Episcopum Bathon. & Monachos Glaston. contentio recruduit. Episcopus Cœnobium visitando rem perfunctoriè transegisse non contentus, subtile examen de Monachorum moribus & disciplinâ instituit. Abbas è contra visitationem ab Episcopo tamdiu continuari posse negavit. Rei exitus incompertus latet. Beneficia ab ipso præstita Ecclesiæ Wellensi & Collegiis Wiccamico & Lincolniensi Oxon. nullus facilè numerabit. Multa Godwinus memoravit, & legata ab illo in supremis tabulis sigillatim recensuit. His tantum addere liceat; quòd 1452. 13. Jan. consecravit altare quod erexerat in Capellâ, quam in Ecclesiâ Wellensi juxta Presbyterium construi fecerat in honore B. Mariæ Virginis & S. Thomæ Martyris: & die 15. Januarii Pontificalibus indutus ornamentis, quæ in consecrationis die antea gestaverat, in quibus itidem sepeliri voluit, sepulchrum suum infra dictam Capellam solenniter consecravit. Obiit Præsul optimus 1465. 14. Januarii, in hoc tantùm infœlix, quòd piissimum alumnum atq; Dominum Henricum VI. Regem sceptro spoliatum & carceri indignè mancipatum ante quadriennium viderit.

Reg. Bekynton.

Epist. Bekinton. f. 92, 93.

Reg. Bekynton.

ROBERTUS STILLINGTON.

Successorem Bekintono dedit Paulus Papa Johannem Free, Collegii Baliolensis apud Oxoniam Præfectum. Natus is Londini, & Oxoniæ educatus, exteras Academias visendi studio peregrè profectus, elegantiores literas & utriusque linguæ scientiam haud vulgarem à Guarino Oratore præstantissimo accepit. Dein Medicinam apud Ferrariam, Florentiam & Patavium professus, Romam postremò advenit; ubi summâ eruditionis famâ intercedente maximorum virorum amicitiam nactus, in ipsius adeò Papæ Pauli II. notitiam devenit; & ei nuncupavit nonnullas veterum Græcorum Historias Latinè à se versas. Hoc beneficio devinctus Papa Episcopatum Bathoniensem Bekintoni morte vacantem ipsi jure provisionis contulit. Romæ autem vir doctissimus post mensem ab accepto munere exactum non sine veneni suspicione è medio sublatus obiit. Substituitur Robertus Stillington favore regio. Iste Collegii Omnium Animarum Oxon. alumnus, & Aulæ Profundæ ibidem Præses, Canonicus Wellensis Ecclesiæ admissus est 1445. 2. Aug. Cancellarius Episcopi Well. 1447. 6. Junii (tunc Legum Doctor) Archidiaconus Tauntonensis 1450. 20. April. Canonicus Eboracensis 1451. Decanus Capellæ Regiæ 1460. Privati Sigilli Custos 1461. Decanus S. Martini London. 1463. summus Angliæ Cancellarius 1468. 8. Junii, quo munere usque ad annum 1473. perfunctus est. Canonicè electum & mense Aprili 1465. consecratum fuisse Godwinus perhibet. Contra ipsius Stillingtoni Registrum refert illum ab Archiepiscopo Cant. 1466. 11. Jan. fuisse confirmatum, & à Georgio Archiepiscopo Ebor. apud Westmonasterium in Hospitio Eboracensi consecratum 1466. 16. Martii. Familiæ regiæ Eboracensis cliens, assiduam ac fidelissimam ipsi operam præstitit adversùs Lancastrensem familiam: quod favorem Edwardi Regis & dignitates amplissimas ipsi primùm conciliavit, postmodum autem exitio erat. Anno enim 1475. legationem viro ecclesiastico parum

Bale cent. 8. cap. 38.

Reg. Bekynton.

Reg. Bourchier.

Dugdal. Orig. Jurid. p. 70.

Stow p. 449.

parum convenientem ab Edwardo obire jussus, in Britanniam minorem trajecit, ut Henricum Richmondiæ Comitem, unicum familiæ Lancastrensis hæredem, illi in manus dedi postularet. Impium facinus abhorruit Dux Britanniæ, & innocentem juvenem Regi æmulo in carnificinam tradere recusavit. Importunè Robertus instabat, majori sanè quàm Episcopum in re invisâ deceret diligentiâ usus. Unde Lancastrensium, si quando rerum summam adepti fuerint, vindictam veritus, Eboracensium parti tutandæ strenuam impendit operam; atque adeò ipsius Ricardi sceleratissimi tyranni, qui Edwardi fratris filiis immani parricidio sublatis regnum invaserat, partes propugnare non erubuit. Medio demum anno 1485. sublato tyranno, regnoque ad Henricum Comitem delato, Robertus ab Aulâ relegatus est; nunquam tamen pœnas daturus videbatur, nisi reatum priorem alio posthac crimine cumulâsset. Anno etenim 1486. Lambertus quidam, ex infima plebe juvenis, à Margeretâ Burgundiæ Ducissâ subornatus, & à Willelmo Simonis Sacrificulo Oxoniensi edoctus, ut personam indueret Edwardi Comitis Warwicensis, proximi Eboracensis familiæ hæredis masculini, coronam tanquam lege patriâ ad se spectantem vendicavit, & conscripto ope Margaretæ & Anglorum quorundam Procerum exercitu Angliam invasit. Huic Robertus impensè favit, titulum laudavit, monitis quoscunque potuit ad arma socia concivit, nescio an & præsens suppetias tulerit. Profligatis Lamberti asseclis ineunte anno 1487. Robertus Oxoniam fugiens, ibi tanquam in asylo delituit, se studiorum causâ illuc advenisse præ se ferens. Antiquitus enim Academiæ indultum fuerat, ut nullum ibi studentibus negotium regii ministri facesserent. Id ubi rescivit Rex, datis ad ipsum literis, propediem coram se comparere jussit. Detrectante Episcopo, alias ad Academicos Rex transmisit: velle se ut illum Edwardo Willoughby Sacellano suo ad Aulam regiam deferendum tradant. Renuunt Academici, affirmantes Episcopum studiorum gratiâ secum commorari, nec sine libertatis Academicæ injuriâ tradi posse. Rescribit Rex se omnia Registra consuluisse, nullibi autem ejusmodi privilegium Academiæ indultum invenisse. Tandem precibus & mandatis regiis repetitis factum est, ut Academici Episcopum à nunciis regiis prehendi dissimularent. Prehensus Windlesoram ductus est 1487. mense Octobri, & usque ad obitum in carcere adservatus. Obiit anno 1491. apud Ecclesiam Wellensem sepultus in Capellâ, quam juxta Claustra construxerat, pulcherrimâ. Contigit obitus non quidem (quod vult Godwinus) sub exitum Junii, sed mense Maio. In Libro enim Rubro Wellensis Ecclesiæ reperio Thomam Tinensem Episcopum à Capitulo Wellensi 1491. 15. Maii petiisse licentiam ad exequendum officium circa sepulturam corporis Roberti Episcopi Bath. & Well. nuper defuncti. Thomam istum Sedis Wellensis Suffraganeum à Bekintono Episcopo constitutum anno 1459. fuisse supra memoravimus. Episcoporum iste Wellensium Suffraganeus permansit integris annis 54. Nomen illi erat Thomas Cornish. Præpositus Orialensis Collegii Oxon. factus est anno 1493. Cancellarius Ecclesiæ Wellensis 1499. 17. April. Obiit 1513. 3. Julii.

Antiq. Oxon. par. 1. p. 234.

Reg. Morton.

Reg. King.

RICHARDUS FOX.

Postquam novem ferè mensibus Sedes vacâsset, Ricardus Foxus, Præsul sapientissimus, ab Exoniâ ad Welliam translatus est bullâ Innocentii VIII. Papæ 1492. 8. Febr. ad Dunelmensem Sedem provectus sub exitum anni 1494. Spiritualia Episcopatûs Well. post translationem ejus in manus Archiepiscopi Cant. accepta sunt 1494. 12. Decembr. & penès eundem remanserunt usque ad initium anni 1496.

Reg. Morton.

OLIVERUS KING.

Foxo in utraque Sede, Exoniensi illâ, Bathoniensi istâ, successit Oliverus King,

King, Archidiaconus olim hujus Diocesis Tauntonensis. Spiritualia Episcopatûs Bathon. ab Archiepiscopo accepit 1496. 8. Jan. & in Ecclesiâ Wellensi die 12. Martii inthronizatus est. Translatum fuisse primùm 1495. 6. Nov. Godwinus refert. Bullæ provisionis isto die editæ videntur. Oliverus dirutâ veteri Bathoniensi Ecclesiâ, aliam magnifici operis inchoavit, & ad fastigium ferè perduxit. Manum autem supremam imponere morte immaturâ abrepto non licuit. Quam si absolvisset, Ecclesiam paucis Angliæ Cathedralibus secundam Bathonia habuisset. Multum in eâ Priores sequentes insudârunt, & penè perfecerant; quando sacrilegi quidam, favente temporis iniquitate, laminas plumbeas abripuerunt, & pecuniam ad opus perficiendum collectam interverterunt. Postea quidem virorum piorum devotio damna resarcivit; ita tamen ut Ecclesia hodierna ad magnificentiam ab Olivero Episcopo delineatam neutiquam assurgat. Obiit iste 1503. 29. Augusti, ex fide Libri Rubri Wellensis; cui Registrum Ecclesiæ Cant. parum discordat, obitum mense Septembri obiisse referens. Sedes Cant. tunc vacavit. Quamobrem Spiritualia Episcopatûs Bathon. in Capituli Cant. potestatem devenerunt, Willelmo Archiepiscopo in manus consignata 1504. 24. Jan. Hinc deceptus Godwinus Oliverum isto die obiisse credidit.

Reg. Morton. Liber ruber Well. Camden Britan. p. 171. Reg. Warham.

HADRIANUS DE CASTELLO.

Hadrianus de Castello, homo Italus, Corneti natus, ob eximiam literaturam & elegantem linguæ Latinæ dictionem summopere celebratus, ab Innocentio VIII. Papâ ad componendas Scotiæ turbas anno 1488. legatus, Londinum advenit. Auditâ ibi Jacobi Scotiæ Regis à suis nefariè interempti nece, consedit, & in Johannis Morton Archiepiscopi Cant. notitiam brevi pervenit. Is singularem hominis prudentiam atque eruditionem admiratus, idoneum esse censuit, qui negotia Regis & Ecclesiæ Anglicanæ in Curiâ Romanâ procuraret. Regi ab Archiepiscopo commendatus, provinciam sibi à Rege commissam suscepit, atque ita administravit, ut neque fides neque solertia in ipso desiderari possent. Hujus operâ tum apud Innocentium tum apud Alexandrum Papam Rex diu usus, tandem insigni dignitate remunerandum esse decrevit. Primò itaque Episcopatum Herefordensem contulit, postea Bathoniensem. Ad hunc Rege annuente per Julium II. Papam provisus est 1504. 2. Aug. Presbyterum Cardinalem titulo S. Chrisogoni Alexander VI. Papa ipsum anno superiori renuntiaverat; cùm priùs Quæstor Pontificis in Angliâ primarius & Prothonotarius Apostolicus, authore Baleo, fuisset. Certè isto innotuit titulo, quando Henrici Dene Archiepiscopi Pallium in Angliam anno 1501. attulit. Anno 1504. 13. Octobr. Rex datis ad Oratores suos Romæ agentes literis jubet, ut Hadriano Cardinali Temporalia Episcopatûs Bathon. recepto priùs fidei juramento, tradant. Die 20. Octobr. Hadrianus Spiritualia Episcopatûs per Procuratores suos ab Archiepiscopo accepit; eodemque die apud Welliam intronizatus est per Procuratorem alium. Is erat vir libris conscriptis clarissimus Polidorus Virgilius aliàs Castrellen, Papæ Subcollector in Angliâ. Hic Archidiaconatum Wellensem Hadriani dono postea adeptus, installatus est 1508. 6. Febr. & integram dehinc ætatem in Angliâ exegit. Certè decretis Synodi Anglicanæ medio anno 1536. de abrenunciando suprematu in rebus Ecclesiasticis Papali & regio agnoscendo, aliisque religionis articulis, præsens subscripsit. Subscriptionem ejus autographam vidi. Ut ad Hadrianum autem redeamus; ille elocato Anglis redemptoribus & postremò Cardinali Wolseio Episcopatu Bathoniensi, Romæ suaviter sese oblectavit, immensis adquisitis divitiis, adeò ut Opulenti Cardinalis titulum obtineret. His divitiis Alexander Papa inhians, hominem unà cum aliis quibusdam Cardinalibus veneno decrevit tollere. Ad cœnam igitur invitatis vini veneno infecti lagenam præparavit. Fatali autem pincernæ errore ipse

Bale cent. 13. cap. 44. Hall. Chron. p. 5. f. 20. Reg. Warham. Jocelin p. 302. Reg. Warham. Lib. ruber Well. Cavendish in Vitâ Walseii, c. 4.

ipse vinum sceleratum hausit, & interiit 1503. 18. Augusti. Alexandri insidias Hadrianus effugit; suâ tamen ambitione exitium sibi tandem conscivit. Ingenii enim & opum suarum viribus fretus Pontificatum ambire cœpit, ejusque adipiscendi spem conceperat ex fatidicæ mulieris vaticinio, quæ cum pleraque ipsi de rebus futuris interroganti vera prædixisset, *affirmavit fore, ut Leone Papâ morte immaturâ sublato succederet vir senex nomine Hadrianus, obscuro loco natus, literarum studiis insignis, qui sacros honores solâ nixus virtute sine ullâ majorum commendatione meruisset.* Hæc omnia sibi adamussim congruere ratus, Hadrianus fortunæ suæ deesse noluit. In Leonis itaque caput cum Alphonso Petruccio Cardinali aliisque conjuravit, necem ei per venenum molitus. Conjuratione detectâ Petruccius capitali pœnâ affectus est; reliquis data vitæ spes, modò scelus admissum liberè confiteri vellent. Factâ ejusmodi confessione Hadrianus & reliqui conjuratores vitas redemerunt; gravi tamen pecuniâ multati sunt, & Cardinalitiâ dignitate exuti 1518. 2. Julii. Haud constantem tamen forè Leonis fidem de conservandâ vitâ Hadrianus suspicatus, brevi pòst messoris habitu urbe clam aufugit; & locis incertis delitescens, nusquam postea comparuit. Sagæ oraculo (ne id taceam) fides nequaquam deerat. Pontificalem enim thronum post Leonem conscendit Hadrianus Batavus, vir obscuri generis, literaturâ autem insignis & annis gravis. Nostri Hadriani in Episcopatu Bathoniensi post Thomæ Tinensis obitum Suffraganei erant Thomas Lacedæmonensis, Thomas Solubriensis, & Johannes Majorensis Episcopi.

Guicciardin Hist. Ital. l. 6. p. 201.

Jovius in Vitâ Leonis l. 4. p. 77.

Id. p. 75.

Regiſtr. ejus.

THOMAS WOLSEY.

Hadriano dignitatibus ecclesiasticis nudato, magnus ille Cardinalis Thomas Wolseius, Archiepiscopus Eboracensis, Episcopatum Bathoniensem sibi à Leone Papâ jure provisionis delatum 1518. 30. Julii suscepit, Temporalibus à Rege acceptis die 28. Augusti; & usque ad Aprilem anni 1523. Commendatoris titulo administravit.

Reg. Warham. Pat. 10. H. 8. par. 1. Reg. Wolsey. Well.

JOHANNES CLERK.

Wolseio substitutus est ipsius in Curiâ Romanâ Procurator ac Regis Orator Johannes Clerk, Legum Doctor, Decanus Windesoriensis; qui Rotulorum custodiam 1522. 20. Octobr. sibi à Rege commissam acceperat, & secretioribus consiliis ante annum 1520. admotus fuerat. Huic Leo Papa Bullas provisionis contulit 1523. 26. Martii. Ipse plures post acceptum Episcopatum annos legationibus pro Rege obeundis exegit. Ab anno ferè 1523, ad 1527. in Galli Regis Aulâ Legatus resedit. Anno 1527. Angliam reversus, rebus maximis gerendis adhiberi non desiit. Suffraganeos interim sibi constituit Willelmum Abbatem de Bruton Majorensem Episcopum, & Thomam Abbatem de Monteacuto Solubriensem Episcopum. Anno 1533. in Synodo totius Cleri præsens, suffragium pro matrimonio cum uxore fratris defuncti licitè ineundo solus ex Episcopis tulit. Anno 1540. ad Clivensem Ducem legatus, ut Annæ sororis ab Henrico Rege repudiatæ rationem redderet, veneno (ut perhibent) in Germaniâ infectus, non sine gravi difficultate sub exitum anni repatriavit, & Londini obiit 1541. 3. Januarii, in Monialium Cœnobio ibidem sepultus. Suffraganeus illi datus fuerat Willelmus Finche, Prior de Bremar, titulo Episcopi Tauntonensis consecratus 1538. 7. April.

Polydor. Virgil. lib. 27. Act. Concil. H. 8. Reg. Warham. Hall. par. 6. f. 158. Regiſtr. ejus. Hiſt. Reform. 1. p. 129. Weaver Monum. p. 427. Reg. Cranmer.

ADAMI DE DOMERSHAM
Monachi Glastoniensis,
Historia Controversiæ
Inter Episcopos Bathonienses & Monachos Glastonienses.

HEnricus de Juliaco, Abbas Glastoniæ à Ricardo I. Rege factus, priùs fuit Prior de Bermondsey; vir de regiâ stirpe progenitus; quem laudare non vererer, si sese apposuisset in protectionem domûs Dei Israel, & non sicut mercenarius videns lupum fugisset. Hic teras Ecclesiæ suis impendens, multaque contra voluntatem Conventûs attemptans, eorum provocavit indignationem; sicque oriuntur odia & detractationes. Interim Richardus Rex Jerosolimam proficiscitur anno secundo regni sui. Anno deinde tertio pòst rediens, à Duce Ostricensi captus est, & Imperatori ut Domino suo traditur. Savaricus quidam erat circa Imperatorem, consanguineus ejus & Cancellarius; qui à Rege jam vincto obtinuit Episcopatum Wellensem; eò quòd ei multas impenderet humanitates & obsequia. Et quoniam Episcopatus non videretur sufficere, quùm esset ambitiosus & prodigus; petiit etiam Abbatiam Glastoniensem in suo Episcopatu sitam. Ad Imperatoris preces Rex concessit, in arcto positus, maximam partem regni sui si sic peteret concessurus; ut postea liber testabatur; datâ tamen Regi villâ Bathoniæ in excambium pro Abbatiâ. Quam concessionem sic à Rege extortam à Cœlestino Papâ tunc senio confecto, præmissâ multiplici falsâ suggestione, confirmari sibi obtinuit, Abbate & Conventu Glastoniæ totum hæc penitus ignorante. Ut autem citiùs Monasterium invaderet Savaricus, Henricum Abbatem spe magnæ promotionis in Alemanniam ad Regem accersiri procuravit. Qui ante Festum S. Petri ad Vincula, comitatus Eustachio Cumin Monacho & Ricardo de Beverlaco, ad Regem profectus venit apud Agenoye; & in die S. Ægidii ab eo receptus est in osculum pacis, hoc dicente. Si priùs venisses chare cognate, priùs liberatus fuissem; & ut citò sim liber, oportet dare Savarico in augmentum Episcopatûs sui Abbatiam Glastoniensem; ad quod me arctat Imperator, procurante Savarico cognato suo. Verùm hoc solatium habebo, in excambium urbem Bathoniæ; quæ, ut dicitur, valet annuatim centum libras; & providebitur tibi in Episcopatu Wigorniensi, qui modò vacat. Jussitque, ut Savaricum hac de re conveniat. Recessit igitur in Angliam, præmissis servis, ut omnia mobilia quæ possent Glastoniæ venditioni exponant. Ipse statim post Festum S. Michaelis rediit, atque moratus est usque ad Adventum Domini: Conventu istarum rerum penitus ignaro. Posthæc Savaricus impetrato à Rege, Cantuariensi Archiepiscopo Huberto, & Willelmo Eliensi, aliisque Magnatibus literis supplicatoriis ad Papam de uniendo Bathoniensem & Glastoniensem Ecclesias, suggerendo quòd inimicitiæ quædam perpetuæ inter illas alioquin sopiri nequirent; ad Cœlestinum Papam senio confectum nuncios misit. Henricus parum ante Adventum Domini Londoniam vocatus est. Quo profecto, Haraldus Prior Glastoniæ cum Roberto de Wanton & Johanne Cusinton Monachis ad vocationem Savarici venit Bathoniam; à quibus petiit ubi esset eorum Abbas. Respondent, Londini. Absoluti estis, inquit, ab eo; & ego sum Abbas vester. Eodem die anno

anno MCXCII. venerunt nuncii Savarici Glastoniam Magister R. de Lechelade & R. Capellanus; & domum cum omnibus pertinentibus authoritate Regiâ in manus Savarici seisaverunt, prudenti usi consilio, Priore jam absente tunc capite. Eodem tempore saisita est pro Rege urbs Bathoniæ in argumentum Simoniæ evidens. Prior reversus inveniens ministros Savarici omnia regentes in Conventu, Sedem Apostolicam appellavit; appellationemque suam scriptam super altare B. Andreæ apud Welles posuit sub hac formâ.

'Sanctorum Patrum & sanctorum Canonum statuunt sanctiones; quòd 'cùm Ecclesiarum jura & libertates longissimis temporibus obtenta in suâ de-'bent stabilitate firmiter conservari, nec ullius impulsione aut molestiâ ali-'quatenus immutari. Ecclesia siquidem Glastoniæ à primâ fundatione suâ in 'statu Abbatiæ noscitur constituta; & hunc statum longissimis retro tempo-'ribus obtinuit; & ipsam in eodem statu suo Romanorum Pontificum vene-'randa clementia suis multipliciter privilegiis communivit. Et quoniam 'Dominus Bathoniensis pro voluntate suâ præfatæ Ecclesiæ statum contra Ro-'manorum Pontificum privilegia nititur immutare; quoniam ipsius Ecclesiæ 'maximum detrimentum imminet & gravamen; nos Monachi Glastonienses 'unanimi consensu totius Capituli Sedem Apostolicam appellamus: nos & 'antiquum Ecclesiæ nostræ statum, jura, libertates, privilegia sub protecti-'one beatorum Petri & Pauli & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ponentes; ne 'aliquatenus immutetur, aut juri ipsius aut libertati vel privilegiis in aliquo 'derogetur; & ab istâ Ecclesiâ quamprimum appellamus.

Abbas Henricus Londoniam veniens, statim eligitur Episcopus Wigorniæ; & paulò pòst Dominicâ tertiâ Adventûs Domini fuit consecratus. Glastoniam deinde rediens, die S. Thomæ Apostoli divina celebravit, à ministris Savarici officiatus. Post duos dies Wrimpton adiit, & inde Wigorniam; ubi haud multò pòst obiit. Rex Richardus eodem anno in Quadragesimâ domum venit; & ad Pascha Wintoniæ coronam portavit anno sexto regni sui: quò venit Haroldus Prior cum aliquot Monachis. Cui occurrit Cancellarius Willelmus Eliensis Episcopus, qui Savarico favebat, dicens. Multum fuit litigatum in Alemanniâ inter Henricum & Savaricum; & ad tollendas lites Rex consilio Archiepiscopi & aliorum Romam misit ······ Episcopum & Decanum Eboracensem ad Curiam; ut Ecclesia vestra & Bathoniensis unirentur. Expectate igitur donec nuncii revertantur. Qui si obtinuerint, inanis est labor vester. Sin minùs; revertimini, & consilio Regis utimini. Eodem anno Rex in Normanniam transivit; ad quem missi sunt duo Monachi à Conventu, ut ad pristinum statum reducere ad Abbatem dignaretur. Quibus benignè responsum; quòd de hoc libenter cogitaret tempore opportuno: multùm enim ei displicere, quod vi mortisque metu fecerat. In Quadragesimâ sequenti Savaricus Turonis existens recepit privilegium Cœlestini de uniendis Ecclesiis ad vitandam discordiam, & cum eo literas executorias Archiepiscopi Cantuariensis, quas simul misit in Angliam ad Decanum Wellensem, ut Hubertum Archiepiscopum supplicaret, ut mandatum Apostolicum exequeretur. At Archiepiscopus negotia simulans rem prolongavit; sed Autumno sequenti Decanus & nuntii venerunt Glastoniam; ubi privilegium Priori & Monachis legerunt multùm confusis. Fit Capitulum die sequenti super his; & in die S. Matthæi miserunt Jordanum de Spinowas Subpriorem cum Ricardo Cantatore & Henrico Infirmario Wellias appellantes Sedem Apostolicam pro se & Ecclesiâ suâ super hoc facto; terminum appellationis suæ præfigentes in Festo Petri & Pauli, exhibentes Decano appellationem in scripto. Et paulò pòst Londinum profecti, idem fecerunt coram Archiepiscopo, Episcopo Sarum. & aliis. Savaricus his auditis ipse Romam advolat cum regiis literis supplicatoriis pro se (si de conscientiâ Regis nescio) ubi inhibitionem obtinuit, ne Monachi Abbatem eligerent; quam per

 nuncios

nuncios suos Magistrum Arnulfum & Willelmum Subdecanum Wellensem Decano Wellensi transmisit; qui eam statim Glastoniam misit Monachis publicandam in Februario tribus annis post abscessum Henrici Abbatis. Prior non fuit domi: literæ oblatæ sunt Subpriori, qui absente Priore negavit se recepturum. Publicè igitur leguntur; Monachi verò recesserunt audire recusantes. Prior postridie reversus, Subpriorem ad Archiepiscopum mittit ad renovandam coram ipso appellationem. Interrogavit is, num priorem appellationem essent prosecuti? Negant illi. Quibus Archiepiscopus: Vos vultis somniando negotia perficere; sed Savaricus non dormit. Jamdudum possessionem habuisset; ni ego me exposuissem. Interim Savaricus obtinuit literas executorias Archiepiscopo; ut Monachi de cætero Bathoniensi Episcopo talem exhiberent obedientiam, qualem solent Abbati; & quòd responderent Hugoni Clerico & Bardulfo de Ivorâ Militi procuratoribus ejus in spiritualibus & temporalibus, donec ipse veniret. Veniunt cum his literis Glastoniam Hugo & Bardulfus; publicè legunt. Putant Monachi optimum factu esse ad tempus cedere malis, expectantes Dei gratiam. Mandato igitur Papæ & Archiepiscopi parent; recipiunt procuratores Hugonem & Bardulfum; administratores regii illis cedunt.

Monachi igitur inermes, consilii inopes penuriâ expensarum in negotio hoc tepidi devenerunt. Savaricus interim multis modis in eos sævit; quoscunque eorum negotia sua procurantes suos fugitivos appellavit, capiebat, spoliabat & miserè tractabat, maximè defuncto Rege Richardo. Eos tamen interim plurimùm adjuvavit M. Martinus de Suremis; qui transformato habitu pro illis sæpe transiit mare, & per invia insidias vitans Curiam Romanam petiit; & illic negotia Conventûs per amicos cognatosque suos huic admodum præsentes egit suis sumptibus de proprio patrimonio. Huic obtulit Savaricus, ut infeudaret ei Manerium de Domersham; si cessaret à defensione Monachorum. Verùm vir constans moveri non potuit nec corrumpi. Circa idem tempus mittuntur ad Regem Richardum in Normanniam à Monachis, quùm Savaricus inductus esset in possessionem, Johannes de Lusinton & Willelmus Pica; ubi accepto responso benigno, Johannes Glastoniam rediit. Willelmus Romam cum regiis literis de hac re supplicatoriis ad Cœlestinum Papam proficiscitur; & ut Savarico contradiceret, ibi moratur; conversione novitius, professione Medicus. Interim discursum est utrinque à Savarico & Conventu jam ad Regem, jam ad Archiepiscopum cum querelis. Interim Johannes Cusington & Eustachius Cumin Monachi à Rege è Normanniâ redeunt, quò missi fuerant, literas regias Justiciariis suis deferentes; in quibus continebatur, quòd Abbathiam Glastoniæ in manus regias reciperent: quod & factum est ad Festum Decollationis S. Johannis. Savaricus advolat ad Archiepiscopum Cant. supplicat ut curaret ut mandato Papæ obediretur. Obtinet literas Conventui inhibitorias ut antea; quas detulerunt Decanus Wellensis & Prior de Briwedon parum ante Nativitatem B. Mariæ & publicè legerunt. Ad Festum Michaelis rediit Româ Willelmus Pica. In viâ scripsit Priori se obtinuisse quod petebatur. Voluit mitti ad se Johannem & Eustachium Monachos; ut secum Regem adirent: quod factum est. Deinde Glastoniam reversi dixerunt se obtinuisse tum alia, tum ut Abbatem eligerent; literasque à Rege ad Papam Innocentium mortuo jam Cœlestino; quòd metu mortis vel carceris ad priora coactus esset, aliasque literas ad Cardinales amicos. Ita ad electionem consentiunt Monachi, ut eorum esset Abbas Willelmus Pica. Mittitur ad Scaccarium Regis Haroldus Prior cum aliis, ut confirmaretur. Postridie quo illi discesserunt, venit Glastoniam à Savarico Magister Alanus Officialis & Nicholaus de Lovers, denuntiantes Monachis, quòd Savaricus Episcopus in Manerio suo de Melvers excommunicaverat Willelmum Picam & fautores ejus. Postridie igitur Jordanus de Spiner-

Spinerwaus, Robertus Giffard, Ricardus de Stelesey venenum inclusum aperientes appellaverunt; ne aliqua fieret electio contra privilegium Savarici. Subprior eos in carcerem conjici jussit: recantant cæteri; solus Jordanus contumax in carcerem detruditur, ibidem per xx. hebdomadas & plures custoditus. Willelmus Prior Glastoniæ rediens ut Electus recipitur; qui evectus magnam cœpit exercere authoritatem, externis talliam ruricolis imponendo difficilem, internis subtrahendo à ministris quæ Savaricus concesserat ad gratiam impetrandam. Unde magnam statim incurrit indignationem.

Interim Savaricus electionem authoritate literarum Papæ cassavit; Electum excommunicavit, ac Pandulpho Legato Papæ & Archiepiscopo Cant. literas obtinuit, quas fecit promulgari per omnes Ecclesias. Willelmus electus à die S. Nicholai ad Purificationem B. Mariæ Glastoniæ omnia præsens regebat. Tunc in Normanniam ad Regem Richardum cum aliquot Monachis transivit, inde Romam, ubi moratus est usque ad mortem Regis, quæ citò pòst evenit. Interim Eustachius Rothomagi à Savarico comprehensus in carcerem conjicitur; eodem tamen die ab Archiepiscopo liberatus Glastoniam revertitur. Die Jovis ante Dominicam Passionis Decanus Wellensis literas deferens, quòd Archiepiscopus interdicebat Monasterium, excommunicabatque Priorem & totum Conventum, quia communicaverant Willelmo Picæ contra privilegium Savarici. Qui interdicto parentes, miserunt ad Archiepiscopum pro absolutione. A quo mittuntur literæ Abbati de Schirburne & Abbedesbery; ut illi Glastoniam cum aliquo Clerico Episcopi receptâ à singulis juratoriâ cautione quòd starent mandato Ecclesiæ, eos absolverent, reservata sibi correctione: quod & factum est ad Pascha. Die octavo pòst venerunt Glastoniam Abbates de Malmesburye & Evesham cum authoritate ab Archiepiscopo; qua excessus correxerunt, & ut dehinc Savarico obedirent mandârunt. Moritur Rex Richardus: Savaricus obtinet à Johanne possessionem Glastoniæ; procurante etiam Archiepiscopo Cant. & aliis obtinuit incathedrari ibi. Venit Glastoniam Savaricus in die Pentecostes in manu validâ, non sicut decuit Pastorem. Et cùm non admitteretur à Monachis; fecit ostia confringi, etiam seras Ecclesiæ & Thesaurarii; arreptis vestimentis fecit indui Canonicos Wellenses & alios Sæculares; & processionaliter in Ecclesiam introductus est; occurrentibus viii. Monachis, sc. Jordano de Spinerwaus, Eustachio Camerario, Ricardo de Selesiâ, & aliis Ecclesiæ proditoribus. Et illic est intronizatus. Omnes verò reliquos Monachos, qui appellaverunt, ab Ecclesiâ fugatos eliminavit; totâ die illâ & nocte Claustrum cum manu armatâ gladiis extractis & fustibus obsedit; nec aliquos præter illos octo admisit, præter Infirmarium; ubi inclusos excommunicatos denuntiavit, fameque punivit, nec aquam illis concessit. Postridie omnes in Capitulum vocavit, ubi præstitâ cautione absoluti sunt, & præsentibus multis etiam Laicis verberati sunt; quibusdam metu aliis blanditiis se subjicientibus. Reliquos renitentes gravissimis calumniis & damnis lacessivit. Extorsit tamen subscriptionem proprii nominis ab unoquoque vi; & scriptum sigillo Ecclesiæ communivit. Priorem Haraldum & fideles degradavit; aliosque suos fautores eorum loco substituit, recepto fidei juramento. Jacobum quendam Priorem fecit; qui tempore Henrici Abbatis à Prioratu ob scelera degradatus fuit.

Die Commemorationis S. Pauli sequente Glastoniam ad Capitulum venerunt Willelmus de S. Fide Præcentor Wellensis, Thomas Dinant Subdecanus, Jocelinus postea Episcopus, Johannes de Ronâ, cum multâ manu Laicorum, ad enervandam Monachorum constantiam. Monachi nec metu nec blandimentis cedentes, timore in Ecclesiam fugientes se ad Altaris officium præparabant, sacris induti vestibus; i. e. Stephanus de Marisco, Walterus Niger, Henricus Bagge, Willelmus de Abbedeston tunc Diaconi, Galfridus de Langeport

geport Subdiaconus; qui à prædictis Clericis vi comprehensi sunt juxta Altare. Stephanus crucem tenens per virilia inhoneste est arreptus, eodem Willelmo præcipiente semetipsum per alios abstrahi; ut Stephanus sine violentiâ Laicorum sit violenter abstractus. Monachi præfati in carcerem sunt conjecti; vesperè verò Welliam adducti sunt in jumentis: ubi per octo dies in carcere fuerunt cum ludibrio & opprobriis; post ad diversa Monasteria sunt transmissi. Mittuntur interim à Monachis Romam Willelmus de Abbedeston & Magister Adam Monachi, & M. Martinus de Suremis Clericus; qui à servis Savarici Episcopi extra Wintoniam sunt comprehensi, equis & pecuniâ spoliati, in compedibus sunt detenti. Evasit tamen callidè Magister Martinus; reliqui duo ad diversa Monasteria missi. Conventus his intellectis, eorum loco mittit Eustachium & Philippum de Pisâ; qui Londini à Savarici ministris intercepti sunt. Liberati verò tandem, Eustachius ad Regem transfretavit; Philippus cum Martino Romam adiit; ubi dicitur Willelmum Picam & confratres ante eorum adventum fuisse mortuos.

Vacante Ecclesiâ de Strete, Monachi Magistrum Martinum de Suremis præsentabant. Savaricus verò dedit eam Johanni Chaurt. Mittitur à Mochis Thomas de Edinton, qui Ecclesiæ de Strete pro iis acciperet possessionem corporalem: Henricus Bagge etiam de Capellâ de Wanton. Sed Ministri Savarici ita eos tractabant; ut Thomas inde dicatur interiisse: Henricus in compedibus detentus, donec juraret se contra Savaricum nunquam quicquam acturum. Interea Willelmus Pica literas revocationis super excommunicatione in se & suos impetravit. Savaricus verò omnibus rebus dispositis Romam proficiscitur; quem secuti sunt Monachi Jordanus de Spinerwaus, Reginaldus de Pewton, & Wazo; ubi lis utrinque agitata est seriò. Tandem verò Innocentius electionem Willelmi Picæ cassavit; & ad ministros Savariei mandatum misit, ne Monasterii bona dilapidarent. Interim Willelmus Pica litem sequens veneno, ut dicitur, à Savarico procurato tollitur è medio cum quibusdam collegiis suis. Obtinet literas Innocentii Savaricus; ut obediant ei Monachi.

Interim Savaricus, ne Monachi suas procurationes consignarent, sigillum Capituli Abbati S. Augustini de Bristoll & Priori Glocestriæ commendavit. Monasterium jubente etiam Papâ interim in manibus Huberti Archiepiscopi & Eustachii Episcopi Eliensis mansit. Interim M. Martinus de Suremis obtinuit literas Pontificis ad Judices delegatos; ut inducerent Savaricum ad satisfaciendum Monachis de omnibus injuriis & damnis eis ab eo illatis infra duos menses; alioquin Monasterium ad statum antiquum reducerent. Monachi verò dolo Savarici circumventi literas has minimè prosequebantur, qui singulis & universis humiliter scripsit, multaque promisit. Judices autem variis modis impediti, mandatum minimè exequebantur: quapropter aliud etiam mandatum Apostolicum receperunt. Quare partes convocatæ sunt ad S. Albanum die Jovis post Nativitatem B. Mariæ; ubi constitutum est, ut possessionum pars cederet Episcopo Savarico, reliquum Monachi tenerent; *& multa alia, quæ admodum prolixè in exemplari declarantur.*

Thomas Haroldus iterum fit Prior. Savaricus verò haud multò pòst diem clausit extremum anno MCCV. & Pontificatûs sui xiii. Monachi igitur respirantes, de reformatione Papam sollicitabant. Rex etiam Johannes & Magnates hoc ipsum literis postulabant; etiam Ecclesia Wellensis, ut lite vacaret. Interim Thomas Prior Glastoniæ multa optimè constituit & fecit. Jocelino verò Wellensi, fratre Hugonis Lincolniensis Episcopi, Episcopo Bathoniensi constituto, Monachi Glastoniæ contra eum ad Papam scripserunt; quia tempore Savarici semper strenuissimè contra eos laboraverat. Thomas Prior Romam proficiscens anno MCCXV. Trecis moritur; cui successit Eustachius Cumin, vir pius & prudens. Interim perpetua fuit contentio cum

cum Jocelino Episcopo in Curiâ Romanâ & domi. Tandem verò fit pax mandato Honorii Papæ; compositioque facta Romam defertur à Willelmo Capellano & Michaele de Ambresbery Monachis ad confirmationem. Quibus Glastoniam reversis in Octavis Petri & Pauli, die B. Grimbaldi Willelmus in Abbatem eligitur. Quem Bathoniensis à Conventu sibi præsentatum tanquam Patronus admisit in Vigiliâ Translationis S. Benedicti; & in crastinò eundem benedixit tanquam Diocesanus anno MCCXIX. Forma verò concordiæ factæ fuit ista: ut remaneant Episcopo & successoribus suis in perpetuum Maneria de Wynescumb, Pokeleschirche, Blakford & Cranemere, cum omnibus suis pertinentiis. Ad Monachos verò reverterentur Maneria subscripta de portione ipsius Episcopi, quam prius habuerat, viz. Mere, Bokelond, Kinton, Cristmaleford, Badbury, & Assebury, exceptis advocationibus Ecclesiarum eorundem Maneriorum, præterquam de Mere. Acta sunt hæc anno Domini MCCXVIII. in Octavis S. Johannis Evangelistæ. His ita peractis, Willelmus & Michael Monachi versùs Curiam Romanam iter arripuerunt; ubi unionem prædictam penitus dissolvi, & liberam facultatem Abbatem eligendi juxta regulares observantias impetraverunt; privilegio & aliis literis super unione per Episcopum obtentis penitus irritatis. Revocationem quoque privilegii de usu ornamentorum Pontificalium & vestimenta sacerdotalia benedicendi per Papam Cœlestinum priùs concessi pro Abbate obtinuerunt. Et ita Monasterium Glastoniæ, quod privatum fuerat dignitate Abbatiæ anno MCXCII. usque ad annum Domini supradictum videlicet MCCXVIII. per xxvi. annos, per dictum Dominum Papam Honorium restitutum est, quamvis non in toto, ad statum pristinum, sub regimine Abbatis gubernandum. Willelmus Abbas electus anno MCCXIX. obiit anno MCCXXIII. die xiv. Cal. Octobr. sepultus in Capitulo. Monachi quùm convenire non possent de electione Abbatis, judicium ad Davidem Abbatem S. Augustini Bristoll, Ægidium Priorem Cartusiensem, & M. Willelmum de Bardeney Archidiaconum Wellensem agente Jocelino, qui tunc præsens erat, remiserunt: protestantes nihilominus se Robertum Priorem Bathoniæ sponte non admissuros. Willelmus de Bardeney promisit se nullo modo in eum consensurum. Tunc, inquit, malam guttam mihi imprecer. Hac spe seducti Monachi, de compromissione literas suas patentes eisdem fecerunt. Jocelinus verò Episcopus Bathoniensis electores inclinans, Robertum tunc multis renitentibus Monachis Abbatem procuravit; eundemque in Ecclesiâ Bathon. benedixit die xxi. Octobris, virum sanè civilem, modestum, pium & bonum. Willelmus verò Bardeney postea apud Domersham guttâ periit.

Robertus Abbas multum, ut statum antiquum Monasterii revocaret, laboravit; multaque obtinuit privilegia; & Monachos in summam religionis arcem provexisset, si per discordias licuisset. Sed Monachi, qui coacti receperunt, eò quòd Capellanus Savarici eorum subversoris fuerat, ejus imperium ægrè tulerunt. Abbas è contrario minùs eis cedebat. Monasterium igitur ita divisum continuò incurrit dispendium; olim dispersa revocari cessatum, possessa minimè strenuè defendere. Tandem verò senex considerans regimen detractantium jugum non obtemperantium, saluti suæ & eorum quieti consulens, sponte se de regimine deposuit die Jovis hebdomadâ Passionis anno MCCXXXIV. Calendis Aprilis, cùm præfuisset annis quasi xi. & reversus est Bathoniam. Et provisum fuit ei singulis annis, quoad vixit, de lx. libris auri. Michael de Ambresburye successit, die Martis sequenti unanimi omnium consensu electus, die S. Marci benedicitur à Jocelino Episcopo Bathoniensi anno MCCXXXV. Maximos conflictus habuit cum Jocelino Episcopo Wellensi, & eo mortuo cum Rogero Præcentore Bathoniensi successore suo, tum pro aliis rebus tum pro iv. Maneriis & advocatione vii. Ecclesiarum; quæ missis Romam Roberto de Pereton & Willelmo de Briton Monachis

chis Papali decreto non obtinuit. Interim mortuo etiam Rogero Episcopo Bathoniensi, successit Willelmus de Bucton Archidiaconus Wellensis; cum quo certatum etiam est, sed frustra. Michael Abbas plurima ornamenta contulit Ecclesiæ. Tandem cùm senio gravaretur, & caligine oculorum se ineptum regimini reputans, & requiem expetens, Abbatiam in manus Willelmi Bathoniensis Episcopi resignavit anno MCCLII. Calend. Martii; qui quidem Episcopus illi cameram cum Capellâ & horto infra septum Monasterii cum aliis pluribus commodis constituit anno MCCLII. cùm sedisset annis ferè xviii. Memorandum, quòd Episcopus in cessione Abbatis nihil omnino abstulit de instauro aut aliis rebus Abbatiæ.

Rogerus de Forde, Glastoniæ oriundus, loci tunc Camerarius, successit, ætate provectus, literatissimus, facundissimus, eâdem hebdomadâ electus quâ cessit Michael, iv. Nonas Martii, benedictus apud Wellas vii. Id. Martii. Qui licèt antea Wellensibus devotus, Abbas factus strenuè contra eos jura Monasterii defendit. Unde non permittens Episcopum medium fieri inter ipsum & Regem sicut priùs, debita servitia Regi per suos immediatè ministrare voluit; unde lites maximæ oriuntur. Renovavit etiam planctum prædecessoris sui de iv. Maneriis & vii. Ecclesiis. Quod quùm jam ad terminum ducere sperâsset; morte præposterâ interemptus est apud Bromlegh manerium Episcopi Roffensis anno MCCLXI. vi. Non. Octobr. & Londini apud Westmonasterium sepultus est.

Robertus de Pereton, undè etiam oriundus erat, successit, à Conventu unanimi consensu electus mense Novembri anno MCCLXI. Vir ætate mediocris, &c. Memorandum, quòd defuncto Willelmo primo Episcopo Bathoniensi dicto de Bucton, successit Dominus Walterus Giffarde, Regis Henrici amicissimus; qui factus est statim regni Angliæ Cancellarius. Hic impetravit literas regias; quòd non obstante deadvocatione, qua Rogerus Abbas Glaston. se deadvocaverat se tenere feuda vel aliquid aliud de Episcopis Bathon. Episcopi Bathonienses medii essent inter Regem & Abbatem Glastoniæ; & dicti Abbates forent intendentes Episcopis tanquam Dominis & patronis suis. Quibus Abbas multis laboribus & expensis obviare conatus est; vi tamen regiâ compulsus est pacem cum Episcopo facere & componere, quamvis non ad libitum. Nam per hanc Compositionem remanserunt Episcopo iv. Maneria & advocatio vi. Ecclesiarum. Quam compositionem licèt idem Episcopus & Willelmus successor illius expeterent totis viribus in Curiâ Regis chirographari; tamen nunquam ad effectum pervenire poterant, pro eo quòd Dominus Edwardus Regis Henrici primogenitus contra eandem pacem & compositionem factam viriliter resistebat. Nec multò post idem Edwardus adiit Terram Sanctam, Rex verò Henricus obiit xvi. Cal. Dec. anno MCCLXXIII. Abbas autem phtisi laborans, sentiensque finem imminere, audiens quòd Dominus Edwardus novus Rex patronatum Glastoniensis Monasterii sibi libenter applicaret, misit Fr. Johannem de Taunton ad Regem trans mare ad illius explorandum beneplacitum; accepitque mandatum ab eo, quòd à nullo alio præterquam ab ipso eligendi Abbatem licentiam postularent. Revertens verò in Vigiliâ Paschæ, Abbati adhuc viventi omnia declaravit; qui nocte sequenti mortuus est. Quo die Mercurii pòst cognito, Senescalli Episcopi ceperunt fidelitatem ab omnibus ministrantibus infra curiam; unicuique eorum aliquem adjungentes; & per maneria singula singulos Baillivos ordinantes. Quo etiam die Fr. Adam de Domersham in formâ debitâ appellavit pro statu Monasterii. Et eâdem die circa vesperam venit Dominus Johannes de Musseres, custos Castri Bristolliæ, nomine Regis ad capiendam seisinam Monasterii; cui facilè patuit ingressus, fugientibus Episcopalibus universis. Mansit illic per x. dies; reliquitque Gaufridum Foliot custodem nomine Regis. Post quindenam profecti sunt ad Regem ultra mare Fr. Paulus & Johannes

nes de Taunton pro licentiâ eligendi. Quibus reversis cum licentiâ, venerunt nuntii Wellenses fortiter appellantes. Verùm Fratres unanimi consensu elegerunt in Abbatem Johannem de Taunton. Publicatâ igitur electione, missum est decretum electionis Diocesano Episcopo; ut eum confirmaret, & electo munus benedictionis impenderet. Signata fuit etiam litera Domino Regi mittenda, supplicando ut electioni factæ regium præberet tanquam Patronus assensum. Nuncii igitur Conventûs cum suo Electo iter arripuerunt versùs Dominum Regem. Ad quem cùm pervenissent; ipsam electionem acceptans eidem consensit; atque diem eis præfixit, quâ comparerent coram eo in Angliâ, die octavo Assumptionis B. Mariæ. Interim mandavit Dominus Rex Episcopo Bathon. seu ejus locum tenenti; quòd eodem similiter die compareret, ut quod sibi competere videret in hac parte exequeretur.

Johannes de Taunton, Doctor in Theologiâ, Abbas electus Glastoniæ, & Decanus Wellensis coram Rege apud Windleshores die dicto cum omnibus Wellensibus [comparuit.] Ubi judicatum est Regem esse patronum; & Electus admissus est ab eo tanquam à vero patrono; qui cum literis regiis procuratores Episcopi adivit, petens munus benedictionis; qui post moram reverso Episcopo, ad eum referebant rem. Verùm Episcopus responsis frustratoriis tempus protraxit, donec circa Festum S. Andreæ mortuus est. Petivit igitur benedici Electus ab Archiepiscopo Cant. ad quem devoluta est. Qui causâ ventilatâ electionem cassavit die Veneris proximâ post Festum S. Valentini anno MCCLXXIV. tum quia Electus munus benedictionis non quæsivit infra tempus à jure statutum, tum quia non fuit petita licentia à quo deberet. Attamen de officio suo providit dicto Monasterio de dicto Fr. Johanne de Taunton; & in Abbatem eum benedixit anno MCCLXXIV. Et eodem die Archiepiscopus Robertum Electum Bathoniensem consecravit, retentâ tamen sibi potestate benedicendi Abbatem. Post hæc significavit Archiepiscopus Domino Regi literis suis patentibus; quòd providerat Ecclesiæ Glaston. de Abbate & Pastore; rogans ut eidem Abbati Temporalia Abbathiæ suæ restitueret, quæ in manu suâ tenebat nomine custodiæ secundùm consuetudinem regni sui. Verùm quia Dominus Rex Robertum jam in Episcopum Bathon. consecratum, quem sibi à primâ juventute amicissimum & familiarem habuerat, ex amissione patronatûs Monasterii Glaston. perpendit turbatum; volens ejus animum qualitercunque refocillare, liii. libras, quas ex Bertonâ Bathon. & de Cungresbury annuatim percipere solebat, in augmentum sui Episcopatûs dicto Episcopo remisit in perpetuum. Veruntamen quòd hanc gratiam Episcopo noluit Rex sibi omnino fore damnosam; de terris Monasterii Glaston. voluit sibi recompensari. Sed Abbate Johanne nullâ ratione adquiescente, & quòd dicebatur quòd idem Abbas habebat jus & clameum ad recuperandum iv. Maneria & advocationes vi. Ecclesiarum, quæ Robertus quondam Abbas Glastoniæ prædecessor suus contra voluntatem suam remiserat Waltero Episcopo, eò quòd advocatio Abbathiæ Glaston. tanquam jus Regis ad manus ipsius esset reversa, ac per hoc remissio maneriorum ac advocationum Ecclesiarum esset quasi penitus adnullata; distulit Rex Abbati committere Temporalia prædicta; quousq; componeret cum Bathoniensi Episcopo de maneriis & advocationibus Ecclesiarum prædictis. Facta fuit ergo quædam compositio inter eosdem Robertum Episcopum & Johannem Abbatem, & in Curiâ Regis chirographata. Sicq; factum est, ut Rex, qui quondam hujusmodi compositioni restiterat contra Episcopum, jam propter affectionem quandam eandem fieri celeriter compelleret. Ex præmissis igitur patet, qua difficultate Johannes Abbas Glaston. non sine gravibus laboribus & expensis possessionem & libertates ipsius Monasterii sit adeptus. Obiit iste apud Domersham nocte Festi B. Michaelis anno Domini MCCXC. Corpus Glastoniæ sepultum est.

SUCCESSIO PRIORUM Ecclesiæ Bathoniensis.

Osbern. in vitâ Elphegi p. 124.

Cœnobium apud Bathoniam primus posuit Offa Rex anno 775. Temporis injuria collapsum & à Danis demum incendio deletum restauravit Edgarus Rex, & S. Petro dicavit. Primus restaurati Abbas fuit *Elphegus*, qui ad Episcopatum Wintoniensem anno 984. evectus est. Ex sequentibus Abbatibus duos solummodo reperio, *Stigandum* quem anno 1067. præfuisse Harpsfeildius ex Catalogo quodam Bathoniensi (nescio qua fide) refert; & *Alfsium* sive *Elsi*, quem Synodo Londinensi anno 1075. interfuisse, & diem supremum anno 1087. obiisse constat. Vacantem istius obitu Abbatiam Johannes Wellensis Episcopus à Willelmo Rege obtinuit anno 1088. & in Ecclesiâ Bathoniensi Sedem Episcopalem collocavit. Ab eo tempore Abbatis privilegia atque emolumenta Episcopo cesserunt; & Monachis Præfectus ab Episcopo datus titulo Prioris præfuit. Integram Priorum successionem frustra quæsivi; quotquot autem invenire potui, Episcopis pro more subjeci.

Hist. Eccl. p. 254. Florentius. Registr. Well.

Registr. Well. *Petrus* præfuit anno 1159, & 1175.

Annal. Winton. *Walterus*, ex Subpriore Hidensis Monasterii Prior Bathoniensis factus, post aliquot annos in Prioratu exactos Monachus Cartusiensis factus est. Sed brevi post Bathoniam reversus Prioratum recepit, & apud Werewellam obiit 1198. 31. Maii.

Registr. Well. Hist. Glaston. *Robertus*, Walterum excepisse videtur. Certè præfuit ab anno 1205. & ad Abbatiam Glastoniensem electus anno 1223. benedictus est die 21. Octobr.

Reg. Drokensford. *Thomas*, Prioratum tenuit annis 1237, 1239, 1243.

Reg. Well. & Liber ruber. *Walterus*, præfuit annis 1264, & 1275.

Prynn. vol. 3. p. 871. *Thomas*, Prior erat anno 1300.

Reg. Radulfi de Salopiâ. *Robertus de Cloppecote*, præfuit annis 1303, 1321. sepultus est 1332. die Cinerum. Episcopus licentiam eligendi Monachis dedit die 27. Februarii.

Id. *Robertus de Suttone*, à Monachis electus, ab Episcopo confirmatus est anno 1332. mense Martio. Papa autem, cujus provisionibus & usurpationibus nil intactum manebat, Prioratum Thomæ Christy jure provisionis contulerat. Bullis igitur Papalibus prolatis, exauthoratus est Robertus 1332. 24. Sept. & eidem Prioratus de Dunster & pensio annua 20. librarum concessa sunt die 24. Octobris sequentis. Ejus loco

Id. *Thomas Christy* admissus est 1332. 24. Sept. virtute provisionis Papalis; sed brevissimo tempore dignitati malè partæ superfuit.

Id. *Robertus* enim Prioratum tenuit anno 1333. mense Junio; alius tamen à Roberto Sutton. Supradictam enim pensionem Priori de Dunster anno 1335. solutam invenio.

Id. *Johannes de Iford*. Hunc Wolstanus Wigorniensis Episcopus adulterii in Dioecesi suâ commissi coram se convictum fuisse ad Radulphum Bathoniensem Epis-

Episcopum retulit anno 1346. Radulphus propterea illum à Prioratu deposuit; nisi forsitan criminis pudore cesserit vel interierit. Prioratum enim anno 1347. vacasse comperio.

Johannes incerti cognominis successit. Johannes enim Prior anno 1363. in Registris Ecclesiæ Wellensis, memoratur.

Johannes Dunster, præfuit anno 1406. obiit 1412. 6. Febr. — Reg. Bubwith.

Johannes de Telesford, electus est 1412. 10. Martii, confirmatus ab Episcopo 23. Martii. Obiit anno 1425. — Reg. Bubwith, & Stafford.

Willelmus Southbroke, præfuit anno 1426. obiit 1447. 7. Junii. — Reg. Stafford, & Bekinton.

Thomas Lakok, electus 1447. 16. Sept. confirmatus est 25. Sept. Præfuit anno 1451. — Reg. Bekynton, & Well.

Ricardus Prior Bathoniensis anno 1476. in Historiâ Theokesberiensi (in Monastico tom. 1. p. 160.) memoratur.

Johannes Cantlowe, præfuit anno 1489. Eodem Prioratum tenente Cœnobium Bathoniense Archiepiscopus Cant. visitavit anno 1494. Obiit 1499. mense Augusto. — Reg. Morton, Well. & King.

Willelmus Bird, electus est 1499. 31. Aug. sed rejectus ab Episcopo, & mediante Conventu ab eodem demum authoritate propriâ collatus & admissus. Hujus tempore Capitulum Cantuariense, Sede utrâque vacante, Ecclesiam Bathoniensem visitavit 1503. 2. Octobris. Obiit 1525. 22. Maii. — Reg. King. Cant. & Clerk.

Willelmus Holway, electus est 1525. 2. Julii. — Reg. Clerk.

Willelmus Gibbs, Prior ultimus, multùm novæ Ecclesiæ Bathoniensis structuræ insudavit. Temporis autem iniquitate coactus, Regi Cœnobium Bathoniense cum ædificiis, fundis & redditibus suis transcripsit 1539. 27. Januarii. Ipse pensione 8. librarum annuâ & ædibus lautis in urbe Bathon. donatus, privatam deinceps vitam egit. Conventus eo tempore valere annuatim censebatur 617. lib. 2. sol. & 3. den. vel juxta alios 695. lib. 6. sol. & 1. den. — Monastic. 1. p. 185.

SUCCESSIO DECANORUM Ecclesiæ Wellensis.

Hist. Well.

DEcanum in Ecclesiâ Wellensi primus instituit Robertus Episcopus. Factum id ante exitum anni 1139. Chartæ enim institutionis (quæ in Registro *Drokensford* habetur) subscripsêre Willelmus Cant. Thurstinus Ebor. & Rogerus Sarum Episcopi. Ab eo tempore Ecclesia Wellensis Decanis subdita permansit. Horum accuratus, si usquam aliàs, Indiculus expectari meritò potuisset à Godwino, qui plusquam 30. annis Canonicus Residentiarius Ecclesiæ Wellensis erat, & archiva ejus adhuc integra inspexit. Nuper enim direpta sunt, & impio furore mutilata ac discissa à Schismaticis in rebellione Somersetensi anno 1685. motâ. Integris tamen monumentis usus vir eruditus plerosque errores admisit, & Decanorum tempora non adeò subtiliter distinxit. Nos successionem paulò magis castigatam damus.

Reg.Eccl.Well. *Ivo*, Decanorum primus, à Roberto Episcopo anno circiter 1139. præfectus, superfuit anno 1159.

Id. *Ricardus de Spakeston*, Decanatum tenuit anno 1164. & tempore Reginaldi Episcopi post annum 1174. Decanum fuisse anno 1160. Godwinus refert; quod fide ipsius dictum sit.

Id. *Alexander*, tempore Reginaldi & Savarici Episcoporum, atque anno 1205. præfuit.

Id. *Leonius*, Decanus erat annis 1213, & 1215.

Id. *Radulphus de Lechlade*, præfuit tempore Jocelini Episcopi, qui ab anno 1206, ad 1242. sedem tenuit.

Id. *Petrus de Cicestriâ*, Decanatum obtinuit annis 1220, 1226, 1229, 1235.

Willelmus de Merton Petro successit, & anno 1236. præfuisse in Registro Ecclesiæ Well. memoratur.

Id. & Claus. 34. H. 3. m. 15. *Johannes Saracenus*, Papæ Subdiaconus & Capellanus, Decanatu potitus est annis 1242, 1247, & 1250.

Placita Parlam. p. 392. *Ægidius de Brideport* Decanus subscripsit Compositioni inter Abbatem & Monachos Abendonienses initæ 1253. 20. Dec. Episcopus Saresburiensis post medium annum 1256. creatus est.

Reg.Eccl.Well. *Edwardus de la Cnoll*, electus est 1256. mense Septembri, obiit 1284. 16. Sept.

Id. & Pat. 20. E. 1. m. 19. *Thomas de Button*, electus 1284. 15. Nov. ex Decano Wellensi Episcopus Exoniensis sub exitum anni 1292 evasit.

Reg. Well. *Willelmus Burnell* obiit anno 1295.

Walterus de Haselshaw, Decanatum anno 1298. tenuisse in Registro Wellensi dicitur; eundemque Episcopum Wellensem anno 1302. creatum fuisse constat. Manet igitur difficultas inextricabilis de Petro de Insulâ, qui Decani Wellensis titulo ad Parlamentum à Rege vocatur annis 28, 30, & 32. Edwardi I. Regis. Idem Canonicus Eboracensis 1311. 25. Febr. admissus in Registro *Grenfeld* legitur. Suspicor Petrum fuisse Subdecanum vel Archidiaconum Wellensem.

Dugdal. summon. ad Parl. p. 29, 45.

Henricus

Henricus Husee Decanus in Registro Wellensi anno 1302. memoratur. Cantariam is insignem in Ecclesiâ Wellensi fundavit.

Johannes Godele successit ante annum 1308. Obiit 1333. 6. Febr. Canonicus Eboracensis admissus fuerat anno 1306. Reg. Grenfeld.

Ricardus de Bury, aliàs *de S. Edmundo*, Decanus electus 1333. 8. Martii in Registro Wellensi, admissus autem virtute provisionis Apostolicæ 1333. 20. Febr. in Registro Radulphi de Salopiâ dicitur. Ad Episcopatum Dunelmensem ante exitum ejusdem anni provectus est.

Wibertus de Litleton, electus est 1334. 23. Febr. Anno 1335. 5. Febr. nondum ab Episcopo installatus fuerat. Obiit 1335. mense Augusto. Reg. Well. & Radulfi Salop.

Walterus de London, electus medio anno 1335. obiit 1350. mense Aprili. Id.

Johannes de Carleton, Archiepiscopi Cant. Cancellarius, successit ante Februarium anni 1351. ad Parlamentum à Rege vocatus 1356. Obiit 1361. mense Augusto. Id. & Dugdal. Summon Parl. p. 260.

Willelmus de Camel, Ecclesiæ Wellensis Præcentor, ad Decanatum electus 1361. mense Septembri, consentire noluit. Reg. Well.

Stephanus de Pympel, electus est 1361. mense Septembri, die electionem Willelmi proximè sequenti. Obiit 1379. 2. Febr. Id.

Johannes Fordham, electus est 1379. 22. Febr. unanimi Canonicorum numero 33. suffragio. Decanatum autem autoritate literarum Papalium Robertus Stretton vendicavit. Johannes tamen Decanatum retinuit, donec Episcopus Dunelmensis medio anno 1381. creatus fuerit. Id.

Thomas de Sudburiâ, L. D. præfuit annis 1385, & 1389. Id. & Chartæ antiq. *Vespas.* B. 13.

Nicolaus Slake, Decanatum tenuit anno 1396. si Godwino fides. Eundem Archiepiscopi Cant. sententiâ anno 1401. amotum fuisse Registrum *Bowet* docet: ut locus desit Henrico Beauford, quem Cancellarium Oxoniensem & Decanum simul Wellensem anno 1398. fuisse Author Antiquitatum Oxon. scribit.

Thomas Tuttebury, ab Archiepiscopo Cant. 1401. 14. Nov. collatus est ad Decanatum, cujus advocatio ob diuturnam vacationem ad ipsum devoluta fuerat, & ab Episcopo Wellensi admissus die 26. Novembr. Reg. Bowet.

Thomas Stanley Decanus erat anno 1403. obiit. 1410. 11. Martii. Id.& Reg. Bubwith.

Ricardus Courtney, electus 1410. 27. Maii, confirmatus est ab Episcopo die 19. Junii. Canonici in Ecclesiâ Wellensi tunc numerabantur 52. Ricardus ad Episcopatum Norwicensem transiit anno 1413. Reg. Bubwith.

Thomas Karneka successit, & ejusdem anni mense Septembri defunctus est. Id.

Walterus Metford L. B. confirmatus est ab Episcopo 1413. 8. Nov. præfuit anno 1420. Id. & Reg. Chichley.

Johannes Stafford L. D. confirmatus est ab Episcopo 1423. 9. Sept. Episcopus Wellensis consecratus est 1425. 27. Maii. Reg. Bubwith.

Johannes Forrest confirmatus est 1425. 19. Nov. Huic senectute fracto quatuor Coadjutores ab Episcopo dati sunt 1444. 12. Octobr. Obiit 1446. 25. Martii. Reg. Stafford, & Bekinton.

Nicolaus Carent L. D. annorum circiter 32. electus est 1446. 22. Aug. confirmatus die 27. Aug. In electione ipsius aderant per se vel procuratores suos Canonici 52. Papa Decanatum jure provisionis contulerat Johanni de la Vere aliàs Dalberd, magno Regis Angliæ Eleemosynario. Episcopus autem Nicolaum confirmaverat, antequam Johannes Bullas suas præsentaret. Utrùm Johannes postea admissus fuerit, haud satis constat. Illum Registra Wellensia non agnoscunt. Nicolaus tamen Papa eum in Bullâ provisionis ad Episcopatum Menevensem 1447. 15. Sept. datâ Decanum Wellensem appellat. Certè Nicolaus Decanatum anno 1460. tenuit. Reg. Bekinton. Reg. Stafford. Reg. Bekinton.

Henricus

Reg. Stillington. *Henricus Webber* Decanus erat anno 1466. Vacavit Decanatus 1467. 3. Maii.

Id. *Willelmus Witham*, L. D. præfuit anno 1469. obiit 1472. 16. Julii.

Bale cent. 8. cap. 42. *Johannes Gunthorp*, vir impensè literatus, postquam in utrâque Academiâ Anglicâ bonis studiis operam dedisset, in Italiam profectus, Guarini Veronensis disciplinæ se tradidit. Domum reversus, Archidiaconus Essexiensis, Privati Sigilli Custos, & magnus Regis Eleemosynarius creatus est. Decanus autem Wellensis electus 1472. 18. Dec. confirmatus 1473. 19. Jan. Obiit 1498. 25. Junii. (Reg. Stillington. Reg. King.)

Liber ruber Well. Reg. King. *Willelmus Cousyn*, Archidiaconus Bathoniensis admissus est 1497. 17. Martii. Decanus Wellensis electus 1498. 25. Dec. confirmatus 1499. 15. April.

Thomas Winter, Decanatum anno 1525. obtinuisse à Godwino dicitur.

Reg. Clerk, &c. *Ricardus Woolman*, præfuit anno 1535. & 1536. medio.

Thomas Cromwell, Essexiæ Comes, Henrici Regis in Spiritualibus Vicarius generalis, & primarius in rebus agendis Minister, vir Laicus, Decanatum Wellensem ab anno 1537. pessimo exemplo tenuit. Capite plexus est 1540. 28. Julii. (Stow p. 580.)

Reg. Cranmer. *Willelmus Fitzwilliams* successit anno 1540.

THOMÆ,

THOMÆ, Monachi Elienſis, Hiſtoria Elienſis a primâ Eccleſiæ fundatione ad annum MCVII.

RICHARDI, Prioris Elienſis, Continuatio Hiſtoriæ Elienſis ab anno MCVII. ad annum MCLXIX.

Monachi Elienſis Anonymi Continuatio Hiſtoriæ Elienſis ab anno MCLXIX. ad MCCCLXXXVIII.

Monachi Elienſis Anonymi Continuatio Hiſtoriæ Elienſis ab anno MCCCLXXXVIII. ad annum MCCCCLXXXVI.

ROBERTI STEWARDE, Prioris ultimi Elienſis, Continuatio Hiſtoriæ Elienſis ab anno MCCCCLXXXVI. ad annum MCLIV.

ACCEDUNT

RICHARDI Elienſis Hiſtoria de converſione Abbatiæ Elienſis in Epiſcopatum.

THOMÆ Elienſis Fragmentum de dignitate Abbatis Elienſis.

Succeſſio Priorum Eccleſiæ Elienſis.

Genealogia ROBERTI STEWARDE Prioris ultimi, ab ipſo conſcripta.

Carmen Anonymi Historiæ Eliensi præmissum.

Hæc sunt Elyæ, Lanterna, Capella Mariæ,
Atque Molendinum, multum dans vinea Vinum.
Continet insontes, quos vallant undique pontes.
Hos ditant montes; nec desunt flumina, fontes.
Nomen ab anguillâ ducit Insula nobilis illa.

THOMÆ,

Monachi Elienſis,

Hiſtoria Elienſis

A primâ Eccleſiæ fundatione ad annum MCVII.

Incipit Cronicula de Genealogiâ S. Etheldredæ Virginis & Reginæ; & de fundatione & ſtatu Eccleſiæ Elyenſis.

(a) ANno Domini CLVI. Lucius illuſtris Rex Britonum, auditâ famâ Chriſtianitatis, Epiſtolas miſit Eleuthero; petens ab eo, ut ab eo Chriſtianitatem acciperet. Beatus verò Pontifex, cognitâ ejus devotione, duos religioſos doctores miſit ad illum; qui verbi Dei incarnationem prædicantes, abluerunt ipſum cum totâ gente ſuâ ſacro baptiſmate. Ortâ verò perſecutione juſſu Diocliciani Imp. ſupervenit Maximianus Herculius in Britanniam; Eccleſiaſque ſubvertit: & Chriſtianitas, quæ à tempore Lucii Regis cix. annis intemerata permanſit, ferè deleta eſt. Quo tempore paſſus eſt S. Albanus, anno ab incarnatione Domini ſecundùm Cronicam Mariani CCLXXXVI.

Anno ab incarnatione Domini CCCCL. regnante in Britanniâ Vortegirno, Angli-Saxones in Britanniam tribus longis navibus ſunt advecti; quorum duces fuerunt Horſa & Hengiſtus. Qui de tribus Germaniæ fortiſſimis populis advenerant, i. e. Saxonibus, Jutis & Anglis. De Jutarum origine ſunt Cantuarii & Vectuarii. Hæc eſt gens, quæ Vectam inſulam tenet. De Saxonibus venerunt Orientales, Meridiani & Occidui Saxones. De Anglis, h. e. de illâ patriâ quæ *Angulus* dicitur, venerunt Orientales, Mediterranei Angli, & tota Northanimbrorum progenies, ſecundùm Bedam, lib. 1. cap. 15.

Thomas lib. 1. num. 1.

De Adventu S. Auguſtini in Angliam.

Anno Incarnationis Dominicæ DXCVI. S. Auguſtinus à Papâ Gregorio tranſmiſſus eſt in Angliam. Ethelbertum Regem Cantiæ ad fidem conver-

(a) Iſta quæ primum tenent locum, uſque ad *Incipit Libellus, &c.* ſunt tantùm ſummula ſive compendium utriuſque partis Hiſtoriæ Elienſis à Thomâ ſcriptæ. Hiſtoriam enim ſuam Thomas bifariam diviſit, alteram partem in anno 970. alteram in 1107. terminans. Utriuſque tum conjunctim tum ſeorſim plura exemplaria in Bibliothecis Anglicanis aſſervantur. Primam partem Cl. Mabillonius edidit in Actis Benedictin. tom. 2. Utriuſque compendium fidele atque accuratum Hiſtoricus noſter, quiſquis ille fuit, contexuit, adhibitis ipſius Thomæ verbis, & reſectis iis quæ magis inutilia viderentur. Hanc itaque Epitomen Thomæ inſcribendam duxi; quæ quamvis ab alio contexta fuerit, ex ſolis tamen Thomæ verbis conſtat. Id ſupra in Præfatione pluribus oſtendi; hîc tamen Lectorem iterum monendum duxi, ne hanc eſſe ipſiſſimam Thomæ hiſtoriam credat. Loca Hiſtoriæ genuinæ Thomæ, ex quibus ſingula ſunt accepta, in margine notavi.

tit. Postea S. Augustinus ivit Arelas; & ab Etherico ejusdem civitatis Episcopo genti Anglorum Episcopus consecratus est. Reversusque Britanniam, misit continuò Romam Laurentium Presbyterum & Petrum Monachum; qui B. Gregorio gentem Anglorum fidem Christi suscepisse ac se Episcopum factum esse referrent. Sanctus verò Gregorius plures cooperatores misit ac verbi ministros. Misit etiam literas; in quibus significavit se Pallium direxisse; simul & insinuat qualiter Episcopos in Britanniâ constituere debuisset; scribens in hæc verba: *Quia nova Anglorum Ecclesia, &c.*

Qualiter S. Augustinus construxit primam Ecclesiam in Insulâ.

(*b*) Anno Domini DCVII. B. Augustinus xi. anno adventûs sui in Angliam Ecclesiam construxit in Ely in honorem B, Mariæ Virginis in loco qui * Cradundene dicitur, i. e. Vallis Crati, milliario ab Urbe quæ nunc est distans: cujus operis Rex † Ethelbritus fundator extitit; in quo Ministros officium Dei complentes instituit; quos Pendæ Regis exercitus inde postea fugavit, locumque in solitudinem commutavit. Non erat in totâ Insulâ nisi tantùm una Ecclesia à B. Augustino facta.

* Cratundene. *Codex Cotton.* 1.

† Ethelbertus. *Cod. Cot.* 2.

Qualiter S. Etheldreda construxit Ecclesiam in eminentiori loco.

Anno DCLXXIII. virgo Etheldreda in Ely in eminentiori loco Monasterium construxit prope fluentis alveum; & cœtum utriusque Sexûs sub Monachili habitu congregavit; quibus ipsa prima facta fuit Abbatissa à S. Wilfrido Antistite. Et ita succedente tempore durabat sancta Religio sub Abbatissarum regimine * cxc. annos, usque Dominicæ Incarnationis DCCCLXX. in quo quidem anno Ecclesia Eliensis à Paganis combusta est. Ex ipsis autem Clericis, qui deprædati fuerant, post aliquot annos viii. reversi sunt. Dein ipsis alii succedendo porticus Ecclesiæ resarcientes, Archipresbyterum & Præpositum inter se constituerunt. Et ita sub ipsorum naufragosâ gubernatione fluctuans vacillabat Ecclesia Eliensis c. annis.

* Rectiùs Codex Cotton. uterque legit 197. Sic & noster inferiùs calculum instituit.

De Martirio B. Edmundi Regis & Martiris.

Anno DCCCLXX. S. Eadmundus Rex Orientalium Anglorum martirizatus est à Paganis. Inguare & Ubba, post decessum S. Etheldredæ cclx. anno ætatis suæ xxix. regni sui xv.

Introductio Monachorum per S. Ethelwoldum.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXX. regni gloriosi Regis Edgari anno x. ex quo virgo Etheldreda fabricas illic incœpit, anno CCXCVII. à devastatione Monasterii c. Beatus Ethelwoldus Winton. Episcopus, factâ conventione cum Rege, emit ab ipso ex integro totam adjacentem regionem prædictæ Insulæ; & ipsam Ecclesiam ab Inguare destructam innovavit; Presbyteros

(*b*) In Monastico Anglicano tom. 1. p. 87. (ubi integra ferè Historia usque ad Brythnothum Abbatem exhibetur) legitur *Anno Domini DCXXII.* errore manifesto. Annus enim undecimus adventûs Augustini in Angliam cum anno Domini 607. componitur. Neque tamen crediderim eo anno Augustinum Ecclesiam in Eliensi insulâ fundâsse, neque etiam unquam vel è longinquo salutâsse Orientales Anglos; quibus Fœlix omnium primus anno post adventum Augustini in Angliam quadragesimo fidem Christianam annuntiâsse perhibetur: ut id taceam, Augustinum ante triennium in vivis esse desiisse. Sequenti autem tempore, quo majorem Insulæ huic sacræ religionem atque antiquitatem Monachi conciliarent, Ecclesiam ab Augustino inibi fundatam esse confinxerunt.

teros inde expulit, Monachosque introduxit; & virum religiosum nomine Brythnodum eis ordinavit Abbatem. Prædictus Abbas Brythnodus anno x. regiminis sui à Reginâ Elstrithâ martirizatus est. Floruit autem sancta Religio sub Abbatum regimine cxxxix. annis, Abbatibus x.

Transmutatio Abbatiæ in Episcopatum.

[† Anno Domini MCVIII. regni verò Regis Henrici primi anno ix. facta est transmutatio Abbatiæ in Episcopatum per Papam Paschalem anno Pontificatûs sui x. unde mansit & manet adhuc sub pastorali curâ.] Anno Domini MXX. tempore Canuti Regis, qui quartus à Rege Edgaro regnabat, Alwynus Episcopus Elmamensis, sed priùs Monachus Eliensis, præcepto ipsius Regis in Betrycheswyde, i. e. in Bury, primò Monachorum catervam induxit; quosdam de Ely, quosdam de Holm ibi collocans, anno Elsini Abbatis Eliensis secundi xxxviii. post introductionem Monachorum in Ely per B. Ethelwoldum Episcopum annis xlix.

† Verba uncis inclusa aliunde irrepsisse videntur, in Monastico desiderata.

Incipit Libellus, breviter* comprehensus; in quo continetur Genealogia & Vita B. Etheldredæ & sororum suarum; & de statu etiam Eliensis Ecclesiæ à tempore primæ fundationis usque ad hæc tempora nostra.

* Compilatus. *Cod. Cot.* 1.

De origine Regis Annæ, patris sanctarum Virginum.

ANna Rex Orientalium Anglorum, filius Eni, de regio genere, vir optimus, nupsit Hereswydæ sorori S. Hyldæ Abbatissæ; ex quibus geniti sunt duo filii, Adulfus & Jurminus, & quatuor filiæ, primogenita Sexburga, Ethelberga, Etheldreda, & Withburga. Præfatus Anna occiditur à Pendâ Rege Merciorum anno regni sui xix. ab Incarnatione verò Domini DCLIV. & in loco qui || Blydburgh nuncupatur, sepelitur corpus ejus; ibi usque in præsentem diem piâ devotione fidelium veneratur. Illic etiam sepultus est Jurminus filius ejus; sed apud Betrychesworde, quod nunc S. Eadmundum appellant, postea translatus est, & honorificè collocatus. Turbatis hujuscemodi rebus, Hereswytha post interitum Annæ sponsi sui mundum despiciens, apud Gallias peregrina in Monasterium Cale secessit. Illic regularibus subdita disciplinis, coronam æternam expectabat. Prædicto igitur Annâ mortuo, successit ei in regnum Adelherus frater ejus; in cujus tempore in loco qui dicitur * Ikenno, Monasterium construitur à S. Botulpho. Præfatus Rex interfectus est anno regni sui secundo ab exercitu Oswy Regis Northanhumbrorum. Cui successit frater ejus tertius nomine || Edewoldus, homo bonus ac verus Dei cultor, juxta quod frater ejus Anna fuerat. Quo defuncto, successit ei in regnum Adulfus nepos ejus, filius Annæ fratris sui: cujus filia Edburga Abbatissa in Rependuna famulo Dei Guthlaco sarcophagum plumbeum lintheumque transmisit; in quo idem vir Dei post suum obitum locaretur & circundaretur.

Tho. l. 1. n. 2.
Tho. l. 1. n. 3.
Tho. l. 1. n. 11.
|| Blydeburch. *Cod. Cot.* 2. Blytheburg. 1.
Tho. l. 1. n. 12.
Tho. l. 1. n. 13, 14.
* Wenno, *Monasticon legit.*
|| Ethelwoldus. *Cod. Cot. uterque.*

Sexburga nupsit Erconberto Regi Cantiæ anno v. regni patris sui; quibus nati sunt duo Reges, Egbertus & Lotharius, & duæ filiæ, Ermenilda & Erkengota. Sexburga verò post obitum † viri sui, qui xxiv. annis imperium rexit, aliquamdiu viriliter regno præfuit; donec impuberes annos Egberti filii sui in robur virilis ætatis reformaverat. Commendato ei demum imperio, vestem jocunditatis deposuit; habitumque mœroris suscepit: tandem apud Schepeyam [|| Insula de Schepeyâ dicta erat à Mideltone oppido & ei suberat; ejus ethimologia à balatu nomine Anglico *Schepeya* est sortita & vocata; & est in occidentali parte Cantuariæ sita, bona, fortis & fertilis, infra mare, cum Castello de Quynborow] in Cantiâ votum suum dirigit; ubi novum habitaculum virginibus sacris, quas sibi associaverat, construxit; quæ etiam

Tho. l. 1. n. 5.
† Obiit is anno 664. teste Bedâ.
|| Ista uncis inclusa recentior quis in margine adnotarat, in Codice Cotton. & Monastico non reperta.

ab Egberto filio suo precio redemptas possessiones Ecclesiæ adjecit; in quâ lxxvii. discipularum sibi adjunxit Collegium. Nocte autem quadam cum S. Sexburga sopori se dedisset; Angelus Domini apparuit ei per visum, dicens: Scias quòd non post multos hos dies multis annis evolutis desertores Dei regnum hoc invadent diripiendum, invasum opprimment & affligent. Quod tunc completum in se ferè tota Anglia est experta; quando ab Aquilone ruit tempestas super habitatores terræ, Inguare & Ubba navali certamine cum triumpho regnum ingressis & sæviente gladio cædem Ecclesiæ Dei intentantibus generalem. Considerans itaque S. Sexburga desolationem in regno futuram, sicut ab Angelo Dei acceperat; concepit affectu quod effectus prodidit, vitam videlicet pauperiorem arripere & se sub alterius potestate redigere. Accessit ad filias suas, eisque voluntatem suam ostendit; & Ermenildam filiam suam eis Abbatissam præfecit. Cùm igitur cunctâ, quæ inchoaverat, honestè complesset; & totius Cantiæ tertiam partem ad usus Ecclesiæ emptam in manus earum collocâsset; acceptâ licentiâ & datis benedictionibus, B. Sexburga discessit; nec sine dolore & fletu facta est inter illas lamentanda divisio. In principatu igitur Virginum B. Ermenildâ remanente, gloriosa Sexburga in Insulam Eliensem proficiscitur; ubi à S. Etheldredâ sorore suâ tunc ibidem Abbatissâ accipitur, & cum triumpho introducitur; & post obitum B. Etheldredæ eidem in Monasterii regimine successit, anno Domini DCLXXIX. ubi || sago & cilicio contenta, strata mollia recusabat; juges orationibus dies, juges etiam continuabat noctes; balnearum usus tanquam seminaria venenata refugit. Tandem cùm bonum certamen certâsset, spiritumque suum in manus Creatoris pridie Nonas Julii commendâsset; sepulta est condecenti loco, post beatam sororem suam; ubi virtutum suarum merita florere non desinunt; semperque ejus præconia accipiunt incrementa; ut in Libro gestorum illius enarratur.

Tho. l. 1. n. 38.

|| l. Sacco.

Tho. l. 1. n. 59.

Ermenilda filia S. Sexburgæ nupsit Wlfero Regi Merciorum, filio Pendæ Regis; quibus nata est Werburga. Præfato Wlfero post xvii. annos ad æterna * regna migrante, Ermenilda Regina apud Cantiam in Monasterio de Shepeiâ confugit; ubi genitrix sua Sexburga choris Virginum præluxit; & sub eâ habitum religionis suscepit. Tandem recedente B. Sexburgâ de Shepeiâ, ipsam Abbatissam ibidem præfecit; quæ successu temporis canonicâ electione Sexburgæ matri suæ apud Ely defunctæ in ministerium Abbatissæ successit; ubi à cunctis dignè suscepta, mater omnium est effecta. Quantæ verò sanctitatis & pietatis ipsa extiterit; vita ejus atque sua mors preciosa pleniùs attestantur. Transit enim ab hoc sæculo Idus Februarii; & in Elyensi Monasterio cum beatâ genitrice suâ & virginali matertera suâ Etheldredâ tumulata quiescit.

* Obiit anno 675. authore Bedâ.

Tho. l. 1. n. 60.

Werburga filia S. Ermenildæ post mortem patris sui intravit Monasterium S. Etheldredæ apud Ely; sicut legitur in Vitâ suâ; priusquam mater idem Monasterium intravit; cujus sanctitatem cùm Rex Ethelredus patruus suus comperisset; eam inde cepit; & principatum Monasteriorum Sanctimonialium, quæ in regno suo pollebant, ei tradidit. Sponsa igitur Domini Werburga cùm quibusdam Ecclesiis præesset, post dilectæ suæ genitricis obitum jure prælationis etiam Monasterium Elgæ suscepit. Cùm ergo omni familiæ & Monasteriis sibi creditis præ nimiâ caritate optaret adesse; & è contra nulli tolerabile videretur suâ dulci præsentiâ carere; elegit cum divinâ præscientiâ & voluntate Hehanburge Monasterio corpore requiescere. Quamobrem præcepit Hehanburgensi familiæ; ut ubicunque migraret ex hac luce, ipsi incunctanter venirent, corpusque ejus ad Monasterium portarent. Depositâ itaque Werburgâ in Cœnobio, quod || Trytengeham appellatur, cujus Depositio iii. Nonas Februarii celebratur; nocte Depositionis suæ supervenerunt Hehanburgenses; & corpus ipsius de Ecclesiâ Trytengham rapiunt, & ad Ecclesiam

Tho. l. 1. n. 46.

Tho. l. 1. n. 61.

|| Trykkengham. Cod. Cot. 1

clesiam Hehanburgensem cum ingenti lætitiâ deducunt & sepeliunt: & post ix. annos corpus ejus integrum vestesque nitidissimæ apparuerunt. Tandem in Cestriam, ubi nunc requiescit, translata est B. Werburga.

In Anglico legitur, quòd Sexburga in Ecclesiâ de Shepeia, quam construxit, à Theodoro Archiepiscopo velamen sanctitatis accepit; atque ibidem filia sua Ermenilda sub eâ nomen religionis spreto regni culmine postea sumpsit; quæ dum iter apud Ely paravisset, filiam suam Werburgam pro se in ministerio Abbatissæ, sicut diu optaverat, constituit. Erkengota soror S. Ermenildæ ad exteras nationes & ad loca transmarina demigrans, sacros Monasteriorum conventus peregrina circuit; & ad quoddam Cœnobium in regione Francorum constructum in loco, qui dicitur Brige, devenit; ubi sub Abbatissâ vocabulo Sarâ Deo servivit usque ad finem vitæ suæ; & post ejus decessum sepultum est corpus ejus in Ecclesiâ Prothomartiris Stephani. Tho. l. 1. n. 60.

Ethelberga secunda filia Annæ & Hereswythæ dilectam perpetuæ virginitatis gloriam in magnâ corporis continentiâ servavit. Nam eo tempore necdum multis Monasteriis in regione Anglorum constructis, † multum de Britanniâ Monachicæ conversationis gratiâ Francorum vel Galliarum Monasteria adire solebant; & filias suas ab eisdem erudiendas ac sponso cœlesti copulandas mittebant; inter quas erat * Syderda filia uxoris Annæ Regis Orientalium Anglorum ex alio viro procreata, & filia naturalis ejusdem Regis Ethelberga; quarum utraque cùm esset peregrina, pro merito virtutum in Monasterio Lingensi Abbatissa est constituta. Cùm igitur B. Ethelberga diem ibi clausisset extremum; post vii. annos obitûs sui corpus ejus ita intemeratum invenitur, ita ut à criminalis concupiscentiæ corruptione erat immune; quod & à loco, in quo priùs erat sepultum, in Ecclesiam B. Stephani est translatum; cujus videlicet Natalis ibi solet cum magnâ gloriâ celebrari die Nonarum Juliarum. Tho. l. 1. n. 5.

† Multi, *sic legit Monasticon & Codex Cotton.*

* Sedrida *Tho.* Siderida. *Cod. Coc.*

Etheldreda, tertia soror, apud Orientales Anglos in loco famoso Exnynge nuncupato orta, ut Beda testatur, lib. 4. *de gestis Anglorum*, cap. 17. Annæ Regis Orientalium Anglorum extitit filia, de matre vocabulo † Hereswydâ; quæ à Tomberto Principe Girviorum Australium postulatur in conjugium: cui licèt invita à parentibus est desponsata, biennio ante interfectionem Annæ patris sui, || ab incarnatione Domini anno DCLII. & ab eodem Sponso suo, cum quo fermè triennio sub jugo maritali vixit in virginali contubernio, Insulam accepit in dotem; secundùm Bedam ubi priùs. Elge à copiâ anguillarum, quæ in eisdem paludibus capiuntur, nomen accepit; quæ mutato nomine meliorando Ely nuncupatur modò, sc. Tho. l. 1. n. 6.

† Ereswythâ. *Cod. Cot.* 1. Tho. l. 1. n. 7, 11.

||Anna enim interfectus est anno 654. *Chronol. Sax.*

Tho. l. 1. n. 15.

Digna Dei domus, cui nomen convenit ejus:

vel sicut quidam differunt, Elge ex duobus verbis Hebraicis vocatur. *El* enim dicitur Deus, *Ge* terra, quod sc. *Dei terra* sonat. Dignè quidem Insula tali onomate signatur; quæ ab initio Christianitatis & fidei in Angliâ Dominum Jesum Christum mox credere cœpit & colere. Tomberto igitur defuncto, mox virgo Etheldreda ad propriam domum in Ely descendit, in sanctâ viduitate per quinquennium permanens; ubi vanos mundi honores fugiens, silentium semper & vitam prorsus ignobilem affectans [Locus autem ille difficultate adeundi & arboribus hinc inde circundatus, habens aquas de supercilio collis tenues sed irriguas] quasi in heremum habitare cœpit; & quos præcipuæ noverat religionis esse, admodum in amicitiam sibi copulavit. Eodem verò tempore Egfridus in finibus Aquilonis inter Anglos * tenens imperium, inflammatur in Virginis amorem: cui anno sexto post interfectionem patris sui unanimi voluntate parentum datur in conjugium. Cùmque per xii. annos matrimonii lege teneretur; noluit differre ulteriùs quod mente concepit. Vix à viro suo obtentâ licentiâ, virgo & regina intravit Monasterium S. Ebbæ Abba-

Tho. l. 1. n. 33.

Tho. l. 1. n. 15.

* sc. Rex Northanhymbrorum.

Tho. l. 1. n. 23.

Abbatiſſæ, quæ fuit amita Regis Egfridi apud Coludi [vel Cawode vii. milliaribus ab Eboraco,] accepto velamine Sanctimonialis habitûs ab antiſtite Wilfrido: ubi per anni ſpatium didicit quòd † *jugum Domini ſuave eſt & onus ejus leve.* Demum Rex Edfridus in matrimonium eam concupivit reſumere; & inſtinctu ſuorum illam de Monaſterio conabatur eripere. Nec mora; ad Monaſterium, ubi ſancta Virgo degebat, feſtinanter aſcendit. Quo audito, mater Congregationis Ebba ex ſolâ fugâ præſidium fore ſuggerit; nec quieſcendum, donec in domum ſuam in Ely perveniat. Ipſa ob hoc gemens & anxia, exit & fugit; & digreſſa jam ambitum loci cum duabus Dei ancillis Sewennâ & Sewerâ, collem eminentem, qui prope ColdeburChesheved; quod Latinè *Caput Coldebirti* dicitur, adiit & aſcendit; ubi Deus aquas multiplices effudit; & locum, quò ſacræ Virgines aſcenderant, aquâ circundedit; & ſicut ab incolis loci illius accipitur, per vii. dies continuos ſine cibo & potu in oratione conſiſtentes eas occuluit; donec Rex Edfridus, qui nullum locum ipſas aggredi invenit, in ſtuporem verſus de loco receſſit, & Eboracum rediit; Ermenburgamque ſibi matrimonio copulavit; nec deinceps S. Wilfridum affectu ut antea coluit; ſed diu iram ſub tacito pectore geſſit contra illum; & expectatâ horâ ob iſtiuſmodi cauſam eum de ſede ſui Epiſcopatûs expulit ‖: qui apud Ely cum B. Etheldredâ morabatur; ubi tunc & quotieſcunque neceſſitas popoſcerat, jura officii Epiſcopalis adminiſtravit. Pulſus ab Epiſcopatu Wilfridus, Romamque iturus, ubi navem aſcendit, flante Favonio Freſiam eſt appulſus; ubi prius opus evangelicum cœpit, & multa millia Barbarorum ad fidem convertit; hiememque ibidem cum novâ Dei plebe fœliciter exegit. Poſtea verò Freſiam reliquit, Romam adiit; ubi Benedicti Papæ & plurimorum Epiſcoporum judiciis abſque crimine accuſatus fuiſſe, Epiſcopatuque dignus fuiſſe inventus eſt. Britanniam rediit; Provinciam Suthſaxonum Chriſto credere fecit; ubi etiam jacet apud Reponam.

† Matth. xi. 30.
Tho. l. 1. n. 25.
Tho. l. 1. n. 26.
Tho. l. 1. n. 27.
‖ Factum id anno 678.
Tho. l. 1. n. 40.

WILFRIDUS ſanctis meritis & nomine dignus,
Quindecies ternos poſtquam egit Epiſcopus annos,
Tranſiit, & gaudens cœleſtia regna petivit,
Attactus multis poſt tempora longa periclis.

Sanctimoniales autem in rupis vertice degentes, cùm ſitis ariditate nimiùm æſtuantes gravarentur; Ebba venerabilis Abbatiſſa Etheldredam commonet Deum Chriſtum orare, ut guſtum aquæ præſtet illis in hac ſitis neceſſitate; qui de petrâ potavit populum ſuum in Deſerto. Et fuſâ intentiùs ad Deum oratione cum ſummâ mentis devotione, fons aquæ juxta eam confeſtim erupit lucidiſſimæ; atque ad preces ejus, quod per naturam non habuit, ad gratiam Dei arida rupes aquas perfudit; quæ in uſum ipſarum ſufficerent, nec neceſſitati deeſſent, & uſque in ævum manare non ceſſant. Unde potum ſumentes, Deo gratias egerunt; & infirmis & adhuc ſaluberrimam præſtat. Inſuper memorabile & præ cæteris mirabile eſt; quòd veſtigia pedum illius aſcendentis & deſcendentis in latere montis infuſa tanquam in calidâ cerâ nunc uſque oſtenduntur ad laudem Domini N. J. Chriſti. In hoc enim facto, ſi diligenter attendimus, quatuor memoranda ſatis admiratione digna perpendere poſſumus. Primum, quòd miſericorditer Deus illas ab oppreſſione Regis protexit. Aliud, quòd mare ſuas aquas ad earum munimentum tanquam pro muro effudit. Tertium, quòd * rupis aſpera in ſiti earum aquas donavit. Quartum, quòd duricia terræ velut ſuæ oblita naturæ more mutato ad tactum † Prælatæ illius molleſcere cœpit. Demum B. Etheldreda aſſumptis ſecum præfatis ancillis, à loco atque provinciâ receſſit; & ad flumen, quod dicitur Humbre, proveniens; cujus alveo lenis auræ pulſu tranſito in portum Wyntryngham proſperè eſt advecta; ſed inde quaſi ſtadiis decem ad viculum diver-

Tho. l. 1. n. 28.
* Rupes, *in Monaſtico.*
† Plantæ. *Monaſtic. & Cod. Cotton.*
Tho. l. 1. n. 30.

divertens in modum Insulæ paludibus fere circumdatum, Alfham nominatum, cum jam dictis puellis hospicium petiit & accepit. Ibique paucis diebus mansitatis Domino Ecclesiam construxit. Inde B. Etheldreda iter arripuit; sed ex insolito labore nimiùm fatigata, in loco umbraculi se collocavit atque dormivit. Cùm de sompno evigilata post paululum surrexisset; invenit baculum itineris sui, quem ad caput suum antea fixerat aridum & diu inveteratum, jam viridi cortice accinctum fronduisse ac folia produxisse. Crevit ergo lignum illud, & facta est fraxinus, maxima cunctarum arborum illius provinciæ; appellaturque locus ille Etheldredestowe usque in hodiernum diem: quod Latinè sonat *Pausatio Etheldredæ*. Facta est etiam illic Ecclesia in honore B. Virginis ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui mirabilis est in Sanctis suis.

Tho. l. 1. n. 31.

Interea B. Etheldreda per innumera itinerum discrimina & labores diversos ad suam possessionem rediit in Ely cum ancillis suis, || anno Domini DCLXXII. illicque cum debito honore suscepta Insulam possedit; quam Huna sacerdos secutus fuit. Ibique Monasterium habere desideravit incorrupta Christi famula, secundùm Bedam, quoniam de eorundem Orientalium Anglorum [* provinciâ] ipsa originem duxit; sub quâ nonnulli vivere decertabant, & filias suas ab eâ informandas tradiderunt. Inter quas Werburga filia Ermenildæ advenit; & ab eâ normam religionis accepit & didicit. Sed tunc temporis in Insulâ non erat nisi una Ecclesia à B. Augustino Anglorum Apostolo facta apud Cradundene. In primitivâ enim Ecclesiâ nascentis fidei & Christianitatis B. Augustinus Ecclesiam ibi fabricavit in honore semper Virginis Mariæ anno ab Incarnatione Domini DCVII. adventûs sui in Angliam anno xi. Cujus operis Rex Ethelbrithus primus fundator extitit: in quo Ministros Dei officium complentes instituit; quos Pendæ † Regis exercitus inde postea fugavit, locumque in solitudinem commutavit, & præfatam Ecclesiam ad solum destruxit, lxvii. annis antequam S. Etheldreda fabricas incœpit in Ely. Sed B. Etheldreda postquam illic mansionem elegit, prope fluentis alveum in loco eminentiori habitacula posuit; prædictamque Ecclesiam renovare ac reformare summo opere curavit; & dum reædificata ut primitus in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ fuit, innumerabilibus virtutibus Deo operante refulsit. Sicque solutis prioris fundamenti reliquiis, nova omnia præparavit. Ipsa siquidem B. Etheldreda post modicum auxilio fratris sui Adulfi Regis majore inibi constructo Monasterio Virginum Deo devotarum, mater & virgo & exemplis vitæ cœpit esse & monitis; quarum usibus ex integro Insulam constituit; & per dilectum suum Wilfridum Romæ nutu Apostolico corroborandum destinavit; qui ibidem à Papâ Benedicto privilegium super Elgæ Monasterium accepit; quatinus auctoritate S. Petri contra improborum irruptiones securius staret. Sed antequam de Româ rediit, S. Etheldreda de hoc sæculo migravit. In Cronicis verò Latinis & Anglicis habetur; quòd anno ab Incarnatione Domini DCLXXIII. virgo Etheldreda fabricas incœpit in Ely; atque in brevi cœtum utriusque sexûs Deum timentem sub tramite vitæ regularis collegit; sicut Beda || scripsit, dicens, in ejusdem Deo dicatæ Virginis Translatione communem congregationem hinc fratrum illinc sororum circumstetisse sepulchrum ejus. Unde intelligitur viros & mulieres in eodem simul Monasterio cælibem actitare vitam; atque in Ecclesiâ diutiùs servatum, ut ipsa statuerat, donec locum & patriam Dani visitaverunt: quod etiam apud Coludi [Cawode] & in multis Anglorum Ecclesiis fuisse testatur Historia Anglorum. Secundùm Bedam post annum ex quo ipsa velamen Sanctimonialis habitûs apud Coludi suscepit, facta est Abbatissa in Ely.

Tho. l. 1. n. 33.
|| Annum Monasticon non agnoscit.
Tho. l. 1. n. 34.
* Vocem ex Bedâ restituimus l. 4. c. 19.
Tho. l. 1. n. 35.
† Penda Rex Estangliam vastavit anno 654.
|| L. 4. c. 19.

Nec * diu post discessum S. Etheldredæ de Coludi, Monasterium Virginum, quod apud Coludi situm fuerat, in quo habitum religionis suscepit, per

* Rem narrat Beda l. 4. c. 25. Tho. l. 1. n. 32.

culpam

culpam incuriæ flammis consumptum est: quod tamen à maliciâ inhabitantium in eo, & præcipuè illorum, qui majores esse videbantur, contigisse omnes qui nôrunt facilè potuerunt advertere; quod hic minimè præteritur. Sed non defuit puniendis admonitio divinæ pietatis; qua correpti per jejunia, fletus & preces iram à se, ad instar Ninivitarum, justi Judicis averterent. Erat namque in eodem Monasterio vir de genere Scotorum, Adamannus nomine, ducens vitam in continentiâ & orationibus multùm Deo devotam. Hic occupatus noctu vigiliis & psalmis, vidit subitò astare sibi quendam incogniti vultûs; cujus præsentiâ cùm esset exterritus, dixit illi ne timeret; & quasi familiari eum voce alloquens; Bene facis, inquit, tempore nocturnæ quietis non sompno indulgere, sed vigiliis & orationibus insistere & sedulò Deum deprecari. Totum hoc Monasterium ex ordine perlustrans, modò singulorum lectos inspexi; & neminem præter te solum ergà sanitatem animæ suæ occupatum reperi. Sed prorsus omnes viri & fœminæ aut somno torpent inerti, aut ad peccata vigilant. Virgines quoque Deo dicatæ contemptâ reverentiâ suæ professionis, ad invicem sponsarum in periculum sui statûs adornant; aut externorum sibi virorum amicitiam comparant. Unde meritò loco huic & habitatoribus ejus de cœlo vindicta flammis sævientibus præparata est. Quod mox Matri Congregationis vocabulo Ebbæ, quæ Deo dignam Etheldredam in religionem susceperat, & in filiam adoptatam nutrierat atque docuerat, curavit indicare. At illa de tali præsagio meritò turbata dixit: Quare non citiùs hoc compertum mihi revelare voluisti? Qui respondit. Timui propter reverentiam tuam; ne fortè nimiùm conturbareris. Sed tamen hanc consolationem habebis; quòd in diebus tuis hæc plaga non superveniet. Quâ visione vulgatâ, loci illius accolæ aliquantulùm paucis diebus timere, & seipsos intermissis facinoribus castigare cœperunt. Verùm post obitum ipsius Abbatissæ redierunt ad pristinas sordes; immò sceleratiora fecerunt. Et cùm dicerent, pax & securitas; extemplò præfatæ ultionis sunt pœnâ multati. Proh dolor! Concitæ nimirum illis extiterat judicium eversionis; quòd non merebantur gratissimæ Virginis suffragari consortio; cujus præsentiâ frustrati, impiè & perversè agentes, incorrigibiles permanserunt: ut nec divino conversi ammonitu, nec venerabilis Etheldredæ compuncti devotione, ob scelerum enormitatem & se & locum perdidisse, sicut Beda meminit, agnoscuntur.

Postquam † autem B. Etheldreda gradum Abbatissæ in Ely suscepit, nunquam lineis seu laneis vestibus uti voluit; raróque, præter majora solennia vel arctiorem necessitatem, plùs quàm semel in die manducavit. Quòd si non infirmitas gravior prohibuisset; ex tempore matutinæ Sinaxeos usque ad ortum diei in Ecclesiâ precibus intenta perstitit. Et post vii. annos ex quo gradum Abbatissæ susceperat, quodam tumore maxillæ pressa, rapta est ad Dominum; & æquè ut ipsa jusserat, non alibi quàm in medio suorum juxta ordinem quo transierat, in ligneo locello sepulta est. Cui successit in ministerium Abbatissæ soror sua Sexburga. Transiit || autem S. Etheldreda ix. Cal. Julii, anno Domini DCLXXIX. sub Regibus Anglorum, fratre ejusdem videlicet Adulfo Orientalium & Lothario filio S. Sexburgæ Cantuariensium: Cujus exequias celebravit S. Huna sacerdos; qui de ordine Monachorum & Presbiter S. Etheldredæ fuisse perhibetur. Qui insuper, sicut ab ipsâ mandatum acceperat, in cœmeterio Ecclesiæ juxta suos sepelivit; & post venerandum illius obitum non in Ecclesiâ constitit; sed in palude eâdem prope Ely ad quandam modicam insulam secessit, quæ ejus nomine Huneya vocatur; solitariam ibi eligens vitam, ubi quamdiu vixit, gloriosam vitam duxit. Ad cujus tumbam multi recuperandæ sanitatis gratiâ accedentes, sospitatem ipsius recuperâsse meritis plerique testantur. Quod quidam cognoscentes, secretè ejusdem reliquias, sarcofago postea fracto, apud Thorneyam portantes posuerunt;

† Beda, l. 4. c. 19.
Tho. l. 1. n. 36.

Tho. l. 1. n. 41, 42, 43.

|| Die viii. Cal. Julii. *Sic Florentius Wigorn. impressus. Codex autem MS. vetus Bibliothecæ Lambethanæ rectè legit* ix. Calend. Julii.

Tho. l. 1. n. 44.

fuerunt; sperantes à Domino ejus patrociniis gratiam & misericordiam.

In anno quo Dominus venerabilem virginem Etheldredam ad perhennem cœlestis vitæ gloriam ab hac vitâ corruptibili provexit, mirum & admirandum accidit de quodam illius ministro Miraculum; quod Beda * saluti multorum intellexit enarrandum. Inter Egfridum enim Regem Northanimbrorum jamdudum sponsum ejusdem Virginis & Etheldredum Regem Merciorum conserto gravi prælio juxta flumen Trenta, ubi occisus est Alwynus frater Egfridi Regis, cujus sororem Ostridam prædictus Rex Etheldredus habuerat uxorem: inter alios de militiâ ejus Juvenis nomine Ymma occisus est; qui die & nocte similis mortuo jacebat; tandem resumpto spiritu revixit, prout potuit, vulnera sua alligavit. Demum levavit se, & cœpit ire; sed citò captus est à viris hostilis exercitus; & ad Dominum suum, Comitem videlicet Etheldredi Regis, adductus. At ille suscipiens eum, curam vulneribus ejus egit; & ubi sanari cœpit, ne fugeret, vinciri præcepit; sed vinciri non potuit. Mox verò ut abire cœperat; qui eum vinxerat; ejus vincula sunt soluta. Interea Comes cœpit mirari & interrogare, quare ligari non posset. Ille respondit: habeo fratrem nomine Tunna Presbyterum & Abbatem Monasterii in Civitate quæ ab ejus nomine Tunnacestria vocatur; qui me interfectum putans, pro me Missas crebras facit. Et si nunc in aliâ essem vitâ; ibi anima mea per ejus intercessionem solveretur à pœnis. Cùm verò vinculis teneri non posset; vendidit eum Londoniæ Freso cuidam; sed nec ab illo, cùm illuc duceretur, ullatenus potuit alligari: sed horâ quùm Missæ fiebant solvebatur. Et cùm vidisset qui eum emerat, vinculis non posse cohiberi; donavit ei facultatem sese redimendi, si posset. At ille [dato] jurejurando, ut ad illum rediret vel pecuniam ei pro se mitteret; venit Cantiam ad Lotharium Regem, qui erat filius Sexburgæ sororis S. Etheldredæ reginæ; qui & ipse quondam ejusdem Reginæ minister fuerat, i. e. pincerna. Petiit & accepit ab eo precium redemptionis suæ; ac suo Domino, ut promiserat, pro se misit. Qui primò ad fratrem suum reversus, cuncta quæ illi solatia in adversis provenissent, ex ordine replicavit: Cognovitque eo referente illis maximè temporibus sua fuisse vincula soluta, quibus pro se Missarum fuerant solempnia celebrata; sed & alia quæ periclitanti illi commoda contigissent & prospera, per intercessionem fraternam & oblationem hostiæ salutaris cœlitus sibi fuisse donata intellexit. Multi hæc audientes à præfato viro, accensi sunt fide ac devotione pietatis; & ad orandum vel eleemosinas faciendas vel ad offerendas Deo victimas pro ereptione [suorum] qui fide sæculo migraverunt. Intellexerunt enim, quòd sacrificium salutare ad redemptionem valeret animæ & corporis sempiternam.

Tho. l. 1. n. 45.

* Lib. 4. c. 22.

Cumque † B. Etheldreda sexdecim annis fuisset sepulta; placuit Sexburgæ Abbatissæ ossa ejus de terrâ levari, & in locello novo posita in Ecclesiam transferri. Aperto igitur sepulcro, corpore ejus in lucem prolato, ita incorruptum inventum est, ac si eodem die fuisset defuncta sive humo data. Sed & linthiamina omnia, quibus involutum erat ejus corpus, integra & nova apparuerunt: quorum tactu variis passionibus afflicti curabantur. Necnon & loculum, in quo primò sepulta est, || nonnullos oculis dolentibus saluti fuisse perhibent. Loto igitur sanctissimæ Virginis corpore, novisque vestibus induto, in Ecclesiam B. Virginis Mariæ, quam à fundamentis construxerat, defertur; & in sarcofago, quod de Grauntecestriâ fuerat allatum, reponitur; in quo quidem sarcofago nulla reperitur junctura, ubi lapis lapidi cæmento connectitur. Sic enim operculum unitum est suo vasculo; ut nulla divisionis sit similitudo; nullatenus valet aperiri, nec qualiter arte dissolvi. Secundùm Bedam * prædictum Sarcofagum juxta muros civitatis de Grauntecestriâ fuit repertum, de marmore albo pulcherrime factum, operculo quoque † simul lapidis aptissimè tectum. Facta est igitur hæc Translatio || anno Domini

† Beda l. 4. c. 19.

Tho. l. 1. n. 47, 48, &c.

|| *l.* Nonnullis oculos, *ex Bedâ.*

* Lib. 4. c. 19.

† *l.* Similis, *ex Bedâ.*

|| Rectiùs anno 695. siquidem Etheldreda obierit 679. & Translatio post 16. annos facta sit; ut supra dictum est.

Tho. l. 1. n. 52, & 55. ni DCLXXIX. ſub die Kalend. Novembr. xvi. De loco autem, in quo primò corpus ejus fuerat ſepultum, fons aquæ oritur lucidiſſimæ; qui hucuſque manare non deſinit.

Tho. l. 1. n. 62. Poſt deceſſum verò Sanctarum prædictarum Eccleſia Elgæ minimè vacavit ab opere Dei; immò virtus divini cultûs ſub regimine beatarum fœminarum, non tepeſcente ſed magis ac magis ferveſcente fervore diſciplinæ regularis ac cuſtodiæ Monaſticæ profeſſionis, multorum annorum evolventibus orbitis floruit uſque ad annum Incarnationis Dominicæ DCCCLXX. In quo quidem anno Eccleſia Elienſis à Paganis Inguare & Ubbâ igne conſumpta eſt, extinctis Sanctimonialibus & omnibus qui intus erant. Et ſic ipſa ſancta religio, quæ à B. Etheldredâ in eâdem Eccleſiâ fuit inſtituta, quæ cxcvii. annis ſanctiſſimè duraverat, eſt deleta. Inter ipſos erat unus cæteris crudelior; qui dum tumulum S. Etheldredæ intueretur, theſaurum ibi poſitum arbitrabatur. Propter quod bipenni, quam manibus ſuis geſtabat, foramen fecit in tumulo marmoreo; quod huc uſque apparet. Quo facto, confeſtim oculis ejus à capite divinitus evulſis, ſacrilegam ibi finivit vitam: quod cernentes cæteri, ulteriùs Virginis glebam inquietare non præſumpſerunt. Ad ultimum verò flammâ & ferro cuncta conſumuntur; totus ferè Clerus trucidatur; adducitur in captivitatem quiſque reſiduus. Sicque locus miſerè tacebat à cultu divini officii omnino deſolatus; nullus, qui miniſterium implebat, remanet. Ex ipſis denique Clericis, qui deprædati fuerant, poſt aliquot annos octo reverſi ſunt: qui, prout poterant, porticus Eccleſiæ reſarcientes divinum officium ſolvebant. Verùm ipſis alii ſuccedendo Clerici non canonicè immò irreligioſè vitam duxerunt; de quibus quoddam mirabile contigit; videlicet, quòd unus eorum, Alſelmus nomine, ſub perſonâ alterius de illo, qui errori & facinori eorum conſenſerat, aſſeruit & ſcripſit. [In Anglorum gente Edredo regnante, Cœnobia ab utriuſque ſexûs Canonicis nomine non dignitate erant occupata diutiſſimè.] Contigit quoque ut Monaſterium Elgæ ſub eorum tranſiret dominio: quorum Archipresbyter, Præpoſitus & Magiſter inſtinctu Diaboli auſus eſt ſepulchrum ſacræ Virginis violare, hac ratione, ut ſciret an virgo Etheldreda tunc carne maneret integra. Dixit namque: Si virgo tam ſancta ut olim in præſenti jaceret Baſilicâ; per eam plurima Deus feciſſet miracula. Tunc unus ex ſacerdotibus ei dixit. Idcirco didaſcole, tales profers ſermones, quòd noviter ad Inſulam iſtam ex aliâ Provinciâ veniſti. Virtutum miracula minimè vidiſti, quæ Conditor rerum peregit per hujus ſacræ Virginis merita; ex quibus de pluribus pauca tibi referam; quæ paulò antequam huc adventares ſunt patrata. Quædam matrona, quæ circiter ſex annos erat paralitica; quidam adoleſcens per ſeptem annos mutus; quædam puella à nativitate cæca poſt tranſacta decem annorum ſpatia; quidam juvenis manum habens aridam: Item manus ſervulæ cujuſdam ſacerdotis die Dominico in orto olera colligentis lignum, quod manu tenebat & unde herbas evellere deſiderabat illicitè, tam firmiter adhæſit, quòd nullus hominum per quinque annos eùm potuit dirimere; per merita S. Etheldredæ curati ſunt. Quapropter te moneo Magiſter, ut ab illicitis inchoamentis ceſſes. Qui noluit à ſceleratiſſimo conamine ceſſare; ſed convocavit quatuor juvenes ex Clericali ordine; quos conduxit in ruinam faciles & condempnationem perpetrato crimine. Qui accipientes ſurculos marathi, unde * coperta fuit ſuperficies pavimenti, quoſque ponentes in ſarcofagi foramine, quod priùs bipenni Pagani in eodem fuerat factum, poſt dirum Magiſtrum omnes auſi ſunt corpus ſanctæ Virginis tangere; nec adhuc voluit quieſcere, ſed utrùm veſtes ejus integræ eſſent affectavit videre. Accipiens igitur candelam, adhæſit virgulæ; & per foramen immiſit tumuli; quæ cecidit ſuper ſacras veſtes ejus, ac manſit donec tota cremata eas contingere flammâ metuente. Qui nec adhuc ceſſavit; ſed virgam in uno capite acuit, & veſtibus

Marginal notes: Tho. l. 1. n. 66. — Tho. l. 1. n. 67. — Tho. l. 1. n. 68. — Tho. l. 1. n. 70. — Tho. l. 1. n. 71. — Tho. l. 1. n. 72. — n. 73. — n. 74. — n. 75. — n. 76. — Tho. l. 1. n. 77. — * *Compta. Monaſtic. & Cod. Cotton.*

vestibus Virginis infixit; quas usque foramen pertraxit; & quòd nullam læsionem habebant, cœpit mirari. Qui confestim ingentem machæram arripuit; & exiguam inde particulam de omnium suasione incidit: cæteris sodalibus quatuor, videlicet prædictis juvenibus, ipsam vestem sursum trahentibus & omni virtute retinentibus. Quæ postquam sceleratorum contactu est violata, ita ab eorum immundis manibus est subtracta: sicut retulit Presbiter, qui hujus criminis fuit particeps; quasi eam infra tumbam duo fortissimi milites retraherent; & quasi ipsa adhuc Virgo sancta vivens eis diceret: Nec Dei nec meam habeatis gratiam; quòd ausi estis corrumpere sindonem meam. Quid multa? Mox ingens pestis arripuit domum illius sacerdotis; quæ conjugem ejus ac liberos ejus citâ morte percussit; totamque progeniem funditus extirpavit. Ipsum quoque ad alterum commigrantem locum post paucos dies deduxit ad infernum; quoniam non purgavit per pœnitentiam scelus commissum. Sed & de quatuor ipsius fautoribus divina ultro peremit duos ociùs. Tertius cùm esset institutus officiis literalibus, Ecclesiasticis ac Sacerdotalibus; ita protinus in amentiam versus, quicquid scivit est oblitus; quasi nil didicisset penitus. Qui adhuc vivens luit pœnas de tam grandi facinore; quia per singulos menses perdit sensum mentis vigore deficiente Lunâ ætatem quam habebat repente. Quartus verò fuit prælibatus Presbiter Alfelmus; qui & ipse gravi ægritudine correptus, fermè per || octo menses mansit paraliticus; donec parentes sui mœsti ac dolentes, quibus erat unicus, detulerunt eum cum pluribus muneribus ad corpus beatissimæ Virginis. Qui dum ibidem ipsâ vigilarent nocte, promittentes per sacramenta satisfactionem; meruit eorum æger recipere sanitatem per virginis almæ Etheldredæ intercessionem. Et manè glorificantes cosmi redemptorem, læti reversi sunt ad eorum mansionem. Ecce quid infideliter dubitantis temeraria generavit præsumptio? Ecce quid injusta justè promeruit actio? Habeant ex hoc quilibet sacrarum Virginum indigni attrectatores reliquiarum; quòd non nisi cum cordis mundiciâ & humilitate id debent præsumere.

|| Septem. *Cod. Cot.* 1.

Sed nec quidem Ecclesia sic ab iniquorum cessavit Presbyterorum dominio; verùm sub eorum naufragosâ gubernatione usque ad decimum regni Regis Edgari annum fluctuabat. Hujus Regis tempore duo de Magnatibus Regis, Sygidwoldus Episcopus, natione Græcus, & Thurstanus genere Danus, visâ loci habitudine, magis eum cupiditate quàm devotione à Rege petierunt. Cùmque pari ambitione decertarent; ne alter de alterius vel contemptu insultaret vel obtentu invideret; medium se interjecit quidam, qui erat Regi à secretis, nomine Wlstanus de Delham; & hic divino magis instigatus nutu quàm humano ductus affectu, ne alteri eorum cederet avaræ petitionis effectus, Regem hac oratione convenit. Domine Rex, cùm tuæ saluti, honori atque regno cuncti providere debent; nemo nostrûm consulit istorum petitioni adquiescendum. Locus enim sanctus & celebris est, talibus indignus possessoribus; cujus antiquam dignitatem, ne ignoranter peccare cogaris, paucis tibi, si jusseris, expedire non differam. Exposuitque Regi per ordinem loci dignitatem, vitam & miracula gloriosæ Virginis Etheldredæ & sororum suarum. Quo audito, S. Ethelwoldus Wynton. Episcopus, qui erat Confessor Domini Regis & secretorum conscius, super auditis nimiùm delectatus, emit à Rege prædictam Insulam integraliter ab omni jugo regalis exactionis liberam & quietam in perpetuum. Cujus Regis auctoritate Ethelwoldus Episcopus Wynton. prædictos Presbyteros inde expulit; & Ecclesiam ipsam ab Inguare destructam & per centum annos desolatam atque regio fisco detentam diligenter innovavit; Monachosque introduxit; & virum religiosum nomine Brythnothum, Wynton. Ecclesiæ Præpositum, eis ordinavit Abbatem. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXX. ex quo autem Etheldreda fabricas illic incœpit CCXCVII. à devastatione verò Monasterii anno C.

Hic desinit Thomæ liber primus.

Tho. l. 2. c. 3.

Tho. l. 2. c. 4.

C. Clericos quidem Monachilem habitum suscipere consentientes in Monasterium suscepit, renuentes de Monasterio expulit. Multas quoque terras tam per se emptas quàm ab ipso Rege gratis datas, cum donis & ornamentis variis, atque privilegio regiæ authoritatis confirmatas, Deo & S. Etheldredæ totum commendavit; aliasque terras quamplurimas ab aliis emens Ecclesiæ adjecit. Contulit etiam Ecclesiæ nonnulla ornamenta, capas viz. plures, sed unam insignis operis. Dedit etiam in auro & argento multa preciosa & magna; quæ temporum vicissitudine infortunii ab Ecclesiâ distracta penitus consumuntur. Ipse iterum post hæc accessit ad Regem Edgarum; factâque conventione ex integro emit ab eo totam adjacentem regionem prædictæ Insulæ; sc. hydas terræ quas Rex infra Insulam habuit, sed & dignitatem & Socam septem hundredorum & dimidii, duorum videlicet infra Insulam, quinque verò & dimidii in Provinciâ Orientalium Anglorum; & quinque hydas apud Meldeburne, & tres hydas cum dimidiâ apud * Hernyngstede, & xii. hydas apud Northwolde, datis mutuò lx. hydis, quas ipse de dono Domini sui Adelstani Regis apud Hertyngham habuerat; datoque insuper precio centum librarum, cùm aureâ Cruce mirifico opere politâ Reliquiisque refertâ; quam gloriosus Rex in munimentum donorum suorum & loci libertatem cum textu mirifico super altare S. Etheldredæ in Ely gratanter obtulit. Has igitur terras à Rege emptas cum omnibus regiis consuetudinibus & cum privilegio æternæ libertatis corroboratas, S. Ethelwoldus Deo & S. Etheldredæ obtulit. Unde collectis omnibus terris, quas ipse infra aquas & paludes & mariscum de Ely adquisivit, Deoque & S. Etheldredæ dedit, inventæ sunt lx. hydæ. Item præfatus Rex dedit S. Etheldredæ xl. hydas terræ in pago qui dicitur Hatfelde. Ipse etiam dedit S. Ethelwoldo Manerium de Suthburne, eo pacto, ut ipse transferret Regulam S. Benedicti de Latino in Anglicum; quod idem Episcopus S. Etheldredæ obtulit. Idem Rex clamidem suam de insigni purpurâ ad modum loricæ auro undique contextam illuc contulit; de quâ Infula facta est. Dedit etiam de suâ Capellâ capsides & philateria, cum nonnullorum Sanctorum reliquiis, indumentorum quæque insignia.

* Æringeforde. *Hist. Thomæ.*

Tho. l. 2. c. 5.

BRYTHNOTHUS primus Abbas.

Præfatus autem Abbas Brythnodus à memorato Rege donatus, à B. Dunstano Archiepiscopo atque Ethelwoldo Ventano Præsule Ecclesiæ Elyensis consecratus, gregem Dominicum discretè atque sollicitè sub regulari moderamine instituit. Hic erat eximiæ prudentiæ summæque abstinentiæ, & in exequendis negotiis solerter intentus: nunc nova fundamenta jaciens in loco, & rura non modica adjiciens. Ipse fecit beatarum Virginum imagines; quas auro & argento gemmisq; pretiosissimè texuit; & juxta altare duas à dextris & duas à sinistris statuit; quæ & in dedicatione Willelmi Regis excrustare, & quæque meliora Ecclesiæ ornamenta ablata sola nuda ligna hactenus valent intueri. Item in tempore ipsius Abbatis Crux Christi loquelas edidit in protectionem Monachorum apud Wynton. dicens: *Absit hoc ut fiat*; *Absit hoc ut fiat:* videlicet ut personæ intromissæ de Ecclesiis expellantur & expulsæ restituantur. Interim prædictus Abbas tunc Ecclesiæ suæ viriliter instabat; quam cum summâ intentione à Danis quondam subversam ad perfectum erigere laborabat. Ex parte enim lapsa velut nova non sine grandi labore adimplevit; ac deinde tectis reparatis quæ fuerant igne consumpta, templum rursus ædificatum non minùs eximium aut eminens quàm priùs apparuit. Tandem deprecatione fratrum tam Abbas quàm Episcopus Ethelwoldus dedicationis diem obtinuerunt à beatissimo Archipræsule Dorobernensi Dunstano, tempore assignato die sequenti Purificationis S. Mariæ; cum quo multi Pontifices & Ecclesiarum Pastores ad tam festivam solempnitatem celebrandam

dam convenerunt. In primis officinas Monasterii benedictionibus repleverunt; & suâ auctoritate locum, & quæ alicujus fidelium largitione ibidem collata fuerant scripto consignantes, adhibitis excellentissimi Regis Edgari privilegiis, cum quibus universa confirmârunt. Post hæc dedicationem inceperunt in benedictionibus dulcedinis, in capite Ecclesiæ titulum B. Petri Apostolorum Principis ponentes, & in australi parte memoriam sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ; & diem exultabilem solempniter celebrantes, juxta ritum dedicationis templi in hymnis & confessionibus Deum benedicebant. Sicque post sancta Missarum veneranda officia, edentes & bibentes in Domino continuis vii. diebus festum agebant; ac demum in lætitiâ magnâ unusquisque remeavit ad propria.

Idem Abbas transtulit corpus S. Witburgæ de Derham apud Ely: de cujus origine & integritate legitur, quòd Withburga adolescentior filiarum Annæ sublimiter est nata, quod regnum cœleste consequendum, & juxta mare cum suâ nutrice in quodam vico paterni juris nutrienda tradebatur Holkam vocitato; ubi processu temporis in memoriam ipsius Ecclesia est constructa; quæ Anglicè || Withburwestowe dicitur. Præfata autem Virgo audito patris sui interitu, ad Sanctimonialem professionem confugit; ubi in umbrâ alarum Dei sperans suaviter requievit. Sed inde ubi nutrita fuit, recedens quasi viginti milliaribus, apud Derham in humilem locum paterni juris devenit; illic solitariè volens vivere elegit, ubi Monasterium condere satagebat. Cúmque Domino suo templum conderet; contigit ut nichil victualium præter siccum panem haberet, quod operariis ædificii apponeret; ob.quod ad Genitricem Dei confugit; eamque querulis precibus pro instanti urgere cœpit necessitate. Cui inter preces paululùm dormitanti astitit Virgo Maria, docens eam non sollicitari de victu corporeo nec cogitare de crastino. Mitte, inquit, diluculo puellas ministras ad proximum pontem silvestris fluvii. Ibi observantibus illis diatim occurrent duæ feræ lactifluæ; quas tractabiliter mulgentes solacium victui vestro interim administrabunt. Sic ancilla Domini cœlitus edocta, mittit manè multrices ad pontem præmonstratum, qui ferè uno stadio distat à Monasterio, quo stans silva grato irrigatur fluvio; unde continuò duæ assiliunt cervæ; quæ se familiariùs quàm domestica animalia præbebant multuræ. Has singillatim astantes vel succedentes mulgebant manus virgineæ; tantamque lactis ubertatem in vasa sua expresserunt, ut ydriam plenam duo viri injecto per ansas vecte humeris suis efferrent; & omnibus domi communis hæc copia sufficeret. Quæ supernæ largitatis beneficia cum cotidiano usu per aliquod tempus abundanter proficerent; Præpositus ipsius villæ, vir pravi ingenii, cœpit tanta miracula aut parvipendere aut irridere. Dehinc livore, cupiditate, superbiâ & indignatione agitatus, adductis canibus nitebatur insontes feras captare; contemptis sc. commodis, quæ Dominicæ exhibebant familiæ. At illæ exacerbatæ & absterritæ, procul in suas silvas aufugere. Villicus verò non tam bestiis quàm Dei domesticis gratuitò noxius, suæ malevolentiæ sine dilatione pœnas solvit. Nam eâdem horâ dum emissario equo feras insectatur fugaces; equus in obstantem sepem urgentibus calcaribus incurrit; sepisque acutâ sude transfixus ilia, dum resiliendo tergiversatur, sessor superbus supino capite excutitur, fractâque cervice exanimatur. Ablato autem lacte ferino, non defuit Dominus gregi suo; sed rediit qui defuerat victus tempore opportuno. † ***Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono***; qui mannam de cœlo pluit; qui Sampsonem de mandibulâ asini potavit; qui Elyam per corvum, item per viduam Sareptoriam pavit; & in multis Sanctis deificè copiosus extitit. Commendatis demum pupillis suis æterno Regi, de hoc sæculo migravit xvi. Calend. Aprilis, anno DCCXLIII. & in Cœmiterio Ecclesiæ Derhamensis sepelitur; & post annos ferè lv. sine corruptione corpus ejus inventum est, & in Ecclesiam, quam ipsa ibidem con-

|| Withburgstowe. *Cod.Cot.* 1.

† Psal. xxxiv. 10.

condiderat, translatum anno Domini DCCXCVIII. ubi usque tempora Regis Edgari servabatur, i. e. usque ad annum Domini DCCCCLXXIV. & ita requievit in prædictâ Ecclesiâ clxxvi. annis. Anno igitur Domini DCCCCLXXIV. Abbas Brithnothus de consensu Regis Edgari & Episcopi Ethelwoldi S. Withburgam de Derham in Ely fecit transferri viii. Id. Julii, & juxta sorores suas sepeliri; ibique requievit cxxxii. annis, h. e. usque ad annum Domini MCVI. in quo quidem anno Abbas Ricardus in novum Monasterium eam transtulit: sicut posteriùs docetur. De loco autem illo, in quo primò sepulta fuit apud Derham, fons aquæ lucidissimæ emanat.

Præfatus Abbas Bridnodus, quòd solus ad omnia attendere non suffecit, concordiâ fratrum virum honestum ex eis Leonem nomine sibi commilitonem extrinsecus posuit; & rei familiaris præposituram sibi commisit. Hic suâ industriâ fines regionis Elgæ metiri inchoavit; & quantâ auctoritate locus innititur, ostendit. Hic etiam fecit Crucem argenteam; quæ Crux Leonis Præpositi nominatur; in quâ forma corporis Christi ingenio artificis cavata Sanctorum reliquias Vedasti & Amandi continebat: quam Nigellus Episcopus de Ecclesiâ asportavit. Memoratus Abbas in hunc modum est martirizatus anno ab Incarnatione Domini DCCCCLXXXI. Quodam die contigit Abbatem Bridnodum ad Curiam Regis Edelredi pro Ecclesiæ negotiis proficisci. Cis Geldesdune per silvam, quæ Nova Foresta vocatur, ibat; ubi, ut fertur, ad usus naturæ remotiora loca repetiit; cavens, ut erat homo simplex & magnæ verecundiæ, undique circumspexit. Reginam fortè sub quadam arbore offendit nomine Aelstritham, suis veneficiis vacantem. Quo viso, non absque luctu & pavore ingenti in talibus se perceptam ingemuit: peritissima verò in arte mecanicâ, ut fertur, habebatur. Sed vir Domini ex hujuscemodi rebus turbatus nimiùm, quantociùs inde recessit; & ad Regis Curiam deveniens, magnificè susceptus, Ecclesiæ suæ negotia citiùs adimplevit. Itaque munificentiâ Regis perfunctus & exhilaratus, ad sua redire viam repetivit; & ne Reginam licèt abhorrens declinaret, ad ejus descendit Aulam; quam fortuitò ab omnibus vacuam penitus invenit. Tum celeriter Reginæ innotuit illius adventus. Illa verò petivit cum festinatione; ut ad illam solus veniret; quòd cum eo de salute animæ suæ nonnulla secretè tractare habuit, mandavit. Cui ingresso plures enormitates lasciviæ nimis favorabiliter & inverecundè locuta est; precibus & promissis illum veluti Sanctum Joseph mulier impudica si posset incontinentiæ sibi nodis allicere; æstimans fraude malignâ Sanctum Dei in scelere secum commisceri; quoniam per illum metuerat detegi à malitiâ, quam illam exercere invenit. Ille viribus & verbis obstat, negat & abhorret. Unde in furorem commota, evocatis ex suo nequam famulatu ancillis; & quia concepit dolorem, peperit iniquitatem; beatum virum neci tradere jussit: nolens eum superstitem, quem fore dubitavit suorum aliquando scelerum proditorem. Excogitat, quomodo illum extinguat, corpore à vulnere reservato immune, non apparente læsione. Admonet eas mucronum copulas in igne fervere; & sub acellis Sancti Abbatis imprimi usque dum spiritum excutiat. Quo facto, clamavit intrinsecus, velut tali infortunio pavefacta. Unde ministri Abbatis & qui cum illo venerant adcurrunt Monachi. Eum subitâ morte præventum ab eis audiunt & ingemiscunt. At illi ex eventu nimiùm dolentes, & voces lugubres emittentes, corpus Domini sui vehiculo imponentes, in Ely ad suam detulerunt Ecclesiam; nullum vulneris in eo comperientes indicium, sepulturæ tradiderunt. Martirizatus est itaque primus sanctæ Elyensis Ecclesiæ Abbas; unius mulierculæ suffocatus machinationibus: optans magis incidere in manus hominis, quàm legem Domini derelinquere: cujus anima cum Sanctis omnibus regnatura æterna in cœlis promeruit gaudia. De Reginâ verò sinistrum nemo aliquid

aliquid vel saltem mutire, sive malum in ipsam præsumpsit inferre sermonem. Poterat hoc verbum cunctos latere diuciùs: nisi quòd eadem de sceleribus, de suis veneficiis & nefandis operibus Dei miseratione compuncta; & maximè de interitu gloriosi Regis Edwardi primogeniti sui, quem palàm cunctis suis circumventum insidiis, ut proprius ejus filius Ethelredus levaretur in Regem, injustè peremisse confessa est; pro quo Cœnobium Sanctimonialium de Werewelle ex suis opibus fecit: ubi omnibus diebus vitæ suæ in luctu & pœnitentiâ permansit; & quali morte Brydnodum Elyensem Abbatem interfecit, ut præsignatum est, gemens & anxia ostendit: in quo loco tam in rebus quàm in possessionibus multa demum beneficia contulit.

* ELSINUS, Abbas II.

* Elsius. *Cod. Cot.* 1.

Primo igitur Abbate Bridnodo mortuo, Episcopus Ethelwoldus jubente Rege Edelredo alium nomine Elsinum in loco ejus constituit, & ipsum benedixit. Hic à dicto Rege carus & honoratus multùm extitit; sed maximè circa Ecclesiæ suæ utilitatem assiduus: unde locum suum sublimiùs augere cupiens, reliquias sanctæ Virginis Wendredæ à vico de Merch intulit in Ely, in scrinio ex auro & lapidibus decenter aptato imposuit; & quidem super hæc omnia Regem convenit; & taxato precio ab eo emit xix. Cassatos in Cadenhyo, Strethele & Lynton; pro quorum possessione idem Abbas eidem Regi contulit appensuram auri purissimi juxta magnum pondus Normannorum. Post hæc cùm idem Rex diem clausisset extremum; successit ei in regnum Edmundus filius suus, cognomento Ferreum Latus; qui Dei adjutorio audacter contra exercitum Danorum occurrit [ad] montem qui Assendum nuncupatur; strenui militis & boni Imperatoris officium exequebatur. Hostes similiter omnes perterreret; si perfidi Ducis Edrici non essent insidiæ, totusque ferè globus nobilitatis Anglorum illic cæsus est; qui nullo in bello majus unquam vulnus quàm ibi acceperunt: ubi Ednodus Lincoln. Episcopus, Ramesyensis quondam Præpositus, & † Wlsinus Abbas, qui ad exorandum Domino pro milite bellum agente convenerant, interfecti sunt; & fratres de Ely, ut mos est Ecclesiæ, qui cum reliquis accederant illuc, prostrati sunt; & reliquiæ Virginis almæ Wendredæ, quas secum attulerant, ablatæ, nec usque nunc Ecclesiæ sunt restitutæ. Fertur enim, tunc quòd ab ipso Canuto oblatæ sunt in Doroberniâ repositæ. Nec diu post hæc Rex Edmundus rediens Lundoniam perimitur dolo prædicti Edrici, veru ferreo in secreta naturæ transfixus, dum in secessu sederet; & sepultus cum avo suo Edgaro Glastoniæ; filiis ejus & fratribus nullam regni portionem existimantibus. Sed Canutus ab omni Anglorum populo in regnum levatur. Infra duos annos tres Reges Angliæ præfuerunt; ut adimpleretur, quod S. Dunstanus ad Regem Ethelredum locutus est in sermone Domini. Cujus Reginam || Elgivam, alio nomine Emmam, idem Rex Canutus in conjugium accepit; quæ sicut in illius tempore Elyensem Ecclesiam honoribus decoravit & donis, ita & sub isto illam augmentare intendit. Insignem quoque purpuram aurifriso undique cinctam fecit; & partes auro & gemmis preciosis mirifico opere velut tabulatis adornavit; illicque obtulit: ut nulla alia in Anglorum regione talis operis & precii inveniatur. Opus quippe illius materiam præcellere videtur. Atque cæteris Sanctis nostris pannum sericum unicuique, licèt minoris precii, auro & gemmis intextum obtulit; quæ penès nos hactenus reponuntur. Fecit etiam indumenta altaris, magnam pallam viridis coloris insignem cum laminis aureis; ut in facie altaris per diem solempnem celsiùs appareret. Desuper bissus sanguineo fulgore in longitudinem altaris ad cornua ejus attingens usque ad terram cum auri friso, altitudinem habens, spectaculum decoris magni precii administrat. Prædictus Abbas Elsinus post multam gloriam multasque possessiones

Anno 1016.

† Wlsius. *Cod. Cot. uterque.*

|| Ælfgivam. *Cod. Cot.* 1.

sessiones Ecclesiæ adquisitas, obiit, cùm sedisset xxxviii. annis; & juxta prædecessorem suum in Ecclesiâ est conditus, anno ab Incarnatione Domini MXIX. (c).

LEOFWYNUS, Abbas III.

(d) Huic successit Leofwynus; qui à suis dejectus, cum Egelnodo Dorobernensi Archiepiscopo petente pallium Romam perrexit; & in conspectu Benedicti Papæ de criminibus sibi objectis se purgavit; & sic in gratiam suorum recipi meruit. Hic cùm sedisset annis tribus, obiit.

LEOFRICUS, Abbas IV.

Et successit ei Leoffricus, ipsius loci Præpositus. Hos duos Abbates benedixit Alwynus Elmamensis Episcopus; tam Rege Canuto præcipiente, quàm toto Conventu id petente. Hic in septimo anno sui regiminis obiit.

LEOFFINUS, Abbas V.

Cui successit Leoffinus; qui jubente Rege Canuto ab Egelnodo Archiepiscopo Dorobernensi apud Walewych est sacratus. Hic insignia ornamenta Ecclesiæ suæ contulit, viz. Albam præclaram cum amicto & cum superale cum stolâ & manipulo ex auro & lapidibus contextis, atque Infulam rubeam mirando opere subtus & desuper floribus retro extensam, & velut quodam tabulatu gemmis & auro ante munitam. Idem statuit nutu & favore Regis firmas consignando, quæ per annum Ecclesiæ in cibum sufficerent. * Shelforth coluit firmam duarum ebdomadarum, † Stapilford unius, Litilbyry duarum, Trippelawe duarum, Hauchestone unius, & Newton unius, Meldeburne duarum, Grantedene duarum, Tostes unius, & Cotenham unius, Wynelyngham unius, Dittone duarum, Hornyngesey duarum, Stewchewerch duarum, || Botlesham duarum, Catenho quatuor, Swafham dierum trium, Spaldewyke duarum ebdomadarum, Somersham duarum, Bluntesham unius, Colne unius, * Hertest unius, † Brenchestone unius, Batelesdene duarum, Hecham duarum, Berkyng duarum, Nedyng unius, Wederyngsete unius, Brecham duarum, Pulham duarum, Thorp & Derham duarum, Northwolde duarum, Feltwelle duarum; Merham verò ad vehendum firmam Ecclesiæ de Northfolke, & ad suscipiendos ingredientes & egredientes de Monasterio. Et hæc si quid minùs statuto suis conferrent temporibus; Insula ad hoc deputata reliquum suppleret.

* Schelforth. *Cod. Cot. uterque.* † Stapleford. *Id.*

|| Balesham. *Cod. Cot. uterque.*

* Hertherst. *Cod. Cot.* † Drenchestoh. *Cod. Cot.* 1. Drynkeston. 2.

Tempore Regis Canuti || Elwynus Episcopus Elmamensis, sed priùs Monachus Elyensis, præcepto ipsius Regis in Betrychesworth, i. e. Bury, primò Monachorum catervam induxit, anno ab Incarnatione Domini MXX. secundùm Cronicam Mariani; quosdam de Holm, quosdam de Ely ibi collocavit; eisque subsidia affluenter contulit; auxilium impendente Thurchillo Comite; præfecitque eis Abbatem nomine Uvium; Presbyteros quoque, qui ibi inordinatè vivebant, aut in eodem loco ad religionis culmen erexit, aut datis eis aliis rebus in alia loca mutavit; & post multa beneficia sacris locis collata, de-

|| Alwinus. *Cod. Cot. uterque.*

(c) Hujus tempore insigne beneficium Ecclesiæ Eliensi accessit; quod Registri Eliensis verbis dabo. *Anno MXIX. quidam locuples Leowynus nomine, filius Aldulfi, quodam tempore nimiâ irâ contra matrem suam commotus, illam interfecit tempore Alsii Abbatis. Pro quo enormi crimine gemens & ejulans Romam perrexit. Ubi injunctum erat ei, ut plures faceret eleemosynas, &c. Qui dedit Monasterio Elyensi filium suum Adelmerum cum possessionibus, viz. Congestune, Rodyng, Undeleyan, Lalryngbeth, & tertiam partem de Wythleseyâ, & terram de Estreye, Cotenham, & Abbotesbay in London. & Glensford, piscationem de Upstane, firmam de Hatfeld. Ille cœpit muros Ecclesiæ dilatare, & ad Australem plagam ampliare; & suis expensis reliquo operi unitos consummavit.*

(d) Hunc alio nomine Oskitellum fuisse dictum constat ex Registo Eliensi.

mum

mum relicto proprio Episcopatu ad contemplativam quietem in Eliensi Cœnobio reversus; ubi usque ad finem vitæ permansit. Prædictus Abbas Leoffinus, cùm multa commoda suæ Ecclesiæ gessisset. obiit anno secundo Regis Edwardi, & ab Incarnatione Domini anno MXLIV. xv. annis Ecclesiæ præfuit. Sepultus est in Ecclesiâ juxta Prædecessores suos (*e*).

WILFRICUS, Abbas VI.

Ipso igitur defuncto, idem Rex Wilfricum cognatum suum Abbatem ad jam dictum Cœnobium apud Wynton de Novo Monasterio assumpsit; ibique à Stigando Dorobernensi Archiepiscopo benedici fecit, ii. anno regni sui, ab Incarnatione verò Domini MXLIV. Tempore istius Abbatis villa de Estre cuidam ad tempus vitæ teneri conceditur. Idem Abbas emit Manerium de Bercham pro xxv. marcis auri. Hic habuit quendam fratrem nomine Gudmundum; quem nimis carnaliter dilexit; cui absque titulo & subscriptionis testimonio subscripta Maneria dimisit; & hoc non manifestè, ne Monachis innotesceret; partem videlicet de Marham cum Curiâ Villæ Lyvermere, Nachentune, Acholt, Bedenesdene, Gerboldsham (*f*). Hic cùm diem clausisset extremum; frater ejus supradictus Gudmundus nequaquam prædictas terras reliquit; sed factâ conventione cum Abbate Turstano, qui ei successerat, ut quamdiu viveret, teneret. Sed citiùs Normannis regnum obtinentibus, miles illorum quidam Hugo de Munford easdem terras invasit, & hactenus Ecclesiæ detinuit. Post decessum Abbatis Wilfrici, qui sedit annis xxii. Stigandus Doroberniæ Archiepiscopus Abbatiam de Ely & Episcopatus atque Abbatias plurimas sibi assumpsit; & quibus voluit personis conferebat. Ipso suggerente Rex Aroldus prædictum Turstanum ab eodem Stigando benedici fecit anno Domini MLXVI. Prædictus verò Stigandus fecit unam casulam inæstimabilis facturæ & pretii, quam contulit Ecclesiæ Elyensi; quâ nulla in regno ditior atque pretiosior æstimabatur; quæ postea à Rege Willelmo est sublata, & in thesauris Wynton. reposita. Hic etiam fecit crucem magnam deargentatam desuper totamque, cum Imagine Domini nostri Jesu Christi ad magnitudinem fermè illius, atque similis operis Imagines Sanctæ Dei Genitricis & S. Johannis Evangelistæ ex ære fabrefactas; quas Nigellus Episcopus & plura alia postmodum abstulit ab Ecclesiâ.

TURSTANUS, Abbas VII.

Præfatus Abbas Turstanus apud Wycheford fuit genitus; & in Ecclesiâ de Ely à pueritiâ tam Anglicè quàm Latinè sufficienter edoctus. Tempore cujus Rex Aroldus, Godwyni Ducis filius, ab exercitu Willelmi Ducis Normanniæ, Edwardi Regis consobrini, interficitur & cum eo Majores Angliæ in Festo Kalixti Papæ anno Domini MLXVI. Deinde idem Willelmus Dux Normannorum victor existens, in die Nativitatis Domini sc. feriâ secundâ apud Westmonasterium est consecratus in Regem Angliæ ab Aldredo Eboracensi Archiepiscopo; quòd Stigandus Cantuariæ Archiepiscopus ab Alexandro Papâ tanquam Schismaticus suspensus erat. Unde idem Stigandus à facie Regis Willelmi fugiens, in Ely devenit; ad cujus mandatum Egfridus, quem prius Abbatem de S. Albano constituerat, cum thesauris illius Ecclesiæ & reliquiis ejusdem Sancti in Elyensem Insulam advenit. Item timore prædicti Regis Nobiles Angliæ ad Ely confugerunt. Inter quos fuit † Herwardus vir strenuus; & diu loci firmitate muniti contra Regem rebellârunt. Unde

† Herwardus. *Cod. Cot.* 1.

(*e*) Obitum ejus die 26. Novembr. contigisse docet Obituarium Eliense *Vespasian A.* 6.

(*f*) Mœrore confectum statim post alienatas Cœnobii terras interiisse dicit Registrum Eliense.

Rex gravi indignatione commotus, cuncta bona Ecclesiæ diripere jussit; & consilio || Willelmi Herfordensis Episcopi aliorumque Consiliatorum ejus quæcunque bona ac prædia Ecclesiæ, quæ foris erant, suis Militibus divisit. Monachi igitur Elyenses cognoscentes mala, quæ de bonis suis fiebant, graviter doluerunt; & habito consilio Regem adierunt apud Warwyk, anno videlicet septimo, ex quo seditionem adversùs eum commoverunt; & ut gratiâ ejus cum loci sui libertate ac bonorum suorum redintegratione potirentur, mille marcas Regi contulerùnt. Propter quod totum quod in Ecclesiâ ex auro & argento erat, viz. cruces, altaria, scrinia, textus, calices, patenas, pelves, situlas, fistulas, cisos, scutellas aureas & argenteas; insuper imaginem S. Mariæ cum puero suo sedentem in trono mirabiliter fabricatam; quam * Alfinus Abbas fecerat de auro & argento, similiter imagines sanctarum Virginum multo ornatu auri & argenti, Monachi spoliaverunt ad solvendum prædictam summam pecuniæ. Istis tempore prædicti Abbatis Turstani contingentibus, idem Abbas dies suos complevit; & ad patres suos est positus anno (g) Domini MLXXI. & v. suscepti sui gradûs anno, regnante præfato Willelmo. Qui cognito prædicti Abbatis decessu, ad Ely misit; & quicquid optimum in ornamentis & in rebus aliis ibi fuisse didicerat, in thesaurum suum jussit asportari; similiter pondus auri & argenti multum, quod in † Wynteworde inventum erat. Unde fratres vasa altaris demolita & dampna loci reparare cogitabant. Casulam quoque insignem, quam Stigandus Archiepiscopus eis contulerat, sicut dictum est, S. Etheldredæ abstulit; & in thesauris suis Wynton. posuit. Unde Ecclesia huc usque caruit.

|| l. Walteri.

* Elsius. *Cod. Cot.* 1.

† Wynteworth. *Cod. Cot.* 1.

THEODEWYNUS, Abbas VIII.

(h) Deinde idem Rex Theodewynum Monachum * Gemescìensem, curiis Normanniæ satis cognitum, in Ely constituit Abbatem; qui Abbatiam noluit suscipere, nisi priùs Rex ad eam revocaret quicquid inde abstulerat. Restitutis itaque spoliis Ecclesiasticis, Elyensem Abbatiam accepit; qui capam nivei candoris valdè insignem parari fecit; & unam tabulam ante altare ex auro & argento admirandi operis, in cujus medio tronus cum imagine Domini, & per girum imagines ex argento penitus deaurato, atque hinc inde zonis lapidibus preciosis exornatæ. Super divitias regionis Angliæ præcipuum æstimabatur, quam Nigellus postea Episcopus comminuit, & omne preciosum de Ecclesiâ. Præfatus Abbas post duos annos & dimidium sine Abbatis consecratione defungitur anno Domini MLXXIV. & Godefridum Monachum, qui individuus Comes ei adhæserat, tanquam Vicarium loco sui relinquens; qui septem ferè annis fidelis Procurator remansit ejusdem Ecclesiæ; non minùs, quàm si Abbas fuisset, ejus inserviens utilitati. Ipse impetravit à Rege; quatenus Abbathiæ totius possessiones jurari faceret. Anno igitur Domini || MLXX. facta est discussio libertatis Eliensis Abbathiæ; quæ Regis Willelmi defensione xiv. annis fuerat neglecta. Cui discussioni interfuerunt quatuor Abbates, plurimique Vicecomites & Milites probati Francigenæ & Angli etiam de quatuor Comitatibus, sc. Essex, Hertford, Huntyngdon, & Bede-

* l. Gemeticensem.

|| Anno 1080. 4. Non. April. *Sic Thomas habet l. 2. c. 74. rectiùs.*

(g) Eliensem insulam Willelmus Rex expugnavit, & Præsules ac Magnates Anglos captivos abduxit anno 1071. Ipse autem Turstanus Abbas non obiit ante annum 1072. Interfuit enim Synodo apud Wyndesoram 1072. in Festo Pentecostes habitæ, & subscripsit decreto Synodali de primatu Sedis Cant. ibidem lato; apud Malmsburiensem *de gest. Reg. l. 3. f. 66.*

(h) In hujus pariter ac Turstani Abbatis tempore designando Thomas annum unicum justo minorem posuit. Theodewynus enim Concilio Londinensi anno 1075. præsens subscripsit (apud Concil. Angl. tom. 2. & Registr. Cant.) & sub exitum ejusdem anni defunctus videtur. Illum enim die 4. Decembr. obiisse Obituarium Eliense prodit.

ford.

ford. Eſt autem libertatis hujus veneranda quietatio; ut ſancta Regina integerrimè ſua poſſideat ab inicio; ut Regum Edgari, Eadelredi, Eadwardi comprobatur privilegiis; quòd hæc Sanctorum & maximè Edelwoldi reſtaurata ſunt ſtudio, & ab omni ſæcularium poteſtate copioſè redempta commercio; & malignè renitentibus conſcripta & conclamata dampnationis imprecatio. Hanc validiſſimam diſcuſſionem & cautiſſimam inſtitutionem, ne quâ poſſit inquietari calumpniâ, provida & benevola ſe Regis accinxit induſtria; præceptis eam roborans, edictis confirmans, beneficiis augens, Cartiſque ejus muniens. Prædictus Procurator Godfridus, quæ in theſauris Eccleſiæ ſuæ reppererat, deſcribi fecit. Ipſe à Rege Willelmo ad Malmesberienſis Eccleſiæ regimen eſt tranſlatus ſine conſecratione, anno Domini MLXXXI.

SYMEON, Abbas IX.

(*i*) Symeon Prior Wynton. frater Walkelini Pontificis ejuſdem Eccleſiæ, Abbas Elyenſis Eccleſiæ delegatur; qui contra morem atque loci dignitatem & Regis præceptum, neſcientibus Eccleſiæ filiis, benedictionem percepit à Remigio Lincoln. Epiſcopo. Statuit enim Rex Edwardus, & Victor Papa confirmavit, Abbates Elyenſes ſine ſubjectionis obedientiâ à quocunque mallent Epiſcopo ordinandos; quâ libertate præcedentes Abbates uſque ad ejus uſi ſunt tempora. In ſuâ tamen Ordinatione hanc conditionem obtinuit; ut Epiſcopus hoc jus contra Abbatem ſequentem non vendicaret. Nactus igitur locum officii, præterita ſtudia novis ampliavit operibus: novo ſc. Eccleſiam Elyenſem ſuſcitans fundamento, reliquaſque officinas toto niſu coædificavit. In tempore ipſius Willelmus Comes Warennæ miſerabili morte obiit, propter quaſdam Villas; quas fratribus Elyenſibus violenter detinuit. In tempore etiam ſuo quidam Frater nomine Edwynus, qui mentem exceſſerat, per merita S. Etheldredæ ſanatur. Hunc enim ſtantem ad Completorium ad exeundum de choro, antequam horæ illius officium compleretur, Diabolus ſuadebat. Quem ſtatim cunctis ſtupentibus exeuntem crudeliter arripuit; totam ipſius mentem vertens in furorem. Erat enim ibi tunc unus de Monachis Winton. Godricus nomine, qui pro ſuâ ſanctitate Monachis Elien. in exemplum religionis ab Abbate eſt adductus. Hic, ut poſtea retulit, vidit quendam nigrum quaſi puerum cucullam adoleſcentis manu fortiter tenentem, & eum poſt ſe violenter trahentem. Item tempore ſuo duo muti à nativitate ad corpus S. Etheldredæ auditum recuperaverunt. Item tempore ſuo Pycotus Vicecomes Cantabrigiæ, genere Normannus, propter multa incommoda, quæ geſſit huic Eccleſiæ, quò venerit, cui diffugerit, vel qualiter interierit, ignoratur. Item tempore ſuo Gervaſius ſervus dicti Picoti valdè infeſtus erat hominibus S. Etheldredæ; omneſque ejus poſſeſſiones quacunque potuit gravedine impugnabat. Cui quadam nocte B. Etheldreda cum duabus ſororibus ſuis inſtar Abbatiſſæ cum baculo Paſtorali aſtitit; & aculeum baculi ſui loco cordis tanquam eum perfoſſurus inſeruit. Demum S. Witburga & S. Sexburga duris baculorum ſuorum ſtimulis eum pupugerunt. Ille verò gemitu terribili & clamore horribili expiravit. Item tempore ſuo Deus precibus S. Etheldredæ placatus, indignationem ſuam & iram de hoc loco avertit. Prædictus enim Abbas contumelioſè à Monachis correptus, eò quòd indebitè benedictionem ab Epiſcopo Lincoln. ſuſceperat, apud Regem obtinuit; ut decem Monachos de Wynton. adduceret; quibus tam interiùs quàm exteriùs miniſteria ſubegit. Unde incommoda huc uſque Eccleſia graviter perpeſſa dolebat. Item tempore ſuo Scotia tota contra Regem Willelmum rebellavit.

Thomas de mirac. S. Etheldredæ cap. 11. Cap. 6. Cap. 7. Cap. 8. Cap. 9. Cap. 10.

(*i*) De Symeone paria dicenda ſunt. Abbatiam Elienſem iſte adeptus eſt anno 1082. obiit 1094. fide Annalium Winton.

Propter quod ipse præcepit custodiam xl. Militum habere in Insulâ. Unde Abbas conduxit milites; clientes etiam & ingenuos, qui sibi adhærebant, plures præcinxit armis; habuitque ex consuetudine secundùm jussum Regis prætaxatum militum numerum, infra aulam Ecclesiæ victum cotidiè de manu Celerarii capientem atque stipendia: quòd intolerabiliter locum vexavit. Nec diu post Rex in Franciam properavit; ubi oppidum Rathiatum & omnes in eo Ecclesias, & duas Reclusas succendit; sed in ipso obitu rediit †, sepultusque est Cadomi. Præfuit enim genti Anglorum xx. annis & vi. mensibus. Cui successit Willelmus Rufus filius ejus; qui debitum servicium, quod pater suus imposuerat, ab Ecclesiis violenter exegit. Abbatiæ verò de Ely absque minoratione quater viginti Milites: quadraginta sc. ex eis quos pater suus in Insulâ ob custodiam indixerat teneri, iste nunc ex debito sibi compellit in expeditione parari. Propter quod Abbas ingemiscens, Deumque invocans judicem pro his quæ sibi egerunt, cùm vii. annos in Abbatiâ complevisset; factus est impotens sui; nil præter languorem per vii. annos continuos intendere potuit. Mancipia verò ipsius Abbatis, & cæteri in quibus confidebat, capite debilitato recesserunt in locum suum; & relictus est solus languens atque tabescens. Unus autem illorum, quem de imo extulit Abbas, cernens Dominum suum cunctis oneri esse atque despectui, quandam ruris partem in victum sibi usurpavit de jure Ecclesiæ. Multi etiam alii plura rapuerunt; quorum posteri usque in hunc diem attestantur se tenere de dono Symeonis Abbatis. Tandem verò Abbas secum excogitat suorum retundere superbiam. Convocavit ad se Judices regni; ut ipsi loco suo res Ecclesiæ protegerent adversùs inimicos. Moxque ingressi thesauros inquirunt; multos contumeliis afficiunt; Monachisque annonam licèt brevem constituunt; unoquoque sc. anno dari ad opus Fratrum ad vestimenta eorum lxx. libras, ad coquinam eorum lx. libras, & ad sagimen ducentos porcos, qui in curiâ pascuntur, & totum caseum & butirum, excepto hoc, quod est in firmâ Præpositorum; & unaquaque ebdomadâ vi. treyas frumenti, & x. treyas brasei, ad luminaria Monasterii, præsentem Ecclesiam cum sepulturâ villæ, & totum quicquid ad S. Bothulphum cum festivitate: & si tantùm fuerit de vino; habebunt in xii. Lectionibus caritatem & in Sabbato; sui autem medietatem medonis habebunt. Sicque externi usque ad ipsius Abbatis obitum cuncta Monasterii interiùs & exteriùs pro velle disponunt. Angustiis igitur constrictus Abbas Symeon, ætatis suæ transiens annum centesimum, & sui regiminis anno xiii. ab Incarnatione Domini MXCIII. die S. Edmundi migravit ad Dominum; locumque sui officii suâ & aliorum Abbatum per vii. annos viduatum præsentiâ post obitum suum dereliquit & contristavit, anno Domini MC.

† l. Reditu obiit

Reg. vetus Eli. cap. 16.

RICARDUS, Abbas X.

(l) Deinde Abbatia Eliensis donatur Ricardo Monacho Beccensi à Rege Henrico fratre prædicti Regis Willelmi ei in regnum succedente. Ipse enim anno Domini MC. Nonis Augusti die Dominico in Westmonasterio à Mauricio

(l) Hunc Ricardi de Benefactâ filium fuisse Ordericus Vitalis scribit, *Hist. Eccl. p.* 783. Depositus ab Anselmo Archiepiscopo in Concilio Londinensi anno 1102. circa Festum S. Michaelis habito, Romam in ejusdem comitatu profectus est medio anno 1103. *ubi contigit Anselmum quadam contra Regem eloqui, in quibus Ricardum sibi suffragaturum æstimabat. Ricardus verò pro Rege agens, omnes Archiepiscopi calumnias refellebat. Cujus rei rumor adventum ejus in Angliam præveniens, Regis gratiam plenissimè ei restauravit.* Verba sunt Dicetensis *in Abbrev. Chron.* p. 499. Obiit Ricardus anno 1107. 16. Junii, juxta Obituarium Eliense *Claudius A.*8. quamvis Anniversarium ejus tempore Quadragesimale celebrari consueverit.

ricio London. Episcopo est consecratus in Regem, & à Thomâ Eboracensi coronatus; & eodem die coronationis suæ Abbatiam S. Edmundi dedit Roberto filio Hugonis Comitis Cestrensis, & Abbatiam de Ely Ricardo filio Gilberti Comitis; cujus uterque parens de regiâ stirpe descendens, illustrem sobolem sub veste Monachicâ in Beccensi Monasterio dedicârunt. Cùm igitur successu temporis præfatus Ricardus à Rege præfato ad regimen Ecclesiæ Elyensis esset promotus; ipsum primò aggreditur Robertus Lincoln. Episcopus; dicens sui juris esse, ut eum in Abbatem benediceret; cui juri decessorem ejus Symeonem decessori suo Remigio causatus est obedisse. Ricardus verò violentam in Symeonem indebitamque illius benedictionem fuisse protestans, jure suæ Ecclesiæ & plurimâ auctoritate se ab illius benedictione defendit; timens ne maledictionem pro benedictione incurreret, si contra jus suum se benedici pateretur. Post Episcopalem conflictum regalis ira eum infestavit, instinctu æmulorum ipsum quoad tria accusantium, sc. quòd nimis pompaticè ad Curiam Regis accessit; quòd per omnia præceptis Regis noluit obedire; quòd quendam mimum ejus sibi conviciantem turpiter de domo suâ ejecit. Propter hæc Rex de Abbatiâ eum expulit; baculumque suum sibi reddi jussit. Qui Romam appellans, baculum ad Ecclesiam Elyensem per fratrum licentiam recessurus reposuit. Sicque Abbas à Rege prægravatus Romam [ivit,] & in præsentiâ Paschalis Papæ causam suæ necessitatis exposuit; à quo in gratiam susceptus, & in magnâ veneratione habitus, impetrans quod petierat, auctoritate Apostolicâ Ecclesiæ Elyensi est restitutus. Ubi Ecclesiam suam à prædecessore suo incœptam ædificavit; in quam quidem Ecclesiam corpus S. Etheldredæ transtulit in conspectum de veteri Ecclesiâ, i. e. de loco in quo S. Sexburga eam collocaverat, ubi & S. Ethelwoldus postea destructam Ecclesiam renovans, eam intemeratam, irremotam & inconspectam & non sub terrâ delitescentem sed desuper eminentem, sicut invenit, reliquit.

Translatio Sanctarum Virginum per Ricardum Abbatem facta.

Ex Thomæ libro de translat. S. Etheldr.

Facta est hæc Translatio anno Domini MCVI. sub die Kal. || Novembr. xvi. quo quidem die prima ejus Translatio à S. Sexburgâ facta tanquam una cum novâ celebratur. Eodemque die facta fuit Translatio Sanctarum Sexburgæ, Withburgæ & Ermenildæ condecentissimâ ordinatione; ut omnium esset una solempnitas, quibus erat una fides, unus spiritus & una caritas. Collocatâ itaque decenter primiceriâ Etheldredâ contra majus altare, sepulchra Sanctarum Sexburgæ & Ermenildæ, quæ S. Ethelwoldus plumbo ex utrâque parte signaverat, aperuerunt; quarum glebas more conditionis humanæ reperiunt defluxisse. In sericis namque & sindone mundâ corpus S. Sexburgæ, seorsim ossa, & seorsim pulverem invenerunt; & utramque partem in singulis scriniis ex ligno compactis in monumento lapideo, ut Beatus reliquerat Ethelwoldus; quam ad Orientem versùs pedes S. Etheldredæ solempniter reposuerunt. Reliquias verò S. Ermenildæ in nudo sepulchri pavimento absque velamine invenerunt à B. sic Ethelwoldo repositas. Quas colligentes in mundissimo panno, & pulverem per se involventes, in pristino Mausoleo reposuerunt; & ad Austrum in dextris S. Etheldredæ haud dissimili diligentiâ locaverunt: & utrumque Mausoleum plumbo iterum Abbas Ricardus resignavit. Virginea autem gleba S. Witburgæ integra & vestibus & membris tota apparuit; sicut primitus erat imposita. Lignea etiam theca ferreis cum clavis exesis, cum quâ in Ely fuerat delata, servata & illæsa. Interea quidem Senior ex Apostolico ovili Westmonasterii Warnerus nomine, ut inter plures convenerat, mirâ fidei audaciâ accessit; virginea membra passim tangit; & vestigiis, manibus & brachiis flexibiles artus reverenter attollit: exclamansque Dei mirabilia, plures ad spectandum attraxit. Verumptamen tectum nivalibus operi-

|| Octobr. *Thomas legit.*

operimentis decorem nullius irreverentia attigit. Candet Domino rosatis genis facies, spiraculo vitæ inspirata; vernant suâ integritate stantia ubera; florent Paradisiacâ amœnitate innuba membra. Istud etiam vidit Herbertus Episcopus de Thetford, & alii plures, qui huic Translationi interfuerunt. Imposito igitur operculo, & clauso diligenter sarcofago, in quo priùs jacuerat, de veteri Monasterio in novum eam transtulerunt ad beatam sororem suam; & contra Orientem ad latus suum eam componunt. Ab illo igitur die cœpit idem Abbas S. Withburgam pro suâ integritate singulari devotione venerari; thecamque argenteam ei fecisset, si diu vixisset. Aliæ namque occupationes variis eum modis ab hoc opere retardabant; & maximè quòd Episcoporum Lincoln. calumpnias contra se de mutando in Episcopatum Elyensi Cœnobio cassare nitebatur. Ipse quidem primus hanc causam occultè penès Regem agebat. Cujus favorem consecutus, nuncios ad Apostolicum eodem anno super hoc direxit negotio. Idem Abbas ab Episcopo Ranulpho Dunelmensi villam de Hadham, quam violenter per Clericos London. Ecclesiæ suæ abstulit, justâ diffinitione coram Rege abegit; sicut Carta Regis ostendit. Ipse anno sui regiminis vii. in lecto decedente Sanctamque Withburgam prope se assistere cernentè obiit; & in crastino in Monasterio est sepultus. Nuncii autem qui Romam adierunt, auditâ Domini sui morte, negotium dimiserunt.

Jam patet, quod exordium Ecclesia Elyensis habuit à primâ fundatione usque ad tempora Episcoporum. A tempore enim, quo primò cœpit Monachos habere, hoc est, à tempore regni Regis Edgari decimo, usque ad annum regni Henrici I. nonum, h. e. cxxxix. annis, hos ad invicem succedentes sibi Abbates habuit, Brithnodum, Alsynum, Leofwynum, Leoffricum, Leoffinum, Wilfricum, Turstanum, Theodwynum, Symeonem, & Ricardum. Qui domûs suæ oppressionem non ferens, calumpnias æmulorum justâ refellit oratione; Regum & Apostolicorum fultus auctoritate, viriliter sua ex hostibus abegit: ostendens palàm Ecclesiam suam, ex quo illic Monasterium constructum est, primò à S. Augustino Anglorum Apostolo, per beatum videlicet Regem Ethelbrithum, deinde sub beatissimâ Etheldredâ & ei succedentibus fœminis sacris, & nunc quoque tempore Abbatum, libera constitit, nullius præpedita jugo subjectionis; sed quemcunque magis optabant vel diligebant, Archiepiscopum sive Episcopum ad sua sacranda vocabant: Episcopum verò Lincoln. nil juris inde habere aut exigere debere innotuit; pluribusque asseruit privilegiorum testimoniis. Sed quùm Ely suæ parochiæ confinis esse cernitur; arbitratur illam sed falsò, sibi assiduis molitur accusationibus subjicere. Unde licèt post multa contumeliosè illata, ductor gregis Domini Abbas Ricardus prudenter secum tractavit locum ipsum in majorem provehere dignitatem, ac penitus malignantium versutias hominum retundere: & ut in Episcopatum commutaret, secretò à Rege obtinuit. Tamen non ipse, sed qui ei successerat, negotium peregit.

RICHAR-

RICHARDI,

Prioris Eliensis,

Continuatio Historiæ Eliensis

Ab anno MCVII. ad annum MCLXIX.

Processus, qualiter Abbatia mutabatur in Episcopatum.

[*Cod. Cotton.*] Prologus de temporibus Episcoporum.

SAncti Spiritûs, qui unicuique, prout vult & quantum vult, inspirat & infundit, assit mihi gratia; qui licèt inscius sum & indignus manum mittere ad calamum propter & exilem sensum meum ac nimis obtusum; ferventi tamen animo sed multùm paventi ductus, ad honorem Dei & sanctæ suæ Virginis Etheldredæ gloriam, de statu Elyensis Ecclesiæ & de Pastoribus & prælatis Ecclesiam regentibus illam ab anno Incarnationis Dominicæ MCVIII. regni verò Henrici Regis primi anno ix. usque ad præsens; necnon de Miraculis quibusdam, quæ per merita ejusdem Virginis gloriosæ nostris temporibus ab ipso facta sunt, à quo bona cuncta procedunt; suis locis scribere intendo: non de meipso præsumens, sed præceptis majorum meorum, prout teneor, humiliter obediens: in Dei auxilio & almæ Virginis Etheldredæ patrocinio firmiter confidens. Opus incœptum in Dei nomine toto, sicut dederit, persequar conamine; ut Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum in Sanctis suis præsertim in suâ Sanctâ Virgine Etheldredâ glorificandi posteris relinquatur exemplum; & ut devotio populi ad ipsam sanctam Virginem ampliùs excitetur: necnon & ut Christus Jesus per ipsam & per sua merita devotis fidelibus suis sanitatem corporum ac salutem animarum ex suâ admirabili potentiâ frequentiùs operetur.

HERVEUS, primus Episcopus Eliensis.

(*m*) Post mortem Ricardi Abbatis mittitur à Rege Henrico ad Cœnobium

Ricardus Hist. genuin. cap. 1.

(*m*) Herveus cognomento Cruste, Bangornensis Episcopus, *cui Rex Henricus curam de salute suâ commiserat*, autore Dicetensi *de Præsul. Angl. c.* 14. Walliâ non tam ejectus quàm *spe majorum divitiarum* (si Malmsburiensi aliisque fides) sponte egressus, dono Regis Henrici Abbatiam Eliensem anno 1107. accepit jure commendatorio tenendam, eidemque in Episcopatum conversæ Episcopi titulo præesse cœpit medio anno 1109. Annum quidem 1108. Ricardus Sedi fundatæ posuit; annum autem 1109. Florentius, Parisius, ac testis omnibus major Eadmerus *Hist. nov. p.* 104. cujus verba inferiùs habes in annotatione ad Ricardi Historiolam *de Conversione Abbatiæ Elien. in Episcopatum.* Datum est Roberto Episcopo Lincoln. loco abrepti à Diocesi suâ Pagi Cantabrigiensis Manerium de Spaldwick; quod Ricardus rectè tradidit. Malè autem Godwinus maneria de Bicclesworth & Bokden huic addidit. Unicum enim Spaldwick agnoscunt Malmsburiensis, Dicetensis, Ricardus in Historiâ uberiori, Registra Ecclesiæ Elien. plura, & Historiæ istius Codices, quos vidi, omnes. Herveus obiit 1131. 30. Augusti, ex fide Annalium Winchelcumb. Continuatoris Florentii, & Obituarii Eliensis vetustioris. Annum 1130. Ricardus, 1134. Parisius, diem 5. Octobr. Obituarium Eliense alterum, malè posuerunt.

Eliense

Herveus gessit in campo azureo duo aurea bacula Episcopalia in modum Crucis S. Andreæ, in capite mitram auream.

Elyense Herveus Pangornensis Episcopus, à suo Episcopatu per violentiam ejectus; ut ibi de rebus Ecclesiæ ad tempus sustentaretur; donec Rex pleniùs deliberâsset, quid de eo esset facturus. Ipse igitur illuc veniens, gratiâ, conversatione & mirabili prudentiâ, omnium penè Monachorum sibi alligavit affectum; ut si fieri posset, eum sibi Episcopum adoptarent. Quam circa sic affectionem aspiciens, cœpit paulatim quibusdam circumlocutionibus loci utilitatem eis proponere, fratrum animos attemptare, & multa jocunda promittere: si Abbatiam in Episcopatum promovere, & seipsum vellent in Episcopum suscipere. Ad quod efficiendum suum quoque eis promisit auxilium, dum tamen suum illi præberent assensum. Ipsis autem facilè ad eum conversis, ipse Regem adiit; Rex petita concessit. Robertum Lincolniensem Episcopum ad colloquium invitavit; ut quia ille locus in ejus Episcopatu videbatur, sine ejus conniventiâ non fieret ista mutatio; ne Diocesis ejus pateretur injuriam; si inconsulto suo Episcopo alius in eam induceretur Episcopatus. Postea oportuit, ut futurus Episcopatus aliquam haberet parochiam; quam sibi impertiri de Lincolniensi Ecclesiæ canonica justitia cum æquâ compensatione postulabat. Datum est itaque Manerium de Spaldwyk Lincolniensi Ecclesiæ in jus perpetuum pro commutatione Episcopalis curæ super pagum Cantebrigiensem. Et finito hoc inter Regem & Robertum Episcopum secreto negotio, Monachis omnino inconsultis Ecclesiæ filiis & ignorantibus, Herveus Episcopus cum literis regiis ad confirmandum hoc propositum Romam destinatur. Quò veniens, impetravit quod petiit: Ad Regem & Archiepiscopum Anselmum & comprovinciales Episcopos literas Apostolici Paschalis super causâ suâ quales optabat, reportans. Quibus visis, assensum eorum obtinuit; & sequenti anno totum negotium suum consummavit: anno videlicet Domini MCVIII. Pontificatûs autem Papæ prædicti anno x. Quo etiam anno idem Rex Henricus Abbatiam Elyensem ad Episcopalem Sedem mutavit; & eundem Herveum Episcopum eidem Ecclesiæ præfecit.

Ric. c. 3.

Ric. c. 5.

Confirmatus igitur Herveus in Episcopum, studiis omnibus res Ecclesiæ suæ augere curavit; & varia impedimenta, in quibus Ecclesiam obligatam invenit, toto annisu vivaciter abolevit. Erant autem plures res Episcopatûs violenter tenentes; quorum potentia partim ex datâ Regi pecuniâ, partim ex propinquorum copiâ succrescens, invito Episcopo imminutionem Pontificis & quædam Pontificatûs officia in rebus extrinsecis aliquamdiu obtinebant; ipsumque Pontificem quibusdam factionibus frequenter infestabant. Horum malignitatem ægrè ferens Episcopus, sano consilio tandem molitus est eam extirpare; miserum reputans tot Laicis subjectam habere cervicem. Præterea quædam jura regalia de custodiâ apud Norwycum de xxv. solidis & quinque denariis & obolo ad opus vigiliarum Norwycensium eum onerabant; gravesque operationes eidem Castello debitas molestas habebat. Terras quoque Episcopatûs nonnulli per surreptionem invaserant; Episcopo nec respondere nec servitium dignantes facere. Primùm itaque Regis animum quo potuit modo sibi allexit; & tantâ donorum, amicorum, precum copiâ, gratiâ, instantiâ apud eum obtinuit: ut custodiam Norwycensem sibi & hominibus suis valde onerosam suis cervicibus deponeret, & ad sui Castelli jus perpetuâ donatione converteret. His etiam ejectis, qui magisterium Insulæ contra ejus dominium usurpaverant; & remissis operationibus & consuetudinibus & vigiliis, Norwicensis castelli stipendiis, subjectisque suo dominatui aut penitus expulsis, qui terras Ecclesiæ de eo recognoscere noluerant. Quadraginta etiam libras de illis centum libris, quas prædicta Ecclesia solebat dare de scutagio, à Rege sibi remitti impetravit; & de xl. solidis de * Wardpam, qui requirebantur de terrâ suâ, se & homines suos absolvit; & de his omnibus cartas

* Wardepany. *Cod. Cot.* I.

cartas perpetuæ libertatis singillatim de unoquoque negotio proprias adquisivit.

Ipse impetravit locum de * Chartriz; & Ecclesiæ suæ jure perpetuæ possessionis adjecit. Ipse etiam impetravit, quòd Ecclesia sua sit libera de omni tholoneo ubique per Angliam. Præfuit igitur Herveus Episcopus Ecclesiæ Elyensi; in cujus parochiâ est Thorney Monachorum & Sanctimonialium de Chatriz & Canonicorum de Bernewell. Sed victum Monachorum Elyensium de rebus Episcopalibus divisit, statuens eis pro multis, latis & optimis particulas terrarum steriles, & vix aliquas fertilis glebæ; quæ † si nec advenientibus hospitibus ad annonam sufficiunt; ut legitur in gestis Pontificum Anglorum: quòd Episcopatus de Ely cùm mille & || octoginta librarum pretii æstimaretur; nequaquam numerus loci debitus scilicet * lxxii. Monachorum ac servorum totidem; sed multò minus viz. † lx. minutissimè sustentantur; quorum usui disponente Deo atque ditioni cuncta Episcopi fuerant distributa atque disposita. Jam enim tutum se intelligens Episcopus à Rege, eos minorare in omnibus cogitat: licèt ipsi nunquam consentirent scripto vel alicujus testimonio; sed suspirando gementes tacebant, ne viderentur Regi dissentire. Terrarum igitur nomina, quas Monachis per Cartam suam concessit, sunt hæc. 'Infra 'Insulam, Suttoun, Wycham, Wycheford, Wynteword, Tydbrythsey, Stun-'teneya, cum xxiii. millibus anguillarum, quæ adjacent Manerio, & omnes 'apparatus & oblationes altarium matris Ecclesiæ ad sustentandas ejusdem 'Ecclesiæ necessitates, & Ecclesiam S. Mariæ de Ely cum terris & decimis & 'omnibus rebus ad ipsam Ecclesiam spectantibus; & nominatim totam deci-'mam de Bertonâ in Ely, & unâ vaccariâ in Bela & Stretham, sub hac divisi-'one, ut duæ partes pertineant ad domum hospitalitatis, tertia verò ad ne-'cessaria Monachorum; quatuor quoque pensas casei in Dereford, & sex 'pensas salis in Tyryngtoun; quinetiam ligna in Somersham & Bluntesham; 'sicut meliùs habuerunt tempore prædecessorum in exordio. Et super ripam 'de Bluntesham unam mensuram terræ cum quinque acris, ubi colligantur 'ligna, & cum octo acris prati, unde pascantur boves, qui ligna attrahunt: 'vineam etiam suam in Ely, sicut habuerunt, antequam ad Episcopatum ve-'nirem: & sex piscatores ad piscandum in aquis ubi solebant, cum eorum 'mansionibus. Extra Insulam, in Cantebrigscirâ, Hawkestoun, Newtoun, 'Shelford, Meldbourn, Melred, Swafham, & xii. sceppe frumenti & brasei, 'quas debent hæredes Hardwyni de Scalariis. In Suffolchiâ, || Berecham, 'Wynestoun, Stoca, Meltoun, Balderesey, Suthburium, Brythwellam, cum 'Rixmerâ; Soca quoque quinque hundredorum & dimidii, Lakynghythe, 'Undeley, Shepey, Fotysthorpe, ad mandatum Monachorum: Et xxx. mil-'lia allecum de Dunewyco. Concedo eis etiam omnes servientes suos de 'omnibus ministeriis, ut eos cum suis mansuris liberè possideant; universa 'dona, quæ eisdem ante tempus Episcopatûs mei sive tempore meo data 'sunt, vel in posterum dabuntur, sive in terris, sive in Ecclesiis, sive in De-'cimis, sive in piscariis, sive denariis, sive in quocunque redditu, quem eis 'quilibet fidelium hactenus contulerit, sive postmodum collaturus sit. Om-'nia autem præscripta, insuper & Curiam suam, ipsis concedo cum universis 'libertatibus & consuetudinibus; quæ in terris, quæ mei juris sunt, servan-'tur; nichil prorsus excipiens, ita ut aliquis posterorum meorum ipsorum 'rebus vel omnino se intromittat; nisi quòd eosdem cum omnibus possessio-'nibus suis fideliter & indesinenter protegat & defendat.

In tempore prædicti Episcopi hæc contigerunt miracula; videlicet quòd turris Ecclesiæ S. Petri, quæ in portâ fuit sita, à summo cacumine nocte igne fulguris erat accensa; sed subveniente Dei misericordiâ ab igne mirabiliter est erepta; Item quidam contractus, nomine Witgarus, ad tumbam S. Etheldredæ sanatur. Item quidam ydropicus, nomine Baldewynus, similiter quædam

* Chateriz. *Ric.*

Ric. c. 7.

† Sibi. *Ric.*

|| Octingentarum. *Ric.*

* lxx. *Id.*

† xl. *Id.& Cod. Cot.* 2.

|| Bergham. *Cod. Cot.* 1.

Thomas de mirac. S. Etheldr. cap. 12.

Cap. 44.

quædam mulier contracta, per merita S. Etheldredæ curatur. Item tempore Hervei ipsius S. Edmundus colono cuidam de villâ Exnynge in visu apparuit; atque suscitans his eum verbis alloquitur dicens: *Vir bone, quæ dico diligenter attende; quæ tibi jubentur efficaciter comple; & surgens ad Episcopum de Ely properanter ascende; eique meo nomine dices, quatinus mihi paret viam, qua Dominam meam beatissimam Etheldredam adire queam.* At ille mox in Ely, sicut jussum fuerat, ad Episcopum festinavit; & mandatum, quod accepit, illi denunciavit. Qui ut talia audivit, præ gaudio flevit; & si fortè valeat hoc implere, à pluribus inquisivit. Et cùm negotium multis commodum suscipere nemo præsumeret; ipsius Ecclesiæ Monachus quidam Johannes nomine accedens, naturâ, verbo & vultu simplicissimus, coram Episcopo obtulit se dicens opus hoc & velle & cum Dei adjutorio posse perficere. Nam postea jussus ab ipso Episcopo, à terrâ de Soham cœpit metiri atque arundinetum in viam sternere; alveos etiam fluminum ponticulis cinxit. Sicque ubi ille Deo dilectus in brevi proficiens opus cœlitus provisum explevit, per invia paludum usque in Ely viam semitæ fecit; mirantibus cunctis atque Deum benedicentibus. Item tempore hujus Britstanus compeditus & in carcerem trusus Londoniæ, à vinculis suis solvitur per S. Benedictum, S. Etheldredam, atque Sexburgam, eundem in carcere visitantes. Item quidam à dolore capitis liberatus est, adjungens genæ suæ boias, quibus prædictus Britstanus ligatus fuit; quas secum apud Ely detulit. Item Magister Radulphus [Ludimagister Donewicensis] per invocationem nominis S. Etheldredæ ab inflatione gutturis liberatur. Item quidam Miles de || Beringham omnibus membris destitutus, pristinæ sanitati est restitutus. Item in tempore suo quidam nobilis [Robertus de Alta-ripa] habitum Monachalem apud Ely suscepit; qui ante ingressum suum Deo & S. Etheldredæ contulit Manerium de Estune; quod Ecclesia diu liberè possedit, donec prædictus Episcopus illud cuidam consanguineo suo distribuit.

Cap. 43. — Ric. c. 8. — Tho. de mirac. Etheldr. c. 13. — Tho. c. 14. — Id. c. 15. — Id. c. 16. — || Berningeham *Tho.* — Tho. c. 17.

Post hæc idem Herveus finem vitæ suæ instare sentiens, præ nimiâ senectute decidit in languorem; & ad Monachatum se præparat; sed variis causis mediantibus rem tamdiu differre cogitur inde, donec morte superveniente defungitur: cùm Ecclesiæ Elyensi præfuisset annis xxii. anno Dom. MCXXXIII. * Calend. Septembris; & pridie Kalend. ejusdem in Ecclesiâ Elyensi sepultus quievit. Post cujus obitum possessiones Ecclesiæ regia manus statim involvit; & Magistros crudeles Monachis præposuit. Circa illud tempus S. Etheldreda apparuit, cuidam Militi nomine Roberto de Altâ ripâ; promittens ei remedium salutis. Item B. Etheldreda visa fuit orare in quadam Capellâ: in unâ manu Psalterium tenuit, in aliâ verò cereum accensum. * Herveus Episcopus contulit Ecclesiæ Eliensi unam Albam de serico; cujus paratura de aurifriso optimo per girum consuitur, cum collario uno. Item unum favonem, unam casulam quæ vocatur Pascha floridum; duo magna tapeta, & unum baculum pastoralem in superiori parte deauratum, &c.

Ric. c. 9. — * iii. Cal. *legunt Ricardus & Codex Cotton.* 2. — * Desunt ista in Codice Cotton utroque.

NIGELLUS, Episcopus II.

Ric. c. 10. — Fert gules, in tribus manibus argenteis, coronam, clavem, crumenam aureas.

(*n*) Mortuo igitur Herveo primo Episcopo Elyensi, postquam xxii. annis sedisset, Monachis petentibus concessit Rex Henricus; ut non alium, sed quendam Clericum suum Nigellum Thesaurarium suum eligerent. Rege igitur imperante

(*n*) Nigellus, Rogeri Saresberiensis Episcopi nepos, ad Episcopatum Eliensem à Rege nominatus anno 1133. post Pentecosten, apud Lametham ab Archiepiscopo Cant. eodem anno consecratus fuit. Ista Huntindoniensis & Annales Winchelcumb. produnt. Dies Ricardum rectè posuisse opinor. Quantâ iste solertiâ Thesaurarii regii munus exsequutus fuerit, Gervasius Tilberiensis in libro MS. *de Scaccarii juribus &*

perante & favente apud † Buriam in Episcopum datus est anno tertio obitûs Prædecessoris sui, v. Kalend. Junii, anno Domini MCXXXIII. & à Willelmo Archiepiscopo Cant. est consecratus anno eodem apud Lambythe || Kalend. Octobris. Hic ad Episcopatum suum veniens, cum magno honore intronizatur. In crastinum verò Capitulum Fratrum ingessus, exhortationis eis verba prætendit; & se velle magis eos omnibus diligere spospondit; resque sanctè tueri, dispersa congregare, & congregata illibatè servare fatetur. Hæc latiùs in Opusculis Ricardi fratris nostri Historiarum studiosissimi inveniuntur.

† Burnam. *Sic Ricardus & Cod. Cot.* 2. Burnham. *Cod. Cot.* 1.
|| 3. Cal. Oct. *Cod Cotton. alter & Ricardus, malè.*
Ric. cap. 11.

Interea Regis Thesaurarius & custos reipublicæ extiterat, Londoniam adiit; & cuidam nomine || Ranulpho totius Episcopatûs curam commisit. Qui ut jura prædiorum possessionumq; Monachorum usurparet, malignis susurrationibus Episcopum sæpiùs circumvenit; & nisi divinâ miseratione impediretur, religionem & Monachos in exterminium adduxisset. Item Episcopus dedit præceptum in suis initiis, quatinus per manus memorati Ranulphi cuncta Ecclesiæ possessio exteriùs describeretur; ut sciat quid habeat vel quid recipiat in dominio in censu aut in milite; ne jus sibi competens & à loco distracta alienetur, sed ab omni personâ, cujuscunque conditionis sit regularis vel sæcularis, excutiat, ut quæ sua sunt secundùm patrum decreta & institutiones Conciliorum illibata recipiat atque possideat. Ad quod nihilominus consequendum, utriusque Regis, veteris scilicet bonæ memoriæ Henrici ipsius maximè judicio & justitiâ, quæ hîc inseruntur, recepit possessiones; sicut novi nunc Regis Stephani mansueti autoritate in omnibus protendit. Infra Insulam verò Coveneya, † Mepale, extra Stewcheworde, Wrattyng, Stretele, Redingas, Tripelaua, Impetuna, Pampesworda, Grauntesdene, Tyryngtoun, Merham, Cotenham, Snaylewelle, Beremotesdoun, Taderege, Chintesdoun. Hæc quoque & alia Episcopus de invadentibus possessiones S. Etheldredæ potenter abegit; & apud Wyndilbyry præsidentibus judicibus Radulpho Basset & Alberico de Ver, coram novem Hundredis, tam veteris Regis auctoritate antea, quàm nunc novi Regis præcepto, Ecclesiæ sunt adjudicata & conclamata. Post hæc memoratus Episcopus jussit bona Ecclesiæ interiùs de-

|| Radulpho. *Ric.* Ric. c. 12.
† Mephale. *Cod. Cot.* 1.
Ric. c. 14.

& consuetudinibus sæpiùs deprædicat. Unicum apponam locum ex capite 33. *De hac ipsâ* [quæstione] *sollicitus fui circa Dominum Eliensem* [Nigellum] *virum utique hujus officii peritissimum; cujus memoria in benedictione sit in æternum. Hic illustris illius Anglorum Regis Henrici I. Thesaurarius, & nepos Salesburiensis* [Episcopi] *cujus suprà meminimus, incomparabilem suis temporibus habuit Scaccarii scientiam. Maximus etiam existens in his quæ ad sui status dignitatem pertinebant, celebrem sui nominis famam fecit. Adeò ut penè solus in regno sic vixerit & sic decesserit; ut gloriam ejus invida lingua denigrare non audeat. Hic etiam ab illustri Rege Henrico II. frequenter rogatus, Scaccarii scientiam continuatâ per multos annos bellicâ tempestate penè prorsus abolitam reformavit; & totius discretionis ejus formam, velut alter Esdras Bibliothecæ sedulus reparator, renovavit.* Longè aliter Monachi Elienses; qui Nigello in Clericorum Sæcularium partes propensiori infensi, memoriam ejus intentatis rapinæ, sacrilegii & proditionibus criminibus deturpârunt; in eo sanè diligentiores, quàm in recensendis maximis, quæ Ecclesiæ Eliensi contulit, beneficiis. Literatis certè memoria Nigelli non ingrata esse debet; quorum studia liberalitate suâ plurimùm promovit. Canonicis enim Regularibus bonæ literaturæ operam navaturis Hospitium apud Cantabrigiam posuit, ubi loci Collegium D. Johannis nunc cernitur. Huic postea Hugo Norwold Eliensis Episcopus prædia nonnulla contulit, eâ conditione, ut Sæculares bonarum literarum studiosi in idem admitterentur. Postmodum autem Hugo de Balsham Eliensis Episcopus sæculares Studentes cum prædiis à Norwoldo datis transtulit ad domum S. Petri à semetipso fundatam. Neve librorum copia studiosis deesset, Nigellus Eliensibus suis contulit Ecclesiam de Wytlesey & Ympetone & duas partes decimæ dominii de Pampesworth, & 2. solidos & 2. denarios in Huntyngdone & unam mansam in Ely, *ad libros faciendos*, viz. ad codices describendos. Obiit Nigellus 1169. 30. Maii; quod præter Ricardum nostrum Obituarium Eliense testatur; quamvis tempore duntaxat Quadragesimali anniversarium ejus celebratum fuerit.

Tho. de mirac. S. Etheldr. c. 24

scribi; ut sciret, quæ & quanta illic inveniret. Quintâ enim die Januarii fecit videre totum thesaurum Ecclesiæ S. Etheldredæ in auro & argento, in palliis, in libris, & omni genere ornamentorum eidem Ecclesiæ pertinentium. Post hoc præfatus Episcopus surripuit Monachis res suas, & Ranulpho eorum adversario commisit; qui eos crudeliter affligit, Priorem & Monachos suos suâ potestate proscripsit; debitos famulos ejecit, novos introduxit, non qui famularentur, sed insidiarentur: mutat officia, tollit subsidia, minuit victualia, detinet redditus, arcet exitus; vallis & sepibus & custodiis omnem intercludit semitam; ne de illâ violentiâ possent ad publicam ire querimoniam. Itaque videntes illi se hoc modo incarceratos, flagellum Domini sub expectatione misericordiæ patienter sustinebant, orationibus & jejuniis adeuntes Sanctarum corpora, in quarum patrocinio confidebant. Eratque vigilia S. Leonardi Confessoris, cùm hæc eis supervenerat afflictio. Sicque totus ille annus transiit; & Monachis summam egestatem patientibus, magnam in sequenti anno iram Dei passuris, de rebus eorum insolescebat ille Ranulphus. Et Monachis Elyensibus per biennium miserè afflictis manus Domini jam parat occurrere; ut illum nefarium Tyrannum, quem nulla frangebat misericordia, ultio præoccuparet divina. Unde nefando præventus instinctu, ad subvertendam patriam complices sibi allexit: sed per S. Etheldredam detectus, proditionis conscius fugam iniit. Eâdem enim vigiliâ S. Leonardi, quâ ante duos annos ipse super res Monachorum se extulerat, nequissima proditio revelari cœpit. Quidam enim occultus horror de tanti propositi immanitate eum invaserat; & de suorum fide non satis fidebat. Sumptis secum quæ poterat, fugâ sibi consuluit; & totam causam suis reliquit. Monachis igitur S. Etheldredæ meritis liberatis à crudeli Tyranno, magno exultant tripudio, Dominum & almam ejus Virginem laudibus attollunt. Dei igitur judicio & S. Etheldredæ perterritus præfatus Episcopus reddit Monachis bona sua, non tamen plenè omnia; quæ & Cartâ suâ confirmavit.

Ric. c. 15.

Ric. c. 16.

Ric. c. 21.

Quinto autem Præsulatûs sui anno, qui est quartus regni Regis Stephani, & etiam multò antea, ubique locorum in Angliâ & Normanniâ fuerunt rapinæ & homicidia; jamque cœperant mala fieri in terrâ latronibus grassantibus; Baronibus Domino suo Regi fidem violantibus & sibi rebellare parantibus, & rebus undique diffidentibus. Non enim fidem invenit in terrâ; ut compleretur, quod per quendam Sapientem longè prædictum fuerat de illo: *Nocebit possidenti & impiis impietas.* Pius quippe ac mansuetus cùm esset Rex, dives, corpore validus, & tunc temporis fortissimus virorum super omnes Orientales probatur extitisse. Sed jam ad contextum Historiæ revertamur. Primum igitur hujus mali exordium cœpit in Angliâ Baldewynus de Ryverys, & Episcopus Nigellus, malignorum instinctu, Monachis obnixè dissuadentibus, contra Regem munitionem in Ely ex lapide & cæmento statuerat firmissimum; quod virtute S. Etheldredæ crebrò dissolvebatur. Unde ad aquam prope machinas construxit munitionem de lignis factam, aggere cinxit, & Alherede nihilominus reparatum custodiæ mancipavit. Cognoscentes hoc potentes quidam patriæ habito sermone cum Episcopo pactum stabiliunt per suum auxilium locum contra Regem firmissimè tenere. Quo audito Rex exercitum misit ad impugnandam Insulam. Sed frustratis ensibus diu laboraverunt. Quibus Rex descendens in auxilium, * Alherede applicuit, illic congregatis navibus, & innexis desuper || crateribus vadum equitibus transmeabilem fecit. Et mox ut intelligunt adesse Regem, abjectis armis milleni & milleni hostium territi ante faciem ejus fugientes, absconderunt se per paludem in fæno & speluncis; cùm pauci illorum si restitissent, Regem cum suis facilè prosternerent. Episcopus verò nocte ante discesserat cum tribus tantùm sociis; & ad Dominam Imperatricem, quæ tunc Gloucestriæ morabatur, iter arripuit; sicque illæsus evasit. Monachi autem hoc timentes vehementer plangebant. Inten-

* Alrehede. *Cod. Cot. uterque.*
|| Cratibus. *Ric.*

Anno 1140. ineunte.

Intendunt esse causam immensi discriminis & dampni continui Ecclesiæ; tamen illi pro certo Episcopum multipliciter exorantes prostrati supplicabant; quatinus pro Dei timore & Sanctarum Virginum reverentiâ & gradûs sui honore à temerariâ præsumptione ac iniquorum consilio desistens, debitum Regi obsequium impenderet. Sed ad hoc penitus non adquievit. Propterea Rex jussit omnia, quæ illius erant, seisiri in manu suâ. Tunc Monachi excusantes se apud eum, & minimè conscios esse consilii vel commissi Episcopi, & ne offensum vindicet in eis victum subtrahendo vel dampnum loco inferendo, miserabiliter efflagitant. Ille benignus & pius ut erat pectore, non solùm innoxios donavit; verùm etiam Cartâ suâ omnia illorum in pace constituit atq; dimisit. Rex autem Stephanus, postquam in Ely advenit; milites Episcopi castellum de Alherede relinquere coegit, suis custodiendum tradidit; & res totius Episcopatûs tam exteriùs quàm interiùs in manu suâ accepit. Episcopum verò bonis omnibus destitutum dejecit, dejectum exuit. Idcirco Episcopus Gloucestriæ, ubi secesserat, cùm necessaria, prout consueverat, minimè haberet; sui, qui ad ipsum confugerant, egestate laborabant: Ipse enim solatium non admittebat in exilii discrimine; & oratio fiebat à Monachis filiis suis sine intermissione ad Deum pro eo. Et consilio tandem inito nuncios misit Romæ, summo Pontifici gravamina suæ Ecclesiæ designare & exspoliationem sui ostendere: Alexandrum videlicet Monachum Ecclesiæ nostræ & postea Priorem, virum bene religiosum, doctum & eloquentem Latinâ, Gallicanâ & linguâ Anglicâ; & cæteros, qui secum aderant viri scientiâ & dignitate præclari. Et negotium strenuissimè agentes, acceperunt ab excellentiâ Romanæ dignitatis ad Archiepiscopum & Episcopos Angliæ, & ad Rothomagensem Archiepiscopum literas de restituendo Nigello Episcopo in sedem suam.

Nec diu post hæc duo effluxerant anni; & ecce cùm dicerent; *Pax & securitas*; incautos iterum oppressit repentina calamitas. Dirigitur enim in Ely à Rege Stephano cum militari manu in armis strenuus Comes Gaufridus de Mannawillâ, associante ei Comite Gileberto; ut homines Episcopi, qui tunc latenter affugerent, inde abigeret, aut gladiis truncaret. Qui festinus adveniens, hostilem turbam fugavit; milites verò teneri jussit; & equis impositos pedes eorum sub equis ligatos spectante populo usque in Ely perduxit; ac sibi occurrentes Monachos cum crucibus & sanctuariis, ut saltem vel sic furorem Tyranni lenirent, vix serò in gratiam suscipere dignabatur. Crimen verò super eos objecit frendens, & comminans ipsorum interitum & loci sancti desolationem; vulnusque jam proximè illatum crudeli indignatione renovavit: succidens eis penitus victum & possessiones eorum. Super hoc quippe Regem Stephanum compulsi adierunt; quos devotè suscipiens, non solùm benigno consolabatur alloquio, sed hoc mandatum Comiti pro eis direxit; & sua omnia in integrum restituit. Ric. c. 23.

Reversus itaque Episcopus valdè à cunctis optatus ad sedem suam tandem in Ely per diversos labores & inediæ macerationem, necdum binis in exilii discrimine annis completis; & honestissimè tam Monachorum concentu quam plebium occursu debitâ cum devotione suscipitur: totumque Episcopatum cum munitione de || Alherede, fultus auxiliis Dominæ Imperatricis, à Gaufrido de Mannavillâ & Gileberto Comite, qui Insulam ex parte Regis invaserant, obtinuit; & ibat quotidiè proficiens in necessitatibus loci, officio ministerii sui diligenter intentus, Monachos & familiares jam ut dilectos filios & assuetè consultos habuit & in cunctis agendis ascivit; gratum eis & benevolum se intentiùs exhibuit; errata corrigere, bona addere proposuit; quod proculdubio fecisset, si perversitas suorum id fieri non metuisset, videlicet Gocelini de Ely, Radulphi Dapiferi, Alexandri pincernæ; quorum instinctu bona interiùs diripere & possessiones Ecclesiæ coactus est exponere. Interim crescentia undequaque in regno mala decidium minitabant; regni negotia penitus nutare

|| Atheldrede. *Ric.* Alrehede. *Cod.Cot.* utrque.

nutare videbantur. Fortes in ſuis confiſi munitionibus, invadunt res Eccleſiarum, & vaſtant; ac poſtpoſitis nemoribus infra mœnia venabantur. Numiſma quoque & æs & commercii formam quiſque apud ſe tranſmutavit, minuit & adulteravit in ſuis finibus, & quam voluit impreſſit imaginem; prout dragmam de Ely, quod integrum ſervabatur ex argento electo ac pondere publico per Epiſcopum extitiſſe memoratur.

His ita geſtis, ſedit Rex Stephanus in ſede regni; & ſiluit terra in conſpectu ejus. Et veniens Londoniam, quæ caput eſt Angliæ, occurrerunt ei pacifici ſuſcipientes illum magno cum honore. Ibi conſilio adunato Cleri & populi, Epiſcoporum atque Abbatum, Monachorum & Clericorum, plebiſque infinitæ multitudinis, præſidente Romanæ Sedis Legato fratre Domini Regis Henrico Wynton. Epiſcopo, & Theodbaldo quem nuper Archiepiſcopum Cant. fecerat; de ſtatu regni cum illis tractavit; & ut in hoſtes pacis & patriæ ſententiam eccleſiaſticæ ſeveritatis promulgarent indixit. Cùm invicem cauſæ ab alterutro agerentur; Presbyter quidam Vitalis nomine conqueſtus eſt coram omnibus; quòd Dominus Elyenſis Epiſcopus eum non judiciali ordine de ſuâ Eccleſiâ expulerit. Huic per omnia ille Legatus ſavebat, & ſuffragari voluit. Cujus etiam machinationem quidam magnæ autoritatis & prudentiæ viri adversùs Dominum Nigellum Epiſcopum parati inſurrexerunt: illum ante Domini Papæ præſentiam appellaverunt, ſiniſtra ei objicientes plurima, maximè quòd ſeditiones in ipſo concitaverat regno, & bona Eccleſiæ ſuæ in milites diſſipaverat; aliaque ei convicia blaſphemantes improperabant. Epiſcopus verò Elyenſis pro tam imminenti ſibi negotio auxilium Dominæ Imperatricis & ſuorum colloquium requirendum putavit. Qui dum pergeret, homines Regis undique pervagantes loca obtinuerunt; ſemper in Epiſcopum Nigellum univerſi penè ſi quid malè & perversè inferre potuiſſent, parati. Quem apud Warrham fortuitu obviam habentes, invadunt, abſque miſeratione bonis ſuis diſpoliant; equos & indumenta, inſuper Capellam optimam, quam Epiſcopus ſecum de Eccleſiâ tulerat, incontaminatis manibus rapiunt. Similiter Albam optimè paratam pallio pulcherrimo ſuperaurato, quam S. Ethelwoldus dedit Eccleſiæ, & duas Albas in paraturis pallii, & duas ſtolas cum favonibus, quarum unam decentiſſimam dedit Alſinus Abbas; & duas tunicas & duas dalmaticas & duas cappas Alſini Abbatis; & infulam viridem, quam dedit Aelſwara Domina, bene aurata cum liſtâ operata: & turribulum operculo ex argento ſuperauratum cum cathenis argenteis, quod dedit Alſinus Abbas; & duas ampullas argenteas, calicem de argento bene auratum, textum de auro cum Reliquiis; privigilium unum, pro quo Eccleſia poſtea expendit quinquaginta duas marcas; unam pallam altaris. Et ſublatis omnibus, in ſuum redierunt præſidium. Sed tamen Epiſcopus, qui quærebatur, Deo ſuffragante illæſus evaſit; & pro voto impetrans quæ à Dominâ Imperatrice popoſcerat, in Ely properanter advenit, iter ad Romam in proximo ſuſcepturus: licèt interea inſidias per circuitum & deprædationes ab hoſtibus graviſſimè toleraret.

Quamobrem cùm nulla copia rerum ſuarum ad exequendum tanti itineris laborem ſufficeret; collectos in unum, quos ſibi admodum familiares putaverat, ſecretiùs convenit, Gocelinum videlicet cognomento de Elye, Willelmum de Laventonâ, Hubertum Clericum, Willelmum cognomine Monachum, Henricum Peregrinum, Ranulphum || Hoſlof, Alexandrum Dapiferum; quibus uſus eſt in omnibus Achitofel in dampnis Eccleſiæ; quatinus ſuper infortunii hujus diſcrimine quid utilius intelligerent, palàm inſinuent. At illi ut de theſauro Eccleſiæ acciperet, incunctanter ammonere ſatagunt. Sed ne tumultus aut ſeditio fieret in populo & inter Monachos; villam de Haddeſtock, quam diu calumniati fuerant, eis reddidit, & Cartâ ſuâ confirmabat & perpetuò conſignabat. Cúmque id Monachis exorando ſuggereret; tandem cum lacrimis

|| Holof. *Cod. Cot. utrque.*

lacrimis & gemitu non ſponte ſed coacti ſic oblatum ſuſcipiunt: ut redditâ illis poſſeſſione & jugiter conceſſâ, infra tres menſes reditûs ſui in integrum reformaret quicquid extulerit; quæ hîc aſſignanda non prætermimus. Calicem videlicet aureum de quinque marcis auri, de feretro S. Etheldredæ ccxxxvi. marcas argenti, & duos margines de ii. marcis argenti; & duas bacinas argenti de ſex marcis, duo candelabra de ſedecim marcis. Dehinc paratis ſumptibus affluenter Romam petiturus, per multam aſperitatem laboris iter invadit; † ubi ante conſpectum Domini Pontificis Lucii non ſolùm adverſùs ſe inimicorum querelas juſtâ ratione fefellit; verùm de objectis ſibi criminibus ſe excuſavit. Et judicio omnium à perverſorum inquietudine, fultus & adjutus multipliciter auxiliis Archiepiſcopi Theobaldi, abſolvi meruit.

† Anno 1144.

Sed dum Epiſcopus moras diu faceret; quotidie injuriis anguſtiabatur domus ejus & preſſuris. Inſuper homines Regis erga locum fratrum Ely inſidias unanimiter paraverunt. Adverſùm quos cùm cuſtodes Inſulæ non ſufficerent rebellare; Gaufridum Comitem tunc adverſarium incendiis patriam & ſeditionibus perturbantem ſuſcipiunt. Cui etiam Caſtrum de Ely atque Alrehede ob firmamentum tuitionis ſubmiſerunt. Hic totus in rabiem invectus, Rameſeiam nobile Monaſterium invadens, fugatâ Monachorum catervâ cuſtodiam poſuit; ſimiliter apud Benwick in ipſo tranſitu aquarum. Inde receſſum habuit per Ely quietè. Fordham quoque contra hoſtes ſibi cum validâ manu firmare uſurpavit. Propterea Rex Stephanus irâ graviter accenſus, omnia hæc reputavit ab Epiſcopo Nigello machinari; & juſſit eveſtigiò poſſeſſiones Eccleſiæ à ſuis undequaque diſtrahi in vindictam odiorum ejus. Succiſâ igitur Monachis rerum facultate ſuarum, nimis ægrè compelluntur in Eccleſiâ, maximè ciborum inediâ. Unde non habentes ſtipendia victuum, gementes & anxii, reliquias theſaurorum, quæ parvo in loco reſiduæ erant, viz. de octo feretris argentum quod inveniunt & aurum ſumpſerunt; quæ deinceps minimè ſunt reformata. Oppreſſerat enim fames omnem regionem; & ægra ſeges victum omnem negaverat; per viginti milliaria ſeu triginta non bos non aratrum eſt inventus, qui particulam terræ excoleret; vix parviſſimus tunc modius emi poterat ducentis denariis. Tantaque hominum clades de inopiâ panis ſequuta eſt; ut per vicos & plateas centeni & milleni ad inſtar uteris inflati exanimes jacerent: feris & volatilibus cadavera inhumata relinquebantur. Nam multo retro tempore talis tribulatio non fuit in cunctis terrarum regnis. Potentes per circuitum latè vaſtando, milites ex rapinâ conducunt; villas * comburunt; captivos de longè ducentes miſerabiliter tractabant: pios alligabant in compedibus, & nobiles in manicis ferreis. Furit itaque rabies veſana. Invicta lætatur malitia: non ſexui, non parcunt ætati. Mille mortis ſpecies inferunt, ut ab afflictis pecunias excutiant: fit clamor dirus plangentium; inhorruit luctus ubique mœrentium; & conſtat fuiſſe completum, quod nunciatur in Apocalypſi Joannis: † *quærent homines mori & fugiet mors ab eis.* In his tamen dolorum eventibus inter ſcandalorum diſcrimina ſecurè navigavit, & glorioſiſſimè Dei Eccleſia floruit.

* Dehinc omnia uſque ad Nigelli chartam in codice noſtro deſiderata, ex alio codice Collegii Corporis Chriſti Cantab. reſtituenda curavi; & frequentia codicis Cantabrigienſis ſphalmata ex Codice Cottoniano emendavi.

† Apoc. ix. 6.

Hæc omnia Epiſcopo quamvis Romæ longius commoranti ſatis innotuerunt; & gratia Domini Papæ ſublimiter donatus, his munimentis tandem roboratus contra deprimentum ingenia, ad domum gaudens rediit, id eſt apud Ely; ubi tremens reſidebat, nec inde tranſire audebat niſi militum ſeptus & ſatellitum multitudine. Nam ipſo antea foris tardante, Comes ſupradictus Gaufridus interim ab exercitu Regis interiit; ſicque Dei judicio patriæ vaſtatore ſublatò virtus bellatorum, qui ſecum manum ad perniciem miſerorum firmaverunt, plurimum labefactata eſt; cognoſcentes Dominum Chriſtum fideli ſuo Regi de hoſtibus dare triumphum, & adverſantes ei potenter elidere, ad hoc expavit cor inimicorum illius; & facti ſunt amici, qui pridem eum impugnabant, fidem & obſequia ſpondentes per omnia. Inde etiam Epiſcopus

piſcopus maximè territus, Regem timuit Stephanum tunc nimis offenſum, ideo quòd ſeditioſos patriæ adversùs illum inſtigaret, ſuſciperet, in cunctis opitularetur, fœdus cum eo ſæpiùs inchoatum minimè ſervâſſet, & obſidem quem pro tuendâ pace dedit callidè ſubtraxerit. Præceperat quippe Rex ſuis tunc bona Epiſcopi undique diripere; quod ipſi non ſegniter implere parabant. Sæviunt, quæque conſumunt & ſibi vendicant. Epiſcopus velut alto vulnere ſaucius, tanti diſcriminis ſe reum eſſe ingemuit; Dei miſerecordiam & Beatæ Etheldredæ ſuffragium flebilibus vocibus implorabat aſſiduis; ut quæ ſuis in omni tribulatione non deſinit miſericorditer ſubvenire, aliquando propter amorem Domini ſui Jeſu Chriſti nunc dignetur ei adeſſe in præſentis tribulationis articulo. Et quidem ſenſit celeri effectu ſibi eſſe collatum, quod devoto affectu exorabat, per ſanctæ Virginis meritum. Nam cùm diu nemo de illo ad Regem audebat ferre ſermonem; caſu advenerat ad Epiſcopum facundiſſimus Clericus quidam, præclarus genere, à Rege honoratus & valde amatus, nomine Ricardus de Ponte Cardi. Hic negotium pro Epiſcopo ſuſcepit, ad Regem detulit, delatum ad exitum perduxit; ut ſecurè & ſine dubio in præſentiâ Regis veniret, obtinuit, & quamcunque poſſet cum illo pacem vel conditionem ſtabiliret: & factum eſt. Cúmque die ſtatuto adductus fuiſſet à propinquis & nobilibus Regni ante Regem in || Jepiſvych villâ Regiâ; vix tandem ſupplicatione multorum concordiam vel gratiam ab eo impetrare * potuit. Sic tamen ut ſub obtentu pecuniæ, ter-centarum viz. marcarum argenti, inſuper filium ſuum obſidem daret iterum, quem adoleſcentem in Monaſterio nutriebat; pro quo, & per quem magnis & multis lædebatur Eccleſia incommodis.

|| Gepeſwych. *Cod. Cot.* 1.

* Valuit. *Cod. Cotton.*

Conventione igitur fide & ſacramento firmatâ, receſſit Epiſcopus à Rege, pacis & concordiæ munimentum accipiens. Rex itaque ſpem ſibi promiſſam accelerat; & Epiſcopo ad perſolvendum nulla rerum ſuarum copia ſuffecerat. Argumenta componit ingenii, æſtimans circumloquendo Monachos minùs peccati ſe ſcire obnoxium, ſi quod reſiduum erat de Eccleſiâ ſurriperet. Et aſcitis primoribus domûs ſuæ, per quos in multis & magnis abuti cognoſcebatur, Gocelino viz. cognomento de Ely, Willelmo de Laventunâ, Alexandro Dapifero, & aliis, quorum nomina in præſenti capitulo tanguntur, his monet blandâ circumventione Monachos adire, animos eorum temptare, prece aut promiſſo quolibet modo ad conſenſum emollire; ut ſaltem de ornamentis Eccleſiæ ducentas marcas argenti tantùm liceret aſſumere: quod illi audientes, nimiùm mœſti effecti, quoniam intendunt domum Dei omni decore interiùs expoliandam, ei unanimiter contradicunt. Ille autem urgente neceſſitate perpetim rogando inſiſtit, ſpondens, promittens jurejurando infra annum ſe cuncta pro certo reſtauraturum in melius: inſuper villam de Hadeſtoke cum appendiciis ſuis eorum uſibus perpetuò conceſſurum miſerabiliter efflagitando aſſeruit; & fidejuſſores id ſacramento affirmaturos produxit: ſicque jugiter perſeverat in prece, donec quod rogaverat aſſecutus eſt in munere. Cœpit itaque de feretro Sanctæ Etheldredæ lxxiv. marcas argenti, & de fronte xxv. marcas: nam alteram partem Feretri, h. e. in dexterâ, antea ceperat: & de tabulâ ante Altare lxiv. marcas argenti, & ii. marcas auri, & iii. uncias & dimidiam, de duabus Imaginibus verſùs altare B. Mariæ & S. Johannis lvii. marcas argenti; & ii. marcas auri & dimidiam. Cœpit in candelabris xviii. marcas, || crucem magnam argenti, quam ferre ſolebamus diebus feſtis xvii. marcas, & ii. uncias auri, iii. cruces cepit xxv. marcas & † vi. marcas auri & unciam & dimidiam, & calicem iii. marcarum argenti. Hæc omnia benè operata fuerunt; & hæc cepit Epiſcopus Nigellus de Eccleſiâ ſub his fidejuſſoribus; ut ſi quando ſiniſtrâ fortunâ aliquâ ipſe impeditus fuerit in tantum ut ipſe theſaurum reparare non queat, ipſi de ſuo proprio redderent pro eo, & damnum Eccleſiæ reſtaurarent; & in conſpectu fratrum una-

|| Turrem. *Cod. Cot.* 2.

† ii. *Cod. Cotton.*

unanimiter consistentium hoc servandum in manu Tomberti Prioris affidaverunt & juraverunt, Willelmus viz. Archidiaconus de lx. marcis, Gocelinus de Ely xl. marc. Ernulphus medicus de x. marc. Petrus Clericus de x. marc. Alexander Clericus de xx. marc. Gilbertus Capellanus de x. marc. Albertus Anglicus de x. marc. Henricus Peregrinus de xv. marc. Hubertus Clericus de v. marc. Willelmus de Schelforde de xx. marc. Summa cc. marc. habetur, quam supradicti viri, sicut prædiximus, se reddituros pollicitari sunt, licèt Episcopus nunquam aliquid inde reddidisset. Episcopus etiam manu suâ illud se servaturum super altare majus affidavit; & chartâ suâ Manerium de Hadstoke ad operationes Ecclesiæ in usibus Monachorum perpetuo confirmavit.

Sed nec adhuc recordatus est beneficiorum aut dilectionis, quæ patri compatientes in suis necessitatibus impenderunt: immò ad disperdendum res Ecclesiæ manus ejus est iterum extensa. Consilio igitur prædictorum fide jussorum omnes Ecclesiæ usus in jus suum convertit; quam sacris vasis penitus exinanitam non jam divini cultûs sed suorum collateralium optabat esse || habitationem. Sævus semper Monachis & infestus; ut non discerneretur hominibus magis quàm Deo bellum intulisse. Tulit igitur reliquias ornamentorum templi Domini, quondam coronati nunc verò languentis & ad terram miserè prostrati; & posuit in vadimonium Episcopo Lincolniensi; Casulam viz. beatæ memoriæ Edgari Regis, & cinctorium imprimis & albam cum amictu Turstani Monachi ejusdem Ecclesiæ Præpositi, & stolam illius, quæ prorsus in unâ vice amitteretur, nisi Monachi celeriùs de xxxix. marcis argenti, ut rogaverat, ei succurrerent; quas vix cùm adquisissent, subtrahentes sibi de victu & vestitu, per manum Prioris qui tunc erat dederunt. Sed suscipiens, in suos expendidit usus; atque alterâ vice die peremptorio statuto Monachis, ut ea tunc acquietarent vel deinceps carerent; & dedit Ecclesia lxvii. marcas argenti per manum Willelmi Sacristæ. Iterum pro vadimoniis, quæ exposuit ante Episcopo Londoniensi, Nicolao similiter Clerico magnum calicem & crucem argenteam, unde tunc reliquiæ inclusæ furatæ sunt, redemit nunc Ecclesia lvii. marcis & vi. solidis & octo denariis. Item pro parvo textu aureo & pro ansâ argenteâ dedit v. marcas cuidam de Thetford; & præterea uno anno abstulit de Sacristariâ xxiv. marcas & vi. solidos. Antea verò prædictam crucem & textum similiter pro nummis transposuerat Judæis apud Cantebrigge, quæ gloriosus Rex sæpe dictus Edgarus ob signum libertatis suæ ac munificentiæ ibi donavit: & ne tanto muniminis titulo frustrarentur, Monachi dederunt cc. marcas per manum Willelmi Prioris. Insuper oblationes, & redditus, & totum quod venerat ad altare Sanctæ Etheldredæ per tres annos, in aucupibus & venatoribus suis expendidit. Quod enim in terris & vicis & reditibus & possessionibus egerit, clamor vulgi diffamat, & ipsa nimietas insolentiæ procul ostendit.

|| Habitaculum *Cod. Cotton.*

Talium nempe auctores extiterunt & rei præfati Clerici, Gocelinus viz. summus in consilio, versutus ingenio, primus in dolo, nulli secundus in flagitio. Hic Herveum Episcopum in suis initiis callidè circumveniens, pro voto sibi allexit. Etiam dominum suum, qui eum nutriverat, Thurstanum ipsius Ecclesiæ Præpositum & Monachum apud Regem Henricum accusatum de ministerio * eliminatum voluit; in quo sic fraudulenter subire non timuit. Cúmque meritò rependere loco deberet omne bonum quod habuit; è contrario malum pro bono ille reddit; & calicem ex auro Wlwyni Monachi quatuor marcarum & dimidiæ perdere fecit. Insuper collegam sibi adjunxit in astutiâ consimilem † Esebertum cognomento de Wachesham; qui tanquam unus Dioclesianus & alter Maximinianus, ambo Dei & Sanctæ Etheldredæ extiterunt inimici, non cessabant bona ejus surripere, minuere, alienare, & plagâ inestimabilis damni infligere curabant: quod in multis crudeliter impleverunt. Et quidem Gocelinus ductor belli, postquam noctu virginis Ethel-

* Eliminavit. *Cod. Cotton.*

† Osebertum. *Cod. Cot.*

Etheldredæ tumulum ausu temerario irrumpere præsumpserat, sicut legitur, quòd omnis violenta prædatio efficitur cum tumultu, & ipse totus furiâ invectus audacter invasit, priùs manum apposuit; aurum, argentum, lapides pretiosos, ornatum omnem in securi & asciâ evellendo projicit; destinatos in scelere arguendo obsecrat sine morâ domini Episcopi jussa implere; nesciens miser, quòd repentè divinitus in ultionem sacræ Virginis Etheldredæ gravissimas foret pœnas luiturus. Nam dolore nimio pedum improviso occupatus, quem Medici podagra Græcè nuncupant, gressu omni destituitur; talique infortunio longè decoctus, correctionem de cœlo impatienter ferens, noluit adhuc intelligere ut bene ageret, nec de pravæ consuetudinis errore reversus est, quo tempus sacerdotii sui vivendo luxuriosè consumpserat, & || salariam præposituræ suæ in superbiâ & abusione totam dissipaverat; verùm in paupertate & ærumnâ vitam finivit; & non tantùm ille, sed quotquot fuerunt conscii de suâ temeritate, minimè sunt compuncti; quia nunc periit memoria eorum cum sonitu: quod debitis locis plenè describam.

|| Substantiam. *Cod. Cotton.*

Alius verò de consilio malignantium, Willelmus supra memoratus de Shelford, comes in universis paratus ad scelus, cum ligonibus, cum malleis, cum fabrorum instrumentis temerè processit; super feretrum secundus ipse manum injecit, æs inde tulit; sed factum doluit mox amarissimè. Cùm enim esset dives valdè, & nullius egerit; casu in tantam devenit inopiam, ut nec etiam vitæ necessaria haberet. Consumptisque omnibus quæ illius erant, quid ageret, quò se verteret, ignoravit. Tandem multum diu postulans, vix à fratribus in Ely meruit ad Monachatum suscipi; ubi in luctu, in lacrymis, in vigiliis, in orationibus persistens, reatum ingemuit, reliquum vitæ spacium verè pœnitendo explevit.

Deinde Prior Thombertus & Secretarius Radulphus consentientes consilio nequam, qui murum se ponere deberent pro domo Israel, favore & humanâ decepti gratiâ, Episcopo in desideriis animæ suæ paruerunt; cùm Deo esset magis obediendum quàm hominibus; & qui hominibus placent * *confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos*; sicut mirabilis patefecit eventus: subitò justi judicis Dei vindictam scilicet & reatûs supplicium senserunt; & vexati sunt attribulatione malorum & dolore infirmati, nec fuit qui adjuvaret. Ex his superior paralysi morbo incurabili percussus, omni penè membrorum motu ac linguæ privatur officio. Alter vulnere correptus lethali, præ nimiâ doloris angustiâ facies illius tumescere cœpit, quæ totam maxillam verterat in saniem, & molestiæ gravitas in vulnus dissipaverat. Sicque continuè in suppliciis gementes utrumque inutilem reddit languor; quibus cùm nulla medicorum experientia proficeret; longè exitialiter cruciati, dolendo exitu vitam terminaverunt, Deo vindice & sanctâ Etheldredâ: ideo quòd posuerunt adversùs eam mala pro bonis, & odium pro dilectione; cùm eos enutrivit & exaltavit, ipsi autem contemnentes spreverunt eam.

* Psal. liii. 5.

In posterum verò Radulphus || Elof, qui hanc domum privavit optimâ pallâ xl. precii librarum, præsertim in possessionibus multis & bonis loci disperdendis atque surripiendis suasit atque semper fautor existebat, nunc quidem judicio Dei morbo preventus est subito sub mammâ illius vesicâ quam † medici carbunculum vocant; unde secatus curari non potuit. Inde Richardus de Sancto Paulo offendiculum doloris incurrit. Tam mirabiliter languit, quòd à cognatis omnino & notis spernebatur. Willelmus verò Archidiaconus in ipsâ Ecclesiâ S. Etheldredæ, cùm quodam die contra Episcopum Dominum suum placitaret, repentè coram omnibus simul surdus factus est & elinguis. Quid multa? à Monachis in Infirmariam deportatur; per septimanam multiplici ægritudine dispendio fatigatus, sine motu corporis nono die expiravit.

|| Halof. *Cod. Cot.*

† Phisici. *Cod. Cotton.*

In tempore prædicti Episcopi multa Miracula contigerunt per merita Sanctæ Etheldredæ. Item in tempore suo quidam per fraudem sibi usurpavit villam de

de Stewcheword. In hoc quippe tempore Rex piissimus Anglorum Stephanus, cum prope xix. annos regnum, sed laboriosissimè & cum multâ difficultate, tenuisset, morbo dysentyriaco ægrotavit, quo & mortuus est: cui successit in regnum Henricus cognatus ejus, quem post se hæredem elegerat, natus Dominæ Matildis, quondam Imperatricis, veteris Henrici Regis filiæ, à Gaufrido || Niveralle patre Andegavensi Comite genitus; qui susceptus in Regem & à Theobaldo Archiepiscopo Cantiæ consecratus, leges iniquas prohibuit, pacem diu ablatam reformavit, transgressoribus pœnam indicit, Castella adulterina diruit, seditiosos de regno expulit; nullus adversus eum prævaluit, sola tantùm pars inimica Wallensium non molliebatur. Collegit autem æs multum nimis & aurum & argentum in expensas militum, ad Tholosam civitatem Aquitaniæ impugnandam; suæ ditioni eam tunc addere cupiebat. Cernens verò Episcopus Nigellus Dominum Regem in tanto negotio pecuniis egere, condictum accepit ab eo, atque ministerium inter Curiales; videlicet Thesaurariam emit quadrigentis libris filio suo * Francisco nomine, apud Monasterium in Ely educato, magnæ calliditatis & prudentiæ juveni, à quo & per quem Domus illa non parvis lædebatur adversis. Cúmque non haberet unde redderet; vestes & vasa ac quæque concupiscibilia de domo sanctæ Etheldredæ surrepsit, dicens sibi semper sufficere quæ illic erant: insuper pallam eximiæ paraturæ auri & gemmarum, quam Emma Regina in velamentum sepulchri sacræ Virginis obtulerat, accepit, atque Monachis invitis Episcopo Lincolniæ pro nummis exposuit; quam similiter alterâ vice, ut scriptum est suprà, cum aliis bonis Ecclesiæ transposuit; sed Monachi ex suis inopiis, ne tantus ornatus fraudaretur à loco, redemerunt. Contigit namque tunc Episcopum Lincolniensem pro causis suæ Ecclesiæ Romam ire, Præsulatum agente Domino Papâ Eugenio; cui ob gratiam illius captandam offerre voluit eandem pallam. Sed ut vidit Dominus Papa Apostolicus, & ipsam diligentiùs intuens clarâ luce, precium tanti vestimenti admiratus, intellexit de aliqua famosâ & antiquâ fuisse Ecclesiâ. Inquisivit, unde tale ornamentum veniret; & cùm deprehendisset de Ely fuisse; sub interminatione Apostolicâ jussit illuc remotâ omni occasione suum reportare ornamentum. Expletis igitur negotiis, ex quibus compulsus est Episcopus Romanos adisse apices, Angliam rediit, secum referens eam quam detulerat pallam; aurum cupiens de eâ emollire. Invenit autem aurifices & aurifrisorias, qui votum suum de opere explerent; & illi manus apponunt, forcipes applicant, preciosam aurifrisam scindere parant; sed ut lapis aut æs contra acutissima ferramenta dirigunt. Temptant iterum atque iterum; sed inanis fit conatus ipsorum. Scimus enim & confidimus ex voluntate sanctæ Virginis fieri debuisse. Nam Monachi illic velum matris suæ cum gemitu lamentabantur fuisse abstractum; & dato precio, quod injustè amiserunt, denuò receperunt, gratias agentes illi pro cunctis beneficiis ejus.

|| Venerabili. Codex Cotton.

* Ricardo. Cod. Cotton. rectius.

Postea memoratus Episcopus fuit suspensus à Papâ Hadriano pro bonis Ecclesiæ suæ dispersis; & ab eodem Papâ à sententiâ relaxatus, precibus & postulationibus Regis Henrici & Archiepiscoporum & Episcoporum Angliæ; tali tamen conditione, ut in præsentiâ Theobaldi Archiepiscopi Cant. jurejurando promitteret, ut bona Ecclesiæ suæ, pro quibus suspensionis sententiam meruit, restauraret, alienata & distracta ad Ecclesiam renovaret. Unde idem Papa eidem mandavit; quòd si Comes Willelmus Warennæ, Comes de Clare, Comes Albemarlæ, Gaufredus Martelli, Henricus filius Geroldi, Robertus filius Unfridi, & Johannes de Port, bonorum præfatæ Ecclesiæ detentores fuerint; 'eos studeas diligentissimè convenire, ut omnes possessiones Elyensis 'Ecclesiæ, quas per violentiam & contra justitiam, sicut dicitur, detinere 'præsumunt, in integrum, si ita est, postpositâ omni occasione & excusatio-

 'ne

'ne restituant. Quod si facere contempserint; eos ex tunc, omni appellati-
'one cessante, auctoritate nostrâ excommunicationis vinculis astringatis, &
'ipsos tanquam membra Diaboli ab omnibus parochanis vestris usque ad con-
'dignam satisfactionem faciatis evitari. Dat. Laterani xvii. Cal. Februarii.
Item prædicto Episcopo mandavit Thomas Cant. Archiepiscopus; quòd Sa-
cristariam Elyensem, quàm cuidam Clerico uxorato tradiderat, Monachis
restitueret, sub his verbis. 'Thomas Cant. Archiepiscopus, N. Eliensi E-
'piscopo. Vestrorum Eliensis Ecclesiæ Monachorum querimoniam accepimus,
'quòd vos Sacristariam ejusdem Ecclesiæ, quam, sicut asserunt, in exordio ve-
'stræ promotionis eis concessistis pro suâ voluntatis arbitrio disponendam,
'quasi in vestrum dominium revocâstis, subtractâ Monachis omni de eâ dis-
'ponendi potestate, eamque cuidam Clerico uxorato, præter aliarum con-
'suetudinem Ecclesiarum, tradidistis. Quod quoniam juri, ut dictum est,
'& consuetudini planè videtur contrarium; fraternitati vestræ præsenti scri-
'pto mandamus, ut hoc debitâ celeritate corrigatis, Monachisque quod su-
'orum est liberè satagatis restituere. Præterea ea, quæ de thesauro Ecclesiæ
'pro necessitate vestrâ subtraxistis sive pro pecuniâ mutuandâ sive aliâ de cau-
'sâ, monendo consulimus, ut quantociùs studeatis revocare, & juxta promis-
'sionis vestræ promissum congregare non differatis. Minùs enim decens est
'& honesta hujusmodi actio adversùm vos, & pro vestris viribus sopienda.
'Suffecerit nobis ad præsens vos diligenter commonere; veruntamen si cla-
'mor iteratus ad nos redierit, Monachis in justitiâ suâ non poterimus de-
'esse. Idem Archiepiscopus eidem aliud mandatum direxit sub his verbis,
'Thomas Archiepiscopus N. Eliensi Episcopo. Ad quæstionem vestrorum Eli-
'ensis Monachorum vos non semel commonuisse de satisfaciendo recolimus;
'& quoniam commonitioni nostræ eis pulsantibus nondum paruistis; vocamus
'vos in præsentiam nostram tertiâ die post Ad vincula S. Petri, eisdem Mo-
'nachis omni frustratoriâ dilatione remotâ respondere paratum tam de Sacri-
'stariâ quàm de distractione thesauri: ut saltem præcipienti pareatis, qui no-
'luistis obedire commonenti. Neque dissimulare possumus aut debemus,
'quin nostrum exequamur officium; neque personæ alicujus acceptionem in
'judicio aut volumus aut habere debemus.

His verò diebus vir nobilis quidam, Robertus Camerarius Comitis Britan-
niæ, usque ad mortem infirmatus est. Qui dum mortem sibi imminere præ-
sensit, Monachatum petiit, atque habitum sanctæ religionis, ut rogaverat,
à Monachis Elyensibus suscepit. Insuper cellam apud Deneyam, quam ipsi
Monachi sub eo fundaverunt, secum jure perpetuo illis tradidit possidendam
atque concessit; & coram plebe & totâ illius cognatione Cartâ suâ confirma-
vit. Item tunc temporis Monachi Elyenses emerunt ab Albrico Pycot par-
tem suam de ‖Deneys, remanente tamen ad usus illorum Elmeneyâ cum terrâ
quam pater dicti Albrici dedit illis in Villâ de Beche, i.e. sex acras terræ cum
uno cartilagio. Prædictas collationes confirmavit Episcopus Nigellus sub
his verbis. 'Nigellus Dei gratiâ Episcopus Elyensis universæ Ecclesiæ Ca-
'tholicæ filiis præsentibus & futuris perpetuam salutem. Ad nostrum pro-
'culdubio spectat officium bonorum hominum pia studia provehere; & quæ
'ab eisdem ad Dei honorem & ob animarum medelam salubriter disponuntur,
'Episcopali auctoritate sancire. Ea propter dilectorum filiorum nostrorum
'Roberti Camerarii Comitis Rychemundiæ & Alberici Pycot piæ devotioni
'aggratulantes, donationem quam ipsi Deo & B. Jacobo & B. Leonardo &
'Reg. Monacho nostro & fratribus nostris Monachis Elyensibus Deo servien-
'tibus in Insulâ quæ vocatur Deneya, tam de insulâ ipsâ quàm de insulâ aliâ
'quæ vocatur Elmeneya, & de Ecclesiis de * Wilbircham & de Wendeyâ, cum
'decimis omnibus ad eas pertinentibus, de novâ etiam garbâ dominii sui de
'de

‖ Deneiâ. *Cod. Cot. I.*

* Wilburham. *Cod. Cot. I.*

'de Wilburcham & de Wendeyâ & de terris extra præfatas Insulas, & de qui-
'buscunque redditibus & eleemosynis prædicto loco ad frequentandum ibidem
'divinum officium & ad fratrum ibidem conversantium sustentationem assig-
'natis; juxta quod in Cartis eorundem Domini Roberti & Alberici contine-
'tur: ratam habemus, & firmam atque stabilem in perpetuum fore Episco-
'pali auctoritate decernimus. Si etiam isti prædicti vel quilibet alii fideles,
'divino instinctu admoniti, de bonis sibi à Deo collatis mobilibus præfato loco
'beneficia de cætero contulerint; nihilominus divino ibidem famulatui &
'fratrum ejusdem loci tam futurorum quàm præsentium usui præmemoratâ
'officii quo fungimur potestate confirmamus. Et ne quis eos temere inquie-
'tare aut perturbare audeat, & possessiones sive libertates loci illius auferre
'vel diminuere præsumat; sub excommunicationis edicto prohibemus. Ve-
'neratores autem & benefactores hujus loci benedictionis Dei & nostræ parti-
'cipes statuimus.

Istis sic peractis, ægrotavit paterfamilias Nigellus Elyensis Episcopus; & erat languor tam vehemens, ut vix aliquantulum flatûs in eo remaneret. Sed mitto tantæ pestis infortunium; & quàm triste nobis inde processerit, postea ostendo. Mulier quædam admodum pauper in Ely degebat, de fratrum alimoniâ sustentata, sub specie religionis vivens, vigiliis & multâ abstinentiâ corpus domabat à desiderio suo. Quadam igitur nocte in somnpis huic visum fuit, quasi in Ecclesiâ ad hostium staret, quod respicit ad altare B Etheldredæ, & intraret Domino supplicando ac Sanctis illic quiescentibus. Ibi respexit adstans ex desuper altare fœminam Sanctimonialem procedere & per gradus ad illam usque procedere, caput sursum & oculos erigere, dicentem: *Videsne bona mulier, quomodo* ‖ *hîc universa perditum vadunt, & non est qui cogitet?* Tulerat autem sub pallio suo baculum, quem in altum erigens, coram illâ dixit: *In baculo isto extinxi hostes & disperdentes bona loci hujus; & protinus ex Dei jussione illos qui supersunt similiter per illum conteram, in vindictam almæ Virginis & Reginæ Etheldredæ.* Ad hæc mulier respondit: *Domina mea, nomen tuum, & quæ es, edicito; ut veraciter sciam de quo talia audierim.* Et illa: *Ego sum*, ait, *Withburga, cujus virginitatem dignatus est Dominus, cœlestis sponsus, copulare sorori sacratissimæ Etheldredæ.* **Quæ verò audisti & vidisti, fiducialiter enarra; atque orandum cùm manè huc adveneris, obviam habebis Monachum Augustinum; illi revelabis archana mea ultima.* In his mulier valde territa de somno erexit; & sicut ei ostensum fuerat, jam dictum Monachum invenit ad suum introitum obviam procedere; cui Visionis ordinem enarravit. Ille ut audivit, vehementer obstupuit, & dixit: *Indubitanter his fidem adhibeo; nec miror, si malè nobis contingat; quòd in dispendiis semper Domûs hujus attendimus.* Et non multùm postmodum adveniente Paschali festivitate, sedens in Ecclesiâ Episcopus oppressus est infirmitate validâ; vix aliquatenus Medicorum pigmentis relevari potuit. Sicque per tres continuos annos portabatur in sede clientum manibus, corporis medio privatus omnino; in confessione & obsecratione ad Deum jugiter perseverat usque ad ultimum vitæ suæ tempus. Sed neque sic conversus est, ut benefaceret Jacob & domui Juda. Decessit autem anno Incarnationis Dominicæ MCLXIX. Episcopatûs verò sui xxxvi. iii. Calend. Junii, sextâ feriâ, horâ nonâ. Et die Dominicâ post à Willelmo venerabili Monacho, Norwycensi Episcopo, sepultus est, & honorificè collocatus in Ecclesiâ B. Etheldredæ juxta altare S. Crucis, anno Henrici Junioris Regis Anglorum xvii. Veruntamen ante obitum suum concessit & Cartis suis confirmavit; ut Monachi de Ely liberè & in pace teneant Ecclesias; & ne aliquis Successorum suorum eos inquietet de tenuris suis.

Ric. c. 24. Thomas de mirac. S. Etheldr. cap. 29.

‖ Hæc. Ric.

* Quod. Id. & Cod. Cot. 1.

Mortuo

Tho. de mirac. c. 30.

Mortuo igitur Episcopo, filius suus Ricardus, Elyensis Ecclesiæ jugiter adversarius, ad Regem ultra mare velociter ascendit; timens sibi malum parari, si quem mitteret Ecclesia, ipsum præcederet. Apud quem in multis Monachos accusans, in tantum exasperatum reddidit, narrans de eis sinistra pluria & inhonesta; quòd Dominus Rex in Angliam mittens jussit Priorem de Ely à suo Monasterio deponi & Monachos bonis omnibus proscribi. Nigellus Episcopus contulit Ecclesiæ unam Albam cum paraturâ auro consutam cum mirabilibus bestiis & avibus, cum propriâ amictâ & lapidibus circundatam & ad modum collarii optimè ornatam; cum uno lapide albi coloris qui vocatur Sama, & duas casulas, unam nigram auro per girum circumligatam, aliam crocei coloris cum avibus rubeis consutam; & unam capam, quæ vocatur *Gloria Mundi*.

MONA-

MONACHI ELIENSIS
Continuatio Historiæ Eliensis
Ab anno MCLXIX. ad annum MCCCLXXXVIII.

GALFRIDUS RIDEL, Episcopus III.

(o) PRædicto Episcopo successit Galfridus Rydel, Archidiaconus Cantuariensis. Hic enim cùm à Monachis Elyensibus fuisset electus, & in communi audientiâ purgâsset innocentiam suam, quòd mortem S. Thomæ Archiepiscopi neque verbo neque facto neque scripto scienter procuravit; in die Ascensionis in Ecclesiâ suâ solempniter intronizatus. Consecratus est à Ricardo Cant. Archiepiscopo anno Domini MCLXXIV. pridie Non. Octobris, anno xxi. regni Regis Henrici prædicti. Hic sedit annis xiv. additis septimanis xlv. & diebus iii. xii. Cal. Septembris anno Domini MCLXXXIX. anno primo Regis Ricardi, Wyntoniæ obiit intestatus; & ideo bona sua universa confiscata sunt. Pecuniam numeratam habebat repositam tria millia marcarum argenti, ducentis marcis prædicto numero superadditis. Suppellectilis suæ numerus tam in auro quàm in argento, tam in equis quàm in vestibus, tam in blado quàm in stauramentis, in immensum excrevit. Ipse dedit nobis tres capas rubeas de Samyth, aurifriso & floribus aureis per girum listatas; quarum unam cum nodo argenteo infixo lapidibus; & unam casulam rubeam de Samyth; & unam Albam, cujus paratura auro constellata est: & infulam, & nobilem pannum altaris, & multa ornamenta per Prædecessorem suum alienata redemit; & duo latera feretri S. Etheldredæ, & partem cumuli de argento perpulchrè reparavit. Cathedram magni Altaris & medietatem Chori depixit. Novum opus usque Occidentem cùm turre usque ad cumulum ferè perfecit. Hic etiam dedit & Cartâ suâ confirmavit centum solidos de scaccario suo singulis annis à Sacristâ Elyensi percipiendos ad quatuor anni terminos assuetos, ad unum cereum parandum antè majus altare Ecclesiæ illius;

Fert unum cantonem in scuto or.

(o) Gaufridus Ridel, Archidiaconus Cantuariensis, regium favorem meruit adversùs S. Thomam Archiepiscopum suum strenuè decertando. Illum Archiepiscopus *Archidiabolum & Antichristi membrum* in epistolis suis passim appellat, se nusquam graviorem hostem expertum esse testatus. Anno 1169. missus ab Henrico Rege ad Galliæ Regem, postulavit, ut Archiepiscopus è Galliâ ejiceretur. Missum autem Gallus rejecit, & Archiepiscopus brevi pòst excommunicavit. Ad Episcopatum Eliensem ritè electus anno 1173. intronizatus est 17. Maii, die Ascensionis Domini, antequam adhuc consecratus fuerit, Sede Cant. vacante. Anno demum sequenti à Ricardo Archiepiscopo apud Cantuariam consecratus est die 6. Octobr. Ista tradit Dicetensis in *Imag. Hist. p.* 568, 582. qui Historico nostro in temporibus Episcopatûs & obitûs designandis, aliisque tam hujus quàm sequentis Episcopi gestis verbatim convenit; adeò ut Dicetensem à nostro visum fuisse nullus dubitem. Anno 1189. Galfridus Justiciarius itinerans à Rege creatus est, authore Hovedeno f. 337. Justiciarium totius Angliæ fuisse Huntindoniensis refert in libro *de Contemptu mundi* c. 6. Obitum 1189. 21. Aug. contigisse confirmant Hovedenus, & Annales Roffenses ac Lanercostenses. Die tamen 27. Julii obitum illius Obituarium Eliense reposuit. Corpus ad Eliam delatum in Ecclesiâ Cathedrali sepulturam accepit.

ita

ita quòd tam diebus quàm noctibus continuè ſit accenſus. Item xxvi. ſolidos & viii. denarios de aſſartis in Somerſham & Stokkyng pro bonâ pitanciâ Conventûs & potagio de rys & bonâ ſerviſiâ per ii. dies habendâ.

WILLELMUS DE LONGO-CAMPO, Epiſcopus IV.

Arma Willelmi de Longo-campo ſunt Palye or, verry argent & aſur.

(*p*) Huic ſucceſſit Willelmus de Longo-campo; qui fuit Cancellarius Regis Ricardi, ejuſque Juſticiarius totius Angliæ. Ipſe à Monachis Elienſibus fuit electus anno Domini MCXC. & pridie Cal. Januarii cum Ricardo London. apud Lambythe eſt conſecratus. Hic in Epiphaniâ Domini, concurrentibus Epiſcopis multis ad diem feſtum, Intronizationem ſuam ſolempnem fecit cum magno apparatu. Unde quidam Verſificator ſic ait:

Prævifis aliis, Elyenſia feſta videre;
Eſt quaſi præviſâ nocte videre diem.

Tunc demum ad notitiam ſuam pervenit & Epiſcoporum cæterorum in feſto ſuo apud Ely ſecum exiſtentium, quòd ſepulcrum Galfridi prædeceſſoris ſui fuit

(*p*) Epiſcopatum Galfridi morte vacantem Rex Willelmo Longchamp Cancellario ſuo contulit apud Pipewelle 1189. 16. Sept. tunc ſc. à Capituli Procuratoribus in præſentiâ ſuâ more adhuc recepto eligi juſſit. Diem 15. Sept. Dicetenſis, 14. Liber antiquus Elienſis poſuit. Præ utroq; autem Bromtonus fidem meruit qui diem 16. poſuit. Conſecratus eſt Willelmus apud Lametham 1189 31. Dec. intronizatus apud Eliam 1190. 6. Jan. authoribus Gervaſio & Dicetenſi. Quantæ apud Principem ſuum authoritatis iſte fuerit, quot honoribus cumulatus, quòd Cancellarius totius Angliæ, quódque Juſticiarius ſeu Prorex totius regni cis Trentam à Rege Palæſtinam profecturo renunciatus fuerit; nullum Hiſtoriæ Anglicanæ gnarum latet. Neminem ſanè Rex ſibi aſſiſtentem habebat aut rebus gerendis magis idoneum. aut ſibi magis fidelem. Invictâ fidè Johanni Moritoniæ Comiti & complicibus ſuis, res novas abſente Rege molientibus, ſeſe obviam dedit; majori quidem conjuratorum potentiâ Angliâ cedere coactus, Principi tamen ſuo non defuit. Huic in carcere apud Auſtriam detento accurrit, ſedulum famulatum præſtitit, carcere liberatum in Angliam ſecutus, bella in Galliis gerentem aſſiduè comitatus eſt, maxima regni negotia uſq; ad obitum expedivit; & à Rege demum Romam legatus, obiit in itinere apud Pictaviam 1197. 31. Jan. Sic quidem præter Hiſtoriam noſtram Dicetenſis & Obituarium Cantuarienſe produnt. Obitum tamen die 28. Jan. Obituarium Elienſe, die 29. Matthæus Paris, die 30. Weſtmonaſterienſis, die 1. Febr. Gervaſius reponunt. Iniquos admodum Hiſtoricos Willelmus expertus eſt. Iſti ferè omnes ſuperbiam ejus, ignorantiam, nefandam libidinem, arrogantiam ac tyrannidem criminantur. Præ aliis autem Giraldus in id omnes eloquentiæ nervos intendit, ut in illo monſtrum quoddam impietatis depingeret. Omnibus autem atque ipſimet Giraldo præivit Hugo Coventrenſis Epiſcopus in Epiſtolâ adversùs Willelmum invectivâ, quæ apud Hovedenum extat f. 400. Hugo enim Johanni Comiti regnum abſente Ricardo fratre ambienti ſe adjunxerat; & Willelmum proditionis ſuæ ultorem veritus, author erat Magnatibus Angliæ, ut ipſum Angliâ ejicerent; ejectumque ſcripto infami libello calumniabatur. Hujus occaſione Petrus Bleſenſis literis ad Hugonem datis Willelmi jam collapſi famam ſic tuetur. *Dilectus Deo & hominibus Epiſcopus Elienſis, vir ſapiens, amabilis, generoſus, benignus & mitis, & in omnes liberalitates effuſus; juxta ſuorum exigentiam meritorum reipublicæ adminiſtrationem & ſummam rerum fuerat aſſecutus. Vidiſti & invidiſti. Ipſe autem ambulans ſimpliciter, te in familiaritatis ſacrarium accerſivit, &c. Tu exercebas occultè in hominem innocentem linguæ ſeditionariæ & procacis injurias.* Pluribus id Petrus perſequitur; & Willelmum ab ipſo indignè proditum atque exauthoratum acerrimè conqueritur, epiſt. 89. Nigellus etiam Wireker, Monachus Cantuarienſis piiſſimus, qui (ſi quis unquam alius) adulari neſcivit, in libro *de corruptelis Cleri Anglicani*, inſigne elogium Willelmo poſuit, diffuſam Scripturarum ſcientiam & admirandam eloquentiam deprædicans. Adhæc ſe audiſſe & expertum eſſe dicit, *quia mitis eſſet & humilis corde, tantumque habens Moſaicæ manſuetudinis, quòd aut facilè remittat, aut injuriam rarò reminiſcatur; licèt æmuli ejus aliter ſentiant, & hi maximè quorum aciem habetavit invidia, eò uſque gradiens, ut non revereantur nec confundantur dicere bonum malum & malum bonum, &c.*

vio-

violatum; quoniam annulus Pontificalis, quem sepulturæ traditus habuit in digito, fuerat latenter subtractus. In pulpitum ascendentes Episcopi violatores tam facientes quam consentientes sub anathemate concluserunt.

Præfatus igitur Episcopus ad petitionem Regis Ricardi Angliæ, officium Legationis in totâ Angliâ, Walliâ, & in partibus Hiberniæ à Papâ Clemente suscepit. Ipse anno Domini MCXCI. à facie Johannis Comitis fugiens, apud Dovere in veste muliebri comprehenditur; sed non multùm post dimissus, mare transiit, impetrans literas Domini Papæ. Dum autem Romam tenderet pro negotiis Regis expediendis; completis à die Consecrationis suæ vii. annis, xxx. diebus, obiit apud Pictavium pridie Calend. Februarii, anno Domini MCXCVII. anno Regis Ricardi vii. Sepultus est autem in Abbatiâ quâdam Ordinis Cistersiensis, quæ vocatur Abbatia de Pinu. Cor verò ejus jacet reconditum in parvâ tumbâ marmoreâ prope altare B. Martini.

Ipse appropriavit Ecclesiam de Wrattyng de jure patronatûs ad recreationem infirmorum, & decem marcas in Ecclesiâ de Melrede ad sustentandam hospitalitatem. Ipse assignavit in certis Maneriis suis de unaquaque acrâ dominii sui unam garbam bladi bonam unoquoque anno percipiendam, ad inveniendum tres cereos honorabiles & competentes perpetuò & continuè ardentes in Ecclesiâ de Ely; duos videlicet ante corpus B. Etheldredæ, & tertium in choro ante altare S. Petri: salvo quarto cereo, quem Galfridus prædecessor suus instituit ante majus altare. Ipse insuper ordinavit; ut in die anniversarii sui dentur pauperibus xiii. eytendeles de frumento, & Conventui ii. marcæ in Bluntesham de c. acris, quas dedit Ecclesiæ ad faciendum anniversarium suum. Ipse dedit Ecclesiæ suæ unam Albam de serico, & casulam rubeam cum gemmis preciosis, & iii. tapeta, x. pallas & cortinas, iv. capas, iii. tabulas, & crucem auream cum reliquiis, capsam argenteam cum filatorio aureo. Oleum S. Demetrii, oleum de sepulcro S. Mariæ, ii. ampullas, & pixidem cristallinam, ii. capsulas eburneas, capsam cum dente S. Petri. Ipse solvit Henrico Imp. pro Regis Ricardi redemtione de thesauro Ecclesiæ suæ octies xx. marcas: pro quâ quidem redemptione subscripta deficiunt in Ecclesiâ Elyensi, ix. textus mediocres, & iii. parvi, quinque Cruces argenteæ & duæ parvæ, quæ ad processionem ferebantur; unus magnus calix preciosus & bene deauratus; iii. alii calices de plano opere deaurati, quorum unus fuit in Capellâ infirmorum; Item v. calices argentei sine auro, quorum unus fuit in Capellâ de Chetesham, & alius in Capellâ de Dounham, & una patena sine calice, & unus urceus argenteus ad aquam ferendam, & unus urceolus argenteus, & frontalis argenteus, & magnum turribulum argenteum; item unus textus Edgari Regis magni pretii.

EUSTACHIUS, Episcopus V.

(*q*) Prædicto Episcopo successit Eustachius; qui fuit Decanus Sarum. Ipse fuit electus ad regimen Ecclesiæ Elyensis iv. Id. Augusti anno Domini MCXCVII. anno Regis Ricardi ix. & apud * Monasterium consecratus. Hic sedit annis xvi. mensibus xi. diebus xxi. iii. Non. Februarii obiit anno Domini

Eustachius Episcopus in scuto de ermines fert un cheveron azur, & tres billets gules.

* l. Westmonasterium.

(*q*) Eustachius, Decanus Sarum, in præsentiâ Regis electus est apud vallem Rodoli in Normanniâ 1197. 10. Aug. ab Archiepiscopo Huberto confirmatus 1198. 1. Martii, & ab eodem, Episcopis novem assistentibus, consecratus Westmonasterii in Capellâ S. Katerinæ die 8. Martii. Eodem anno die 1. Julii Cancellarium fuisse ex antiquâ quadam Cartâ comperio. Hoc ipso anno Cancellarium fuisse renuntiatum Hovedenus tradit, qui tamen alibi illum ex Sigillifero Regis Archidiaconum Richmundanum anno 1196. factum fuisse refert. Obiit apud Radingam 1215. 3. Febr. juxta Historicum nostratem

Domini MCCXV. anno regni Johannis xvi. & sepultus est in Ecclesiâ Elyensi prope altare S. Mariæ. Hic dedit Ecclesiæ suæ vii. cappas, & iii. infulas, ii. albas, xii. pallas, iv. tunicas, pulcrum pallium altaris, calicem aureum, pixidem propter Eukaristiam auream, iv. ampullas argenti, ii. bacinas argenti, turribulum & acerram argenti; ii. filateria pulchrè fabrefacta cum lapidibus, sub quibus reliquiæ S. Thomæ Martyris & aliorum Sanctorum continebantur. Crucem parvam auream continentem Lignum Dominicum, & baculum pastoralem. Ipse construxit novam Galileam à fundamentis versùs occidentem.

Ipse cum Willelmo London, Maugerio Wygorn. Episcopis per præceptum Papæ sententiam generalis interdicti in regno Angliæ promulgavit, anno Domini MCCVIII. regni Regis Johannis x. ix. Cal. Aprilis, feriâ ii. post primam Dominicam Passionis Domini. Eustachius Episcopus Elyensis, Willelmus London, Maugerius Wigorn. & Herfordensis Episcopi recesserunt ab Angliâ anno Domini MCCVIII. Et anno sequenti Stephanus Cant. London. & Elyensis Episcopi ex mandato Regis Johannis venerunt in Angliam de pace tractaturi. Sed infecto negotio Gallias redierunt. Duravitque prædictum Interdictum usque ad annum Incarnationis MCCXIV. qui erat annus xvi. regni Regis Johannis.

Ipse dedit quinque marcas ad inveniendum unum cereum coram altari S. Mariæ; & duas marcas & dimidiam dedit Monachis ejusdem loci ad anniversarium suum faciendum. Ita quòd eodem die Monachi habeant ad pictanciam una marcam; & xx. solidos eodem die in usus pauperum expediantur de c. solidatis terræ in Berkyngham & ejus partium, quas perquisivit de Hamelino Comite Warennæ. Ipse remisit Ecclesiæ Elyensi le Rome acre. Ipse appropriavit nobis Ecclesiam de Steucheworthe de jure patronatûs nostri, in recompensationem tallagii consueti per Prioratum. Ipse etiam contulit Ecclesiam de Ympyngton de jure patronatûs Episcopatûs ad augmentationem librorum.

Post obitum dicti Episcopi electus est Galfridus de Burgo Archidiaconus Norwicensis; à cujus electione Monachi resilientes, cùm non esset Electio publicata, elegerunt Robertum Eboracensem, qui sine consecratione, pendente tamen lite, tenuit Episcopatum ferè per quinquennium: & ipse dedit nobis Ecclesiam de Witlysey. In tempore namque quo præfatus Robertus tenuit Episcopatum, vacabant plures Ecclesiæ in Episcopatu Elyensi per mortem Stephani de Rydel consanguinei prædicti Galfridi Rydel Episcopi; quas omnes prædictus Robertus tempore suo contulit.

JOHANNES DE FONTIBUS, Episcopus VI.

Fert Solem, Lunam & 7. stellas or in campo azureo.

(r) Anno regni Regis Henrici iii. cassatis electis Galfrido & Roberto, data est Ecclesia Eliensis à Pandulpho Legato & Stephano Cant. Archiepiscopo auctoritate Apostolicâ

stratem, 2. Febr. juxta Annales Suthwercenses, 30. Jan. juxta Obituarium Eliense. Contulit Ecclesiam de Melreth Ecclesiæ Eliensi *in usus domûs hospitalitatis Eliensis, salvis in eâ consuetudinibus Episcopalibus. Et Robertus Everwyc Electus Eliensis confirmat Ecclesiam de Melreth Monachis Elien. in proprios usus domûs hospitalitatis eorum per cartam suam.* Verba sunt Registri Eliensis. Iste Robertus Everwyc non alius erat à Roberto Eboracensi, quem post Eustachii obitum à Monachis electum fuisse hîc loci dicitur. Ne electio ejus effectum sortiretur, Rex in causâ fuit; qui assensum constanter denegavit, & electionem irritam haberi jussit, pluribus de ea Brevibus datis 1215. medio mense Aprili, apud Prynnium vol. 3. p. 30.

(r) Consecrationem Johannis Monachus Eliensis malè designavit. Consecratus est enim 1220. 8. Martii, anno 4. Henrici Regis: quod ex utroque Matthæo & characteribus ab Eliensi datis certissimè constat. Obiit 1225. 6. Maii ex fide Annalium Lambeth. & Johannis de Taxton: quamvis Obituarium Eliense diem 7. statuat. Thesaurarium Angliæ fuisse Godwinus malè existimavit, hinc deceptus, quod summus Angliæ Thesaurarius Willelmus, de Ely cognominatus, anno 1223. obierit.

Johanni

Johanni Abbati de Fontibus; qui consecratus est apud London à Stephano Cant. Archiepiscopo vii. Id. Marcii, mediâ Dominicâ Quadragesimæ. In die Annuntiationis S. Mariæ in sede suâ gloriosè est receptus. Hic sedit annis v. septimanis viii. diebus ii. & obiit pridie Non. Maii apud Dounham anno Domini MCCXXV. & sepultus est in Ecclesiâ Elyensi versùs altare S. Andreæ. Ipse dedit cappam preciosam, duas infulas, tunicas quatuor, & Albas quatuor, pallas, & baculum pastoralem, duas bacinas argenti. Ipse insuper dedit decimas de Hadham ad anniversarium suum faciendum. Ipse dedit Ecclesiam de Wycheford de jure Patronatûs nostri †, & Ecclesiam de Melrede || ad hospitalitatem sustinendam ex toto concessit. Nunc verò in pavimento coram magno altari ad pedes Johannis de Crandene requiescit, tectus duobus lapidibus marmoreis.

† Salvâ competenti Vicariâ v. marcarum, addit *Registrum Elien.*

|| Hanc ab Eustachio prius donatam confirmavit. *Id.*

GALFRIDUS DE BURGO, Episcopus VII.

Fert 3. flores ermines in campo azureo.

(s) Huic Episcopo successit Galfridus de Burgo, qui fuit Archidiaconus Norwycensis. Ipse post mortem Johannis Episcopi convenientibus Fratribus in Capitulum, Rogerus Prior invocato Spiritu sancto elegit in pastorem & patrem Elyensis Ecclesiæ Galfridum Norwycensem Archidiaconum, consentientibus cæteris omnibus atque subscribentibus. Qui consecratus est à Stephano Archiepiscopo Cant. apud London. in die Apostolorum Petri & Pauli anno Domini MCCXXV. Hic sedit annis iii. mensibus vi. diebus ii. & obiit xvi. Calend. Januar. anno Domini MCCXXVIII. & sepultus est in Ecclesiâ Elyensi ex parte Boreali chori. Ipse dedit turribulum argenteum deauratum, & duas bacinas argenti intus deauratas, Albam, & pallas plures. Ipse dedit centum acras terræ in Bluntesham; & ordinavit anniversarium suum celebrandum eo modo, quo celebratur anniversarium Episcopi Willelmi. Ipse dedit ducentas acras de more in marisco de Wysbech ad augmentationem Prioratûs. Ipse etiam fecit magnam partem cumuli de feretro S. Etheldredæ deaurari; ad cristam autem faciendam dedit magnum & magni precii discum argenteum. Ipse dedit Sacristæ Ecclesiam S. Andreæ Cantebrigiæ.

HUGO DE NORTHWOLDE, Episcopus VIII.

Fert in duobus scutis suis arma S.Etheldredæ & S.Edmundi.

(t) Prædicto Episcopo successit Hugo de Northwold, qui fuit Abbas de S. Edmundo. Iste per compromissionem in septem Fratres Elyensis Ecclesiæ factam eligitur in Episcopum

(s) Galfridus, Huberti de Burgo Comitis Cantiæ & summi Angliæ Justiciarii frater, successit. Consecratum fuisse 1225. 29. Junii refert etiam Matthæus Paris; defunctum 1288. 17.Dec. confirmat Johannes de Taxton. Obituarium tamen Eliense illum die 8. Decembr. obiisse, Parisius die 12. Decembr. sepultum esse tradunt.

(t) Rectiùs Matthæus Paris Hugonem 1229. 4. Id. Junii apud Cantuariam consecratum esse scribit; cui suffragantur Florilegus & Annales Theokesbir. Rectè autem è contra diem obitûs noster posuit; cujus loco Matthæus diem 9. Augusti malè substituit. Nostro enim astipulantur Obituarium Eliense & Johannes de Lakinghith in Historiâ Buriensi. Præclarum Hugoni elogium Matthæus posuit p. 891. in his verbis desinens. *In cujus obitu flos Magistrorum obiit & Monachorum; quia sicut Abbas Abbatum in Angliâ extiterat, ita & Episcopus Episcoporum coruscavit.* Beneficia Ecclesiæ suæ præstita Registrum Eliense sic enumerat. *Contulit Ecclesiam S. Mariæ de Elye Monachis Elien. cum Vicariâ perpetuâ; & Willelmum de Leytone Eliensem Sacristam in corporalem possessionem prædictæ Ecclesiæ nomine majoris Ecclesiæ fecit introduci. Item contulit Ecclesiam de Wycham in proprios usus; statuens, ut fructus ipsius ad opus cameræ sine diminutione qualibet assignentur. Idem contulit Ecclesiam de Suttone in proprios usus causâ hospitalitatis sectandæ & religionis augmentandæ. Idem contulit Eleemosynariæ terram de* Berlynnge

pum Elyensem, à Domino Papâ postulandus. Electus igitur & à Domino Papâ per Procuratores suos in Curiâ Romanâ confirmatus, ipso in Angliâ existente, consecratus est iv. Non. Junii, anno Domini MCCXXIX. anno regni Regis Henrici tertii xii. Hic sedit xxv. annis, septimanis ix. diebus ii. & obiit viii. Idus Augusti, anno Domini MCCLIV. anno regni Regis prædicti xxxviii. Ipse præ omnibus prædecessoribus suis pollet ædificiis, prævalet beneficiis. Ipse enim construxit aulam Episcopalem in Ely, in Dittoun, in Schipdam, & in cæteris Maneriis suis ferè in omnibus construxit ædificia. Ipse etiam ædificavit novum opus Ecclesiæ nostræ versùs Orientem à fundamentis; quod Presbiterium nuncupatur; quod quidem opus in xvii. annis perfecit; circa quod opus construendum expendit quinque millia librarum & quadringentas libras, xviii. solidos, viii. denarios, præter robas. Ipse etiam construxit de novo turrim ligneam versùs Galileam ab opere cæmentario usque ad summitatem. Ipse appropriavit nobis Ecclesiam de Wycheham ad tunicas de jure patronatûs nostri, & terram arabilem apud Berkyng precii x. marcarum, ad anniversarium suum faciendum. Ipse etiam contulit nobis vii. cappas, iv. Albas, iii. casulas, vi. tunicas, stolas, & amictas multas & bonas. Novo opere constructo, tota Ecclesia Eliensis dedicata erat anno Domini MCCLII. xv. Cal. Octobris, in honorem B. Mariæ, B. Petri, & B. Etheldredæ Virginis, in præsentiâ Domini Regis Henrici III. & Domini Edwardi filii ejus.

WILLELMUS DE KIRKENNY, Episcopus IX.

Fert 5. Lunulas or. in scuto gules.

(*u*) Huic successit Willelmus de Kyrkenny; qui fuit Cancellarius Henrici III. Regis Angliæ. Ipse fuit electus anno Domini MCCLIV. & consecratus à Bonifacio Cant. Archiepiscopo apud Beleyse in Sabaldiâ anno Domini MCCLV. [* xviii.] Kalend. Septembr. Hic sedit anno uno, septimanis v. diebus ii. Obiit xi. Calend. Octobr. anno Domini MCCLVI. apud Sugho in Hispaniâ, ibique fuit sepultus, anno regni Regis prædicti xl. Sed cor suum apud Ely fuit allatum, & in majore Ecclesiâ Elyensi prope altare S. Andreæ Apostoli honorificè collocatum. Ipse appropriavit nobis de jure Patronatûs nostri in prædiis nostris Ecclesiam de Meldeburne & Ecclesiam de Swafham. Item contulit Ecclesiæ Elyensi unam capam, quæ vocatur Theofile propter historiam de miraculo Theofili quæ consuitur in eâdem; & legavit Ecclesiæ cc. marcas, ad inveniendum duos Capellanos pro animâ ejus in perpetuum divina celebrantes.

* Numerus iste ex Codice Cottoniano restituitur.

Berlyngge ad anniversarium suum. Idem contulit Ecclesiam de Wymtworth, ita quòd x. marcæ annuatim assignentur de dictâ Ecclesiâ per manum Sacristæ Eliensis ad reparationem pontium & calceti de Saham, & totum residuum ad sustentationem novæ fabricæ Ecclesiæ Eliensis. Porrò Sedi suæ concessit duo Maneria, viz. Bramford in Suffolciâ & Toteridg in Hertfordiâ, sub conditione solvendi marcam annuatim pro stipendio Cantaristarum Eliensium. Sepultus est in Ecclesiâ Eliensi versùs Orientem juxta feretrum S. Etheldredæ.

(*u*) Willelmus de Kilkenni (sic enim sæpiùs dicitur) Cancellarius Regis specialis anno 1240. creatus, eodem anno post Festum S. Edwardi ad Episcopatum Eliensem electus est; & consecratus à Bonifacio Cant. Archiepiscopo apud Bolesium in Sabaudiâ 1255. 15. Augusti, Cancellariatum deposuit. Ista habet Matthæus Paris. Concordat instrumentum Professionis autographum, & Registrum Cantuariensis Ecclesiæ; nisi quòd locum Bellicam (Belesmum Johannes Walingford) appellent, & Archiepiscopum Tarentasiensem atque Episcopum Bellicensem astitisse addant. Obitum Willelmi die 22. Sept. Obituarium Eliense reposuit. Inter Benefactores Academiæ Cantabrigiensis iste commemoratur.

HUGO

HUGO DE BALSHAM, Episcopus X.

(*x*) Huic successit Hugo de Balsham, qui fuit Supprior Elyensis. Ipse fuit electus à Monachis Elyensibus Idibus Novembris anno Domini MCCLVI. anno regni Regis Henrici xl. Sed quòd tam à Rege Henrico quàm ab Archiepiscopo Bonefacio Cant. cassata fuit sua electio, ad Curiam Romanam appellavit; ubi fuit confirmatus pridie Non. Octobr. ab Alexandro Papâ IV. anno Domini MCCLVII. à quo etiam fuit consecratus pridie Idus Octobris anni ejusdem. Hic sedit annis xxviii. septimanis xxxiv. diebus verò vi. & obiit anno MCCLXXXVI. xvi. Cal. Julii apud Dodyngton, anno regni Regis Edwardi xiv. & sepultus fuit in Ecclesiâ majori Elyensi coram magno altari (cor autem ejus juxta altare S. Martini in Ecclesiâ sepelitur) viii. Calend. ejusdem mensis à venerabili patre Thomâ Roffensi Episcopo. Ipse contulit nobis de jure Patronatûs Episcopatûs duas Ecclesias, videlicet Ecclesiam de Foxtoun ad augmentationem Eleemosinariæ, & Ecclesiam de Wysbech ad recreationem Fratrum in Refectorio reficientium.

Fert 3. palos perpendiculares.

JOHANNES DE KIRKEBY, Episcopus XI.

(*y*) Huic successit Johannes de Kyrkeby, qui fuit Decanus Wymburnensis, & Thesaurarius Regis Edwardi. Ipse anno Domini MCCLXXXVI. vii. Calend. Augusti in hunc modum

Fert in scuto argenteo leonem rapacem sables.

(*x*) Auditâ Willelmi Episcopi morte, Rex scriptis ad Monachos Elienses literis Henricum de Wengham Cancellarium suum eligi postulavit. Monachi autem Hugonem de Balsham sive Belesale eligunt. Rex irâ commotus, electioni assensum dare recusavit; & Johanni Waleranno Temporalium Episcopatûs custodi sylvas succidere & prædia devastare præcepit. Causâ ad Archiepiscopum delatâ, ipse Regi obsecundatus, electionem cassavit 1257. 10. Maii. Hugo Papam appellat, & Romam se confert. Archiepiscopus, ut Hugonem Episcopatu quovis modo excluderet, Adamum de Marisco Theologum magni nominis Minoritam substituit; qui Romam Regis & Archiepiscopi literis commendatoriis munitus adiret, & Episcopatum Eliensem sibi confirmari peteret. Antiquitus enim si Capitula Cathedralia idoneam personam infra tempus statutum non elegissent; Rex & Archiepiscopus jus electionis ad se devolutum esse causantes, Episcopum pro lubitu substituere consueverunt. Interveniente autem appellatione Bonifacius Adamum consecrare non ausus, Romam ipsum misit. Henricus interim ab Episcopatûs obtinendi spe libentissimè discessit, utrumq; (tam Adamum scil. quàm Hugonem) se longè digniorem esse protestatus. Demum in Curiâ Romanâ Hugo immensâ pecuniæ vi effusâ confirmari obtinuit, sancito per Alexandrum Papam eâ ex occasione decreto, quòd de cætero Archiepiscopus poterit electiones Episcoporum examinare & cassare, sed non alium subrogare. Ista fusiùs ex Matthæo Paris & Registro Ramesiensi (Monastic. tom. 1. p. 241.) haberi possunt. Beneficia Ecclesiæ suæ data in Registro Eliensi sic laudantur. *Contulit Conventui bracinum suum in Ely, quod construitur de opposito Vinarii magni. Item Ecclesiam de Haulreston ad cameram Conventûs, & Ecclesiam de Foxton ad opus pauperum, & Ecclesiam de Stapleford ad opus Conventûs, &c.* Porrò *amerciamenta omnia, retornum Brevium, & placita de averiis infra Hundreda de Mitford, Wikelawe, Trillyng & Wynestoun* sibi & successoribus suis à Rege adquisivit. Longè majus autem toti Ecclesiæ Anglicanæ beneficium præstitit, fundato apud Cantabrigiam Collegio S. Petri in literatorum usum. Opus id inchoâsse creditur, antequam Episcopatum adeptus esset. Prima autem ejusdem, quæ occurrit, mentio indubia habetur in Cartâ regiâ datâ *Custodi & Scholaribus Domûs S. Petri* 1274. 15. Maii. Obitum Hugonis die 15. Junii Obituarium Elyense collocavit.

(*y*) Johannes de Kirkby, Canonicus Wellensis & Eboracensis, & Archidiaconus Coventrensis, summus Angliæ Cancellarius medio anno 1272. renunciatus, officium biennio administravit. Dein Thesaurarius 1284. 6. Jan. constitutus, officium usque ad obitum retinuit. Johannem quendam de Kirkby Justiciarium Regis anno 1236. fuisse

modum fuit electus. Elyensi Ecclesiâ per mortem Hugonis de Balesham vacante, petitâ à Rege prædicto tunc Parisiis existente licentiâ eligendi & obtentâ, dieque eligendi à Fratribus Elyensibus statuto, sc. vii. Calend. Augusti, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt & potuerunt commodè interesse; post Missam de Spiritu S. ipso die ad magnum altare solempniter celebratam, convenientes omnes in Capitulo, unanimi assensu & voluntate quasi per inspirationem Spiritûs Sancti, in Dominum Johannem Kyrkeby omnes consenserunt; & sic Johannes Prior Elyensis præfatum Johannem Kyrkeby vice ipsius & totius Conventûs sui ex rogatu eorundem in Episcopum Elyensem die supradicto elegit sub hac formâ. *In nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen. Ego frater Johannes Prior Elyensis Ecclesiæ vice meâ & totius Conventûs ejusdem Ecclesiæ eligo in scriptis Dominum Johannem de Kyrkeby Clericum in Episcopum & Pastorem Ecclesiæ Elyensis supradictæ; virum utique honestum, providum & discretum in spiritualibus, & in temporalibus circumspectum.* Et electionem de ipso factam tam in Capitulo coram fratribus quàm in majori Ecclesiâ ad magnum altare coram Clero & populo in scriptis solempniter publicavit. viii. Idus prædicti mensis prædictus Johannes de Kyrkeby fuit præsentatus dicto Regi Edwardo tunc apud * Melunham juxta Secanam in Franciâ existenti; & xvi. Cal. Septembr. ejusdem anni fuit confirmatus à fratre Johanne de Pecham Archiepiscopo Cant. apud Saltwode in Kantiâ; à quo etiam præfatus Johannes fuit promotus ad ordinem sacerdotalem apud Faversham xi. Kalend. Octobr. ejusdem anni; & in crastino ab eodem consecratus in Cathedrali Ecclesiâ Cant. & ix. Cal. Januar. ejusdem anni fuit intronizatus à Magistro Ricardo de Ferynges Cant. Archidiacono. Ipse sedit annis iii. septimanis xxvi. diebus iii. & † obiit viii. Calend. April. die videlicet Palmarum, circa horam completorii apud Ely anno Domini MCCXC. & sepultus fuit à Magistro Radulpho de Walpole Norwycensi Episcopo in Ecclesiâ Elyensi coram cruce ex parte Boreali chori ante altare S. Johannis Baptistæ, iii. Calend. dicti mensis, scilicet in die Cœnæ Domini. Hic dedit ad anniversarium suum celebrandum in crastino Annunciationis B. Mariæ hospitium ex opposito Fratrum Minorum in civitate London. vocatum le Belle; ita quòd Pitanciarius habeat unam marcam pro pitanciâ Conventûs, & Eleemosinarius duas marcas ad opus pauperum.

* Melunam. *Cod. Cot.* 2.

† Rectiùs Codex Cotton. uterque legit vii. *Cal. April.*

WILLELMUS DE LUDA, Episcopus XII.

Fert in superiore parte scuti unum chequer or & arg. in inferiore leopardi faciem in campo nigro.

(z) Huic successit Willelmus de Ludâ electus ad regimen Ecclesiæ Elyensis, Decanus S. Martini London, Archidiaconus Dunelmensis, & Domini Regis Edwardi Camerarius, Thesaurarius, & Clericus Garderobæ; quasi per inspirationem Spiritûs S. eo modo quo prædecessor suus ad dictum regimen fuerat electus, iv. Non. Maii anno Incarnationis Dominicæ MCCXC. & Regis prædicti xviii. qui in Vigiliâ S. Trinitatis ejusdem mensis à fratre

ille comperio. An idem is fuerit, parùm constat. Dies consecrationis & obitûs ab Historico nostro positos confirmat Thomas Wikes; qui plura de Johanne habet in anno 1290. & neglectum ab eo penitus, ut rebus sæcularibus vacaret, Episcopale officium criminatur. Diem itidem 26. Martii obitualem ei ponunt Annales Londinenses & Obituarium Eliense. *Sedi Eliensi* (ni fallor) *addidit Manerium de Holborn, in Testamento suo legatum*; inquit R. P. Matthæus Wren Episcopus Eliensis in annotationibus suis ad Godwinum.

(z) Willelmus de Ludâ, Anglicè *Louth* (quo nomine in diplomate regio 23. E. 1. appellatur) successit. Consecratum hunc fuisse 1290. 1. Octobr. Thomas Wikes, Annales Wigorn. & Registrum Cant. concordant. Obiit anno 1298. die 25. Martii secundùm Eliensem nostrum, die 27. Martii juxta Annales Wigorn. die 28. juxta Obituarium Eliense.

Johanne

Johanne de Pecham Cant. Archiepiscopo apud Tenham in Cantiâ ad ordinem Diaconatûs fuit promotus, & eodem die ibidem ab eodem confirmatus, & xvi. Calend. Octobr. apud Bokkyng in Essexiâ à dicto Archiepiscopo in Presbyterum ordinatus, & die Dominico proximo post festum S. Michaelis ejusdem anni in Ecclesiâ B. Mariæ de Ely ab eodem Archiepiscopo confirmatus, & eodem die à Magistro Ricardo de Ferynges Archidiacono Cant. in sede suâ fuit installatus. Obiit in festo Annuntiationis, anno Edwardi Regis xxvi. sepultusque est ex parte Australi Ecclesiæ inter duas columpnas juxta magnum altare ad introitum veteris Capellæ B. Mariæ. Sedit annis vii.

RADULPHUS DE WALPOL, Episcopus XIII.

Fert aurum super fessam inter duas cheverous sabl. tres crosletas aureas.

(*a*) Corpore namque dicti Episcopi tradito sepulturæ, petitâ à Domino Rege, prout moris est, eligendi licentiâ & obtentâ, Prior Johannes Saleman & totus Conventus Elyensis certum statuerunt diem in futuri Pontificis electione procedendi. Die verò præfixo adveniente, vocatis vocandis, & omnibus qui debuerunt, voluerunt & potuerunt prædictæ interesse electioni; post Missam de Spiritu S. ad magnum altare celebratam, ingressi sunt omnes pariter in Capitulo; & Hymno, *Veni Creator*, dicto cum Collectâ, *Deus qui corda*, & lecto Decretali, *Qua-propter:* tractabant inter se per quam viam in dictâ electione vellent procedere. Placuit namque quibusdam Fratribus non sine magno dispendio Ecclesiæ viam scrutinii in illâ electione tenere: quæ quidem via processivè fuit observata in maximâ Prioratûs Elyensis desolatione & jacturâ. Nam major pars Capituli, ut creditur, sanior & sanctior Johannem Saleman ejusdem Ecclesiæ Priorem in Episcopum suum Elyensem elegit & Pastorem. Altera verò pars elegit Dominum Johannem de Langtoun, Domini Regis Edwardi Thesaurarium. Unde in collatione factâ zeli ad zelum, & numeri ad numerum, & meriti ad meritum, schisma erat inter eos & discordia; pro quâ adhuc in præsenti luit Ecclesia. Quapropter dicta electionis causa coram Domino Roberto Cant. Archiepiscopo magnis laboribus & expensis diu est ventilata, & in modico expedita. Unde frater Petrus de Reche, Monachus Elyensis & Procurator Electorum Johannis Saleman Prioris, sentiens se & suos coelectores ex causis probabilibus & verisimilibus conjecturis fore gravandos, à Curiâ Cant. ad Sedem Romanam appellavit. Et sic partibus utrisque coram Domino Papâ Bonifacio comparentibus, & negotia Electionis prædictæ proponentibus, Dominus Papa ut judex justus habitâ consideratione de ipsius electi Johannis habilitate & sincerâ ipsum eligentium caritate, nolens eum si posset à suo proposito frustrari, dedit ipsis Monachis de novo licentiam & potestatem liberam eligendi; si fortè possent voto eligendi concordari. Sed nec sic consentientes, recesserunt discordes. Idem itaque Dominus Papa, sicut Pastor discretus & pater benignus, nolens ipsum Johannem Saleman super æmulos suos præficere, sed alium super eos Pastorem subrogare; Magistrum Radulphum de Walpole, sacræ paginæ Professorem, & Episcopum Norwycensem, de illâ Ecclesiâ ad Elyensem transtulit Ecclesiam; & dictum Johannem Salman Episcopum præfecit Norwycensem, anno Domini MCCXCVIII. Iste autem Johannes Norwycensis Episcopus quondam Prior

(*a*) Radulphus Norwicensis Episcopus Eliam translatus est Bullâ Bonifacii VIII. Papæ datâ 1299. 15. Julii. In Bullâ dicitur duplicem Electionem post mortem Willelmi Episcopi in Capitulo Eliensi factam fuisse, & utrumque Electum Papæ jus suum libenter resignâsse. Electio facta videtur 1298. mense Junio. Johannes Prior enim in Episcopum electus, confirmationem ab Archiepiscopo præsens postulavit 1298. 1. Julii. Ex Registro *Winchelse*. Radulfum 1302. 20. Martii obiisse confirmat Chronicon breve Norwicense.

nostræ

noſtræ Eccleſiæ Elyenſis, gratam ſemper voluntatem ad iſtam gerebat Eccleſiam. Ipſe nobis contulit quoddam veſtimentum croceum, cappam ſc. & caſulam cum dorſali imaginibus brudato, & duas tunicas. Contulit etiam ad inſpectionem Clauſtralium librum perpulchrum Decretorum, & librum ſimiliter Decretalium cum Gloſſâ Ordinariâ & Innocentii; cujus memoria cum laude in perpetuâ ſit benedictione. Sedit autem dictus Radulphus Elienſis Eccleſiæ Epiſcopus annis ferè tribus; & obiit xiii. Calend. Aprilis anno Domini MCCCI. finiente. Sepultus eſt in Eccleſiâ Elyenſi coram ſummo altari in pavimento Calend. April. anno Domini MCCCII. incipiente.

ROBERTUS ORFORDE, Epiſcopus XIV.

Fert tres coronas or tribus clavibus or perforatas, in campo gules.

(*b*) Huic ſucceſſit Robertus de Orforde, Prior Elyenſis, electus à Conventu per viam compromiſſi xviii. Calend. Maii anno Domini MCCCII. Publicatâ ejus Electione, ac cæteris dictam electionem concernentibus peractis; deducta eſt cauſa illius Electionis coram Domino Roberto Cant. Archiepiſcopo examinanda tam de formâ Electionis quàm de perſonâ Electi. Die itaque ſtatuto ad procedendum examinationi Electionis & Electi, Dominus Archiepiſcopus multùm ſe reddebat difficilem erga Electionem pariter & Electum, objiciens ſibi minùs ſufficientem literaturam; & quantum ad ipſum pertinebat, dictam caſſabat Electionem. Ob quam cauſam dictus Electus ad Curiam appellavit Romanam. Unde Cant. Eccleſia in excellenti ſuâ poteſtate & præeminenti dignitate propter nimium Pontificis rigorem eſt maximè vulnerata. Nam ante iſtius cauſæ devolutionem ad Curiam Romanam per interpoſitam appellationem, Dominus Cant. caſſare poterat & conferre dignitatem. Nunc autem caſſare poteſt, conferre nequaquam; quoniam Curiæ jam reſervatur Romanæ, & inter cauſas majores reputatur. Et præparans Electus ſe cum ſuis, omni quâ poterat celeritate versùs eandem Curiam iter cœpit arripere in Electionis ſuæ proſecutione. Cùm autem ad Curiam Apoſtolicam veniſſent; & negotia ſua coram Papâ Bonifacio expoſita fuiſſent: Examinatores certi ſunt conſtituti ſuper dictæ Electionis negotio & perſonâ Electâ diligenter examinandis. Quibus cum diligentiâ requiſitâ & deliberatione circumſpectâ examinatis, invenerant proceſſum dictæ Electionis ſecundùm Canones ritè & legitimè fuiſſe proſecutum, & ipſum Electum tam in ſcientiâ quàm in moribus æquè commendabilem; quem Domino Papæ multùm recommendabant. Et tunc Dominus Papa ſtatuit diem, in quo Electus perſonaliter compareret coram ipſo in ſuo Conſiſtorio. Adveniente itaque die, comparuit dictus Electus cum viris peritis de Conſilio ſuo coram Domino Papâ, aſſidentibus ſibi Cardinalibus, in pleno Conſiſtorio: & ſtatim juſſit Dominus Papa proceſſum Cantuarienſis contra Electum ſibi oſtendi. Ipſe verò Electus confidens in Domino, proceſſit ſolus de conſilio ſuo; & accedens propiùs ubi Dominus Papa reſidebat cum Cardinalibus: Unde omnes in ſtuporem verſi, maximè fuerunt attoniti: Et dixit Domino Papæ: Pater Sancte, ſi placet, cum bene-

(*b*) Dies conſecrationis incompertus eſt. Iſta tantummodo habet Regiſtrum Eccleſiæ Cant. *Iſte electus fuit in concordiâ, per D. Robertum Archiepiſcopum caſſatus poſtea. Electores ad Sedem Apoſtolicam appellârunt. Deinde Electus totum jus, quod ſibi competebat per electionem, in manus Domini Papæ Bonifacii ſponte reſignavit; & poſtea Dominus Papa providit Eccleſiæ Elienſi de eâdem perſonâ. Et in primo adventu ſuo ad Dominum Archiepiſcopum innovavit profeſſionem ſuam coram ipſo, & propriâ manu ſubſcripſit.* In Curiâ itaque Romanâ conſecratus videtur. Temporalia Epiſcopatûs ſui à Rege reſtituta accepit 1303. 4. Febr. Obiit anno 1310. tempore Quadrageſimali, teſte Obituario Elienſi. Diem non alius præter Hiſtoricum noſtrum prodidit. Rex ad Eccleſiam de Walpole præſentavit 1310. 13. Julii, ratione Temporalium in manu ſuâ exiſtentium. Ex Regiſtro Eccleſiæ Norwic.

diction vestrâ ego vobis ostendam processum Domini Cant. contra me factum. Et cœpit proponere coram eis dictum Processum dilucidè & eleganter; ita quòd omnes qui audierant, mirati sunt. Et inter cætera dixit. 'Pater Sancte, Dominus Cant. tria mihi fecit argumenta; recitans illa coram 'Papâ & Cardinalibus: & ad primum argumentum tale dedi responsum; & 'ad secundum sic respondi. Ad tertium verò, quod difficile mihi erat valde '& quasi implicabile, non Theologicè respondebam sed Logicè pro evitandâ 'conclusione. Ad quod Dominus Papa & Cardinales maximum eruperunt in risum; Domino Papâ dicente. Certè fili bene respondisti. Non te invenimus, sicut scripsit nobis frater noster Cantuariensis, vas vacuum; immò vas omni bonitate & scientiâ repletum te esse approbamus. Et suam confirmavit Electionem; ac ibidem celebrari fecit ipsius Consecrationem. His itaque negotiis fœliciter expeditis, iter versùs Angliam statim arripuit; & ad suam Elyensem Ecclesiam prosperè pervenit; plusquam xv. millibus librarum ære alieno oneratus. Cui occurrit Cantuariensis Archidiaconus, prætendens ad se pertinere ipsum Episcopum intronizare. Ad quem Episcopus Robertus: 'Non ex aliqua auctoritate, quam te prætendis habere in me, verùm 'Apostolicâ Sedem meam ingredior auctoritate: & sic factum est. Sedit autem dictus Robertus Episcopus annos vii. & ultra; & obiit apud Dunham xii. Calend. Februar. anno Domini MCCCIX. & sepultus est ante magnum altare in pavimento juxta Radulphum de Walpole prædecessorem suum. Ipse dedit nobis unam Albam bonam brudatam cum imaginibus, cum amictâ, stolâ & favone ejusdem sectæ, & unam casulam bonam cum duabus tunicis de Tulesamyt, & duas cappas tenues cinerei coloris, & Portiforium preciosum, quod modò est in Capellâ Prioris.

JOHANNES DE KETENE, Episcopus XV.

Fert tres mitras or in campo nigro.

(c) Defuncto igitur prædicto Roberto de Orforth Elyensi Episcopo, petitâ itaque licentiâ à Domino Rege Edwardo post Conquestum II. & obtentâ, Prior Elyensis Johannes de Fresyngfelde & totus Conventus Elyensis ingressi sunt Capitulum, præfigentes diem certum procedendi ad futuri Pontificis electionem. Interim autem Rex & Regina & multi Nobiles Regni, Comites & Barones, scripserunt Priori & toti Conventui, subnixè rogantes pro quodam Clerico generoso Magistro Bonifacio de Salute Lumbardo; ut ipsum eligere vellent in Episcopum suum Elyensem & Pastorem. Unde statuto die ad Electionem procedendi cum continuatione & prorogatione dierum sequentium adveniente, vocatis vocandis, & aliis quæ in hac parte ritè requiruntur peractis, ingredientes unanimiter in Capitulum, Prior & Conventus tractaverunt inter se per quam viam in Electione prædictâ vellent procedere. Placuit tandem singulis fratribus viam compromissi tenere. Electi sunt itaque Compromissarii septem, & onerati similiter & adjurati in virtute aspersionis sanguinis Jesu Christi; ut ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ respectum non habentes ad acceptandas personas, sed secundùm Deum & suas sanas conscientias idoneum sibi eligerent Pastorem; limitato eis tempore ab horâ Capituli ejusdem diei usque ad ignitegii pulsationem in eâdem die. Et statim Compromissarii prædicti de Capitulo recesserunt, & in locum quendam secretum se receperunt: Tractantes ad invicem diversimodè de personis diversis præficiendis: quibusdam eorum asserentibus Abbatem de Burgo Godefridum quòd expediret Ecclesiæ fore postu-

(c) Johannes de Ketene, Monachus Eliensis, in Episcopum electus, ab Archiepiscopo confirmatus est 1310. 10. Julii, ab eodem apud Cantuariam consecratus die 6 Septembr. sequentis. Ex Registris *Winchelse*, *Woodlock*, & *Cranborn*.

landum, aliis verò Magiſtrum Radulphum de Fodryngeys Elyenſem Archidiaconum, quibuſdam autem illum Clericum generoſum, pro quo Rex & Regina & Optimates terræ ſcripſerunt. Dicti verò Compromiſſarii ſic inter ſe diſſidentes, nec in aliquam perſonam certam infra tempus eis limitatum conſentientes, infecto negotio pro illo die poſt ignitegium, tunc enim expiravit poteſtas illorum, reverſi ſunt ad Conventum, nunciantes Fratribus, quòd nichil profecerunt. In ſequenti verò Prior & Conventus totus ingreſſi ſunt Capitulum; & placuit Fratribus omnibus & ſingulis novos eligere Compromiſſarios, qui vice ſuâ & totius Capituli virum ſibi idoneum eligerent in Paſtorem. Qui utique onerati & jurati ſicut in die præcedenti, receſſerunt; & infra tempus eiſdem limitatum fratrem Johannem de Ketene, virum bonum & honeſtum, in ſpiritualibus & temporalibus ſatis circumſpectum, & ejuſdem Eccleſiæ Eleomoſinarium,in Epiſcopum ſuum & Paſtorem concorditer elegerunt; & ipſam Electionem mox in Capitulo coram Priore & toto Conventu publicaverunt. Quo facto, Hymmum *Te Deum laudamus*: altâ voce ſtatim incœperunt. Et dictum Hymnum decantantes, Eccleſiam ſunt ingreſſi, dictam Electionem publicaturi. Himno jam finito, quidam Robertus Swafham Monachus & Præcentor Elyenſis, ſilentio facto, vice ſuâ ac vice Prioris & Conventûs Elyenſis pronunciare cœpit coram Clero & populo ibidem congregato proceſſum totum præcedentis vacationis & ſubſequentis electionis, multùm commendando Electum; dicens: ‘ Ipſum eſſe virum ‘ bonum & juſtum, manſuetum & pium, in temporalibus & ſpiritualibus ‘ multipliciter circumſpectum: & ſi quis contra ipſum Electum noſtrum ſeu ‘ ipſius electionem malicioſè objicere propoſuerit, contra quemcunque ſeu ‘ quoſcunque tales & omnes ſibi adhærentes provoco & appello in his ſcriptis: & tunc demum nominavit Electum. Affuit enim tunc ibi Notarius quidam latitans in abſcondito, expectans & explorans, ſi quod fortè calumplioſum ex ore pronunciantis ipſam Electionem raperet; quod interpretatione ſiniſtrâ conſtra Electum objicere poſſet. Sed nil pro ſuo propoſito reportans, ſurrexit dicens: ‘ A Chriſto ſit ille maledictus, qui hanc te cautelam docuit: & receſſit confuſus. Per totum tempus Electionis Magnates quidam, Comes videlicet de Arundell & alii quamplures Milites & Armigeri, moram traxerunt in Ely: rogantes inſtantiùs & obſecrantes pro diverſis perſonis eligendis, quidam pro uno, quidam pro alio ſuo amico. Cognito tandem, quòd Monachi ejuſdem Eccleſiæ confratrem ſuum elegiſſent, omnes ad propria receſſerunt. Deducto namque dictæ Electionis negotio coram Domino Cant. Archiepiſcopo examinando ſimul & confirmando, & omnibus dictam Electionem concernentibus canonicè peractis; à Domino Archiepiſcopo Electus cum difficultate quadam eſt confirmatus, & in brevi poſtea conſecratus. Ipſe autem ſedit annos ferè vii. & obiit pridie Idus Maii anno Dom. MCCCXVI. & ſepultus eſt in pavimento coram ſummo altari in ordine vicis ſuæ ad partem Borealem. Hæc autem ornamenta Capellæ ſuæ delata ſunt ad Eccleſiam ſuam Elyenſem poſt obitum ſuum: videlicet una cappa rubea de Samyt bene brudata cum imaginibus in tabernaculis, cum uno nowche nobili de argento cum ſalutatione protractâ in amayl ſaphiri coloris; una caſula rubea bona de velvet, cum quatuor tunicis ejuſdem ſectæ: una caſula nigra cum cappâ & quatuor tunicis ejuſdem coloris, cum aurifriſis de orpeel; duæ cappæ blanci coloris tenues; una ſitula argenti pro aquâ benedictâ, cum aſperſorio argenteo: duo calices argentei & deaurati; quorum unus eſt in Capellâ Prioris, & alius datus eſt Capellæ S. Mariæ ad tabernaculum; & unus bonus liber, vocatus *Summa Confeſſorum*.

JOHAN-

JOHANNES HOTHUM, Epiſcopus XVI.

(*d*) Poſt mortem quoque prædicti Johannis de Ketene Epiſcopi, electus eſt quaſi per inſpirationem Spiritûs S. Dominus Johannes de Hothum, Clericus Domini Edwardi II. poſt Conqueſtum Regis Angliæ illuſtris; & à Domino Cant. Archiepiſcopo confirmatus & conſecratus anno Domini MCCCXVI. In cujus anno Pontificatûs v. & Incarnationis Dominicæ MCCCXX. Frater Johannes de Freſyngfeld, Ptior Elyenſis, viribus corporis cœpit deſtitui; & impotens factus corpore & imbecillis, cùm Prioratum viriliter rexiſſet per annos ferè xviii. coram Venerabili Patre Domino Johanne de Hothum Elyenſi Epiſcopo ceſſit Prioratui Elyenſi, xiv. Calend. Martii in Feſto S. Julianæ Virginis & Martyris. Ipſe enim in tempore quo erat Prior, multa bona fecit Eccleſiæ. Perquiſivit namque & appropriari fecit ad augmentationem Prioratûs terram & tenementum in Ely vocatum le Brays, & quædam tenementa in Dounham, terram & tenementum in Wycham & Suttoun quondam Johannis Pyhym. Perquiſivit etiam poſt ceſſionem ſuam quædam tenementa in Ely pro anniverſario ſuo annuatim tenendo; tenementum videlicet vocatum Lythgates & Barkeres cum quodam alneto vocato Lythgates holt appropriari fecit Eleemoſinario Elyenſi pro erogatione pauperibus diſtribuendâ in die anniverſarii. Quædam ſimiliter tenementa quondam Johannis Joye appropriari fecit pitanciariæ de Suttoun pro bonâ pitanciâ dandâ Conventui eodem die anniverſario.

Arma Johannis Hothum ſunt barrulæ octo partium aſuræ & argenteæ, in uno cantone aureo unus mertlelus ſables.

Die & anno, in quibus frater Johannes Freſyngfeld ceſſit Prioratui, frater Alanus de Walſyngham præfectus fuit in Suppriorem per eundem Venerabilem patrem Dominum Johannem Elyenſem Epiſcopum. Et in brevi poſt ceſſionem ſupradictam electus erat frater Johannes de Crandene per viam compromiſſi in Priorem Elyenſis Eccleſiæ, à prædicto Patre Reverendo Johanne Epiſcopo confirmatus. Prædictus verò frater Alanus remanſit Supprior uſque ad Feſtum S. Thomæ Apoſtoli in anno ſequenti per xliv. ſeptimanas; & tunc factus fuerat Sacriſta per Venerabilem Patrem ſupradictum, anno Domini MCCCXXI. Fuit autem Sacriſta uſque ad xxv. diem menſis Octobris anno Domini MCCCXLI. ferè per xx. annos. In cujus tempore multa & varia onera gravia valde officio Sacriſtariæ, & maximè eodem anno ſuæ præfectionis, evenerunt. Nam in nocte ante diem Feſti S. Ermenildæ, poſt matutinas in Capellâ S. Katerinæ decantatas, eò quòd in Choro propter imminentem ruinam illas decantare Conventus non audebat. Factâ namque proceſſione ad feretra in honore S. Ermenildæ, & Conventu in Dormitorium regrediente, vix paucis Fratribus in lectulis ſuis ingreſſis, & ecce ſubitò & repentè ruit Campanile ſuper Chorum cum tanto ſtrepitu & fragore; veluti putabatur

(*d*) Johannes de Hothum electus eſt & ab Archiepiſcopo confirmatus anno 1316. ante diem 20. Julii. Sic enim Thomas Liſle Epiſcopus anno 1346. reſpondit Brevi regio. *Johannes de Hothum 13. Cal. Aug. 1316. electus exſtitit confirmatus. Sed quo die vel anno, per quem ſeu quomodo, fuerit conſecratus, nuſquam invenimus.* Quæ Thomam autem latuit conſecratio nobis ex Regiſtro *Cranborn.* Eccleſiæ Cant. innotuit. Conſecratum enim refert in Eccleſiâ Cant à Waltero Archiepiſcopo 1316. 3. Octobr. præſentibus Thomâ Roffenſi & Johanne Rocheford (ſic enim dicitur) Wellenſi Epiſcopis. Eodem die Regiſtrum *Drokensford* Wellenſis Epiſcopi conſecratum perhibet. Menſe ſequenti Johannes ad Curiam Romanam à Rege legatus, Angliam proximo Februario rediit. Anno 1317. 27. Maii Theſaurarius Angliæ, anno 1318. Cancellarius renunciatus eſt. Cancellariatu exutus 1320. eundem recepit 1328. 28. Jan. Cancellarium Academiæ Oxonienſis fuiſſe, & Collegii Reginenſis ibidem olim Præpoſitum Godwinus perperam refert. Johannes Epiſcopus ædes Elienſes apud Holborn ædificavit, teſte Camdeno in Britan. p. 311.

terræ motus fieri; neminem tamen lædens nec opprimens in ruinâ. Aliud etiam contigit mirabile, miraculo potiùs aſcribendum quàm naturæ; quòd in illâ horribili ruinâ & lapidum colliſione maximâ, unde tota ferè tremebat Elyenſis villa, illa tamen pulcra & magna fabrica eminens ſupra Sanctarum Virginum ſepulcra, protegente Deo & meritis ſuæ dilectæ Virginis Etheldredæ, ut ſperatur, ab omni læſione ſalvata eſt & fracturâ: Unde Chriſto ſit gloria. Ex quo eventu dampnoſo nimis & lamentabili præfatus Sacriſta Alanus dolens vehementer & triſtis effectus, quò ſe verteret vel quid ageret ad tantam ruinam reſarciendam, penitus ignorabat. Sed reſumpto Spiritu, in Dei adjutorio & ſuæ piiſſimæ matris Mariæ, necnon & in meritis S. Virginis Etheldredæ plurimùm confidens, manum miſit ad fortia; & primò lapides & ligna, quæ conciderant in illâ ruinâ, cum magno labore & expenſis variis extra Eccleſiam fecit apportare; & ipſam de pulvere nimio, qui ibi erat, celeritate qua potuit emundare; & locum in quo novum Campanile fuiſſet conſtructurus, per viii. partes arte architectonicâ menſuratas, in quibus viii. columnæ lapideæ totum ædificium ſupportantes erigerentur, & infra quas Chorus poſtea cum ſtallis eſſet conſtruendus, fodere fecit & ſcrutari; donec inveniret locum ſolidum, ubi firmamentum operis ſecurè poſſit inchoare. Illis ſiquidem viii. locis ſic, ut prædicitur, ſollicitè ſcrutatis, lapidibus & arenâ firmiter condenſatis; tunc demum illas viii. columnas cum ſubſequenti opere lapideo inchoavit. Quod quidem uſque ad ſuperiorem tabulatum per vi. annos conſummatum anno Domini MCCCXXVIII. Et ſtatim illo anno illa artificioſa ſtructura lignea novi Campanilis ſummo ac mirabili mentis ingenio imaginata, ſuper prædictum Opus lapideum ædificanda fuit incœpta, & maximis & oneroſis expenſis, præſertim pro lignis groſſis ſtructuræ prædictæ neceſſariò congruentibus longè latèque requirendis & difficultate maximâ tandem inventis magno precio comparatis; ac per terram & per mare apud Ely adductis, necnon & per ingenioſos artifices ſculptis & fabricatis, atque in ipſo opere artificioſè coadunatis; honorificam & optatam auxiliante Deo ſortita eſt conſummationem.

[Margin: Opus lapideum incœptum eſt anno 1322. finitum 1328. *Reg Elien.*]

[Margin: Opus ligneum inchoatum eſt anno 1328. finitum 1342. *Id.*]

|| Cuſtus novi Campanilis per xx. annos tempore fratris Alani de Walſyngham Sacriſtæ mmcccc. libræ, vi. ſolidi, xi. denarii, unde de donis ccvi. libræ, xii. denarii. Cuſtus novæ Cameræ juxta Infirmariam per tres annos lx. libræ, xvii. ſolidi, ix. denarii & obolus. Cuſtus novi muri juxta cimiterium cum ſeldis ibidem perquiſitis, unà cum conſtructione novarum domorum, portarum & murorum per circuitum in Sacriſtariâ per xii. annos clxxx. libræ, xiii. ſolidi, xi. denarii & quadrans. Unde pro quatuor ſeldis perquiſitis xi. libræ, x. denarii. Perquiſitio de Brame Gacele xlii. libræ. Perquiſitio duarum partium de Brame ultra perquiſita, ſcilicet de Walſham & de Baas clxxx. libræ, x. libræ, xiii. ſolidi, vi. denarii. Cuſtus de la Bougre ix. libræ, xv. ſolidi, ix. denarii. Memorandum, quòd nichil computatur ſuperiùs de cibo & potu, equis, carreccis, & omnibus aliis. Summa totalis receptorum in Sacriſtariâ per xx. annos tempore Fratris Alani Walſyngham * mmmmmdcccclııı. libræ, xvii. ſolidi. Unde de officio mmmmmdccxlvii. libræ, iv. ſol. x. den. ob. qu. & pro novo opere de donis & contributis ccvi. lib. xii. ſol. qu. Summa omnium expenſarum & librarum tam pro officio quam pro novo opere mmmmmmxciv. libræ, xviii. ſol. x. den. ob. qu. Unde pro officio mmmdclxxxv. lib. xix. ſol. vii. den. ob. & pro expenſis circa novum opus mmccccviii. lib. xix. ſol. iii. den. ob. Novus Chorus factus erat tempore Edwardi III. Regis anno xii. anno Domini MCCCXXXVIII. & ſequentibus per fratrem R. de Saxmundham, qui recepit de executoribus Domini Johannis Hotham Epiſcopi xl. ſolidos, & de aliis Officiariis & ollâ & convocationibus Fratrum plures pecunias. Ipſe autem Johannes Epiſcopus fecit novum pontem lapideum apud Caſtelhyth & expedivit in cv. ſolidis, vi. denariis, anno Edwardi III. Regis xiii.

[Margin: || viz. Sumptus.]

[Margin: * 4953. *Cod. Cot. uterque.*]

Verum

Verum quia scribitur: *Dives est omnis iniquitas societate plurimâ*; quoniam eodem anno quo Campanile corruit, aliud contigit infortunium sibi valde tædiosum; quod non obstante urgente necessitate pro prædictæ ruinæ reparatione, plusquam xx. libras argenti, sicut fatebatur, exposuit in inquisitione hujusmodi negotii & prosecutione. Nam quidam malignæ mentis homines, filii Diaboli, suæ salutis immemores, ingressi sunt nocturno tempore S. Etheldredæ Basilicam; & Crucem auream, quam contulit gloriosus Rex Edgarus Elyensi Ecclesiæ ob signum libertatis suæ atque munificentiæ, patibulo latitudinis unius palmi affixam, cum duabus Imaginibus de auro & cum laminis aureis, ac mirifico opere auri purissimi trifarie vocato perulis & gemmis preciosis adornato; duos etiam textus cum laminis argenteis, furati sunt; & ad partem australem turris exterioris in loco dicto Qwenesboure Crucem prædictam & Imagines aureas omni cum ornatu pretioso de patibulo, necnon & laminas argenteas de textibus prædictis abstraxerunt; & nuda ligna furtivè spoliata ibidem reliquerunt; & dictam Crucem cum Imaginibus, & quidquid residuum quod preciosum erat, secum London detulerunt. Et cùm ibidem pervenissent; ille autor sceleris & doli artifex, qui major erat inter eos, prædictam Crucem arripuit, & brachia ad corpus ferè reclinavit; super incudem posuit, malleum accipiens, manum erexit, & dictam Crucem cum Imaginibus frangere & conflare excogitavit. Sed in ipso conatu operis ipsum terruit virtus Christi & Mariæ Virginis; ita quòd manum ad percutiendum erectam deorsum dirigere non potuit. Unde stupidus & quasi amens effectus, pœnitentiâ quadam licèt infructuosâ dixit: *Timeo istud execrabile factum confusio fiet omni nostrûm.* Et accipiens Crucem & imagines, panniculo lineo involvit; & in quadam cloacâ irreverenter & latenter projecit, & abiit. Sed justum Dei judicium non sinebat eum in suis operibus perversis diutiùs delitescere. Immo modicùm pòst cum suis complicibus captus est, & apud Newgate London cum eisdem positus in carcere. Ubi cùm parumper in vinculis jacuisset: Visio quædam unâ noctium sibi apparuit. Propter quam in terrorem maximum & stuporem versus horridum, terribilem clamorem emisit. Quo audito præ timore autem exterriti sunt custodes & incarcerati omnes. Et accensâ lucernâ ingressi sunt carcerem, tanti clamoris horribilis quærentes causam. Quibus miser ille respondit. Apparuit mihi jam virgo Deo dilecta Etheldreda Sancta, vehementer me objurgans & terribiliter comminans, pro sacrilegio quod commisi in Ecclesiâ suâ Elyensi. Et exposuit eisdem res gestas per ordinem; qualiter prædictas Crucem & Imagines aureas de Elyensi tulit Ecclesiâ, & panniculo involvit lineo, & in cloacâ projecit; non designans eis locum usque ad fratris Roberti de Bykelyng, Feretrarii & Monachi Elyensis, adventum. Qui quidem frater Robertus diversa loca perambulavit, ad inquirendum si fortè alicubi sanctas illas reliquias invenire posset. Tunc Londoniæ nutu, ut creditur, divino affuit; & auditis hujusmodi rumoribus ad locum carceris properavit. Quo veniente palàm sibi & cunctis astantibus locum, ubi dictam Crucem & Imagines projecit, indicavit. Et continuò dictus frater Robertus cum Ballivis Civitatis ad locum designatum perrexit; & illas sanctas Reliquias de illo loco spurcissimo innumeris sordibus & fætoribus abhominabiliter inquinatas assumpsit, & majoribus civibus illius Civitatis ostendit; coram quibus tantam invenit gratiam, quòd Crucem & Imagines secum ad Elyensem detulit Ecclesiam. In cujus adventu ob Crucis sanctæ reverentiam totus Conventus ad valvas Ecclesiæ processit ei obviàm. Et dictus frater Robertns ibi coram Clero & populo de dictæ Crucis inventione & miraculis factis ædificatorium retexuit sermonem.

Item de eâdem Cruce aliud quoque Miraculum de hac sanctâ Cruce, in quodam libro antiquitatis vocato Domysday inventum, huic miraculo censemus breviter annectendum. Tempore namque Stephani Regis Anglorum contigit

contigit Nigellum Elyensem Episcopum magnam ipsius Regis incurrere offensam. Propter quam sedandam & pacificandam oportebat ipsum Episcopum maximam effundere pecuniæ summam. Quapropter reliquias thesaurum Ecclesiæ sibi assumpsit; inter quas Crucem auream Edgari Regis cuidam Judæo Cantebriggiæ pro pecuniâ mutuandâ impignoravit. Quam verò Crucem quidam ex Judæis perfidæ mentis & voluntatis perversè assumpsit, & arrepto cultello ipsam Imaginem diu punxit in oculo; & statim rivus sanguinis exiliens tenuis lineam produxit longiùs, in tantum quòd partem inferiorem patibuli madefecit, & suo rubore confecit. Potuit enim istud Miraculum cunctos latuisse perpetim; sed Deus & Dominus omnium voluit hoc fieri manifestum; & sic per ipsos Judæos fuerat detectum. Unde contigit quòd ipsi Judæi reverenter & summo timore deinceps servarent, si quid in signo crucis aut figurâ Domini sibi impignoratum admitterent.

Ipse insuper frater Alanus Sacrista multa interim & varia à fundamentis in officio Sacristariæ construxit ædificia. Nam ex parte Boreali juxta villam in longum à cimiterio parochiali Ecclesiæ usque ad officium Eleemosinariæ murum erexit lapideum, bonum & altum; & alterum à loco ubi incœpit usque ad angulum Capellæ S. Mariæ; cingens muris lapideis totum officium Sacristariæ. In angulo quoque Boreali juxta Cimiterium cameram lapideam quadratam plumbo tectam construxit. In cujus parte superiori est Camera quædam cum mensâ quadratâ ad calculandum & ad proventus officio pertinentes recipiendum. Sub qua est duplex camera muro lapideo divisa, una pro seldâ aurifabri, & alia pro quodam parvo cellario pro vino officii cùm habeatur reponendo. Duas alias domos muris lapideis & tectas tegulis similiter construxit; unam longam diversa habentem receptacula pro necessariis officiis diversis & artificiis, cum coquinâ similiter & pistrino; & aliam domum pro molendino equino, & cum muro interposito pro lardario. Construxit etiam cameram lapideam plumbo tectam pulcram valde contiguam in Infirmariâ, habentem cameram superiorem cum duobus caminis, & inferiorem cum uno largo camino & puteo aquæ, cum parvo cellario, sub custodiâ Infirmarii qui pro tempore fuerit, & dispositioni Prioris & Conventûs post obitum ipsius Alani remansuram. Idem verò frater Alanus cum magno labore suo & industriâ ac sumptibus maximis & onerosis, præter expensas sumptuosas circa fabricas & structuras prædictas, perquisivit ad Ecclesiam Eliensem de Rogero de Wygenale, Nicholao de Walsham & Johanne de Baas Rectore Ecclesiæ de Buctoun tria mesuagia apud Brame; quæ per sepes, foveas profundas & fossata erecta arboribus diversis spinis & tribulis obtecta, inter se separatim divisa; nunc autem extirpatis arboribus, spinis, tribulis, avulsis, abstractis, crestis etiam fossatorum prostratorum, & foveis rejectis, per sudores maximos & labores in unum sunt redacta, & in planiciem terrarum arabilium conversa. Perquisivit etiam de eisdem Rogero, Nicholao & Johanne lxxxvi. acras & dimidiam & unum rodum terræ arabilis in diversis peciis; xxvii. acras prati falcabilis, cum separali pasturâ, & cum arundineto adjacente, & piscariâ vocatâ Herewardesbeche, xii. denariatus redditus assisæ per annum provenientes de tenementis de Brays, unum mesuagium in quo Willelmus Meche manere solebat: & duas seldas ædificatas cum mesuagio quod fuit Domini Johannis le Yans, cum uno gardino dicto mesuagio adjacente, cum omnibus juribus & appendiciis quibuscunque ad dictum tenementum quovis modo spectantibus: quæ omnia in utilitatem & usus Conventûs disposuit fore convertenda.

Nunc autem revertendum est ad opera insignia Venerabilis Patris nostri Domini Johannis de Hothum Elyensis Episcopi; qui Ecclesiam suam à perversis calumpniatoribus & regiis exactoribus in diebus suis viriliter protexit, & multa bona Ecclesiæ suæ fecit. Ipse verò contulit Conventui & Priori quoddam

quoddam Manerium in Nortwold vocatum Dageney; pro quo excambiatum fuit cum Thomâ de Chepham quoddam aliud Manerium in Lytilbury in Comitatu Essexiæ vocatum Overhalle & Netherhalle cum Merecrofte & aliis pertinentibus quibuscunque. Quod quidem Manerium ad officium Celerariæ jam est appropriatum. Contulit etiam & appropriari fecit modo quo supra quandam vineam pulcram in Holburne in suburbio London. cum aliis tenementis diversis in eadem * civitate; necnon & tenementa diversa in Ely, quæ nunc vocantur *le Celerers Rents*; prout per cartas de tenementis prædictis Priori & Conventui confectas pleniùs continetur. De proventibus namque & proficuis dictorum tenementorum deducendæ sunt expensæ certæ annuatim faciendæ in die anniversario ejusdem patris nostri Johannis Episcopi, in errogatione † pauperibus distribuendâ, & bonâ pitanciâ || eodem die Conventui exhibendâ; necnon cuilibet Fratri de Conventu unâ duplicibus præsidentium xii. denarios pro gratiis conferendis, & quicquid residuum fuerit commodi seu emolumenti provenientis de tenementis supradictis, ex integro cedat & remaneat officio Celerarii ad supplendam pro parte dicti officii exilitatem. Perquisivit etiam nobis à Domino Rege Edwardo III. post conquestum Cartam vacationis Episcopatûs. Ipse verò fieri fecit illam * magnam fabricam pulcram valde, incipientem ab opere bonæ memoriæ Hugonis de Northwolde, protendentem ad novam fabricam chori. Cujus expensæ ad mmxxxiv. libras, xii. sol. viii. denar. ob. qu. se extendunt.

Anno 1333. *Reg. Elien.*

* In Temsestrete in parochia omnium Sanctorum. *Id.*

† Centum solidorum. *Id.*

|| Centum solidorum. *Id.*

* Novum opus super candelabrum. *Reg. Ely.*

Nota Miraculum de Vicario de Westoun. Prætereundum non est sub silentio quoddam Miraculum, quod fecit Dominus ad ædificationem multorum meritis S. Virginis Etheldredæ, anno Domini † MCCCXXXI. & Pontificatûs dicti Domini Johannis de Hothum xvi. Vir quidam vitæ laudabilis in villâ de Westoun juxta Spaldyng Lincoln. Dioceseos natus & educatus, Henricus nomine, qui à juventute suâ semper crescens in meliùs; ita quòd per processum temporis in sacris ordinibus constitutus, in sacerdotio suis exigentibus meritis fuit demum ordinatus. Qui postmodum propter conversationis honestatem & morum probitatem, ad Vicariam Ecclesiæ de Westoun prædictam fuit præsentatus, & in ipsam Vicariam Vicarius inductus & institutus; qui Ecclesiam suam sibi commissam per multa dierum spatia honestissimè rexit, & Parochianos suos verbo pariter & exemplo saluberrimè instruxit. Sed circa annum Domini MCCCXXXII. contigit dictus Vicarius adversâ valetudine detineri; & maxilla vehementer cœpit intumescere & gravi vexari dolore; ita quòd loqui non poterat, vel aliquid aliud præter salivam, & hanc de difficili, deglutire. Unde omnes amici & familiares sui de vitâ ipsius desperantes, nil aliud nisi mortem in proximo sibi imminentem æstimabant. Erat autem amicus suus vir quidam religiosus Dominus Johannes de Bergham, Monachus & Supprior Ecclesiæ Conventualis de Spaldyng. Audiens ipsum dirâ ægritudine laborantem, venit ad eum, visitandi gratiâ, & si in quo poterat confortandi. Et accedens ad locum, in quo jacebat, quæsivit de statu suo. Sed non respondit ei verbum, eò quòd loqui non poterat. Visum tamen & auditum ante omnes alios sensus, præter gustum & loquelam, sanos & liberos habebat. Et dixit ei Vir ille religiosus. 'Henrice, audistine aliquando de 'illâ gloriosâ Virgine S. Etheldredâ de Ely; qualiter Deus per merita ipsius 'multa & varia operatur miracula? Præsertim de illo morbo, in quo tu jam 'laboras, qui dicitur Squinancia; quoniam ex hac infirmitate & ipsa decessit. 'Est etiam ibi quædam benda, quæ in collo morientis fuit circumligata, celerem patientibus hanc infirmitatem meritis S. Virginis conferens sanitatem. 'Ideo tibi consulo, sicut amico meo carissimo, eò quòd non loqui vales, totâ 'mentis tuæ devotione Deo & Beatæ Virgini te commendes, atque ipsam apud Ely te visitaturum toto corde devoveas; si te a lecto ægritudinis tuæ 'convalescere & sanum fieri contingat. Et ille elevatis oculis ac manibus devotionem

† 1333. *Cod. Cot.* 1.

votionem qua potuit erga Deum & Sanctam Virginem oſtendit; & per ſigna exteriora patuit, quòd conſilio dicti Senis adquievit. Et ille confortans ægrotum ſimul & exhortans receſſit. Sequenti autem nocte cœpit pauliſper dormire; & Sanctimonialis quædam fœmina decora ſibi apparuit dormienti, ſciſcitans ab eo qualiter ſecum erat; & comfortavit eum. Et apprehendens digitum ſuum proprium, in imo gutturis ſui forinſecus poſuit, & illum leniter attrahens ſurſum per locum ubi vim ſentiebat doloris, quouſque digitus ille perveniſſet ad pauces infirmi: & ſtatim diſparuit. Ille verò confeſtim evigilans, oſcitavit fortiter; & erupit in os ejus quædam maſſa congelata inſtar oſſis vel lapidis indurata. Et exponens illam in manum ſuam, ſtatim locutus eſt, vocans famulum ſuum; & dixit ei: Citò accende candelam, & veni ad me. Et accenſâ candelâ venit ad Dominum ſuum, admirans valde, quòd ita ſubitò loquebatur. Et ipſe aperiens manum ſuam, vidit maſſam illam habentem menſuram unius pollicis & ampliùs in longitudine & in maximâ quantitate: & convaleſcens de diebus in dies, ſanus factus eſt. Narravitque amicis ſuis & aliis quamplurimis per ordinem illam quam viderat Viſionem; quomodo per merita B. Etheldredæ à ſuâ liberatus eſt infirmitate. Et poſtmodum nactâ opportunitate, vota quæ pollicebatur Deo & Sanctæ Etheldredæ, decrevit maturiùs explere. Et aſſumens ſecum maſſam illam ſic congelatam, iter verſùs Ely arripuit. Et cùm ibi perveniſſet, ad feretrum ſanctæ Virginis acceſſit, ſua perſolvens vota laudis. Quo peracto, fecit ſibi accerſiri Monachum quendam, fratrem Willelmum de Spaldyng; quoniam ſibi notus erat & familiaris à tempore quo idem frater Willelmus fuerat Sæcularis: narravitque ſibi & confratribus totam iſtius Miraculi ſeriem; rogans attentiùs, quòd Priori & Conventui illud innoteſceret. Et addidit dicens: *Non ſum ego falſidicus, teſte Deo*; ut narrem vobis blandiendi cauſâ falſa & vana & frivola. *Sunt manifeſtè* vera & aperta, quæ circa me Deus meritis ſuæ Sanctæ Virginis operatus eſt magnalia. Et continuò dictam maſſam congelatam tradidit prædicto fratri Willelmo; deprecans eum aſſiduè, ut ſumptibus ſuis argento faceret illam includi, & ad feretrum S. Etheldredæ ad perpetuam hujus Miraculi memoriam dependi: quod ita factum eſt. Supplicavit etiam fratribus; quòd ob honorem & reverentiam S. Etheldredæ Virginis, ut ſi qui illorum in partibus ſuis adveniſſent, ad illum familiariter declinaviſſent; quoniam illos gaudenter ſuſciperet, & de eorum adventu lætus foret. Et valedicens Fratribus, ad propria receſſit.

Cùm autem ſæpedictus Pater Venerabilis, Johannes de Hothum Epiſcopus annos fermè xx. Eccleſiam Elyenſem ſtrenuiſſimè rexiſſet; paraliſi percuſſus, ex quibus duobus annis ægrotavit; & obiit apud Somerſham xviii. Cal. Febr. nocte præcedente Feſtum S. Mauri Abbatis, anno Dom. MCCCXXXVI. Ipſe enim inter alia bona, quæ fecit Eccleſiæ, contulit nobis unum calicem aureum, cum duobus urceolis aureis, & tertio urceolo pro vino. Impoſitus erat lapis precioſus vocatus Rubye, & in urceolo pro aquâ optima margarita. Contulit etiam unam capam precioſam cum imaginibus & perulis inſertis optimè brudatam auro. Et unum veſtimentum album, cum capâ, caſulâ, & tribus tunicis ejuſdem ſectæ; unum etiam veſtimentum nigrum, cùm tribus capis, unâ caſulâ & tribus tunicis nigris. Ipſe autem ſepultus eſt in Eccleſiâ ſuâ Cathedrali apud Ely, & honorificè collocatus ad partem Orientalem altaris in choro verſùs magnum altare, ſub quadam pulchrâ ſtructurâ lapideâ, cum imagine Epiſcopi de Alabaſtro ſuper tumulum ipſius erectâ, cum vii. candelabris ex uno ſtipite decentiſſimè procedentibus; & circa ſiquidem Imagines de creatione hominis & ejectione ejuſdem de Paradiſo; quatuor etiam Imagines Regum armatorum, & iv. Dracones ad iv. partes ejuſdem ſtructuræ. [Fuit hic Epiſcopus præcipuus perſuaſor ad deliberandum Scotis Ragmans Rolle & Nigram Crucem.]

Additamentum Roberti Steward.

SYMON

SYMON DE MONTE-ACUTO, Episcopus XVII.

Fert 3. bendas undulantes azur in campo or, & in medio inscutum tribus rhombis depictum.

(*e*) Post mortem nempe illius missi erant certi Fratres per Capitulum ad Dominum Regem Edwardum III. post Conquestum pro licentiâ eligendi & providendi Ecclesiæ nostræ viduatæ de idoneo Pastore ab ipso humiliter postulandâ. Verumptamen Rex ipse & Ministri sui multum se reddebant difficiles ad dictam licentiam concedendam; & illam diu differebant. Quæ tandem multis laboribus & expensis ac difficultate maximâ vix erat concessa. Quâ obtentâ, electus fuit concorditer per viam compromissionis frater Johannes de Crandene, Prior Elyensis, iv. Id. Martii in Festo S. Gregorii, anno Domini supradicto. Sed ipsum Electionis negotium pro retardandâ eligendi licentiâ in tantum fuit protelatum; per quod per Dominum Papam Benedictum XII. Ecclesiæ Elyensi vacanti fuerat provisum per Domini Symonis de Monte-Acuto translationem de Wygorniensi Ecclesiâ ad Elyensem. Et sic electio de fratre Johanne de Crandene concorditer facta per Capitulum, per provisionem Papalem fuerat frustrata.

Frater namque Johannes de Crandene, Prior Elyensis, dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione sit sempiternâ. Diebus enim suis cum omni pace & tranquillitate ac sacræ religionis dulcedine, sicut pastor pacificus, toto cordis conamine Conventum suum tractavit caritativè. Ipse enim fabricari fecit ad hospitium Prioris novam Capellam mirandi decoris, in quâ Deo vota laudis ex affectu reddit cordis; ubi etiam nocturnas excubias ac spirituales meditationes per dies & noctes frequentiùs exercebat. Nam sicut illi, qui continuè secum erant à secretis, testati sunt, quòd qualiter nocte consuevit assurgere & Capellam suam solus adire, nisi magnâ præpediretur infirmitate; ubi cœpit diutiùs orare & preces Deo multiplices cum gemitu cordis efferre; ac se & Ecclesiam suam & omnia Ecclesiæ negotia Deo devotè recommendare. Fecit autem fieri unam novam Cameram ex opposito Capellæ prædictæ, ad Aquilonem; ubi quandoque cum Fratribus suis spirituales habuit tractatus, jura Ecclesiæ & utilitates ac negotia Ecclesiæ necessaria concernentes. Habuit etiam ibidem studium suum pro libris cùm sibi vacaverat inspiciendis. Item scribere fecit unum pulcrum Missale & unum Benedictionale; quæ in Capellâ remanent Prioris. Contulit etiam ad magnum altare duas pelves argenteas nobiles & pulcras; quarum labra sunt per girum deaurata & in fundo amayl inserta in opere artificioso argenteo & bene deaurato. Contulit etiam eidem altari unum dorsale magnum & pulcrum cum tapetis & bancalibus ejusdem sectæ; quæ quondam fuerunt bonæ memoriæ Johannis de Hothum Elyensis Episcopi. Quæ quidem dorsale & bancalia dedit sibi Dominus Johannes de Hothum Miles post mortem avunculi sui; de quibus jam fiunt tapeta pro magno altari & altari in choro, & bancalia super formas in choro sternenda in Festis principalibus. Ipse autem pulcher erat aspectu, & corpore formosus, ac in oculo omni apparuit gratiosus. Ita quòd Venerabilis Domina Philippa, nobilis Anglorum Regina, ipsum in amicitiam

(*e*) Simon à Sede Wigorniensi ad Eliensem translatus, professionem obedientiæ Simoni Archiepiscopo Cant. fecit 1337. 31. Julii, coram summo altari Ecclesiæ Cant. *Ex Registro Cranborn.* Collegio S. Petri Cantab. nova statuta condidit; aliisque in nonnullis ipsos promovit. Obitum anno 1344. Historia Eliensis nostra malè posuit. In Registro enim Norwicensi reperio Simonem Eliensem Episcopum præsentâsse ad Whitington 1345. 6. Junii, & Regem ad Bretenham præsentâsse ratione Temporalium Episcopatûs Eli. in manu suâ existentium 1345. 22. Julii. Anni itaque 8. Pontificatûs Simonis à medio ferè anno 1337. numerandi sunt, & Johannis Hothum obitus anno 1337. ineunte, seu 1336. exeunte, statuendus est.

præclaram collegit & familiaritatem, tum propter amabilem & gracioſam ipſius affabilitatem & eloquentiam, tum propter gratam & multùm ſibi acceptabilem in quodam adventu ſuo apud Ely ſuſceptionem ac ſolempnem & ſplendidam menſalem procurationem, necnon & munerum magnorum in fine ſibi & ſuis largicionem. Contulit enim ſibi Domina Regina quandam robam precioſam cum omnibus garniamentis de velvet murreo ſquirillis aureis pulverizato; qua induta erat in die Purificationis ſuæ poſt partum Principis excellentiſſimi Domini Edwardi filii ſui primogeniti. De quibus verò garniamentis tres capæ efficiuntur; quarum una de aurifriſo perulis albis & armis S. Etheldredæ & Comitis Annoniæ brudato fieri fecit in vitâ ſuâ. Reliquas verò duas & unam caſulam cum vi. tunicis poſt obitum ſuum ſucceſſor ſuus Prior Alanus honeſtiſſimè fecit apparari. Idem namque Johannes Crandene Prior perquiſivit quoddam Hoſpitium in Cantebriggiâ pro Scolaribus noſtris Monachis ibidem hoſpitandis. Sed poſtea pro quibuſdam beneficiis Eccleſiæ noſtræ Elyenſi factis per Venerabilem Patrem Magiſtrum Willelmum Bateman Norwicenſem Epiſcopum, conceſſum fuit & collatum dictum Hoſpitium Scolaribus de Aulâ S. Trinitatis Cantibrigiæ; cujus Aulæ cum Scolaribus dictus Pater Reverendus fuerat Fundator primus. Cùm ipſe Pater noſter præamabilis & Paſtor piiſſimus per xx. circiter annos nobis præfuiſſet; nos quaſi deſolatos relinquens, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus vii. Kalend. Octobr. anno Domini MCCCXLI. & ſepultus eſt in Eccleſiâ Elyenſi in pavimento ad pedes tumuli Johannis de Hothum Epiſcopi versùs magnum altare; ſicut idem ipſe Johannes Epiſcopus, ut dicitur, quaſi ſpiritu Prophetico dixit. Nam cùm Miſſam quodam die celebráſſet in Eccleſiâ ad magnum altare; poſt Miſſam revertens ad Veſtiarium, indumenta Pontificalia depoſiturus, contigit baculum ſuum Paſtoralem in eodem loco, in quo modò ſepultus eſt, confringi. Et converſus ad Priorem, qui iter ſecum comitabatur, dixit. Prior, inquit, hic erit locus ſepulturæ meæ; & tu hîc ad pedes meos in poſterum ſepelieris; quod & poſtmodum factum eſt. Unde Verſificator quidam Epitaphium ſcribens ſic ait.

Hanc aram decorat de Crandene tumba Johannis:
Qui fuit hîc Prior ad bona pluria plùribus annis.
Præſulis hunc Sedes elegit Pontificari;
Præſulis ante pedes ideo meruit tumulari.

Corpore ejus Eccleſiaſticæ, ut præmittitur, tradito ſepulturæ ultimo die menſis Septembris anno ſupradicto, electus fuit frater Alanus de Walſyngham, Sacriſta Elyenſis, per viam compromiſſi ejuſdem Eccleſiæ concorditer in Priorem. Nam ſtatuto die Electionis faciendæ, xxv. videlicet die menſis Octobris anno Domini MCCCXLI. convenerunt in domo Capitulari Elyenſi frater Richardus de Copnamford Supprior Elyenſis, ac omnes Fratres & ſinguli ejuſdem Capituli, de electione futuri Prioris invicem tractaturi. Lectâ denique Decretali *Quapropter*, & omnibus ipſam Electionem concernentibus ritè peractis, & legitimè invocatâ Spiritûs Sancti gratiâ, placuit Fratribus omnibus & ſingulis viam compromiſſi in ipſâ Electione tenere. Tractantibus itaque illis inter ſe de Compromiſſariis eligendis & ſollicitè diſceptantibus, placuit tandem omnibus Confratribus Eccleſiæ prædictæ fratri Nicholao de Copnamford Suppriori unanimiter & concorditer voces ſuas committere, & eidem plenam & liberam poteſtatem dare; ut ipſe frater Nicholaus vice ſuâ & ſingulorum Fratrum de Capitulo eligeret unum de Confratribus ejuſdem Capituli in Priorem Prioratûs prædicti, quòd ipſum admitterent in Priorem ſuum & acceptarent, quemcunque formâ ſuperiùs expreſsâ duxerit eligendum. Qui quidem frater Nicholaus Supprior ſupradictus * omnes hujuſmodi

* *f.* Onus.

modi compromissi in se suscipiens, infra horam sibi à Capitulo limitatam fratrem Alanum de Walsyngham Sacristam Elyensem vice suâ & vice omnium fratrum Elyensis Ecclesiæ elegit in Priorem. Et circa horam nonam ejusdem diei dictam electionem primò coram Conventu in pleno Capitulo, deinde ad magnum altare Ecclesiæ Elyensis supradictæ coram Clero & populo ibidem congregato solempniter & apertè cœpit publicare. Processus verò ipsius Electionis coram Venerabili Patre Domino Symone de Monte-Acuto Dei gratiâ Elyensi Episcopo & coram discreto consilio suo pro examinatione in illâ faciendâ erat demum deductus. Inventum est, quòd secundùm sacros Canones in materiâ & formâ in Electione prædictâ fuisset legitimè prosecutum. Et statim prædictus pater Venerabilis Symon Elyensis Episcopus dictam electionem gratanter confirmavit, xiii. Calend. † Septembris. Et in die sequenti, in Festo scilicet S. Edmundi Regis & Martiris, fratrem Alanum Priorem Elyensem in loco debito in Ecclesiâ Elyensi installavit. Hoc eodem die, ut starent simul in mensâ apud Dunham, rediens pariter illum secum adduxit.

† *l.* Decembr. *Codices tamen concordant.*

Idem namque pater & pastor noster benignissimus Dominus Symon noster Elyensis Episcopus ad exemplum Symeonis sacerdotis magni, ut in Ecclesiastico legitur, in vitâ suâ suffulsit Domum, in diebus suis corroboravit Templum. Ipse enim circa fabricam novæ Capellæ S. Mariæ ex parte Boreali suæ Cathedralis Ecclesiæ incœptam multas & largas tradidit expensas; & totâ mentis intentione ad finem perfectum illam ducere desideravit. Sed quod vehementer dolendum est, morte præventus fabricam prædictam secundùm suum propositum consummare non potuit. Immo cuidam simplici Monacho Elyensi, fratri Johanni de Wysbeche, qui Christi fidelium eleemosinis dictam Capellam à fundamentis incœpit, prout Deus secum disposuit, perficiendam reliquit. Qui quidem frater Johannes in honore semper Virginis Mariæ in Festo Annunciationis suæ fabricam dictæ Capellæ incœpit anno Domini MCCCXXI. incipiente. Cujus fabricæ lapidem primum posuit vir Venerabilis & artificiosus frater Alanus de Walsyngham tunc temporis Supprior Elyensis. In incœptione namque dictæ Capellæ dictus frater Johannes modicum habuit pecuniæ in manibus vel in thesauris in tanti operis prosecutionem. Sed in auxilio divino firmiter confidens, omnipotenti Deo & B. Mariæ seipsum totum & opus prædictum devotissimè recommendavit: orans Deum jugiter & deprecans assiduè, ut in omni necessitate suâ sibi succurreret pietate. Et Deus omnipotens, qui suâ benignâ miseratione pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat; ipsum fratrem Johannem nec multum locupletem nec multùm inopem in toto ipsius operationis tempore non reliquit. Sed quodam æquo veluti libramine, ne in prosperis se extolleret, aut in adversis deficeret, æquanimiter custodivit. Contigit autem eum quadam vice quosdam socios suos Monachos, quosdam etiam Sæculares convocare; illosque subnixè rogare, ut unâ secum ad fodiendum locum per quadratum, ubi totius fabricæ foret fundamentum, in certâ horâ inter eos constitutâ pariter convenirent ipsumque adjuvarent. Adveniente denique tempore designato nocte quadam venerunt, & fodere cœperunt; singuli separatim, unusquisque in loco sibi assignato. Contigit autem prædictum fratrem Johannem secundùm sortem suam in loco certo per se solum fodere. Et volenti, ut creditur, Deo, suis ignorantibus sociis cunctis, urnam æneam pecuniâ plenam, quasi ex industriâ ibidem depositam, ad relevandam pro tempore suam indigentiam, per se solum invenit. Et transactâ ferè totâ nocte in ipso diluculo minutissimè cœpit pluere, ac fodientes aliquantulum tædere. Et convocans socios suos laborantes, dixit: Eya, fratres mei & consortes laboris, multum vobis regracior; quòd jamdiu bene laborâstis; & vobis bonum est nunc modicum pausare post laborem. Ideo commendo vos Deo; qui vobis condignam rependat pro labore

bore mercedem. Illis verò recedentibus, solus ipse remansit in loco; & urnam illam prout potuit secretiùs tulit; & in Dormitorio || lectum suum reposuit; & pecuniam de illâ rubigine denigratam sumpsit, & rubiginem ab illâ confricando calce & aquâ detersit; & stipendia operariorum ex illâ, dum duraverit, persolvit. Et interim à Christicolis ad locum vicissim accedentibus nunc majus nunc minus, quicquid potuit, pro continuatione operis non solùm rogando verùm etiam mendicando sumere non erubuit. Et cùm sic vitam suam in laboribus variis ducens, cum domigerio magno mendicando, mutuum accipiendo; & res quas ex licentiâ sui ordinis habere poterat, venditioni exponendo; unà cum subsidio Reverendi Patris supradicti Domini Symonis Episcopi & aliorum Venerabilium virorum necnon & communis plebis eleemosinis per annos xxviii. & septimanas xiii. opus prædictum sollicitudine maximâ continuâsset; & structuram lapideam, simul cum Imaginibus infra Capellam & extra numero cxlvii. præter minutas Imagines in tabulâ supra altare, & præter Imagines ad hostium introitûs in Capellâ; opus etiam ligneum plumbo tectum, & agabulum orientale, cum duabus fenestris ex utrâque parte Capellæ ferro & vitro pulcherrimè apparatis, consummâsset; anno Domini MCCCXLIX. xvi. Calend. Julii, tempore communis pestilentiæ ex luce migravit; ac officium suæ custodiæ absque onere æris alieni Successori suo quietum reliquit. Et depositum ad valorem centum librarum & ampliùs, cum jocalibus & numeratâ pecuniâ pro residuo Operis prædicti perficiendo, post obitum suum inventum erat reservatum.

|| f. Subter lectum.

Prædictus quoque pater benignus Dominus Symon Episcopus, cùm sedisset annis viii. & modicùm plus; xx. die mensis Junii anno Domini MCCCXLIV. obiit; & sepultus est apud Ely in Novâ Capellâ S. Mariæ coram altari ejusdem Capellæ; circa cujus fabricam sumptuosas fecit expensas, ut superiùs expressum est. Ipse verò reliquit Ecclesiæ suæ post obitum suum quædam vestimenta bruni coloris, talentis quasi aureis intexta; duas videlicet capas, & unam casulam, cum iv. tunicis ejusdem coloris.

THOMAS DE LYLDE, Episcopus XVIII.

Fert in tribus rundellis tres Reges Coloniæ or in campo gules.

(f) Post mortem quoque dicti Symonis Episcopi frater Alanus Prior Ecclesiæ prædictæ & Fratres omnes & singuli ejusdem Ecclesiæ ingressi sunt Capitulum suum Elyense die vi. mensis Julii anno Domini MCCCXLIV. de die præfigendo procedendi ad Electionem futuri Pontificis tractaturi: habitâ super hoc licentiâ Regiâ; & diem crastinum, i. e. diem septimum ejusdem mensis Julii cum continuatione & prorogatione dierum subsequentium unanimiter præfixerunt, & de consensu expresso omnium statuerunt. Et subsequente dicto die vii. mensis Julii prædicti, post Missam de Spiritu Sancto in Ecclesiâ

(f) Thomas de L'Isle (sic enim dicitur in Rot. 11. R. 2.) *Latinè* de Insulâ (quo nomine in Registro suo appellatur) professionem obedientiæ Sedi Cant. in Ecclesiâ Metropoliticâ 1348. 9. Sept. fecisse dicitur in Registro *Cranborn*. Provisus à Papâ videtur medio anno 1345. non tamen ante annum 1351. consecratus, siquidem rectè habeat diploma appropriationis de Caxton ab illo datum 1357. 7. *Julii, anno consecrationis nostræ* 6. Verùm xi. pro vi. legendum suspicor; & Historiæ nostræ illum apud Avinionem statim post provisionem factam consecratum fuisse affirmanti fidem potiùs adhibeo. Eundem enim Episcopalia officia in Diocesi suâ anno 1346. peregisse ex Registro suo constat. Temporalia ejus post homicidi crimen falsò impositum in manum Regis accepta sunt ante exitum anni 1356. neque unquam illi restituta sunt. Eadem enim penès Regem fuisse 1357. 11. Febr. 1361. 29. Aug. & 1. Oct. & 11. Nov. comperio. Thomam Collegii S. Petri Cantab. benefactorem fuisse Godwinus malè retulit.

Cathe-

Cathedrali prædictâ ipso die manè celebratam, prædictus frater Alanus & cæteri Monachi omnes & singuli in domo suâ Capitulari se congregaverunt, & ibidem inter se tractaverunt, per quam formam ad prædictam Electionem maturiùs & cautiùs esset procedendum. Et statim tunc ibidem idem frater Alanus Prior & omnes fratres Monachi singillatim & nominatim requisiti asseruerunt, & quilibet illorum singillatim requisitus asseruit expressè sibi placere in dictæ Electionis negotio per formam procedere compromissi. Et subsequenter prædictus frater Alanus Prior & cæteri Monachi omnes inter se super Compromissariis in eâ parte eligendis tractantes, in septem Monachis ejusdem Capituli consenserunt; dantes eisdem septem plenam & liberam potestatem vice suâ & vice totius Capituli eligendi personam idoneam in Episcopum & Pastorem sibi & Ecclesiæ suæ viduatæ. Et statim dicti Compromissarii de Capitulo recesserunt; & in locum secretum seorsim se receperunt. Et invocatâ Sancti Spritûs gratiâ, primo de diversis personis præficiendis inter se tractare cœperunt. Et tandem in fratrem Alanum Priorem Elyensem vota sua unanimiter direxerunt; & ipsum in Episcopum suum Elyensem & Pastorem infra tempus eis limitatum elegerunt; & ipsam Electionem primò coram Fratribus in Capitulo, deinde in Ecclesiâ Cathedrali Elyensi coram Clero & populo, palàm & apertè puplicaverunt. Sed ante dictæ Electionis confirmationem Dominus Papa Clemens VIII. ex suæ potestatis plenitudine fratrem Thomam de Lylde de Ordine Prædicatorum in Episcopum Elyensem præfecit; & sic Electio de prædicto Alano facta, sicut Electio sui Prædecessoris fratris Johannis de Crandene, frustrata erat similiter per Papalem reservationem. Tempore verò Patris nostri Venerabilis Domini Thomæ Elyensis Episcopi contigit Miraculum, huic exili opusculo meritò annectendum.

Regnante Dei gratiâ Domino Edwardo III. post Conquestum, Rege Anglorum victoriosissimo, anno Incarnationis Dominicæ MCCCXLIX. & regni ejusdem Regis xxiii. ac Pontificatûs ejusdem Patris nostri Reverendi Thomæ Elyensis Episcopi anno quinto; quidam Armiger, natione Anglus, in rebus bellicis strenuus, & arma bellica ab adolescentiâ suâ viriliter prosecutus, optimi viri filius Johannis de Hyntoun vocitatus cum fratre suo Domino Willelmo de Hyntoun milite in transmarinis partibus & in Regno Hispaniæ in exercitu Christiano contra inimicos Crucis properavit ad bellum: Qui cum cæteris Christianis contra Saracenos viriliter dimicavit. Contigit autem in illâ die bellum vehementer urgeri. Et cùm varius sit eventus bellorum; quòd nunc hos nunc illos consumit gladius, multi utriusque exercitûs corruerunt. Inter quos miles ille strenuus cecidit Willelmus de Hyntoun, & ipse Hugo in illo conflictu lanceâ dirè confossus est in osse lumborum suorum; & ita firmiter & profundè dicta lancea intravit in osse, quòd illam evellere pati non potuit præ dolore. Unde de humanâ ope desperans, ad divinum confugit adjutorium; B. Etheldredam crebriùs & devotè invocans ac suppliciter efflagitans, ut Deus meritis almæ suæ Matris ipsum in illâ arta necessitate suâ consolaretur pietate. Et statim post manum misit ad lanceam; & illam ita leniter extraxit, ac si in carne solùm fuisset infixa; sed ex nimio labore vulneris ac in illo conflictu oppressione laboris fatigatus, in lectum decidit graviter infirmatus. Qui super Medicos & Chirurgicos varios medicinam secundùm artem suam sibi porrigentes, nullo illorum potuit curari medicamine: sed semper interim invocavit dilectam matronam Etheldredam; ut suis precibus sacrosanctis Dominum Deum exoraret, quod à dirâ ægritudine, quam patiebatur, ipsum clementer liberaret. Illi verò in oratione & devotione perseveranti apparuerunt quadam nocte quatuor venerabiles matronæ religiosæ: quarum una, ut sibi visum fuerat, cæteris honore præcellens pannum sericum ad modum manutergii vario colore diversimodè listatum gestabat in brachiis. Dixit ad illum; Amice, qualiter est tecum? At ille: Valde ma-

lè.

lè. Et confortans illum dixit: Confide fili; ſanus eris in brevi. Et accipiens pannum ſericum,inclinavit ſe; & involvit lumbos ejus hiante vulnere ſauciatos. Et ſic ex illo tactu confortatus eſt, quòd vix aliquem ſentiebat dolorem; & ſicut poſtea fatebatur, quòd ipſe nunquam in totâ vitâ ſuâ tam delectabile tamque ſuave corpori vel carni ſuæ aliquoties ſenſit adhæſiſſe. Et erigens ſe Virago illa venerabilis, ait ad illum: Ubi eſt lancea illa, cum qua vulneratus fuiſti? At ille reſpondit, dicens: Neſcio Domina mea reverenda. At illa: Quære illam diligenter, & inventam affer ad me apud Ely. Et continuò quatuor illæ Matronæ venerabiles diſparuerunt. Et ipſe paulatim convaleſcens, nichil aliud medicinæ ulteriùs vulneri appoſuit niſi tantùm lanam & oleum; & tempore modico ſanus factus eſt per merita, ut creditur, B. Etheldredæ Virginis. Quinetiam dictam lanceam quærere fecit diligenter per triduum: ſed tandem inventa eſt in cuſtodiâ cujuſdam militis prædicto Hugoni familiaris. Aſſumens namque caput lanceæ prædictæ, detulit illam ſecum in Angliam. Et cùm veniſſet ad Elyenſem Inſulam, ipſe cum fratre ſuo Radulpho de Hyntoun ad illam pervenit Eccleſiam; & ad feretrum B. Etheldredæ illud obtulit cum ſummâ devotione; ac ſuper paxillum ferreum ibidem ad Miraculi hujus memoriam infixit.

Aliud quoque contigit Miraculum anno Domini MCCCLV. & regni Domini Edwardi III. poſt Conqueſtum illuſtris Regis Angliæ anno xxix. Vir quidam bonus & religioſus, Dominus Johannes Lavenham, Monachus Eccleſiæ S. Regis Edmundi, circa Paſſionem Domini in Quadrageſimâ cœpit infirmari; & morbo ſquinanciæ in collo, gutture & maxillis graviter intumeſcere, & vehementer vexari; ita quòd manducare vel bibere ſeu etiam loqui non poterat. Unde nil aliud niſi mortem ipſius credebant æſtimandum. Quapropter certi Fratres de Conventu deputati fuerant ad cuſtodiendum, confortandum, & cùm opus fuerat, conſulendum fratrem infirmum; ſicut moris eſt inter Religioſos facere Fratribus in extremis languentibus: ut diligenter obſervantes ſtatum infirmi, proponendo ſibi crebriùs verba ædificatoria de Paſſione Chriſti, de miſericordiâ Dei, & alia hujuſcemodi conſolatoria; ut ſic expectarent aut fratris languidi meliorationem, aut ultimi ſpiritûs exhalationem. Ipſe verò interim toto ex corde jugiter & devotè in mente ſuâ, eò quòd loqui non valebat, Deum deprecatus eſt; ut meritis S. Etheldredæ dolorem, quem dirè paſſus eſt, leniret: et ſi ſuæ pietati complaceret, ſanitati iterum reſtitueret. His itaque geſtis, circa Paraſceven Domini ægrotus ille paululùm cœpit dormire. Viſionem quandam habuit; quòd fuit in unâ parvâ Capellâ, quæ infra illam Eccleſiam erat ſtatuta; & ibi quædam venerabilis matrona, religionis habitu induta, ſibi apparuit: quæ confortans eum, collum ipſius, guttur & maxillas, ubi dolorem ſentiebat, circumquaque manibus ſuis leniter palpavit; & hoc facto, ſe egredi diſſimulavit. Et paulò pòſt reverſa, dixit ad illum: Duos annulos habes aureos. Offer unum ex his apud Ely ad me; quoniam illum habere volo de te: & his dictis diſparuit. Et ſtatim evigilans, clarè locutus eſt, vocans ſocios ſuos, quos ſecum habuit pro ſuâ cuſtodiâ deputatos: qui audientes illum loquentem, admirati ſunt valdè; & magno repleti gaudio, ſciſcitabantur ab eo, quomodo tam ſubitò loqueretur, qui multis retrò diebus verba proferre non potuit. At ille exponens eis Viſionem quam vidit; & quòd per merita S. Virginis Etheldredæ citò ſanus fieret, aſſeruit. Unde quidam eorum prætextu iſtius Miraculi S. Etheldredam apud Ely nudis pedibus peregrinando ſe viſitaturos promittebant; alii verò alia vota emittebant, qui poſtmodùm vota ſua devotiſſimè perſolvebant. Denique vir ille præfatus Dominus Johannes, cùm ſanus fuerat & validus corpore, iter apud Ely pedibus gradiens cœpit arripere, & illum annulum aureum per S. Etheldredam requiſitum ſecum deferre. Quò perveniens, dictum annulum ſaphiro nobili ornatum, habentem & minuta granula lapidum diverſorum

sorum in circulo per girum, obtulit B. Etheldredæ maximâ mentis devotione; ubi feretrum ipsius Virginis ostenditur populo venienti ad honorem & laudem Dei & hujus Miraculi ostensionem.

Restat jam scribendum de prædicto patre & pastore nostro fratre Thomâ de Lylde de Ordine Prædicatorum, Elyensi dudum Episcopo. Ipse enim præfectus erat in Episcopum Elyensem per Dominum Papam Clementem VIII. anno Domini MCCCXLIV. mense Julii circa Festum S. Jacobi, & in Curiâ Avinionensi consecratus. In ipsâ autem Consecratione vas quoddam vitreum vino plenum super altare erat positum: sicut moris est Curiæ Episcopos consecrari. Et circa salutaris hostiæ consecrationem sine tangentis manu in altari confractum est subitò & divisum; ac vinum, quod erat in vase, super altare discurrit effusum. Et qui præsentes aderant, hoc videntes, maximum arbitrati sunt præsagium fuisse futurorum. Nam in Episcopatu suo multa postmodum adversa erat passurus. Eodem autem anno Angliam est ingressus, & à Domino Rege susceptus; ac traditis sibi suis Temporalibus in primâ Dominicâ Adventûs ejusdem anni erat apud Ely solempniter intronizatus. In primiciis namque suis splendidus valde fuit in mensâ. Milites quoque & Armigeros valentes patriæ, ac Juris utriusque peritos, in magnâ copiâ ad suas robas & ad suum consilium retinebat; ut in Parliamento & aliis locis communibus Militum & Armigerorum ac aliorum Servientium multitudine vallatus, inter cæteros Regni Proceres apparuit gloriosus. Videns denique tantam sibi familiam nimis onerosam & in modico proficientem, quibusdam de electis secum retentis, cæteros verò quodam discretionis sarculo de suâ familiâ resecavit. In omnibus ferè causis, quas tunc temporis ventilabat, fœliciter sibi & prosperè succedebat. Egregius namque Prædicator extitit; & per varia loca suæ Dioceseos discurrens, velut fidelis dispensator & prudens, familiæ Dominicæ mensuram tritici distribuendo, verbum Dei in populo sibi commisso ferventi animo disseminavit. Sed inimicus homo furtim venit & latenter; & in electo tritico superseminavit zizania; & invidiæ suæ antiquæ nodum dissolvens, nimis illum fecit exosum populo terræ. Præsertim ex eo, quòd in Sermonibus suis misericordiam maximè commendabat: quam quidem misericordiam in se delinquentibus, justitiâ quadam nimiâ quasi in severitatem mutatâ, quam prohibet Scriptura dicens: * *Noli esse nimis justus*: absque satisfactione condignâ de facili non concedebat. Quamvis idem pater & pastor noster in seipso bonus erat; quibusdam tamen adulatoribus & sinistra narrantibus, qui sibi erant à secretis, aures patulas & nimis credulas exhibebat. Nam quorundam malignorum instinctu, non sui proprii animi motu, ut creditur, erga Priorem & Conventum multùm se reddebat difficilem; in tantum quòd ad opus Ecclesiæ argillam fodere & arenam, sicut in omnium Episcoporum temporibus consueverant, ad magnum scandalum sibi nimis diu denegavit. Crebris interim precibus & variis petitionibus Prior & Conventus, nunc per epistolas, nunc per Fratres Capituli iteratis vicibus sibi missos, suæ Paternitati deprecati sunt; ut argillam, zabulum & arenam ad fabricas Ecclesiæ habere poterant, ut solebant. Ipse verò absque suæ specialis gratiæ rogatu licentiam zabulum habendi & arenam, ut superiùs dictum est, concedere recusavit. Tunc tandem Prior & Conventus ad placandum ipsius animum Epistolam sibi miserunt deprecatoriam, mentionem suæ specialis gratiæ facientem. Epistolam illam gratanter acceptans, & ne in consequentiam traheretur in posterum, integram & clausam Conventui tradendam in Capitulum postmodum reportavit: & deinceps argillam fodiendi, zabulum simul & arenam ad opus Ecclesiæ Priori & Conventui, ut hactenus usi fuerant, liberam concessit facultatem.

* Eccl. vii. 17.

Postmodum namque, quod maximè dolendum est, oritur contra ipsum lamentabile infortunium. Nam quidam iniquitatis filii, suæ salutis immemores,

res, quaſdam domos Dominæ de Wake in meſuagio ſuo de Colne in Comitatu Huntyngdoniæ noctanter combuſſerunt; & totum crimen maliciosè ſuper Epiſcopum & quoſdam de ſuis impoſuerunt. Super quo Brevia Regia emanaverunt, certis Domini Regis Juſticiariis ad inquirendum de hujuſmodi incendii actoribus & fautoribus directa. Qui apud Yakeſle ſedentes, Milites & Armigeros ac alios de patriâ valentes coram eis ibidem fecerunt convenire. Et captâ inquiſitione per xii. Juratos de prædictis Militibus & aliis, qui ſuper ſacramentum ſuum erant onerati, quòd in hujuſmodi negotio incendii fideliter ac diligenter inquirerent; & quos hujuſmodi ſceleris reos invenirent, dictis Juſticiariis notificarent. Ipſi verò ſeorſum pauliſper recedentes, in dictis negotiis tractaturi; & cùm in causâ concordes eſſent, ut dixerant, quoſdam nominati actores eſſe ſceleris, & Epiſcopum illis conſentientem aſſerebant. Juſticiarii autem dicta illorum non acceptantes, injunxerunt eis iterum per ſacramentum ſuum; quòd inter ſe diligenter inveſtigarent, ſi Epiſcopus actor eſſet criminis cum cæteris criminoſis, vel non. Et inter ſe modicùm colloquentes, dixerunt tamen injuſtè Epiſcopum cum cæteris reum eſſe. Et ſtatim fuit Epiſcopus finaliter condempnatus in nongentis libris argenti Dominæ Wake pro dampnis ſuis plenariè perſolvendis: quæ quidem pecunia in brevi poſt eidem extitit perſoluta. Thomas autem Epiſcopus retinens in memoriâ illud Sapientis:

Eſto forti animo, cùm ſis dampnatus iniquè:

Fortis erat in adverſis, & inter aſpera viriliter incedens; ſuper injuriâ ſibi allatâ remedium habere cupiens, Brevia impetravit Regia ſuper convictione ſuperjuratorum, qui in primâ Seſſione apud Yakeſle falsùm contra ipſum tuliſſent teſtimonium. Et hoc per numerum duplicem Juratorum paratus eſt juris ordine declarare. Et cognoſcendi in hac causâ recti Regis Juſticiarii fuerant deputati. Citati ſunt enim ad comparendum coram eis Huntyngdoniæ certo die valentiores patriæ; qui ad diem aſſignatum ibidem congregati, & ad veritatem in hac parte dicendam parati comparuerunt. Sedentes autem pro tribunali Juſticiarii prædicti petierunt ſtatim dictamentum Seſſionis apud Yakeſle, proceſſum ejuſdem Seſſionis Juſticiariorum & Juratorum nomina continens, ſibi oſtendi. Quibus reſponſum eſt; quòd fuit in manibus quorundam virorum, de quibus erant ibidem duo præſentes. Accerſiti erant illi duo, & ſuper hoc requiſiti. Reſponderunt, quòd id minimè obtinuerunt. Dixerunt autem; quòd Miles quidam modicùm ab Huntyngdon diſtans, dictamentum illud habuit cuſtodiendum. Nuncius quidem continuò à Juſticiariis eſt ad Militem miſſus, ipſum ex parte illorum ſuppliciter deprecans, quatenus dictamentum eis mitteret indilatè; quoniam ibi ſedebant totâ die quaſi ocioſi & tædio nimis affecti dictamentum expectantes prænominatum; quòd ſine illo in causâ procedere non potuerunt. Reſpondens autem Miles dixit Nuncio; quòd pro certo in ſuâ non erat cuſtodiâ, ſed in cuſtodiâ alterius illorum, qui priùs eodem die apud Huntyngdon coram Juſticiariis erant vocati & de re prædictâ requiſiti. Regreſſus eſt qui miſſus fuerat, ſedentibus adhuc Juſticiariis, renuncians eiſdem quid à Milite audierat. Juſſerunt Juſticiarii viros prædictos iterum inquiri; qui ſæpiùs iteratis vicibus vocati & per totam Curiam quæſiti, minimè ſunt inventi. Adveſperaſcente jam die ſurgentes Juſticiarii infecto negotio receſſerunt. Epiſcopus autem Thomas nolens ſic vecorditer ab incœptis deſiſtere; ſed ut Injuriatores ſui ad ſatisfactionem de illatis ſibi injuriis reducerentur, viis & modis legitimis, quibus poterat, cœpit viriliter attemptare. Et cùm in proſecutione causæ prædictæ modicùm ſe ſenſerat profeciſſe; quoniam æmuli ſui ex adverſo conati ſunt, & proceſſum ipſius causæ in quantum poterant impedire.

Videns

Videns itaque Episcopus, quòd ab æmulis suis prædictis fuisset sic illusus, ad præsentiam Domini Regis, ubi in lusum avium cum falconibus, comitantibus secum Militibus quibusdam & Armigeris, spaciabatur, accessit; & suam Regiam Magnificentiam humiliter requisivit, quòd de injuriis sibi illatis fieri juberet justitiæ complementum. Rex autem continuò advocans sibi quendam Militem Dominum Richardum de la Vache, qui erat ibidem; ut verba quæ inter ipsum & Episcopum dicenda forent, posset audire & postmodum testificare. Rex enim ait ad Episcopum: *Domine Episcope, causa quæ inter te & dilectam nostram || consanguineam Dominam Wake vertitur, nobis & Proceribus nostris ac Populo Regni nostri odiosa valde fore perhibetur. Item ex illâ dampna plurima personarum, subversiones & pericula multa evenire forsitan poterunt in futurum. Quapropter causam prædictam accipere intendimus in manus nostras; & non ut tua voluntas in omnibus fiat neque sua; sed per viam mediam incedendo, quòd pax inter vos volente Deo & concordia reformetur.* Episcopus autem dixit ad Regem. *Excellentissime Domine, jubeat si placet Serenitas vestra; quòd secundùm legem Regni & justitiam discuti valeat inter nos causa prænominata.* Cui Rex, ut fertur, Milite priùs vocato præsente, dixit: *Et quis te prohibet in regno nostro legem habere vel justitiam?* At ille respondit, dicens: *Domine, sic est quòd legem in causâ mea habere non possum neque justitiam; potestate, ut credo, regiâ præpeditus.* Rex autem audito hoc verbo, contra Episcopum commotus erat vehementer; & ait: *Certè tu Thomas de Lylde falsum dicis. Nunquam enim fuisti præpeditus; sed legem habebis, absque tamen favore legis.* Episcopus verò cum Regis indignatione à loco recessit, parùm vel nichil in causâ confortatus. Modico pòst tempore lapso, Rex in Parliamento suo Londoniæ coram Prælatis regni & Proceribus ibidem congregatis dixit Episcopo Elyensi: *O Thoma de Lylde, tu nuper nobis imposuisti, quòd in causâ tuâ legem habere non potuisti, nostrâ potestate regiâ præpeditus.* At ille negavit expressè coram Rege & Magnatibus, dicens se nunquam talia verba protulisse. Ad quem Rex irâ succensus magnâ dixit: *Certissimè tu Thoma de Lylde mentiris apertè; talia enim verba dixisti:* Et advocavit in testem illum Militem; qui verba, quæ inter Regem & Episcopum in præmissis locuta fuerant, audivit; & regiis dictis testimonium perhibuit, dicens Episcopum ipso præsente & audiente talia verba dixisse. Videntes autem Dominus Archiepiscopus & alii Episcopi animum Regis contra Episcopum Elyensem nimiùm fuisse commotum, surrexerunt; & coram Rege genua flectentes, ipsius suppliciter efflagitabant clementiam; ut Episcopum Elyensem in suam reciperet gratiam, & sibi misericorditer indulgendo & suam regiam remitteret offensam. Episcopus verò interim stetit erectus, & quasi cogitans quid diceret in hoc casu aut quid ageret; nec se aliquantulum inclinavit: de quo plures qui affuerant, mirati sunt. Rege autem in irâ adversùs Episcopum conceptâ perseverante, recessit Episcopus, faciem Regis de cætero ampliùs non visurus.

|| Blanchia Wake filia erat Henrici Comitis Lancastriæ.

Contigit namque post hæc, ut Episcopo jam nimis afflicto major adhuc addita est afflictio. Nam quidam ejus Cubicularius nomine Radulphus, genere Normannus, ortâ inter ipsum & quendam Dominæ Wake familiarem Willelmum de Holm sævâ discordiâ, incidit in eundem Willelmum, & hoste incitante antiquo interfecit illum. Quòd cùm audisset Episcopus, ingemuit; & tactus dolore cordis intrinsecus ait. *Coartor undique. Nunc scio verè, quòd absque dispendio magno & discrimine non possum evadere: quoniam, ut ita dicam, totum pondus prælii versum est in caput meum*; quoniam gentes patriæ vicinæ totum hujus homicidii causam & flagitium mendaciter & maliciosè super eundem imposuerunt. Die verò sequenti, comitante secum Sacristâ Elyensi fratre Roberto de Suttoun, iter cum suis versùs Londoniam arripuit; & ab ingressu Manerii sui de Somersham circundante illum inopinatè turbâ

malorum quouſq; perveniſſet ad S. Ivonem, quædam Margareta de Holm ſoror ipſius interfecti, mulier quidem malicioſa valde, adjunctis ſecum perverſis hominibus, unà cum Henrico Colne ipſi Epiſcopo nimis infeſto, clamoribus magnis & tumultibus proſecuta eſt, ad inſtar Semei filii Gemini de cognatione Saul; ut Regum ii. legitur. Qui ingreſſus contra Regem David fugientem filium ſuum Abſolon, projiciens lapides & lutum, maledicebat Regi dicens: *Egredere vir Belial, egredere vir ſanguinum: ecce premunt te mala quæ feciſti.* Sic & illa clamans & clamore terribili vociferans, dixit. * *Harron ſuper te, Thoma de Lylde, harron, harron ſuper te homicida peſſimè, harron ſuper te. Tu enim interfeciſti fratrem meum Willelmum de Holm. Harron ſuper te, harron.* Epiſcopus verò converſus ad mulierem, ſimplici voce & lugubri dixit. *Mulier injuſtè me perſequeris. Innocens ſum à ſanguine fratris tui. Non enim illum interfeci; nec unquam illum interficere juſſi; ſed me invito & neſciente omnino interfectus fuit: novit Deus.* Et Henricus de Colne & alii ſcelerati viri & perverſi, qui ſecum erant, ſimiliter inſultantes Epiſcopo, convicia, opprobria, verba contumelioſa & varia improperiorum genera horribili ſtrepitu inferebant. Et ſic illum proſecuti ſunt, antè & retro, à dextris & à ſiniſtris, uſque ad S. Ivonem; per mediam villam clamantes duxerunt & vociferantes; quòd tota Villa per illorum ſtrepitum commota eſt, in tantum quòd Epiſcopus cum ſuis, relictis cariagiis ſuis ibidem cum victualibus, pontem vix tranſire poterat, & ſic manus illorum evadere, ac ad Manerium ſuum de Granteſdene velociter equitando horâ prandendi pervenit. Vidit autem Epiſcopus tanta ſibi tædia imminere atque diſpendia futura, cautè reſpiciens & timens, ne fortè per maliciam hominum, quæ magna tunc erat contra ipſum, Temporalia ſua poſſe, quamvis non demeruit, confiſcari; & ſic modicum haberet, per quod in ſuâ neceſſitate ſibi poterit ſubvenire. Diſcreto & utili uſus conſilio, ſcripſit literas ad omnes & ſingulos Maneriorum ſuorum miniſtros, illis diſtrictè præcipiens, quòd omnia bona ſua mobilia, averia & catalla, ſupplementis Maneriorum duntaxat exceptis, cautelâ tamen convenienti, celeri exponerent venditioni. Et pecuniam pro rebus ſuis venditis acceptam in manibus Mercatorum depoſuit cuſtodiendam; ut cùm his opus haberet, ſuis iterum uſibus reſolvendam. Sedente modicum pòſt Coronatore illius patriæ, & de morte dicti jam interfecti per inquiſitionem xii. hominum legalium de vicineto diſtrictiùs quærente; onerati ſunt xii. homines prædicti ex parte Regis per eundem Coronatorem ſuper ſacramentum ſuum; ut de interfectoribus hujus mortui, & omnibus aliis, qui eis in hac feloniâ præbuerunt conſilium, auxilium vel favorem, ſeu quenquam illorum poſt factam feloniam receptârunt, diligentem inter ſe tractatum haberent; & quid in præmiſſis per Sacramentum ſuum invenirent, indilatè ſibi fideliter ſignificarent. Qui quidem Jurati ſuper hac cauſâ inter ſe tractantes, prænominatum Radulphum Epiſcopi Cubicularium principalem Willelmi de Holm fuiſſe interfectorem, & Epiſcopum neci ipſius conſentientem, ac quoſdam alios ſibi adhærentes & auxiliantes aſſeruerunt; Epiſcopum verò dictum Radulphum poſt feloniam factam receptâſſe ſimiliter affirmaverunt. Quod utique falſum fuit, & ex mendaci ſuſpicione omnino proceſſit: quoniam Epiſcopus in mortem ipſius nullo tempore conſenſit; nec ipſe Radulphus in comitivâ ſuâ poſt homicidium acceſſit, nec ab illo uſquam poſtmodum viſus eſt. Sed ſtatim ut de morte audivit, † accerſiri Willelmum de Stanſtede Seneſcallum ſuum & totius ſuæ Inſulæ Elyenſis cuſtodem, ſibi firmiter injungendo mandavit; quòd ſecundùm jura Regni homicidam illum per totam Ballivam ſuam diligentiùs inquireret; & ſi illum fortè alicubi inveniret, tanquam Regis Felonem ſecundùm legem in regno traditam illum per omnia judicaret. Cùm autem dicta per præfatos xii. Juratos in inquiſitione per Coronatorem dudum captâ, & ad inquirendum ſuper morte præfati Willelmi de Holm

* Harrow *ubique legit Codex Cot.* I.

† f. Accerſens.

Holm oneratâ, coram Justiciariis de Banco Domini Regis fuissent devoluta: vocatus est Thomas de Lylde Episcopus Elyensis ad comparendum coram dictis Justiciariis, super sibi objiciendis in causâ præmissâ responsurus. Qui ad diem assignatum sedentibus pro tribunali Justiciariis supradictis comparuit, comitantibus secum & astantibus ad ipsum locum Judicii Dominis Cantuariensi Archiepiscopo & Episcopo Roffensi. Cui statim objectum erat per Justiciarios prædictos; quòd ipse contra justitiam & pacem Regni consentiens fuerat in mortem cujusdam Willelmi de Holm felonicè interfecti, consilium præbens & auxilium; ac ipsum interfectorem quendam Radulphum Carles post feloniam factam scienter receptavit, & in suâ comitivâ retinuit. Episcopus autem dictus Justiciariis respondit, dicens; quòd non ex voluntate suâ nec suâ scientiâ sed ipso invito & ignorante dictus Willelmus de Holm occisus fuit; quòd ipsum Radulphum post feloniam factam nunquam vidit, nec ipsum receptavit. Et hoc per pares suos, cùm ipse erat de paribus Regni unus, discuti & discerni se sponte supposuit. Justiciarii verò super hoc convocaverunt patriam xii. Juratorum, non de Paribus terræ, ut Episcopus pro se allegavit & petiit, sed de plebeiis; & illos xii. Juratos super sacramentum suum oneraverunt, ut inter se diligenter inquirerent, an Thomas de Lylde Episcopus Elyensis consentiens fuerat neci Willelmi de Holm nuper interfecti, consilium impendens vel auxilium, aut ipsum Radulphum post feloniam scienter receptaverit vel non. Jurati autem in casu prædicto modicùm inter se tractantes, dixerunt; quòd Thomas de Lylde Episcopus Elyensis in mortem Willelmi de Holm nunquam consensit, prædictum tamen Radulphum post perpetratam feloniam receptavit scienter. Justiciarii verò ipsum Episcopum de receptatione felonis Regis contra pacem Regni tanquam Clericum per legem illorum convictum judicârunt: & statim omnia Temporalia sua tam Episcopatûs Elyensis, quàm alia tempore Episcopatûs sui per ipsum Episcopum perquisita, in manus Domini Regis judicialiter per eosdem sunt seisita & confiscata.

Cùm vidisset Episcopus Thomas Temporalia sua confiscata, & se coram non suis videlicet de receptatione felonis Regis, ut prædicitur, diffamatum esse; cùm per eos super hoc convinci non poterat, eò quòd sui Judices non erant. Cupiens itaque juris ordinem ad sua restitui, accessit ad Dominum Cant. Archiepiscopum, rogans illum suppliciter cum omni justiciâ requisitâ, ut super diffamatione prædictâ suam Canonicam admitteret purgationem. Dominus autem Cant. justis Episcopi petitionibus libenter ac favorabiliter annuens, virum venerabilem & discretum Magistrum Willelmum de Wythelysey, Archidiaconum Huntyngdoniensem, Judicem sibi in præmissis constituit & deputavit. Qui quidem Judex proclamare fecit certis in locis; quòd si quis objicere vellet, sciret vel intenderet contra Thomam de Lylde Episcopum Elyensem, quare ad purgationem suam Canonicam super diffamatione sibi impositâ admitti non debeat; veniat objiciens ille quicunque fuerit apud Manfeld Cant. Dioceseos, & paratus ibidem sit personaliter die certo per Judicem prædictum assignato in dictâ proclamatione exequendâ. Venientes verò prædicti Episcopus & Archidiaconus, comitantibus cum eis fratre Roberto Suttoun Sacristâ Elyensi & aliis viris valentibus apud Manfeld in diem præfixum, in Ecclesiâ parochiali ejusdem Villæ sederunt: & Dominus Archidiaconus judex ad præmissa deputatus per præconem suum fecit proclamare; ut si quis ibidem præsens esset, qui contra Thomam de Lylde Episcopum Elyensem objicere vellet, quòd in dictam sibi purgationem Canonicam admitti non debet; veniat nunc coram Judice ibi præsente & pro tribunali sedente in hac causâ, & objiciat si quid habeat in hac parte objiciendum; & dicta sua admitterentur, ac per viam justitiæ discuterentur. Et hoc idem sæpiùs in die iteratis vicibus jussit proclamare. Nemine quidem per diem

totum ad objiciendum comparente, circa veſperum ejuſdem diei facta fuit peremptoria proclamatio; quòd ſi aliquis ibidem eſſet, qui adhuc objicere vellet, quòd tunc demum ſine morâ veniret; quòd poſt illam horam in poſterum via objiciendi cuiquam ulteriùs non pateret. Sed nec tunc quoquam comparente, Judex prædictus in cauſâ præmiſsâ ſententiam tulit diffinitivam, excludens cuicunque objiciendi de cætero facultatem. Receſſerunt autem inde tam Epiſcopus quàm Archidiaconus, & cæteri qui cum illis erant, iter arripientes ad Archiepiſcopum; nunciaverunt eidem res geſtas per ordinem; qualiter certis die & loco pro proclamatione exequendâ aſſignatis perſonaliter affuerunt, & proclamationem prædictam ſæpiùs per idem iteratis vicibus ritè & legitimè præconizare fecerunt: ſed nullus interim comparuit ad contradicendum, quin ad purgationem Thomæ de Lylde Epiſcopi Elyenſis de jure foret procedendum. Unde Epiſcopus Thomas dictum Archiepiſcopum ſupplіciter rogavit ac inſtantiſſimè petiit; ut ſuper diffamatione ſibi objectâ ſuam admitteret purgationem; nec non diem & locum, ubi & quando cum ſuis Compurgatoribus ad ſe purgandum in hac parte compareret, certitudinaliter aſſignaret. Cui Dominus Archiepiſcopus ait. 'Dilectiſſime mi frater 'Domine Epiſcope, adquieſce rogo conſiliis meis; & tibi volente Deo meliùs fortè propitietur. Vade priùs, ut conſulo, ad Dominum noſtrum Regem, & reconciliare ſibi. Quoniam, ut ſpero, illum tibi invenies gratioſum. Et tunc redeas; & omnia purgationem tuam concernentia pro libito conſequêris, & ad ſtatum tuum priſtinum in omnibus ſine dubio reſtituêris. Ad quem Epiſcopus Thomas: 'Domine Pater, jam enim ritè peracta ſunt 'omnia, quæ ante purgationem meam recipienda canonicè ſunt requiſita. 'Nunc autem nichil aliud reſtat, niſi quòd vos, prout de jure tenemini, ac 'veſtro incumbit officio paſtorali, diem mihi & locum velitis aſſignare; ut 'de diffamatione mihi impoſitâ poſſim canonicè me purgare. Quapropter 'veſtram, ut priùs, venerabilem rogo Paternitatem, quòd meam in hoc caſu 'potero purgare innocentiam, diem adhuc mihi aſſignetis. Reſpondit Archiepiſcopus, dicens: 'Diem tibi & locum, cùm oportuerit, aſſignabo. 'Nec tibi nec tuæ purgationi in aliquo derogare intendo; licèt aliquantulum differo pro utilitate majori, ut cauſa tua cum Regis aſſenſu conſilio 'maturiori poterit terminari. Illo autem conſiliis Archiepiſcopi non adquieſcente, receſſerunt alterutrum ab invicem, ſe poſtea non viſuri.

Intellexit Epiſcopus Thomas animum Regis eſſe contra ipſum nimis exaſperatum, ac plures & graves ſe habere adverſarios, qui de ipſo mala citiùs Domino Regi procurarent quàm bona; & in ſuâ cauſâ culpam agnoſcere, ubi culpa non erat, ſe reputans non teneri. Idcirco maliciis hominum cedere, & corporis proprii pericula meritò formidanda cenſuit potiùs declinare, & ad partes transmarinas clàm ſecurus transfretare. Receſſit igitur ab Angliâ Paſtor & Pater noſter prædictus xix. die menſis Novembris per diem Sabbati anno Domini * MCCCLVI. & mari tranſito ad Villam de Bruges pervenit; & paululùm ibi moram traxit. Deinde ad Curiam Avinionenſem proficiſcitur, ac Domino Papæ & Cardinalibus de illatis ſibi injuriis multiplicibus conqueritur. Et exponens eiſdem dilucidè & apertè in pleno Conſiſtorio totius cauſæ ſuæ ordinem & proceſſum, ſubjecit ſe in omnibus & cauſam ſuam prædictam diffinitioni Domini Papæ & Cardinalium; ut ſecundùm Deum & æquitatem juſtam in cauſâ ſuâ pronunciarent ſententiam. Qui examinantes cauſam prædictam diligenter & deliberatò, invenerunt in proceſſu adverſùs Epiſcopum facto plurima libertati Univerſalis Eccleſiæ maximè repugnantia. Ideo cauſam ipſam non ſolùm ipſius Epiſcopi perſonalem, verùm etiam totius Eccleſiæ Catholicæ cauſam eſſe univerſalem, diffinitivâ ſententiâ determinabant. Ipſe verò petiit continuè à Domino Papâ omni juſtitiâ requiſitâ Judices ſibi dari in cauſâ. Et Dominus Papa petitionibus juſtis annuens cum favore,

* Factum id anno 1358. Walſinghamus & Birchingtonus volunt. Rectiùs tamen noſter.

favore, certos sibi Judices ad cognoscendum in causâ prædictâ inter ipsum & suos adversarios deputavit; ut per formam juris procedentes, complementum justitiæ sine personarum acceptione facerent inter partes. Judices itaque prædicti multos post edicta publica Clericos & Laicos, Milites & Armigeros diversos decreverunt fore vocandos & citandos; ut ad instantiam Thomæ de Lylde Elyensis Episcopi super sibi objiciendis certo die juridico personaliter comparerent in Curiâ responsuri. Illis autem ad diem præfixum non comparentibus, ad instantiam partis accersitis, Judices prædicti sententiam Excommunicationis in non venientes pro suâ contumaciâ fulminabant; decernentes eosdem contra diem certum vocari, & ad comparendum ibidem personaliter coram dictis Judicibus peremptoriè citari. Et super hoc edicta citatoria in Angliam fuerant delata, & in variis Ecclesiis parochialibus & aliis locis communibus lecta & publicata. In quibusdam verò Ecclesiarum hostiis erant affixa; ut per illa loca transeuntes, citatorum nomina palàm in eis legere possent & intueri: ita ut per eadem dicta citati de ignorantiâ non poterant legitimè excusari. Sed nec sic quidem comparebant, nec Procuratores pro eis responsuros in Curiâ constituebant. Propter quod Judices prædicti in causâ procedentes, pro multiplicatis illorum offensis censuras utique multiplicabant, & illos cum suis communicantibus excommunicabant. Unde quidam de excommunicatis prædictis carnis universæ viam interim sunt ingressi, & Ecclesiasticæ traditi sepulturæ. Sed virtute quorundam processuum in Curiâ contra illos factorum, eorum cadavera in conditionis humanæ horrorem de suis sepulcris sunt extracta, & de loco sacro longiùs projecta. Hoc autem plures arbitrati sunt genus fuisse nimiæ severitatis; quod sepulturam quietam esse humatis hominum corporibus non indulsit. Propter quod Episcopus & sui maximam Regis indignationem & regni Procerum incurrebant. Quapropter Commissio Regia certis Justiciariis fuit directa ad inquirendum, qui essent fautores Episcopi Elyensis in publicatione & prosecutione literarum Apostolicarum, citationes & censuras in certi regni personis continentium, consilium sibi in his vel favorem aut auxilium impendentes. Justiciariis siquidem super præmissis inquisitionem capientibus, quidam verò viri Religiosi & Sæculares, Clerici & Laici fuerant indictati. Ex quibus quidam capti erant & incarcerati, ac variis afflicti injuriis, pœnâ duplici, corporali & pecuniariâ, sunt multati. Quidam verò amicorum consiliis adquiescentes, se Regis gratiæ summiserunt, & viâ leniori transierunt.

Episcopus autem, non obstante Regis indignatione aut amicorum suorum prosecutione, ab incœptis suis non desistit: sed suæ causæ processum viis & modis legitimis cum censurarum additionibus, quasi actor indefessus, contra suos adversarios continuavit. Unde factum est, quòd quidam Thomas de Senauntoun Clericus, de Curiâ veniens Romanâ, quasdam secum literas detulit Apostolicas, continentes censuras graves quibusdam personis Angliæ infligendas, ac ad publicandum & prosequendum vim & effectum illarum certis Regni Episcopis directas. Captus est cum quodam Armigero Thomâ de Chyltoun, adjuncto secum socio altero, qui sibi in auxilium occurrebant. Adducti sunt Londoniam, incarcerati, fame ibidem & inediâ nimis afflicti. Justiciariis Regis erant postmodum præsentati, ac demum apud Newgate missi; unde in magnâ miseriâ spiritum ultimum exhalabant. Cùm autem rumores de morte virorum istorum ad aures pervenissent Episcopi; ipse dolens nimis & tristis effectus, ad Dominum Papam accessit; & de atrocitate tantâ suis nunciis illatâ flebiliter conquestus est, & quòd ad hortandum suos adversarios nullus ibidem audebat accedere metu mortis. Unde Dominus Papa edicta jussit scribi publica, quæ in valvis Palatii erant affixa; & omnes, quorum nomina in illis edictis fuerant conscripta, sanxivit personaliter fore citatos. Unde processus incœpti in Curiâ contra citatos per edicta, ac si essent

eſſent perſonaliter præſentes, de die in diem, de termino in terminum ſunt continuati; quouſque citati prædicti excommunicationis & interdicti ſententiis & aliis cenſuris gravibus finaliter fuerunt innodati.

Interim verò tractatus pacis & concordiæ inter Epiſcopum & ſuos in hac parte adverſarios per quoſdam Procuratores à Domino Rege Angliæ & Magnatibus in hac cauſâ ad Curiam tranſmiſſos habitus fuerat & longo tempore continuatus. Sed ante finalem & concordem tractatûs hujuſmodi expeditionem, Epiſcopus Thomas, cujus memoria cum benedictione inter electos Dei Antiſtites connumeretur, diem vitæ ſuæ clauſit extremum. Cùm autem iſte Epiſcopus noſter Thomas Eccleſiæ ſuæ Elienſi annis || fere xvi. præfuiſſet, ix. Calend. Julii in Feſto Depoſitionis S. Virginis Etheldredæ & Vigiliâ Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ in Curiâ obiit Avinionenſi, anno Dom. MCCCLXI. In Eccleſiâ S. Praxedis juxta Avinionem inter Sorores Ordinis fratrum Prædicatorum ſolempniter eſt ſepultus.

|| Annis xvii. *Cod.Cot.uterque.*

Ipſe verò paulò ante ſuum receſſum de Angliâ quædam veſtimenta ſub cuſtodiâ Sacriſtæ ſibi & ſuæ Elyenſi Eccleſiæ depoſuit conſervanda: duas videlicet Capas ex panno de ſerico purpurei coloris vineis intexto rubeis; unam Caſulam cum tribus Tunicis, duabus Stolis, tribus Favonibus, & tribus Albis cum paraturis ejuſdem ſectæ, de panno ſerico purpureo ſupradicto. Depoſuit etiam Epiſcopus penès prædictum Sacriſtam unum Calicem argenteum & deauratum cum ii. urceolis de argento, & unam ſitulam argenteam pro aquâ benedictâ, cum aſperſorio, & duobus parvis campanis pro Capellâ ſimiliter de argento. Sed hæc omnia veſtimenta ſimul & vaſa argentea in manus Domini Regis per ſuos miniſtros quaſi devoluta, ſunt ſeiſita fiſco. Rex tamen ex clementiâ ſuâ omnia prædicta veſtimenta ſimul & vaſa argentea in uſus Elyenſis Eccleſiæ perpetuò fore ſtatuit remanſura. Quæ quidem ad perpetuam Thomæ de Lylde Elyenſis Epiſcopi memoriam & Domini Regis Edwardi III. poſt Conqueſtum munificentiam in Elyenſi Eccleſiâ conſervantur.

REGINALDUS BRYAN, Poſtulatus.

Fert in ſcuto aureo tres pilas azureas.

(*g*) Poſt mortem quoque noſtri Elyenſis Epiſcopi Thomæ Dominus Papa Innocentius præfecit noſtræ Elyenſi Eccleſiæ vacanti Dominum Reginaldum Bryan Epiſcopum tum Wygornienſem & ad Sedem tranſtulit Elyenſem. Sed morte præventus celeri, nec ad Eccleſiam ſuam in Ely unquam pervenit; nec ſe in Spiritualium vel Temporalium adminiſtratione aliquotiens intromiſit. Prædicto namque Domino Reginaldo pro tempore tantùm modico Elyenſi Epiſcopo jam defuncto, Prior & Conventus duos miſerunt Confratres de Capitulo pro impetrandâ à Domino Rege eligendi licentiâ. Qua conceſſâ & per literas regias obtentâ, reverſi ſunt Fratres prædicti ad Capitulum, ipſas ſecum Regis licentiæ literas deferentes. Non multùm verò pòſt ingreſſi ſunt Capitulum Prior & Conventus, diem certum inter ſe ſtatuentes procedendi ad futuram novi Pontificis electionem. Die autem ſtatuto adveniente, Prior & omnes Fratres & ſinguli totius Conventûs unanimiter in Capitulum ſe congregantes, invocatâ primò Spiritûs Sancti gratiâ, & literis Regiis de licentiâ eligendi lectis, cum illo Capitulo *Quapropter*, ut moris eſt: tractare cœperunt inter ſe, per quam viam in ipſo Electionis negocio vellent procedere. Placuit tandem Fratribus omnibus & ſingulis per viam procedere compromiſſi. Electi ſunt denique Compromiſſarii quinque; qui ſeorſim & ſeparatim ſe invicem ſubtrahentes, cœperunt inter ſe de perſonâ idoneâ Eccleſiæ ſuæ viduatæ præficiendâ diligenter tractare. Et [poſt] plures perſonas merito commendabiles nominatas inter

(*g*) Reginaldus obiit 1361. 10. Dec. Vide ſupra p. 535. in Epiſcopis Wigorn.

ipſos,

ipsos, in virum tandem venerabilem & discretum Dominum Johannem de Bokyngham Clericum direxerunt vota sua; & ipsum in Episcopum suum Elyensem & Pastorem concorditer elegerunt. Verùm quia causa dictæ suæ Electionis in Summi Pontificis arbitrio & gratiâ magnâ dependebat; quandam Domino Papæ scripserunt Epistolam Prior & Conventus, supplices pro illorum Electo petitiones continentem sub eo qui sequitur tenore. *Sanctissimo in Christo Patri & Domino nostrò Domino Innocentio dignâ Dei providentiâ, &c.* Dominus tamen Papa distulit adhuc providere nostræ vacanti Ecclesiæ, Epistolâ nostrâ pro Electo nostro deprecatoriâ minimè acceptâ.

SYMON LANGHAM, Episcopus XIX.

Arma ejus sunt Tignum pinnis decoratum de rubro, inter Trifolia viridia tria.

(*b*) Summus tandem Pontifex desolationem diuturnam Elyensis Ecclesiæ paterno compatiens affectu, consilio ductus divino potiùs quàm humano, Venerabili patri & discreto providoque Pastori Domino Symoni de Langham Abbati Westmonasterii, x. die mensis Januarii anno Domini MCCCLXI. Episcopatum contulit Elyensem: & ipsum Patrem Reverendum & S. Benedicti Regulæ Professorem de Ecclesiâ Sancti Petri Westmonasterii ad Ecclesiam Sancti Petri & Sanctæ Virginis Etheldredæ super Congregationem Professionis ejusdem transtulit apud Ely. Qui consecratus erat à Domino Symone Cantuariensi Archiepiscopo; & in Festo Decollationis S. Johannis Baptistæ in Ecclesiâ suâ Elyensi solempniter intronizatus anno Domini MCCCLXI. finiente. Prædictus verò Venerabilis Pater Dominus Symon Episcopus zelo domûs Dei succensus, videns multa incommoda Ecclesiæ Elyensi & Episcopatui provenire, eò quòd implementa Episcopatûs tempore Vacationis post decessum Episcoporum in manus Domini Regis capta erant; perquisivit à Domino Rege Edwardo III. ut eadem implementa suis successoribus in posterum remaneant: & quòd Episcopus quisque die Intronizationis suæ ad hostium Occidentale Ecclesiæ juramentum præstabit ad illa & alia jura & libertates Ecclesiæ observanda; ut in Cartâ Regis Edwardi III. pleniùs continetur. Statuit igitur Dominus Rex; ut Anniversarium suum singulis annis teneatur à singulis Episcopis Elyensibus, & alia onera facienda: ut patet per Cartam Domini Regis. Nec silentio prætereundum est, quòd prædictus Venerabilis Pater noster & Episcopus novam Ecclesiam Parochialem S. Crucis ex parte Aquilonari Monasterii dedicavit, & Missam solempniter in eâ celebravit. Post Missæ verò celebrationem omnibus rite peractis, vestimentum cum omnibus ornamentis, in quo sacra misteria peregit, Ecclesiæ suæ contulit; videlicet unam Casulam rubeam de velvet cum leonibus de perulis albis brudatam cum duabus tunicis, & unam Capam cum tribus Albis, & duabus stolis & favonibus ex eâdem sectâ, & unum Pallium magnum coram altari dependentem, & unum parvum pannum super altare ex eâdem sectâ. Est ibi etiam tertia tunica; quam frater Petrus de Stapleford tunc temporis Secretarius sumptibus suis fieri fecit de eadem sectâ. Cùm verò

(*b*) Bullam provisionis Innocentius VI. Papa edidit 1362. 10. Jan. Symon professione factâ Spiritualia Sedis Elien. ab Archiepiscopo Cant. accepit 1392. 26. Febr. & ab eodem die 20. Martii sequentis consecratus est. Summus Angliæ Thesaurarius constitutus fuerat 1360. 21. Nov. dum Abbas Westmonasteriensis esset. Post ea ad Episcopatum promotus, Cancellariatum Angliæ assecutus est 1363. 19. Febr. Ecclesiam de Hinton appropriavit Collegio S. Petri Cantabr. Sed Johannes ejus successor appropriationem cassavit; quam postea Johannes Fordham Episcopus anno 1395. redintegravit. Ad Cantuariam Simon translatus est bullâ Urbani V. Papæ 1366. 25. Julii; quæ quidem promulgata est in Ecclesiâ Cant. die 5. Novembr. Arma ejus gentilitia à Roberto prætermissa aliunde apposui.

præ-

prædictus Pater Dominus Symon de Langham Eccleſiæ Elyenſi quinque annis complete ſtrenue præfuiſſet; tranſlatus eſt ad Archiepiſcopatum Eccleſiæ Cant. per Papam Urbanum VI. anno Domini MCCCLXVI. Domino Symone de Iſlep, Dei gratiâ nuper Archiepiſcopo, ſene & pleno dierum viam univerſæ carnis ingreſſo. Cùm autem Eccleſiam Cant. annis tribus ſtrenuiſſimè rexiſſet; famâ bonitatis ejus & ſcientiâ circumquaque volitante, Dominus pater Romanus Pontifex Urbanus VI. in Presbyterum Cardinalem titulo S. Sixti eum præfecit. Qui duas capas de panno deaurato viridis coloris de Curiâ Romanâ pro memoriale ſuo ad Eccleſiam miſit Elyenſem. Cujus memoria inter electos Dei Antiſtites ſemper connumeretur.

JOHANNES BARNET, Epiſcopus XX.

Arma Johannis Barnet Epiſcopi ſunt unum Saltorium ſables, & in ſcuti capite facies Leopardi ejuſdem coloris in campo argenteo.

(*i*) Huic ſucceſſit Dominus Johannes de Bernet Epiſcopus Bathonienſis, tranſlatus ab Eccleſiâ Bathonienſi ad Epiſcopatum Elyenſem per Papam Urbanum VI. anno Domini MCCCLXVI. & die Aſſumptionis S. Mariæ in Eccleſiâ ſuâ Elyenſi ſolempniter intronizatus. Iſte verò Venerabilis pater noſter & Epiſcopus ætate provectus, ſenex & plenus dierum, viribus corporis ferè deſtitutus. cùm ſediſſet annis vi. gravi infirmitate correptus, mortuus eſt apud Hatfeld, feriâ tertiâ in Ebdomadâ Pentecoſtes, vii. Id. Junii. Delatus verò ad Sedem ſuam Epiſcopalem, ſepultus eſt in Eccleſiâ Elyenſi juxta magnum Altare ex parte Auſtrali Eccleſiæ anno Domini MCCCLXXIII. Ipſe verò fecit fieri tres feneſtras in Preſbiterio ex parte auſtrali Eccleſiæ & duas ex parte aquilonari. Dedit etiam Eccleſiæ ſuæ vi. capas, unam caſulam cum tribus tunicis, & unum pannum dependentem coram altari, de unâ ſectâ, videlicet de blueto, cum beſtiis & creſſanutis de auro. Vacabat Sedes Epiſcopalis per annum non completum.

THOMAS ARUNDEL, Epiſcopus XXI.

Arma Thomæ Arundell ſunt in rubeo campo bordurato bordurâ ingradatâ aureâ Leo rapax ejuſdem metalli.

(*l*) Poſt mortem itaque Patris prædicti Johannis Epiſcopi petitâ licentiâ à Domino Rege Edwardo III. & obtentâ, Prior Elyenſis & totus Conventus per viam compromiſſi elegerunt ſibi in Epiſcopum Dominum Henricum de Wakefeld, virum bonum, diſcretum & honeſtum, & Domûs Regiæ Theſaurarium. Scripſerat tamen Dominus Rex Capitulo ſpecialiter pro Fratre Johanne Woderone, ipſius Regis Confeſſore. Ipſam verò Electionem primò coram Fratribus in Capitulo, dein in Eccleſiâ Elyenſi co-

(*i*) Johannes Epiſcopus Bathon. & Well. ad Elienſem Sedem ab Urbano V. Papâ tranſlatus 1366. 15. Dec. Spiritualia ab Archiepiſcopo accepit 1367. 2. Maii. Erat tunc Angliæ Theſaurarius; quo munure uſque ad medium annum 1370. perfunctus eſt. Obiit in manerio ſuo de Hatfeld 1373. 8. Junii. *Ex Regiſtris Langham & Witleſey.* Rectius Elienſis noſter illum die 7. Junii obiiſſe tradit.

(*l*) Thomas Arundell, filius natu ſecundus Ricardi Fitz-Alan Comitis de Arundell 1375. 24. Jan. defuncti, *annorum circiter 22. & in Artibus Baccalaureus* (ſic enim habet Higdeni Continuator) Archidiaconus Tauntonenſis, ad Epiſcopatum Elienſem à Gregorio XI. Papâ proviſus eſt 1373. 13. Auguſti; Spiritualia ab Archiepiſcopo accepit 1374. 16. Martii; & ab eodem apud Otteford conſecratus eſt 1374. 9. April. Iſta docet Regiſtrum *Witleſey.* Addit Regiſtrum *Arundell Elienſe* conſecrationi adfuiſſe Simonem Londin. & Thomam Roffenſem Epiſcopos, & Dominos Ricardum atque Johannem de Arundell fratres ejus cum multis aliis, atque intronizatum ipſum denuo fuiſſe 1376. 20. April. Cancellarius Angliæ renuntiatus eſt 1387. 24. Oct. *in Parlamento ad petitionem Prælatorum & Dominorum Temporalium & totius Communitatis Angliæ*, exauthorato Michaele de la Pole Suffolciæ Comite. Verba ſunt Regiſtri ipſius. Eboracum tranſlatus Pallium recepit 1388. 14. Sept. Bulla de Tranſlatione Papalis 1388. 3. April. edita videtur.

ram

ram Clero & populo palàm & apertè dictus Prior publicavit. Sed cassatâ dictâ Electione, Dominus Papa Gregorius ex suæ potestatis plenitudine contulit Episcopatum Elyensem Domino Thomæ de Arundel filio Roberti Comitis Warennæ & Arundell, die S. Ypoliti Martyris, anno Pontificatûs dicti Gregorii Papæ tertio, ætatis verò prædicti Thomæ Episcopi Elyensis xxii. anno Domini MCCCLXXIV. & consecratus erat apud Otford in Cantiâ à Venerabili patre Domino Willelmo Archiepiscopo Cant. Dominicâ in Octabis Paschæ, v. Id. Aprilis. Et eâdem Dominicâ duobus annis evolutis in Ecclesiâ Elyensi solempniter est intronizatus. Qui suffulsit domum Dei, & in diebus suis templum Domini corroboravit; hostes Ecclesiæ comprimens & repellens, Ecclesiæ suæ multa bona adjiciens; construendo ædificia pulcra & sumptuosa in suo Palatio & in aliis maneriis Ecclesiæ pertingentibus. Ipse verò contulit Ecclesiæ suæ unam tabulam de auro magni precii, plenam Reliquiis Sanctorum, cum magnis margaritis, rubiis & saphiris, precii ccc. marcarum. Quæ tabula quondam fuit Regis Hispaniæ, & postea Domini Edwardi nobilissimi Principis Anglorum: de quo idem Venerabilis Pater prædictam tabulam emit, & suæ Ecclesiæ, ut præfertur, contulit. Construxit portas domûs de Holborn Londoniæ. Dedit etiam unam capam, casulam, duas tunicas, & unam Albam preciosam, cum aliis Albis paratis de rubeo velveto, brudato cum magnis griffonibus deauratis: Cujus memoria in benedictione sit sempiternâ. Prædictus verò Venerabilis Pater Dominus Thomas de Arundell cùm Ecclesiam suam Elyensem xiv. annis, mensibus v. diebus xviii. strenuissimè rexisset; translatus est in Archiepiscopum Eboracensem: & postea in Archiepiscopum Cantuariensem. Vacabat Sedes Elyensis per xiii. dies.

MONACHI ELIENSIS

Continuatio Hiſtoriæ Elienſis

Ab anno MCCCLXXXVIII. ad annum MCCCCLXXXVI.

JOHANNES FORDHAM, Epiſcopus XXII.

Arma Jonannis Fordham ſunt in campo nigro unum cheveron inter tres cruces floratas aureas.

(*m*) PRædicto Domino Thomæ de Arundel ſucceſſit Dominus Johannes de Fordham Epiſcopus Dunelm. tranſlatus ab Eccleſiâ Dunelm. ad Eccleſiam Ely. per Papam Bonefacium anno Domini MCCCLXXXVIII. quinto Kalend. Octobr. Ipſe namque reverendus Paſtor & Pater noſter, ſenex & plenus dierum, cùm ſediſſet * annis xxxvii. menſibus vii. diebus iii. gravi infirmitate detentus & correptus, mortuus eſt in Manerio ſuo apud Downham, feriâ ſecundâ, in Vigiliâ S. Edmundi Regis & Martyris, xiii. Cal. Decembris; & delatus ad Eccleſiam Elyenſem, ſepultus eſt in novâ Capellâ B. Mariæ, quaſi ad Occidentalem partem mediæ Capellæ, anno Domini MCCCCXXV. Ipſe verò contulit Eccleſiæ ſuæ ad magnum altare duas bacinas argenteas & deauratas magni precii pro Sacerdote celebrando in Feſtis principalibus. Item dedit pro Capellâ ſuâ quinquaginta libras. Sedes † vacavit xxii. ſeptimanis & vi. diebus.

* Meliùs Codex Cotton. *annis* xxxvii. *menſe* i. *ſeptimanis* iii. *diebus* iii.

† Rectiùs itidem Codex Cotton. *ſeptimanis* xxi. *diebus* vi.

PHILIPPUS MORGAN, Epiſcopus XXIII.

Arma Philippi Morgan ſunt tria capita lancearum argentea & ſanguine tincta in campo ſables.

(*n*) Poſt mortem verò Venerabilis Patris noſtri Domini Johannis de Fordham, miſſi ſunt certi Fratres per Capitulum ad Dominum Regem Henricum VI. poſt Conqueſtum pro licentiâ eligendi & providendi Eccleſiæ noſtræ viduatæ de idoneo Paſtore ab ipſo humiliter poſtulandâ.

(*m*) Barones rebelles jam rerum potiti, ſummas regni dignitates & officia pro lubitu diſpoſuerunt; & Epiſcopos partibus ſuis olim adverſatos à Sedibus ditioribus ad tenuiores à Papâ invitos transferri effecerunt. Hos inter Johannes Fordham à Sede Dunelmenſi ad Elienſem deſcendere coactus, Temporalia à Rege accepit 1388. 27. Sept. apud Cantabrigiam. Bulla Papalis 1388. 3. April. edita fuerat. Illo ſedente facta eſt Compoſitio inter Epiſcopum & Archidiaconum de utriuſque juriſdictione 1401. 13. Nov. Ejuſdem itidem tempore Academiæ Cantabrigienſi à Bonifacio IX. Papâ indultum eſt, ne Cancellarius ab Univerſitate electus, ab Elienſi Epiſcopo in poſterum confirmetur. Ex Regiſtro *Fordham*, & Caio de Antiq. Cantab. l. 1. p. 81.

(*n*) A Sede Wigorn. ad Elienſem tranſlatus eſt à Martino V. Papâ 1426. 27. Febr. profeſſione factâ Spiritualia ab Archiepiſcopo 1426. 26. April. Temporalia à Rege 1426. 22. April. recepit. *Ex Regiſtris Chichley, Morgan, & Actis Concil. H.* 6. Hujus tempore inſignem authoritatis priſtinæ jacturam Epiſcopatus Elienſis fecit. Anno enim 1430. exorta eſt gravis controverſia inter illum & Academiam Cantabrigienſem de juriſdictione eccleſiaſticâ, quam infra pomæria ſua exercere voluerunt Academici, exemplo incitati Oxonienſium, qui Lincolnienſis Epiſcopi authoritatem ante annos 30. excuſſerant; eandem autem ad ſe ſolum pertinere ratione Academiæ in Dioceſi ſuâ ſitæ Epiſcopus Elienſis contendit. Re ad Martinum Papam delatâ, & Judicibus

dâ. Qua obtentâ, Petrus Ely Prior Elyensis & totus Conventus ingressi sunt Capitulum, præfigentes diem certum, sc. Nonis Januarii, in Vigiliâ Epiphaniæ, anno Domini MCCCCXXV. procedendi ad futuri Pontificis electionem. Interim Rex & alii Domini & quidam Pontifices scripserunt Priori & Conventui, subnixè rogantes pro Magistro Willelmo Aunewyke, Doctore utriusque Juris, Regis Confessore, & Privati Sigilli Custode; ut ipsum eligerent in Episcopum suum Elyensem & Pastorem. Unde statuto die ad Electionem procedendi, cum continuatione & prorogatione dierum sequentium, adveniente; vocatis vocandis, & aliis quæ in hac parte ritè requiruntur peractis; post Missam de Spiritu Sancto in Ecclesiâ Cathedrali prædictâ ad magnum altare ipso die manè solempniter celebratam, ingredientes unanimiter in Capitulum Prior & Conventus tractaverunt inter se, per quam viam in Electione prædictâ vellent procedere. Et statim omnes fratres unanimi consensu & voluntate quasi per inspirationem Spiritûs Sancti in Dominum Petrum Ely ejusdem Ecclesiæ Elyensis Priorem consenserunt; & ipsum in suum Pastorem & Episcopum elegerunt; & ipsam Electionem primò coram Fratribus in Capitulo, deinde in Ecclesiâ Elyensi coram Clero & populo, palàm ac manifestè publicaverunt. Sed ante dictæ Electionis confirmationem, Dominus Papa Martinus V. ex suæ potestatis plenitudine Magistrum Philippum Morgan, utriusque Juris Doctorem, de Ecclesiâ Wygorniensi ad Ecclesiam transtulit Elyensem anno Domini MCCCCXXV. penultimo die mensis Februarii. Et habuit liberationem Temporalium ejusdem Episcopatûs xxii. die mensis Aprilis anno Domini MCCCCXXVI. ab Excellentissimo Domino nostro Rege Henrico VI. anno regni sui quarto. Et sic Electio de Domino Priore Elyensi facta, frustrata erat per Papalem Reservationem. Et post Translationem, ut prædictum est, factam in Curiâ Romanâ, distulit Intronizationem suam per annum integrum & tres septimanas & duos dies; & vii. Cal. Martii in Vigiliâ S. Matthæi Apostoli, quæ tunc contingebat in Dominicâ Sexagesimæ, fuit solempniter intronizatus. Ipse verò Venerabilis pastor & pater noster cùm sedisset annis ix. septimanis xxvi. & diebus iv. gravi infirmitate detentus diem clausit extremum in Manerio suo de Hatfeld, viii. Cal. Novembris anno Domini MCCCCXXXIV. & sepultus est Londoniæ in Domo Cartusiensi. Executores Testamenti ejus fuerunt Dominus Episcopus Willelmus Grey Lincolniensis, Dominus Radulphus Crowmwelle Baro Thesaurarius Angliæ, & Dominus Johannes Typtot Baro; qui in suâ Ecclesiâ nunquam pro animâ Domini Philippi Episcopi aliquid celebrare fecerunt. Sed post diem sepulturæ ejus minimè in aliquo loco pro eo orare statuerunt; sed post mortem Philippi Morgan Episcopi Elyensis omnia in suos usus asportaverunt: nec debita ejus solverunt postea, ut mos est, Ecclesiæ Elyensi; sed adhuc debent pro pascuis & pasturâ animalium tempore Vacationis, & terris aratis & compostis, pro libris & organis, &c. lxiii. libras, viii. solidos, præter Capellam.

Judicibus delegatis ab eo commissâ, prolatisque ab Academiâ furfuraceis illis Honorii I. & Sergii I. Paparum Bullis, quæ annis 624, & 689. Academicos ab Episcopi ordinarii jurisdictione exemisse fingebantur, definitum est, ut Academia ecclesiastico jure uteretur, neve quis Archiepiscopus aut alius Ecclesiasticus interturbaret. Sententiam Eugenius IV. Papa confirmavit Bullâ datâ 1433. 18. Sept. & Academiam à jurisdictione Episcopali penitus exemit. Rem pluribus narrat Caius *de Antiqu. Cantab. l.* 1 *p.* 81. Philippum Episcopum 1434. 25. Oct. obiisse confirmat Epitaphium tumulo inscriptum; quod apud Weaverum legi potest p. 433. Veriùs tamen anno 1435. obiit. Vide notam sequentem.

LODOWICUS LUSCHBURG, Epiſcopus XXIV.

Fert chekey ar. & az. in le argent eſt un rondel gules in lazur eſt un flore de lice or.

(*o*) Mortuo autem ſupradicto Venerabili Patre Philippo, miſſi erant duo Fratres ad Dominum Regem Henricum VI. pro licentiâ eligendi & providendi Eccleſiæ vidu-

(*o*) De Philippi obitu & Ludovici ſucceſſione errorem graviſſimum Jocelinus iniit *Antiqu. Britan. p.* 285. Verba ejus deſcribam. *Ad Synodum Londinenſem anno* 1438. *habitam Eugenius Papa literas dedit; in quibus declaravit Elienſem Epiſcopatum ſimul atque vacaret, Ludovico Rothom. Archiepiſcopo commendationis titulo ſe contuliſſe. Fuit tum Philippus Morgan, ſenex egregiè cordatus, Epiſcopus Elienſis; qui vitam in ſenectute tam diuturnam produxit; ut Papæ commendationem, quam tota tunc Synodus execrata eſt, morte Ludovici qui ante eum obiit irritam fruſtraret.* Eundem errorem ſecutus eſt Vir Cl. Arthurus Duck *in Vitâ. Chichleii.* Utrumque deceperunt Acta Synodi iſtius nimiâ feſtinatione perlecta. Iſta ſic ſe habent in Regiſtro *Chichley* vol. 2. f. 104. Archiepiſcopus Cant. Convocationem Londinenſem 1438. 28. April. inchoatam ingreſſus, Cleri convocati cauſas declaravit. *Secunda cauſa declaratur eſſe, quòd Dominus Papa per literas ſuas providit & commiſit Eccleſiam Elienſem per modum Commendæ pro perpetuo Lodowico Archiepiſcopo Rothomagenſi; ac ipſum Adminiſtratorem perpetuum dictæ Eccleſiæ & Dioceſis Eli. ordinavit: ut in Bullâ ſuper hoc confectâ liquet manifeſtè. Quæ quia erat res antehac inviſa & mali exempli, ac (ut per magnas rationes oſtendit & luculenter declaravit RR. Pater Archiepiſcopus antedictus) poſſet cedere in Eccleſiæ Anglicanæ magnum detrimentum & jacturam; dicebat quòd ſuper hujuſmodi facto vellet ipſos conſulere & deliberare.* Non malè Archiepiſcopus optimus Synodum eâ de re antehac apud Anglos à Normannorum temporibus inauditâ conſulendam cenſuit. Synodum autem reſponſum dediſſe in Actis ipſius non reperio. Certè Philippus Elienſis Epiſcopus ante biennium obierat; quod Jocelino & Duckio ex hoc ipſo Regiſtro conſtare potuiſſet. Inibi enim legitur Philippum ſupremas tabulas condidiſſe 1435. 21. Octobr. eaſque poſt mortem ipſius in Archiepiſcopali Curiâ confirmatas eſſe 1435. 12. Nov. Iſto enim anno Philippus revera obiit; quantumvis Hiſtoria Elienſis & Weaverus diverſum ponant. Si quis tamen Philippi introitum & Pontificatûs geſti tempus in Hiſtoriâ Elienſi aſſignata compoſuerit; illum 1435. 25. Oct. obiiſſe deprehendet. Quod Weaverum attinet, is mortalium omnium infœliciſſimus cunctos ferè numeros ex ſepulchralibus titulis in farraginem ſuam deſcriptos vitiavit. Quinimo Rotulus Computi autographus teſtatur Conventum Elienſem (qui Compoſitione olim cum Rege factâ Temporalia Epiſcopatûs vacantis obtinuit, & pro illorum cuſtodiâ 2000. libras ſolvere annuatim conſuevit) pro cuſtodiâ Temporalium à morte Philippi ad reſtitutionem Ludovico factam 1438. 3. April. reſpondiſſe Regi de 4884. lib. 12 *s.* 6 *d.* Cuſtodia itaque Temporalium penès Conventum fuit 2. annis, 5. menſibus & diebus aliquot; atque adeò Philippus 1435. menſe Octobri defunctus eſt. Poſt Philippi obitum, & rejectum à Monachis Thomam Menevenſem Epiſcopum, Sedis Elienſis adminiſtrationem *cariſſimo ſuo conſanguineo* Ludovico Archiepiſcopo Rothomagenſi committi Henricus Rex, meritis ejus maximis impenſè laudatis, à Papâ enixè flagitavit, datis ad ipſum literis 1437. 22. Junii; aliiſque ejuſdem argumenti ad plures Cardinales ſcriptis petitionem inſtantiùs urget. Extant illæ inter Epiſtolas Bekintoni. Papa Regi obſecundatus, Bullas adminiſtrationis perpetuæ Ludovico concedendæ ſub initium anni 1438. emiſit. Quibus editis Ludovici Procuratores Temporalia à Rege ſtatim obtinuerunt 1438. 3. April. teſte Regiſtro Elienſi. Spiritualia autem ab Archiepiſcopo Cant. ante exitum anni extorquere non potuerunt. In Regiſtro enim Elienſi Conventus Elienſis ad Stechworth & Wintworth 1438. 18. Aug. præſentavit Willelmo Sutton L. D. Cuſtodi Spiritualium Sede vacante; ſed 1438. 16. Nov. Willelmo Erardi, Ludovici in Spiritualibus Vicario. Erat Ludovicus Johannis Domini de Beaurevoir & Margaritæ de Enghien filius, Petri Comitis S. Pauli frater, Epiſcopus Teroanenſis apud Morinos, & Galliæ ſub Henrico VI. Anglorum Rege Cancellarius. Poſtea Archiepiſcopus Rothomagenſis electus 1436. 19. Octobr. intronizatus eſt 1437. 9. Aug. Cardinalis titulo SS. Quatuor Coronatorum 1439. 18. Dec. ab Eugenio Papâ creatus eſt, Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus anno 1442. ab eodem renunciatus. Obiit in Angliâ 1443. 18. Septembr. Iſta Fr. Sammarthani de Ludovico fuſiùs narrant *Gall. Sacr. vol.* 1. *p.* 599. Mortis tempori concordat Regiſtrum *Stafford*; quod Spiritualia Sedis Elien. illo defuncto in Archiepiſcopi poteſtatem 1443. 24. Sept. recepta fuiſſe prodit. Ludovicum in Hiſpaniâ ſepultum eſſe Robertus Stewarde ſcribit.

atæ

atæ de idoneo Pastore ab eo humiliter postulandâ. Qua obtentâ, Prior & Conventus ex assensu Domini Regis supradicti Capitulariter congregati, unanimiter postulaverunt Magistrum Robertum || Phehu Episcopum Londoniensem in Patrem & Pastorem; quem Deus, cujus ditioni omnia sunt supposita, antequam Postulatio de se facta extitit sibi præsentata, ab hac luce subtraxit. Qui obiit apud Seynt Osyes. Sicque infecto negotio Fratres missi domum redeuntes iterum; Prior & Conventus alium diem ad electionem futuri Pontificis præfixerunt secundùm tenorem & formam prioris literæ ac licentiæ Domini Regis. Sed ante Electionem misit Dominus Rex unam literam commendaticiam per Dominum Johannem Tiptofte Priori & Conventui pro Magistro Thomâ Rothburn Episcopo Menevensi. Demùm literâ Regiâ non obstante & informatione ac consilio dicti Domini Typtofte, Prior & Conventus in non minimum dampnum Ecclesiæ postulaverunt Magistrum Thomam Bowser Episcopum Wygorniensem in Episcopum Elyensem, filium videlicet Comitissæ de Stafford; & præsentaverunt per duos Monachos Postulationem eidem apud Oxoniam Cancellario ejusdem Universitatis tunc existenti. Qui dictos Fratres suscepit gaudenter; & misit eos Domino Regi Londoniam, ut assensum & confirmationem peterent dicto Postulato. Sed quia Postulatio prædicta non fuit facta de Episcopo Menevensi, ut supra, nec Capitulares tenorem literarum Regis voluerunt observare; dictus Dominus Rex renuit admittere Postulationem. Attamen dictus Episcopus Wygorniensis misit nuncios suos ad Summum Pontificem Eugenium IV. pro Postulatione de se factâ in Ecclesiâ Elyensi. Qui, ut dictum erat, confirmavit Postulationem prædictam; & misit Bullas suas dicto Postulato: Qui tamen eas recipere minimè audebat sine benevolentiâ Domini Regis, ne caderet in pœnam cujusdam Statuti *Præmunire facias* vocati de provisionibus faciendis, &c.

|| I. Fitz-hugh.

Interim autem dictus Dominus Rex ex assensu consilii sui concessit Episcopatum Elyensis Ecclesiæ Domino Lodowico * Lushborn Archiepiscopo Rotomagensi, Presbytero Cardinali titulo iv. Coronatorum, & Cancellario Franciæ & Normanniæ, ac Consanguineo dicti Domini Regis, in Commendam dicto Archiepiscopatui Rotomagensi; ex eo quòd dictus Archiepiscopatus fuit parvi valoris propter guerras ibidem sæpiùs exortas. Qui dictus Dominus Archiepiscopus misit ad præfatum Papam Eugenium, donationem & processum Domini Regis eidem in scriptis exhibendo; supplicando quatinus Paternitati suæ sanctæ illam sub modo & formâ supradictis confirmare placeret. Ille verò cum consilio fratrum suorum Cardinalium concessit prædicto Lodowyco pro perpetuo administrationem Ecclesiæ Elyensis in Commendam, revocando Bullas Episcopo Wygorniensi priùs destinatas; prout pleniùs in suis Bullis continetur Domino Regi missis. Sicque iste Venerabilis Episcopus & Cardinalis tam à Papâ quàm à Rege accepit administrationem Spiritualium & Temporalium Ecclesiæ Elyensis, anno Domini MCCCCXXXVII. & iii. die mensis Aprilis, anno Domini Regis xvi. de Cancellariâ suâ; ut in magno rotulo de termino Hilarii pleniùs ibidem patet. Præterea ad recipiendum prædictum Episcopatum misit dictus Dominus Lodowycus ad Dominum Regem pro Temporalibus habendis Magistrum Willelmum Erardi, Sacræ Theologiæ Professorem, & Cantorem Ecclesiæ Rotomagensis, in nomine suo; qui omnibus & singulis verbis Domino Regi & coronæ suæ præjudicialibus in literis Bullatis supradictis contentis coram ipso palàm & expressè renunciavit, & gratiæ ipsius Regis humiliter se submisit; sicut per Instrumentum publicum super hoc confectum & coram ipso in Cancellariâ suâ exhibitum plenè liquet. Quo facto, Dominus Rex volens cum eo gratiosè agere, ab ipso fidelitatem accepit; & eidem in nomine Domini sui seisinam omnium Temporalium Episcopatûs secundùm laudabilem usum istius Ecclesiæ Elyensis liberavit. Sed Dominus Henricus Archiepiscopus Cant. diu stetit

* Lusceburg. *Cod. Cot.* 2.

penès

penès & contra Regem; ne Spiritualia aut Temporalia ſub prædictâ formâ prædicto Adminiſtratori neque ſuo Procuratori ſupradicto liberarentur: eò quòd non intravit per Archiepiſcopum, nec licentiam ab eo petiit, nec literas ad Epiſcopum obtinuit. Et medio tempore dictus Procurator Domini Rotomagenſis accepit ſeiſinam dicti Epiſcopatûs Elyenſis tam in Spiritualibus auctoritate Domini Papæ, quàm in Temporalibus auctoritate Domini Regis Angliæ. Hoc videns Archiepiſcopus Cant. citavit quoſdam Clericos dicti Procuratoris in Eccleſiâ S. Mariæ Cantabridgiæ, ut comparerent coram ſe Lambythæ Londoniæ die juridico ſibi reſponſuri ſuper certis articulis &c. Et quòd non comparuerunt, eos denunciavit ut contumaces eſſe ſuſpenſos in Eccleſiâ Elyenſi. Poſtea miſit prædictus Procurator dicti Adminiſtratoris ad Curiam Romanam pro abſolutione habendâ pro Clericis ſuis; & obtinuit literas Abſolutionis Domino Willelmo Priori Eccleſiæ Elyenſis; qui auctoritate literarum Domini Papæ eos abſolvit. Poſtea verò cùm præfatus Archiepiſcopus Cant. conſideráſſet, quod non potuit reſiſtere poteſtati Papali neque Regiæ; conceſſit dictam Adminiſtrationem dicto Adminiſtratori in nomine Domini ſui petenti ad terminum vitæ ſuæ.

Ex illâ quidem Vacatione diutinâ, quæ continuavit per duos annos, unum quarterium & ix. ſeptimanas, perdidimus pluſquam D. marcas præter laborem. Eo tempore depoſita erant omnia vaſa argentea Prioratûs, & duæ bacinæ precioſæ deauratæ, quas contulit nobis Dominus Johannes Fordham Epiſcopus. Hæc & alia jocalia ſunt alienata, &c. Illud verò etiam non eſt prætereundum, ſed in poſterum præcavendum & dolendum; quod cum anxietate cordis refero; ſcilicet, qualiter cùm filii veræ lucis unicæque matris noſtræ Eccleſiæ & congregationis in fraternâ dilectione & concordiâ omnes fuimus radicati ſecundùm illud Eccleſiæ: * *Ecce quàm bonum & quàm jocundum habitare fratres in unum?* Noſter capitalis Inimicus, cui proprium eſt animas quieſcentium ſuâ invidiâ perturbare atque tunicam Domini inconſutilem lacerare, zizaniam diſſentionis inter Fratres ſeminavit & diviſionis; per quam gregem Dominicum nitebatur ingredi, diſpergere ac ſuperare; ſub formâ ſequenti, ut lucidiùs patefiet; videlicet anno Domini MCCCCXLIII. & Pontificatûs ejuſdem Archiepiſcopi ſupradicti anno vi. & ultimo, exorta erat magna controverſia inter quendam Magiſtrum Johannem Fabri, Vicarium generalem ipſius Archiepiſcopi noſtri, & Priorem iſtius Eccleſiæ; pro eo quòd prædictus Vicarius Generalis in abſentiâ Prioris tunc Londoniæ exiſtentis removebat quendam Fratrem Johannem Yaxham ab officio Supprioratûs; prætendendo quòd quemcunque quandocunque & ubicunque ſibi placuerit, ad libitum ſuum auctoritate Domini ſui Officiarios ſuos removere ac alios præfigere potuit abſque conſilio & aſſenſu Prioris prædicti aut aliorum Confratrum || ſuorum. Et ſic præfixit Fratrem Thomam Wellis, cum quo tenebat medietas Conventûs in quæſtione, facto & præfixione. Prior cùm audiſſet hoc fieri, tunc Londoniæ exiſtens, ad Curiam de Arcubus appellavit; obtinendo inhibitionem, ne prædictus Vicarius Generalis de prædicto officio Supprioratûs ſe ultra intromitteret. Necnon inhibuit eidem Thomæ, ne de cætero in illo officio miniſtraret; ſed ut prædictus Frater Johannes Yaxham officio Supprioratûs, ut per priùs, uteretur: Cui adhærebat quaſi altera pars Conventûs. Attamen Appellatione & Inhibitione ſupradictis non obſtantibus, uterque illorum duorum poſſeſſionem illius Officii Supprioratûs, quam habere prætendebat, quamdiu potuit, cuſtodiebat unuſquiſque ſuper alterum uſurpando. Sed ecce inauditum, nec priùs, ut puto, viſum; quod non ſine cordis dolore referre valeo. Duo præſidentes in Choro pariter ſigna percuſſerunt: ambo ſimul Capitulum tenebant. Unus delinquentes proclamavit; alter pœnitentiam impoſuit; unus aliquem punire voluit, ſed ille ei ut præſidenti obedire noluit; & è converſo. Sicque effuſa eſt contentio ſuper prin- cipes

* Pſal. cxxxii. 1.

|| Seniorum. *Cod. Cot.* 2.

cipes & religionis Rectores; in tantum quòd conturbati sunt omnes qui videbant eos sic facientes. Unde verificari potuit, quod legitur in sacrâ paginâ: † *Divisus est populus iste in duas partes*; *& media pars sequebatur Thebin*, quod interpretatur *palea* vel *bonus mihi*; ut constituerent eum Regem: *& altera pars sequebatur Amri*, quod interpretatur *Populi Magister* aut *Magisterium. Sed prævaluit qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebin*: iii. Regum, xvi. Capitulo. Continuavit autem ista divisio xxvii. septimanis. De appellationibus verò, inhibitionibus, cæterisque actibus interim factis tam per Visitationem tempore Vacationis, quàm aliis temporibus; magnum patet per processum, &c.

† iii Reg. xvi. 21.

Et sedit præfatus Archiepiscopus annis vi. & mensibus vi. & obiit in manerio suo apud Hatfeld anno Domini MCCCCXLIII. die xviii. mensis Septembris: cum quo nunquam aliquis Ecclesiæ nostræ Monachus colloquium habuit. Ubi post mortem cùm erat exenteratus, ejus intestina in Ecclesiâ de Hatfeld fuerunt humata. Cor verò ad Ecclesiam Rotomagensem ultra mare fuit delatum; & corpus ipsius cum magnâ reverentiâ & solempnitate ad Ecclesiam Cathedralem Elyensem extitit deportatum, ac honorificè sepultum inter duas columpnas marmoreas juxta altare Sanctarum Reliquiarum. Missis verò cæterisque Serviciis solempniter peractis, Executores illius contulerunt Ecclesiæ unam bonam Crucem argenteam & deauratam, cum duabus Imaginibus S. Mariæ & S. Johannis. Obtulerunt etiam summo Altari duo pallia, unam casulam, duas tunicas cum Albis & aliis ornamentis eisdem pertinentibus, & xi. capas. Et omnia ista erant de unâ sectâ, videlicet cum vitibus viridibus & oloribus aureis intexta. Ac etiam dederunt cuilibet Monacho vi. solidos, viii. denarios. Pro quibus animæ ejus propicietur Deus: Amen. Sedes vacavit ab xviii. die mensis Septembris usque xvi. diem mensis Martii.

THOMAS BOWCER, Episcopus XXV.

(*p*) Mortuo autem supradicto patre Lodewyco, successit per Postulationem, Rege consensum præbente, Magister Thomas Bowser, Wygorn. Ecclesiæ Episcopus; qui priùs erat electus, licèt tunc non obtinuit, anno Domini MCCCCXLIII. & Henrici Regis VI. anno xxii. Et per Papam Eugenium IV. de prædictâ Ecclesiâ Wygorniensi ad Ecclesiam Elyensem translatus xii. die mensis Martii; & recepit omnes pecunias Episcopatûs à termino S. Andreæ usque ad Festum Annuntiationis B. Mariæ ad valorem ccxcv. librarum, quas solvimus Domino Regi; & tamen Episcopus noluit permittere nos illas colligere aut habere nec recognitiones alleviare, in grave dampnum & dispendium Ecclesiæ nostræ. Ipse autem distulit installari per biennium, sc. usque in feriam iii. post Dominicam Passionis in tertio anno. Necnon incarceravit Tenentes feodi nostri in Ely, Brame, & Mephale, & alibi; nec voluit liberare eos Ballivo nostro per indenturam secundùm formam & ordinationem landi nostri. Ac etiam cum consilio Johannis Hay Senescalli ejus & Hausty amerciavit Dominum Priorem & alios Confratres nostros Officiarios, eos graviter affligendo. Qui sæpiùs rogatus per preces, dona ac

Arma Thomæ Bowcer sunt una Crux ingradata gules, inter quatuor water-bogets sables, in campo aureo.

(*p*) Vir nobilis Thomas Bourchier ab Ecclesiâ Wigorniensi Eliensem translatus est ab Eugenio IV. Papâ 1443. 20. Dec. & Spiritualia ab Archiepiscopo apud Lametham accepit die 28. Februarii sequentis. Sic Registrum *Stafford*. In Bullâ Provisionis Eugenius Papa asserit se Sedi Eliensi antea providisse de Ludovico Cardinali SS. Quatuor Coronatorum, istum autem ante Sedem aceptam obiisse. Ista ideo dicta arbitror, quòd Ludovicus nunquam intronizatus fuerit. Cæterum Registrum *Bourchier* Eliense translationem ejus 1444. 27. Febr. reposuit. De translatione Thomæ ad Cantuariam vide supra p. 123.

exenia

exenia ei exhibita; sed pulchra persæpe promisit; flores non fructum ab ipso collegimus tanquam ab arbore inutili. Qui etiam excepto die Installationis suæ nunquam Missam aut solempne servicium in suâ Ecclesiâ Cathedrali celebrare voluit. Ipse sedit annis x. septimanis xxiii. & diebus v. Deinde translatus est ad Ecclesiam Cant. per Papam Nicholaum V. in Festo S. Bartholomæi anno Domini MCCCCLIV. Et Sedes vacavit per xiv. dies, sc. usque ad vi. diem mensis Septembris. Postea dedit nobis c. marcas ad reparationem Campanilis nostri; quas solvit pro nobis in Decimis pro Rege. Sed post mortem dedit in recompensationem primæ electionis suæ unum Salvatorem pretii maximi, & alia.

M. WILLELMUS GRAY, Episcopus XXVI.

Fert in campo rubeo bordurato bordurâ ingradatâ argenteâ Leonem rapacem ejusdem metalli.

(q) Translato autem, ut supra dicitur, Domino Thomâ Bowser ad Ecclesiam Cantuariensem, Papa Nicholaus V. contulit Episcopatum Elyensem Magistro Willelmo Gray, Procuratori Domini Regis in Curiâ Romanâ. Cui Dominus Rex Henricus VI. dedit Temporalia Episcopatûs vi. die mensis Septembris anno regni sui xxxiii. Et installatus erat in Festo S. Cuthberti anno Domini MCCCCLVIII. feriâ tertiâ, in valde turbidâ, frigidâ in gelu & magnâ nive. Qui sedit annos xxiv. ebdomadas xi. & dies ii.

Anno Domini MCCCCLXXVII. ad Festum S. Valentini Dominus Henricus Peterborow, Prior Ecclesiæ Eliensis, cœpit esse mutus, nec poterat rectè loqui; cui nulla medicina subvenire poterat: & sic permansit usque Festum S. Laurentii, & tunc moriebatur anno Domini MCCCCLXXX. Ac etiam Dominus Willelmus Gray Episcopus Eliensis cœpit infirmari Londoniæ circa prædictum Festum S. Valentini; & post Pascha sequens venit ad Ely, & ibi in Palatio suo per certum tempus moram trahens in infirmitate, recessit ad Manerium suum in Dounham; nec poterat à suâ infirmitate liberari, sed magis cœpit ægrotare usque ad mortem. Et quia Prior non potuit sanitatem recuperare; Dominus Episcopus ex consensu Prioris prædicti ad Festum S. Johannis Baptistæ anno MCCCCLXXVIII. constituit Fr. Johannem Soham, tunc Suppriorem, coadjutorem & ministratorem omnium bonorum spiritualium & temporalium. Postea in Festo S. Annæ sequenti Henricus Prior ex consensu Episcopi resignavit Prioratum suum cum omnibus pertinentiis, per Fr. Willelmum Tylney vices suas gerentem, in manibus Domini Episcopi apud Dounham in gravi infirmitate existentis. Et Conventus obligavit se solvere annuatim prædicto Henrico xl. libras pro se, Capellano suo & omnibus suis servientibus, & dare ei cameram in Infirmariâ, & omnia bona ad corpus, lectisternia, & omnia bona & tenementa quæ emit, vel pertinebant ad se.

His factis, in Festo S. Sampsonis feriâ tertiâ recepimus licentiam ab Episcopo eligendi novum Priorem; & eodem die Missâ de Spiritu S. solenniter

(q) Willelmus Gray, S.T.D. illustri Baronum Gray de Codnor familiâ ortus, & primò apud Oxoniam in Collegio Baliolensi, dein apud Guarinum Veronensem in Italiâ literis institutus, si Baleo fides; certè Cancellarius Oxoniensis annis 1441, & 1442. Archidiaconus Richmondiæ, ac Notarius & Referendarius Apostolicus, in Episcopum Eliensem electus, ab Archiepiscopo confirmatus est 1454. 6. Sept. teste Registro *Bourchier*. Consecratum ab eodem apud Mortelak fuisse 1454. 7. Sept. assistentibus Johanne Wigorn. & Ricardo Roff. Episcopis, Registrum *Gray* Eliense refert. Diem autem 8. Sept. substituendum esse Calendarium suadet. Thesaurarius Angliæ iste constitutus 1469. 25. Octobr. ante diem 10. Julii sequentis amotus est. Hospitale S. Johannis in Eliâ, quod Monacho cuidam subesse hucusque consueverat, Monachorum incuriâ collapsum videns, Præfecturam ejus Monachis ablatam Roberto Norman Capellano suo domestico commisit anno 1458. *Ex Registro ejus.*

cele-

celebratâ in Capitulo coram Domino Edwardo Conysborow Archiepiscopo Armacano in Hiberniâ, Ricardo Robinson Archidiacono Eliensi, Magistro Talbot Officiali, &c. Tunc Fr. Johannes Soham Supprior & præsidens inter eos medio sedens surrexit; & commendatione personæ præhabitâ, nominavit Fr. Rogerum Westmenster Sacristam prædictæ Ecclesiæ; & tunc omnes Fratres simul nullo negante conclamabant ipsum Rogerum fore Priorem. Tunc Electus adductus erat ad summum altare; & datâ benedictione super eum ductus erat in cameram Sacristæ in Infirmariâ. Feriâ quartâ sequenti examinabatur in Capellâ B. Mariæ per diversa argumenta Doctorum; & post illam examinationem & confirmationem ivit in Chorum ad stallum Prioris: ubi Archidiaconus dixit, *Ego installo te*; & Officialis ait, *Pono te in stallum tuum*. Et tunc intravit Capitulum, & recepit obedientiam à singulis fratribus. In Dominicâ sequenti, i. e. in Festo S. Ethelwoldi, novus Prior pro die installationis suæ fecit grande convivium cum magnâ solempnitate multorum generosorum & aliorum.

Anno Domini MCCCCLXXVIII. quarto die mensis Augusti, i. e. die Martis, circa horam quintam post nonam obiit Dominus Willelmus Gray Episcopus Eliensis apud Dounham; & feriâ quartâ sequenti post nonam adductus erat ad Ecclesiam Cathedralem Eliensem cum omnibus ferè Presbyteris totius Insulæ & magnâ solemnitate cum torchis & equis & uno equo portante Capellam suam cum ornamentis & apparatu; & post nonam ejusdem diei dictæ sunt exequiæ in Choro solemniter pro eo. Feriâ quintâ sequenti tumulatus erat cum duabus Missis ad summum altare, primâ de S. Mariâ cum Sæcularibus Presbyteris & Clericis, secundâ verò pro Defunctis cum Priore & Conventu Monachorum. Sepultus est inter duas columpnas marmoreas ex boreali parte Ecclesiæ per feretrum S. Albani & S. Ermenildæ ad corneram Capellæ Johannis Alcock.

Iste ad reparationem magni Campanilis dedit ······· Item ad cameram Prioris unum lectum cum celere & curtenis blodii coloris. Item ad Vestiarium die tumulationis suæ pro Capellâ suâ unam bonam capam de rubro velveto pretii xxvi. librarum. Item crucem argenteam cum baculo argenteo. Item unam casulam viridem cum favonibus & stolis & albis. Item unum calicem, unam campiniliam argenteam, duo urceola argentea. Item unam bonam palmam pro capâ faciendâ de cæruleo satino. Item duo alba pallia de serico cum fesonibus auri. Item duo aulæa pro altari. Item tres equos libitinas portantes. Item decoravit caput S. Sexburgæ cum argento & auro & pretiosis lapidibus ad valorem lxxx. librarum. Item Osculatorium argenteum ad Capellam B. Mariæ.

JOHANNES MORTON, Episcopus XXVII.

(*r*) Septimo autem die mensis Augusti, i. e. die Veneris proximè sequenti diem tumulationis Episcopi defuncti, nuncius Domini Regis statim venit cum literis regiis, ut statim procederemus ad electionem, & ut eligeremus M.

Fert quaterniatim gules & ermines unum caput capræ argent.

(*r*) Johannes Morton L. D. apud Beere in Provinciâ Dorcestrensi natus, in Collegio Baliolensi Oxon. educatus, ejusdemque Academiæ anno 1446. Procancellarius, mox Scholæ Juris Civilis Principalis & Hospitii Peckwateriensis Præses, dein causarum in Curiâ Cantuariensi Advocatus, regiis denuo negotiis adhibitus, Edwardi IV. favorem fidei & prudentiæ merito summum assecutus, primò Rotulorum Custos 1473. 16. Martii ab illo renuntiatus, dein ejusdem beneficio ad Episcopatum Eliensem evectus est. Electionis & consecrationis tempora Historia Eliensis rectè posuit. Consecratum enim esse 1479. 31. Januarii Registrum Ecclesiæ Cant. confirmat. Quæ de beneficiis Ecclesiæ Eliensi ab illo præstitis Godwinus habet, ex Camdeno verbatim descripsit; quantumvis id pro more dissimulaverit. Ad Cantuariam demum Mortonus transiit 1486. 6. Octobr.

Johannem Murton, Legum Doctorem, Clericumque Rotulorum Domini Regis Edwardi IV. qui proximo die, non habitâ licentiâ Domini Regis eligendi Epiſcopum, electus erat à nobis quaſi per viam S. Spiritûs, non habito proceſſu eligendi, ſed potiùs ad inſtantiam Regis, in Feſto S. Ermenildæ, i. e. octavo die menſis Auguſti in die Sabbati, in abſentiâ quorundam Fratrum non vocatorum. Eodem die miſſi ſunt Fratres Thomas Wells Seneſchallus terrarum, & Alexander Wytleſſey Præcentor ad Dominum Regem cum literis ad præſentandam perſonam Electi, & aliis literis ad Electum, ut conſentiat electioni de ſe factæ. Dominus Electus recepit Bullas à Domino Calixto Papâ xxiv. die menſis Decembris; & Temporalia Epiſcopatûs Elyenſis à Domino Rege Edwardo iv. die menſis Januarii; ac etiam conſecratus erat à Domino Cardinali Archiepiſcopo Cant. apud Lambetham in Dominicâ ante Purificationem B. Mariæ, ſc. xxxi. die menſis Januarii. Et vacavit Epiſcopatus v. menſes.

ROBERTI

ROBERTI STEWARDE
Prioris ultimi Elienſis
Continuatio Hiſtoriæ Elienſis
Ab anno MCCCCLXXXVI. ad annum MDLIV.

JOHANNES ALCOCKE, Epiſcopus XXVIII.

(ſ) JOhanne Morton ad Archiepiſcopatum Cant. tranſlato, ſucceſſit in Epiſcopatu Elienſi Dominus Johannes Alcock anno Henrici VII. Regis ſecundo. Vir fuit bonis omnibus amabilis. Decoravit omnia penè Maneria ſua novis ædificiis. A fundamentis extruxit novam Aulam Palatii ſui de Ely cum galleriâ ibidem. Quod ſibi ſupererat, in hoſpitalitatem conſumpſit. Fecit novum Collegium Cantabrigiæ, quod nominatur Collegium nominis Jeſu. Obiit primo die Octobris anno Domini MD. Henrici ſeptimi xvi. die Mercurii, & corpus ſepultum eſt in Capellâ quam ipſe faciebat juxta tumulum S. Ermenildæ; quia ipſe Johannes fecit illam Capellam; & emebat tabulam ſuper altare, & duas hoſtias; & emit terras ad inveniendum Sacerdotem celebrantem in illâ Capellâ; & habebit pro celebratione ſeptimanatim xii. denarios. Item dedit nobis c. marcas de manumiſſione Hunſton naturaliter ſervilis ad reparationem Eccleſiæ.

Fert mitram inter tria caprarum capita.

RICHARDUS REDMAN, Epiſcopus XXIX.

(t) Huic ſucceſſit Richardus Redman xxvi. die Septembris, anno Henrici ſeptimi xvii. Sepultus eſt inter duas columnas prope ſummum altare verſùs Boream.

Arma ſunt tria pulvinaria.

(ſ) Dum Epiſcopatu Elienſi fungeretur, ſummus Angliæ Cancellarius iterum creatus eſt 1486. 6. Martii: idque munus ſeſquianno adminiſtravit. Obiit apud Wisbech.

(t) Quiſnam ante acceptum Epiſcopatum Elienſem Redmanus fuerit, quære inter Epiſcopos Aſaphenſes. *Sedit annos* 4. *completos honorificè:* inquit Liber alius Elienſis. Quamvis itaque 1501. 26. Sept. inſtallatus fuerit; ante menſem ſaltem electus & confirmatus videtur. Obiit enim 1505. menſe Auguſto, fide Regiſtri Warham; quod Spiritualia ab Archiepiſcopo poſt mortem ejus in poteſtatem ſuam redacta 1505. 25. Aug. refert. Apud Londinum obiiſſe videtur; quòd Spiritualia Archiepiſcopus tam cito invaſerit. Mors enim ipſius in Dioceſi ſuâ non ante biduum vel triduum audita eſt, quod mihi ex Regiſtro Elienſi conſtat. Monachi autem Cantuarienſes die 1. Nov. Præmonſtratrenſes die 28. Febr. defuncti memoriam in anniverſariis ſuis celebrârunt. Inſignia ejus Gentilitia à Roberto prætermiſſa ex Eccleſiæ Aſſavenſis parietibus accepimus.

JACOBUS STANLEY, Episcopus XXX.

Fert quaterniatim duos Leones rapaces & sex rhombos.

|| Richardo Redman successit Jacobus Stanley, frater Comitis de Derbye. Is rarò aut nunquam apud Ely hospitavit, sed apud Somersham per totam æstatem, ubi luxuriosè cum quadam fœminâ victitabat. Adveniente verò hieme discessit in Comitatum Darbiæ, ubi hibernabat. Erat iste Jacobus armis quàm libris peritior. Sepultus est apud Manchester.

NICHOLAUS WEST, Episcopus XXXI.

Fert unum cheveron inter tres rosas.

(*u*) Jacobo Stanley successit Nicholaus West, Legum Doctor, ac Capellanus Dominæ Reginæ Katerinæ consortis Regis Henrici Octavi. Natus fuit hic ex humili stirpe apud Putney juxta Fulham Londoniensis Dioceseos, cui erat pater Johannes West pistor; ut ex Testamento dicti Episcopi colligi potest. Ædificavit Capellam sumptuosam apud Elye. In magno honore tam in Episcopatu quàm alibi diu vixit. Tandem ob nimiam suam indulgentiam in causâ Divortii dictæ Dominæ Reginæ, & minùs officiosam incuriam, Dominus Rex Henricus VIII. in ipsum graviter animadvertit. Cujus iracundiam non ferens dictus Episcopus, in morbum dilapsus est; ex quo, adjuvante dolore quodam antiquo, nempe fistulâ in ano & podagrâ, citò pòst obiit, videlicet vi. die Aprilis anno regni Regis Henrici Octavi xxiv. Sepultus est in Capellâ, quam ipse fecit.

THOMAS GOODERICK, Episcopus XXXII.

(*x*) Cui successit Thomas Gooderick, factus Episcopus xxi. die Aprilis anno Henrici Octavi xxv. vir generosus, Juris Civilis Professor, ac Domini Regis Henrici VIII. Capellanus. Vir erat justus, mansuetus, hospitalis,

---

|| Jacobus Stanley, filius natu sextus Thomæ Stanley Comitis Derbiæ anno 1485. creati, 1503. 20. Maii defuncti; S. Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, Decanus S. Martini London. & Collegii Mancestrensis Custos, Archidiaconus Richmondiæ 1500. 5. Decembr. admissus, ad Episcopatum Eliensem anno 1506. provectus, Temporalia à Rege accepit paulò pòst 1506. 19. Junii. Ædes Somershamenses novis ædificiis adauxit; neque aliud memoriâ dignum gessit. Spiritualia Episcopatûs post mortem ejus in Archiepiscopi manus accepta sunt 1515. 24. Martii. Wintoniæ sepultum esse tradit Tho. Milles in *Catal. honor. p.* 886.

(*u*) Nicolaus West, Decanus Windesoriensis, ex Collegio Regali apud Cantabrigiam prodiit. Consecratus est apud Lametham à Willelmo Archiepiscopo 1515. 7. Octobr. In Galliam à Rege legatus, Tornacum urbem Galliæ Regi tradidit 1519. 10. Febr. Obiit 1533. 28. April. *Ex Registro Warham, Stoi Chronico, & Registro Cranmer.*

(*x*) Westo successor à Rege designatus est Nicolaus Hawkins, nepos illius & Archidiaconus Eliensis; qui legationem pro regiis negotiis extra regnum tunc obiit. Verùm is dysenteriâ extinctus ante Episcopatum acceptum obiit. Sedem itaque Eliensem integro ferè anno vacantem dono regio accepit Thomas Goodric L. D. electus 1534. 17. Martii, ab Archiepiscopo apud Croidon confirmatus die 13. April. ab eodem in Capellâ de Croidon consecratus 1534. 19. April. in Ecclesiâ suâ installatus die 2. Maii. Reformationi Ecclesiæ Anglicanæ suo tempore inchoatæ operam seriò adjecit. Quo nomine Edwardo VI. Regi gratissimus, Angliæ Cancellarius ab ipso creatus est 1551. 22. Dec. æstate superiori in Galliam legatus. Cancellariatu amotus est Mariâ Reginâ regnum auspicante; Episcopatum tamen usque ad obitum retinuit. Obiit 1554. 10. (seu juxta alios 9.) Maii, in meditullio Chori Eliensis sepultus. Suffraganeum accepit Willelmum More L. B. titulo Episcopi Colcestrensis in Cœnobio Dominicanorum Londini consecratum 1536 20. Octobr. *Ex Registris Cranmer & Goodric, & Stoi Chronico.*

misericors,

misericors, amans omnes & ab omnibus amatus. Legatus erat in Franciam missus; per Edwardum Regem Cancellarius Angliæ erat constitutus. Demum Rege Edwardo mortuo, ac Mariâ Reginâ regnante, omnibus sursum & deorsum quasi euntibus, Dominus Episcopus hujusmodi innovationes ex animo abhorrens, cœpit languere apud Manerium suum de Somersham; ac dolore calculi graviter eum infestante, ibidem obiit.

Juramentum Episcopi qui installatur.

Jurabitis secundùm formam & vim præsentis Cartæ Regiæ; quòd solvi facietis implementa vel eorum pretia in prædictâ Cartâ regiâ contenta Successori vestro Episcopo Eliensi. Ac etiam orari facietis in Missis, & similiter in pauperibus distribui, pro salute animæ Edwardi III. Regis Angliæ. Cæteraque omnia in eâdem Cartâ contenta observari fideliter facietis; secundùm quod ipsius Cartæ effectus & vigor exigunt & requirunt.

Promittimus.

RICAR-

RICARDI
Monachi Elienſis
HISTORIA
De converſione Abbatiæ Elienſis in Epiſcopatum.

Hiſtoria converſionis Abbatiæ Elienſis in Epiſcopatum.

(*a*) Incipit Liber tertius in Hiſtoriâ Elyenſis Inſulæ, conſtans de duorum temporibus Epiſcoporum, quid plus vel minus utile geſſerunt plenè inſinuans.

(*a*) Ea erat ſequentium ſæculorum in Angliâ religio; ut nil in rebus eccleſiaſticis gravioris momenti ritè factum putarent, quod Papâ inconſulto fieret. Hac perſuaſione moti Monachi Elienſes poſt Hervei tempora, Epiſcopatum Elienſem ſine Pontificis Romani authoritate fundatum eſſe perhibere noluerunt. Pulcram itaque Hiſtoriam & diplomata regia ac Pontificia confinxerunt tum in Hiſtoriâ Elienſi ſupra poſitâ, tum in hoc præcipuè fragmento; quamvis & illam & iſtud ab uno eodemque Authore profecta eſſe mihi ſit compertum. Falſa hæc eſſe conſtabunt; ſi cum veriſſimâ Eadmeri, qui rebus agendis interfuit, relatione conferantur. Narrat is (Hiſt. Nov. l. 4. p. 95.) rem primò agitatam fuiſſe in Concilio Londinenſi anno 1108. poſt Pentecoſten habito. *His diebus ſermo habitus eſt de parochiâ Epiſcopi Lincolnienſis, quæ in nimium tendebatur, eóque proceſſit, ut quùm ratio Chriſtianitatis id utile fore ſuadebat, Regi & Archiepiſcopo cæteriſque Principibus regni viſum fuerit, de ipſâ Parochiâ ſumendum, quo fieret alter Epiſcopatus, cujus cathedræ principatus poneretur in Abbatiâ de Heli. Sed Anſelmus, quem ipſius negotii ſumma reſpiciebat, ſciens præter conſenſum & Romani Pontificis authoritatem novum Epiſcopatum nuſquam ritè inſtitui poſſe, ſcripſit ei ſic.* Extat ibidem epiſtola ad Papam ſcripta, conſilii de Epiſcopatu Elienſi fundando initi confirmationem petens. Neutiquam tamen Paſchalis ſuperſtite Anſelmo rem ratam habuit. Quapropter eam perfici Anſelmus non permiſit. Illo demum anno 1109. menſe Maio è vivis ſublato, Sedes Epiſcopalis apud Eliam poſita eſt, & Herveus eidem præfectus. Sic enim Eadmerus habet p. 104. *Inter hæc* (poſt medium annum 1109.) *Herveus Epiſcopus Pangornenſis ab Eccleſiâ ſuâ, quam olim dimiſerat, penitus tranſlatus eſt, & novo Epiſcopatu, quem Rex & Principes dudum in Heli ſtatuendum, juxta mentionem inde ſuperiùs factam, decreverant, intronizatus. Quod quidem ut adipiſci mereretur, multâ prece, multis multarum rerum promiſſionibus, multorum quoque officiorum exhibitionibus, vix poſt obitum Anſelmi obtinere potis fuit.* Nulla de Papali confirmatione mentio; quin potius contrarium Eadmerus innuit, idem ſc. obſtaculum legitimum, Papalis licentiæ defectum, adhuc interceſſiſſe. Atque ipſe adeò Paſchalis Papa in epiſtolâ ad Regem & Epiſcopos Angliæ anno 1115. ſcriptâ conqueritur poteſtatis Papalis in Eccleſiâ Anglicanâ nullam ferè haberi rationem; quinimo *Vos inconſultis nobis etiam Epiſcoporum negotia definitis. ——Vos præter auctoritatem noſtram Epiſcoporum quoq; mutationes præſumitis; quod ſine Romanæ Sedis auctoritate ac licentiâ fieri novimus omnino prohibitum.* [ibidem p.115.] Certè ſi licentia Papalis interceſſerit; iſta nihilominus Hiſtoria falſa eſſe deprehendetur. Rem enim confectam & Herveum Sede Elienſi donatum anno 1108. refert; cùm ex Eadmero conſtet rem poſt Anſelmi demum obitum anno 1109. exitum ſortitam eſſe. Porrò tempora in diplomate regio poſita malè conveniunt. Annus enim Regis Henrici decimus incœpit 1109. 2. Aug. Neque dici poteſt annum 1109. pro 1108. in diplomate ſubſtituendum eſſe. Annus enim Paſchalis Papæ decimus deſiit 1109. 14. Aug. His adde clariſſimi Seldeni argumenta (in Spicilegio ad Eadmerum p. 212.) diverſitatem ſtyli à charactere forenſi, qui eo ævo in uſu erat; & Anſelmi, qui nondum obierat, memoriam celebratam; & Ducum vocabulum Anglis eo ſæculo incognitum; &

nuans. Quomodo post mortem Ricardi Abbatis Episcopus Pangornensis Herveus de suâ Sede ejectus, ab Henrico Rege dirigitur in Ely, ut inde Procurationem haberet; qui Fratrum animos blanditiis & circumlocutionibus sibi allexit, ut ipsam Ecclesiam de Abbatiâ in Episcopatum mutarent, & ipsum susciperent in Episcopum. Ad quod confirmandum eisdem Monachis ignorantibus Romæ destinatur à Rege.

POST mortem igitur Ricardi Abbatis mittitur à Rege ad Elyense Cœnobium Herveus Pangornensis Episcopus, à suo Episcopatu per violentiam ejectus; ut ibi de rebus Ecclesiæ ad tempus sustentaretur, donec Rex pleniùs deliberâsset quid de eo esset facturus. Est autem Pangor Monasterium in Walliis, tot habitatoribus plenum; ut sicut Beda refert, si in septem partes divideretur, non minus quæque portio quàm trecentos homines haberet. Hîc cùm Episcopatu fungeretur Herveus, gentem efferam nimiâ austeritate tractabat; videns tantam in moribus eorum perversitatem, quam nemo facilè posset tolerare. Unde quòd Episcopali timori nullam servabant reverentiam, gladium bis acutum ad eos domandos exercuit; nunc crebro anathemate, nunc propinquorum & aliorum hominum eos coercens multitudine. Nec minor fuit eorum contra eum rebellio. Tanto periculo ei insistebant; ut fratrem ejus perimerent; simili modo eum puniturì, si possent in eum manus injicere. Expavit Episcopus ingruens infortunium; plurimisque suorum interfectis aut graviter vulneratis, videns quòd anima sua quæreretur, ut congruos haberet defensores, ad Regis Angliæ confugit patrocinium, utile sibi consecutus exilium. Rex autem ejus adventum ut famosi tunc temporis & religiosi Episcopi benignè suscipiens, ad Eliensem Ecclesiam destinatum, procurationem inde accipere eum constituit. Ipse verò illuc veniens, gratiâ, conversatione ac mirabili prudentiâ omnium penè Monachorum sibi alligavit affectum; ut si fieri posset, eum sibi Episcopum adoptarent, [*&c. prout supra in Historiâ Eliensi p. 616. usque ad*] ——— quales optabat reportans. Quarum textum hîc subscribi nec otiosum est nec onerosum.

Quòd Herveus à Domino Papâ mandatum obtinuit ad Regem Henricum de promovendo Abbatiam de Ely in Episcopatum, & de constituendo eum illic in Episcopum.

‘ Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Hen-
‘ rico glorioso Regi Anglorum salutem & apostolicam benedictionem. Om-
‘ nipotenti Deo gratias agimus, qui talem te Regem nostris temporibus con-
‘ stituit; qui & terrenum regnum sapienter ad honorem Dei gubernas, &
‘ æterni Regis sollicitudinem ante oculos mentis portas. Postulâsti siquidem
‘ à nobis per literas; ut in loco qui Ely dicitur, novus ex Apostolicâ aucto-
‘ ritate Episcopatus constituatur: quia Lincolniensem Episcopatum tantæ
‘ magnitudinis esse dixisti; ut ad peragenda ea quæ Episcopalis sunt officii,
‘ unus Episcopus nullatenus sufficere possit. Pro quo & devotionem tuæ vo-

& spurium esse diploma luculenter constabit. Episcopatum igitur Eliensem, inconsulto Pontifice Romano, Rex & Episcopi Angliæ autoritate suâ constituerunt. Veram constituti rationem Petrus Blesensis exhibet in Continuatione Ingulphi p. 117. *Ricardo ultimo Eliensi Abbate defuncto, Rex Henricus, ut erat ingenii sagacissimi, cernens Insulam Eliensem locum periculosissimum, si qua seditio in regno oriretur, tam pro Monasterii maximis divitiis, quàm pro loci multâ naturali munitione, studuit quantum sibi licuit, tam locum quàm possessiones ejus dividere, & suis usibus res ecclesiasticas à Monasteriali simplicitate immutatas propiores sub sede Episcopii applicare.*

‘ luntatis

'luntatis laudamus, & dispositioni assensum præbemus; ita tamen ut in celebri loco constituatur; ne nomen Episcopi, quod absit, vilescat. Ad hoc enim Episcopus constituitur; ut populum Dei & verbis doceat, & vitâ informet, & ad verum pastorem Domini commissarum sibi animarum lucra reportet. In his quoque, de quibus rogâsti, licèt quædam ibi inordinata videantur; tuæ tamen voluntati refragari nequaquam valemus. Novit præterea gloria vestra Dompnum Herveum Episcopum, quem vita & scientia commendat non modica, nimiâ Barbarorum ferociâ & persecutione de Sede suâ expulsum, & multâ fidelium fratrumque suorum cæde fuisse fugatum. Cujus ut scientia fructum qui non perit afferre, & vita bonum valeat Dei populo exemplum præbere; volumus & rogamus, ut siqua eum apud vos vacans Ecclesia vocaverit, ibi auctoritate Apostolicâ constituatur; ne infructuoso diu silentio torpeat, qui vitæ cœlestis documenta in scientiâ & moribus portat. Omnipotens Deus Apostolorum suorum precibus & vos & prolem vestram custodiat, & cœleste post terrenum vobis regnum concedat. Dat. xi. Cal. Decembris.

Alias quoque literas misit Papa eidem Regi, quarum hic textus est. Quòd auctoritate Apostolicâ Episcopatus in Ely constituitur.

'Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili fratri Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo & cæteris comprovincialibus Episcopis salutem & Apostolicam benedictionem. Inter cætera regna terrarum ad Apostolicæ Sedis dilectionem atque obedientiam Anglorum regnum specialiter pertinere *Apostolicæ* Sedis scripta & Anglicarum Historiarum series manifestabant. Quæ nimirum causa sollicitudinem nostram propensiùs impellit illius Regni Ecclesias familiariùs confovere, & earum dispositionibus sollicitiùs invigilare. Lincolniensem itaque Episcopatum tam spatiosum ex filii nostri Regis vestrisque literis agnovimus; ut ad ea, quæ Episcopalis sunt officii, peragenda unus nullatenus sufficere possit Episcopus. Quapropter ex voluntate Lincolniensis Episcopi postulat à nobis idem carissimus filius noster & Christianissimus Rex Anglorum Henricus; quatinus in parte unâ Episcopatûs ipsius ex Apostolicæ Sedis permissione novus Episcopatus constituatur, in loco videlicet qui Ely vocatur. Cujus nos petitionibus, quòd religiosæ videbantur, assensum libenter præbuimus; & Episcopatum in loco præfato constituendi ex Apostolicâ authoritate licentiam damus; statuentes ut Sedes Episcopalis in loco prædicto constituta omni deinceps tempore perseveret: Parochiam quoque, quam vestra fraternitas cum prædicto fratre Lincolniensi Episcopo & Regis providentiâ eidem Episcopatui assignaverit, perpetuò possideat. Porrò de Monasterio, in quo Sedes Episcopalis constituitur, Anglicorum Monasteriorum, in quibus Episcopi sunt constituti, consuetudo servabitur. Hujus Constitutionis conservatores omnipotentis Dei & Apostolorum suorum benedictione perpetuò perfruantur. Amen.

His suæ confirmationis Herveus susceptis Epistolis, Angliam cum Apostolicâ benedictione properavit, Regem & Archiepiscopum adiit, literas eis ostendit, assensum eorum obtinuit; & in sequenti anno totum negotium consummavit; anno videlicet Dominicæ Incarnationis MCVIII. Pontificatûs autem Domini Paschalis II. Papæ anno x. Quo etiam anno Rex Henricus Abbatiam Eliensem ad Episcopalem mutavit Sedem; & eundem Herveum Pangornensem Episcopum eidem Ecclesiæ præfecit, confirmans eum sequentibus Cartis.

Carta

Carta Regis Henrici, quomodo Abbatiam de Ely in Episcopatum transmutavit.

'In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritûs Sancti, 'Anno ab Incarnatione Domini MCVIII. Indictione .... anno verò Pontificatûs Domini Paschalis II. Papæ x. & regni quoque mei similiter x. Ego 'Henricus providente divinâ clementiâ Rex Anglorum & Normannorum 'Dux, Willelmi Magni Regis filius, qui Edwardo Regi hæreditario jure 'successit in regnum; videns & Ecclesiæ messem in regno meo multam esse, & 'agricolas quidem paucos & ob hoc plurimùm laborantes in messe, & in ipsâ 'Lincolniensem Ecclesiam multâ plebe fœcundam; ex auctoritate & consilio 'prædicti Papæ Paschalis & assensu simul & prece Roberti Lincolniensis Episcopi, qui tunc Ecclesiæ prædictæ præsidebat, & totius Capituli sui, cum ipso annuente Domino Anselmo beatæ memoriæ Cantuariensi Archiepiscopo '& Thomâ II. venerabili Eboracensium Archiepiscopo, & universis Episcopis & Abbatibus totius Angliæ, sed & omnibus Ducibus, Comitibus & Principibus regni mei; Elyense Monasterium, in quo quidem usque in tempora mea Abbates fuerant, cum Cantebregensi Provinciâ, quantum videlicet 'ad jus Lincolniensis Ecclesiæ pertinebat, cum duabus Abbatiis Thorneiâ videlicet & Chaterich, in Episcopalem Sedem, sicut & cæteros Episcopatus 'regni mei, liberam & absolutam perhenniter statuo & confirmo. Et pro 'subjectione & omnibus Episcopalibus consuetudinibus ad supradictam Lincolniensem Ecclesiam pertinentibus absolvendum, consilio & assensu prædicti Papæ Paschalis, de beneficiis ejusdem Monasterii Villam nomine 'Spaldewic cum omnibus appendiciis suis, quæ in territorio Huntendonæ 'sita est, cum omnibus consuetudinibus ad villam prædictam pertinentibus, 'supradictæ Lincolniensi Ecclesiæ & Roberto ejusdem Sedis Episcopo & successoribus suis, sicut eam unquam Elyense Monasterium liberiùs & quietiùs 'tenuit, jure perpetuo tradidi possidenda. Primùm siquidem Londoniis apud Westmonasterium in solemnitate Pentecostes de negotio isto in præsentiâ meâ coram fœlicis memoriæ Anselmo Archiepiscopo & universis Episcopis & Abbatibus & Proceribus regni mei tractatum est; & eorum omnium 'communis assensus est favorabiliter consecutus. Post mortem prædicti Pontificis Anselmi ex auctoritate Domini Papæ Paschalis, sicut jam supra dictum 'est, in Concilio apud Castrum Notingham habito in die Translationis B. 'Etheldredæ Virginis, Sedis ejusdem fœliciter per misericordiam Dei terminatum est & definitum [negotium] xi. Kalend. Novembris.

Qualiter Herveus Episcopus Ecclesiam suam de Ely & res ipsius ab injustâ oppressione eripuit.

Confirmatus ergo in Episcopatu Herveus, studiis omnibus res Ecclesiæ suæ augere curavit, &c. *prout supra in Historiâ Eliensi, pag. 616.*

THOMÆ

Monachi Elienſis

Fragmentum de dignitate Abbatis Elienſis.

[Ex Thomæ Monachi Elienſis parte ſecundâ Hiſtoriæ Elienſis MS. in Bibliothecâ Cottonianâ *Titus A.* 1. *fol.* 19.]

Quòd Eccleſia de Ely locum adminiſtrandi in Regis Curiâ ex conſuetudine obtinet.

ADjecit itaque glorioſus Rex [Ethelredus] gloriâ & honore Elyenſem donare Eccleſiam, ſicut pollicitus fuerat, quando eum illuc cum matre & nobilibus regni S. Ethelwoldus adduxerat tempore fratris ſui Edwardi Regis; ubi coram multitudine plebis ad ſepulchrum beatæ Virginis, cui affectu & multâ devotione deditus erat, ſe ſervum deinceps *illius* fore ſpoſpondit. Qui poſtea ſuſcepto regno, alterius Regis ſe intelligens eſſe mancipium, ſui Regis præcepta regaliter obſervabat; & ſponſam ejus Eccleſiam tanquam matrem ſuam donis & obſequiis ſullimabat & privilegiorum fune ſubligabat. Sicque ſuam conſummans propoſitum, æternam ſibi propagavit memoriam; ut & finis eſſet ſine fine, & ad eum qui fine caret finem perveniret. Hinc igitur pius oculus ſuum ad ſequentia transferat aſpectum; & digno intuitu rerum magis quàm verborum perſcrutans ſeriem, jocundi Regi per hoc diſpoſitiſſimam illius benevolentiam congaudeat. Statuit verò atque conceſſit; quatenus Eccleſia de Ely ex tunc & ſemper [in] Regis Curiâ Cancellarii ageret dignitatem; quod etiam aliis, S. Auguſtini videlicet & Gleſtoniæ, Eccleſiis conſtituit: ut Abbates iſtorum Cœnobiorum viciſſim aſſignatis ſuccedendo temporibus annum trifariè dividerent, cum Sanctuariis & cæteris ornatibus altaris miniſtrando. Abbas quoque Elienſis Cœnobii ſemper in die Purificationis S. Mariæ ad miniſtratorium opus procedebat in ipſo Februarii menſis initio; & ſic ipſe Abbas, vel quem de Fratribus deſtinaret, quantum temporis ei ſuppletebat, per iv. menſes tertiam videlicet anni partem cum ſummâ diligentiâ illic officium reverenter ſupplevit. Dein alii, quos diximus, reſiduum anni per aſſignata ſibi tempora explicabant. Hoc autem conſuetudinis ab ipſo renovationis ſuæ tempore apud Eccleſiam ad magnam loci provectionem & libertatem fuiſſe memoratur; nec ab aliunde impeti aut ſubjici patiebatur; donec Anglia ſub Normannorum jugo miſerè depreſſa ex omni priſtino ſpoliatur honore. Unde Elienſis Eccleſia quondam famoſiſſima, inter filias Jeruſalem ſpecioſa quæ fuerat, miſera calamitatis nunc oppreſſa amaritudine, & princeps provinciarum facta eſt ſub tributo.

SUC-

SUCCESSIO PRIORUM Ecclesiæ Eliensis.

POst Ricardi Abbatis ultimi Eliensis obitum anno 1107. Herveus Episcopus Bangorensis Abbatiam biennio administravit. Anno 1109. Abbatiâ in Episcopatum conversâ, Abbatis potestas in Episcopum translata, & ab isto Monachorum præfectura Priori commissa est. Priorum Eliensium nomina atque ordinem Robertus Stewarde indiculo ad calcem Historiæ Eliensis contexto exhibuit. Cætera aliunde hausimus.

Vincentius Priorum Eliensium primus fuit. Obiit ante Herveum Episcopum.

Henricus successit, Herveo Episcopatum adhuc tenente. Obiisse videtur inter annos 1131, & 1133.

Willelmus Prioratum Nigelli Episcopi dono obtinuit anno 1133. haud diu post à rerum Ecclesiæ suæ exteriorum administratione injuriâ depulsus. Rem narrat Ricardus in Vitâ fusiore Nigelli hisce verbis. *Agebat tunc temporis in Prioratu Eliensis Ecclesiæ venerabilis Monachus Willelmus; quem in primo anno Episcopatûs idem Episcopus Priorem constituerat, quoniam in ecclesiastico regimine & Monasticâ probatus conversatione, intus & foris utilis & fidelis Domino suo & Fratribus probabiliter extiterat. Hunc ergo talem timens ille funestus Radulfus* (cui Episcopus Episcopatum admistrandum commiserat) *se in Domini sui gratiâ prævenire, rerum exteriorum gubernatione malefico privavit artificio; assumens in rebus Fratrum tirannidem, nec Deum timens, nec Sanctos honorans, quorum obsequio Fratres illi erant ascripti.* Radulfo post biennium fugiente, Willelmus in integrum restitutus est.

Tombertus, sæpiùs *Combertus* dictus, præfuit annos inter 1144, & 1154.

Alexander successit ante annum 1154. & obiit ante annum 1169. Registr. Eli.

Solomon, priùs Ecclesiæ Præcentor, Romam à Conventu annos inter 1149, & 1154. legatus, successit tempore Nigelli Episcopi; & Abbas Thorneiensis anno 1177. creatus est, authore Johanne Abbate Petriburg. in Chronico suo. Id.

Ricardus, loci Supprior, Prioratum accepit anno 1177. vir pro sæculi captu non ineruditus. Scripsit Historiam Eliensem & alia à Baleo memorata *Cent.* 3. *cap.* 82. Eliensem Historiam nos supra edidimus, ab alio quodam Monacho Eliensi non malè defloratam, resectis declamationibus & miraculorum narrationibus. Historicum nostrum Prioratu Eliensi auctum fuisse habemus ex Baleo; qui id à Lelando pro more hausisse videtur. Quòd autem Baleus eundem anno 1220. claruisse scribit, falsum esse luculenter constat. Ricardus enim Prior Roberto successori locum cesserat ante annum 1196. neque alius unquam Ricardus Prioratum Eliensem gessit.

Robertus de Longo-campo, Anglicè *Longfeild*, Willelmi Eliensis Episcopi frater, dono fraterno Prioratum sortitus est post annum 1189. Post fratris obitum ad Abbatiam S. Mariæ Eboracensem electus est 1197. 17. Martii, ab Hu-

 berto

berto Archiepiſcopo apud Colceſtriam benedictus die 23. ejuſdem menſis; teſte Dicetenſi in *Imag. Hiſt. p. 696.* Nota tamen antiqua, ad marginem Hiſtoriæ Elienſis addita, refert illum vivente fratre ſuo electum fuiſſe in Abbatem Ebor. & poſt deceſſum fratris ad Abbatiam eandem tranſlatum eſſe.

Johannes de Stratfeld, alibi *Straget* dictus, Euſtachii Epiſcopi electionem ab Huberto Archiepiſcopo confirmari apud Weſtmonaſterium 1198. 1. Martii præſens poſtulavit. Obiit ante annum 1215.

Hugo ſucceſſit tempore Euſtachii Epiſcopi.

Rogerus, electus tempore Johannis Epiſcopi, ſuperfuit Galfrido Epiſcopo.

Galfridus Brigham ſucceſſit poſt annum 1229. obiit ante annum 1254.

Obituar. Eli. & Reg. Eli. *Walterus* ſucceſſit, Hugone Norwold Epiſcopatum tenente. Obiit die 13. Maii, poſt annum 1254.

Id. *Robertus de Leverington* Prioratum proximus obtinuit; & poſt annum 1258. obiit die 12. Septembr.

Regiſtr. Eli. *Henricus Banns* ſucceſſit. Hunc anno 1272. Prioratum tenuiſſe, & ante exitum anni 1273. obiiſſe, mihi compertum eſt.

Obit. Eli. *Johannes de Hemingſton* electus eſt anno 1273. præfuit anno 1286. obiit die 9. Novembr. Iſte dedit Conventui 40. ſolidos ad celebrandum ſuum Anniverſarium.

Reg. Eli. *Johannes de Shepred* ſive *Scheperede* ſucceſſit tempore Johannis Kirkby Epiſcopi, atque ipſi defuncto ſuperfuit.

Reg. Winchelſe. *Johannes Saleman* ſive Salmon, ad Epiſcopatum Norwicenſem proviſus eſt à Bonifacio Papâ 1299. 15. Julii.

Hiſt. Eli. *Robertus de Orford*, ad Epiſcopatum Elienſem electus eſt 1302. 14. *April.*

Willelmus de Clare ſucceſſit, & breviſſimo tempore ſuperfuit.

Hiſt. Eli. *Johannes de Freſyngfelde* Prior erat ſub initum anni 1310. Reſignavit 1320. 16. Febr. poſtquam Prioratum 18. ferè annis adminiſtrâſſet.

Id. *Johannes de Crandene* ſucceſſit anno 1320. Obiit 1341. 25. Sept.

Id. *Alanus de Walſingham* ex Sacriſtâ loci Prior electus 1341. 25. Octobr. ab Epiſcopo confirmatus eſt die 19. Novembr. Superfuit anno 1345. Hunc ob artis aurifabrilis peritiam Walſinghamus laudat in anno 1314.

Epitaphium tumulo illius inſcriptum ſequitur.

Flos operatorum, dum vixit, corpore ſanus,
Hic jacet ante Chorum Prior hic tumulatus Alanus.
Annis bis denis vivens fuit ipſe Sacriſta,
Plus tribus his plenis Prior ens perfecit & iſta.
Sacriſtariam quaſi funditus ædificavit;
Mephale, Brame etiam, huic Eccleſiæ cumulavit.
Pro veteri turre, quæ quadam nocte cadebat,
Hanc turrim, propriè quam cernitis, hic faciebat.
Et plures ædes quia fecerat ipſe Prioris;
Detur ei ſedes cœlo pro fine laboris.

Johannes Bucton ſucceſſit.

Reg. Arundell. *Willelmus Walpole*, Prioratum ſponte reſignavit anno 1401.

Id. & Reg. Elien. *Willelmus Powcher*, priùs Abbas de Walden, inſtallatus eſt in Prioratu Elienſi 1401. 21. Octobr. Aulam Infirmariæ Monachorum conſtruxit anno 1417.
Reg. Eli. eodemque anno vetuſtam inter Epiſcopum & Monachos Elienſes litem de juriſdictione eccleſiaſticâ aliiſque articulis compoſitione factâ terminavit. Inter alia convenit, ut Sacriſta Elienſis in perpetuum haberet juriſdictionem eccleſiaſticam in Hoſpitali S. Johannis Bapt. & in Capellanos Cantariæ ſuper le Grene in civitate Elienſi, tanquam Vicarius Epiſcopi, item in duabus Eccleſiis parochialibus infra civitatem Elienſem, officio Sacriſtariæ olim appropriatis,

priatis, item in maneriis Ecclesiæ Eliensis juxta Eliam, viz. Tyrbitsey, Brame, Stunteney, Thorney, Northney, Quaveney & Shepey, exceptis duntaxat hæreseos causis.

Edmundus Walsingham illi successit.

Petrus de Ely, in Episcopum electus sub finem anni 1425. per provisionem Papalem Philippo Morgan factam ab Episcopatu excidit. Hist. Eli.

Willelmus Wells Prioratum proximo loco obtinuit. Præfuit anno 1438. Id.

Henricus Peterborough Prioratum abdicavit 1478. 26. Julii, obiit 1480. 10. Augusti. Id.

Rogerus Westminster ex Sacristâ Prior electus est 1478. 28. Julii, die sequenti installatus. Id.

Robertus Colvile successit. Ipso Prioratum tenente Ecclesia Eliensis (utrâque Sede vacante) à Capitulo Cantuariensi visitata est 1500. 30. Octobr. Reg. Cant.

Willelmus Witlesey præfuit anno 1515. quo Ecclesia Eliensis à Willelmo Warham Archiepiscopo Cant. visitata est. Reg. Warham.

Johannes Cotingham successit, ante annum 1522. defunctus.

Robertus Wellys, aliàs *Stewarde*, Priorum ultimus fuit. Primum nomen, quod à loco natali traxisse videtur, usque ad Monasterium Eliense eversum usurpavit; prout in multis apud Registrum *Cranmer* instrumentis comparet. Anno 1536. unâ cum Willelmo More ad Episcopatum Suffraganeum Colcestrensem capessendum ab Episcopo Eliensi præsentatus est Regi. Rex autem Morum maluit. Anno circiter 1539. consilio de Monasteriis ubivis per Angliam evertendis inito, ipse Monasterium Eliense Regi libenter transcripsit; aliosque Abbates & Priores, ut idem facerent, impigris precibus & argumentis impulit. Canonicis itaque Sæcularibus in Ecclesiam Eliensem Monachorum loco brevi post introductis, ipse primus illorum Decanus à Rege constitutus est. Decanatum adeptus, nomen gentilitium *Stewarde* homo ventosus deinceps adhibuit; & nobilitatis suæ opinione inflatus, familiæ suæ genealogiam scriptis commendavit. Hanc subjicere æquum duxi; ne Robertus, cui ob restitutam Historiam Eliensem plurimum debemus, unicam suscepti laboris mercedem perderet.

GENEA-

GENEALOGIA ROBERTI STEWARDE

Prioris ultimi Elienſis, ab ipſo conſcripta.

Incipit Genealogia Roberti Stewarde Domini Prioris Elienſis, breviter extracta è rotulis Heraldorum anno MDXXII.

I. FUIT quidam vir nobilis ex Scoticâ gente natus nomine Banquho. Erat hic Thanus Regis Scotiæ in Loquhabriâ: & Regi maximè placuit, quòd fuit ille & fortis & fœlix in rebus bellicis. Altiùs quàm hunc Banquhonem nulla memoria, nulli libri, nullus Heraldus, Seneſchallorum ſtirpem eradicare poſſunt. Tandem Rege Malcolmo II. occumbente, & Machabeo nefario Rege, potiùs Tiranno, regnante; inſidias Banquhoni omni conatu quibus eum poſſet afferri ſtravit; eumque ad epulas aulicas invitat. Banquho nil mali ſuſpicans, venit cum Fleancho filio ſuo unico ſuperſtite. Et cœnâ finitâ, ut demum deceſſit Banquho cum filio ſuo, caterva nebulonum in eum inſilit, vulnerat & trucidat. At Fleanchus per tenebras evaſit. Periit anno Domini MXLVIII.

II. Fleanchus jam in Gualliam fugit; quia maximè metuit Machabei Regis crudelitatem, qui jam tot & tantos Scoticæ Nobilitatis viros ſuſtuliſſet. Et à Traherno Gualliæ Rege, Caradoci filio, humaniter tractabatur; qui habuit pulcram filiam Guentam; quam unicè amavit Fleanchus, cùm qua clàm nuptias contrahit. Gravidaque facta eſt, & filium peperit nomine Walterum. Quòd cùm Trahernus Rex intellexiſſet, Fleanchum interemit, & filiam Guentam priſonæ mandavit; quæ brevi pòſt mortua eſt.

III. Walterus Fleanchi & Guentæ filius, Guallus natus, poſt patris cædem & matris mortem ruri educandus mittitur. Et cùm decimum octavum ageret annum, Guallicum quendam, qui eum Nothum nuncupavit, occidit; & in Scotiam fugit, Malcolmo Canmore tunc regnante: à quo gratiſſimè acceptus eſt, & apud quem tandem ob præclaras res bellicas geſtas admirandâ quadam virtute, eum Militem fecit, & magnum Seneſchallum Scotiæ creat, multis ſibi donatis prædiis; à quo nomen Stuard omni ſuæ ſequelæ in Scotiâ, Angliâ, Franciâ & Norvegiâ defluxit. Obiit circiter annum ætatis ſuæ xlii. Habuit filium Alanum.

IV. Alanus Seneſchallus, aliàs Stuart, egregius quoque fuit Miles. Egregia patravit apud Terram Sanctam ſub inſignibus Godofredi Boloignienſis. Viriliter ſe geſſit adversùs Stephanum Regem Angliæ apud Abarton.

V. Alexander Alani filius fuit perpulchrè edoctus in rebus divinis. Sed in rebus bellicis quanquam magnâ ſtrenuitate ſemper ſe geſſit, infœlix tamen evaſit. Demum ille jam ſeneſcens in Cœnobio Clarevallenſi ſtatuit cucullum Monachalem ſuſcipere. Sed diſſuaſus, Cœnobium egregium Paſletum conſtruxit; ubi mortuus inhumabatur.

VI.

VI. Walterus Seneſchallus, à Dundevaile dictus, Alexandri filius, multa præclara in rebus bellicis geſſit; & cum S. Lodovico Galliarum Rege apud Sanctam Terram militavit. Tres illi erant filii; Robertus, qui filiam unicam & hæredem Roberti de Cruce de Croxton in uxorem ſuſcepit, à quo Comites Linaxei originem ducunt: Johannes, qui poſt Carthaginem captam in obſidione de Thuniſe aliàs Maſſour periit; & Alexander.

VII. Alexander, filius Walteri à Dundevaile, Miles, Hachonem Norvegiæ Regem devicit apud Largin; & Elsfridum Regis nepotem & primarium exercitûs Norvegiani ductorem propriâ manu interemit. Recuperavit ad Scoticam ditionem Araine & Boyd inſulas. Recuperavit novam Inſulam. Regi Angliæ adversùs Lewlinum Gwallum in opem mittitur. Frater ejus Johannes duxit hæredem de Bouthill in uxorem, ex quâ genuit Walterum; qui duxit Marioriam filiam Roberti Bruis Regis, ex qua genuit Robertum Stuart primum ejus nominis Regem Scotiæ.

VIII. Andreas, Alexandri filius natu minimus, ſed virtute maximus. Cujus corporis ſtatura ultra vulgarem vergebat magnitudinem. Bis ſingulari certamine hic Andreas cum Balliolo pugnavit: primò mitiùs; ſed ſecundò bile flagrante in ipſum vehebatur, enſemque rupit. Tum ingenti conto nodoſo aſſumpto, quo carectarii ſublevant onera, qui fortè prope humi jacebat, tantis verberibus Balliolum eſt vapulatus, (nam egregiè erat ſtrenuus) quòd ſi Henricus Balliolus opem haud tuliſſet, proculdubiò occumberet. Hinc Seneſchalli nodoſum baculum in armis ferunt; prout fuſiùs poſtea intelliges. Inteſtinis bellis Scotiæ finitis, mittitur Andreas Regi Francorum in opem adversùs Navarræ Regem; à quo aſtu capitur, & ſeptuagenarius ſenex vulneribus ſauciatus flebiliter expiravit. Habuit unicum filium Alexandrum.

IX. Alexander Andreæ filius, cùm pater diem obiit, & is in Galliâ apud Regem fuit; deinque poſtea, ut Regis ſtipendiarius, ibidem moram traxit. Demum decedentem Rex propriâ manu eum Militem fecit; & quodam Chirographo ſigillo ſuo ſigillato ſe & ſuos ſuccedentes honoravit. Sic incipit: *Charles par le grace de Dieu Roy de France a tous gens d' Eſcoce ſalut, &c.* Tenor ejus eſt breviter; ut ipſe Alexander ob ſua & paterna merita, tum ſui ſuccedentes in perpetuum, ferrent ſupra feſſam ſuam ſcacatam inſcutum argenteum cum Leone rubro à baculo nodato aureo oppreſſo, aut hoc inſcutum tantùm pro eorum ſcuto armorum. Et geſſit hic Alexander utraque inſignia conjuncta, cum hac ſubſcriptione.

Singula cùm valeant; ſunt meliora ſimul.

X. Johannes filius Alexandri, Scotus natus, in Angliam venit eo tempore, quo Jacobus hæres Scotiæ in Franciam tendens apud Flamboroughe ventis urgentibus applicuit. Et moram cum Scotico principe in aulâ Regis trahens, in amorem cujuſdam ancillæ Reginæ nomine Mariæ Talmache incidit; cui pòſt nupſit. Et in fidem Regis Henrici IV. Angliæ eſt juratus. Ob hoc Heraldi eum nuncupaverunt Scotanglum. Demum quodam Milite ab Henoâ in Angliam veniente, paraturo militaria facinora, apud Smitfeld London haſtiludia conſtituuntur, in quibus in quodam curſu adversùs * Divum Cateleium ita conquatiebatur Johannis ſpina, quòd brevi pòſt expiravit; & inhumatur apud Fratres Carmelitas Londoniæ. Habuit duos filios, quorum uterque appellabatur Johannes. Junior poſtea erat Vicecomes London. unam filiam Candoram.

* f. Dominum.

XI. Johannes major filius Johannis Stuard Militis, die quo coronabatur Regina

Regina Katherina Henrici V. conjux, Miles creatur, & Dapifer Regineus eo erat die. Postea cùm adoleverat, Capitaneus de Risebanc factus erat; & tandem apud Ponthoise à Gallis cum filio suo Thomâ capitur. Mulcta amborum statuitur, viz. viginti quatuor millia salutorum. In cujus Castri captione vulneratus & claudus factus est. Duxit filiam Thomæ Kiriell Militis. Constitutus erat custos Elionoræ Cobham Ducissæ Glocestriæ proditionis accusatæ.

XII. Thomas Steward filius Johannis Steward, egregius & peritus erat navita sive pilota. Habuit filium Richardum ex primâ conjuge per filiam Johannis Hamerton Militis, & Galfridum ex secundâ conjuge.

XIII. Richardus filius Thomæ Stuard duxit filiam & hæredem Johannis Burley. Habuit filios Nicholaum & Thomam. Obiit vivente patre Thomâ.

XIV. Nicholaus Steward filius Richardi, ex Hospitio Medii Templi London. Jurisperitus. Habuit filios Richardum, Robertum Dominum nostrum Priorem, Simeonem, Nicholaum, & alios.

XV. Simeon Steward filius Nicholai, ex Johannâ filiâ & hærede Edwardi Besteney de Soham in Comitatu Cantabrigiæ genuit Robertum, Edwardum, Marcum, Johannem, Thomam, Augustinum, Simeonem, Nicholaum, Aliciam, Margaretam, Aliciam juniorem, & quatuor liberos plures in cunis occumbentes. Inhumatur hic Simeon apud Lakingheth in Comitatu Suffolchiæ.

Hîc depinguntur antiqua Insignia Familiæ Seneschallorum; viz. in scuto argenteo fessa scacata cum azureo & argenteo: necnon augmentata à Carolo VI. Francorum, viz. inscutum cum Leone rubeo, ac inscutum simpliciter.

Francorum Carolus sic vult hæc Stemmata ferri.
Singula cùm valeant, sunt meliora simul.

RICAR-

HISTORIA
DE
Episcopis DUNELMENSIBUS.

A primâ Sedis Fundatione ad annum MXCVI.

Monachi anonymi Dunelmensis Historia de Episcopis DUNELMENSIBUS ab anno MXCVI. ad annum MCXLIV.

GAUFRIDI Sacristæ de Coldingham Continuatio Historiæ Dunelmensis ab anno MCXLIV. ad annum MCCXIV.

ROBERTI DE GRAYSTANES Episcopi Dunelmensis Continuatio Historiæ Dunelmensis ab anno MCCXIV. ad annum MCCCXXXVI.

WILLELMI DE CHAMBRE Continuatio Historiæ Dunelmensis ab anno MCCCXXXIII. ad annum MDLIX.

ACCEDUNT

Historia de Episcopis HAGUSTALDENSIBUS.

Successio Priorum Dunelmensis Ecclesiæ.

HISTORIA
DE
Successione Episcoporum Dunelmensium
A primâ Sedis fundatione ad annum M XC VI.

S. AIDANUS.

REGE Northamhunbrorum piissimo Edwino, cujus auspiciis fides Aquilonaribus Angliæ regionibus primùm est illata, interfecto 633. 12. Octobr. & Paulino Archiepiscopo ab urbe & provinciâ Eboracensi fugato, Aquilonaris Anglia pastore biennio caruit. Anno autem 635. Oswaldus, devicto priùs Cadwallâ & recepto Northanimbriæ regno, legatione ad Scotos, inter quos olim exulans Christianâ religione imbutus fuerat, missâ, Episcopum sibi suæque genti destinari petiit. Missus à Scotis Episcopis vir austerioris animi, nominis ignoti; qui cùm apud Anglos, ob linguæ forsan ignorantiam, parum proficeret, neque pro dignitate exciperetur; Scotiam reversus, ad Episcopos in Synodo coactos retulit esse Anglos indomitæ ac barbaræ mentis, doctrinæ Christianæ parum capaces. Concilio intererat Aidanus, Presbyter sanctissimus, Monachicâ disciplinâ in insulâ Hii institutus; qui ad sacerdotem (neque enim constat, an Episcopus fuerit) è Northumbriâ reversum conversus, æquiora de vicinâ gente speranda esse dixit, quòd si fides parum incrementi ipso apud Anglos prædicante susceperit, id nimiæ prædicantis austeritati, non populi audientis incredulitati acceptum referri debere contendens; mittendum esse virum mollioris ingenii, qui indomitæ gentis animos lenitate & simplicitate prudenti captaret. Placuit res conventui, communique consilio ista Aidano provincia est demandata. Aidanus, gradu Episcopali suscepto, provinciam adiit, & fœlicitate summâ administravit, favente numine, & cooperante Rege sanctissimo Oswaldo, qui sermones Aidani linguam Anglorum nondum perfectè callentis linguâ vulgari populo circumstanti reddidit. Northanimbriam Aidanus anno 635. intravit; & in insulâ Lindisfarnensi sedem, quam petiit, ab Oswaldo accepit. Insula ea perquam exigua est in Aquilonari Angliæ littore, ab Insulâ majori æstuantis solummodo maris fluctibus divisa; quæ incolarum sanctitate exinde insignita *Insula Sacra*, Anglicè *Halieland*, dici cœpit. Quod vir antiquitatum nostrarum scientissimus Willelmus Lambardus tradit, Sedem Lindisfarnensem olim Mairnolensem nuncupatam esse; id me alibi legisse non memini. Quantumvis autem arcta fuerit Sedes, Diocesis erat latissima. Toti siquidem Northumbrorum regno Episcopi Lindisfarnenses præfuerunt, juxta disciplinam apud antiquos Anglos usque ad Theodori Archiepiscopi tempora receptam, qua singulis regnis singuli Episcopi præsederunt. Paulino itaque in ditione successerunt, neutiquam tamen in dignitate. Paulinus enim Pallio utebatur, & Metropolitani titulum, quamvis nondum sibi constitutis Suffraganeis, obtinuit. Aidanus autem, ejusque ad Wilfridum usque successores, è Scotiâ prodeuntes, Metropolitanam digni-

Beda, l. 1. c. 20. l. 2. c. 1. 2-5.

Turgotus, l. 1. c. 2.

Collect. *Vet. pag. A. 5.*

dignitatem nec noverunt quidem nec affectârunt; cumque Romano Pontifice, qui istam Paulino dignitatem contulerat, nil commune habuerunt. Præterquam enim quòd nullos exteræ gentis Episcopos sibi superiores agnoverint, diem Paschalem ritu adhuc alieno, à quartadecimâ sc. Lunâ calculum ducentes, celebrârunt. Colmannum quidem Eboracæ civitatis Metropolitanum Episcopum Heddius appellat: quod non ita intelligendum est, ac si titulum istum Colmannus usurpaverit, sed quòd Wilfrido aliisque Metropolitanis postea dictis in hac sede præiverit. Utcunque autem Aidanus aliam à Romanâ in reliquis ferè Anglo-saxonum provinciis usurpatâ disciplinam coluerit; summâ tamen veneratione ab Honorio Archiepiscopo Cant. ejusque Suffraganeis semper est habitus; adeò ut de Paschatis observatione litem ipso vivente movere noluerint. Obiit Præsul sanctissimus, postquam Aquilonari Angliæ annis 17. præfuisset, anno 651. 31. Augusti, mœrore confectus ob necem optimi Regis Oswini, qui suorum insidiis die 20. ejusdem mensis sublatus fuerat. Aidanus in Ecclesiâ suâ Lindisfarnensi est sepultus; cujus reliquiarum partem Colmannus in Scotiam anno 664. recedens secum abstulit. Quod Glastoniæ demum conditus fuerit, inane est Monachorum Glastoniensium commentum.

De Vitâ Wilfridi, cap. 10.
Beda, l. 3. c. 25.
l. 3. c. 19.
Id. l. 3. c. 26.

FINANUS.

Aidano è vitâ sublato subrogatus est à Scotis Episcopis Finanus, ejusdem Cœnobii Hiiensis Monachus; qui in insulâ Lindisfarnensi *Ecclesiam Episcopali sede congruam* (Bedæ verbis utor) *de robore secto totam composuit more Scotorum & arundine texit.* Eam postea Theodorus Archiepiscopus Cant. in honore B. Petri dedicavit; & Eadbertus Episcopus ante sæculi exitum ablatâ arundine plumbeis laminis tectum simul ac parietes cooperuit. Erat Finanus moribus sanctissimis præditus, & in fide inter Saxones promovendâ longè diligentissimus; adeò ut plus omnibus sui temporis Anglorum Episcopis eâ in re profecerit, conversis ad fidem Peadâ Merciorum & Sigiberto Saxonum Orientalium Regibus, ordinatisque Diumâ & Ceddi Episcopis, qui Regum istorum patrocinio adjuti populos illis subjectos sacris Christianis imbuerent. Disciplinam autem à Scotis receptam, & inprimis Paschatis observandi morem mordicus tuebatur; quamvis à Ronano quodam, gentili suo, sed in Italiæ & Galliæ partibus instituto, acriter eo nomine sæpius impeteretur. Nondum tamen res in schisma erupit. Obiit Finanus anno Christi 661. Episcopatûs sui decimo. Diem obitûs exhibuit Martyrologium Ecclesiæ Cant. hisce verbis. *XIII. Cal. Martii, in Scotiâ S. Finani Presbyteri & Confessoris, magnæ virtutis viri.* Istum à nostro non alium putarem, quamvis Capgravius Finanum Episcopum die 10. Septembr. obiisse scribat.

Beda, l. 3. c. 25. Turgot. l. 1. c. 4.
Beda, l. 3. c. 21, 22.
Id. l. 3. c. 25.
Legend. Nov. f. 148.

COLMANUS.

Successit Colmanus, à Scotis Episcopis ipse Scotus ordinatus; qui Northanimbriæ triennio præfuit. Eo præsidente controversia de Paschali observatione & Clericali tonsurâ in immensum exarsit, neque ampliùs dissimulari potuit. Coactâ itaque ab Oswio Rege Episcoporum & virorum doctorum utriusque partis Synodo apud Monasterium Streneschalcense ineunte anno 664. magnum & solenne certamen committitur. Scotorum partes Colmanus, Romanorum Wilfridus Presbyter asseruit. Iste B. Petri & Romanæ Sedis authoritatem, ille S. Johannis Apostoli & antiquam patrum traditionem prætexuit. Auditis utrinque argumentis Oswius Rex in

Beda, l. 3. c. 25.

Wilfridi

Wilfridi partes concessit; atque ipsi etiam Episcopi Anglici, qui à Scotis Episcopale munus acceperant. Hujus rei indignatione motus Colmanus, abdicato Episcopatu, assumptisque secum suis quotquot Romanæ disciplinæ accedere noluerunt, in Scotiam statim recessit. De Episcopatu apud Inisbofindam postea gesto, & obitu qui anno *676*. contigisse dicitur, consulendus est RR. Usserius in Antiqu. Britann. p. 499.

Id. l. 3. c. 26.

TUDA.

PONtificatum Northanimbriæ à Colmano derelictum suscepit Tuda, olim inter Australes Scotos seu Pictos institutus & Episcopus ordinatus; qui Romanam tonsuram & calculum Paschalem more gentis suæ sectatus erat. Picti enim ad fidem conversi fuerant operâ Niniani Episcopi, qui disciplinam Ecclesiasticam Romæ didicerat. Brevi admodum tempore Tuda Sedi Lindisfarnensi præfuit, peste eodem anno abreptus, & in Monasterio Pegnaleth dicto honorificè sepultus; idque ante medium (ut videtur) annum *664*. exactum. Ceddam enim illi successorem designatum esse constat ante diem 14. Julii, quo Deus dedit Archiepiscopus decessit. Post Tudæ obitum Sedes Lindisfarnensis per annos 14. Episcopo proprio caruit. Northanimbria quidem Episcopis eo tempore neutiquam est viduata. Præsedit enim ab anno *664*. ad *669*. Ceadda, à *669*. ad *678*. Wilfridus, & toti quidem Provinciæ; in Deirorum autem regione moram præcipuè facientes, ab Eboraco urbe titulum ducere maluerunt. In Lindisfarnâ interim vitam egerunt plures utriusque gentis Monachi, viri sanctissimi; quibus Colmanus Northanimbriâ excedens Eatam dari Abbatem ab Oswio Rege impetraverat. Iste unus ex duodecim pueris fuerat, quos Aidanus primo Episcopatûs sui tempore ex Anglorum gente familiari disciplinâ erudiendos acceperat; & ante Aidani obitum Cœnobium Mailrosense rexerat. A Mailrosensi Abbatiâ ad Lindisfarnensem translatus, anno *664*. S. Cuthbertum secum transtulit, & Lindisfarnensibus Priorem constituit. Anno demum *678*. Theodorus Archiepiscopus Cant. qui Wilfridum de pluribus Episcopis in amplissimâ Northanimbrorum provinciâ constituendis sæpiùs incassum interpellaverat, assentiente Ecgfrido Rege tres Episcopos auctoritate propriâ ordinavit, Bosam sc. Eboraci, Eatam Hagustaldi, & Eadhedum in provinciâ Lindisiensi, quæ ad Northanimbros eo tempore jure belli spectabat; relictâ Wilfrido Lindisfarnâ, antiquâ Episcoporum Northanimbriæ sede. Re auditâ Wilfridus injuriam sibi factam clamat, Regem adit; dissimulante Rege Papam appellat, & Romam se confert. Illum itaque Episcopis Lindisfarnensibus annumerandum non esse censui; quem divisioni à Theodoro factæ minimè consenserit, & potestatem suam infra tam angustos limites coerceri noluerit. Quamobrem in nullo Episcoporum Dunelmensium catalogo locum habet.

Beda, l. 3. c. 26. — Id. l. 3. c. 4. — Id l. 3 c. 26. — Turgot. l. I. c. 6. — Beda, l. 4. c. 12. — Heddius, cap. 23.

Episcopi

Episcopi Lindisfarnenses.

EATA.

Turgot. l. 1. c. 9.

CUM Lindisfarnensi Ecclesiæ Eata 14. annis Abbatis loco præfuisset, eidem annis 7. auctoritate Episcopali præfuit, ab anno sc. 678. quo consecrari meruit, ad 685. ineuntem, quo Cuthbertum successorem accepit.

S. CUTHBERTUS.

AD Hagustaldensem sedem, & cùm ista magis placeret, ad Lindisfarnensem electus est Cuthbertus, vir ob egregiam sanctitatem omni veneratione dignus; quamvis ineptissimis fabulis & portentis nonnulli sequioris ævi Historici memoriam ejus contaminaverint. Natus is in septemtrionali Anglia, ex humili genere (nam pastoritiam vitam adolescens duxit) originem traxit. Nugatur Capgravius, qui regio sanguine in Hiberniâ natum, patre Muriardacho, matre Sabinâ refert. Vix ex ephebis egressus, Monasterium Mailrosense anno 651. intravit; seque Eatæ Abbatis & Boisili Prioris disciplinæ subdidit. Anno 664. Eatam ad Lindisfarnensem Abbatiam secutus, ejusdem Cœnobii Prioratum accepit, & annis 12. administravit: regionibus interim circumvicinis fidem Christianam maximâ sedulitate prædicans, veræ pietatis tam verbo quàm exemplo aliis magister factus. Anno 676. relicto Lindisfarnensi Cœnobio, Farnen insulam (rupes ea horrida est haud procul sita) se contulit; ubi precibus & rerum divinarum contemplationi novennio ferè solus vacavit. Anno 684. tempore autumnali habitâ ad Twifordam Synodo, decretum est ab Ecgfrido Rege, Theodoro Archiepiscopo & pluribus qui intererant Episcopis; ut deposito Trumberto Sedes Hagustaldensis Cuthberto regenda committeretur. Multis hac de re legatis simul ac literis Eremita sanctissimus interpellatus, à solitariâ vitâ trahi non potuit; donec Ecgfridus Rex & Trumwine Pictorum Episcopus, insulam Farnen adnavigantes,

Turgot. l. 1. c. 3.

Beda l. 4. c. 27.

L. 4. c. 28.

Episcopi Hagustaldenses.

EATA

EAta, Abbas Lindisfarnensis, primus ad Episcopatum Hagustaldensem ordinatus est apud Eboracum à Theodoro Archiepiscopo anno 678. Wilfrido autem cui Lindisfarnensis Episcopatus relictus fuerat, è totâ Northanimbrorum provinciâ statim exeunte, Eata in Monasterio suo Lindisfarnensi commoratus, utrumque Episcopatum triennio administravit. *Beda l.* 4. *c.* 12. *Turgot. l.* 1. *c.* 9. *Heddius c.* 23.

TRUMBERT.

THeodoro Archipræsuli statutum erat plures Sedes Episcopales procrescente fidelium multitudine constituere. Eatam itaque duplici Episcopatu diu frui non concessit: *isto* autem in Ecclesia suâ Lindisfarnensi vitam ducente, alium Ecclesiæ Hagustaldensi Antistitem dare decrevit, Trumbertum sc. alibi Tunbertum dictum, qem anno 681. consecravit. Depositus est Tunbertus ab eodem Archiepiscopo in Synodo Twifordensi sub exitum anni 684. Causa depositionis latet. Successor illi designatus est S. Cuthbertus; cui cùm Sedes Lindisfarnensis magis placeret, Eata Lindisfarnensem in ejus gratiam abdicavit, & Hagustaldensem accepit. *Beda l.* 4. *c.* 28.

EATA.

EAta receptum Episcopatum Hagustaldensem brevi admodum tempore administravit. Ecgfrido enim Rege anno 685. 20. Maii interfecto successit Alfridus frater; atque hujus regni anno primo Eata mortem obiit. *Beda l.* 4. *c.* 26. *l.* 5. *c.* 2.

S. JOHANNES.

EAtam excepit S. Johannes, Beverlacensis postea à loco sepulturæ dictus, vir eruditionis non infimæ & san-

Episcopi Hagustaldenses.

& sanctitatis eximiæ; cujus miracula, dum apud Hagustaldum adhuc ageret, patrata Beda ubertim narrat, *l.* 5. *c.* 2, 3, 4, 5, 6. Sedi Hagustaldensi unico anno præfuit, ad Eboracum post Bosæ obitum translatus anno Alfridi Regis secundo, sc. ante medium annum 687.

WILFRIDUS.

JOhanne ad Eboracum translato, Alfridus Rex Wilfrido Ecclesiam suam Hagustaldensem restituit; eidemque post breve temporis intervallum sedem Eboracensem amoto Johanne reddidit. Id quidem Heddius *cap.* 42. prodit; quamvis de Eboracensi sede Wilfrido restitutâ Beda atque alii taceant. Utcunque autem, id certò constat Wilfridum Ecclesiæ Hagustaldensi usque ad expulsionem secundam, quæ anno 692. contigit, præfuisse. Dein utriusque sedis, Eboracensis scilicet & Hagustaldensis, curam Johannes 13. annis gessit. Anno demum 705. exeunte Wilfridus in Synodo Niddensi denuo restitutus Episcopatum Hagustaldensem recepit, & annis 5. solùm rexit. Eboracensem enim Johannes adhuc tenuit. Maxima Ecclesiæ Hagustaldensi beneficia Wilfridus contulit; adeò ut primus ejus fundator meritò sit habendus. Ecclesiam enim amplam & speciosam, B. Andreæ sacram, ibidem ex lapidibus politis anno circiter 674. construxit; & invisâ hactenus Cisalpinis gentibus architecturâ usus, columnis, porticibus & anfractibus viarum aliquando sursum aliquando deorsum per cochleas circumductis (Heddii verba sunt) distinxit. Amplam hujus Ecclesiæ descriptionem exhibet Ricardus Hagustaldensis *lib.* 1. *c.* 3. qui tres alias minores Ecclesias à Wilfrido apud Hagustaldum fundatas esse refert. Cœnobium itidem virorum religiosorum in Ecclesia majori posuit; quibus ipse Abbatis vice præfuit; & post restitutionem extremam reliquum ferè vitæ inter eosdem exegit. Obiit 709. 12. Octobr. in Cœnobio suo Ripensi sepul-

Episcopi Lindisfarnenses.

animum ejus expugnarent. Quum autem Lindisfarnen, olim sibi familiarem, quàm Hagustaldum mallet; locum illi cessit Eata Lindisfarnensis Episcopus, & Hagustaldum transiit. Anno sequenti die 26 Martii, quæ Paschalis erat, consecratus est apud Eboracum à Theodoro Archiepiscopo, assistentibus sibi septem Episcopis. Annis duobus in Episcopatu exactis, mortem imminentem præsentiens, Farnen insulam repetiit; ubi post duos menses ingravescente morbo sanctissimam animam cœlo reddidit 687. 20 Martii, feriâ 4. Mitto miracula ab ipso vivente & post mortem patrata; quæ Beda & sequiores scriptores uberrimè coacervârunt. Id præ omnibus certò constat, corpus ejus multis post sepulturam sæculis incorruptum permansisse. Episcopatum vacantem wilfridus Hagustaldensis Episcopus integro anno administravit.

Turgot. l. 1 c. 10.

Beda l. 4. c. 29.

EADBERTUS.

CUthberto subrogatus est Eadbertus; *Vir*, teste Bedâ, *scientiâ Scripturarum divinarum, simul & præceptorum cœlestium observantiâ, ac maxime eleemosynarum operatione insignis.* Anno 698. mense Martio S. Cuthberti corpus ex Farne insulâ Lindisfarnam transtulit; & die 6 Mart. ejusdem anni vitam finivit, sub feretro S. Cuthberti tumulatus; postquam annos 10. præsedisset.

Ibid.

Id. l. 4. c. 30.

Turg. l. 1. c. 11

EADFRIDUS.

SUccessit Eadfrith, alibi Egfrith, & Eadferht dictus, anno 698. Hic Bedæ author erat, ut S. Cutberti Vitam tam prosâ quàm carmine conscriberet, & oratorium Sancti viri in insulâ Farne vetustate collapsum à fundamentis restauravit, Scripsit is manu propriâ in usum Cuthberti, dum in cœnobio Lindisfarnensi sub ipso patre adhuc vivente militaret, pulcherrimum Evangeliorum Latinorum Codicem; quem Ethelwoldus successor auro gemmisque

Florent.

Turg. l. 1. c. 11

Id. l. 2. c. 12.

Episcopi Lindisfarnenses.

que ornavit; Bilfridus anachorita depinxit, & Aldredus Presbyter versione Saxonicâ interlineari auxit. Extat hodienum idem ipse Codex in Bibliothecâ Cottoniana asservatus Obiit Eadfridus anno 721. Episcopatûs sui 24.

Flor. Wigorn.

ETHELWOLDUS.

Ethelwoldus, Mailrosensis priùs Monasterii Abbas, ante Abbatiam autem susceptam S. Cuthberti discipulus & minister, Lindisfarnensem Episcopatum post Eadfridum accepit, & sedecim annis tenuit; nullâ re memorabili gestâ insignis, nisi quòd Crucem lapideam fabricari fecerit, quæ multis post sæculis maximam religionis famam apud aquilonares Anglos obtinuit. Episcopatum anno 724. adiisse videtur. Turgotus enim annum Christi 729. cum Episcopatûs sui quinto & iterum 735. cum undecimo anno componit: ut vacatio ferè triennalis præcessisse censenda sit. Ethelwoldo præsidente Ceolwlfus, rex Northanimbrorum piissimus, abdicato regno vitam Monasticam in Cœnobio Lindisfarnensi amplexus est anno 738. villasque plures & redditus amplissimos Ecclesiæ secum detulit. Ethelwoldus anno 740. defunctus est, authore anonymo Bedæ Epitomes continuatore, cui Mailrosensis suffragatur; quamvis Florentius annum 739. posuerit.

Beda l. 5. c. 13.
Turg. l. 1. c. 12

Lib. 1. c. 13.
L. 1. c. 14.

Id. l. 2. c. 1.

CYNEWLFUS.

Ethelwoldo successit Cynewlf, aliis Kenulf dictus, anno 740. in diuturno Episcopatu maximas ærumnas passus. Anno enim 750. Offâ quodam de regio genere ad S. Cuthberti corpus confugiente, & ab inimicis persequentibus abstracto & interfecto, Eadbertus Rex id Episcopo connivente factum esse suspicatus, ipsum in arce Bebbanburch (hodie Bamburgh) captivum teneri præcepit, commissâ interim Friothuberto Hagustaldensi Episcopo parochiæ Lindisfarnensis curâ,

Annal. Mailr.

Episcopi Hagustaldenses.

tus. Moriens Cœnobii sui Hagustaldensis præfecturam Accæ Presbytero charissimo delegavit. *Beda l. 5. c. 3. 20. Heddius cap. 21. 42. 61. Ricardus Hagust. l. 1.*

ACCA.

Wilfrido successit Acca ipsius discipulus, & unicus laborum socius: Bosæ Eboracensis Episcopi antea discipulus, atque ipso defuncto in Wilfridi famulitium ascitus. Vir (teste Bedâ) in S. Scripturis doctissimus, in Ecclesiasticæ institutionis regulis solertissimus, præcipuè autem cantûs ecclesiastici more Romano obeundi peritissimus. Ecclesiæ suæ ædificium multifario decore & præclaris operibus ampliavit. Acquisitis undique Apostolorum & Martyrum reliquiis, plura altaria in venerationem illorum posuit, distinctis in hoc ipsum intra muros Ecclesiæ porticibus. Sed & historias passionum eorum, unà cum cæteris Ecclesiasticis voluminibus, summâ industriâ congregans, amplissimam ibi bibliothecam fecit. Nec non & vasa sancta & luminaria aliaque hujusmodi, quæ ad ornatum divinæ domûs pertinent, studiosissimè paravit. Hæc Beda l. 5. c. 21. Donaria ejusdem Ecclesiæ suæ collata Heddius celebrat *de Vita Wilfridi* cap. 21. ipsum Ecclesiæ parietes auro & argento decorasse, & altaria purpurâ & serico induisse narrans. Lubens hæc commemoro; ut priscam gentis nostræ devotionem & in sacris magnificentiam Lectores intueantur; neve ornamenta Ecclesiarum pretiosa à primævæ (inter nos) fidei simplicitate aliena habeantur. Præfuit Acca sedi Hagustaldensi annis circiter 24. Bedæ amicitiâ conjunctissimus, & ejusdem ἐργοδιώκτης assiduus. Anno demum 733 si Florentium, 732. si Ricardum Hagustaldensem audis, à Sede suâ depulsus exulavit. Ratio fugæ incomperta est. Inanis est siquidem, quam Ricardus protulit, illum secessisse sc. ut Episcopalem Sedem in Candidâ Casâ fundaret. Fundata enim (seu potius

Episcopi Hagustaldenses.

potius restaurata) fuerat, antequam Beda Historiam suam absolverit, viz. ante annum 731. & eidem Pecthelmus Episcopus adhuc præfuit. Obiit Acca 740. 20. Novembr. juxta secretarium Ecclesiæ suæ Hagustaldensis sepultus. *Ric. Hagulstad. l.* 1. *c.* 14.

FRIOTHUBERTUS.

ACcæ recedenti substitutus est Friothubertus aliis Fruidbert, & Fredebert & Frithebert appellatus. Consecratus tamen non est ante annum 735. Quo primùm anno Ecgbertus Archiepiscopus Ebor. consecrator ejus Pallium accepit, authore vetusto Epitomes Bedæ Continuatore. Ricardus Hagulstadensis & Matthæus Westm. illum 734. 8. Sept. consecratum produnt. Dies autem ista Dominica non erat. Consecratum fuisse 735. 11. Sept. opinor. Sedit annis 34. ex omnium sententiâ, calculo sc. ab Accæ secessione ducto. Obiit 766. 23. Decembr. *Ricardus Hag. l.* 1. *c.* 16. *Annales Petriburg. Sax.*

ALHMUNDUS.

ALhmundus, seu Alcmundus, consecratus est 767. 24. April. juxta Ricardum Hagustald. & Hovedenum; quamvis dies anno non conveniat, & 26 Aprilis fuisse censendus sit; nisi potiùs Alcmundus anno 767. electus & 768. 24. April. consecratus fuerit. Obiit 781. 7. Sept. ex fide Ricardi, Hovedeni, & Mailrosensis, 780. 7. Sept. juxta Annales Petriburg. Sax. 779. 7. Sept. authore Florentio. Ricardi calculus justior videtur.

TILBERTUS.

TIlbertus, quem Hovedenus & Textus Roffensis Gilbertum, alii Tilherum nominant, consecratus est apud Wlfeswelle 781. 2. Octobr. testibus Ricardo & Hovedeno. De die omnes conveniunt; quamvis Annales Petriburg. anno 780. Florentius 779. consecratum fuisse velint, nec tamen

Episcopis Lindisfarnenses.

donec relaxatis vinculis Kynewlfus ad suam Ecclesiam Rege veniam indulgente rediret. Anno demum 780. Episcopatûs sui 41. Cynewlfus senio & labore confectus, suas in Ecclesiæ regimine vices Higbaldo delegavit; ut ipse curis levatus quieti & orationi deinceps vacaret. Triennio superfuit, anno 783. defunctus. Sic quidem Turgotus & Mailrosensis tradunt; quamvis Florentius & Annales Saxonici Petriburgenses secessionem ejus in annum 779. mortem ille in annum 781. iste in 782. referant.

Id. l. 2. c. 4.

HIGBALDUS.

COadjutorem potiùs quàm successorem Higbaldum sibi ascivisse Cynewlfus videtur. Annos enim Pontificatùs ab Higbaldo gesti Turgotus à Cynewlfi morte numerat. Consecratus est Higbaldus anno 780. apud Soccabyrig, saltem anno sequenti, quem Turgotus alibi designavit; & Episcopatum à consecratione annis 22. à Cynewlfi morte annis 20. tenuit. Utrumque enim numerum Turgotus diversis locis exhibuit. Anno 793. Dani aquilonares Angliæ plagas ferro flammâque vastantes, Ecclesiam etiam Lindisfarnensem die 7 Junii deprædati sunt, plurimis Monachorum interfectis aliis submersis, dirutis altaribus, & abreptis thesauris. Ecclesiæ tamen ædificium integrum adhuc stetit; & Clerici plurimi unà cum Episcopo ad sacrum B. Cuthberti corpus multo pòst tempore permanserunt. Narrant quidem Chronologia Saxonica & Florentius Wigorniensis Ceolwlfum Episcopum Lindisfarnensem è Diocesi suâ anno 794 fugisse. Verùm Lindisfarorum hunc fuisse Episcopum satis constat; quæque Godwinus de sublato per Higbaldum B. Cuthberti corpore ex Malmsburiensi refert, ad secundam Danorum invasionem sunt referenda. Obiit Higbaldus 803. 25. Maii. Malè Annales Saxon Petriburg. obitum 803. 24. Junii contigisse narrant. Annum etiam

L. 2. c. 4.

Annal. Petriburg. Sax. L. 2. c. 5.

Turg. l. 2. c. 9.

Episcopi Lindisfarnenses.

etiam 802. Florentius, 804. Florilegus malè designârunt.

ECGBERT.

Id. ibid.

ECgbertus in Higbaldi locum electus, ab Eanbaldo Archiepiscopo Ebor. Eanberto Hagustaldensi & Baldulfo Witternensi Episcopis consecratus est apud Bigwell 803. 11. Junii. Sedit annis 18. Obiit itaque 821. quamvis Florentius 819. reponat.

Annal. Petrib.

HEATHUREDUS.

Turg. l. 2. c. 5.

ECgberto Heathuredus successit, & in Episcopatu novem annos transegit, anno 830. defunctus. Florentius tametsi annis regiminis ab 819. ductis, obitum illius in anno 828. reponat.

ECGREDUS.

Turgot. ibid.

EPiscopatum Lindisfarnensem proximus accepit Ecgredus seu Egfridus, vir natu nobilis, & beneficiis Ecclesiæ suæ collatis insignis. Ædificatâ enim apud Norham Ecclesiâ, corpus Ceolwlfi Regis illuc transtulit; ipsamque villam cum duabus aliis, sc. de Geddeworde & Geinforde, quas cum Ecclesiis suis ædificaverat, villas etiam Ilecliffæ, Wilecliffæ, & Billinghamiæ, Ecclesiæ Lindisfarnensi contulit. Obiit anno 16. Episcopatûs sui, anno Christi 845. Sic enim Wigorniensis & Westmonasteriensis produnt.

EANBERTUS.

Turgot. ibid. Florentius. Mat. Westm.

EAnbertus, aliis Egbertus & Eadbertus, Ecgredo subrogatus, Sedi Lindisfarnensi annis 8 præfuit, anno 854 è vitâ sublatus. Hosce tres Episcopos inter Lindisfarnenses ab Hagustaldensibus distinctos eâ ratione retuli; quòd quamvis nulli ipsorum tempore fuerint Episcopi Hagustaldenses, ipsi tamen ditione suâ contenti Hagustaldensem Diocesin non attigerint. Pri-

Episcopi Hagustaldenses.

quivis annorum dictorum diem 2. Octobris Dominicum habuit; ut conjecturæ meæ in Bregwino Archiepiscopo Cant. antea prolatæ non possim non favere, sc. Episcopos in veteri Saxonicâ Ecclesia nonnunquam extra Dominicum diem consecratos esse. Tilbertus Synodo Calcuthensi interfuit anno 787. & anno 789. obiit, in Ecclesia suâ sepultus.

ÆTHELBERHTUS.

ÆTheberht seu Ethelbreth Witternensis Episcopus, relictâ Candidâ Casâ, ad quam anno 778. consecratus fuerat, Hagustaldensem Episcopatum anno 789 accepit, & annis 8. rexit. Obiit apud Bartun 797. 16. Octobr. in Ecclesiâ Hagustaldensi tumulatus.

HEARDREDUS.

HEardredus sive Headredus, apud Wudafordam consecratus est ab Eanbaldo Archiepiscopo & Higbaldo Episcopo 797. 30. Octobr. Obiit anno 800. His Ricardus & Annales Petriburg. Sax. fidem faciunt; quamvis anno 797. dies 30. Octobr. in feriam 2. inciderit. Rectiùs igitur Florilegus die 29. Octobr. consecratum scribit.

EANBERHTUS.

EAnberhtus, seu Heanberht, sive Eadbert vel Osbert, consecratus est apud Ethingaham anno 800. Obiit anno 814 prout Ricardus tradit l. 1. c. 18, 19. anno 806. juxta Annales Petriburg. Saxon. aliosque optimæ notæ Annales Saxonicos in Bibliothecâ Cottonianâ *Domitian A.* 8. quorum calculum confirmat (si quæ saltem fides Monachorum chartis sit habenda) Charta Cœnobio Winchelcumbensi à Kenulpho Rege anno 811. data; cui Tilferdus Episcopus subscripsisse deprehenditur, in Monastico tom. 1. p. 187.

TID-

Episcopi Hagustaldenses.

TIDFERTHUS.

Tidferth, aliis Tilferd & Thiffrid-did dictus, Eanberto successit anno 806. & post aliquot annos provinciâ excedens, in itinere versùs Romam defunctus est. Tempus Episcopatûs ejus latere Ricardus scribit; ab ultimâ tamen Sedis vacatione ad secundam Danorum invasionem anno 875. factam annos 54. intercessisse pluries dicit; adeò ut Tidferthi obitus anno 821. sit reponendus. Post mortem ejus Hagustaldensis Diocesis cum Lindisfarnensi coaluit; qua de re plura apud Lindisfarnenses vide.

Episcopi Lindisfarnenses.

mus omnium Eardulsus post extinctos Hagustaldenses Episcopos Diocesis utriusque curam gessit.

Ricardus Hag. l. 1. c 1.

EARDULPHUS.

EPiscopatum Lindisfarnensem post Eanberti obitum Eardulphus anno 854. adeptus est. Isto præsidente Anglia frequentibus Danorum invasionibus miserè devastata est, Barbaris neque ætati nec sexui parcentibus, nullâque locorum religione motis. Hos Northumbriam advenientes Eardulphus timens, sublato secum S. Cuthberti corpore aliorumque sanctorum Præsulum reliquiis, adjunctis etiam Clericis Ecclesiæ plurimis, qui in Episcoporum Lindisfarnensium comitatu morari solebant, è Lindisfarnâ anno 875. fugit; & locis subinde mutatis, Barbaros circumquaque discurrentes evitans, integro septennio delituit; sacras reliquias Hiberniam transferre repellentibus procellis frustra conatus; donec anno 883. pace per Guthredum ad Northumbriæ regnum recenter evectum donatâ in Cuncacestrâ villâ (hodie Chester dictâ) resideret. Vicus is est exiguus super Vedram fluvium quinto circiter lapide à Dunelmo versùs Boream positus. In eo Sedes hujus Provinciæ Episcoporum (qui tamen Lindisfarnenses adhuc dicti sunt) ab Eardulpho anno 883. collocata, annis 113. continuis permansit. Amplissimis terris & privilegiis Sedem Episcopalem hîc loci constitutam Guthredus donâsse dicitur. Totam siquidem terram inter Vedram & Tinam fluvios perpetuo jure possidenda largitus, omnem inter Vedram & Tesam fluvios terram postea adjecit; jusque asyli & 37. dierum pacem omnibus ad S. Cuthberti corpus fugientibus indulsit; singula dona & privilegia Alfredo Angliæ Monarchâ confirmante. Obiit Eardulphus, postquam Lindisfarnensi Diocesi annis 46. præfuisset, anno 900. Iste Episcopatûs sui sede apud Cuncacestram positâ, in Hagustaldensi Diocesi Episcopalia officia primùm exercere cœpit. Post Tidferthi enim recessionem, provinciâ barbaricis invasionibus frequentibus attritâ, neglecta erat & Episcopali regimine annis 63. continuis caruit Diocesis ista; quæ ab Eardulfo anno 883. administrari cœpta, in Lindisfarnensis Episcopi ditionem deinceps transiit, & annis circiter 230. permansit. Anno autem 1113. Henricus Rex Ranulpho Dunelmensi Episcopo infensus, villam & Ecclesiam Hagustaldensem ab Ecclesiâ Dunelmensi abripuit & Thomæ Archiepiscopo Eboracensi contulit, unà cum jurisdictione integri Cumbriæ Comitatûs, qui ad Sedem Hagustaldensem olim pertinuit. Pars tamen Diocesis Hagustaldensis, ea sc. quæ intra Northumbriæ Comitatum sita erat, penès Dunelmensem remansit, & adhuc manet. Reliqua partim Archiepiscopo Ebor. partim Episcopo Glascuensi ab anno 1113. ad 1135. subdita, Episcopatui Carleolensi anno 1135. fundato assignata est. In ipsâ autem Ecclesiâ Hagustaldensi Thomas Archiepiscopus Canonicos Regulares instituit, anno demum 1539. ab Henrico VIII. Rege deturbatos.

Turgot. l. 2. c. 5, 6, &c

Camden Britan. p. 604.

Turg l. 2. c. 13

Rudburn Hist. maj. Winton.

Hoveden. f. 234.

Turgot. l. 2. c. 16.

Ricardus l. 2. c. 1, &c.

Hist. brev. Haguft. in calce Historiæ Dunelm.

CUTHEARDUS.

Turgot. l. 2. c. 16, 17. Florentius & Westm.

CUtheardus Eardulfo subrogatus Episcopatum annis 15. tenuit. Multas hic villas & redditus pecuniâ suâ comparatos Episcopali Sedi adjecit. Obiit anno 915.

TILREDUS.

Turgot. l. 2. c. 17, 18.

SUccessit Tilredus, quem Malmsburiensis & Westmonasteriensis Milredum seu Mildredum, Florentius manuscriptus Ailredum, appellant. Præfuit annis 13. mensibus 4. teste Turgoto, obiit 928. teste Florentio. Anno quidem 925. (922. malè legit vulgata Simeonis Historia) illum obiisse vult Turgotus. Annus autem 928. veritati atque ipsi etiam Turgoto magis est consentaneus. Turgotus enim Eardulfi obitum in anno 900. reposuit; & Cutheardo 15. Tilredo 13. annos Pontificatûs dedit.

WIGREDUS.

Turgot. l. 2. c. 18.

De gest. Reg. p. 154, 155.

WIgredus, seu Withredus, sedit annis 17. Hujus tempore Ethelstanus Rex cathedralem Ecclesiam 12. villis donavit; omnesque ejusdem libertates confirmavit. Obiit anno 941. juxta Simeonem Dunelmensem, qui annos Pontificatûs 17. ab anno 925. numeravit. Veriùs cum Florentio Wigorniensi statuendus est anno 944. obiisse. Sic enim anni Episcopatûs singulis à Turgoto dati optimè constabunt.

UHTREDUS.

Simeon loc. cit.

Hist. maj. Winton.

UHtredus successit, de quo Turgotus nil præter nomen tradidit. Getredum Simeon Dunelmensis appellat. Illum prætermisit vulgatus Willelmi Malmsburiensis liber; codices tamen, quotquot vidi, manuscripti agnoscunt. Anno 944. Episcopatum iniisse, & eodem defunctum esse Florentius perhibet. Annis tribus sedisse Rudburnus ex antiquo Dunelmensis Ecclesiæ libro refert. Atque huic potissimùm assentior.

SEXHELM.

Turgot. l. 2. c. 19.

Florentius.

SExhelmus Uhtredo subrogatur, vir avaritiæ impensè deditus; qui cùm Clerum & plebem sibi subjectam exactionibus nummorum injustis oppprimeret; à S. Cuthberto in somnis territus, & morbo gravissimo afflictus, post aliquot mensium moram, Cuncacestram relinquere & Eboracum se recipere coactus est. Sic quidem Monachi rem narrant; ut hinc conjiciendum sit Sexhelmum Monachis invisum fuisse, adeóque ex Edwii Regis partibus stetisse; aquilonari autem Angliâ ab Edwio deficiente anno 957. & Edgari Monachis deditissimi imperio subjectâ, ab Edgaro statim exauthoratum fuisse. Conjecturam confirmat successoris tempus initiale.

ALDREDUS.

Turgot. l. 2. c. 20.

Hist. maj. Winton.

ALdredi tempora non exprimunt Turgotus neque aliquis ex vulgatis Historicis. Id solum ex iisdem constat, ipsum Sexhelmo successisse, & anno 968. obiisse. Annum obitûs Florentius & Mailrosensis disertè exprimunt. Turgotus etiam Elfsigum 22 annos post Aldredi obitum sedisse atque anno 990. decessisse refert. Aldredus autem annos 12. præfuisse dicitur à Thoma Rud-

Rudburno, qui antiquâ Dunelmensis Ecclesiæ Historiâ usus est: adeò ut si annos cavos numeres, Pontificatum anno 957. iniisse, amoto Sexhelmo, optimè censeri possit.

ELFSIG.

Elfsigus, qui & Elfsinus & Alfius, consecratus est apud Eboracum ab Oskitello Archiepiscopo anno 968. Sedit annis 22. Obiit anno 990. Mildredum Florilegus in anno 990. appellat.

Turgot. ibid. Florentius. Mailros.

ALDHUNUS.

Aldhunus seu Aldwinus, natu nobilis, successit anno 990. Iste anno 995. Piratarum invasionem fugiens, corpus S. Cuthberti Clericosq; ei adhærentes ad Ripon à Cuncacestrâ transtulit. Rebus post quatuor fere menses pacatis, reditum ad Cuncacestram instituit. In reditu Dunelmum transeunti loci situs (ut visionem divinam taceam) apprimè placuit. Inibi igitur sacrum corpus deposuit, & Sedem Episcopalem primus constituit. Locus tunc silvis & arvalibus distinctus, paucissimis tuguriis constabat. Aldhunus eradicatâ silvâ & constructis unicuique suorum prope Ecclesiam à se fundatam mansionibus urbem fecit. Ad hoc opus perficiendum universa populorum multitudo à fluvio Coqued usque Teisam confluxit, & prompto animo insudavit. Ecclesiam majorem tertio operis incæpti anno absolutam Aldhunus dedicavit die 4. Septembr. Obiit Aldhunus sub exitum anni 1018. anno Præsulatûs sui 29. mœrore confectus ob cladem Anglis aquilonaribus apud Carrum ante paucos dies illatam.

Turgot. l. 2. c. 20.

Id. l. 3. c. 1.

l. 3. c. 2.

l. 3. c. 4.

l. 3. c. 5.

EADMUNDUS.

Tribus ferè annis post Aldhuni mortem Episcopatus Dunelmensis vacavit propter tumultus bellicos. Convenientibus demum ob Episcopi electionem Clericis, neque certi quicquam statuentibus, supervenit Eadmundus Presbyter natu nobilis; & Clericos jocosè allocutus, Cur me, inquit, Episcopum non eligitis? Jocum illius Clerici non jocosè accipientes, ipsum concordi suffragio elegerunt. Factum id anno 1020. Florentius, Mailrosensis & Westmonasteriensis produnt: ut isto anno Eadmundus electus, & sequenti consecratus fuisse videatur. Neque enim aliter triennalis vacatio haberi poterit. Consecratus est à Wolstano Archiepiscopo Ebor. apud Wintoniam; suscepto priùs habitu Monastico, ut antecessoribus suis, qui è Monasterio omnes prodierant, propiùs accederet. Iste turrim Ecclesiæ Dunelmensis occidentalem, quam solam Aldhunus imperfectam reliquerat, ad summitatem perduxit & dedicavit. Plurimas Ecclesiæ suæ villas & privilegia à Canuto Rege impetravit; quæ Turgotus commemorat l. 3. c. 8. Præfuit annis 23. calculo ab Aldhuni morte ducto. Obiit in aulâ regiâ apud Glocestriam 1041. apud Dunelmum sepultus. Alium quidem calculum instituunt Florentius, Mailrosensis & Florilegus: sed Turgotus præ aliis fidem meretur.

Turgot. l. 3. c. 6.

Turgot. l. 3. c. 5.

Id. l. 3. c. 9.

EADREDUS.

Eadredus sive Edredus, Presbyter sæcularis, successit. Huic Monachi Historici maximè succensent; quòd sedem Episcopalem, quam Præsules è Monachis delecti ab Aidani usque temporibus insederant, accipere ausus sit. Ab his Episcopatum ab Hardecanuto Rege abreptis Ecclesiæ thesauris emisse, &

Id. ibid.

& divinâ ultione evestigio insequente brevi pòst interiisse dicitur. Obiit certè post decimum Præsulatûs exacti mensem anno 1042.

ÆGELRICUS.

Turgot. l. 3. c. 6.

Ingulphus f. 510.

Florentius.

Turgot. l. 3. c. 9.

Annal. Petriburg. Sax. Johannes Abbas Burg. in Hist. Burg.

Ingulph f. 510.

EAdmundus Episcopus, post consecrationem Wintoniæ acceptam, apud Burgum S. Petri in itinere versùs Dunelmum diversatus, Egelricum loci ejusdem Monachum, religione & doctrinâ sibi commendatum, in familiam suam ascivit, & ad obitum usque unicum vitæ socium habuit. Iste Godwini Comitis potentiâ Eadredo Episcopo Dunenmensi subrogatus est anno 1042. Electum antea ad Eboracum fuisse, sed Archiepiscopatu injustè privatum, & Episcopatu Dunelmensi brevi post tempore donatum esse, Annales Petriburgenses Saxonici & Waverleienses produnt. Putarem igitur Alfricum Ebor. Archiepiscopum sub initiis regni sive Hardicanuti anno 1040. seu Edwardi 1042. Sede suâ deturbatum fuisse. Uterque enim regnum ineuns plurimos decessoribus suis conjunctissimos graviter mulctârunt: & Alfricus sese rebus sæcularibus tempore Haraldi & Hardecanuti Regum plus æquo immiscens, maximam sibi invidiam concitaverat. Plurimum etiam apud Edwardum Regem sub initiis regni Livingus Wigorniensis Episcopus poterat; quem Alfricus ante biennium gravissimi criminis accusatum Episcopatu suo per Hardecanutum Regem amoveri fecerat: ut anno 1042. potissimum Alfricus exauthoratus & Egelricus ei substitutus videatur; quamvis Alfricus redemptâ Regis gratiâ Archiepiscopatum brevissimo pòst tempore repetierit, Egelrico Dunelmum translato. Hunc tertio accepti Episcopatûs anno Clerici de Ecclesia suâ expulerunt; Siwardus autem Northumbriæ Comes metu Clericis injecto restituit. Post aliquot annos dirutâ veteri Ecclesiâ Cuncacestrensi, quæ de ligno constructa fuerat, novum ex lapide ædificavit. In ponendis fundamentis ingens inventus est thesaurus; ex quo Episcopus repentè ditissimus effectus, abdicato Episcopatu Dunelmensi, ad Cœnobium Petriburgense rediit anno 1056. & Abbatiâ anno sequenti susceptâ, Cœnobium ædificiis & donis amplissimis ornare cœpit. Viam præsertim à Depingâ ad Spaldingam per altissimas paludes ducentem aggere firmissimo ex calce & arenâ composito munivit, & pontibus quamplurimis instruxit: unde Elrich-rode agger iste hodienum nominatur. De ejusdem post Normannorum adventum vinculis & obitu infœlici consule Historiam Abbatum Petriburgensium.

EGELWINUS.

Johannes in Hist. Burg. Turgot. l. 3. c. 9.

Turgot. l. 3. c. 15. Hoveden f. 258.

Turgot. ibid.

EGelricus Episcopus à Dunelmo recedens anno 1056. Egelwinum fratrem suum & ejusdem Cœnobii Petriburgensis Monachum, favente Tostio Northumbriæ Comite, sibi in Episcopatu substitui curavit. Is totius Episcopatûs curam in rebus sæcularibus sub fratre antea gesserat; quando Ecclesiam Dunelmensem pecuniâ malis artibus corrogatâ egregiè expilâsse dicitur. Post Normannorum adventum injurias aliis Anglis Præsulibus communes perpessus est. Anno enim 1069. interfecto à Northumbris apud Dunelmum die 28. Januarii Roberto Cumin, quem Willelmus Rex Northumbriæ præfecerat, cum Normannis suis omnibus, Willelmus exercitu conscripto in Northumbriam properavit; eamque ferro & flammis adeò devastavit, ut in solitudinem redegerit: totaque regio Eboracum & Dunelmum interjacens, nusquam inhabitatâ villâ, per 9. annos bestiarum & latronum latibulis solummodo vacaret. Hujus iram Egelwinus Episcopus, quantumvis innoxius, declinandam ratus, assumptis secum Cleri & populi optimatibus, sublatoque S. Cuthberti corpore, fugam iniit, & apud Lindisfarnam usque ad Normannorum recessum latuit, Dunelmum 1070. 20 Martii reversus. Anno 1070.

cum

cùm Willelmus Anglos gravissimâ servitute premeret, & Præsules ejusdem gentis injustè exauthoraret; Egelwinus, vir generosi animi, id ferendum non putans, exulare decrevit. Conscensâ igitur navi & asportatâ secum parte thesaurorum Ecclesiæ, Coloniam iter intendit. Ventis contrariis repulsus, apud Scotiam hiemavit. Vere proximo, Morcaro, Siwardo, Herewardo aliisq; Anglis Optimatibus ad vindicandam Patriæ libertatem arma resumentibus comitem se dedit. Navigio itaque ad Insulam Eliensem devecti, locum muniverunt. Willelmus autem confestim insecutus, insulam obsedit & expugnavit. Captus Agelwinus Abandoniam missus est à Rege custodiendus. Direpti Ecclesiæ suæ thesauri accusatus, factum abnegavit. Armillâ demum pretiosâ ex brachiis delabente proditus, jussu regio in carcerem detrusus est; ubi ex nimio dolore & inediâ seu spontaneâ, seu (quam alii volunt) coactâ obiit sub exitum anni 1071.

Hoveden f. 259. Mat. Westm. Florentius. Turgot. l. 3. c. 17.

WALCHERUS.

EGelwino, forsitan ante obitum, à Rege subrogatur Walcherus, vir natu nobilis, genere Lotharingus, Ecclesiæ Leodiensis Clericus, moribus honestis & doctrinâ insignis, quem Willelmus Rex in Angliam paulò ante invitaverat. Apud Wintoniam consecratus, Dunelmum anno 1072. mediâ Quadragesimâ advenit. Isto Præsulatum tenente, Episcopi Angliæ majores de antiquâ gentis consuetudine in Synodo Londinensi anno 1075. interrogati, responderunt, quod & Synodi decreto confirmatum est, septentrionalem Britanniæ partem à fluvio Humbre usque ad ultimos Scotiæ fines, & in hac Dunelmensem Ecclesiam, Eboracensis Ecclesiæ regimini subjacere debere. Eodem anno interfecto jussu Regis apud Wintoniam Waltheofo Comite Northumbriæ piissimo, Walcherus Episcopus Comitatum à Rege obtinuit. Honor iste sæcularis ipsi exitio erat. Lites enim forenses non pro justiciâ sed pro suis rationibus definiens, & Ministris suis durissimam plebis oppressionem permittens, popularium odia & furorem adeò in se concitavit, ut non nisi morte ipsius sedari possent. Funestam ipsius necem pluribus narrant Florentius, Malmsburiensis, Hovedenus, & Parisius. Nos rei exitum breviter perstringemus. Rerum suarum forensium præfecturam Walcherus Gilleberto cognato suo, Ecclesiasticarum Leobwino Capellano (Archidiaconum Turgotus vocat) sub semetipso gerendam commiserat. Uterque provinciales cædibus, rapinis, & injuriis afflixit, connivente quin & favente Episcopo. Aderat tamen Episcopo à consiliis Liulfus, vir nobilis Anglus, sapientiâ & pietate insignis, totique provinciæ charissimus; qui possessionibus suis à Normannis spoliatus, Dunelmum secesserat, summamque Episcopi amicitiam nactus, Archidiaconi & Vicecomitis insolentiam sæpiùs compressit. Id Archidiaconus iniquè ferens, Vicecomiti author erat, ut Liulfum interficeret. Episcopus protestatione factâ se homicidio nequaquam consensisse testatur neque tamen in homicidas animadvertit, nec à consortio suo repulit. Hinc exacerbati Provinciales ultionem meditantur. Convenerat Episcopus, cum Leobwino, Gilleberto, aliisque è familiâ suâ plurimis, & Northumbrani Provinciales apud Gatesheved ad pacem sarciendam & utilitatem publicam procurandam. Orto tumultu, Episcopus cum suis in Ecclesiolam se recipit. Insequuntur Provinciales, obvios Episcopi famulos interimunt, Episcopum obsident, Gillebertum & Leobwinum sibi dedi petunt. Gillebertus ab Episcopo jussus foràs prodit, innumeris statim vulneribus confossus. Renuente autem Leobwino, ipse Episcopus Ecclesiâ egreditur, & blandis verbis plebem furentem alloquitur. Alloquentem scelesti homines lanceis confodiunt; & igne Ecclesiæ injecto Leobwinum semiustulatum simili morte conficiunt. Factum

Turgot. l. 3. c. 18. Hoveden f. 260. Concil. tom. 10. p. 350. Hoveden f. 262. Turgot l. 3. c. 23.

ctum id 1080. 14. Maii, peractis in Episcopatu annis 9. & mensibus 2. Cædam nefandam Odo Baiocensis Episcopus à Rege missus gravissimè ultus est.

WILLELMUS DE S. KARILEFO.

Turgot l. 3. c. 1. Annal. Dunelm.

EXactis post Walcheri cædem sex mensibus & decem diebus, Willelmus qui ex Monacho S. Karilefi Abbas S. Vincentii olim evaserat, ad Episcopatum Dunelmensem à Rege designatus est 1080. 9. Nov. à Thoma Ebor. Archiepiscopo apud Glocestriam consecratus 1081. 3. Januarii. Vir maximis animi dotibus præditus, ingenio, eruditione, eloquentiâ, subtilitate, & rerum agendarum solertiâ nulli secundus; unde & favorem regium facilè meruit, primasque apud ipsum tenuit, summus Angliæ Justiciarius constitutus. His tamen tot tantisque dotibus deerat fides & integritas, adfuit effrænis ambitio, quæ hominem in præceps sæpiùs adegit. Maximis enim beneficiis à Rege Willelmo juniore cumulatus, adversùs ipsum cum Odone Baiocensi Episcopo & aliis conjuravit. Idcirco *anno* 1089. (verba sunt Annalium Dunelmensium) *Rex Willelmus disseisivit Willelmum Dunelm. Episcopum de suis & Ecclesiæ suæ terris* 4. *Id. Martii, & homines suos & omnes res suas ubicunque potuit capi fecit, ipsum quoque Episcopum capi jussit. Sed evadens Episcopus Dunelmum venit. Tandem ab Angliâ expulsus est Episcopus; & à Roberto Duce Normanniæ honorificè susceptus, totius Normanniæ curam suscepit. Tertio anno pacificatus Regi, Episcopatum recepit, ipso Rege eum restituente, cùm versùs Scotiam tenderet,* 3. *Id Sept.* Favorem dein regium pessimis artibus captans, maximus erat dissidii inter Regem & Anselmum Archiepiscopum autor & incentor. Regi enim fidem præstiterat se facturum, ut Anselmus aut Romano Pontifici obedientiam penitus abnegaret, aut Archiepiscopatui reddito baculo & annulo abrenunciaret. Cùm verò neutrum præstare posset; suasit, ut Anselmus vi opprimeretur, & si regiæ voluntati manus dare nollet, ablato baculo de regno pelleretur: *ratus, ut dicebatur, Archiepiscopo discedente se Archiepiscopatûs solio sublimandum* esse. Maxima tamen Sedi suæ beneficia vir magnanimus contulit, auctis fundis, assertis libertatibus, & fundatâ Ecclesiâ. Dirutâ enim post 98. annos vetustâ, quam Aldhunus Episcopus construxerat, Ecclesiâ, aliam longè magnificentiorem inchoavit, positis ejus fundamentis 1093. 11. Augusti juxta Turgotum, vel 1094. 12. Augusti juxta Annales Dunelmenses. Morte autem prærepto ei opus inceptum absolvere non licuit, laude istâ Ranulpho successori relictâ. Willelmus enim in curiâ Regiâ apud Windesoram gravi infirmitate correptus decubuit 1095. 25. Dec. regiam nuper iram expertus, & officii sui rationem postulatus. Morituro Episcopi astantes decreverunt; ut in ipsâ Dunelmensi Ecclesia tantus ejus benefactor sepulturam acciperet. Noluit autem Willelmus, in hoc saltem humilis, ut in ipsius gratiam violaretur Ecclesiæ suæ consuetudo summâ hactenus religione observata, quâ receptum est, ne quis eundem cum sacrosancto Cuthberti corpore locum sepulturæ, in Ecclesia sc. Dunelmensi, obtineret; quin potiùs in capitulari domo Dunelmensi sepeliri petiit; ubi & singuli ejus ad annum usque 1311. successores sepulti sunt. Obiit 1096. 2. Januarii, apud Dunelmum ex aquilonari domûs capitularis parte die 16. Januarii sepultus; peractis in Episcopatu annis 15. mensibus 2. minùs 3. diebus, ex Turgoti calculo. Diem 1. Januarii ipsi obitualem Wigorniensis & Westmonasteriensis malè posuerunt.

Malmsbur. f. 158.

Eadmer. Hist. Nov. f. 28, 29.

Turgot. l. 3. c. 7.

Id. l. 3. c. 10.

Annal. Dunelm.

Continuatio

Continuatio HISTORIÆ TURGOTI DE Episcopis Dunelmensibus

Ab anno MXCVI. ad annum MCXLIV.

Authore Monacho Dunelmensi anonymo.

CAP. I. De RANULPHO Episcopo. [a]

TRIBUS dehinc annis Ecclesiâ vacante Pastore, trecentas annuatim libras Rex Willelmus in suum de Episcopatu transtulit ærarium. A Monachis verò nil accipiens, immo largus & beneficus, nil oppressionis & injuriæ illis à quoquam irrogari permisit. Evolutis de quarto anno ab obitu Episcopi quinque mensibus, Rex dedit Episcopatum Ranulpho; qui

[a] Ranulphus seu Randulphus, cognomine Flambard sive Passeflabere dictus, Historicis nostratibus maximè exosus, Episcopatum Dunelmensem in assidui atque invisi ministerii præmium à Willelmo II. Rege accepit. Decanum antea Ecclesiæ Collegiatæ de Twinham Christo sacræ in agro Hantonensi existentem, eam egregiè restaurasse Camdenus, nescio qua fide, refert, p. 187. Postea regiæ clientelæ adhibitum, Justiciarium totius Angliæ Willelmo regnante fuisse abunde constat; quod quidem munus eo tempore longè dignius erat quàm seu Cancellarii seu Thesaurarii. Hinc Henricus Huntindoniensis (l. 7. f. 212.) Odonem Episcopum Baiocensem, & Ranulphi in hoc munere prædecessorem vocat, *Justiciarium & Principem totius Angliæ*. Ranulphum simul opum regiarum procuratorem fuisse Ordericus & Parisius testantur, ita tamen ut utrumque munus simul gessisse videatur. Nominatus est à Rege anno 1099. in Festo Pentecostes apud Londinum, & ibidem à Thoma Eboracensi consecratus est Dominicâ S. Trinitatis, viz. die 5. Junii in Ecclesiâ S. Pauli: authoribus Florentio, Stobæo & Annalibus Dunelm. Addunt quidem Annales, *quòd consecratus fuerit sine ullâ exactione professionis, sicut & Willelmus prædecessor suus*. Contrarium asserit, & Professionis factæ formulam exhibet Stobæus; cui magis accedo. Monachis enim pro Ecclesiæ suæ dignitate mentiri non infrequens erat. Post annum & duos menses sublato Willelmo Rege, clementia Ranulfo, unico Tyranni ministro, neutiquam erant exspectanda. Nil gratius Clero atque populo Henricus Rex primis regni auspiciis facere potuit, quàm ut istum in carcerem compingeret. Factum id *anno* 1100. *6. Id. Septembr. secundùm Rogerum Hovedenum, vel. 18. Cal. Sept. secundùm alios:* inquit Historia Major Dunelmensis. Alium ab utroque calculum instituunt Annales Dunelmenses, qui captum & in Turri Londinensi incarceratum 1100. 14. Sept. fugâ elapsum esse 1101. 4. Febr. referunt. Fugam Historia major Dunelm. in 1101. 1. Febr. Annales Margam. in 1101. 2. Febr. Anonymus noster in 1101. 3. Febr. conjiciunt. Modum fugæ Ordericus Vitalis narrat (Hist. Eccl. p. 787.) re paulò altiùs repetitâ. *Hic de plebeiâ stirpe progressus, Willelmo Regi admodum adulatus est; & machinationibus callidis illi favens, super omnes regni Op-*

propter quandam apud Regem excellentiam singulariter nominabatur Capellanus Regis. Fuit autèm primò cum Mauricio Londoniensi Episcopo; sed propter Decaniam sibi ablatam orto dissidio spe altioris loci se transtulit ad Regem. Nec eum fefellit spes. Admixtus enim causis regaliorum negotiorum, cùm esset acrioris ingenii & promptioris linguæ, brevi in tantum excrevit; ut adepta apud Regem familiaritas totius Angliæ potentes & natu quoque nobiliores illum superferret. Totius namque regni Procurator constitutus, interdum insolentiùs acceptâ abutens potestate, cùm negotiis Regis pertinaciùs insisteret, plures offendere parvi pendebat. Quæ res multorum ei invidiam & odium contraxerat. Crebris accusationibus serenum animi regalis ei obnubilare, & locum familiaritatis conabantur interrumpere. Sed cùm hic casso labore deficerent, dolis circumventum etiam extinguere machinabantur. Quidam Geraldus aliorum, ut dicitur, audaciâ simul & dolo armatus, ascensâ cum paucis naviculâ, convenit Capellanum Londoniæ; suppliciter orans, ut ad Dominum suum Mauricium Episcopum infirmantem quantociùs properaret; qui in villâ suâ super ripam Tamesi flumini extremum penè spiritum agens, illi magnopere desideraret colloqui. In argumentum veritatis dixit se naviculam à Domino missam advexisse, qua ad illum velociùs transveheretur. Ille nil mali suspicatus, cum paucis suorum intravit navem, quam Geraldus recto per alveum fluminis cursu ad mare dirigebat. Quærente Capellano cur tam diu navigantes nusquam diverterent ad littora, fingebat portum paulò longiùs abesse, ubi aptior esset de naviculâ egressus in terram. Interea prospiciens majorem medio in flumine navem anchoris stabilitam quasi suam ut videbatur operiri adventum, illico malignæ deceptionis

timates ab illo sublevatus est. Summus regiarum procurator opum & Justiciarius factus est; ab innumeris crudelitatibus exosus, & pluribus terribilis factus est. Ipse verò nimis locupletatus est; & usque ad Pontificatum, quamvis penè illiteratus esset, provectus est. Post Regis obitum in arce Londinensi Gulielmo de Magnavilla custodiendus in vinculis traditus, exitum callidè per amicos procuravit. Erat enim solers & facundus, & licèt crudelis, largus tamen & jocundus, & ob hoc plerisque gratus & amatus, Cotidie ad victum suum duos solidos jussu Regis habebat. Unde cotidie in carcere splendidum sibi suisque custodibus convivium exhiberi jubebat. Quadam die in lagenâ vini funis ei delatus est, & copiosus convivii apparatus. ——Inebriatis custodibus, Episcopus funem ad columnam, quæ in medio fenestræ arcis erat, coaptavit; & baculum pastoralem secum sumens, per funem descendit. Verùm quia manus suas oblitus fuit chirothecis obvolvere, usque ad os excoriatæ sunt. ——Fideles amici ad pedem Turris expectabant, qui ibidem ei optimos cornipides præparaverant. Quibus ascensis, ille velociter aufugit, & fidos comites cum thesauro suo obviam habuit, cum quibus in Normanniam ad Robertum Ducem navigavit. ——Robertum Ducem adversùs Henricum fratrem incitare non desiit; & à Duce toti Normanniæ præfectus est. ——Anno 1101. *mense Januario obiit Gislebertus Episcopus Luxoviensis. Deinde Ranulfus Luxoviensem Pontificatum filio suo Thomæ puero suscepit, & per triennium non ut Præsul sed ut Præses gubernavit.* Istâ Ordericus. Postquam Ranulphus carcere elapsus esset, *Rex Episcopatum Dunelmensem saisivit* (inquit Historia major Dunelm.) *ac suæ Diocesis appendicia Caerleil & Hexham Rex abstulit; quorum Hexham Archiepiscopo Ebor. contulit; in Caerleilo Episcopatum de novo fundavit* (id postea factum intellige) *& contulit Ethelwlfo Priori S. Oswaldi; quæ loca eatenus à tempore S. Cuthberti & antea sub jurisdictione erant Ecclesiæ Lindisfarnensis sive Dunelmensis.* Roberto Duci Ranulphus facilè persuasit, ut traducto in Angliam exercitu regnum paternum repeteret. Applicuit Robertus, Ranulpho comitante, 1101. 19. Julii. Robertum autem Henricus Rex arma deponere & in Normanniam redire datâ pecuniâ & sermone blando induxit, eâ tamen conditione ut Ranulphus Episcopus in integrum restitueretur. Factum id evestigio; editisque ab Henrico Chartis ferè vicenis (quæ in Historiâ majori Dunelm. extant) Ranulphus Episcopatum recepit. Cæterùm de Roberti fortunâ parum sollicitus, Episcopatum deinceps usque obitum sine molestiâ tenuit; eundemque fundis & ædificiis magnificis egregiè auxit. De tempore Episcopatûs gesti Historia major Dunelm. & Annales Dunelm. cum nostro adamussim conveniunt. De die autem obitûs haud adeò convenit. Hunc Florentius & Simeon Dunelmensis 1128. 5. Sept. Annales Dunelm. 1128. 4. Sept. contigisse volunt.

intel-

intellexit molimina. Quid plura? In navem suspectam transponitur numerosiorem armatorum manum habentem. Jam nulla uspiam evadendi spes. Ipse annulum quem digito gestabat, & Notarius suus sigillum illius medium projecerunt in flumen; ne per hæc ubique locorum per Angliam cognita, simulata præcepta hostibus decipientibus transmissa rerum perturbarent statum. Tunc & homines sui emittuntur in terram, valido priùs sacramento obligati, ut nulli mortalium quicquam de abducto Domino suo dicerent. Jam navis relicto flumine alta maris ingreditur; & suspensis velis prospero aliquamdiu cursu versùs meridiem dirigunt, Interea remotiùs in prorâ sedente Capellano, de genere mortis fit inter nautas conspiratio. Eliguntur duo filii Belial, qui illum in fluctus projicerent, vel fracto fustibus cerebro enecarent; habituri pretium sceleris optimas quibus tunc indutus fuerat vestes. Quorum alter cùm negante altero mantellum illius sibi vellet sortiri; protracta inde contentio intentatam viro distulit mortem. Jamque die altero favens ad votum cesserat navigatio; cùm ecce ventus turbinis à meridie surgens totum à profundis finibus conturbavit mare, noxque repentina obduxit caligine cœlum. Jactatur hinc & inde procellis carina, jam non gubernaculo sed ventis obediens & fluctibus. Nec ulteriùs procedere nec littora valebat attingere. Jam rudentibus ruptis fractoque malo, non tam ferebatur aquis, quàm ipsa ferebat aquas. Nichil certius quàm mortem expectabant. Sola hæc quantulacunque maris erat licentia, ut unde venerat navis rediret. Quò repellentibus eam undis, deliberata est in Ranulfum mortis sententia; ne evadens illatas ulciscatur injurias. Porrò quidam secundus in navi à Geraldo tantum exhorrens scelus, repentè astans, vultuque tristi & lacrimis suffuso, Proh dolor, inquit, Ranulfe jam morieris nostro scelere pessimo; sed si mihi veniam dederis pravæ conspirationis; hìc tui defensor astabo, tuæ vel vitæ vel mortis comes. Tunc ille, sicut magnanimus semper erat in periculis, ingenti clamore vociferans, Quid tu, inquit, Geralde cogitas? Quid de nobis machinaris? Homo meus es; fidem mihi debes; hanc violare non tibi cedet in prosperum. Resipisce, & à pernicie facti quam intendis animum revoca. Quin potiùs proficuum accipe tibi per omne tempus vitæ tuæ consilium. Pete quantum volueris. Ego sum qui plura petitis præstare potero; & ne discredas promissis, ecce manu affirmo quod polliceor. Ille non tam promissis illectus, quàm potentiâ viri exterritus, consentit; eductumque de navi jam in portum repulsâ honorifico in suâ domo quæ litori prominebat procuravit apparatu. Sed nequaquam credulus promissorum, fugæ præsidium iniens æterno disparuit exilio. Ranulphus verò accitis undique militibus multâ armatorum manu grandique strepitu deducitur Lundoniam, omnibus in stuporem versis, ut quem fama divulgaverat extinctum, subitò quasi redivivus regalium negotiorum executor resideret. Acceptior dehinc Regi, omnes invidorum conatus cassavit; ita undique circumspectus, ut nullorum Rege vivo pateret insidiis.

Anno ab Incarnatione Domini MXCIX. [a] Nonis Junii, Octavis Pentecostes suscepto Episcopatu consecratus est in Ecclesiâ S. Pauli Lundoniæ à Thoma majore Eboracensi Archiepiscopo sine ullâ exactione professionis, sicut & Willelmus quondam prædecessor illius. Post annum autem & tres eoque amplius menses accepti Episcopatûs Rege in venatu sagittâ interfecto, circumventus ab insidiantibus Episcopus jussu Henrici, qui fratri successerat, XVIII. Cal. Septembris captus, diligenti custodiâ in Turre Londinensi artatur. Sed non multò pòst, sc. III. Non. Februarii, magnâ calliditatis arte & suorum clandestino auxilio fugiens noctu omnem sese terrâ marique persequentium elusit diligentiam. Veniens igitur Normanniam, honorificè à Duce Roberto fratre Regis susceptus est; à quo Luxoviensem Ecclesiam, quæ tunc vacabat Episcopo, ad sui suorumque comitum subsidia suscepit. Pòst non multo tem-

[a] Male Codex vulg. IX. *Non* contra fidem MSS. & Simeonis Dunelm. in Hist. de Reg. *p.* 224.

 pore

pore cum Duce præfato armis cum fratre aggressuro multâ classe revehitur in Angliam; ubi strenuis mediatoribus pace inter fratres reformatâ, utriusque partis transfugis ex conditione pacis liber in sua permittitur reditus. Inter quos & Ranulphus Episcopatum quidem recepit; verùm gratiam Regis, licèt magnis & continuis muneribus, ad plenum sibi redintegrare nequaquam valuit. Sed ut hanc qualitercunque vel simulatitiam mereretur; aggravavit manum super Episcopatum, immoderatiùs inde exigens pecunias, quibus & Regis & ejus familiarium sibi emeret gratiam. Qua de causâ fragili fretus juvamine, suæ Dioceseos appendentia sc. Carleolum & Teviodale revocare nequibat; quæ illo exulante, cùm Ecclesia non haberet defensorem, ad suas Dioceses quidam Episcoporum applicaverant. Rex etiam ipse odio ipsius cartam Ecclesiæ discindi & annihilari præceperat, quam ad confirmationem possessionum Ecclesiæ à Rege Willelmo impetraverat.

CAP. II. De moribus Ranulphi Episcopi.

CÆterùm ei Episcopo inerat magnanimitas, quam quondam procurator regni contraxerat ex potentiâ; ut in conventu Procerum vel primus vel cum primis semper contenderet esse; & inter honorificos honoris locum magnificentiùs obtineret. Vastiori semper clamore vultuque minaci magis simulare indignationem quàm exhibere. Ad hæc facunda ei verborum inventio; qua seriis admiscens jocularia, dubios veri & falsi suspendit auditores. Motus animi quoque interdum levis, nec diutiùs iram retinens, nec lætitiam ex altero in alterum permutare facilis. Inter hæc plurimum circa suos eminebat beneficiis. Jura libertatis Episcopii secundùm vires contra extraneos defendebat. Circa opus Ecclesiæ modò intentiùs modò remissiùs agebatur; sicut illi ex oblatione altaris & cæmiterii vel suppetebat pecunia vel deficiebat. His namque sumptibus navem Ecclesiæ circumductis parietibus ad sui usque testudinem erexerat. Porrò prædecessor illius, qui opus inchoavit, id decernendo statuerat; ut Episcopus ex suo Ecclesiam, Monachi verò suas ex Ecclesiæ collectis facerent officinas. Quod illo cadente cecidit. Monachi enim omissis officinarum ædificationibus operi Ecclesiæ insistunt; quam usque navem Ranulphus jam ædificatam invenit. Addidit etiam ornamentis Ecclesiæ dorsalia, pallia, cappas, casulas, tunicas quoque & dalmaticas. Angustias curiæ Monachorum porrecto in longum & latum spatio dilatavit. Pauperibus modò rogatus modò ultroneus largâ manu fuit beneficus. Urbem hanc licèt natura munierit, muro ipse reddidit fortiorem & augustiorem. A Cancello Ecclesiæ ad arcem usque Castelli productâ murum construxit longitudine. Locum inter Ecclesiam & Castellum, quem multa occupaverant habitacula, in patentis campi redegit planitiem; ne vel ex sordibus contaminatio vel ex ignibus Ecclesiam attingerent pericula. Diversas Wiri fluminis ripas continuavit structo de lapide magni operis ponte arcuato. Condidit Castellum in excelso [b] præruptæ rupis super Twedam flumen; ut inde latronum incursus inhiberet & Scotorum irruptiones. Ibi enim utpote in confinio regni Anglorum & Scotorum creber prædantibus antè patebat incursus, nullo ibidem quo hujusmodi impetus repelleretur præsidio locato. Taliter impulsu quodam impatiente otii de opere transibat ad opus; nil reputans factum, nisi factis nova jam facienda succederent. Vivacis animi & vegeti fuit corporis, in eodem incolumitatis statu usque biennium ante mortem perdurans. Abhinc enim & salus ei paulatim languescere, & acumen sensûs cœpit retundi. Aggravatus tandem lethali morbo, ortu dierum Canicularium in lectum decidit; eorundemque occasu moriens occidit. Assederant ægrotanti assiduè majores Ecclesiæ; exhortantes ut præoccuparet faciem Domini in confessione, & faceret sibi amicos de

[b] sc. apud Norham, quod opus inchoavit, Ann. 1121. teste Hovedeno.

de mammonâ iniquitatis, atque quibus deberet justa cuique persolveret. Dehinc fit inter pauperes & debitores distributio pecuniæ. Sed quicquid debitoribus, quicquid pecuniarum alicubi vel distributum fuerat vel repositum, nisi quantum Ecclesiæ quædam & pauperes acceperant, totum Rex post obitum Episcopi per exactores in suos thesauros recolligi jussit. Uno fermè antequam moreretur mense se in Ecclesiam jussit transportari; Ubi residens contra altare, ex profundo cordis erumpens in gemitum, circumstantibus modò Clericis & pluribus Episcopii hominibus, cœpit altiùs pœnitere malorum quæ gesserat contra Ecclesiam, sc. quòd ejus pristinam libertatem redegerit in servitutem, quòd ingenuas illius consuetudines & terras quasdam abstulerit. Et hoc, inquit, non coactus inopiâ feci, sed cupiditate illectus. Plùs volui illos nocere quàm potui. Nunc autem & libertatem quam inveni & quamcunque abstuli, reddo; ut mihi peccatorum meorum pœnitenti indulgeat veniam Deus. Dehinc per annulum altari impositum omnia restituit Ecclesiæ ablata; cartâque suâ & sigillo confirmavit restituta. Obiit autem peractis in Episcopatu XXIX. annis & III. mensibus & VII. diebus. Eo autem defuncto, committitur Episcopatus, duobus Baronibus, viz. Hugoni de Annundavillâ & Gaufrido seniori Escorland ad opus Regis censum colligentibus; vacavitque Episcopatus per quinquennium excepto uno mense. Eo tempore navis Ecclesiæ Dunelmensis Monachis operi instantibus peracta est.

CAP. III. De GAUFRIDO Episcopo. [b]

ANno Incarnationis Dominicæ MCXXXIII. in Episcopum Dunelmensem eligitur Gaufridus Regis Henrici Cancellarius, qui Rufus dicebatur; consecratusque est Eboraci à Turstino Eboracensi Archiepiscopo. Cujus anno III. Rex Henricus moritur anno Dominicæ Incarnationis MCXXXV. cui in regnum nepos ipsius Regis ex sorore Stephanus successit; qui laboriosissimè regnum Anglorum XIX. annis, exceptis duobus mensibus & septem diebus, tenuit; diffidentibus inter se Primatibus totius regni. Dissentionis autem causa hæc erat, quòd tempore Regis Henrici regnum filiæ juraverant; quæ dudum Imperatrix Alemannorum eâ tempestate Comiti Andegavensium matrimonio copulata erat. Hac de causâ David Rex Scotorum & Comites quinque Angliæ à Rege Stephano dissentientes, dum sibi invicem adversantur, uniuscujusque malitiæ exercendæ facultatem tribuerunt; ut major pars regni desolata relinqueretur. Episcopus sanè Gaufridus primo Episcopatûs sui tempore depravatus à quibusdam, severiùs cum Monachis agere compellitur. Sed non multò pòst in se reversus, libertates & consuetudines tam Ecclesiæ quàm Monachis more prædecessorum suorum indulsit; & Priori Ecclesiæ quæcunque vel patrum Ecclesiæ auctoritas vel probata servaverat antiquitas vel prisca consuetudo, benignè concessit. Ipsius tempore Capitulum Monachorum, quale hodie cernitur, inchoatum & consummatum est. Obiit Gaufridus Episcopus. Moriens verò ornamenta Ecclesiæ non mediocria contulit; sed in ipsius obitu contigit Ecclesiam gravissimas tempestates incurrere.

---

[b] Consecratus est apud Eboracum 1133. 6. Augusti, intronizatus in Ecclesia suâ die 10. Augusti. Obiit in Castello suo Dunelmensi 1140. 6. Maii, sepultus in Capitulo Dunelmensi die 11. Maii, postquam sedisset annis 7. minùs mensibus 3. & diebus 8. ex concordi fide Historiæ Majoris & Annalium Dunelm. Hunc Cancellarium Regis fuisse constat ex Huntingdoniensi, f. 220. b. Hovedeno, f. 275. a. & aliis.

CAP.

CAP. IV. De factis Willelmi Comine.

ERAT enim quidam Regis Scotiæ Cancellarius, videlicet Willelmus Comyn, jampridem Episcopi ejusdem Gaufridi ante Episcopatum Clericus. * Siquidem & antè eum ab annis adolescentiæ educaverat; sed paululùm ante obitum ejusdem Dunelmum veniens, & cum eo familiariter conversatus, cùm finem appropinquare cerneret; familiares quoque Clericos, Castellanos etiam sibi fide vel sacramentis associat, ut mortuo Episcopo eidem traderent Castellum & committerent. Totum autem consilium suum tam Priori quàm Archidiaconibus Ecclesiæ summopere celabat; & maturato rursus itinere ad Regem Scotiæ revertitur, quasi ipsius adjumento Episcopatum Dunelmensem adepturus. Defunctus est autem eo absente Episcopus die Rogationum secundâ, feriâ sc. tertiâ; & nocte sequenti, quòd cadaver ejus aliter teneri non potuerit, exenteratus atque sale conditus est; statimque pro celandâ morte ipsius Castelli introitus etiam ipsis Archidiaconibus & Priori juxta solitum eum visitare volentibus interclusus est, & mors ejus celata usque sextam feriam. † Cùm verò versaretur in ore omnium sermo mortis ejus; tradiderunt sepeliendum feriâ sextâ quasi recenter mortuum; & Sabbato sepultus est. Dominicâ sequente rediit Willelmus in Castellum; & quasi auctoritate Regis Scotiæ munitus, quam ad suam factionem jam inclinaverat, cœpit quasi sua omnia disponere, singulisque & sæpe communiter omnibus verba faciens, quosdam alliciens promissis, alios attrahens blanditiis, omnes autem exquisitis circumveniens astutiis, omnia pro posse sic agebat; ut præsumpta sibi permaneret potestas. Nec multus erat labor, ut sibi Barones adjungeret; qui priùs penè expetitus est ab eis quàm expeteret, cùm timore ejus præventis tum calliditate circumventis. Infecit autem & unum Archidiaconum malitiæ suæ venenis, ut sibi assentiret. Hæc autem omnia in abscondito in tenebris & in umbrâ mortis; donec adveniente Rege Scotiæ palàm sermo de his fieret à Baronibus qui Regem comitabantur, sc. Roberto de Brus, Bernardo de Baylol, Hugone de Morevile. Isti namque in ejus factionem facilè adducti non minùs spe commodi quàm promissione lucri, singuli singillatim modò Priori, modò Archidiacono Ranulpho, opportunè, importunè insistebant, promissis illicientes, minis terrentes; ut eum in Episcopum eligerent. Responsum est eis non posse hoc fieri tam inordinatâ electione contra Canonum jura & sanctorum Patrum decreta, inconsulto Domino Legato Henrico Wintoniensi Episcopo matreque Ecclesiâ, nec die statuto, nec viris religiosis ad tale negotium evocatis. Cùm autem omnia facerent, & nil efficerent; loquela tandem eo modo finita est, ut mitterentur ad Curiam à Capitulo Legati cum Rege Scotiæ, qui per ipsum Regem, Legatum & Imperatricem requirerent; quatinus Ecclesiæ suam libertatem confirmarent, ut liberam & canonicam electionem facere possent. Missi sunt ad hoc negotium non quos elegit Capitulum, sed quos adversariorum factio coegit. Cùm tamen in die sacro Pentecostes in Capitulo qui mittebantur, à Priore sub adjuratione divini nominis astricti sunt, ne ad Curiam venientes aliud quærerent quàm id ad quòd missi fuerant, liberam sc. electionem, nec quenquam nominarent, aut nominatum susciperent. Iverunt cum eo plures de Episcopatu Barones, omnes ei consentientes; & remansit custodia ejus in Castello. Sed ad Curiam venientes, non invenerunt tunc Legatum; nec tamen cessabat ejus factio conari quod poterat. Requisierunt igitur Imperatricem & Barones & nuncii qui venerant; ut consuleret Ecclesiæ Dunelmensi de personâ nominatâ, sc. de Willelmo. Posita tamen res in respectum est usque Legati adventum; cui tamen Ranulfus Archidiaconus futurorum præcavens totius rei ordinem literis mandaverat. Veniens autem Legatus ad Curiam

* idem Archidiaconus in Ecclesia Wigorniensi fuit.

† Hactenus exemplar vulgatum verbatim ferè convenit; in sequentibus multò brevius est.

Curiam Imperatricis, statim per Barones & eos qui à Dunelmo venerant de Willelmo requisitus est. Verum præsciens rei ordinem, ad tam inordinatum non potuit assensum inclinari; sed rem examinans, præscriptam factionem invenit, fautoribusque ipsius dignâ animadversione interdixit, ne Willelmum in Episcopum nisi canonicâ electione susciperent. Ipsi quoque Willelmo interdixit omnem ecclesiasticam communionem, si Episcopatum susciperet, nisi Canonicè promotus. Actum id in die S. Johannis Baptistæ. Pactus erat Willelmus ab Imperatrice baculum & annulum recipere; & data hæc ei essent, nisi factâ à Londoniensibus dissentione cum omnibus suis discederet ipso die à Londoniâ Imperatrix. Discessit quoque Willelmus cum eâ, Regem Scotiæ comitatus. Rediit Dunelmum Robertus Archidiaconus & Barones de Episcopatu, ferens literas Imperatricis directas ad Capitulum; quarum summa hæc erat: Quòd vellet Ecclesiam nostram de Pastore consultam esse, & nominatim de illo quem Robertus Archidiaconus nominaret; & quòd de illo vellet, & de alio omnino nollet. Quæsitum est ergo, quis hic esset. Responsum est quòd Willelmus. Obsessâ verò Imperatrice apud Wintoniam, inter fugientes fugâ dilapsus Willelmus circa Festum S. Michaelis Dunelmum venit; ubi Regem Scotorum ab eâdem obsessione pridie reversum invenit in Monachorum Curiâ hospitatum. Et ipse quidem statim Castellum intravit. Iterum igitur obsecrationes, postulationes pro eo, sed non gratiarum actiones; quoniam nec Prior nec Capitulum nec Ranulphus Archidiaconus verba patiebantur admitti. Post multa tandem relictus est Willelmus in Castello à Rege, quasi custos Episcopatûs sub manu Imperatricis; & plegius factus est ipse Rex inter illum & Priorem Fratresque Monasterii, ne sibi alterutrius damnum quærerent aut facerent. Discedente autem Rege, disponebat Willelmus, non ut custos sed sicut jam Episcopus factus, dare etiam terras; homagium omnium Baronum, præter solius Rogeri de Coyneriis, suscipiens; & Burgenses sacramenta fidelitatis sibi facere compulit. Cùm autem cotidie Ranulpho Archidiacono instaret, nec aliquo modo flectere posset eum ad suum velle; tandem de Dunelmo eum disturbavit, immo & à toto Episcopatu eum exulem reddidit. Non habens enim ubi securus se ageret, vix Eboracum effugit; diripiente Willelmo omnia quæ ipsius erant, & nec domibus parcente, quas effringere fecit & abstrahere atque destruere. Ranulphus verò cùm magnâ difficultate ad Regem Angliæ evasit; & querimonias harum rerum apud ipsum & apud Dominum Legatum deposuit. Protulit ergo Legatus in Willelmum tanquam invasorem anathematis jaculum; donec sc. Ecclesiæ satisfaceret, & Ranulpho ablata restitueret: & Ecclesiæ Eboracensi per ipsum Archidiaconum mandavit eandem in Willelmum proferre sententiam. Sed auditâ suâ damnatione Willelmus parum aut nihil inde curavit. In Quadragesimâ veniente Dunelmum Hereberto Abbate de Kelkowe, quasi occasionem nactus, convenit Rogerum Priorem secretè, districtè inquisitionem faciens si se habere vellet Episcopum; ut super hoc certitudinem Regi Scotiæ mandaret. Veruntamen nil ab eo quod volebat extorquere valens, dimisso illo Cantorem, Secretarium, Celerarium, Monachos singulos singillatim evocans, eandem cum omnibus inquisitionem agebat, nec aliquid proficiebat. In eâdem Quadragesimâ venit Dunelmum Monachus quidam girovagus de Ordine Cisterciensium; & statim à Willelmo in familiaritatem admissus est. Post multam inter se collusionem dimissus est ab eo ad machinandum negotium, quod postea satis patuit. Transacto enim tempore rediit idem Monachus; & falsas literas quasi à Domino Apostolico transmissas Willelmo detulit, sigillum contrafactum habens ad similitudinem sigilli Apostolici. Ipsas literas Willelmus lætabundus quibusdam ex fratribus ostendit; in quibus significare videbatur Apostolicus gaudium sibi esse de ipsius electione, quam à Populo Dei canonicè factam audierat; præcepisse quoque se Legato suo Henrico Wintoniensi Episcopo, ne amplius molestaret

lestaret eum. Dimisit deinde Monachum ad Regem Scotorum euntem; quoniam ad ipsum quoque ejusmodi literas ferebat quasi ab Apostolico missas, in quibus continebatur quod maximè eum velle noverat, sc. ut Matildam Imperatricem Henrici Regis filiam adjuvaret, deinde ut Willelmum Dunelmensem Electum manuteneret. Neque difficile fuit ei, ut Regem deciperet tali machinatione; qui videlicet in regno suo ipsas literas transcribi jussit; & Monacho donans palefridum, & donis aliis honorans, ad Willelmum transmisit. Tantam rerum fallaciam Ricardus Abbas Mailrosensis experiens, zelo zelatus est pro domo Israel, tam horrenda in eo machinari exhorrens; ipsumque Pseudolegatum Monachum cepit,& omnem suam machinationem confiteri fecit; qualiter Willelmi operâ & promissis hæc operari edoctus & instigatus sit. Post obitum verò Gaufridi Episcopi secundò mandatus est Prior à Legato per obedientiam & sub excommunicationis pœnâ præsentiam suam sibi exhibere. Veruntamen circumclusus custodiâ à Willelmo, cùm apertè hoc facere non valeret, in occulto exitu manus ejus evasit, & quod jubebatur implevit. Hoc agnoscens Willelmus ab illo jam tempore adversùs fratres relictos sævitiam suam exercuit; plurima eis mala faciens, & pluriora eis promittens. Portas itaque custodiri fecit; ut nec nuncium mitterent nec reciperent Monachi quoquo modo possent. Sæpe verò etiam victualia eis inferre prohibuit; & servientibus eorum aditum ad eos interdixit. Sigillum Capituli in potestate habens, ad quos volebat & quas volebat pro suâ causâ literas mittebat. Inter hæc Castellum apud Alvertonam ædificavit; quod suo nepoti Willelmo dono dedit; conjungens ei matrimonio neptem Comitis de Albemarla ad manutenementum suum.

CAP. V. De electione WILLELMI DE S. BARBA.

Anno post obitum Domini Gaufridi Episcopi tertiò redierunt à Româ nuncii, qui pro negotio Ecclesiæ Dunelmensis missi ad Dominum Apostolicum Innocentium fuerant à Priore & Archidiacono Ranulpho; deferentes epistolam, quâ idem Prior & Archidiaconus ex autoritate Apostolicâ jubebantur; quatinus infra quadraginta dies postquam literas ipsas vidissent, Pastorem sibi eligerent; & si in Ecclesiâ Dunelmensi facere non possent, in matrice Ecclesiâ vel in aliquâ vicinâ tam sanctum opus explerent. Statutâ ergo die ad electionem, & personis de Episcopatu mandatis, res Willelmum non latuit; qui statim itinera omnia obsedit; vicinis quoque mandavit, ut transeuntes observarent & sibi asservarent. Unde factum, ut quosdam quidem ipse caperet, quosdam etiam in proximo secundùm mandatum ejus capi contingeret. Quamobrem nonnullos hujus rei timor à cœpto itinere revocavit. Facta est tamen Deo juvante juxta Dompni Apostolici mandatum electio de

[c] Postquam Sedes annis 2. (lege 3.) hebdomadibus 6. & diebus 3. ex calculo Annalium Dunelm. vacasset; Willelmus de S. Barbarâ (id enim verius ei nomen) electus est à Monachis Dunelmensibus apud Eboracum in capellâ S. Andreæ 1143. 14. Martii, consecratus apud Wintoniam ab Henrico Legato 1143. 20. Junii, intronizatus die 18. Augusti sequentis. Sic habent Annales Dunelmenses. Nondum tamen Willelmus Episcopatûs possessionem acceperat; adeò ut tunc intronizatus fuerit, aut clanculum à Monachis admissus in Ecclesia Dunelmensi, antequam Willelmus Cumin præsidium in eâ posuerit, quod post biduum fecit, aut in Ecclesiâ S. Ægidii adjacente. Factâ verò cum Willelmo Cumin compositione plenam Episcopatûs possessionem adeptus, in Ecclesiâ Cathedrali ritè intronizatus est 1144. 18. Octobr. Pacis erat conditio, ut Ricardus Willelmi Cumin nepos *teneret de Episcopo Alvertun & totum illum honorem, cætera de integro resignarentur in manu Episcopi.* Sic Johannes Hagulstaldensis, qui rei gestæ tempora malè disposuit.

venerabili

venerabili viro Willelmo Decano Eboracensis Ecclesiæ Dominicâ mediâ Quadragesimæ; miseratque Willelmus signatas Capituli literas; quippe qui sigilli, ut dictum est, potestatem habebat cum duobus Clericis, à quibus electio fieri prohiberetur; sed non indignè talis legatio repulsam promeruit. Cùm autem absens esset idem Willelmus, ad Concilium quod tunc Londoniæ celebrabatur profectus, & rem totam penitus ignoraret; obviam factus est Priori & personis, per quos eadem de ipso facta fuerat electio, apud Wyntringham super Umbre flumen, ad Eboracum de Concilio rediens. Ibi tunc Prior & Archidiaconus cum cæteris in Ecclesiâ iteratâ nominatione ipsum in Electum Dunelmensis Ecclesiæ confirmaverunt; nolentemque & maximè reluctantem ad altare traxerunt, *Te Deum laudamus* cantantes. Sequente sanctâ festivitate Pentecostes reverso de transmarinis partibus Legato Wintoniensi cum eo profecti sunt; cùm mandâsset ei Legatus in vi obedientiæ ad se venire. Examinatâ ergo electione secundùm Dompni Apostolici mandata & sanctorum Patrum decreta, Regisque assensu quæsito & accepto, sicut mandaverat Dompnus Papa, sacratus est à Legato Dominicâ ante Festum Nativitatis S. Johannis Baptistæ; & Eboracum rediit manè post Festum Apostolorum Petri & Pauli.

CAP. VI. De crudelitate Willelmi Comyn, & de rebellione ejus.

MIserat etiam Willelmus nuncios cum literis, quas signari fecerat sigillo Capituli, per quos fieri prohiberetur consecratio ipsius Electi. Veruntamen auditâ consecratione ipsius, suæ mentis angustias in Fratres Ecclesiæ effudit, multis modis eos vexans. Vexabat quoque valde sacerdotes, quoscunque cessare à divino ministerio pro sui excommunicatione credebat, contra sanctorum Conciliorum decreta ut celebrarent divina compellens; & sepeliri faciebat per suos homines qui relinquebantur insepulti à Presbyteris. Orta est interim inter ipsum & Rogerum de Coyneriis discordia; quoniam homagium & sacramenta non potuit ab ipso, sicut cæteri Barones ei fecerant, extorquere. Cœpit ergo Rogerus ad sui munimentum domum suam munire apud Biscopton ipsius Willelmi timore. Audito hoc Willelmus multam manum ad locum occupandum misit; sed à spe cadens in semet recessit. Non multis pòst diebus invitatus à quibusdam,non tamen multis,Episcopatûs Baronibus, infra Episcopatum venit Episcopus post Festum Assumptionis S. Mariæ, tractus magis à suis quàm libenter veniens. Susceptus est optabiliter à multis; qui ad eum relicto Willelmo confluebant; & apud Biscopum paucis diebus perendinans, horum homagium capiebat qui voluntariè id offerebant; nulli vim aliquam inferens, sed qui voluntariè veniebant benignè suscipiens. Conduxerunt demum Episcopum Dunelmum Rogerus de Coyneriis & Barones qui ad eum confluxerant, ad munitionem sui militari manu muniti; sperantes vel ipsum Willelmum à malis suis pœnitere, vel eos qui cum eo fuerant ab ipso revocare. Multum autem opinione decepti sunt. Non solùm enim uti malorum pœnitens pacem non expetiit; sed nec nuncios pacis ad se missos audire passus est, quibus non admissis, aliis effugatis, nonnullis minis & opprobriis fatigatis. Emittens denique quos secum habebat milites, appropinquantes muris Episcopales belli modo repulit. Unde qui cum Episcopo fuerant, in se redeuntes, apud S. Ægidium quæ sic vocatur Ecclesiâ distante à muris spacio quasi ...... cum ipso Episcopo eâ nocte manserunt.Manè autem facto,conglobatus Willelmus suorum satellitum pompâ effractis januis in Ecclesiam cum armatis irrupit. Eratque videre milites loricatos evaginatis gladiis inter altaria discurrere, arcuarios flentibus & orantibus Monachis alios intermiscere, alios sibi invicem minari, omnem autem Ecclesiam fremitu atque tumultuantium

vociferatione repleri. Et manus quidem à læsione Monachorum vix abstinuerunt; cùm tamen unum eorum jactu lapidis penè interemissent, unitam custodiam militum & arcuariorum in Ecclesiâ relinquerent, ad modum castelli eam munierunt; & veluti tripudiantes gaudio, quòd divinitati contumeliam in loco pacis violatores focos accendebant, nidores carnium quas coquebant pro thimiamitum odoribus adolentes, pro vocibus cantantium vociferationes jugulantium, cum sonitu cornuum latiùs audiri faciebant. Inter hæc & contra Episcopales sæpiùs prodeundo non sinebant eos mœnibus appropinquare. Occultè autem Comiti W. de Ricardo vim pecuniæ promittens mandavit; quatinus cum exercitu veniens Episcopum cum suis loco amoveret. Rem autem prænoscens Episcopus, licèt obsistere posse videretur, ne effusione sanguinis videretur maculare causam pietatis, ad Biscopum cum suis discessit. Quem insequentes qui cum Willelmo erant, extremos agminis quos capere poterant miserè cruciabant; alios truncatis membris laniabant; quosdam vinculatos incarcerabant; paucos, quos gladiis suis indignos credebant, per pecuniæ redemptionem dimittebant. Interim quosdam Monachorum, quos sibi contrarios credidit, de Ecclesiâ ejecit. Exin vesania Willelmi indies animabatur & modus jam crudelitatis non erat. Milites quidem ejus assiduè prodeundo & circa regionem loca omnia cursando, quæcunque invenissent deprædabantur; & nec nocte nec interdiu à depopulatione cessantes, quicquid rerum invenissent passim diripiebant, etiam comburendo & destruendo, & quicquid in agris natum erat conterendo calcibus aut depascendo delebant; perque terram cultam iter agendo faciebant eam sterilem & vastitatis facie deformem videri. Et veluti post locustas silva cerni solet floribus & foliis spoliata; sic quacunque transibant, solitudinem à tergo relinquebant. Quoscunque enim magis perditos & in malitiâ famosos audiebat, adjungebat sibi: eratque inter eos certamen alius alium in nequitiâ superare; ut esset acceptior quicunque crudelior esset. In his autem quæ fiebant horror quidem audire est, magis verò videre miseria fuit. Neque enim solùm rapinis & spoliationibus metiebantur audaciam; sed usque ad corporum laniationes atque cruciatus accedebant, non tamen clam ac per noctem, ac quoscunque homines; verùm luce, palàm, nobiliores quosque ad tormenta rapiendo. Plurimus autem erat ac varius tormentorum modus; & quàm dictu difficile, tam etiam auditu incredibile. Suspendebantur per domos in parietibus homines, per transversum medii corporis funibus coartatis, & collo ac pedibus immensis loricarum sive saxorum ponderibus illigatis; pars ..... corporis terræ comprimebatur, nec tamen terram pressa tangebat. In hujusmodi autem pœnâ suspensi plures quàm duodecim simul sunt. Alios autem astricto per gelu fluminis alveo tempore hyemali dirutâ glacie cruciandos frigore miseros in aquam præcipitaverunt; & subinde funibus extrahentes, atque sæpius immergentes, tantæ crudelitatis spectaculo diros pascebant obtutus. Quorundam quoque per medium parietis pedes emittentes, nudos frigoribus nimiis opponebant; & interdum nocte totâ sic cruciandos reliquerunt. ad hæc accedebat genus id supplicii exquisitum, quo simul compressa in arctissimi loculi spatio membra collidebantur; ubi supplicii antiquum genus nova transimitabat crudelitas. Quomodo enim distensa per equuleum crescebant olim membra ad supplicium; sic modò è contra inde coartata minorabantur, & aliunde contracta interiùs rumpebantur. Super hæc autem vinculorum immanitatem, carceris fæditatem, famis enormitatem quis explicare sufficiat? Sed ut multa paucis absolvam; ubique per oppidum gemitus erat & plurima mortis imago. Talibus quidem tormentorum generibus locus semper honori habitus erat horrori; & infernus quidem suppliciorum vocabatur.

Episcopus autem post Festum S. Michaelis propiùs Dunelmum accessit; & ædificatâ ab his qui cum ipso erant munitione in loco qui dicitur Tornelau, ubi commodè poterat, cum inopiâ victitabat. Verùm in tantis malis cùm extrema

trema vastitas totius Provinciæ metueretur; ad Festum S. Andreæ per Eustachium filium Johannis & Stephanum de Maynil atque Barones Episcopatûs treugæ pacis cum Willelmo compositæ sunt usque Octavas Epiphaniæ; promisitque Willelmus malorum emendationem, sed fallaciter, ut postea patuit. Satis enim demonstratus est in illum pro tempore simulâsse. Quippe consumptis circumquaque & quasi corrosis amaris ejus morsibus, quæ dare possent vel crudelitati ejus materiam vel cupiditati prædam; quatinus si qui fortè tunc effugissent ejus malitiæ fauces, postmodum & liberiùs raperentur ad pœnas. Sacris autem diebus Adventûs Domini quietus esse non poterat. Sed ab Episcopatu modicùm quiescens, in vicinos Barones atque in Comitatum suam transtulit sævitiam, diripiendo atque depopulando omnia, & homines ad tormenta capiendo. Nocte quidem festivitatis S. Thomæ Apostoli Unfridum de Crup in propriâ domo capiens, Dunelmum abduxit, & ad redemptionem posuit. Infra verò octavum diem Dominici [Natalis] in terrâ Bernardi de Baylol, etiam strage hominum factâ, prædam multam Dunelmum advexit; & homines quos vivos ceperat variis tormentis affecit. Infra terminum verò positarum treugarum venit Archiepiscopus Eboracensis Dunelmum; & cum Willelmo agere cœpit, quatinus se rebus deponeret, & ad malorum pœnitentiam veniret. Sperabaturque tunc per Archiepiscopum id effici posse; promittente Willelmo se consilium ejus in omnibus secuturum. Reverso autem de Eboraco Episcopo, qui primùm treugis positis abierat, ad colloquium utrorumque Episcoporum extra oppidum Willelmus venit. Præsente autem Episcopo Carleolensi, tandem per Archiepiscopum treugas firmæ pacis dedit & alternatim accepit à Baronibus Episcopi usque S. Johannis Baptistæ Nativitatem; ipse in Castello interim mansurus, donec ad Apostolicum mitteret Episcopus, consilium de tantâ re quæsiturus quid fieret. Interim haberet Willelmus tertiam partem de reditibus Episcopatûs inter Tesam & Tesam; ipso Willelmo palàm reddente Episcopo quicquid ejus juris esse deberet infra Burgum & extra, & quicquid tenebat de Episcopatu præter Castellum. Hæc conventio per Archiepiscopum firmata est, & à Willelmo atque Baronibus Episcopi utrinque affidata est teneri.

CAP. VII. De proditione Hugonis Pynton.

SEcessit autem Episcopus exinde inchoante Quadragesimâ in Northanymbriam, relictâ sui negotii curâ in Episcopatu Hugoni filio Pyntonis dapifero suo; & per totam Quadragesimam, his quæ fuerant Episcopalis officii, tam dedicandis ecclesiis quàm cæmiteriis consecrandis, atque aliis agendis solennibus curiosus invigilabat. Nactus verò idem Hugo familiaritatem Willelmi, continuò in eum contumeliosus apparuit, qui sibi benefactorum author extiterat, factus Domini sui proditor, à Willelmo corruptus. Deinde Episcopo in sua reverso, & apud Girvum quæ sic vocatur Ecclesiam perendinante, primùm fraudibus & dolis eum circumvenire tentabat; omni conatu affectans, quatinus ad loquelam cum Willielmo Episcopus iret, ubi certum erat Willelmum Episcopi captionem moliri. Cavente autem hoc Episcopo non, multò post malitiæ venena, quæ adversùs eum occultè collecta sunt, in apertum effusa patuerunt. Seducto namque quodam Barone Episcopi Aschetino de Wyrece, & flexo ad hoc ut secum iret Dunelmum, tanquam secum acturum de quibusdam ratiociniis cum Willelmo de pactionibus præmissis, advenientem capi fecit à Willelmo, cùm priùs manu suâ affidiâsset nil adversi passurum. Et ille quidem vinculatus atque incarceratus est, & tandem redemptioni positus. Non multò post Robertum de Amundavere, sicut priorem, Willelmus cepit, ligavit atque redemit. Dein Sabbato post Ascensionem Domini ad locum ubi erat Episcopi

nepos Willelmus alter, Willelmus cum multâ manu advenit; & insultum faciens ad murum quo cingebatur Ecclesia, hostiliter ingressum moliebatur, ut Episcopum cum suis captivum abduceret. Pauci verò qui intus erant, nam plures in villâ sopori adhuc dediti erant, quoquo modo potuerunt se defendentes, introitum impugnantibus vetabant. Sed protegente Deo cùm à primò manè impugnantes usque tertiam diei horam omni nisu institissent; spe frustrati, in semet redierunt; spoliisque ablatis quæ ceperant extra murum, & equis abductis, Dunelmum reversi sunt. Episcopus autem opportunum sibi non esse videns circa Tinam manere, in Vigiliâ Pentecostes flumine transmeato, non multò post ad Lindistarnam insulam perendinaturus perrexit. Hugo filius Pintonis Castellum de Tornulavo Willelmo prodidit, pactis inter eos firmatis de filiâ ipsius Hugonis cuidam nepoti Willelmi conjugio copulandâ. Episcopus autem in Comite de Northumbriâ spem habebat; qui & scripto ei atque pactò firmaverat auxilio ei fore contra Willelmum, ut sedem intrare posset. Verum Willelmus tempus redimens, Comitem eludebat; treugas pacis cum eo componens usque post Assumptionem S. Mariæ.

CAP. VIII. Quòd Castellum factum est de Ecclesiâ S. Johannis apud Meringtoun, & de vindictâ eorum qui hoc fecerunt.

PRidie verò ante prædictam Festivitatem Willelmus coadunatis omnibus suis apud Capellam quandam S. Johannis de ipsâ Ecclesiâ castellum munire cœpit, distante à Dunelmo eodem loco quasi leucis quinque; & operi quidem instanter instabat. Tres verò Barones Episcopi, sc. Rogerus de Coyneriis, Gaufridus Escoland, & Bertram de Bulemere, sacrilegio cognito & prophanatione diffamatâ, eligentes magis pro sacris mori quàm Dei injurias non ultum pergere quantum potuerunt, manu congregatâ ad locum accesserunt; ut nefario operi impedimentum afferrent; sed non eos sustinuerunt Willelmi adjutores. Quidam fugæ se dederunt; alii verò se in Ecclesiâ, quæ jam fossatâ propemodum tota cincta fuerat, se concluserunt; & super turrim stantes atque propugnacula quæ fecerant, accedentes sagittando atque jaculando avertere conabantur; sed inaniter. Nam qui oppugnabant nec quid paterentur meditantes, nec quid pati possent metientes, quidam eorum per fenestras irrepti, alii verò super prophanos ignes immittentes, quoniam rei necessitas ita poscebat, citiùs quàm sperabatur locum & sacrilegos capiunt. Eorum verò plures flammis exusti sunt, plures quoque captione abducti, Deo illis dignam reddente mercedem. Contigerat autem nepotem Willelmi alterum Willelmum primâ die incæpti operis illius infirmitate opprimi. Veruntamen inde sublatus de nocte, ex infirmitate in mentis vesaniam venit; & aliquamdiu miserè vexatus expiravit. Quidam quoque cæmentarius operi maligno propensiùs insistens tempore quo locum ipsum capi contigit, in ipso invenitur opere repentè insanire; & eductus à comitibus, antequam Dunelmum veniret, masticans linguam suam mortuus est. Congregato interim exercitu Comes Henricus ducens secum Episcopum in provinciam venit, atque Dunelmum appropinquavit. Interea exeuntes Willelmi comites, ignem Hospitali apud S. Ægidii Ecclesiam immiserunt, & villam ad eam pertinentem totam concremaverunt. Partem quoque burgi, quæ ad Monachorum jus pertinebat, igni tradiderunt. E residuo Comitis milites insecuti quod residuum erat burgi incendio consumpserunt. Deinde Comes ad Tonnelau cum exercitu vadens, reddentibus ei Castellum custodibus, nequaquam id Episcopo reddere voluit, sed suos imposuit; qui terram, quam protegere debuerant, deprædari cœperunt, & multa in Episcopatu damna fecerunt. Comes autem his actis in se rediit; & Episcopus ad novum Castellum perrexit. Ad eum locum

cum non multò pòst Rex Scotiæ venit, tractus illuc à Willelmo, qui ei Castellum tradere spospònderat. Veruntamen ad ejus colloquium apud Gatesthuvet veniens, spe frustratum reliquit; rediensque Dunelmum, cum Rogero de Coyneriis pactiones componere cœpit.

CAP. IX. Quomodo Willelmus de Barba receptus est ad Episcopatum Dunelmiæ.

QUibus tandem eousque deventum est; ut Episcopus non tam pactis credens quàm à suis coactus & multorum extremâ necessitate compulsus, versus Dunelmum ire perrexit. Jam cum suis Rogerus de Coyneriis oppidum habebat; & Willelmus in Monachorum curiâ Episcopum expectabat. Sic igitur inopinabiliter rebus mutatis, Episcopus in die festivitatis S. Lucæ Evangelistæ cum Archiepiscopo Eboracensi & Episcopo Carleolensi Dunelmum intravit. Cujus postratus pedibus Willelmus cûm interrogante Episcopo palàm confiteretur nil sibi aut in pecuniâ aut in rebus aliis Episcopum promisisse, sed de malè actis quidem se pœnitere, gratis verò se Castellum & omnia sua dimittere Episcopo; ideo se nudum ad ipsius pedes & paratum ad satisfactionem de omnibus afferre; ab Episcopis, quantum ad eos pertinere poterat, salvâ reverentiâ Domini Apostolici, ad initium pœnitentiæ susceptus est. Sacramento autem facto coram ipsis Episcopis, omnia quæ fecerat damna singulis se redditurum promisit. Et sic post tam longum exilium, post tot vexationes, post multorum tam multa detrimenta, operante Deo consolationem suorum, in sede suâ Episcopus solempniter susceptus est.

GAUFRIDI

GAUFRIDI Sacristæ de Coldingham

HISTORIA
DE STATU
Ecclesiæ Dunelmensis
Ab anno MCXLIV. ad annum MCCXIV.

INcipit liber Gaufridi Sacristæ de Coldyngham de statu Ecclesiæ Dunelmensis; qui incipit ab obitu Willelmi de S. Barbara Episcopi usque ad electionem Domini Morgani.

CAP. I. De obitu Willelmi Episcopi [d].

ERAT Willelmus Dunelmensis Episcopus secundus, moribus insignis, staturâ & canitie venerabilis, hospitalitatis obsequio deditus, & cotidianis eleemosinis ut pauperum necessitatibus subveniret intentus. Cùmque minus antecessoribus vel successoribus Episcopis haberet; non tamen minùs gloriâ enituit, quos copiâ simul & largitione præcessit; manu namque fructificans largitatem opibus vendicabat meliorem. Paulò iracundior tantùm in moribus videbatur excedere; Monachis aut Provincialibus molestiam nullam retribuit; nec Ecclesiæ possessiones aut ornamenta contulit: In sui tamen relinquens memoriam illibatæ innocentiæ perseverantiam. Transactisque in Episcopatu IX. annis, dormivit cum patribus suis anno ab Incarnatione Domini MCLII.

CAP. II. De electione HUGONIS Dunelmensis Episcopi [e].

QUia igitur in humanæ conditionis rotâ nil firmum, nec in gloriâ fortunæ constat esse perpetuum; jam ad novum hanc Ecclesiam statum urgebat necessitas rerum; quæ toties creditur immutâsse, quoties decedente suo Pon-

[d] Willelmus Episcopus *vixit in Episcopatu annis* 9. *mensibus* 4. *diebus* 5. *Transiit Idus Decembris, tam annis plenus quàm moribus, vir & religione & prudentia plurimùm laudabilis, &c.* Sic continuatio Historiæ Simeonis de Ecclesia Dunelm. inter X. Scriptores Twisdenianos p. *66*. Obiit 1153. Idib. Novembr. juxta Johannem Hagustaldensem. Veriùs Annales Dunelm. & Historia major Dunelm. *Obiit* 1152. 14. *Novembr. cùm sedisset annis 9. mensibus* 5. *diebus* 7. *Ecclesia vacavit post obitum ejus annis* 2. *hebdomade* 1. *diebus* 6.

[e] *Die* 79. *post obitum Willelmi Episcopi, anno Regis Stephani* 18. *Indictione* 1. (viz. anno Christi 1153. ineunte) 11. *Cal. Febr. electus est in Episcopum Hugo, Eboracensis Ecclesiæ Thesaurarius & Archidiaconus.* Sic habet Continuatio Simeonis Twisdeniana p. *66*. De die consentiunt Gaufridus & Annales Dunelmenses; ut hinc constet Willelmi Episcopi obitum mense Novembri superiore contigisse; quamvis hîc loci pro 79. legendum videatur 71. Hugo iste, cognomento *Puteacensis*, sive *de Pusar*, aliis *de Pudsey*, nepos

tifice

tifice in alterius regimen visa est successisse. Hujus siquidem honoris quasi [plures] occupaverat ambitio; Priorem autem ardentiùs sollicitabat & Archidiaconum, quorum judicio sacerdotis maximè pendebat electio. Volebat alter ab altero eligi; nec tamen alter alterum volebat assumi; factaque est inter eos quædam animorum contentio, quis eorum videretur major, & ad ascensum Episcopalem quoquo modo fieri posset vicinior. Domum denique Dei, quam neuter optabat alteri, ad alium ordinante Domino necesse erat transferri. Ad celebrandam ergo juxta antiquam consuetudinem & antiquorum Patrum institutionem Episcopi sui electionem coegerunt Synodum; Clerique & populi consensu agnito, elegerunt uno animo, unâ voce XI. Cal. Februarii virum venerabilem Hugonem Thesaurarium Eboracensem, juvenem tunc circiter annorum XXV. de Puteaco oriundum, formâ similiter & genere præclarum, anno Dominicæ Incarnationis MCLIII. Quod eo magis faciebant, eò quòd nobilitatis & honoris optima fuit conjunctio; ut unde originis gratiâ extitit præclarior, inde ex virtute animi ad tuendas libertates & jura Ecclesiæ promovenda fieret præstantior. Hoc autem ut ad Henrici Murdac Archiepiscopi Eboracensis & Bernardi Abbatis Clarævallensis & aliorum probabilium virorum notitiam attigisset; gravi in Priorem Laurentium & majores Ecclesiæ furore accensi sunt; indignè ferentes, quòd sine ipsis tam arduum & hactenus insolitum præsumpsissent attemptare negotium. Dicebant enim electionem sine consensu Metropolitani factam irritandam, & inter ea quæ sacrorum canonum disciplinam non prætendunt puniendam. Electumque tenerum & delicatum adhuc sæculi desideria redolere; spiritualia minùs sapere, nec habere expertum quid sit moribus Præsulis congruum. Neque ad Ecclesiæ regimen debere admitti, cui nulla morum sanctitas aut continentiæ suffragaretur auctoritas. Nec in eligendo Præsule formam corporis vel favorem considerare originis, sed potiùs vitam & meritum; & provectionis & ætatis requiri personam, quæ nosset subditorum infirmitatibus verbo pariter & exemplo consulere. Et quidem bonum zelum gererent, si pietatis studio eorum, si quæ contra canones admisissent, correctioni insisterent: Clausis autem oculis ferebantur in præjudicium Dunelmensis Ecclesiæ; dum æmulatione ducti electionem Episcopi ad suum, i. e. Eboracensis Ecclesiæ judicium voluissent transferre; quod nec consuetudo perhibet gestum, nec privilegia permittunt esse gerendum. Tentabant summopere objectis accusationibus Priorem flectere; quatinus aut vocem immutaret aut reinnovaret. Solus Episcopus Wintoniensis cum consensu Regis Stephani partem fovebat Electi; literis simul & nunciis suadens cœptis operam impendere; ne pro defectu causæ fœdum futuris temporibus exemplum relinqueret, & damnum perpetuum redundaret Ecclesiæ. In omnibus his non peccavit Prior labiis suis immobilis, nec minis obtrectantium nec à statu rectitudinis impulsu declinans propriæ debilitatis. Erat enim juris peritus, eloquentiâ præditus, divinis institutis

erat Henrici Episcopi Wintoniensis & Stephani Regis, Ecclesiæ Eboracensis Thesaurarius à Willelmo Archiepiscopo, Wintoniensis Archidiaconus ab Henrico Episcopo constitutus, utrumque munus militari potiùs quàm Clericali more administravit. Henrico enim Archiepiscopo Ebor. quòd in Ecclesiam & urbem Ebor. regio præcepto non admitteretur, anno 1149. ipsum & omnes in civitate consistentes excommunicante, *ipse nihil de Ecclesiasticis officiis omitti permittens, Archiepiscopum & ei obsequentes pari instantiâ excommunicari fecit; & mox in Southangliam transiens, Episcopales possessiones Wintoniæ & castra cum militari manu ipse militans defensabat:* prout habet Johannes Hagustald. p. 277. Consecratus est ab Anastasio Papâ 1153. 20. Decembr. Malè Gaufridus, Historia major & Annales Dunelm. die S. Thomæ Apostoli consecratum scribunt. Ista enim Dominica non erat; & consecrationem anno 1153. Dominicâ ante Natale proximâ Hovedenus & Mailrosensis, in Vigilia S. Thomæ Gervasius, factam fuisse produnt. Intronizatum fuisse 1154. 2. Maii Historia Major & Annales Dunelm, concordi testimonio confirmant.

sussi-

sufficienter instructus, non habens opus ab aliis mendicare consilium in adversis. Archiepiscopus verò universa in suum ducens quæ gerebantur contemptum, præcipuos electionis fautores vinculo anathematis innodavit; sententiam contestans nec pro Rege Stephano nec Eustachio filio ejus, qui pro Hugone quòd cognatus erat, intercedebant, remittendam fore, donec universi pœnitentiâ compuncti judicio starent Eboracensis Ecclesiæ. Tandem obtinente Theodbaldo Archiepiscopo ac Legato, personas apud Beverlacum absolvit; ubi in liminibus Ecclesiæ singuli nudi virgis sunt coram omnibus cæsi; sed Hugo minimè ab eo meruit consecrari. At illi, quamvis populo spectaculum fierent ridiculum, majorem ex nuditate credebant decorem se induisse; quòd digni habiti sunt tantas pro libertate Ecclesiæ contumelias suscepisse. Verecundiâ tamen & scandalo confecti, in magnam mœstitudinem delapsi, à propositi sui soliditate non sunt immutati. Romam igitur proficisci statuentes iter arripiunt, Laurentius sc. Prior & Laurentius Archidiaconus, & nonnulli de Episcopatu viri nobiles & staturâ venerabiles, tantum reverentiæ prætendentes in vultu & gerentes in habitu; quòd quocunque venirent, intuentes in admirationem sui converterent; qui fœlicem illam & incomparabilem Ecclesiam, quæ tam conspicuos haberet viros, prædicarent. Et transfretantes, prius quàm transalpinârunt, audierunt Papam Eugenium, cui tota adversæ partis spes incumbebat, eò quòd ipse sicut & ipsi Cisterciensis esset, humanis excessisse; aliumque Athanasium nomine virum sanctum & senem in Apostolatu successisse. Speque meliori conceptâ, laborem itineris alacritate alleviabant mentis.

CAP. III. De consecratione Hugonis Dunelmensis Episcopi.

VEnientes itaque Romam, & à Domino Papâ honorificè suscepti, coram eo die altero de Electo suo loquelam deponunt; & ut ei manus consecrationis apponeret, humiliter petunt; dicentes hanc suæ occasionem fuisse peregrinationis. Cùm protinus à quibusdam circumstantibus contradicitur, & de teneritudine adolescentiæ objicitur; certantibus aliis electionem ejus admittendam & Apostolicâ consecratione dignam. Ad quod probandum convenientia de majorum exemplis produxerunt testimonia; videlicet quòd puer VII. annorum Joas regnaverat; & Daniel annis puer, animo senex, senes in judicio convicit. His itaque allegantibus & aliis intervenientibus, Dominus Papa votis petentium annuit; & eum in Festivitate S. Thomæ Apostoli in Episcopum consecravit. Desiderio itaque suo cum triumpho potiti, patriam redeunt. In itinere, proh dolor, Prior Laurentius subitâ infirmitate corripitur; & apud quendam Galliarum vicum decumbens, viam patrum suorum ingreditur. Cujus ossa transactis pòst aliquot annis Dunelmum sunt translata, & in Cœmiterio fratrum condita. Episcopus verò morarum impatiens, relictis cum Priore qui ejus ægritudini deservirent, viæ indulsit. Et Angliam veniens, optatæ exultationis, quamvis de inimici interitu gaudendum non esset, nuncium excepit de morte Henrici Eboracensis Archiepiscopi. Ita ipse his qui sibi adversabantur è medio sublatis, liber cathedram Episcopalem nullo contradicente aut obstante conscendit anno Dominicæ Incarnationis MCLIV. * VII. Nonas Maii. Cœpit igitur de gravitate morum annorum juventuti consulere, & honorum exhibitione ingenuitatem venustare. Et primò quidem se singulis conformans gerebat, se humilem & vultûs hilaritate & sermonis jucunditate; & sic unversitatis in se convertit affectum. Eratque de Episcopo suo communis omnium assertio, populum suum è Cœlo Dominum misericorditer respexisse; qui novum in terrâ Danielem suscitâsset; dum eis ætate juvenem, moribus senem Pontificem direxisset. Gradui suo

* VI. Non. *Codex alter.*

suo tam plerumque nobilitas quàm juventus contraria imperabat; quæ non minùs reverentiâ famæ quàm amore justitiæ compescebat. In multis tamen utramque prosecutus est affectionem. Correptus etiam à suis, nonnunquam tanquam senioribus adquiescebat; paulatim tamen in subditos cupiditatis fræna laxare. Interea egressi sunt de Israel filii iniqui, honoris cupidi, delatores, invidi, ore serpentino in aurem Episcopi susurrantes, si quid in ipsum à Priore vel à quolibet Fratrum secretò vel jocosè dictum fuisset, quod ad iracundiam & odium eorum illum movere potuisset. Secretum quoque Capituli, quod piæ recordationis Cœnobii hujus fundator Willelmus sub anathematis interdicto fieri prohibuit, ad ipsum deferebant; & vexationibus, quas ab antecessoribus Episcopis pertulerant, insistebant. His Episcopus fidem accommodans, subitò mutatus est; de die in diem austerior apparuit; & à colloquiis eorum, quibus frequenter interesse delectabatur, abstinuit. Nihil verò quandoque gerebatur impune. Multi namque Monachorum, qui vel accusationibus vel adulationibus indulgebant, vel familiaritate suffulti Episcopi, cellarum custodias vel offam aliquam in contemptum Prioris & Ordinis usurpabant, divinæ districtionis manum experti miserabiliter decesserunt.

CAP. IV. De successione Absolonis, Thomæ, Germani & Bertrani Priorum Dunelmensium.

DEfuncto igitur Laurentio Priore, Prioratum accepit Absolon, vir quidem de forinsecis edoctus, sed minùs literis eruditus; sub quo nutabant libertates Ecclesiæ, dum non esset qui contra Episcopum vocem contradictionis assumeret. Huic successit Thomas, communi consilio fratrum electus, largitatis amator & temperantiæ cultor. Qui eis reluctari suadentibus, eorum se fidei & juramento committens, probitatem experiri decrevit; & abortâ super quibusdam libertatibus, maximè tamen super Ecclesiâ de Alvertonâ, inter ipsum & Episcopum contentione, viriliter restitit. Fratribus verò sicut cera à facie ignis illico timore solutis, & eum sibi in conflictu relinquentibus, violentiâ Episcopi depositus cessit; & Farnen secedens, bono fine quievit. Post quem in Priorem provehitur Germanus, summæ simplicitatis & patientiæ Monachus, habens quidem voluntatem resistendi, sed enormi prædecessoris turbatus exemplo, quo minimè fratrum confideret auxilio; considerans se ad hoc viribus imparem, & contra tractum fluminis niti impotentem, in patientiâ magis fovere eligit honorem quàm sine fructu temporalem nomini suo adjicere confusionem. Ei tamen Episcopus quasdam libertates à Ranulpho Episcopo deletas sive prohibitas restituit; è quibus quasdam elegit, quasdam ex simplicitate neglexit; quas successor ejus Bertranus, sc. sedem Abbatis in Choro & Capitulo renovavit. Isto demum huic vitæ sublato, idem Bertranus eligitur, vir bonus & strenuus; cujus præconium est, quod suis temporibus Ecclesia pristinis restituta est libertatibus. Episcopus ergo nec erga Barones nec Clericos, in quibus maximè confidebat, veterum statuta servabat. Comperit enim penès eos jam non modicum sui residere timorem, & plurimam mentis inolevisse tepiditatem; ut nec obsibilare vel in occultis auderent; & si quando vultum prætenderet hilarem, & loqueretur pacificè, tantæ dignationi suæ gratias agerent. Quos amabat, libertati; quos volebat, servituti dabat; ut quorundam hæreditates & jura videretur in extraneos contulisse, & novis institutionibus antiquas Episcopatûs leges & consuetudines penitus immutâsse. Venientes ad se Monachos honorificè semper excipiebat, & Dominos vocabat; quo eorum dilectionem non mediocriter obtinebat. De rebus Episcopatûs multiplicandis & possessionibus dilatandis omnem gerebat sollicitudinem; ut in brevi priores reditus nova adæquarent atque transirent incrementa; quæ non tam suis quàm

succedentium sibi judicabat usibus profutura. Libertates quoque suas nec Regis nec Archiepiscopi nec aliorum quorumcunque obreptione violari; nec aliquem qui suæ ditioni subjacebat vel se ejus patrocinio committebat, impetentium fortitudine passus est conturbari. Erat in omnibus fortunatissimus; & ad quæcunque gerenda vel adinvenienda direxit animum, ad votum prosperè succedebant. Unde non minùs stupenda videntur quàm dolenda in solum cupiditatis devolvi vitium, cui ferè universorum suffragabatur gratia morum.

CAP. V. De obitu S. Godrici, & passione S. Thomæ Cant. Archiepiscopi.

ANno Pontificatûs sui xviii. Prioratûs Germani viii. anno, anno ab incarnatione Domini MCLXX. venerabilis heremita Godricus [f] in senectute bona migravit à sæculo. Eodem quoque anno pretiosus athleta Domini Archiepiscopus Cant. Thomas &c. Eo verò priusquam talia fierent adhuc pro debito pastoralis officii exulante, Episcopus Dunelmensis, sicut universi penè per Angliam Co-episcopi, eò quod contra iniquas prævaricationes & inauditas Regis Henrici II. constitutiones divinis legibus [adversas] non obstiterint, sed magis eas juramento suo firmaverint; suspensionis sententiam accepit. Sed interveniente pro eo eodem Archipræsule, quòd multò fuerat innocentior, absolvi promeruit.

CAP. VI. De guerrâ inter Henricum II. Regem & filios suos, & de captione Willelmi Regis Scotorum apud Alnewyk.

LApso verò post hæc biennio, Henricus Regis Henrici II. filius, alter Absolon, surrexit in patrem &c. Fuerunt autem qui contra Episcopum Dunelmensem Regis animum concitârunt, eò quòd diceretur in occulto Regi Scotiæ consensisse, dum liberum ei per fines suos transitum tribueret, & nullam resistendi similitudinem exhiberet; & ipse in immensâ pecuniæ quantitate punitus est.

CAP. VII. De ornamentis, quæ Hugo Episcopus contulit Ecclesiæ Dunelmensi.

ANtecessorum studia, qui Ecclesiam construxerant & multa ad decorem & monumentum illuc contulerant, approbans, diligentiam æmulari studuit, à quibus documenta probitatis accepit. Novum ergo ad Orientalem hujus Ecclesiæ plagam opus construere cœpit. A transmarinis partibus deferebantur columnæ & bases marmoreæ. Cúmque plures non sine ipsorum periculo fatis intercedentibus admitterentur magistri, & tot haberet principia quot magistros; sumptibus copiosis in operarios impensis, & muris in aliquam vix altitudinem erectis, in rimas tandem deficiens, manifestum dabat indicium id Deo & famulo suo S. Cuthberto non fuisse acceptum. Omisso itaque opere illo, aliud ad Occidentem inchoavit; in quo muliebris licitè fieret introitus; ut qui non habebant ad secretiora sanctorum locorum corporalem accessum,

[f] Godricus, Heremita sanctissimus, apud Walpole in provinciâ Norfolciensi natus, postquam annos 60. in heremo Finchalensi exegisset, obiit 1170. 21. Maii, teste Matthæo Paris, qui multa de eo scriptis commendavit.

aliquod

aliquod haberent ex eorum contemplatioue solatium. Fecit etiam in Ecclesiâ coram altari tria ex argento bactilia cum initiis suis argenteis cristallis mixtim insertis dependi, in quibus lumina die noctuque perpetuò ardentia ob venerationem sancti patris Cuthberti & reliquiarum lucerent; alia quoque in circuitu altaris ad instar coronæ super candelabrum poni, quæ majoribus solenniis accensa Ecclesiam suis fulgoribus irradiarent. Ad quorum defectus omnes in futuro evacuandos eis inveniendis redditus constituit, certo termino percipiendos. Feretrumque ex auro & argento, in quod ossa Venerabilis Bedæ Presbyteri & Doctoris transferre decrevit, ex studio artificum tantâ diligentiâ compositum; ut quid magis in eo præstet, opus an decor, merito veniat in dubium. In ornamentis verò, cruce sc. & calice pariter ex auro, & aliis quæ alibi scripta habentur, famam melius exornavit; id semper in corde recogitans canticum, † *Domine dilexi decorem domûs tuæ.* Præterea Hospitale de Schirburne construxit in elefantiosos in Episcopatu suo circumquaque collectos, ibidem instituit, aptisque eorum usibus habitaculis ampliavit; & ne quid sollicitudini caritatis deesset, ad eorum perpetuam sustentationem terras & Ecclesias concessit & confirmavit. Fecit pontem de Elnete, & Burgum similiter; quem postea Monachis, eò quòd juris eorum esset, cum libertatibus suis integrè resignavit. Murum quoque à portâ Aquilonari usque ad Australem novum fecit. In ædificiis quoque eandem habebat instantiam; nec in qualibet rerum pensabat erogatione sive dispositione dispendium; dum omnia vel ejus voluntatem explerent, vel parerent laudem. In Castello namque Dunelmensi ædificia, quæ primis Episcopatûs sui temporibus flamma consumpserat, renovavit; & Castellum de Northam, quod munitionibus infirmum reperit, turre validissimâ forte reddidit. Apud Alvertonam etiam firmavit oppidum, impetrato à Rege ut inter adulterina, quæ tunc ubique per Angliam destrui jubebantur, hoc solum integritatis privilegium obtineret; quod Rex tamen postea mandavit everti & solo funditus æquari. In aliis quoque locis suis, quæ vel domorum raritas sive vetustas minùs honestati vel Episcopali susceptioni fecerat idonea, habitacula diversa & in sublime erecta construxit; maximum hoc esse genus æstimans probitatis, nullam posteris occasionem reliquisse sollicitudinis. Erat vir consilii, temperantiæ cultor, & amator prudentiæ, probitate edoctus magistrâ celsitudinis culmen appetere, æqualem Baronibus transcendere societatem, omnem libertatis prærogativam transire, & contra insurgentes potentias rigoris frontem erigere. In omnibus ita compositus; ut nec veste intuentem offenderet. Divitiis sociabat audaciam, scientiæ eloquentiam, ut utrinque munitus obloquentium linguas retunderet, & virtutem elideret adversam. Cùmque innumeros pro libertate Ecclesiæ tuendâ susciperet congressus; præclaros semper nomini suo titulos reportabat illæsus; adeóque justiciæ in tuendis zelum & nobilitatis in ampliandâ gloriâ exercebat ingenium; ut multorum in se livorem excitaret, qui fortitudinem suam dicerent fuisse tyrannidem & copiam elationem.

† Psal XXVI. 8.

CAP. VIII. De captione S. Crucis in terrâ Jerosolymitanâ.

ANno ab Incarnatione Domini MCLXXXVII. terram Hierosolimitanam Paganorum incursus magnâ ex parte obtinuit, *&c.* Episcopus vero cruce susceptâ, aliorum Episcoporum & Abbatum exemplo animatus, non modicam à suis [in iter sublevandum] pecuniam extorsit; fecitque sibi navem pulcherrimam & naves, quarum se firmitati & suos, necessaria quoque & arma deferenda tutiùs crederet, ollasque coquinarias & vasa diversa ex argento, sedile quoque argenteum mirandi operis & decoris; ut majorum Episcoporum sive Ducum gloriam superaret.

CAP. IX. Hugo Dunelmensis Episcopus factus est Comes Northumbriæ.

REge interea Henrico humanis rebus exempto, Ricardus filius ejus ei in regnum successit: cujus coronationi Lundoniæ iii. Non. Septembr. Episcopus interfuit; quem Rex in tantæ familiaritatis & dilectionis gratiam ascivit, ut patrem nomine veneraretur, & filiali coleret affectu, nec aliqua in regno suo sine ipsius arbitrio statui vel disponi permitteret; curamque regni ejus prudentiæ & fidei, donec à peregrinatione reverteretur, committeret. [g] Deditque ei Comitatum Northanimbriæ & Satbirgiam cum pertinentiis suis, & cartâ suâ confirmavit, pro undecim mille libris; ita tamen quòd Northanimbriam in vitâ suâ teneret; Satbrigia autem jure perpetuo possidenda tam in suos quàm in succedentium Episcoporum usus perseveraret. Versumquè est omnibus in miraculum, videre Episcopum gladio militari accinctum, de veteri Episcopo novum Comitem factum. Honore verò ipse gaudebat animitus; missisque Romam nunciis III. annorum inducias petiit; & postmodum penitus à voto peregrinationis impetravit absolvi. Rex igitur de terrâ Siriæ revertens, à Duce * Hostriciæ captus, & Imperatori venditus, Legatariis in Angliam directis, mandavit suæ liberationi celeriùs & uberiùs ab omnibus subveniri, aurumque & argentum ecclesiarum & vasa sancta vel eorum redemptionem ad se transmitti. Episcopus autem Ecclesiam Dunelmensem nullam volens sustinere diminutionem, quam novis semper decoris optabat incrementis proficere, thesaurum datis C. marcis redemit, & illibatum loco muneris Ecclesiæ restituit. Misit quoque Regi duo millia librarum argenti; quæ ille minùs gratanter accepit, eò quòd censeret modicum præstitisse, quem sub obtentu liberationis suæ immanes copias didicerat adunâsse. Inter quas tam multiplicium tempestatum vicissitudines à constructione Ecclesiæ de Deringhtoun non destitit; in qua Clericis constitutis, Ordinem qui olim in Dunelmo fuerat revocare decrevit. Aliam quoque quidam de Giseburniæ professione egressi prope Dunelmum in parochiâ Monachorum fundaverant; Monachis contra id ægrè ferentibus, & ne quid in præjudicium Ecclesiæ attemptaretur prohibentibus, Henricus de Puteaco filius Episcopi patrocinium eis advocationis præstante, operi nihilominus operam dabant. V debatur his Episcopus assentire; dum querelas Monachorum ad ipsum frequenter delatas non admitteret; sed objecto nullum eis nasci posse libertatis sive possessionis dispendium, permissione simulatâ præteriret. Amisso igitur Comitatûs officio, Sathburgiam revocare satagebat; ad cujus desiderii effectum magis censuum quàm meritorum sive precum more solito profuturum sciens esse suffragium, duobus mille libris ob ejus restitutionem oblatis, Regis animum emollivit, qui & literas & verba amica Episcopo direxit. Ex quarum dulcedine magni jam de spe & fiduciâ exultationis & gaudii inerant conceptus; ignorante Episcopo quos ei fructus proximæ tribulationis parturiret occursus.

* l. Austriæ.

[g] In Concilio apud Pipewelle 1189. mense Septembri *Rex constituit Hugonem Dunelmensem Episcopum & Willelmum Comitem Albemarliæ summos Justiciarios Angliæ. Anno* 1190. *mense Februario Rex statuit Willelmum Eliensem Episcopum Cancellarium suum summum Justiciarium Angliæ; & concessit Hugoni Dunelmensi Episcopo Justiciariam à fluvio Humbre usque ad terram Regis Scotiæ.* Sic Hovedenus f. 375. & 378.

CAP.

CAP. X. De obitu Hugonis Dunelmensis Episcopi. [h]

ITinere namque versùs Curiam arrepto, subita eum apud Cretam quasi de cœnâ hesternâ oborta subrepit ægritudo; quæ cotidianis, quoadusque Donecastram veniret, dolorum fovebat augmentis. Ubi cùm ulteriùs equo præ molestiâ progredi non posset; Hoveden navigio devectus, crebris anhelitibus ad exitum cœpit urgeri. Inter quæ corporales angustias, quas perferebat, peccatorum quoque recordatio conscientiam ad pœnitentiæ lamenta salubriter compungebat. Monachis autem terras & libertates, quas eis abstulerat, restituit; & his villam de Neutoun, quam ipse propriis sumptibus emerat, adjecit, & cartâ suâ confirmavit. Hæreditates quoque & jura quorumcunque in Episcopatu abstulit vel minoravit, singulis restitui debitâ redintegratione mandavit. Jussit præterea Regi duo mille marcas, quas pro Satbrigiâ & aliis dignitatibus promiserat, solvi: adeò de profectibus successorum sollicitus, ut cum moriente, quam in honoribus adquirendis semper habebat, dilectio non moreretur Ecclesiæ, id sibi perpetuam conferens in laudem, quod in usum cæteris cederet temporalem. Sedit annis XLI. & mensibus II. & diebus * XIV. & Episcopatu optimè administrato, senex & plenus dierum excessit feriâ sextâ V. Non. Martii anno ab incarnatione Domini MCXCV. Corpore ejus Dunelmum delato & nondum sepulto, Hugo Bardolfi saisivit Castellum in manus Domini Regis. Oppidani verò claves ad loculum B. Cuthberti deponentes, ei tanquam summo defensori omnem resignabant curam, cui ipse permitteret deinceps obtinendam. Milites memorati Hugonis, ut eis darentur, à Monachis postulabant; protestantes seipsos recepturos ad honorem sancti Confessoris, nec ob periculum sed commodum juris eorum & conservandæ libertatis.

* IV. habent Annales Dunelm.

CAP. XI. De Ranulpho de Grimesbi.

ILlis autem id quidem eis licere permittentibus, dare autem nolentibus; quidam qui majori potestate alios videbatur excellere, habiliter accessit, & claves de feretro reverenter tulit; sed non impune. Cùm enim extra januam Ecclesiæ paululum processisset; cœpit subitò vehementi corporis æstu fatigari, & ferro in manibus calescente, novitate rei in timorem converti. Gressuque timenti sub celeritate reversus, eas unde tulerat projecit, nec tamen præsumptionis pristinæ pœnam taliter effugit. In domo namque suâ in provinciâ Lyndissi subitâ correptus ægritudine, in insaniam quoque incidens, miserabiliter coram oculis suorum videbatur interiisse. Possessiones interea Episcopi & oppida Ballivi Regis occupabant; qui primò Hugoni Bardolf, deinde Archidiacono Herefordensi, novissimè Ricardo Briwerre & Gilberto filio Reinfridi Episcopatum commisit. Qui cùm sibi vicissim succederent, & singulis ferè mensibus novos in custodiis Præpositos instituerent; illi commodis suis ardentiùs insistentes, ex alternâ mutatione provincialibus mala innovabant. De thesauris Episcopi diligentiùs inquirebant; & non solùm familiares & Officiales Episcopi, sed eos etiam qui nullius ei familiaritatis vel officii gratiâ

[h] *Obiit apud Hoveden* 1195. 3. *Martii, feriâ* 6. *Sepultus apud Dunelmum in Capitulo Monachorum. Vacavit Ecclesia annis* 2. *ferè.* Verba sunt Annalium Dunelm. quibus suffragantur Hovedenus & Mailrosensis. De Hugonis Episcopi moribus, vitiis, opibus, rebus gestis, atque prole Willelmus Neubrigensis ubertim agit *Hist. Angl. l.*1. *c.* 26. *l.* 5. *c.* 10, 11. His ego id duntaxat adjiciam, illum Ecclesiam Dunelmensem ab Eboracensis Archiepiscopi ditione eximi olim obtinuisse. Exemtionem Cœlestinus Papa cassavit bullâ editâ 1191. 11. Maii. Concilio Lateranensi anno 1179. Hugo interfuit.

fuerant

fuerant aſtricti, ſed aliquid abundantius videbantur habere, regii auctoritate imperii ad ſolvendum cogebant. Nonnulli quoque Provincialium his quæ Epiſcopus de reſtitutione mandaverat innitentes, in ea quæ ſui juris erant minùs conſultè irrumpentes, in miſericordiâ Regis propriæ temeritatis laqueo ſunt innodati, nec tamen propoſiti ſui deſiderium conſecuti. Monachi verò nondum aliqua horum inquietudine pulſati, ſuæ propenſiùs ſatagebant proſpicere quieti: directique ſunt Monachi, qui literas tuitionis & confirmationis libertatum à Rege impetrarent. Ab eo autem minimè ſuper his merebantur audire; eò quòd apud Monachos pecuniam Epiſcopi eſſe reconditam, jamque ab eis electionem factam, accuſantium livor fecerat intelligi. Adhærebant enim Regi quidam Epiſcopo quondam amantiſſimi; qui in hoc tam ſuam liberationem quàm rerum ſuarum ſolutionem conſtituebant; ſi nec Clericum nec Laicum præterirent, quem ſuæ proditionis malignitate non tetigiſſent. Unde plerunque injuſtis vexationibus aggravati, multa denique rerum ſuarum damna ſunt perpeſſi. Prior vero Archiepiſcopo Cantuarienſi accuſatus, ei apud Eboracum occurrit, ſuper his quæ ei objicerentur reſponſurus. Cúmque Archiepiſcopus X. mille libras ab eo argenti exigeret, & ad ſolvendum commoneret; Prior tam ſuam quàm fratrum innocentiam purgabat; & in amicitiam Archiepiſcopi non mediocriter admiſſus, literas ab eo ad cohibendas Regalium, ſi quæ orirentur, violentias impetravit. In eo tempore idem Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, apud Eboracum Concilium celebravit; & Prior locum Dunelmenſis Epiſcopi, i. e. dextram Legati in Concilio & in prandio, ægrè id ferentibus Decano & pleriſque Eboracenſis Eccleſiæ majoribus, obtinuit. Monachi denique in antiquam Eccleſiæ miſſi libertatem, Eccleſias vacuas dabant, & reditus augebant, & in omnibus ſuæ dignitatis vigorem exercebant.

CAP. XII. De electione PHILIPPI PICTAVIENSIS.[i]

MIſſi ſunt præterea Monachi, qui Regis animum ſuper electione Epiſcopi conſulerent; quos ipſe de quodam familiari ſuo Domino Philippo Pictavienſi humiliter convenit; multas amicitias & libertatum confirmationes pollicens, ſi hunc fratres voluiſſent. Quo ipſi audito, eundem tam propter eximiæ honeſtatis & probitatis quam de eo acceperant opinionem, quàm conceptam de regiâ promiſſione fiduciam, in Capitulo ſuo elegerunt II. Non. Januarii. Unde Rex mirabili exultatione repletus, gratias eis egit; & domum Dunelmenſem in protectione ſuâ ſuſcipiens, libertates quas poſtulaverant confirmavit. Conſtructionis interea Monaſterii apud Bacſtaneforde impatientes Monachi Canonicos in cauſam vocaverant; & uſque ad ejectionem eorum tam literis Apoſtolicis quàm juri ſuo & prudentiæ innitentes, nec expenſis nec labori parcentes inſtiterant. Henricus demum de Puteaco pœnitentiâ ductus veniam à Priore & Fratribus ſuæ præſumptionis expetiit, & in concordiam ſub hac formâ pacis rediit. Conceſſerunt prædicti Prior & Monachi eidem Henrico locum ſuum de Finckale cum pertinentiis ſuis; quem idem Henricus ſuper altare

[i] Philippus Pictavienſis, gente Aquitanus, poſtquam Ricardo Regi à ſecretis conſiliis adhibitus, ſedulam ei operam diu præſtitiſſet, in Epiſcopum Dunelm. electus eſt à Monachis Dunelm. coram Huberto Archiepiſcopo Cant. apud Alvertun (factum id 1195. menſe Novembri Gervaſius aſſerit) Presbyter ab Henrico Landavenſi Epiſcopo apud Dunelmum ordinatus 1196. 15. Junii, Epiſcopus à Cœleſtino Papâ apud Romam in Eccleſia Lateranenſi conſecratus 1197. 20. April. Ex Annalibus Dunelm. Hovedeno, Dicetenſi, &c. Huic Ricardus Rex monetam in urbe Dunelmenſi cudendi licentiam anno 1196. conceſſit. Johanni Regi perquam gratus, ipſi author extitiſſe dicitur, ut ſpretis Papæ cenſuris poteſtatem regiam conſtanter aſſereret. Vide Pariſium, p. 231, &c.

B. Cuth-

B. Cuthberti in eleemosinam obtulit, & Ecclesiæ in perpetuum liberè possidendam cum omnibus rebus & possessionibus, quas in usus priùs contulerat Canonicorum, concessit & confirmavit; sc. ut illic Ecclesiam construeret & Conventum Monachorum institueret. Elegit Priorem de ipsis fratribus cum consensu Prioris & Capituli, Thomam sc. Sacristam Dunelmensem; qui adhibitis sibi aliquibus fratribus eundem locum regendum suscepit anno ab Incarnatione Domini MCXCVI. Eodem anno obiit Burcardus Archidiaconus Dunelmensis VIII. Idus Decembr. qui dudum ex promisso Regis obtinuisset, si tamen regiæ voluntati dato quod petebatur argento satisfacere voluisset.

Electus ergo Dunelmensis Romam profectus à Papâ Cœlestino consecratus est XII. Cal. Maii anno Domini * MCXCVIII. Nec tunc quidem Monachi à livore malignantium tuti esse poterant. Proprium enim est hujus Ecclesiæ decedentibus Episcopis primos impetus de suorum impudentiâ præsentire. Erant enim qui illorum æmularentur quietem & fortunam; usique sunt Haimerico Archidiacono ejusdem Episcopi nepote, quo mediante venenum suæ malitiæ mollibus auriculis infuderunt; suggerentes Episcopo, qui spe senectutis innocentiam promittebat, Monachos quasdam libertates usurpâsse, quas temporibus prædecessorum suorum nullius eos ætas meminit percepisse. Horum falsitatis assertionibus Episcopus consentiens cervicem erexit, & à Clericis eorum auxilia & vacantium Ecclesiarum custodias & donationem exegit; & quas ipsi vexationes illicitas dicebant, ipse libertates suo juri debitas asserebat. Cúmque eos minis & terroribus appeteret, & nec privilegiis Ecclesiæ fidem daret; illi existentes in consiliis unanimes libertatibus viriliter incumbebant; adeóque prudenter persecutionem patris excipiebant, quòd & humilitatis obsequium exhiberent, & tamen integritatis suæ gloriam non amitterent. His malorum incendiis de Ecclesiâ de Elute major contentionis succrevit occasio.

* 1197. Cod. alter.

CAP. XIII. De discordiâ inter Philippum Dunelmensem Episcopum & Monachos.

POST decessum M. Ricardi de Coldingham, Fratres in Ecclesiam intromissi hostia jam clauserant. Torquebatur itaque animo Episcopus, hoc in suam deducens ignominiam; tantamque concepit vesaniam; quòd Ecclesiam convertisse videretur in carcerem, dum custodiam armorum circumponeret, ignem & fumum hostiis & fenestris adhiberi præciperet; cibum inclusis inferri, ut vel fame cederent, prohiberet. Hæc omnia Monachi perferebant. Jamque in patientiæ suæ gloriam omnes qui convenerant vel hoc audierant, animos ad compassionis acerbitatem converterat. Videns demum Episcopus, quòd ejus instantia non proficeret, & constantia fratrum indefessa non deficeret; ne pudoris vitio videretur affectus, sed magis studio pietatis astrictus, eandem Ecclesiam eis in usus perpetuos concessit, & Episcopali auctoritate roboravit; siluitque contentio, sed tamen adhuc se mutuo suspicionis stimulo compungebant.

CAP. IV. De moribus Philippi Dunelmensis Episcopi.

NOvos itaque modos adversandi Episcopus excogitabat; quibus tam Monachis quàm provincialibus habebatur infestus. In operum etenim inconstantiâ, oris & animi, plurima interesse videbatur duplicitas. Nam si quid ab his ut putabat in contrarium ageretur; rerum spoliationes, corporum inclusiones ex iræ vehementiâ qua regebatur jubebat inferri. Sed & querelâ ad ipsum delatâ ignorantiam prætendit; ac si diceret Feci, & non feci. Et licèt aliquando

aliquando in reſponſis invenirent conſolationem; perfectam minimè reportabant reſtitutionem. Hæſitabant ſinguli, quid potiùs ad pacem ſuam expediret, cùm conqueri in malis non profuiſſet. Alii ad Epiſcopalem amicitiam & familiaritatem, muneribus ſeu adulationibus ſive accuſationibus indulgentes, ſe transferebant. Plerique barbari indignantes dominium ex animi virtute, ſi coadjutorum brachio fulcirentur, reſiſtere decernebant. Nonnulli propter rem tranſitoriam judicabant meliorem eſſe tolerantiam. Literas etiam à Sede Apoſtolicâ impetraverat; quarum auctoritate Officialium Monachorum & rerum diſpoſitionem cum jure ab his exigeret. Quæ cùm in Synodo legerentur, Prior appellationem, quam jampridem fecerat, renovabat; & ſe gradumque ſuum & Eccleſiæ ſtatum ſub protectione Summi Pontificis conſtituens, literas illas nullum allegabat obtinere vigorem, quòd ex ſuggeſtione falsâ Apoſtolicam corrupiſſe Sanctitatem ferebatur. Præterea in Epiſcopum à Fratribus verba contumelioſa [emiſſa ſunt,] quorum exagitatione ſtimulatus, quendam Fratrem baculo percuſſiſſet, niſi quidam objectâ manu cohibuiſſet. Et ita quidem in contentionibus eſt Synodus ſoluta in die malâ.

CAP. XV. De gravaminibus, quæ Philippus Epiſcopus contulit Monachis Dunelmenſibus.

DIE ſequenti rogabant Fratres, ut libertates Eccleſiæ audiret. Et cùm ex parte lectæ fuiſſent; clamore rumpens ſilentium, prohibebat in lectione proceſſum; & ſurgens cum furore receſſit, ingentem omnibus incutiens metum, ne aliqua ex his Priori & Monachis detrimenta provenirent. Directis igitur Prior ad Sedem Apoſtolicam nunciis, Curiam Regis, aliquod futurum ex regiâ bonitate autumans auxilium, adiit; à quo & benigè ſuſceptus, & in tantam gratiam accitus eſt; quòd ad petitionem ſuam Rex inclinatus non ſolùm libertates Eccleſiæ confirmaret, verùm etiam datis ad omnem Vicecomitatum literis, eas publicè audiri & firmiter obſervari præciperet. Epiſcopus verò Regem pecuniâ flectere moliebatur; ſed incaſſum. Hæc ergo majoris odii fomitem miniſtrabant. Epiſcopus enim impetum animi cohibere impatiens, ad manifeſtas vexationes in Monachos exercendas, quas breviter tranſcurro, ſe convertit. Poſticum itaque qui ad molendinum ducebat, ne quid ad ſuſtentationem inferretur, lapidibus obſtruxit; piſcariam novam confregit, furnos in Elnete ſubvertit; ſtagnum S. Godrici apud Finchale diſſolvit; portam Aquilonalem, ne egredientibus vel ingredientibus liberè pateret, obſerari mandavit; aquam, quam à longè in planitiem Caſtelli Fratres conduxerant, in Caſtellum tranſverti fecit. In averia quoque Monachorum immani crudelitate graſſabatur, reputans quæ feciſſet beſtiis intuliſſe & Monachis. Additur & hoc. Priore & fratribus in Capitulo conſtitutis, pulſans ad oſtium clauſtri, ſibi & ſuis petebat ingreſſum; quem quia fratres omnino denegâſſent, ſententiam anathematis in Priorem tulit; mandans fratribus ne ei communicarent, ſed penitus devitarent. Inſtante etiam Feſto depoſitionis B. Cuthberti, tantæ diei reverentiæ non deferens, miſit Clericos & Laicos multitudinem copioſam; qui ne Prior celebrare præſumeret, Epiſcopali authoritate prohiberent; & quantum poſſent ſi id ageret impedirent, ne etiam eo celebrante Monachi reſponderent, & ne Clerici vel Laici, pœnam tranſgreſſionis interminans, aſſiſterent. Quo accepto, Prior ſe his minimè aſſenſurum conſtanter reſpondit; & ſacris veſtibus indutus, comitantibus nonnullis Fratribus, ad altare proceſſit; injungens his qui ſui erant, quamlibet enormitatem eo die adverſarii exhiberent, non reſiſtere, ſed etiamſi ipſum raperent, ſi extra Eccleſiam ejicerent, ſi ad Caſtellum traherent, patienter ſuſtinere. Factâque coram altari oratione, & officium Miſſæ choro inchoante, Laici (& quod dictu nefas eſt)

est) Clerici, & (quod his pejus est) etiam Presbyteri ad altare irruerunt, & funestas manus in linteamina altaris injecerunt. Illisque trahentibus, & Monachis ex diverso retrahentibus, in conspectu ovium flebile repræsentabant spectaculum. Dominus autem Honorius, vir prudens, Archidiaconus Richemundiæ, immanitatem ipsorum arguens, populum manifestè docuit, quòd in his omnibus Episcopus graviter deliquisset, nullâ authoritate suffultus; cùm Prior Ecclesiæ à jurisdictione Episcopali se per appellationem absolvisset. Erantque plures, qui ad lacrimas vehementer compungerentur, & tantò graviùs affligerentur, quòd ad ultionem ex loci reverentiâ accingi non possent. Mulieres etiam quæ foris stabant, audientes quæ intus fiebant, maledicta in Episcopum congerebant. Non sunt similia retroactis temporibus in Ecclesiâ Dei perpetrata; exceptis his quæ in Domino Cantuariensi leguntur impleta. Recedentibus igitur universis de Ecclesiâ exceptis paucis, Monachi divina mysteria liberè prosequentes & ad finem celebriùs solito perducentes, reliquum diei in gaudio & exultatione deduxerunt. Tertio verò post hæc die Episcopo Ecclesiam intrante, dicebatur à quibusdam quòd altare jam decrevisset subvertere. Sed non ita contigit. In vi tamen & virtute obedientiæ interdixit Monachis, ne in eo canerent. Et quidem in his omnibus aliquid magnum se egisse arbitrabatur, Monachis id ferè pro minimo habentibus, qui ex oppressionibus & contumeliis nasciturum tempore suo segetem sperabant consolationis. Quamplures ergo religiosi & viri periti, metuentes ne periculosa esset actio, pacem inter dissidentes reformare satagebant. Sed dum ad suæ partis defensionem uterque vigilanter incumbebat; id sine sui juris periculo fieri posse non credentes, consiliis minimè adquiescebant. Ad instantiam tamen piè consulentium in amicabilem demum concordiæ formam convenerunt; & sedatâ undique procellâ, facta est tranquillitas magna.

CAP. XVI. De tertiis decimis.

INterea regio per regnum Angliæ promulgatum est edicto, tam à Monasteriis quàm Ecclesiis tertiam decimam exigi, & quoscunque reluctantes ad solvendum laicâ violentiâ compelli. Venerabilis verò Archiepiscopus Eboracensis Gaufridus, Ecclesiasticæ libertatis statum mutari conspiciens, & manum sublevationis apponere cupiens, solvi à suis prohibuit, & solventes anathematis interdicto supposuit. Cúmque Clerici regio prævalente metu solutioni instarent, & voluntati res non cederet; Gallias secessit, & pro domo Domini spontaneum exilium subiit.

CAP. XVII. De discordiâ inter Johannem Regem & Innocentium Papam, & de interdicto Angliæ.

CAP. XVIII. De obitu Philippi Dunelmensis Episcopi. [1]

INter hæc mala mortuus est Philippus Dunelmensis Episcopus X. Cal. Maii, anno Pontificatûs sui XI. & extra septa Ecclesiæ in loco non consecrato à Laicis sepultus esse dicebatur. Quidam hoc in præteritorum pœnam accidisse putabant; ut qui solennitatem olim Ecclesiæ turbaverat, exequia solennia amitteret; & qui cibum inclusis ferre vetaverat, sine viatico decederet. Evoluto anno & paucis diebus, directæ sunt literæ Domini Papæ Priori & Monachis Dunelmensibus; ut sibi eligerent Antistitem secundùm timorem Dei & Ecclesiæ

[1] Obiit 1207. 22. April. feriâ 3. juxta Annales Dunelmenses, 1208. 21. April. juxta Annales Suthwercenses. Neutra dies in feriam 3. incidit. Obitum in anno 1208. reponunt Parisius, Mailrosensis & Wigorniensis. Recté.

libertatem. Periculosa autem nimis erat suggestio. Si enim præter conscientiam Regis ageretur; tam corporum quàm rerum suarum discrimen incurrerent. Si verò præceptum Apostolicum non adimplerent; gravioris vindictæ manum non effugerent. Fatigabatur interea multis oppressionibus Ecclesia Anglicana; nec erat qui consolaretur eam, &c. Homines quoque Monachorum Dunelmensium, qui hactenus in quodam sinu pacis latuerant, ad omnes tallias & vexationes & onera compellebantur; nec eos B. Cuthberti tuebatur reverentia; nec aliquod his remedium consuetudo antiqua nec Ecclesiæ conferre poterant privilegia. Eodem tempore obiit Gaufridus Eboracensis Archiepiscopus; cujus depositio plurima Ecclesiæ suæ fuerat desolatio. Defunctus est & Bertranus Prior Dunelmensis; cujus sicut vita ad magnam hominibus S. Cuthberti extitit consolationis medelam; ita occasus ad summæ desolationis fore putabatur ærumnam. Sed non defuit divinæ gratia bonitatis. Cùm enim Fratres ejus obitum ad Regem deferrent; inclinatus eis Rex & doloribus compatiens, concessit ut quem vellent de suis eligerent, & in Priorem promoverent. Electusque est Dominus Willelmus, de suâ i. e. de Dunelmensi civitate oriundus. Habebaturque pro miraculo, in tantâ rerum necessitate & temporis brevitate Priorem de se ipsis assumpsisse.

CAP. XIX. De submissione Johannis Regis Innocentio Papæ factâ.

CAP. XX. De electione Richardi Sarisburiensis Decani. [m]

PRior verò & Monachi Dunelmenses ad Ecclesiam Dunelmensem jamdudum Ricardum elegerant Salesburiensem Decanum; sed electionem suam sub modio ponentes & non super candelabrum, apud se quinque mensibus in sui juris periculum occultabant; nec eam populo declarare, nec ad Dominum Papam referre, nec Regi volebant exponere. Agebant omnimodis, sed non adeò cautè prout deceret, ne ad Regis notitiam perveniret; ne eum haberent offensum, si quid præsumpsissent præter ejus consensum. Domino autem Legato [Nicolao Tusculanensi Episcopo] & Archiepiscopo Cant. secretum suum revelaverant; quorum ipsi factum approbaverant, & totis viribus prosequi commonebant. Veniente igitur Dunelmum Legato & de electione inquirente, dixerunt se Fratres elegisse, literas Domini Papæ proferentes; & ad vestigia ejus provoluti supplicabant, ne contra electionem suam quicquam attemptaret contrarium, quo gloriam eorum evacuaret; quòd id secundùm timorem divinum & ad salutem fecissent animarum. Ille autem affectatâ pietate simplicior, bonam quidem & justam eorum esse petitionem dicebat; personamque quem elegerant virum idoneum & eruditum; sed tamen in omnibus Regi deferendum, sine cujus voluntate nec etiam in terrâ sine rerum detrimento residendum. Fratres verò proposito suo constanter & unanimiter inhærentes, nullo terrore flecti poterant; sed ut paternæ consolationis ubera inter verbera correptionis suæ ostenderet, humiliter rogabant; & factum eorum, ne famæ suæ scandalum incurrerent, ne repudiaret, sed potiùs confirmando confoveret. Ille autem ingens imminere periculum asserebat; quòd Regis & Papæ idem esset cor & anima, & qui unum offenderet alterius quoque reus existeret; cavendumq; ne ipsos inter duos cornutos aut inter duas molas constitutos gravior pœna contereret.

[m] Annales Dunelmenses Ricardum anno 1209. electum fuisse tradunt. Quod si verum perhibeatur; pro *quinque mensibus* apud Gaufridum legendum est *quinque annis*. Mihi autem potiùs suspecta est Annalium fides; qui his circiter temporibus pluries falluntur; & in proximè sequentibus tradunt ad Episcopatum Dunelmensem 1213. 20. Febr. electum fuisse ac post paucos dies obiisse Johannem Gray Norwicensem Episcopum, quem 1214. 18. Octobr. defunctum esse supra ostendimus. Præstat itaque ut Gaufridi calculum sequamur; & electionem Johannis à Monachis factam 1214. 16. Febr. à Papâ confirmatam 1214. mense Octobri statuamus.

CAP.

CAP. XXI. De postulatione factâ de Johanne Northwycensi Episcopo.

PRotulitque literas ab Apostolicâ Sede ad se directas, præcipientes ut quia Prior & Monachi tanto tempore eligere sibi sacerdotem distulissent, & de jure eos potestate eligendi potuisset privare; de suo tamen eis gratiam faciens, ut sibi Pastorem idoneum cum consilio suo providerent; adjungens ut Dominum Johannem Norwycensem Episcopum ad eandem Ecclesiam postulari faceret, & in rebelles sententiam anathematis inferret, quam ipse ratam haberet, si sine scandalo Regis fieri posset, quod magis gratum fore credebat. Hujus authoritate præcepti cogebat eos ad postulandum, cum austeritate comminans, quòd si voluntas eis non inesset, nihilominus in executione mandati procederet. Illi verò conturbati & cordibus admodum sauciati, quid potius mallent inter duo mala conclusi hærebant. Quòd si electioni renunciarent, perderent famam; si autem postularent, offenderent conscientiam. Videbatur igitur eis saniori consilio supplicandum, quatinus salvâ electione liceret postulare. Quod nequaquam permisit; sed quòd de consilio suo tota eorum pendere debebat operatio, consuluit in Domino ut postularent, ipseque & seriem electionis & factum postulationis ad Dominum Papam referret; ille verò quod inde judicaret, Apostolicâ authoritate statueret. His ergo verbis Fratres aliquantulum respirantes, gratias egerunt; & assensum licèt non plenum ore exhibentes, animoque coacti, Norwycensem postulabant. Factaque est hæc postulatio anno Domini MCCXIV. XIV. Cal. Martii, anno Interdicti VI. vacante Episcopatu post decessum Philippi Episcopi annis V. & mensibus X. & diebus XXV. Innocentius Papa eodem demum die electionem Decani Salesburiensis cassavit, & postulationem qualemcunque de Johanne Northwicensi (sed jam mortuo) factam confirmavit. Dominus Papa adeò Regi Angliæ in omnibus agendis suis videbatur inclinatus; ut à plerisque à statu suæ rectitudinis diceretur immutatus. Monachi licèt postulâssent, electioni tamen animo semper adhærebant; & mittentes Romam, voluntatem Apostolicam consulebant. Qui cognito rerum gestarum ordine, Electum cassavit, Postulatumque confirmavit; sed quid clausis oculis faceret ignoraret. His itaque ita se habentibus, defunctus est Norwycensis Episcopus; & eodem die Papa vivum cassavit, mortuum confirmavit. Dicebant plurimi divinam in his affuisse virtutem, & voluntati successisse Monachorum. Erat enim odiosus, ut jampridem ei ex odore famæ suspectus.

CAP. XXII. De electione Domini Morgani.

AUditâ igitur morte Norwycensis Episcopi, Dominus Rex, ut nova in proximo futura electio ad votum sibi caderet, elaborabat; & quasdam personas eligens, Monachis ad eligendum proponebat. Illi verò electionis ordinem in his periclitari prudenter advertentes, & ne quid in eâ regium saperet machinari studentes, consilium inierunt; & timore Dei unanimiter Dominum Morganum Præpositum Beverlacensem, fratrem ejusdem Regis, ipso Rege ignorante, & observatâ in omnibus eligendi libertate, elegerunt.

ROBERTI DE GRAYSTANES
Dunelmensis Episcopi
HISTORIA
DE STATU
Ecclesiæ Dunelmensis
Ab anno MCCXIV. ad annum MCCCXXXVI.

CAP. I. De Morgano Electo Dunelmensi.

ANNO Domini MCCXIII. Morganus frater Regis Johannis & Galfridi Archiepiscopi Eboracensis, Præpositusque Beverlacensis, electus in Episcopum Dunelmensem per Monachos ejusdem Ecclesiæ, Curiam Romanam adiit, ut munus consecrationis ibi reciperet. Sed Rege Angliæ hoc procurante cassatus rediit; quia spurius fuit. De uxore enim cujusdam Militis dicti Radulphi Bloeth Henricus pater ejus genuerat eum. Dominus tamen Papa Electo compatiens obtulit ei, quòd si filium Militis se diceret & non Regis, cum eo dispensaret, & electionem confirmaret. Super quo consulto quodam Clerico suo M. Willelmo de Lanum, respondit expresse, quòd propter nullam dignitatem consequendam regium sanguinem subticuerit: & sic cassatus recessit.

CAP. II. De RICARDO DE MARISCO [n].

ANno MCCXIV. relaxatur Interdictum in Angliâ; & Gualo Vercellensis Legatus Angliæ contulit Episcopatum Dunelmensem jam V. annos, X. menses & XXV. dies ab obitu Philippi vacantem Ricardo de Marisco Cancellario Domini Regis circa Festum S. Nicolai. Consecratusque est à Domino Waltero

[n] Historia Ricardi Episcopi quoad tempus maximè perturbata est. Eam itaque paulò fusiùs expediam. Ricardum de Marisco Regis Cancellarium anno 1211. fuisse Florilegus testatur. Carta Johannis Regis data apud Londinum 1213. 3. Octobr. *per manum M. Ricardi de Marescis* extat apud Prynnium vol.2. p.290. Anno 1213. 19. Octobr. (prout legitur in rotulis Cancellariæ) M. Ricardus de Marisco, Archidiaconus Richmondiæ & Northumbriæ, tradidit Regi Sigillum apud Ospreng. Non ideo tamen Cancellariatum dimisisse existimandus est. Antiquitus enim Cancellarius Regi semper adhæsit; & si qua necessitate à Rege dissociandus esset, Sigillum interim penès alium à Rege designandum deposuit. Reversus itaque ad Curiam Ricardus Sigillum recepit. Habentur enim Chartæ Johannis Regis datæ per manum *M. Ricardi de Marisco Cancellarii nostri* 1214. 22. Nov. (apud Prynn. vol. 2. p. 339.) 1215. 15. Januarii (apud Parisium

Gray

Gray Archiepiscopo Eboracensi circa Festum S. Johannis Baptistæ. Iste fultus potentiâ Regis, Monachos juribus & libertatibus suis multipliciter molestavit; aliqua eis surripuit, aliqua eis mutavit. Anno verò secundo Episcopatûs sui confirmavit Priori & Conventui libertates juxta tenorem Cartæ Willelmi Episcopi; & Ecclesiam de Dalton eis appropriavit, & ad sustentationem Cameræ assignavit; appropriationem Ecclesiarum de Acley & de Pittingdon confirmavit. Obiit autem Calendis Maii apud Burgum S. Petri feriâ sextâ; corpusque ejus sepultum est Dunelmi die Martis sequenti, Episcopatûs sui anno octavo.

---

p. 263. ubi Robertus malè dicitur) 1215. 2. Sept. (apud Prynn. vol. 3. p. 34.) Ricardum Decanum Sarisburiensem (alius is à Cancellario fuit) Monachi Dunelmenses (authore Gaufrido) canonicè elegerunt quinque mensibus, antequam Johannem Norwicensem Episcopum postulare à Nicolao Papæ Legato inviti cogerentur. Johannem 1214. 16. Febr. postulatum fuisse idem prodit Gaufridus; cui fidem astruit Epistola Nicolai ad Innocentium Papam (apud Prynnium vol. 2. p. 353.) 1214. 24. Febr. scripta in qua Papam certiorem reddit se Capitulum Dunelmense adivisse ad electionem Episcopi celebrandam. *Monachi verò licèt asseveranter proposuerint se electionem fecisse, & decretum eorum, qualiter Decanum Sarisburiensem in Prælatum elegerant, mibi ostenderunt; tamen propter literas vestras, quas mibi misistis pro Episcopo Norwicensi, meo consilio coartati, præfatum Norwic. Episcopum in suum Episcopum postulârunt, salvo tamen jure si quid habent in electione prædictâ.* Anno 1214. 22. Maii Rex Ricardum de Marisco Capitulo Wintoniensi impensè commendat, ut ipsum in Episcopum eligant postulans. Die 28. Junii sequentis electioni Ricardi in Episcopum Winton. factæ assensum præbet, aliisque ad Nicolaum Legatum literis datis, electionem ab ipso confirmari postulat. Extat utrumque diploma ibid p. 355. Petrus Episcopatum Wintoniensem tunc obtinuit; qui die 2. Maii præcedentis regiis literis testis loco subscripserat; adeò ut rumor falsus de Petri morte ad Regem & Monachos Wintonienses delatus videatur. Paulò antè, viz. die 14. Maii, Innocentius Papa datis ad Regem literis difficultatem negotii Dunelmensis ostendit; sibi enim constare Ricardum Decanum Sarum fuisse concorditer electum, & Norwicensem à Monachis postulatum fuisse *salvo jure electionis præcedentis*, quin etiam Monachorum procuratores in curiâ Romanâ præsentes pro electionis confirmatione acriter instare; se tamen eam confirmare noluisse, quia regius assensus non præcessisset; non aliam igitur difficultatis eximendæ suppetere rationem, nisi ut Ricardus jus suum in sui ipsius arbitrium transferat. Exemplar simul decreti Monachorum de electione Ricardi Papa Regi transmisit. Subscribunt illi Willelmus Prior & 40. Monachi. Re diutiùs protractâ, Monachi Dunelmenses post medium annum 1214 Regem iterum precibus aggrediuntur, ut electionem Ricardi à se factam assensu suo confirmare dignetur. Rescribit Rex 1214. 6. Sept. & assensum dare constanter negat; Monachorum insuper contumaciam increpat. Extat Epistola ibid. p. 353. Johanne Norwicensi è vivis sublato mense Octobri sequenti, quo circiter tempore Papa Ricardi electionem cassavit, nova Præsulis electio instituenda erat. Electus est Morganus; quod ante finem anni 1214. fieri non potuit; quamvis id Annales Dunelm. in annum 1213. referant. Iidem Annales tradunt Ricardum de Marisco accepisse Episcopatum Dunelmensem dono Gualonis Legati anno 1214. circa Festum S. Nicolai, & à Waltero Archiepiscopo Ebor. consecratum fuisse 1215. 22. Junii. Ista autem constare non possunt. Walterus enim Archiepiscopatum Ebor. non obtinuit ante Novembrem hujus anni; & dies 22. Junii anno 1215. Dominica non erat. Quinimo Gualo Legatus in Angliam non advenit ante medium annum 1216. recessit medio anno 1218. Ricardum 1218. 24. Julii consecratum esse uterque Matthæus tradit. Neque sic tamen res conficitur. Dies enim ista Dominica non erat. Videtur itaque Ricardus Gualone procurante electus 1217. 6. Dec. circiter, consecratus 1218. 24. Junii. Illum enim circa Festum S. Johannis Bapt. consecratum esse, & anno 8. Pontificatûs obiisse Robertus testatur. Eundem autem 1226. 1. Maii obiisse certissimè constat. Parisius quidem illum annis circiter 9. sedisse affirmat; quod si verius perhibeatur, Ricardus anno 1216. electus, 1217. 25. Junii consecratus esse dicendus erit. Ricardo assidua erat cum Monachis contentio. Ille Monachorum privilegia cassare conatus fuerat. Isti talionem reddere certi, Episcopum *sanguinis*, *simoniæ*, *adulterii*, *sacrilegii*, *rapinæ*, *perjurii*, *ac dilapidationis multiplicis*, apud Papam accusârunt. Papa judices statuit Sarisburiensem & Eliensem Episcopos. Ab his Ricardus appellat, & Romam profectus, Papæ animum datâ pecuniâ adeò emollivit; ut lis immani utriusque partis sumptu protracta, sententiam definitivam ante ipsius obitum non acciperet.

CAP.

CAP. III. De RICARDO PAUPERE [o].

POst obitum istius Ricardi vacavit Ecclesia Dunelmensis per II. annos, IV. menses, II. dies, & electus est à Priore & Monachis M. Willelmus de Stichill Archidiaconus Wigorniensis; & ipse Curiam adiit in propriâ personâ; & licet electio de eo facta in Curiâ crederetur habere summum favorem; receptâ examinatione Dominus Papa in Vigiliâ Ascensionis Dominicæ subito pronuntiavit sub hac formâ. "Defuncto Episcopo Dunelmensi, Prior "& Capitulum convenerunt ad eligendum; & lecto Concilio propter ipsius "brevitatem voluerunt procedere per illam formam quæ fit per inspiratio-"nem Spiritûs Sancti. Unde petiit Conventus, quòd Prior aliquam perso-"nam nominaret; ut si videretur idonea, possent in illam consentire. Et "Priore nominante Magistrum Willelmum Archidiaconum Wigorniensem, "dixerunt omnes, *Placet, quia bonus est.* Unde Prior facto signaculo crucis "dixit: *Et ego in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti eligo M. Willelmum "Archidiaconum Wigorniensem in Episcopum & Pastorem Ecclesiæ Dunelmensis.* "Et post eum unusquisque in ordine suo idem dixit. Quæ electio nec per "scrutinium nec per compromissum facta erat, nec etiam per inspiratio-"nem; quia Prior dixit *Ego, &c.* & sic unusquisque secundùm suum ordi-"nem; ita quòd electio non fuit facta communiter ab omnibus, sed singula-

Obiit 1226. 1. Maii apud Monasterium Petriburgense, dum Londoniam adversùs Monachos suos impigrè acturus properaret, morte repentinâ extinctus. Sepultus est apud Dunelmum die 5. ejusdem mensis. Memoriam ejus gravibus conviciis Monachi denigrârunt; & inter alios Monachus Lanercostensis obitum ejus sic enarrat. *Anno 1226. obiit Ricardus de Marisco Episcopus Dunelm. ille qui tantam tyrannidem Ecclesiæ S. Cuthberti intulit, ut jura Monachorum & possessiones eorum pro posse suo abstulerit, nec ulli eorum quamdiu vixerit pepercerit. Sed cùm audaciùs eos expugnare disposuit, subitò è mundo recessit.* Cancellariatum Regis toto Episcopatûs tempore administrâsse videtur. Cancellarium enim fuisse annis 1215. & 1223. constat; neque alius ab anno 1215. ad 1226. Cancellarius reperitur.

[o] Monachis aulam pro licentiâ eligendi adeuntibus Rex Lucam Capellanum suum obtulit, multis precibus suadens, ut ipsum in Episcopum susciperent. Monachi è contra licentiâ eligendi impetratâ Willelmum de Stichill (Willelmum Scotum nominant Annales Teokesberienses, & anno demum 1242. obiisse tradunt) canonicè elegerunt. Electioni Rex assensum præstare renuit; & missis Romam procuratoribus Episcopo Cestrensi & Priore Lentoniensi, illam à Papa cassari obtinuit. Cassatâ Willelmi electione 1228. 3. Maii, Monachi Ricardum Poore Sarisburiensem Episcopum (quem olim anno 1213. elegerant) sibi in Episcopum dari postulârunt. Tergiversatus aliquamdiu Papa Monachorum postulationem ratam fecit die 9. Maii. Ricardus decreto Papali die 14. Maii, edito translatus, Temporalia Episcopatûs Dunelm. à Rege accepit 1228. 22. Julii; & in Ecclesia Dunelm. intronizatus est 1228. 4. Sept. Singulos hosce dies exhibent Annales Dunelm. omnia autem anno 1226. contigisse volunt. Annales Robertus sequitur. Nos autem illa in annum 1228. rectiùs retulimus fide Chronici Dovorensis aliorumque indubiæ fidei Historicorum. Quin & calculum nostrum ipsi Annales & Robertus confirmant; dum Sedem post Ricardi de Marisco obitum annis 2. mens. 4. di. 2. vacâsse tradunt. Ricardum enim 1226. 1. Maii obiisse supra asseruimus. Negant quidem Annales & Robertus, morte ejus 1224. 1. *Maii feriâ* 6. collocatâ. Verùm ex apposito ab his ipsis charactere annum 1226. fuisse constat. Si à 1226. 1. Maii igitur vacationis positæ tempus deducamus; in 1228. 4. Sept. ea terminabitur. Hunc *eximiæ sanctitatis & profundæ scientiæ virum* Parisius vocat; beneficiaque tribus (quas ordine rexit) Ecclesiis Cathedralibus ab illo præstita enumerat, & mortis sanctissimæ modum narrat, p. 439. Ecclesiæ sanè Dunelmensi immane debitum plusquam 40000. marcarum à decessore suo contractum dissolvit. Obiit apud Tarentum in Provinciâ Dorsetensi, ibidem in Cœnobio Monialium quod ipse fundaverat, sepultus. Obitum 1237. 15. April. feriâ 4. contigisse Robertus, Annales Dunelm. Suthwerc, & Mailros. uterque Matthæus & Johannes Walingford concordes tradunt.

"riter

"riter à singulis. ; & ideo non per inspirationem. Unde & eam irritamus, "reservatâ nobis potestate de eâdem Ecclesiâ ordinandi." Vocatis postea Monachis dixit: Gratiâ indigetis, & hanc graciam facimus vobis. Nominetis aliquas personas idoneas; & aliquam ex eis dabimus vobis. Monachi igitur tractatu habito, priùs supplicârunt Ricardum Pauperem Sarisburiensem Episcopum sibi præfici in Pastorem; quem aliàs, ut est priùs habitum, in suum Episcopum postulârunt; sed postulationem Papa cassavit. Instat Papa, ut aliam personam nominarent Monachi. Sed ipsis perseverantibus in postulatione suâ, tandem obtinuerunt eundem Sarisburiensem Episcopum sibi dari in Pastorem, die sc. Martis infra Octavas Ascensionis. Eodem die Dominus Papa cassavit electionem Cantuariensis de quodam Monacho W. nomine. Objecerunt enim Episcopi Angliæ tam contra electionem quàm contra personam electi. Quam objectionis causam executi sunt in Curiâ Lichefeldensis & Roffensis Episcopi & Archidiaconus Bedfordensis. Requisitus etiam Electus prædictus, utrùm Dominus in carne vel sine carne descendit, malè respondit. Item requisitus de confectione corporis Christi in altari; de Rachele quæ plorabat filios suos, cùm priùs esset mortua; item de sententiâ contra juris ordinem latâ; de matrimonio, si alter contrahentium infidelis decesserit: Super istis requisitus malè respondit in singulis. Ideo Dominus Papa eum indignum ad tantum statum judicavit; & provisionem Cantuariensis Ecclesiæ sibi reservavit, electionem de ipso W. factam penitus irritando. Ad petitionem igitur Monachorum Dunelmensium in Curiâ existentium, scripsit Dominus Papa Ricardo dicto Pauperi Episcopo Sarum, præcipiens in virtute obedientiæ, ut curam Episcopatûs Dunelmensis, ad quam postulatus fuerat, reciperet: & sic Monachi à Curiâ recesserunt. In die S. Magdalenæ recepit curam Episcopatûs Dunelmensis à Domino Henrico Rege Angliæ; & in die S. Cuthberti proximè sequente fuit intronizatus apud Dunelmum anno Domini MCCXXVI. Tempore hujus Ricardi facta est illa Compositio, quæ *Conventitur* dicitur, inter Episcopum & Radulphum Kernech & Conventum, Priori & Conventui præjudicialis in multis. Iste concessit Monachis potestatem; ut auctoritate suâ ter in anno excommunicarent infringentes libertates Ecclesiæ Dunelmensis. Et obiit XI. Episcopatûs sui anno, XVII. Cal. Maii, feriâ sc. quartâ ante Cœnam Domini, anno Domini MCCXXXVII. apud Tarentum: & ibidem in Abbathiâ Monialium, sicut vivens præceperat, est humatus. Cujus obitu die octavo fratribus Dunelmensibus nunciato, & servitio pro ipso celebrato,* missi sunt Fratres ad Regem Henricum VIII. Cal. Maii ad petendam licentiam eligendi. Quo invento apud Wyndesore III. Nonas Maii, in crastino licentiam sub literis patentibus regis obtinuerunt.

CAP. IV. De Thoma de Melsanby Electo Dunelmensi.

INterim in Inventione S. Crucis venerunt Dunelmum Eboracensis Archiepiscopus & Lincolniensis Comes, ex parte Regis literas credentiæ Domino Priori & Conventui deferentes; quibus perlectis, dixerunt Regem instanter supplicare, ut amore ejus & securitate regni Electum suum Procuratorem Valentiæ sibi in Episcopum eligerent & Pastorem. Acceptisque induciis deliberandi usque in crastinum, per Priorem sic fuit responsum. Quòd multi Fratres, quos tangebat hoc negotium, absentes erant; qui etiamsi præsentes essent, ante diem statutum ad eligendum in certam personam consentire non possent. Dixit tamen Prior, quòd veniente die electionis talem eligerent, qui Deo & Ecclesiæ utilis erit, Regi & Regno fidelis. Qua responsione datâ, recesserunt Archiepiscopus & Comes, ista Regi renuntiaturi. Statuto igitur ad eligendum, die sc. Lunæ proximâ post Ascensionem, vocatis vocandis, per viam

viam compromissionis processerunt; & Dominum Thomam de Melsanby, Priorem Dunelmensem, in Episcopum elegerunt; qui tandem vix lacrimis & precibus victus adquievit. Publicatâ igitur electione Clero & populo, Magister W. Crispyn pro jure electionis & electi provocavit & appellavit. Super qua electione factâ missi sunt literæ patentes Archiepiscopo Eboracensi & Domino Regi. Sed contra electionem excepit Dominus Rex, quòd Electus inimicus erat Domini Regis & regni, quia priùs erat Prior de Coldingham, & tunc fecerat Regi Scotiæ fidelitatem. Et quia Episcopus Dunelmensis habet loca fortissima & munitiones in confinio Regis Scotiæ; periculosum esset Regi & regno, ut suus inimicus & amicus Regis Scotiæ ibi esset, qui fecit homagium Regi Scotiæ. Item haberet terras suas maritimas, ubi pro libitu suo posset invito Rege Francos & Flandrenses recipere in periculum Regis & regni. Item tanquam homicida est repellendus, Item impugnavit libertates Ecclesiæ. Item morbosus est. Item voti transgressor; quia carnes [comedit] & aliis comedendi licentiam dedit. Item Simoniacus est ex multis causis. Item incidit in Canonem latæ sententiæ. Item non est sufficienter literatus. Causa antem una, quare Rex sic se opposuit, fuit, quia cùm Rex differret consentire electioni & electum admittere; instabant Monachi pro gratiâ Regi habendâ; & unus eorum prorumpens in verba, Regi dixit: Domine non egemns gatiâ magnâ; electum valentem reputans & electionem rite factam. Et Rex: Ex quo gratiâ non indigetis, sine gratiâ recedetis. Sic igitur Rex non solùm negavit gratiam, sed procuravit instantiam. Diu igitur super exceptionibus antedictis coram Waltero Gray Archiepiscopo Eboracensi litigabant. Et cùm Archiepiscopus præfatus nihil efficax eis faceret; sed metu Regis negotium protelaret; missum est Curiæ sub hac formâ. *Cùm Ecclesia Dunelmensis nuper Pastore vacâsset, &c. ad pedes Sanctitatis vestræ flexis genibus supplicamus; ut Archiepiscopo Eboracensi detis in mandatis, quòd infra spatium trium mensium post receptionem literarum vestrarum ipsum negotium fine debito decidat. Nihilominus mandantes venerabili Patri Domino O. S. Nicholai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, ut si dictus Archiepiscopus mandatum vestrum neglexerit adimplere, audiat ipse ex tunc idem negotium, & ei sine moræ dispendio justitiâ mediante debitum finem imponat.* Ad hæc Domino Papæ nuncianda missi sunt ad Curiam Robertus de Esden Supprior Dunelmensis, Laurentius de Upsedelington, & Alanus Camerarius, Roberto de Hoxtildesham adventum eorum in Curiâ expectante. Missus est cum eis Magister W. de la Hay: qui omnes in itinere mortui sunt. Cùmque idem Electus licentiatus esset à Rege ad Curiam; veniens apud Dovere, prohibitus est transfretare à Bertramo de Greol Constabulario ejusdem. Sic igitur Electus desperans de exitu negotii sui, de diutinâ Ecclesiæ viduatione anxius, in die Palmarum Dunelmum revertitur, purè & sponte renuntians electioni de se factæ.

CAP. V. De NICHOLAO DE FARNEHAM[p].

QUO audito misit Rex suos Dunelmum, qui contra personas quas putabant eligendas appellabant, contra sc. Decanum Lincolniensem, Vicarium de Alkeland, M. Simonem de London, & contra plures Religiosos. Id videntes Monachi elegerunt M. Nicholaum de Farneham tum Reginæ Me-

[p] Singula tempora electionis, cessionis &c. Thomæ & Nicolai Robertus ex Annalibus Dunelm. descripsit; nisi quòd Nicolai electionem feriâ 6. factam ponat, quam Annales feriâ 5. celebratam perhibent. Electus est Itaque Thomas 1237. I. Junii, resignavit 1240. 8. April. Isto cedente Rex Petrum de Egueblanch consanguineum suum, Electum Herefordensem, Monachis commendavit. Hoc autem, tum quòd ignotus, tum quòd alienigena esset, rejecto, Monachi virum optimum Nicolaum de Farnedicum;

dicum; & quievit Rex. Facta est autem hæc electio de eo in crastino Circumcisionis Domini IV. Nonas Januarii, feriâ sexta, anno Domini MCCXLI. Recepitque temporalitatem à Rege in die S. Scolasticæ Virginis IV. Idus Februarii; consecratusque est in Episcopum apud Gloucestriam in die S. Trinitatis à Domino Waltero Gray Archiepiscopo Eboracensi; & intronizatus est Dunelmi in Festo Translationis S. Cuthberti: Vacante Episcopatu Dunelmensi ab obitu Ricardi II. usque ad electionem dicti Nicholai annis IV. exceptis tribus mensibus, II. hebdomadibus & quinque diebus. Anno Domini MCCXLII. incæpit Thomas Prior novam fabricam Ecclesiæ circa Festum S. Michaelis, juvante Episcopo & Ecclesiam de Bedlington ad ejus fabricam conferente. Anno Domini MCCXLIV. cessit Prior Thomas; & Bertramme de Middleton factus est Prior in die S. Mauricii. Thomas vero deposito Prioratûs regimine, in insulam Farne secessit; & cum viro Dei Bartholomæo Deo militare elegit; ubi in religionis arctitudine & eleemosinarum largitione residuum vitæ egit. Defuncti demum corpus Dunelmum reportatum, inter Episcopos meruit sepeliri. [*Sequuntur miracula nonnulla, meritis ipsius facta.*] Isti Thomæ Priori & Conventui dedit Nicholaus Episcopus secundo Episcopatûs sui anno placeam, &c. & VIII. Episcopatûs sui anno contulit Bertramo Priori & Conventui centum acras bosci, quod Milneside nuncupatur, licentiamque claudendi illas & liberam warrennam in illis & parcis de Acley & Fery, Reyington & Heword. Anno Domini MCCXLVIII. die Lunæ proximâ post Festum Purificationis B. Mariæ venit M. Johannes le Gras Dunelmum cum literis patentibus Dominorum Archiepiscopi Eboracensis & Episcopi Bathoniensis Priori & Conventui directas super cessione Nicholai Episcopi; & super electione Canonicâ de personâ idoneâ faciendâ auctoritate Apostolica.

---

ham elegerunt 1241. 2. Januarii feriâ 4. Præclarum illi elogium Parisius posuit. *Rexerat ipse Nicolaus in Artibus Parisiis per plures annos* (illum Parisiis studuisse anno 1201. excessisse 1229. ex eodem constat. Videtur Cantabrigiæ aliquando literis operam dedisse; commemoratur enim in Benefactorum Cantabrig. Missâ) *Deinde arte Medicinæ Bononiæ claruit gratiosus & peritus excellenter. Hic etiam postquam in Dialectica & arte Physicali & naturis ad plenum eruditus, ad Medicinam se postea conferens spiritualem, videlicet Theologiam, ipsâ scientiâ & librorum copiâ se adeò restauravit; ut lecturiens ad Cathedram ascendendam sufficeret Magistralem. Ipsum igitur quasi expertum & scientiâ multipliciter & moribus commendabilibus insignitum, peritorum consilio Rex & Regina ad suarum vocaverunt animarum & corporum custodiam & consilium familiare. Ubi cùm prosperè & prudenter se haberet; ad dicti Pontificatus dignitatem electus, non adquievit. Videbatur enim ei inhonestum illi consentire electioni; cùm paulò antè* (anno 1239.) *quando in Episcopum Coventrensem eligeretur, renunciavit, nolens quomodolibet consentire. Igitur, ut obstrueretur os loquentium iniqua, qui fortè dicerent; Ecce hic hypocrita, pauperi Episcopatui renuntiavit, exspectans uberiorem; summo conamine reluctabatur. Donec Episcopus Lincoln. Robertus, eum super hoc graviter redarguens, efficaciter ipsum ad hoc persuasit, ut consentiret, &c.* Consecratus est à Waltero Ebor. apud Glocestriam in Ecclesia S. Oswaldi, Rege & Reginâ aliisque Magnatibus præsentibus; quando submonentibus quibusdam ut favore regio fretus obedientiæ professionem Archiepiscopo præstare detrectaret; vir gravis iniquum consilium aspernatus, professionem ritu magis solenni fecit. Consecratum fuisse 1241. die S. Trinitatis, viz. 26. Maii Robertus & Annales Dunelm. 1241. 9. Junii Parisius, & Annales Winton. tradunt. Anno 1249. vir integerrimus, oneris Episcopalis pertæsus, impetratâ priùs Papæ licentiâ, resignavit sub initium Februarii. Resignationis instrumentum Conventus accepit die 8. Febr. Ad sustentationem ejus quoad viveret, assignata sunt Maneria de Hoveden, Stocton & Ensingtun; quæ annuum mille marcarum redditum confecisse à Waverleiensi dicuntur. Hanc reservationem Walterus Episcopus & Conventus Dunelmensis missis Romam procuratoribus anno 1250. irritam facere aggressi, non sine gravi dedecore repulsam tulerunt. Obiit Nicolaus apud Stoctunam anno 1257. Plura de illo habet Matthæus Paris p. 541, 549, 573, 628, 759, &c. Quod ab isto autem prætermittitur, in Annalibus Lanercostensibus reperio, Nicolaum ante resignationem Episcopatûs accusatum fuisse, quòd ante consecrationem uxorem duxerit, atque ipsam consecrandus clam repudiâsset.

 CAP.

CAP. VI. De WALTERO DE KIRKHAM [q].

PEtitâ igitur licentiâ à Rege & obtentâ, die Mercurii proximâ post Festum S. Elphegi electus est Walterus de Kirkham Decanus Eboraci in Episcopum Dunelmensem; receptâque temporalitate à Rege, consecratus est apud Eboracum à Domino Waltero Gray Archiepiscopo, Nonis Decembr. in Vigiliâ S. Nicholai, quæ illo anno evenit in Dominicâ, anno MCCXLIX. Habuit igitur Dominus Nicholaus in provisionem suam Northam & alia quædam Maneria Episcopalia; ut Episcopus Walterus eo vivente de residuo contentaretur. Iste Walterus dona & concessiones prædecessoris sui confirmavit; Ecclesiam de Brankeston ad sustentationem duorum Monachorum apud Werkworth, Ecclesiam de Heghinton ad hospitalitatis sustentationem & pauperum refectionem Monachis appropriavit; ita ut decedente vel cedente Magistro W. de Kirkenni tunc Rectore ejusdem, liceret Monachis Ecclesiam de Heghinton ingredi & absque contradictione in usus proprios retinere. Apud Mukleswick contulit Priori & Monachis Horslyop sc. CCXVI. acras de bosco & vasto, licentiamque includendi eas. Anno MCCLV. Alexander Papa dedit regnum Apuliæ & Siciliæ Edmundo filio Regis Angliæ. Et propter hoc Episcopus Herefordensis obligavit Religiosos Angliæ mercatoribus in XXXVIII. millibus marcarum citissimè persolvendam. Contra quam obligationem appellârunt pro se Dunelmensis Bertramus Prior & Conventus, dicentes se velle Domino Papæ in licitis & honestis & eis possibilibus obedire & semper obedisse; sed spoliationi Ecclesiarum suarum, direptioni bonorum, subversioni libertatum, subtractioni victualium, tanquam intolerabilibus & impossibilibus dixerunt se non assentire inductioni vilissimæ servitutis in Ecclesiam Christi, gravissimi in Clero scandali, nefandissimi opprobrii Crucifixi; paratos se contradicere asserentes, & hoc quibuscunque exactionum executoribus protestando denuntiantes; & contra Magistros Rostandum & B. Senonensem indebitæ pecuniæ collectores præsentiam Domini Papæ & Cardinalium appellârunt Sabbato quo cantatur *Sitientes* anno MCCLVI. Anno Domini MCCLVIII. XVII. Cal. Augusti Bertramus Prior per H. Suppriorem rogavit Conventum; ut cessioni suæ annueret, & de bonis Monasterii ei provisionem congruam assignaret. Vocatis ergo domi prioribus cellarum & majoribus capituli in Vigiliâ Assumptionis expositâ voluntate Prioris, defectum & debilitatem virium corporalium allegante, fatigationemque in diversis officiis Monasterii per XL. annos & in Prioratu per XIV. prætendente, lecta est quædam bulla Domino Episcopo Dunelmensi destinata per Summum Pontificem continens, quòd Episcopus admissâ cessione Prioris provideret eidem de honestâ sustentatione de bonis Prioratûs. Quâ bullâ dixit se Prior nolle uti; ne Episcopus nostra discernendo plusquam oporteret de nostro statu agnosceret. Missi sunt ergo duo Fratres ad Episcopum, literas super cessione Prioris signatas deferentes, humiliter eum ex parte Prioris deprecantes, ut benignè ejus admitteret cessionem. In cra-

[q] Nicolao cedente Rex importunis precibus Monachos compellavit, ut Adomarum fratrem suum uterinum eligerent. Monachi literaturæ & ætatis defectum in Adomaro causati, liberam electionem sibi aliquando permitti postulârunt. Ægrè demum concessâ Monachis licentiâ, electus est Walterus de Kirkham, 1249. 21. April. & ab Archiepiscopo Ebor. consecratus 1249. 5. Dec. Obiit apud Hoveden 1260. 9. Augusti, apud Dunelmum die 16. Augusti sepultus. Ista habent Annales Dunelm. Dies conscrationis atque obitûs uterque Matthæus confirmat. Epitaphium autem sepulchrale, quod in Ecclesia de Hoveden prostat, Walterum inibi sepultum esse comminiscitur: quod de visceribus forsitan ejusdem intelligi debet.

stino igitur missi sunt ab Episcopo M. W. de Meru & Dominus J. de London, commissionem specialem ad prædicta habentes; qui ingressi Cameram Prioris, & auditâ rationabili causâ cessionis ejus, eam admiserunt; & curam Monasterii in spiritualibus H. Suppriori, in temporalibus Domino R. de Waltham Constabulario commiserunt. Assignavitque Conventus Bertramo Priori pro provisione suâ Ecclesias de Pinington, Heyngton, *&c.* Cessit igitur Prior Bertramus die Assumptionis. Et quia omnes erant domi qui ad electionem fuerant evocandi, statutus est dies ad eligendum in crastino; duoque fratres missi ad Episcopum eodem die obtentâ eligendi licentiâ redierunt. In crastino igitur Assumptionis per viam compromissi electus est Hugo de Derlyngton Supprior in Priorem Dunelmensem anno Domini MCCLVIII. invenitque in deposito, quod ei reliquerat prædecessor ejus Bertramus, XI. mille marcas. Nam idem Bertramus religionis suæ zelator & cultor, non solùm vitæ sanctitate floruit, sed & facultates Ecclesiæ vehementer auxit. Manu propriâ quinque Psalteria cum Orationibus multis scripsit; & in Ecclesiâ quibuscunque psallere volentibus publicè ordinavit; Postillam super Psalterium, Quatuor Evangelia, Epistolas Pauli Super Job, Libros Sapientiales, XII. Prophetas, Epistolas Canonicas, & super Apocalipsin duplices domui procuravit. De isto Bertramo audivi ego Robertus juvenis quendam senem dicere; quòd si dimisso Prioratu redisset ad Claustrum, aliam provisionem nullatenus expectando; ita libenter ivisset ad tumbam ejus, sicut ad feretrum S. Cuthberti, pro suis necessitatibus oraturus. Provisionem tamen quam habuit prodigè non consumpsit; sed apud Beaurepaire cameram cum Capellâ, quæ multorum judicio non multis in Episcopatu est inferior, construxit. Anno Domini MCCLX. in Vigiliâ S. Laurentii obiit Walterus de Kirkham Episcopus Dunelmensis apud Hofden; & in Octavis S. Laurentii sepultus est apud Dunelmum; sigillumque ejus coram omnibus qui aderant in Capitulo per Dominum J. Gileth est confractum.

CAP. VII. De ROBERTO DE STICHILL [r].

Electusque est Dominus Robertus de Stichille Prior de Finkhal in Episcopum Dunelmensem die S. Jeronimi; confirmatusque est à Domino Godefrido Archiepiscopo Eboracensi apud Scirburnam in Elivethe die S. Clementis proximo sequente; consecratusque est ab eodem apud Southwellam Idus Februarii anno prænotato. Iste Robertus in primordiis Monasticæ conversationis suæ nimis levis fuit; & quadam die Dominicâ cùm propter levitatem suam & rebellionem esset injunctum sibi, ut super sellam in medio Chori solus sederet, ut sic rubore confusus maturesceret; sellam per pedem arripuit, & extra chorum inter populum projecit. Dicitur etiam, quòd ipso apostatare cogitante, cùm per crucem ex aquilonari parte chori noctanter transiret conaretur, monitus est per vocem emissam cœlitus, ut rediret; & si stare vellet, de Episcopatu promissum accepit. Sic igitur dimissis levitatibus & puerilibus, cœpit maturescere, gladioque divinæ Scripturæ insistere. In qua in brevi tempore inter claustrales observantias sic profecit, ut scientia ejus multis miraculum fieret, & mores ejus plurimi commendarent. Unde istis excitatus quidam de Fratribus, cùm esset iste Robertus sacerdotis filius, ipso ignorante dispensationem pro eo impetravit, ut etiam ad Episcopalem posset eligi dignitatem. Et Frater hoc impetrans erat Henricus de Hornca-

[r] Robertus de Stichehill electus est 1260. 30. Sept. confirmatus ab Archiepiscopo Ebor. 23. Nov. Temporalia à Rege accepit die 5. Dec. Consecratus est 1261. 13. Febr. Obiit 1274. 4. Aug. Ex Annalibus Dunelm. & Registro *Giffard* Ebor.

ſtre, poſtmodum Prior de Coldingham, in temporalibus & ſpiritualibus non mediocriter circumſpectus.

Iſte Robertus primo Epiſcopatûs ſui anno ſc. anno MCCLXI. in nocte Natali Domini hoſpitatus eſt in Abbathiâ prope vicinitatem Eccleſiæ; & Priori fecit literas in craſtinum, quòd hoc in ſui præjudicium nullatenus traheretur. Iſte contulit Priori H. & Conventui de boſco ſuo MCCC. acras, viz. &c. *& alia multa.* Anno Domini MCCLXXI. in Capellâ ſuâ de Aukeland coram Domino Epiſcopo recognovit M. Robertus de S. Agatha Archidiaconus Dunelmenſis Priorem Dunelmenſem fuiſſe Archidiaconum in Eccleſiis ſibi appropriatis infra aquas; & Archidiaconos prædeceſſores ſuos nomine Prioris & non nomine proprio juriſdictionem in illis Eccleſiis exercuiſſe, & propter hoc Priori penſionem annuam exolviſſe. Et ſic Dominus Epiſcopus pro jure Prioris pronunciavit; & ſuper pronuntiatione ſuâ literas ſuas fecit. Quas teſtatur ſe Dominus Robertus de Inſulâ Epiſcopus inſpexiſſe; & in ſuis literis inde confectis recitat de verbo in verbum anno Domini MCCLXXVI. Ipſius etiam Archidiaconi factum teſtatur ibidem. Tempore Hugonis Prioris, anno ſc. MCCLXIV. fuit guerra inter Regem Henricum & Barones ſuos; ubi Prior multa effudit pro ſalvatione patriæ. Nam venientibus ex parte Regis vel ex adverſâ parte ad deprædandum Epiſcopatum ſemper occurrebat ipſe, muneribus placans eos. Fecit & magnum Campanile, organa grandiora, parcas de Beaurepaire & Mukelingeswik; & apud Wardelau cameram, aulam & capellam, quæ Scoti poſtea deſtruxerunt, cameram etiam apud Mukelingeswik, &c. Iſtius tempore fuit impetrata quædam Bulla à Gregorio IX. Papâ ſuper appropriatione Eccleſiæ de Hoſden in augmentum XVI. Monachorum; & ut decedente vel cedente L. Maunſel Rectore ejuſdem, liberè poſſet Prior illam ingredi & in uſus proprios obtinere. Sed ipſe eas in Præbendas ſeu portiones dividi non ſine magnis ſumptibus procuravit; utilius & honorificentius æſtimans ex præſentatione Clericorum ad Præbendas prædictas amicos adquirere quàm eas in uſus proprios retinere. Fuit iſte Prior hoſpitalitatis & eleemoſynæ zelator præcipuus. Semper quando domi veniebat; pauperes villæ ante eum choreas ducebant; quibus ingreſſis fecit coquinam miniſtrari. Nonnulli etiam nudati à propoſito ante eum incedebant; quibus veſtes fecit illico miniſtrari. Dicitur de eo, quòd de denariis fecit quinque minuta; ut ſic pluribus miniſtraret. Et cùm ſenex in curru equitaret; de curru pauperibus acclamantibus volam plenam minutis extra ſparſit. Fuit igitur iſte magnificus & callidus. Delectabatur magna facere; & ubi voluit, ſcivit callidiſſimè ſimulare. Anno MCCLXVI. In Capitulo generali apud Eboracum per Conventum Dunelmenſem [*lis mota fuit Bertramo quondam Priori de malo uſu poſſeſſionum Eccleſiæ ſibi reſervatarum, & ſententia adverſùs Bertramum lata.*]

Interim ſentiens Hugo Prior ex infirmitate & labore diutino vires ſuas in ſe deficere corporales, frequenter rogavit Epiſcopum, ut ſuam admitteret ceſſionem. Et Epiſcopo diutiùs hoc facere differente, tandem anno MCCLXXII. die Sabbati poſt Feſtum S. Nicholai, miſit Prior ad Epiſcopum H. de Horncaſtre Sacriſtam Dunelmenſem & Magiſtrum W. de Derlington cum literis de credentiâ, qui obnixè rogarent Epiſcopum, ut rem effectui manciparet. [*Epiſcopò verò adhuc differente, Prior aſſignatis ſibi à Conventui Maneris de Wardelew, Mukelingeswik &c. pro proviſione ſuâ reſignare ſtatuit.*] Et in die S. Stephani miſit Prior cum H. de Horncaſtre literas reſignationis ſuæ cauſas quare cedere voluerit continentes Epiſcopo; ut ſuam ceſſionem benignè admitteret, humiliter rogans eum: quas literas juſſit Epiſcopus conſervari. Et egreſſis omnibus præter Epiſcopum, ſuos Clericos & Sacriſtam, Epiſcopus ſermonem ad Sacriſtam dirigens [*conqueritur Monachos Dunelmenſes ſibi minùs obedientes eſſe; eò quòd profeſſionem coram ipſo non facerent, prout debebant; quamvis id ipſe ſæpiùs exegiſſet, & de eo Conventum monuiſſet.*] Reſpondit Sacriſta ſe nunquam moni-

monitionem aliquam audivisse. Et factâ altercatione inter Clericos Episcopi & Sacristam, illis allegantibus hoc fieri in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Angliæ, ubi Priores subsunt Episcopo; ipso è converso allegante Ecclesiam Dunelmensem ad hoc non teneri, eò quòd Prior Dunelmensis ex privilegio jura Abbatis habebat, quamvis nomen Prioris, & ad Abbates pertinet professiones Monachorum admittere. In crastino verò manè misit Episcopus apud Dunelmum Fr. A. de Clifton & M. Alexandrum de Alverton & Ricardum de Bradwell & Dominum Thomam de Levesham; qui convocatis Fratribus exposuerunt eis voluntatem Episcopi super præmissis; monentes eos & rogantes, ut in hoc se difficiles non redderent. Habito igitur tractatu priùs, responderunt Conventus, quòd parati erant facere quicquid debebant. Et quia in..... convenit, quòd Monachi factâ priùs professione coram Priore postea dabunt eandem coram Episcopo & ab eo solennem benedictionem acciperent; dixerunt quòd libenter facerent, dummodo formam in scripto traditam non excederent nec mutarent: et hoc ei per suos mittere voluerunt. Nunciis igitur Episcopi ad ipsum cum gaudio propter istam responsionem redeuntibus, missi sunt ad Episcopum Fratres quatuor; qui ei dicerent, quòd Conventus paratus erat professionem suam coram eo recipere & benedictionem solenniter accipere; sed chorum ingredi non cucullati & ibi ab eo indui, & sic per triduum velatâ facie incedere, quasi nulla esset vel inanis professio eorum coram Priore facta, quamvis ipsum hoc velle crederent, id nullo modo facere voluerunt. [*Respondit Episcopus id sibi minimè placere; se enim Monachos non aliter, quàm prout in Benedictionali continetur, benedicturum; & missis iterum nunciis Monachorum animum explorat.*] Fratribus congregatis exponuntur præmissa. Sed illi pro majori parte à voluntate priori aversi, dixerunt se mandato Domino Episcopo directo minimè consensisse, licèt apertè non reclamaverint; immo potiùs vellent mori quàm aliquam professionem coram Episcopo recitare, *&c.* Sexto Idus Januarii ingressus Episcopus Capitulum, cessionem Prioris admisit, Prioratûs sui anno XIV. & Monachatûs XXX. Episcopatûs verò Episcopi XII. anno verò gratiæ MCCLXXII. fecitque provisionem superiùs annotatam, adjecto veteri vinario de Recton, signo suo & Capituli consignari, consignatamque tradi jussit H. Priori.

CAP. VIII. De his quæ fiebant vacationis tempore.

Expeditis præcedentibus ut dictum est, surrexit quidam Frater Episcopo sermonem dirigens in hæc verba. Domine, multum regratiamur vobis de dilectione, quam habetis erga nos; & rogamus, ut in finem nos diligatis, *&c.* Episcopus verò insurgendo sic respondit. Ego multam perpessus sum ignominiam & despectum super omnes prædecessores meos; & habebo emendas, cùm Deus voluerit. Vix Episcopus portam exierat; & ecce Seneschallus Episcopi ducens secum Dominum W. Whiteby Constabularium castri, advocatis quibusdam Officiariis, sic ait. Istum constituit Dominus meus Episcopus custodem domûs hujus loco sui. In crastino verò veniens, vocatis Suppriore & aliis Officiariis ad aulam, jussit venire janitores, mareschallum & alios sæculares curam domûs habentes, dicens: Domus ista est in custodiâ Domini mei; & ideo volo videre qui curam illius debent agere, & juramentum fidelitatis ab ipsis exigere, amovere & substituere, prout videro expedire. Responsum erat ei, quòd inaudita peteret; nunquam enim intromisit se Episcopus de familiâ domûs vacante Prioratu magis quàm pleno, nec deberet. Debent enim solùm habere quendam Clericum custodem domûs ratione tuitionis magis quàm proprietatis. Inhibitumque familiæ fuit, occultè tamen, ne coram eo comparerent. Tandem cum difficultate concessit

cessit eis inducias usque in crastinum; ut interim possent consulere Episcopum. Eodem die manè missi sunt duo Fratres ad Episcopum, ab eo eligendi licentiam petituri. Et visis eorum literis, calumniati sunt Episcopus & sui cum eo; quod non erat scriptum ei tanquam patrono & Domino; allegantes pro se quòd nisi patronus esset, ab eo licentiam eligendi petere non oporteret. Et cùm Monachi allegarent sibi consuetum scribi; dixit Episcopus quòd non; quia post mortem Thomæ Prioris Episcopus Nicholaus literas Capituli rejecit propter eandem causam. Reacceptis igitur literis suis reversi sunt nuncii, hæc Conventui nunciantes. Erant autem multi in Conventu recolentes, quòd Nicholaus Episcopus non hoc petebat, sc. quòd scriberetur ei sicut patri & patrono in spiritualibus & temporalibus, nec unquam hoc obtinuit, nec remissa litera fuit ob hanc causam; sed quia sigillum fuit separatum à literâ per incuriam, antequam ad Episcopum pervenirent. Unde aliam sub eodem tenore consignatam ei reportabant. Ipse tamen in suâ literâ eis concessâ patronum in spiritualibus & temporalibus se vocabat; nec de hoc fuit eis cura. Dixerunt aliqui; quòd ex quo patronus fuerit, non malum est eum in suis literis sic nominare. Ideo in crastinum remissi sunt nuncii cum talibus literis, *Reverendo patri ac patrono &c.* qui literas obtinuerunt super licentiâ electionis faciendæ. [*Servientes interim Episcopi Maneria Monachorum occupabant; quæ Episcopus à Monachis rogatus statim restitui fecit.*]

CAP. IX. De electione Ricardi de Claxton.

OPtentâ itaque licentiâ, statutus est dies ad eligendum, in crastino sc. Conversionis S. Pauli. Quo die per viam compromissi electus est Ricardus de Claxtoun Prior Insulæ sacræ in Priorem Dunelmensem anno MCCLXXII. Pontificatûs Roberti XII. in secundo die pòst apud Derlington confirmatus, & in Purificatione B. Virginis apud Dunelmum installatus per Archidiaconum Dunelmensem; & infra triduum sequens provisionem Hugonis quondam Prioris factam signo suo roboravit rogatus. Iste Ricardus fuit religiosus & hospitalis, & ita circumspectus; quòd non obstante provisione largâ Hugonis Prioris, & lite magnâ inter Archiepiscopum Ebor. & Ecclesiam Dunelmensem, quæ largas requirebat expensas, toto tempore suo domus abundabat. Anno Domini MCCLXXIV. mense Maio celebravit Gregorius IV. Concilium Lugduni; ad quod vocatus Prior partes transmarinas adiit, sed ad Concilium non accessit, habens ibi Procuratores, *&c.* Epitaphium ejus; *Agnus non pardus jacet hic Prior ecce Ricardus.*

CAP. X. De obitu Roberti de Stichill, & electione ROBERTI DE INSULA. [s]

PEractis in Episcopatûs regimine XIV. annis, fundato Hospitali de Grecham, nam ipsam villam Episcopus emerat à quodam Bertramo cognomine, in redeundo de Concilio Lugdunensi pridie Nonas Augusti obiit Robertus de Stichill Dunelmensis Episcopus in castro quod * Arbipeylles dicitur.

* Arbreules *Annal. Dun.*

[s] Robertus de Insula (quem *de Halieland* Waverleiensis, *de Coquina* Lanercostensis appellant) electus est 1274. 24. Septemb. confirmatus ab Archiepiscopo Ebor. die 31. Octobr. consecratus ab eodem die 9. Decembr. Obiit 1283. 7. Junii. Ex Annalibus Dunelm. & Registro *Giffard* Ebor. Malè Thomas Wikes obitum illius anno 1284. circa Festum S. Michaelis, Lanercostensis 1284. in Festo S. Trinitatis contigisse volunt. Robertus inter Benefactores Academiæ Cantabrig. memoratur.

Corpus

Corpus verò ejus sepultum est in quodam Monasterio Ordinis S. Benedicti Sayacens. Sed cor ejus delatum est Dunelmum, in Capituloque sepultum. Iste dum vixit, semper quando comedit in Castro, solebat de vino suo mittere ad Conventum; & quodam die cùm pincernæ suæ diceret, quòd Suppriori & Conventui de vino suo mitteret; veniens ille cum vino, Suppriori ad suam mensam in Refectorio residenti vinum præsentavit. Prior verò Hugo ad magnam mensam præsidens, ex hoc indignatus, mensam percussit; & sic prandium in medio prandii finivit.

Intellectâ igitur morte Episcopi, licentiâque eligendi à Rege obtentâ VIII. Cal. Octobr. electus est Robertus de Insulâ Prior de Fynchalle in Episcopum per viam compromissi; & Idus Octobris à Rege receptus, VIII. Cal. Novembr. à Domino Waltero Giffard Archiepiscopo examinatus ipse & electio ejus apud Ripon; ibique dies assignatus pro confirmatione habenda Vigiliâ omnium Sanctorum in Ecclesiâ Dunelmensi, ubi & quando est confirmatus; & Dominicâ proximâ post Festum S. Nicholai in majori Ecclesiâ Eboracensi consecratus.

CAP. XI. De Visitatione Archiepiscopi apud Dunelmiam.

INterim mandat Archiepiscopus visitationem suam in Capitulo Dunelmensi die proximâ ante Sanctorum Omnium Vigiliam faciendam; quo die correctis in Capitulo corrigendis, Archiepiscopus cum suis & omnibus intrare volentibus Capitulum intravit; finitoque sermone injunxit tam suis quàm omnibus aliis ut exirent. Remanenteque eò solo & qui erant de Capitulo, dixit se venisse ad visitandum & corrigendum ea quæ sunt corrigenda. Prioreque se ad partem trahente, examinavit Suppriorem & ex senioribus quatuor, aut successivè, à nullo sacramentum exigens, sed quod priùs publicè tunc occultè requirens ab eis. Revocatisque Priore & aliis, datâque benedictione, recessit ad Castrum ubi erat hospitatus, Henrico de Horncastre tunc Sacristâ Dunelmensi crucem ante eum bajulante.

CAP. XII. De factis Roberti Episcopi.

COnsecratus igitur in Episcopum Robertus Ecclesiam de Middelham Monachis de Finchalle in augmentum sex Monachorum appropriavit; Priori & Conventui Dunelmensi dedit advocationem Ecclesiæ de Meldon Dioceseos Dunelm. acceptâ priùs in recompensationem præsentatione integræ Ecclesiæ de Waldenestow Lincoln. Dioceseos, ad quam Prior & Conventus solebant alternis vicibus præsentare. Concessit etiam eis warrennam in Billinghamshire & boscos, *&c.* Dicitur quòd iste promotus in Episcopum, matrem suam priùs pauperculam honoravit, servos & ancillas sumptusque honorabiles ministravit; cúmque eam semel visitaret, quomodo se haberet inquisivit: & illa, Valde malè. Cur, inquit, dulcis mater? Deficitne vobis aliquid, servus, vel ancilla vel sumptus necessarii? Non, inquit; satis habeo; sed cùm dico huic vade, currit; & illi veni, genibus se prosternit; & ita omnia serviunt mihi ad nutum, quòd non habeo unde irascendo dilatare possim cor meum, *&c.* Cùm iste semel apud Norham venisset; & Dominus de Stremerston sibi cerevisiam dedisset; Episcopus cùm non esset assuetus à magno tempore cerevisiam bibere, ob reverentiam tamen mittentis & famam cerevisiæ gustavit; & non sustinens, statim à mensâ surgens evomuit. Et post prandium vocatis quos voluit, Ecce quid agat consuetudo, inquit. Scitis ex quibus originem [duxi] & nec ex parentelâ nec patriâ habeo vinum diligere, sed ex consuetudine solâ, *&c.*

CAP.

CAP. XIII. Initium discordiæ inter Archiepiscopum Ebor. & Ecclesiam Dunelm.

ANNO Domini MCCLXXX. præsentatus fuit Adam de Barneby ad Ecclesiam de Rungetoun vacantem Eboracensis Dioceseos per Priorem & Conventum Dunelmensem; & quia in prædictâ præsentatione *salutem & obedientiam* non scripserunt; præsentatum eorum admittere recusavit; & ipsi ad Curiam Romanam appellârunt; factaque est appellatio & provocatio die Mercurii proximâ post Dominicam Palmarum anno supradicto apud Lancastriam in Prioratûs camerâ, in qua Dominus Archiepiscopus pernoctavit. Impetratique sunt judices, *&c.* Quo intellecto Archiepiscopus ipsum præsentatum in formâ primæ præsentationis admisit, & in eâdem institui demandavit: & fuit illa contentio sic sopita. Eodem anno in Festo S. Cuthberti Priori porrectæ sunt ex parte Archiepiscopi literæ visitationis in crastino S. Johannis Baptistæ in Ecclesiâ & Capitulo Dunelmensi faciendæ cum illâ clausulâ, "Quod "in præmissis duxerint faciendum & de die receptionis præsentium nobis circa "Festum Annuntiationis proximum sub vinculo & in virtute obedientiæ rescri-"batis. Interim super his consulitur Episcopus Dunelmensis, qui respondit quod ad literam missam respondere non oportet; tum quia mittens nullam jurisdictionem habet in Priorem & Capitulum ratione Monasterii Dunelm. nec ratione alicujus existentis in Diocesi Dunelm. tum quia injungitur in virtute obedientiæ, ad quam nec ei tenetur Prior nec Capitulum, cùm Metropolitanus in subditos Suffraganei jurisdictionem nisi in certis casibus non habeat, inter quos iste nullus. —Arripiente igitur Episcopo cum suis iter versùs Curiam Romanam, Prior & Capitulum frequenter supplicabant Archiepiscopo per suos; ut visitationem suam prorogaret ad tempus magis opportunum; & ipso non consentiente, est provocatum & appellatum contra eum. Primò quia Archiepiscopus tanquam eis suspectus meritò est recusandus [*ob pristinas injurias.*] Item cùm secundùm statutum Concilii Lugdunensis Metropolitanus primò debet visitare propriam Ecclesiam & Capitulum & Diocesin, antequam ad Suffraganei visitationem descendat; quod iste non fecit. Item Episcopus Dunelm. caput Capituli in remotis agit pro negotiis Ecclesiæ suæ; unde ad præsens visitari non potest. Et ipso non visitato, illi visitari non debent; cùm visitatio incipere debet à capite. Item quòd Ecclesiæ Dunelmensis Prior & Capitulum istâ hactenùs gavisi sunt libertate & immunitate, sicut parati sunt per privilegia specialia coram judice competenti ostendere; quòd nullo unquam tempore Archiepiscopus Ebor. auctoritate Metropolitanâ in eo visitationis officium exercuit. Istis non obstantibus, in crastino S. Johannis Baptistæ venit Archiepiscopus Dunelmum; & cùm ingredi vellet portam borealem, per milites Episcopatûs est repulsus. Ubi provocatione præmissâ priùs coram eo recitatâ, excommunicavit in scriptis Episcopum, Priorem & majores de Capitulo, & Capitulum interdixit; eosdemq; peremptoriè citavit, ut die Mercurii Festum Exaltationis S. Crucis proximè sequenti præsentiam suam exhiberent in Ecclesiâ & Capitulo Dunelmensi, visitationem Archiepiscopi subituri, & de contemptu satisfacturi, *&c.* Adveniente igitur die statuto, venerunt Dunelmum ad visitandum G. Subdecanus Ebor. & M. Robertûs de Pikeringâ, commissarii ad præmissa; & cùm venirent super novum pontem, injectis quorundam manibus in equorum frænis repulsi sunt; & sic ad Ecclesiam S. Nicholai extra muros declinârunt [*ibi Monachi appellationem renovârunt, pluresque articulos contra Archiepiscopum obtulerunt, ipsum variis de causis sententiam excommunicationis incurrisse allegantes*] Istis non obstantibus, Commissarii præfati fecerunt vocari Episcopum

copum & Priorem; & in ipſos non comparentes excommunicationis ſententiam protulerunt, Eccleſiam ſupponentes interdicto. Obtinuerunt Prior & Capitulum reſcriptum Apoſtolicum Martini IV. Abbati de Waltham & Decano & Cancellario Lincoln. ſeu illorum duobus, [*ad terminandam cauſam*] Anno MCCLXXX. in craſtino S. Matthiæ in Eccleſiâ S. Mariæ juxta pontem de Stamford Abbas præfatus & Cancellarii Lincoln. ſubdelegati, recuſato priùs Decano Lincoln. tanquam ſuſpecto, vocatoque Archiepiſcopo Ebor. nec comparente per ſe nec procuratorem, excommunicationis ſententiam in Priorem, &c. & interdictum adnullârunt, ipſum Priorem & majores Capituli ad cautelam abſolventes; Archiepiſcopum contumacem pronuntiantes, & pro expenſis & damnis in trecentis libris Priori & Capitulo condemnantes; ipſum Archiepiſcopum ad eundem locum & diem Mercurii proximum poſt Octavas Trinitatis citandum decernentes. Interim Decanus Lincoln. jam recuſatus, & Cancellarius Lincoln. poſtquam totam juriſdictionem in Magiſtros H. & R. ſupradictos transfudiſſet, commiſerunt iterum Magiſtro J. Clareſſ, *&c.* qui appellationes Epiſcopi, Prioris & Capituli nullas fuiſſe de jure, ipſoſque eas non fuiſſe proſecutos pronuntiârunt; ſententiam Archiepiſcopi confirmârunt; Epiſcopum in quingentis libris & Priorem & Capitulum in totidem pro expenſis ipſi Archiepiſcopo condemnârunt; & iſta per Dioceſes Ebor. & Carleolenſem & Candidæ Caſæ publicari fecerant. [*Commiſſarii itaque ſe invicem excommunicârunt; & ad Curiam Romanam utrinque appellatum eſt. Papa rem denuo commiſit Abbati S. Edmundi & Decano London.*] Qui vocato Archiepiſcopo ad Eccleſiam Omnium Sanctorum Northampton die ſecundo juridico proximo ante Feſtum S. Hilarii anno MCCLXXXIII. ipſoque minimè comparente, causâ diligenter examinatâ & proceſſu juris in omnibus obſervato, auctoritate Apoſtolicâ ſententiam Abbatis de Waltham, &c. confirmârunt. Interim mediante Antonio de Bek conſenſerunt in arbitros; & electi ſunt ex parte Archiepiſcopi H. de Newerk Archidiaconus Richemundiæ & M. Inigo Cancellarius S. Pauli London, ex parte Epiſcopi Dunelm. & Prioris M. R. Avenel & Reginaldus de Brandon Canonicus S. Pauli London. dederuntque eis poteſtatem ordinandi & concordandi, *&c.* II. Non. Maii.

CAP. XIV. De morte Domini Roberti de Inſulâ, & electione Domini ANTONII DE BEK.[t]

ANno Domini MCCLXXXIII. VII. Idus Junii obiit Robertus de Inſulâ Dunelmenſis Epiſcopus apud Middelham; & IV. Idus ejuſdem ſepultus eſt in Capitulo Dunelmenſi in tumulo decenter ornato & ſculpto ſubtiliter cum imaginibus circumſeptis. Quo ſepulto ſigillum ejus publicè coram omnibus à Magiſtro R. Avenel eſt confractum. Eodem anno VII. Idus Julii electus eſt Antonius Bek, tunc Dunelmenſis Archidiaconus, in Epiſcopum Dunelmenſem per viam compromiſſi, petitâ priùs à Domino Rege licentiâ & obtentâ. Electionem cujus duo præcipuè promovebant, Domini Regis inſtantia, & inter Archiepiſcopum Ebor. & Eccleſiam Dunelm. controverſia. Sciebant

[t] Antonius de Beck, Regis Secretarius, 5. Beneficia eccleſiaſtica cum curâ animarum in Provinciâ Cant. anno 1279. obtinuiſſe in Regiſtro *Peckham* dicitur. Electus ad Epiſcopatum Dunelmenſem 1283. 9. Julii, aſſenſum Regis obtinuit die 28. Auguſti, Temporalia ab eodem accepit die 4. Sept. conſecratus eſt à Willelmo Archiepiſcopo Ebor. 1284. 9. Januarii. Godwinus à Chronico Oſneienſi deceptus illum die 15. Januarii conſecratum eſſe perperam ſcripſit. Obiit Antonius 1311. 3 Martii. Ex Annalibus Dunelm. & Thoma Stobæo. Decretum eſt in Parliamento Carleolenſi anno 1307. ut inhiberetur Epiſcopo Dunelmenſi & miniſtris ſuis; ne ſilvas ad Epiſcopatum ſpectantes devaſtarent.

enim Dunelmenſes, quòd electum eorum Archiepiſcopus minime conſecraret, niſi inſtantia Regis ad hoc eum induceret. Conſecratus verò eſt Antonius Dominicâ infra Natale proximum apud Eboracum à Willelmo Wikwan, præſente Rege & Magnatum multitudine copioſâ. Et licèt multi inter Archiepiſcopum & Dunelmenſes ex præcepto Regis mediarent; minimè tamen profecerunt, quin tempore conſecrationis Priorem egredi de Eccleſiâ compelleret, Et in craſtino Antonium in virtute obedientiæ præcepit excommunicare Priorem & majores de Capitulo. Sed ipſe reſpondit. Heri fui conſecratus eorum Epiſcopus; & hodie excommunicabo eos? ad hoc faciendum nulla obedientia me inducet. Erat autem iſte Antonius magnanimus, poſt Regem nulli in regno in apparatu, geſtu & potentiâ militari ſecundus; magis circa negotia regni quàm circa Epiſcopalia occupatus. In guerrâ Regi potenter aſſiſtens, & in conſiliis providus. Nam in guerrâ Scotiæ habuit de familiâ ſuâ XXVI. vexillarios, & communiter de ſuâ ſecta CXL. milites; ita ut magis crederetur Princeps Laicus quàm Sacerdos vel Epiſcopus. Et quamvis gauderet ſic militum conſtipari agmine; erga tamen eos ſic ſe habuit, quaſi eos non curâſſet. Comites & Barones regni majores ſibi genuflectere, & eo ſedente Milites quaſi ſervientes diutiſſimè coram eo aſtare parvipendens. Nil ei carum erat, quod ejus gloriam magnificare poſſet. Pro XL. halecibus recentibus XL. ſolidos Londoniæ ſemel ſolvit; aliis Magnatibus tunc in Parliamento ibi conſiſtentibus pro nimiâ cariſtiâ emere non curantibus. Pannum maximi pretii comparavit; & ex eo palefridis ſuis coopertura fecit; eò quòd quidam dixit ſe credere quòd Epiſcopus Antonius id emere non audebat. Quietis impatiens vix ultra unum ſomnum in lecto expectans, dixit illum non eſſe hominem, qui in lecto de latere in latus ſe verteret. In nullo loco manſurus, continue circuibat de Manerio in Manerium, de auſtro in boream; & equorum, canum & avium ſectator. Et cùm eſſet ſumptuoſus in multis, nunquam tamen egens erat; ſed uſque ad mortem omnia ei abundabant. Ad ſatietatem vix comedit; caſtiſſimè vixit, vix mulierum faciem fixis oculis aſpiciens. Unde in tranſlatione S. Willelmi Eboracenſis cùm alii Epiſcopi oſſa ejus timerent tangere, remordente eos conſcientiâ de virginitate amiſſâ, iſte audacter manus impoſuit; & quod negotium popoſcerat, reverenter egit.

CAP. XV. De contentione Prioris cum Archiepiſcopo Sede vacante.

VAcante igitur Eccleſiâ Dunelmenſi per mortem Roberti de Inſulâ VII. Idus Junii anno Domini MCCLXXXIII. ſtatim Prior & Capitulum apprehenderunt juriſdictionem, officiales & miniſtros alios præfecerunt; Archiepiſcopum viſitationis causâ deſcendentem VIII. die Julii nullatenus Eccleclesiam ingredi permiſerunt. Ipſum ad Eccleſiam S. Nicholai in Dunelmo divertentem, & ſermone ibi habito Priorem & majores Capituli excommunicare volentem, quidam juvenes de villâ ſic terruerunt; quòd per gradus versùs ſcolas latenter deſcendere & ſic juxta aquas versùs Kypier divertere lætus fuit. Auriculam palefridi abſciderunt; & ipſum ſi Wynchardus de Charrons & Petrus de Thorsby non impedîſſent, ut creditur, occidiſſent. Vicarium S. Oſwaldi Archiepiſcopo adhærentem de diverſis criminibus impetitum & convictum virtute juriſdictionis apprehenſæ Officialis Prioris & Capituli judicialiter privavit; & Prior & Capitulum alteri Vicariam contulerunt, qui eam quamdiu viveret occupavit, altero nunquam reſtituto. Antequàm verò Archiepiſcopus Dunelmum veniret, fuit exceptum contra eum; quòd juriſdictio ad ipſum tunc devolvi minimè poterat, eo quòd ipſe erat excommunicatus tunc & diu ante per Abbatem de Waltham, &c. ut ſupra dictum eſt, pro ſuâ contumaciâ.

cià. Unde non tenebantur eum admittere ad visitationem in eis exercendam. Sed istis non obstantibus, sententiam excommunicationis & interdicti promulgavit in majores de Capitulo & Ecclesiam; provocatum tamen erat priùs & appellatum. Isti exceptioni fuit rescriptum: aliæ exceptiones erant, quibus non erat rescriptum; puta quòd Archiepiscopus suspectus erat propter litis dependentiam, *&c.* Ante mortem Episcopi Dunelmensis fuit pro Archiepiscopo Bulla impetrata ad Abbatem de Holme, Priorem Coventrensem, &c. ut ipsi processum factum contra Priorem & Episcopum Dunelm. per J. Clarell, &c. examinarent; & si ritè factum invenirent, confirmarent & facerent observari. Illi Priorem ad Ecclesiam de Warwik citari fecerunt. Ubi Prior & Capitulum comparens per procuratorem, sentiens se gravari, eo quòd copiam literarum Apostolicarum sibi negaverunt, ad sedem Apostolicam appellârunt anno Domini MCCLXXXIII. in crastino S. Nicholai. Commissarii verò præfati appellatione contemptâ processum factum per J. Clarell, &c. confirmârunt; Priorem & majores Capituli ab administratione & ordinis executione amoverunt, eo quòd interdictum & sententiam per eos latam non observaverint; & sententias latas in Archiepiscopum per Abbatem de Waltham, &c. irritas promulgârunt: sed Prior & Capitulum appellârunt: exceptiones facientes contra Judices, quod, *&c.* Sic igitur ex parte Prioris extitit ad Romanam Curiam appellatum, & pro [a] tuitione ad Cantuariensem; & rescriptum fuit, *&c.* [*Prior & Capitulum alios sibi judices assignari obtinuerunt; qui Archiepiscopum crebrò citatum & non comparentem tandem contumacem pronuntiârunt die juridico proximo post Festum S. Matthiæ. Illo itidem in contumaciâ persistente*] Processit idem Judex ad sententiam diffinitivam pro appellatione Prioris & Capituli contra visitationem Archiepiscopi & exercitium jurisdictionis Sede vacante. Unde pronunciavit eos legitimè appellâsse, & omnia attemptata pòst & contra irrita fuisse & esse. A quâ sententiâ Procurator Archiepiscopi ex adverso veniens appellavit ad Romanam Curiam. Agebat tunc Archiepiscopus præfatus in partibus transmarinis pro negotiis istis; & ibi mortuus est, nullâ habitâ revocatione processûs præfati.

CAP. XVI. De intronizatione Antonii Episcopi, & cessione Prioris Ricardi de Claxton.

ANNO MCCLXXXV. in Vigiliâ Nativitatis Dominicæ die sc. Lunæ ingressus est primò Antonius Dunelmensis Episcopus post suam consecrationem Ecclesiam Dunelmensem. Super cujus intronizatione orta est dissensio inter Priorem allegantem, quòd sicut Archiepiscopus installatur per Decanum Eboracensem, ita Episcopus hic intronizari debet per Priorem Dunelmensem, & Officialem Ebor. consuetudinem Ecclesiæ pro se allegantem. Sed Antonius dixit se nolle in tam solenni Festo installationem suam propter eorum discordiam protelare; & protestatione factâ de neutri parti injuriando, per fratrem suum Thomam Bek Menevensem Episcopum installatus est, *&c.* In die verò S. Johannis Evangelistæ Antonius ingressus Ecclesiam, duas Baudekynes historiam nativitatis Dominicæ continentes obtulit; & eas ad ornandum magnum Altare in Festo Natilitii assignavit. Et habito tractatu cum fratre suo

[a] Non infrequens erat illo sæculo Provincialibus Eboracensibus ab Archiepiscopo Eboracensi ad Cantuariensem provocare; quod & ex historiâ hujusce litis & aliunde multoties patet. Huic quidem narrationi fidem facit Registrum Johannis Peckham Archiepiscopi Cant. ad quem à Dunelmensibus appellatum fuit. Inibi enim, fol. 153. Archiepiscopus causam (cui ipse gravibus negotiis impeditus interesse non potuit) judicandam committit Priori B. Mariæ de Suthwerk & Decano suo de Arcubus, datâ commissione anno 1284. 2. Idus Januarii.

Epiſcopo, *&c.* ingreditur ſedem Prioris; ubi vocatâ majori parte Conventûs, recitatiſque quomodo Prior infirmitatem ſuam & impotentiam allegans, frequenter ab Epiſcopo ſuam petierat ceſſionem, Prior tunc nil tale cogitans admiſsâ prius ejus ceſſione extitit abſolutus, Epiſcopo Menevenſe pro fratre ſuo verba proferente, & curam domûs in ſpiritualibus & temporalibus Henrico de Horncaſtre conferente. Sed Supprior allegavit; quòd cura domûs in ſpiritualibus in abſentiâ Prioris & Sede vacante ad eum pertinebat; & rogavit ne conſuetudini derogaretur. Ad hæc Epiſcopus. Domine Henrice, commendo tibi vices meas; nolo Suppriori nec conſuetudini domûs derogare. His peractis, receſſit Epiſcopus versùs Middelham. In craſtino verò petita eſt licentia ab Epiſcopo eligendi & obtenta. Citò poſt vocavit ad ſe Epiſcopus Henricum de Horncaſtre, & ei injunxit renuntiare Conventui, ſe velle, ut curam domûs ipſe ageret non ſolùm in temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus [*Reſtiterunt aliquamdiu Monachi*; *ſed tandem manus dederunt.*] Exercuit igitur Dominus Henricus curam in ſpiritualibus & temporalibus uſque ad confirmationem futuri Electi. Supprior tamen confeſſiones audivit; & in abſentiâ prædicti Henrici congregationi præfuit.

CAP. XVII. De electione Prioris Hugonis.

ANNO Domini MCCLXXXV. III. Idus Januarii electus eſt Hugo de Derlington, quondam Prior, in Priorem Dunelmenſis Eccleſiæ per viam compromiſſi; confirmatuſque eſt ab Epiſcopo Antonio apud Bagworth juxta Leyceſtriam II. Cal. Februarii anno ſupradicto; & die Jovis proximâ poſt Feſtum Purificationis per Clericum Archidiaconi inſtallatus. [*Multa in Eccleſiæ ſtatu immutavit, veterum inimicitiarum tenax.*] Hujus Prioris tempore fuit conventum cum Archiepiſcopo Eboracenſi, Hugone de Eveſham Cardinali mediante; ita quòd ſede vacante Dunelmenſis, Eccleſiæ Archiepiſcopus juriſdictionem exerceat in eâdem: ſicut patet in ſcriptis inde confectis anno Domini MCCLXXXVI. Et revocatæ ſunt omnes cenſuræ qualitercunque latæ contra quamcunque partem propter iſtam brigam, & pœnæ invicem relaxatæ. Ricardus verò de Claxton, quondam Prior, contentus erat cellâ de Wermuth, adjunctâ ei decimâ de Suthwik pro proviſione ſuâ. Ann. Dom. MCCLXXXIX. qui erat annus quartus Hugonis Prioris in Prioratu ſecundo, ······ Prior Conventui in tantùm, quòd ipſo moram faciente apud Finkhall & totaliter inſcio, mitterent duos Fratres Londoniam ad denunciandum Epiſcopo impotentiam & debilitatem Prioris & defectum regiminis propter incommodum ſenectutis, & ad rogandum eum de remedio ordinando. Sed cùm hoc innotuiſſet Priori per quendam de Conventu; miſit Prior ad quendam de ſuis, qui Epiſcopo magnam ſummam pecuniæ promitteret eâ conditione, quòd petitionem Conventûs non audiret. Sed Epiſcopus petitionem Prioris rejecit; & maturans iter ſuum versùs Dunelmum, ceſſionem ejus admiſit V. Idus Martii anno Domini ſupradicto. Anno igitur Domini MCCLXXXIX. in Vigiliâ Annuntiationis Dominicæ petitâ licentiâ ab Epiſcopo & obtentâ, electus eſt Ricardus de Hotoun, Prior cellæ de Lychne, in Priorem Dunelmenſem per compromiſſionem, & apud Cridelington ab Epiſcopo confirmatus V. Cal. April. in octavis Paſchæ inſtallatus ab Officiali Archidiaconi Dunelmenſis V. Idus April. Iſte Prior impetravit Manerium de Howall; de licentiâ Epiſcopi locum Oxoniæ comparavit & ædificare fecit; Capellam etiam de Bello-loco conſtruxit. Hujus Prioris tempore conceſſit Antonius Priori & Conventui warrennam in territorio de Wynſtow, *&c.* [*Sequitur Hiſtoria contentionis gravis inter Monachos & Ranulphum de Novavillâ de oblatione cervi in Feſto S. Cuthberti.*]

CAP.

CAP. XVIII. De dissensione inter Episcopum & Priorem & Capitulum.

PRosperante Prioratu sub Prioris regimine, applicavit Prior conferre suis terrariam Halmanorum, wardas & maritagia de Coldinghamschire suis contulit consanguineis pro libitu voluntatis. Murmurabant majores autem, graviter hoc ferentes; & illis procurantibus descendit Episcopus ad visitandum Capitulum in crastino Ascensionis Dominicæ anno Domini MCCC. Prior verò dixit se libenter visitationem suam subiturum; si secundùm consuetudinem Ecclesiæ solus cum illis de Capitulo visitare vellet; allegans sic visitâsse Walterum Giffard Archiepiscopum Ebor. ut supra habitum est. Episcopus verò multis præhabitis tractatibus petiit se admitti cum uno Clerico; & respondit unus ex parte Prioris, nec cum uno. Provocabat igitur Prior pro se & sibi adhærentibus, & appellabat. Episcopus verò excommunicabat, suspendebat, & interdixit; & tandem Priorem sententialiter privavit. Et facta est divisio in Conventu. Quidam enim favebant Episcopo, sicut Priores de Fynchale & de Insulâ, *&c.* Episcopus verò sic provocatus parcum de Beaurepaire ingressus, feras quæ tunc ibi abundabant quasi demoliri satagens, fæmellas & mares indifferenter cepit; homines verò Episcopi sæviebant in Priorem, & suos homines incarcerantes, cariagia & victualia ad Prioratum ingredi non permittentes, *&c.* Interim Rege mediante pacificati sunt verbo tenus Episcopus & Prior; Rege ordinante, quòd Prior quoad viveret Prior esset, & Episcopus cum tribus vel quatuor Clericis visitaret, & remitterentur universa invicem. Rex enim affectus erga utrumque, cùm iter ageret versùs Karleolum, declinavit apud Dunelmum, ut eos pacificaret; pacificatisque promisit, quòd contra eum qui pacem initam infringeret, partem se faceret: quod promissum bene tenuit. Nam Episcopò citò contraveniente, Rex partem Prioris ex tunc fovit, & manu tenuit quoad vixit. Juvit etiam partem Prioris dissensio orta inter Episcopum & suos de Episcopatu. Nam Episcopus homines de Episcopatu secum coegerat ire in guerram Scotiæ cum equis & armis jam unâ vice; & cùm secundâ vice redîssent domum ab eo non licentiati, fecit eos apud Dunelmum incarcerari. Quod ipsi graviter ferentes, fecerunt se partem contra Episcopum, dicentes se esse Haliworfolk, & terras suas tenere ad defensionem corporis S. Cuthberti, nec debere se exire terras Episcopatûs sc. ultra Tinam & Teysam pro Rege vel Episcopo. Et hujus dissentionis Capitales erant Ranulphus de Nova villa & Johannes Marmeduci. Adhærebant cum eis ferè omnes de Episcopatu milites & libere tenentes; & sumptibus eorum communibus prosecuti sunt negotia sua in Parliamento & Curiâ Regis. Odio igitur Episcopi omnes isti magis zelabant pro parte Prioris.

Transactis igitur tribus mensibus à suspensione Prioris & depositione, convocavit Episcopus Monachos sibi adhærentes; & injunxit eis, ut Priorem sibi eligerent, vel ipse eis aliquem præferret. Illis verò non consentientibus, præfecit H. de Luceby, Priorem sacræ Insulæ, in Priorem Dunelmensem. Et ad introducendum eum in possessionem, & amovendum Priorem Richardum adhuc possessioni incumbentem, misit ibi Forestarios suos de Werdale & homines de Tyndale; qui Priorem & Monachos in Abbathiâ obsederunt, & ita arctè custodierunt, quòd victualia ad eos venire non permiserint, aquæductum eorum confregerunt, januas Prioratûs tandem diruperunt & pòst Claustri; & sic per triduum Priorem & Monachos in Ecclesiâ obsederunt, ubi magnam penuriam victualium sustinuerunt. Monachi tamen in tantâ angustiâ non minùs devotè quàm solenniter divinum officium peragebant. Tandem in die S. Bartholomæi Priorem de stallo suo per quendam Monachum Episcopo adhærentem traxerunt.

traxerunt. Nam quendam de Tyndall induxerant ut hoc ageret; sed ipso viso Priore resiliit, nullo auro se hoc facturum dicens. Sed quod ipse abhorruit, Monachus explevit. Ipso sic extracto, installatur H. de Luceby; & obedientiam fecerunt ei Monachi quasi omnes, vi & metu inducti. Prior verò incarceratur per Episcopum primò in Claustro & post in Abbathiâ; & duo de Commonachis, sc. J. de Castro & H. de Monte-alto. Introductus H. de Luceby in possessionem, nobiliores de Episcopatu retinuit de suâ familiâ in magno numero, ut sic favorem patriæ consequeretur; & satis splendidè Conventum procuravit. Sed alii de patriâ, qui erant de familiâ, hoc non obstante eum contempserunt, vocantes eum H. Waldele. Prior coactè tamen, ut dicitur, suscepit Prioratum; quoniam Antonius juraverat, quòd si ipse non admitteret, Monacho extraneo conferret. *&c.* Iste H. priùs in Sacristariâ optimè se habuit; tectum navis Ecclesiæ de novo reparans, & Vestiarium à fundamentis construens; campanas etiam, ornamenta, capas, & alia non modica procurans Ecclesiæ. In Prioratu Insulæ sacræ & postea Dunelmi ita prudenter se habuit, quòd secundùm opinionem multorum si canonicè Prioratum Dunelmensem fuisset adeptus, melior Prior à multo tempore non fuisset.

Ricardus igitur sic detentus in carcere, cogitavit quomodo posset evadere; obtinuitque licentiam, ut uno die spatiari posset & aerem capere, sub tamen certâ custodiâ. Cùm igitur veniret ad pontem de Syncliff; venerunt octo equites ducentes secum palefridum pro eo, & eum ascendere fecerunt. Custodes verò ejus exterriti domum redierunt. Insecutus est eum Willelmus de Contoun Capellanus ejus, & postea Prior Dunelmensis; & equum nactus, cum eo recessit. Remansit igitur Ricardus in Cliffland ex tunc usque Natale; & circa Purificationem sequentem fuit Lincolniæ in Parliamento. In quo Parliamento conquestus est Regi de incarceratione suâ & injuriis ei per Episcopum illatis; & obtinuit literas regias recommendatitias Domino Papæ pro eo directas; & sic ad Romanam Curiam est profectus. Conquesti sunt etiam ibi in Parliamento homines Episcopatûs de Episcopo propter causam superiùs expressam. Et offensus est ibi Rex contra Episcopum, eò quòd tunc quæreret Rex ab eo, an secum staret contra Comites Mareschallum & de Hereford & alios majores regni, qui ibi congregati erant in manu forti, & in voluntate capiendi Regem. Respondit Episcopus, quòd omnes illi laborabant ad profectum & honorem regni & Regis, & ideo cum illis staret & non cum rege contra eos. Indignatus Rex ex hoc, cum Comitibus pacem simulavit; sed Antonium ex tunc semper exosum habuit. Habuit ibi Antoniùs de unâ sectâ CXL milites.

Ad instantiam igitur Ricardi Prioris vocatus est Episcopus Antonius ad Romanam Curiam personaliter; & ipse misit Clericos ad excusandum eum; sed non sunt exauditi. Veniens enim Ricardus ad Curiam, satis favorabiles sibi invenit Papam & Cardinales. Erat enim homo eloquens, bene literatus, & bene personatus, &c. Papa edoctus, quòd non erant sex menses elapsi à privatione Ricardi usque ad præfectionem H. de Luceby, præfectionem cassavit III. Cal. Decembr. anno MCCCI. Sic tamen quòd si Episcopus vellet præfatam privationem defendere ut factam legitimè; contra Ricardum prosequatur, postquam inductus fuerit in corporalem possessionem. Hujus restitutionis executio facta est in Curiâ Romanâ XII. die Februarii eodem anno, & in Ecclesiâ Dunelmensi decimâ die mensis Aprilis sequentis anni sc. MCCCII. Quo anno cùm in Cœnâ Domini veniret Ricardus de Kellaw cum processûs copiâ; admissus est benignè à majori parte Conventûs, & in Suppriorem admissus. H. verò de Luceby tunc cameram Prioris occupans cum quibusdam adhærentibus sibi collegit quod poterat, de ciphis pedes argenteos evellendo, & ciphos argenteos & coclearia congregando; & cùm ad portam non erant exire permissi, Monachis ibidem eis resistentibus; per gardinum porcorum ultra muros villæ aliqua projecerunt, & sic recesserunt, & Episcopum adierunt.

Episcopum

Episcopum verò, quia vocatus ad Curiam non comparere voluit, Papa contumacem pronuntiavit, à Pontificatu suspendit; & iteratò citavit, ut infra VI. menses sub pœnâ amissionis Episcopalis dignitatis in Romanâ Curiâ compareret. Vocatus ergo secundò Episcopus ad Curiam venit, sed cum tali apparatu ac gestu; ut omnes mirarentur ejus & familiam & sumptuum largitatem. Cùm semel equitaret versùs Curiam in civitate Romanâ; Comes quidam de partibus illis transiturus ex adverso & per familiam ejus, diutiùs admiratus familiæ magnitudinem, quæsivit ab uno civium. Quis est iste, qui hîc transit? Et respondit civis, Pecuniæ inimicus. Cuidam Cardinali affectanti unum de palefridis suis, quòd pulcherrimos habuerit, misit duos, ut ex illis eligeret quem placeret; & Cardinalis equorum pulchritudine illectus utrumque retinuit. Quod cùm Episcopo renunciatum esset, dixit. Sic me Deus salvet, non defecit accipere meliorem. Tantæ magnanimitatis erat; quòd videbatur sibi quòd sine reprehensione facere posset quicquid vellet; propter præsentiam Cardinalium non omittens benedicere, nec propter præsentiam Papæ cum avibus ludere. Cùm veniens versùs Curiam hospitaretur; orta est dissentio inter suos & illos de civitate. Demum insurgente contra eum totâ civitate, & suis hospitium ulteriùs defendere non valentibus, fractis ostiis Cameræ in qua Episcopus erat, irruerunt super eum majores civitatis cum gladiis & fustibus tanquam ad latronem, Redde te, redde, clamantes. Quibus ipse non assurgens nec in aliquo deferens dixit. Sic Deus me salvet, defecistis verbum dicere cui; reddam nulli vestrûm. Putabant omnes sui nullum eis esse mortis exitum; & tamen ita audaciter respondit ipse, ac si nullum esset periculum. Fuisset tamen occisus, nisi superveniens ········· Propter ejus magnanimitatem & largitatem à Papâ & Cardinalibus est honoratus, & obtentâ à Papâ illâ Constitutione *Diocesani debent:* in qua ordinatur, quòd Episcopus cum duobus Clericis, uno Notario, & uno Religioso ejusdem Ordinis suum debeat visitare Capitulum; cum honore licentiatus à Papâ & Cardinalibus in Angliam est reversus.

Anno Domini MCCCIII. in Festo S. Petri ad Vincula rediens Prior Ricardus de Romanâ Curia, cum gaudio susceptus est à Conventu & compatriotis, quibus illo die convivium grande fecit. Ad querelam verò Prioris & aliorum de patriâ seisiverat Rex libertatem Episcopi in manu suâ; & ibi Cancellarium & Justiciarios suos posuit, qui cuicunque querelanti de Episcopo vel suis justiciam facerent. Conquestus est ergo Prior; quòd post pacem initam per Regem inter Episcopum & ipsum anno MCCC. die XI. mensis Junii fecit Episcopus maneria Prioris seisiri in manu suâ, finas collegit, & parcos destruxit. Item quòd, *&c.* Inquisitum est de istis articulis per homines de Northumbriâ, quia illi de Episcopatu suspecti erant Episcopo vel Priori. Habuit Episcopus consilium optimum & electum; Prior verò nonnisi unum sc. Willelmum de Herle. Sed favore patriæ & Dei adjutorio succubuit Episcopus quasi in omnibus; & Priori in grandi summâ pecuniæ est condemnatus.

CAP. XIX. De creatione Antonii in Patriarcham, & morte Prioris.

INterim moritur Papa Bonifacius, & creatus est Benedictus; apud quem obtinuit Episcopus Bullam ad Archiepiscopum Cant. Episcopos Lincoln. & Wigorn. ut ipsi descenderent ad visitandum Capitulum Dunelmense. Accusabat enim Priorem super dilapidatione & diversis criminibus; & Papa scripsit istis ut inquirerent. Sed re existente integrâ mortuus est Papa; & sic amisit Episcopus quicquid circa hoc effundebat. Anno Domini MCCCV. Bertrandus

trandus Archiepiſcopus Burdegalenſis factus Papa vocatus eſt Clemens; qui primo anno Pontificatûs ſui creavit Antonium Dunelmenſem Epiſcopum in Patriarcham Jeroſolimitanum IV. Non. Maii. Et ad Epiſcopi ſuggeſtionem ſuſpendit Priorem ab adminiſtratione tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus. Tranſtulerat ſe verò Prior versùs Curiam eodem anno; & hyemavit juxta Cantuariam, duos Monachos mittens. Morante igitur Priore ibi, commiſit Epiſcopus curam domûs H. de Luceby, quem priùs præfecerat in Priorem. Executus eſt mandatum Apoſtolicum Abbas Leſacenſis, *&c.* qui venerunt cum præfato H. Dunelmum in die Cœnæ ad inducendum eum in corporalem poſſeſſionem curæ domûs; ſed clauſis januis non ſunt permiſſi intrare. Provocatum fuit ex parte Prioris & Capituli; excommunicabant illi Priorem & majores Capituli & ſingulos reſiſtentes eis. Sed in his omnibus erat manus cum Priore. Fecit enim attachiare præfatos executores; eò quòd mandatum hujuſmodi executi ſunt in præjudicium Regis. Quâ enim ratione poterit Papa alteri conferre curam temporalium, poſſet ipſe ſibi retinere. Unde & pœnâ pecuniariâ ſunt multati uterque eorum in centum libris. In die verò Paſchæ cùm aqua conſecraretur, crevit oleum in petrâ ſub feretro in modum circuli ad latitudinem & groſſitudinem unius annuli; id quod ſenſibiliter vidimus & percepimus, *&c.*

Rediit Prior de partibus Auſtralibus, & occurrit Regi apud Dunelmum; & in die S. Oſwaldi Regis Miſſam celebravit Domino Regi ad altare S. Oſwaldi in fronte Eccleſiæ. Et ibi licentiatus à Rege, & literas commendatitias Papæ pro eo accipiens, tranſtulit ſe versùs Curiam, in vitâ iſte minimè reverſurus. Interim ſcripſit Papa Regi, rogans eum ut collationem domûs de Coldingham, quam ipſe facere diſpoſuerat nepoti ſuo, acceptaret. Habuit enim nepotem quendam Raymundum de la Goth nomine, quem nimis dilexerat. Præfecerat eum in Cardinalem; & Decanatus Lincoln. & London. & multa beneficia pinguia in Angliâ ei dedit. Erat juvenis bene naturatus, ſed nimis luxurioſus. Odio igitur Prioris ſuggeſſerat Epiſcopus Papæ; ut ei conferret Prioratum de Coldingham. Sed Rex ſicut bonus & prudens reſpondit nunciis Papæ. Miror, ex quo Papa tantum diligit illum nepotem ſuum, quòd vult facere eum Nigrum Monachum. Et illis aſſerentibus, quòd hoc non cogitavit. Et Rex. Et per ſanctum Deum non habebit Prioratum illum, niſi fecerit ſe Monachum. Ita enim poſſet Papa conferre quamlibet Abbathiam in Angliâ ſæcularibus; & deſtrueretur eleemoſyna noſtra & progenitorum noſtrorum. Beata terra, cujus Rex nobilis. Veniens Prior ad Curiam, receptus eſt à Papâ & Cardinalibus cum favore; & ſententiâ Papæ reſtitutus eſt VIII. Cal. Novembr. ſed pro reſtitutione mille marcas Cameræ ſolvere juſſus eſt. Prior verò ſic reſtitutus in Curiâ mortuus eſt V. Idus Januarii anno Domini MCCCVII. & omnia bona ſua, equi, vaſa argentea, & libri & jocalia Cameræ Papæ confiſcata ſunt. Notandum etiam pro anno Domini MCCCV. miſſi ſunt juvenes Monachi XII. apud Coldingham, & ibi ab Epiſcopo S. Andreæ ordinati. Antonius enim reputans Priorem excommunicatum & majores Capituli, noluit aliquos ordinare præſentatos per ipſos. [*Lis orta eſt inter Ricardum Priorem & Henricum de Horncaſtre Priorem de Coldingham, quiſnam eorum Edwardo Regi, qui Scotiam jam ſubjugaverat, homagium facere deberet pro Prioratu de Coldingham, qui cella erat Eccleſiæ Dunelm. Rex ab utroque homagium ſibi fieri voluit.*]

CAP.

CAP. XX. De creatione Willelmi de Tanfeld in Priorem.

MOrtuo sic Priore in Curiâ & sepulto, scripserunt Rex Angliæ & Patriarcha Jerosolymitanus pro Priore de Wederhall Willelmo de Tanfeld; cui Papa in die S. Matthiæ Apostoli Prioratum contulit, vel potiùs vendidit; quia pro illâ collatione habuit Papa tria millia marcarum, & Cardinales mille. Qui installatus est in Festo S. Cuthberti in Septembri immediatè sequenti, præsentibus multis Episcopis & Magnatibus. Erat Prior iste staturâ procerus, vultu decorus, moribus placidus, sumptibus largus, sed in providendo minùs sciolus. Lætabatur in magnitudine familiæ, in multitudine & frequentiâ convivantium; & unde talia sustineret, non satis providè cogitabat, &c. [*Antequam installaretur, Prioratu in custodiâ Episcopi adhuc existente*] per Stephanum de Malo-lacu Vicarium generalem Episcopi amoti sunt ab officio Supprior, Priores Cellarum & magistri Obedientiarii benevoli Priori mortuo. Et illis missis ad Cellas, substituti sunt alii in loca eorum. Prior tamen de Coldingham tenuit statum suum. Factum est hoc contra privilegia domûs, quia vacante Sede non debuit minorari, sed ex toto cura domûs ad Suppriorem devolvi. Episcopales tamen dixerunt Suppriorem & majores Capituli excommunicatos per Episcopum, & ideo non esse capaces talis curæ, *&c.* [*Vacantibus eodem tempore nonnullis Ecclesiis ad Ecclesiam Dunelm. spectantibus, orta est lis cuinam jus præsentandi competeret. Tandem convenit, ut tam Episcopùs quàm Conventus simul præsentarent sub istâ formâ*, Antonius Dunelmensis Episcopus & ejusdem loci Conventus vacante Prioratu, &c.]

CAP. XXI. De malis, quæ venerunt Ecclesiæ ex istâ lite.

PRovocatus Rex contra Episcopum, eò quòd pacem inter ipsum & Priorem Rege mediante initam non observaret & ex aliis causis, Castrum Bernardi cum pertinentiis ab eo abstulit, & Comiti de Warwik contulit, Hert & Hercenes Roberto de Clifford, Kewreston Galfrido de Hercempolle; quæ Episcopus habuit ex forisfacturâ J. de Baillol, R. de Brys, & Christofori de Setoun. In cartâ tamen Domini Regis addebatur istud verbum, *Salvo jure Ecclesiæ Dunelmensis.* Et istæ tres collationes Regis erant per Capitulum confirmatæ. Abstulit etiam ei Rex Werk in Tyndale, Ponroch, & Ecclesiam de Symondborne, quam appropriaverat mensæ suæ, & quæ Episcopus habuit ex collatione Regis Scotiæ. Finxit enim Rex sibi causam; dicens Regem Scotiæ, antequam hæc Episcopo conferret, hæc forisfecisse Regi Angliæ. Saisivit etiam Rex libertatem Episcopatûs in manum suam; & sic libertas ejus in multis læsa est contra antecessorum suorum ultimas voluntates. Volebant enim antecessores satis liberam Ecclesiam facere; sed nescierunt ita planè verbis exprimere, quin posteriores possint calumniam objicere. Erat tanta libertas Ecclesiæ Dunelmensi ante istam litem; quòd Episcopus habuerit p lefridum Regis tendentis versùs Scotiam pro eschaeto, eò quòd minister de eo itinerante cecidit, & ex casu obiit. Et nec Rex nec ministri ejus infra Episcopatum se de aliquo intromisit. Prioratus etiam deterioratus est in multis, primò ex mutuationibus magnis circa litem exceptis & non solutis, *&c.* Prior de Coldingham rebellavit adversùs Priorem Dunelm. & sibi obedire noluit. Dixit enim Episcopum inimicum sibi, quia adhærebat Ricardo Priori. Adivit Willelmus de Tanfeld Prior cellam de Coldingham; ubi Prior de Coldingham juravit primò se stare in omnibus mandatis suis; & pòst latenter

 recessit.

recessit. Willelmus Prior Dunelm. alium loco suo substituit; & acceptum ibi homagium & fidelitatem tenentium de Coldinghamshire; prosecutus est fugientem usque ad Parliamentum de Stamford in propriâ personâ non sine magnis sumptibus anno Domini MCCCIX. circa Festum S. Jacobi. Quia enim ille Prior fugiens erat notus Regi & Regalibus, quia portaverat vexillum S. Cuthberti cum Rege in guerrâ Scotiæ, credebat Regem se velle tueri contra Priorem. Sed Prior Dunelm. ibi veniens invenit Regem & suos sibi satis favorabiles, & alius ibi non; ad Curiam Romanam se transtulit, & ibi cum expeditione obitum Episcopi expectavit. Anno Domini MCCCVIII. in crastino Purificationis visitavit Antonius Capitulum Dunelmense in formâ constitutionis Bonifacianæ *Debent*. In qua visitatione non quia contra ordinem deliquissent, sed quia cum Priore suo firmiter contra Episcopum tenuerunt, suspensi sunt ab administratione quacunque per decem annos sequentes Ricardus de Aslabby, qui Supprior erat tempore Ricardi Prioris, Galfridus de Buredon Prior de Fynkhal, & Nicholaus de Routhbiry Eleemosynarius Dunelmensis. Sed Willelmus de Grenefeld Archiepiscopus Ebor. post mortem Antonii in visitatione suâ Sede vacante prædictas sententias annullavit.

CAP. XXII. De appropriatis Ecclesiæ per Antonium, & ædificiis ejus & morte.

MAnerium de Everwod Ecclesiæ convertebat; Manerium de Aukland cum Capellâ & cameris sumptuosissimè construxit, Capellanis perpetuò in capellâ servituris Ecclesiam de Morpath approprians. Sed ipso mortuo Radulphus filius Willelmi Dominus de Graystroke patronatum præfatæ Ecclesiæ per litem obtinuit; & præsentato per ipsum per Episcopum admisso & instituto, Capella indotata remansit. Castrum de Somerton juxta Lincoln. & Manerium de Eltham juxta London. curiosissimè ædificavit; sed primum Regi & secundum Reginæ postea contulit. Rex verò citò pòst Castrum de Somerton H. de Bello-monte donavit. Castrum de Alnewik, quod ei W. de Vesci contulerat, confidens in eo quòd illud ad opus filii sui parvuli & illegitimi W. conservaret & ei adulto traderet, acceptâ pecuniâ H. de Percy vendidit. Insulam Manniæ usque ad terminum vitæ ex dono Regis habuit. Mortuus est apud Eltham anno Domini MCCCX. III. die Martii, anno Episcopatûs sui XXVIII. Patriarchatûs verò V. & sepultus in Ecclesiâ Dunelmensi, contra morem prædecessorum suorum, in fronte Ecclesiæ ad Aquilonalem partem, in Festo Inventionis S. Crucis proximo sequente cum satis magno honore. Ante illum enim ob reverentiam corporis S. Cuthberti non est permissum corpus mortuum ingredi Ecclesiam Dunelmensem. Et quamvis iste Episcopus sumptuosissimus fuerat in ædificiis, apparatu, familiâ & aliis; mortuus est tamen dives & plenus bonis, lapidibus pretiosis, vasis argenteis, equis & vestibus preciosis; in quibus moriens ultra omnes prædecessores suos Ecclesiam Dunelm. honoravit, & sui memoriam celebrem fecit.

CAP.

CAP. XXIII. De electione & consecratione RICARDI DE KELLAW [u].

MOrtuo sic Antonio III. die Martii apud Eltham, petitâque licentiâ à Rege tunc apud Berwik existente super electione faciendâ XX. die Martii, ejusdem mensis die ultimâ sc. Mercurii proximâ post Festum Annuntiationis Dominicæ & ante Dominicam in Ramis Palmarum proximâ per compromissionem electus est Ricardus de Kellaw Monachus ejusdem domûs, vir utique sufficienter literatus, moribus & vitâ dignus, cujus eloquentia, species & statura digna erant imperio. Admissus verò est idem Electus à Rege apud Berwik XI. die Aprilis, ipso sc. die Paschatis immediatè sequente. Præsentantur Electus & electio Archiepiscopo Ebor. apud Novum Burgum die Aprilis XIX. Examinantur apud Hextildesham ab eodem Archiepiscopo IV. die mensis Maii. Citantur omnes electioni vel electo objicere volentes; quòd compareant coram eodem Archiepiscopo apud Brynston X. die ejusdem mensis. Et nullo ibi comparente, in crastino apud Riptoun confirmatur Electus. Ejusdem mensis die XX. Temporalia à Rege apud Berwik accepit, in Festo sc. Ascensionis Dominicæ; & penultimo Maii die sc. Pentecostes consecratus est apud Eboracum in majori Ecclesiâ; & in die S. Cuthberti in Septembri Dunelmi installatus.

CAP. XXIV. De factis tempore Sedis vacantis.

MOrtuo Antonio apprehenderunt statim Prior & Capitulum jurisdictionem, Officiales & ministros alios præfecerunt. Archiepiscopus verò hoc perpendens, Priorem & Suppriorem & ministros præfatos excommunicavit; & suos præfecit. Quibus sic excommunicatis, die electionis assignato hæsitabatur quid ageretur. Scivit enim Capitulum, quòd Archiepiscopus Electionem factam per excommunicatos ab ipso non acceptaret. Priori verò & Suppriori & aliis excommunicatis per Archiepiscopum videbatur grave ab electione excludi, maximè pro bono facto suo. Credebant enim se Deo & Ecclesiæ suæ obsequium præstitisse in jurisdictionis apprehensione. Tandem tamen relinquentes jurisdictionem Archiepiscopo, consenserunt Prior & Supprior excommunicati & alii se ab electione absentare; dum tamen alii majores, de quibus erat spes quòd eligerentur, se cum eis pariter absentarent: quod & factum est. Unde & Electus horâ electionis erat cum eis. Electione factâ, ante confirmationem visitavit Archiepiscopus Capitulum Dunelmense, censuras ab eo latas revocabat; injunctiones etiam pœnales per Antonium factas relaxavit & irritavit. Instante die electionis, misit Rex Comitem Gloverniæ Dunelmum, ex parte Regis supplicantem, ut quendam consanguineum Antolinum de Pisanâ eligerent in Episcopum, alienigenam & Conventui ignotum, & ut dicebatur, ætate minorem. Habuit iste promotorem suum, qui multis de Conventu dona obtulit, si accipere voluissent. Promittebantur etiam Petro de Gaverston tunc Regi familiarissimo & Comiti Cornubiæ multa millia librarum, eo pacto ut procuraret eum Episcopum fieri Dunelmensem. Sed Monachi Deum timentes [*noluerunt.*]

[u] Ricardi tempora Robertus accuratè digessit. Illum ab Archiepiscopo Ebor. 1311. 11. Maii confirmatum, & ab eodem apud Eboracum 1311. 30. Maii die Pentecostes consecratum fuisse Registrum *Grenfeld* confirmat. Ricardus testamento condito 1316. 26. Sept. corpus in Capitulo Dunelmensi supra gradus sepeliendum legavit; & pauperibus die sepulturæ suæ centum marcas distribui jussit. Obiit die 9. Octobris sequentis. Ex Registro Ecclesiæ Ebor.

CAP. XXV. Quomodo iste Ricardus in Episcopatu se habuit.

RIcardus semper familiariter erga Monachos se habuit, lætus de eorum præsentiâ, tres vel quatuor continuè secum tenens; quorum unus Cancellarius, & alter Seneschallus, de omnibus expensis sc. & receptis superiorem curam gerens, & tertius Confessor ejus & ministrans ei in officio divino erat. Milites de Episcopatu & servientes quasi omnes ad robas suas tenuit. Ranulphum de Nova-villâ pro incestu cum filiâ propriâ ad pœnitentiam publicam coegit. Schavaldos insurgentes in Episcopatu fortiter composuit; aliqui suspendebantur, aliqui extra Episcopatum fugabantur. Hujus Episcopatûs anno secundo combusta est Dunelmia per Scotos, & magna pars Episcopatûs combusta & deprædata, Episcopo tunc existente Londoniis ad Parliamentum Regis. Qua combustione factâ, inierunt illi de Episcopatu treugas cum Scotis datis mille marcis. Tertio Episcopatûs sui anno motus est contra eum Rex; eò quòd Episcopus non ita fortiter Regi astitit ad fovendum Petrum de Gaverston contra communitatem regni, sicut Rex voluit, *&c.* Nitebatur igitur Rex transferre Episcopum, scribens super hoc ad Curiam Romanam; nitebatur & fratrem Episcopi capere, & in vindictam Schavaldi vel prædonis Johannis de Werdal à servis Episcopi occisi in Insulâ Sacrâ in mortem tradere; sed in neutro profecit. Tandem eunte Rege versùs Bannokburne, conciliatus est ei Episcopus, datis mille marcis & uno dextrario non mediocris pretii; super quo dextrario occisus est Comes Gloverniæ in bello de Bannokburne. Ex tunc erga Regem sic se habuit; quòd Regem sibi familiarem habuerit, & in placito de Castro Bernardi & de Herternes, quæ pater Regis *Antonio prædecessori suo abstulit, voluntariè propitium* & fautorem; quæ si supervixisset, Regis adjutorio evicisset. Iste in primo anno consecrationis suæ scripto suo revocaverat quæ Antonius fecerat sede Prioratûs vacante; & antiquum privilegium renovavit, sc. quòd Prioratu vacante nullus intromittat se de Prioratu in temporalibus vel spiritualibus nisi Supprior & Capitulum, & quòd nomine custodiæ habeat Episcopus in Prioratu unum Clericum cum tribus equis & tribus garconibus, nil ultra petens, nec de bonis domûs intromittens. Dedit Priori & Conventui Wastropheved, piscariam in aquâ de Were, *&c.* Priori etiam Insulæ Sacræ decimam de cuniculis infra insulam solvi fecit; & solvi debere suo decreto & literis declaravit.

CAP. XXVI. De cessione Willelmi Prioris, & electione Galfridi.

ANno Domini MCCCXIII. circa Festum S. Barnabæ, senectutis & impotentiæ sentiens incommoda, Willelmus Prior cessit Prioratui; cellam de Jarow cum Manerio de Wardle, *&c.* recipiens: & petitâ licentiâ ab Episcopo eligendi & optentâ, per viam compromissi electus est Galfridus de Burdon, tunc Supprior Dunelmensis, citò post Festum Apostolorum Petri & Pauli, & citò pòst confirmatus Dunelmi, & eodem die installatus. Iste in equitatu & familiâ erat honorificus, viros diligens habere in familiâ & non pueros, equos pro vecturâ & non equulos; sed raròconvivans, *&c.* Anno Domini MCCCXV. infra Octavas S. Johannis Baptistæ deprædati sunt Scoti quasi totum instaurum domûs apud Beaurepaire & alibi, *&c.*

CAP.

CAP. XXVII. De obitu Ricardi Episcopi, & promotione LUDOVICI DE BELLO-MONTE. [x]

ANno Domini MCCCXVI. in Festo S. Dionisii moritur Ricardus Episcopus apud Middelham; qui priùs illam pulchram cameram de Stocktoun & Manerium de Lawellhall juxta Eboracum ad XVI. milliaria ædificaverat. Frequenter etiam in vitâ suâ promiserat, quòd Conventui relinqueret Capellam suam, librariam & vasa argentea. Sed tales reliquit executores, infirmitate præoccupatus, qui de prædictis aliter ordinabant, *&c.* Sepultus verò est in Capitulo Dunelmensi circa sedem Episcopalem, & lapide marmoreo co-opertus. Rex verò, qui tunc erat apud Eboracum, misit Eleemosynarium suum Dunelmum, & de pannis auro textis corpus honoravit. Comes etiam ille magnus Lancastriæ tres pannos de armis suis obtulit pro eo; de quibus facta sunt vestimenta illa, in quibus celebratur quando Conventus est in Albis.

Comes verò præfatus pro suo Clerico Johanne de Kynardeslei rogavit, ut in Episcopum eligeretur; pronuntians si hoc fieret, se fore scutum Episcopatui contra Scotos. Rex verò rogavit pro Thoma de Charlton, Juris Civilis Professore, qui tunc Regis Secretum Sigillum portabat. Postea verò incantatus per Reginam, pro Lodewico de Bello-monte Thesaurario Sarum; pro quo ita instanter rogavit, quòd vix erat Monachus in domo alicujus nominis, quin habuit Regis literas supplicatorias & Reginæ. Comes verò de Hereford pro suo rogavit Clerico Johanne Walwayn, Juris Civilis Professore. Sed Monachi magis habentes Deum præ oculis quàm eorum preces, in Festo S. Leonis die ad hoc constituto, obtentâ priùs à Rege eligendi licentiâ, per compromissionem elegerunt Dominum Henricum de Stamford Priorem de Fynkhalle, virum utique moribus sincerum, ætate maturum, vultu placidum, sufficienterque literatum. Expectabant in Ecclesiâ finem electionis Comites Lancastriæ, Herefordiæ & Penebrochiæ & multi alii Nobiles, Henricus etiam de Bello-monte cum suis & fratre suo; & erant aliqui comminantes amputare sibi caput, si ex Monachis foret electus. Electum verò bene admisisset Rex tunc existens apud Eboracum; si non fuisset Regina. Ipsa verò audiens Regem velle admittere, nudatis genibus corruit coram eo dicens: Domine nunquam rogavi pro aliquo de meis. Si diligitis me, agatis ut consanguineus meus Lodewicus de Bello-monte sit Episcopus Dunelmensis. Rex igitur victus precibus, Electum admittere recusavit; & pro Lodewico Curiæ scripsit. Advertens igitur Electus se apud Regem non proficere, & Capitulum Eboracense circa confirmationem ejus timore Regis tepescere (vacavit enim tunc Ecclesia Ebor. per mortem W. de Grenfeld) habuit consilium transferendi se ad Curiam. Fuit enim Papa de novo creatus Johannes XXII. & credebatur, quòd non obstantibus Regis precibus apud eum favorem inveniret. Sed quia non potuit nisi ex legitimâ causâ forum Eboracense declinare & ad Curiam se transferre, ordinatum erat per consilium, quòd sacerdos quidam Robertus Karker nomine, oriundus de Nessam, contra electionem & electum provocaret. Quo facto Electus cum tribus sociis ad Curiam est profectus. Sed antequam veniret, ad rogatum Regum & Reginarum Franciæ & Angliæ dederat Papa Episcopatum Lodewico de Bello-

[x] Ludovicus de Bello-monte, Sarisburiensis Ecclesiæ ab anno 1294. Thesaurarius, in Episcopum Dunelmensem apud Westmonasterium confirmatus est 1317. 11. Sept. & professionem Archiepiscopo Ebor. apud Thorp fecit 1318. 19. Junii: prout habet Registrum *Melton*. Consecratus est 1318. 26. Martii; siquidem in Annuntiatione B. Virginis captionem ipsius sequente consecratus fuerit: quod Robertus prodit. Ludovici obitum alibi notatum non invenio; ut incertum sit, unde Godwinus diem obitûs à se positum hauserit.

monte.

monte. Imposita tamen ei fuit tanta pecunia solvenda Curiæ; quòd per XIV. annos sequentes solutionem vix complevit. Electo autem nostro Papa contulit primam vacaturam ad collationem Prioris & Capituli spectantem, etiamsi per Sæculares regi consueverat. Sed ipse ex ista gratiâ nil est assecutus. Sic igitur multis effusis in itinere & Curiâ, rediit vacuus; & apud cellam de Stamford usque ad suum obitum est moratus. Mortuus est autem in Festo S. Gregorii anno MCCCXX. & sepultus est in choro S. Leonardi coram magno altari. Post cujus obitum visa est lux emissa cœlitus in modum solaris radii super sepulturam ejus, *&c.* Natus fuit iste in die S. Leonardi, & in die ejus electus, & in Ecclesiâ S. Leonardi sepultus.

CAP. XXVIII. De captivatione Lodewici & fratris ejus.

ANNO Domini MCCCXVII. ad faciendam pacem inter Angliam & Scotiam venerunt duo Cardinales in Angliam sc. Ganselmus & Lucas de Flisco. Habuit Lodewicus Bullas super Episcopatus Dunelmensis collatione sibi factâ, necnon & ut posset consecrari ubi vellet & à quo vellet. Cogitavit igitur ad magnificentiam nominis sui in præsentiâ Cardinalium versùs Scotiam tendentium in Festo S. Cuthberti in Septembri anno Domini supradicto & munus consecrationis apud Dunelmum recipere, & intronizari eodem die. Sed cùm venirent Cardinales & Lodewicus ad vadum Cirporum inter Fery & Vodom; occurrit eis Gilbertus de Middelton cum multitudine armatorum; qui cùm primò Cardinalibus & suis parcerent, non tamen intendebant nocere eis, & multi se esse de familiâ Cardinalium asserebant, nec Cardinalibus pepercerunt nec aliis quin omnes spoliarent. Lodewicum verò & Henricum fratrem suum captivos secum duxerunt usque Mitteford, cujus Castri præfatus Gilbertus erat custos & non dominus. Duobus verò Cardinalibus duos equos liberabant; & eos ire apud Dunelmum liberè permittebant. Factum est hoc die S. Ægidii primo die Septembris. Præmunivit tamen Prior Lodewicum apud Derlington existentem per nuncium suum de occursu armatorum prædictorum; sed ipse & frater ejus parvipendebant; dicentes quòd Rex Scotiæ talia non audebat attemptare; & quòd Prior talia scripsit, quia consecrationem Lodewici impedire voluit. Pro Lodewico verò sic captivato obtulit Prior vestes, vasa argentea & lapides pretiosos de thesauris Ecclesiæ; & circa Cardinales & ipsum multa expendidit; & grates tamen modicas reportavit. [*Cardinales enim multa nihilominus à Monachis extorserunt, & alter eorum Lucas de Flisco pensionem annuam centum florenorum usque ad terminum vitæ suæ.*] Lodewicus verò & frater ejus citò pòst datâ pecuniâ & obsidibus à carcere liberantur. Gilbertus verò in Castro de Mitford capitur, Londoniæ trahitur, suspenditur, & ante Natale Domini decapitatur, corpusque ejus in partes quatuor divisum, &c. Lodewicus verò consecratus est in Episcopum Londoniæ apud Westmonasterium in Annuntiatione B. Virginis sequente, ann. Dom. MCCCXVIII. Pro isto Lodewico obligavit se Prior & Conventus mercatoribus in tribus millibus librarum; ita quòd si Episcopus in solutione deficeret, ipsi solvere tenerentur. Et tamen ex hoc modicas gratias reportârunt.

CAP. XXIX. De Willelmo de Gisburn & Willelmo de Conton, Prioribus Dunelm.

GAlfridus Prior omnium votis non valens satisfacere, singulorum cœpit haberi fastidio, Episcopo etiam ei minùs benevolo, accusatus est in visitatione Episcopi de multis. Et quamvis ipse bonam haberet defensionem; maluit

luit tamen juri suo cedere, quàm bona domûs litigando expendere. Unde anno Domini MCCCXXII. in Conversione S. Pauli cessit Prioratui; accipiens pro suâ provisione cellam de Weremuthe cum decimis ejusdem villæ & de Fulwelle tantùm. Quo facto petitâ licentiâ eligendi & obtentâ, statuto die pro electione faciendâ, electus est feriâ sextâ sc. VI. die Februarii Willelmus de Gisburn per compromissionem, vir utique magnæ religionis & scientiæ. Sed Dominicâ proximâ sequente dum pararentur omnia pro itinere versùs Episcopum, ingressus Capitulum vocatoque Conventu, renuntiavit merè & sponte omni juri quod sibi ex electione fuerat adquisitum. Iterum statuto die ad eligendum, electus est per compromissionem Willelmus de Contoun, vir utique Deo & hominibus amabilis, confirmatus ab Episcopo installatus est in Inventione S. Crucis anno Domini MCCCXXII. Eodem anno circa Purificationem B. Virginis ingressi sunt Scoti Episcopatum; & totam Orientalem plagam ejus deprædati sunt, &c. Anno Domini MCCCXXIII. die V. Martii facta est concordia inter Priorem & Capitulum & Thomam de Goldesburg Archidiaconum Dunelmensem super controversiâ orta inter eos pro jurisdictione Archidiaconali in Ecclesiis Priori & Capitulo appropriatis infra Tinam & Teysam; ita sc. quòd Prior habeat communem jurisdictionem Archidiaconalem in Ecclesiis de Jarow & Weremouth, Archidiaconus verò in omnibus cæteris pro totâ vitâ ipsius Archidiaconi. Pro quo est notandum, quòd Archidiaconus Dunelm. semper antè exercuit jurisdictionem Archidiaconalem in Ecclesiis Priori & Capitulo appropriatis infra aquas nomine Prioris, virtute cujusdam compositionis inter eos initæ; & pro hoc solvere consuevit Priori quandam pensionem annuatim. Præfatus verò Thomas & pensionem solvere recusavit; & jurisdictionem in dictis Ecclesiis nomine & jure proprio exercere se asseruit. [*Hinc nata contentio, quæ Episcopo mediante sedata est in præjudicium Monachorum. Istos enim Episcopus terrebat,*] comminatus Priorem deponere, & Summo Pontifici suggerere, quòd Monachi Dunelmenses propter eorum divitias insaniunt, nec Episcopo nec Archidiacono obedire volunt. Unde & nomina Ecclesiarum eis appropriatarum scripserunt,& ad duplicem valorem taxabant; si fortè per hoc Summum Pontificem inducere possent ad aliquid eis subtrahendum. Fecit etiam Priorem citari, quo titulo Ecclesias sic appropriatas tenebat, &c.

CAP. XXX. De dissensione inter Archiepiscopum & Episcopum Dunelmensem.

ANNO Domini MCCCXXVIII. orta est dissentio inter Archiepiscopum Ebor. & Episcopum Dunelmensem super jurisdictione de Allertonschire. Nitebatur enim Archiepiscopus locum illum visitare; sed restitit ei Episcopus non solum in Ecclesiis jurisdictionis suæ, sed etiam in Ecclesiâ de Allerton & cæteris Ecclesiis jurisdictionis Prioris & Capituli; & contra compositionem initam inter Archiepiscopum & Priorem & Capitulum. Dixit enim Episcopus, quòd Prior & Capitulum non potuerint sine eo componere; & ideo nitebatur ipsam compositionem infringere, & Priorem & Capitulum inducere, ut se partem facerent cum eo contra Archiepiscopum. At ipsi responderunt, quòd contra factum proprium venire non potuerint. Infestabant ergo se mutuó. Archiepiscopus visitationem suam petiit. Episcopus verò semper occurrebat apud Allerton cum multitudine armatorum de Episcopatu, Northumbriâ & Tyndal; qui libenter ad eum veniebant, & Archiepiscopum interficere parati erant, si venisset. Sed ipse semper ab eis declinabat. Ipsis verò recedentibus, iterum suam visitationem petebat, & Episcopus iterum armatos vocabat, & sic Archiepiscopus irritabat, Episcopumque in congregatione armatorum non mediocriter effundebat. Archiepiscopus quamvis numerosus nil effundebat; fulminabat;

fulminabat etiam sententiam excommunicationis & suspensionis in Episcopum & adhærentes sibi. Episcopus verò appellabat, & impetrabat, & coram Delegatis litigabat, primò apud Lincolniam, secundò apud Karleolum, tertiò Lichefeldiæ; sed Episcopus semper ampliùs effundebat. Allegabat Episcopus præscriptionem, &c. Tandem post multas fatigationes & expensas, amicabiliter composuerunt; sc. Archiepiscopus Ecclesiam de Lek appropriavit mensæ Episcopi, reservatâ sibi pensione annuâ, & Capitulo Eboracensi aliâ: & sic cessavit tempestas illa. Anno eodem contra Archidiaconum Northumbriæ Thomam de Charlton intendentem visitare Ecclesias Priori & Capitulo appropriatas in Northumbriâ appellatum est per Priorem & Capitulum, *&c.* Demum anno MCCCXXXI Prior cum Archidiacono sic composuit; quòd totâ vitâ suâ Archidiaconus jurisdictionem in Ecclesiis illis sicut in aliis plenariè exerceret; sed Prior procurationes visitationi debitas alternis vicibus reciperet.

CAP. XXXI. De secundâ apprehensione jurisdictionis Archidiaconi in Ecclesiis infra aquas.

Quia verò compositio inter Priorem & Capitulum & Thomam Archidiaconum temporalis erat solùm pro vitâ ipsius; ipso mortuo XI. Cal. Januarii anno Domini MCCCXXXIII. statim in crastino apprehendit Prior jurisdictionem, illo die visitans Ecclesiam S. Oswaldi, die sc. Dominicâ; & in crastino per se & suos commissarios visitavit omnes Ecclesias sibi appropriatas infra aquas, præfecit officiales, & fecit Capitula celebrari. Mortuo autem Thomâ Archidiacono, Episcopus statim contulit Archidiaconatum Almarico de Bello-monte nepoti suo corto & defigurato: [*qui litem Priori movit in Curiâ Eboracensi; ubi Prior ob contumaciam excommunicatus, Curiam Romanam appellavit. Res tandem convenit, simili compositione incer Almaricum & Capitulum pro vitâ Episcopi factâ, ac inter Thomam & Capitulum olim fuit inita.*]

CAP. XXXII. Qualiter Regina Philippa ignoranter intravit Abbathiam.

Anno gratiæ MCCCXXXIII. feriâ V. in hebdomadâ Paschæ, venit Rex Dunelmum, & in Prioris Camerâ hospitatur. Feriâ verò IV. sequenti supervenit Regina Philippa uno die de Knaresburgh versùs Dunelmum; & ignorans consuetudinem Ecclesiæ Dunelmensis, per portam Abbathiæ ad Cameram Prioris descendebat, & ibi cum Rege cœnabat. Et cùm cœnâ factâ cubâsset; intimatum est Regi per quendam Monachum, quomodo S. Cuthbertus mulierum præsentiam non amabat. Ad præceptum igitur Regis surrexit Regina; & in tunicâ solâ cooperta clamide per portam quam intravit rediit, & sic ad Castrum se transtulit; rogans Sanctum, ne quod ignoranter fecerat vindicaret.

CAP. XXXIII. De conditionibus Lodewici Episcopi & morte ejus.

Erat iste Lodewicus generosus, quòd de sanguine Regum Franciæ & Siciliæ; facie venustus, sed debilis pedibus, quippe utroque pede claudicans; dapsilis nimis, ita ut à multis diceretur prodigus; ad habendum cupidus, sed de modo adquirendi minùs curans. Onerosa enim familia quam tenebat, & sumptus superflui quos agebat, à quibus per nullum consilium poterat refrænari,

nari, ita cupiditate affecerant animum ejus; quòd nil dimisit quod habere posset. Unde dixit sibi quidam sapiens; quòd nunquam vidit hominem ita cupidum ad habendum, & ita improvidè habita dispensantem. Causam tamen Ecclesiæ viriliter egit contra Archiepiscopum Ebor. pro libertate in Allertonshire, contra Comitem de Warwik pro Castro Bernardi, contra Dominum Clifford pro Hortenesse. Ad sequelam enim ejus fuit declaratum in Parliamento Regis; quòd Episcopus Dunelmensis debet habere forisfacturas guerrarum infra libertates Episcopatûs, ut Rex habet extra. Contra J. Darcy pro Ecclesiâ de Sinibaurn diu litigavit; sed morte præventus nil horum ad finem perduxit. Castus erat, sed Laicus; Latinum non intelligens, sed cum difficultate pronuncians. Unde cum in consecratione suâ profiteri debuit, quamvis per multos dies antè instructorem habuisset, legere nescivit; & cùm auriculantibus aliis cum difficultate ad illud verbum *Metropoliticæ* pervenisset, & diu anhelans pronunciare non posset; dixit in Gallico *Seit pur dite.* Stupebant omnes circumstantes, dolentes talem in Episcopum consecrandum. Et cùm similiter celebraret Ordines, nec illud verbum *in ænigmate* proferre posset; dixit circumstantibus: *Par Seynt Lowys il ne fu pas curteis, qui ceste parole ici escrit.* Quasi per totum tempus Episcopatûs sui studuit, quomodo de Priore & Conventu pecuniam extorquere posset. Bullam unam habuit ad præficiendum in Priorem Dunelmensem quemcunque de domo vellet; aliam ad habendum quartam partem bonorum Prioratûs dum guerra Scotiæ duraret. Sed quòd istæ Bullæ impetratæ erant tacitâ veritate & suggestâ falsitate; noluit ejus Concilium eis uti. Palefridos, &c. quos Prior sibi frequenter dederat, pro nullo computabat; omni petitioni per Priorem sibi factæ respondens per interemptionem: Nil facitis pro me, nec ego faciam pro vobis. Orate pro morte meâ; quia dum vixero non obtinebitis. In fine tamen vitæ suæ Bullam impetraverat ad appropriandam Ecclesiam de Elewiks suæ Diocesis & Patronatûs Priori & Conventui; sed morte præoccupatus non perfecit. Licentiam etiam impetrandi medietatem villæ de Edmundisbiry dedit eis; apud Middelham coquinam ædificavit, & aulam cum capellâ satis amplam & decoram inchoavit; sed antequam muri ejus essent perfecti, diem clausit extremum apud Brantingham Eboracensis Dioceseos VIII. Cal. Octobr. anno Domini MCCCXXXIII. & eodem anno VI. die Octobris sepultus est in Ecclesiâ Dunelmensi coram magno Altari; ubi suprapositus est sibi lapis marmoreus curiosus & sumptuosus, quem ipse dum vixerat fecerat præparari. Vendicabat sibi Sacrista Capellam sc. equos feretrum deferentes, ceram & alia; & obtinuit, difficulter tamen. Mortuo sic Episcopo, statim Prior jurisdictionem Archidiaconi in omnibus Ecclesiis sibi appropriatis infra aquas Tinæ & Teysæ plenè apprehendit; & eas plenariè visitavit. Archiepiscopus Eboracensis nemine resistente jurisdictionem Diocesis, quæ de communi jure ad Capitulum pertinebat, apprehendit, & pacificè exercuit toto vacationis tempore, per suos Commissarios Capitulum & Diocesin visitando, & omnia quæ ad jurisdictionem pertinent exercendo. Prior tamen literas Archiepiscopi habuit super immunitate; quòd non traheretur in consequentiam quòd per Commissarios visitavit, nec per hoc derogaretur illi privilegio *Debent* pro Dunelmensi præcipuè edito.

Circa idem tempus moritur bonæ memoriæ Simon de Mepham Cant. Archiepiscopus; & postulatur in Cantuariensem Johannes de Stratford Wintoniensis Episcopus; & Adam de Horlton Wigorniensis fit Wintoniensis. Iste Adam, Juris Canonici Professor, primò fuit Auditor in Curiâ; & pòst fit Herefordensis, de Herefordensi Wigorniensis, de Wigorniensi Wintoniensis, non electione ordinariâ, sed per reservationem in Curiâ Dominicâ, pecuniâ hæc omnia procurante. Simoni verò de Monte acuto, cui Rex rogaverat Wintoniensem

nienſem conferri, contulit Papa Wigornienſem Epiſcopatum, pecuniam quàm animas magis piſcans.

CAP. XXXIV. De electione ROBERTI DE GRAYSTANES. [y]

PEtitâ à Domino Rege eligendi licentiâ & obtentâ, vocatiſque Fratribus in cellam, & infra Idus Octobr. die ad hoc ſtatuto, per Compromiſſarios electus eſt Dominus Robertus de Grayſtanes, Supprior domûs & Doctor Theologiæ, in Epiſcopum Dunelmenſis Eccleſiæ & Paſtorem. Nomina verò Compromiſſariorum hæc erant; Galfridus de Burdon quondam Prior Dunelmenſis tunc verò pro proviſione habens cellam de Wermuth, &c. Willelmus de Dunelmo Sacriſta, Johannes de Setona priùs & pòſt Supprior Dunelmenſis, Gilbertus de Elwyk Prior Inſulæ ſacræ & Theologiæ Profeſſor, Emericus de Lumley Prior de Lythinne, Thomas de Lunde Prior de Fynkhalle & Doctor Theologiæ, Johannes Foſſour Prior S. Leonardi extra Stamford, Alexander de Lameſly Magiſter de Jarowe, Petrus de Hilton feretrarius, Walterus de Scarisbek hoſtillarius, Johannes de Beverlaco Prior Oxon. & Bacularius Theologiæ, Willelmus de Dalton, & ipſe Electus tertius decimus. Publicatâ electione & ab omnibus approbatâ, ipſe Electus in itinere versùs Regem obtinuit literas proclamatorias ab Archiepiſcopo Eboracenſi & diem pro confirmatione habendâ V. Idus Novembris. Rex verò inventus apud Lutgeſale, penultimo die Octobris tale reſponſum dedit. Intelleximus quòd Dominus Papa de illo Epiſcopatu providit Domino Ricardo de Bery familiari Clerico noſtro; nec ipſum Papam offendere volumus: ideo electioni tuæ conſentire nequimus. Dominus enim Rex pro præfato Clerico non ſolùm Papæ ſed etiam Priori & Capitulo ſcripſerat, ipſos rogando ut eum eligerent, ipſum ut Epiſcopatum reſervando ei conferret. Rediit ergo Electus Eboracum; & non obſtante quòd non interveniſſet conſenſus regius, deliberatione habitâ cum Canonicis Eccleſiæ Eboracenſis & utriuſq; Juris peritis, conſentientibus etiam Priore & Conventu Dunelmenſi, IV. Idus * Decembris in Eccleſiâ B. Mariæ Ebor. eſt confirmatus, & Dominicâ proximâ ſequente ſc. † VIII. Cal. Decembris per venerabiles Patres Eboracenſem, Karleolenſem, Armachanum, in Capellâ Archiepiſcopi in Palatio conſecratus; & die Jovis proximâ ſubſequente, in octavis ſc. S. Martini, Dunelmi inſtallatus. Acceptâque obedientiâ à ſubditis & Vicario generali ibi dimiſſo, iter arripuit Epiſcopus versùs Regem, temporalia petiturus. Sed Rex cum eo loqui noluit, ſed per Theſaurarium ſuum reſpondit; quòd inviſum erat ante illud tempus, quòd aliquis in Angliâ abſque conſenſu regio in Epiſcopum conſecraretur vel electio confirmaretur; & ideo ſuper tam arduo & inaudito noluit Rex inconſultè reſpondere; & ad proximum Parliamentum diſtulit reſpondendum. Interim cùm Domino Ricardo de Bery, cui ad rogatum

* I Novemb.
† I. XVIII.

[y] *Robertus de Grayſtanes, S. T. P. Monachus & Supprior Dunelmenſis, confirmatur Epiſcopus Dunelmenſis in Eccleſia B. Mariæ Ebor.* 1333. 10. *Novemb. & conſecratus fuit in Capellâ Palatii Archiepiſcopi* 1333. 14. *Novembr. & adivit ad Regem Edwardum pro Temporalibus. Sed poſtea Archiepiſcopus Ebor. receptis Bullis Papæ pro Ricardo de Bury, miſit Priori & Conventui Dunelmenſi ad eligendum de novo Epiſcopum ſuum, non obſtante confirmatione electionis Roberti*, 1334. 1. *Jan. Poſtea Archiepiſcopus fatetur omnia circa conſecrationem Roberti facta fuiſſe per ignorantiam attemptata.* Sic Regiſtrum *Melton.* Ex his igitur numeri in Roberti Hiſtoriâ vitiati optimè emendari poſſunt. *Monachi Dunelmenſes* (ſic Annales Lanercaſt.) *unum de confratribus ſuis, virum utique valentem pro tali dignitate, & S. T. D. Robertum de Grayſtanes elegerunt. Is Epiſcopatu depulſus, viam univerſæ carnis citò poſtea ingreſſus eſt.*

Regis

Regis Papa Episcopatum contulerat, uno die ante electionem de ipso Roberto factam, sc. pridie Idus Octobris, Rex temporalia Episcopatûs Dunelmensis dederat; & ex hoc dilationem ad Parliamentum non nisi in sui illusionem factam Episcopus advertebat.

CAP. XXXV. De RICARDO DE BURY Episcopo Dunelmensi. [z]

VEnerunt ergo Clerici Domini Ricardi de Byry Dunelmum cum Bullâ & literis regiis; & in possessionem Temporalium statim inducitur. Archiepiscopus verò Eboracensis visis bullis & intellectis comminationibus regiis de Temporalibus suis in manu Regis capiendis, inductus per Regales, Clero & populo Dunelmensi scripsit, ut Ricardo de Byry obedirent, non obstantibus prioribus literis eis pro Roberto Episcopo destinatis. Unde & IV. Idus Januarii Clerus & populus Dunelmensis Dioceseos Ricardo de Byry obedientiam juraverunt. Et sic Robertum Episcopum non vocatum, non monitum nec contumacem spoliarunt; cùm tamen jus commune habuisset pro eo, & contra impetrationem Ricardi & provisionem legitimas defensiones debuit habuisse. Et cùm satis haberet quod contra provisionem Ricardi objiceret; condescendens tamen statui domûs & Prioris, qui propter guerram & casus varios depauperati sustinere non potuerunt onera litis, maximè contra Regem habentem Papam ita sibi propitium, & contra Ricardum qui jam eis præerat in temporalibus & spiritualibus; & etiam quòd contra quemcunque objicere est vile & odiosum: elegit potiùs dissimulando voluntatem Dei cum patientiâ expectare, quàm finem litis quæ dubios solet habere exitus quærere per objectus, Maximè cùm S. Cuthbertum & plerosque alios Episcopos legimus renunciâsse Episcopatibus pacificè jam possessis; sed paucos vel nullos Sanctos circa Episcopatus per objectus legimus litigâsse. Color pro Roberto fuit iste. Papa Episcopatum Dunelmensem unicâ vice & non semper suæ dispositioni reservavit, & de eâdem disposuit ante electionem Roberti, quasi per unum diem antè; ut patet ex dictis. Cùm igitur disponere sit verbum facti & non juris; per provisionem factam Ricardo expiravit reservatio quæ præcessit. Non enim stant simul, quòd Papa disposuit, & quòd reservatio facta suæ dispositioni adhuc in suo robore mansit. Posset enim tunc Papa de eodem Episcopatu iteratò disponere virtute reservationis prædictæ. Tempore ergo electionis Roberti nulla reservatio fuit. Ergo tempore electionis suæ nihil obstitit nisi provisio facta Domino Ricardo. Si igitur illa posset infici per objectus; foret jus Roberti clarum. Item ita clarum jus habet Capitulum ad eligendum, sicut ali-

[z] *Ricardus de Bury*, *aliàs de S. Edmundo*, Canonicus Wellensis 1332. 6. Jan. admissus in Registro Radulphi de Salopiâ Wellensis Episcopi legitur, Decanus Wellensis sub initium anni sequentis constitutus. Ad Episcopatum Dunelmensem à Johanne XXII. Papâ provisus 1333. 14. Octobris, consecratus est 1333. 19. Dec. per Procuratorem installatus 1334. 10. Jan. in propriâ personâ intronizatus 1334. 5. Junii. Professionem Archiepiscopo Ebor. fecit 1337. 12. Febr. Magnus Angliæ Thesaurarius renuntiatus est 1334. 3. Febr. Cancellarius 1334 28. Sept. Utrumque autem munus perbrevi tempore administravit: libris legendis conscribendisque & rei literariæ promovendæ impensiùs deditus. Extant utriusque præclara monumenta, literaturæ suæ liber *Philobiblon* dictus, beneficentiæ in literatos Collegium Monachorum Dunelmensium ab ipso auctum & perfectum, cui moriens itidem libros suos legavit, cunctis tamen Academiæ alumnis, certis conditionibus positis, evolvendos. Libro suo ultimam manum apud Auklandiam apposuit 1344. 24. Jan. ætatis suæ 58. Pontificatûs 11. Obiit ibidem 1345. 14. April. juxta utrumque Historiæ nostratis Codicem, 1345. 24. April. juxta Godwinum, 1345. 14. Jan. *anno ætatis suæ 58. præcisè completo*, juxta Caium in Antiqu. Cant. l. 2. p. 250. Wilelmi calculus justior videtur.

quis Clericus ad quodcunque Beneficium, quia collatum ſibi à Rege & à multis Papis confirmatum. Quare igitur magis poteſt ab eis auferre electionem ſuam ſibi à Regibus conceſſam & per Papas confirmatam, quàm alteri Clerico Beneficium ſibi à ſuo Epiſcopo collatum, maximè ſine cauſæ cognitione, & eorum negligentiâ hoc minimè promerente? Item maximè eſt hoc in præjudicium Regis; quòd eâdem ratione poſſet Papa reſervare omnes Epiſcopatus Angliæ, & eos conferre Cardinalibus vel aliis extra regnum commorantibus; & depauperaretur regnum per abductionem pecuniæ, & periclitaretur propter defectum conſilii, quod vigere ſolet in Epiſcopis regni: vel alienigenis conferre poſſet, qui in terrâ remanerent. Et adhuc foret Regi periculum; quòd tot extranei occuparent Epiſcopatus in Angliâ, caſtra & alia eis pertinentia, quòd inſurgerent cum alienigenis contra Regem. Rex etiam juratus eſt ad Magnam Cartam; cujus unus articulus eſt, ut electiones ſint liberæ. Multa erant alia, quæ majores regni monebant ad loquendum de iſtâ materiâ.

Memorandum, quòd B. Cuthbertus ſuſcepit habitum Monachorum apud Mailros anno Domini DCLI. Et cùm XIV. in habitu ageret annum, factus fuit Prior Lindisfarnenſis; ubi cùm XII. ageret annum, factus eſt Anachorita in Farne: & cùm ibi tranſegiſſet IX. annos, conſecratus eſt in Epiſcopum apud Eboracum VII. Cal. April. ipſo die Paſchæ, præſentibus Rege Egfrido & VII. Epiſcopis, inter quos Theodorus Archiepiſcopus præſidebat, anno ſc. Domini DCLXXXV. Et cùm in Epiſcopatu ferè duos tranſegiſſet annos, repetiit inſulam Farne; ubi poſt Natale elapſis tribus menſibus ægrotavit feriâ IV. & tribus hebdomadibus continuis infirmitate detentus, *feriâ IV. obiit anno Domini* DCLXXXVII. ex eo verò anno quo habitum Monachicum ſuſcepit anno XXXVII. ita quòd ab obitu ejus uſque ad annum Domini MCCCXXXVI. quo iſte liber ſcriptus eſt, fluxerunt anni DCXLVIII, & à tranſlatione ejus uſque ad annum præſentem anni CCXXXII. Nota quòd ab anno Domini DCXXXV. uſque ad annum Domini MLXXII. omnes Epiſcopi fuerunt Monachi uſque Walcherum; ita quòd per CCCCXXXVII. annos nullus erat Epiſcopus niſi Monachus. Item à fundatione Eccleſiæ quæ nunc cernitur uſque ad annum præſentem fluxerunt anni CCXXVIII.

WIL-

WILLELMI DE CHAMBRE
CONTINUATIO
Historiæ Dunelmensis.
Ab anno MCCCXXXIII. ad annum MDLIX.

Integra istæc Sectio in Codice Oxoniensi Vitæ Ricardi Episcopi sine ullo intervallo subjicitur

RIcardus de Bury fuit sufficienter literatus, in regendo familiam discretus, in convivando extraneos dapsilis, in erogando eleemosinam sollicitus. Iste audito quod displicuit fuit faciliter provocatus, sed facillimè revocatus. Iste summè delectabatur in multitudine librorum. Plures enim libros habuit, ut passim dicebatur, quàm omnes Pontifices Angliæ. Et præter eos quos habuit in diversis Maneriis suis repositos separatim, ubicunque cum suâ familiâ residebat, tot libri jacebant in camerâ quâ dormivit; quod ingredientes vix stare poterant vel incedere, nisi librum aliquem pedibus conculcarent. Iste ornamenta ecclesiastica quamplurima pulchra & decentia contulit Ecclesiæ Dunelmensi; plura proponens, si vixisset dutiùs, contulisse. Cum igitur Episcopatum Dunelmensem, quem habuit ex provisione Apostolicâ, rexisset in tranquillitate competenti, cæteris partibus Angliæ contributionibus & angariis multipliciter fatigatis, per XI. annos, II. menses, & XII. dies; in anno duodecimo longâ infirmitate decoctus, apud Aukland diem clausit extremum XIV. die Aprilis anno Domini MCCCXLV. qui XXI. die ejusdem mensis fuit quodammodo honorificè, non tamen cum honore satis congruo, coram altari B. Mariæ Magdalenæ ad australem angulum Dunelmensis Ecclesiæ tumulatus.

* [Hæc in tabulâ pensili. Quæ jam sequuntur narravit Willelmus de Chambre.]

* Desunt ista in Codice Oxon.

RIcardus de Bury natus fuit in quadam villulâ prope Edmundisbury, patre Domino Ricardo Awngevill milite; & à suo avunculo Domino Johanne de Willouby Rectore exhibitus est primò ad scolas Grammaticas, & postea ad Studium Oxonii per aliquod certum tempus. Deinde assumptus est ad instruendum Edwardum de Wyndesor tunc Principem, qui postmodum dictus est Edwardus tertius; postmodum ordinatus est principalis receptor patrimonii ejusdem Edwardi in Wasconiâ. Quo tempore dictus Edwardus fugit cum matre Parisiis; quibus expensis deficientibus, venit ipse Ricardus clàm cum magnâ summâ auri quam collegit in officio predicto. Qua de causâ insequebatur eum Locumtenens Regis cum XXIV. lanceis usque Parisiis; ubi præ metu mortis absconditus est in campanili Fratrum Minorum per septem dies. Post hæc ordinatus est Coferarius Regis, deinde Thesaurarius de Wardroppe, postea Clericus Privati Sigilli per V. annos. Quo tempore bis adiit Summum Pontificem Johannem. Et primo tempore quo sibi advenit, ordinatus est ab ipso Capellanus principalis Capellæ suæ; & recepit ab eo rochetam in loco Bullæ pro proximo Episcopatu vacante ex pòst in Angliâ. Et eo tempore promotus est de Beneficiis Ecclesiasticis; quòd potuit expendere ad valorem V. millia marcarum. Et secundo tempore quo Summum Pontificem adiit, adeptus est ab eo CCCVII. gratias pro Clericis promovendis. Et omni tempore quo

quo venit ad præsentiam Summi Pontificis sive Cardinalium, venit ipse cum XX. Clericis suis in vestibus unius sectæ, &XXXVI. armigeris alterius sectæ. Post hæc cùm rediret Angliam, audiens Parisiis de morte Lodowici Episcopi Dunelmensis, & Regem misisse literas ad Summum Pontificem pro ipso Episcopatu sibi adquirendo, multùm dolebat. Insuper cùm quidam Clericus ipsius nomine Willelmus de Tykall Rector de Stanhoppe instigaret eum mittere literas ad Cardinales & ad alios amicos suos in Curiâ pro prædicto Episcopatu habendo; respondit se nec pro illo Episcopatu nec pro aliquo alio literas missurum. Consecratus est Episcopus Dunelmensis Dominicâ ante Natale XLVI. ætatis suæ anno, ab Archiepiscopo Cantuariensi Johanne Stratford in Abbathiâ Nigrorum Monachorum de Cherdsay. In qua consecratione Episcopus Lincoln Henricus Burewesh fundebat omnes compensas jussu Domini Regis. Post hæc factus est Thesaurarius Angliæ; & eodem anno * (in die Pentecostes vel in die Trinitatis) est Dunelmi installatus. In qua Installatione fecit grande convivium; ubi interfuerunt Rex & Regina Angliæ, mater Regis Angliæ, Rex Scotiæ, duo Archiepiscopi & quinque Episcopi, septem Comites cum uxoribus suis, & omnes Magnates citra Trentam, multi Milites & Armigeri, plures etiam Abbates & Priores & viri Religiosi, cum innumerâ multitudine communitatis. Eodem anno installatus est Cancellarius Angliæ. Et infra triennium ex pòst ter adiit Regem Franciæ Parisiis in nuncio Regis Angliæ ad vendicandum regnum Franciæ. Postea adiit † Haverwarippe, & aliâ vice ad * Burkan; & ita fatigatus fuit per diversa loca pro prædictâ Legatione novem annis. Et medio tempore fuerunt omnes libertates Dunelmensis Ecclesiæ conservatæ sine aliquo detrimento. Post hæc Angliam rediit.

* Die V. Junii per Willelmum Conton Priorem *Codex Oxon.*

† Haudewarpe. *Id.*

* Braban. *Id.*

Multùm delectabatur de * multitudine Clericorum; & plures semper Clericos habuit in familiâ suâ. De quibus fuit Thomas Bradwardyn postea Cantuariensis Archiepiscopus, & Ricardus Fitz Raufe postmodum Archiepiscopus Armachanus, Walterus Burley, Johannes Maudyt, Robertus Holcote, Ricardus de Kilwington, omnes Doctores in Theologiâ; Ricardus Benworth postea Episcopus Londoniensis, & Walterus Segraffe postea Episcopus Cicestrensis. Et quolibet die in mensâ solitus erat habere lectionem, nisi fortè per adventum Magnatum impediretur; & post prandium singulis diebus disputationem cum Clericis prænominatis & aliis suæ domùs, nisi major causa impediret. Et aliis vicibus aut servitio divino aut * libro vacabat; nisi foret ex causis arduis impeditus. Omni etiam septimanâ distribuit in cibos pauperum octo quarteria frumenti pista, præter fragmenta solita domûs suæ. Et si plures supervenirent post distributionem dictæ eleemosynæ; contulit singulo obolum. Præter hæc veniens aut rediens à Novocastro usque Dunelmum aliquando duodecim marcas contulit in eleemosynam, etiam à Dunelmo usque Stokton quandoque VIII. marcas, & à Dunelmo usque Aukland V. marcas, à Dunelmo usque Middelham C. solidos. Post cujus obitum inventa fuit una de suis * capsula plena lintheaminibus, camisiis & bractis cilicinis; in qua putabatur thesaurus inveniri.

* Comitiva. *Id.*

* Libris. *Id.*

* capsellis. *Id.*

Præterea præfatus Dominus Ricardus in floribus vitæ suæ contulit duo vestimenta Ecclesiæ, unum rubeum de velveto cum tribus capis ejusdem sectæ subtiliter broudatis, & aliud de nigrâ camicâ cum tribus capis ejusdem sectæ cum largis orariis decenter ornatis: plura proponens Ecclesiæ reliquisse, videlicet unum de rubeo velveto, quod executores sui vendiderunt Domino Radulpho de Nevyll, qui postea conscientiâ motus illud reddidit Ecclesiæ; aliud etiam dedit de albâ camicâ cum tribus capis ejusdem sectæ, quod fecit in honore S. Mariæ, nobiliter broudatum, quod Sacrista post ejus mortem de ejusdem executoribus cum multâ difficulate conquisivit. Item in exequiis ejus, sicut patet per instrumentum publicum inde factum, habuit Sacrista duos magnos equos portantes corpus ejus in lecticâ & unum equum mulum portantem Capellam.

Habuit

Habuit etiam idem Sacrista duas cistulas, unum baculum pastoralem, unam mitram, annulum & sandalia, duo candelabra argentea, unum turibulum argenteum & deauratum cum unâ naviculâ, item IX. bawdekynes de panno serico rubeo cum vitibus intextis, item IX. pannos sericos cum quadrupedibus habentibus pedes & capita deauratos, item unum pannum viridem cum gallis albis & rubeis intextum. Ex quibus omnibus facta sunt vestimenta ad magnum Altare & alia altaria in Ecclesiâ. Item ex quatuor sigillis ejusdem factus est unus calix deauratus; ut patet per hos versus sub pede ipsius inscriptos,

> Ricardus Dunelm. quartus natu Buriensis.
> Hic ciphus insignis fit Præsulis ex tetra. sigill.

* [Hæc quæ sequuntur, narravit Willelmus de Chambre.] Item dum quadam die sederet ad mensam apud Eboracum cum VII. Comitibus; subitò superveniens Dominus Johannes Vaughan nunciavit sibi Dominum Robertum de Graystanes fore defunctum; qui tantùm de ejus morte condoluit, quòd præsentiam * portantis ferre non potuit. Quem cùm Comites interrogarent, quare tantum doleret de morte ejus. Certè, inquit, si tam bene novissetis industriam ejus, quantum ego novi; credo quòd tantum quàm ego doleo doleretis. Et addidit. Fuit enim habilior ad Papatum, quàm ego vel omnes mei consimiles ad dignitatem minimam in Ecclesiâ sanctâ Dei. Multùm etiam affectabat retinere secum in familiâ filios generosorum Episcopatûs sui. Quod factum nutrivit magnam amicitiam inter ipsum & ipsius patriæ generosos; & Monachos Dunelmensis Ecclesiæ semper habuit in maximo honore. [*Sequuntur immediatè in Codice Oxoniensi quæ ex Codice Cottoniano præmittuntur.*]

* *Desunt ista in Cod. Oxon.*

* Nunciantis *Cod. Oxon.*

Hic deficit Codex Cottonianus.

De Johanne Fossor & Roberto de Walworth, Prioribus Dunelmensibus.

ANno Dom. MCCCXLI. transactis in Prioratu XX. annis & plus, obiit Willelmus de Cowton Prior Dunelmensis apud Pittingdon in primâ Septimanâ Quadragesimæ, & sepultus est apud Dunelmum in cœmiterio Monachorum inter fratres; cui successit Johannes Fossor. Iste Willelmus fuit valde religiosus, & fratribus humilis & benignus; hospitibus & extraneis jocundus & dapsilis. Iste habuit tempore suo maximam pestilentiam animalium. Johannes Fossor Monachus Dunelm. & Monasterii de Wermouth, electus est in Priorem Dunelm. XVI. die Martii circa Festum Annunciationis beatæ Mariæ anno Domini MCCCXLI. & ultimo die ejusdem mensis confirmatus & installatus. Hic erat vir sapiens, eloquens, & multos suo tempore recepit ad habitum: hic construxit in aquilonari parte Ecclesiæ crucis, ad altare Sanctorum Confessorum Nicholai & Egidii magnam fenestram vitream, cum aliis tribus fenestris minoribus & ordinatis cum consensu Capituli, quod haberet futuris temporibus quolibet die pro animâ suâ unam Missam ad divinum altare per unum Monachum; pro cujus pensione & dictarum fenestrarum sustentatione & pro pitantiâ in die anniversarii sui faciendâ, Conventui terras & reditus appropriavit, & communi domui assignavit. Unum vestimentum integrum cum tribus capis pro anniversario suo emit & assignavit. Hic statim juxta formam concionis Benedicti fecit inventarium indentatum de omnibus bonis Monasterii tam infra quam extra; cujus una pars residebat penès Priorem, altera penes Subpriorem & Conventum: ordinavitque sibi Bursarium Robertum de Benedicto, virum providum & discretum, qui in VI. annis quibus in dicto officio stetit, solvit de antiquis debitis Monasterii 758 *l.* 3 *s.* 6 *d.* ob. Item pro structurâ domorum per idem tempus 492 *l.* 7 *s.* 7 *d.* Item in con-

contributionibus per idem tempus 209 *l.* 5 *s.* 3 *d.* Postea vero idem Prior fecit per obedientiarios & ministratores omnia Missalia infra septennium de novo reparari, ipso Priore incipiente de Missali quod jacet ad altare Sanctorum Nicholai & Ægidii, pro quo solvit de oblationibus suis 22 *l.* Item unam Cantariam, quæ de Trinitate nominatur, de consensu Conventûs ordinavit in dicto altari perpetuò celebrandam. Ad cujus sustentationem terras & tenementa in Northpittingdon, Wlneston & Billingham de licentiâ Episcopi emit, pro quibus solvit 66 *l.* 10 *s.* 9 *d.* Et pro ædificiis ibidem factis & reparatis 20 *l.* Forma autem ordinationis dictæ Cantariæ scribitur in Martirologio & in principio Missalis dicti altaris. Idem Prior ordinavit dicto altari unum calicem, pretium 6 *l.* 13 *s.* 4 *d.* unà cum tribus albis & casulis & palliis altaris. Item imagines Sanctæ Trinitatis & Beatæ Virginis de alabastro, cum tabernaculis cum aliis ornamentis, pretium 22 *l.* Item fecit unam fenestram VI. luminarium, longam & sumptuosam, in boreali parte crucis dictæ Ecclesiæ juxta dictum altare, pro qua solvit 100 *l.* & pro vitreatione 52 *l.* Item pro aliis Ecclesiæ ædificiis, debitis & ornamentis 402 *l.* 6 *s.* 8 *d.* Item pro unâ fenestrâ in fine australi aulæ Prioris 40 *l.* Summa omnium summarum præcedentium est hæc, 2076 *l.* 8 *s.* 10 *d.* ob. Item in tempore suo fiebant de novo multa ædificia; & antiqua reparata, tam infra Abbathiam quàm extra, & præcipuè thorale, granarium & coquina; magna fenestra VII. luminarium in capite occidentali navis Ecclesiæ, & III. aliæ in parte boreali dictæ navis, & II. ex parte boreali chori per Johannem de Tickill, & II. ex parte australi chori per Feretrum. Robertus de Syreston Monachus Dunelmensis commemorati memorati Prioris conditiones, modum regiminis, quomodo vivebat, necnon quot personas ad religionem recipiebat; idque metricè sic *scribendo,*

> Hic Prior Ecclesiæ præsentis, dux politiæ,
> Et splendor patriæ, fuerat lux vera Sophiæ; *&c.*
> Hic centenorum fuit effector Monachorum,
> Ac vicenorum; numerus fit tantus eorum.
> Corpore tam mundus non vixit in orbe secundus, *&c.*

Anno Domini MCCCLV. Dominus Radulphus de Nevill, qui primus fuit sæcularis exceptis Episcopis, qui in Ecclesia Dunelm. habuit sepulturam, dedit Sancto Cuthberto & Ecclesiæ unum vestimentum de rubeo velveto, &c. qui etiam rogavit Dominum Johannem Fossor Priorem & Conventum, ut concederent sibi & uxori suæ Aliciæ in australi parte Ecclesiæ habere sepulturam. Ita quòd ipse jaceret in inferiori parte, & uxor sua in parte exteriori; & concesserunt eis cum literâ sub sigillo capitis Sancti Oswaldi; qui postea venit Dunelmum, & habito colloquio cum Priore & aliquibus Officiariis, fecit fieri coram altari magnæ crucis ubi tumulantur. Et iterum rogavit eosdem Priorem & Conventum, ut concederent sibi & uxori suæ unam Missam qualibet die pro perpetuo ad illud altare; ita quòd Monachus celebrans celebraret de quo vellet, habendo in memoriâ animas ejus & uxoris suæ & omnium fidelium defunctorum; & concesserunt ei sub hac conditione, quòd acquireret vel appropriaret domui communi eorum unum annuum reditum 10 *l.* pro perpetuo duraturum. Obiit iste Radulphus de Nevill anno Christi MCCCLXVII. Alicia de Nevill anno MCCCLXXIV. quæ statim post funerationem ejusdem Radulphi misit Sacristæ Dunelm. CXX. libras argenti ad reparationem Ecclesiæ; & multa pretiosa vestimenta contulit.

Item post mortem patris sui Radulphi Dominus Johannes de Nevill dicto Sancto devotissimus & fidelis ejus filius, ad excitationem Ricardi de Byrtley terrarii & Johannis de Cornvall feretrarii, fecit circa festum Nativitatis Sancti

Sancti Johannis Baptistæ, Anno Domini MCCCLXXII. novum opus marmoreum & alabastrinum sub feretro Sancti Cuthberti; pro quo solvit plusquam 200 *l.* argenti. Et fecit Londoniæ in cistulis includi & per mare usque ad Novum Castrum transferri, & Prior usque Dunelmum. Et hoc opere consumto, iterum ad excitationem Johannis Prioris & prædictorum monachorum dedit, ad illud opus super altare quod vocatur Lavadose 600. marcas & Prior & officiarii 200 marcas. Et fecit Londoniæ in cistulis includi & suo sumptu usque ad Novum Castrum per mare in nave transigi; & Prior usque Dunelmum fecit illud carriari. Interea iste Johannes Fosser priusquam opus istud ponere potuisset, in * festo sancti Martini die Dominico Anno Domini MCCCLXXIV. infirmitate diutinâ decoctus, apud Bearpare ab isto sæculo transmigravit, anno ætatis suæ 90. Prioratûs verò sui 33. cujus corpus Dunelmum honorificè transfertur, & in boreali plagâ Ecclesiæ suæ coram altari Sanctorum Nicholai & Ægidii sepelitur; ubi superpositus est sibi lapis marmoreus, curiosus, & sumptuosus, quem ipse sibi, dum vixerat, fecerat præparari; Cui successit Robertus de Wallworth. Anno sexto Johannis Fossor bellum Dunelmense fuit; ubi captus est David Brus rex Scotiæ veniens Dunelmum cum maximâ multitudine, & alii multi Magnates, multis Nobilibus occisis, & fugatis cæteris. Anno Domini MCCCXLVI. Robertus Brus postea rex Scotiæ cum suis fugit.

* l. Crastino.

Robertus Berrington de Wallworth electus est in Priorem Dunelmen. die Lunæ proximo post festum conceptionis B. Mariæ virginis Anno Dom. MCCCLXXIV. & in vigiliâ Natalis Domini proximè sequente confirmatus & installatus est. Hic usum mitræ cum baculo primus obtinuit; & Ecclesiam multis ditavit terris & tenementis. Iste Robertus Berrington invenit VII. cementariis victualia fere per annum, ponendo illud opus, quod Johannes Fossor prædecessor suus fecerat carriari à Novo Castro usque ad *Dunelmum.* Et hoc completo anno Domini MCCCLXXX. magnum altare formatum fuerat à Suffraganeo Episcopi, die VII. Coronatorum, quod erat in honore Sanctæ Mariæ Virginis & Beati Oswaldi Martyris, & sanctissimi patris nostri Cuthberti solemniter dedicatum, toto Conventu in choro & circa altare existente. Iste Johannes de Nevill præses fuit apud bellum Dunelmense cum patre suo sc. Radulpho de Nevill. Obiit Johannes de Nevill Anno Domini MCCCLXXXVI. & sepultus fuit in Ecclesia Dunelm. cum uxore suâ in plagâ australi navis Ecclesiæ. Robertus Prior obiit anno Dom. MCCCXCI. & stetit annis XVII. sepultúsque jacet in boreali plagâ Ecclesiæ sub marmore cum ipsius imagine in ære coram altari Sancti Benedicti.

De THOMA DE HATFEILD Episcopo Dunelmensi [a].

ANNO Domini MCCCXLV. mortuo Ricardo de Bury, statutus est dies ad eligendum, viz. octavus dies mensis Maii Sacrosancti Johannis de Beverlaco. quo die electus est Dominus Thomas de Hatfeild, tunc Custos privati sigilli Domini regis, in Episcopum Dunelm. per viam compro-

[a] Longè aliter Walsinghamus Thomæ Episcopi creationem refert. *Anno* 1345. inquit, *obiit Ricardus de Bury Episcopus Dunelm. cui successit Thomas de Hatfeld, Regis Secretarius, mediantibus regiis literis apud Papam, in magnum ipsius Regis opprobrium. Revera cùm jam Rex & Nobilitas institissent pro electionibus liberè faciendis & confirmandis; jam Rex directè contra tenorem suarum literarum & vota Procerum hunc Pontificem fieri flagitavit. Papa verò non invitus hanc petitionem Regi concessit. Sed Cardinalibus quibusdam calumniantibus dictum Thomam fore levem & Laicum, sic respondit. Verè si Rex hac vice supplicâsset pro asino, obtinuisset.* Contra Willelmus, cui magis adhibendum, illum canonicè electum fuisse testatur. Consecratio autem die dato fieri non potuit. Dominicus enim non erat. In vigilia Transl. S. Benedicti, viz. die 10. Julii, Thomas consecratus videtur. Obitum Willelmus rectissimè designavit. Tempus confirmant Registra *Sudbury* Cant. & *Nevill.* Ebor. in quibus Testamentum ejus 1381. 28. Martii apud Oldford conditum, 1381. 11. Maii probatum legitur.

missi consecratus est in festo Translationis Sancti Benedicti proximè sequente, & in die Nativitatis Dominicæ proximè sequente per Johannem Priorem apud Dunelmum intronizatus. Erat autem iste Thomas dapsilis valde, sed ad habendum aliqualiter cupidus, staturâ & canitie venerabilis, hospitalitatis obsequio deditus, & quotidianis eleemosynis ut pauperum necessitatibus subveniret intentus. Monachis aut comprovincialibus molestiam nullam intulit, neque Ecclesiæ possessiones injustè abstulit; venientes ad se Monachos honorificè semper excupiebat, & familiariter erga eos se habuit, lætus de illorum præsentiâ; erat Ecclesia in quiete & familia: honorificos viros diligens habere, & non pueros, equos pro vecturâ non equulos. Fuit enim in oculis spectantium, in gestu & incessu sublimis & excelsus, in infirmitate quamvis fragilis in parte & lubricus. Cæterùm inerat ei magnanimitas, ut in conventu Procerum & Magnatùm vel primus vel cum primis semper contenderit esse; & ut inter honorificos honoris locum magnificentiùs obtineret, vastiori sæpiùs clamore & vultu minaci magis simulare indignationem quàm exhibere. Inter hæc plurimùm circa suos eminebat beneficiis; & jura libertatis Episcopatûs secundùm vires contra extraneos defendebat. Pauperibus vero modò rogatus, modò ultraneus, largâ manu fuit munificus & beneficus. Novum vero ad australem partem chori ejusdem Ecclesiæ juxta stallos Monachorum curiosum opus construxit; in medio cujus stallum episcopale, imaginibus subtiliter sculptis, sumptibus copiosis in operarios largissimè impensis, honorificè circumseptum, & sub stallo locum pro sepulturâ suâ, ubi solemniter jacet humatus, fecit & decenter ordinavit. Ordinavit & ibidem unum Monachum divina celebrantem, pro cujus pensione annuâ Cucknollam juxta Ecclesiam de Auckland dedit & assignavit. In castello Dunelm. ædificia, quæ antiquitate & vetustate consumta vel debilitata fuerant, renovavit; & aulam episcopalem & aulam Constabularii cum aliis ædificiis in eodem de novo construxit. Urbem Dunelm. licet hanc natura & muri satis munierunt, turre tamen fortiori sumptibus suis in Castello constructâ ipse reddidit fortiorem. Manerium sive hospitium Episcopale Londoniæ cum Capellâ & cameris sumptuosissimè construxit. In aliis item locis suis, quæ vel raritas servientium vel vetustas domorum minùs honestati vel Episcopali susceptioni fecerant idonea, habitacula diversa & in sublime erecta construxit. Maximum hoc genus esse probitatis æstimans, nullam eorum posteris occasionem reliquisse sollicitudinis. Nec in qualibet rerum pensabat erogatione sive dispersione dispendium, dum omnia vel ad ejus voluntatem vel parerent laudem. Præterea Collegium octo Monachorum de Monasterio Dunelm. & puerorum in Artibus studentium in loco Monachorum Dunelm. Oxoniæ super Candich fundavit, perpetuis temporibus duraturum; & pro terris, possessionibus & Ecclesiis, pro perpetuâ sustentatione dictorum Monachorum octo, cuilibet viz. Monacho 4 *l.* per annum; & 7 puerorum cuilibet puero per annum 5 marcas impetrandis & approximandis, & 3 pro habitaculis dictorum Monachorum & puerorum usibus aptis & ampliandis assignavit; & solvi fecit in vitâ suâ Domino Johanni de Berrington Monacho Dunelm. 500 marcas. Aggravatus tandem lethali morbo, decidit in lectum ægritudinis Londini, & crebris anhelitibus ibidem ad extremum urgeri cœpit. Interque corporales angustias, quas perferebat, peccatorum quoque recordatio conscientiam ad pœnitentiæ lamenta salubriter compungebat. Assederunt nam ægrotanti assiduè viri literati, eleemosynis & aliis bonis operibus multùm exercitati, ipsum exhortantes, ut præoccuparet faciem Domini in confessione, & faceret sibi amicos perpetuos de mammonâ iniquitatis. Deinde fit inter pauperes & præcipuè inter incarceratos, & religiosos & Sacerdotes sæculares & alios bonos viros quamplures distributio pecuniæ non modica. Præterea ipso sic in extremis laborante, omnibus ad se venientibus, vel in carcere positis, qui ad se consola-

tionis gratiâ vel subventionis veniebant, charitativè subveniebat; hoc ipsum speciale & spirituale lucrum ducens, si incarceratis & infirmis fratribus opem suæ charitatis & consolationis tribueret; sciens qui dixit, *Diliges Dominum Deum*, tunc dixit, *& diliges proximum tuum*. Et quamvis largissimus in donis & eleemosynis, & sumptuosissimus in ædificiis, hospitalitate, apparatu & familiâ fuerat; mortuus est tamen satis dives & plenus bonis, in quibus moriens ultrâ multos prædecessores suos Ecclesiam Dunelm. Priorem & Conventum honoravit, & in donis amplissimis ditavit. Dedit enim eis præter prædicta, & præter funeralia sua, viz. equos qui veniebant cum corpore suo in die sepulturæ suæ, & præter pannos sericos & aurifriziatos in funeratione suâ oblatos, instaurum quod habuit in Werdall, quod tunc, ut æstimatum fuit, bene valebat 400 marcas & amplius. Et quia jocalia & insignia sua Episcopalia minus sufficientia, ut sibi videbatur, fuerant; dedit & assignavit eis 300 marcas. Dedit & eis spinam de coronâ, quam Christus habuit super caput suum in die passionis suæ, quam habuit ex dono Domini Regis Edwardi III. Dedit & eis unum vestimentum festivale de rubro brudatum cum imaginibus de auro, multaque alia ornamenta pretiosa & vasa argentea. Obiit autem apud Manerium suum de Aleford prope London. in crastino Sancti Johannis Beverlaci; sc. octavo die mensis Maii, anno Domini MCCCLXXXI. peractis in Episcopatu XXXVI. annis & I. die, non tamen integro; & sepultus est in Ecclesiâ suâ Dunelm. ad australem partem ejusdem Ecclesiæ ex opposito ostii revesterii sub stallo Episcopali, quem ipse sumptuosissimè construxit; cujus animæ pro magnâ sua pietate propitietur Deus. Et super receptione bonorum præmissorum Prior & Conventus fecerunt acquittantiam sub forma sequente.

"Pateat universis per præsentes, quòd nos Robertus Walworth Prior Ec-
"clesiæ Dunelm. recepimus de Magistro *Johanne Maundour* Clerico & Jo-
"hanne de Popham executoribus testamenti Domini Thomæ de Hatfield
"nuper Episcopi Dunelm. defuncti, de animalibus suis in parco de Stanhope
"existentibus, nobis & Conventui nostro Dunelm. legatis, capita subscripta,
&c. datum Dunelmi secundo die Feb. anno Domini MCCCLXXXI.

Anno Gratiæ MCCCLXXXI. octavo die mensis Maii, feriâ quartâ, contigit anno illo circa horam diei quartam, obiit bonæ memoriæ Thomas de Hatfield Episcopus Dunelm. apud manerium suum prope London. quod dictum Alford; cujus corpus cum solemnitate & honestate quâ decuit usque Dunelmum est delatum, comitante semper cum corpore ac Missas sæpiùs celebrante Episcopo Herefordensi cum multis aliis personis valentibus ac præclaris. Cognitâ morte Pastoris Monachi Dunelm. tanquam pro Præsule benignissimo condolentes, ejus animam omnium creatori devotiùs recommendârunt. Missis duobus fratribus ad Dominum Regem pro eligendi licentiâ obtinendâ; interim appropinquante die quo fuerat tradendus Ecclesiasticæ sepulturæ, accesserunt executores dicti Domini Episcopi ad Dominum Priorem, rogantes quatenus ob honorem corporis possent veredam, Anglicè *chariot*, in qua dicti Episcopi corpus fuerat deportatum, simul cum corpore in Ecclesiam introducere, ac postea ipsam veredam cum equis liberè abducere & rehabere; aliàs nollent ipsam veredam infra cœmiterium adducere, sed extra cœmiterium corpus deponere, ac super hominum humeros in Ecclesiam deportare; quia ut asserebant, nec vereda nec equi Episcopi fuerant: sed dum vixit, ista & omnia alia à se dedit. O ineffabilis miseria hujus mundi! Dum vixerat, erat Episcopus sine comparatione ditissimus hujus Regni; & idem mortuus non habuit unde honorificè sepeliri posset; nec unde faceret Ecclesiæ sponsæ suæ relictæ, quomodo alii Episcopi multò pauperiores omnes facere solebant. Quibus cum consilio confratrum respondit Dominus Prior se nolle libertates & consuetudines & jura Ecclesiæ infringere quovis modo: quin veredam,

 equos,

equos, & pannos quoſcunque, cum quibus intraret corpus in portam borealem, haberet Sacriſta Eccleſiæ omni modo, imo & Capellam & omnia alia Epiſcopalia ornamenta. Tandem de conſilio Domini de Nevill tunc præſentis, & utriuſque partis amici ſpecialis, utraque pars conſenſit, quòd Dominus Prior haberet poſſeſſionem omnium infra Eccleſiam introducendorum, & forent omnia talia quaſi in medio conſervata, quouſque per quatuor arbitrôs, quos ad tunc elegerit, & dictum Dominum de Nevill quintum imparem, ſi illi quatuor non poterint concordare, ad diſcutiendum de veredâ, equis, & hujuſmodi, & maximè de capellâ Epiſcopi & inſigniis Epiſcopalibus, de conſuetudine præſcriptâ Eccleſiæ, & debitis ſemper tribui conſuetis. Dein corpore cum honore & reverentiâ qua decuit tradito ſepulturæ, in loco quem elegerat, & ſumptuoſiſſimè præparaverat quando vixit, præfati arbitri preelecti quatuor invicem quærentes de veredâ, equis, pannis & hujuſmodi nil penitus tractaverunt, planè cognoſcentes illa omnia deberi Eccleſiæ de jure & diutinâ conſuetudine approbatâ. Dicti autem quatuor arbitri conſenſerunt, quòd executores recompenſationem debitam facerent pro Capellâ. qui executores ad valorem 200 *l.* & amplius promiſerunt; & ſpecificârunt, in quibus rebus foret talis recompenſatio facienda.

"Omnibus hoc ſcriptum quinquipartitum viſuris vel audituris vel lecturis "hanc Epiſtolam Conventus Eccleſiæ Catholicæ Dunelm. ſalutem in om- "nium Salvatore. Noveritis univerſi, quòd nos immenſam probitatem "fructuoſorum laborum, quos reverendus in Chriſto Pater & Dominus Do- "minus Thomas de Hatfield Dei gratiâ Epiſcopus Dunelm. pro republicâ & "defenſione neceſſariâ Eccleſiæ ac Regni Anglicani variis vicibus impendebat, "necnon pauperes & debiles inſpiciens oculo pietatis miſericorditer reſovebat, "domos religioſas & alia pia loca divini in cultûs & ſcholaſtici profectûs aug- "mentum relevare per opes ſibi à Deo conceſſas effectualiter cupiebat. In- "ſuper plurima & magnifica beneficia nobis & Eccleſiæ noſtræ præfatæ per "eundem reverendum Patrem collata temporibus retroactis volentes, ſicut "meritò tenemur, in lucem deducere, ac perpetuæ memoriæ celebriùs com- "mendare, promittimus bonâ fide, quòd Collegium dicti Domini Epiſcopi, "quod ut præfata Eccleſia Dunelm. ſuo paſtorali durans commiſſa regimini "ſpiritualibus vincimentis ipſius ſollicitâ providentiâ plus ſolito congauderet, "de conſenſu & aſſenſu noſtro unanimi & expreſſo fundavit, ordinavit & "dotavit perpetuis temporibus duraturum in territorio noſtro extra muros "Oxon. ſuper Candich, quod Monachi noſtri ſtudentes inhabitant & inhabi- "tabant per antea multis annis, nos & ſucceſſores noſtri manutebimus, ſu- "ſtentabimus, defendemus, quatenus in nobis fuerit, in perpetuum ſecundùm "vim & formam inferiùs limitatam, ſc. quòd in præfato Coll. erunt VIII. "Monachi Dunelm. ſtudentes, qui VIII. ſtudentes eligentur & tranſmit- "tentur ad dictum ſtudium per præfatum Capitulum Dunelm. ſecundùm "vim & formam in conſtitutionibus Benedictinorum de ſtudentibus ad gene- "ralia Studia tranſmittendis providè ordinatam, ut Philoſophiæ vel Theologiæ "duntaxat vacent, principaliter & intendant. De quibus VIII. ſtudenti- "bus Prior Dunelm. de conſenſu & aſſenſu ſeniorum unum eorundem "in Priorem præficiet vel Cuſtodem, cui cæteri intendant in canonicis & "regularibus inſtitutis; qui Prior vel Cuſtos ſeptimanis ſingulis ſaltem "ſeniores omnes & alios confratres ſtudentes convocare tenebitur ad lo- "cum aptum pro hoc celebrando. Ubi quemcunque eorum repererit "negligentem circa Miſſas pro dicto venerando patre fundatore & omni- "bus fidelibus celebrandas, vel alia divina officia perimplenda, ſeu in "obſervantiis regularibus & Statutis, vel non vacantem doctrinæ ſcho- "laſticæ (ut deberet) caſtigare debitè & emendare, vel Domino Priori "& Capitulo Dunelm. denunciare indilatè, ſi quidem (quod abſit)

"in-

"incorrigibilem senserit, vel rebellem. Ipsi etiam VIII. Studentes simul erunt "commensales; qui etiam studentes omnibus diebus profestis vel omnes vel "ad minus duo Matutinas & omnes alias Horas canonicas simul dicant. In "diebus vero Dominicis, & aliis festis duplicibus omnes conveniant in Capel-"lâ. *Sequitur Statutum benè prolixum de orando pro animabus Fundatoris Episcopi, Edwardi Regis, &c.*

"Insuper in præfatum Collegium VIII. Scholares sæculares, qui Gramma-"ticæ vel Philosophiæ principaliter intendant, quatuor sc. de civitate vel Dio-"cesi Dunelm. duo de Dominio de Alverton-scire, & duo de Dominio ejusdem "in Howedenscyre,per IV. vel V. de senioribus & discretioribus Monachis Du-"nelm. astrictis in eorum conscientiis per Priorem Dunelm. & habiliores & in-"digentiores nominentur sine personarum acceptione de illis patriis, quatenus "de eis constare poterit,aut de civitate & Diocesi Dunelm. si in aliis duabus pa-"triis tales reperti non fuerint, & è contra ad nominationem dictorum senio-"rum per Priorem Dunelm. admittentur. Quibus Scholaribus in secundâ "mensâ seorsum à Monachis, cum Clerico & aliis dicti Coll. Servientibus pro-"videbitur per Priorem seu Custodem aut receptores denariorum loci eorum "statui competenter, & bis in anno tunicis & caputiis vestientur; & per Pri-"orem seu Custodem loci debitè regulabuntur,ut in Capellâ duo serviant tem-"poribus opportunis exorando pro animâ dicti Fundatoris, & aliis temporibus "in Scolis & alibi doctrinæ suæ invigilent diligenter, ac in aulâ & locis aliis "honesta ministeria, secundùm quod Priori seu Custodi visum fuit,libenti ani-"mo exequantur; dum tamen per ea eorum profectus in moribus aut Schola-"sticis disciplinis nullatenus impediatur; necnon in omni loco & tempore vi-"tam honestam ducere teneantur. *Succedunt Statuta alia Collegii Dunelmensis Oxon. & obligatio Conventûs Dunelmensis Ecclesiæ ad solvendum annuatim* 200 *marcas Custodi, Sociis & Scholaribus dicti Collegii in perpetuum.*

De JOHANNE DE FORDHAM Episcopo Dunelmensi. [b]

OBtentâ autem eligendi licentiâ, pro qua missi fuerant dicti fratres, ac adveniente die pro electione futuri Pontificis statuto; viz. feriâ quartâ post festum Sancti Augustini Anglorum Apostoli, h. e. XXIX die mensis Maii, convenerunt omnes qui voluerant, potuerant, ac debuerant interesse, in domo Capitulari, horâ consuetâ; & deliberatione multiplici habitâ inter eos, tandem omnibus & singulis placuit per viam procedere compromissi, & XIII. compromissarios elegerunt; dantes eis plenariam potestatem futurum Pontificem eligendi; quæ potestas usque in crastinum ad Solis occasum tantummodo perduraret. Qua potestate acceptâ, illi XIII. aliis omnibus de Capitulo recedentibus, in Capitulo remanentes,seriosius de ipsius electionis negotio pertractarunt. De-

[b] Tempora Johannis Episcopi Willelmus rectè disposuit. Provisus est ab Urbano VI. Papâ (Canonicus tunc Lincoln.) 1381. 9. Septembr. Illum in Capella Lamethanâ à Thoma Exon. Thoma Roff. & Johanne Bangor Epis. 1382. 5. Jan. consecratum fuisse Registrum *Courtney*, Archiepiscopo autem Ebor. professionem fecisse 1382. 18. Aug. Registrum *Nevil.* docent. Summus Angliæ Thesaurarius creatus est 1386. 17. Jan. mense Octobri ejusdem anni exauthoratus in Parlamento unâ cum aliis Ricardi Regis amicis. Fide enim infractâ Ricardi Regis partes adversùs seditiosos Barones semper tutatus, adversam cum eo pariter fortunam expertus est. Hinc etiam anno 1388. regiis amicis ab aulâ amotis, Baronibusque factiosis omnia pro lubitu agentibus, Johannes ad pauperiorem Sedem Eliensem migrare jussus Bullâ Urbani VI. Papæ datâ 1388. 3. April. Temporalia ejusdem accepit 1388. 27. Sept. Pessimè Godwinus illum ad aulam post fractam Baronum potentiam revocatum anno 1388. & ad Sedem Eliensem mox translatum fuisse scripsit; quasi Episcopatum Dunelmensem Eliensi commutasse beneficii loco annumerandum, & redintegratæ ejus apud Aulam potentiæ ascribendum esset.

nique

nique honorem & utilitatem Ecclesiæ semper sibi præ oculis statuentes, & advertentes in gremio intrinsecè se habere valentes Theologiæ Professores & Baccalaureos ac alios quamplures bene literatos providos & discretos, ad Prælatiam Ecclesiasticam merito assumendos: ac de parte aliâ intuentes mundi malitiam, reservationes & plurimas fatigationes in Beneficiis Ecclesiasticis jam currentes, & pericula & damna multiplicia Ecclesiæ verisimiliter imminentia, si quem de gremio prætulissent; & nihilominus desperabant pro aliis de gremio expediret. Inter hujusmodi per totum diem illum ante prandium & priùs usque vesperam fluctuantes, manè in crastino die Sancti Johannis iidem iterum ad idem negotium in Capitulum convenerunt, & usque horam capitularem de electionis materiâ diligentiùs pertractantes; propter prædictas difficultates imminentes in nullam personam eligendam finaliter concordantes; tandem rogaverunt Capitulum ut ipsis XIII. sex alios compromissarios sociarent, quatenus consilio plurium saniùs procederent in hoc actu, quo facto, tunc XIX. compromissarii in ipso Capitulo residentes, aliis omnibus hinc amotis, diligenti præhabito tractatu, Dominum Johannem de Fordham, Canonicum Ecclesiæ Eboracensis & Secretarium Domini Regis elegerunt in Episcopum & Pastorem dictæ Dunelm. Ecclesiæ viduatæ, & publicata electione primò in Capitulo, deinde in Ecclesiâ coram populo, & ab omnibus approbatâ: duo Monachi ex parte Capituli ad ipsum electum cum electionis decreto pro ejus consensu requirendo sunt transmissi; necnon ad electum ipsum (si electioni consenseit) Domino regi similiter præsentandum; quatenus & ipse dignaretur ipsi electo præbere suum consensum regium & favorem, ac litteras suæ regiæ majestatis illi, ad quem ipsius electionis confirmatio pertineret, dirigere pro ipsius electi confirmatione celeriùs obtinendâ. Johannes de Fordham electus in Episcopum Dunelm. feriâ quintâ proximâ post festum Sancti *Augustini Anglorum Apostoli anno Domini* MCCCLXXXI. & in Vigiliâ Epiphaniæ proximâ sequente in manerio Archiepiscopi Cantuariensis, quod vocatur Lambhit, juxta Westmonasterium per Episcopum Exoniensem consecratus; & die Lunæ in crastino Sancti Matthæi Apostoli proximè sequente, viz. anno Domini MCCCLXXXII. solemniter apud Dunelmum inthronizatus; & fuit Thesaurarius Ricardo secundo; & translatus fuit ad Ecclesiam Eliensem anno Domini MCCCXC.

De WALTERO SKYRLAW Episcopo Dunelmensi. [c]

WAlterus Skyrlaw translatus fuit à Bathoniâ ad Dunelmum III. die Aprilis, anno Domini MCCCLXXXIX. consecratus fuit in Episcopum Dunelm. anno eodem, & stetit annis XVIII. Iste pontem de Shinckley, & pontem de Yarow construxit, pro quo de quibusdam terras emebat, quas postea pro reparatione ejusdem pontis dedit: pontemque de Auckland con-

[c] Eorundem instantiâ Baronum Walterus à Sede Bathoniensi ad Dunelmensem translatus est Bullâ Urbani VI. Papæ datâ 1388. 3. April. quod ex Registro *Courtney* certissimè constat. Temporalia mense Septembri ejusdem anni accepit. Malè Willelmus Johannis translationem in anno 1390. Walteri in 1389. reposuit. Præter opera pietatis à Willelmo enumerata, Walterus ista exhibuit. Capellam pulcherrimam de Skirlaw dictam in parochiâ natali de Swyna in Diocesi Ebor construxit, & in eâdem Cantariam perpetuam anno 1404. fundâvit. Anno 1403. dedit Manerium de Rothyng Collegio Universitatis Oxon. tres inde Socios alendos volens. Testamento condito 1404. 15. Martii, legavit 200. libras ad conducendros Presbyteros pro animâ ipsius integro anno celebraturos, 20. libras Collegio Dunelmensi Oxon. 100 marcas Ecclesiæ Eboracensi, 200. marcas ad completionem Cantariæ de Skyrlaw, denique 100. marcas fabricæ Dormitorii Prioratûs Dunelm. Obiit 1406. 24. Martii. Ex Registris *Scrope*, & Ecclesiæ Ebor.

struxit;

struxit; magnas etiam lapideas Auclandiæ portas à fundo usque ad summitatem ejusdem ædificii proprio sumptu erexit. Construxit etiam campanile Ecclesiæ de Houldon in Comitatu Eboracensi summæ magnitudinis, quod quidem pro incolis ejusdem lòci de Houldon (si fortuitò aquarum inundatio eveniret) tanquam refugium fecit. Magnos sumptus in reparatione prædictæ Ecclesiæ effundebat; ubi etiam domum capitularem perpulchram eidem Ecclesiæ conjunctam construxit. Totam etiam aulam manerii de Houldon ædificavit, & magnos præterea sumptus in ædificiis de eodem manerio expendit. Hic etiam magnam partem campanilis, vulgo Lanterii, Ministerii Eboracensis construxit, in medio cujus operis arma sua posuit. Ibidem quoq; fundavit Cantariam ad australem angulum crucis dictæ Eccclesiæ, ubi Capellanum ordinavit ad Missam in perpetuum pro animâ suâ celebrandam. Iste quoque magnam partem Clausterii in Monasterio Dunelm. fieri fecit ad summam 600 *l.* Hic præterea dedit ad constructionem Dormitoriæ 330. marcas, & ejus executores dederunt ex præcepto ejus ad constructionem Clausterii 400 *l.* & ipse priùs dedit 200 *l.* De quibus omnibus ædificiis arma sua, viz. 6 Virgas vicissim flexatas in formâ cribri, imposuit. Iste semper summo in honore cum Principe suo habebatur. Obiit anno Domini MCCCCVI. sepultusque jacet in boreali plagâ chori Ecclesiæ Dunelm. inter binas columnas coram altare Sanctæ Blasiæ, quod postmodum dictum erat altare de Skirlaw, sub lapide marmoreo, admodum curioso, multisque æneis imaginibus sumptuosis circumspicuo, cum ipsius imagine in medio ejusdem tumbæ artificiosè in ære cœlatâ. Super pectus inscribitur tale dictum: *Credo quòd redemptor meus vivit, & in die novissimo de terrâ surrecturus sum, & in carne meâ videbo Deum salvatorem meum.* Et circa utramque partem istius sepulchri in altum erigebatur clatrum curiosè compositum, in quo Missa quotidie pro illius animâ dicebatur; & ex opposito ejusdem tumbæ in aquilonari parte factum erat sedile lapideum longitudine columnarum distantiæ, in quo arma illius à termino ad terminum ordinatim collocantur.

Johannes Hemmyngbourge creatus fuit in Priorem Dunelm. anno Domini MCCCXCI. & stetit in Prioratu annos XXV. Anno hujus IX. erat reformatio Ordinis Nigri Monachorum. Obiit anno Domini MCCCCXVI. & jacet sepultus sub lapide marmoreo, curioso, & sumptuoso, imaginibus circumspicuo, ad australem plagam Ecclesiæ Dunelm. à dextrâ parte inter eundum ad revesterium.

Ejus EPITAPHIUM.

Ecce marmoreus lapis hic tegit ossa Johannis;
Quem residere Deus cœlis cunctis det in annis.
Hemmingbrough natus fuit hic & honorificatus
Sede Prioratus, virtute probus Monachatus.
Qui legis hæc, prome Pater *unum,* Supplica *prome,*
Un' Dirigas, *&* Ave decus, *ut me liberet* Ave.

De THOMA LANGLEY Dunelmensi Episcopo. [d]

THomas Langley XVII. die mensis Maii, consecratus fuit in Episcopum Dunelm. in festo Sancti Laurentii ab Archiepiscopo Cantuariensi, anno

[d] Desunt in apographo meo verba nonnulla. Die 17. Maii Thomas electus videtur; certè ante 1406. 10. Augusti electum fuisse ex Registro *Scrope* Ebor. constat. Thomas iste in Academiâ Cantabrigiensi (cui multos postea libros donavit) educatus, Canonicus Eboracensis admissus 1401. 4. Martii, Episcopus Dunelm. in Ecclesiâ

Domini

Domini MCDVI. & ſtetit annis XXXI. Iſte Cantariam in Galilæâ fundavit in perpetuum ex duobus Capellanis ad Miſſam cantandam, * cum armis in ſummitate ejuſdem oſtii in marmore inſculptis; cujus ſumptibus tota Galilæa reparabatur ad ſummam 499 *l.* 6 *s.* 7 *d.* Hic duas domos Scholares, unam ſc. grammaticalem, alteram muſicalem, fundavit in loco, qui dicitur vulgariter *the grene place.* Structuram novæ coquinæ tempore Roberti Berrington, anno Domini MCCCLXVIII. ad ſummam 180 *l.* 18 *s.* 7 *d.* Ab anno Domini MCCCLXVIII. uſque ad annum MCDXCVIII. expendebantur ad ædificationem clauſtri Dunelm. 838 *l.* cujus ſummæ prædictæ iſte Thomas dedit ad hanc ſtructuram, i. e. clauſtri Dunelm. 238 *l.* 17 *s.* *ob.* præter & cætera. Iſte Thomas totam Dunelm. gaolam, gaolæque portas lapideas ſumptuoſiſſimas fundavit, ubi priſcis temporibus porta fuit antiqua tunc temporis dilapſa. Iſte autem dum vixerat, apud manerium de Houldon conſtruxit totas portas occidentales opere cœmentario, per quas tranſierint ad heretum vel pomærium; & cubicula quædam perpulchra eiſdem portis adjuncta ædificavit, ſuper quibus arma illius collocantur. Iſte Thomas Epiſcopus fuit Dunelm. tempore 3 regum, viz. 6 annos & 6 menſes tempore Henrici IV. 10 annos & 5 menſes tempore Henrici V. & 15 annos tempore Henrici VI. quorum omnium temporibus ſummo in honore pro ſuâ ſingulari ſapientiâ habebatur, & pro rebus publicis ſummâ in autoritate verſatus. *Sequitur Narratio, quomodo tertiam partem pontis ſuper Tinam fluvium poſiti apud Gateſhed in Comitatu Dunelm. partem ſc. Auſtralem ejus, & turrim ei haud ita pridem ſuperædificatam ab Oppidanis Novicaſtrenſibus recuperaverit in Curiâ Regis; illamque Commiſſariis ſuis in ditionem tradi obtinuerit die XXVIII. Jan. anno* 4 *Henrici V. Regis.*

* Deeſt nonnihil.

Hic etiam libertates quaſdam à Papâ procuravit pro lavacro quod collocavit in Galilæâ in Eccleſiâ Dunelm. cui, virtute prædictæ concionis, excommunicati ad filios baptizandos, cùm nullibi per totum filios baptizare liceret, & ad reliquorum omnium Sacramentorum adminiſtrationem accederent. Obiit autem in feſto Sancti Edmundi Regis & Martyris, viz. XX. die menſis Novembris, anno Domini MCDXXXVII. Sepultus jacet in Cantariâ in Galilæâ Eccleſiæ Dunelm. ſub tumulo marmoreo artificiosè erecto, in cujus fine arma illius inſculpuntur, coram altari Beatæ Mariæ Virginis, ubi Miſſa pro ſuâ animâ quotidie celebratur.

Johannes Weſſington creatus fuit in Priorem Dunelm. anno Dom. MCDXVI. & ſtetit in Prioratu annis XXX. & ſepultus eſt anno Domini MCDXLVI.

S. Pauli Londin. à Thoma Cant. Archiepiſcopo conſecratus 1406. 8. Auguſti. Cancellarius Angliæ ab Henrico V. Rege 1417. 23. Julii renunciatus, munus Rege defuncto abdicavit; idemque ab Henrico VI. Rege ex totius Parlamenti conſilio ſibi delatum mox recepit, & ad medium annum 1424. tenuit. Cardinalis Presbyter à Johanne XXII. Papâ antea creatus fuerat 1411. 6. Junii. Teſtamento 1436. 21. Dec. condito, corpus in Eccleſia Dunelmenſi in Capellâ B. Mariæ vocatâ *Ie Gallilee* ſepeliri voluit; libroſque plures Bibliothecis Academiarum Cantabr. & Oxon. necnon Collegii Dunelm. Oxon. & B. Mariæ Leceſtr. & de Manceſtriâ legavit. Probatum eſt ejus teſtamentum 1437. 17. Dec. Ex Regiſtris *Scrope* & *Kemp* Ebor. Dugdalii Chron. Ser. p. 58. Regiſtro *Arundell* Cant. & Onuphrio p. 270. Obitum ejus die 17. Martii Obituarium Cantuarienſe perperam collocavit.

CAP.

De ROBERTO NEVILL Dunelmensi Episcopo. [e]

ROBERTUS Nevill Episcopus Sarisburiensis per Priorem & Capitulum Dunelm. postulatus, per Papam Eugenium ad Ecclesiam Dunelm. est translatus, & consecratus Episcopus Dunelm. An. Dom. MCDXXXVII. XXVII. die Jan. Hic Scaccarium coram portis Castri Dunelm. quadratum cum omnibus ædificiis, officialibus & cubiculis construxit; in quo curia Cancellariæ, Skakariæ receptoris computatorisque tenetur. Obiit anno Dom. MCDLVII. IX. Julii; & humatus jacet cum antecessoribus suis in australi latere Ecclesiæ Dunelmensis.

Willielmus Ebchester, Doctor in Theologiâ, creatus fuit in Priorem Dunelm. anno Domini MCDXLVI. & stetit in Prioratu annis X. & mensibus III. & cessit anno Domini MCDLVI. & sepultus jacet sub lapide marmoreo in australi parte Ecclesiæ Dunelm. coram altare Dominæ de Boulton.

Ejus EPITAPHIUM.

En tegit hæc petra venerabilis ossa Wilhelmi
Ebchester; justos consumit terra sepultos.
Ingenio prægnans fuerat, cœlestia pandens,
Oeconomus verbi fidelis dogmata sacri.
Egenti largus; sitienti pocula præbens,
Nudatis vestes; peregrinis hospes amœnus.
Rexerat Ecclesiam prudenter jure Prioris;
Accumulans præmiis eandem valde decoris.
Naturæ cessit post partum Virginis anno
Mille CD quingento adjuncto postea sexto.
Corpore defuncto, ejus in sæcula virtus
Durabit, superis oblatio maxima Divis.
Australi Ecclesiæ sub marmore parte sepultus,
Cum Christo dormit, vivit, regnatque beatus:
Pro quo metra legis hæc qui, ora mente fideli,
Ut sit semper ovans cum sanctis culmine cœli.

De LAURENTIO BOOTH Dunelmensi Episcopo. [f]

LAURENTIUS Booth consecratus est in Episcopum Dunelm. XXV. die Septembris apud Sherburn in Elnet anno Domini MCDLVII. & remansit

[e] Post Thomæ obitum Rex datis ad Papam literis 1437. 27. Nov. Robertum Nevill, *consanguineum suum charissimum, ex præclarissimâ familiâ oriundum*, à Sede Sarisburiensi ad Dunelmensem transferri petit. Factum id à Papâ 1438. 27. Jan. videtur. Obiit. 1457. 8. Julii juxta Registrum. *W. Bothe* Ebor. In eodem habetur Roberti testamentum; in quo corpus suum legat sepeliendum in Galliæâ Ecclesiæ Dunelm. juxta sepulchrum S. Bedæ.

[f] Laurentius Booth, Canonicus Eboracensis admissus est 1453. 22. Martii, Archidiaconus Richmond. 1454. 21. Aug. Aulæ Pembrochianæ apud Cantabrigiam Præses ante Episcopatum fuit; eandemque Præfecturam Collegii ampliandi studio usque ad obitum tenere non aspernatus est. Dunelmensem Episcopatum nescio quo fato adeptus fuerit. Post Roberti enim obitum Rex Johannem Arundel Sacellanum & Protomedicum suum literis 1457. 12. Julii Scriptis Papæ commendavit. Laurentii consecrationem Willelmus recte designavit. Summus Angliæ Cancellarius 1473. 5 Junii constitutus est. Eboracum translatus 1476. 1. Sept. Ex Registris Ecclesiæ Ebor. & *Bothe* Hereford. Clauf. 13. E. 4. m. 3. & Historiâ Ebor.

in Episcopatu Dunelm. XX. annis. Iste portas totas lapideas Collegii apud Auckland, aliaque ædificia eidem portæ in utramque partem annexa proprio sumptu construxit. Deinde translatus fuit ad Archiepiscopatum Eboracensem in die Sancti Birini Episcopi; sepultusque jacet apud Ecclesiam de Cawood prope civitatem Eboracensem.

Johannes Burnbie, Doctor in Theologiâ, creatus erat Prior Dunelm. anno Domini MCDLVI. & stetit annis VIII. & obiit anno Domini MCDLXIV. sepultusque jacet sub marmore cum ipsius imagine in ære in mediâ nave Ecclesiæ Dunelm. versus Occidentem coram ostio Ecclesiæ.

De WILLELMO DUDLEY Dunelmensi Episcopo. [g]

POst translationem Laurentii venerunt bullæ à Papâ summo Pontifice, virtute cujus Literæ Patentes Domini Regis de Episcopatu liberando Dunelm. Willelmo Dudley Episcopo Dunelm. directæ sunt tenentibus & aliis liberis hominibus Episcopatûs prædicti, anno regni Edwardi XVI. die Octobris XIV. & consecratus fuit Episcopus Dunelm. anno Domini MCDLXXVII. & stetit annis VI. & obiit anno Domini MCDLXXXIII.

Ricardus Bell, Baccalaureus in Theologiâ, creatus erat Prior Dunelm. anno Domini MCDLXIV. & stetit annis XIII. & XXI. septimanis; & consecratus est in Episcopum Caerleolensem in crastino Sancti Marci Evangelistæ anno Domini MCDLXXVIII.

De JOHANNE SHERWOOD Episcopo Dunelmensi. [h]

JOhannes Sherwood consecratus fuit Episcopus Dunelm. anno Domini MCDLXXXIII. & erat Episcopus XI. annis; & obiit anno Domini MCDXCIV.

Robertus Ebchester, Doctor in Theologiâ, creatus fuit in Priorem Dunelm. anno Domini MCDLXXVIII. & stetit annis VI. & obiit anno Domini MCDLXXXIV. Hic jacet sepultus sub lapide marmoreo, in quo cælatur ipsius in ære imago; ubi subscribitur tale Epitaphium ad australem partem Ecclesiæ inter eundum ad revesterium in dextrâ parte.

Marmore Robertus jacet hic sub jure disertus
Ebchester, certus sibi sit Deus ipse misertus.
Extiterat castus corpus Prior hic probitatis.
Doctus, non fastûs studio fungens veritatis.
Largus, amans, hilaris, subtilia dogmata pandens:
Sacra suis meritis virtutum carmina clangens.

[g] Willelmus Dudley, viri nobilis Johanis Baronis Dudlæi filius, Decanus Windesoriensis & Sacelli regii, & *Feoffator terrarum pro Rege & Reginâ* (sic enim anno 1475. dicitur in Registro Norwicensi) Canonicus Wellensis admissus est 1476. 13. Febr. Episcopus Dunelmensis creatus, Temporalia à Rege accepit 1476. 14. Octobr. Sepultus est in Ecclesiâ Westmonasteriensi, ab Australi parte Capellæ S. Nicolai; si Godwino fides.

[h] Johannes Sherwood, Collegii Universitatis Oxon. alumnus (quem ob amœniorum literarum studium Balens prædicat Cent. 12. c. 61. & exemplaria Græca ex Italiâ in Angliam advexisse memorat.) Archidiaconus Richmundanus admissus est 1465. 14. Julii, Episcopus Dunelmensis ab Archiepiscopo Ebor. confirmatus 1485. 10. Aug. Bona ejusdem defuncti sequestrantur 1493. 4. Febr. Huic Suffraganeus erat Thomas Radcliffus, Episcopus Dromorensis in Hiberniâ; qui obiit paulò ante annum 1489. Ex Registris Ecclesiæ Ebor. & Archiepiscopi *Rotherham*, & Libro Dunelmensi *Domitian A. 7.*

Dic

Dic Pater, *infer* Ave *cum* Credo, *postulo pro se.*
Christo, sicque vale, repetens mea metrica juste.
Mille CD. quaterno, L. ter deno quoque quarto
Vertitur hoc saclo, Christo regnare periclo.

De RICARDO FOX Dunelmensi Episcopo. [1]

RIcardus Fox consecratus fuit in Episcopum Dunelm. anno Domini MCDXCIV. Iste aulam in Castro Dunelm. transmutavit, quod ibidem duæ fuêre regalitatis sedes; una in supremâ parte, altera in infimâ parte aulæ; modò autem unam in parte superiori reliquit, & loco inferioris sedis fecit penum cum pantariâ, & super idem opus secundas collocavit sedes pro buccinatoribus aut aliis musicis tempore servitii, cubiculumque computatorium, & amplam coquinam, omnesque domus officiales ad eam spectantes, cum cubiculis illas suppositis officiales, & novo omni illo opere ex occidentali parte aulæ & coquinæ collocato, proprio sumptu erexit. Hic construere incæpit in altâ turre ejusdem Castri aulam, coquinam, aliaque nonnulla ædificia; sed priusquam perficiebantur, translatus erat ad Winchester ratione controversiæ ortæ inter eum & comitem Cumberlandiæ pro jure de Hartlepole. Collegium apud Oxford vocatum Collegium Corporis Christi fundavit; cui possessiones plurimas dedit. Deinde Capellam apud Winchester magnificis sumptibus constructam erexit; & ibidem honoritassimè sepultus jacet; cujus imago summo cum artificio in lapide efformata ibidem conspicitur.

Johannes Auckland, Doctor in Theologiâ, creatus fuit Prior Dunelmensis anno Domini MCDLXXXIV. & stetit annis X. obiit anno Dom. MCDXCIV. & sepultus jacet in Ecclesiâ Dunelmensi.

De WILLELMO SEVER Dunelmensi Episcopo. [1]

WIllelmus Simones translatus fuit à Carlile ad Dunelmum virtute Bullæ directæ à Papâ, & sic per Breve Domini regis Henrici VII. die XV. Octobris, anno regni sui XVIII. consecratus fuit Episcopus Dunelmensis anno Domini MDII. & stetit annis III. obiit anno Domini MDV.

[1] Postquam Sedes integro ferè biennio vacâsset; Præsul maximus Ricardus Fox, ab Episcopatu Bathoniensi translatus, Dunelmensem adiit sub exitum anni 1494. Post ejus enim translationem Spiritualia Episcopatûs Bathon. in Archiepiscopi Cant. potestatem devenerunt 1494. 12. Decembr. Ad Wintoniam Ricardus anno 1502. translatus est. Dum Dunelmi sederet, æternæ fœlicitatis fundamenta genti nostræ posuit. Anno enim circiter 1498. ortâ gravi rixâ inter Anglos & Scotos in confiniis utriusque regni, & ad bellum spectante, Jacobum Scotiæ Regem missis frequentibus literis ad pacem hortatus est. Rescribit Jacobus pacem sarciri posse, si ipse in Scotiam veniret, idque sibi valde gratum fore. Ricardus, impetratâ prius Henrici Regis veniâ, Scotiam adit, pacem facilè renovat. Tunc Jacobus pectoris arcanum Episcopo patefacit, se nempe Margaretam Henrici Regis filiam natu maximam sibi in uxorem dari vehementer cupere; & ad hanc obtinendam Episcopi auxilium implorat. Pollicetur id Episcopus, & Angliam reversus, Henrico fit author, ut Jacobo Margareta in uxorem concedatur. Academiæ Cantabrigiensis Cancellariatum Ricardus anno 1500. gessit.

[1] Willelmus Sever (id enim veriùs ei nomen fuit) Abbas B. Mariæ Ebor. anno 1485. creatus, ad Episcopatum Carleolensem anno 1496. provectus, utramque simul dignitatem tenuit; donec Episcopus Dunelmensis post medium annum 1502. factus fuerit.

De CHRISTOPHORO BAINBRIDGE Dunelmenſi Epiſcopo. [m]

CHriſtophorus Bainbridge conſecratus fuit Epiſcopus Dunelmenſis anno Domini MDVII. erat Epiſcopus anno uno, & fuit tranſlatus in Archiepiſcopatum Ebor. anno Domini MDVIII. qui paulò pòſt factus Cardinalis, miſſus erat internuntius per Henricum VIII. Angliæ regem ad Romam; qui (ut fertur) veneno illic conſumptus erat.

De THOMA RUTHALL Dunelmenſi Epiſcopo. [n]

THomas Ruthall conſecratus fuit in Epiſcopum Dunelmenſem anno Domini MDVIII. & erat Epiſcopus annis XIV. Hic totum à fundo Aucklandiæ cubiculum, in quo prandetur, erexit; pro cujus operis perfectione reliquit quendam ſuum hominem nomine Stranworth adontatorem ſuum, cui ſatis theſauri ad opus iſtud conficiendum dedit; propterea quòd ipſemet fuit à conſiliis Regi Henrico VIII. necnon patri ſuo Henrico VII. à quo ſummus habebatur; & continuo in curiâ ſuâ pro ſuâ ſingulari ſapientiâ detentus, adeò ut res ſuas Epiſcopatûs Dunelmenſis illic agere non potuit. Hic reparavit tertiam partem Pontis Tynæ verſus auſtrum; ditiſſimus habebatur ſubditus per totam Angliam. Hic reſidens Curiæ conſtitutus erat per Regem, ut librum ſcriberet de totius ſui regni ſtatu: (quoniam Regi notus erat ad hoc opus perficiendum maxime idoneus) quem librum poſtea Rex imperavit Cardinali Wolſey, ut ad Epiſcopum adiret, & majeſtati ejus adduceret. Epiſcopus autem duos conſcripſerat libros; unum ſecundùm regis mandatum; alterum de rebus propriis tractantem, omnino pares & in tegminibus albis, de membranis vulgariter *vellum* dictis, æquali volumine, conſtricti adeò, ut alter ab altero decerni nullo modo poterat; qui quidem libri cùm eſſent in muſæo poſiti, cuidam ſervo ſuo in mandatis dedit Epiſcopus, ut adferret ſibi librum albâ membranâ circumcinctum, quem cùm Epiſcopus ab eo accepit, & non inſpexerat, Cardinali ſtatim tradidit librum revera de ſuis theſauris tractantem: ignorante tamen hoc Epiſcopo, quod cùm intelligeret Cardinalis, in quam eſſet liber, tacitè multum lætabatur continuò. Nam cum libro ad Regem acceſſit, & ſibi dedit, ejuſque libri ſummam breviter demonſtravit Henrico Regi ſuggerens: quod cum antea pecuniæ ſummâ ſe uti velle dixerit, non opus eſſet, ut ulteriùs quæreret, quàm ab Epiſcopo Thoma Ruthall, qui ſecundùm tenorem proprii ſui libri divitias ſuas numeravit prope ad valentiam 100000 *l*. Quod cùm intellexit Epiſcopus quod feciſſet, & quòd rectum librum Cardinali non

[m] Chriſtophorus Bainbrig ſive Bambridge, Hiltonæ ſecus Applebeiam in Weſtmorlandiâ natus, Collegii Reginalis Oxon. anno 1495. Præpoſitus, Legum Doctor Bononiæ creatus, ſed Cantabrigiæ incorporatus, poſtea Decanus Windeſorienſis, dein Eboracenſis, ac poſtremò Rotulorum Cuſtos 1504. 13. Nov. conſtitutus, Epiſcopatum Dunelmenſem ſub finem anni 1507. conſcendit. Decanatum enim Eboracenſem reſignavit 1507. 13. Dec. Ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus eſt 1508. 14. Dec. Ex Regiſtris & Hiſtoriâ Ebor.

[n] Thomas Ruthall ſive Rothehall (rectiùs Rowthale, ſic enim nomen propriâ manu ſcriptum vidi) ad Epiſcopatum Dunelmenſem ab Henrico VIII. Rege deſignatus eſt eodem die, quo ipſe Rex primùm denuntiatus fuit, ſc. 1509. 23. April. Profeſſionem Archiepiſcopo Ebor. fecit 1509. 24. Junii. Sub initium anni 1523. obiiſſe, videtur. Wolſei enim cupiditas cum potentiâ conjuncta nullos Epiſcopatûs ſibi deſtinati redditus vacatione diuturnâ intercedente ſubtrahi paſſa eſt.

dederat, rei dolore percussus obiit Londoniæ anno Domini MDXXII. post cujus mortem Cardinalis Episcopatum Dunelm. paulò pòst à Rege obtinuit.

Thomas Castell Doctor creatus fuit in Priorem Dunelm. anno Domini MCDXCIV. & stetit in Prioratu XXV. annis. Tempore hujus, hoc est in anno Domini MDII. mense verò Julii circa Divæ Margaretæ Festum magnum Deus omnipotens per suum sanctissimum præsulem Cuthbertum in Ricardo Poell inclyti Henrici Regis Septimi cliente atque familiari obsequentissimo miraculum operatus est. Qui quidem Ricardus, insanabili & longo tempore nullâque medicorum arte, operâ sive scientiâ curabili detentus ægritudine, quid ageret, quove se verteret ignorabat. Nam ejus venter juxta femur adeò fractus atque inflatus erat, ut nuda penitus penderent intestina, quæ nihil aliud præter tenuissimæ pelliculæ obstaculum suspensa tenebat, quod curiali quodam oppressus pudore, nemini revelare audebat. Eodem itaque tempore inclyta Margareta prælibati Regis filia Jacobo Scotorum Regi quarto, hymenæo juncta thalamo, Scotiam concessit; eamque patris Serenissimi jussu præfatus Ricardus Poell comitatus est; cúmque ad Sanctissimi Cuthberti devotissimè pervenisset sepulchrum, ibique innumerabilia quæ sanctissimus Præsul quotidie operabatur miracula, à variis & diversis accipiens, oppressos languoribus, sive aliis quibuscunq; pressuris jugiter aspexisset, devotissime ingemuit, & ait, *O beatissime præsul Cuthberte, qui tot & tantorum patrator es miraculorum, respice (quæso) intolerabilem quam ego miserrimus patior afflictionem, quam tuâ inenarrabili memorare digneris clementiâ atque misericordiâ.* Interim lachrymas, vota atque preces supplex ac devotissimè fundens, in momentanei soporis requiem incidit; eque somno excitatus, liberum ac sanum se reperit usque adeò, ut fracturæ cicatrix nulla conspici posset; quod quidem vehementissimè admirans, Deo atque Divo Cuthberto secundùm virium suarum magnitudinem jubilans, gaudens atque exultans, gratias condignas edidit: & quoniam humanæ Salvator fragilitatis opera sua non patitur esse in occulto, idem præfatus Ricardus, quod antea infirmus celavit, sanus postea & integer palam omnibus confessus est, & tanti miraculi magnitudinem publicè aperuit, remque præcipuè omnem cuidam Magistro Thomæ Swalwell, Sacræ Theologiæ Professori, aliisque religiosis Monasterii dicti Divi Cuthberti, ab initio enucleavit ad gloriam Dei. Iste Thomas longo temporis intervallo attritas, & in ruinam dilapsas orientales portas Abbathiæ reparavit. Nam veteri totâ structurâ dejectâ ad terram, sumptuosè & multo nummo reædificavit easdem, cum domicilio Janitoris in quo idem dormitat, & super easdem sublime lapidibus lævigatis opere cæmentorum, plumbeis laminis opertam construxit Capellam, vocatam Sanctæ Helenæ Capellam, rei divinæ destinatam, qua omnes Laici bis quotidie ad Missam audiendam concurrebant. Nam illic duo subserviebant sacerdotes, à Priore & Conventu assignati, administrantes omnibus Laicis Eucharistiæ Sacramentum, confitentibus illis eorum delicta. Insuper in eodem ædificio construxit cubiculum pro sacerdote, in quo dormitaret. Hic etiam reparavit à novo fenestram borealem vetustate contritam, in medio angulo crucis Ecclesiæ Dunelmensis; & opus lapideum & vitreum, in quo depinguntur in vitro quatuor Doctorum Ecclesiasticorum imagines, unà cum imagine Sanctæ Mariæ & Sancti Cuthberti, & subtus sui ipsius imago genu * plectens & palmas tendens vitro cæruleo cum isto carmine. *Virgo tuum natum fac nobis propitiatum.* Hic emebat duas molendinas communiter vocatus *Jesus mills*, quas ambas plumbo tegebat, & postea Ecclesiæ Dunelm. contribuit, hac ratione ut post mortem illius fieret sua memoria in Missâ *Jesus*; quocoram altari sepultus jacet in nave Ecclesiæ Dunelm. sub marmore cum ipsius imagine in ære cum isto Epitaphio.

* Flectens.

Mortuus

Mortuus hoc tumulo Thomas sub marmore duro
Castellus recubat, pietatis turris ahena
In litteris Doctor divinis, munere Prior;
Moribus excomptis, & miti pectore charus.
Staturâ mediocris erat, virtute procerus;
Dapsilis hospitibus, structuris tum probe notus.
Pauperibus laxo præbebat munera sinu.
Nulli clausa bono sua janua, mensa, crumena.
Suppliciter pro se dicas, Credo, Pater, Ave;
Qui legis hæc, quo sit cœlesti civis in æde.

De THOMA WOLSEY Episcopo Dunelmensi. [a]

THomas Wolsey, Sanctæ Ceciliæ Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Presbiter Cardinalis, Eboracensis Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Angliæ Primas & Cancellarius, necnon Episcopus Winchester & Dunelm. in quem Episcopatum consecratus fuit anno Domini MDXXIII. & fuit Dunelm. Episcopus annis VII. Hos omnes Episcopatus dignitatesque uno tempore suis manibus retinuit. Iste tertiam partem pontis de Tyne versùs austrum reparavit. Sumptuosum apud Oxford Collegium, nuncupatum Collegium Cardinalis, aliàs Collegium Christi, primò fundavit; aliudque fundavit Collegium apud Ipswich, quæ ambo priusquam perficiebantur, diem claudit extremum, XXVII. die Novembris apud Leicester, & in Ecclesiâ ejusdem *Abbathiæ* Leicestriæ sepultus jacet.

Anna Bullen totius Episcopatûs Dunelm. proficuas habuit per spatium unius anni ex dono Henrici Regis VIII.

Hugo Whithead, Doctor in Theologiâ, creatus fuit in Priorem Dunelm. anno Domini MDXXIV. & stetit in Prioratu XXIV annis. Hic in omni vitâ suâ se Dei religioni conformem dedit. Totus namque erat deditus amori divino: magnam familiam domesticorum semper secum aluit, in domo suâ generosos atque plebeios complurimos habuit, à quibus honorificè inservitur. Liberalem & copiosè instructam mensam habebat. Apud Bearpark domos multas vetustate consumptas reparavit. Construxit etiam novam aulam apud Pittingtown, vocatam *the Priors Hall*, cum aliis ædificiis in utrumque finem ejusdem aulæ annexis. In elemosynis erat abundans, in puritate vitæ laudabilis. Tandem tamen unà cùm Episcopo Tunstallo & ejus Cancellario Hynemars, per Rinianum Menvill accusatus, ad Londinum iter suum suscipere summonitus; ubi inusitatis molestiis agitatus, ex hac vitâ decessit anno Domini MDXLVIII. sepultusque jacet in Ecclesiâ Mineriorum prope Turrim de London. Iste Hugo fuit novissimus Prior Ecclesiæ Dunelmensis & ejusdem primus Decanus.

[a] Thomas Wolseius, dimisso Bathoniensi Episcopatu, Dunelmensis administrationem recepit, traditis ipsi à Rege Temporalibus 1523. 30. April. Anno 1529. mense Aprili commissâ sibi Episcopatûs Winton. administratione, Dunelmensem reliquit.

De

De CUTHBERTO TUNSTALL Dunelmenſi Epiſcopo. [p]

CUthbertus Tunſtall tranſlatus fuit ab Epiſcopatu London. ad Dunelm. anno Domini MDXXX. XXV. die Martii, virtute Bullæ directæ à Papâ Clemente VII. ad Henricum VIII. & ſic per Breve Domini regis electus erat anno & die præfatis. Conſtruxit à fundo porticum valde ſpecioſum, & capellam ei annexam opere cæmentario, in caſtro Dunelm. Conſtruxit etiam portas ferreas ejuſdem Caſtri cum opere lapideo ab utrâque parte. Aquæ etiam canalem ſcilicet *Water Conduit*, ad lavandum fundavit à ſiniſtrâ parte introitûs ejuſdem Caſtri. Conſtruxit quoque porticum apud Auckland; ubi etiam cubiculi, in quo prandetur, ſummitatem magnæ feneſtræ perfecit, per Thomam Ruthall quondam Epiſcopum prius incœptum; aliaſque reparationes circa domum prædictam fecit. Caſtrum etiam apud Norham diverſis in locis reparavit. Telonium, Anglicè, *the Toule Booth*, in foro Dunelm. opere cœmentario, cum aliis domibus officialibus in poſteriori parte ei annexis; quas etiam civibus Dunelm. poſtea donaverat. Tertiam partem verſùs auſtrum pontis de Novo Caſtro, vocati *Tyne Bridge*, opere lapideo & ligneo, binis ſejunctim temporibus, proprio ſumptu reparavit: ſed accuſatus per Rinnianum Menvill in fine regni Edwardi VI. turri erat intruſus apud London, & deprivabatur Epiſcopali omni autoritate; ad quam, cùm primùm ad regalem acceſſit Regina Maria, in dignitatem ſummo cum honore iterum reſtaurabatur. In omni ſuo tempore pati noluit ne lapidem ædificiis ſuis antiquis in ruinam dilapſis auferri: familiam honorificam ſemper ſecum tenuit, honorificéque attendebatur à generoſis & hominibus plebeiis; quocunque enim loco reſidebat, honorificam menſam valdeque largam ſemper ſecum habuit. In elemoſynis erat abundans, in omni vitæ genere Præſul præclarus. Deprivatus fuit tempore Elizabethæ anno Domini MDLIX. qui cùm ad mandatum eſſet cum Archiepiſcopo Cantuarienſi apud Lambeth, illic piiſſimum & gratioſiſſimum vitæ ſuæ exitum fecit; ſepultuſque jacet in Eccleſiâ de Lambeth, ubi primò conſecratus fuit Epiſcopus.

Tempore illius Tho. Spark homo pereruditus per electionem Epiſcopi factus fuit ejus Suffraganeus. Epiſcopus fuit de Berwick, Magiſter Inſulæ Sacræ, Cuſtos & Magiſter Hoſpitalis de Gretham, in quo duos conclaves pariter conjunctos conſtruxit ex unâ parte Clauſtri, quod totum ipſe funditus dejiciebat. Promitorium, Anglicè *a Brewhouſe*, à novo re-ædificavit; cubiculaque ſacerdotum in alia mutavit; & alia fecit perpulcra, & ad invicem conjunxit, cum multis ſumptibus aliis circa domum illam expreſſis. Crux marmorea præclara admodum, quæ olim ſteterat in ſupremâ parte vici de Gyllygate, loco vocato *Maids Harbour*, data erat Gulielmo Wright de Dunelm. mercatori, ſuâ petitione, per Dominum Ormſtrang Scotum, Dominum de Keepyere, ad conſtituendum in foro Dunelm. Quæ cùm erat direpta, in fundo reperiebantur imagines XII. Apoſtolorum ex opere lapideo curioſè con-

[p] Tranſlatio Cuthberti Tonſtall Epiſcopi London. ad Epiſcopatum Dunelmenſem in Eccleſiâ Londinenſi publicata eſt 1530. 18. Martii. Die ſequenti Capitulum Londinenſe Archiepiſcopum Cant. datis literis de illius tranſlatione certiorem reddit. Cuthbertus carceri mancipatus 1551. 20. Dec. Mariæ Reginæ beneficio eductus 1553. 5. Aug. & in integrum reſtitutus fuit. Poſtea regnante Elizabethâ Epiſcopatu exutus medio anno 1559. cuſtodiendus ſeu potiùs alendus eſt commiſſus Matthæo Archiepiſcopo Cantuarienſi, à quo lautiſſimè exceptus & amiciſſimè, dum vixit, habitus eſt. Obiit 1559. 18. Novembr. Huic Suffraganeus datus eſt titulo Epiſcopi Berwicenſis Thomas Spark S. T. B. Monachus Dunelmenſis, in Epiſcopum conſecratus anno 1536. menſe Junio. Ex Regiſtris *Stokeſley*, *Warham*, & *Lee*, &c.

ſtructæ,

structæ, & sumptuosè auratæ; tres sc. in quolibet angulo prædictam crucem deportantes. Nam crux erat quadrata; quam quidem crucem in forum Dunelm. asportatam proprio sumptu ad summam 8 *l.* erexit Suffraganeus in loco ubi steterat, *vetus Toulboeth.* Campanas è Galileæ campanili exportari fecit, quæ aliter fractæ & venditæ fuissent; & eas collocavit in magno campanili Ecclesiæ Dunelmensis, ex quibus fecit *the Chyme* ad valentiam 40 *l.* Iste totos redditus in familiâ suâ expendebat; egenis perliberalis. Obiit anno Domini MDLXXI. sepultusque jacet in choro Capellæ de Gretham in sepulchro Gulielmi de Estfield quondam Magistri de Gretham. Lapidem verò marmoreum dum vixerat præparari jussit; sub quo per testamentum suum supponi constituerat in Ecclesiâ Dunelmensi coram altari de Houghell, in australi plagâ ejusdem Ecclesiæ. At Oeconomicus illius Dominus Georgius Winter testamentum suum violavit, ejusque lucro lapidem prædictum cuidam Stephenson Ecclesiæ Dunelm. Præbendario vendidit; super quem lapis prædictus positus est coram ostio chori Ecclesiæ Dunelmensis.

SUCCESSIO PRIORUM DUNELMENSIS Ecclesiæ.

Monastic. tom. 1. p. 42. & apud Rudburn. Hist. Winton.

WIllelmus de S. Karileso Episcopus Dunelmensis in Chartâ Monachis à se recenter introductis datâ præfatur se à senibus & prudentioribus Provinciæ Dunelmensis viris didicisse, Monachos olim in Sede Episcopali Lindisfarnensi institutos fuisse. Commentum sanè omnibus familiare Monachis; qui Clericos Ecclesiis Cathedralibus deturbantes, avitam possessionem prætexere solebant. Certissimè tamen constat Monachos tempore Chartæ istius datæ annis 208. in Episcopali Sede Dunelmensi defecisse: ut incassum sit à Willelmo Episcopo ostentatum seniorum testimonium. Quin & à primâ sedis institutione Monachi quamvis prope Ecclesiam Cathedralem sedes obtinuerint, eam non possederunt. Capitulum Ecclesiæ ex Clericis constabat, quos in familiâ suâ vel in Ecclesiæ viciniâ Episcopus de Ecclesiæ redditibus alebat. *Siquidem à temporibus antiquis* (Bedam audis) *ibidem & Episcopus cum Clero, & Abbas solebat manere cum Monachis, qui tamen & ipsi ad curam Episcopi familiariter pertinerent: quia nimirum Aidan, qui primus ejus loci Episcopus fuit, cum Monachis illuc & ipse Monachus adveniens, Monachicam in eo conversationem instituit.* Episcopus sc. cum Clericis suis seorsim, Abbas cum Monachis seorsim habitârunt; quamvis Episcopus ex Monachis ferè delectus, & regulari magis disciplinæ Clericos suos assuefaceret, & Monachos non negligeret. Suus tamen Monachis * Abbas præerat; quod nullibi contigit, ubi Monachi Episcopo familiariter adhæserunt, & Capitulum Ecclesiæ constituerunt. His enim Episcopus Abbatis vice præerat; & Monachorum

Hist. Eccl. l. 4. c. 27

chorum Præpositus *Prior* dicebatur. Vitam tamen verè monasticam Clerici Episcopo adhærentes adeò non duxerunt; ut conjugium ipsis & licitum & frequens esset: quod ex quamplurimis Turgoti seu Simeonis Historiæ locis patet. Ità quidem in Ecclesiâ Lindisfarnensi Monachi sedes Ecclesiæ proximas obtinuerunt, & curæ Episcopalis pars erant: quamvis ad Clericos solummodo negotia Capitularia & Episcopi electio spectarent. In Ecclesiâ autem Cuncacestrensi nulli erant Monachi; si duos forsitan vel tres excipias, qui S. Cuthberti reliquias religionis ergo frequenter adivisse dicuntur. Eardulfum enim Episcopum cum Cuthberti corpore à Lindisfarnâ anno 875. fugientem soli Clerici sunt secuti: qui in eâdem Ecclesiâ *ab ætate infantili in habitu Clericali fuerant nutriti atque eruditi*. Monachi omnes defecerunt; neque in Ecclesiâ etiam Dunelmensi locum obtinuerunt, antequam à Wilellmo Episcopo introducti essent. Sæpiùs id Turgotus docet; & Wilellmus Malmsburiensis confirmat, qui antiquam Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ consuetudinem fuisse asserit, ut electio Præsulum penès Clericos, Abbatum penès Monacho esset. Clericorum interim Præpositi nomine aliis in Ecclesiis Cathedralibus recepto *Decani* dicebantur; & ex his unicum reperio *Leobwinum* (alium à Leobwino nequissimo Archidiacono, de quo supra) qui Waltheofi Comitis chartæ anno 1074. datæ subscripsit, & à Provincialibus interemptus unà cum Walchero Episcopo interiit 1080. 14. Maii. Regularem Canonicorum disciplinam Walcherus vitiaverat, illos plùs sæcularibus negotiis quàm Ecclesiasticis officiis ritè obeundis assuefaciens. Leobwino successit quidam ignoti nominis, Decanorum ultimus; qui à filio suo Monacho persuasus, solus ex Canonicis cucullam inter Monachos loco suo introductos induit. Anno etenim 1083. Willelmus Episcopus, suscepto priùs Romam itinere & impetrato Gregorii VII. Papæ diplomate, acceptâ itidem Willelmi Regis & Concilii Pananglici apud Westmonasterium coacti & Thomæ Archiepiscopi & Capituli Eboracensis veniâ, Canonicos ex Ecclesiâ Dunelmensi eliminavit, & Monachos induxit 1083. 28. Maii die Pentecostes. His terras & redditus opimos donâsse nequaquam contentus, tot tantaque privilegia & immunitates cumulavit; ut invidiam facilè movere possent, & assiduas Episcopis Dunelmensibus molestias postea exhibuerint; quamvis ea Ranulphus Episcopus egregiè resecuerit. Monachorum enim fundos ab Episcopalibus divisit, atque ipsis pro arbitrio regendos commisit. Priori integram Abbatis dignitatem & prærogativam concessit, liberâ Monachis electione permissâ, & ablatâ sibi Priorem pro lubitu deponendi potestate. Ecclesias insuper, quarum patronatus ad ipsos spectabat, iisdem in temporalibus & spiritualibus subjecit, & ab omni jurisdictione seu Episcopali seu Archidiaconali exemit; nisi tantùm ut Clerici, quibus ipsas Monachi commissuri erant, Episcopo de curâ animarum intenderent. Parile privilegium Thomas Eboracensis Archiepiscopus iisdem donavit circa Ecclesias suas in Dioecesi Eboracensi sitas. Singula Willelmus Rex confirmavit; & innumera ferè maneria, terras & Ecclesias simul donavit. Neque hìc stetit Willelmi Episcopi prodiga liberalitas. Anno enim 1094. decrevit, ut Prior totius Dioecesis Archidiaconus esset in perpetuum, atque Episcopi in spiritualibus Vicarius, in temporalibus Vicedominus. Primus Monachorum Dunelmensium Prior erat

Aldwinus. Iste Cœnobii Winchelcumbensis Monachus & Prior, receptâ ex antiquis monumentis veterum Cœnobiorum, quibus Northanimbria præ aliis provinciis claruit, notitiâ, eam adire statuit, & sanctorum locorum ruinas visitare. Comites ex Monasterio Eveshamensi sibi ascivit Elfwium & Reinfridum. Northumbriam advenientes anno 1073. primò apud Mancacestre (hodie Novum Castrum) dein à Walchero Episcopo invitati apud antiqui Monasterii Girvensis rudera consederunt. Mox associatis sibi pluribus, colonias Monachorum quasdam ab alia priscorum Cœnobiorum loca, puta ad Streoneschalc hodie Witeby, ad Eboracum, Mailrosam, & Wiremutham, deduxerunt.

Turgot. l. 2. c. 6.

L. 2. c. 6. l. 3. c. 6. 18. &c.

de gest. Pont. l. 3. f. 157. b.

Monast. 1. p. 42. Florentius.

Turg. l. 4. c. 5.

Annal Dunel.

Charta fund.

Hoveden f. 263. Monastic. 1. p. 44, 45. Annal Dunel.

Turgot. l. 3. c. 21.

Hoveden f. 261.

Turgot. l. 3. c. 22.

runt. Iisdem Walcherus Cœnobium prope Ecclesiam Dunelmensem ponere in animo habens, morte præreptus est. Willelmus autem, qui Walchero successit, eos à Cœnobiis Girvensi & Wiremuthensi translatos non in viciniam

Id l. 4. c 3. 7.

solummodo Dunelmensis Ecclesiæ sed in possessionem etiam induxit, uti supra dictum est. Inductis Aldwinum in Priorem præfecit 1083. 31. Maii. Obiit is 1087. 12. Aprilis.

Hoveden f. 261. Simeon Dunel. f. 206.

Turgotus, natu nobilis, in ætate juvenili in Lincolniensi Castro incarceratus fuerat inter alios Anglorum obsides, quos Normanni recenter subjugatâ Angliâ ibidem asservabant. Ex carcere astu quodam elapsus, in Norwegiam transiit, ab Olavo Rege summo favore & benevolentiâ exceptus. Post plures annos Angliam renavigans, totius pecuniæ, cujus non modicam vim corrogaverat, jacturam naufragio fecit. Ipse ægrè elapsus, Dunelmum se contulit: Walcheri Episcopi amicitiam conciliat, & religiosæ vitæ studium ostendit. Walcherus ipsum Aldwino tunc apud Girvum degenti instituendum tradit. Hunc

Turgot. l. 3. c. 22.
Id. l. 4. c. 7.

Turgotus à Gyrvo ad Mailrosam, à Mailrosâ ad Wiremutham, à Wiremuthâ (ubi primùm habitum induit Monasticum) ad Dunelmum transmigrantem individuus vitæ comes sectatur. Aldwino demum defuncto Turgotus communi Episcopi & Monachorum consilio in Prioratu subrogatur anno 1087. Plurimùm iste Ecclesiæ suæ profuit, auctis privilegiis, ædificiis & redditibus, maximè autem insigni Historiâ scriptâ de rebus ejusdem à primâ fundatione ad

Hoveden f. 261.
Annal. Dunel.
Simeon Dunel. p. 232. & Hoveden f. 273. rectiùs. Simeon p. 208.

annum 1096. Prioratu annis 20. minùs 12. diebus administrato, ad Episcopatum Santandreanum, Scotiæ primarium, electus est 1107. consecratus à Thoma Archiepiscopo apud Eboracum 1109. 1. Augusti. Ortâ demum inter Regem Scotorum & ipsum dissensione, in morbum ex sollicitudine nimiâ incidit. Acceptâ itaque repatriandi aliquantisper licentiâ, Dunelmum rediit anno 1115. die SS. *Petri & Pauli, & ibidem post* menses 2. dies 4. defunctus est, exactis in Episcopatu annis 8. mensibus 2. diebus 10. ab electione numerandis. Obitum ejus die 31. Martii Simeon reposuit. Mihi tamen dies 31. Augusti magis placet. Feriâ enim tertiâ obiisse dicitur. Atque illo quidem die Turgotum obi-

Hist. Nov. l. 5. p. 117.
Malmsbur. f. 158.

isse Eadmerus & Obituarium Cœnobii S. Augustini Cant. testantur. Dum Prioratu fungeretur, privilegia Monachis indulta severiùs exequutus, Ranulphum Episcopum adeò exacerbavit; ut ipso ad Episcopatum S. Andreæ translato, Episcopus nullum alium Priorem loco ejus ponendum putaret. Nec successorem quidem dari voluit, donec immodica privilegia conventione cum Monachis factâ resecuisset. Archidiaconatum itaque, Vicedominatum & Vicariatum totius Diocesis à Prioris officio dissociavit; quin nec in Ecclesiis suis jus Archidiaconale Monachis reliquisse videtur. Quamvis enim id postea Monachi usurpaverint; Archidiaconi tamen reclamârunt, & ad æquam compositionem Monachos adegerunt. His utrinque statutis, Episcopus Priorem Turgoto substitui permisit. Is erat

Catalogus Priorum Dunel. *Vespasian* A. 6.

Algarus, qui Ranulphi Episcopi dono Prioratum accepit eodem anno, quo consecratus est Turgotus, anno sc. 1109. atque anno circiter 1138. obiit. Hujus tempore Ranulphus dedit Conventui Dunelmensi Heremitorium de Fynchale post mortem S. Godrici tunc in eò degentis possidendum; *testibus Michaele Archidiacono & Willelmo Clerico meo de Curboil.* Iste postea Archiepiscopus Cantuariensis evasit; ille primus post restitutum Archidiaconatum eo munere perfunctus videtur. Michaeli successit Robertus, Roberto Wazo, qui anno 1147. Archidiaconatum obtinuit. Ex Historiâ Dunelmensi Majore. Ranulfus ille Archidiaconus, Ranulfi Episcopi nepos, qui Willelmo Comyn Episcopa-

Contin. Sim. Dun. p. 271.

tum Dunelmensem ambienti constanter obstitit ab anno 1140. ad 1143. non Dunelmensis sed Northumbrensis fuisse videtur. Dunelmensem quidem vocat Johannes Hagustaldensis, ipsumque *virum præclaræ probitatis* fuisse addit. Verùm ex Anonymi Historiâ suprà-editâ constat Robertum Archidiaconum eodem tempore claruisse; & Carta willelmi Episcopi anno 1147. data, Wazo-

nis.

nis Archidiaconi Dunelmensis prædecessores memorat Michaelem & Robertum, nullâ Ranulfi mentione factâ. Quinetiam Ranulfum & Wazonem Archidiaconos anno 1153. simul extitisse Johannes Hagustald. docet. Algarum Priorem anno circiter 1137. obiisse Indiculus Priorum Dunelm. in margine citatus perhibet. Tam huic autem quàm Historiæ majori Dunelm. convenit, illum tempore Gaufridi Episcopi obiisse.

Rogerus successit, electus tempore Gaufridi Episcopi, *vir sanctissimi meriti, à primævis annis enutritus in claustralibus institutis*, authore Johanne Hagustaldensi. Controversâ inter ipsum & Archidiaconum Wazonem motâ de tenendâ Episcopi dextrâ, Willelmus Episcopus id privilegium Priori adjudicavit datâ Cartâ 1147. 1. Dec. quæ in Historiâ majori Dunelmensi extat. Malè itaque Indiculus Cottonianus Rogeri obitum in annum 1146. rejecit. Rectiùs eum Historia major in anno 1149. collocavit.

Laurentius Rogerum excepit; cujus elogium Historia Major Dunelmensis sic contexuit. *Vir magnæ discretionis, injure peritus, eloquentiâ præditus, divinis institutis sufficienter instructus. Hic multa laude digna conscripsit, sc. De morte amici per modum Dialogi: Yponosticon, quod ipsemet in prologo suo interpretatur Librum Abbreviatum super Vetus & Novum Testamentum, distinctum in IX. libellos. Sunt etiam alia ab eo conscripta, ut Oratio pro Laurentio, Oratio pro naufragis, Oratio pro juvenibus compeditis, Invectiva in Malgerum, Oratio pro Milone, Rythmus Christo & Discipulis suis. Scripsit etiam metricè de Civitate & Episcopatu Dunelmensi, per modum Dialogi inter Laurentium & Petrum.* In Hugonis Electi Dunelmensis comitatu Romam anno 1153. profectus, in reditu obiit sub initium anni sequentis. Hunc ex Priore Dunelmensi Abbatem Westmonasteriensem ab Henrico II. Regem creatum fuisse Balens malè retulit. Laurentius ille Westmonasteriensis unus erat ex electoribus Hugonis Episcopi; ab Henrico Episcopo propterea excommunicatus anno 1153. Mox autem absolutus, post medium annum ab Ecclesiâ Dunelmensi recedens, *apud S. Albanum Monachorum se contradidit institutis, post paucos annos à Rege Henrico Monachis Westmonasterii sublimiter prælatus, amoto Abbate Gervasio filio Regis Stephani, qui res loci illius juveniliter dissipavit.* Ita Johannes Hagustald. in Continuatione Simeonis Dunelm. Hunc non alium à Laurentio Archidiacono (quem Gaufridus inter Hugonis electores supra recensuit) fuisse conjicio; quamvis Archidiaconatûs sui titulus lateat. Dunelmensis enim tunc erat Wazo, Northumbrensis Ranulfus; neque tertium in Ecclesiâ Dunelmensi Archidiaconum comperio. Scripta Laurentio, præter ea quæ supra memorantur, Balens ista tribuit. *In Detractorem Malgerium. Ad Hathewisam, De conscribendis Epistolis, Vitam Brigidæ in prosâ, De Cuthberto Episcopo, De Confessoribus, De Virginibus, Homilias eruditas, Sermones de Christi adventu, De Christi Natali, De assumtione B. Mariæ.* Sermones isti Laurentio non Dunelmensi Priori sed Westmonasteriensi Abbati debentur. Sic enim Johannes Flete de Laurentio Abbate scribit. *Hic multos & devotos edidit Sermones pro diversis anni temporibus & Sanctorum festivitatibus.* Reliqua, quæ Laurentio Dunelmensi Priori Historia Dunelm. suprà ascripsit, demptis duobus postremis Opusculis, extant sub Laurentii nomine, eodem quo recensentur ordine, in Codice MS. Bibliothecæ Lambethanæ pulcherrimè exarato. In Prologo Hypognostici sui dicit Laurentius se ex Ecclesiæ Dunelmensis Præcentore Palatinum Capellanum fuisse factum; & *familiaritatem principis, amorem Ecclesiæ, Cleri judicium, favorem Curiæ, & laudem Populi, munere divino multipliciter contributa* sibi gloriatur.

Galfridus in Hist. Dunel. cap. 3.

De Script. cent. 1. c. 88.

P. 281.

Hist. Westm.

Absolon successit anno 1154. obiit anno 1162.

Thomas I. electus anno 9. Hugonis Episcopi, viz. Christi 1162. anno sequenti ab Hugone Episcopo depositus, ad Farnen insulam secessit.

Indiculus Cotton. Id. & Gaufridus c. 4.

Germanus, ex Monacho in Priorem Dunelm. anno 1163. evectus, obiit anno 1188. juxta Indiculum sæpiùs citatum, rectiùs autem anno 1186. Sic enim

 Hove-

F. 371. Hovedenus scribit. *Anno* 1188. *Hugo Episcopus reddidit Priori & Conventui Dunelmensi custodiam & curam Prioratus, ducentis marcis & eo amplius obligatam; quam ipse jam ferè per biennium in manu suâ tenuerat causâ lucri.*

Bertramus I. Prioratum suscepit anno 1188. obiit circa annum 1199. juxta Indiculum Cottonianum. Rectiùs autem anno 1209. obitus illius statuendus est; quod ex Gaufridi Historiâ cap. 18. constat. (Indic. Cotton.)

Willelmus, civitate Dunelmensis, electus est Sede vacante statim post Bertrami obitum, Rege licentiam eligendi Monachis indulgente. Adfuit electioni Ricardi Decani Sarum sub finem anni 1213. Obiit 1214. tempore Ricardi de Marisco Episcopi (qui Episcopatum anno exeunte obtinuit) fide Indiculi sæpiùs citati. (Gaufrid. c. 15.)

Radulphus Kernech successit, & obiit anno 1233.

Thomas de Melsamby electus, 1233. Prioratum abdicavit anno 1244. (Robertus c. 3. & Indic. Cot.)

Bertramus de Middleton Prior factus est 1244. 22. Sept. Prioratum deposuit 1258. 15. Augusti. (Id.)

Hugo de Derlington ex Subpriore in Priorem electus est 1258. 16. Aug. resignavit 1273. 8 Januarii.

Ricardus de Claxton ex Insulæ Sacræ Priore in Priorem Dunelmensem electus 1273. 26 Jan. confirmatus ab Episcopo die 28 Jan. installatus die 2 Febr. abdicavit 1285. 27 Decembr.

Hugo de Derlington in Priorem iterum electus est 1286. 11 Jan. ab Episcopo confirmatus die 31 Jan. installatus die 7 Febr. resignavit 1290. 11 Martii.

Ricardus de Hotoun successit, ex Priore Cellæ de Lychne Prior Dunelmensis electus 1290. 24 Martii, ab Episcopo confirmatus die 28 Martii, installatus die 9 Aprilis. Hunc Antonius Episcopus 1300. 20 Maii à Prioratu amovit, & H. de Luceby, Sacræ Insulæ Priorem, substituit. Sententia autem effectu caruit. Quamvis enim novus iste Prior 1300. 24 Aug. installatus, Prioratum aliquamdiu administraverit; Ricardus tamen decreto Papali 1301. 29 Nov. edito restitutus est, & in Ecclesia suâ 1302. 10 April. per Procuratorem receptus. Obiit 1308. 9 Januarii.

Willelmus de Tanfeld, Prior de Wederhall, Prioratum Dunelmensem Papæ dono obtinuit 1308. 24 Febr. installatus die 4 Septembr. sequentis. Resignavit 1313. mense Junio.

Galfridus de Burdon ex Suppriore in Priorem electus est anno 1313. citò post 29 Junii. coactus resignavit 1322. 25 Januarii.

Willelmus de Contoun, installatus est 1322. 3 Maii, ex Roberti Dunelmensis fide. Registrum *Melton* autem illum à Lodowico Episcopo anno 1320. (exeunte) mense Martio confirmatum esse prodit. In calce antiqui (quo usus sum) Codicis Historiæ Turgoti Dunelmensis occurrit hæc nota. *Liber S. Mariæ de Fontibus, ex dono Willelmi de Coutton quondam Monachi de Fontibus* Obiit anno 1342. mense Februario. (Faustina A. 5.)

Johannes Fossour electus est 1342. 16. Martii, confirmatus & installatus die 31. Martii. Obiit 1374. 12. Novembr. (Willelmi Hist. Dunel. & Indic. Cot.)

Robertus de Walleworth, aliàs *de Berrington* dictus, electus est 1374. 11. Dec. confirmatus & installatus die 24. Dec. Præfuit annis 17. Obiit anno 1391. juxta Historiam superiorem. Eundem autem Prioratu anno 1391. cessisse Indiculus Cottonianus refert. Hunc ab Alexandro Archiepiscopo Ebor. 1382. 31. Jan. citatum comperio, ut in Ecclesiâ Ebor. compareat, ostensurus quo jure Pontificalibus indumentis uteretur. (Reg. Alex. Nevil.)

Johannes de Hemingburgh (sic enim dicitur in ipsius Chartulario anno 1408. scripto; *de Gininburgh* in Indiculo sæpe dicto cognominatus) successit anno 1391. Hujus tempore antiqua de Monachorum professione contentio anno 1396. resuscitata est. Walterus enim Episcopus exegit, ut Monachi coram (Faustina A. 6.)

coram ipso professiones facerent. Refragante autem & appellante Conventu, tandem à lite recessit. Obiit Johannes anno 1416.

Johannes Wessington successit anno 1416. obiit anno 1446. Isto præsidente Thomas Episcopus litem à decessore suo motam de professione Monachorum coram ipso faciendâ renovavit anno 1426. Illi Johannes animosè restitit; & post septennalem litem anno 1433. victoriam tulit. Idem ad manifestandam causæ suæ justitiam scripsit Librum de juribus & possessionibus Ecclesiæ Dunelm. in quo probatur jura & dignitatem Abbatis Priori Dunelmensi competere. Extat is in Bibliothecâ Cottonianâ, *Vitellius A.* 9. Capitulo Generali Ordinis Benedictini in Angliâ apud Northamtunam anno 1426. coacto præsedit.

Jo. Wessington in libro de jur. Eccl. Dunelm.

Reyner. Apost. Ben. append. p. 181.

Willelmus Ebchester, S. T. D. successit anno 1446. cessit anno 1456.

Johannes Burnbie, S. T D. præfuit ab anno 1456 ad 1464.

Ricardus Bell, S. T. B. successit anno 1464. ad Episcopatum Carleol. promotus 1478.

Robertus Ebchester, S.T. D. Prioratum obtinuit anno 1478. obiit 1484.

Johannes Aukland, S. T. D. successit anno 1484. obiit 1494.

Thomas Castell, S. T. D. subrogatus est Johanni anno 1494. præfuit annis 25. teste Historiâ superiore; atque idcirco anno 1519 obiisse censendus est. Qui successit autem, Hugo Prioratum ante aunum 1524. non obtinuit. Episcopus itaque Dunelmensis creationem Prioris integro quinquennio distulisse videtur; ut ipse interim redditus Priori debitos in usum proprium converteret.

Hugo Whitehead, S. T. D. Priorum ultimus, successit anno 1524. Idem anno circiter 1539. cum Monachis suis Cœnobium Dunelmense Regi transcripsit; & introductis à Rege anno 1540. loco Monachorum Canonicis Sæcularibus, mutato habitu Decanus effectus est.

ADDENDA & EMENDANDA

In Præcedentibus.

Ad Historiam Sedis Cantuariensis.

AD *p.* 52. Cuthberti Archiepiscopi obitum in VIII. Cal. Octobr. reponit Obituarium Ecclesiæ Cant. vetustissimum *Nero C.* 9.

P. 53. III. *Cal. Septembr. obiit Feolgeldus Archiepiscopus.* Sic habet idem Obituarium.

P. 54. *Ethelgarus Archiepiscopus obiit II. Id. Febr.* Idem. *Obiit Idibus Febr.* Obituarium S. Augustini Cant.

Ibid: Siricius Archiepiscopus obiit II. Cal. Octobr. Idem.

Ibid. Elnothus Archiepiscopus obiit V. Cal. Octobr. Idem.

Pag. 55. *Eadsinus Archiepiscopus obiit V. Cal. Octobr.* Idem. *obiit IV. Cal. Novembr.* Obituarium S. Augustini Cant.

Ibid. Stigandus Archiepiscopus obiit VIII. Cal. Martii. Obituarium S. Aug. Cant, & Calendarium vetus Saxonicum Winton. Ecclesiæ. *Obiit. IX. Cal. Martii.* Obituarium Eliense.

Pag. 57. Obitus Adami de Chillynden Electi Cant. post Bonifacium Archiepiscopum collocari debet paginâ sequenti.

Reg. Warham. *Pag.* 64. Thomas Wells, Episcopus Sidoniæ, Episcopus Suffraganeus Archiepiscopi Cant. ad munia Episcopalia in Diocesi Cant. obeunda, factus est Prior Ecclesiæ S. Gregorii Cant. anno circiter 1505. superfuit anno 1511.

Ibid. Richardus Martin, Episcopus ejusdem ante Thomam Wells Suffraganeus, Præfectus erât Cœnobii Minoritarum in urbe Cantuariâ. Testamento anno 1498. condito, plurima Cœnobio suo legavit. Nullum titulum obtinuit, *Episcopus Ecclesiæ Catholicæ* in Testamento suo appellatus.

Reg. Eccl. Cant.

P. 94, 95, 96. Quæ sæpiùs citatur Osberno inscripta Bregwini Vita debetur Johanni Tinmuthensi, qui illam ex uberiori ejusdem Vitâ per Eadmerum scriptâ contexuit; quod in secundâ hujus operis Parte pluribus docendum est.

P. 96. Lambertum Archiepiscopum anno 763. die 14. post hiemem mediam consecratum fuisse Annales Saxonici Cantuar. confirmant. Annales autem Sax. Petriburg. id anno 762. die 40. post mediam hiemem factum dicunt.

P. 97. Wlfredus die 21. Julii consecratus dicitur in libro (quem vidi) anonymo parum vetusto. Dies is in Dominicam incidit anno 804.

Ibid. Feolgeldus à Textu Roffensi & aliis quibusdam Suidredus nuncupatur.

P. 100. Fragmentum quoddam Historiæ vetustissimæ Abendoniensis in anno 940. terminatæ Episcopos tunc præsidentes in calce (Bedæ exemplo) enumerans, ista habet. *Wlfelmus Archiepiscopus Ecclesiæ Cantuariensi præsidet nunc.* Author proximè ante Episcopos enumeratos, Eadmundum Regem Ethelstano fratri anno 940. defuncto successisse retulerat. Ethelstanum autem anno 941. 27. Octobr. obiisse Chronologia Saxonica prodit, Florentius 940. 27. Octobr. feriâ 4. Indict. 14. Numerus Indictionis anno 940. feriæ 941. convenit. Veriorem tamen esse Florentii calculum censeo. Eadmundum enim 946. 26. Maii obiisse uterque concordat; *quinque annis septemque mensibus regni sui peractis*, inquit Florentius, ꝼeoꝼeþe healꝼ ȝeꞃ inquit Chronologia Saxonica; cujus calculus à vero abludit, veritati tamen propiùs accedet, si

ſi cum Florentio initia Eadmundi anno 940. ſtatuerit. Sic igitur tempora Athelmi, Wlfelmi & Odonis Archiepiſcoporum definienda eſſe arbitror. Athelmus intravit anno 923. vel ſequenti; obiit 927. vel 928. Wlfelmus ſucceſſit, & annis 13. Sedem tenuit, menſe Januario vel Februario anno 941. defunctus. Odo Wlfelmum excepit, & vivis exceſſit medio anno 958. Obitum ejus die IV. Non. Junii contigiſſe Textus Roffenſis tradit. Quod annos itaque 20. Odoni Hiſtorici plures tribuant, huc referendum eſt; quòd Elſini & Brithelmi tempora uſque ad Dunſtani introitum annumerârint. Illos enim inter Archiepiſcopos Cant. pauci recenſuerunt.

P. 103. Dunſtanum die 14. Cal. Junii obiiſſe, & Siricium Elfrico præceſſiſſe, Textus Roffenſis confirmat.

P. 105. Elfricus in Archiepiſcopum Cant. electus eſt anno 995. die Paſchæ (viz. 21. Aprilis) apud Ambresberi, fide Annalium Latino-Sax. MSS. Ante annum autem ſequentem intronizatus eſſe non videtur. Atque hinc factum puto, quòd in quamplurimis Chartis antiquis, anno 995. datis *Ælfricus electus ad Archiepiſcopatum Cant.* ſubſcribat.

P. 106. *Anno* 1019. *obiit Ælfſtanus Archiepiſcopus, Livingus cognominatus.* Sic Annales Petriburg. Sax. Rectiùs tamen alii annum 1020. ſtatuerunt.

Ibid. Anno 1020. *Ethelnothus Monachus, qui Decanus erat Eccleſiæ Chriſti Cant. conſecratus eſt Idibus Novembris. Anno* 1022. *Romam ivit, & Pallium à Papâ accepit Nonis Octobris. Anno* 1038. *obiit Calendis Novembr.* Iſta tradunt Annales Petriburg. Sax. In his autem malè Ethelnothus Monachus fuiſſe dicitur. Vereor ne & obitus perperam definitus fuerit. Refragantur enim Authores ſuperiùs adducti; & diem 30. Octobr. ſtatuerunt Annales potiores Latino-Saxonici *Domitian A.* 8.

Ibid. Anno 1043. *Edſio Archiepiſcopo infirmitate gravi debilitato, Edwardus Rex & Godwinus Comes, ab ipſo rogati, Siwardum Abbatem Abendonienſem clam acciverunt, aliis omnibus penitus inſciis, ne propoſitum impediretur; & illum Archiepiſcopo Coadjutorem dederunt. Siwardus obiit anno* 1050. *Eadſius* 1051, 29. *Octobr.* Sic Annales Petriburg. Sax. *Anno* 1047. *Siwardus Epiſcopus, Archiepiſcopi Vicarius, obiit. Poſt mortem ejus Edſius Archiepiſcopatum reſumpſit. Ipſe Edſius obiit* 1049. 29. *Octobr.* Sic Annales Latino-Sax. Iſta ſententiam noſtram de Siwardo prolatam abunde aſtruunt; de rerum autem ſingularum temporibus certiora ſupra attulimus.

P. 107. *Anno* 1051. *Robertus Archiepiſcopus Cant. rediit à Româ cum Pallio in Vigiliâ S. Petri, & in craſtino intronizatur.* Annales Latino-Sax. Eodem tamen anno, quo exulavit, viz. 1052. Robertum accepiſſe Pallium Annales Petriburg. Sax. tradunt.

Ibid. Referunt Annales Petriburg. Sax. Stigandum accepiſſe Pallium anno 1058. Datum illi à Benedicto Antipapâ (qui Papatum 1058. 5. April. iniit) Pallium fuiſſe conſtans eſt Hiſtoricorum noſtrorum traditio; ſi Radulphi Dicetenſis Indiculum atque alterum ad Chronologiæ Saxonicæ calcem excipias. In his enim Pallium à Victore Papâ tranſmiſſum dicitur. Rectiùs autem illi. Stigando enim, quando depoſitus eſt anno 1070. crimini datum eſt, Pallium à Benedicto Antipapâ recepiſſe.

P. 108. Lanfrancum die 5. Cal. Junii obiiſſe teſtatur Textus Roffenſis, f. 110.

P. 109. Anſelmus Pallium accepit 1095. 4. Id. Junii, teſte Eadmero. Obiit 1109. 11. Cal. Maii, atteſtante Textu Roffenſi.

Ibid. Radulphus, quem *de Turbine* Bromtonus cognominat, paralyſi in Normanniâ correptus, nunquam convaluit, ſed poſt biennium obiit 1122. 13. Cal. Nov. authore Orderico Vitali. Aſtipulantur Textus Roffenſis & Obituarium S. Auguſtini Cant.

Col. 1403. p. 873.

P. 110.

Bulla Callisti II. MS.

P. 110. Willelmus, quem *de Turbine* Bromtonus pariter cognominat, Pallium accepit 1123. 12. Cal. Junii. Hic Sedis Cant. autoritatem primus labefactavit, & Ecclesiæ Anglicanæ servitutem induxit. Nondum Papa Romanus jurisdictionem aliquam in Angliâ obtinuerat. Plurimum illi honoris atque reverentiæ, utpote primario Orbis Christiani Episcopo, fideique apud nos propagandæ authori, Angli semper detulerunt; nil autem potestatis permiserunt. Sæpiùs ab anno 1070. res Ecclesiasticas in Angliâ pro lubitu disponere Papæ tentaverant. Reges autem & Lanfrancus ac Radulphus Archiepiscopi summâ constantiâ repugnantes, eorum conatus irritos fecerant. Nondum aliquis ad Papam appellaverat, neque Legati à Papâ missi Synodos indixerant. Verè αὐτοκέφαλος Ecclesia Anglicana erat, in Temporalibus Regi, in Spiritualibus soli Archiepiscopo Cant. subjecta. Potestati Pontificiæ aditum primus fecit Willelmus, suscepto Legati Papalis titulo. Ex quo factum est, ut authoritas Archiepiscopi à Papâ promanare deinceps crederetur; quæque antecessores sui autoritate propriâ executi fuerant, iste alienâ exequeretur. Bullam Legationis ex antiquo admodum Bibliothecæ Lambethanæ Codice subnectendam esse duximus.

"Honorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus & filiis, "Episcopis, Abbatibus, Baronibus, & cæteris Clericis & Laicis per Angli-"am & Scotiam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Sponsa "Christi sacrosancta Ecclesia, in firmamento Apostolicæ fidei radicata, tan-"quam devota mater & propitia, consuevit mitibus & humilibus filiis vitæ "pabula ministrare, tam iis qui longè positi sunt quàm iis qui propè. Pro-"pinqui siquidem per exhibitam sibi nostræ personæ præsentiam, longinqui "verò per Legatorum nostrorum ministerium visitantur. Quùm *igitur vos* "*tanquam unicos & speciales B. Petri filios fore* cognoscimus, Karissimo "fratri nostro Guillelmo Cant. Archiepiscopo in Angliâ & Scotiâ vices no-"stras commisimus. Quatinus constitutus illic à nobis Apostolicæ Sedis Le-"gatus, caritatis vestræ fretus auxilio, ad honorem Dei & S. Romanæ Ec-"clesiæ, & animarum vestrarum salutem, corrigenda corrigere, & firmanda "valeat operante Domino confirmare. Quapropter Universitati vestræ man-"dando præcipimus; ut ei sicut Legato nostro humiliter obedire, & cùm ab "eo invitati pro Ecclesiarum statu & Christianæ Religionis incremento fue-"ritis, ad ejus vocationem unanimiter convenire, & Sinodales cum eo stu-"deatis celebrare Conventus. Dat. Laterani VIII. Cal. Februarii.

Ab hoc tempore Archiepiscopus Cantuariensis Sedis Romanæ mancipium factum, Ecclesiæ suæ dignitatem perdidit: quod Willelmus brevi expertus est. Ante exitum enim ejusdem anni Johannes Cremensis S. R. E. Cardinalis à Papâ in Angliam missus, Concilium Londini habendum indixit, & in eodem præsedit, Archiepiscopo ad inferius subsellium deturbato; cùm Legatus ordinarius Legato à latere locum cedere deberet. Anno autem 1131. Innocentius II. Papa Legationem â Willelmo abstulit, & Henrico Wintoniensi Episcopo commisit, Bullâ datâ 1131. 1. Martii. Hac potestate fretus Henricus integram authoritatem Archiepiscopalem arripuit, Episcopos confirmavit & consecravit, appellationes accepit, Synodos convocavit, convocatis præfuit, causas majores definivit, atque ipsum Archiepiscopum citavit & tribunali suo subjecit. Mortuo quidem Innocentio Papâ Henrici potestas interiit; neve eam Lucius II. Papa renovaret, Theobaldus Archiepiscopus effecit. Ipsi autem Archiepiscopi ad Papæ nutum deinceps spectare coacti, tandem immensâ pecuniæ vi tanquam eximii beneficii loco obtinuerunt, ut Papæ Legati nati in Angliâ constituerentur. Sic unius Archiepiscopi stultitiâ Ecclesiæ Anglicanæ libertas periit; quæ post difficilem quadringentorum annorum luctam ægrè restitui potuit.

Malmsbur. hist. Novell. l. 2. f. 103.

Jo. Hagustald. p. 273.

Ibid.

Ibid. Post Willelmi Archiepiscopi obitum anno 1136. *Henricus frater Stephani Regis ad regendam Metropolin electus est. Sed quia Episcopus secundùm decreta Canonum de propriâ Sede ad aliam nisi auctoritate Romani Pontificis promoveri nequit; præfatus Præsul Wintoniensis in Adventu Domini mare transfretavit, & Legatis Picenum ad Innocentium Papam missis, in Neustriâ ipse hiemavit.* Sic Ordericus Vitalis Hist. Eccl. p. 908.

Ibid. Theobaldo Archiepiscopo præsidente, maximam autoritatis jacturam Sedes Cantuariensis fecit. Anno enim 1151. *Eugenius Papa Johannem S. R. E. Cardinalem Presbyterum destinavit Legatum in Hiberniam cum quatuor Palliis; quorum unum dedit Episcopo Dublinensi, & reliqua tria tribus aliis Episcopis, subjiciens unicuique eorum qui Pallia acceperunt quinque alios Episcopos. Et hoc factum est contra consuetudinem antiquorum & dignitatem Cant. Ecclesiæ, à qua solebant Episcopi Hiberniæ expetere & accipere consecrationem.* Ex Chronico Normannorum, p. 986.

P. 111. Thomas Cancellarius Regis factus anno 1157. munus abdicavit, quamprimùm Archiepiscopatum adeptus est, viz. anno 1162. Hoveden f. 281. Westm. in 1162.

P. 114. Hubertus summus Angliæ Justiciarius anno 1194. renunciatus est. Anno 1198. Monachi Cant. ipsi adversantes ab Innocentio Papâ impetrârunt, ut munus sæculare deponere Archiepiscopo mandaret. Quo facto, Galfridus filius Petri successit. Anno autem sequenti Cancellarius factus Archiepiscopus munus id (quod magis Ecclesiasticum videbatur) diu administravit. Pallium apud Cantuarium accepit 1193. 7. Id. Novembr. Sedit annos 11. menses 8. dies 6. prout habet Certificatio Capituli Cant. apud Historiam Roff. Willelmi Dene f. 73.

Hoveden. Paris & Westm.

Ibid. Stephanus Archiepiscopus S. R. E. Cardinalis Presbyter anno 1213. mense Decembri creatus, Cardinalatum usque ad obitum retinuit. Numeratur enim inter Cardinales viventes eo tempore quo Gregorius IX. electus est, sc. anno 1227. *Ex Onuphrio p.* 138. 142.

P. 116. Chronicon Dovorense, cui magis accedo, Bonifacium Archiepiscopum apud Lugdunum anno 1245. die S. Mauri Abbatis, viz. 15. Januarii, consecratum fuisse refert.

Ibid. Johannes Peckham consecratus est 1279. 19. Febr. Temporalia à Rege accepit apud Ambianos in Festo Pentecostes. Intronizatus est in Ecclesia Cant. 1279 8. Octobr. Intronizatio ipsi constitit duobus millibus marcarum. Quatuor millia marcarum in Curiâ Romanâ, cùm ad Archiepiscopatum promoveretur, expendit; & plusquam duo millia marcarum reparationi ædium & maneriorum Archiepiscopatûs impenderat ante exitum anni 1284. quamvis antecessor ejus Robertus ablatis secum ex Angliâ quinque millibus marcarum de bonis Cant. Ecclesiæ, Sedem insigniter depauperaverit. Ista docet Registrum *Peckham*. In Certificatione Capituli Cant. apud Willelmum Dene f. 73. Johannes 1292. 8. Id. Decembr. obiisse dicitur.

P. 117. Robertus Archiepiscopus ab officio & beneficio suspensus est à Papâ 1306. 12. Febr. ab eodem in integrum restitutus 1308. 22. Jan. Spiritualium interim & Temporalium Sedis Cant. administrationem Willelmo Testæ Archidiacono Aravensi & Petro Analnini Canonico Burdegalensi, suis in Angliâ Quæstoribus, Papa commisit. Obiit Robertus 1313. 5. Id. Maii, horâ vesperarum, die Veneris, apud Otteford; sepultus in Ecclesiâ Cant. 10. Cal. Junii. *Registr. Ecclesiæ. Cant.*

P. 118. Simon Mepham electus est 1327. 3. Id. Dec. electioni consensit apud Cicestriam 12. Cal. Jan. Rex assensum adhibuit apud Lichfeldiam 1328. 2 Jan. Electus iter ineuns versùs Curiam Romanam pro confirmatione, tranfretavit apud Dovoram die 17 Januarii. Confirmatus est à Johanne XXII. Papâ 1328. 27. Maii, consecratus à Petro Episcopo Prænestino apud Avinionem in Ecclesiâ

Fratrum Prædicatorum die 5 Junii, & quarto pòst die Pallium accepit. Redeuns applicuit apud Dovoram die 5. Sept. Temporalia accepit à Rege apud Linnam die 19 Sept. Intronizatus est 1329. 11. Cal. Febr. *Registrum aliud Eccl. Christi Cant.*

Ibid. Johannem Stratford *Papa providit de Archiepiscopatu Cant.* 1333. 1. *Decembr. non virtute postulationis Capituli Cant. sed proprio suo motu.* Ita habet Adamus Merimuth in Continuatione Florilegi. Veriorem tamen esse Registri Cant. calculum nequaquam dubito. De Cancellariatu & Thesaurariatu istius Archiepiscopi vide supra, p. 317.

Dugdal. Orig. Jur. Reg. Rad. de Salopiâ Well.

Ibid. Johannes de Offord, summus Angliæ Cancellarius creatus, magnum Sigillum accepit 1345. 26. Octobr. Canonicus Wellensis admissus est 1347. 26. Febr. In Missâ Benefactorum Academiæ Cantabrig. orabant pro Magistro de Offord Cantuariensi Electo: ut illum studiis apud Cantabrigiam incubuisse neutiquam sit dubitandum. Alium tamen fuisse Johannem cognominem, Comitis Suffolciani filium, opinor. In Registro enim *Langham* ad annum 1366. sic legitur *Johannes de Vfford, filius Comitis Suffolciæ, Inceptor in facultate Artium, in Studio generali Cantebrigiæ, ut Scolaris moram trahens ibidem, obtinet Ecclesiam de Hengham in Diocesi Norwicensi, & Præbendam de Sleford in Ecclesiâ Lincolniensi.*

Reg. Norwic.

P. 119. Simon Islip Archidiaconus de Stow erat anno 1332. Vicarius generalis Episcopi Lincolniensis 1337. Canonicus & Officialis Lincolniensis 1338. Ex Academiâ Cantabrigiensi prodiisse videtur. In Missâ enim Benefactorum ejus commemoratur. Intronizatus est in Ecclesia Cant. 1350. 1. Augusti. Obiit 1366. 26 April. die Dominicâ, sepultus die Veneris sequenti, juxta Chronicon breve Cœnobii de Hales.

Wil. Dene.

Ibid. Simon Langham, Cardinalis Presbyter titulo S. Xysti ab Urbano V. creatus est 1368. 21. Sept. juxta Onuphrium, die 23. Sept. juxta Birchingtonum in Historiâ MS. *de Pontificibus Romanis.* Obiit apud Avinionem 1376. 22. Julii, ex Onuphrii fide. Ossa postmodum in Angliam delata, & apud Westmonasterium sepulta esse dicuntur.

Jocelin p. 252.

P. 120. Simonem Langham post Willelmi obitum à Monachis iterum electum fuisse plura monumenta confirmant. Sic enim Chronicon insigne *Eulogium* dictum. *Anno* 1374. *Simon Langham, Cardinalis S. Praxedis, venit in Angliam nuncius Papæ; & citò pòst Papa & Cardinales ipsum per literas graviter reprehendebant, pro eo quòd ipse derogando præeminentiæ suæ & Curiæ Romanæ suum deposuit caputium Regi Angliæ. Qui non potuit excusare, quousque rediret, & testimonio sufficienti ostenderet, quòd non nisi medietatem caputii deponebat. In redeundo autem singulis Monachis Cantuariensibus dabat aurum. Paulò post reditum defuncto Willelmo Archiepiscopo, ipsum Monachi in Archiepiscopum elegerunt. Sed reclamante Rege, electioni suæ renunciare coactus est.* Paria habet Monachus Eveshamensis in Continuatione MS. Polychronici. *Anno* 1374. 5. *die mensis Julii* (rectiùs die 5. Junii, die Lunæ; id enim testatur ipsius *Witlesey* Registrum) *obiit Willelmus Witlesheye Archiepiscopus Cant. Unde Monachi Ecclesiæ Christi Cant. ad eligendum licentiam Regis adepti, Cardinalem Angliæ, qui priùs dictæ Ecclesiæ præsidebat, in Archiepiscopum postulârunt. Propter quod factum Rex contra prædictos Monachos tantâ exarsit in irâ; quòd procurantibus æmulis omnes Monachos dictæ Ecclesiæ disposuit exlegâsse. Hinc plurimùm erant vexati, & multa bona expenderunt; antequam super illo facto benevolentiam Regis recuperarent. Tandem Rex postulationi factæ de Cardinali nullo modo voluit consentire; sed nec Papa, nec Cardinales.* Willelmus intronizatus fuerat 1369. 15. Junii. Obiit apud apud Lametham 1374. 5 Junii die Lunæ. Electus est Simon Episcopus Prænestinus S. R. E. Cardinalis in Archiepiscopum 1374. 30 Junii. *Ex Registro Ecclesiæ Cant.*

Galba E. 7.

P. 121. Simon Sudbury Cancellarius Angliæ factus est 1380. 30. Januarii. Obitum illius 1381. 14. Junii contigisse Registrum Ecclesiæ Cant. confirmat.

Ibid.

4

Ibid. Willelmus Courtney electus est 1381. 30. Julii. Obiit 1396. 31. Julii in manerio de Maydenston; sepultus in Ecclesiâ Cant. die 4 Augusti ex præcepto Regis apud Cantuariam tunc existentis. Ista prodit Registrum Ecclesiæ Cant. Ultima itaque ipsius voluntas, quâ apud Maydenston sepeliri voluit, effectum sortita non est. In testamento antea condito corpus suum in Ecclesiâ Exoniensi coram summâ Cruce sepeliendum legaverat; multa itidem Ecclesiæ S. Martini de Exmynster, ubi se natum dicit, donaverat.

Ibid. Thomas Arundell electus est 1396. 7. Augusti, side Registri Ecclesiæ Cant. Anno sequenti sententiâ Parlamenti bonis exutus & perpetuo exilio damnatus die 15. Sept. ex Angliâ fugit. Eundem anno 1398. sub initium Februarii Bonifacius Papa ab Archiepiscopatu Cant. ad Santandreanum in Scotiâ invitum transtulit; & Rogerum Walden Archiepiscopum Cant. renunciavit. Translationi Thomas minimè acquievit; sed Ricardo Rege post medium annum 1399. exauthorato, Archiepiscopatum recepit. Qua de re vide plura in Rogero Walden apud Episcopos Londinenses. Anno 1407. die 30. Januarii Thomas summus Angliæ Cancellarius constitutus est. Id officium anno 1410. mense Januario dimisit. Moriens in supremis tabulis legavit 6008. lib. 12. sol. 7. den.

Contin. Hig. deni.

Dugdal. Orig. Jurid.

Reg. Eccl. Cant.

P. 122. Registrum quoddam Ecclesiæ Cant. Henricum Chichley 1443. 12. Martii obiisse perperam refert.

P. 123. Johannes Kemp Cancellariatum Angliæ 1450. 31. Jan. obtinuit, neque ante obitum dimisit. Moriens reliquit 4069. lib. 18. sol. 8. den.

Reg. Eccl. Cant.

Ibid. Post Johannis Archiepiscopi obitum Rex licentiam eligendi Monachis Cant. dedit 1454. 8. April. Thomas electus est eodem mense. Cancellarius Angliæ creatus est 1455. 7. Martii; eo munere exauthoratus anno sequenti, sigillum Regi tradidit 1456. 11. Octobr. Pesbyter Cardinalis titulo S. Cyriaci in Thermis à Paulo II. Papâ renuntiatus est 1465. 18. Sept. Testamentum condidit 1486. 27. Martii. Corpus in Ecclesiâ Cant. in choro ex parte boreali magni altaris sepeliri voluit. Ecclesiæ Cant. legavit imaginem S. Trinitatis de puro auro conflatam, & multas gemmas, successori suo in dilapidationum compensationem 2000. libras, Ecclesiæ Wigorn. imaginem B. Mariæ de argento deaurato fabricatam valoris 69. librarum, Ecclesiæ Eliensi 200. marcas, innumera ferè plurimis Monasteriis & Ecclesiis, centum libras Universitati Oxon. ac totidem Cantabrigiensi, pauperibus Scholaribus gratis commodandas, & in hunc finem in cistâ peculiari asservandas. Obiit in Palatio Archiepiscopali apud Knoll 1486. 30. Martii die Jovis. Pecuniam sibi legatam Academia Cantabrig. post annos ferè 30. ægrè obtinuit.

Id.

Clauf. 35. H. 6. m. 10. dorso. Reg. Eccl. Cant.

Onuphrius p. 315.

Ibid. Johannes Morton Cancellarius Regis constitutus 1487. 8. Augusti, id muneris usque ad obitum gessit. Cardinalis titulo S. Anastasii ab Alexandro VI. Papâ creatus est 1493. 20. Septembris. Obiit apud Knoll 1500. 15. Sept. die Martis. In supremis tabulis corpus in Ecclesiâ Cant. coram imagine B. Virginis tumulari jussit. Ecclesiæ Eliensi crucem pretiosam & mitram argenteam deauratam legavit. In Ecclesiâ etiam de Beer in Comitatu Dorsetensi (ubi natus est) Cantariam pro 20. annis fundari voluit. Exhibitiones itidem lautas 20. pauperibus Scolaribus in Academiâ Oxon. & 10. in Academiâ Cantabr. ad 20. annos post mortem suam dari jussit.

Dugdal. p. 74.

Onuphrius p. 333. Reg. Eccl. Cant.

P. 124. Henricus Dene, veriùs Denny, electus est 1501. 26. April. provisus ab Alexandro VI. Papâ 1501. 26. Maii. Obiit 1503. 16. Febr. Corpus in Ecclesiâ Cant. in martyrio S. Thomæ sepeliri præcepit. Cancellariatum Angliæ 1500. 13. Octobr. adierat, nec ante obitum dereliquit.

Reg. Eccl.

Dugdal. p. 76.

Ibid. Willelmus Warham Henrico in Cancellariatu pariter ac Archiepiscopatu successit. Cancellarius esse desiit anno 1515. mense Decembri.

Id. p. 80.

Ibid. In fine Dissertationis addantur ista. THOMAS CRANMER, Archidiaconus Tauntonensis, provisus est à Clemente VI. Papâ 1533. 21. Febr.

Reg. Cranmer. f. 1. 3. 5.

Pallium à Papâ transmissum est die 3. Martii sequentis. Consecratus est in Capellâ S. Stephani in Palatio Regio Westmonasteriensi à Johanne Lincolniensi, Johanne Exoniensi & Henrico Asaphensi Episcopis 1533. 30. Martii. Antequam consecrationem acciperet, protestatus est ibidem, protestatione penès Notarium publicum depositâ, se juramento fidelitatis Papæ faciendo astringi nolle, quo minùs faceret quicquid Deo vel Regi vel Ecclesiæ deberet.

P. 127. l. 19. De Elfrici Archiepiscopi Cant. doctrinâ insigne testimonium Annales Latino-Saxonici exhibent his verbis. *Iste vir fuit prudens valde; ita ut illo in tempore nullus sapientior haberetur in Angliâ.*

P. 130. *l.* 39. Primam Chronologiæ Saxonicæ partem in anno 975. terminari confirmat Codex optimus Cottonianus *Tiberius A.* 6. qui in ipso hoc anno clauditur.

P. 135. Nescio annon fidem mereatur Registrum quoddam Ecclesiæ Cant. quod de antiquo Ecclesiæ Cant. statu ista habet. *Anno* 598. *S. Augustinus dedicavit Ecclesiam Christi Cant. & ibidem Monachos instituit. Anno* 829. *omnes Monachi Cant. præter quinque mortui sunt. Anno* 870. *mortuus est Chelnothus Archiepiscopus Cant. qui introduxit Clericos Ecclesiæ Christi Cant. in adjutorium quinque Monachorum superviventium post mortalitatem antedictam. Sed Edelredus successor ejus expulit eosdem ab Ecclesia Christi, & complevit numerum Monachorum.* De Clericis ex Ecclesiâ Cant. paulò post annum 1000. ab Alfrico Archiepiscopo ejectis prolixa satis narratio extat in Annalibus Latino-Saxonicis *Domitian A.* 8. Eam autem charactere præ vetustate fatiscente perlegere non potui. Id solum deprehendi, quòd Elfricus ad Archipeiscopatum promotus, *ubi Doroberniam venisset, receptus est à tali ordine Clericorum, à quo minùs vellet. Cogitavit igitur multum secum tractans, quali modo posset ejicere Clericos.* Missis demum ad Papam nunciis, & authoritate Papali adhibitâ, Clericos ejecit, Monachos induxit 5. Idus Junii.

Ibid. Decanis adjungendi sunt *Ægelricus*, qui ad Episcopatum Cicestrensem anno 1058. electus, Godrico locum dedit. *Godricus* Romam à Stigando Archiepiscopo legatus, Pallium ipsi à Benedicto Antipapâ transmissum detulit. *Elfwinus*, qui in Obituario Cant. vetustiori die 5. Id. Martii obiisse memoratur. *Ælfwinus* alter 2. Id. Decembr. obiisse ibidem dicitur. Is itaque non alius ab Alsino fuit.

Ibid. l. 16. Argumentum à Decani titulo ductum nimis leve est. Postea enim didici Decani titulum Ecclesiarum Cathedralium Prioribus ad medium usque Sæculum duodecimum aliquoties concessum fuisse. *Henricus* itaque Decanorum ante-Normannicorum Catalogo eximendus est.

P. 136. Henricum ex Priore Cantuariensi Abbatem S. Martini de Bello factum fuisse mihi demum certissimè constitit. Id testantur Ordericus Vitalis & Chronicon vetustum Cœnobii de Bello. Abbas à Willelmo II. Rege anno 1096. creatus est, suadente Anselmo Archiepiscopo, installatus die 11. Junii. Obiit 1102. 14. Cal. Julii. Quinimo Henrici obitum in Obituario Cantuariensi postea inveni. *XIV. Cal. Julii obiit piæ memoriæ Henricus Abbas de Bello.*

Hist. Eccl. p. 505.

Ibid. De Conrado ista habet Johannes de Oxenedes in Chronico S. Benedicti de Hulmo. *Conradus, Sacrista Ecclesiæ Cant. & Henrici Regis Confessor, Abbas S. Benedicti de Hulmo factus, Abbatiam rexit hebdomadibus XVIII. & obiit anno MCXXVII. XIII. Cal. Martii.* Prioratum itaque Cantuariensem Conradus anno 1126. dereliquit.

P. 137. De Gaufrido Priore frequens mentio mihi postea occurrit. Chartam enim Radulphi Archiepiscopi Monachis Roffensibus datam inter alios confirmant *Herewisus Archidiaconus Cant. Gaufridus Prior, Eadmerus Monachus Cant.* in Textu Roffensi f. 180. Obitum ejus tribus locis commemorat Obituarium

tuarium Cantuariense.. Sic enim ad V. Idus Junii habet. *Obiit Dominus Godfridus, Abbas de Dunfermelyn, quondam Monachus Ecclesiæ nostræ.* Sic etiam ad II. Id. Octobr. & III. Non. Octobr. Eundem Obituarium Cant. vetustius sic memorat. *II. Id. Octobr. obiit Gaufridus Abbas de Dunfermelin.* Illum anno 1154. obiisse Chronicon S. Crucis Edinburg. docet. Nero c. 9.

Ibid. Elmeri obitus in Obituario S. Augustini Cant. sic notatur. *XVII. Cal. Junii obiit Ælmerus Prior Ecclesiæ Christi Cant.*

P. 138. Exulante S. Thomâ Prioratus per Wiberti obitum vacavit. Monachi tunc Cantuarienses Archiepiscopo inconsulto Priorem sibi dari à Rege postulârunt. Regis itaque beneficio Odo Prioratum accepisse videtur. Monachorum levitatem Johannes Sarisburiensis in Epistolâ quadam (quæ inter S. Thomæ Epistolas reperitur) acriter castigat, his inter alia verbis usus. *Multi dicunt, quòd Monachi Cant. hoc quasi hæreditarium habent, ut Archiepiscopos suos odirent. Et ut verbo faciam fidem, Anselmo, inquiunt, bis pro justitiâ exulanti nichil unquam solatii contulerunt; contempserunt Radulphum, oderunt Willelmum, Theobaldo tetenderunt insidias; & ecce nunc Thomam gratis insatiabiliter persequuntur.* Odo ad Abbatiam de Bello medio anno 1175. electus, installatus est die 4. Augusti. Obitum ejus die 12. Cal. Febr. Obituarium S. Augustini Cant. reponit. L. 1. ep. 36. Hist. de Bello.

Ibid. Alanus Abbas Theokesbiriæ factus est anno 1187. juxta Annales Teokesbir. & Winchelcumb. 1186. juxta Gervasium & Annales Waverleienses. Obiit 1202. Nonis Maii, fide Annalium Teokesbir. Annis autem 18. hebdomadibus 25. in alio Chronico Teokesbir. præfuisse dicitur.

P. 139. Galfridi Prioris obitum in Cantuariensi prætermissum Obituarium Cœnobii de Crokesden exhibet. *XVII. Cal. Julii obiit Galfridus Prior Ecclesiæ Christi Cant.*

Ibid. Dubium mihi adhuc manet, utrùm Johannes de Sittingburn Waltero III. Priori præcesserit anne successerit. In Historiâ enim Thomæ Cawston de Monachis Cant. Johannes de Sydynborne Prioratum anno 1207. tenuisse dicitur. Contra Annales Lewenses sic habent. *Anno 1222. obiit Walterus Prior S. Trinitatis Cant. successit M. Johannes de Sidingeburne.* Horum Annalium fides Thomæ Cawston Historiæ anteponi debet. Illi enim circa annum 1260. ista autem circa 1486. scripti sunt. Waltero III. itaque præponendus est Johannes alter, quem de Chetham cognominatum esse arbitramur, subjiciendus Johannes de Sittingburn. Atque is erat, quem in Archiepiscopum Cant. Monachi post Stephani Langton obitum elegerunt. Electum Rex confirmavit 1332. 22 Maii. Hunc ex corrupto Parisii loco Subpriorem fuisse nonnulli scripserunt. Idem autem Parisius illum alibi Priorem bis appellat. Pat. 16. H. 3. m. 7. P. 361, 362.

P. 140. Nicolaus de Sandwico electus est 1244. 1. Novembr. Prioratum abdicavit anno 1258. Præcentor Ecclesiæ Cant. à Bonifacio Archiepiscopo factus est 1262. Obiit 1289. 13. Cal. Octobr. Supra p. 175. Chron. Dovor. Tho. Cawston.

Ibid. Nicolao anno 1258. cedenti successit Rogerus de S. Elphego, atque obiit 1263. 29. Sept. Chron. Dovor.

Ibid. Bonifacio Archiepiscopo in exteris agente tempore obitûs Rogeri Prioris, Monachi Cant. ad Priorem eligendum convenientes, suffragia sua sigillo communi obserata ipsi transmiserunt. Quibus acceptis, Archiepiscopus Adamum Priorem apud Ambianos renunciavit 1264. 24. Januarii. Decretum Bonifacii autographum in Archivis Lambethanis asservatur.

P. 141. Thomas de Ryngmere, Ordine demum Cisterciensi relicto, vitam eremiticam duxit, licentiâ Archiepiscopi ad id impetratâ anno 1305. Reg. Winchelse.

Ibid. Henricus de Estria *obiit anno 1331. post Pascha; vir strenuus & pius, qui religiosam vitam duxit usque in finem perseverando, & ideo pio fine requievit.* Verba sunt Willelmi Dene in Historiâ Roffensi.

P. 142.

P. 142. Simon Archiepiscopus in Capitulo Ecclesiæ Cant. præsens Ricardo de Oxinden à Monachis die hesterno inter alios plures nominato Prioratum contulit 1331. 26. April. teste Registro *Mepham* inter Collectanea Doctoris Yale.

Ibid. Ricardi Gillingham Prioris obitus Archiepiscopo nunciatus est apud Cranbrok 1376. 31. Julii, teste Registro *Sudbury*.

Ibid. Stephanus Mongeham electus est 1376. 10. Sept. obiit 1377. mense Junio. Ex eodem Registro.

Ibid. Johannes Finch electus est 1377. 25. Julii, obiit 1391. 25. Januarii. Ex Registris *Sudbury, Courtney*, & Ecclesiæ Cant.

Ibid. Thomas Chillinden, discipulus Johannis Wodnysbergh successoris sui, electus est 1391. 14. Febr. Ex Registris *Courtney* & *Molash*.

P. 143. Johannes Woodnesbergh, *obiit anno* 1427. (exeunte) *die Sabbati, penultimo die mensis Februarii, literâ Dominicali C. anno bissextili, circa horam tertiam post mediam noctem in camerâ suâ vocatâ* Le Gloriet ; *qui honorificè Prioratum dictæ Ecclesiæ magnis sumptibus & expensis rexit 16. annis, 6. mensibus & 9. diebus.* Sic habet Registrum *Molash*. Henricus Sutton tunc erat Subprior Ecclesiæ, & alter Johannes Wodnysbergh Custos Collegii Cantuariensis in Academiâ Oxoniensi.

Reg. Molash. Tho. Cawston. *P.* 144. Willelmus Molash electus est 1428. 31. Martii, feriâ 4. proximâ ante Cœnam Domini, installatus die 2. Aprilis, anno Monachatûs sui tricesimo.

Reg. Molash. Reg. Eccl. Cant. *Ibid.* Johannes Sarisbury, Custos Collegii Cantuariensis apud Oxoniam anno 1428. constitutus, Prior Ecclesiæ. Cant. electus est 1438. 6. Martii. *Obiit ineunte anno* 1446. *paulò post diem* 25. Martii ; si Registro *Stafford* fides.

Ibid. Johannes Elham electus est 1446. 13. April. obiit 1449. 20. Febr. fide Registri *Stafford*.

Ibid. Thomas Goldston Electus est 1449. 9. April. Ex Registro *Stafford*.

P. 150. Nullos fuisse ante Lanfranci tempora Archidiaconos Cantuarienses Fragmentum à nobis editum tradit. Florentius tamen & Florilegus Almarum Archidiaconum Cant. urbem Cantuariam Danis anno 1011. prodidisse referunt ; & Hamonem quendam Edwardo Confessore imperante Archidiaconum fuisse Harpsfeildius scribit. (Hist. Eccl. Angl. p. 242.) Archidiaconos sanè in Ecclesiâ Cant. hoc tempore fuisse non malè perhiberi potest. Primus autem Lanfrancus jurisdictionem & redditus insignes, quibus postea potiti sunt, ab Episcopis S. Martini detractam illis contulit. Ex his Episcopis unicus mihi occurrit Godwinus ; quem Annales Petriburg. Sax. anno 1061. obiisse testantur ; ejusdemque obitum Obituarium S. Augustini Cant. sic memorat : *VII. Id. Martii obiit Godwinus Episcopus S. Martini.* Post Lanfranci institutionem præclara erat Archidiaconi Cant. dignitas & authoritas ; adeò ut Synodo Londinensi Anschitillus Archidiaconus Cant. anno 1075. interfuerit, (Concil. Angl. tom. 2.) & ante omnes Abbates proximo post Episcopos loco subscripserit. Archidiaconorum Cantuariensium successionem dabunt Harpsfeildius (ipse Archidiaconus Cant.) in *Historiâ Eccl. Angl.* & Somnerus in *Antiquitatibus Cantuar.*

P. 159. *l.* 14. Rectè MLXVIII. pro MXLVIII. legendum esse conjicitur. Bellum enim in Bleodunâ anno 1068. gestum esse Annales Theokesbir. testantur.

Ad Historiam Sedis Wintoniensis.

P. 195. Nomina Episcoporum Wintoniensium Saxonicè sic legenda sunt ex Textu Roffensi & aliis. *Danihel, Humfrith, Cyneheard, Æthelheard, Ecgbald, Dudd, Cynebriht, Ealhmund, Wigthegin, Herferth, Eadhun, Helmstan,*

stan, Suithum, Ealhferth, Tumberht, Denewlph, Frithestan, Byrnstan, Ælfheah, Ælfsige, Ædhelwold, Ælfheah. Ex his Wygbryght sive Wigthegin Monachus Glastoniensis fuisse & anno 836. obiisse dicitur in Historiâ Glastoniensi apud Monasticon. Hujus autem Historiæ Chronologiam ubique ferè falsam esse deprehendi. Majore fide digni sunt Annales Petriburg. Sax. qui eundem (Episcopum tunc Wintoniensem) anno 812. Romam in comitatu Wlfredi Archiepiscopi profectum fuisse referunt.

Tom. 1. p. 8

P. 210. Frithestanus Episcopus die 10. Septembris obiit, teste Calendario Ecclesiæ Wintoniensis vetusto. De ordinatione septem Episcoporum à Plegmundo factâ vide certiora supra, p. 554.

P. 214. *lin. ult.* De Athelstani Regis obitu vide certiora in additamentis ad pag. 100.

P. 226. Kenulphum anno 1006. obiisse Annales Petriburg. Saxon. confirmant.

P 227. Alsinus Episcopus Saxonicè Ælfsige nuncupatur. Obitum ejus Annales Petriburg. Sax. sic exprimunt. *Anno* 1032. *Ælfsige Episcopus Winton. obiit; cui successit Ælfwine Regis Capellanus.*

P. 235. Alwyni Episcopi obitum Annales Petriburg. Sax. notant. *Anno* 1048. (rectiùs 1047.) *Ælfwine Episcopus Winton. obiit* 4. *Cal. Septembr.* Sic etiam Obituarium S. Augustini Cant. *IV. Cal. Septembr. obiit Ælwinus Episcopus Wintoniensis.*

P. 278. Willelmum Giffard Annales Petriburg. Sax. 1129. 8. Cal. Febr. defunctum esse confirmant. Die autem 10. Cal. Febr. obitum ejus contigisse Annales Winchelcumbenses & vetustum Ecclesiæ Winton. Calendarium tradunt.

P. 301. Ricardus Episcopus *de Ivelcestriâ* passim cognominatur in Epistolis S. Thomæ, adversùs quem pro Rege Henrico strenuè decertavit; quo nomine ab Archiepiscopo excommunicatus est anno 1169.

Ibid. l. 1. Ep. 138.

P. 302. Godefridum die 11. Septembr. obiisse confirmant Annales Prioratûs de Suthwerk.

P. 305. Petrus de Rupibus, *de Roches* in libro Taxationis Winton. dictus, consecratus est 1205. 7. Cal. Octobr. obiit apud Farnham 1238. 5. Id. Junii, fide Annalium de Suthwerk. De Ricardi Mariscani electione vide certiora supra in Historiâ Episcoporum Dunelm. p. 732.

P. 311. Johannes Episcopus in Libro Taxat. Winton. appellatur Johannes Gervais de Exoniâ. Erat sc. Gervasii filius. Hinc deceptus Godwinus illum de Gernsey cognomen traxisse scribit.

P. 315. Robertus Bathon. Episcopus in Episcopum Winton. à Monachis postulatus est 1280. 21. Martii, teste Chronico Wigorniensi. Johannes de Pontoys autem consecratus est apud Urbem-Veterem per Ostiensem & Velletrensem Episcopos anno 1282. tradente Registro Wintoniensi.

P. 316. Rigaudus de Asserio Temporalia accepit à Rege 1320. 16. April. renunciato priùs in scriptis omni jure, quod prætextu Provisionis Papalis in Temporalia Episcopatûs habere posset, seque illa ex solâ Regis liberalitate accipere protestatus. Ex instrumento autographo.

Ibid. Johannis de Stratford successionem Stephani Birchingtoni (in Historiâ MS. de Pontif. Rom.) verbis dabo. *Anno* MCCCXXI. *vacavit Ecclesia Wintoniensis per mortem Rigaldi de Asserio in Romanâ Curiâ decedentis die XI. Aprilis. Cui Episcopatui Papa providit de M. Johanne de Stratford L. D. Archidiacono Lincolniensi, in Romanâ Curiâ tunc præsente, contra Scotos per Regem Angliæ destinato. De qua quidem Provisione Apostolicâ Rex Angliæ fuit graviter offensus, pro eo quòd ipse Rex Papæ pro M. Roberto de Baldok Cancellario suo scripserat pro dicto Episcopatu conferendo. Sed literæ regiæ ad Curiam Romanam venerant nimis tardè. Et * quia idem novus Winton. Episcopus de Curiâ recesserat;*

* l. quum.

rat; statim in adventu suo in Angliam Rex fecit eum citari per Brevia sua ad respondendum sibi de contemptu; & per biennium & ampliùs sic vexavit eundem, antequam gratiam Regis habere poterat vel sui Temporalia Episcopatûs.

P. 317. Adamus Episcopus apud Farnham obiit anno 1345. omnino cæcus, authore eodem Birchingtono.

Ibid. Willelmus de Edyndon consecratus est apud Otteford 1346. 14. Maii, præsentibus Radulpho Londinensi & Roberto Cicestrensi Episcopis, teste eodem. Willelmus in Missâ Benefactorum Academiæ Cantabrigiensis commemoratur.

P. 281. *P.* 318. Tempus Cardinalatûs Henrico Episcopo donati ex Onuphrii Catalogo accepimus. Cardinalitias infulas Henricus apud Calesiam 1427. 2. Febr. induisse dicitur in Chronico MS. Caxtoni, die 25. Martii in Chronico ejusdem vulgato. Dignitatem Cardinalitiam à Martino V. Papâ ante 8. annos impetraverat in Concilio Constantiensi. AdConcilium siquidem venit 1417. 31. Octobr. Mense sequenti Martinus Papa electus est. Die 28. Decembris Martinus editâ in Concilio Bullâ Henricum tunc præsentem Cardinalem renunciavit (nullo tamen assignato titulo) & Legatum suum in Angliâ, Walliâ & Hiberniâ constituit; seque creationem tempore opportuno publicaturum & insignia Cardinalitia ipsi missurum esse in eâdem promisit. Extat ea inter Epistolas Bekintoni. Henricus autem Archiepiscopus Cant. scriptâ ad Regem egregiâ Epistolâ (quæ apud Arthurum Duck in *Vitâ Chichleii* prostat) injuriam potestati Regiæ & Archiepiscopali exinde factam conquestus, Regi author erat, ut Henrico Wintoniensi Cardinalis aut Legati dignitatem interdiceret. Defuncto demum Rege, utramque dignitatem Henricus anno 1426. recepit.

Walsingham, p. 396.

Ibid. Willelmus Waynflet Rege petente à Monachis Wintoniensibus electus est 1447. 17. April. antequam à Papâ provideretur. Id Buddenus ex Registro Ecclesiæ Winton. docet in *Vitâ Waynfleti.*

Pat. 20 H. 8. par. 1. *P.* 319. Thomas Wolsey Cardinalis Temporalia Episcopatûs Winton. accepit à Rege 1528. 4. Maii.

P. 324. *l.* 22. Post Gaufridum III. Priorem isti sunt addendi. *Ingulfus* Prior erat anno 1127. quando Willelmus Episcopus Cartam suam Monachis Winton. dedit. Eundem ad Abbatiam Abendoniensem medio anno 1130. electum esse Historia Abendoniensis refert. Illi successisse videtur *Robertus*, Monachus Lewensis; quem ab Henrico Episcopo accitum ad Prioratum Winton. administrandum, ac postea Glastoniam ab eodem transmissum, & ad Episcopatum demum Bathoniensem anno 1135. evectum esse Historia Wellensis tradit.

Supra, p. 279. Supra, p. 169. Supra, p. 561.

Ad Historiam Sedis Roffensis.

Eadmer. Hist. Nov. p. 114.

P. 343. Johannes I. Episcopus Roffensis, Radulphi Archiepiscopi nepos, Archidiaconus Cantuariensis medio anno 1115. ab eo factus est. Anno 1119. Concilio Remensi interfuit, & adversùs Thurstini Archiepiscopi Ebor. consecrationem à Papâ faciendam animosè protestatus est.

P. 344. Walterum Episcopum Petrus Blesensis (in Epistolâ 56.) severè exagitat; quòd neglectâ commissi sibi populi curâ, vitam integram venationi vir octogenarius impenderet; atque illi verendum esse denuntiat, ne Legatus Papæ quàm proximè venturus in ipsum animadvertat.

Ad Quadrilogii calcem. *P.* 346. De Gilberto Episcopo ista habet Liber de gestis S. Thomæ post martyrium, cap. 9. *Clericus erat S. Thomæ Gilbertus de Glanvilla, natione Anglus, formam habens conversationis bonæ & honestæ, & omnium inter quos conversabatur bonorum moribus se conformans, & in utroque Jure solertiam commendabilem assecutus. Hic postquam B. Thomæ semel adhæsit, deinceps non deseruit, &c. jam in Episcopum Roffensem assumptus.*

P. 347. Benedictus Episcopus obiit anno 1226. die 21. Decembr. sepultus, fide Annalium Prioratûs de Suthwerk.

P. 348. Quæstio quæ inter Archiepiscopum Cant. & Monachos Roffenses de electione Episcopi vertebatur, optimè constabit ex Gregorii Papæ Bullâ, quam ex autographo descripsi. "Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, "dilectis filiis Priori de Dunestaple, Archidiacono de Barcheshire, & Decano "de Flemstede, Lincoln. & Sarum Diocesis, salutem & Apostolicam benedi-"ctionem. Venerabilis frater noster Cant. Archiepiscopus suâ nobis insinua-"tione monstravit, quòd cùm ordinatio Episcopatûs Roffensis ad eum imme-"diatè pertineat, ita quòd Ecclesiâ Roffensi vacante non licet ejus Capitulo eli-"gere sibi vel postulare Pastorem; bonæ memoriæ Stephanus prædecessor suus "prædictum Capitulum semel & iterum eligere sibi permisit Episcopum, in "enorme ipsius præjudicium & grave sui dispendium dignitatis, se ignorâsse "jus suum, & propter hoc permisisse illos eligere asseverans. Quare dictus "Archiepiscopus postulavit à nobis; ut cùm talis ignorantia prædicti præde-"cessoris sui in ejus præjudicium redundare non debeat, sibi super hoc provi-"dere misericorditer dignaremur. Quia verò nobis non constitit de præmissis, "Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus; quatinus vocatis qui "fuerint evocandi, inquiratis super his appellatione remotâ sollicitè veritatem, "& quod inveneritis, per vestras nobis literas intimetis; ut ex vestrâ relatione "sufficienter instructi, procedamus exinde, prout secundùm Deum viderimus "procedendum. Dat. Anagniæ IV. Id. Septembr. Pontificatûs nostri anno IX. [viz. Christi MCCXXXV.]

P. 379. Johannes de Botlesham Episcopus in Catalogo Benefactorum Academiæ Cantrabrig. memoratur. Dedit Academiæ 20. libras, & cuilibet ejusdem Collegio 20. libras; & Petrensibus Scholaribus (quorum erat Præses, quando in Episcopum electus est) omne suos Juridicales libros legavit.

P. 381. Johannes Alcock, tunc Roffensis Episcopus, Vicariam de Castre Dioc. Norwic. 1473. mense Julio in Norwicensis Episcopi manus resignavit; ejusque loco Ecclesiam de Wrensham accepit 1474. 28. Maii. Ex Registro Norwic. 12.

Ad Historiam Sedis Norwicensis.

PAginâ 403. Fœlicem anno 12. Annæ Regis obiisse Thomas Eliensis refert. Ex ejusdem calculo Anna regnare cœpit anno 637. Florentius autem & alii Annam regnum anno 636. adiisse scribunt; adeò ut Fælix anno 647. perbene obire potuerit.

P. 404. In antiquâ Collectione Professionum Archiepiscopo Cant factarum, *Cleopatra*, C. 1. habetur Professio Tidfredi Episcopi, Ethelardo Archiepiscopo Cant. facta. Tidfredus itaque Episcopatum Domucensem non ante annum 793. accepisse videtur. Ibidem legitur Professio Ethelwaldi Domucensis Episcopi facta Celnotho Archiepiscopo. Hunc Episcopum nullus Historicus neque Catalogus agnoscit. Illum tamen tempore Chelnothi viz. inter annos 830. & 870. Sedi Domucensi præsedisse proclive est opinari; cùm inter Titfridum, qui ante annum 798. Episcopatum obtinuit, & Wermundum, qui anno 870. obiit, Episcopus alius Domucensis non occurrat.

Ibid. De vacatione Sedis utriusque Wilredi obitum sequenti vide certiora in Theodredi Vitâ apud Episcoporum Londinensium Historiam.

P. 405. De Ethelstano Episcopo Helmamensi Thomas Eliensis plura docet in Historiâ Eliensi, lib. 2. cap. 54. *Edelstanus*, inquit, *vir Ecclesiasticâ devotione præcipuus, & præcipuâ largitate erga Ecclesiam istam munificus. Qui Brithnothum & Ælfsium Abbates totumque Conventum de sepulturâ sui corporis, sanus adhuc, cum multâ munerum largitione convenit. Ipse totum manerium de Dringestune*

liberâ emptione comparatum in æternam possessionem Eliensi Conventui donavit. Dedit etiam omnia Capellæ suæ ornamenta & vasa pretiosa. Dein multo post tempore sepultus, condictum sepulchri locum huc allatus accepit : fuit autem contemporaneus B. Ædhelwoldi (Wintoniensis Episcopi) *sub piissimo Rege Edgaro.* Apud eundem l. 2. c. 56. reperitur Charta Eliensis Ecclesiæ, cui subscripserunt Eluricus Archiepiscopus Cant. & Edelstanus Helmamensis Episcopus. Juxta Thomæ calculos itaque Edelstanus Sedem Helmamensem ante annum 975. obtinuit, & anno 995. superfuit.

P. 405. De Algaro Episcopo ista habet Liber Eliensis. *Ælfgarus, Sacerdos & Confessionarius Dunstani Archiepiscopi, fit Helmamensis Episcopus post Adelstanum. Sed relicto Episcopatu, in Cænobio Eliensi mortuus est anno* 1021.

Ibid. De Alwino Episcopo ista Thomas Eliensis habet lib. 2. cap. 62. *Elfgaro Helmeamensi Episcopo defuncto, Ælfwinus Eliensis Ecclesiæ à puero Monachus, vitæ sanctitate & gratiâ morum honestatus, successit in ministerium ejusdem Episcopatûs. Cum ipso enim in Ecclesiâ oblato data est Walepol, Wisebeche, & Debeham, Brithwelle, Oddebrige, à generosis parentibus coram venerabilibus testibus. Et licet teneræ ætatis adhuc fuisset, habitum Monachatûs suscipere promptâ voluntate parabat. Cúmque totam vitæ suæ seriem cum summâ prudentiâ & gravitatis modestiâ usque in virilem ætatem perduxisset ; pro religionis suæ famâ, jubente Rege Ædelredo, ad Episcopale culmen sublimatus, matris suæ Eliensis Ecclesiæ oblivisci non potuit.* Idem Leofwynum Abbatem Eliensem anno 1019. & Leofricum anno 1023. benedixisse dicitur in Historiâ Eliensi. Quod si verum perhibeatur ; ipse Episcopatum ab Ælfgaro dimissum ante annum 1019. assecutus est: quinimo ab Ethelredo Rege ante annum 1016. Episcopatu donari potuit, quod Thomas tradit. Ælfgarum enim Episcopatum ante obitum abdicâsse Additamentum superius demonstrat. Ex his igitur corrigantur, quæ ad Episcoporum Norwicensium Historiam, p. 405. adnotavi.

P. 408. *In Abbatiâ de Bello Willelmus Rex Herebertum Episcopum Thetfordensem baculo privavit circa Calendas Februarii ; quòd latenter Urbanum Papam adire, & ab eo pro Episcopatu, quem sibi emerat, absolutionem quærere volebat.* Sic Hovedenus in anno 1094. Historia autem de Bello id anno 1095. factum refert.

F. 226. a.

P. 409. De rebus Johannis de Oxoniâ ante Episcopatum acceptum gestis consule Historiam Decanorum Sarisburiensium. Postea autem Concilio Lateranensi cum tribus aliis Episcopis nomine Cleri Anglicani anno 1179. interfuit.

P. 412. Willelmum de Middleton in Ecclesiâ de Carhowe extra Norwici muros consecratum fuisse Registrum quoddam Ecclesiæ Cant. prodit.

Archiva Norwic.

Ibid. Johannes Salmon Episcopus cognomen à patre duxit. Patre enim Solomone, matre Aliciâ natus erat. Sacerdotibus in Capellâ suâ S. Johannis celebraturis salaria delegavit solvenda per Abbatem de Hulmo, cui Manerium de Redham anno 1322. in id opus transcripsit.

P. 413. Willelmus Ayremyn, patre Adamo, matre Matildâ natus, consecratus est 1325. 15. Sept. in Ecclesiâ majori S. Germani per Willelmum Viennensem Episcopum, assistentibus Willelmo Mimacensi & Jacobo Zagabriensi Episcopis. Obiit apud Charing juxta Londinum 1336. 27. April. die Mercurii, anno consecrationis suæ undecimo. Ex Registro ejus. Rectiùs tamen Historici à nobis superiùs prolati diem obitûs designârunt.

P. 414. Post Willelmi Ayremyn obitum Thomas de Hemenhale Monachus Norwicensis a Commonachis suis electus est. Qua de re vide plura in Historiâ Episcoporum Wigorn. p. 534. Antonius Episcopus obiit in Manerio de Heningham anno 1343. nocte ante diem 19. Decembr. anno consecrationis suæ septimo. Ex Registro Norwic. 2.

Ibid.

Ibid. Willelmus Bateman, Willelmi & Margaretæ filius, Archidiaconus Norwicensis factus est 1328. 5. Sept. postea Decanus Lincolniensis. Episcopus à Monachis Norwic. ritè electus, mox à Clemente VI. Papâ provisus est 1344. 23. Januarii. Iste præter alia beneficia Academiæ Cantabrigiensi præstita, cistam S. Trinitatis dictam donavit, ex qua pecunia pauperibus Scholaribus mutuò daretur. Anno consecrationis sexto Rex (nescio qua de causâ) Temporalia illius in manus suas ceperat, & Clericos in Beneficiis suis Ecclesiasticis instituendos ipsi præsentavit. Anno 1349. grassante per Diocesin suam peste gravissimâ, Willelmus 850. institutiones & collationes dedit; ut ex hoc Cleri Norwicensis eo tempore numerus non malè colligi possit. Ineunte anno 1353. ad Curiam Romanam legatus pro pace inter Angliæ & Franciæ Reges ineundâ, operam lusit. Ipse autem ibidem obiit 1355. 6. Januarii, sepultus in Ecclesiâ B. Mariæ juxta Palatium Apostolicum. Ex Registro Norwicensi.

P. 415. Thomæ Percy promotionem Stephanus Birchingtonus (in Historiâ MS. de Pontificibus Rom.) sic narrat. *Willelmus Bateman Episcopus Norwic. in Curiâ Romanâ die Epiphaniæ est defunctus. Cui Episcopatui Innocentius VI. Papa providit de Thoma Percy filio Henrici Percy, XXII. annorum ætatis suæ existente, non obstante minori ætate, consideratâ sui generis nobilitate & non habilitate personæ. Qui quidem Norwicensis Electus die Dominicâ in crastino Circumcisionis Domini anno MCCCLV.* (exeunte) *consecratus est per Wintoniensem Episcopum apud Farnham.* Consentit Registrum Norwicense; in quo Thomas *Electus confirmatus* scribitur 1355. 26. April. atque iterum 1355. 31. Aug. Diem autem consecrationis 1356. 3. Januarii Registrum veriùs posuit.

Ibid. Henricum Spencerum per Archidiaconum Norwicensem consecratum fuisse (erroneè pro *intronizatum*) Godwinus ex Alexandri Nevilli Historiâ Norwicensi dixerat. Hoc errore (quantumvis manifestissimo) Blondellus Presbyterianorum pugil ad sententiam suam astruendam abuti non erubuit. Imbelle argumentum expugnat Historia nostra Norwicensis; quæ Henricum in Curiâ Romanâ consecratum, & per Archidiaconum Norwici intronizatum refert. Historiæ fidem confirmat Registrum *Spencer* Norwic. in quo Henricus apud Romam 1370. 20. (lege 21.) April. consecratus esse dicitur. Temporalia ejus in manibus Regis fuerunt sub initium anni 1384. restituta 1385. in fine Octobris, fide ejusdem Registri. Hunc Baronis Dispenser fratrem fuisse Birchingtonus docet.

P. 376.

Hist. de Pontif. Rom.

Ibid. Alexander Episcopus consecratus est apud Glocestriam 1407. 23. Octobr. teste Registro Norwicensi 7.

P. 417. Johannes Wakering obiit 1425. 9 April. post horam octavam vespertinam. Ex Registro Norwic. 8.

Ibid. Willelmus Alnwick intronizatus est 1427. 22 Dec. Ex Registro Norwic. 9.

Ibid. Thomas Brous provisus est 1436. 29 Sept. legatus à Rege in Franciam 1439. 25 Maii, pro pace inter Anglos & Gallos ineundâ. Obiit apud Hoxne 1445. 6 Dec. in meridie. Ex Registro Norwicensi.

P. 418. Walterus Lyhert, Ptochotrophii S. Antonii Londinensis Custos, consecratus est post 1446. 1 Martii. In Commissione enim ab Archiepiscopo isto die datâ nominatur *M. Walt. Lyhert. S. T. B. Electus & confirmatus Norwicensis.* Sanè Registrum *Stafford* diligentiùs postea inspexi; & Walterum 1446. 27 Febr. non consecratum sed professum fuisse inveni. Anno 1447. 24 Aug. Walterus cum Priore S. Johannis London. & aliis in Galliam & Sabaudiam à Rege legatus fuit. Obiit 1472. 24 Maii die Pentecostes inter horas 6, & 7. Ex Registro Norwicensi.

Ibid. Jacobus Goldwell, LL. D. Canonicus Windesoriensis, Ordinis à Periscelide dicti Registrarius, Archidiaconus Essexiensis, Decanus Sarum, & Apostolicæ Sedis Protonotarius, apud Romam consecratus est per Sixtum IV.

Papam 1472. 4 Octobr. dum Regis Angliæ Procurator resideret in Curiâ Romanâ, ad quam ante 8. annos missus fuerat ad deferendam Papæ Edwardi IV. Regis obedientiam. Obiit die 15 Februarii. Ista docet Registrum Norwicense. Jacobus à Walteri antecessoris sui executoribus pro dilapidationibus accepit 2200. marcas & mitram ac baculum pastoralem.

Reg. Windesor.

Ibid. Thomas Jan, Decretorum Doctor, Collegii Regalis apud Cantabrigiam Socius, anno 1497. Canonicus Windesoriensis creatus est.

Id.

Ibid. Ricardus Nix Archidiaconus Exoniensis ab anno 1492. Canonicus Windesoriensis anno 1496. factus est. Electio ejus ante 1501. 17 Martii confirmata est. Isto enim die Vicarium suum Generalem constituit. Hoc præsidente Sedes Norwicensis insignem reddituum jacturam fecit, Primitiis Beneficiorum totius Diocesis, quæ Episcopo antea Norwicensi propriæ erant, ad Regem lege in publicis Comitiis latâ transcriptis anno 1534.

Reg. Norwic. Stat. 26 H. 8. cap. 3.

Ad Historiam Sedis Coventr. & Lichfeld.

PAginâ 432. Chronologia Episcoporum Lichfeldensium ab anno 867, ad 992. immutari debet. Fragmentum enim Historiæ vetustissimæ Abendoniensis in anno 940. terminatæ, Episcopos tunc præsidentes in fine recensens, Kynsium Sedi Lichfeldensi eo anno præfuisse testatur. Huic fidem astruunt Chartæ nonnullæ Saxonicæ, cujusmodi perpaucæ sunt commentitiæ. Chartæ enim Abendoniensi Cynysige Episcopus subscripsit anno 955. Indictione 14, & Chartæ Wigorniensi subscripsit Winsi Episcopus 964. 28 Decembr. feriâ 4. *Indictione 8.* Rectè itaque Registrum Cantuariense *Tumberhtum* Lichfeld. Episcopum Celnotho Archiepiscopo (ante annum 870.) professionem fecisse refert. Falsitatis convicto Thomæ calculo, tempora Episcoporum ab anno 870, ad 992. incerta manebunt. Si mihi tamen conjectura permitteretur; vellem Hunbertum anno 866. obiisse; Kynebertum annis 3. sedisse; Tunfrithum anno 870. consecratum, anno 900. obiisse; Ællam anno 924. defunctum, Elgaro locum cessisse; hunc excepisse Kynsium anno 940. & anno circiter 964. decessisse; Winsium denique ab anno 964, ad 992. Sedem tenuisse. Ista conficiuntur; si in Kyneferthi annis 3. pro 23. in Kynsii annis 24. pro 14. & in Wynsii annis 28. pro 18. legeris. Quod Dominicæ enim Incarnationis annos attinet; eos Thomas in Tabulâ antiquâ non invenisse, sed pro annis uniuscujusque regiminis in tabulâ datis efformâsse, videtur.

Collect. Saxon. Jocelini.

P. 435. Ricardus Peche filius erat Roberti Peche Cestrensis Episcopi, Archidiaconus Coventrensis ab illo creatus, teste Radulpho Diceten. *Imag. Hist. p.* 532.

Ibid. De Girardo & Hugone Episcopis ista exhibet Liber de gestis S. Thomæ post martyrium, cap. 9. *Girardus Puella, natione Anglus, Clericus S. Thomæ, quem Archiepiscopus primus in ordine Clericatûs promovit, & primus ei Ecclesiasticum Beneficium contulit, S. Thomæ usque ad exitum ferè compatiens, tandem quærens requiem, aliquantulùm ab eo divertit.—Hugo cognomento Teminant, natione Romanus, tunc Archilevita Luxoviensis,* (ipse etiam S. Thomæ Clericus) *peregrinatione Archiepiscopi necdum finitâ, reconciliatus Principi, de Patris licentiâ reversus est; qui per annos à Principe fidus repertus & strenuus, sive ab Aulâ sive ab Ecclesiâ nescio, Girardo defuncto, ad eandem Sedem Pontificalem assumptus est.*

P. 439. Hugo de Pateshul intronizatus est 1240. 21. Sept. fide Annalium Cestrensium.

P. 440. *lin. ult.* Obitum Rogeri Meyland à nobis positum dedit Thomas Chesterfeld, sepulturam Annales Wigornienses. Annales autem Cestrenses obitum illius 1295. 11 Dec. reponunt.

P. 450. De translatione Walteri Skirlaw ad Episcopatum Bathoniensem vide certiora in Historiâ Episcoporum Bathon. p. 570.

De

Ad Historiam Sedis Wigorniensis.

PAgin. 531. Ad examinandam Johannis de S. Germano electionem dies 24 Maii anno 1302. ab Archiepiscopo statutus est. Confirmatione autem denegatâ, Electus sub Augusti exitum Romam profectus est, Edwardi Regis literis commendatus. Ex Registro Wigorn. Ecclesiæ de rebus *Sede vacante* gestis.

P. 532. Willelmus de Gaynsborough obiit apud Belvacum in Picardiâ 1307. 17 Septembr. Sic quidem refert Capitulum Wigorn. in Epistolâ certificatoriâ. Papa autem in Bullâ Reservationis illum *Ambiani, ut asseritur,* defunctum esse perhibet. Ex eodem.

P. 532. Walterus de Maydenston obiit in partibus transmarinis. Mors ejus Capitulo Wigorn. primùm innotuit 1317. 7 April. *Id.*

P. 534. Thomas de Hennihale (sic enim in Registro Wigorn. dicitur) obiit in Castro suo de Hertilbury 1338. 21 Decembr. *Id.*

P. 535. Walterus de Legh ad Episcopatum Wigorn. à Monachis suis electus est 1373. 7 Decembr. *Id.*

P. 536. Tidemannus Episcopus 1401. 13 Junii obiisse dicitur. *Ibid.*

Ibid. Ricardus Clifford ad Episcopatum Wigorn. electus est 1401. 27 Junii. *Id.*

P. 537. Thomas Peverel obiit in Manerio suo de Hambury in Salso-Marisco 1417. 1 Martii (suspectus est mihi anni numerus) in Ecclesiâ fratrum Carmelitarum juxta Universitatem Oxon. sepultus. *Id.*

Ibid. Thomas Polton obiit in Concilio Basileensi 1433. 23 Augusti. *Id.*

P. 538. Robertus Morton obiit ante diem 5 Maii anno 1497. *Id.*

P. 549. Johannes Fordham Prioratum Wigorn. Ecclesiæ tenuit anno 1418. *Idem.*

FINIS.

INDEX

INDEX
Archiepiscoporum & Episcoporum,
De quibus in hac primâ
ANGLIÆ SACRÆ
Parte fit mentio.

A

Athelwaldus

INDEX.

Eardulfus

INDEX.

Gerardus

Jo-

INDEX.

Robertus

INDEX.

INDEX.

Pauca quædam Addenda & Emendanda.

AD. *pag*. 44. *Præfationis*. Postquam integrum Opus prælo exierat, in lucem prodiit alterum Historicorum Angliæ volumen Cl. Galei operâ apud Oxoniam impressum. In hoc locum habet p. 463. Thomæ Eliensis Liber *de Vitâ S. Æthelwaldi Episcopi*. Ejusdemque Liber secundus *Historiæ Eliensis*, non tamen integer, sed multis Capitulis libro *de Vitâ Ethelwoldi* communibus exoneratus, & in Normannorum adventu ac Turstani Abbatis initiis terminatus. Ex hoc Epitomes nostræ Author sua ferè omnia, quæ de Abbatum Eliensium temporibus habet, verbatim descripsit.

Pag. 206. Willelmus Malmsburiensis in Historiâ *de Antiquitatibus Glaston. Tunbertum Episcopum*, Monachum priùs Glastoniensem fuisse & anno 876. obiisse refert. Magis tamen placet annus 879. à Florentio positus, quem Ranulfus etiam Cestrensis confirmat.

Pag. 325. *Thomas Silkstead* Prioratum Ecclesiæ Winton. anno 1513. adhuc tenuit. *Henricus Broke* Prior ejusdem erat anno 1531.

Pag. 405. Sigefridus, qui ex Monacho Glastoniensi Episcopus Norwicensis factus Nonis Aprilis obiisse in Historiâ Glastoniensi (apud Monasticon tom. 1. p. 9.) dicitur, Episcopus Norwegensis in Willelmi Historiâ Glastoniensi rectiùs appellatur Ælfgarus Episcopus Helmeamensis, regnante adhuc Etheldredo Rege, ad Cœnobium Eliense abdicato Episcopatu recessit. Anno enim 1016. Ædnodi Lincolniensis Episcopi apud Assandun interfecti corpus in Ecclesia Eliensi sepelivit, quippe *qui tunc temporis relicto Episcopatu hîc ex toto se dederat*, referente Thoma Eliensi l. 2. c. 13. Ælfricum Sedi Helmamensi annos inter 1023. & 1030. præfuisse ex eodem constat l. 2. c. 25.


Pag. 420. Willelmus de Claxtoun Prior Norwicensis compositionem de jurisdictione sede Norwic. vacante exercendâ cum Simone Archiepiscopo fecit 1330. 4. Aug. hac lege, ut Conventus Norwicensis tres de suo gremio intra 15. dies Archiepiscopo præsentaret, & uni ex his electo Archiepiscopus authoritatem visitandi Capitulum & Diocesin Norwic. & excessus corrigendi committeret, salvis Archiepiscopo duabus emolumentorum partibus, Capitulo tertiâ. Reliquæ officii Episcopalis partes cuicunque Archiepiscopus voluerit concedantur. Compositionem Willelmus Episcopus Norwic. confirmavit 1330. 26. Augusti. *Ex Registro. Eccl. Cant.* In his Chirographis Johannes Salmon Episcopus Norwic. nomine *Johannis de Ely* sæpiùs memoratur.

Pag. 426. Winfridum Episcopum quarto consecrationis suæ anno depositum fuisse Ranulfus Cestrensis prodit. Componitur is cum anno Christi 675. quem Florentius posuit.

Pag. 555. Nostrum de septem Episcopis à Plegmundo simul ordinatis calculum confirmant Annales vetusti Asserio inscripti; qui Frithestanum anno 909. Episcopatum Wintoniensem suscepisse testantur.

Pag. 586. *l. penult*. Prioratus Ecclesiæ Bathoniensis vacavit anno 1340. mense Septembri. quod ex Concil. Angl. tom. 2. p. 544. liquet.

FINIS.



ANGLIA SACRA.

PARS SECUNDA.

ANGLIA SACRA,

SIVE

COLLECTIO HISTORIARUM,

Antiquitus ſcriptarum

DE

ARCHIEPISCOPIS & EPISCOPIS

ANGLIÆ,

A primâ Fidei Chriſtianæ ſuſceptione ad Annum

MDXL.

PARS SECUNDA,

Plures antiquas de Vitis & rebus geſtis Præſulum Anglicorum Hiſtorias ſine certo ordine congeſtas complexa.



LONDINI:

Impenſis RICHARDI CHISWEL ad Inſigne Roſæ Coronatæ in Cœmeterio S. Pauli. M. DC. XC. I.

Reverendo admodum in Christo

PATRI ac DOMINO

D. WILHELMO

Permissione Divinâ

Episcopo Assavensi,

Summo Regiarum Majestatum Eleemosynario.

Amplissime Præsul,



ÆQUUM est, ut insignia beneficia, quæ ab accipientibus compensari non possunt, ab iisdem celebrentur. Hoc potissimum emolumenti amplior dignitas homini confert, ut aliis facilè prodesse possit, idque solo humanitatis & benevolentiæ intuitu facere necesse habeat. Atque id unicum media sors hominum, de quo conqueratur, habet, quòd aliorum beneficia duntaxat laudare queat. Id sanè officii, quod solum restat, libenter & datâ quavis occasione præstare debent, qui aliorum beneficiis fruuntur; ut tam in his gratitudo quàm in illis beneficentia reluceat. Ingratus certè essem, si egregia, quæ mihi Vestra Paternitas contulit, beneficia prompto animo non agnoscerem; si favorem, benevolentiam, quin & amicitiam, qua me inferioris subsellii virum Præsul amplissimus, juvenem

 senex,

senex, indoctum eruditissimus, jamdiu es dignatus, non deprædicarem. Integrum plusquam triennium excurrit, ex quo me primùm Vestræ Amplitudini notum esse contigit; neque aliquem ferè mensem abire passus es, in quo me novis beneficiis tibi non devinxisti. Secundam igitur hanc *Angliæ Sacræ* partem Nomini tuo inscriptam prodire concedas; ut tanti ac tam rari favoris monumentum extet, quod æternum esse vellem. Nec immeritò quidem in hoc potissimùm Opere gratitudinem erga te meam profiteri decrevi, cùm tibi non magis Author quàm Opus ipsum debeat. Tu etenim primus me ad Opus istud aggrediendum incitâsti, vacillantem sæpe animum & sub diuturni laboris pondere fatiscentem confirmâsti, consilio atque authoritate tuâ susceptum Opus promovisti. Tibi accepta referri debent plurima, quæ in hac Secundâ Parte prodeunt, monumenta, te suadente edita, tibi, antequam typis exprimerentur, visa & probata. Alio quinetiam nomine hoc tibi Volumen nuncupari convenit. Pars ejus potior de antiqui Cleri Wallensis statu disciplinâ ac rebus gestis agit; teque maximum sui decus atque columen Clerus Wallensis hodiernus habet, quem jactitet & veneretur. In te Wallia diluit labem, qua propter literarum ignorantiam & religionis incuriam Gentiles tuos Giraldus Cambrensis olim aspersit. Utinam & illa, quibus Anglos advenas Wallensium Episcopatus & Sacerdotia occupantes Giraldus proscidit, opprobria tam facilè dilui possent!

Dabit veniam eruditissimus Antistes, si in hoc loco (quoniam alius non restat) paucula quædam mihi Præfationem ante quatuor menses scribenti nondum comperta, subnotaverim. In paginâ primâ Præfationis vix aliud *Vitæ Aldhelmi* exemplar manuscriptum præter id quo usi sumus inveniri; atque alibi Cl. *Galeum* ex eodem, quo nos, Codice editionem suam confecisse, dixi.

Postea

Postea autem bina alia ejusdem *Vitæ* exemplaria vidi, alterum in Bibliothecâ publicâ Academiæ Cantabrig. in Collegio Corporis Christi Cantab. alterum, utraque nostro recentiora, sed integra, & manu longè elegantiori descripta, curâ (ni fallor) Matthæi Archiepiscopi Cantuariensis, qui illa Bibliothecis laudatis dono dedit. Ex horum altero suum *Galeus* apographum describi fecit: ut mirum sit Amanuensem ejus in describendo Codice alterutro toties errare potuisse, cùm nil unquam nitidiùs scriptum viderim. E contra Codex ille, quo usus sum, Collegii S. Trinitatis Cantab. charactere longè difficillimo exaratur, & Bibliopegæ vitio in extremis plerunque lineis mutilatur: ut Amanuensis mei sphalmata (quamvis illa sint multò minora atque pauciora) ignosci debeant. Dein pag. 27. Præfationis, de Radulfi Dicetensis Historiâ *de Dorobernensibus Archiepiscopis*, utrùm ea in hoc Volumine edita cum aliâ cognomine in Collegio Corporis Christi Cantab. asservatâ conveniret, subdubitanter scripsi. Ante duos equidem menses Codicem Cantabrigiensem inspexi, & à nostro diversum reperi. Scriptus est ille manu eleganti & antiquâ satis; & ejusmodi titulum præ se fert: *Liber de Dorobernensibus Archiepiscopis ad R. P. Hubertum Archiepiscopum Cant. Apostolicæ Sedis Legatum directus à Radulpho de Diceto Lundoniensis Ecclesiæ Decano.* Si brevem autem Præfatiunculam, & extremam Epistolæ Cælestini Papæ, in qua desinit, partem demas; nil non ex Radulphi Historiis a Twisdeno inter X Sriptores Historiæ Anglicanæ vulgatis verbatim descriptum habet. Præfigitur primo hujus Codicis folio manu multò recentiore iste titulus: *Annales Stephani Archiepiscopi.* Librarius scilicet quidam Annales Stephani *de rebus gestis Ricardi I. Angliæ Regis* describere cæperat, sed post descriptum titulum cessavit. Folio autem sequenti incipit supradicta Ra-

 dulphi

dulphi Historia; ut pronum sit conjicire, hinc natum fuisse Pitsei, Jamesii & Vossii errorem de *Annalibus Archiepiscoporum Dorobernensium* Stephano inscriptis.

Laude dignissima Paternitatis Vestræ consilia & in Religionis & in Literaturæ gratiam suscepta Numen Cœleste fortunet, eidemque vitam incolumen & diuturnam conservet. Id votis assiduis exoptat

xiii Cal. Novembr.
MDCXCI.

Amplitudini Vestræ addictissimus,

HENRICUS WHARTON.

PRÆFATIO
AD
PARTEM SECUNDAM
Angliæ Sacræ.

De Scriptoribus in hoc Volumine editis.

INstituti à me Operis rationem in Præfatione ad Partem primam exhibui, neque hîc loci repetendam esse arbitror. Sufficiat Lectorem monuisse, mihi propositum esse in hac secundâ Parte plures Historias Ecclesiasticas, præsertim de vitis & rebus gestis Archiepiscoporum & Episcoporum Angliæ, antea apud nos ineditas, evulgare.

I. Primum in his tenet locum Vita S. Aldhelmi Sciréburnensis Episcopi, qui primus è gente nostra Latinas literas scriptis adhibuit. Authorem habet insignem Historicum, Willelmum Somerset, Cænobii Malmsburiensis Bibliothecarium & Præcentorem; qui plurimis ingenii monumentis egregiam sibi famam comparavit, & *Historiam Novellam*, quam ultimo loco scripsisse videtur, in anno 1143. clausit. Inter alia Historiam *de Pontificibus Anglorum* à primâ fidei susceptione ad annum circiter 1125. contexuit, & in quinque libros Opus distribuit. Ex his quatuor priores in multis apud nos Codicibus MSS. reperiuntur; quinti autem rarissima sunt exemplaria. Hodie enim vix aliud præter id quo usi sumus invenitur; & Johannes Jocelinus post enumerata plura priorum quatuor librorum apographa à se visa, se quinti unicum penès Johannem Foxum vidisse testatur. Scriptus itaque à Willelmo videtur diu post evulgatos libros priores; atque hinc factum est, ut à cæteris dissociatus fuerit. Ejus spem fecerat Willelmus in libro 2. de Pontif. Angl. cap. de Episcopis Sciréburn. *Primus*, inquit, *ibi sedit pater Aldelmus; quem hic tantùm loco ordinis nomino. Namque quòd ejus Vitam nunquam plenè digestam reperi, spectantque ad eam quamplurima, quæ si posteros celavero, delinquo; cogitavi annuente Deo, in extremo hujus Opusculi libro cum ejusdem modi materiâ liberiori congredi otio.* Quintus igitur Liber, ut Jocelini

Tract. de Hist. Angl. c. 16.

verbis

verbis utar, *agit tantùm de Vitâ & miraculis S. Aldelmi, & de statu Malmsburiensis Cœnobii.* Ad hunc scribendum Willelmus lege gratitudinis se obstrictum dicit. Cænobium enim Malmsburiense Aldhelmus fundavit. Quatuor priores libri à viro doctissimo Henrico Savilio *Londini* 1596. editi sunt; quintus jam primùm prodit. Hunc quidem V. Cl. Johannes Mabillonius in Actis Benedictinorum Sæc. IV. par. 1. p. 726. se dedisse arbitratus est, ex Codice Cottoniano descriptum; verè autem leve ejusdem compendium duntaxat edidit. Compendium sanè antiquitatem non contemnendam habet, (Codex enim ille Cottonianus ante quingentos ferè annos exaratus esse videtur) genuinæ autem Willelmi Historiæ vix octavam partem exhausit. In Præfatione suâ Mabillonius Egwinum Wigorniensem, Osmundum Sarisburiensem, & Eadmerum, commentarios de Vitâ Aldhelmi ante Willelmum contexuisse scribit. Ejusmodi quidem opus Egwino Baleus & Pitsius inscribunt, vereor ne incertâ admodum fide; neque de aliis res constat. Faricium Abbatem Abendoniensem nonnulla de Aldhelmi Vitâ ante se collegisse Willelmus in prologo suo agnoscit. Genuinum Willelmi de Aldhelmi Vitâ librum Baleus nunquam viderat. Initium enim istud dedit, *Beatus Aldhelmus Saxonica*: quibus verbis Epitome à Mabillonio edita inchoatur. Alium de eodem libro errorem Baleus iniit, librum Willelmi *de Antiquitatibus Malmesburiæ* à libro ejusdem *de S. Aldhelmi Vitâ* diversum statuens. Pitsius utrumque Balei errorem in farraginem suam pro more descripsit. Genuinum Willelmi librum ex Codice MS. Collegii S. Trinitatis Cantabrig. descripsi. Codex charactere pessimo ante ducentos circiter annos scriptus est; & præter frequentia Librarii sphalmata graviorem accepit injuriam à Bibliopegâ, qui in foliorum summitatibus integras sæpe lineas abscidit.

Claud. A. 5.

Cent. 2. c. 73.

Cap. 201.

Huic libro Willelmus intexuit plures antiquas Monasterii Malmsburiensis Chartas; de quibus nonnulla observare non inutile erit; præsertim cum Chartarum fidem in parte primâ sæpe rejecerim, in parte etiam tertiâ id sæpiùs facturus. Jamdiu est, quòd Chartarum Monasticarum fraudes à viris eruditis detectæ fuerint. Mitto quæ Launoius & ex exteris alii de hac materiâ commentati sunt; si quis de nostræ gentis Chartis certiora velit ediscere, consulat D. Johannis Marshami Præfationem ad Monasticon Anglicanum & eruditissimi Præsulis Edvardi Episcopi Wigorniensis Opus vernaculum *de Originibus Ecclesiæ Britannicæ.* Ante utrumque D. Henricus Spelmannus in Notis ad Concilia Anglica observaverat suspectam esse plerunque Chartarum fidem; & prolato ex Archivis Ecclesiæ Cant. vetusto fragmento docuerat Chartas in Angliâ sub exitum sæculi septimi primò scribi cœpisse, primamque omnium fuisse, quam Withredus Rex Ecclesiæ Cant. anno 694. dedit. Quæcunque igitur

Pag. 14, &c.

P. 125.

tur ætatem ſuperiorem præ ſe ferunt, certiſſimè ſunt commentitiæ. Porrò ex iis quæ ſequuntur uſque ad Edgari Regis tempora, Latinè conſcriptœ, pars maxima eſſe ſpuria meritò cenſeri poteſt; quod mihi ex frequenti temporum appoſitorum & Epiſcoporum ſubſcribentium collatione innotuit. Poſt Edgari tempora haud ita multa falſa eſſe potui deprehendere. In pauciſſimis autem ſeu ante ſeu poſt Edgari tempora Chartis Saxonicè conſcriptis fraus intercedit. Ferè omnes enim Chartæ commentitiæ poſt Normannorum adventum confictæ videntur; quando Normanni victores fundos & poſſeſſiones ab Anglis abſtrahere per fas & nefas moliti, ab his rationem reddi exegerunt, quo jure quove titulo terras ſuas & privilegia poſſederunt. Tunc Monachis Chartæ ſeu ex Archivis depromendæ ſeu confingendæ erant; ni Cænobiis ſuis deturbari & ad inopiam redigi mallent. Chartas autem Saxonicis literis conſcriptas ſuppoſuiſſe parum profuiſſet. Has enim Normanni parvipendiſſent, & ne levi quidem intuitu dignati eſſent. Sic enim Normannorum faſtum primis Willelmi Regis temporibus Ingulphus deſcripſit. *Ipſum etiam idioma Anglorum tantum abhorrebant; quòd leges terræ, ſtatutaque Anglicorum Regum linguâ Gallicâ tractarentur; modus etiam ſcribendi Anglicus omitteretur, & modus Gallicus in Chartis & in libris omnibus admitteretur.* Normannis igitur, qui Anglorum linguam & neſcierunt & oderunt, Chartas Saxonicas protuliſſe inane fuiſſet; atque ideo Latinè comminiſcende erant. Porro aliam adhuc cauſam Chartas confingendi Willelmus Normannus Monachis dedit. Ipſe enim, qui res eccleſiaſticas pro lubitu diſpoſuit, neque magis antiquam Eccleſiæ diſciplinam quàm juſtitiæ leges excoluit, Monaſterium S. Martini de Bello à ſe fundatum à juriſdictione Epiſcopali penitus exemit. Ab hoc tempore inſana Monachos inſigniorum Cœnobiorum ambitio inceſſit ſimilem exemtionem impetrandi. Ejuſmodi exemtionem ab Alexandro Papâ ante annum 1073. obtinuit Baldwinus S. Edmundi Abbas; quamvis in hac Papa, utpote rem hactenus inauditam atque intentatam auſus, eâ uſus ſit moderatione, ut id *ſalvâ Primatis obedientiâ* fieri decreverit. Lanfrancus tamen Archiepiſcopus Abbati in Angliam reverſo privilegium abſtulit. Poſtea Archiepiſcopis mollioris animi Eccleſiæ Anglicanæ præſidentibus, Radulfo, Willelmo & Theobaldo, fractâque per inſidias Pontificum Romanorum ejuſdem libertate, Monachi nil non ſibi licere rati, à juriſdictione tam Archiepiſcopali quàm Epiſcopali eximi quæſiverunt; confictiſque primùm Pontificum & Regum antiquorum chartis obedientiam Epiſcopis ſuis denegârunt, dein in Curiâ Romana litigantes, Chartas ſuas confirmari vi pecuniæ obtinuerunt. Quæcunque igitur exemtionem à jure ordinario Epiſcopali prætendunt Monachorum Chartæ ante Normannorum tempora, falſæ me-

F. 512. b.

Eadmer. Hiſt. Nov. p. 62.

meritò sunt habendæ. Quòd si enim Pontificibus Romanis antea familiare fuisset amplissimas ejusmodi exemtionis Chartas, quales postea prolatæ sunt, Monachis conferre; certè Alexander Papa Baldwino Abbati, viro potentissimo & grandi pecuniâ munito, exemtionem perfectam non invidisset. Certè quod Chartas exemtionis Malmsburiensi Cœnobio datas (quæ in hoc Willelmi libro reperiuntur) attinet; eas fraudis arguit Epistola Ricardi Archiepiscopi Cant. ad Alexandrum Papam manu Petri Blesensis anno 1180. scripta. Monasterii Malmsburiensis Monachi nuper sibi Abbatem elegerant: cùmque Sarisburiensis Episcopus Electo inhibuisset, appellatione etiam interpositâ, ne ab alio quàm à se benedictionem acciperet; Electus in Walliam clam profectus, ab Episcopo Landavensi benedici obtinuit. Archiepiscopus itaque Abbatem suspendit, donec ad inobedientiæ suæ excusationem libertatis seu exemtionis privilegium produceret. Abbas coram Archiepiscopo *quasdam exemptionis suæ literas prætendebat, quæ in filo & bullâ videbantur vitiosæ*, stylumque Romanæ Curiæ minimè redolebant. Eas falsitatis Episcopus accusavit; & multas Abbatum Malmsburiensium professiones sibi & prædecessoribus suis factas exhibuit. Abbas recessit contumaciter, dicens se nulli Episcopo vel Archiepiscopo nisi soli Summo Pontifici respondere teneri. *Viles, inquit, sunt Abbates & miseri, qui potestatem Episcoporum prorsus non exterminant; cùm pro annuâ auri unciâ plenam à Sede Romanâ possint assequi libertatem.* Huic itaque ne Papa faveat, Archiepiscopus rogat, & simul acriter deflet injuriam Episcopis totique Ecclesiæ factam per exemptiones Abbatibus à Sede Romanâ donatas. *Monasteria enim, quæ hoc beneficium damnatissimæ libertatis sive Apostolicâ authoritate, sive, quod frequentius est, Bullis adulterinis adepta sunt, plus inquietudinis, plus inopiæ incurrerunt. Falsariorum enim præstigiosa malitia ita in Episcoporum contumeliam se armavit, ut falsitas in omnium ferè Monasteriorum exemptione prævaleat.* Præclarum hujus rei testimonium extat in Archivis Ecclesiæ Christi Cant. de Bullis suppositititiis Monachorum S. Augustini Cant. qui multam Archiepiscopis Cant. molestiam integro fere Sæculo duodecimo facesserunt, ut autoritatem Archiepiscopalem excuterent; quod & denuo effecerunt, prolatis in hanc rem S. Augustini Archiepiscopi & Ethelberti Regis aliisque vetustis privilegiis, magis autem effusâ apud Curiam Romanam immensâ pecuniæ vi. De his & ejusmodi aliis privilegiis Egidius Ebroicensis Episcopus ad Alexandrum Papam literas sequentes dedit; quæ in Archivo dictæ Ecclesiæ reperiuntur, munitæ ipsius sigillo, cujus circumferentiæ inscribitur *Ægidii Dei gratiâ Ebroicensis Episcopi*. In dorso autem scriptum est. *Contra falsa Privilegia S. Augustini; qualiter per unum Monachum falsarium S. Medardi adulterinis privilegiis se munierunt.*

Epist. 68.

"Quam

" Quàm gravis inter Regem Henricum & me ſervum Veſtræ
" Sanctitatis in initio noſtri Epiſcopatûs exorta ſit diſcordia pro re-
" paratione libertatis Eccleſiarum Norman. quæ à multis retro
" temporibus conculcatæ fuerant; diſcretionem veſtram non credi-
" mus ignorare. Illius ſiquidem perſecutionis turbine moti, &
" Parochiæ noſtræ fines exire compulſi, portum nonniſi in Apoſto-
" licæ pietatis ſinubus invenire potuimus. Quæ & quanta nobis
" ſolatia fœlicis memoriæ B. Innocentius Papa contulerit, vix
" mens poteſt concipere vel lingua proferre. Inter quæ hoc unum,
" quia ad modernorum non credimus notitiam perveniſſe, veſtræ
" Diſcretioni, tanquam dignum memoriâ, præſentis ſcripti relatio-
" ne ſtuduimus intimare. Dum B. Innocentius Remis celebratu-
" rus Concilium adveniſſet; me minimum ſervorum Dei cum
" fratribus & filiis noſtris ex more contigit intereſſe. Inter cæte-
" ros autem, quos nobiſcum adduximus, R. in Abbatem B. Au-
" doeni, W. in Abbatem Gemmeticenſem electi, nec benedicti,
" Apoſtolico ſe conſpectui in Abbatum ordine præſentârunt.
" Quorum electionem, immò dejectionem, dum Apoſtolicis au-
" ribus intimarem; diſcreto more ſuo ab eis diligentiùs inquiſivit,
" ſi fortè aliquibus Privilegiis autenticis munirentur, quorum pa-
" trocinio eorum perſonæ vel Eccleſiæ à Metropolitani ſubjectione
" comprobarentur immunes. Dum hæc Apoſtolica ſollicitudo di-
" ligenti ſcrutaretur inſtantiâ; venerabilem virum G. Catalaunen-
" ſem Epiſcopum, quondam Abbatem B. Medardi, ex divino
" munere contigit affuiſſe. Qui, dum B. Audoeni Electus circa
" quæſtionem Apoſtolicam hæſitaret, noſtræ dubitationi finem
" impoſuit, & illius præſumptionis tumorem antiquæ recordatio-
" nis fræno compeſcuit. Ait enim, quòd dum in Eccleſiâ B. Me-
" dardi Abbatis officio fungeretur; quendam Gvernonem nomine
" ex Monachis ſuis, in ultimo confeſſionis articulo ſe falſarium fu-
" iſſe confeſſum, & inter cætera, quæ per diverſas Eccleſias fig-
" mentando conſcripſerat, Eccleſiam B. Audoeni, & Eccleſiam
" B. Auguſtini de Cant. adulterinis privilegiis ſub Apoſtolico no-
" mine ſe muniſſe, lamentabiliter pœnitendo aſſeruit. Quin &
" ob mercedem iniquitatis quædam ſe pretioſa ornamenta recepiſſe
" confeſſus eſt, & ad B. Medardi Eccleſiam detuliſſe. Quo au-
" dito, B, Innocentius prædictum eſt ſciſcitatus Epiſcopum, ſi quod
" de plano interlocutus fuerat, jusjurandi religione firmaret?
" Quod ſe facturum vir Dei, religionis & veritatis amator, pro-
" poſuit. Quo audito Dominus Papa: Eia, inquit, mi frater
" cariſſime, indue te ornamentis dignitatis tuæ, & præſentibus
" Electis ſub profeſſione canonicâ manum benedictionis impone:
" quod ego impetratâ licentiâ aggreſſus ſum. Ipſe, quod mirabi-

" le

" le dictu est, venerabilium patrum conventum ejus adventum
" expectantium ingredi supersedit; quoad ego secum intraturus,
" benedictis rite Abbatibus, advenirem. Hæc, Pater Sanctissime,
" vobis duximus exaranda; exorantes, ut si prædictas Ecclesias
" contra institutiones patrias aliquid usurpare fuerit comprobatum;
" vos more solito & debito Ecclesiis singulis suam conservetis in
" omnibus æquitatem.

" Venerabili Patri ac Domino charissimo Alexandro Dei gratiâ
" S. R. E. Summo Pontifici E. eâdem gratiâ Ebroicensis Ecclesiæ
" humilis minister, servus tuæ Sanctitatis, obedientiam devotam
" & reverentiam. Quæ in schedulâ scripta sunt, quam vobis cum
" sigillo nostro Cantuariensis præsentat Ecclesia, ab ore bonæ me-
" moriæ Hugonis quondam Rothomagensis Ecclesiæ Archiepiscopi,
" patris & patrui mei, accepimus, & sigillo suo signata ad B. Tho-
" mam & Ecclesiam Cantuariensem transmisimus; ut veritas re-
" cordationis antiquæ eorum presumptionem compescat, qui in
" spiritu erroris & spiritu mendacii indebitam sibi vindicant liber-
" tatem. Privilegia autem, quæ ex confessione Gaufridi Catala-
" nensis Episcopi in præsentiâ sanctæ recordationis Innocentii Papæ
" adulterina probata sunt, & prædicto Domino nostro Archiepisco-
" po reddita, de mandato ejusdem Domini nostri igni comburen-
" da propriis manibus tradidimus. Conservet Deus personam
" vestram Ecclesiæ suæ per tempora longiora incolumem.

II. De Odonis Archiepiscopi Epistolâ vix operæ pretium est ali-
qua præfari. Eadmerus ipsam laudat in fine libri sui *de Vitâ S. Wilfridi*. Fridegodi opus sine præmissâ Odonis epistolâ evulgavit
Cl. Mabillonius in Actis Benedictin. Sæc. V. p. 283.

III. Gocelinus sive Gotselinus, Bertinianus vulgò dictus, nar-
rante Baleo, patriâ erat Morinensis, Monachus ad S. Bertini fa-
num. Postea crebrescente eruditionis famâ ab Anselmo Archiepi-
scopo in Angliam accitus, primò apud Ramesiam sub Hereberto
Abbate, postea apud S. Augustini Cant. Cœnobium, vitam Mona-
sticam duxit, & plures Sanctorum Anglicanorum Vitas literis con-
signavit. Paria habet Vossius, nisi quòd ordine inverso illum Mo-
nachum primò Cantuariensem, postea Ramesiensem fuisse velit.
Malè uterque. Si Gotselinus enim in Angliam ab Anselmo Ar-
chiepiscopo evocatus fuerit, neutiquam potuit inter Ramesienses
degere sub Hereberto Abbate, qui Abbatiam anno 1191. dereli-
quit. Certiora de Gotselino habet Willelmus Malmsburiensis
lib. 4. de gest. Reg. Angl. in fine. *Goscelinus*, inquit, *Monachus de*

Cent. 13. c. 17.

De Hist. Lat. l. 2. c. 48.

de S. Bertino, cum Heremanno Episcopo Salesberiæ quondam Angliam venerat, (Heremannus post triennalem moram apud S. Bertinum factam, in Angliam rediit anno 1058.) *insignis literarum & cantuum peritiâ. Is multos Episcopatus & Abbatias perlustrans tempore, præclaræ scientiæ multis locis monumenta dedit, in laudibus Sanctorum Angliæ nulli post Bedam secundus, Musicæ porro palmam post Osbernum adeptus. Denique innumeras Sanctorum Vitas stilo extulit; Veterum vel hostilitate amissas, vel informiter editas comptiùs renovavit. Hujus quoque* (S. Augustini Cant.) *Translationis seriem ita expolivit; ut eam præsentibus monstrâsse digito, futurorumque videatur subjecisse oculo.* Se Monachum fuisse S. Augustini Cant. Gotselinus in utrâque Præfatione ad Vitam S. Augustini testatur. Scripsit enim duplicem Historiam de ejusdem Vitâ. *Fecimus*, (inquit in Præfat. ad Hist. maj.) *de eâdem materiâ duos Codices, Majorem, & Minorem.* Majorem edidit R. P. Johannes Mabillonius in Actis Benedictin. Sæc. I. p. 499. addito etiam Libro ejusdem majore *de Miraculis S. Augustini*, ibid. p. 535. Historia Minor *de Vitâ*, & alia Minor *de Miraculis S. Augustini*, in Bibliothecæ Lambethanæ Codice Gotselino inscriptæ reperiuntur. Ex hoc *Vitam Minorem* descripsimus, & typis evulgari curavimus; ne primo apud Anglos fidei Christianæ prædicatori sua apud Anglos laus deesset; quamvis perpauca de illo Gotselinus noverit, quæ non antea Beda scripserit. Longè amplior est *Historia Major*; quæ tamen, si fabulas & inanes verborum phaleras demas, nil *Historiæ Minori* intactum habet. *Minorem* antea ediderat Dacherius in Appendice ad Lanfranci Opera *Paris* 1648. pag. 57. sed Authoris nomine & integro 36. capitulo destitutam. Plurima Gotselini opera in Codice perantiquo & pereleganti Cottoniano *Vespasian B.* 20. exstant isthoc ordine.

Historia Minor de Vitâ S. Augustini Cant. Archiepiscopi.
Historia Minor de Miraculis S. Augustini.
Historia Major de Vitâ S. Augustini.
Historia Major de Miraculis S. Augustini.
Sermo in Festivitate S. Augustini. Incipit. *Præclara diei præsentis solennitas.*

Libri II. *ad Anselmum de Translatione S. Augustini*, anno 1091. 6 Septembr. factâ. Hos Sæculo sexto Benedictino in lucem proferre Cl. Mabillonius spondet. His libris subjungitur serie continuâ *Vita S. Letardi.*

Vita S. Mildredæ,
Translatio S. Mildredæ, & Institutio Monasterii ejusdem.
Vitæ SS. Laurentii, Melliti, Justi, Honorii, Deusdedit, & Theodori, Archiepiscoporum Cant. In his quicquid historicum est, ex Bedâ totidem

tidem ferè verbis desumptum est, ampliatis duntaxat magnificè Bedæ sententiis, & miraculis multis in singularum fine appositis. In Vitâ S. Laurentii Author longa digressione factâ fidem sui temporis miraculis conciliare nititur.

Vita Adriani Abbatis S. Augustini, quem anno 708. obiisse refert.

Historia de Translatione ejusdem, tempore Willelmi Regis factâ.

Libellus contra inanes S. Mildredæ usurpatores, probans corpus ejus non in Parochiâ S. Gregorii Cant. in Ecclesiâ ficto nomine Miltrudis nuncupatâ, sed in Cænobio S. Augustini (ad quod ab Ælfstano Abbate translatum est tempore Canuti Regis) adservari.

Hactenus Codex Cottonianus. Præter hæc à Gotselino scripta memorat Baleus *Vitas SS. Swithuni, Grimbaldi, Erkenwaldi, Eadgithæ, Milburgæ, Witheburgæ*, & *Ivonis*, & *de Translatione Ivonis Historiam*. Porro vetustum Catalogum Sanctorum in Angliâ sepultorum Saxonicè scriptum Latinè convertisse dicitur ab Usserio. Versionis plurima exemplaria in Bibliothecis nostratibus reperiuntur. Ejusdem *Cronicam* laudat Willelmus Thorn. in Hist. S. Aug. col. 1783. Nec de alio intelligenda esse arbitror, quæ antiquum Ecclesiæ Eliensis Registrum habet cap. 10. *Tempore Symeonis Abbatis* (Eliensis, qui ab anno 1082. ad 1094. præsedit) *intererat inter Monachos quidam Gocelinus nomine, disertissimus, undique per Angliam Vitas, miracula & gesta Sanctorum Sanctarumque in Historiis in Prosis dicando mutavit. Hic scripsit Prosam S. Etheldredæ; cujus initium est*, Christo Regi sit gloria. Obitum illius Obituarium S. Augustini Cant. sic commemorat. *Idibus Maii obiit Gozelinus, Monachus & Sacerdos.*

Antiq. Brit. c. 2. p. 15.

IV. Osbernum Willelmus Malmsburiensis laude egregiâ donavit lib. 2. de Reg. cap. 8. *Plura*, inquit, *& non contemnenda de viro* (Dunstano) *volentem dicere revocat Cantuariæ Cantor Osbernus; qui ejus vitam Romanâ elegantiâ composuit, nulli nostro tempore stilo secundus, musicâ certè omnium sine controversiâ primus.* Apud Cantuariam natus, saltem apud Cantuariensem Ecclesiam à teneris annis enutritus fuit. Sic enim lib. 2. de Vitâ S. Dunstani c. 12. scribit. *Fortè ego cum alio puerulo coætaneo meo ad altare Christi* (Cantuar.) *ministraveram, consummatoque ministerio per gradus descendere incipiebam.* Idem capitulo ejusdem libri 20. tradit sibi prædicationis munus à Lanfranco Archiepiscopo commissum fuisse. Officia, quæ in Cænobio Cant. gessit, memorat nota Librarii ad calcem libri ejusdem addita in Codice Lambethano. *Explicit Liber Miraculorum beatissimi patris nostri & patroni Archiepiscopi Cant. Ecclesiæ secundùm Osbernum hujus Ecclesiæ Commonachum & Præcentorem & Suppriorem, qui erat vir doctissimus.* Obitum illius Obituarium Cantuariense his verbis dedit. IV. *Cal. Decembr. obiit Osbernus Præcentor Ecclesiæ Christi Cant.* Hujus ætate

Eccle-

Ecclesia Cantuariensis incendio conflagravit eo circiter tempore, quo Lanfrancus Archiepiscopatum suscepit, viz. anno 1070. Interierunt eo tempore præcipua Ecclesiæ Cant. monumenta, & veterum Archiepiscoporum & Sanctorum Anglicorum Vitæ elegantiores. Superfuerunt duntaxat aliqua in Anglicam linguam olim conversa. Ut hanc jacturam resarciret, & ex Anglicanis reliquiis Archiepiscoporum vitas Latinè concinnaret, sibi à Commonachis suis operam fuisse datam Osbernus in Præfatione ad Dunstani Vitam innuit. Ex his hodienum exstant Vitæ SS. Dunstani & Elphegi, cum Historiâ de Translatione Elphegi. Singulas edidi ex unico Bibliothecæ Lambethanæ Codice ; qui Ecclesiæ Cantuariensis olim fuit, & plures Archiepiscoporum & Sanctorum Cant. Vitas complexus est.

V. Dunstani vitam ante Osbernum literis consignârunt Adalardus Monachus Blandiniensis, & B. Saxonicus Sacerdos. Ille opus suum Elphego, hic Elfrico Archiepiscopo nuncupavit. Hunc fuisse Bridferthum, Monachum Ramesiensem, Abbonis discipulum Mabillonius conjicit. Bridferthum quidem Baleus laudat, & Dunstano coævum fuisse refert ; Vitam autem Dunstani ab illo scriptam nequaquam memorat. Hanc Dunstani Vitam ediderunt Actorum Sanctorum Collectores Antverpienses, Maii tom. 4. p. 344. Extitit penès eosdem Vita ejusdem ab Adalardo, jussu S. Elphegi Archiepiscopi, scripta & in xii. Lectiones ad matutinum recitandas distincta. Compendium est quasi Vitæ superioris, paucis duntaxat additis. Præfatur Adalardus in Opere suo *Responsoria Lectionibus suis & Lectiones respondere responsoriis suis.* Responsoria deerant in Codice Antverpiensi, habentur in Codice Lambethano. Utramque Vitam penès se Osbernus habuit, quando librum ejusdem argumenti suum contexuit. Aliam utrâque elegantiorem ante sua tempora interiisse dicit. Commentarium de Vitâ S. Dunstani suum Osbernus duobus libris absolvit. Primus de rebus ab ipso vivente gestis, secundus de Miraculis ejus post mortem factis agit. Uterque apud Acta Sanctorum Antverpiensia, Maii tom. 4. p. 344. & Mabillonii Acta Benedictinorum Sæc. 5. p. 654. exstat. Nos Librum secundum, ideo quòd ad Historiam perparum contulerit, prætermisimus.

Act. Benedic. Sæc. 5. p. 654.

Cent. 2. c. 35.

VI. Vitam S. Elphegi ab Osberno scriptam Eadmerus libro 1. de Vitâ Anselmi cap. 29. sic laudavit. *Historiam vitæ ac passionis ejus* (Elphegi) *diligenti studio fieri præcepit* [Lanfrancus) *Quam quidem Historiam non solùm plano dictamine ad legendum, verùm etiam musico modulamine ad canendum, à jocundæ memoriæ Osberno Cant. Ecclesiæ*

Monacho ad præceptum illius nobiliter editam, ipse suâ prudentiâ amore Martyris celsiùs insignivit, insignitam auctorizavit, auctorizatam in Ecclesiâ Dei legi cantarique instituit, nomenque Martyris hac in parte non parum glorificavit. Compendium hujusce Vitæ extat apud Capgravii Legendam Novam, atque exinde apud Surium die 19 Aprilis, ubi Osberno inscribitur, & tanquam Osberni opus à Baronio & aliis citatur. Genuinum Osberni opus evulgârunt Actorum Antverpiensium Collectores die 19 Aprilis, additâ ejusdem Historiâ de Translatione S. Elphegi ex Harpsfeildii Historiâ Eccl. Ista autem non longè post initium deficit. Utramque ex Codice Lambethano perfectam dedi. Extat utraque in Codice antiquo Bibliothecæ Cottonianæ *Otho. A.* 12. & in alio adhuc vetustiori *Vitellius D.* 17. Utrique Osberni nomen manu recentiori præfigitur. Osbernum autem authorem fuisse, præter Eadmeri locum supra adductum & Codicis Lambethani fidem, constat ex Malmsburiensi, qui Osberni librum de Vitâ Elphegi laudavit, & ex eo multa in nostro totidem verbis reperta descripsit. F. 116. 139.

VII. Osbernum Odonis Archiepiscopi Vitam conscripsisse Malmsburiensis testatur, qui in texendâ suâ de Pontificibus Anglorum Historiâ eâdem usus est. Ex pluribus autem, quæ adducit, illius locis colligi haud obscurè potest Osberni librum de Odonis Vitâ, quem Malmsburiensis vidit, à nostro diversum fuisse; quod & Mabillonius antea observavit. Hunc tamen, qui superest, librum sub Osberni nomine Mabillonius evulgavit Sæc. Benedict. 5. p. 283. eundemque eidem Authori inscriptum nos ex eodem Codice Lambethano repræsentavimus. Præterquam enim quòd alium Vitæ Odonis Scriptorem Baleus seu Pitsius non memoraverint; huic in Codice Cottoniano *Otho A.* 12. licèt manu recentiore, Osberni nomen præfigitur. Jocelinus quinetiam Vitam Odonis ab Osberno scriptam hac sententiâ inchoatam esse dicit: *Venerabilis Christi Confessor Odo nobilibus sed Paganis;* quæ Libri à nobis editi initium facit. Illa denique, in quibus Vita Willelmo citata à nostrâ discordat, levioris momenti sunt. Postea tamen errorem deprehendi. In antiquo enim Collegii Corporis Christi Cantab. Codice hæc Vita inter alia Eadmeri opera reponitur, eidemque inscribitur. Huic itaque restitui debet. De Hist. Angl. G. 10.

VIII. Vitam B. Bregwini brevem ex eodem Codice Lambethano accepi, inter Odonis & Elphegi Vitas collocatam. Hinc nata mihi est sententia, illam Osberno deberi posse. Postmodum verò illam in Johannis Tinmuthensis Sanctilogio inveni ad calcem Historiæ Aureæ in Bibliothecâ Lambethanâ. Eam Tinmuthensis ex uberiori

uberiori Eadmeri Commentario de ejusdem Vitâ accepit, verbis istius ut plurimùm asservatis. De Eadmeri libro inferiùs dicendum est.

IX. Johannes de Saresburiâ (de Salopesbiriâ Annales Teokesbirienses illum perperam cognominant) sæculo duodecimo haud vulgari eruditionis famâ enituit. Supersunt ab illo scripta *Polycraticon* seu *de Nugis Curialium*, & *Vita Thomæ Becket Archiepiscopi*, & inter ejus Epistolas *Epistolæ* quamplures. Multa alia ab illo conscripta Baleus recenset, & in his *Vitam Anselmi Archiepiscopi*. *Erat hic Johannes*, authore Gervasio, *à juventute suâ Cantuariensis Ecclesiæ Clericus, primò Theobaldo Archiepiscopo, postea S. Thomæ etiam in exilio fideliter adhærens.* Postremùm in Ricardi Archiepiscopi famulitium transiit. Antiquitus enim Clerici literati pluribus ordine Archiepiscopis Cant. adhærere, & sub ipsorum auspiciis negotia Ecclesiastica exequi solebant. Quæ enim nunc Archiepiscopi Cancellariis, Vicariis, atque aliis Officialibus Laicis exequenda committunt, olim ipsi, adhibitâ Clericorum domesticorum operâ, executi sunt. Sic Johannes tribus ordine Archiepiscopis, sic Gerardus la Pucelle Thomæ & Ricardo Archiepiscopis obsequium domesticum præstiterunt. Johannem Theobaldus Archiepiscopus testamenti sui supremi curatorem constituit. Testamentum in Archivis Ecclesiæ Cant. extat, breve admodum, sed pium & tanto Præsule non indignum. Id antiquitatis causâ subnectendum duximus.

Cent. 3 c. 1.

Chron p. 1434.

" Theobaldus Dei gratiâ Cant. Ecclesiæ minister humilis, omni-
" bus sanctæ matris Ecclesiæ filiis & fidelibus salutem & benedictio-
" nem. Supremis deficientium voluntatibus suum accommodant
" jura favorem; & in se velut inhumanus provocat iram Dei, qui
" piis eorum desideriis obvius contradicit. Nostra quidem volun-
" tas est, quæ Deo auctore nunquam immutabitur, ut residuum
" bonorum nostrorum mobilium, quæ propter necessitates dome-
" sticas & diuturnitatem languoris usque ad exitum vitæ duximus
" retinenda, in usus pauperum omnino cedat; secundùm quod
" Dominus nobis inspiravit, & sicut dedimus in mandatis venera-
" bili fratri nostro Gauterio Roffensi Episcopo, & fidelibus nostris
" Philippo Cancellario nostro, M. Radulfo Lexoviensi & Johanni
" de Saresbiriâ, quos eleemosynæ nostræ dispensandæ præfecimus.

Quæ Johannes in famulatu Thomæ Archiepiscopi positus præstiterit, Quadrilogii Authores & Thomæ Epistolæ abunde docent. Quod autem ad argumentum præsens attinet, constat ex epistolâ Alexandri Papæ libro Johannis *de Vitâ Anselmi* subjectâ Thomam Papæ in Concilio Turonensi anno 1163. obtulisse librum de Vitâ

 & mira-

& miraculis Anselmi, eo usum consilio, ut Anselmum Sanctorum albo inscribi obtineret. Librum Thoma jubente Johannes conscripsit; qui ferè integrum ex Eadmeri Libris de Vitâ Anselmi & de Miraculis ejusdem consarcinavit, iisdem etiam verbis plerunque usus. Johannis Librum dedit Codex Lambethanus supra laudatus, qui notam hanc in ejusdem calce appositam habet. *Scriptum per me Fratrem & Commonachum Ecclesiæ Christi Cant. Dompnum Ricardum Stone; anno 1507. perfecit hoc opus die 12. Decembris.* Orto brevi post Concilium Turonense inter Regem & Thomam dissidio, Anselmi canonizatio in medio relicta est. Eam demum perfecit Alexander VI. Papa, Bullâ ad Johannem Archiepiscopum Cant. anno 1494. datâ, quæ in Conciliorum Anglic. tomo 2. p. 721. & exinde Concil. Lab. tom. 13. p. 1476. reperitur. Dum Ricardo Archiepiscopo Johannes famulitium præstaret; Decanus, Cantor, Clericique plures Carnotensis Ecclesiæ Cantuariam advenientes, ipsum in Episcopum Carnotensem elegerunt 1176. 22 Julii. Consecratus est apud Senonas à Mauritio Parisiensi Episcopo 1176. 8 Augusti. Obiit 1181. vel 1182. die 24. Octobr. teste Obituario Cantuariensi.

Gervas. & Diceto.

X. Eadmerus, Monachus Ecclesiæ Christi Cant. Anselmi Archiepiscopi discipulus & comes individuus, quamplurima scripta posteritati transmisit. De illo ubertim agunt Seldenus in Præfat. ad Hist. Nov. Baleus Cent. 2. cap. 68. & alii. Ad Episcopatum Santandreanum anno 1120. electus, dimisso Episcopatu ad Cantuariam rediit anno 1121. Hunc ab Elmero Ecclesiæ Cant. Priore Baleus diversum facit, diversaque singulis opera inscribit. Huic favet Gervasius, qui Eadmeri Historiam sæpiùs citans, non alio quàm Cantoris titulo illum cohonestat. Sic etiam Obituarium Cantuariense: *Edmerus Præcentor Cantuariensis obiit Idibus Januarii.* Nota autem in fine Vitæ Anselmi addita in Codice Lambethano sic habet. *Explicit Vita Anselmi edita ab Edmero ejus discipulo & hujus sanctæ Cant. Ecclesiæ Monacho & postea Priore Ecclesiæ Christi Cant.* Paria ibidem ad calcem Vitæ metricæ Anselmi extant. Elmerum Monachis Cantuar. ab anno 1128. ad 1137. præsedisse in superiore tomo ostendi. Huic verò alium ab Edmero Cantore obitûs diem Obituarium Cantuariense posuit. Eadmerum itaque Historicum ab Elmero Priore diversum Baleus rectè statuisse videtur. Sunt tamen inter ea, quæ Elmero idem Author inscribit, nonnulla quæ Eadmero potiùs deberi censeo. Magis insignem Eadmeri Historiam, quæ *Novorum* dicitur, & de rebus gestis Lanfranci, Anselmi & Radulphi Archiepiscoporum agit, Johannes Seldenus edidit *Londini* 1623. f. Reliqua ferè illius Opera exstant in Codice Collegii

Hist. Nov. l. 5. p. 130.

Cent. 2. c. 72.

Cod. 159. f.

P. 137.

gii Corporis Christi Cantabrig. valde antiquo & elegantissimè scripto, *vol.* 338. 4°. isthoc ordine disposita.

Carmen de S. Dunstano.

Carmen de S. Edwardo Rege & Martyre.

Epistola alterius ad Edmerum de matre S. Edwardi.

Epistola Nicolai ad Edmerum, utrùm Eboracensis Ecclesia primatum super Scotos habeat. Istam ex hoc ipso Codice descriptam habes in hac parte secundâ. Authorem ejus fuisse arbitror Nicolaum Ecclesiæ Wigorn. Priorem, qui anno 1124. vivis excessit. Maximam enim Eadmero cum Monachis Ecclesiæ Wigorn. familiaritatem intercessisse constat ex Epistolâ, quam de electione Episcopi faciendâ ad hos Monachos anno 1123. scripsit. Quinimo Nicolaus in Cœnobio Cantuariensi sub Lanfranco Archiepiscopo educatus, teste Malmsburiensi, Eadmerum condiscipulum habuit. Vidit hanc Epistolam Jocelinus, & in Antiquitatibus suis Britan. ejusdem compendium exhibuit. Graviter autem hallucinatus, tam Authoris sententiam malè reddidit, quàm de illius patriâ malè sensit. Scotum enim fuisse existimavit.

Vit. Wlstani l. 3. c. 17.

Pag. 19.

Quale sit, quod Glastonienses dicant corpus S. Dunstani se habere. Hujus libri duplex apographum extat in Codice Lambethano sæpiùs memorato. In eodem subjiciuntur Epistolæ Willelmi Warham Archiepiscopi & Abbatis Glastoniensis de corpore S. Dunstani. Has ob argumenti similitudinem adjunximus. Easdem Ecclesiæ Cant. Registrum habet.

Vita S. Wilfridi Archiepiscopi Ebor. Hanc Mabillonius edidit Sæc. Benedict. 3. par. 1. p. 196.

Vita S. Odonis Archiepiscopi Cant. Exstat in hac Parte secundâ & apud Mabillonium Sæc. V. p. 283. Osberno perperam inscripta.

Vita S. Dunstani Archiepiscopi Cant. Hanc cum Libro de Dunstani miraculis sequenti in compendium redacto Surius edidit ad diem 19 Maii, demptâ duntaxat Præfationis parte maximâ. Auctoris nomen codici Suriano defuit. Legerat autem Surius apud plures Osbernum quendam de Dunstani Vitâ commentatum fuisse. Huic itaque opus inscripsit, quamvis memoriâ nonnihil lapsus *Osberti* nomen pro *Osberni* reposuerit. Hujus Osberti ætatem in anno 1020. statuit, errore turpissimo, cùm ferè omnia Dunstani miracula sub ejusdem Authoris nomine ab ipso evulgata Lanfranci Archiepiscopi mentionem ingerant, quin & nonnulla tempore Anselmi facta inibi legantur. Errorem Surio initum alii facilè sectati sunt, & in his Baronius, qui Vitam istam Osberni nomine sæpiùs laudavit, & Spelmannus, qui Osbertum Surii à nostris Osbernum rectè dici affirmavit. Postquam genuinum Osberni opus prodiit, Vita Suriana

Concil. Angl. p. 492.

riana Osberto de Clara Priori Westmonasteriensi ascribi cœpit. [Floruit Osbertus ab anno 1108. ad 1140. quod ex Epistolis ejus in Bibliothecâ Cottonianâ asservatis constat.] Sic Editores Actorum SS. Antverpienses, Maii tom. 4. p. 344. Verè autem debetur Eadmero, qui Osberni opus ejusdem argumenti nunquam vidit, & hanc eodem circiter tempore contexuisse videtur. Antiquo tamen quodam Vitæ Dunstani Authore, eodem quo & Osbernus, usus, multa Osberno communia habet. Ea atque alia minoris momenti, quæ apud Osbernum satis ubertim habentur, prætermisi; adeò ut tertiam duntaxat Vitæ ab Eadmero scriptæ partem ediderim.

Liber de Miraculis S. Dunstani. Illa se scriptis consignaturum Eadmerus in fine superioris libri pollicitus fuerat. Extant apud Surium in compendium redacta. Mihi prætermittenda erant.

Scriptum de ordinatione B. Gregorii.

De excellentiâ B. Mariæ. Habetur ad calcem Anselmi Operum à Gabriele Gerberonio editorum *Paris* 1675. *f.*

Vita & miracula S. Oswaldi Archiepiscopi Ebor. Hanc typis exprimendam curavi. Aderat quidem in Codice Cottoniano *Nero E.* 1. Vita Oswaldi antiquior, ex qua sua de Oswaldo omnia Eadmerus hausit, a Monacho Ramesiensi tempore Ælfrici Archiepiscopi Cant. scripta. Verùm istam tum ob nimiam prolixitatem tum ob affectatum dicendi genus rejeci. Incipit, *Cùm solerter Ilias & Odissea atque Æneidos Virgilii sint exarata.* Hanc Eadmerus ferè abbreviavit; omnia autem scitu digna retinuit, & opus longè utilius condidit. Porro Senatus Prior Wigorniensis à Baleo, & Folcardus Monachus Cantuariensis ab Orderico Vitali, Oswaldi vitam scripsisse dicuntur. Utriusque Opus interiit. Aliam ex Chronico Ramesiensi Mabillonius evulgavit Act. Benedict. Sæc. V. p. 735. Diversa apud Capgravium reperitur, ex Tinmuthensis farragine, stilo immutato, desumpta. Tinmuthensis Eadmeri librum vidit, & in multis imitatus est. Ejusdem denique Oswaldi Vita inter alias Sanctorum Legendas ab Elfrico Saxonicè conscripta superest.

Cent. 3. c. 10.

l. 2. ad an. 1108.

De beatitudine perennis vitæ. Exstat ad calcem Anselmi Operum in editione nuperâ Parisiensi.

Vita S. Bregwini Archiepiscopi Cant. Scripta est post mortem Radulphi Archiepiscopi, qui anno 1122. obiit. Hujus Epitome à Johanne Tinmuthensi concinnata est; quæ Osberno perperam inscripta in hoc volumine prodit. Postea factâ nobis Codicis Cantabrigiensis copiâ, luculentiorem Bregwini vitam ab Eadmero scriptam luci publicæ subducere noluimus.

Vita S. Anselmi Archiepiscopi Cant. libris II. Habetur in omnibus ferè Anselmi Operum editionibus, & apud Surium die 21 Februa-

rii. Ubivis autem duo posteriora Capitula desiderantur; quamvis ea in omnibus, quæ vidi, hujus Operis exemplaribus MSS. reperiantur, & ab Eadmero in Prologo ad Librum de Miraculis S. Anselmi laudentur. Inibi enim Eadmerus dicit se de miraculis Arnulfi Comitis & Roberti Monachi in calce Librorum de Vitâ Anselmi egisse.

Liber de miraculis S. Anselmi. Eundem Codex Lambethanus sæpe dictus habet.

De conceptione S. Mariæ.

Vita Petri primi Abbatis Cœnobii S. Augustini Cant.

Sententia de memoriâ Sanctorum, quos veneraris:

De commovendo super se manum S. Petri Apostoli.

De Reliquiis S. Andoeni & aliorum Sanctorum in Ecclesiâ Christi Cant.

De Gabriele Archangelo.

Alia Eadmeri scripta recenset Baleus, atque alia quædam Gerberonius evulgavit ad calcem Anselmi Operum. *Vitam S. Anselmi* carmine heroico scriptam Codex Lambethanus habet; Epistolas Eadmeri plures Codex vetustus Cottonianus *Otho A.* 12.

Cent. 2. c. 68.

XI. Vitam Wolstani Episcopi Wigorniensis ex Codice Cottoniano antiquo *Claudius A.* 5. descripsi. Prætulit iste manu nuperâ ascriptum Senati Bravonii nomen. Senatus Prioratum Wigorniensem ab anno 1189. ad 1196. administravit. Hunc Wolstani Vitam literis consignasse refert Baleus; qui ab antiquo urbis Wigorniæ nomine Bravonii cognomen eidem dedit. Illam autem, quam evulgamus, Wlstani Vitam non Senatus, sed Willelmus quidam scripsit, à Monachis Wigorniensibus rogatus, ipse tamen alieni Cœnobii Monachus; quod ex Epistolâ nuncupatoriâ & Prologo clarissimè constat. Hunc non alium ab eximio hujus Sæculi Historico Willelmo Malmsburiensi fuisse patet ex libro 1. cap. 12. clariùs autem ex libro 3. cap. 16. in quibus Author ad Libros *de gestis Pontificum* & *de gestis Regis Anglorum* à se olim scriptos Lectorem remittit. Fusè antea Willelmus Wolstani res gestas tradiderat libro 4. *de gestis Pontif.* ubi nonnulla reperiuntur, quæ in hoc uberiore Commentario frustra quæruntur. In hoc Willelmi opere describendo plures otiosas sententias passim rejeci; atque integra plerunque Capitula prætermisi, indicatis tamen ut plurimùm, de quibus singula agunt, argumentis. Illa enim exhibuisse multum tœdii Lectoribus & molis inanis præsenti Volumini, nil autem emolumenti Historiæ Ecclesiasticæ seu rei literariæ contulisset. Præter hanc Wolstani, & præcedentem Aldelmi Vitam, scripsit Willelmus Vitam S. Dunstani libris duobus, & SS. Patricii, Benigni atque Indracti: prout ipse in Prologo ad Antiquitates suas Glastonienses prodit.

Cent. 3. c. 16.

XII. Gun-

XII. Gundulfi Roffensis Episcopi Vitam dedit Codex Cottonianus *Nero A.* 8. longè elegantissimus, Gundulfi ætate parum inferior, & picturis miniatis ornatus. Scriptam fuisse à Monacho quodam Roffensi plurima ipsius loca indicant; seque cum Gundulfo familiariter conversatum esse Author in Prologo testatur.

XIII. Roberti Betun Herefordensis Episcopi Vitam accepi ex Codice Lambethano eximiæ elegantiæ & antiquitatis. Aliud ejusdem exemplar habet Bibliotheca Cottoniana *Julius D.* 11. longè recentius. Codex Lambethanus epistolam nuncupatoriam ad Henricum Wintoniensem Episcopum, Cottonianus ad Reginaldum Priorem (Wenlocensem, vide l. 2. c. 25.) præfert. In reliquis nulla est inter Codices discordia. Hujus Vitæ Author fuit Willelmus de Wycumba, Roberti Episcopi Clericus familiaris, & postea Prior Lanthoniensis ordine quartus. Adversam ejus in Prioratu fortunam ex Historiâ Lanthoniensi inferiùs retuli p. 322. Habetur siquidem ad Codicis Cottoniani calcem Cœnobii Lanthoniensis Historia, quam Dugdalius ex eodem in Monasticon suum transtulit tom. 2. p. 58. Præfatione tamen atque parte posteriore mutilatam. Partem enim secundam, utpote aliâ manu scriptam, diversum esse opus arbitratus, imperitus Amanuensis prætermisit; in primâ etiam parte mediam ferè Historiam sparsim resecuit. Ipse quinetiam Codex, quod ex Indiculo Capitulorum præmisso constat, in medio Historiæ cursu abrumpitur in obitu Rogeri de Norwich Prioris sexti, qui anno 1191. defunctus Galfridum ejusdem loci Canonicum successorem habuit, ex Annalium Winchelcumbensium fide. Illustri elogio Willelmum ista Historia donavit. *De hujus*, inquit, *eximiâ literaturâ etsi lingua ingrata silere voluerit, paginæ tamen diserto sermone ad ipso editæ ejus peritiam immarcescibili præconio loquentur. Erat siquidem hic Willelmus vir summæ eloquentiæ, sæpedicto Roberto Episcopo diuturnæ dilectionis affectu familiaris, Capellanus videlicet ejus; vir quidem multarum virtutum titulis insignis, sed aliquantulum districtâ severitate austerus.* Ætatem illius in anno 1230. Baleus & Pitsius malè collocârunt. Cæterùm taceri non debet *Robertum Betun* in Codice Cottoniano *Retun* ubivis appellari, sed neque à me errorem fuisse commissum in Additamentis ad Successionem Priorum Lanthoniensium p. 322. Plures enim ex iis, quos subjeci, Priores Cœnobio Lanthoniensi alteri, in agro Notinghamensi sito, præfuisse videntur. Certè mihi hujus Cœnobii Registrum [*Otho C.----*] cursim pervolventi Thomæ de Elinham Prioris nomen occurrit. In Priorum Indiculo à me compilato tres duntaxat Prioratum Lanthoniensem prope Glocestriam administrâsse conjicio, sc. Thomam de Gloucestria, Willelmum anno 1358. & Henricum Deane.

XIV. Ro-

XIV. Roberti Grosthed, Præsulis maximi, Vitam tanto viro non indignam obtinere valde cupiebam. Non aliam autem invenire potui, quàm hanc Ricardi salebrosam, inelegantem, nonnullibi etiam insulsam, luce planè indignam, nisi egregiâ argumenti dignitate commendaretur. Ex eâ quæcunque ad illustrandam Roberti Vitam spectare videbantur, excerpsi; fabulas crassiores & inanes flosculos rejeci. Codicem MS. dedit Ecclesiæ Westmonasteriensis Collegiatæ Bibliotheca. Author nomen, ordinem & ætatem suam notâ in calce additâ indicavit. Sequitur in eodem Codice *Historia S. Hugonis martyris*, per eundem versu Elegiaco concinnata. Huic ista subjicitur nota. *Finit Historia sancti ac parvuli Hugonis, Christi livore a Judæis martyrizati, ad similitudinem passionis Christi per omnia, secundùm dictamen Richardi Bardeniensis Monachi & in Theologiâ Bachalarii.*

XV. Robertum Grosthead splendidis elogiis extulerunt, quotquot Historias illius temporis contexuerunt: Præ aliis autem Matthæus Paris, cujus Historia sæpiùs prodiit. Inter Historicos ineditos Annalium Lanercostensium Author Robertum uberrimè celebravit. Illius proinde verba Vitæ Roberti subjeci. Extant Annales de Lanercost ab Adventu Saxonum ad annum 1347. valde prolixi, in Bibliothecâ Cottonianâ *Claudius D. 7.* Cœnobium Lanercostense in Cumbrensi Provinciâ prope Scotiæ limites situm est. Annales ejus à pluribus sese ordine excipientibus conscripti sunt. Sic enim legitur ad annum 1245. *Electus obiit Glascuensis; quem ego terræ commendavi in Ecclesiâ suâ de Tungham.*

XVI. Vitæ Thomæ de Bekinton & Willelmi de Wickham Episcoporum debentur Thomæ Chaundler authori, & ex Codice Cottoniano *Titus A. 24.* acceptæ sunt. Plura de seipso Chaundlerus docet in Excerptis Colloquiorum sequentibus. Nonnulla autem, quæ alibi de eo dicta inveni, præmittam. Thomas Chaundler, A. M. Socius Novi Collegii Oxon. Diaconus à Thoma Wellensi Episcopo ordinatus est 1444. 21. Febr. Presbyter ab eodem 1445. 13. Martii. Collegii Wintoniensis Custos creatus est 1450. 18. Nov. Collegii Novi Oxon. 1453. exeunte Februario vel ineunte Martio. Ecclesiæ Wellensis Cancellarius fuit anno 1454. Academiæ Oxoniensis Cancellarius ab anno 1457. ad 1461. Successit Thomæ Gascoign in Præbendâ de Comb Ecclesiæ Wellensis 1459. 15. Martii. Cancellarius Eboracensis Ecclesiæ admissus est 1467. 25. Febr. resignavit 1486. obiit 1489. Plurima illi cum Thoma de Bekinton Episcopo Wellensi familiaritas intercessit; plurésque

Reg. Bekynton.

Antiq. Oxon. par. 2. p. 132.

Reg. Bekynton.

Reg. Ebor.

plureſque opimas Dignitates ipſius dono accepit; quo nomine multæ panegyricæ & regratiatoriæ Epiſtolæ ad illum à Chaundlero ſcriptæ inter Epiſtolas Bekintoni reperiuntur. His dictis, ad Codicem Cottonianum redeo. Continet is primo loco *Cronicam brevem de ortu, vitâ ac geſtis Willelmi de Wykham,* nulli Authori inſcriptam. Hanc ex eo deſcriptam edidi, & Thomæ Chaundler aſcripſi, ideo quòd omnia, quæ habet, in ſequentibus Chaundleri Collocutionibus verbatim reperiantur. Et ſanè ſi loca de Virtutibus communia, & Willelmi laudes luxurianti calamo amplificatas ſæpiùsque ingeſtas demas; nil hiſtoriæ habet ſpiſſum Collocutionum opus, quod brevis hæc Epitome non exhibebit. Sequitur in Codice *Teſtamentum Willelmi Wickham,* apud Suthwaltham 1403. 24. Julii conditum. Dein *Poema de ortu, vitâ & obitu Willelmi Wickham Epiſcopi Winton. & Fundatoris CC. Clericorum.* Poema excipit prolixum Opus, in duas Allocutiones diſtributum. Prima Allocutio habet Collocutiones 7. His titulus eſt. *Collocutiones VII. de laudibus Willelmi de Wyckham, Fundatoris ducentorum Clericorum.* Nuncupantur iſtæ Thomæ de Bekyngtona, Epiſcopo Well. & Bathon. epiſtolâ prolixâ, quæ ſic incipit. *Cùm dudum, beatiſſime Præſul, eam quam apud Oxoniam reipublicæ curam geſſi & Cancellariatûs officium ſuccedenti mihi nobili ac digniſſimo Præſuli tradidiſſem.* [Cancellariatum Oxonienſem à Thoma derelictum anno 1461. Præſul nobiliſſimus Georgius Nevill Epiſcopus Exonienſis ſuſcepit] ----- *Collocutiones iſtas ſcias velim per unum è Scolaribus, quem ego in teneris annis Philoſophiam docui, ſuo modo indigeſtè collectas, mihi tamen amico, cùm Wintonienſe Collegium cuſtodirem, in libello conſcriptos, nullo præter nos hominum ſciente. Sed ego elimato ſuperfluo, plurimâ ſui parte correctas, in multis verò mutatas, tibi duxi tranſcribendas.* Collocutores ſunt Philoſophi duo, Paneſtius & Ferrandus. *Collocutio prima de laudibus Thomæ Epiſcopi Wellenſis agit.* Ex hac deſumptam Vitam Thomæ Epiſcopi brevem exhibui. *In ſecundâ oſtenditur Willelmum, nobilem Fundatorem, virum extitiſſe moribus compoſitum; & tranſcurrendo morales virtutes, ſimulque interſerendo Willelmi vitam, Collocutionem ingrediuntur quædam de ejuſdem ſapientiâ. Collocutio tertia oſtendit eundem nobilem Fundatorem hominem fuiſſe moraliter fortem. Collocutio quarta de ejuſdem temperantiâ. Quinta emergentem diſſolvit ambiguitatem, ſc. an ſapiens poſſit perturbari. Sexta de nobilis Willelmi fundatoris juſtitiâ agit. Septima Domino Willelmo nobili Fundatori cæteras virtutes morales contribuit.* Sequitur *Allocutio ſecunda, ubi de verâ laude & gloriâ demonſtrabitur, quæ fideles hìc Chriſtianos glorioſos magis efficiunt & laudabiles.* Iſta Dialogi formam non habet. In collocutione quintâ Collocutores ſunt Cancellarius, Paneſtius & Ferrandus. Cancellarium ſic alloquitur Paneſtius. *Cancellarium te nuper Oxoniæ, modò tamen Wellenſis Eccleſiæ factum læti cognovimus, ô digniſſime*

Antiq. Oxon. par. 2. p. 411.

nissime Custos Thoma; & cùm in utroque dignitatis statu vir steteris honoratus, ut sis idem & uterque & Cancellarius & Custos; qui Dei & fundatoris Willelmi perpetuo beneficio, primò Wintoniæ puer, hinc Oxoniæ Socius, iteratò Wintoniæ Custos, & demum Oxoniæ, ibi quoque & hujus Ecclesiæ Cancellarius, omnem vitam ab adolescentiâ consumpseras. Ex his locis Thomam Chaundler Colloquiorum authorem esse satis superque constat; quamvis Codex nomen ipsius non præferat. His Colloquiis usus est Thomas Martin LL. D. Cancellarius Wintoniensis sub Gardinero Episcopo, in suo *de Vitâ Willelmi Wickham* Commentario concinnando. Prodiit iste post Authoris obitum *Londini* 1597. editus, & suppresso Authoris nomine *Oxoniæ* 1691. recusus.

XVII. Vitam Henrici Spenser Norwicensis Episcopi ex Codice Cottoniano *Tiberius A.* 8. hausi. Continet is Johannis Capgravii Commentarium *de Illustribus Henricis*, in tres partes divisum. Prima pars agit de Henricis Imperatoribus, viz. I. II. III. IV. V. VI. Germaniæ; secunda de Henricis Regibus Angliæ viz. I. II. III. IV. V. VI. Tertia de aliis illustribus Henricis, viz. de Henrico Rege Dacorum circa annum 1200. Henrico Rege Franciæ circa an. 1030. Henrico filio Ricardi Regis Romanorum & Imperatoris Alemanniæ, Henrico Comite Campaniæ postea Rege Jerosolimorum, Henrico fratre Ludovici Regis Franciæ, Henrico Duce Lancastriæ, Henrico Bohun Comite Herefordiæ, Henrico de Bellomonte circa annum 1332. Henrico le Spenser Episcopo Norwicensi, Henrico Archidiacono Huntingdonensi, Henrico Archidiacono Gandavensi, & Henrico de Urimariâ Ordinis Eremit. S. Augustini, cujus Ordinis ipse Capgravius in Angliâ Provincialis fuit. Opus integrum epistolâ præmissâ admodum prolixâ Henrico VI. Angliæ Regi dicatur. In ejusdem Vitâ Johannes dicit se illo anno, quo natus est iste (viz. 1422.) quartum vel quintum sacerdotii sui annum egisse, & apud Londinum studiis tunc incubuisse. Obiit apud Lynnam in Norfolciâ 1464. 12. Augusti, authore Baleo[a], anno 1484. juxta Pitsium[b]. Mihi potior est Balei authoritas. Multa alia Capgravius scripsit, à Baleo recensita. Ex his Opus præcipuum *de Vitis Sanctorum Angliæ*, titulo *Legendæ Novæ Sanctorum Angliæ*, tacito Authoris nomine, prodiit *Londini* 1516.

[a] Cent. 8. cap 1.
[b] Cap. 883.

XVIII. Articuli Ricardi Scrope Archiepiscopi Eboracensis adversùs Henricum IV. Angliæ Regem, & Clementis Maydestone Historia de Ricardi Martyrio, exstant in Collegii Corporis Christi Cantabrig. bibliothecâ. Articulos habet Continuatio Historiæ Petri Ickham ad annum 1468. deducta, quæ in Bibliothecâ Lambethanâ asservatur. Hujus codicis beneficio frequentes apogra-

 phi

phi ex Codice Cantabrigiensi facti errores emendavi, nonnullos tamen præ nimiâ festinatione prætermisi. Hos à Lectore, Codicis Lambethani fide, sic emendari peto. Pag. 362. lin. 22. pro *fecimus* substitue *fuimus*. p. 363. l. 8. post *formidine vel* adde *vi*. l. 18. lege *Lancastriæ*, l. 20. pro *cæteros* lege *certos*. l. 25. post *dicimus* adde *excipimus*. l. 44. pro *& omnino jurans* lege *jurans omnino*. p. 364. l. 36. pro *inductus* lege *ductus*. p. 365. l. 15. pro *contentis* lege *contenti*, l. 30. post *injuriam* adde *regni*, l. 31. pro *alienas* lege *alias*. p. 367. l. 32. pro *exactas* lege *exactiones*, l. 46. pro *proditionem* lege *perditionem*. p. 368. l. 6. lege *& in Regem*, l. 11. lege *meritorioque*.

XIX. Giraldi Cambrensis tempora inferiùs (p. 374.) disposui, res gestas ipse in sequentibus Libris fusissime tradidit. Est tamen quiddam, quod in Chronologiâ rerum à Giraldo gestarum emendari velim. Dixi Giraldum anno circiter 1150. natum fuisse. Veriùs annus 1146. ipsi natalis fuit. In Libro enim suo *de Principis Instructione* refert se Parisiis literarum studia excoluisse anno ætatîs circiter vicesimo, quando Philippus Augustus, qui postea Galliæ regnum obtinuit, natus est, sc. medio anno 1166. Neque inutile erit monuisse illum fuisse Archidiaconum Brechiniensem in Ecclesiâ Menevensi, non *Brechiniæ ac Meneviæ*, quod Baleus habet, nec *primò Brecnoccensem postea Menevensem*, quod vult Pitseus. Unicum enim Brechinæ Archidiaconatum Giraldus obtinuit; quamvis ab Ecclesiâ Cathedrali *Menevensis Archidiaconus* in Pontificum, Regum ac sui-ipsius literis sæpiùs appellatus fuerit. *Silvestris* prænomen sibi ab æmulis suis contumeliæ inferendæ animo datum fuisse ipse conqueritur: sive ex illo inimici hominem, ut pote in barbaris Insulæ regionibus natum, agrestibus & inconditis moribus prædîtum esse indicare voluerint, seu nimium Silvestris Merlini vaticiniorum studium irriserint. Certè dissimulari nequit Giraldum, virum aliàs sapientissimum, somniis, vaticiniis & visionibus nimium tribuisse. Somnia sua in Historiis à se editis sæpiùs commemoravit; amplam Visionum farraginem in fine Historiæ *de Rebus à se gestis* exhibuit; & Silvestris Merlini vaticinia seu potiùs deliria summo studio conquisivit, Latinè vertit, & scriptis suis passim intexuit. De scriptis illius nunc agendum est; ac primò de iis, quæ in lucem jamdiu prodierunt.

Cent. 3. c. 59.
cap. 299.

Topographia Hiberniæ, sive *De Mirabilibus & Habitatoribus Hiberniæ* libri tres ad Henricum II. Angliæ Regem. Habentur inter Scriptores de rebus Anglicis editi *Francofurti* 1602. *f*. p. 692.

Expugnatio Hiberniæ, sive *Historia Vaticinalis de Expugnatâ ab Anglis Hiberniâ*. Hujus duplex a Giraldo facta est editio. Secunda, quæ

quæ in multis auctior est, in nonnullis brevior, Johanni Angliæ Regi nuncupata, libris duobus absolvitur, & cum præcedenti Opere in editione Francofurtensi prostat p. 755. Prima, quæ in Bibliothecâ Lambethanâ reperitur, Ricardo Pictaviensium Comiti (postea Angliæ Regi) dicata est, & tres libros complexa est. Duo priores libri cum editione secundâ ferè sunt communes, nisi quòd in secundâ Author pleraque addiderit, & nonnulla quæ relegenti minùs placuerunt resecuerit, & in his omnia ex Merlini Silvestris vaticiniis citata testimonia unico excepto. Tertius Liber *de Vaticiniis* titulum habet, atque hoc exordio argumentum suum enarrat. *Quoniam in prioribus Libris Merlini Vaticinia tam Celidonii quàm Ambrosii locis competentibus, prout res exigebat, inseruimus; Ambrosio verò dudum exposito, nondum Celidonius Britannicam exutus barbariem, usque ad hæc nostra tempora latuit parum agnitus; nostræ videbatur interesse diligentiæ tam ipsam ab antiquis & occultis scrutabundâ inquisitione latebris, ut pulchriùs elucescat, in commune deducere, & ab ignorantiæ tenebris in lucem transferre, quàm translatum quoque præsenti volumini coaptare.*

Itinerarium Cambriæ, ad Stephanum Cant. Archiepiscopum libris duobus conscriptum. Exstat ibidem typis Francofurt. expressum. p. 818.

Descriptio Cambriæ, ad Stephanum Archiepiscopum, libris duobus comprehensa. Primum Librum, qui *de Laudabilibus Walliæ* inscribitur, unà cum Itinerario præcedenti, evulgavit David Powelus S. T. P. Wallensis *Londini* 1585. 8. & exinde Typographi Francofurtenses p. 880. Secundum, qui *de Illaudabilibus Walliæ* titulum habet, primus in lucem edidi. De eo paulò inferiùs dicendum est. Hactenus enim de Giraldi scriptis antea editis. Succedunt ea, quæ in hoc Volumine jam primùm prodeunt.

De Vitâ Galfridi Archiepiscopi Ebor. Libri II. Hos sine certi Authoris nomine in lucem à semet emissos fuisse Giraldus prodit: & sine apposito Authoris nomine in Bibliothecâ Corporis Christi Cantabrig. reperiuntur; neque aliud exemplar vidi.

Infra p. 445.

Legenda S. Remigii, seu de Vitis S. Remigii & Episcoporum Lincolniensium illi succedentium, & aliorum sex Angliæ Episcorum sui temporis. Operis argumentum, methodus, & in editione nostrâ dispositio ex Capitulorum Indiculo & notâ præmissâ p. 408. 409. optimè constabunt. Hîc tantùm addi debet, illud ex ejusdem Bibliothecæ Cantabrigiensis Codice descriptum fuisse.

Epistola ad Stephanum Langton Cant. Archiepiscopum de abdicatione Archiepiscopatûs non faciendâ. Hanc Codex Lambethanus dedit, inter alias Giraldi Epistolas in Simbolo Electorum congestas frustra quæsitam.

De

De Libris à se scriptis Epistola ad Capitulum Herefordense, ex eodem Codice desumpta.

De Descriptione Walliæ Liber Secundus seu *de Illaudabilibus Walliæ*. Duplicem Operis sui de Descriptione Walliæ editionem Giraldus adornavit. Utrâque usus sum. Prima extat in Bibliothecæ Westmonasteriensis Codice, & Hugoni Lincolniensi Episcopo nuncupatur. Secunda, quæ multoties auctior est, Stephano Cant. Archiepiscopo dedicatur, & in Bibliothecâ Cottonianâ *Domitian A.* 1. habetur. Codici Cottoniano subjiciuntur Giraldi *Retractationes*, & *Catalogus brevior Librorum suorum*, Westmonasteriensi ejusdem *Epistola ad Willelmum Episcopum Hereford. de Topographiâ suâ Hibernicâ*. Istam Usserius edidit in Hibernic. Epist. Sylloge p. 114. illa in præsenti Volumine nos primum evulgavimus.

De Rebus à se gestis Libri tres. Hos, pariter ac Dialogos sequentes, à se scriptos fuisse Giraldus in utriusque operis Præfatione dissimulat. Ipsum tamen Authorem esse ex innumeris utriusque locis constat; quinimo id in Catalogis Operum suorum, in Retractationibus, & Dialogorum calce, ipse disertim fatetur. Historiam de Gestis Giraldi integram Codex Cottonianus *Tiberius B.* 13. (quem solum superesse arbitror) ante medium mutilatus, nobis invidit. Jacturam tamen optimè resarciet Dialogorum sequentium pars posterior; quæ eandem Historiam satis ubertim narrat, iisdemque ferè verbis constitisse videtur.

De Jure & Statu Menevensis Ecclesiæ Distinctiones seu Dialogi septem. Duplex hujus Operis editio à Giraldo facta est. De secundâ, quæ multò brevior fuit, vide quæ ad paginam 549. adnotavimus. Prima nunc prodit, resectis tamen plurimis sententiis & verborum flosculis otiosis. Utraque in Bibliothecâ Cottonianâ extat, illa *Vitellius E.* 5. ista *Domitian A.* 5. Codex iste propriâ Giraldi manu scriptus videtur, factâ ex plurimis prolixisque insertionibus in margine additis conjecturâ. Quæ in calce illi deerant, ex alio codice restitui. Notæ breves, quæ in foliis imis editionis nostræ sæpiùs laudantur, ex eodem Codice (sc. *Domitian A.* 5.) acceptæ sunt. Scriptæ erant tempore Henrici VIII. Regis circa annum 1546. In Codice enim vox *Papa* sæpe expungitur, & *Episcopus Romanus* eâdem manu reponitur.

Vita S. Davidis Archiepiscopi Menevensis ex Codice Cottoniano *Vitellius E.* 7. descripta est. Illam Giraldum ex Ricemarchi Historiâ ejusdem argumenti ampliore contexuisse paulò inferiùs dicemus. Responsio in fine subjecta, notis Musicis in Codice interlineata comparet.

Ultimo recensenda sunt loco Giraldi Opera reliqua, quæ vidi & perlegi, & de quibus certi aliquid Lectorem docere possim.

In

In his est *Legenda S. Æthelberti*, Orientalium Saxonum Regis, ab Offâ Rege decollati 793. 20. Maii, & Martyris loco deinceps habiti. Hujus memoriæ sacra erat Ecclesia Cathedralis Herefordensis, cujus Canonicus erat Giraldus. Extat in Codice Cottoniano postremùm laudato *Vitellius E. 7.* Illi in eodem Codice succedit Legenda S. Patricii bene prolixa, authore Anonymo. Pitsius quidem S. Patricii Vitam Giraldi scriptis annumerat; de illâ autem Giraldus in omnibus Scriptorum suorum Catalogis tacet.

Cap. 299.

Walliæ Mappa, seu Tabula Chorographica, ab Authore suo sæpiùs memoratur. Habetur ea in fronte Codicis Westmonasteriensis superiùs laudati, minio depicta; quæ præter fluvios plures, montes & maris contermini ripam ac finitimas Angliæ urbes, oppida Walliæ 43 duntaxat notat.

Gemma Ecclesiastica, in duas partes divisa, quarum prima agit de Sacramentis magis necessariis, secunda de Clericali honestate & continentiâ. Opus valde prolixum, quod integrum quasi Theologiæ & disciplinæ Ecclesiasticæ corpus complectitur. Extat in Bibliothecâ Archiepiscopali Lambethanâ.

Carmen de miseriâ conditionis humanæ, quod incipit. *Unde superbit homo, cujus conceptio culpa?* In eodem Codice Lambethano reperitur.

Liber Carminum & Epigrammatum, extat ibidem & in Bibliothecâ Cottonianâ *Vitellius E. 5.* Codex Cottonianus plura complectitur.

Speculum Ecclesiæ sive de Monasticis Ordinibus & Ecclesiasticis Religionibus variis Distinctionum libri IV. in Bibliothecâ Cottonianâ *Tiberius B. 13.* Giraldus Monachos capitali odio semper prosecutus est; usque adeò ut se istam in precibus quotidianis deprecationem sæpe ingeminâsse suisque familiaribus ingeminandam consuluisse affirmaverit: *A Monachorum malitiâ libera nos Domine.* In omnibus suis scriptis Monachorum hypocrisin, fraudes & inscitiam acriter insectari gestit; istud verò Opus triennali labore contexuit, ut æternam Monachis infamiam induceret, atque odio suo plené indulgeret. Initium illi facit Epistola prolixa ad Stephanum Cant. Archiepiscopum de literaturæ defectu. Tres Distinctiones priores Monachorum nequitiis duntaxat narrandis & insectandis absumuntur. Quarta alienum argumentum tractat, sc. de statu, institutione, honore &c. Sedis Romanæ aliarumque Sedium Patriarchalium, & de munere Pastorali & Episcopali.

Epist. ad Hubertum Cant.

Simbolum Electorum, seu Epistolæ variæ à semetipso collectæ. In his sunt plures Invectivæ adversùs Wibertum Abbatem de Bethlesdene Ordinis Cisterc. Epistola prolixa ad Petrum Menevensem Episcopum de officio Episcopi, altera ad Adamum Abbatem Eveshamensem

ſem de laude amicitiæ, ad Ricardum Anglorum Regem de literarum & virtutis ſtudio (in qua Regi vitia ſua mirâ libertate pariter ac gravitate increpat) Sermo in Synodo Menevenſi, in illud. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, &c.* Conſtitutiones de modo regiminis & viſitationis aliiſque Eccleſiaſticis negotiis, datæ Officialibus & Clericis ſibi ſubjectis; Tractatus de S. Scripturæ præſtantiâ & dignitate ad Walterum Mapes Archidiaconum Oxon. amicum conjunctiſſimum. Mitto alia. In eodem Codice extat *Liber de deſcriptione mundi ſingularumque ejus regionum.* Eum manus recentior oræ Codicis appoſita Giraldo inſcripſit. Ejuſmodi quidem librum ſe metro elegiaco compoſuiſſe Giraldus plus ſemel prodidit. Verùm iſte liber ſolutâ oratione conſtat, & Fr. Willelmi legationem ad Tartaros anno 1253. Regis Franciæ juſſu ſuſceptam memorat.

De Principis Inſtructione Diſtinctiones tres. Opus valde prolixum, & luce cumprimis dignum. Aſſervatur in Bibliothecâ Cottonianâ *Julius B.* 13. Prima Diſtinctio, quæ viginti pluſquam annis ante duas ſequentes conſcripta eſt, agit de virtutibus ſingulis quibus Princeps inſtrui debet. Singulis adfert rationes, teſtimonia ex S. Scripturis, Scriptoribus Ethnicis & Chriſtianis Patribus deprompta, & exempla Regum Judæorum, Græcorum, & Romanorum, nonnunquam & recentiorum. In his quidem pauca lucem meruerunt. Sequentia autem Hiſtoriam duntaxat, optimè ſibi notam, tractant, de vitâ, moribus & rebus geſtis Henrici II. Angliæ Regis ab ineunte ætate uſque ad obitum. Res aliis Hiſtoricis ferè intactas in his Diſtinctionibus perſequitur, ad denigrandam Henrici Regis famam plus æquo propendens; adeò ut Arcana iſtius Regis Hiſtoria meritò dici poſſit. Quòd ſi conjecturam facere liceat, pronum eſt arbitrari Giraldum vindictæ ſtudio Hiſtoriam iſtam ſcripſiſſe, ut Henrico Regi ejuſque filiis, à quibus juſta obſequii diuturni præmia non acceperat, quinimo ab Epiſcopatûs Menevenſis ſpe ſæpiùs depulſus fuerat, injuriam rependeret. Certè Giraldo ignoſci nequaquam debet, quòd legitimam Henrici progeniem poteſtate regiâ deturbari, regnumque Anglorum Ludowico Galliæ Regis primogenito (quem rebelles Anglicæ Barones in excidium patriæ ſibi ducem & Principem ſtatuerunt) conferri votis ardentiſſimis flagitaverit; & reſtitutam Anglorum libertatem, depulſam Baronum perduellium Principiſque alienigenæ tyrannidem, ægrè tulerit. Morbum animi inveteratum in concluſione Operis ipſe prodidit. Sic enim definit Hiſtoria: *Qualiter etiam catulum tirannicum* (Henricum III. Regem) *cruentiſſimis à Tyrannis parentaliter exortum, ipſumque tyrannorum omnium tyranniſſimum, fælicium & naturalium fælix proſapia Regum* (Ludovicus Philippi Galliæ Regis filius)

us) quorum ſub regimine juſto regnandique moderamine pio, ſub tranquillo pacis ac libertatis gaudio, Franciæ quidem tam regnum floruiſſe dinoſcitur quàm ſacerdotium, divinâ diſpoſitione pariter & ultione noſtris victorioſiſſimè diebus triumphare, duoque regna vel tria ſub unicâ Monarchiâ potentiſſimè conglutinare; qualiterque poſt tam nubila tempora tantæque poteſtatis ingruentis incommoda, demum regno Anglicano pulſis nubibus & nebulis dies ſerenus illuxit, occiduaque mundi climata ſub inſulari tyrannide tanto tempore preſſa, poſt ſervitutis duræ jugum importabile, plenam denique liberationem præſtans ac libertatem, oculo benigniore pietas ſuperna reſpicere tam vehementer & deſideranter & ſperabatur & expectabatur; & quas ob cauſas, Deo indignante, & injurias Eccleſiæ ſuæ contra fidem & promiſſionem irrogatas graviter vindicante, ſpes ad effectum provenire non potuit, ſtudioſis inquam amicis iſta deſcribendo laudem præmiumque merendi, quoniam non omnia poſſumus omnes, locum præbere dignum duximus.

Prologi librorum à ſemetipſo ſcriptorum, in unum volumen operâ ſuâ congeſti, extant in Bibliothecâ Collegii S. Trinitatis Cantab.

Reliqua Giraldi Opera recenſent Baleus, Pitſius, Voſſius[a] & Cavus[b]; certiùs autem ipſe Giraldus in Epiſtolâ de ſcriptis ſuis, Indiculo breviore, & Dialogo ſeptimo de Menevenſi Eccleſiâ. Alii enim frequentes errores admiſerunt, & unum idemque Opus in plura multoties diſſecuerunt.

[a] Hiſt. Lat. l. 2. c. 54.
[b] Hiſt. Literar. p. 690.

XX. Ricemarchus Epiſcopus Menevenſis circa annum 1085. Vitam S. Davidis literis conſignavit. Hanc ex vetuſtioribus monumentis, maximè illis quæ in civitate Menevenſi aſſervabantur, ſe contexuiſſe Author in fine teſtatur. Idem nomen ſuum his verbis prodidit *Mihi autem, qui Ricemarchus nominor*. Ipſe quinetiam Codex manu perantiquâ ſcriptus Ricemari nomen in fronte geſſit. Extat is in Bibliothecâ Cottonianâ *Veſpaſian A.* 14. plurimaſque Sanctorum Wallenſium Vitas complectitur, viz. S. Gundlei Regis & Confeſſoris, S. Cadoci Epiſcopi, S. Iltuti Abbatis, S. Teliavi Epiſcopi, S. Dubricii Archiepiſcopi, S. Davidis Archiepiſcopi, S. Bernaci Confeſſoris, S. Paterni Epiſcopi, S. Cletauci Regis & Martyris, S. Kebii Epiſcopi, S. Tathei Confeſſoris, S. Carantoci Confeſſoris, S. Aidui ſeu Maidoci Epiſcopi, S. Brendani Abbatis. Singulas ſub exitum ſæculi undecimi vel initium ſequentis fuiſſe ſcriptas plurima ſuadent. Sola autem Davidis Vita Ricemari nomen præfert. Ex hoc fonte ſua hauſerunt, quicunque Davidis Vitam poſtea literis commendârunt. Sic Giraldus, qui plures Ricemari floſculos otioſos reſecuit, nonnulla miracula dimiſit, plura autem de ſuo addidit, & innumeras ferè ſententias cum illo communes habet. Giraldi commentarium compendio redditum Johannis

hannis Tinmuthensis in Sanctilogium suum transtulit; Johannis Epitomen pro more suo leviter immutatam & interpolatam Capgravius in Legendâ suâ Novâ collocavit. Parum à Ricemaro discedit Vita S. Davidis à Colgano edita in Actis Sanctorum Hiberniæ ad Calendas Martii; neque multùm abludit ejusdem Vita in Actis Sanctorum Antverpiensibus ex Codice anonymo Ultrajectino edita ad diem 1. Martii. Ricemari librum, quamvis aliis omnibus antiquiorem, exhibere nolui, ideo quòd affectato dicendi genere Historiam immani prolixitate diduceret, & Giraldus Historiam ejus in Legendam suam transferendo nil intactum relinqueret, si ea solummodo demas, quæ Additamentorum loco ex Ricemaro dedi.

XXI. Annales Ecclesiæ Menevensis descripsi ex Codice Cottoniano *Domitian A.* 1. Deducuntur isti ab orbe condito ad annum Christi 1278. & de rebus ferè solummodo Walensibus, præcipuè autem Menevensem Ecclesiam spectantibus, agunt. Anni numerus nullibi notatur, sed hoc ordine tempora disponuntur, *Annus*, *Annus*, *Annus*, &c. ut plerunque vox *Annus* centies repetatur sine Historiâ appositâ. Post annum millesimum Walensium res gestas & Regum successionem satis ubertim narrant. Mihi illa duntaxat excerpenda erant, quæ Ecclesiæ Menevensis Historiam tradiderunt. Author in Chronologiâ gravissimos plerunque errores admisit. Quamobrem res nonnullas alienas bene notas admiscui; ut ex his tanquam totidem epochis rerum in Annalibus circumcirca traditarum tempora definiri possint, & erroris admissi quantitas pateat. Annalibus insulsa quædam manus hunc titulum præposuerat *Cronica Venerabilis Bedæ.* His alienâ manu subjecta est *Vita Davidis II.* Episcopi Menevensis. Fragmentum majoris de Episcopis Menev. Historiæ eam esse conjicerem. Authorem Ecclesiæ Menevensis Canonicum fuisse non obscurè patet. Longè is diversa à Giraldo retulit. Iste siquidem Davidem Episcopum vitii monstrum, Giraldus virtutis exemplar posuit. Illi magis adhibeo; huic tamen facilè ignosco, cùm Davidi sanguine conjunctus fuerit.

XXII. Vitam S. Dubricii Archiepiscopi dedit Codex Cottonianus supra laudatus *Vespasian A.* 14. Autorem illa prætulit Benedictum Monachum Claudiocestrensem, viz. Glocestrensem, cujus ætas penitus incomperta est. Haud ita diu tamen post annum 1120. quo Dubricii Translationem factam esse refert, claruisse videtur. Codex enim ætatis parum inferioris speciem gerit. Plura in hac Dubricii Vitâ miracula rejeci.

XXII. Ex eodem Codice Cottoniano descripta est S. Teliavi Vita. Illam *Magistro Galfrido, i. e. Stephano, Urbani Landavensis Episcopi fratri*, Codex inscripsit. Interfuit Galfridus translationi corporis S. Dubricii anno 1120. Neque enim alium fuisse arbitror Esni Decanum Ecclesiæ Landav. quem frater ejus Urbanus Episcopus ad Translationem advocavit. Huic Vitæ proximè subjicitur Historiola de primo statu Landavensis Ecclesiæ; quæ initium facit Registri antiqui Landavensis Ecclesiæ, quod in honorem Teliavi Episcopi *Teilo* dicitur, & à Galfrido contextum fuisse perhibetur. Huic Registro alia inserta est Teliavi Vita, tacito Authoris nomine, à nostrâ haud parum diversa: quod ex fragmentis illius ab Usserio prolatis constat. Historiola autem Registri de primo Ecclesiæ Landavensis statu cum nostrâ planè concordat. Facta enim sunt mihi præclara ex Registro Teilone excerpta beneficio Codicis Collegii Corporis Christi Cantabrig. Eam Historiolam ex Seldenianis ejusdem Registri Excerptis Cl. Dugdalius antea evulgaverat in Monastico tom. 3. p. 188. cum multis aliis Registri fragmentis. Pauca nos ejusdem fragmenta antea inedita, quæ Historiæ Ecclesiasticæ magis profutura videbantur, ex Codice Cantabrigiensi exhibuimus. Petitionem Urbani Episcopi idem Registrum donavit, Epistolam Honorii Papæ antiquus Bibliothecæ Cottonianæ Codex *Domitian A* 13.

Vide Usser. primord. Britan. p. 40. 290. 546. &c.

XXIII. Radulphus de Diceto, Decanus Londinensis, interfuit coronationi Ricardi Regis anno 1189. atque anno 1200. superfuit. Plura de eo ejusque scriptis Johannes Seldenus docet in Præfatione ad X. Scriptores. Hunc de Archiepiscopis Cantuariensibus usque ad Hubertum Historiam (cui initium *Res gestæ*) scripsisse Pitseus asserit. Eandemque Historiam, in Collegio Corporis Christi Cantab. asservatam, hanc veteri manu ascriptam præferre notam Jamesius monuit: *Liber de Dorobernensibus Archiepiscopis directus à Radulpho de Diceto Londoniensis Ecclesiæ Decano.* Codicem istum Cantabrigiensem me nunquam vidisse memini; ut incertum mihi sit, utrùm cum Historiâ à me editâ concordet. Hujus copiam fecit Bibliothecæ Norfolcianæ Codex *num.* 220. plures Historias Radulpho ascriptas & ab editis diversas complexus. Primum in his tenet locum Chronicon de Regibus Britonum à Bruto ad Cadwalladrum. Id nota apposita Bedæ perperam ascribit, manus recentior Galfrido Monumethensi, manus adhuc recentior Radulpho de Diceto, Postremæ suffragatur alia manus antiqua. Chronicon epitome quædam est Galfridi, verbis ejus plerunque asservatis. Succedit post alia quædam interjecta Chronicon de Regibus Heptarchis & Monarchis Saxonum ab Hengisto ad Aluredum. Ejusmodi Opus

Imag. Hist. p. 647.

Cap. 300.

Eclog. Oxon. Cantab.

à Radulpho Dicetensi scriptum fuisse, cui initium erat *Tempore Vortegirni*, Baleus testatur. Atque ea quidem verba Chronicon dictum inchoant. Porro eundem esse hujus & præcedentis Historiarum authorem constat ex locis illius pluribus, ad quæ Lector in hac remittitur. Tertio loco sequitur Historia de Monarchis Angliæ ab Aluredo ad Haraldum. Eam nota manu recenti addita Johanni Pike ascripsit. Amplum hujus libri fragmentum de Alfredo Rege Camdenus proferens, id *I. Pico scriptori antiquo* acceptum refert. Johannem Pike de Regibus Anglosaxonum Henrico primo regnante commentatum fuisse Baleus prodit, in hoc manifestè lapsus. Extat enim in eodem Codice Norfolciano & in Bibliothecâ Cottonianâ *Suppletio Historiæ Regum Angliæ, quantum ad Reges Saxonum, Danorum & Normannorum, extracta per Johannem Pike de Compendio brevi.* In hac statim post initium Radulphi de Diceto Decani Londinensis Historia laudatur. Historiam de Monarchis Angliæ excipit alia, cui titulus manu antiquâ datus est: *De Regibus Normannorum Chronicon Radulphi de Diceto Decani Londinensis à Coronatione Willelmi Bastardi ad coronationem Johannis Regis.* Multa habet communia cum Radulfi Abbreviationibus Chronic. & Imaginibus Histor. quæ inter X. Scriptores extant. In hac Radulphus de Hiberniâ obiter agit, descriptionem ejus his verbis exorsus, *Hibernia verò post Britanniam.* Arreptâ hinc ansâ Baleus illi librum *de originibus Hibernorum* iisdem verbis inchoatum ascripsit. Ad finem Cronicæ manus antiqua sic adnotavit: *Cronica Radulphi de Diceto Decani London. usque huc.* Ultimo loco collocatur *Historia de Archiepiscopatibus & Episcopatibus Angliæ* ab Augustini adventu ad annum 1199. In nonnullis quidem Episcopatibus Historia ulteriùs producitur. Verùm id ab alienâ manu accessisse facilè constat. Historiæ fronti manus nupera in margine præmisit ista *Radulphus de Diceto: constat hoc ex superioribus, unde huc nonnulla adducit.* Sanè in Historiâ proximè superiori nomina omnium Episcoporum Regis Johannis consecrationi assistentium Radulfus dederat, & in iis Historiam suam clausit; in hac etiam Episcoporum Historiâ diligenter adnotatur, quinam dictæ coronationi interfuerint, & in his ferè singularum Sedium series claudi solet. Porrò Author de rebus Britonum agens, Lectorem ad aliam à se scriptam Historiam remittit. Quæ citat autem, reperiuntur in Chronico de Regibus Britonum suprà laudato. Multa quientiam habet communia cum editis Radulphi Historiis, & cap. 1. in Laurentio Archiepiscopo quædam à se *suprà* de Laurentii & sociorum fugâ dicta fuisse refert. Reperiuntur ista in libro de Adventu Saxonum, quem Radulpho deberi ostendimus. De Willelmo Archiepiscopo agens, Lectorem remittit *ad superiùs à se dicta.* Inveniuntur ista in libro de Regibus Normannorum, quem Radulfi esse suprà probavimus.

Cent. 3. c. 62.

Britan. p. 367.

Cent. 2. c. 61.

bavimus. Sæpiùs alibi ad hunc librum provocat. Ad hæc in annis Archiepiscoporum Cant. & consecrationibus & Pallii missionibus designandis Historia ista adamussim convenit cum Indiculo Radulfi de Archiepiscopis Cant. in primo volumine edito, atque alio ejusdem inedito de Archiepiscoporum consecrationibus. Mitto alia argumenta, quæ rem abunde conficiunt. Notandum est autem omnia coronationem Johannis Regis sequentia, ab alio Authore addita fuisse. Is forsitan erat Johannes Pyke; quem nota ad marginem Codicis apposita dicit has omnes Historias in unum corpus collegisse, & de suo nonnulla adjecisse. Cæterûm Historias de aliis præter Cantuariensem Sedibus Episcopalibus rejeci; tum quòd nil eximium præbuerint, cùm quòd in Historiis Radulphi editis verbatim ferè suis quæque locis sint repertæ.

XXIV. Partem hanc secundam claudit insignis Henrici Archidiaconi Huntindoniensis Epistola de Episcopis & viris Illustribus sui temporis. Ea anno 1145. scripta est, & in Libro decimo Historiæ Anglorum ab Henrico compositæ locum habet. Integram enim Historiam Henricus libris XII absolvit. Octo priores Regum Anglorum Historiam usque ad annum 1154. perpetuâ serie deducunt. Hos Vir Cl. Henricus Savilius typis exprimi curavit *Londini* 1596. *f.* Posteriores quatuor manent inediti in binis Bibliothecæ Lambethanæ perpulchris Codicibus. In his Liber nonus agit *de Sanctis Angliæ & de Miraculis eorum.* Liber decimus *de Summitatibus rerum* titulum habet. In Præfatione, quam anno 1135. scripsit, *de fine mundi* disserit. Præfationi succedit Epistola ad Henricum Regem, *de serie Regum* & Imperatorum Judæorum, Assyriorum, Persarum, Macedonum & Romanorum usque ad sua tempora. Dein alia ad Warinum Britonem Epistola *de origine Regum Britannorum* à Bruto ad Cadwalladrum; quos in Historiâ suâ prætermiserat, postea autem in Galfridi Arthuri libro apud Beccum invenerat. Huic succedit tertia ad Walterum Epistola *de mundi contemptu* seu (ut alius habet Codex) *de mundi appetitu.* Hanc ex utroque Codice Lambethano exhibui, variantibus alterius lectionibus ad marginem appositis. Eam antea evulgaverat Dacherius in Spicilegio suo Tom. 8. p. 178. Cæterùm ut reliquorum Henrici librorum argumenta prosequamur; Liber undecimus Satiras & Epigrammata complectitur; duodecimus Hymnos sacros, lusus amatorios & carmina diversi generis habet. Ex unico hoc Historiarum Opere Baleus & Pitseus plusquam viginti libros procuderunt, singulas ferè Epistolas & Carmina pluribus subinde titulis pro arbitrio effictis insignita sæpiùs recensentes.

Cent. 2. c. 82. Cap. 204.

Hæc de ſecundâ Operis ſuſcepti Parte Scriptoribuſque in eâ editis dicenda habui. Tertia de Archiepiſcopis & Epiſcopis Eccleſiarum, quas Canonici Sæculares & Regulares poſſederunt, Cathedralium á primâ fidei ſuſceptione ad annum 1540. Hiſtoriam dabit; cui ſi quis de Archiepiſcopis & Epiſcopis univerſis ab anno 1540. ad noſtra tempora quartam adjunxerit, tunc demum *Anglia Sacra* ſuis numeris conſummata prodierit. Juſtam enim Abbatum Angliæ hiſtoriam, qualem Sammarthani Galliæ dederunt, poſt everſa apud nos Monaſteria & direpta illorum Archiva, fruſtra quis exſpectabit. Inſigniorum tamen Cœnobiorum viginti octo, quorum Abbates locum in ſuperiori Ordinum Angliæ conſeſſu obtinuerunt, ſucceſſionem propemodum juſtam contexui; eam Parti tertiæ, ſi quando prodierit, adjuncturus. Quamvis autem in ſingulis uberrimam rerum materiam congeſſerim, Partem tertiam, nedum quartam, ſpondere non auſim; cùm adverſa Clementiſſimi Patroni fortuna mihi hujuſcemodi ſtudiorum ſubſidia, omnium verò præmia, infælici excuſſerit.

HENRICUS WHARTON.

WILLELMI

Cùm Typographi πάρεργον quoddam sibi dari peterent, ne vacaret hoc folium; hanc Regum Wallensium successionem ex Annalibus Menevensibus (Domitian. A. 1. *de quibus supra in Præfatione* num. 21.) *descriptam exhibui.*

Successio Regum Wallensium, ex Annalibus Menevensibus.

ARthurus Rex obiit anno DXLII.
Dunand Rex moritur
Conanus.
Vortiporius.
Mailgo. Hi quatuor in annis XXIV. sequentibus Arthuri mortem regnaverunt unus post alium in Britanniâ.
Kereticus infœlix in Britanniâ regnavit inter annos DLXVI. & DLXXV.
Caduanus Rex Venedocorum post annum DLXXV.
Cadwallo filius Caduani regnavit in Britanniâ post annum DCX. Is ab Eadwino Saxonico pulsus post annum DCXXX. iterum rediens ab Armoricâ, Eadwinum cum suis inter fecit, & Britanniam pacificè rexit.
Cadwalladrus filius Cadwallonis regnabat in Britanniâ post annum DCXLII. Is in Armoricam derelictâ Britanniâ perrexit anno DCLXXIX. & exin Ivor filium suum ad regendas Britonum reliquias misit anno DCLXXXIX.
Anno DCCXXIV. Frequentia inter Britones & Saxones bella: Sed Britones victores in his omnibus fuerunt, Ivor existente duce eorum.
Ivor filius Cadwalladri obiit anno DCCXXXVI.
Tudur ab Hely moritur anno DCCLII.
Rodri Rex Britonum moritur anno DCCLVI.
Sernmail filius Ydwal moritur anno DCCLXXVI.
Maredud Rex Demetorum obiit anno DCCXCVIII.
Cradauc Rex Venedociæ a Saxonibus jugulatur anno DCCC.
Arthen Rex Keredigaun obiit anno DCCCIX.
Reyn Rex Demetorum & Cadelh Rex Powisiæ moriuntur anno DCCCX.
Oweyn filius Mareduc obiit anno DCCCXIII.
Howel moritur anno DCCCXXVI.
Merhin moritur anno DCCCXLIII.
Ythail Rex moritur anno DCCCXLVII.
Eygen Rex Powisiæ Romæ obiit anno DCCCLIII.
Gogaun Rex Keredigaun mergitur anno DCCCLXXI.
Rodri & filius ejus occiduntur anno DCCCLXXVII.
Howel Romæ defunctus est anno DCCCLXXXV.
Mervin Rex filius Rodri occiditur à Gentilibus anno DCCCCIV.
Cadell filius Rodri moritur anno DCCCCX.
Cledau filius Cadell occiditur anno DCCCCXX.
Howel Rex filius Cadell Romam perrexit, & Elen obiit anno DCCCCXXVIII.
Grifut filius Oweyn occiditur anno DCCCCXXXV.
Hiveid filius Cledauc moritur anno DCCCCXXXVIII.
Kenged filius Elissed veneno extinguitur anno DCCCCXLVI.
Howel Rex Britonum cognomento bonus moritur; cui successit Oweyn filius ejus anno DCCCCL. Sed supervenerunt duo filii Ydwal viz. Jago & Jevaf, quos Howel à regno expulerat; & pugnaverunt contra Oweyn, & victores fuerunt.
Rodri filius Howel moritur anno DCCCCLIII.
Edywin Filius Howel moritur anno DCCCCLIV.

Idwal

Idwal filius Rodri occiditur anno DCCCCLXI.
Cadwallaun filius Oweyn moritur anno DCCCCLXVI.
Rodri filius Idwal moritur anno DCCCCLXVIII.
Jevaf filius Idwal à fratre suo Jago incarceratus est anno DCCCCLXIX.
Jago expulsus est à regno suo, Howel regnante post eum. Meuric filius Idwal occiditur. Morgan obiit anno DCCCCLXXIV.
Jago captus est à Gentilibus, Howel filio Jevas tenente regnum ejus anno DCCCCLXXIX.
Idwal occiditur anno DCCCCLXXX.
Howel filius Jevaf occiditur anno DCCCCLXXXV.
Owen filius Howel moritur anno DCCCCLXXXVII.
Teudur filius Eyniaun occiditur anno DCCCCXCII.
Idimal filius Meuric occiditur anno DCCCCXCIV.
Mareduc filius Owein moritur anno M.
Kenan filius Howel anno MI.
Kenan filius Howel occiditur anno MV.
Meuric filius Artvail occiditur anno MXX.
Lewelin filius Seisill Rex Venedociæ pugnavit contra Reyn, qui dicebat se filium Mareduc; & devictus est Reyn anno MXXI.
Lewelin moritur anno MXXIII. Rederch regnum dextralium Britonum tenuit.
Kenan filius Seisill occiditur anno MXXVI.
Rederch filius Jestin occiditur anno MXXXII. Jacob & filii Howell & Mareduc tenuerunt regnum.
Mareduc filius Edvin a filiis Kenan occiditur anno MXXXIV. Cradauc filius Rederch ab Anglis occiditur.
Jacob Rex Venedociæ occiditur anno MXXXVIII. pro quo Grifut ap Lewelin regnavit.
Grifud captus fuit a Gentilibus anno MXL.
Grifud Howelum filium Edwyn interfecit anno MXLII.
Cadell filius Artvail moritur. Idwal filius Rodri & filius ejus jugulantur à Saxonibus anno MXLIII.
Grifud filius Lewelin interfecit Grifud filium Rederch anno MLIV.
Owein filius Grifud moritur anno MLVII.
Grifut filius Lewelin Britonum Rex cecidit anno MLXI.
Bledin regnavit anno MLXVIII.
Bledin à Res filio Owein occiditur anno MLXXIII. cui successit Traharin filius Cradauc, regnum Venedociæ tantùm tenens. Sed Res & Rederch fil. Cradauc dextralem Britanniam habuerunt.
Rederch filius Cradauc dolo occiditur à consobrino suo Meirchaun anno MLXXIV.
Trahern Rex Venedociæ Resum devicit anno MLXXVI. In fine verò hujus anni Res & Howel ejus frater à Cradauc filio Grifud occiduntur.
Res filius Teudur incœpit regnare anno MLXXVII.
Traharn filius Cradauc, & Cradauc filius Grifud, & Res filius Teudur in bello montis Carn occiduntur anno MLXXIX.
Res filius Teudur de regno suo expellitur à filiis Bledit, i. e. Madauc, &c. anno MLXXXV. & occiditur à Francis anno MXC.
Cadugaun filius Bledin de Hiberniâ rediens, pacificatus est cum Francis; & partem regni sui accepit anno MXCVI.

&c. &c. &c. &c.

INDEX HISTORIARUM

IN

Secundâ hac Angliæ Sacræ Parte

EDITARUM.

Successio

WILLELMI MALMSBURIENSIS
LIBER QUINTUS
De Pontificibus Anglorum,
SIVE
De VITA
S. ALDHELMI
Primi Scireburnensis Episcopi.

Postquam liber iste, quinimo Voluminis istius pars longè maxima, prælo exierat; prodiit in lucem alterum Historicorum Angliæ Volumen, Cl. Galei operâ apud Oxoniam impressum. In eo locum habet iste de Vitâ S. Aldhelmi Liber p. 337. Eodem, quo nos, Codice MS. Galeus usus est, haud ita vetusto quidem, & lectu perquam difficili. Ex hac editione nostram in nonnullis emendari posse animadvertens, emendationes in hac paginâ subjeci. Quædam enim Codicis verba Amanuensis illius fælicius quàm meus assecutus est: quamvis, ut verum dicere liceat, Editio Oxoniensis sit nostrâ longè corruptior, verbis ferè innumeris in eâ depravatis, omissis, vel immutatis.

Locus		Lege
PAG. 1. *lin.* 19. *pro*	justitiâ	inscitiâ.
l. 11. *pro*	trivium	civium.
P. 2. *l. antepen.*	postea	post.
P. 3. *l.* 7.	gentium	genitum.
l. 31.	indictum	inditum.
l. 40.	proinde	providè.
P. 4. *l.* 41.	Romaniæ	Romanæ.
l 47.	ejus	cujus.
ibid.	etiam	*dele.*
P. 5. *l.* 23.	flexibilem commiserationis	inflexibilem conversationis.
P. 6. *l.* 2.	execrandis	exercendis.
l. 4.	Amovi	Amori.
l. 28.	enuntiationem	numerationem,
P. 7. *l.* 9.	suppositiones	supputationes.
l. 22.	difficile	difficilem.
l. 39.	Sinalimpha	Synalæpha.
P. 8. *l.* 10.	expedarent	expedirent.
P. 9. *l.* 10.	pietate Sancti dispensariâ	pietatem Sancti dispensare.
l. 11.	factum	*dele.*
l. 13.	trapare	reparare.
l 14.	Hinc	Huic.
l. 17.	intentum	nitentem.
l. 23.	discriminis	discriminibus.
P. 10. *l.* 19.	ejulandæ	evitandæ.
l. 21.	infælicibus	in fœlicibus.
l. 23.	canaliter	carnaliter.
P. 11. *l.* 24.	baptismi cr. imbuebat	baptismum cr. ambiebat.
l. 38.	fratrum	frui.
l. 48.	vivente	viventis.
P. 12. *l.* 7.	Cessa pater Inæ	Cessa, Cenred pater Inæ.
l. 9.	pietatem video	pietatem in Deo video.
P. 13. *l.* 16.	si se protervum indicet	si protervum judicetur.
l. 27.	vetnes	congruos.
l. 28.	concisseret	confringeret.
P. 14. *l.* 13.	oporiatis	opertis.
l. 18.	surdescere	sudescere.
l. 22.	lætantium	litantium.
l. 23.	cautionis	concionis.
l. 26.	feculenta	faculenta.
l. 28.	ad eas	adeas.
l. 40.	altuosa	saltuosa.
P. 15. *l.* 44.	longitudine	longitudini.
P. 16. *l.* 31.	Ac	At.
P. 17. *l.* 34.	leniter	leviter
P. 19. *l.* 21.	tulit	*dele*
l. 36.	suam	suavi
P. 20. *l.* 51.	intensusque	intentusque
P. 23. *l.* 22.	absolutione	ablutione
l. 25.	doloris	dolens.
l. ult.	Bascepestrune	Biscepstune.
P. 24. *l.* 40.	minorarent	ministrarent.
P. 25. *l.* 39.	Ena— quas Eth.	Ettamunster, quam Rex Merciorum Eth.
P. 26. *l.* 19. *post*	subscripserunt	Cineberth Winton. Benefrithe Sciréburn. Hedered Wigorn.
l pen.	Qacot	Lacot.
P. 27. *l.* 5.	Elinhanistede	Elmhamstede
l. 47.	immerebat	inveniebat.
P. 28. *l.* 20.	Colanfrancus	quo Lanfrancus.
P. 29. *l.* 34.	Avalanum	Analavum
l. 36.	ease	ense.
l. pen.	terram	turrim.
P. 31. *l.* 15.	exultatu	exulatu.
l. 25.	ejulandæ—— sententis	evitandæ fætentis
l. 29.	canaliter	carnaliter.
l. 38.	Ewulin	Ewulm
P. 32. *l.* 16.	Sexeldredus	sex, Eldredus
P. 33. *l. pen.*	de	do
l. ult.	Prædat, hic	Perdat hic
P. 34. *l.* 44.	limpsatis	limphatis
P. 35. *l.* 30.	Baroldus—— Ardacum	Haroldus—— Ardecnut
P. 36. *l.* 36.	amorem	amore.
l. 46.	tenoribus	tutoribus
P. 37. *l. ant*	eum læsus	non læsus
P. 40. *l.* 27.	Virium tamen	Veruntamen.
P. 45. *l.* 30. *post*	corpore *adde*	nervis primò per domum testudineo gradu repens, mox lecto prona
P. 47. *l.* 1. *post*	Hesdinge	vir inter Optimates Angliæ opinatissimus, mirus agr iculturæ
l. 45. *pro*	lecacitate *lege*	loquacitate
P. 48. *l.* 18. *pro*	prole	probè
P. 49. *l.* 6. *pro*	halitus	habitus.

LIBER QUINTUS

VVilhelmi Malmesberiensis,

DE

PONTIFICIBUS ANGLORUM:

SEU VITA

ALDHELMI Sciréburnensis Episcopi.

Prologus Libri Quinti Wilhelmi Malmesberiensis, *de Pontificibus Anglorum.*

TOtius Angliæ, quaquaversum porrigitur, Episcopatibus circuitis; sicut post longam peregrinationem domum revertor; ut de beatissimo patre Aldhelmo pollicitum exequar meum: ad quod pro viribus implendum non me sollicitat dicendi materia uberior, sed affectus in Sanctum quem ipse meruit propensior. Num enim par esset ut ei negarem Vocis meæ præconium, qui mihi contulit post Deum quantulum habeo ingenii? Illi non impenderem linguam; cui, si necesse esset, impenderem Vitam? Atqui nimium avarus est qui Verborum suorum tenax est. Quia igitur immaniter deviaretur à justitia, si in hoc Sanctorum brevi commentario solus Dominus & Patronus noster obumbraretur silentio; suscepi vel pauca de ipsius Vita dicere, quamvis pro justitia rerum nequaquam valeo voluntati satisfacere: adeò præter illud, quod de illo Beda in gestis Anglorum tangit, semper infra meritum jacuit, semper desidia trivium agente inhonorus latuit. Magnus ille quidem scientiæ gloria, miraculorum eminentia, sed nulla quæ superfit illustratus scriptura. Gaudeat aliquis se de Aldelmi miraculis plura sic legisse quæ vivens duntaxat fecerit. Ad me profecto nihil manavit, nihil quanquam curiosissimo accessit studio, nisi quod artifex manus argenteo & perantiquo impressit scrinio. Compegit hæc in libellum Abbas Abendoniensis Faricius.* auctoritate sua nitens, nec quicquam præterea quod dicta sua † firmarent testimo-

† l. firmaret.

* Faricius iste ex Monacho Malmesburiensi Abbas Abendoniensis creatus est anno 1100. Obiit 1117. 7. Cal. Martii. Additamenta Monachi Abendon. ad Florentium Wigorn. in Codice MS. vetusto Bibliothecæ Lambethanæ.

testimoniorum extrinsecus adducens. Mihi placuit diversum dicendi genus, ut per illa gesta quæ à scriptis Faritii vacabant, introrsus pergerem & quæque dicta idoneis testibus velut quibusdam postibus ambirem. Quis enim aliter crederet gestis tam longè à nostra memoria remotis, ut quod sic dictum sit, propter stili penuriam sepultis? Supersunt præterea plura meum Monachi scilicet Malmesberiensis expectantia officium, quæ Vir ille aut nescivit, aut dicere supersedit. Fuit enim sicut non usquequaque despicabilis eloquentiæ, ita in his duntaxat propter ignorantiam linguæ incuriosæ scientiæ, utpote sub * lusco natus aere. Æqui igitur & boni consule, Lector meus: ne personæ meæ obscuritas præ Abbatis dignitate præjudicium patiatur. Quamvis si honores attenderis, & nos aliquod nomenque decusque gessimus. Quadrepartito ordine itaque hæc procedet narratio.

Primo ut Sanctissimi Viri ostendam genus & scientiam.

Secundo quæ Cœnobia fecerit, quibus privilegiis & patrimoniis hoc nostrum insignierit, subjiciam: ubi auditoris patientiam jam hinc ex prohœmio convenio, ne alienis scriptis gravatus effugiat. Hic enim libellus non ostentationem eloquentiæ, sed congeriem scientiæ pollicetur; ut non tam Vita dicatur Sancti, quam vitæ ipsius testimonium, cognitionis instrumentum.

Tertio paucissima Miracula quæ juvenis fecit; non quòd plura non fecerit, sed quòd ista tantum dubietatis scrupulum effugere potuerunt, non omittam.

Quarto seriem temporum post Beati Viri obitum quanta potuero veritate deducam, quanta libertatis naufragia Ecclesia nostra pertulerit, quam semper prospere cum videretur oppressa maximè, per patrocinium Sancti, caput contra fortunam extulerit. Ac me quidem his enarrandis imparem non nescio; sed Spiritus Sancti ductu, qui jam carbasa non segniter implesse videtur, ultro hujus immensitatem pelagi securus velivolabo.

PARS I.

IGitur Aldelmus Saxonum oriundus prosapiâ, familiâ haud dubie nobilissimâ: Morum generositate vicit ingenuitatem lineæ. Faritius allusit ad nomen ut diceretur Aldelmus quasi *Senex Almus*: sed ego, si ludis insertis occupationes legentis furari liceret, dicerem longe aliter interpretatione detortâ, quòd Aldhelmus interpretetur *Galea Vetus*. Sic enim debere scribi nomen suum H litera interpositâ ipse Sanctus in prologo Ænigmatum suorum perspicuè innuit. Convenit interpretationi vita viri; quòd galea salutis caput protectus emeritamque & cedere hosti nesciam Christi militiam edoctus, opimam de diabolo lauream in cœlum evexit. Ferunt quidam, incertum unde id assumpserint, fuisse nepotem Inæ Regis West-saxonum ex fratre Kentero. Nobis pro vero arrogare non libuit, quod videtur magis opinioni quadrare volaticæ, quam veritati historicæ. Siquidem ex Chronicis constat quod Ina nullum fratrem præter Inigildum habuerit, qui paucis ante ipsum annis decessit. Possem & illud objicere quòd Aldhelmus non minor septuagenario decedens, Inam plus XVIII. annis superstitem reliquerit, idemque Rex postea tot annos viridi adhuc ævo Romam iverit. Conveniretne ut patruus juvenis nepotem septuagenarium haberet, qui de fratre minoris ætatis natus fuisset? Veruntamen quod discrepat, ponatur in medio;

* *Tusco* legendum est. Sic enim Monachus Abendoniensis supradictus illum genere Italicum fuisse refert.

dio; & dicatur quod caret ambiguo. Qui enim legit Manualem librum Regis Elfredi, reperiet Kenterum beati Aldhelmi patrem non fuisse Regis Inæ germanum, sed arctissima necessitudine consanguineum. Quòd autem Saxonici generis fuerit ipse, in epistola quam Cellano cuidam misit, his edocet verbis. "Miror quod me tantillum homunculum de famoso & florigero Francorum "rure vestræ [a] franite fraternitatis industria interpellat Saxonicæ prolis pro- "sapiâ gentium & sub arctoo axe teneris infantiæ cunabulis.

[a] *Forsan* Francicæ *legendum.*

Parens ergo qui pro conscientia nobilitatis nihil abjectum saperet, non degeneris magistri scholæ tradidit filium primis imbuendum elementis, sed Adriano Abbati Sancti Augustini, quem in arcem [b] scientiæ stetisse qui Anglorum gesta perlegit intelligit. Cumque jam majusculus à Cantia in West Saxones remeasset; religionis habitum in Meldunensi accepit Cœnobio; Id quidam qui alio nomine vocatur Meildulf natione Scotus, eruditione Philosophus, professione Monachus, fecerat. Ibi pusio Græcis & Latinis eruditus literis brevi mirandus ipsis enituit magistris. Qui cùm natali solo voluntariè carens, illuc devenisset; nemoris amœnitate, quod tunc temporis in immensum eo loci succreverat, captus, heremiticam exercuit. Deficientibusque necessariis, Scholares in discipulatum accepit; ut eorum liberalitate tenuitatem victus corrigeret. Illi procedenti tempore magistri sequaces ex Scholaribus Monachi effecti, in conventum non exiguum coaluere Horum exemplo & consortio Aldelmus informatus ad studium, liberales artes plenitudini scientiæ adjecit: quas ut medullitus combiberet, iterum Cantiæ studuit ad pedes Adriani, qui esset fons literarum, rivus artium; donec valetudine cogente repedaret domum.

[b] l. arce.

Dictorum tenorem consequantur testimonia; ne fides auditorum sit tenera. Quòd infantem Adrianus erudierit, ipse in epistola ad eundem sic dicit: "Reverendissimo Patri meæque rudis infantiæ venerando "præceptori Adriano Aldelmus vernaculus familiæ Christi & vestræ "pietatis supplex alumnus, salutem, &c. Quòd à puero in Meldunensi cœnobio fuerit & altus & doctus, Lutherius Episcopus insinuat in privilegio quod eidem Aldhelmo Abbatiam dedit: "Ego Lutherius gratiâ Dei episco- "pus, rogatus sum ab Abbatibus; ut terram illam cui indictum est vocabulum "Maldulfesberg, Aldhelmo Presbytero ad degendam regulariter vitam con- "ferre largirique dignarer. In quo videlicet loco à primævo infantiæ flore "atque ab ipso tyrocinio rudimentorum liberalibus literarum studiis eruditus, "& in gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ nutritus, vitam duxit. Quod Meldum cœnobium illud construxit; Sergius Papa in privilegio quod eidem Aldhelmo dedit [testatur] "Poscente à nobis Religione tua, ut Ductoris nostri Apostolo- "rum Principis vice Monasterium beatorum Apostolorum Petri & Pauli "quod Meldum religiosæ memoriæ condidit, quod & nunc Meldumesberge "vocatur, situm in provincia Septonia, quod tuam Religionem proinde di- "spensare cognovimus, Apostolicis privilegiis roboremus; piæ petitioni favorem "tribuimus. Quòd iterum Cantiæ studuerit, sed pro valetudine discesserit, idem in epistola ad eundem Adrianum: "Fateor, mi charissime, quem gra- "tiâ puræ dilectionis amplector, postquam à sociali contubernio vestro ante "triennium circiter discedens à Cantia sequestrabar, quòd nostra parvitas "hactenus ad consortium vestrum ardenti desiderio flagrabat; quod & jam- "dudum cogitarem, quemadmodum in votis est, adimplens perficere, si "rerum ratio ac temporum vicissitudo pateretur, & nisi me diversa impedi- "mentorum obstacula retardarent, præsertimque corporeæ fragilitatis valetu- "dine medullitus tabentia membra coquente non finerer; qua quondam, dum "post prima elementa iterum apud vos essem, domum redire coactus "sum.

c l. compos.

Planum ut arbitror factum est his testimoniis; quod liberalium artium c tempos fuerit, qui tanti contubernalis consortio fruitus sit. Nec ipse sane suffragio laudum suarum defuit, ubi dixit, se primum omnium suæ gentis hominum fuisse qui ad scientiam metrorum præsumpsit ingenium, impulit animum. Ista enim sunt ejus verba in calce libri, quem fecit de Schematibus: "Hæc, *inquit*, de "metrorum generibus & schematibus pro utilitate ingenii mei habes, multum "laboriose, nescio si fructuose, collecta, quamvis mihi conscius sum illud me "Virgilianum posse jactare,

"Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
"Aonio rediens deducam vertice Musas.

Literis itaque ad plenum instructus, nativæ quoque linguæ non negligebat carmina; adeo ut, teste libro Elfredi, de quo superius dixi, † nulla unquam ætate par ei fuerit quisquam, Poesim anglicam posse facere, tantum componere, eadem apposité vel canere vel dicere. Denique commemorat Elfredus Carmen triviale, quod adhuc vulgo cantitatur, Aldelmum fecisse; adjiciens causam qua probet rationabiliter tantum virum his quæ videntur frivola instituisse: populum eo tempore semi-barbarum, parum divinis sermonibus intentum, statim cantatis missis domos cursitare solitum; ideoque sanctum virum super pontem qui rura & urbem continuat, abeuntibus se opposuisse obicem, quasi artem cantandi professum. Eo plus quam semel facto, plebis favorem & concursum emeritum. Hoc commento sensim inter ludicra verbis scripturarum insertis, cives ad sanitatem reduxisse; qui si severè & cum excommunicatione agendum putasset, profectò profecisset nihil.

Præconio itaque nobilis doctrinæ favorabilis quantum haberetur; indicio sunt Epistolæ amicorum ad eum missæ. Taceo de compatriotis, qui certatim ad eum scripta sua emittebant, ejus judicii censuram subitura. Prætereo Scotos tunc maximè doctos, qui idem fecisse noscuntur; quorum aliquos non obscuræ literaturæ nominare possem, maximè Arcivilum Regis Scotiæ filium. Hic quicquid literariæ artis elaborabat, quod non adeo exile erat, Aldelmi committebat arbitrio; ut d prefecti ingenii lima eraderetur scabredo Scotica. Ex ipso Francorum sinu ad eum causa doctrinæ veniebatur; ut hæc Epistola palam faciet. "Domino "lectricibus ditato studiis, mellifluisque ornato lucubratiunculis, Aldelmo "Archimandritæ Saxonum, mirificè reperienti in oris, quod nonnulli cum la- "boribus & sudoribus in alieno aere vix lucrantur; Cellanus, in Hybernensi "insula natus, in extremo Francorum limitis latens angulo exul, famosæ colo- "niæ Christi extremum & vile mancipium, in tota & tuta Trinitate salutem. Et post pauca: "Quasi pennigero volatu ad nostræ paupertatis accessit aures "vestræ Latinitatis panegyricus rumor, quem agilium lectorum non horres- "cunt auditus sine sanna aut amurcali impostura, notus propter * Alburnum "dictricis Romaniæ decorem. Et si te præsentem non meruimus audire; tuos "tamen bona lance constructos legimus fastos diversorum deliciis florum de- "pictos. Sed si peregrini triste reficis corculum, paucos transmitte sermuncu- "los illius pulcherrimæ labiæ tuæ, de cujus fonte purissimo dulces multorum "possit reficere mentes, ad locum ubi Dominus Furseus in sancto & integro "pausat corpore. Huic epistolæ quam liberaliter responderit, attestatur illa ejus particula hic nuper apposita: dedit [etiam] documentum Aldelmum ex saxonico genere ortum.

d l. perfecti.

* *Legendum puto* almum ductricis.]

† Librum puto aliquem ab Alfredo Rege doctissimo editum intelligit. Plures enim libros illius seu operâ seu auspiciis conscriptos commemoravit lib. 2. de gestis Reg. Angl. cap. 4.

Cæterum

Cæterùm non est narratu facile, quàm efficax fuerit in exhortando amicos & discipulos: illos ut illæsam fidem amicis exhiberent; istos ut teneros annos ad unguem divinæ præceptionis ducerent: singularum tamen monitionum hic ponentur indicula. Cùm Wilfridus Episcopus, de quo non pauca in tertio libro dixi, exul ageretur; multi suorum Abbatis fortunæ sequentes rotam, ad inimicorum favorem devolvi meditabantur: quorum justitiæ Aldelmus diffidens, & amico venerabili metuens, his verbis labantes nitebatur erigere. Post præfationem enim congruam: " Nuper, *inquit*, furibunda " tempestatis perturbatio, sicut experimento didicistis, fundamenta Ecclesiæ, " sicut quodam immenso terræmotu, concussit; cujus strepitus per diversa terrarum spatia, velut tonitruali fragore, longè latéque percrepuit. Et iccirco vos viscerales contribulos, flexis genuum poplitibus, subnixa exposco " prece, nequaquam hujus perturbationis stropha scandalizari; ne quisquam " vestrûm mentis segnitie fide torpescat, etiamsi rerum necessitas exigat cum " Præsule proprio pontificatus apice privato tellure paterna propelli, & quilibet oporteat latorum regnorum transmarina aggredi rura. Quis enim, " quæso, tam durus atróxve labor existens, ab illo vos Antistite separans arceat; qui vos ab ipso tyrocinio rudimentorum & à primæva teneræ ætatis infantia usque adultæ pubertatis florem nutriendo, docendo, castigando, provexit pietate; & quasi nutrix gerula dilectos extensis ulnarum finibus refocillans, sic charitatis gremio fotos clementer amplexus est. Perpendite " quæso creaturarum ordinem, eisque divinitus insitam naturam; quatenus " ex minimarum rerum collatione flexibilem commiserationis formam, " Christo juvante, capiatis; quomodo examina apum calescente cœlitus caumate, ex alveariis nectare flagrantibus certatim emergant, & earum auctore " linquente, brumalia mansionum receptacula, densarum cavernarum cohortes, " rapido volatu ad æthera glomerante, exceptis duntaxat antiquarum sedium " servatricibus ad propagationem sobolis futuræ: relictus, inquam, mirabilius dictu, Rex earum, spissis sodalium agminibus vallatus, cùm hiberna castra gregatim egreditur & cava stipitum robora rimatur, si pulverulenta sablonis aspergine præpeditus, seu repentinis imbribus cataracta Olympi guttatim rorantibus retardatus fuerit, & ad gratam cratem sedemque pristinam " revertatur; omnis protinus exercitus consueta vestibula perrumpens, prisca " cellarum claustra gratulabundus ingreditur. Et post alia. Si ergo taliter creatura [ratione] carens, quam vita [&] natura indita absque legibus scriptis gubernant, reciprocis temporum successionibus ductoris præcepto paret; respondete, rogo, utrum [non] horrendæ abominationis infamia sint exprobrandi, qui " concessa septiformis Spiritus gratia præditi, devotæ subjectionis fræna ritu " phrenetico frangunt. Cur autem diversarum rerum ratiocinationes conglobans, ad instiganda vestri pectoris præcordia stridente calamo percurram, audite. Ecce seculares divinæ scientiæ extorres, si devotum dominum quem in " prosperitate dilexerunt, cessante felicitatis opulentia, & ingruente calamitatis " adversitate, deseruerint, [&] secura dulcis patriæ otia exulantis domini pressuræ prætulerint: Nonne execrabilis cachinni ridiculo & gannaturæ strepitu " ab omnibus ducuntur? Quid ergo de vobis dicetur; si Pontificem qui vos nutrivit & extulit, in exilio solum dimiseritis? &c. Exemplo firmissimæ in amicum integritatis posito, sequetur præclara discipuli ammonitio: " Dilectissimo mihi filio & simul discipulo Adilwaldo Aldelmus extremus servorum " Dei, salutem. Quemadmodum te viva voce aliquotiens de aliquibus ammonere curavi; ita [e] ut nunc absentem paterna secundùm Deum auctoritate " fretus, literis exhortari non piget. Hoc enim ideo agimus; quòd [f] *charitas Christi*, sicut ait Apostolus, *urget nos*. Itaque, fili mi charissime, licèt adolescens ætate existis, vanissimis tamen oblectamentis hujus mundi nequaquam te nimium subjicias, sive in quotidianis potationibus & conviviis usu

" fre-

[e] l. &.
[f] 2 Cor. V. 14.

" frequentiore ac prolixiore inhonestè superfluis, sive in equitandi vagatione
" culpabili, seu in quibuslibet corporeæ delectationis voluptatibus execrandis.
" Memento semper quid scriptum est, [g] *Adolescentia & voluptas vana sunt.*
" [h] Amovi quoque, vehementiori pecuniæ & omni secularis gloriæ Deo semper
" odibili jactantiæ nequaquam ultra modum inservias, illius sententiæ remi-
" niscens: [i] *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, anima verò sua de-*
" *trim ntum patiatur?* [k] *Filius enim hominis venturus est in gloria sua & sanctorum*
" *Angelorum; & retribuet unicuique secundum opera sua.* Sed multò magis, mi
" amantissime, vel lectionibus divinis, vel orationibus sacris semper invigila.
" Si quid vero præterea secularium literarum nosse laboras; ea tantummodo
" causâ id facias, ut quoniam in lege divina vel omnis vel pene omnis verbo-
" rum textus artis omnino ratione grammaticæ consistit; tantò ejusdem elo-
" quii divini profundissimos atque sacratissimos sensus facilius legendo intelli-
" gas, quantò illius rationis qua contexitur diversissimas regulas pleniùs didi-
" ceris. † Ante hanc autem epistolam jugiter inter cæteros quos legis libros
" habere non omittas; ut videlicet ejus lectione creberrima de his quæ in ea
" scripta sunt, implendis mea vice possis ammoneri. Vale. Ac utinam hæc
lectio Monachorum, qui se Aldelmi discipulos profitentur, conferat compendio, proficiat commodo; ut tandem despectis illecebris, sanctitatis & doctrinæ ejus innitantur vestigiis. Nam proculdubio nunquam ejus evellerentur instituta; nisi transgrederemur ejus mandata. Sed quia in eum deliquimus, merito plectimur. Ipse interea quasi nesciat tacet, dissimulat quasi non videat; dum nos volutamur in periculis: Dum privilegia sua deridentur à seditiosis, dum calcantur à tyrannis. Sed revertamur vel sero ad cor; ut famulos suos multis jam periculis jactatos, oculo pietatis respiciat, sinu clementiæ recolligat.

Veruntamen ut narrationem reppetam; summum culmen laudibus ejus literaturæ imposuit Beda, qui & pro vicinia temporis rem ut erat nosset, & pro veritatis studio mentiri nollet. Qui post enunciationem aliquorum librorum ejus subintulit: † " Scripsit, *inquit*, & alia nonnulla, utpote vir undecunque doctis-
" simus. Nam & sermone nitidus, & scripturarum tam ecclesiasticarum quam
" secularium erat eruditione mirandus. Poteſtne quicquam hac laude sublimius dici? Postremo ipsum eundem testem citabo; quòd licèt omnibus artibus studium nunquam abnuerit, quibus tamen potissimum apud Cantiam iterata mansione studens animum impenderit. Sic enim in epistola ad Heddam antecessorem suum, laborem exequitur, proprium commendat exercitium: " Fate-
" or, Beatissime Præsul, me dudum decrevisse, si temporum volitans vicissi-
" tudo pateretur, vicinam optati Natalis Domini solennitatem ibidem in con-
" sortio fratrum tripudians celebrare, & postmodum vita comite vestræ chari-
" tatis præsentia frui. Sed quia diversis impedimentorum obstaculis tardati,
" quemadmodum lator præsentium viva voce promulgabit, illud [l] præficere
" nequivimus; idcirco difficultati veniam precor impendite. Neque enim
" parva temporum intervalla in hoc lectionis studio protelanda sunt ei duntax-
" at; qui sagacitate legendi succensus, legum Romanarum jura medullitus ri-
" mabitur, & cuncta Jurisconsultorum secreta imis præcordiis scrutabitur:
" & quod his multo perplexius est, centena scilicet metrorum genera pedestri
" regula discernere, & musicæ cantilenæ modulamina recto syllabarum tramite
" lustrare. Cujus rei studiosis lectoribus tanto inextricabilior obscuritas præ-
" tenditur, quanto rarior doctorum numerositas reperitur. Sed de his pro-
" lixo ambitu verborum disputare epistolaris angustia minime sinit; quomodo
" videlicet ipsius metricæ artis clandestina instrumenta litteris, syllabis, pedi-
" bus, poeticis figuris, versibus, tonis, temporibus conglomerantur. Poe-
" tica quoque septenæ divisionis disciplina, hoc est, Acephalos, Procilos cum
" cæteris, qualiter varietur, qui versus monostemi, qui pentastemi, qui decastemi

" certa

[g] Eccles. XI. 10.
[h] l. Ammonui.
[i] Marc. VIII. 36.
[k] Matth. XVI. 27.
† l. Ante te autem hanc.
† Hist. Eccl. lib. 5. cap. 19.
[l] l. perficere.

" certa pedum mensura terminentur,& qua ratione catalectici vel brachiacata-
" lectici seu ipercatalectici versus sagaci argumentatione colligantur. Hæc,
" ut reor, & his similia brevi temporis intercapedine apprehendi nequaquam
" possunt. De ratione vero calculationis quid commemorandum;cùm tantæ
" supputationis imminens desperatio colla mentis oppresserit; ut omnem præ-
" teritum lectionis laborem parvipenderem, cujus me pridem secreta cubicula
" nosse crediderам; & ut sententia Beati Hieronymi, dum se occasio obtulit,
" utar, *Qui mihi prius videbar sciolus, rursus cœpi esse discipulus:* Sic quòd tan-
" dem superna gratia fretus, difficillima rerum argumenta & calculi suppositi-
" ones,quas partes numeri appellant, lectionis instantia reperi. Porro de Zo-
" diaco & xii. Signorum quæ vertigine cœli volvuntur, ratione ideo tacendum
" arbitror; ne ars opaca & profunda,quæ longa explanandarum rerum ratione
" indiget, si vili interpretationis serie propalata fuerit, infametur & vilescat:
" præsertim cum astrologiæ artis peritia & perplexa horoscopi computatio elu-
" cubrata Doctoris indagatione egeat. Talium artium voluptate repletus,ip-
se quoque ex sacratissimo pectoris penu bonæ frugis libellos edidit;ne nunquam thesauros tam diu congregatos recluderet, ne nichil unquam ex auditis reponeret. Et primum quidem ingenii periculum dedit in libro quem *ad Britones*,ut ad verum Pascha reverterentur, fecit; cujus doctrinam nescio quod infortunium usibus nostris invidit, gaudio subtraxit. Est & liber ejus de *Virginum laude* rhetorico compactus lepore;in quo Virginitatis gloriam prius prædicat,& postea non difficile esse per Sanctorum cœlibatum exemplificat. Ejusdem materiæ versibus heroicis fecit *alterum* cui adjunxit *tertium*; æque versificum *de pugna VIII. principalium Virtutum.* Extat & codex ejus non ignobilis *de Ænigmatibus*,poetæ Symphorii æmulus,centum titulis & versibus mille distinctus. Utriusque Operis Præfationem versibus recurrentibus ingeniose intexuit; ut in illo *de Virginum laude* istius versus literæ, *Metrica tyrones nunc promant carmina castos*, singulos versus Præfationis à capite ad finem inchoarent,eædemque per numerum versuum retr actæ eundem versum effingerent. Porro in illo *de Ænigmatibus* aliter conjunctus est, ut hic versus, *Aldelmus cecinit millenis versibus odas*, primas & ultimas singulorum in procemio versuum literas & inchoaret & terminaret, ambasque extremitates easdem faceret: * ascenditq; in his vir veteris literaturæ ludum simul & artificium. dum res incuriosas comitaretur facundum & vigens eloquium. Præterea ad quendam Aldfridum Regem Northumbrorum probe, ut Beda narrat, literis doctum, edidit librum hæc continentem capitula *de septenarii numeri dignitate Collecta ex veteris & novi Testamenti floribus & disciplinis Philosophorum. De ammonitione fraterna Charitatis. De insensibilium rerum natura, quæ secundum metaphoram sermocinari figurantur. De pedum regulis. De Metaplasmo. De Sinalimpha. De Scansione & Eclipsi versuum. De Metro alterna interrogatio & responsio.* Composuit & *Epistolas* multas, quarum plures non extant, partem quarundam quas habemus antecessorum nostrorum detruncavit incuria. Sermones ejus minus infundunt hilaritatis quam vellent hii qui rerum incuriosi verba trutinant; judices importuni, qui nesciant quod secundùm mores gentium varientur modi dictaminum. Denique Græci involute, Romani splendide, Angli pompatice dictare solent. Id in omnibus antiquis Cartis est animadvertere, quantum quibusdam verbis abstrusis ex Græco petitis delectentur. Moderatius tamen se agit Aldelmus, nec nisi perraro & necessario verba ponit exotica. Allegat catholicos sensus sermo facundus, & violentissimas assertiones exornat color rhetoricus. Quem si perfecte legeris, & ex acumine Græcum putabis, & ex nitore Romanum jurabis, & ex pompa Anglum intelliges.

* l. ostenditq;

PARS II.

PARS II.

PRima propositi portione utcunque sarcita; secundam aggredior; quæ pollicetur ostendere, quæ Monasteria Sanctus Aldelmus fecerit, quibusque privilegiis insignierit, & prædiis ditaverit : cujus erit facilis absolutio, quia labore alieno summa negotii conficietur. Libet igitur nostris verbis prælibare necessaria, capere occasionem operis accelerandi, & sic solutiore cura in aliorum scriptis spatiari Ex superius igitur dictis potest intelligi quod Meildulf Monasterium Meldunense, quod nunc corruptior ætas Malmesberiam nuncupat, ædificaverit, vel potius inchoaverit. Tanta enim ibi necessariorum penuria erat; ut inhabitantes ægrè cotidianum victum expedarent; sed correxit nobilitas Aldelmi victualium inopiam, ut sermo progrediens edocebit. Parva ibi admodum Basilica paucis ante hoc tempus annis videbatur, quam Meldulfum ædificasse antiquitas (incertum si fabulatur) [m] fertur fecisse, & augustiorem Ecclesiam in honorem Domini Salvatoris & primorum Apostolorum Petri & Pauli. Quòd autem in hac Ecclesia Caput loci & Monachorum congregatio fuerit ex antiquo; Cartarum quas subjiciam † authoritas, commendant fidem, arguunt incredulitatem. Et quia tunc moris erat, ut in Novarum Ecclesiarum dedicatione, ad honorem Sponsi cœlestis & Ecclesiæ Matris aliquod honorificum Epigramma poneretur : Vir Sanctus in honorem Apostolorum hoc cecinit Epithalamium.

[m] l. fert.

† l. authoritates.

" Hic celebranda rudis florescit gloria Templi;
" Limpida quæ sacri signat vexilla Triumphi,
" Hic Petrus & Paulus tenebrosi lumina mundi,
" Præcipui patres Populi qui fræna gubernant,
" Carminibus crebris alma celebrantur in aula.
" Claviger ô cœli, portam qui pandis in æth'ra.
" Candida qui meritis recludis [n]
" Exaudi clemens populorum vota [o] precatum;
" Marcida qui riguis humectant imbribus ora.
" Suscipe singultus commissa piac'la gementum;
" Qui prece flagranti torrent peccamina morum,
" Quondam Saule ferox, nunc depositâ feritate,
" Agne Dei mitis, mutato nomine, Paule,
" Vocibus orantum nunc aures pande benignas;
" Et tutor tremulis cum Petro porrige dextram.
" Sacra frequentantes [p] lumina lustrant!
" Quatenus [q] scelerum celer indulgentia detur,
" Largâ de pietate fluens & fonte superno,
" Dignis qui nunquam populis † torrescit in ævum.

[n] *Addendum forsan*, limina cœli.
[o] l. præcantum.
[p] *Forsan* Sanctorum limina *legendum*.
[q] *His inserendum* detur.
† i.e. exarescit.

Fecit & aliud Cœnobium juxta fluvium, qui vocatur From; sicut in privilegio, quod Sergius Papa utrisque Monasteriis concessit, legitur. Stat ibi adhuc & vicit diuturnitate sua tot secula Ecclesia ab eo in honorem Sancti Johannis Baptistæ constructa. Necnon & apud Bradeford tertium ab eo Monasterium

um instructum crebra serit opinio; quam confirmare videtur nomen Villæ in serie Privilegii, quod jam Episcopus Monasteriis suis dedit, appositum & antiquis scripturæ lineamentis effigiatum. Et est ad hunc diem eo loci Ecclesiola; quam ad nomen beatissimi Laurentii fecisse prædicatur. Sed enim utraque Monasteria From & Bradeforde morem mortalium æmulantia, in nihilum defecere: restat tantum nomen inane. Veruntamen utrùm tantarum ædium destructio imputanda sit Danorum insanis præliis, an Anglorum rapacibus cuneis; non facile discreverim. Solum Meldunense, idemque Malmesberiense viget adhuc habitatorum frequentia, habitaculorum decore. Quod pietate Sancti dispensariâ, qui se corpusque suum ibidem devovit, arbitror [factum] ut tot evaderet ærumnas, tot calamitates duret, umbramque tenuem jampridem amissæ libertatis suspiret. Quapropter quæ cæteris destructis prædia illic ab eo collata latam [r] trapare ruinam; nostram etiam penitus effugere notitiam. Hinc verò quantum terrarum adjecerit dicturis illud privilegium, occurrit primo apponendum; quod eidem Aldelmo Westsaxonum Antistes Leutherius concessit; quem promoventibus virtutum successibus in altum intentum conspicatus ibidem, eum in Presbyterum, postea in Abbatem erexit; locique illius possessionem, qui sui juris esset, in Abbatis ditionem hoc scripto transduxit.

[r] Sensus postulat *subire*.

" Solet plerumque contingere, ut autumnali torrido facessant caumate " brumalia sævientium ventorum [s] flabri reciprocis alternatim cursibus suc- " cedant; quibus procellosa pelagi cerula enormesque oceani gurgites hinc " atque illinc quatiuntur; quatenus navigio errante nullus absque discrimi- " nis navigans furibundo flamine carbasa rumpente transfretet. Ita nimirum " prostratâ mundi pompulentâ gloriâ, jamque appropinquante ejusdem ter- " mino, fluctantes seculi [t] turbius incumbere experimento evidenti videntur: " ut revera & absque ullo ancipiti scrupulo illa Domini præsagimina nostris " tandem temporibus comprobentur impleri; quibus ita cœlesti oraculo effa- " tus est, [x] *Videte ficulneam & omnes arbores*, &c. Porro inter has turbulentas " seculi tempestates Scripturarum flectenda sunt gubernacula; totiusque " navigii armatura atque instrumenta [y] parando; quatenus garrulo Sirena- " rum carmine spreto, ratis recto cursu ad portum patriæ prosperè perduca- " tur. Quapropter ego Lutherius gratia Dei Episcopus, pontificatûs Saxonici gu- " bernacula regens, rogatus sum ab Abbatibus, qui sub jure parochiæ nostræ cœ- " nobiali Monachorum agmini præesse noscuntur pastorali sollicitudine; ut ter- " ram illam, cui vocabulum est inditum Maldumesburge, Aldhelmo Presby- " tero ad degendam regulariter vitam conferre largirique dignarer. In quo " videlicet loco à primo ævo infantiæ atque ab ipso tyrocinio rudimentorum, " liberalibus literarum studiis eruditus, & in gremio Sanctæ matris Ecclesiæ " nutritus vitam duxit. Et ob hoc potissimum hanc petitionem fraterna cha- " ritas suggerere videtur. Quapropter prædictorum Abbatum precibus annu- " ens, ipsum locum, de quo supra mentionem fecimus, tam sibi quam suis " successoribus normam sanctæ regulæ solerti devotione sequentibus, fraternâ " petitione coactus ultroneus impendo: quatenus in futuram posteritatem, " remoto omnium disceptationum ingruentium conflictu, quiete continuâ & " pace perpetuâ Domino famulari sine impedimento valeant. Sed ne forte " contentionis occasio deinceps contingat; hac rationis conditione interpositâ " confirmo; ut nullus succedentium demum Episcoporum seu Regum hanc " nostræ donationis cartulam tyrannicâ fretus potestate violenter invadat. " Asserens pertinaciter, quòd de jure potestatis Episcopatûs ablatum seque- " stratumque fuisse videtur. Et adeo sciendum est, & contra æmulos pro- " mulgandum, multò magis me commodum augmentumque Pontificali " Ecclesiæ addidisse, quàm per vim abstraxisse. Postremò ut firmior prædictæ " largitionis donatio jugiter mansura sit; prædictos Abbates propriis manibus

[s] l. flabra, &c.

[t] l. turbines.

[x] Luc. XXI. 29.

[y] l. paranda.

 " sub-

" subscribere jussimus. Quod si quis hæc scripta & definita & decreta nostra
" irrita facere nitetur; Sciat se ante tribunal Christi rationem redditurum.
" Actum publice juxta flumen Gladon VII Kal. Sept. Anno incarn. Christi
" DCLXXV.

Abbas ergo constitutus Monachos ad votum inducere, famam in bonum urgere, Dei præ omnibus gloriam velle. Cumque industriæ Abbatis favor concurreret Pontificis; tunc res Monasterii in immensum augeri. Currebatur ad Aldelmum totis semitis; hiis vitæ Sanctimoniam, illis literarum scientiam desiderantibus. Erat enim, quamvis, ut diximus, eruditione multiplex, tamen religione affabilis & simplex; qui adversantes obrueret dicendi flumine, discentes mulceret nectareo · · · · docendi flumine ad utrosque ex ejus ore flueret salsi leporis oratio; ut esset in singulis mirabilis, & in omnibus singularis. Eo factum est; ut Reges & Comites Merciorum & West-Saxonum religione viri, quam nobilitas commendabat, illecti, plura loco conferrent. Quorum primus, ut accepimus, Kenfrithus Comes Merciorum, regii affinis sanguinis, vir corpore, seculo, mente militans Deo: X. cassatos in Wodecim Aldhelmo Abbati dedit his verbis.

" Fortuna fallentis seculi procax non, lacteo immarcescibilium liliorum
" candore amabilis, sed fellita ejulandæ corruptionis amaritudine odibilis, fi-
" lios in valle lachrimarum fœtentis carnis rictibus venenosis mordaciter
" dilacerat; quæ quamvis arridendo sit infelicibus attrectabilis, Acherontici
" tamen ad ima Cociti, in [a] silus alti subveniat boantis, impudenter est decli-
" vis. Et ideo quia ipsa ruinosa canaliter dil bitur; summopere festinandum
" est ad amœna indicibilis lætitiæ arva. Ibi Angelica hymnidicæ jubilationis
" organa mellifluaque rosarum odoramina à bonis beatisque naribus inæstima-
" biliter dulcia capiuntur, sineque [b] calce auribus fœlicium hauriuntur.
" Cujus amore fœlicitatis illectus: ego Kenfrithus Comes Merciorum quan-
" dam telluris particulam Venerabili Abbati Aldhelmo sub æstimatione X. cas-
" satorum in loco, qui dicitur Wodecim, ad serviendum Deo & Sancto Petro
" in perpetuum, jus largitus sum, cum consensu Domini mei Ethelredi Regis
" Anno ab incarnatione Domini DCLXXX indictione VIII.

[a] *Legendum forsitan.* ne situs alti subveniat boantibus

[b] *viz.* fine.

Datum præcellentissimi Comitis stimulavit & provexit munificentiam Regis; ut ipse sequenti anno conferret prædia duo, confirmaretque scripto uno, quod est hujusmodi.

1 Tim. VI. 7.

" In nomine Domine Dei nostri Jesu Christi Salvatoris. [c] *Nihil intuli-*
" *mus*, ut Apostolicum confirmat oraculum, *in hunc mundum*; *nec auferre quid*
" *possumus*. Iccirco terrenis ac caducis æterna ac mansura mercanda sunt.
" Quapropter ego Etheldredus Rex Merciorum rogatus à patricio meo ac pro-
" pinquo Kenfritho, pro remedio animæ meæ ac pro oratione fratrum in Mel-
" dulfesburge Deo servientium, XXX. cassatos ab occidentali parte stratæ
" publicæ, & non longè in alio loco XV. prope Tettan Monasterium, Aldelmo
" Abbati & successoribus ejus in libertatem terrenarum servitutum perpetua-
" liter libenter largitus sum. Et hanc donationem meam sacræ crucis signa-
" culo propria manu confirmavi; & favorabilium virorum claro consensu cor-
" roboravi: ut nulla post obitum vestrum regalis audacia nec secularis dig-
" nitas decretum nostrum confringere [d] acceptet. Si quis vero hanc donatio-
" nem augere & amplificare voluerit; augeat dominus partem ejus in libro
" vitæ. Quod si quis tyrannicâ potestate fretus demere sategerit; sciat co-
" ram Christo novemque angelorum ordinibus rationem redditurum. Scripta
" est autem hæc chirographi cartula anno ab incarnatione Domini DCLXXXI
" indictione IX.

[d] l. attempter.

Ejusdem Regis fuit nepos ex fratre Wlferio Brithwaldus nomine; de quo in gestis Wilfredi antistitis supradixi; non quidem Rex potestate sed subregulus in quadam regni parte. Hic amore Dei ductus, Beato Aldelmo dedit hoc nobile

nobile munus. " Ea quæ secundum timorem & amorem Domini religiosâ
" largitionis devotione diffiniuntur, quamvis solus sermo sufficeret promul-
" gare; tamen pro incerta futurorum temporum conditione, scriptis publicis
" & documentorum gestis sunt confirmanda. Quapropter ego Berthwalde
" regnante Domino Rex, pro remedio animæ meæ [&] indulgentiâ commis-
" sorum criminum, aliquam terram conferre largirique Aldelmo Abbati de-
" crevi: id est illam de orientali parte fluminis, quod appellatur Temys, juxta
" vadum cujus vocabulum est Summerford, XL. Cassatos, eâ scilicet diffiniti-
" one, ut omni servitute secularium potestatum portio terræ illius perpetua-
" liter sit libera ad serviendum necessitatibus Monachorum Deo servientium
" in Monasterio quod nominatur Maldumesburge. Et ut firmiùs ac tenacius
" hæc donatio inroboretur; etiam præcellentissimum Monarcham Ethelre-
" dum ad testimonium ascivimus Regem, cujus consensu & confirmatione
" hæc munificentia acta est. Si quis contra hanc donationem venire tentave-
" rit; aut tyrannicâ fretus potestate invaserit: Sciat se in tremendo cuncto-
" rum examine coram Christo rationem redditurum. Actum publicè in
" synodo juxta vadum Bregford, mense Julio, tricesimâ die mensis ejusdem,
" indictione XIII. anno ab incarnatione Domini DCLXXXV. Subscripse-
runt his tribus Theodorus Archiepiscopus, Etheldredus Rex Merciorum,
Berthwaldus subregulus, Kenfrithus patritius, Sexuulfus Lichfeldiæ & Bosel
Wigorniæ episcopi.

Eodem tempore Kentuuinus Rex Westsaxonum, morbo & senio gravis, Ceduallam regii generis juvenem successorem decreverat. Is ergo quamvis nec adhuc Rex nec Christianus, spe tamen regnum anticipabat, [&] baptismi credulitate [d] imbuebat. Quapropter & Regem se dici gaudebat; & multa Monasteriis circumquaque largiens, liberaliter huic providit cœnobio: sicut hoc enitescit scripto. . . . .
. . . .

[d] l. imbuebatur.

" In nomine Domini nostri Jesu Christi, omnia [e] *quæ videntur, temporalia*
" *sunt; & quæ non videntur, æterna sunt.* Et iterum lubrica seculi fragilitas
" ostenditur. Scilicet per eundem Apostolum dicitur: [f] *Nihil intulimus in*
" *hunc mundum; nec auferre quid possimus.* Iccirco caducis & terrenis æterna
" cœlestis infulæ corona comparanda est. Quamobrem ego Ceduallа regnan-
" te Domino Rex, aliquam terram pro animæ meæ remedio & indulgentia
" piaculorum meorum conferre ac donare Abbati Aldelmo decreveram; id
" est, ex utrâque parte sylvæ, cujus vocabulum est Cemele: de orientali par-
" te termini stratarum usque famosum amnem, qui dicitur Temys, CXL.
" manentes; & in alio loco, ubi conjunguntur duo flumina Aven & Wileo,
" & hoc maximè ad piscationem fratrum. Ita ergo firmiter & immobiliter
" hæc largitio in futuram progeniem permaneat; ut nullus frangere hujus
" donationis privilegium præsumat. Si quis vero contra hanc munificen-
" tiam tyrannicâ potestate inflatus, venire temptaverit; sciat se obstaculum iræ
" Dei incurrere, & in ultimo examine coram Christo & Angelis ejus rationem
" reddere. Scripta autem est hæc munificentia Indictione——Anno ab
" Incarnatione Domini sexcentesimo octogesimo octavo, mense Augusto,
" quartâ decimâ Kalendarum Septembrium die feliciter.

[e] 2 Cor. IV. 18.

[f] 1 Tim. VI. 7.

Partem harum terrarum eodem anno commutavit à quodam Baldredo pro aliis; quæ videbantur & uberiores reditu, [&] viciniores aditu. Enimvero nescio quo eventu Ceduallæ munere rato [g] vivente, commutatio post aliquot annos irrita fuit. Est ergo hæc commutationis cartula.

[g] l. manente.

" In nomine Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi, ego Baldred aliquam
" terram Aldelmo Abbati impendere decrevi; id est, juxta flumen Avene,
" & circa sylvam quæ vocatur Stercanlei, & Cnebbanburge centum manentes;
" & ab eo centum Cassatos pro vice suscepi; id est, ex plagâ [h] orientalis syl-

[h] l. Orientali.

" væ, cujus vocabulum est Bradon; & hoc cum consilio & confirmatione " Kentwini Regis & omnium principum ac Senatorum ejus roboratum est. " Si quis contra hæc venire temptaverit; sciat se ante tribunal Christi Judicis " & coram Sanctis Angelis rationem redditurum. Scripta est autem hæc do- " natio, immo vicaria commutatio, mense Augusto, indictione prima, An- " no ab incarnatione Christi DCLXXXVIII. Subscripserunt his duabus chartis Hedda Episcopus Wintoniensis, Kentuwinus Rex, Cessa Pater Inæ postea Regis.

Ceduallæ Regis post Kentwinum industriam in seculo pietatem video. Quomodo post triumphatos hostes regno possesso Romam iverit, ibique baptizatus, supremum arbitrium feliciter incurrerit: Beda commemoravit latiùs; nos in Regum Historia perstrinximus. Eo igitur Romam eunte, Regnum per Inam novatum. Ina fuit fortitudinis unicum specimen, prudentiæ simulachrum, religione parem nescias. Indicio sunt bella, quæ profligavit; testimonio Monasteria, quæ construxit. Has animi regalis dotes animabat stimulis [i] monitionem pater Aldelmus; cujus ille præcepta audiebat humiliter, suspiciebat granditer, adimplebat efficaciter. Ejus monitu Glastoniense Monasterium, ut dixi in Gestis Regum, Christo fecit; nec parvi pretii rura Melduno intulit; liberalibus scriptis donativis prosequentibus, quorum istud unum est.

[i] l. monitio-rum.

" In nomine Domini Jesu Christi Salvatoris nostri, ego Ina Domino reg- " nante Rex Saxonum, cogitans vitæ æternæ præmium, verens pœnas inferni " perpetuas, pro remedio animæ meæ & relaxatione criminum meorum, ali- " quam terræ particulam donare decrevi venerabili Aldelmo Abbati ad aug- " mentum Monasterii sui, quod vocatur Meldumesburge; id est, XLV. " Cassatos in locis ab accolis infra nominatis; id est, quinque manentes in " loco, qui dicitur Iserdun; & [k] ibi rivulus, qui vocatur Corsuburtia, oritur, " XX. & in alio loco juxta eundem rivulum X. & juxta laticem, qui vocatur " Redburna, X. Et hoc actum est anno ab incarnatione Christi septingen- " tesimo primo, indictione XIV. Subscripsit Hedda Episcopus, & Winberthus Clericus Regis, qui & hanc, & cæteras Ceduallæ donationes dictaverat; quem etiam, ut sibi apud Ceduallam patronum adscisceret, hâc olim epistolâ invitaverat. " Domino in Dominorum Domino dilectissimo, Winbertho Aldel- " mus servus servorum Dei in angulari duorum testamentorum [l] lapide de " summis montium verticibus abscisso; qui statuam quaterno metallorum ge- " nere fabrefactam, quaterna populorum regna signantem crura tenus, au- " rato capite, oppressit, salutem. Gerulum literarum ad vestræ pietatis præ- " sentiam destinavimus; qui vobis vivâ voce de causâ nostræ necessitatis im- " minenti plenius promulgabit: Id est de terrâ, quam nobis venerandus Pa- " tritius Baldredus possidendam accepto pretio obtulit; præcipue pro captura " piscium apto & competenti loco. Et iccirco dum in nostri Regis potestate " data & collata esse videtur; obnixe precamur, ut eandem agri partem per " tuæ caritatis patrocinium obtinere & habere firmiter valeamus: ne eâdem " possessione per violentiam privati, quia plerumque justitiæ jura vacillant, " fraudemur, &c. † Hic sunt prædia quæ beatus Abbas instantiâ suâ Cœnobio indidit, situ amœna, amplitudine jucunda, vicinitate opportuna: Adeò ut quislibet diluculo de Monasterio exiens, omnibus facilè ipso die circuitis, adhuc luce profundâ domum redeat. Et quidem post obitum ejus dederunt aliqui aliqua; sed prædones abstulerunt omnia præter ista; licèt & de his partem vellicaverint. Ita per Aldhelmum ad quadringentos & eo amplius Cassatos excrevit locus; qui vix ante LX. habebat. Tot enim Cassatis annumeratur [m] quæ villa nunc Brocheneberge, appendens loco qui Cœnobium continet, ruricolarum consueto nomine appellatur.

[k] l. ubi.

[l] Dan. II.

† l. Hæc.

[m] l. Villa quæ.

PARS III.

PARS III.

NUnc quia secundâ expletâ pollicitatione, non parùm promovimus, & quasi jam medium æquor tenemus; majoribus opus est viribus, ut non ingenii sed Spiritûs Sancti adjuti flatibus, navem ad silentii litus impellamus. Hic sanè lectoris expectationi deero; si quis putat me illa quæ inseram miracula scriptis ex antiquo testimoniis probaturum. Sed quamvis illa parte destituar; fidem tamen veri securâ promissione astringo. Erunt enim ista, quæ illaturus sum, sola quæ [n] vavor universitatis exsequitur, jam inde ab antiquis ductus temporibus. Erunt quæ communis Provincialium assensus defendit, per continuas successiones ad posteros transmissus. Inseruit ea divinitas mentibus hominum vice literarum; ne deperirent inutiliter per Sanctum facta mirabiliter. Non ergo videri debent de nihilo; quæ per succiduas generationes ab omni prædicantur populo. Si quis verò mihi succensendum opinetur; quòd non visa sed audita scribo: præclaros Patres, illustres Heroes, qui fecerunt idem, Lucam in Evangelio, Gregorium in Dialogo, in jus trahat, in eandem accusationem vocet. Quòd si se protervum indicet; cur mihi quæso non liceat in exiguo, quod illis in summo? Nec verò hæc nostra ita fide oculatâ carent; cùm ea scrinii antiqui argento vidimus impressa eo genere artificii, quod Anaglisum vocant. Hac igitur fretus veniâ, agresti licèt sermone, cœptum expediam. Attenuabit impudentiæ culpam amor Sancti; ut cui displicet eloquentia, placeat materia.

[n] l. favor.

Postquam ergo factus est Monachus; sic eum vitam duxisse comperimus. Lectionibus frequenter, orationibus instanter incumbebat: ut sicut ipse in quadam Epistolâ dixit, legens Deum loquentem audiret, orans Deum alloqueretur. Tenuitate ultroneâ victualium pascens animum, nusquam à Monasterio nisi necessariò progrediens, Pecuniarum minimè avidus, si quid dabatur in usus [o] vetnes, continuò annumerans. Jam vero ut vim rebelli corpori [p] concisseret; fonti, qui proximus Monasterio, se humero tenus immergebat. Ibi nec glacialem in hyeme rigorem, nec æstate nebulas ex locis palustribus halantes, curans: noctes durabat inoffensus. Finis duntaxat percantati Psalterii terminum imponebat labori. Fons ille de nomine Sancti dictus, in valle Cœnobii lenibus scatebris fluens, & visu est delectabilis & potu suavis. In alia parte urbis fons Danielis dicitur; quia in eo Daniel cœlestes noctibus ducebat excubias; qui cum Aldelmo Pontificales accepit infulas. Inter hæc præclaram hominis conscientiam describere penè verecundaretur oratio; nisi esset in facto gloriosæ victoriæ occasio. Si quando enim stimulo corporis ammoveretur; non solùm illecebræ denegabat effectum, sed aliàs insolitum reportabat triumphum. Neque [q] tunc consortium fœminarum repudiabat; ut cæteri, qui ex opportunitate timent prolabi. Immo verò vel assidens vel cubitans aliquam detinebat; quoad carnis tepescente lubrico quieto & immoto discederet animo. Derideri se videtur Diabolus, cernens adhærentem fœminam virumque alias avocato animo insistentem cantando Psalterio. Valefaciebat ille mulieri salvo pudore, illæsa castitate. Residebat carnis incommodum: dolebat nequam spiritus de se agitati ludibrium. Assistunt veritati dictorum meorum, quantum cœlibatûs amorem foverit; Libri de Virginitate præclari; quibus illius honorem definit, pulchritudinem ornat, perseverantiam coronat. Neque enim fas est credi, Sanctum Virum aliter fecisse quàm docuit, aliter vixisse

[o] l. utiles.

[p] l. conscinderet.

[q] l. tamen.

vixisse quàm dixit. Et ut assertio ista omnem dubietatis deprecetur offensam; audi quomodo discipulum monuerit, ne lasciva Poetarum carmina legat, ne meretricularum consortio inhæreat, ne delicatarum lenocinio vestium vigorem mentis effœminet.

" Domino venerabiliter diligendo & delectabiliter venerando Wilcfrido " Aldelmus vernaculus supplex in Christo perhennem salutem. Perlatum est " mihi, [r] rintugerulis referentibus, de vestræ caritatis industriâ; quòd trans- " marinum iter gubernante Domino capere, sagacitate legendi succensa, de- " creverit. Et icciroo vitâ comite optatum Hiberniæ portum tenens, sacro- " sancta potissimùm præsagmina, refutatis Philosophorum commentitiis, le- " gito. Absurdum enim arbitror, spretâ [s] rudis ac veteris Instrumenti inex- " tricabili normâ, per lubrica dumosi ruris diverticula, immo per dyscolos Phi- " losophorum anfractus, iter carpere. Seu certè oporiatis vitreorum fontium " limpidis laticibus, palustres pontias lutulentasque limphas siticulosè pota- " re; in queis atra bufonum turma catervatim scatet, atque garrulitas rana- " rum crepitans coaxat. Quidnam, rogitans quæso, orthodoxæ fidei Sacra- " mento commodi affert circa temeratum spurcæ Proserpinæ incestum, quod " abhorret fari, enucleatè legendo scrutandoque surdescere; aut Hermionem " petulantem Menelai & Helenæ sobolem, quæ ut prisca produnt opuscula, " despondebatur pridem jure dotis Oresti, demumque sententiâ mutata Ne- " optolemo nupsit; lectionis præconio venerari: aut Lupercorum bacchan- " tium antistites ritu lætantium Priapo parasitorum, heroico stilo historiæ car- " raxare; quæ altato quondam sceptri in vertice chelidro Hebrææ cautionis ob- " tutibus præsentato, hoc est, almâ mortis morte stipite patibuli affixâ, solo te- " nus diruta evanuere? Porro tuum discipulatum ceu cernuus arcuatis popliti- " bus flexisque suffraginibus, feculentâ famâ compulsus, posco; ut nequa- " quam prostibula lupanarium, nugas in queis pompulentæ prostitutæ delites- " cunt, lenocinante luxu ad eas, quæ obrizo rutilante periscelidis armillaque " lacertorum tereti utpote faleris [t] falerati curules comuntur; sed magis edito " aulæ fastigio spreto, quo Patricii ac Prætores potiuntur, [v] gurgitii humili " receptaculo contenta tua fraternitas feliciter fruatur; nec non contra ge- " lida brumarum flabra è climate olim septentrionali emergentia neglecto, ut " docet Christi disciplina, fucato ostro, potiùs lacernæ gracilis amictu ac " mastrucæ tegmine incompto utatur.

Sanctitas ergo morum processit in miraculorum fructum. Et ut ad eorum temptamenta veniretur; primùm ad pietatem & emendationem Britonum prodiit. Nam Britones, qui olim totam terram, quam nunc Angliam vocant, possedissent; tunc Anglis famulabantur. Hoc illi sui invitatoribus officii impenderant; ut occasionibus aucupatis, quos tutari venerant, sedibus antiquis detrusos in confragosa & altuosa loca immitterent, ubi ignobiles & semiferinum exigerent. Quorum illi, qui [x] Northwallos, id est, aquilonales Britones, dicebantur; parti West-Saxonum Regum obvenerant. Illi quondam consuetis servitiis seduli, diu nihil asperum retulere. Sed tunc rebellionem meditantes Kentuuinus Rex tam anxiâ cæde perdomuit, ut nihil ulterius sperarent. Quare & ultima malorum accessit captivis tributaria functio; ut qui antea vel solam umbram palpabant libertatis, nunc jugum subjectionis palam ingemiscerent. Accedebat miseris error sacratæ credulitatis; qui quasi extra orbem positi suis potius quàm Romanis obsecundarent traditionibus. Et plura quidem alia catholica, sed illud potissimum abnuebant; ne Paschale sacrum legitimo die celebrarent. Illud nec universalis Ecclesiæ concordi more adducti, nec Beatissimi Augustini Cantuariensis Archiepiscopi ammonitionibus emendandum rati, pertinacem controversiam fovebant. [y] Hic frequentes West-Saxonum conventus, crebri cœtus coacti, quid esset opus facto; ut Britones

[r] l. rumigerulis.
[s] i. e. Novi.
[t] l. faleratæ.
[v] i. e. gurgustii.
[x] l. Northwalli
[y] l. Hinc.

tones jam denuo conversi rectum callem Ecclesiasticarum observationum ingrederentur. Sententia per plures dies multo verborum agmine volutata, hunc finem habuit. Non vi cogendos Schismaticos sed rationibus ducendos. Quocirca quicquid eorum errores dejicere, quicquid pertinaciæ obviare posset, mitteretur in litteras; quarum illi rationibus creduli animum corrigerent. Id quo minùs fieret, nihil obstare; si Aldelmus Abbas suâ erroneos ammonitione dignaretur. Ejus convenire vitæ, ut velit; doctrinæ, ut possit, quemlibet veterem incredulitatis morbum avertere. Ambitur ergo precibus Universorum vir beatissimus; ut hunc laborem impendat Schismaticorum conversioni, patriæ laudi, [z] in cunctorum in commune saluti Suscepit ille munus: quod ex fraternis cordibus suggerebat caritas: nec minor fuit perficiendi efficacia quàm suscipiendi obedientia. Sic falsum Pascha confutavit; sic verum edocuit. Condiebatur sermo propriis Evangelicis testimoniis; & rationis invictæ fulmen imber assertionum paternarum sequebatur. Opus ergo summâ laude perfectum Britonibus direxit; orationes ad Deum adjiciens, ut quibus verba impenderet, pro eis vota cumularet. Hæc est enim gemina Ecclesiastici Dispensatoris industria; ut ad corrigendos devios nec [a] ducit in ore correptio, nec dormitet in corde oratio. Nec potuit privari effectu Sanctissimi viri labor; quin potius laudabilem accipiens finem, ad veram errantes convertit religionem. Debent usque hodie Britones correctionem suam Aldelmo; quamvis pro insitâ nequitiâ & virum non agnoscant & volumen pessum dederint.

Caput Monasterii, ut dixi, in Sancti Petri Ecclesiâ erat; veruntamen, ut est animus nobilis industriæ operandi ferias ponere nescius, alteram in ambitu ejusdem Cœnobii Ecclesiam in honorem genetricis Dei Mariæ facere intendit. Fecit ergo Ecclesiam, eidemque alteram contiguam in honorem Sancti Michaelis; cujus nos vestigia vidimus. Nam tota majoris Ecclesiæ fabrica celebris & illibata nostro quoque perstitit ævo, vincens decore & magnitudine quicquid usquam Ecclesiarum antiquitas factum [b] videbatur in Anglia. Ad hoc ergo templum exquisitius ædificandum post lapideum tabulatum sine ullâ parsimoniâ sumptuum aggerebatur copia lignorum, impensiùs Sancto instante; quo prono famulatu placeret domino. Jamque ad contignationem trabium ventum erat; quæ magno coemptæ pro longitudine itineris, evectionis difficultate pretium auxerant. Omnes ad unum modum succisæ fuerant, præter unam quæ brevitate sui Artificum peritiam luserat, seu illorum [c] curiâ, seu,quod libentiùs crediderim, voluntate divinâ; ut sanctitas illustris enitesceret viri. Serò ergo damnum succisæ arboris operarii * animadvertis primò inter se mussitare, post Aldelmo in notitiam detulere. Modestè ipse illorum culpam ferens, nonnihil tamen pro difficultate reparandæ materiæ movebatur. Nihil enim remedii ex superfluo providerat; iterumque ligna devehere labor immensus videbatur. Quare humano desperato auxilio, spem Deo contulit, rem ex compendio corrigere meditatus. Animabatur ergo miraculum exhibere; utpote qui multa jam virtutum experimenta cœperat occultè sanè, ne favoris aura Sanctissimos conscientiæ flores decuteret. Itaque solùm motu labiorum orans, & brachiorum levi conamine nitens, decurtatam trabem aliarum longitudine parem fecit. Continuoque ut miraculum dissimularet; modestiâ convitiorum artifices invasit; quòd eum de trabis damno lusissent, quæ nihil minus longitudine aliarum haberet. Illi perpendiculo apposito signum & emendationem experti latum erubuere; asperitatemque sermonum non aspernanter ferentes, victos se virtute Sancti dissimulantes, gavisi sunt. Funali ergo machinâ cum cæteris in tectum levata, contignationem explevit. De hac trabe majorum nostrorum fuit verax relatio; quòd nec in duobus incendiis, quæ totum Cœnobium temporibus Elfredi & Edvardi Regum consumpserant, ullam labem tulerit; donec annis & carie victa defecit.

[z] l. &.
[a] l. desit.
[b] l. videbat.
[c] l. incuriâ.
* l. animadvertentes.

Jam

Jam ergo Monasterium surrexerat; jam adjuncta Beatæ Mariæ basilica clarius enitebat; poteratque videri & dici Aldelmus fœlix tot Monachorum patronus tot possessionum dominus. Sed ille longè porrecto prudentiæ intuitu olim offuturis occurrendum arbitratus, Romam ire animo destinabat. Causa eundi fuit; ut Monasteriis suis Apostolica privilegia acquireret, Meldunensi maximè, quod ab antistitis Leutherii liberalitate profectum in successorum calumnias recidere poterat. Quas ille, ut dixi, prophetico præsagiens oculo, qualiter vel depelleret vel labefactaret, cogitabat. Communicato propterea cum rege West-Saxonum Inâ & Etheldredo Merciorum concilio, quorum & gaudebat amicitiâ & eminebat munificentiâ; illisque à sententiâ non discedentibus, Romanum callem ingressus est. Veruntamen [ut] licentiùs necessaria componeret; in prædia sui juris apud Dorsatensem pagum abiit. Ibi dum fœlicem auram operitur, Ecclesiam fecit in qua sociis ad necessaria occupatis, Ipse itum & reditum suum Deo commendaret. Ejus Domûs materiæ adhuc superstites cœlo patulæ tecto vacant; nisi quod quiddam super altare prominet, quod à fœditate volucrum sacratum lapidem tueatur. Cæterùm nunquam tanta vis imbrium foris in circuitu insaniat; quòd infra Ecclesiæ ambitum vel gutta decidat. Hoc enim [non] pro miraculo jam, sed pro consuetudine habent pastores; qui in campestribus vicinis animalium custodiæ curam gerunt. Quandocunque enim densato nubium vellere nimbus ruinam minatur; omnis eo agrestium turba cursu fugam glomerat; infraque maceriam Ecclesiæ patenti aere consistens, nihil pluviæ persentiscit. Quo adducti miraculo Proceres Provinciæ non semel temptarunt; ut domui tectum inducerent; Sancto volentes officii sui exhibere clientelam. Sed frustra fieri experti, desiere; intelligentes Sancto placere * proludium, quo frequens exhiberet miraculum. Copia signorum eo quotannis ad festum ejus invitat populum; frequentaturque ibi & munerum oblatio & sanitatum exhibitio, quanta nec in loco ubi sacratissima ejus adorantur ossa: Deo credo per hæc innuente satis superque sufficere debere Meldunensibus corporis ejus gloriam; modò cæteris non invideant virtutum ejus præsentiam.

*l. proluvium.

Ac verò ut dicere cœperam, superatis marinis discriminibus devictisque longæ viæ difficultatibus, venit Romam. Erat tunc temporis Sergius summæ sedis Episcopus; qui viri illustris adventum ea qua decuit humanitate suscepit, peregrinationem fovit episcopaliter. Excitabat venerantiam Pontificis in Abbatem; quòd videretur à vitæ ejus religione non discrepare scientiam, moribus non dissidere doctrinam. Aluit bonæ famæ odorem propitia divinitas, in tantâ urbe virtutum laude clientem sublimans. Est Romæ consistorium, quod Lateranense vocant, ubi Constantinus Imperator ex palatio suo fecit Apostolicis Pontificibus Patriarchium. Ibi Aldelmus cum Papâ manens, benignum frequentabat contubernium; nullumque diem excipiebat, quo missam non cantaret, cujus solemniis tædium peregrinationis falleret, Deo se suosque commendaret. Id cum quadam die pro consuetudine fecisset; jam missa dictâ vestem, quam casulam nominant, post terga rejecit; opinatus falsò aliquem, qui exciperet, astare, aliâs scilicet cogitatione projectâ, & ecstasis divinæ adhuc plenus. Minister parum providus ad aliam altaris partem nescio quid scrutabatur. Sed enim [d] *non dormitat, neque dormit, qui custodit Israel*; qui cessante hominis industriâ sua prompsit magnalia. Confestim enim radius solis per perspicuitatem vitreæ fenestræ clarus emicuit; & casulæ se subjiciens longiusculè à terra suspensam per inane portavit. Quantus tunc ibi popularis clamor fuerit, quis referat; quia viderent famulo Christi famulari naturam contra naturam? Meritò, ut qui semper mentem librabat in æthera, vestem suspenderet in aera; & illius obsequio solidaretur inane, qui omnia terrestria despuens ut fluxa & caduca, sola inhiaret cœlestia. Hæc autem vestis, incertum an ab Anglia secum delata, an ibi ad tempus commodata, hactenus apud nos habetur.

[d] Psal. CXX. 4.

Servatur

Servatur studiosissimè tantæ virtutis conscium indumentum, nihil diligentiæ prætermittentibus Ædituis ; ut sine labe pascat oculos succiduarum generationum. Est autem fili delicatissimi, quod conchiliorum fucis ebrium rapuerit colorem coccineum ; habentque nigræ rotulæ intra se effigiatas species pavonum. Longitudinis spatiosæ, * quia docemur proceræ staturæ Sanctum fuisse. Idemque ossa brachiorum, & cætera, quæ videre meruimus, protestantur, Aldelmum quondam eâ excrevisse habitudine, quam non molem sed dignam proceritatem corporis possumus diffinire.

* l. qua.

Morabatur ille Romæ ; continuabatque Dominus in famulo virtutum gratiam, subinde causas exculpens, quibus dilectum sibi efferret. Et in tempore res accidit ; quæ secundæ virtutis occasionem dedit. In unius Apostolici Cubicularii domo puer natus recens erat ; exieratque, & perstrepebat fama in vulgus mulierculam, quæ religionem professa vestem mutaverat, caput velaverat, peperisse, nec patrem extare. Nec jam dubiâ suspicione sed publico clamore Pontifex sceleris arguebatur ; quòd ad illum fœmina ventitare & secretiùs colloqui solita diceretur. Familiari mortalium miseriâ, ut omnium statim impetatur odio, qui quolibet sauciatur infortunio. Tunc ille omnium criminum reus dicetur, & qualibet cruce dignus. Sic popularis insania laudabilem Pontificem suspicionibus urgebat, infamabat clamoribus virum ; quo nemo unquam vel literis ocutior & promptior, vel fide rectior & probabilior, vel vitâ sanctior & perfectior fuit : [qui] faceret omnia quæ sancta diceret, quæ catholica ; nec ullius terrenæ potestatis metu premeretur Denique Imperatorem Constantinopolitanum contra fidem Catholicam garrientem palam sententiâ latâ condempnavit ; eodemque discrimine Proceres consentaneos, si non resipiscerent, involvit. Quantas ille propter hoc epistolas scripserit, quantos labores pertulerit, aliæ volentem scire literæ [docebunt.] Ego ad Aldelmum recurro ; qui Pontificis injuriæ compassus ad animam, causam fluctuantem quantis potuit facundiæ viribus apud populum egit. Turpe esse & miserabile, ut ipsi Pontificem suum suspicione criminum incessant. Quid momenti apud Britannos vel aliam gentem, si qua ultra Oceanum jacet, habiturus sit Pontifex Romanus ; qui à suis impetatur civibus ? Postremò verum non videri ; ut talis peccati se impediret volutabro, qui toti se meminisset prælatum mundo. Hæc cum in auras effunderet ; nec enim popularis tumultus semel excitatus leniter leniri posset, ille pro sanctitatis conscientiâ paulò commotior : " Afferte, *inquit*, infantem ; ut ore suo Pontificalem depellat injuriam. Proinde à fatuis suspicionibus discedant, in gratiam Antistitis redeant ; se, quantum suâ interesset, paci non defuturum. Dictum excepere nonnulli cachinnis ; quòd insolita promittere, indebita præsumere advena videretur. Veruntamen infantem allatum, vix dum novem à matre dierum, baptismi lavacro prius innovavit. Sciscitatus est deinde publicè ; Utrùm vulgi opinio conveniret veritati de patre ? Tum ut videres Dei gratiam præsentem ; pusiolus in vocem absolutissimam conatus, nodum dubietatis abrupit ; sanctum & immaculatum Sergium esse, nunquam illum mulieri communicâsse. Plaudit plebs miraculo. Innocens Antistes ovat triumpho. Aldelmi meritum extollit Roma : repercussusque & ingeminatus lætantium clamor ipsa quatit sidera. Qui tamen rogatus, ut quia falsum patrem infamia exuerat, verum cognitioni populi addiceret ; facere refugit : præfatus suum esse, ut insontes si posset dampno eximeret, non ut sontes morte opprimeret.

Talibus virtutum indiciis eximiè delectatus Pontifex, non difficilem se impetratu exhibuit ; ut Monasteriis, [pro] quibus rogabatur, elaboratæ auctoritatis Privilegium indulgeret : quod hìc ex integro apponam ; ut omnem ambiguitatis evadat scrupulum, quantis sint maledictionibus obnoxii, quantarum pœnarum sint futuri servi, qui nunc id impune se opinantur temerare & transgredi.

" Sergius servus servorum Dei Aldhelmo Abbati ejusque successoribus, &
" per vos venerabili vestro Monasterio. Ea quæ religiosæ conversationis intu-
" itu Monachis servis Dei pro liberâ vivendi facultate conferuntur, non pro il-
" lecebrarum licentiâ, sed pro sedulitate bene conversandi, & divinis servitiis
" seipsos proculdubio mancipandi, à Præsulibus atque cultoribus Deo decre-
" tæ Christianæ religionis indulgentur; ut nexu humanæ conditionis exuti,
" dum ab omni munere secularium functionum efficiuntur immunes, sicut
" professionis eorum regula protestatur, Deo penitus vacent; & ej s solius
" sint intenti servitio, pro cujus Majestatis reverentiâ non solùm ab oneribus
" temporalium ditionum sunt liberi; sed etiam amore religionis maximo ho-
" nore sunt digni. Unde poscente à nobis religione vestrâ, ut auctoris nostri
" beati Petri Apostolorum Principis vice, cui creator & redemptor noster do-
" minus Jesus Christus claves ligandi atque solvendi in cœlo atque in terrâ dig-
" natus est impertire; cujus & nos licèt impares ministerio fungimur, & Ec-
" clesiam ejus Dei dignatione disponimus: Monasterium beatorum Apostolo-
" rum Petri & Pauli, quod Meldum religiosæ memoriæ condidit, quod etiam
" nunc Meldumesburge vocatur, situm in Provinciâ Saxoniâ; atque aliud
" Monasterium, quod in honore Sancti Johannis Baptistæ est in eâdem Pro-
" vinciâ positum juxta flumen, qui vocatur From; quæ tuam religionem
" Deo cooperante providè dispensare multorum veridicâ relatione cognovi-
" mus, Apostolicis privilegiis roboremus, piæ devotionis facientes assensum.
" Hortamur vos in Dei laudibus & orationibus studiosos atque pervigiles, ab-
" stinentiæ castimoniæ purificationi tenaciter inhærentes, hospitalitatis atque
" humanitatis officiis deditos, ac devotos obedientiæ & humilitatis Christi ex-
" istere vos amatores, circa invicem pia caritate concordes, mandatis spiritua-
" libus & sanctorum patrum regulis serviendo, Apostolicæ fidei rectitudinem
" illibatè servare, bonis studiis operam dare, humanitatem peregrinis & e-
" gentibus impendere, Ecclesiarum Dei præsulibus & sacerdotibus veneratio-
" nem debitam exhibere; Deo vacare, seculares curas & quæstus effugere,
" temperantiam & paupertatem diligere, Psalmis & Hymnis Spiritualibus at-
" que Orationibus assiduis cum Deo colloquium inserere; abstinentiam tan-
" quam purificationem corporis in cunctis vitæ studiis adhibere, in omnibus
" Dei mandatis alterutros excitare, sollicitos circa sui salutem esse, & profici-
" entes in melius æmulari, & in Dei præsidio confidere, immaculatos vos non
" solum à contagione, carnali sed etiam à sermonibus noxiis & cogitationibus
" custodire, ut castitas atque sobrietas corporis simul & spiritûs vestri ante
" Dei oculos luceat; quatenus & interior homo gratiâ virtutis illustretur, &
" exterior bonæ conversationis laudem atque opinionis obtineat. Quia igitur
" talibus debetur Pontificalis indulgentiæ beneficium; præsentibus Apostoli-
" cis privilegiis prædicta Venerabilia Monasteria decernimus munienda: qua-
" tenus sub jurisdictione atque tuitione ejusdem, cui & nos deservimus,
" Auctoris nostri Beati Petri Apostoli, & ejus, quam dispensamus, Ecclesiæ &
" nunc sint & in perpetuum permaneant; sicut tua religio petiit, nulliusque
" alterius jurisdictioni sint subjecta; nec quisquam Episcoporum aut Sacer-
" dotum, aut cujuslibet Ecclesiastici ordinis Clericus quoque tempore sibi in eâ
" qualemcunque jurisdictionem defendere, aut susceptionem vel quælibet mu-
" nuscula à religiosâ Congregatione extorquere vel exposcere præsumat, neque
" in eorum oratorio Episcopalem Cathedram constituere aut Missarum solen-
" nia ibidem gerere, præter si à religioso Abbate & Congregatione ascitus ad-
" venerit. Presbyterum verò si necesse habuerint pro Missarum solemniis sibi
" ordinari aut Diaconum; à Reverentissimo Episcopo, qui è vicino est, con-
" secrandum expostulent; illo duntaxat quæ ad sacram regulam pertinent sub
" divino judicio perquirente, & absque muneris datione ordinante. Si autem
" & religiosum Abbatem obire contigerit, & ad electionem alterius fuerit ven-

" tum;

" tum; illum, quem religiosa Congregatio servorum Dei communi consilio
" delegerit, promovendum è vestigio; ut non detrimentum Monachicæ con-
" versationis disciplina incurrat, vel res Monasterii Abbatis privatione depe-
" reant. Præsul quoque qui similiter in vicino fuerit, ex Apostolici Pontifi-
" cis auctoritate orationem ei Abbatûs attribuat. Dum hæc ita sint; si quis-
" quam Episcoporum, Presbyterorum vel cujuslibet Ecclesiastici ordinis Cle-
" ricus, sive etiam Laicus, cujusque dignitatis fuerit, hæc à nobis sub divino
" judicio statuta transgredi vel temerare temptaverit: reum se noverit ante con-
" spectum Dei, & à participatione corporis salutiferi & Sanguinis Domini ali-
" enum. Condemnationem, quam Judas Iscariotha assecutus est, assequa-
" tur; & ab [c] ejus Apostolorum principe, ut Ananias & Saphira, percella-
" tur; nisi de incœpto temerariæ præsumptionis pœniteat. Vita verò, salus
" & beatitudo perpetua his, qui hæc conservaverint, & conservari mandave-
" rint. Bene valete Dilectissimi Fratres.

[c] dele.

Paginæ hujusce prærogativâ Aldelmus triumphans, simulque benedictione Antistitis & sacrarum Reliquiarum pignoribus fretus, redeundi domum iter impiger adoritur. Devehens secum multimoda peregrinarum mercium pretia; quæ patriæ novâ & mirabili inferret copiâ. Inter quæ fuit Altare ex splendenti marmore, candido colore, sesquipedali crassitudine, quadrupedali longitudine, latitudine trium palmorum, labio ex eodem lapide prominenti in circuitu pulchrè densatum. Camelus, ut dicitur, [tulit.] Quod enim nostræ regionis animal tantam sustineret molem? Ejus usque ad Alpes bajulus fuit, & inoffensò tulit. Ibi camelus seu quodlibet quadrupes, nec enim referet quæ bestia tulerit, vel injusti fascis injuriâ vel propter prærupta viæ declivia concidit. Ruina jumentum contrivit; & marmor in duas partes effregit. Utriusque rei dampnum sociis ingemiscentibus, Sanctus arcano cordis murmure & protensâ benedictione dextræ sarcivit. Animali salutis vigor refusus; quod alacri statim se motu excutiens, in pedes constitit. Fractura lapidis, quæ non recta linea, sed quodam anfractu desiliens crepuerat, statim se in solidum compegit. Sed ut mirabilis signi memoria non obsolesceret, adhuc cicatrix scissuræ patet sanata quidem miraculo, sed curioso tamen perspicua oculo. Recidit mœstitia, reiteratur semita. Ita omni comitatu incolumi ad mare, quod Galliam Angliamque disterminat, venit. Ibi placido carinæ sinu exceptum post fœliciter enavigatum pelagus secunda Compatriotarum desideriis fortuna restituit. Venienti occursum est ubique magnâ pompâ, longo apparatu salutantium. Religiosorum alii [f] suam cantu mulcent aera, alii lignum divinum præferunt, alii odoris thymiamatibus vias afficiunt. Laicorum pars pedibus plaudunt choreas; pars diversis corporum gestibus internas pandunt lætitias. Omnes in commune Deum laudant; qui lumen Britanniæ reduxit, quod jamdudum peregrinantes radios per alias terras porrexerat. Nec fastus regius Inam & Ethelredum, illum West-Saxonum, hunc Merciorum Principem, ab hac excepit lætitia. Quippe ubi antiquo viri amori recens accreverat Apostolicarum salutationum reverentia. Magno igitur gaudio & pronæ venerationis ostentatione susceptus, privilegia Monasteriorum suorum ambobus ostendit Regibus. Ita efflagitabat ratio; ut quæ utrorumque subsistebant muneribus, utrorumque firmarentur assensibus. Accurrit continuò Regia religio dictis Pontificis; nihilque minùs fuit, quin vicino obedientiæ pede jussa persequeretur.

[f] l. suo.

Id quamvis memorandi Principes pro insita benevolentiæ gratia non difficulter fecissent; ex abundanti tamen Aldelmus magnorum xeniorum oblationibus consensum voluntarium elicuit. Et alteri quidem alia, sed Inæ altare dedit. Is illud in vico quodam tunc regio Briwecane vocabulo sanctissimæ Genitricis Dei locavit obsequio; ubi ad hunc diem situm, vivum, ut ita dicam, sanctitatis Aldelmi præbet indicium. Est ibidem & alia major Ecclesia in Sancti Petri nomine; quam à beato viro factam & consecratam non negligen-

ter asseverat opinio. Hujus orientalem frontem nuper in majus porrexit recentis ædificationis ambitio. Eo ut dixi modò processit labor laudabilis pro Sanctæ Ecclesiæ honore susceptus. Jamque ille in dies senectuti affinis processerat.

Ac vero aliquo annorum intercurrente spatio, Hedda totius West-Saxoniæ Pontifex, apud Wintoniam sedem habens, excessit mundo. Gratissimus fuit hic obitus cœlestibus; quòd pro sanctitate præteritæ vitæ numerum eorum ampliaret: Luctuosus mortalibus; quòd vix parem possent invenire, qui tantæ Diœceseos circuitum vellet regere. Quicquid enim nunc IV. Episcopi gubernant, unus tunc ille frænabat; rebelles auctoritate premens, supplices simplicitate demulcens. Synodali ergo consilio Diœcesis ultra modum protensa in duas sedes divisa; quarum altera Scireburniæ, altera esset Wintoniæ. Iniqua & impar fuit ea divisio; ut unus duos tantum Pagos, alter totum regeret quicquid West-Saxonici tractûs immensitas continet. Singulis sedibus suffecti Pontifices pro scientiæ merito & natali solis confinio. Wintoniæ prælatus Daniel; qui esset ejusdem regionis oriundus, literarum non egenus. Scireburnam sortitur Aldelmus; cui sapientiæ prerogativa, & ævi maturitas ad majus culmen aspiraret; cùm & genitalis terræ caritas suffragaretur, quòd ejus Provinciæ indigena esset. Procedit ergo, ut creditur, agente Deo universalis electio; ambiturque à beatissimo sene, ut Episcopatum dignetur [suscipere.] Omnis ætatis & ordinis conflatur sententia dignum videri Præsulatu, excocta jam ætate serium, literis uberem, religione nulli disparem. Sin vero natalium dignitatem considerandam putes, quam Beatus Apostolus in talibus non permiscet: quis eo nobilior, qui regalem prosapiam proximâ contingit lineâ? Ejus famæ, ejus vitæ semper illum fuisse, de qua nunquam vel parum sinistra jactata sit opinio. Restitit ille quantum potuit; quæ repulsam suam adjuvare, quæ unanimitatem illorum infirmare possent, non segniter objectans. Sed enim in nihilum fatigabatur; cùm eo ipso quod pro se paraverat, convinceretur. Id erat annorum gravitas, quibus è proximâ metâ respicientibus senium ammoneretur leni quiescere otio, non periculoso indulgere negotio. Quod statim ab audientibus retorquebatur in aliud; quòd quanto annis maturior, tanto esset vitiis defæcatior, consiliis promptior. Habuit ergo modum; restititque quoad concinnum rationi visum est. Sed ubi unanimem & diuturnum assensum accendit, fraternæ obedientiæ habenas vitæ suæ laxavit, veritus divino resultare oraculo, quod corda omnium conflaverat, ora oppleverat. Suscipiunt igitur collegam Episcopi, patrem Clerici, patronum Laici.

Inde acclamantibus cunctis, reclamantibus nullis, Berthwaldo primæ sedis Archiepiscopo pro more consecrandus deducitur. Is in veteris contubernii sodalem: nam & pariter literis studuerant, pariterque viam religionis triverant: electionem factam gratiose complexus, favorem auxit. Itaque non solum consecrationem indulsit; sed etiam multos dies secum retinuit, ejus consilio Archiepiscopatûs sui pondus allevians, causarum rationem examinans. Unde factum est, ut his diebus * Doroberniam pergeret; quod est litus Cantuariæ ad XII. millia proximum, audiens illic naves appulisse. Portus ibi, ut plerique maritimorum locorum, inquietus quia angustus. Citissimus eo à Marinis transitus paucorum admodum millium trajectu. Quo fit ut in illius spatii angustiâ inter se currentes & illidentes fluctus minimâ occasione pelagus exasperent; ibique maxime incuratur periculum, ubi sperabatur periculorum effugium. Jam verò in statione Navibus receptis tutissima quâvis tempestate quies. Hoc ideo prætuli; quia ad rem quam inferam attinet. Spatiabatur Sanctus juxta mare; intensusque oculos mercimoniis infigebat, si quid fortè commodum ecclesiastico usui attulissent nautæ, qui è Gallico sinu in Angliam provecti librorum copiam apportassent. Conspicatusque librum totius Testamenti veteris & novi seriem continentem: ad emendum intentus, animum à cæteris remisit.

* Hodie *Dovoram* appellamus.

Cùmque

Cùmque gnarus folia volveret, pretium effringeret; barbari eum nauticâ lasciviâ conviciis aggrediuntur. Quid ita merces alienas depretiaret, & attenuaret rerum non suarum valentiam? Sua si vellet eventilaret; extranea suo pretio relinqueret. Horum ille contra verborum contumaciam nihil retulit nisi risum. Postremò adhuc pretium libri percunctantem loco cum ignominiâ deturbant; tensisque rudentibus longiùs à litore se removent. Sed non longè morata divina ultio injuriam Sancti acriùs vindicat. Procella surgit, turbo sævit, densatur nubes, subducitur dies, pelagi caligo aerisque horror noctem inducit; congeminant terrorem ventorum furor, rudentium stridor. Antenna sævitiam tempestatis non patitur; latus navis hinc in tundentibus fluctibus quassatur. Defecit ars remigum; decidit peritia nautarum. Et jam [g] pessimum ibant; videbanturque in miserorum mortem omnia conspirasse elementa: cùm licèt brutos animos intelligentia subiit, propter injuriam Sancti, cui convitiati fuerant, se luere pœnas. Exclamant ergo in planctum; & supplices tendunt ad littora palmas. Orant opem; pollicentur emendationem. Facile fuit beato Pontifici, ut remitteret culpam; qui non doluerat contumeliam. Et primò quidem porrecto contra sævientia flabra crucis signo, nonnihil tempestatis diminuit & mansuefecit. Mox cùm ipse scaphâ ascensâ virtute remigum periclitantes adisset; mutata in bonum omnia. Tempestas tota quiescit; turbo conquiniscit: Ventorum usus conversus navem impellit ad litus: undæ, quæ ante minabantur exitium, nunc sensim allabentes pollicentur obsequium. Potiti ergo nautæ optatâ stationis harenâ, librum sponte offerunt; accipiat gratis, dignetur munus famulorum, quos ab ipsis mortis faucibus in siccum evexit. Appendit ille mercedem æquâ lance in medium conferens; ne aut pauperes magno dampno emungeret, aut supplicum preces repudiaret. Id volumen adhuc Melduni visitur, antiquitatis venerandum præferens specimen.

[g] l. pessum.

Novi ergo compos honoris, provinciam regressus, cùm in omnibus nomen æquaret officio, tum vel maximè libertati Monasteriorum studere; habuitque sedem Scireburum; ubi & Ecclesiam, quam ego quoque vidi, mirificè construxit. Ac primùm quidem humanæ vitæ incertum metuens, cùm Monasteriis suis Abbates præponere vellet; huic voluntati Monachi consueti patris dulcedine opposuerunt obicem. Cujus rei tenorem contulit in scriptum; ne laberetur, neve successores necessitatem perverterent in tyrannidem; non pariturις sub obligatione divinâ interminatus perniciem. Illius scripti textus hic est.

" Nihil in hoc seculo prolixâ felicitate perfruitur, nihil diuturnâ dominati-
" one potitur, nihil quod non ad fatalem vitæ terminum loci cursu protendatur.
" Et ideo nobis sic mundanarum rerum patrimonia sunt perfruenda; ut ta-
" men æternæ patriæ emolumentis nunquam fraudemur. Hinc est, quòd
" Ego Aldelmus, postquam me immeritum nullisque penè dignis moribus
" comprobatum, in Pontificatûs officii sedem divina gratia subthronizasset;
" proposui arcano mentis meæ affectu, ut Monasteriis meis quibus jamdu-
" dum in Abbatatûs gradu constitutus, suffragante Domino regulariter præfui,
" religiosum Abbatem, quem sibi spontanea familiarum mearum optio consonâ
" voce elegissent, canonicâ ratione atque regulari sanctione constituerem.
" His voluntariis propositionibus meis pia Monachorum meorum restitit per-
" vicacitas. Et cùm hoc sedulò sæpiusque in conventu fratrum meorum fi-
" ducianter narrâssem; nullus his votis meis placidissimum præbet assensum:
" dicentes quòd quamdiu vitali vegetaris spiritu, nobiscumque præsentis vitæ
" deputaris stadio; tuæ semper dominationis jugo humillima colla subdere
" non dedignamur. Sed hoc supplici prece communique rogatu depreca-
" mur; quòd sub sacra Scripturarum testificatione & favorabilium virorum
" claro consensu corrobores: ut nullus post obitum tuum nec regalis audacitas

" nec

"nec Pontificalis auctoritas, vel aliquis Ecclesiasticæ seu Secularis dignitatis
"vir sine nostro voluntatis arbitrio in nobis sibi vendicet principatum. Huic
"debitæ Monachorum meorum maximéque famulorum Dei petitioni liben-
"tissimè consensi; & in Monasterio quod juxta fluvium, qui dicitur Win-
"burna, situm est, cui venerandi Regis nostri germana Cuthberge præsidet,
"cum optabili famosissimi Regis Inæ consensu & reverentissimi fratris & Co-
"episcopi mei Danielis nutu præsentatæ professionis devotionem decentissi-
"mam & vernarum Domini postulationem sacræ crucis signaculo confirma-
"vi: identidemque venerandus Rex & prænominatus Pontifex pari devotio-
"nis manu subscripserunt. Nec multò post in sacrosancto Concilio, quod jux-
"ta fluvium, qui dicitur Noodr, congregatum [h] est dinoscitur, in idem omni-
"um Saxonicæ gentis Archimandritarum cum regalis potentatûs assensu &
"Pontificalis Prioratûs nutu consensit auctoritas. Si quis contra hæc tam
"illustrium personarum decreta moliri machinetur, & sacra præsentis scedu-
"læ scita prevaricari præsumpserit; sciat se ante terribilem divinæ Majestatis
"Thronum cum prævaricatoribus præceptorum Domini lugubri damnationis
"judicio percellendum: sunt autem hæc nomina Monasteriorum Maldubesber-
"ge, Froom, Bradonford. Scripta est hujus Confirmationis cartula anno ab incar-
"natione Domini nostri Jesu Christi DCCV. indictione III. Subscripserunt
Ina Rex, Daniel Episcopus, Ethelfrithe Patritius.

[h] l. esse.

Quamvis igitur hâc cartâ suis Monasteriis consuluisse & tyrannidem succes-sorum propulsasse videretur; non tamen illustri animo sufficit, nisi & omnibus Ecclesiis quæ in West-Saxonia erant consultum faceret. Dulcibus igitur monitis credulum sibi animum Regis urgens, hujusmodi edictum obtinuit.
"In nomine Domini Dei nostri Salvatoris. Ego Ina regnante Domino Rex,
"cum consilio & decreto Præsulis nostri Aldhelmi, simulque cunctorum Dei
"sacerdotum suggestione & Monachorum petitione qui in Parochiâ Saxonum
"conversantur, hanc ubertatem Ecclesiis impendo, & hanc privilegii dignita-
"tem Monasteriis confero; ut sine impedimento secularium rerum & absque
"tributo fiscalium negotiorum liberis mentibus Deo soli serviant, & monasti-
"cam Cœnobii disciplinam, Christo suffragium largiente, regulariter exerce-
"ant, ac pro statu & prosperitate regni nostri & indulgentiâ commissorum
"criminum ante conspectum Divinæ Majestatis preces fundere dignentur, &
"orationum officia frequentantes in Ecclesiis pro nostrâ fragilitate interpellare
"nitantur. Si quis vero contra hujus decreti syngrapham venire temptaverit;
"sciat se coram Christo novemque Angelorum ordinibus in tremendo exami-
"ne rationem redditurum. Hoc vero Decretum à nobis libenter concessum
"taliter servari & confirmari decernimus; ut tam nobis vitâ comite propitiâ
"Divinitate regni gubernacula regentibus, quàm futuris successoribus hæredi-
"tatis jure regnandi Monarchiam tenentibus, inextricabili lege firmiter robo-
"retur. Nam pro amplioris firmitatis testamento Principes & Senatores, Ju-
"dices & Patritios subscribere fecimus. Actum publice & confirmatum in lo-
"co qui appellatur Eburleagete, VIII. Kalendarum Juniarum die, Indicti-
"one II. anno ab Incarnatione Christi DCCIV. feliciter. Supscripsit Ina
"Rex. Ego Aldelmus servus servorum Dei hoc decretum manu propriâ ro-
"boravi. Subscripserunt & Abbates, Proceres IX.

Ista divinus Pontifex indefessus agebat, vicini finis non nescius. Sordebant enim jam terrena viro; inhiabatque cœlestibus. Quapropter optimum factu ducebat; si metam vitæ talibus percurreret, quæ essent suæ laudi memoriæ, subjectis emolumento & gratiæ. Et licet nimis effœta caro labores perferre negaret; tamen solida mens jamque foras eminens & ipsis cœli januis imminens vincebat temporum situm. Fragilem igitur corporis usum, non longè post desertorem animi, spiritualibus exercitiis subjiciebat. In prædicationibus noctes perinde ut dies continuans, Diœceses non segniter circuiens, ipse integre & non

non minùs quàm in viridi ætate jejunia cæteraque id genus bona frequentans. Ductâ itaque vitâ hominibus placidâ, Deo placitâ, post Episcopatus annos quatuor

Ad superos superum cultor sociusque recessit;
Alterat astra solo, mutat & arva polo.
Halitus alta subit, fovet artus Hospita tellus:
Depositumque suum poscit uterque locus.
Impulerat Phœbus bis quinâ luce Latonam;
Involucris Mundi cum resolutus abit.

Est in pago Sumersetensi [villa] Dultinge vocabulo, in qua hominem exuit, quam pridem Monachis dederat, Glastoniensibus usum fructuarium pactus. Domus obitûs ejus conscia lignea erat Ecclesia, in quam se ultimum spirans inferre jussit, ut ibi potissimum efflaret: sicut incolæ hodiè per succiduas generationes asseverant. Hanc dum quidam Glastoniensis Monachus ex lapide refectam in * die faceret consecrari nomine; immiscuit se confertæ multitudini muliercula utroque lumine jamdudum capta. Hæc in signo fidei densitatem vulgi perrupit, clamitans ut ad altare duceretur incunctanter; se credere quod Sanctus, cujus basilica consecraretur, viduæ cæcitatem depelleret, qui totâ vitâ solennes elemosynas viduis conferre solitus esset. Audacia credulitatis de cœlo traxit auxilium: implevit viduos orbes lux serena. Nec latere potuit Miraculum coram populo celebratum, præsertim cum & persona & personæ calamitas Provinciæ vulgatissima esset. Constat in eâdem Ecclesiâ lapidem esse, cui Sanctus moriens insederat; cujus absolutione plures ægroti sanitatem iniisse noscuntur.

* f. Dei.

Tunc beato Egvino Wigorniensi Episcopo visio cœlestis affulgens obitum sodalis innotuit; & ut ad locum pergeret, præcepit. Ille doloris & amoris stimulis tunc maturans celeriter Dulting pervenit. Depositâque pro animæ requie oratione, ut pro desiderio & præcepto Sancti Meldunum corpus promoveatur, jubet. Compescit ejulantium lacrimas fidei præsumptione; opus accelerat ipse operis maturator assistens. Efferuntur ergo felices exuviæ magno præeuntium & subsequentium agmine; dum quisque beatiorem se putaret qui propior esset; eratque ingens comitantium solamen saltem feretrum videri, si non posset tangi. Ipsa enim species & forma exanimis corporis multum decoquebat doloris; demulcebatque oculos manens gratia & permanens figura. Celebris illa pompa funeris fuit; dum pro miraculorum frequentiâ figerentur semper lapideæ cruces ad septem milliaria. Ad quas plures inveteratis morbis debiles cum fide accedentes, violentiâ precum celerem rapuere salutem: Virtutum signis manentibus usque hodiernum diem. Nec fidem auditorum excedere debet, quod dico: cùm penè tot sunt miraculorum testes, quot provinciales; quorum certissimum Beatum Egvinum in testem cito, qui in quodam scripto post quædam alia sic ait. "Post duos annos Aldelmus religiosus Episcopus migravit ad Christum. Quod ego per revelationem agnoscens, convocatis fratribus & obsecundantibus meis excessum venerandi Patris eis aperui; concito gradu ad locum ubi sacrum corpus ejus jacebat L. ferme millibus ultra Meldunense Monasterium situm deveni; & ad sepulturam adduxi & honorifice sepelivi; & mandavi, ut in quocunque loco sacrum corpus in asportatione pausaverat, sacra Deo erigerentur signacula. Manent omnes Cruces; nec ulla earum vetustatis sensit injuriam: vocanturque Bisceprstane, id est, Lapides Episcopi; quorum unum in claustro Monachorum in promptu est videre. Quæ res ammonuit; ut quod fama de Bascepestrune jactitat,

non

non tacerem. Villa eſt in valle, ad quam prædicationis ſolicitudinem expleturus veniſſe dicitur. Dum ſermonem ſereret in plebem; fortè baculum fraxineum, quo nitebatur, terræ fixiſſe. Illum interim per Dei virtutem miram in magnitudinem excreviſſe, ſucco animatum, cortice indutum, foliorum pubem & frondium decorem emiſiſſe. Pontificem, qui verbo intenderet, clamore populi ammonitum reſpexiſſe; adoratoque miraculo Dei munus ibidem reliquiſſe. Ex primæ arboris pullâ multas pullulaſſe fraxinos; adeò, ut ſicut dixi, villa illa vulgo ad Epiſcopi Arbores nuncupetur. Hæc ſanè non pro ſolido aſſerui; ſed ne quid præteriiſſe arguerer, non omiſi. Cætera ſcriptis vel cælaturis ex antiquo factis approbo; nec quicquam Deo teſte adjeci de meo, niſi ſi aliquod verbum cauſâ politiùs ornandi lectionis avolavit. Non enim eget Aldelmus; ut mendaciis aſſeratur: tanta ſunt de illo, quæ in dubiam depromant fidem: tot ſunt quæ non veniant in litem. Innumera ſigna, quæ modò apud ejus fiunt memoriam, oſtendunt præſentibus præteritæ vitæ Sanctimoniam.

Excipiunt interea Patronum Meldunenſes ingenti ploratu, reverenti affectu. Jungebatur amori veneratio; pugnabatque fides cum obſequio. Neſcires quid eligeres, aut in parentem affectum, aut in advocatum gaudium. Si lætarentur pro præmiſſo ad Deum Patrono; ſed dolere cogebantur pro amiſſo vitæ ſolatio. Inter hos fluctus aliquot extractis diebus,tandem ſepeliri permiſerunt in Sancti Michaelis Eccleſiâ; ubi ſibi vir Sanctiſſimus olim Sepulturam providerat. † Exceſſit anno ab Incarnatione Domini Septingenteſimo nono, ante Inam annis XVIII. ante Bedam XXV. poſtquam Abbas à Leutherio factus eſt XXXIV. poſtquam Epiſcopus à Berthwaldo anno V. Nam annos ætatis ejus nulla ſcriptura miſit in calculum; ſed eſt conjectura non fallax grandævum fuiſſe Sanctum, qui paulo minus XXXIV. annis in Eccleſiaſtico manens Præſidatu, non niſi legitimâ ætate illo præſertim tempore ſumpſiſſet honorem. Gravis ille annus Britanniæ fuit; ut qui multa lumina vel extinxit vel abduxit. Eodem enim anno Wilfridus Epiſcopus deceſſit; de quo ſuperior ſermo palàm fecit, quod nemo in Anglia eo promptior & juſti tenacior fuit. Quin & Kenredus Rex Merciorum Ethelredi ſucceſſor cum Offa Orientalium Anglorum Rege Romam profectus ſtadium vitæ decurrit: quorum ſocietatem adornavit, ut ſupra dixi, Egwinus fœlix Epiſcopus; qui poſtquam beato Aldelmo juſta perſolvit; iter illud arduum ultroneis compedibus illaqueatus & adorſus & permenſus eſt. Sed hæc pleniùs ſcire volentem alias & noſtra & aliorum lectio informabit. Jacuit corpus beati viri in Eccleſia ſupradicta CCXLVI. annis; quo toto tempore quæ Miracula exhibuerit, quæ nec parva nec pauca fuiſſe crediderim; omnia ſepelivit, omnia ſuppreſſit æmula oblivio. Enimvero Monachi ſe in Sanctæ Mariæ tranſtulerunt Eccleſiam; ut viciniùs & opportuniùs neceſſitates ſuas Sancti minorarent mauſoleo: quamvis, ut per Cartas probavimus, omnibus uſque ad Edgarum regem annis Sancto Petro daretur Primatus.

† Obiit vix IV. annis Epiſcopatu functus, anno Dominicæ Incarn. DCCIX. in Vigiliâ S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli, VIII. Calend. Junii. *Gulielmus Malmsbur. lib. 1. de geſtis Regum Angl. fol. 7.*

PARS IV.

PARS IV.

JAm enim quartam pollicitationem meam Domino juvante complere ingrediar; ut ostendam quantâ volubilitate fortunæ Cœnobium Meldunense excreverit; plerumque etiam, nisi Sanctus auxilium porrexisset, pessum iverit. Per successionem ergo Regum & Cartarum appositionem agam propositum. Inæ successit Ethelardus XIV. annis; ei Cuthredus pari spatio. Hujus donum ita scriptum habemus. " Ego Cuthredus Rex Geuuisorum cogente catenâ caritatis Christi & indivisibilis affectu dilectionis, Aldelmo Abbati familiæque sub illius regiminis amore degenti, cum consensu atque scientia eximii Præsulis Danielis optimatumque meorum & dignitatum, ob recordationem scilicet orationum suarum & redemptionem animæ meæ, ut in plenitudine electorum Domini collocatus sim; terræ partem * inextricabilem possessione in loco, qui dicitur Wdecim, sub X. mansionum æstimatione taxatam sub contestatione Sanctæ Trinitatis dapsili quidem liberalitate & hilariter ad Meldunense Monasterium largitus sum. Et post aliqua. " Exemplar hujus largitionis promulgatum est anno ab Incarnatione Christi DCCXLV. in prædicto Cœnobio sub præsentiâ Cuthredi Regis. Liquet igitur anno ultimo vitæ Regis Cuthredi hoc factum esse, superstite adhuc Daniele Episcopo; qui cum Beato Aldelmo Episcopus factus fuerat; post excessum ejusdem patris anno XXXVI. Unde constat hunc Aldelmum Abbatem cui Cuthredus Rex Wdecim dederat, alium fuisse quam Magnum Aldelmum. Fertur sanè, quòd Secundus Aldelmus Prioris nepos fuerit. Cuthredo Regi successit Sigebricht anno † primo. Sigebrichti Successor fuit XXXI. annis Kinewlfus. Hic anno tertio regni sui Cœnobium insigni munere auxit.

* l. inextricabili.

† l. uno.

" In Christi nomine. Ego Kineuulf Rex cum consensu principum meorum aliquam terræ portionem quasi XXX. manentium familiæ Christi in Maldubiensi Monasterio constitutæ pro remedio animæ meæ perpetualiter possidendam donavi: Hoc est, ubi se duo latices Meardenæ & Rochburnæ jungunt, & in circuitu eorum, quemadmodum ipsi incolæ bene nosse dignoscuntur terminos ac limites locorum illorum; necnon & villam, cui subjacent pascua, prata arida & irrigua, simul & silvestria loca. Et hæc acta sunt ab Incarnatione Christi DCCLVIII indictione XI. à transitu Domini Aldelmi Episcopi nono & quadragesimo. Subscripsit Kineardus electus in Episcopatum Wintoniæ, & Hærewaldus Episcopus Sciréburniæ. Contra eundem Kinewlfum Regem annum jam vicesimum & quartum in regno habentem. Offa Rex Merciorum propter villam Benesingtunæ congressus, & ipsam & plurimam partem Regionum West-Saxonicarum victoriâ functus usurpavit. Denique Villas Cœnobii & Ena . . . . . [quas] Etheldredus; & Piritunæ, quam Rex West-Saxonum Ceدualla dederat, infestus prædo abstulit. Et primam quidem Wigorniensi Episcopo dedit; secundam filius ejus Egferthus reddidit hoc scripto.

" In nomine Domini. Ego Egferthe Rex Merciorum anno primo Regni nobis à Deo concessi, rogatus à Brithtrico Rege Occidentalium Saxonum & Ethelardo Archiepiscopo, terram XXXVI. manentium in loco, qui vocatur Ecpirigeam, ab orientali parte sylvæ quæ vocatur Braden, reddidi Abbati Cuthberto & fratribus Monasterii Maldubiensis pro indulgentiâ pia-

" culorum meorum & pro requie animæ patris mei Offan, quam ille veneno
" abstulit eis. [i] Et scilicet ratione concedo terram supradictam; ut sæculari-
" bus Regum servitiis libera sit ad serviendum necessitatibus fratrum Deo ser-
" vientium in prædicto Monasterio; ut memoria nostra in illo Sancto loco in
" sanctis orationibus apud eos maneat in perpetuum. Sed & Abbas & fratres
" ejusdem Monasterii in comparatione terræ illius dederunt mihi duo millia
" solidorum argenti puri. Et hoc feci cum consilio Episcoporum ac Princi-
" pum meorum; quorum nomina subter ascripta sunt. Et hoc actum est an-
" no ab Incarnatione Christi DCCXCVI. indictione quartâ. A transitu
" Patris Aldelmi anno octogesimo septimo. Augentem hanc meam eleemosy-
" nam Dominus conservet & benedicat. Minuentis verò ac frangentis nomen,
" quod non optamus, eradicabitur de terra viventium; & à societate Sancto-
" rum privabitur, nisi dignè emendaverit. Subscripsit Ethelardus Archie-
piscopus, qui ex Abbate prius Meldunensi & Episcopo postea Wintoniensi supremum honorem nactus, Cutbertum hunc constituit Melduni Abbatem.

. . . .

Subscripsit Beorthricus Rex West-Saxonum XVI. annis post Kinewlfum. Subscripserunt . . . . Wigorniensis, Edulfe electus ad Hereford.

Successit Brithrico Egbirthus annis XXXVII. qui omnia Regna Anglorum West-Saxonico usque hodie curvavit imperio. Huic Ethelulfus filius annis XVIII. quem quidem Athulfum vocant. Vir qui libertate collatâ Ecclesiis omnes Antecessores, quique postremo seipsum nova liberalitate vicerit

. . . .

fecit & scrinium, quo Sancti Confessoris ossa locaret, in anteriori parte ex solido argento jactis imaginibus. In posteriori verò levato metallo miracula figuravit, quæ jam sermo deprompsit: unde putatum est hunc fuisse librum vitæ in quo ista legerit; sed postea tempore Danorum amissum. Fastigium crystallinum Rex Ethelulfus apposuit scrinio; in quo nomen ejus literis aureis est legere. Sunt qui dicant venerandas reliquias per eum levatas: Sed nos, cùm ad locum venerimus, magis tritam opinionem persequemur. Nunc ponamus Regis dona; quæ Monasterio contulit.

" Regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo, summo & ineffa-
" bili rerum omnium creatore; Ego Edeluulfus gratiâ Dei Occidentalium
" Saxonum Rex, in sanctâ ac celeberrimâ Paschali solennitate pro remedio
" animæ meæ & regni & populi prosperitate mihi à Deo commissi consilium
" salubre cum Episcopis & Comitibus cunctisque optimatibus meis [k] prefeci;
" ut decimam partem terrarum per regnum meum non solùm Sanctis Eccle-
" siis darem, verùm etiam & Ministris meis in perpetuam libertatem habere
" concederem: ita ut talis donatio fixa incommutabilisque permaneat ab
" omni regali servitio & omnium secularium absolutâ servitute. Placuit au-
" tem Alhstano Scireburnensis Ecclesiæ Episcopo & Suinthino Wintanstrensis
" Ecclesiæ Episcopo; ut omni Sabbato tota Congregatio quinquaginta Psal-
" mos, & unusquisque Presbyter duas Missas omni hebdomadâ cantet pro Re-
" ge Edeluulfo & Ducibus in hoc consentientibus, &c. Scripta est autem hæc
" Cartula anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quinquagesimo quar-
" to indictione II. die Paschæ, in palatio nostro quod dicitur Wiltun. Terra
" autem ista, quam in libertate ponimus, ad Ecclesiam pertinens Meldubes-
" burge, hæc est. Piretune XXXV. Qacot XV. Suttune V. Corsaburn V.
" Cridanville X. Cemele X. Dantesie XI. Fecerat autem solis Ecclesiis

[i] l. Ea.

[k] l. perfeci.

siis Cartam libertatis; quam hic prætermisi, quia in Gestis Regum posui.

Anno primo Regni sui, Incarnationis DCCCXLIV. à transitu beati Aldelmi centesimo tricesimo quinto, ubi has terras ad Maldumesburge pertinentes nominaverat, Ellendune XXX. hidas, Elinhanistede XV. Undecune X. Cerlatune XX. Toccanham V. Minti V. Reodbirnam X. " Regnante in " perpetuum Domino nostro Jesu Christo, ego Ethelulf Rex partem terræ " Gewisorum, hoc est V. Mansiones, donavi Deo & Sancto Petro & familiæ " Maldubiensi in loco qui dicitur Toccanham, eotenus ut ipsi jugiter orent " pro nobis Deum omnipotentem; quatenus prospera nobis tempora largia-" tur ad conservandam fidem nostram, & regni nostri gubernacula per omnia " tempora gentis Anglorum. Et nemo audeat hoc donum mutare ab ipso " Monasterio sine irâ & vindictâ omnipotentis Dei. Et hoc donum actum est " anno ab Incarnatione Dominicâ octingentesimo quinquagesimo quarto; " quod & servetur in pace. Subscripserunt Swithinus Episcopus & Alhstanus. " Regnante & gubernante nos in perpetuum domino Deo Salvatore nostro Je-" su Christo, qui cuncta secula salvavit, & humanum genus suo sanguine re-" demit, atque ab æterno interitu diabolicæ damnationis per fidem rectam & " baptismatis Sacramentum liberavit; Ego Etheluulf Rex meis non meritis, " sed Dei gratiâ largiente Occidentalium Saxonum; necnon eodem Deo do-" nante Cantuariorum populo & omni Australi Anglorum genti Dei acci-" dente gratiâ regimine prælatus, aliquantulam terram, id est, V. mansi-" unculas in loco, qui dicitur Minti, Deo omnipotenti ad Monasterium Mal-" dubiense in perpetuam possessionem largitus sum; hoc tenore, ut in perpe-" tuum dampnetur, qui hanc terram ab ipsâ Ecclesiâ auferre conabitur. Et " hoc actum est anno Incarnationis Domini octingentesimo quinquagesimo " quinto. Subscripserunt Celnodus Archiepiscopus Cantuariensis, Alhstanus Episcopus Sciréburnensis, Ethelstane filius ejusdem Regis Rex Cantuariorum.

Huic tres filii continuâ succedentes serie regnaverunt annis XV. Quartus quoque Elfredus nomine annis triginta, sex minùs mensibus. Hujus temporè venit Angliam Johannes Scotus, vir perspicacis ingenii & multæ facundiæ; qui dudum velut à Patriâ Franciam ad Carolum Calvum transierat. A quo magnâ dignatione susceptus, familiarium partium habebatur; transigebatque cum eo tam seria quam joca; individuusque comes & mensæ & cubiculi erat: multæ facetiæ ingenuique lepôris; quorum exempla hodieque constant: ut sunt ista. Assederat ad mensam contra Regem ad aliam tabulæ partem. Procedentibus poculis consumptisque ferculis, Carolus fronte hilariore post quædam alia cùm vidisset Joannem quiddam fecisse quod Gallicanam comitatem offenderet, urbanè increpuit & dixit: Quid distat inter Sottum & Scottum? Retulit ille solenne convicium in auctorem; & respondit, Tabula tantùm. Interrogaverat Rex de morum differenti studio: Responderat Johannes de loci distante spatio. Nec verò Rex commotus est; quòd miraculo scientiæ ipsius captus adversùs Magistrum nec dicto insurgere vellet: sic enim eum usitatè vocabat. Item cùm Regi convivanti Minister patinam obtulisset; quæ duos pisces prægrandes adjecto uno minusculo contineret; dedit ille Magistro, ut accumbentibus duobus juxta se clericis departiretur. Erant illi giganteæ molis, ipse perexilis corporis. Tum qui semper aliquid honesti [1] immerebat; ut lætitiam convivantium excitaret, retentis sibi duobus majoribus, unum minorem duobus distribuit. Arguenti iniquitatem partitionis Regi, Immo, inquit, bene feci & æqué. Nam hîc est unus parvus; de se dicens. Et duos grandes pisces tangens, itemque ad eos conversus: Hîc sunt duo magni, Clericos innuens; & unus exiguus; piscem nihilominus tangens. Caroli ergo rogatu Ierarchiam Dionysii Areopagitæ in Latinum de Græco verbum è verbo transtulit. Quo fit, ut vix intelligatur Latina litera; quæ volubilitate magis Græcâ

[1] l. invehebat.

[1] Περὶ φύσεως μερισμοῦ.

quam positione construitur nostrâ. Composuit etiam librum, quem [1] periphisimerimus, id est, de Naturæ Divisione titulavit; propter perplexitatem quarundam quæstionum solvendarum bene utilem; si tamen ignoscatur ei in quibusdam quibus à Latinorum tramite deviavit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Quare & Hæreticus putatus est; scripsitque contra eum quidam Florus; sunt enim revera in libro Periphysion perplurima; quæ nisi diligenter discutiantur, à fide Catholicorum abhorrentia videantur. Hujus opinionis particeps fuisse cognoscitur Nicolaus Papa; qui ait in epistolâ ad Carolum: "Relatum est Apostolatui nostro; quòd Opus Beati Dionysii Areopagitæ, quod "de Divinis Nominibus vel Cœlestibus Ordinibus Græco descripsit eloquio, "quidam vir Joannes genere Scotus nuper in Latinum transtulerit: quod juxta morem nobis mitti & nostro judicio debuit approbari; præsertim cùm "idem Joannes licèt multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sanè sapere in "quibusdam frequenti rumore dicatur. Propter hanc ergo infamiam credo tæduit eum Franciæ; venitque ad Regem Elfredum; cujus munificentiâ illectus, & Magisterio ejus, ut ex scriptis Regis intellexi, sublimis, Melduni resedit; ubi post aliquot annos à pueris quos docebat, graphiis per [Johannes Parisiensis in historiâ suâ anno 877. "Johannes Scotus inter cætera fecit librum "de Eucharistiâ; qui postea lectus est & condemnatus in Synodo Vercellensi "à Papa Leone celebratâ. Eodem anno Colanfrancus ab errore Berengarii se "purgabat; unde, sicut dicit Lanfrancus, ipse in fide desipuit: tandem ibat in "Angliam ad Regem Elfred & apud Monasterium Malmesberiense à pueris "graphiis perforatur] foratus animam exuit tormento gravi & acerbo; ut dum iniquitas valida & manus infirma sæpe frustraretur & sæpe impeteret, amaram mortem obiret. Jacuit aliquandiu inhonorâ Sepulturâ in Beati Laurentii Ecclesiâ, quæ fuerat infandæ cædis conscia. Sed ubi divinus favor multis noctibus super eum lucem indulsit igneam; ammoniti Monachi eum in majorem transtulerunt Ecclesiam; & ad sinistram Altaris ponentes, his Martyrium ejus versibus prædicaverunt.

Conditur hoc tumulo Sanctus Sophista Johannes;
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro.
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo meruit, cuncti regnant per secula Sancti.

Elfredus Rex & filius ejus Edwardus nihil huic contulerunt Monasterio, nisi quod commutatio videatur magis quàm donum. Scripta tamen hic apponam; quæ sint indicio hanc Ecclesiam priùs in nomine Sancti Salvatoris & Beati Petri consecratam: sicque operæ pretium audire scripta & percensere veterum. "In nomine Domini, Ego Elfredus gratiâ Dei Anglo-Saxonum Rex unà "cum consensu venerabilis familiæ Maldubiensis Ecclesiæ, concedo meo fideli "nomine Dudi aliquantulum terræ, id est, quatuor Cassatorum ad eandem "Ecclesiam pertinentium in loco qui dicitur Callanthurd. Post trium autem "dies hæredum prædicta terra ad Ecclesiam Sancti Salvatoris & Sancti Petri "in Maildubery absque omni contradictione redeat. Acta autem est hæc "conscriptio in loco eodem, qui veteri vocabulo dicitur Maildubery, nostro autem Maldumesburg. Processu verò temporis sub Edwardo filio Elfredi Ordlafus dux præpotens emptam à Dudi terram Cœnobio pro commutatione alterius terræ reddidit; idemque qui esset quieti animi & boni, cùm mortis viam iniret, jussit utrasque sine refragatione restitui. Quocirca in eodem loco Sepulturâ nobili & memoriâ perenni muneratus est. Sunt ergo hæc scripta. "Edwardo Anglo-Saxonum gloriosissimo Rege consentiente, necnon & ejus

"Optima-

" Optimatibus qui ei in præsentiâ tunc aderant, familia Deo servientium in lo-
" co antiquo nuncupato vocabulo Maildubery in Ecclesiâ Sancti Salvato-
" ris, quæ ibidem opere cementario pulcherrime composita cernitur, venera-
" bili Comiti Ordlafo aliquantulum terræ, id est, quinque manentium suæ
" propriæ possessionis in loco, qui dicitur Mehandim, largiens concedit pro
" commutatione alterius terræ id est, IV. manentium in loco, quem ruricolæ
" Cellewarde appellant. Finitis autem diebus quatuor hæredum præfata
" terra fratribus Ecclesiæ sine omni contradictione reddatur. Ego Ordlaf
" aliquantulum terræ mei proprii juris quam à Dudi viro venerabili cum li-
" centiâ Domini mei gloriosissimi Regis Edwardi cum pecuniâ comparavi,
" familiæ Sancti Salvatoris in Maildubery, ubi ruricolæ Cellanwirdan appel-
" lant, pro commutatione alterius terræ, quæ Mebandim appellatur, largiens
" concedo, &c. Acta est hæc conscriptio anno Incarnationis Domini non-
" gentesimo primo, ab excessu Sanctissimi Confessoris centesimo nonagesimo
" secundo.

" In nomine Domini. Ego Edwardus gratiâ Dei Anglo-Saxonum Rex
" dedi venerabili familiæ Maildubiensis Ecclesiæ aliquantulum terræ in loco,
" qui dicitur Hanecintun, pro commutatione alterius terræ quantitatis ejus-
" dem, id est X. Cassatorum in loco, ubi ruricolæ Frenberg appellant. Sunt
" autem predictæ terræ ab omnibus secularibus negotiis liberæ. Hanc autem
" commutationem deprecantibus Fratribus pro eorum commoditate feci; quia
" terra quam prædictis fratribus dedi, duobus distat tantùm milliariis
" ab eorum Monasterio; illa autem quam accepi, distat à prædicto Monasterio
" ferme XX. milliariis. Scripta verò est hæc Cartula anno ab Incarnatione
" Domini DCCCCI. anno mei regni primo. Subscripserunt Ealhswid
Mater & Elfled conjunx Regis.

Edwardo qui IV. & XX. annos regnavit, successit filius Ethelstanus annis XVI. qui beatissimo Aldelmo cognato suo, ut dicebat, & ut res erat, ita famulabatur; ut ei animam corpusque devoveret. Sed & ipse Sanctus sensim ex tunc in clariorem & crebriorem miraculorum processit indolem; quasi ammoneret, quòd degenerem in terra sepulturam dedignaretur. Nec destitit, antequam post paucos annos efferretur & locaretur in scrinio. Interea Ethelstanus Elwinum & Ethelwinum filios patrui sui Ethelwardi, quos præcipuo amore coluerat, in bello contra Avalanum amissos, Meldunum deferri & dextrâ lævâque Altaris in Ecclesiâ Matris Dei sepelire curavit. Causa sæpe dicta fuit; quòd invocatione nominis Aldelmi cœlesti [m] ease donatus & ab hostibus ereptus sit. Ex quo die Monasterio prædia plura, pallia multa, Crucem auream, Phylacteria æque aurea, cum portione ligni Domini, quod ei Hugo Rex Francorum miserat, contulit. Longum est narrare, quantæ devotionis in Monasteriis ædificandis & reficiendis [n] sunt; quantam barbariem paucissimo exercitu profligaverit; quòd terminum imperio in Scotiâ statuerit. Viderer enim indulgenti materiæ incumbere, & aliàs dicta pro eloquii pompâ repetere: simulque videretur Ecclesiæ nostræ laudis ostentatio, totiens illum laudare qui multis in vitâ beneficiis, postremò in morte venerandi corporis reliquiis eam honoraverit. Veruntamen hoc ausim dicere, quòd licet omnes ante se vel solus superaverit, vel ut mitiùs dicam æquaverit; nihil ad comparationem faciendorum fuit quod fecit; quia ingentes actus festinata dies fatis abrupit. Immaturâ ergo morte & quæ animositatem illam si Dominus voluisset, non deceret, mundo in Glocestre [ablatus] . . . . . . Meldunum devectus est, ibique sub Altare Sanctæ Mariæ in turri sepultus est. Unde falluntur, qui dicunt quòd Elfricus Abbas terram illam fecit; quem post Ethelstani mortem plùs annis XXX. constat Abbatem factum fuisse.

[m] *fortè* luce.

[n] l. fuerit.

Hic

Hic jacet orbis honor, Patriæ dolor, orbita recti,
Justitiæ fulmen, munditiæ specular.
Æthera flatus adit carnis compage solutâ;
Urna triumphales excipit exuvias.
Sol illustravit bisseno Scorpion ortu;
Cùm Regem caudâ * pertulit ille suâ.

* l. perculit.

Accumulant merita ejus in Cœnobium multorum Sanctorum Reliquiæ, quas invexit; in quibus emendis thesauros patris sui spetiosè prodigus distraxit, cœlesti somno ammonitus. Itaque ex transmarinâ Britanniâ & Normanniâ, quippe cum Rollone Comite amico obligatus fœdere, multas Sanctorum in quibus & Sancti Paterni Abrincatensis Episcopi, reliquias mercatus est. Is Aquitanus ° genus, à juvene Monachus, processu ætatis Heremita fuerat. Cumque secretioris Philosophiæ studiis virtutum non exiguum quæstum conflâsset; processit in publicum dignus qui animarum rector esset, qui seipsum regere nosset. Itaque priùs in Constantiensi pago Abbas, deinde apud Abrincas Episcopus, miraculorum non expers fuit. Sitiens levi allisione baculi ad silicem elicuit laticem. Stupendum omnino, ut negante naturâ Sanctitas viri marmoreas venas in aquatiles procuderet bullas. Puellæ ori linguæ officio destitutæ oleum infudit, & organum restauravit. Contractio muliebrium digitorum olim volæ inflixa contactu Sancti devoluta est. Puerum in mortem intumescentem, cui virosos molares anguis infixerat, erexit incolumem; cutis lasciviâ sedatâ & ad proprium modum edomitâ. Spiritus nequam præsentientes Sancti adventum, familiares clientes reliquerunt, excusatâ fugæ timiditate, quòd pro Paterni violentiâ nequirent subsistere. Aviculæ pastæ frumento, quod benedictione condierat, digredientem per multa milliaria remigio alarum secutæ nunquam ab ejus divelli caritate potuerunt, quoad vixerunt. Præterea sunt alia, quæ Fortunatus lepido illo eloquii sale nostræ ingessit notitiæ. Hunc Rex Athelstanus adjunxit Sancto Aldelmo socium; nec unquam se ille dissimulavit esse Sanctum frequentiâ miraculorum. Hoc quod dicam majores nostri egregie meminerant, & præcipuè ferebant. Fur bracteam auri ex scrinio tulerat; egressusque Ecclesiam, in quos libuerat usus consumpserat. Non hoc Sanctus, quamvis aliàs patiens, tulit tacitum. Nam cum reatûs conscius impunè se putaret reintraturum Ecclesiam; hæsit ad hostium invisibilibus loris irretitus. Si conaretur ultra; tum verò ingens vis invisæ flammæ miserum adurens miserabilem ejulatum excutiebat. Si retro temptaret; retrahebatur obtortis faucibus laqueo. Nihil horum astantes videbant, clamorem & nisum latrunculi stupentes. Sed edocti eo confitente & culpam & pœnam, intercessiones ad Sanctum adhibuerunt. Soluto itaque dampno, solutus est ille supplicio. In hoc scrinio hæc scriptura legitur. "Hoc opus Rex Ethelstanus totius Britanniæ multarumque gentium in circuitu positarum Imperator "in honorem Sancti Paterni fieri jussit; quòd has reliquias ex transmarinis partibus meruerit. Epistolam subjiciam.

° l. genere.

"Summæ & individuæ Trinitatis honore omniumque Sanctorum præcellentissimâ intercessione glorioso & munifico Regi Adelstano Samsonis summi Pontificis Ego Radhodus Præpositus istius sæculi gloriam & æterni "Beatitudinem. Benignitatis ac sublimitatis vestræ piissimæ & in omnibus "hujus temporis Regibus terrenis famosâ laude percellentissimæ, Rex Adelstane optime, noverit pietas manente adhuc stabilitate nostræ regionis, quòd "pater vester Edgvardus per literas se commendavit consortio fraternitatis "Sancti Samsonis summi Confessoris ac Joveniani Archiepiscopi senioris ac "con-

" consobrini mei ac Clericorum ejus, unde usque hodie indefessas regi Christo
" pro ejus anima & pro salute vestrâ fundimus preces, & die noctuque videntes
" super nos magnam misericordiam apparere vestram, in Psalmis & Missis
" orationibusque nostris, quasi provolutus ego & XII. Canonici mei genibus
" vestris fuissemus, promittimus Deum clementem orare pro vobis. Et modo Reliquias, quas omni terrenâ substantiâ vobis scimus esse cariores, transmitto vobis, id est, ossa Sancti Senatoris, & Sancti Paterni, atque Sancti
" Soubilionis ejusdem Sancti Paterni magistri, qui similiter uno die eâdemque
" horâ cum supradicto Paterno migravit ad Christum. Isti certissimè duo
" Sancti cum Sancto Paterno dextrâ lævâque jacuerunt in Sepulchro; atque
" illorum sollennitates sicut & Paterni IX. Calend. Octobris celebrantur. Igitur Rex gloriose, Sanctæ exaltator Ecclesiæ, gentilitatis humiliator pravæ,
" regni tui speculum, totius bonitatis exemplum, dissipator hostium, pater
" Clericorum, adjutor egentium, amator omnium Sanctorum, invocator
" Angelorum; Deprecamur atque humiliter imploramus qui in [p] exultatu
" atque captivitate nostris meritis atque peccatis in Francia commoramur; ut
" non nostri obliviscatur vestræ felicissimæ largitatis magna misericordia &
" nunc à modo quæ mihi dignemini commendari sine ullâ morâ potestis impetrare. Hæc epistola inventa est in scrinio apud Nedeltunense Cœnobium; quod idem Rex à fundamento fecit, ut ibi reliquias Sancti Samsonis posuit.

[p] l. ejulatu.

Sed jam indicia prædiorum, quæ Rex Cœnobio contulit, subjicienda video; quæ multis quidem Cartis sed unam scripturam præferentibus, intexuit hoc modo. " Fortuna fallentis sæculi procax non lacteo liliorum candore amabilis; sed fellitâ ejulandæ corruptionis amaritudine odibilis, [q] sententis filios
" in valle lacrimarum carnis rictibus debacchando venenosis dilacerat; quæ
" quamvis arridendo sit infelicibus attrectabilis, Acherontici tamen ad ima
" Cociti, ni salus alti subveniat [r] boantis, impudenter est declivis. Et ideo quia
" ipsa ruinosa deficiendo canaliter dilabitur; summopere festinandum est ad
" amœna indicibilis lætitiæ arva; ubi hymnidica Angelicæ jubilationis organa,
" mellifluaque vernantium rosarum odoramina à bonis beatisque naribus inæstimabiliter dulcia capiuntur, sineque calce auribus fœlicium suavia audiuntur. Cujus amore fœlicitatis illectus, ego Ethelstanus Rex Anglorum
" per omnipotentis dexteram totius Britanniæ regno sublimatus, aliquas terræ
" particillas venerabili familiæ Maldubiensi pro animabus patruelium meorum
" filiorum Ethelredi, Clitonis videlicet, Elswini & Ethelwini, Deo & Sancto
" Petro in perpetuum jus largitus sum sub æstimatione X. Cassatorum in loco
" qui dicitur Wdetun, sub æstimatione LX. Cassatorum in loco qui dicitur
" Breomet, sub æstimatione V. Cassatorum in loco qui dicitur Sumerford;
" Item V. in loco qui dicitur Nortun; Item V. in loco qui dicitur Ewulin:
" hoc præcipiens, ut nemo nostrorum successorum hoc nostrum donum,
" quamdiu Christianitas vigeat, vel ex minimo interrumpere temptet. Quod
" si quis temptaverit; à Deo se dampnandum in perpetuum sciat. Sciant
" autem Sapientes nostræ regionis, nos has præfatas terras non injustè rapuisse, rapinamque Deo dedisse; sed sic eas accepi, quemadmodum indicaverunt omnes Optimates Regni Anglorum, insuper & Apostolicus Papa Romanæ Ecclesiæ Johannes; Elfredo defuncto, qui nostræ fœlicitati & vitæ
" æmulus extitit, nequitiæ inimicorum meorum consentiens, quando me voluerunt patre meo defuncto cæcare in Wintoniâ civitate; si non me Dominus
" suâ pietate eripuisset. Sed denudatis eorum machinamentis, remissus est ad
" Romanam Ecclesiam; ut ibi se coram Johanne Apostolico jurejurando defenderet: & hoc fecit coram Sancti Petri Altari, sed facto juramento cecidit coram Altari; & manibus famulorum suorum portatus est ad Scholam
" Anglorum, & in tertiâ nocte finivit vitam. Et nunc Apostolicus ad nos remisit;

[q] *fortè* Serpentis.

[r] *f.* boantibus.

" misit; & quid de eo ageretur consuluit. Nos autem Optimatum nostro-
" rum rogatu concessimus; ut poneretur ad cæteros Christianos, quamvis in-
" dignus. Et sic indicta est mihi possessio illius omnis in magnis & modi-
" cis, &c. Hujus autem à Deo Dominoque Jesu Christo inventæ atque in-
" spiratæ voluntatis scedula anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXVIII.
" regni vero mihi gratis commissi XI. indictione octavâ, epactâ XIV. con-
" curr. Tertio Calend. Januarii, lunâ vertentis Mensis decimâ, in Civitate
" celeberrimâ, quæ Dornacester appellatur, conscripta est, totâ Optimatum
" generalitate sub alis regiæ dapsilitatis ovanti. Subscripsere subreguli Eugenius, Howell, Morcant, Indual; Archiepiscopi Willfelmus Doroberniæ, Wulstanus Eboraci; Episcopi Burgrice Roffensis, Tedred Lundoniensis, Ethelgar Orientalium Anglorum, Alfriche Wintoniensis, Elfredus Scireburnensis, Wulfelmus Wellensis, Ethelgar Cridiensis, Oda * Wiltensis, Eadhelm Selesiensis, Sephelm Sancti Cuthberti, Tidelm Herefordensis, Elwine Wigorniensis, Kinsi Licitfeldensis, Winsi Legecestrensis.

* l. Wiltunensis.

Ethelstano successerunt fratres Edmundus, Sexeldredus VI. Edredus IX. annis. Edredo Edwinus IV. annis, filius Edmundi, qui sicut aliàs latiùs diximus, meretriculæ unius seductus illecebris, Dunstanum stultitiæ suæ sævissimum correptorem patriâ expulit. Inde semel malo imbutus, omnes ad dolorem Dunstani in totâ Angliâ Monastici ordinis homines priùs nudatos facultatum auxilio post & deportatos exilio calamitatibus indignis affecit. Nam & Meldunense Cœnobium stabulum Clericorum fecit anno Ducentesimo XLVI. post transitum Patris Aldelmi; postquam à Leutherio ibi præpositus est Monachis anno LXXVI. & ducentesimo. Sed tu domine Jesu creator & recreator noster, bone artifex, multúmque potens formare nostra deformia, per illos homines irregulares & vagos thesaurum tuum tot seculis abditum in lucem propalasti; Sanctissimi Aldhelmi corpus dico, quod illi de terrâ elevatum in scrinio, quod supradixi, locârunt. Accessit Clericorum gloriæ regalis liberalitas; ut daret Sancto prædium vicinitate & amplitudine peropportunum; quod nominarem, nisi quia notum est, & Reges anteriores multas ejus portiones dederint; ne hic solus communem gloriam vel totam vendicet vel partem vellicet. Sed omnis temporum iniquitas maturè decidit, succedente Edgaro fratre omnium antecessorum; nisi Ethelstanus palmam præoccupasset facilé. Primo denique nescias quem præferas; nisi quòd iste tenuerit, ille inceperit; ille fortior, iste fortunatior; ille Dei, & suo auxilio nisus; iste prudentium virorum consilio credulus. Edgarus igitur abolitis edictis germani; quæ luxus regius & juvenilis impetus [procuderant] quid Ecclesiæ nostræ dederit, quid abstulerit, suo melius sermone reserabit.

" Cùm universitatem generalis massæ meta maneat certa; *Visibiliaque*, ut
" ait Apostolus, [t] *sint temporalia, invisibilia vero sint perpetua*: restat unum-
" quemque hic peracta illic recipere merita. Unde ego Edgarus totius Albi-
" onis basileus [v] necne maritimorum seu Insulanorum Regum circumhabitan-
" tium, adeò ut nullus progenitorum meorum, subjectione largifluâ Dei gra-
" tiâ suppetente sublimatus, quid imperii mei potissimùm Regi Regum Do-
" mino darem, tanti memor honoris, solertiùs sæpe tractavi. Piæ igitur fau-
" trix devotionis pervigili meæ studiositati subito superna insinuavit pietas
" quæque in regno meo sancta instaurare Monasteria; quæ velut muscinis scin-
" dulis cariosisque tabulis tigno tenus visibiliter diruta, sic quod majus est,
" intus à servitio Dei ferme vacua fuerant neglecta. Idiotis nempe Clericis
" ejectis nullius regularis religionis disciplinæ subjectis, plurimis in locis san-
" ctioris seriei scilicet Monachici habitûs præfeci pastores: ad ruinosa quæque
" templorum redintegranda opulentos fiscalium munerum eis exhibens sump-
" tus: Quorum unum nomine Elfricum virum moribus ecclesiasticis exper-
" tissimum officiis, famosissimi constitui custodem Cœnobii, quod Angli bisa-
" rio

[t] 2 Cor. IV. 18.

[v] l. necnon.

" rio vocitant onomate Maldelmesburg. Cui pro commoditate animulæ meæ,
" ob Salvatoris nostri ejusque [x] Theodocos semper Virginis Mariæ necnon A-
" postolorum Petri & Pauli Aldhelmique almi Præsulis honorem, particulam
" terræ X. videlicet manentium vocabulo Estotim cum pratis & sylvis muni-
" ficâ liberalitate restitui. Hæc terra à prædictis semel accommodata Clericis,
" diu à plerisque postremò à contentioso injustè possessa est Athelindo. Sed
" superstitiosâ subtilique ejus invectione à sapientibus meis auditâ, ac discep-
" tatione illius mendosâ ab eisdem me præsente convictâ, Monasterioli à me
" reddita est usui, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo ptuagesimo
" quarto, regni verò mei XIV. regiæ consecrationis primo, post transitum
" pretiosi confessoris Aldelmi CCLXV. Hanc verò restitutionis scedulam
" prædicti Abbatis rogatu ob futuræ posteritatis memoriam tenacem caraxare
" præcepi; ne quamdiu Christiana fides viget in nostratibus, ab aliquo turan-
" nici potentatûs præfatum rus ab illo Sancto loco violenter, quod absit, ali-
" enetur. Et subscriptio Archiepiscoporum Dunstani Cantuariensis & Os-
waldi Eboracensis, & Episcoporum Athelwaldi Wintoniensis, trium Elfsta-
norum, Londoniensis, Roffensis, Wiltunensis, &c.

[x] τ̃ Θεοτόκε.

Hic est Elfricus; qui omnem curam ad beatam transferens Mariam, posses-
sionem & nomen Monasterii ejus delegavit ditioni; ut tacito interim beatissimi
Petri nomine, ipsa sola loco videatur imperare. Nec fastidivit gloriosa Do-
mina illustris & prædicandi viri munus; quinimo usque hodie præsidet Ecclesiæ,
Sanctissimi Aldelmi communionem in potestate amplectens. Eum peritum li-
terarum præsertimque elegantissimum Interpretem, nisi fallax tradit vetustas,
ædificandi gnarum; qui omnes Monachorum officinas eo tempore præstantis-
simas, nec adhuc adeò despicabiles, fundavit & consummavit. Hujus inter-
misso nomine facit mentionem Abbo Floriacensis in præfatione passionis Sancti
Edmundi ad Dunstanum beatum Archiepiscopum his verbis. "Passionem
" Sancti Edmundi à nemine scriptam pluribus ignotam tua Sanctitas ex anti-
" quitatis memoriâ collectam historialiter me præsente retulit Domino Epis-
" copo Rosensis Ecclesiæ & Abbate Monasterii quod dicitur Malmesbery, ac
" aliis circumassistentibus, sicut tuus est mos, fratribus.

Elfricus sane cùm jam grandævus esset, in Episcopum Cridiensem altatus,
vix IV. annis superfuit. Reliquit aliquantos codices, non exigua ingenii mo-
numenta; Vitam Sancti Adelwoldi, antequam eam Wolstanus operosiùs con-
cinnaret; Abbreviationem passionis Sancti Edmundi; libros multos ex Latino
in patrium sermonem versos.

Tempore ergo Edgari regis Dunstanus Sanctissimus Archiepiscopus nostri
Cœnobii restaurationi & decori egregiam curam admovit, invitatus in amo-
rem Sancti Aldelmi & generis West-Saxonum affinitate: Nam de hac Provin-
cia oriundus fuerat, & miraculis subinde crebrescentibus [ut] qui gauderet
Sanctum suæ regionis suis potissimùm temporibus in speculam elatum. Ideo in
multis loco munificus, quæ tunc in Angliâ magni miraculi essent, decusque &
ingenium conferentis ostenderent offerre crebró. Inter quæ Signa sono & mole
præstantia; & Organa, ubi per æreas fistulas musicis mensuris elaboratas
Dudum conceptas follis vomit anxius auras. Ibi hoc Distichon laminis æreis
impressit:

Organa de Sancto Præsul Dunstanus Adelmo
Prædat, hîc æternum qui vult hinc tollere regnum.

Poterunt & hi versus sermonis veritati suffragari; quos conspicati sumus impressos vasculo, quod Ministris Altaris famulabatur aquæ obsequio.

Idriolam hanc fundi Dunstan mandaverat Archi-
Præsul; ut in Templo Sancto serviret Adelmo.

In quibus licentia poetica subtractâ è nomine Sancti priori L literâ, ut versus staret, ingeniaverat. In neutro enim insculptum erat Aldhelmo sed Adelmo. Interea post obitum suum futuræ suæ in Angliâ calamitatis & Danicæ depopulationis spiritu prophetico præsagus, utpote qui eas non ænigmatico fumo, sed aperto eloquio ipsi etiam Regi prænuntiavit; Sanctissimi Confessoris ossibus metuebat. Jamque animo volutans Danorum avaram sævitiam & sævam avaritiam, mente imaginabatur Monasterium cupiditate pecuniarum prædatum iri. Tum ne aliquis splendore metalli raptatus scrinium abriperet, avideque pretiosas crustas finibus ingerens, lignum nudatum cum ossibus aliquorsum projiceret; id verò maximo horrori & timori erat. Quocirca diu multumque perpenso concilio, reverentissimas Reliquias ereptas scrinio lapideo composuit tumulo excitato in editum ad dexteram Altaris, loco cunctis in Ecclesiâ intuentibus conspicuo. Apposuit juxta ossa primùm nitenti & delicatâ sindone deinde preciosissimo cocco circumtecta fialam purissimo vitream balsamo plenam: Congrua profectò Pontifici aromata, qui semper in cœlum thurificâsset virtutum & orationum holocausta: simulque partem asserum ex antiquissimo sarcophago, quo tota in mortalem conditionem defluxerat caro. Nec abstinuit versibus; quibus forensem Sepulchri ambitum decoravit: quorum hæc erat summa. Ut amatorem suum delictorum dignaretur veniâ; nec accerseret in culpam, quòd cum editiori loco deposuisset: scire Sanctum id se fecisse pro cautelâ, non pro contumeliâ. Nec eventus rerum fefellit prophetam: nec cecidit de verbis ejus quicquam in terram: quod breviter intimabo; si successionem Regum, quam intermiseram, continuavero.

Edgaro post XVI. annos regni successit Edwardus filius tribus annis & dimidio. Illi Egelredus frater substitutus XXXVII. annis miserabile regnum obsedit, subruit, pessundedit. Cujus gesta hiis inserere ex abundanti opinor; præsertim cùm aliàs miseriarum ejus labyrinthos evolverim. Illud non tacebo; quòd Edgaro mortuo, qui se pluribus quàm ullum progenitorum suorum dominari jactaverat, non quòd latiùs, sed quòd securiùs imperitaret; res in contrarium cessit; suprema fœlicitas regni in præcipiti stetit. Summis enim, ut quidam ait, rebus diu stare negatum. Danorum ergo gens assueta vivere rapto, totis littoribus in Angliâ efferbuit. Jamque, ut compendio dicam, omni orâ maritimâ depopulatâ, medulla Mediterranei soli depascebatur; eò in indigenas insolentior, quò à scientiâ [y] viri Dei remotior. Pars cum duce prælato Meldunum venerat. Ibi eo se terrore, quo consueverat, acturam existimans, Ecclesiam furibunda irrupit. Circumductis utrinque oculis, nihil quod avidæ rapacitati satisfaceret, præter scrinium Sancti conspicantur. Cætera meticulosa Monachorum provisio curioso furori summoverat. Illud solum fortunæ, vel ut veriùs dicam, tutelæ Sancti exposuerant; tutaretur, si vellet; sin minùs, ludibrio se haberi permitteret. Id illi vasto ore inhiantes limpsatis gressibus involant; quorum unus, quem improba fames argenti audaciorem fecisset, arrepto cultello preciosos lapides cassibus expedire nitebatur. Jamque manum admoverat; cùm grassantem luem avaritiæ Sancti virtus festinata compescuit. Luit ergo ausum temerarium mente amissâ, retro in pavimentum illisus; tanquam si penetrabile telum cordi suspiraret adactum. Pœna unius reduxit ad sanitatem cæteros; ne furerent, ne streperent; ut loca sancta intaminata

[y] l. vivi, vel veri.

minata

minata relinquerent, ut fugerent. Accelerant igitur fugam per plana, per invia; gaudentes vel sola corpora eripuisse discrimini. Multorum enim milliarium cursu non intermisso, aliquid humano timore majus se pertulisse prodiderunt; dum nullus à tergo urgeret, nullus à fronte obsisteret. Hujusmodi fama multitudinem hostium pervagata, segniorem ad prædam, & timidiorem ad reverentiam Sanctorum effecit; unde contigit, ut omnibus in circuitu Monasteriis depopulatis vel expilatis, istud solum nunquam adeò gravem deploraret ærumnam.

Iste Rex villam X. manentium Cœnobio Sancti Aldelmi contulit sub Abbate Athelwerdo, qui Elfrico successerat. Stimulabant eum adhuc in regno tenellum Heroes illustrissimi, qui erant superstites; post quorum decessum & in vitæ luxum & in regni detrimentum totus emarcuit. Copia enim rerum, quas reliquit pater, incitavit in lasciviam; offensa Dei meruit iracundiam; Dei iracundia gentem adduxit in exterminium. Est autem scriptura hujusmodi.
" Universis crebro studium sophiæ intentè rimantibus liquidò patescit; quòd
" præsentis vitæ terminus variante diversæ calamitatis ærumnâ instare jamque
" ingruere nimio terrore dinoscitur. Ego igitur Edeldred Christi gratiâ opi-
" tulante totius Albionis Basileus, Optimatum meorum monitu instructus,
" æterna caducis mercari cupiens, quandam ruris partem, X. videlicet manen-
" tium, loco celebri qui ab hujus Patriæ peritis noto Redburne nuncupatur
" onomate, Domino nostro Jesu Christo ejusque genitrici semper Virgini
" Mariæ in veneratione beati Præsulis Aldelmi, qui locum ipsum usitato voca-
" bulo nominatum Maldesmeburg fecit, ad usus Monachorum sub Ethel-
" werdi Abbatis regimine inibi degentium æternâ largitus sum hæreditate, &c.
" [z] Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXII. scripta est hæc Carta post
" transitum ejusdem Patris CCLXIII. Subscripserunt illi qui in superiori Cartâ, & cum iis Elfricus jam Episcopus, sed & Escuinus Dorcestrensis Episcopus.

Egelredo post XXXVII. annos regni defuncto successit Cnuto annis XX. Cnutoni Baroldus filius annis IV. Ei Ardacum anno uno. Illi Edvardus XXIV. annis. In his octoginta sex annis fuerunt post Ethelwerdum, Kineward, Brichtelmus, Brichtwoldus, Edericus, Wulsinus. Brichtwoldus, ut ex scriptis Anglicis animadvertimus, multa incommoda Cœnobio intulit, terras vel omnino distrahendo, vel parvo pretio invadendo. Sed enim excusatur; quòd magno illo geldo, qui tunc Danis dabatur, oppressus, unicum inveniebat malorum remedium; quod futurorum incautus non videbat obesse posse in posterum. Wulsinus religionem Monachorum propter adventum Danorum multum debilitatam erexit in vigorem priscum. Non defuerunt nostro tempore Monachi; qui eum in carne conspicati memoriam viri ruminare & aliis proferre dulce habebant; ex quorum narratione pendulus multa ejus insignia animo indidi; sed dicere refugio, quia minùs suscepto concurrent operi. Ei Egelwardus X. annis successit; mox Elwinus anno & semis. Brichtwoldus huic annis VII. Eum inertem ad bonum, alacrem ad malum, miserabilem mortem obiisse tradit vetustas in villâ inter medios potationum apparatus ex-

[z] Error in numeris latet. Quæ superiùs enim ponitur Edgari Regis, qui Etheldredum præcessit, Charta, data est anno 974. & Ethelredus regnum ante annum 978. non adiit. Legendum itaque arbitror, anno DCCCCLXXXII. Scripta est hæc Charta, post transitum ejusdem Patris CCLXXIII. Sub initium autem regni Ethelredi Regis datam fuisse Chartam istam necesse est; eò quòd Elfricum Episcopum habeat testem; qui, ut supra dictum est, ante regnum ab Ethelredo susceptum ad Episcoparum evectus, vix quatuor annis superfuit.

tinctum, in Ecclesiâ beati Andreæ, quæ magnæ adhærebat Ecclesiæ, inter Prædecessores sepultum. Satisque constat custodes loci umbris phantasticis inquietatos; donec cadaver suffossum longè à Monasterio paludi profundè immerserint: unde aliquotiens teter odor emergens sævam vicinis exhalat mephitim. Sed hæc quæ injucunda sunt, relinquentes; ad Miracula, quæ hoc temporum discursu apud Beati Confessoris tumulum divinitas ostendit, accingamur.

Dani cùm in Angliam venire offirmassent propositum; ad societatem victoriæ Norreganos ascivere. Utrorumque immanis barbaries; sed Norreganorum cupiditas rapacior, libido infestior. Horum Comiti, dum depopulatur omnia, puella quædam Elfildis nomine cessit in partem prædæ, honesto apud Anglos loco nata, ingenui corporis & vultûs. Hæc illecebrarum fomenta Barbaro fuere; ut legitimo connubio repudium daret, in captivæ suæ nuptias intendens nervos; cujus integritatem tutari & captivitatis miserere deberet, nisi barbarus esset. Quare primò consumptis blanditiis, renitentis & multum deprecantis pudorem prædo nocturnus invasit & rapuit. Veruntamen non diu superfuit; nec spe conceptæ plebis nec longâ vitâ post injuriam fœminæ factam lætatus. Eo ergo defuncto, rumor speciosæ Elfildis aures Regis terræ impulit. Ille mox pro more gentis in fœminæ cupiditatem potiendæ adhinnivit. Fit ergo ex Rege amator, ex potente cliens. Adorat per internuntios Majestatem captivæ; ut se amicum dignetur: Pollicetur montes auri, amorem perpetuum; postremò quæcunque possint vel mulierem decipere vel captivam illicere. Omnia clam uxore; quam, ne intenderet, verebatur quàm maxime. Respondit Elfildis contraria, se aliis amoribus intentam Deo deservire proposuisse; tulisse illum suos secum amores, qui & uniens primitias libâsset & moriens consepelisset. Hoc audito, Rex dolens se mulierculæ fuisse despectui, vi negantem aggreditur; & quadam nocte in nihil tale metuentis amplexus subit violentus. Ex unâ conjunctione concipitur fœtus; & editur masculus contra utrorumque votum. Nam & Rex periclitari famam suam metuens, vellet quidem exercere placitum, sed nollet habere fructum. Et Elfildis Deum primò pro incesto viri conjugatu metuens, zelotipiam Reginæ secundò cavebat. Veruntamen proles, ut dixi, edita, utrorumque blandiebatur oculis; ut eos sibi conciliaret; virum, ne mulierem ex se matrem abjiceret, præsertim corpore pulchram, genere ingenuam, conditione captivam, se solo cum quo rem haberet continenter sobriam: mulierem, ut & facti consuetudine & filii dulcedine virum in amorem [a] reciperet. Peccatum ergo, quod aspernanter inierat, libenter fovebat, voluptate adducta. Et ut [b] Regni noticiam falleret; apud quendam Episcopum terræ latibulum habebat; indeque cùm libebat in usus noctis abducebatur. Sed hæc illecebrarum gaudia proximus Regis obitus abrupit; remansitque illa in medio cum pupillo filio. Quapropter non nesciens quantum mulierum ira in pellices audeat, in longissimas Norwegiæ Provincias fugæ indulsit; agente fideliter & necessaria ministrante Pontifice, cui soli tutelam Orphani supremis verbis Rex obiens commiserat. Unde factum est; ut cùm muliebrem fastum imperitantis Optimates detractarent; ille rem omnem, ut erat, non taceret. Ita decreto communi parvulus ad umbram in fastigio regni locatus, [c] tenoribus omnia negotia pro arbitrio disponentibus. Exacto autem non plus anno & dimidio puerulus ille vocabulo Magnus acerbâ morte vitæ subtractus colus Parcarum evolvit. Dicitur quòd insidiis Procerum; sed ego inassentior, ut ulli innocenti vim mortis consciscerent, quem Regem creaverant. Tunc ergo, ne longam texam fabulam, Elfildis omni viduata consilio in patriam receptui cecinit. Et ut tam periculosum navigium Deus secundaret; vovit, si Angliam incolumis annavigaret, nunquam se terrestris animalis carnes comesuram, nunquam nisi diebus festis unctiores escas sumpturam. Pro Dei nutu fœlicem sortita eventum, industriè continebat votum:

[a] *f.* raperet.
[b] *f.* Reginæ.
[c] *f.* senioribus seu proceribus.

tum: ex pecuniâ, quam mariti & filii liberalitate meruerat, tres villas mercata; quarum redditu suam suorumque vitam toleraret. Post aliquot annos lautiore convivio in hilaritatem profusâ, convivas ad lætitiam hortabatur. Illique vicissim, ut quantulumcunque carnium sumeret, rogantes, diu cassos expendere sermones. Veruntamen Presbyterorum, qui adessent, rogatu pressa promittentium orationes & Missas, dicentiumque magnarum etiam deliciarum culpam Missarum celebratione posse deleri; summis illa digitis nescio quid carnium attingens ori suo sensu recusante apposuit: statimque divinæ severitatis clemens animadversio secuta, Illam valetudine quam Græcè paralysin, id est, resolutionem membrorum dicunt, masticantem perculit tam validè; ut nullum membrum officium suum facere posset. Sola lingua inter fauces palpitabat; quæ delictum diceret, veniam oraret. Præclarè innocens prolapsio temporali castigata est verbere. Cæterùm si pœnalem commisisset culpam; non habuisset venialem vindictam. Triennio integro tali decocta incommodo in lecticâ Sanctorum circuibat loca, pulsabat suffragia, quos celebriores miraculorum fecerat fama. Cessit omnis superior caritas deditque locum Beatissimi Aldelmi gloriæ; ut tam illustri personâ curatâ excellentiùs volitaret per horum ora. Venit ergo post triennium ad Natale Sancti, quod octavo Calendas Junias magnâ provincialium frequentiâ colitur. Nec morata virtus herilis in ipsâ Solennitatis vigiliâ orantem ad Sepulchrum attigit. Reviruit sanitas, artuum laxa compago induruit; incolumis paralytica surrexit: Stupentibus & laudantibus notis, strepentibus & rem percunctantibus Monachis, lætantibus cunctis. Elfildis curatori suo non ingrata, animam suam loco contulit, Sanctimonialem professa. Vivens propter Ecclesiam mansitavit; defuncta famosam sepulturam in claustro accepit. Hoc Miraculum pro claritate, ut dixi, personæ & temporum vicinitate ad nos per successiones transmissum, fidem facit multa fuisse, quæ obscuravit annorum [d] incuria, quæ occuluerit Scriptorum incuria.

[d] *f.* injuria.

Eodem tempore venit ad locum quidam Monachus Græcus nomine Constantinus, cæterùm unde oriundus incertum, necessitas an voluntas domo patriaque eliminaverit. Hic primus auctor vineæ fuit; quæ in colle Monasterio ad Aquilonem vicino sita plures duravit annos. Staturæ fuit habilis, moribus dulcis, colloquio affabilis, cibi sobrius, potûs parci & penè nullius; festorum dierum in orationibus consumebat ferias, cæterorum in vineæ opere totas consummabat horas. Jam verò moriens voce præclusâ cùm paucissimis animæ reliquiis efflaturus æstimaretur, resumpsit, & lento conamine surrexit, temptatâque perâ, quæ semper adhærebat lateri, protulit ex eâ Pallium, quod est insigne Archiepiscoporum; quod sibi, quantum jacens poterat, more quo sciebat coaptavit; continuoque violentiâ mortis recidens supremum efflavit & defecit. Quo animadversum est Archiepiscopum fuisse; sed adhuc cognitio vacillat, qua causâ patriæ olim valefecerit. Nobis ambigua in bonum torquere licet; quòd amor religionis Pontificem peregrinari compulerit. Tunc igitur inter Sepulchra Abbatum in Ecclesiâ Sancti Andreæ, quæ tunc erat, reverenter humatus est. Successu vero annorum cum necessitas novorum ædificiorum ipsum & cæteros antiquis deturbâsset sedibus; ossa reperta candoris insoliti & odoris gratissimi dederunt indicium plebeiæ sanctitatis non fuisse Constantinum.

Ruricola quidam in Viciniâ Melduni, notus Monachis & urbi, pessimo afflatus dæmone torquebatur. In cominus astantes, quos contingere nequiret, dentibus frendere; propiores calce seu pugno impellere. In eminus positos spumas jacere; quicquid ad manum venisset, vice tormenti rotare. Furor arma suggerebat; ut nemo impune accederet, qui [e] eum læsus abiret. Insana præterea loquens, in ipsa sidera jaculabatur convitia. Ex uno ore diversæ & confusæ voces audiebantur; ut modo ex latratu canem, ex mugitu bovem,

[e] l. illæsus.

nunc

nunc ex ſtridore bubonem opinareris. Cibos nec humanos nec coctione conditos voragini ventris immergens. Sic dementia molares exacuerat; ut quodlibet oſſeum, ligneum, ferreum facili, ut putabatur, negotio demoleret. Tum illam edacitatem & crudam indigeriem uno diſſolvens rictu,quicquid conſumpſerat, levi fumo ejiciebat Hujuſcemodi hominis calamitate vicini commoti, conſilium cœperunt ducendi eum per loca Sanctorum. Id quo minùs fieret, obſiſtebat inſania; opuſque erat ut vinciretur. Res ergo erat in ancipiti; quia nec præ ferociâ vinciri poterat,nulluſque licèt experti roboris vincula,innectere temptaret, quin ſolo ejus niſu excerebraretur. Quocirca neceſſitas invenit remedium; ut porrectis funibus, quò eum eundi tuliſſet impetus, pedes impedirent: qua irretitus aſtutiâ ſuccubuit ingenio, qui præſtaret robore. Nec ſic tamen quamvis illaqueatus corpore coërceri neque in mente ſpiritus potuit; quoad illi neceſſariis paratis ad Sanctos patientem promovere cœperunt. Obtulit ſe Meldunum euntibus in ipsâ ſacroſancta Aſcenſionis Domini & Salvatoris noſtri vigiliâ. Ibi audito & credito, quòd Sanctus Aldelmus olim in talibus morbis curandis promptus eſſet, ſubſtitere. Aditis Mònachis viam & viæ cauſam expoſuere; pollicentur illi Sancti ſuffragium, largiuntur conſilium; diem imminere, qua Dominica caro triumphali gaudio invecta ſit cœlo; datam ſpem membris omnibus, ut ſequantur caput, quorum ſcilicet opera à fide non degeneraverint: Aldhelmum præcipuum Dei membrum capitis ſui præſentiam operum merito profectò aſſecutum: Quocirca illi nihil impetratu difficile; probatum id experimentis pluribus: effundant ergo ſupplices ad miſericordem Sanctum preces; quia proculdubio præſtò ſit ille omnibus integrâ fide deprecantibus. Hoc animati oraculo advenæ, quantum valebant homines id generis & ſcientiæ,hortatibus non defuere. Nec fuiſſe agreſtium infructuoſas præces ſanitas ægroti eveſtigio conſecuta oſtendit. Namque ante Altare depoſitus, mox inconditam vultûs & oculorum ferociam amiſit: turbulenta illa colla in levem ſoporem depoſuit. Sic à ſervitute Diaboli emancipatus, & animi libertati redditus, cùm ex lenitate verborum ſanum ſapere comprobaretur; aſſiſtentium corda in Dei & Sancti laudem extulit, ora reſolvit.

Ejuſdem conditionis hominem nervi poplitum contracti in hanc miſeriam redegerant; ut omnis ambulationis uſus ſolis niteretur genibus. His ſqualentes pulvere ſemitas verrebat, ſi quando uſquam commeabat: his lutoſum ſolum evadebat. Et quia crura natibus adhærebant; exhibebat potiùs quadrupedem quàm hominem: videbaturque informe prodigium, & ut ita dicam, carnis offa, quam immaturo fœtu projeciſſet natura. Vix unquam ſe ſubrigeret cœlo; ita ſemper inferiora deſpiciens dampnatus erat ſolo. Luctabatur ergo cum [f] omnia; nec aliud ei erat vivere quàm diuturnitas miſeriæ. Volvebat tamen ſedulò; à quo Sanctorum opem imploraret: aliàs illum, aliàs iſtum potentem, quoſdam in effugandis dæmonibus valere, quoſdam in [g] moribus curandis accurrere: Chriſtum auctorem omnium in omnibus præcellere. Id enim tum præcipue rumor ferebat, & res erat; apud quendam locum, qui ſolitario vocabulo Chriſtiſtecerce, id eſt, Chriſti Eccleſia vocatur, magnas virtutes fieri: Nil adeo moleſtum hominibus, quod non ibi depelleret Chriſtus. Illuc igitur contractus conducto vehiculo [iter] tunc meditabatur. Itineranti pervium Meldunum exhibuit hoſpitium. Et fortè tum accidit; ut quartus in Feſto dies eſſet; cum recens adhuc de virtutibus Sancti fama ferveret. Nam illâ feſtivitate ſolito plures eo coacervârat miſeros neceſſitas, & ſanatos emiſerat Beatiſſimi Patris pietas. His debilis acceptis in Eccleſiam interim ſeceſſit; manè futuro,ſi votum non ſucceſſiſſet, viam repetiturus. Erat tunc Sabbatum & diluculum expectabatur Dominicum. Miraque omnino Sancti virtus: mox ut Eccleſiæ tectum ſubivit, debilitate membrorum aliquatenus diſcuſſâ ſenſit neſcio quid medelæ per omnes artus concurriſſe. Hoc ille confidentior & ad reliquum alacrior, nocturna ibidem protelavit inſomnia.

[f] f. animâ.

[g] f. morbis.

Jamque

Jamque dies aderat, misero plusquam sperare posset allatura subsidium. Monachis pro more per claustrum procedentibus, ille vacuum Chorum eminus intuitus, suffragio scabellorum suffragines movens eo irrepsit. Ita coram Altari totâ corporis strage volutus, quasi ecstasim passus, oculis dormitantibus conquievit. Sed tumultu & cantu redeuntium Monachorum somno excussus, in alacrem saltum convaluit; intuebaturque se intuentes, mirabaturque & ipse de tam inopinatâ salute. Narrabat ingenuâ fronte, quare venit; sed ignorabat, quomodo tam celeriter erectus fuerit. Credita res est, Deoque laudes retributæ; hospite præsertim exaggerante miraculum, qui eum pridie sucepisset contractum, & nunc videret erectum.

Illud fuit tempus, quo Beatissimi Audoeni Rothomagensis Archiepiscopi reliquiæ in Cœnobium nostrum evectæ sunt. Causa evectionis hæc fuit. Emma Regina defuncto Egelredo Rege Normanniam ad fratrem transierat; nihil sibi apud Danos, qui Angliam occupaverunt, tutum opinata. Diutinè ergo in Rothomago mansitans, cùm alios Monachos Sancti Audoeni tum Secretarium loci muneribus illexerat in amicitiam; ad hoc intendens præcipue, ut Beati Præsulis sibi venditaret corpus. Sic enim Christianitas viluit, sic cupiditas increvit; ut Sanctorum corpora mercem faciamus, fœlices exuvias venum proponentes. Exhorruit primò Monachus immane facinus; postmodum verò adductus necessitate nepotis sui, qui in Franciâ captus redemptionem desiderabat, mercimonium quod petebatur exposuit. Opimâ prædâ potita mulier, cùm sereniore tempore accidente rediisset Angliam, corpus reliquum Cantuariæ contulit, caput in secreto suo habuit. Ac verò post multos annos cùm filius ejus Edwardus regnum suscepisset; memoria præteritarum rerum cor regium in matrem excitavit. Nam quia parùm in prolem liberalis fuerat, cùm ipse juvenes actitaret annos, jussit omnem maternam supellectilem ad minimum expilari. Factumque est; & quidam aurifaber, qui ei à secretis fuisset, scrinium Sancti cum capite surripuit; cæteris interim ad thesauros inhiantibus. Is [cum] fratre Monacho, quem apud Meldunum habebat, deposuit; nulli aptiùs quàm Monacho sacra deleganda ratus. Nec multò post fato satisfaciens, perennem sui memoriam loco reliquit; quem tantis gazis insignivit. Hæc non ambiguis auctoribus sparsa acceperim; sed eis, qui viderint, ætate, fide, scientiâ plurimùm præstantibus. Jam verò quod de miraculis Audoeni scribere nostri non intersit officii; judicabit qui grandes libros de gestis ejus majorum curâ editos meritoque suo notissimos legerit. Rependit sanatus sanatori gratiam, totâ in posterum vitâ in ejus juratus militiam.

Interea Brithwoldo Abbate, ut prædiximus, defuncto, Hermannus Episcopus vacantem Abbatiam sede suâ implere cogitavit; sed prævenerunt conatum ejus Monachi fautoribus Godwino & Haroldo comitibus. Quorum qui princeps Brithricus ex Præposito factus Abbas septem annis gloriosissimè Cœnobio præfuit. Sed ex Comite Normanniæ Willelmus factus Rex Angliæ Turoldum quendam Fiscamnensem Monachum, qui eum magnis demeruerat obsequiis, viventi Brithtrico intrusit. Veruntamen postmodum rem perperam factam intelligens; dolensque se ambitione festinantis circumventum, dono Abbatiæ de Burhtunâ exulantis dampnum consolatus est. Idem Turoldus dum tyrannidem in subjectos ageret; ad Burh à Rege translatus est Abbatiam opulentam, sed quæ tunc à Latrunculis duce quodam Hærewaldo infestaretur; quia inter paludes sita erat. "Per splendorem, *inquit*, Dei, quia magis se "agit Militem quàm Abbatem; inveniam ei comparem, qui assultus ejus "accipiat. Ibi virtutem suam & militiam experiatur; ibi prælia pro"ludat.

Huic

Huic substitutus est Warinus de Lyra Monachus, vir efficax, in hoc maximè quòd Monachus regulæ insueverit: cæterùm aliàs Ecclesiæ non multùm utilis; qui majoris spe honoris præceps raptaretur. Quapropter idoneus Monachorum marsupia evacuare, undecumque nummos rapere; sed non ita cupide parta abscondere, quinimmo & citra & ultra mare res Ecclesiæ dilapidare; ut majorem locaret apud potentes gratiam, & apud eos qui eum olim pauperem vidissent compararet jactantiam. Is cùm primùm ad Abbatiam venit; antecessorum facta parvipendens, typho quodam & nauseâ Sanctorum Corporum ferebatur. Ossa denique sanctæ memoriæ Meildulfi & cæterorum, qui olim Abbates ibi, posteaque in pluribus locis Antistites, ob reverentiam Patroni sui Aldelmi se in loco tumulatum iri jussissent, quos antiquitas veneranda in duobus lapideis crateris ex utrâque parte Altaris dispositis inter cujusque ossa ligneis intervallis reverenter statuerat: Hæc, inquam, omnia pariter conglobata vel ut acervum ruderum, vel ut reliquias vilium mancipiorum, Ecclesiæ foribus alienavit. Et ne quid impudentiæ deesset, etiam Sanctum Johannem Scotum, quem penè pari quo Sanctum Aldelmum veneratione Monachi colebant, extulit. Hos igitur omnes in extremo angulo Basilicæ Sancti Michaelis, quam ipse dilatari & exaltari jusserat, inconsideratè occuli lapidibusque præcludi præcepit. Contumeliam facti gravavit jocularis dictum convitii. Qui modò, inquit, meliùs potest, auxilietur aliis. O tempora, ô mores! Quis digno improperio tantam prosequatur audaciam, quanta hominis impudentia? Quod beatissimus Dunstanus & cæteri sapientissimi & religiosissimi viri vel fecerunt ipsi vel permisere fieri; nos nugaces & ad ludibria nati destruemus? Sed coercebo stilum, frænabo spiritum; quia ipse magno in Sanctum Aldelmum obsequio offensam cæterorum vel lenivit vel delevit. Cujus tamen sanctitatis ambiguus & incertus primo fuit; quia non ejus votis ad miraculorum exhibitionem famularetur. * Virium tamen occurrit labanti pietas Sancti † & dubietatis nubilum deponeret, certitudinis lucem infunderet; hoc facto.

* f. Viro.
† l. ut.

Quidam Wechtæ insulæ indigena arte piscandi victum transigebat, apud suos qui ejusdem artis erat non ignobilis, honestam supellectilem domi conflaverat. Hic igitur dum unâ dierum jam sueto insudaret muneri, flatu ex adverso spirante densissima orta nebula os oculosque remigantis opplevit. Ita prospectu adempto, primò quidem risit, subitam diei caliginem cito recessuram opinatus; sed magis magisque crassescentibus tenebris veram cæcitatem intelligens, miseriam suam sociis per oram littoris idem negotium agitantibus clamore pronuntiavit. Illius ergo calamitas cæteris indixit piscandi ferias; dimissâque prædâ quam cœperant, omnes uno nisu ad eum litori restituendum laborant. Expositus ripæ ad manus tractus domui sistitur. Res acta materiam sermoni dedit agrestium. Conferunt inter se; & ventilant quis fuerit ille flatus fortuitus vel diabolicus, qui insonti piscatori diem irripuerit, noctem adduxerit. Ille lumine obducto ad singula illachrimans, fortunarum suarum medelam indefessus sciscitabatur. Responsum est, humanum desperari auxilium; ad Dei & Sanctorum patrocinium confugiendum. Id adeo peropportunè in Ecclesiâ Christi, de qua supra dixi, posse fieri; quæ ab eâ insulâ in continentem minimo trajectu abest. Probato consilio cæcus cum sociis conscendit lembum; quem pari moderamine nisus remorum & prosperitas ventorum continuò alteri ripæ intulit. Ibi ergo perpetuo triennio cæcus sanitatem desiderans trivit operam. Differebat Dominus Jesus salutem; ut irritaret ardorem, essetque remedium jam tandem acceptum eò gratius quò fuisset dilatum diutiùs & desideratum molestiùs. Consumpto triennio procul ambagibus monuit eum per somnium cœlestis visio; ut si cordi esset sanitatem recipere, Meldunam non pigritaretur pergere. Ille letæ spei plenus prorumpente in lucem die fortunatis successibus institit; comiteque prævio, qui titubantes

gressus

gressus regeret, ad locum venit. Ibi per VII. moratus dies, divinum operiebatur promissum: interimque precario victu monachalis elemosinæ sustentabat inopiam. Advenerat dies Dominicus idemque octavus; cùm ille in Ecclesiâ crucifixo prostratus, non se vana somniâsse persensit: Sereno luminum recepto, erumpenteque & distillante ex oculis sanguine; sicut mulgentibus mulierculis solet ex uberibus pecudum copiosi lactis linea profluere. Laxat homo clamorem in gaudium; postulatoque vase, ne sacrum pavimentum cruoris sentiret injuriam, quod defluebat excepit. Factum illud coram simili populo palam Monachis omnibus, magno apud Normannos ad honorificentiam fuit incremento. Insulanus contempto, quo periculum oppositum temptabat, baculo, viam expeditus regrediens, consuetos lares repetiit.

Hoc viso cùm nihil Abbati excusabilis cunctationis esset reliquum; ad colendam preciosissimi Confessoris honorificentiam suæ mentis excitavit industriam. Quia enim temporum turbine sedato nihil hostile metuebatur; visum est rationi convenire; ut Sanctus claustrum egrederetur lapideum, in quod inclusus fuerat pro timore Danorum. Indignumque erat; ut ossa lapis in solum premeret, quæ miraculorum gloria [in] Cœlum efferret. Intendebat igitur; ut mausoleo eruta locarentur in scrinio. Et ut res religiosa ordinatiùs procederet; triduanum provincialibus indictum jejunium. Tum ipsâ die Pentecostes adjuncto sibi Serlone Abbate Glocestrense, accedens ad tumulum, impedimenta sustulit, lapidem summovit; conspectoque interius quòd & ossium constaret integritas & res vera narrationi Monachorum faveret; iterum usque in octavum reclusit diem, quo ejus expectabatur natale. Paschalis enim lunæ varietas festum circumagens modò ante Pentecosten, modo post celebrari compellit. Aderat spectaculo adjutor operis & collevator oneris Monachus Hubertus nomine, antiquo intraneorum laborans incommodo. Tunc quoque solito graviùs inhorruerat; cùm curiosiùs inspectantem reliquiarum fragrantia in ora reverberans retro compulit. Ex odore salus per ossa cucurrit; & penetratas medullas infecit. Nihil ulterius Monachus usque ad diem sensit obitûs, quod quateret vitalia, quod turbaret viscera. Quod cùm illius crebrâ relatione crebuerit, tum præcipue cæterorum qui eum sæpe antea gravedine morbi penè animâ periclitatum vidissent. Sequenti ergo Dominicâ ascito viro venerabili Osmundo Seresberiensi Episcopo, cœptæ rei manus suprema imposita: ossa in scrinio decenter immissa, lætitia plebi effusa. Ex quo die tot ibi facta miracula; quot scribendis nulla facultas eloquii suppeteret; quæ vel sub oculis sunt fusa, vel privatis necessitatibus sensa; quorum hic sub ope Christi aliqua ponemus, quantum operi suscepto congruere videbimus. Facta est autem hæc secunda Translatio, postquam à Beato Dunstano reconditus fuerat, anno nonagesimo secundo; post transitum ejus trecentesimo sexagesimo nono, ab Incarnatione Domini millesimo suptuagesimo octavo, post adventum Normannorum decimo tertio.

Colonia est civitas maxima, totius Metropolis Germaniæ, conserta mercimoniis, referta Sanctorum patrociniis. Hujus urbis Civis infortunio magis quam industriâ fatricidii reus, multis annis occuluit factum, quod esset clam hominibus. Sed enim, ut Augustinus ait, mens mali conscia ipsa sibi tormentum est; anticipatque vivens mortuorum supplicia. Depascebatur ergo miserum animum labes reatûs; & præsentes imaginabatur inferos. Quapropter tandem aliquando exulceratæ conscientiæ vulnera detexit medico Annoni ejusdem urbis Archiepiscopo, viro in primis severo: qui cùm in reum, quantum atrocitas facti exigebat, invectus esset, lenes immonitiones adjecit. Præclarè & evangelico exemplo, ut primùm vinum vulnerato infunderet, quo purulentos recessus ablueret; deinde oleum adjiceret, ut spe remissionis peccatorem leniret. Septennem ergo pœnitentiam indixit; ut Sanctorum Ecclesi-

as circuiret, ferro brachia vestiret, quæ parricidiali ausu cognatum hauserat sanguinem ; ut quæ fuerat auctori ad culpam, esset punitrix ad pœnam : inediæ & taciturnitati assuesceret ; spe boni graves labores falleret. Duraret ergo ; futurum olim ad gloriam, quod interim præsumebat ad veniam. Facit imperata pœnitens ; cruces præterea nonnullas adjiciens, quadamque hostilitate vini corpori suo ipse consciscens. Romam adiit, Jerosolymam penetravit : Magnum & insigne tunc temporis facinus aggressus ; quia nondum semitas illas Christianorum nostrorum virtus pervias fecerat. Ibi dum vix admissus ante Sepulchrum oraret ; lorica in fragmenta Dei virtute dissiluit. Regrediens totam circuivit Europam, multis periculis terrâ marique jactatus. Laborum meta fuit Cœnobium nostrum expetitum. Eo loci dum pronus ante Beati Confessoris mausoleum jaceret ; veniam emeruit. Pulsabat violentia orationis Cœlum, intravit sidera, traxit à superis auxilium ; vincula brachiorum evoluta sunt, ferrum altiùs excussum & longiùs XV. pedibus projectum. pœnitens animâ languente æstuavit. Sed ubi latice aspersus frigido resumpsit ; Deo laudes, Deo grates omnibus qui aderant concinentibus persolvit. Nec verò de miraculo dubitare poterant ; cùm eum antea multis diebus stipe Monachorum pastum & dirissimè vinculatum nossent.

Interea patientia Lectorum turbari non debebit ; si uniforme miraculum in diversâ personâ exhibitum diversi stili tenore apponam. Recenter factam sanitatem in claudo, qui esset ætatis provectæ, descripsi ; nunc idem subjiciam de puero. Folkwinus pusioni nomen, quem imperfectum alvus materna effuderat. A superiori parte ad cingulum homo, cætera vel quadrupes, vel nescio quid enuntiem, erat. Suræ crurum flexibilitatem naturalem negantes, ita pertinaciter adhærebant natibus, ut divelli nequirent. Denique quidam, quos aut livor aut incredulitas agitabat, manus mittebant ; ut dividua facerent, quo miserum puerulum ingenti afficiebant incommodo ; qui horrendos stridores ejiciens sæva pulsatoribus imprecabatur. Videbant eum innocentem curis vacuum, cachinnis & ludorum frequentiæ inhiare ; hærebantque incerti an pædagogi documento contractionem fingere nosset ; ut eo commento majusculam stipem miserantibus detraheret. Veruntamen cùm, ut dixi, fuisset irrita temptatio ; credulitati & miserationi aliorum accesserunt. Addiderat ille ad duo lustra vel tres vel quatuor annos ; quantò ætate provectior, tantò obstinatius rigescentibus nervis ambulandi impotentior ; maximéque urbicis, nam apud Meldunum pascebatur à Monachis, miserationem movebat. Quòd si quolibet reptare intenderet, luto viarum crura impeditus loco hæreret ; palpitabatque in ceno, & replebat auras quæstibus, quoad aliquis miseratione infractus miserum ulnis efferret. Hanc invisi rigoris compagem Aldelmus post duos annos revelationis secundæ dissolvit. Jacebat in Natali ejus, quod die primo Pentecostes fuerat ; sed procrastinatum Servitium die secundo fiebat. Jacebat, inquam, puer retro chorum ; levemque carpebat per membra soporem. Monachi nocturnis expeditis, laudes matutinas ingressi fuerant. Cantabatur versus ad sacrum ejus tumulum frequenter. *In l. m. s. q. m. f. g. restituuntur.* Videt interim ille personam sibi clementer assidentem ; quæ nec staturam justam excederet, & minimos superexcelleret : Mento & crine cano ; vultu qui nihil minaretur asperum, sed polliceretur commodum ; vestitu & baculo qui Pontificem simularet. [h] Hæc igitur, ut dixi, assidens cruscula videbatur leniter palpatu sensim in directum ducere, & naturæ restituere ; & pulchrum in modum cernebatur ab astantibus dormitans crura extendere : audiebantur nervi crepitare, sicut tumultuantur digitorum juncturæ, quando aliquis manus suas violentiùs conatur protendere. Miraculo ergo vocibus Monachorum consono somno excitatus in pedes Folkwinus consistit, facile conatu, mirabili nisu ; continuóque lætitiâ puerili, constantiâ virili, cursu incœpto ante Altare procumbit. Tum populus miraculo plaudens certatim accurrere, oblationes

[h] J. Hic.

oblationes sanato conferre, Sancto accumulare. Hoc signum tantum habuit miraculi; ut Abbati qui absens in curiâ Regis esset, literis citatis illud ingererent Monachi. Quas cum ille Lanfranco Archiepiscopo monstrandas putâsset; vir illustris scientiæ merita confessionis ex prodigio metiens, legem in totam promulgavit Angliam; qua eum incunctanter haberi & coli pro Sancto præciperet. Statimque annuales ad Festum ejus institutæ sunt nundinæ; ut quos non invitabat Confessoris Sanctitas, vel mercium advocaret aviditas.

Illud fuit tempus, quo vir reverentissimæ vitæ Osmundus ejusdem Diœcesis Episcopus reliquias Sancti flagitabat: Decere putans & prædicans, ut probatissimi Antecessoris communicaret exuviis; fructuosum id sibi, gratum Sancto, qui parvo integritatis suæ dispendio novos honores, magnos favores mercaretur. Sed nec Abbas Warinus difficilis fuit impetratu; qui se ad consentiendum ratione duci viderat. Datum itaque Præsuli os brachii sinistri; quod ille maximo semper habuit & amori & honori. Denique operâ sumptuosâ & arte studiosâ thecam paravit argenteam; qua illud induceret. Aderat dies omnium Sanctorum operi destinatus; cùm inter agendam memoriam Præsulis subivit Archidiaconi sui Everardi valetudo; qua ille medullitus decoctus decumbebat. Mandatum igitur viro; ut se quolibet ingenio ad Ecclesiam promoveri faceret. Paret æger, locumque adit; famulis in Dominum ut in corpus exanime succollantibus. Neque enim ipse per se vel pedem vel quodlibet membrum præter linguam naturaliter posset movere obsequio. Pallorem vultûs & debilitatem corporis totius perspiciens Episcopus, nonnihil à spe sanitatis ejus defecit. Sed mox ad cor regressus, præteritarum virtutum fomite fidei rapuit flammam. Quin & in pectus ægroti adhortationibus suis credulitatis scintillas excussit; ne dubitaret se Sancti virtute posse sanari. Effectus ergo rei addidit robur fidei; & utrique studiis suis convenientem exitum sortiti sunt: Alter sacrati ossis intinctu conditum porrigendo laticem, alter cum potu pariter glutiendo salutem. Quæ ut ambiguitate carens testatior esset; ad eandem Missam super Alleluja cantitantes vocale Organum, qua excellebat arte, insonuit, non impar socrui Petri, quæ Domino Sanatori exhibuit sedulitatem obsequii; nisi quòd illa precibus aliorum sanitatem meruit, iste fide suâ exigebat.

Ejusdem Antistitis alter erat Archidiaconus Hubaldus, vir qui liberalium artium non exiguum experimentum cœpisset, sed pro titubantiâ oris parum eas audientibus expediret. Hic familiarem clientelam Sancto devoverat; quòd quondam Melduni in festivitate positus, ejus operâ de gravi morbo sanatus fuerat. Namque cùm infesto colli & scapularum dolore premeretur, qui somnium negaret, cibum subtraheret; solo tactu feretri, quod cernuus subierat, sanitatem (ut sic loquar) furatus est. Hunc enim morem frequentant æditui; ut post processionem ita ex transverso valvarum coaptent scrinium; ut nisi humiliato corpore nullus patentem invadat ingressum. Ibi quisquis fide plenus accesserit, quodcunque optat, rapit; nec fere unquam aliquis exors voti recedit. Certat audax fides offerentium; ut pro uno nummo vel obolo fœneretur apud Sanctum multorum summa votorum. Idem ergo Archidiaconus Hubaldus Salesberiæ manens, eâdem qua superiùs ægritudinis molestiâ ingemiscebat; excesseratque antiquas metas dolor, ut non solùm collum & scapulas, sed & brachium usque ad extremitatem unguium tam pertinaciter urgeret; ut nec manum ad os ducere, nec cuilibet usui aptare prævaleret. Erat tunc dies Ascensionis; quo per totam Christianitatem paratur Processio accurate solennis. Proferuntur reliquiæ ex conditoriis; statuitur brachium beatissimi Aldhelmi ferendum cum cæteris. Visio brachii oscitantem Diaconi roboravit fidem, dormitantem revocavit memoriam; ut ejusdem, cujus quondam merito se liberandum ab eodem confideret incommodo. Episcopum ergo supplicibus ambivit

ambivit precibus; ut esset per Processionem lator brachii, quamvis id parum sui interesset officii. Credere se, quòd piæ sarcinæ vectatio ad promovendam salutem magno accederet emolumento. Ille tantæ fidei gratulans, simulque magnopere sanitatem desiderans, qui & ejus necessarius & non perfunctorie, ut dixi, esset literatus; suâ manu de altari sublatum illi commisit bajulandum. Incredibile fortassis videatur quod dicturus sum; nisi nobis in talibus Aldelmi operibus assuetis. Statim quippe ut Archidiaconus infirmæ manûs digitos ad contingendas Reliquias aptasset; dolor brachii diffugit, gravedo scapularum evanuit, malesana superbia colli resedit. Jamque dicturientem jamque in vocem gestientem prævenit interrogatio Episcopi; Quid ita vultu renideret? Respondit Hubaldus favorabilia, quantum illa permittebat lætitia, Diu in laudes effusus, diu in præconium Sancti moratus.

Hæc sunt Aldelmi opera cotidiana; hæc sunt virtutum ejus proludia. Quæ si parva quis dixerit; sic quoque laudabilis Patris nostri pietas apparebit; quem videmus non fastidientem in minimis, cùm sciamus eum potentem in maximis. Quamquam haud scio an inferioris virtutis sit cotidie exhibere facilia, quàm semel ostentare pergrandia.

Defuncto Abbati Guarino successit statim ad XV. dies Godefridus; qui fuerat Gemmeticensis Monachus. Ejus tempore & industriâ multùm adolevit honos Ecclesiæ, aucta religio, ornamenta facta perplurima; quatenus tantulæ facultatis homo tam occupato tempore poterat. Libri conscripti nonnulli, vel potius Bibliothecæ primitiæ libatæ. Quod studium si prædico; videor id quodam meo proprio jure facere; qui nullis majoribus in hoc præsertim loco cesserim, immo nisi quod dico jactantia sit, cunctos facilè supergressus sim. Sit qui modò parta conservet; ego ad legendum multa congessi, probitatem prædicandi viri in hoc duntaxat æmulatus. Ipsius ergo laudabili cœpto pro virili portione non defui: Utinam sit qui labores nostros foveat. Monachi qui vulgares tantum literas balbutiebant, perfectè informati. Servitium Dei institutum liberaliter, actitatum instanter; adeò ut Monasteriorum nullum per Angliam Malmesberiensi excelleret, multaque cederent. Aderat ipse in primis, discedebat cum ultimis; civilitate demulcens bonos, austeritate territans reos; ad iram pronus, sed quam dulci responsione compescere vel frangere statim posset ipse, qui excitâsset. Frugalitate sobrius, & ut dicebatur, nimius: ut qui sæpe quantum ad se uno contentus ferculo, non temere nisi semel inter prandium & cœnam biberet. Lauticiarum appetentissimus; ut qui nihil nisi exquisitissimè accuratum mensæ suæ inferri pateretur. Integerrimi post Abbatiam cœlibatûs, antea nonnullâ infamiâ respersus, uno & ipso immani commisso infamis. Nam cùm Willelmus Rex junior importabile tributum indixisset Angliæ, quo Normanniam à fratre Roberto intendebat emere; Godefridus ut suam partem ex facili componeret, Thesauros Ecclesiæ, quos antiquorum cura coacervârat, fœdè distraxit, pessimorum usus consilio; quos nominare possem, si peccantium societas crimen alleviare posset magistri. Enimvero facinus, quos inquinat, æquat. Denique die uno XII. textus Evangeliorum, VIII. cruces, VIII. scrinia argento & auro nudata & excrustata sunt. Sed pulchrè contigit, quòd penuria cupiditate frustrata non sufficit voluntati. Quippe non plus quàm LXXII. marcæ repertæ. At verò nocte sequente visus est videre hominem terrifico vultu & gestu in se impetum facere, & aquam præfervidam cum urceo in faciem jacere. Quo terrore somno excussus, brevi consecutâ pœnâ veritatem somnii persensit. Siquidem primò faciem, mox totum corpus morbo nefando, morbo regio correptus, extabuit; non illo qui mitior, sed illo qui cæteris deformior pustulis per totum corpus protuberantibus ex humorum pessimâ Melancholiâ procedit, familiari & omnibus consueto, sed consuetudine ut diu quidem injurias portet, sed cùm semel decreverit non portare injuriatorem suum, toti mundo spectaculum exponat. Id in multis

factum

factum risimus, in multis faciendum anhelante spe præsumimus. In defuncti corpore inventus est circulus æreus; qui totum ventrem ambierat, jamque cute superductâ vitalia ipsa penetraverat; qui cum pro miraculo efferretur, populo processit Monachus, qui fuerat à secretis, dicens ferreum circulum eodem modo impactum non multò ante virtute divinâ effractum; quapropter æreum appositum ut si venter protenderet ultra modum solitum, non esset voluptas sed supplicium; se Sacramento astrictum, ne proderet quamdiu ille vitalibus auris frueretur. Sed quia nihil tam bene fit, qùod verbis depravari non possit; quidam illud malignis versibus carpsit ita:

Mortificare decet vitiis carnalia membra.
Non decet, ut ferro mortificentur ea.
Hunc naturali decuisset morte resolvi.
Quam quia prævenit, est homicida sui.

Cui totidem versibus responderi potest.

Immo decet quocunque modo cohibere cadaver.
Hoc exempla docent, hoc tenet alma fides.
Nec voluit ferro propriam consciscere mortem,
Ferrea sed vitiis ponere fræna suis.

Hujus Abbatis diebus non ita * cavit à miraculis Confessor preciosus; immò eò magis ut videbatur coruscabat, quò illis favorabili arridebat gaudio vir industrius. Quorum duo, quæ ponam, meam anticipaverunt memoriam; cætera & vidi & vidisse juvat. In vicino mulier commanebat, quam non ita natales sordidaverant ut penitus plebeia esset, nec ita extulerant ut altum saperet; sed mediocris sanguinis fortuna mediocrem quoque supellectilem ministrabat. Ea post emensos pubertatis annos parilem sortita jugalem, sedula viri conciliabat amorem morum æqualitate, facie non aspernabili, fœcunditate alvi. Delectabat eos mediocritas sua; nec [i] quisquam erat quod plus cuperent; quibus adesset & concordia mentium & sanitas corporum, tum porro affluentia victualium. Sed ut ferè semper fit in rebus mortalium, interpolavit illa gaudia ægritudo fœminæ; quæ contractis in toto corpore . . . . na decubuit. Hoc morbo decocta quinquennio, quicquid necessariorum domum corrasisse videbatur, vel in stipem vel in Medicos consumpsit. Cúmque frequentem exhaustionem nulla suppleret adjectio; ad inopiam etiam diurni panis dómus quondam accurata defecit. Quocirca fames advena veteribus deturbatis colonis novos induxit. Dedit ergo repudium fœminæ maritus infidus & transfuga conjugalis affectûs; qui vilem haberet fidem, parvipenderet amorum consuetudinem. Ita illo migrante & fœdo mercimonio domos suas causâ cibi oppignerante, alienâ sustentabatur misericordiâ mulier ægra. At verò Dominus clementi eam tandem respectans oculo, tali per visum confortavit oraculo. Si vis sanitatem recipere; vade ad Meldunense Monasterium. Ibi per Sancti Aldelmi merita quod petieris impetrabis. Illa vocem auditam, cujus auctorem non vidisset, ad omen bonum interpretata, excussit soporem; agilique motu membrorum multum priori gravedini decessisse gavisa est. Temptatoque per ambitum domûs gressu, sed parùm promovente, carpento imponitur ad Abbatiam trahenda. Illuc ergo paucis diebus ante Festum venit in spem bonam erecto animo; moxque quamlibet confertam perrumpens multitudinem, & ante altare cubitans, perfectam sanitatem à Sancto reposcebat; cujus & spon-

sionem

* *f.* cessavit.

[i] l. quicquam.

ſionem ex ſomnio, & arras ex membrorum motu acceperat. Nec illi precum violentia & inconditus clamor fuit fraudi, ſed apud homines laudi, apud Deum & Sanctum celeri & integræ ſaluti. Qua potita tot habuit non ſimulati Miraculi teſtes; quot fuerunt vel è vicino cives vel è longinquo agreſtes. Ea poſtmodum feliciter & diu vivens legalis judicio placiti deſertorem connubii in amplexus ſuos tranſduxit. Libens quoque ille legem accepit; quòd uxor nullâ unquam penuriâ, nullâ cujuſlibet petulantis inſtantiâ pudicitiam prodidiſſe audiebatur.

Ejuſdem immo gravioris contractionis miſeriam patiebatur citra nubiles annos puella Pukelicorce, quæ dicitur, villæ indigena. Siquidem ſpinâ curvatâ dorſi genas penè in genibus habebat. Tum præterea genua flexa quaſi in conum nec ſcabellis, ut plures id genus debiles, repere, nec quoque niſi alterius manibus ſubvectaretur, progredi poterat. Sextus erat ægritutidinis, duodecimus ætatis annus. Accreverat cum ætate debilitas; dimidiaverantque dies puellæ ſalus & incommoditas. Tum frater qui ei eſſet uterinus, germanæ infelicitatis miſeratus, cui cumulus inopiæ neceſſariorum addebat pondus, vehiculo impoſitam ad Meldunum adduxit. Id ſemel, Id ſecundò; ſicut ſe annuus orbis torquebat ad Feſtum. Fruſtra fecit; nam illa & primò & ſecundò expers ſanitatis, exſors petiti muneris remeavit: non quòd pietas Sancti ſegnis fuerit, quæ omnibus ſe cum fide appellantibus promptâ facilitate accurrit; ſed credo ſeu quòd deferentium credulitas titubaverit, fides friguerit: Illa enim ætas quid credere quid diſcredere noſſet? Seu ut miraculum de puſiolâ teſtatius vulgo eſſet, quam totiens advectam totiens reverſam urbs ignorare nequiret. Tertio igitur anno attracta, tertiam quoque precum inſtantiam inaniter expendit. Quapropter cùm tædium & infidelitas fratrem effugâſſet; remanſit illa ad Dominicam Aſcenſionem, quæ tertio die Feſtum noſtrum exceptura erat. Advenerat ergo dies Domini Jeſu triumpho ſolennis; in qua vel ſæpe vel ſemper aliquid egregii operari non renuit Patronus inſignis. Nam tunc ſcrinium effertur in populum; & occluduntur fores, ut dixi, ne quis ingrediatur Eccleſiam, niſi ſub eo humiliaverit dorſi ſpinam. Ita pro more bajulantium obſequio exierat Eccleſiam corpus; ſed remanſit cum infirmâ mirificus & ſanitatis largitor Spiritus. Jacebat illa ante Crucifixum ſolo æquata; hauriebat auribus lætos euntium ſtrepitus, [k] eo quod magis pectus ſuccutiebat fletibus. Alienum gaudium geminabat illi dolorem ſuum. Confeſtim ergo divino medicamine tacta ſurrexit; & devoluto genuum rigore, erecto tergi ſinuamine, obviàm gratias actura Sancto redeunti proſiluit. Quis referat, quot fuerint plauſus lætantium, quot voces atteſtantium? Ego vidi, cognovi: Iſta eſt illa contracta; modò ſanatur.

[k] l. id.

Sed minus eſt audita depromere; niſi ſtudeat & ſtilus ea apponere, quæ nobis donavit Deus videre. Quod cùm fecero; nihil minùs Lector, ſi æquus arbiter eſt nec ſtudiis partium agitur, credere debebit, quàm ſibi credi velit, ſi aliquid inſigne diebus ſuis factum vel ſcripto vel verbo narraverit. Nec verò, ut puto, quiſquam dicet me vel oculis meis non debuiſſe credere, vel viſa pro Dei laude non debuiſſe ſcribere. Illud enim fatui & increduli; iſtud ſuperbi & ingrati eſſet. Videor ſanè compatriotis Sanctis non modicam præſtitiſſe gratiam; ſed & Dominum & Patronum meum non inhonorum reliquiſſe, qui me hactenus & vitâ ut poſſem, & ſcientiâ ut noſſem eum laudare, dignatus eſt. Vir plane multarum virtutum laudandus inſignibus; quem antiqua Philoſophia votis ſuis æquare non potuit. Denique minus fuit quod illa faciendum docuit, quàm quod iſte geſſit: Majorque ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides. Cujus viventis quæ fuerit in Deum devotio; teſtantur poſt obitum facta Miracula; quorum ut crederem veritati, exegerunt ipſa quæ vidi. Merentur enim de præſentibus fidem facta præterita; & confirmant antiquorum relationem ſigna recentia.

Produ-

Producatur in medium Ernulfus de Hesdinge; [l] turæ solertiâ mirus, ad munificè sullevandam pauperum inopiam, decimarum ita curiosus, ut si horreum non decimatum jam intaxatum esset, omnia ejici & incunctanter decimari juberet; expertus non semel eo sibi per divinam gratiam rusticos proventus augeri, quo studuisset nullam fraudem decimationis fieri. Hujus manus pessimo gravabantur morbo; adeò ut præter ulcera nigrâ sanie stillantia tremulo sinuamine jocarentur nervi. Nec ergo eas poterat ad aliquod officium ducere; nec quod dictu quoque pudendum sit, earum usu ciborum reliquias abstergere Sua ergo penuria cibabatur, sua verecundia diluebatur manu alienâ. Insumpsit quocirca consilium; ut Meldunum pergeret, experturus ibi tunc cujusdam Gregorii probatissimi Medici operam; qui cùm omnes artis machinas pro præcepto Abbatis Godefredi simul & favore hominis mercando incassum adhibuisset; tandem fatis reliquendum dixit morbum incurabilem: boni viri functus officio, ne infirmum inhiantem saluti frustra donis emungeret, pecuniis exinaniret. At verò Abbas aliquid de miraculis Sancti temptandum ratus, balsamum, quod in Sepulchro inventum fuerat, afferri & ei manus inungi imperat. Quàm speciosa res? Statim ut pretiosi liquoris gutta manum attigit; nervorum tremor riguit, fluida tabes exaruit; &, ne longum faciam, paucissimis post diebus totus convaluit. Satisque constat illustri viro per hoc miraculum devotionem accrevisse; adeo ut despecto affectu necessitudinum, desputo cumulo divitiarum, Hierosolymam desperato reditu profectus sit.

Inter religiosorum multitudinem ad festum [m] viventium, nebulonum quoque se immergit copia; qui facili compendio victum mercantur, dum excogitatis salibus audientium cachinnos eliciunt; quorum unus me puero illuc venerat, præter cæteros ludo mordente facetus, obscœnos quoque gestus imitari peritus, si quando verbis [n] minus agentibus destitueretur. Hic Beati scrinio foràs portato impudens, quod importunum etiam relatu est, contra stetit; primoque nudato inguine incestavit aera, tum deinde crepitu ventris emisso turbavit auras. Id quanquam fatuis risum imperâsset; Monachis tamen in immanem dolorem venit; Qui dolerent impune nebulonem garrire. Enimvero illis vindictam imprecantibus vicina non defuit auris Confessoris. Vix enim vestes demiserat; & ecce coram populo violento compressus dæmone, pœnas impudentiæ pendebat. Ita rotabatur in gyrum; ita spumabat in modum Suis, quem latratus Canum circumagit; ita crepitantibus frendebat molaribus: ut palàm fieret, quòd in illius ditionem transisset cujus instinctu tantum scelus incœptâsset. Quare à sociis pie violentis correptus ad manus vellet nollet domum tractus est. Ibi ad postem ligatus, dum aliquid quietius meditari putaretur; ex improviso erupit super convivas prandentes, mensam depulit, aliquos pugnis contudit, aliquos telis excerebravit, omnes effugavit; vasis, quæ apposita erant, pro armis usus. At verò socii, qui miserum non relinquendum putarent, in cuneum constrictum ad Sepulchrum pertrahunt. Ibi tribus vigilatis noctibus totidemque jejunatis diebus, Monachis supplicantibus & gemitibus suis alienam salutem mercantibus, sanatus est non solùm dæmone, sed quod præstantius dicas, [o] lecacitate, perpetuò post-hæc modestus & lenis: veruntamen oculis fellitis & minacibus, quorumque sanguineâ intortione nos pueros semper territaret, recordantes quòd ante sanitatem sedens ad Sepulchrum vultu intento in nos faciebat impetum, si aliud nequiret, immundum ejactans sputum.

Mulier apud Kiligeham nata nebat die Sabbati vespere jam in occiduum declivi. Ammonita à confidentibus, ut reverentiam Dominicæ diei habens ferias faceret, non solùm non paruit; sed etiam illas arrogantiæ notavit, quòd se necessariis inservientem arguerent; & stultæ segnitiei, quòd non idem facerent. Dictum secuta est pœna; continuóque in solum prostrata altera corporis

[l] *f.* naturæ.

[m] l. venientium.

[n] *f.* mimos.

[o] *l.* dicacitate, *vel* levitatê.

corporis parte permortua, minimum defuit quin exanimaretur. Sed ubi frequenti aquæ jactu spiritum resumpsit; agnovit culpam, deflevit ærumnam, oravit veniam. Veruntamen non sic facilè indulgentiam rapimus, ut reatum committimus; quia voluptas quidem avolat & transit, sed peccatum pertinacem radicem infigit. Quocirca fœmina baculis utroque latere sustentans gressus in vivo cadavere jam penè sepultos, multorum Sanctorum patrocinia annis perpluribus circuivit. Sed cùm, ut sibi videbatur, ubique laborem inanem trivisset; tandem auditis miraculis Beati Aldelmi, Meldunum contendit. Prævenit adventus ejus dies Quadragesimæ, quibus totis in Ecclesiâ commanens, nec usquam nisi semel in die progrediens, molem peccatorum attenuabat inediâ. Jam Paschalis lætitiæ favor mentes mortalium hilaraverat; jamque secundo die peregrinos agebamus. Cantabatur ille versus; quo Fulbertus Carnotensis Episcopus pulcherrimâ * disjunctâ Judæos convenerat; ut aut sepultum reddant Christum, aut resurgentem adorent. Cùm illa ante Crucifixum baculis innixa stans, gravi præter solitum ad terram ruinâ pavimentum allisit. Accurrere plerique, volentes prostratam erigere; quòd vererentur, ne casus importunus paralyticæ membra effregisset. Cæteri quibus sanius consilium erat, prohibuere; dicentes exitum rei Deo qui † prole dispensandum nosset, commendandum. Sursum ergo cordibus erectis intenti ora tenebant omnes: cùm illa scintillantibus oculis, micantibus digitis, omni corpore surrexit incolumis. Quæ miraculi certitudo civium, qui eam pro diuturnitate convictûs integrè nossent, in laudem Dei & Confessoris ora laxavit.

* *vid.* dilemmate

† *l.* prore

Calna est vicus Melduno ad X. milliaria proximus, territoriis Abbatiæ & vici collimitantibus. Hujus indigena vir, vocalis officii expers, eodem anno, si bene teneo, ad Festum venit, regioni ob insigne calamitatis notissimus, multisque probatus experimentis, quòd esset verè mutus. Siquidem Præses Provinciæ hominem tormentis plusquam semel adegerat; ut vi extorta confessio quod simulatum esset in veritatem efferret. Sæve quidem ille; sed severitatem exigebat quorundam miserorum simulatio, qui ad Dei & hominum ludibrium quemlibet effingunt morbum, ut hoc figmento emendicatis nummulis lacunam impleant ventris. Edebat ergo ille inter supplicia rugitus miserabiles; & spiritu contribulato, qualem Dominus diligit, finem ærumnarum optabat. Quamvis igitur linguâ inefficax, intellectu tamen perspicax, frequentiæ populari ad Festum festinanti se immiscuit. Et primò quidem ante majus altare soli videre datum Pontificem juxta basim Altaris spatiantem, conniventis vultus lætitiâ Monachos cantantes perstringere. Quod ille cernens, cæteris, quorum visus perspicuitatem moles peccatorum obruerat, digitorum nutu & immani oris rictu ostendere nitebatur. Sed cùm verborum effectus loqui volentem fraudaret; nec illi divini essent ut intelligerent: Sicut indignabundus in criptam, quæ tunc erat novi operis, se proripuit. Ibi cùm idem videret, magnoque conatu in sermonem gestiret; Monachus, qui aderat, aliquid divinum præsagiens, digitos brachii Beati Aldhelmi ori clamantis immersit. Tum verò ille pro Sanctorum digitorum reverentiâ longe reductis dentibus, productis ab imo suspiriis, ingenti nisu frustulentam offam carnis cum sanguine pariter ejecit & voce; *Domine Sancte Aldelme adjuva me.* Illa vox expedito ex tunc & deinceps sermoni fœlix dedit auspicium; aliquantosque postea duravit annos inoffensè locutus; nisi quod per angustum meatum faucium rauciori sono modulabatur Organum.

Ejusdem vici non indigena sed incola fœmina, lucis inops, postero anno in solemnitate Patris Aldhelmi lumen per duosdeviginti annos amissum recepit. Causam cæcitatis, quam nescio, nolo contexere; cavens loquacitate me legentium fidem fallere. Hoc constat; quia cùm ante Crucifixum staret, flavo crine in terga soluto spectabilis, sed tenebris oculorum deformis, crebris punctionibus

onibus orbes luce vidui cœpere moneri. Quibus mulier irritata, primo levi fricatione cruorem emisit; sed cùm majori pruritui atrociore unguium injuriâ satisfaceret, copiosiori profluente; unde postulata cruorem excepit concha. Ita expeditis obstaculis, concavitatem fenestrarum serenum illustravit luminis. Tunc affines veracissimi, qui adessent, homines & plausere miraculo, & usque nunc eam stipendiario sustentant commodo. Illa sanctioris halitûs professa velamen, nullo fraudatur visûs dispendio, nisi quantum provectior ætas accedit senio. Vivit ad hunc, quo ista scriptitamus, annum; qui est ab Incarnatione Domini Millesimus centesimus vicesimus quintus, à transitu sanctissimi Confessoris quadringentesimus decimus sextus, in regno Henrici regis XXV. falsariorum qui monetam corruperant per totam Angliam detruncatione notabilis, propter eandem perinde falsitatem, annonæ caritate & edaci fame, tum præterea indiscretâ vulgi clade infamis; eminentissimorum virorum mortibus funestus, præsertim Calixti Papæ, & quinti Henrici Imperatoris Alemanniæ; quibus nulli unquam præstantiores fuerant in officiis utrisque; tonitribus & fulminibus per omnes menses infestus, imbrium continuatione nullo penè intermisso die æstivis etiam mensibus pluvius & luteus.

F I N I S.

Ne vacua esset hæc pagina; placuit apponere Odonis Archiepiscopi Cantuariensis Epistolam; quam Wilfridi Archiepiscopi Eboracensis Vita à Fridegodo ipsius jussu metricè conscripta præmisit.

Incipit Epistola Sancti ODONIS Archiepiscopi Cantuariensis in Vitam Wilfredi Archiepiscopi, quam scripsit metrice.

ORthodoxæ fidei famulitio ancillatis, eisdemque Ecclesiastico antistantibus proposito quaquaversum orbis, tam instantibus quàmque futuris, Odo Dorobernicarum opilio ovillarum in Sanctæ humilitatis consortione collegium & in concessu inexhaustæ beatitudinis tripudium.

Sagax humanæ curiositatis industria dum jugiter aggeratim sibi provideat labilia, adeò plerumque protelatur philanthropiâ; ut intransmeabiles naturæ metas insolenter præteriens undecunque & jam inficiando conquirendum fore prærdinet. Etenim ex quo Paradisi terrestris primicola viperina minùs præsensit eludia, dilatoque mortis compendio debitâ molestè cœpit afflictari solertiâ, insopibili ferè mundialis enormitas grassatur parsimoniâ, unde & obstinatioris parcitatis silvescente propagine, fasque nefasque interdum non admodum discretè compaginat. Enimvero nobis [a] inenacuabili veritatis testudine galeatis congruit normalibus agenda rubricare methodiis, eatenus præcipuè; ut cœnulenti floccipendentes lucra commercii, propheticis concentibus studeamus aptari. Mihi autem dicentes, adhærere Deo bonum est. Qua in re ex diametro connectatur; non ei famulari non bonum est. Siquidem quorsùm hæ velint evadere minutiæ, hujusce miscello brachilexii contignabo. Innumeras Anglorum Imperium sustinuisse olim discordias, quibus & antiquorum vulnere domicilia patrum, & multa religiositatis unione fuscata, theorici cultûs absolvere seminia, neminem ejusdem prosapiei phisilegam nescire profiteor. [Igitur venerabilissimas Beati Confessoris Christi Wilfredi Reliquias indecenti sentinosæ voraginis situ marcidas, imo quod dictu quoque meticulosum est, Prælatorum horripilatione neglectas, cùm inde favente Deo scilicet [b] *&* loco Sepulchri ejus quidam transtulissent; reverenter excepi, atque intra ambitum Metropolitanæ, cui gratiâ Dei præsideo, Ecclesiæ collocavi.] Presertim cogente illo Evangelistæ testimonio, meo videlicet apologetico. [c] *Quia ubicunque fuerit corpus, congregabuntur & Aquilæ.* Itaque tantæ tamque Deo dignæ affinitatis delectatus vicinitate, & editiore eas enthecâ decusare, & excerptis de libro vitæ ejus flosculis, novo opere pretium duxi carmine venustare. Illud quoque astruendum in calice, ne qui me caperato gangit [d] suscendum supercilio * impidissimo Dei nutui absurdè nitatur refragari; dum fit in terrâ nihil sine causâ. Quando quidem imperitate vitat illud Comicum: *Auribus teneo lupum.* Porro acerbæ ternicositatis injectaque deperationis angelogias intrito universalitatis Epithemate & ambrosio dictionalitatis collemate indulcabo, ringens cum giganticidâ Domino. [e] *Ego in Domino speravi. Omnis sperans in Domino exultabit & lætabitur in misericordiâ ejus. Ego igitur exultabo & lætabor in misericordiâ ejus.*

[a] *f.* inenervabili.

[b] *a loco.* apud Mabillon Act. Benedictin. Sæc.V. p.283. ubi ista, quæ uncis inclusa sunt, reperiuntur.

[c] Mat. XXIV. 28.

[d] *f.* suscipiendum.

* *f.* limpidissimo.

[e] Psal. XXX. 7. &c.

Explicit Epistola metrice in Vitam Sancti Wilfredi Archiepiscopi.

GOSCELINI

GOSCELINI

Monachi S. Augustini Cantuariensis

HISTORIA MINOR

DE VITA

S. AUGUSTINI

Anglorum Apostoli.

Incipunt Capitula in Vitam Sancti Augustini Anglorum Apostoli.

Tabula in Vitam Sancti Augustini Anglorum Apostoli.

Expliciunt Capitula in Vitam Sancti Augustini Anglorum Apostoli.

Incipit

Incipit Præfatio Domini GOCELINI in Vitam Sancti Augustini Anglorum Apostoli.

OMnibus piis Ecclesiarum Angliæ Patribus, Quidam infimus Apostoli Augustini famulus salutis & obsecutionis devotum munus. Quæ [de] ipsius primi Anglorum institutoris Augustini Vitâ & signis Venerabilis Bedæ depromit Historia, quæque ab ipso prætermissa in aliis codicibus vetustis reperimus, fidelissimè nostro malleolo recudimus. Quæ etiam post ejus ad sæcula triumphum declarata ac descripta legimus, eadem probabili fide adjungimus. Quæ verò præsentialiter testibus populis oculis acta luce clariùs rutilant, suis radiis credentes illustrant, hæsitantes reverberant. Possemus & inspectorum & sanatorum pleraque retexere loca & nomina; nisi vetaret nausea. Super omnia Beati Gregorii candent testimonia; qui hunc scriptis declarat quàm plurima patrâsse signa. Hæc itaque quæ lectione vel visu novimus, alio libro diffusiùs exposuimus; quatenus insatiabilibus paternæ dilectionis filiis satisfaceremus. At hunc libellum paululum contraximus; ut inter divini & humani convivii solennia benignis & fraternis hospitibus obtemperemus. Simul etiam aliæ confratrum Ecclesiæ per hunc oceanum diffusæ, ad quas hæc contigerit pervenire, nativo gaudeant amore, tanquam sui prothoparentis filiæ. Veruntamen super hoc compendii propositum video crescente Helisei oleo superfluere vas meum. Oramus ergo omnes eruditissimos ac benignissimos doctores ac discipulos dominicæ scholæ; ut hæc tam lucidè comprobata, non solùm non renunciant credere, verùm etiam plenâ benevolentiâ paterni affectûs suscipere, jugique fide contra improbos studeant celebrare.

Explicit Præfatio Magistri Gocelini in Vitam Sancti Augustini Anglorum Apostoli.

Incipit

Incipit Libellus de Adventu Beatissimi Anglorum Apostoli Augustini Sociorumque ejus in Britanniam, & de ipsius Virtutibus.

CAPUT I.

Qualiter superato diabolo regna mundi Dominus suis distribuens ducibus, Augustino reservavit Angliam.

FOrtem Armatum, cujus atrium mundus, cujus firmamentum regna terrarum, cujus præda genus humanum, noster Armatus in nostrâ etiam infirmitate longè fortior congressus potentialiter, paratâ in se cruce, plagâ nunquam sanabili transfixit; & omnia opprobriorum tela ac jacula sibi injecta in illum retorsit, omnia ejus arma abstulit, ipsumque æterno carcere ac suppliciis mancipatum irrevocabiliter damnavit. Omnia spolia ipsius jure triumphata Apostolicis Ducibus suis distribuit; electosque Principes super gentes, nationes & regna constituit. Remansit Britannici Oceani orbis æquoreus, ab universali orbe circumcisus. Hunc ille Rex præpotentissimus Augustino fideli dispensatori suo quondam venturo reservavit; qui noctem verteret in diem, & novam ac veram post tenebras infunderet lucem. Pollebat jam Papa Gregorius humani generis splendor immensus; qui hunc divino instinctu segregaret in opus dominicum, ut quondam Petrus Barnaban & Saulum. Intenderat ipse hanc palmam præripere; sed respondit Dominus hoc privilegium Augustini esse. Nam pueros niveo candore nuper Romæ visos audiens Anglos vocari & Provinciales Deiros ac Regem terræ Alle nuncupari; Anglos, inquit, Angelis sociari, & Deiros de irâ Dei liberari, ac Dei laudem in terrâ Alleluia oportet decantari.

Qualiter Beatus Gregorius mittit Sanctum Augustinum cum aliis ad convertendam Angliam, territosque confortat.

CAP. II. Peractis itaque rebus, mittit Augustinum Dei scientiâ omnique virtute florentem, cum quadraginta electissimis comitibus, quos religiosos novit & promptos in divinis dogmatibus. Viam salutarem alacres accelerabant; & per aliquot dies longiùs processerant. Ecce autem ventosa fama à maligno adversario vulgi ore ventilata terruit [a] ad athletas Domini, quæ diceret gentem quam petebant cunctis mortalibus ferociorem esse, sanguinem humanum sitire, pati non posse Christianos vivere, nullo verò modo ab Idolis suis eos revocari nec ad Christum converti posse. Sic quondam discipulis Domini mare navigantibus ventus contrarius obstitit; donec increpatâ eorum modicâ fide, fluctus quos ipse calcaverat Dominus imperio sedaret. Mittunt itaque suppliciter Beato Gregorio Augustinum; quatenus eos permittat redire domum, nec tantum discrimen subire in vacuum. Sed à Gregorio secundùm nomen suum pervigili missâ epistolâ, quòd magnum laborem major gloria consequatur, & ut Augustino quem eis jam Abbatem ordinaverat, in omnibus obedirent: qui etiam Apostolica ferebat scripta ad Etherium Arelatensem Archipræsulem; quatenus his Dei legatis solaciaretur in necessitatibus; ita jam sunt corroborati, ut cum majori gaudio, quem ante vehementer expaverant, laborem percurrerent.

[a] dele.

CAP. III.

CAP. III. Interea multis signis per Augustinum divinitus collatis consolabantur plurimùm; ex quibus exempli gratiâ hoc inserimus unum, imo in uno trinum, omnibus ejus loci ubi factum est celeberrimum, atque etiam scriptis creditum. Jam illic chorus Sanctorum legens iter per Andegavensem Provinciam, subeunt villam Bay appellatam. Quas ruricularum turba indomita ut ignotos & exteros humili habitu ac pedestri incessu despectos risu & apporiâ afficiebat. Et viri quidem ad fœminarum vesaniam indemnes videbantur Illæ verò velut conjuratæ[adversùs]innocentes advenas totâ insultatione ferebantur. Jamque rure ejectos ut rabidæ canes ululatu,mugitu ac fremitu infectabantur. Proximam ulmum tunc astantem lassi viatores captantes ad requiescendum, inde etiam ludibrioso impetu exturbantur viraginum. At unam almi Ducis vestigia irreverentiùs astringentem ceu colubram cùm ille prætento baculo vellet repellere tanquam feram; illico baculus de manu ejus velut ab arcu sagitta excutitur, & per tria fere stadia evolans humi affigitur. Subsequitur Dux cum devoto choro quasi eò se vocante Domino. Augustinus baculum evellit, & cum baculo perpetuum aquæ fontem extrahit. Quo pariter à gravi siti relevati, æternas immolant gratias divinæ bonitati. Ibi suaviter fessos artus refoventes, noctem ipsam in Dei laudibus exegere. Quos pulsos hospitio residesque sub aere nudo semper miserans altissima benignitas operuit gloriâ pro tecto, fuso scilicet desuper splendore æthereo, qui solem vinceret fulgore novo; ne indutos arma lucis tenebrarum angeret obsidio. Pulchrè etiam columna lucis, quæ quondam præcedebat filios Israel ad terram repromissionis, super istos refulsit, qui de Ægypto juxta sui interpretationem tenebrosâ tot gentes eductas præcedente fidei luce Christo credentes inducerent in regnum claritatis æternæ. Annotavit autem Dux legationis nomen suum causamque itineris, scribens baculo in terrâ juxta fontem his litteris. "Hic hospitium habuit servus servorum Dei Augustinus; quem misit ad convertendos Anglos "Beatus Papa Gregorius.

Quomodo præter multa signa per Augustinum facta, baculus ejus evolavit, fons prorupit, splendor sanctos protexit.

CAP. IV. Ingruente jam aurorâ, arreptum iter maturant percurrere ad dominica lucra; agente forsitan divinâ sententiâ, ut qui vulgo collatam benedictionis gratiam in hospitibus Dominicis repulissent, jam non assequerentur cùm vellent. Jam die claro tota illuc vicinia accurrit, ubi à superno cardine usque in terram jubar solare super cives cœli adhuc peregrinos terræ videre plurimi radiare. Aspiciunt ibi etiam mirabilia Dei in Sanctis suis coruscare de terra; sicut noctu viderant radiantem columnam de arce supernâ. Stupent & novum fontem sibi perpetuâ ac dulci venâ scatere, & incomparabilis bonitatis advenas hæc beneficia sibi pro malefactis reddidisse. Discentes etiam ex literis nomen præclari Doctoris & tam salutiferam causam itineris, nubilosâ confusione reatum suum deplanxere, quòd Christi legationi & gentium saluti tam improbè restitère. Heu nos furiosos, dicebant, quòd tantorum [b] Anglorum non meruimus foveri benedictione, nec imbui dulcedine. Condidere itaque Ecclesiam in eodem loco unanimi devotione; & in honore ac nomine Sancti Augustini Christo dedicavere. Altare verò ubi ejus scripta legerant statuere; ut cujus non merebantur corporali gaudere præsentiâ, perpetuò eum præsentem haberent in ipsâ suâ Ecclesiâ. Ibi etiam præcordialis Pater per multa se poscentibus repræsentat beneficia, multa sanitatum exhibet miracula. Veruntamen ab hac Ecclesiâ perpetuo repudio omne arcetur genus fœminarum; ut omnibus Sanctorum injuriatoribus semper sint in exemplum.

Qualiter ipso absente ibidem in ejus nomine ab incolis condita est Ecclesia, in qua Sanctus multa exhibet beneficia, quam nulla intrat fœmina.

[b] l. Angelorum.

CAP. V. Quædam matrona dives cum cereo huc appetebat ingressum; & interminantibus omnibus urgebat propositum, dicens se non peccasse in Sanctum, sed velle se honorare eum: vix autem inconcessam metam attigerat; & subito ruptis intestinis expirat, forisque extracta mortua omnes credere docuit, quod nulli crediderat; & quæ omnes vincere suâ putavit præsumptione, omnibus palam interdixit talia nunquam præsumere. Habent tamen ibi fœminæ sua receptacula & sacraria, ubi orare, gratias Deo agere, vota sua reddere, divina mysteria audire, & Sacramenta salutaria possint percipere. Habent & Augustinum in omnibus necessitatibus suis benignum auditorem, precumque ac desideriorum justorum promptum executorem, præter inviolabilem Ecclesiæ suæ conditionem. Vehementer autem admirari solent Andegavenses advenæ, aliique hujus notitiæ; dum apud ipsius Augustini corporalem requiem aspiciant quaslibet fœminas usque ad ipsius tumbæ oscula accedere, & nullum unquam apud ipsos Ecclesiæ suæ limen posse attingere, nec de fonte potare. Quibus respondetur istas ad hunc ritè intrare, quæ eum recepere; illas vero jure repelli, quæ eum repudiavere.

Qualiter matrona ejusdem Ecclesiæ temptans introitum, morte prærepta est.

CAP. VI. Competit huic antiquo nuperrimum ejus ibi gestum subnectere Miraculum; quamquam morosiùs prosequamur ipsum Luciferum festinantem ad Anglicum Oceanum. Venerat pridem reverentissimus Andegavensium Præsul Doroberniam, gaudens ipsum antiquum suæ Patriæ hospitem revisere Augustinum. Qui audiens à fratribus Monasterii præscripta recitari miracula, optimè recognovit & testimonio fideli astipulando comprobavit; recentisque facti ejus apud se & apud ipsam Ecclesiam relator egregius ita narravit. Hanc sanè Ecclesiam in nostrâ præsentiâ ab amatrice tanti Patroni plebe solemniùs reædificatam ego in ipsius honore & nomine ut primitus nata est Domino proximè dedicavi. Adolescebant longè lateque in circuitu arvorum segetes & sata jam in spicas & aristas maturescentia. Inundantibus autem ad dedicationem populis, velut ipse effunderetur fluvius Ligeris, ita conculcatæ, attritæ & comminutæ sunt illius arvalis æquoris annonæ; ut non modò tam percussæ vel confractæ notarentur stipulæ, quàm passim exhaustæ vel scopatæ areæ: Adeó in hoc desiderabili congressu Augustinensis solennitatis nemo attendebat, quatenus vel suis vel alienis parceret damnis. Jam illius anni valefecere defunctæ spei & fructui, usque in alium Augustum irremediabili. Sperabant in Augustini largitate, sed in aliâ quàm quæ tunc excesserat benedictione. Verùm ex hac desperatione major admirationis ac fidei nata est lætitia; dum hæc tellus tam pessundata & conclamata omnes terras ipsius Provinciæ in messe supergrederetur & altitudine frugum & copiâ. Unde circa tantum advocatum suum Augustinum tanta omnium excrevit veneratio ac fidei devotio; ut credant eum ubivis gentium invocatum adesse, quicquid à Domino postulet optinere & dare posse. His de veteri & novo competenter expositis, jam oceanum occupantem Legatum Domini [c] prosequantur.

Qualiter in dedicatione Ecclesiæ ejusdem segetes desperabiliter conculcatæ uberiores cæteris extitere.

[c] l. prosequamur.

CAP. VII. Finito jam principali orbe gentium terrestri calle, Augustinus navigat in æquoreum orbem Britanniæ, & excipitur cum suprascripto numero Sociorum quaterdeno in opimam & prægrandem insulam Cantiæ Tanetum vocabulo. Hæc prima Christum in suis legatariis suscepisse meritò triumphat in benedictione. Fœlix tellus suâ fertilitate, sed fœlicissima tot Deiferorum ac civium supernorum primitivâ hospitalitate. Sic inquam dirigente Spiritu Domini ejus viam, Applicuit proximè quasi sub ipsam Regiæ Metropolis portam; ubi sedem habeat perpetuam & secus ipsam requiem sempiternam.

De perventu Beati Augustini in Britanniam.

CAP. VIII.

CAP. VIII. Ecce Beate Prothoparens regenerationis gentis Anglicæ, relinquens augustam parentem Romam, Angliam suscepisti filiam, quam sidereo Regi formosam enutrias sponsam. Jam post magnum orbem terræ intrasti hunc vastissimum oceani orbem alterum, serenâ facie pulcherrimum ac fœcundissimum, arvis, pratis, pascuis, fluviis, fretis uberrimum, montibus, campis, sylvis gratissimum, urbibus populosis ac transmarinis institorum negotiis festivissimum, gente candidâ rerumque opibus illustrissimum. Hoc scilicet tam ingens & præclarum Elisium jam olim tibi electo officiali suo omnium artifex præordinavit, qui à primordio mundum omni ornatu & decore perfectum edito homini possidendum exhibuit. Hæc gens facie formosa, sed idololatriæ fuligine denigrata, ut Moysi Ethiopissa, per te in Jordane abluta ascendet tota dealbata. Jam ad majorem Dei & coronæ tuæ gloriam, illâ novâ lucis columnâ, quæ priscum populum eduxit, in fide & cruce resurgentis Christi erectâ, tu educens gentium populum de Ægyptiacis tenebris infidelitatis & umbrâ mortis, introduces post Jesum Nave in terram repromissionis terram lactis & mellis. Tibi enim Evangelico Duci gratia contulit evangelii, quod negatum est legifero Moysi; quodque ille in Lege non potuit consequi, tu verò in Jesu tuo explere meruisti. Jam de spoliis vincti tyranni & de regno captivi prædonis facies Deo nostro regnum & populum acquisitionis Jam post cœleste regnum & laborum præmia hæc erit possessio tua, quæ per te Domino est acquisita. Et cujus fugisti temporalia commoda, jam [d] possidebitis hæreditaria lucra. Hic positus in antemurali turritam servabis speculam, unde universam jugiter tuearis tibi dicatam Patriam.

Apostropha ad ipsum Apostolum Angliæ de fœlicitate Apostolatus tam illustris Patriæ.

[d] l. possidebis.

CAP. IX. Præsidebat Dorobverniæ Æthelbertus, tertius Regum Anglorum, sed qui primus foret civis Angelorum. Uxor illi Christianissima nomine Berta, Regia puella Regiis Parentibus ex Franciis Regibus procreata, tali Sacramento erat conjuncta, quatinus in Christianitatis observantiâ nullâ infestaretur versutiâ. Hæc advenis Christi janua ad Regem erat pervia. Mandat ergo Regi prudens Augustinus per idoneos nuncios se de Româ suæ suorumque salutis gratiâ missos à Romano antistite Gregorio, si modo dignentur beatifico nuncio quem afferant acquiescere. Rex jubet tam præstabiles advenas in ipsâ [qua] recepti sunt insulâ suum adventum maturum operiri, eisque vitæ commoda plenè ministrari. Nec diu remoratus venit in Tanetum; Residensque sub divo, vanâ enim suspicione vetusti erroris augurabatur se intra domum aliqua incantatione posse seduci, forinsecus vero non posse in conspectu cœli, foris præbebat Sanctis audientiam sui. Absurde quippe nox timebat obscurari à luciferis Dei & filiis Diei.

Qualiter à Rege Pagano liberaliter excipiuntur.

CAP. X. Augustinus afflatus Spiritu Sancto, ingerens pacem & salutem Regi suisque omnibus & Regno, refert se suosque consortes missos ad ipsum, seque etiam ultroneâ benevolentiâ venisse; quatinus gaudium & gloriam ac Regnum annuncient æternum, ubi obaudientes suis dictis sempiternaliter vivant & exultent. Indicat omnium creatorem Deum, Dei filium omnipotentem, tantùm homines à se factos dilexisse; ut homo & filius hominis salvâ semper deitate dignaretur fieri, quatinus homines morte suâ redemptos faceret filios Dei. Cujus nativitati nova stella alluxit, cujus pedibus mare calcabile servivit, cujus passionis injuriâ sol radios suos abscondit, cujus sepulturæ & resurrectioni omnis terra contremuit & acquievit. Ipse est, inquit, Dominus Jesus Christus, ab exordio mundi ab omnibus Patriarchis & Prophetis Dei Filius prænunciatus, de Spiritu Sancto conceptus, de virgine natus, & innumeris signis Deus & homo ubique declaratus, jamque ab omnibus gentibus ut omnium Salvator creditus, cognitus ac susceptus. Hunc ergo suâ caritate nos stimulante,

Qualiter Augustinus nuncii sui causam exponens, Rex eos benigne recolligit, sed nec dum adquiescit.

mulante, qua pro nobis animam posuit, quaque vos in æterno regno suo habere socios totis visceribus desideramus, sicut ex uno homine omnes procreati sumus; hunc, inquam, Conditorem & Salvatorem omnium, in quem credentes salvi sitis, vobis annunciamus: quia sine ullâ ambiguitate promissa præmia provenient credentibus, & infinita supplicia contemnentibus. Ista & alia quamplurima Dominico Legato proloquente, & innumeris divinarum virtutum testimoniis vera comprobante, simulque Imaginem Sancti Redemptoris decorosè & aurosè in tabulâ depictam prælibante, quò discerent etiam alienigenæ ei gratias immolare; Rex admiratus laudat quidem & beatificat tanta promissa, simulque gratias reddit Sanctorum benevolentiæ, qui de tam longinquo venerint suæ salvationi consulere. At verò ex nativâ cæcitate lippientibus oculis impatiens tantæ lucis splendorem ferre, respondit se non posse veteres patrum suorum ritus, quos tota Anglia eotenus coluisset, exuere ac novis incertisque ceremoniis juvenescere. Veruntamen ipsos pro bonâ suâ industriâ se velle in suam civitatem Doroberniam amicâ civilitate suscipere, vitæque subsidiis sufficienter resovere; simul etiam quotquot possent ad suam sectam convertere, ultro se eis annuere.

Qualiter Augustinus cum sociis urbem Cantuariam cantando ingrediuntur.

CAP. XI. Sic ergo Dei dispensatione cor Regis illustrante, Augustinus cum pusillo grege Domini, quibus complacuit Patri gratiarum dare Regnum, cum canoris letaniis veniens Doroberniam, hanc Antiphonam gratanter inchoat, & cum omnibus dulci modulatione decantant. "Deprecamur te "Domine in omni misericordiâ tuâ; ut auferatur furor tuus & ira tua à civi"tate istâ & à domo sanctâ tuâ; quoniam peccavimus. Bene se tali confessione peccatoribus inferebant, quos Deo reconciliare & relaxare venerant. Tali devotione protodoctoribus & in fide Christi protopatribus Angliæ Metropolim suam cum triumphali crucis labore ingredientibus, [e] *Aperite portas, & ingrediatur gens justa, custodiens veritatem legationis suæ:* Vetus error abiit idololatriæ; ut hîc à modo servetur pax Christi & Ecclesiæ. Jam hic ruere videbantur muri Jericho ubi ædificentur muri Jerusalem. Ruunt scilicet non saxea mœnia, sed Dæmonum munitiones & saxea numina à Sanctorum terrore dissoluta, quæ cultores suos captivitate & obsidione damnaverant æternâ. Jam hîc Sponsus gloriæ urbem sibi novam Jerusalem per Archipolum Augustinum suosque complices artifices molitur; cujus fundamenta & muri ex auro mundo & omni lapide pretioso, cujus designatores Patriarchæ, cujus mensores Prophetæ, cujus ædificatores Apostolici Patres, cujus illustratores & politores gemmarii Martyres, cujus instructissimi [f] ditores Confessores, cujus pulchritudo in domibus eburneis Virgines, cujus ornamenta omne quod visu pulchrum est & theoricis oculis delectabile. In summitate & ambitu murorum jugis & pervigil stat custodia Angelorum. Hujus tam decorabilis urbis primus institutor assistitur Augustinus, ut sponsi præ filiis hominum speciosi amicus, & sponsæ gloriâ & honore coronatæ paranymphus. Hîc modò dum pro castris dominicis decertandum, & subactis rebellibus gentibus ad urbem erit triumphandum. Iste primicerius Consul, & dominici testamenti Angelus, perpetuum hæreditabit thronum; omniumque successorum, dum veniat Princeps pastorum & Pater filiorum, apicem referet primarium. Postquam autem terrenos labores mutaverit cœlesti coronâ; tunc uti nunc lucet, potentiùs regnabit in arce Syon, arce suâ splendidâ, quæ supra urbem turritum attollit verticem in aere, quæ tam principalis thesauri totque cum reconditorum principum gratiâ tota in excelsis fulget aurea; unde usque in diem regenerationis omnium suam protegat Jerusalem cum totâ Patriâ virtute & oratione perpetuâ.

[e] Isa. XXVI. 2, 3.

[f] l. Dictatores.

CAP. XII.

CAP. XII. Igitur novi armigeri Domini sedebant in civitate condendâ Christo; donec induerentur virtute ex alto & auxilio opportuno. Quis autem explicet hos nubigenas, scilicet ut nubes volantes, [g] Angelum viventes, flores eremi, Antonios & Macharios in urbe exhibentes, omnia mundi oblectamenta pulchra & suavia velut lætiferum vaporem non solùm fugientes, verùm etiam omnes auditores parturienti caritate & præcordiali parturitione ad infinita æternorum gaudiorum sæcula impellentes. Nil de mortalium opibus præter salvandas animas ambiebant; sola divina & superna inexplebiliter appetebant.

De Sanctâ prædicatorum conversatione [g] l. Angelos.

CAP. XIII. Lucet ab orientali plagâ Confessoris Christi Martini basilica, dimidio ferè stadio ab Ecclesiâ Domini Salvatoris remota, olim à Romanis Christianis condita, hodieque sacris officiis prædita. Nam per quadringentos circiter annos usque ad Maximum Imperatorem incoluerant Romani hæc climata, qui de Gratiano & Valentiniano Augustis civili bello triumphavit; quo abstractis militibus Britanniam robore exhausit. In ipsâ itaque Ecclesiâ sacratissimus Pontifex Letardus Christianissimæ Reginæ Bertæ sacras Missas & dominica officia assiduabat; qui illi à Regiâ Franciâ datus est comes & custos probatissimus in omni sanctâ observantiâ; ne qua dæmonici præstigii furia splendidissima fidei Christi in eâ offuscaret monilia. Utque maximis assimilemus minora, prævenerat hic Apostoli Augustini prædicamenta, ut Lucifer auroram, & aurora solem, illum videlicet solem, quem clariùs extulit Augustinus oceano tanquam sponsum procedentem de thalamo suo. Is quoque ut præcursor & janitor Christum ferentibus Legatis ultro aperuit. Cum hoc sane beato Præsule Letardo Dei famuli Augustinus suique socii addito magno salutis gaudio in omnibus dominicis mysteriis una erant Ecclesia & collatio unius spiritûs in unico Domino suo. Hi etiam novi velut suos prævios prosecuti, & tanquam aurum superductum argento, decorabant ipsos præcessores superveniendo. Sanctus verò Augustinus suique socii in omnibus sectatores magnâ signorum gratiâ præditi, omnes curabant vel sibi præsentatos vel à se visitatos debiles & ægrotos. Stupebant gentes à tanto virtutum fulmine exterritæ, ambigentes quid vehementiùs immirarentur, an terrigenas transeuntes in cœlites; an mortales immortalitatem animarum & corporum vitâ & prædicatione certissimâ astipulantes; an dilectionem, quæ fortis est ut mors, qua secum omnes trahere ad superna consortia æstuarent, qua etiam pro hostium quasi pro fratrum salute se traderent; an tandem quòd ipsa Sanctorum promissa tam conspicuis miraculorum coruscationibus ac testimoniis credibilia facta sint nimis. Dicebant diversi homines in Deos mutatos, aut inter homines humanâ specie conversari Deos. Nec ex toto fallebat rudis vulgi opinio, de suis adoptivis dicente Domino: [h] *Ego dixi, Dii estis & filii Excelsi omnes.* Crediderunt itaque in Christo plerique, [victâ] duritiâ tantæ novitatis admiratione.

Quomodo virtutibus & vitâ gentes Anglorum ad Christum attraherentur.

[h] Psal. LXXXI. 6.

CAP. XIV. Tantis etiam rerum fulgoribus Rex ipse pavore & oblectatione divinâ attonitus, Augustino jugi instantiâ persuadente, Ecclesiâ orante, Reginâ ut sacris litteris eruditâ permulcente, Sanctis Patribus gratificantibus opportunè vel importunè, ultro abdicatis feralibus inferorum numinibus, efficitur in Christo divinæ adoptionis filius. Jamque cunctis cœlorum virtutibus sullimiter congratulantibus, & populorum turmis ad tanta solennia concurrentibus, baptizat novum Constantinum Silvester novus. Ungitur Evangelicus David oleo lætitiæ, & intronizatur mansuetus solio misericordiæ. Coronatur Ecclesiasticus Salomon coronâ pacificâ in æquitate & sapientiâ. Præbet se de imperio servorum Dei famulum. Convertitur Princeps Ducum

in

in evangelicum parvulum; & dominator populorum socium profitetur pauperum. Gaudet Augustinus, & Ecclesia amplius, se habere adjutorem, quem ante timuissent persecutorem. Ille etiam [i] abjectos sibi Reges & Optimates cum populis suis Christo acquirit; suumque prius imperium [ma-]vult esse dilatando & propagando Christi regnum.

[i] l. subjectos.

CAP. XV. Primùm itaque Augustinum promptiorem ad omnium salutem quàm ad sui prælationem, ad Etherium Arelatis Archiepiscopum sibi suæque genti consecrandum Apostolum mittit; videlicet ut Deus voluit, & Beatus Papa Gregorius spiritu Dei prærogavit. Qui transfretato æquore, accepto Apostolatu à Domino & benedictione omnium gentium, primarium Anglicæ genti retulit Patriarchatum & Patriarchale patrocinium. Quem Deo amabilis Rex ut Angelum [k] testamentum Dei triumphali gaudio excipiens, utque pusillus Zachæus Dominum, [l] statim eum, suæ Metropolis Ecclesiasticum Præsidem, in quam primitus susceperat hospitem; nec tantum urbis sed & totius orbis sui speculativum prætendit custodem; Solium Regni in Pontificalem Cathedram, Aulam regiam Augustino reformante ac dedicante in Regificam Christi vertit Ecclesiam. Ad orientem verò in suburbano colle Regale & Apostolicum Petri & Pauli attollit Monasterium, tanquam urbis præsidium & munimentum; quod in arcem & speculam Regni exaltat bravium, quod pretiosissima jam cœli thesaurizat ornamenta, videlicet ipsius Augustini Sanctorumque successorum ejus Pontificum atque Regum splendidissima corpora, quæ in revelatione gloriæ magni Christi resilient in gloriâ. Tu quoque Rofensis Ierarchia Andreæ Apostoli titulo inclita & Dorobernensis eminentiæ dextra suffraganea; tuque ô Lundoniæ Pontificalis Prærogativa, magni Pauli gloriâ coronata, beatæ memoriæ Athelberto Regi nostro conditori atque Augustino institutori debetis in Domino æterna benedictionum præconia.

[k] l. testamentorum.

[l] l. statuit.

CAP. XVI. At novus Sacerdos Domini ardens tanta gaudia attentissimo Gregorio nunciare, in ipso reditu suo mittit Romam eximiæ Sanctitatis viros Laurentium, tunc Presbyterum, pòst sui sacri Primatûs Successorem primum, suique suburbani Monasterii primum Abbatem Petrum. Hi volucri animo ac studio sancto Papæ admissi, referunt gentem Anglorum cum Rege suo in Christi populum transisse & Regnum, Augustinum illis Pontificem consecratum; verum ad tam multam messem credentium paucas manus non sufficere operariorum. Proferunt & diversas novi præconis Augustini Interrogationes, quibus rudis populus certius erudiatur. Tunc præcellentissimus Apostolicus ineffabiliter exhilaratus, fusis Deo infinitis gratiarum sacrificiis, & orato Domino messis, ut mittat operarios in messem suam, exhaurit Monasteria sua & Ecclesias; & quicquid potest eruditorum ac religiosorum virorum in opus Evangelii efflagitare, toto mentis affectu unico Augustino & unicæ amatæ genti certat delegare. Huic Sancto contubernio [m] præponebant quatuor Ecclesiastici Proceres, ceu quatuor Evangelistæ, Mellitus, Justus, Paulinus, Rufinianus. Mellitus Abbas mellifluus tunc prælucebat splendidè choro Gregoriano. Mittit & Apostolicum Augustino Pallium, grande scilicet Christi & Ecclesiæ sacramentum, tanquam omnium virtutum indumentum; quod vinculum est dilectionis Dei & fratrum; ut Christi Vicarius sit medius conciliator Dei & hominum, & zonâ paternæ justitiæ circumcinctus Angelos & homines, terram confœderet & cœlum. Addit sacrosancta xenia, Apostolorum scilicet & Martyrum vivifica pignora, ac diversa quæ Ecclesiæ, quæ Sacerdotibus, quæ Altaribus ac dominicis Ministris conveniant ornamenta. Librorum quoque adjungit opimum convivium, & indeficiens ad vitæ Patriam viaticum. Mittit etiam præfatarum enodatas & explanatas Interrogationum Quæstiones; Quas in historiâ [n] Bedæ lector reperiet. Ex quibus unum hic videtur commemorandum;

[m] l. præpollebant.

[n] lib. 1. cap. 28.

dum; quòd diversi usus Ecclesiarum nequaquam faciant apud sanas mentes divortium, salvâ modò fide & observatione catholicâ; & sicut unius corporis diversa sunt membra, sic Regina sponsa Domini varietate circum amicta tam multimodâ quam multisariâ triumphat in gloriâ. Sic & una corona multicoloribus texitur floribus, & unum monile aureum variis gemmarum illustratur splendoribus, & diversis vocum discriminibus unum concentum reddimus.

CAP. XVII. Scribit etiam Augustino de suâ ditione, sic incipiens: "Reverentissimo ac Sanctissimo fratri Augustino Gregorius servus servorum "Dei. Cùm certum sit pro omnipotente Deo laborantibus ineffabilia æterni "Regni præmia reservari; nobis tamen eis necesse est honorum beneficia tri-"buere; ut in spiritualis operis studio ex remuneratione velint multipliciùs "insudare. Et quia nova Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam "eodem Domino largiente & te laborante perducta est; usum tibi Pallii in eâ "ad sola Missarum solennia agenda concedimus; ita ut per loca singula duo-"decim Episcopos ordines, qui tui subjaceant ditioni. Tua verò fraternitas "non solùm eos Episcopos quos ordinaverit, neque hos tantummodo qui per "Eboracensem Episcopum fuerunt ordinati, sed etiam omnes Britanniæ Sa-"cerdotes habeas Deo & Domino nostro Jesu Christo auctore subjectos; qua-"tenus ex linguâ & vitâ tuæ sanctitatis & recte credendi & bene vivendi for-"mam percipiant. Data die decimo Kalendarum Juliarum Anno nono de-"cimo Imperii Tiberii Mauritii Augusti.

CAP. XVIII. Jam longiùs digressos prædictorum sacrorum gerulos alia Gregorii prosequitur epistola; qua per Beatum Abbatem Mellitum mandat Augustino, "Ut fana quæ bene constructa sint, tantùm Idolis destructis in "Ecclesias & cultum veri Dei commutentur & consecrentur. Animalia quo-"que quæ solebant Dæmonibus immolare, jam non in cultum Diaboli, sed in "laudem Dei in esum suum occidant, & donatori de satietate suâ gratias a-"gant. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus in suo sacrificio animalia "immolare præcepit; ut vero Deo hæc non Idolis immolarent. Data die "quinto decimo Kalendarum Augusti, Anno Imperii Mauritii decimo "nono.

CAP. XIX. In tertiâ verò Epistolâ missâ Augustino, ex magno gaudio conversæ per eum gentis, in laudem Domini exclamat. Sic inchoat. "Glo-"ria in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis: quia gra-"num frumenti cadens in terrâ mortuum est, cujus morte vivimus, cujus in-"firmitate roboramur, cujus amore in Britanniâ fratres quærimus quos igno-"rabamus, cujus munere quos nescientes quærebamus invenimus. Quis au-"tem narrare sufficiat, quanta hîc lætitia in omni corde fidelium fuerit exor-"ta; quòd gens Anglorum operante omnipotentis Dei gratiâ & tuâ frater-"nitate laborante, expulsis errorum tenebris sanctæ fidei luce perfusa est; "quòd mente integerrimâ jam calcat Idola, quibus priùs vesano timore sub-"jacebat; quòd omnipotenti Deo puro corde substernitur. Deinde post pauca prosequitur. "Scio, frater charissime, quòd omnipotens Deus per "dilectionem tuam in gente, quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Hæc dicens incutit Dei signifero & gaudium & timorem; ut gaudeat Anglos per miracula ad Christum converti, timeat verò ne humana imbecillitas in aliorum profectu incipiat labi. Proponit illi summum amicum Domini Moysen in exemplum. Hic per tanta signa Ægypto percussa, aperto mari perduxit populum suum Israel siccis vestigiis, duce lucis Columnâ. "Jejunans qua-"draginta diebus & noctibus, tabulas Legis accepit inter choruscos & tonitrus

"per-

" pertimescente populo; solus etiam familiari collocutione Dei pasci meruit.
" De cœlo manna, item carnes ad satietatem nimiam administravit. Ad jussum
" Domini licèt diffidens larga fluenta de petrâ eduxit. Inde per triginta octo
" annos signis effulsit innumeris. In omni dubietatione Dominum consulens,
" Deo loquente docebatur. Illi resistentes terræ hiatus absorbuit. Victoriis
" hostes oppressit. Hunc ergo tantarum gratiarum executorem una diffiden-
" tiæ culpa, qua ad aquas Contradictionis ante præscriptos triginta octo annos
" deliquerat, & in tanto tempore inter tanta tamque benefica & amica Domi-
" ni colloquia recognitionem neglexerat, justa Dei sententia tandem à terrâ il-
" lâ repromissionis morte præripuit. Talibus monitis pervigil Gregorius Dei famulum jam olim in omni sanctitate fundatum altiùs in timore & fide solidare curavit. Quem tandem profitetur electum, qui etiam de multorum conversione gaudium conatur facere in cœlo. Et in hoc itaque cœli & Angelorum gaudio præmissas voces repetit, epistolam finiendo. " Gloria in excelsis Deo,
" & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.

CAP. XX. Regem nihilominus Æthelbertum post laudisona initia sic hortatur blandifluâ epistolâ. " Eam, inquit, gloriose fili, quam accepisti
" divinitus, gratiam sollicitâ mente custodi. Christianam fidem in populis
" tibi subditis extendere festina. Zelum rectitudinis tuæ in eorum conversione
" multiplica. Idolorum cultus insequere. Fanorum ædificia everte. Sub-
" ditorum mores in magnâ vitæ munditiâ exhortando, terrendo, corrigendo &
" boni operis exempla monstrando, ædifica; ut illum retributorem invenias
" in cœlo, cujus nomen atque cognitionem dilataveris in terrâ. Ipse enim ve-
" stræ gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddit, cujus vos honorem quæ-
" ritis & reservatis in gentibus. Sic enim Constantinus quondam piissimus
" Imperator Romanam rempublicam à perversis Idolorum cultibus revocans,
" omnipotenti Deo Domino nostro Jesu Christo secum subdidit; seque cum
" subditis populis totâ ad eum mente convertit. Unde factum est, ut anti-
" quorum Principum nomen suis vir ille laudibus vinceret; & tantò in opi-
" nione præcessores suos, quantò & in bono opere superaret. Et nunc itaque
" vestra Gloria cognitionem unius Dei Patris & Filii & Spiritûs Sancti Regi-
" bus ac populis sibimet subjectis festinet infundere; ut & antiquos gentis
" suæ Reges laudibus ac meritis transeat; & quantò in subjectis suis aliena
" peccata deterserit, tantò etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei
" terribile examen securior fiat. Reverendissimus autem frater noster Augu-
" stinus in Monasterii regulâ edoctus, sacræ Scripturæ scientiâ repletus, bonis
" auctore Deo operibus præditus, quæque vos admonet, libenter audite, de-
" votè peragite, studiosè in memoriam reservate; quia si vos eum quod pro
" omnipotente Deo loquitur auditis, idem Omnipotens Deus hunc pro vobis ex-
" orantem celeriùs exaudit. Et in fine Epistolæ. " Parva autem xenia trans-
" misi; quæ vobis parva non erunt, cùm à nobis ex Beati Petri Apostoli fu-
" erint benedictione suscepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam
" suam, quam cœpit, perficiat; atque vitam vestram & hîc & per multorum
" annorum curricula extendat; & post longa tempora in cœlestis vos Patriæ
" congregatione suscipiat.

CAP. XXI. Gloriosæ quoque Reginæ Bertæ scribit; unde hæc excerpsimus.
" Remeantes filius noster Laurentius Presbyter & Petrus Monachus, qualis
" erga Reverentissimum Fratrem & Coepiscopum nostrum Augustinum Glo-
" ria vestra extiterit, quantaque illi solatia vel qualem caritatem impenderit,
" retulerunt. Et omnipotentem Deum benediximus, qui conversionem gen-
" tis Anglorum mercedi vestræ dignatus est propitius reservare. Nam sicut
" per recordandæ memoriæ Helenam matrem piissimi Constantini Imperato-
" ris

" ris ad Christianam fidem corda Romanorum accendit. Ita & per gloriæ
" vestræ studium in Anglorum gente ejus misericordiam confidimus operari.
" Et quoniam prudentiæ vestræ bono, sicut revera Christianæ, & recta fide
" gloria vestra munita & litteris docta est; & Deo volente acceptum nunc
" tempus est; agite ut divinâ gratiâ cooperante cum augmento possitis quod
" neglectum est reparare. Ita mentem gloriosi conjugis vestri in dilectione
" Christianæ fidei adhortatione assiduâ roborate. Vestra illi sollicitudo aug-
" mentum in Deo amoris infundat, atque ita animos ejus etiam pro subjectæ
" sibi gentis plenissimâ conversione succendat; ut & magnum omnipotenti
" Deo devotionis vestræ studio sacrificium offeratis, & ea quæ de vobis narra-
" ta sunt & crescant & vestra esse modis omnibus approbentur. Quia bona vestra
" non solùm jam ad Romanos, qui pro vobis fortiùs oraverunt, sed etiam
" per diversa loca & usque ad Constantinopolim ad serenissimum Principem
" pervenerunt. Unde petimus, ut sicut nobis de Christianitatis vestræ sola-
" ciis lætitia facta est, ita quoque de perfectâ operatione vestrâ Angelis fiat
" gaudium in cœlis. Sic vos in adjutorium suprascripti reverentissimi fratris
" & Coepiscopi nostri & servorum Dei, quos illuc misimus, in conversione
" gentis vestræ devotè ac totis viribus exhibete; ut & hîc fœliciter cum glorio-
" so filio nostro conjuge vestro regnetis, & post longa annorum tempora fu-
" turæ quoque gaudia vitæ, quæ finem habere nesciunt, cum fructu æternæ
" mercedis capiatis. Data die decimo Kalendarum Juliarum, imperante
" Mauritio Tiberio anno nono decimo.

CAP. XXII. De his etiam quæ Francorum Episcopis scripsit idem Papa mellifluus Gregorius, hæc pauca excepimus. " Sicut ignis aurâ flante fit
" grandior; ita bonæ mentis studia commendatione proficiunt. Quia igitur
" Redemptoris nostri gratiâ cooperante tanta de Anglorum gente ad Christia-
" næ fidei gratiam multitudo convertitur; ut reverentissimus frater & Coe-
" piscopus noster Augustinus eos, qui secum sunt, ad hoc opus exequendum
" asserat non posse sufficere: aliquantos ad eum Monachos cum dilectissimis
" & communibus filiis Laurentio Presbytero & Mellito Abbate prævidimus
" transmittendos. Et ideo fraternitas vestra caritatem, quam decet, exhi-
" beat. Præterea quæ Regi Francorum Lothario de Sanctorum susceptione, quæ Reginæ Brunichildæ de ipsorum ubique fusis miraculis, gratificis scriptis suggesserit; in suis epistolis liquidè clarescit.

CAP. XXIII. Hæc itaque omnia Apostolicæ commendationis scripta Britanniæ Regem & Reginam cum summo Antistite suo Augustino non solùm divino gaudio repleverunt; verùm etiam ad cœlestia Regna appetenda vehementiùs accenderunt.

CAP. XXIV. Interea Augustinus ab Ecclesiastico ritu discrepantes Britonum Pontifices Regis adminiculo ad aliarum omnium Ecclesiarum communem observantiam humili prece & admonitione invitat. Cùm illi velut in acie non solùm repugnant, verùm etiam suos usus omnibus præeminentiores Sancti Papæ Eleutherii auctoritate pronunciant. Tandem signipotens Augustinus parat in aliquo debili curando veritatis argumentum. Assistitur cæcus Anglicus, Dei nimirum nutu oblatus; ne Britones sibi arrogarent signum, si quis de suis esset salvatus. Offertur ergo adversariis cæcus. Illis abnuentibus, Augustinus flexo genu fusâ prece signatis orbibus cæcis dominicâ cruce. " In
" nomine, inquit, Domini sic iste cæcus illuminetur; sicut nostra assertio sa-
" nior comprobatur. Cui protinus respondens claro testimonio clara oculorum illuminatio, dat certam fidem tanti signi splendore congaudenti populo, quàm vera sit Augustini assertio. Ipsi quoque Britones approbant, quod infi-

 ciari

ciari nequeunt. Attamen dilationem postulant, qua majores suos conveniant, datâ die qua Concilium repetant. Venere ergo septem Episcopi, à quodam Justo suæ partis viro ita edocti; ut si Augustinus mitis & humilis corde probaretur, tunc illi velut Domini nuncio & jugum Domini ferenti obedirent; si vero Episcopis, qui plures essent, non assurgeret, velut arrogans & contemptor ab his contemneretur. Tali mucrone quo perirent præcincti, Augustino sibi non assurgente, furiosi indignati ipsum & omnia ejus dicta repudiant; eóque ferocius rebellant, quò ille humiliùs & amabiliùs deprecatur, ut concordem Ecclesiarum normam sectentur. Hac sanè mansuetissimâ caritate & caritativâ mansuetudine erat discipulum Christi & famulum lucidiùs cognoscere, quàm [si] superbis assurgendo ipsorum videretur obstinatiam honorare & honorando approbare. Perversè ergo superbi humilem famulum Domini calumniabantur superbiæ insessione; cùm ipse Dominus qui dicit: [g] *Discite à me; quia mitis sum & humilis corde.* Sedens docuerit pauperes spiritu beatos esse; quod illi esse nequibant typo elationis suæ. Sed cùm adhuc præcordialis pater illorum salutis avidissimus oraret; ut saltem in his tribus universali Ecclesiæ jungerentur, Hoc est, baptizando, & Pascha Domini celebrando, atque unà secum Anglis Christum evangelizando; omnia prorsus abdicant, quin etiam omnem ejus ditionem à se exterminant. Quos ille prophetali increpans macherâ, "Ab illis, inquit, hostibus peribitis, quos fratres habere in reg-
" no Dei abhorretis; & ab his vitam perdetis, quibus effusam omnibus gratiam
" Christi invidetis.

[g] Matth. XI. 29.

CAP. XXV. Igitur post triumphalem hujus vatis assumptionem ad Dominum, Rex Anglorum Æthelfridus bellicosissimus Britones immanissimâ cæde penè delevit; captâ civitate Legionum, quam Angli Legacestram, Britones Karlegion appellant. Irruerat illuc inæstimata multitudo Sacerdotum & Monachorum, contra hostem oratura. Confluxerant etiam de Monasterio de Bangor plusquam duo millia Monachorum; quos omnes labor manuum alebat. Hos pariter oratione & triduanis jejuniis in hostem pugnantes hostilis gladius velut acriores adversarios exhausit. Ex his mille duceni, reliquis profligatis, extincti sunt. Cæsi autem populi non est numerus. Sic Augustinum contemptores vatem experti sunt veracem, quem supplicem abjecerant & minacem.

CAP. XXVI. Confessor itaque Domini à supra memoratis rebellibus tendens cum Sancto choro sociorum ad Eboracum civitatem, videt hominem secus viam accumbentem, paralysi, cæcitate atque egestate ter miserabilem. Audit hunc turbæ prætereuntis causam interrogantem, cognitumque famosi nomen Augustini inclamantem, opem & eleemosynam tanti Patris implorantem. Ad quem accedens æmulator dominici clavigeri: [q] *Argentum,* inquit, *& aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Domini Jesu Christi surge* & illuminare, præditusque salute & luce procede: nec jam indigeas gestatore vel duce. Hoc verbum Christi nomine, quasi ex ore Christi prolatum, subitò erexit paralyticum, illuminavit cæcum. Simul etiam is apertis oculis cordis suscepit baptismum, pariterque cum corporis officio animæ profectum.

[q] Act. III. 6.

CAP. XXVII. O virum Spiritu Dei plenum! cui ubi res divina poscebat, tam parata erant signa ad salvandum, quam verba ad docendum? Nam quis referat, quàm crebris miraculorum coruscationibus ubique emicuerit? Quantas fidelium turbas & in illo itinere & in finibus Eboraci, & in omnibus quò se vertit locis Deo lucratus sit? Quantum etiam aliis diebus ac temporibus perfecerit? Cùm in unâ Dominicæ nativitatis die, quam universa

Ange-

Angelorum gloria perpetuò concelebrat, pluſquam decem millia virorum præter innumerabilem multitudinem fœminarum ac parvulorum vitali baptiſmate regeneravit. Quæ verò Sacerdotum aliorumve ſacrorum Ordinum copia ad tantum populum abluendum ſufficeret? Benedicto itaque fluvio Anglice Swalwa nuncupato, jubet ſummus Pontifex per præcones & magiſtros omnes binos & binos confidenter ingredi, & in trino Deitatis nomine alterum ab altero viciſſim baptizari. Sicque omnes renati non minori miraculo, quàm quondam populus Iſrael diviſum mare, itemque Jordanum retro converſum tranſierat, in alteram ripam ſunt tranſpoſiti. In tam profundo gurgite, in tanto tamque diverſo ſexûs & ætatis examine nemo periit, nemo læditur. Magnum hoc erat Miraculum. Sed hoc magnum majori eminentiâ ſuperatur; cùm omnis debilitas & infirmitas in illo amne deponitur, omnis languidus & deformatus ſanus & reformatus egreditur. O feſtivum ſpeculum Angelorum & hominum; cùm tot millia candidatæ gentis ex unius fluminis alveo velut ex unius genitricis prodirent alvo, & de uno ſtagno tanta progenies in ſupernam civilitatem naſceretur Olympo. Hinc sereniſſimus Papa Gregorius * cum omnibus ſupernorum contuberniis erumpens in gaudia, non tulit hoc reticere Sancto Patriarchæ Alexandriæ Eulogio; ſcripſitque gratiſſimè congratulaturo de tanto exercitu in illâ unâ Natalis Domini die baptizato. Eccleſia autem in hujus Baptiſtæ Auguſtini perpetuâ memoriâ & nomine juxta prænominatum fluvium condita ac dedicata, præbens credentibus poſtulata, prædicti Papæ comprobat teſtimonia.

* Regiſt. l. 7. ep. 30.

CAP. XXVIII. Regreſſo ergo [r] Evangelio Domini ab Eboraco, homo horrendâ leprâ totus ulceroſus, orans à benefico Patre opem ſalutis, infusâ benedictione Apoſtolicæ dextræ cum ſignaculo ſalutiferæ crucis & nomine Dei majeſtatis, continuò ſenſit ſibi omnem dolorem velut à luce tenebras aufugiſſe, & quaſi exuto vetere homine fœditatis luridæ, novum hominem incolumitatis ſuæque formoſitatis ſolenniter ſe induiſſe. Nam dicente ipſo ſummo Trinitatis Confeſſore, *In nomine Chriſti mundare*: Hoc trino, videlicet benedictionis, crucis, & nominis Domini, medicamine æger reſtauratur plenâ ſoſpitate. Reſidunt turgidæ manus & digiti; facies & omnia membra ſuo decore & officio deducuntur. Jam clamosè eloquens lingua abicit [s] tarataram hactenus ſuppreſſæ vocis interpretem. In tantâ ſignorum gloriâ Chriſtiani in laudem Chriſti prorumpunt, Pagani ad fidem proficiunt.

[r] l. Evangelico.

[s] l. taratantaram.

CAP. XXIX. Hinc [t] divertentes dux verbi Domini, ſucceſſit tandem cuidam profanæ villulæ in Provinciâ quæ dicitur Dorſeta; ubi dæmoniaca plebicola Sanctos Dei omnibus opprobriis ac ludibriis dedecoravere; adeò ut (quod etiam referri injuria eſt) productas piſcium caudas ingererent. Unde indignatus ſpiritus Domini in hujus auctores ſceleris & in omnem progeniem illorum ſuum dedecus per os Auguſtini vatis perpetualiter ſententiavit; & pravis propriam ignominiam, Sanctis vero perennem gloriam refudit.

[t] l. divertens.

CAP. XXX. Erat & alia gens in orientali plagâ Angliæ ita in ſacrificiis dæmonum à gehennæ incendio inflammata; ut nuncios Chriſti cœleſtia regna promittentis non modò audire abhorrerent, verumetiam totâ mentis inſaniâ eos punire vel exterminare æſtuarent. Nil preces, nil blanditiæ valuere. Terrores ſuperni judicii vel inferni deridebant, prodigia & ſigna exſufflabant. Tam deſperabiles ac perditos fides & benignitas Auguſtini perire non pertulit. Reſiſtens ſupernæ iræ, orat Patrem miſericordiæ, ut ingratos clementiæ corrigat correptione. Itaque ab ardore profanitatis ſuæ ardent omnes inviſibili igne & ſulphureo torre; quam pœnam nunquam antea nec poſtea

ſenſerat hæc patria. Nemo evaſit, ubi nemo innocens: extitit ubique ejulatus, ululatus, vagitus ſenum, juvenum, lactentium, unà ardentium inhorrebat; ut & parentes in ſuis partubus cruciarentur. Convolant omnes ad Chriſti famuli Veſtigia, qui Chriſti repulerant mandata, juſto ſupplicio jam eruditi, quia in Chriſti baptiſmate per Auguſtinum poſſent à ſupplicio liberari. Sic ille lethifer ignis fœtidas carnes exedens, quem omnia fluenta non extinguerent, omnia medicamenta non expellerent, ſolo Domini fonte Auguſtini ope ab omnibus baptizatis extinctus & expulſus eſt, atque ab omni [v] Auguſtini climate perpetuo eliminatus.

[v] ſ. Angliæ.

CAP. XXXI. Ab illis autem, quos ſupra retulimus ſuo opprobrio ſententiatos, Auguſtinum ſuoſque beatos conſortes per quinque milliaria progreſſos & per deſerta atque inaquoſa loca vagabundos æſtus & ſitus ac laſſitudo premebat; quorum unum incommodum viatores gravare poterat. Verùm ille * qui ſedebat meridie ſuper fontem fatigatus ex itinere, motus ſervorum ſuorum labore & oratione, non dedignatus eſt viſibiliter ſuo charo ac fideli condeſcendere diſpenſatori, ſuoque dulci affatu hunc conſolari. "Conſtans eſto, " ait, & fiducialiter age ſerve mihi complacite; quia tecum ſum promptus " adjutor in omni neceſſitate ac tuâ bonâ voluntate. Pro quibuſcunque vo" lueris pete, ſciens me favere ſemper benignæ caritati tuæ. Tibi quippe a" pertum eſt oſtium regni mei; ubi intres in gaudium Domini tui. Hæc dicens Dominus cœlo receptus eſt. Tam dulci fonte ſaliente in vitam æternam ubertim potatus Auguſtinus neſcit ſitire fontem, quo ſitiat iterum, nec operari cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Una erat intentio tam deſiderabilem aſpectum lachrimis ſequi abeuntem, quibus purgatis oculis attingeret Angelorum lucem. Continuò flexis genibus adorans in loco, ubi ſteterunt pedes Domini, & quaſi ipſa Domini veſtigia exoſculans, Magdalenæ fletibus rigabat, æternamque in his dilectionem aromatizabat.

* Joan. IV. 6.

CAP. XXXII. Perpendens etiam hanc terram cœleſtis beneficii plenam inundatione ubi emicuit fons vitæ, baculum ipſi loco impreſſit; cum quo mox æſtuantem laticis puri ſcatebram elicuit; unde omnes Deo gratias libantes ad ſatietatem refecit. Qui in amnes & rivulos hactenus diffuſus, hæc loca priùs ſolitaria populoſiſſima præbuit. Ubi Theologus confeſſor Domini à cernendo Deum, quem ibi vidit, Cernhel loco nomen indidit. Quod ex Latino Hebræoque contextum in unum coaluit. Prima enim ſyllaba *Cern* viſum, Secunda *hel* declarat Deum. Ibi quoque Oratorium in perennem memoriam dominicæ viſionis molitus eſt in nomine Domini Salvatoris. Inde etiam Monaſterium in honorem principum Apoſtolorum Petri dedicatum Cernelium eſt appellatum; quod conſtat Monachorum choro decoratum. Illum autem fontem Auguſtini nomine conſecratum credentibus eſſe ſaluberrimum, hîc unum docebat Miraculum, teſte Provinciâ palam declaratum.

CAP. XXXIII. Notus eſt ſub Abbate Cerneſienſi Presbyter Parochianus, ſacra myſteria populo celebrare aſſolitus. Is languore detritus, vigilanter obſervabatur jam moriturus. Nox & ægritudo ſomnium ſuggeſſit defeſſo. Videt Auguſtinum aſſiſtere clementiſſimum, Pontificalibus redimiculis & præfulgidâ virgâ feſtivum. Ille trementem blando alloquio permulcens, jubet ægrum ſurgere, Auguſtini fontem adire, ibique trinâ iteratione Pſalmum quinquageſimum ore fideli revolvere; inter pſallendum verò ternâ intinctione corpus diluere; ſic ipſum vitâ donandum ac ſoſpitate. Et ne, inquit, [x] dubitans; hæc ipſum Auguſtinum tibi dicere noveris, ad cujus fontem dirigeris. Mirum dictu: protinus expergiſcens ſemimortuus, tanquam ſoſpes exurgit; inni-

[x] l. dubites.

innitensque baculo ad jussum lavacrum tendit. Putabant custodes hunc leti instantiâ sic oberrare. Sublegunt ejus vestigia, non resistendo, sed potiùs quò vel ad quid processerit explorando. Æger in fontis lavacro tertiò ingreditur; injunctum Psalmum tertiò modulatur: & ô celerem medicum suum! æger quasi de morte resuscitatus sospes domum regreditur. Quod ergo Heliseus exegit in † Leproso septeno lavacro, septiformis Domini spiritûs sacramento, hoc Augustinus compendiosiùs explevit in languido trino, videlicet vivificæ Trinitatis probamento. Jam verò quis exponere sufficiat tantam tamque jocundam omnium admirationem? Cùm manè Abbas & fratres cum frequenti populo audissent ipsum Sacerdotem Missas & Horas debitas astanti turbæ decantantem, cujus omnes expectabant internecionem. Ille exponens publicè per ordinem Augustinum recuperationis in Christo fuisse auctorem, omnes in amorem Dei excitat laudem Sanctique sui Augustini venerationem.

† 4 Reg. V.

CAP. XXXIV. Post perlustratam cum crebris virtutibus ex magna parte Britanniam, regresso Augustino ad perhennem habitationem suam Doroberniam undique occurritur à domestico populo, tanquam suæ pacis Angelo, & tanquam Soli ad ortum suum reducto. Ubi recolligitur à cunctis triumphali jubilo. Tunc confluente turbâ debilium ad tam salutis prodigium, intervenit juvenis tripliciter miserandus triplici nexu calamitatis obstrictus. Incurvis vestigiis genibus gradiebatur pro pedibus; dat mugitum pro vocibus. Signis deprecatur, signis interrogatur, signis poscenti respondetur. Audit Augustinum non loquentem, alloquitur non audientem, dirigit non ambulantem. Sic, inquam, triformiserum in trinæ deitatis nomine triplici donat salute. Reformatis gressibus erexit claudum, loquacem fecit mutum, surdo insudit auditum. De trimodâ angustiâ trimoda curato nascitur lætitia. Currit inoffensè, loquitur planè, audit claré. Sed mens hominis ventosa immemor pristinæ mulctæ & impatiens salutis redditæ, adeò in omnem defluxit vanitatem; ut suâ garrulitate & * inæquitudine inter sacra etiam officia Ecclesiam turbaret & plebem. Murmurabant omnes; quòd pernicior sibi esset sospitas concessa quàm prior pœna. Hinc indignante per Augustinum correptrice Domini clementiâ, pedes saltatorii & lingua procax & aures scurrilitatis amicæ prioribus vinculis arctiùs alligantur; donec placato Domino satisfactione, per Augustinum relaxarentur. Sic ille denuo triformi redditus corporis sanitati, majori etiam donatur sensatæ mentis incolumitati.

* f. inquietudine.

CAP. XXXV. Vitam & passionem pretiosi Pontificis & Martyris Livini legimus à Sanctis comitibus suis Forlano, Helia, Kyliano, fidelissimè suo scriptori expositam; de qua pauca hic inserimus ad Beati Augustini pertinentia gloriam. Commemoratur ibi Augustinum omnibus profectuosum, ad pium Regem Scotiæ Solomannum venisse; Livinum puerum ibi cum Sancto Menalchio Archipontifice baptizâsse, Regem & Reginam inter baptizandum hunc suscepisse; dextram auream fuso desuper jubare coruscâsse, & baptizatum dominicâ cruce cum hac voce ter consignasse: [y] *Dilectus Deo & hominibus; cujus memoria in benedictione est.* Hunc cùm adolesceret, & mundialis gloriæ nexus abrumpere æstuaret; Angelus palam salutans nomine, dicensque: *Ave frater Livine*: hortatur, ut ab Angliæ antistite Augustino præsidente Doroberinæ totius sanctitatis documenta pergeret accipere. Quem festinantem ad mare Angelus excipiens serenissimâ pulchritudine ac mellifluâ exhortatione cum prænominatis tribus sociis suis duxit præcedendo per longos tractus pelagi. Ibant tantâ oblectatione; ut putarent se non freta sed solidissima ac florentissima prata calcare. Gaudebant se quasi in monte transfigurati Domini splendidissimo deambulare, ubi Petrus cum condiscipulis optabat manere. Hâc nempe floridâ & amœnâ suavitate docebantur illum Doctorem

y Eccl. XLV. 1.

rem appetere, de cujus corde & ore haurirent nectar dilectionis paternæ & mel dulcedinis æternæ, de cujus nardifluo horto carperent aromata Vitæ, quo duce currerent per omnia floreta cœlestis philosophiæ & uberrimos campos theoricæ doctrinæ. Perductis jam Sanctis ad Cantia littora, dux Angelus cum luce splendidâ quo sequantur comites, redit ad æthera. Sic Beatus Livinus pervenit ad desideratissimum Augustinum; apud quem ita profecit per quinquennium; ut tanti Patris filiolus ab ipso donatus sacerdotalibus indumentis susciperet, adolescente quidem ævo sed animo grandævo, sacerdotium; sicque de discipulo magister gentis suæ consequeretur summum Pontificium & Martyrii bravium.

CAP. XXXVI. Ad inusitatas autem animi Livini virtutes, Deo in Sanctis operante, omnia exemplaria respondent antiqua, mare Petro calcabile, fons de rupe, oleum de saxo, aqua in vinum, stagna piscosa apud quosdam in arva frugifera, Helias in cœlum, Jonas in ceto, Abbacuc per aera, Daniel inter belluas,* Ezechiel sol retrogradus decem horis,&c. Domini magnalia sideribus [z] innumerabilia.

* l. Ezechias.

[z] l. innumerabiliora.

CAP XXXVII. Sequitur attestatio cujusdam veternosi; qui hactenus durans asserit avum suum Beatum Augustinum vidisse, & ipsum avum de lubrico ac nebulossimo Christianum modestum ab ejus baptisterio surrexisse; ipsum verò Sanctum innumerabilia jugi turbâ vallante signa patrasse. Referebat idem modernus superstes ab avo & patre relatam Sancti formam, personam patritiam, staturam proceram, ipsumque nudis pedibus Patriam lustrando callos in plantis attraxisse. Affirmabat enim eundem avum ex benedictione baptizatoris Augustini plurimum ultra centum annos vixisse, ipsamque longævitatis benedictionem in patrem suum descendisse, in se etiam centenarios progenitorum annos longè excrevisse.

CAP. XXXVIII. Jam æternis amoribus totus saucius Augustinus, jam à terrenis tumultibus in requiem Domini absorptus, vim faciebat cœlo crebris precum,suspiriorum & lachrimarum pulsibus. Tandem intelligens ex Spiritûs Sancti responso suum exauditum desiderium, Sacratissimum Laurentium, Apostolicis virtutibus præclarum, & inter sanctos comites præcipuum, Rege cum confluo populo immensùm congratulante, ordinat cum omni solenni gaudio sibi successorem; ut quondam Apostolorum Princeps Petrus Clementem,videlicet ob novellæ informationis necessitatem. Antea autem Mellitum consecraverat Lundoniæ Episcopum, justumque Rofensi [a] sibi suffraganeum; quorum Mellitus tertius, Justus in Archipræsulatum, sibi successit quartus.

[a] *f.* sedi.

CAP. XXXIX. Jam verò exhortato Rege & Ecclesiâ ac populo, ut perseverent in fide & amore Christi, relinquens omnibus perpetuæ dilectionis pignora; præsente ipso Rege cum Pontifice Laurentio inter omnium lachrimosa examina, vallante eum lætissimâ cœlestium choreâ, transiit VII. Kalend. Junii ad æterna Christi solennia. Quos infimi laudatores prosequamur non exequialibus planctibus, sed his triumphalibus cantibus. Regnas Augustine, Augustis sæculi nomine & dignitate sublimior; qui auxisti rem Christi publicam, & Romanæ Ecclesiæ adjecisti Britanniam, meliùs quàm Cæsar Augustus Romanis opibus Alexandriam. Te Reges & Principes & Senatus Anglorum & turba gentium comitatur in cœlum. Te Angeli & Archangeli triumphantem deducunt, Throni & Dominationes excipiunt; te coronat Rex Regum in æternum.

CAP. XL. In Monasterio verò Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quod condidit, à Sancto Laurentio, ipso Rege Æthelberto & patriâ confluente, dedicato, reconditur preciosissimum corpus ejus festivo cum jubilo. Ubi Romani atque alii successores sui, sicut uno animo, ita uno colliguntur thalamo.

CAP. XLI. Quàm pulchrè verò Ecclesiarum parens Roma tanta pignora edidit; quæ totius Britannici oceani patres & institutores emineant? Quanto odore suavitatis & splendore gloriæ unus amor & unum cubiculum simul confovet & astringit; qui si distinguerentur per diversas mundi nationes, singuli patroni singulis populis solariter prælucerent.

Explicit Vita Sancti Augustini Anglorum Apostoli secundum Magistrum Goscelinum.

Ne Paginæ nimis hiarent; visum est apponere Vitas Archiepiscoporum Cantuariensium post Bedæ tempora usque ad Bregwinum, cujus vita proximè sequitur; ex eodem Codice MS. versu scriptas ab Anonymo Poetâ; qui præcedentium Archiepiscoporum vitas uberiori stilo digesserat; sed nil de illis notatu dignum narravit, nisi quod ex Bedâ hauserit.

Vita THATHWYNI *Cantuariensis Archiepiscopi noni.*

ILli [*Brytwaldo*] succedit Thathwynus religiosus;
Vir circumspectus, dignus honore pari, &c.
Gregorius Papa mox tertius hæc [*consecrationem illius*] ita firmans
Insignivit eum munere gratuito. i. e. Pallio.
Tathwynus Pater hic sedit tantùm tribus annis,
Atque sepultus [erat] cum patribus reliquis, &c.

Vita S. NOTHELMI *Cantuar. Archiep. decimi.*

ELigitur Sedi mox Præsul Londoniensis
Nothelmus, cui tunc vita celebris erat.
Anglorum genti pater hic præclara lucerna
Præfulsit, qua gens splendidior micuit.
Sedi Metropolis hic Præsul præfuit annis
Quinque; sed ad claustra jussus adire poli,
Cum Patribus Sanctis prædictis hic sepelitur;
Qui parat infirmis protinus antidotum.
Ut cœli lumen valeamus cernere purum;
Vivere nos faciat, & sine labe mori. *Amen.*

Vita

Vita CUTHBERTI *Cantuar. Archiep. undecimi.*

COncrepet ut dignè Cuthberti gloria Sancti;
  Jam metra prolata multiplicet stilus hic.
Præsule sub tanto Sancto Dorobernia gaude,
  Quo tibi proveniunt gloria, perpes honor, &c.
Gloria perpes honor per te flectuuntur ab alto.
  Ecclesiæ Christi laus & honor sit ei.
Namque Sepultura datur Ecclesiæ nova Christi
  Per te, qua primus ipse sepultus eras.
Indolis ipse bonæ virtutes crevit ad altas.
  Creditur esse senex quo mage quámque puer.
Actus discretos sic nactus, Religiosum
  Se fore disposuit; quod petiit, meruit.
Pòst Herefordensi fœlici Sede vacante,
  Quintus hic eligitur Præsul ut esset ei.
Quam bene protexit, sed & hujus jura resovit;
  Fama quòd in regno jugiter inde volat.
Norma gregis, mitis, discretus, pacis amator.
  Auctor morum, vir Juris alumnus, honos.
Interea Sanctus Nothelmus ad atria lucis
  Vectus; & electus est vir hic eximius.
Sic Dorobernensis fit Præsul lator honoris,
  Doctrinæ Sacræ dans alimenta gregi.
Lugubris hic quæstus prodit suspiria plura.
  Namque Sepulturâ sic sua sponsa caret.
Corpora Pontificum, Regum simul inferiorum,
  Urbis ad extra tunc mœnia dantur humo.
Et vacans Ecclesia Christi præsens ab honore
  Tali, sub prisco tempore stante diu.
Consulit hic notos discretos quosque peritos;
  Quomodo mutaret dissona rite rata.
Est Romam tunc Archiepiscopus ille profectus;
  Ut causam Papæ veriùs excutiat.
Gregorius tertius apicem summumque regebat;
  Quem præconia, laus, nobilitant, decorant.
Censuit hanc causam nullâ ratione carentem;
  Confirmans & eam perpete jure suo.
Ecclesiæ Christi volo quòd sit libera firma
  Ipsa Sepultura tempore continuo.
Quisquis post mortem Præsul requiescit eâdem,
  In qua sumpsit onus sive jugum fidei.
Cuthbertus lætus tanto munimine fretus,
  Ad sponsam propriam denuo progreditur.
Inclitus Eadbertus Rex hæc præmissa libenter
  Approbat applaudens, & fore tuta jubet.
Occulit hæc Præsul, ne cognita publica fiant;
  Dum vixit, voluit agnita non fieri.
Nomine Baptistæ fundavit & ipse Capellam.
  Ecclesiæ muros hæc prope facta fuit.
In qua decrevit Præsul fore se sepeliri,
  Ac Successores quosque suos Pariter, &c.

OSBERNI

OSBERNI,

PRÆCENTORIS & SUBPRIORIS

Ecclesiæ Christi Cantuariensis

LIBRI

De Vitâ S. Bregwini Archiepiscopi Cantuariensis.

De Vitâ S. Odonis Archiepiscopi Cantuariensis.

De Vitâ S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis.

De Vitâ S. Elphegi Archiepiscopi Cantuariensis.

De Translatione S. Elphegi Archiepiscopi Cantuar.

VITA S. BREGWINI,

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS,

Authore (ut videtur)

OSBERNO.

Incipit Vita Sancti BREGWINI Archiepiſcopi Cantuarienſis & Confeſſoris.

FUit autem Beatus Bregwinus in matris utero à Deo electus; cujus parentes ex genere Saxonicâ nobili proſapiâ orti ſunt. Regnabat in Cantiâ vir ſtrenuus & nobilis Rex Wytheredus nomine, Deum in ſervis ſuis ſemper honorans. Ejus tempore Brythewaldus in Epiſcopatu Sancto Theodoro ſucceſſit, & digne in omnibus adminiſtravit. Hujus inſtinctu & exhortatione præfatus Rex in generali Concilio ſuo cunctas regni ſui Eccleſias ab omni dominatione & actione regum ſive cujuſlibet terrenæ poteſtatis liberas in perpetuum eſſe conſtituit. His diebus Sanctus Bregwinus in Saxoniâ natus eſt; & infantulos annos egreſſus, ſacris literis eruditur: & literarum gratiâ, quæ à tempore Theodori Archiepiſcopi in Anglia floruerant, nativo relicto ſolo in Angliam profectus eſt. Et mox cunctis carus & civis patriæ effectus, in ſanctis moribus & cœleſti ſapientiâ proficiebat: & relictis [a] tantùm ſeculi blandimentis, Chriſtum ſequi cupiens, Monachorum collegio ſe ſociavit.

Wythredus Rex Conſtituit eſſe in perpetuum cunctas Eccleſias regni ſui in generali Concilio ſuo poteſtate liberas ab omni dominatione & actione Regum cujuſlibet terrenæ.

[a] ſ. tandem.

Mortuo autem Brythewaldo ſucceſſit Thadwynus Monachus quatuor annis. Cui ſucceſſit Nothelmus quinque annis. Illis verò Anno Domini Septingenteſimo quadrageſimo ſecundo ſucceſſit Cuthbertus ex illuſtri proſapiâ ortus. Qui Eccleſiam in orientali parte majoris Eccleſiæ eidem pene contiguam in honore Beati Johannis Baptiſtæ fabricavit; ut & baptiſteria & examinationes Judiciorum pro diverſis cauſis ad correctionem ſcelerum inibi celebrarentur: Et Archiepiſcoporum corpora in ea ſepelirentur, ſublatâ de medio antiquâ conſuetudine, qua eatenus in Eccleſiâ Apoſtolorum Petri & Pauli corpora Anteceſſorum ſuorum tumulari ſolebant. Huic quinto decimo Archiepiſcopatûs ſui anno defuncto & in Eccleſiâ Sancti Johannis Baptiſtæ in oriente

Cuthbertus Archiepiſcopus fabricavit Eccleſiam in orientali parte majoris Eccleſiæ Chriſti, in honore Sancti Johannis Baptiſtæ, & in eadem celebrantur.

Baptiſteria: & examinationes judiciorum pro diverſis cauſis ad correctionem ſcelerum inibi celebrantur.

ſepulto Sanctus Bregwinus, licet multum renitens, ſucceſſit. Hic ſpeculum omnibus à Deo conſtitutus, ita in Sanctis operibus clarus effulſit; ut qui lucis ſemitâ volebat incedere, in ejus vitâ poſſit ſatis apertè videre. Tandem vero Archiepiſcopatûs ſui anno ſeptimo plenus operibus bonis & virtutum exemplis, cœleſtia conſcendit Kalendis Septembris; & in Eccleſiâ Sancti Johannis Baptiſtæ in oriente Eccleſiæ Salvatoris ſepelitur.

Sanctus Bregwinus obiit ſeptimo anno Archiepiſcopatus ſui, & ſepelitur in Eccleſia Chriſti in oriente in capellâ Sancti Johannis Baptiſtæ (1) poſt tumbam Sancti Thomæ. Iſte fuit primus qui erat ſepultus in Eccleſiâ Chriſti poſt Auguſtinum Anglorum Apoſtolum qui obtinuit privilegia Sepulturæ Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ.

Evolutis autem paucis annis, Dani audientes Anglos in omni penè genere hominum à priſtino ſtatu exorbitare, & divitiis ac voluptatibus magis ſolito operam dare; Cœperunt Dani cum tribus navibus illuc directis probare quidnam efficere poſſent. Qui cum proſperè egiſſent; claſſe paratâ Angliam aut ſemel aut bis, ſed veniendi viſum acceperunt. Nota bene. Quodam itaque tempore cùm in Cantiâ applicuiſſent; Cantuaritæ res ſuas ad Sancta loca tranſtulerunt. Quorum unus archam frumento repletam ſuper Sepulchrum Beati Bregwini Archiepiſcopi conſtituit. Planum ſiquidem Sepulchrum fuit, & paululùm à pavimento altiùs conſtructum. Sequenti verò die Homo longiùs archam à loco projectam reperit; ſeque minùs cautè illam collocâſſe exiſtimans, diligentiori curâ eam reſtituit. Alterâ autem die reverſus repperit archam à loco jam longiùs actam, frumento hinc inde per pavimentum latiſſimè ſparſo. Res acta per vicina loca inſonuit; & jam alio ordine Sepulchrum famuli Dei vulgus inviſere cœpit.

Nota. Dani applicuerunt Cantiam cum tribus navibus poſt mortem Sancti Bregwini.

Nota bene de Sepulchro Sancti Bregwini.

Nota Archam frumenti per pavimentum latiſſimè ſparſam.

Quidam ambulandi officio carens & manibus, ſcabellis innitens, genibuſque pro pedibus utens, crura ac pedes intortos poſt tergum miſerrimè trahens, ad tumbam Sancti Bregwyni venit; & ilico reparatis pedibus & extenſis omnibus membris integræ ſanitatis beneficium adeptus eſt.

Nota miraculum Sancti Bregwini de quodam carente manibus

Pueri quidam ſeveritatem Magiſtri timentes ad Tumbam Sancti Bregwini confugerunt, pietatis ejus auxilium & protectionem implorantes. Quos Magiſtri perquirentes & non invenientes, circa tumbam Sancti Bregwini, ubi proſtrati jacebant, ambulantes, non tamen illos videre aut illos eſſe quos quærebant advertere potuerunt. Sicque ſuâ ſeveritate fruſtrati; meritis Sancti Bregwini liberati ſunt pueri.

Nota Miraculum Sancti Bregwini de pueris timentibus ſeveritatem Magiſtri.

Quidam ex Clericis Stigandi Archiepiſcopi ſpiritu tumens, & ex divitiarum copiis, quibus affluebat, ſe inter ſocios non minimum æſtimans, quadam vice lectum ſibi ſuper locum quietis Sancti Bregwini Archiepiſcopi extruere juſſit. Alta enim de ſe ſapiens inæqualitate aliorum, humili loco jacere dedecus ſibi eſſe arbitrabatur. At cùm ſe ſopori dediſſet; excuſſus eſt cum lecto, & à loco projectus, utilique temeritatis ſuæ obſequio edoctus eſt ipſe & ſimiles ſui.

De quodam Clerico Stigandi Archiepiſcopi, qui quadam vice lectum ſibi ſuper locum quietis Sancti Bregwini juſſit extruere.

Poſt multum verò temporis Eccleſiam Cantuarienſem cum officinis, & Eccleſiam Sancti Johannis Baptiſtæ, quæ à Beato Cuthberto ædificata & dedicata

Vorax flamma conſumpſit totam veterem Eccleſiam Cantuarienſem cum Eccleſia Sancti Johannis Baptiſtæ poſt mortem Cuthberti Archiepiſcopi. Lanfrancus Archiepiſcopus reparavit novam Eccleſiam Chriſti Cantuarienſem; in qua impoſuit & reverenter collocavit corpora Sanctorum Archiepiſcoporum & ſub ſingulis Locellis decenter ordinavit in aquilonali parte ſuper magnum voltum, cum privilegiis Romanorum Pontificum & Regum & Principum Regni.

(1) Hinc patet Notas Marginales ab alienâ manu acceſſiſſe poſt annum 1170. Forte appoſitæ erant à Ricardo Stone Monacho Cantuarienſi; qui integrum Codicem, ex quo iſthæc omnia Osberni Opera deſcripſimus, exaravit paulò poſt annum 1500.

erat,

erat, vorax flamma conſumpſit; quæ poſtea Lanfrancus Archiepiſcopus reparavit; & Eccleſiam novam in qua Sanctorum Epiſcoporum corpora in aquilonari parte ſuper [b] voltum magnum & pulcherrimum impoſuit reverenter, & collocavit decenter; & ſub ſingulis locellis mirificè ordinavit. In illâ enim conflagratione, quanta dampna locus ipſe perpeſſus ſit nullus edicere poteſt. Scilicet in auro, in argento, in libris divinis & legibus. Inſuper & privilegia Romanorum Pontificum & Regum & Principum regni ex integro omnia conſummata ſunt.

His itaque diſpoſitis, unus ex fratribus Helias nomine in ſcamno ſedens coram Sepulchro Beati Bregwini poſteriora ſua irreverenter ad illud Sepulchrum beati viri vertit; & operi cuidam non multùm utili totus intendit. Et ecce exſpirato inter ſcapulas percuſſus, ab opere ſuo ceſſare invitus compellitur. Exterritus ergo erexit ſe; volens ſcire quis eum percuſſerat. Sed cùm neminem videret, recedit; & ut priùs ſuo malo labori operam dedit. Et ecce ſecundò in collo tam graviter percuſſus eſt; ut quod inter manus habebat, deorſum cadens amitteret; & ipſe celeri caſu terræ procumberet. Tunc ille intellexit ſe ipſum non dediſſe honorem Sancto Bregwino in loco ſacro, & quæ pertulit juſto Dei judicio ſibi accidiſſe. Idem etiam caſus alteri fratri Teutonico contigiſſe refertur.

Venit quidam Monachus de Teutonicâ Lambertus nomine, notus Reginæ, quam Henricus mortuâ uxore de Saxoniâ duxerat. Hic vir rogatu Reginæ cum fratribus Cantuariæ converſatus eſt; & quaſi Monachus loci illius reputatus eſt. Cùm autem de Beato Bregwino audiret; ſuccenſus eſt deſiderio habendi corpus Sancti Bregwini, & in terram ſuam illud corpus [c] transferendi intendebat. Verùm cum hoc ſibi difficile videretur; ſupplicatus eſt ſe per Reginam poſſe apud Regem Henricum efficere; Quatenus ipſe regiâ poteſtate vi à Monachis Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis extorqueret; ut Monachi ſibi corpus Sancti Bregwini concederent, quod quærebat. Super hoc negotio Reginæ locuturus, Lundoniam venit ille Lambertus; & ſubitâ infirmitate correptus, progredi ultra nequivit. Cantuariam quoque reportatus, citò defungitur, & inter mortuos fratres ſepelitur. Nocte [d] enim ſequenti aſtititit vir quidam ſtaturâ mediocris, perſonâ inſignis, habitu Monachus, facie ignotus. Et cuidam Fratri de congregatione hujus Eccleſiæ Chriſti Deum timenti dixit ei: Scis ne frater, ob quam cauſam Lambertus ille Saxonicus inopinatâ morte raptus ſit? Cui cùm ſe reſponderet neſcire. Scias, inquit, Quia eò quòd corpus Bregwini Archiepiſcopi de Sanctâ ſede ſuâ auferre propoſuit, ſibi quoque conatus eſt vendicare. Nec enim talis meriti fuit in oculis Dei; ut tanti Pontificis præſentiâ vel poſſeſſione debuerit jure potiri. Tranſlata ſunt [d] enim hac occaſione oſſa hujus Sancti Bregwini Archiepiſcopi, cum oſſibus Sancti Plegmundi Archiepiſcopi, in auſtralem hujus Eccleſiæ Chriſti partem; & ſupra Altare Beati Gregorii Papæ, in cujus nomine dedicatum eſt illud Altare, in Eccleſiâ Chriſti Cantuariæ decentiſſimè in duobus Scriniis collocantur. Sanctus Bregwinus Archiepiſcopus jacet ad dexteram illius Altaris, & Sanctus Plegmundus Archiepiſcopus ad ſiniſtram. In medio jacet Sancta Siburga virgo glorioſa.

Explicit Vita Sancti Patroni noſtri Bregwini hujus Sanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopi & Confeſſoris.

[b] *viz.* fornicem.

Nota miraculum de quodam fratre qui irreverenter poſteriora ſua ad Sepulchrum Beati Bregwini vertit in loco ſacro; & accidiſſe ſibi juſto Dei judicio vindictam.

Nota miraculum de quodam fratre Teutonico Lamberto nomine tempore Henrici Regis Angliæ.

Lambertus ſuccenſus eſt deſiderio habendi corpus Sancti Bregwini & in terram ſuam transferendi illud.

Lambertus ſupplicatus eſt Reginam pro corpore Sancti Bregwini Archiepiſcopi.

[c] l. transferre.

[d] l. autem.

Lambertus ſubitâ morte correptus, progredi ultra nequivit.

Cantuariam reportatus, & inter mortuos fratres ſepelitur.

Sanctus Bregwinus apparuit cuidam Monacho iſtius Eccleſiæ Chriſti, indicans ei de * opinatâ morte Lamberti.

Tranſlata ſunt corpora Sanctorum Archiepiſcoporum Bregwini & Plegmundi, & ſupra Altare Sancti Gregorii in uno ſcrinio collocantur.

* l. inopinatâ.

VITA

VITA ODONIS,

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS,

Auctore (ut videtur)

OSBERNO.

Incipit Vita Sancti ODONIS Cantuarienſis Archiepiſcopi & Confeſſoris.

VEnerabilis Chriſti Confeſſor Odo nobilibus, ſed Paganis parentibus oriundus, ſicut roſa è ſpinis floruit; vel quaſi precioſum de vilibus vaſculis aroma proceſſit. Nam ex impiâ illâ Senatorum multitudine fertur genus habuiſſe; quæ olim ſceleratiſſimum prædonem * Ingvarem comitata navali manu in regnum Anglorum eſt advecta. Hos ille nativitatis Principes ſortitus, & eorum accuratiſſimâ educatione pueriles annos tranſlatus, feſtinabat Chriſtianorum conventicula indeſinenter adire; divinos, qui ab illis dicebantur, ſermones magnâ animi oblectatione audire, domumque revertens quæ audierat parentum auribus ſedulò infundere. Super quibus bonorum ſtudiorum primordiis pater impius impiè irritatus eſt: prohibebat, ne omnino Chriſtum nominaret, neve paternas inſtitutiones Chriſtianæ religionis veneratione immutaret. Verùm ille prohibentis imperium penitus deſpiciens, magis ac magis Eccleſiæ limina terere, divini verbi intento animo ſemina percipere, & quæ cœperat abſque pavore domi nunciare. Hinc [a] interim pater ſuper humanum modum exaſperatus, graviſſimâ illum correptione affligit; juſque hæreditatis, quod ad illum lege primogenitorum venire debebat, ſubtrahit. Tum puer exultans in Domino, quòd talem pro ejus nomine proſcriptionem ſubiret in terrâ, propter quam aſcribendum ſe eſſe confideret in cœlo; dimiſſis parentibus & parentum divitiis, nudus & omni mundano decore privatus, aufugit.

[a] l. iterum.

Adito itaque duce quodam, nomine Athelmo, qui tempore Regis Alfredi & Chriſtianiſſimus & inter cæteros regni Anglorum unus de ſublimioribus erat,

* Ex Danis itaque originem traxit. Ingvar enim & Hubba Duces erant Expeditionis Danicæ omnium immaniſſimæ circa annum 870.

poſtulabat

postulabat illius se potentiâ & authoritate à parentum suorum furore defendi. Qui bonâ adolescentis indole gaudens, nec dignum aliquatenus esse judicans, ut tale decus Paganis ritibus sub patris imperio deserviret, paterno illum affectu suscepit, defensione munivit, auxiliis necessariis simul & non necessariis fovit. Deinde Græcâ & Latinâ linguâ magistris edocendum tradidit; quarum linguarum plerisque tunc temporis in gente Anglorum usus erat à discipulis beatæ memoriæ Theodori Archiepiscopi profectus. Factus quoque est in utraque linguâ valde gnarus; ita ut posset poemata fingere, prosam continuare, & omnino quicquid ei animo sederet luculentissimo sermone proferre.

Post hæc Sacramento Baptismatis renatus, Clericali tonsurâ decoratus, usque ad Subdiaconatus ministerium domini sui admonitione perductus est. In quo gradu per aliquot annos ita sanctitate Vitæ & prædicationis sinceritate pollebat; ut quicunque illum agnosceret, Spiritûs Sancti templum esse non dubitaret; omniumque testimonio dignus esset qui ad altiora Ecclesiæ Ministeria, licèt ætas ejus (quantum ad instituta Canonum spectat) hoc prohiberet, provehi deberet. Unde suasus à Domino suo, ut ad Sacerdotium se fineret transferri, quatinus ab illo divinum quotidie officium audiret, cujus vitam castissimam, manus verò munditiæ plenas agnovisset, ille objectâ immaturâ ætate quantum potuit obstitit. Postmodum verò ratione simul & antiquorum exemplorum authoritate victus, religioso desiderio cessit; Leviticam stolam humero circumdedit; parvo quoque tempore elapso summorum quoque mysteriorum sacrator accessit. Ex quo tempore tam ipse Dux quàm cæteri penè omnes regalis Palatii Principes in summâ eum veneratione habere, secreta malè actæ vitæ ei aperire, & de iis emendandis ejus consilio libenter credere.

Interea Dux Regi suggessit habere se desiderium [b] proficiendi Romam, & sanctis Apostolis ibidem supplicandi. Mox quoque regiâ licentiâ simul & munificentiâ donatus, adjuncto sibi venerabili Presbytero Odone, cum magno comitatu profectus est. Sed cùm itineris aliquantulum peregissent; acerbâ tactus infirmitate acriter cœpit ægrotare; adeò ut vix reciproci flatûs posset aëra spirare. Cúmque per sex continuos dies & languor augmentum & commeatus acciperet detrimentum; septimo jubet omnem turbam cœptâ viâ progredi, solo Odone secum retento; cujus ope in præsenti periculo maximè indigebat. Quem ad se relictis illis flebili voce clamatum orat; ut pro sui liberatione Domino preces effundat; referens se indubitanter credere, quòd nihil ei divina pietas denegaret, quem à puero in magnâ gratiâ acceptum haberet. Tum venerabilis Odo animo ad Deum erecto, toto corpore terræ procumbit; magnosque divinæ clementiæ singultuum imbres effundit. Surgensque de solo, postulat sibi repletam vino fialam deferri. Super quam invictæ crucis signaculum edens, humiliter vinum viro porrexit; atque ut in Domino per omnia confideret, fideliter admonuit. Bibit itaque homo quod erat in calice; & eodem momento cùm redderet phialam, redditam sibi omnimodam sentiebat medelam. Proinde curvatus ad genua Presbyteri, gratias refert; ascensoque equo præmissos comites volucer insequitur, quos celeri cursu viam tenentes sequenti die impigro & ipse volatu attingit. Viso autem illo, omnes præ gaudio lachrimas fundunt; sed præstitæ salutis authorem cognoscentes, ampliùs mirantur. Romuleam igitur ad Urbem usque progressi & inde ad patrios lares fœliciter reversi sunt; immensam tum Regi tum cæteris in Palatio degentibus in adventu suo lætitiam præstant.

[b] l. proficiscendi.

Post dies Duce ipso ac post Ducem præfato Rege de præsente vitâ sublato, Edwardus filius ejusdem Regis in Regnum successit; & illud pluribus annis prudentissimè rexit. In cujus diebus venerabilis Odo Presbyterii gradum officio simul ac vitæ sanctitate insignis administrabat. Regi notus & acceptus, ei & omnibus admirandus, ad omnes benignitate ac mansuetudine diffusus; omnium

nium moribus juxta Apostolum se contemperans, ut omnes Christo lucrifaceret. Ubi autem Rex Edwardus huic vitæ modum posuit; * Ethelstanus filius ejus regni habenas sortitus est. Vir verò admirabilis Odo vitam, ut diximus, virtutum per omnia agens, magnus ab omni populo habebatur. Nec enim civitas super montem posita, vel lucerna in candelabro lucens poterat abscondi. Hinc processit; ut Sanctitas ejus fama quotidie augmentando magnificata ad aures quoque eximii Regis Ethelstani mirâ cum laudis exaltatione perlata sit. Qui hominem ad se evocatum, & verè Dei famulum esse certissime agnitum, suis eum amicitis jungit, ac secretorum suorum præ cæteris conscium facit.

Inter hæc Sedes Episcopalis, quæ tunc temporis Sciereburnæ, nunc autem Sarisburiæ est, pastore viduata est. Sciens itaque Rex Odonis vitam Pontificatu omnino dignissimam, eum de suscipiendo Episcopatu interpellare, ac ut ovium Dei pastor Apostolicus loco defuncti fieri adquiesceret, magno cœpit studio renitentem obsecrare. Quid moror? Tandem Ecclesiæ ac regiis precibus victus, quod sibi nimiùm grave testabatur, Pontificale officium in præfatâ Scirebunensi Ecclesiâ Pontifex factus administrare consensit. Præsidebat his diebus loco, dignitate, authoritate & officio Ecclesiæ Cantuariensi vir bonus & strenuus Wlfelmus nomine; qui huic Regis, Cleri ac plebis electioni animo libenti consensum attribuens, eum pro suo jure in illam, ad quam electus erat, Pontificii dignitatem debito cum honore sacravit. Sacratus autem & insignibus sacerdotalibus sacerdotaliter infulatus, quàm gloriosum Deo habitaculum se præbuerit, quàm erga animarum sibi commissarum Sacra sollicitus fuerit; nescio utrùm aliquis dignè valeat loqui quantâcunque sagacitate præditus ingenii. Unde quid de illis simplicitas puræ mentis advertere possit, scribere nolo: tantùm operâ miserentis Dei, quæ in servis suis placitâ sibi simplicitate inhærentibus operari in beneplacito suo dignatur, eis consideranda propono.

Anno † inter hæc Dominicæ Incarnationis nongentesimo tricesimo octavo, Regni autem Ethelstani victoriosissimi Regis quarto decimo, congregatus est adversùs regnum Anglorum immensus exercitus Paganorum, prophanis legibus suis subjugando enervare & enervando volens annihilare sacratissimas, quas Angli servabant, Leges Christianorum. Quibus nominatus Princeps validâ armatorum manu stipatus occurrens, pugnæ se dedit; & diutissimè ac atrocissimè pugnatum est utrinque. Duxerat autem secum in aciem Rex Sanctum Odonem, ejus meritis se multò [c] maximè quàm militum copiis confidens hostem victurum. Dum igitur hinc inde strages gravissima fieret; & ærumnosa res luctuosa contigit. Quo etenim Rex ipse pugnabat, juxta capulum gladius confractus est, & Regem quasi inermem hostibus exposuit. Inter hæc Odo à pugnâ remotus longiusculè stabat, ore & corde pro salute Christiani exercitûs Christo supplicans, & vultum manus ac lumina cœlestibus pro hoc ipso indefessus extendens. Quid itaque Rex in tali eventu facere posset, fluctuabat. Ut se armaret, suorum quemquam exarmare nefas judicabat. Pars igitur adversariorum, ubi Regem fracto ense stare advertit, versis vultibus

[c] l. magis.

* Edwardus Rex obiit anno 927. qui successit Alfredo Patri anno 900. die 26. Octobris. Ante annum igitur 900. Odo Romam iter suscepit. Edwardo successit Ethelstanus. Obiit is anno 941. die 27. Octobr. Alias quidem periodos Malmesburiensis, Ethelwerdus, &c. exhibent. Istas tamen pro compertis habeo.

† Eodem anno pugnam istam commissam esse perhibent Chronologia Saxonica & Florentius Wigorniensis, in loco qui dicitur Brunanburgh.

in pugnam acriori cæde vindicare aggreditur. Tum subitò intonat [d] æthera clamore multitudinis ut Deus succurreret vociferantis. Advolat, & quidnam sibi velit Rex à se fieri, lassabundus interrogat. Audit, & statim Regi taliter inquit: Quid est hoc? Quò intendis? Ensis tuus in latere tuo integer pendet; & tu eum fractum esse conquereris. Redi ad te, ad vaginam manum extende, exere illum; & ecce dextera Domini erit tecum. Nec formides; quia non priùs continget solis occubitus, quàm adversarios Domini tui, qui contra te surrexerunt, involvat interitus. Ad hæc quique audientium grandi stupore attoniti, deflexis luminibus viderunt quem prius non viderant ensem in latere Regis pendentem. Quem Rex in Domino confortatus arripiens, dextrâ lævâque cunctos occursantes aut debilitavit aut fugavit, aut morti funditus tradidit. Itaque juxta verbum famuli Dei factum est. Quid huic gratiarum, quid laudum, quid votorum Deo, per fidelem servum suum Odonem, per Regem, per victorem exercitum, per totum regnum, quò magnitudo istius victoriæ perlata est, sit persolutum? Quis enarret? Magnificentia facti docebit audientes; quia non facilè quisquam. Gloriosus autem Odo magnæ dehinc admirationis apud omnes habitus est; & verè præclarus Israelita comprobatur.

[d] l. æther clamore *vel* æthera clamor.

Post paucos hujus insignis victoriæ annos, Ethelstanus Rex bono fine præsentem vitam finivit. Et frater ejus Edmundus locum decedentis Rex factus obtinuit. Hic germani sui vestigia in bono æmulans, bonos quosque summo studio diligebat; & eos sibi familiares effectos, in iis quæ Christianum Regem decebant, sincero ac libenti animo audiebat. Præclarè igitur inter alios Beatus Odo ejus familiaritate potitus est; & ab eo pura mente dilectus. His diebus Wlfelmus Pontifex Cantuariorum cunctis mortalibus debitum vitæ finem sortitus est. Ne itaque tanta [Sedes] plùs æquo pastore careret, Reverendum Odonem Rex convenit, suadens quatenus desolatæ Ecclesiæ per susceptionem super illam curæ pastoralis subveniret. Obstat ille, nec ullum suadenti præbet assensum. Dicit enim & indignum se tantâ re; & si dignitas aliquatenus aspiraret, tamen ne Pontifex Ecclesiâ suâ relictâ ad aliam migret, Canonum fatetur authoritate prohiberi. Contra quæ & notam omnibus probitatem illius Rex edisserit; & quòd beatus Apostolorum Princeps Petrus de Antiochiâ Romam translatus fuerit, multique alii juxta veterum monumenta librorum sedes suas ratione cognitâ mutaverint, luculento sermone proponit. Et adjecit. Hujus quoque rei exemplum penès nos idoneum satis & clarum habemus; viros videlicet Sanctos, Mellitum dico Antistitem Lundoniensem, & Justum Roffensem, Cantuariam simili ratione, qua te sedem mutare suademus, fuisse translatos. Victus in his Pontifex Sanctus, aliud suæ contradictionis argumentum ponit. Cùm primi, inquit, Patres ipsius Ecclesiæ, qui & Christianitatem regno Anglorum attulerunt, & omnes qui eis successerunt usque in præsens, Monachi, ut omnibus constat, extiterint: ego tam antiquam, tam Sanctam, tam Deo acceptam & tantorum Patrum authoritate roboratam consuetudinem mutarem, infringerem, annihilarem? Absit. Imo noverit tota Britannia, & quæ adjacent Insulæ omnes, me nullo unquam pacto consensurum, ut ipse in Clericali habitu constitutus per Pontificatum Ecclesiæ Cantuariensi præsideam, cui nullus antehac, qui Monachus non fuerit, scitur præsedisse. Attamen quia me, ut intelligi datur, non tu solus sed multi vocant, ut ibi Pontifex fiam; nec meum est illis reluctando penitus contradicere, ne eum qui in ipsis habitat Deum offendam; commendans conscientiam meam ab omni istius honoris ambitione vacuam Deo, Sanctum propositum Monachicæ Religionis, quod ab ineunte ætate desideravi, nec adipisci variis causis impedientibus merui, hac saltem, ut interim ita putetur, occasione assumam. Postmodum verò de Pontificatu, quo de agitis, ipse cui cuncta cordium secreta patescunt agat: & hunc in eo constituat, quem idoneum ad hoc sua sapientia probat.

 Hac

Quomodo Sanctus Odo habitum Monachi suscepit ab Abbate Floriacensi.

Hac viri sententiâ Rex non modicum exhilaratus, laudat sanctum propositum ejus, laudat constantem virtutem animi ejus, laudat admirandum & imitandum exemplum magnæ humilitatis ejus. Destinantur igitur post hæc sub celeritate nuncii ad Abbatem Cœnobii Sancti Benedicti Floriacensis, sanctæ religionis habitum ad opus Episcopi juxta præscriptum negocium exquisituri. Fama siquidem religiosissimæ conversationis, quæ apud Floriacum ipsis diebus quaque terrarum ferebatur omnimodo fervere, & è contra studium ejusdem religionis quod ob multiplices diversorum eventuum casus in Anglia usquequaque cœperat defervere, illuc mitti & inde cupitæ religionis effectum persuasit expleri: Quod & factum est. Abbas quippe loci illius audito nuncio lætissimus efficitur; assumptisque secum nonnullis è fratribus suis, prospero cursu mare transvectus, Angliam ingreditur; Antistitem Odonem Deo in cunctis placere studentem alacer adit; & ei quam desiderabat sancti propositi vestem devotissimè tradit. Spectabilis igitur Pontifex Odo Monachus habitu factus, quomodo jam olim monasticæ vitæ sacris fuerat [e] actus decoratus, quin jugum Domini super totam Angliam à Rege & Regno invitatus imo compulsus susciperet, factus Antistes Cantuariensis Ecclesiæ, recusare ultra non potuit.

[e] l. actibus.

Odo factus est Archiepiscopus Ecclesiæ Christi Cantuariæ.

Qualiter ergo suscepti regiminis officio usus sit, qui nosse desiderant, ex vitâ ejus, quæ & qualis ante sacerdotium & in sacerdotio fuerit, paucis supra digessimus, sicut æstimo, possunt advertere. Extitit enim & sanctitate laudabilis, & sapientiâ admirabilis, & constantiâ singularis.

Rex Edmundus fuit malitiosè interfectus. Edredus frater Edmundi unctus in Regem ab Odone. Sanctus Dunstanus Abbas Glastoniensis habebatur honorabilis omni populo.

Rege autem Edmundo in domo sua malitiosè interfecto, frater ejus Edredus imperii dignitate functus est, à glorioso Odone Cantuariorum summo Pontifice in Regem sacrâ est unctione perfusus. His diebus vir præcipuæ probitatis Dunstanus Glastoniensis Cœnobii dignissimus Abbas, magnus apud Regem & honorabilis omni populo habebatur. Beatus autem Odo moribus & ætate grandævus, religione & industriâ pollens, authoritate & modestiâ præstans, Christianis legibus totum regnum prudentissimè nobilitabat. Rex ipse Deum timens, bonos quosque speciali amoris dulcedine fovens, malos verò ne suâ tyrannide benè agentes conturbarent fortiter premens, boni principis mores & actus exequebatur.

De errore quorundam Clericorum de sacramento Altaris; & quomodo per Sanctum Odonem miraculosè ab illis depulsus est. Miraculum de pane confractionis Christi; & quomodo cœpit guttatim defluere.

Hoc † fermè tempore quidam Clerici maligno errore seducti asseverare conabantur, panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem in priori substantia permanere, & figuram tantummodo esse corporis & sanguinis Christi, non verum Christi Corpus & sanguinem. Quorum enormem perfidiam Beatus Odo destruere cupiens, dum quadam die in conspectu totius populi [sacrosanctis Missarum solenniis devotus] intenderet; expressis lachrimis Dei omnipotentis clementiam in suo ministerio affore postulavit; quæ ad depellendos hominum errores [f] substantiam divinorum mysteriorum declararet proprietatem. Cúmque ad confractionem vivifici panis ventum fuisset; O ineffabilem Dei miserationem, & præsentem æternæ majestatis ostentationem!

[f] substantivam

† Fraus facilè pellucet. Osbernus Lanfranci assecla fuit, arctissimis illi vinculis astrictus. Lanfranco maximè cordi erat; ut Ecclesiæ Anglicanæ Transsubstantiationis dogma antehac incognitum induceret. Ut rem itaque promoveret; Osbernus hanc fabulam Odonis Vitæ intexuit. Ipse enim Odo panis, & vini elementa in substantia naturali post consecrationem manere credidit; nisi verò ab universa Ecclesia Anglo-Saxonica diversa senserit. Ecclesiæ istius in hac re fidem abunde testantur Elfrici Sermones & Epistolæ; quæ publicâ authoritate receptæ & in Libros Pœnitentiales descriptæ sunt; Transsubstantiationem autem data opera acerrimè impugnant.

Confestim

Confestim namque inter manus Beati Pontificis fragmenta Corporis Christi tenentis sanguis guttatim defluere cœpit. Stans itaque Pontifex, & præ gaudio uberes lachrimas fundens, innuit astantibus ministris, ut illi potissimum proprius accedant, qui nuper in fidem titubaverant Vocati igitur celeriter assunt; atque in tantarum rerum consideratione perterrefacti, pœnitenti voce exclamant. O te inter omnes homines fœlicissimum hodie; Cui filius Dei semetipsum in carne dignatus est revelare! Et rursum; Exora, inquiunt, Præsulum Pater, exora Domini majestatem; ut in pristinam formam præsens sanguis commutetur; ne nos propter infidelitatis errorem Ultio divina sequatur. Oravit ergo Sacerdos. Post orationem ad Aram respexit; & ubi dimiserat sanguinem, consuetam vini reperit speciem. Sumptis autem cœlestibus sacramentis, lætantibus cunctis, qui tantis interfuere spectaculis, præcepit Pontifex pro testimonio tantæ virtutis omnes undecunque pauperes aggregaci & solenne convivium eisdem præparari. Ipse autem cum suis cum magnâ gratiarum actione lætitiam agebat; propterea quòd omnis error de Dominico corpore in pectore suorum abolitus fuisset; nec ultra panem in Altari positum, sed verum Christi corpus esse confiderent, qui verum Sanguinem inde manare conspexissent.

Sanctus Odo præ gaudio uberes lachrimas fundit.

Aliud quoque Miraculum reverà divinum in Ecclesiâ Christi, cui præerat, fecit; imo ipse non fecit, sed qui solus habet divinitatem, ipse fecit. Nam tectum ejusdem Ecclesiæ Christi nimiâ vetustate corruptum, semirutis per totum partibus pendebat. Quod ille renovare cupiens, murum quoque in porrectiorem celsitudinem exaltari desiderans, congregatis artificibus præcepit & quod dissolutum desuper eminebat penitus tolli, & quod minus in altitudine murus habebat jussit extolli. Sed quia Clerus ac populus absque divino servitio esse non valebat; & tantæ magnitudinis templum non reperiebatur, quæ ad capiendam numerosæ plebis multitudinem sufficere videretur; Deprecatus est Pontifex Dominum, ut quousque opus inceptum consummatum fuisset, nulla aut infusio imbrium aut vis ventorum infra parietes Ecclesiæ descenderet, quæ eos à divino opere prohibere valeret. Factumque est; ut in tribus annis, quibus Ecclesiæ muri in altum porrigebantur, tota fabrica desuper pateret, nec tamen non dico infra ambitum solius Ecclesiæ, sed nec intra muros totius civitatis imber aliquando descenderet, qui vel clerum in Ecclesiâ Christi consistentem ab officio præpediret, vel populum ad Ecclesiam concurrentem aliquatenus posset ab incæpto cohibere. Eratque res digna spectaculo; cùm videres omnia civitatis pomæria aquis infundi, & ejus mœnia nullâ pluviarum inundatione madefieri.

Miraculum Sancti Odonis in Ecclesiâ Christi Cantuariensis factum.

Non pluit annis tribus intra terminos Ecclesiæ Christi in renovatione Ecclesiæ per orationem Beati Patris nostri Odonis nec intra muros civitatis.

Cùm autem Rex Edredus transitoriam vitam vitâ perhenni permutasset; Edwyus filius supra memorati Regis Edmundi in regem electus est. Qui moribus & ætate iuvenculus, Juvenum quos sibi comites atque Satellites associaverat, mox cœpit consiliis uti, spretis senibus, quos vitâ, moribus & ætate magnâ præditos industriâ & authoritate constabat. Unde correptus à fortissimo milite Christi Odone, aliquantisper se temperabat; verens ne si illum omnimodis non audiret, Regiæ dignitatis benedictionem ultra votum suum sibi dare differret. At ubi eâdem benedictione potitus est; ilico quasi effrænis effectus, omnes cordis sui sequebatur affectus. Factus est igitur voluptatum magis quàm Dei, luxuriæ quàm sobrietatis, libidinum quàm castitatis amator. Ibat itaque juxta desideria cordis sui; & iniqua gerens à suis benedicebatur. Super hæc eâ die, qua regni coronam in conspectu totius Ecclesiæ in capite gessit, gravis infamiæ notam tantæ gloriæ & sibi ingessit. Cùm enim post Officium Ecclesiasticum unà cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, cæterisque Regni Principibus jam pransus sederet; subitò exiluit; & relicto consortio omnium, in secretiorem sese cameram contulit: Duarum fœminarum illic eum opperientium stupri ardore succensus, infandum consortium expetens.

Edredus Rex permutavit hujus transitoriam vitam. Edwynus Rex filius Edredi associaverat sibi consilia juvenum, & spernit consilia senum.

Edwyus Rex in die coronationis suæ luxuriosè se maculavit.

Quæ res confidentium mentes magni pudoris mœrore dejecit. Habito autem consilio inter eos, quid facto opus esset, missus est ab Archiepiscopo & Primoribus is, cujus superiùs mentio facta est, venerabilis Abbas Dunstanus Regem ab illicitis amplexibus abstrahere, & ad Regiam sedem inter Principes revocare. Quod & factum est. Quapropter Rex vehementi furore turbatus, Dunstanum cum suis omnibus spoliatum exilio damnavit, & extra Angliam trans mare fugavit.

Nota: Dunstanus Abbas mittitur ad impium Regem Edwyum. Edwyus Rex pro sua * mala damnavit in exilio Dunstanum Abbatem extra Angliam; quia extraxit eum ab illicitis. * *fortè* malitiâ.

Fecit & alia innumera mala; quæ quoniam aliàs latiùs, licèt non omnia, digesta sunt; Hic tantummodo paucis ea tetigisse sufficere ratus sum. Quæ miles Dei omnipotentis Odo æquanimiter ferre non valens, iniquitatum illius publicus hostis effectus est. Siquidem ubi eum nec admonitionibus suis nec obsecrationibus suis nec increpationibus suis adquiescere velle aut se corrigere vidit; Pontificali authoritate usus, unam de præscriptis mulieribus, quam & amplior potentia & obscœnior impudentia dehonestabat, & notiorem hominibus fecerat, quaque nimiùm contumeliosis amplexibus Rex frequentiùs abutebatur, missis militibus à Curiâ Regis, in qua mansitabat, violenter adduxit; & eam in facie deturpatam ac candenti ferro denotatam perpetuâ in Hiberniam exilii relegatione detrusit. Quæ tamen [h] cum nonnullum temporis intervallum jam obductâ in cicatricem corporis formâ, sed adhuc hiante impudicæ mentis deformitate, relictâ Hiberniâ, Angliam rediit, & Glocestram cæcati cordis obscuritate imbuta pervenit. Ubi ab hominibus servi Dei comprehensa, & ne meretricio more ulterius vaga discurreret, subnervata, post dies aliquot malâ morte præsenti vitæ sublata est. Erat quippe summus Pontifex Odo vir virtutum robore & grandævitatis maturitate ac constantiâ fultus, & omnium iniquitatum inflexibilis adversarius. Non hunc alicujus gaudii sæcularis illecebræ, non hominum minæ, non cujusvis damni perpessio poterat à rectitudine deterrere. Quapropter quia nec sperabat aliquid nec expavescebat; omnium impotentium iram exarmabat.

Sanctus Odo exulabat concubinam Regis Edwy in Hyberniam, & ipsam ferro candenti in facie maculavit. [h] l. post. Meretrix Edwy Regis revenit de Hyberniâ ad villam Glocestram; & ab hominibus servi Dei Odonis comprehensa, & malâ morte sublata est.

Edwyo autem Rege, si Rex nominandus est, qui nec se nec alios regere novit: Edwyo inquam Rege regno pro suis criminibus eliminato & miserâ morte damnato, Edgaro fratri ejus thronus Regius super totam Angliam confirmatus est. Hic omnes pene antecessores suos morum probitate præcedens, cunctas iniquitates, quæ diebus fratris sui emerserant, compressit, evertit & pro posse in nihilum egit. Præterea mox ubi regnum obtinuit, Reverendum Abbatem Dunstanum ab exilio revocavit, & eum in Episcopatum Wigorniensem promovit. Qui electus Pontifex, in gradum suscepti honoris consecrandus Cantuariam pro more advenit; seque ab ipsius Sedis Antistite Beato videlicet Odone sacrari expetiit. Annuit ipse libens. Verùm ut Sanctum Episcopum spiritu prophetiæ pollere indubium nulli veniret; Hominem, qui ad Wigorniorum Pontificatum promovendus advenerat, in Pontificem Cantuariorum Sancti Spiritûs operatione promovit. Super quo à circumstantibus cur sic ageret, inquisitus. Scio, inquit, filii, scio quid operetur in me Deus. Hunc quidem Wigorniensis Provincia me vivente pastorem habebit; Sed tota Britannia eodem me defuncto rectore gaudebit. Quæ prophetia quam vera extiterit, Ecclesia Dei, quæ ejus regimine, sicut prædixit Episcopus Sanctus, diu postmodum gloriata est, & usque hodie sacratissimâ illius intercessione munitur, optimè novit.

Rex Edwyus miserâ morte obiit. Nota: Edgarus frater ejus vir bonus confirmatus est in throno Regio. Edgarus Rex revocavit Dunstanum Abbatem ab exilio, & in Episcopatum Wigorniensem promovit, & Beato Odone consecrante eum, sed verbis quæ super Archiepiscopum proferrentur eidem.

Verba consecrationis Sancti Odonis Archiepiscopi super Dunstanum Wigorniensem Episcopum. Nota: De Prophetiâ Sancti Odonis de regimine Ecclesiæ Dei.

Talibus

Talibus igitur bonorum gratiis spectabilis vir Odo à Domino sullimatus, nequaquam [se] propter merita operum suorum extulit; sed semper ad meliora proficere studuit: quæ retro sunt oblitus, & in ea quæ ante sunt extensus, sequebatur ad palmam supernæ vocationis Dei; populumque sibi commissum more segetum feracium cœlesti doctrinâ quasi pluviali gratiâ quotidie irrigavit; quousque animam illius Rex in cubiculum suum introduceret, & torrente voluptatis suæ inebriaret. Raptum igitur ex hoc sæculo luculentissimum si[...]us urbis Cantuariæ Odo gaudentibus Angelis sedem petiit supernæ ac gloriosissimæ civitatis; ubi sempiternâ exultatione lætatur, & Christi faciem ineffabilis suavitatis dulcedine contemplatur: securus jam de præmio sui, atque de filiorum suorum salute sollicitus. Obiit autem præsentibus universis Ecclesiæ Christi filiis; quibus etiam flentibus promittebat, quòd bonum illis pastorem post obitum suum Dominus esset provisurus.

De obitu Sancti Patris Odonis ex hoc sæculo, transituri cum Angelis ad cœlestem civitatem

Post cujus transitum obtinuit locum sui sacerdotii Alfsinus Wentanus Episcopus cognomento Lippe, datâ pecuniâ Principibus, qui primi erant in palatio Regis * Edgari. Nam & ante Odonem magnâ ad rapiendum sacerdotium cupidine agebatur; sed bonorum constantiâ Episcoporum impediebatur. Unde cùm die adventûs sui Cantuariam solenni processione susceptus fuisset; accessit ad Sepulchrum viri Dei Odonis; stans quoque super illud, ita furialibus verbis defuncto exprobravit, dicens: Inepte, ecce tu mortuus es, & sub tellure putridus jaces. Et ego, cùm voluero, de te potenter triumphabo. Te vivente summus Anglorum Pontifex esse nequivi: te obeunte id ipsum factus sum, juxta [quod] olim esse concupivi. Et inde, male ac decrepite senex, nullas gratias habeas; quia si ultra vivere potuisses, nec mihi nec ulli vel participium tui honoris concedere voluisses. Ita ille palam in præsentiâ eorum, qui aderant, dixit; & baculo tumbam Sancti Odonis percutiens, stulto furore, quo tenebatur, accensus, inde recessit. Sed eâdem nocte, dum mortalibus concessa requies esset, apparuit Beatus Odo Ecclesiæ Salvatoris † digno Custodi, vultum lacteum habens, Vestimentum verò rosei coloris: Ita virum alloquens: Dormis, an vigilas? Dormivi, inquit ille, senior venerande. Sed ecce vigilo, te loquente. At ille, vade, ait, ad electum, sed non à Deo, Episcopum Alfsinum; & hanc illi legationem ex meo nomine defer. Hæc mandat tibi servus Christi Odo. Non sum mortuus, sed vivo Regi meo omnipotenti Deo. Atque ut hoc certissime experiaris; Noveris, quia ut tu causâ mei adhuc in carne viventis non evaluisti ad Archiepiscopatum Cantuariensem pervenire; ita per me in cœlesti nunc regno viventem invasum honorem in proximo perdes. Audi ergo, quæ dico. Quoniam hesterno die verbis mihi derisoriis exprobrâsti, baculo tuo Sepulchrum meum percussisti; prædico tibi, quia mare transfretabis, Alpes ascendes; sed nequaquam pallium Patriarchatûs Sanctæ Dorobernensis

Nota benè quod Alfsinus Wentanus Episcopus cognomento Lippe, datâ pecuniâ principibus, obtinuit Archiepiscoparum.

Alfsinus susceptus, ad sepulchrum Sancti viri Dei Odonis accessit exprobrans & maledicens.

Alfsinus triumphans & exprobrans & maledicens Sanctum virum Dei Odonem.

Alfsinus indignanter percutiens tumbam Sancti Odonis, & inde recessit.

Beatus Odo apparuit custodi Ecclesiæ Salvatoris vultum lacteum habens.

Sanctus Odo prædixit Alfsino; quòd mare transfretaret, Alpes ascendens, nec Pallium Patriarchatûs Ecclesiæ Dorobernensis obtineret.

Nota: Secundâ vice Sanctus Odo apparuit eidem.

Nota: Item tertiâ vice Sanctus Odo apparuit eidem, increpans & monens eum acriter.

---

* Erravit Osbernus & hic & paulò superiús. Non enim Edwius obiit, statim atque eliminatus est regno ab Edgaro fratre; sed integro biennio superfuit, & Australem regni partem tenuit. Neque Elfsinus & Brithelmus Sedi Cantuariensi ab Edgaro, sed ab Edwino Rege præfecti sunt. Cantuaria enim in Edgari ditione non erat, nondum defuncto Edwio; erant autem Wigornia & Londonia, quippe ab Aquilonari Parte Thamesis fluvii (qui limes erat regnorum) sitæ; ut istis Sedibus Antistitem dare penès Edgarum fuerit; qui proinde Dunstanum utrique præfecit.

† Refert Malmsburiensis Odonem non Custodi Ecclesiæ sed ipsi Elfsino apparuisse. lib. 6. 1. de gest. Pontif. f. 114.

Ecclesiæ

Ecclesiæ optinebis; nec unquam in Apostolicâ ejus sede sedebis. Ille autem, qui hæc viderat, timens Episcopi sævitiam, dissimulabat ista nunciare. Sequenti nocte apparuit ei iterum Sanctus Dei Odo, quæ ante dixerat, dicens. Sed nec tunc, quæ audierat, homo nunciare audebat. Item tertiâ nocte adveniens Vir Dei Odo, Pontificali dignitate redimitus, increpavit præfati hominis socordiam, dicens: Si vitæ tuæ prosperitatem gnarus retinere desideras; moneo, ne quod à me tam jam secundò audisti, Episcopo tuo revelare dissimules. Nam si feceris; in pœnâ tuâ te non benè fecisse probabis Tum ille experrectus & admodum perterritus, manè facto perrexit ad Episcopum: incurvatusque toto corpore ante illum, ait: Venit ad me, Pater Honorande, speciosus ut Angelus Dei gloriosus, Odo predecessor tuus: qui hæc tibi præcepit denunciari. Quoniam, inquit, mihi die nudiustertio verbis allusoriis exprobrâsti, baculo tuo Sepulchrum meum percussisti; prædico tibi, quia mare transfretabis, Alpes ascendes; sed nequaquam pallium Patriarchatûs Dorobernensis Ecclesiæ obtinebis, nec unquam in Apostolicâ ejus sede sedebis. Quibus dictis dimisit à se Episcopus relatorem visionis, parvipendens ea quæ audierat verba ineptæ, ut dicebat, comminationis. Sed evolutis aliquantis diebus, omnia evenerunt, quæ à Sancto Dei prædicta fuerunt. Mari namque propter Pallium deferendum transito, itinere aliquandiu prosperè decurso, mox ut montana conscendit, nimio frigore resolutus, equos, qui in ejus comitatu erant, necari præcepit, pedesque suos eorum ventribus immisit; existimans nimietatem frigoris tali posse remedio propelli. Sed non cessante, qui illum cruciabat, divino furore, Domini majestatem impius blasphemavit; & sic pollutum spiritum suum in mediis nivibus exhalavit. Ita se demonstravit fœlix Odo Christo vivere, quem penitùs mortuum infœlix Alffinus ausus est credere.

Denunciavit custos Ecclesiæ Episcopo Alffino de visione Sancti Odonis.

Alffinus mare transiit, ad Pallium deferendum; sed inter Alpes nimio frigore resolutus, pedes suos in ventribus equorum immisit, & cruciabatur divino furore; & sic Spiritum suum in mediis nivibus exhalabat.

Hoc ita mortuo, Brythelmus Dorsatensis Provinciæ præsul, homo nimiæ pietatis ac simplicitatis, in Pontificatum Cantuariorum substituitur. Verùm ubi comprobatus est in exercendis Ecclesiasticis disciplinis omnino quàm oportebat minùs vigere; jussus quod susceperat onus deseruit; & ad suum ovile quieturus humilis rediit. Igitur ut sententia Domini & prophetia Beati Odonis servi sui veritas esse probaretur; Dunstanus jam tunc Lundoniensis Ecclesiæ Pontifex à Rege & regno eligitur; ac in Patriarchatum totius Britanniæ glorioso Odoni dignissimus successor subrogatur. Cujus Dunstani & hujus de quo agimus Patris Odonis illud inter alia non parvo cognoscendæ sanctitatis & beatitudinis illorum indicio est; quòd Dunstano in die Sancto Pentecostes Missam ad Altare Domini Salvatoris Cantuariæ celebrante, Spiritus Sanctus, qui super ipsum in specie columbæ apparuit, consumpto sacrificio in australem altaris partem, ubi Venerabilis Odo tumulatus jacebat, divertit, & super tumbam ejus multis intuentibus requievit. Quæ res in tantâ reverentiâ ab ipso Dunstano habita est; ut nunquam post hoc ante Sepulchrum illius transiret, nisi genua flecteret. Cognomine quoque Boni Odonis in maternâ linguâ illum deinceps vocare solebat, videlicet Odo * *Se gode*, quod interpretatur Odo Bonus. Quo

Brythelmus Dorsetensis Episcopus in Pontificatu Cantuariæ substituitur. Onus illius Ecclesiæ reliquit humilis. Ad suum ovile quieturus rediit.

De sententiâ domini & prophetiâ Sancti Odonis in Dunstanum Lundoniensem Episcopum. Ad Patriarchatum totius Britanniæ successor Odoni subrogatur & instituitur. Spiritus Sanctus in columbæ specie beato Dunstano apparuit in die Pentecostes; divertit se super tumbam Sancti Odonis, & ibi requievit. Nota: Sanctus Dunstanus nunquam transiret post hoc ante illius sepulchrum, nisi genua flecteret. In maternâ linguâ solebat vocare Odo Se gode, quod interpretatur Odo Bonus.

* Linguâ Saxonicâ illo tempore vul- | gatâ, ſe ȝoδ, hodie, The Good.

cognomine

cognomine etiam uſque hodie ab Anglis, ſed maximè a Cantuaritis appellatur. His ita deſcriptis, geſtæ rei ſeries narrandi finem expoſtulat. Quem hîc quidem ponimus; & in eo Deum, qui eſt finis & complementum omnium bonorum, conſonâ voce laudamus; qui nomen ſuum in omni gente ita glorificat, ut quicunque illum timet & operatur juſtitiam, acceptus ſit illi. Illi ergo ſit laus & gratiarum actio per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Explicit Vita Sanctiſſimi Patroni noſtri Odonis Archiepiſcopi Cantuarienſis Eccleſiæ & Confeſſoris. Laudes Deo.

VITA

VITA S. DUNSTANI,

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS,

AUTHORE

OSBERNO

Monacho & Præcentore Ecclesiæ Christi Cantuariensis.

Incipit Prologus in Vitam Sancti DUNSTANI Cantuariensis Archiepiscopi & Confessoris.

UNiversis Catholicæ Matris Ecclesiæ filiis confrater eorum, per eam quæ in Christo est regenerationem, Osbernus pacem bonam & perpetuam Salutem. Multorum sæpe ac venerabilium Patrum veneranda mihi autoritas imminuit; ut vitam magnifici Patris Dunstani literarum monumentis tradere, atque ad Dei laudem hominumque utilitatem Ecclesiæ deberem auribus insinuare. Quibus dum ego pro faciendâ excusatione illud & verum obtenderem esse plura à plerisque non ignobilis usquequaque scientiæ viris de hac re conscripta; vererique me hominum reprehensiones, qui fortè mimos nos aut certe temerarios vocare possent; Dum non tam nihil satis nos habere, quàm nihil nobis satis esse posse contenderent: contra illi magis nihil satis se habere quàm nihil satis esse posse retulerunt; & hoc [a] probabilius rationum firmamentis velle se astruere dixerunt. Nam eorum, inquiunt, quorum præcipuam interfuit hujus rei diligentiam habere; Alii * etsi satis eleganter, non tamen satis diligenter, sed quantum ad nocturnum Festivitatis officium satis esse judicavere, sermocinandi ad populum modo scripsere. Alii † autem dum nimis diligenter, quemadmodum quæque res acta sit, explicare conarentur, elegantiam perdiderunt atque [b] ut illud dicendi genus, quod suffultum Romanæ Princeps eloquentiæ vocat, inciderunt; Quod faciliùs tædium legentibus quàm aliquod audientibus emolumentum

[a] l. probabilibus.

[b] l. in.

* Intelligit Adalardum Monachum Blandiniensem; qui Vitam Dunstani à se scriptam in plures Lectiones distribuit.

† Vult Saxonicum Sacerdotem B. [Bridferthum fuisse Mabillonius conjicit] qui Dunstani Vitam uberi quidem sed horridiori stilo compositam Alfrico Archiepiscopo Cantuariensi nuncupavit.

mentum gignere consuevit. Qui verò in utrâque parte dicendi laboraverunt, ut essent festivi pariter atque secundùm gestas res bene ordinati; horum scripta in illo * incendio consumpta sunt, quod ante hos annos Sancta Dorobernensis Ecclesia cum magno suarum rerum detrimento perpessa suisse dinoscitur. Sed ab his, inquiunt, aliqua in patrium, id est, in Anglicum sermonem translata supersunt; ex quibus id quod petimus elicere; & in Latinam denuo poteris linguam Deo suffragante transferre.

Itaque his sive rationibus sive rationum autoribus ad scribendum traductus, malebam alienæ voluntati bene dicendo obtemperare, quàm propriæ serviens voluntati à bene dicendo temperare. Verùm ad hoc audendum non sine quadam pudoris suffusione accedo; propterea quòd omnium ora in me esse existimo, veluti in hominem more Lælii novas dicendi victorias pollicentem, & quasi ea quæ ab aliis commodè dicta sunt, commodius se dicturum præsumentem. Sed ego neque illos minùs commodè dixisse reprehendo, neque me commodiùs dicturum promitto; sed sive id dignum fuerit, [sive] pro tantâ rerum materiâ digno contrarium; quod intendo, illorum meritis aut culpæ ascribo, quorum imperio atque importunitate victus hæc scribo. Quamvis & mea voluntas tantum devotionis erga eundem Patrem & Dominum nostrum optinere debeat; ut si nulli vellent ista à me expetere; ego pro personâ meâ non dubitarem ingerere. Ita namque cùm in alios me vidente, tum in meipsum me sentiente, ejus merita valuere. Sed non fuit consilium quid vel in alios me vidente, vel in meipsum me sentiente, hoc in libello dicere: in alio verò, qui de signis ad Sepulchrum ejus perpetratis scribetur, dicere consilium fuit. Nunc autem primordia Nativitatis illius, processum ætatis, cum augmento gratiæ cœlestis, commutationem mortalis sæculi pro immortalitate æterni sæculi quàm verissimè conabor absolvere; omissis omnibus his, quæ ita fuere mirabilia, ut infidelibus videantur incredibilia: Ac me quidèm his enarrandis imparem scio; sed in ejus nomine, in quem ipse fideliter credidit, & cui ipse fidele operis Ministerium exhibuit, ista aggredi temptabo.

Explicit Prologus in Vitam Sancti Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis per Osbernum Monachum & Præcentorem ejusdem Ecclesiæ Christi Cantuariensis.

---

* Ecclesia Cantuariensis incendio conflagravit eo circiter tempore, quo Lanfrancus Archiepiscopatum suscepit, sc. anno 1070. authore Gervasio in Chronic. p. 1291.

Incipit Vita Sancti DUNSTANI Archiepiscopi & Confessoris.

Nativitas Sancti Dunstani.
c l. hostibus.
d l. tueretur.

REgnante magnifico Rege Ethelstano, † Anno quidem imperii ejus primo, Adventûs verò Anglorum in Britanniam quadringentesimo nonagesimo septimo, cùm idem Rex c hostilibus circumquaque subactis pace & concordiâ Regnum d teneretur; natus est puer Dei Dunstanus Westsaxonicis Angliæ partibus, magnis quidem pro sæculi dignitate Parentibus, sed ad religionem (quæ Christianos decet) longè majoribus. Tantâ siquidem virtutis ratione viventes animum colebant, tot piis operibus laborantes insudabant, ut communem mortalibus viam ingressi Angelicis spiritibus mererentur associari; sicut eidem filio suo postmodum divinâ revelatione innotuit. Quod non alienum est consilio divinitatis factum conjicere; ut videlicet tantus infans tales parentes haberet, qui cùm ipsi bene viverent, tum bene vivendi formam nascituro ex se filio tradere possent. Magnum quippe Deus illum futurum prævidebat, quem ibi dulcedinis suæ benedictionibus prævenerat, ubi omnes filii Adam nativæ maledictionis sententiam excipiunt, si non per assumptam à filio Dei humani habitûs formam ad pristinam reformentur beatitudinem. Magnum inquam Deus illum futurum prævidebat, cui tantum muneris donatum est; ut ante mundo signis innotesceret, quàm hunc in mundi hujus lucem mater fudisset. Atque ut cætera dilucidè & ordinatè procedant; hinc dicendi initia constituam.

Maternis igitur sinubus sacro puerperio intumescentibus, dies Purificationis Sanctæ ac perpetuæ Virginis Mariæ illuxit festivus. Cúmque vicinus undique populus ad Ecclesiam eidem Virgini in Glastoniâ dicatam conflueret; ut devotionis suæ ministerium in tantâ solennitate Regi Regum Christo persolveret; contigit patrem pueri Herstanum cum conjuge Kynedrydâ advenisse, accensisque lampadibus sacris Missarum solenniis interfuisse. Jamque plurimam diurni servitii partem Clerus absolverat; jam quemadmodum puerum Jesum in Templum parentes inducerent, recitari cœperat; cùm repentè majestas Domini in templo apparuit, quæ omnia omnium luminaria extinxit, totamque domum tenebrosâ caligine obtexit. Hinc gelidus omnium membra pavor perserpit, rigent comæ, genua colliduntur. Stabant quippe sensu hærentes & alternis obtutibus stuporem indicantes. Sed ut omnibus clarum fieret, quid in hac re ea quæ apparuit majestas intenderet; ex templo lux cœlitus emissa in templo resplenduit; & eum, quem puerpera manu tenebat, cereum accendit. Si ante populus de amisso lumine miratus est; nunc majori admiratione simul & exultatione detinebatur. Exultabat namque se præsentem Dei gratiam vidisse; sed mirabatur hanc sibi per fœminam provenisse. Huc itaque ab omnibus perrectum, & hinc lumen omnibus porrectum. Habemus ergo novum de novâ Elizabethâ Johannem; habemus nostri temporis

† Athelstanus regnum iniit anno 925. juxta Chronologiam Saxonicam, anno 926. juxta Ethelwerdum, veriùs autem anno 927. Angli Britanniam advenerunt anno 449. à quo ad annum usque 928. quo primus Ethelstani annus desiit, effluxerunt anni 479. ut inversus videatur iste numerus Librarii vitio, qui annos 497. substituit.

Jeremiam;

Jeremiam; quorum alterum Deus, alterum Dei Archangelus in matris utero sanctificatum asseruit. Atque ut excellentiorem gratiam advertas; quâ die filius à matre Virgine in Templo est præsentatus, eâ nimirum puer Dei in matris utero ad templum est deportatus. Lumen ad revelationem Gentium & gloriam Israel Sanctus Symeon exultando proclamat. Lumen nihilominus in terrâ Anglorum exortum Christus, qui verum lumen est, lumine declarabat.

Postquam autem edendi partus tempus advenit, mulier genuit filium, quantitate quidem corporis parvulum, sed eâ qua præventus fuerat gratiâ Dei immensum. Inde statim secundæ generationis honore potitus, futuram fidei illius soliditatem jam tunc divinitas præfiguratam in nomine sortitur; Dunstanus, quod Petræ firmitatem sonat, parentum suorum annotatione vocitatus. Deinde cùm teneros annos infantiæ sequens ætas exclusisset, & linguam in apertos sonos jam formare cœpisset; ad templum nascentiæ illius miraculo quondam insigne cum oblationibus hostiarum defertur, immo ipse hostia viva Sancta Deo placens offertur. Ibi illis in oratione pernoctantibus apparuit vir, æthereos habens vultus. Locum dixit non multo post tempore sublimandum, puerum ibidem Deo relinquendum, & beatum illum per secula prædicandum. Tum mensoris funiculum per plana atrii extendens; Sic, inquit, ædificabitur locus iste ad præparanda corda illorum Domino, qui hoc in loco per hunc puerum Domino credituri sunt. Qua illi revelatione vehementer gavisi immensas omnipotenti Deo laudes persolvunt; commendantes puerum in Templo, ut esset Levi Domino, & portio illius Dominus existeret; quemadmodum Moysi dictum est, cùm divideret Judæorum per tribus singulas incolatus. [e] *Non erit tribui Levi sors inter fratres suos, dicit Dominus; quia Dominus Deus pars illorum est.* Unde Petrus ostendens se portionem in Deo habere, & non in seculo. [f] *Argentum, inquit, & aurum non habeo; sed quod habeo, tibi do. In nomine Jesu Nazareni surge & ambula.* Hoc est. Aurum non est portio mea, argentum non est portio mea: Portio mea Christus est. Hoc nomen munificum, hoc nomen mihi fructuosum. Talis ergo portionis fructum tirunculus Christi in timore sancto assecutus est, assiduâ ministratione Domino serviebat, proficiens quotide tam in scientiâ pietatis quàm in virtute sanctitatis.

[e] Deut. X. 9.

[f] Act. III. 6.

Eâ tempestate Glastonia regalibus stipendiis addicta, Monasticæ Religionis penitus ignara. Nondum † enim in Angliâ communis ratio Vitæ colebatur; non usus deserendi proprias voluntates hominibus affectabatur. Abbatis nomen vix quispiam audierat. Conventus Monachorum non satis quisquam viderat. Sed cui fortè id voluntatis erat, ut peregrinam vellet transigere vitam; is modò solus, modò paucis ejusdem propositi comitatus, patrios fines egrediebatur; & qua opportunitas vivendi licentiam dabat, illic alienigena vitam egebat. Hicque mos cùm plerosque tum vehementer adhuc manet Hibernos; quia quod aliis bona voluntas [in] consuetudinem,

† Eadem refert Wolstanus in Vitâ Ethelwoldi, Gervasius in Chronico, Johannes Tinmuthensis in Historiâ Aurea MS. lib. 21. cap. 47. 56. Chronicon Wintoniense MS. à Spelmanno citatum (Concil. Angl. Tom. 1. p. 434.) Capgravius in Legenda nova, f. 144. aliique. Monasteria nempe Angliæ ante reformationem à Dunstano & Edgaro Rege institutam totidem erant Conventus Clericorum Sæcularium; qui amplissimis possessionibus dotati, & certis sibi invicem regulis astricti, officia sacra in Ecclesiis suis quotide frequentarunt; omnibus interim aliorum Clericorum privilegiis; atque ipsa uxores ducendi licentia gaudebant: Sicut in Ecclesiis Collegiatis hodienum apud nos fit.

hoc illis consuetudo vertit in naturam. Quorum multi atque illustres viri divinis ac sæcularibus literis nobiliter eruditi, dum relictâ Hiberniâ in terram Anglorum peregrinaturi venissent, locumque habitationis suæ Glestoniam delegissent; propterea quòd esset & à civili multitudine sequestratus, & humanis usibus accommodus, & quod maximè affectabant, peregrini Patricii † religiosâ veneratione gloriosus; qui olim evangelizando regnum Dei illuc perveniens, vitâ, doctrinâ, signis & mirabilibus multipliciter claruisse, & post omnia hæc ibidem in Domino quievisse perhibetur. Cùm ergo hi tales viri talibus de causis Glastoniam venissent, nec tamen quicquid sibi necessarium erat sufficientissimè in loco reperissent; suscipiunt filios Nobilium liberalibus studiis imbuendos; ut quod minus ad usum loci [g] libertas exhiberet, eorum quos docebant liberalitate redundaret.

[g] l. ubertas.

Adest ergo nobilissimus in Christo puer Dunstanus, inter alios unus, immo præ aliis solus; ubi paulò diligentiùs quàm imbecilla ætas ferre posset, literarum studio intentus, acerrimo in tenello corpore languore fatigatur; adeò ut per aliquot dies nec quid ageret, nec quid ab aliis ageretur, ipse intenderet. Flebat autem Scholasticorum coetanea turba; flebat tota domûs familia, ipsi Doctores recordantes modestiam pueri, ingenium, nobilitatem, educationem. Cúmque jam in limine mors adesse putaretur, nihilque aliud quàm funeris obsequium meditaretur; ecce intempestâ nocte cœlestis illum medicina revisit, quam ei per Angelicum ministerium Christus exhibuit. At ne qua salutis innecteretur mora, ubi divina pervenerat medicina; confestim de lectulo surgens doloris, ad templum Deo gratias acturus moderatâ velocitate currit; habens illum in itinere ductorem, quem in ægritudine habuit Salvatorem. Stupefacti de magnitudine facti, qui in domo erant, qui ægrotantis illius curam gerebant, lento pede præeuntis vestigia terunt, finem rei curiosâ agilitate explorantes. Nec dum itineris medium confecerat, cùm malignus Spiritus sive ejus saluti invidens, seu futuram religionem suspectam habens, latrantium canum multitudine stipatus occurrit, viamque eunti intercludere contendit. Exclamat itaque puer Christum, pavore conterritus, sed ductoris sui præsidio vallatus, virgam arripuit, quam in faciem obsistentis simulachri vibrans, ipsum cum omni comitatu in fugam compellit. O Sanctum & terribile nomen Christi sapientibus absconditum, parvulis revelatum! Ecce Draco, quem initium figmenti sui finxit Deus ad illudendum ei, non solùm ab Angelis Dei illuditur, verùm etiam à puero parvulo superatur. Verè detracta est ad inferos superbia ejus, in profundum laci concidit cadaver illius. Sed in quo ista noster potuit parvulus, nisi in illo, qui cum sit Deus super omnia benedictus in secula, parvulus de virgine natus est nobis, filius a Patre datus est nobis. Dunstanus igitur ad portam templi veniens, sed eandem repagulis obseratam inveniens, scalam cui inniti solebant qui superiora templi farciebant, ignoranter & quasi per excessum mentis ascendit. Inde ad alteram partem tecti, qua nullus erat descensus, progrediens, angelicis manibus ad solum deponitur; & in interiora templi non patentibus claustris inducitur. Or-

† Patricium Juniorem vocat author Vitæ Dunstani ad Alfricum (quem Bridferthum appellare liceat) cap. 1. Glastonienses autem contendebant Magnum illum Patricium Seniorem, Hiberniæ Apostolum, Monasticam religionem apud ipsos instituisse, primi Abbatis dignitatem tulisse, & ibidem sepultum esse: Utque rem probarent, plurima scripta, diplomata, Testamenta & ejusmodi alia confinxerunt. Quicquid autem ventosi Monachi delirârint; non magis Patricius ille Magnus sed neque Patricius Junior, (quem Senioris filiolum vulgò perhibent) apud illos versatus fuit; quàm Josephus Arimathæensis, quem Fundatorem suum stolidissimâ arrogantiâ jactitarunt.

tâ autem luce dum per vicinas domos quæstio de puero facta fuisset; repertus est in templo cum iis, qui nocturnas custodias agebant, levi sopore offusus. Rogatus, ut tam mirabilis eventus modum exponeret, non esse hoc in suâ conscientiâ respondit; & ignorantium mentes majori ambiguo deduxit. Sed ii, quos explorandi gratiâ puerum secutos fuisse prædiximus, de omnibus, quæ usque ad suprema templi fastigia contigerant, claro & turbato sermone testificantur. Cætera verò quoniam & illos & puerum latuerunt, solâ Dei potentiâ mirabiliter patrata fuisse claruerunt. Magno igitur timore concussi omnes, qui audierunt, cogitabant quidnam esset, quod puero contigisset; dicentes [ad] alterutrum: Quid sibi vult puer iste, cui tot & tam sancta præconia attestantur? Qui antè beatus, quàm natus; antè virtus prodidit gloriosum, quàm ætas probaret adultum. Singulari hunc gratiâ præditum videmus, quem Angelus ægrotum sanavit, Diabolus sanatum contremuit, Ecclesia signata excepit. Et denuo orantes: Augeat, inquiunt, Deus meritum pueri ad gloriam sui. At ille regentis se Christi Spiritu repletus, aures quidem corporis à suis laudibus avertebat, sed in secreto pectusculi Deum benedicebat. Ab illo itaque die in tantâ admiratione habitus est; ut plurima illum utriusque sexûs multitudo quamvis adhuc delicatum videre cuperet. Ipse verò quanto excellentiora audiebat, tanto de se minora sentire.

Jamque vernans ætas adolescentiæ decus induerat; cùm eum parentes sui sacros Ordines rogarent suscipere; ut qui fuerat à primævâ ætate Domini electus, per hujusmodi gratiam eidem conjunctiùs adhæreret. Quorum ille voluntati humiliter parens, minores gradus & habitu suscepit & vitæ honestate servavit. Tum verò, quod illi ætati non parvo ornamento est, certabat omnes officio superare; gratiâ & affabilitate omnes anteire, servare pudicitiam, fugere lasciviam, appetitor honestatis, turpitudinis execrator. Majorum natu colloquiis adesse, Juvenum ludicra declinare. Ciborum abstinens; somno temperans, incessu gravis, neque facile moveri loco neque abruptè loqui: Magnæ fiduciæ ad incipiendum bonum, constantiæ ad perficiendum: Principium bene agendi Deum semper habere, finem verò eidem commendare. Moribus quoque bonis accessit studium sacræ lectionis; cujus exercitio & vitiorum importunitates evitabat, & virtutum augmenta nutriebat. Et quoniam studium parvam habet efficaciam, ubi naturale ingenium non suggerit intelligentiam; auctore Deo sic utroque præditus erat; ut & facilitate ingenii quamlibet rem acutissimè intelligeret, & occupatione studii quodcunque intellectum fuisset, firmissimè retineret. Ex quo brevi factum est, ut neque præceptoribus suis imperitior, & condiscipulorum peritissimis multo esset ipse peritior. Philosophorum scientias, quas earum rerum quæ sunt & quæ aliter esse possunt cognitionem veritatis vetustas esse diffinit, Ut sunt magnitudines, & earum aliæ manentes motuque carentes, Aliæ verò quæ mobili semper ratione vertuntur, nec ullis temporibus adquiescunt, multitudines quoque, & earum nihilominus aliæ per se, aliæ in ratione positæ: horum inquam scientias diligenti excoluit ratione, magnam in his & constantem prospiciens esse perfectionem. Et quamvis omnibus his artibus magnificè polleret; ejus tamen multitudinis, quæ Musicam instruit, eam videlicet quæ instrumentis agitatur, speciali quadam affectione scientiam vindicabat; sicut David psalterium sumens, citheram percutiens, modificans organa, cymbala tangens; sed non sicut hi, quorum inertiam & luxuriosum otium propheticus noster increpat armentarius. [h] *Qui dormitis*, inquit, *in lectis eburneis, lascivitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem Psalterii, sicut David. Putaverunt se vasa cantici habere, bibentes in fialis vinum.* Nec eo ista commemoramus, quo his opus esse ad perfectionem tendenti arbitremur; sed ut multiplices Dei gratias in juvenem commendemus. Nam omnibus sæcularibus studiis præferebat scientiam pietatis, quæ in

[h] Amos VI. 4.

in Evangelicis & Apostolicis continetur litteris; Dum sua semper ingenia Sanctorum Patrum autoritati contradens, & ambas res ad easdem literas conferens, fidem veram, morum disciplinam, & quod unum & solum præ omnibus quærendum est, vitam æternam se invenisse gaudebat. Sicut David, ergo nostri symphonista vasa cantici habuit; quia usum illorum non nisi in divinis laudibus expendit. Præterea manu aptus ad omnia, posse facere picturam, literas formare, sculpello imprimere, ex auro, argento, ære & ferro quicquid liberet operari.

Hic Dunstanus proficiscitur ad Athelmum Cantuariorum Archiepiscopum.

Tunc auditâ famâ venerabilis viri Cantuariorum Archiepiscopi Athelmi, cujus ipse erat nepos & filius fratris, permissu parentum suorum proficiscitur ad eundem; quatinus tanti parentis & cognitionem haberet, & vitæ illius exemplo juveniles mores informaret. Lætabatur itaque Episcopus nimis in adventu nepotis, considerans in illo venustatem corporis, animi vigorem, ac totius honestatis eminentiam. Unde eo quo afflatus est Dei spiritu vas illum electionis futurum prænoscens, potiori gradu decorare, & Regi Ethelstano * familiari contestatione eum studuit commendare. Hunc, ait, juvenem mihi plurimùm, Regiæ verò stirpi nonnullo consanguinitatis jure devinctum, vestræ Excellentiæ commendo; ut stet jugiter in conspectu vestro, audiatque verbum ex ore Domini mei Regis. Experiar in illo gratiam vestram; quam multiplicem in maximis sæpe rebus expertus sum, & deinceps amplius experturum me confido. Quod Rex promptâ cordis alacritate accipiens, oblatum juvenem gratissimè excepit, unicè dilexit, post hæc necessariis quoque rebus Regiâ vice præesse constituit. Dunstanus igitur terreno degens in palatio, egrediebatur & ingrediebatur ad imperium Regis; & prosperatum est in manibus ipsius quicquid operis ipse cœpisset: & nunc quidem surgens ad orandum Deum, nunc sedens ad dijudicandas causas hominum, ita se sapienter & circumspectè agebat; ut & Deo per omnia placeret, nec aliquem piè viventium suâ culpâ offenderet. Dominus enim cum illo erat, & omnia ejus opera dirigebat. Iterum cum videret dominum Regem sæcularibus curis fatigatum, psallebat in timphano sive in cytharâ, sive alio quolibet musici generis instrumento; quo facto tam Regis quàm omnium corda Principum exhilarabat.

Tunc cujusdam matronæ frequenti ac religioso rogatu compellatus est; ut ei sacerdotalem stolam artificiosâ operatione perpingeret, quam postea ad divinos cultus aurifactoriâ imitatione figuraret. Qui assumptâ in manibus cytharâ, ad domum tendit religiosè; Cytharam in pariete suspendit, opus ad quod venerat diligenter instituit: Cumque manum operi, cor autem atque labia Deo præparaverat; apparuit in domo gloria Domini, quæ illum jocundâ suavitate reficiebat, cæteros verò insolitâ admiratione exterritos reddebat.

Miraculum de Cytharâ S. Dunstani.

Nam cythara illius, quam parieti affixam fuisse diximus, ita ut erat pendens in paxillo, absque ullo moventis duntaxat hominis impulsu, consuetam omnibus hujus antiphonæ melodiam acutissimâ simul & discretissimâ modulatione personuit.

* Hinc Osbernus mendacii clarissimè convinci potest. Dunstanum enim natum fuisse anno 928. ipse superiùs prodidit. Obiit autem Ethelstanus Rex anno 941. Dunstano nondum decimum tertium ætatis annum egresso. Non potuit igitur Dunstanus sacros Ordines sub Ethelstano Rege suscepisse, multò minùs Judicis partes in Aula Regis obiisse, seu Presbyter ab Elsego Wintoniensi Episcopo ante Athelstani mortem ordinari; quod inferiùs Osbernus tradit. Annum itaque Nativitatis malè positum opinor. Elsegum enim, à quo Presbyter ordinatus fuit, anno 951. obiisse constat. Quin & ipse Athelmus, Dunstani Patronus, ante annum 928. defunctus est. Illum tamen Dunstano patruum & favoris in Aula Regia Conciliatorem fuisse Adelardus etiam testatur in Vita ejus, Lect. 3.

personuit. *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti, & qui pro ejus amore sanguinem suum fuderunt; ideo cum Christo regnabunt in æternum.* Exiliunt itaque obstrepentes puellulæ, mater familias, omnisque domûs clientela vociferans hominem nimium esse sapientem, amplius eum quàm quod expediat scire. At ille mundissimo mundissimi cordis intuitu cœlestem illum Musicum intendens, admoneri se intelligit, ut Christi vestigia propiùs sequatur, ut sanguinis sui effusionem non metuat, si Dei regnum & vitam delectat habere æternam. Audivimus olim rudentem asinum verba edidisse; cytharam verò sine humano pulsu aliter cecinisse nusquam audivimus. Illa Angelicos vultus perrimescens subsedit, ista ad affectum Dei & Angelorum illius omnes audientes invitavit. Sed hæc tua sunt, Christe, magnalia, quæ in tuo Dunstano operari & per nostrum ministerium prædicari hominibus voluisti.

Accensus igitur furore Diabolus, quòd tam sanctis principiis juvenem niti conspiceret, in invidiam aliquorum eum conatus est adducere, ignorans malam voluntatem suam Deo famulari ad perficiendam Dei bonam voluntatem in homine, quem ad congaudendum & conregnandum ipse prædestinaverat. Inflammat itaque invidentiæ stimulis operarios iniquitatis, qui confícto mendacio opinionem Juvenis apud Regem lædant, asserentes illum malis artibus imbutum, nec quicquam divino auxilio sed pleraque dæmonum præstigio operari. Advertens autem Dunstanus faciem Regis non esse sicut heri & nudiustertius, palatio discedere parat; malens Regem sponte suâ deserere, quàm ipse à Rege invitus derelinqui. Quod ubi compertum est ab iis, qui probitatis illius improbissimi æmulatores extiterant, insidiis iter obsident, socios disturbant, illum equo dejiciunt, suppliciis affligunt; postremò vinculis irretitum in cisternam, quæ juxta erat, depellunt. Cùm interim horrendo molossorum agmine defensus, à quibusdam hominibus invenitur; quorum studio ac pietate ad vicum fovendus transfertur. Tum ille ex profundo cordis suspirio ingemiscens ait: O sæva propinquorum meorum vesania, in caninam sævitiam ex dilectionis humanitate mutata. Nam irrationalis canum natura dilectionem mihi humanitatis blandiendo exhibuit; propinquitas verò humanitatem oblita infestantium me canum severitatem ostendit. Intellexit ergo hoc esse principium certaminis, ad quod illum divinus nuper Cytharœdus præmonuit.

Dunstanus repellitur de curiâ Regis per instigationem Diaboli.

Profectus autem inde cognatum Pontificem adiit, qui tunc temporis Wentanæ præsidens Ecclesiæ vitam virtutibus decorabat. A quo frequenti supplicatione rogatus, ut Monachum indueret, quatenus qui Angelicæ conversationis initia haberet, perseverantiam in habitu demonstraret. Respondet ille, excellentioris gratiæ esse, qui [in] sæculo consenuit, & tamen quæ Monacho digna sunt fecit, eo qui se Monasterio dedit, nec quicquam aliud præterquam quod sibi statutum est post hæc facere potuit. Alterum, inquit, necessitatis est, alterum libertatis. Ad hæc Episcopus. " Omnibus, ait, in commune " summa necessitas est; ut qui ignem gehennæ voluerit effugere, ignem " concupiscentiæ studeat extinguere. Ignis verò concupiscentiæ non multùm " extinguitur; si fomenta illius humanis sensibus non subtrahuntur. Sicut " enim lingua ad ignem, sic ea quæ sensibus subjacent, ad concupiscentiam. " Sed nulla erit fomentorum subtractio; si sæcularium negotiorum non fuerit renuntiatio. Ex quibus omnibus id elicitur; ut si ignem gehennæ volueris effugere, sæculo studeas renunciare. Ad hæc quod precipuè in " mundo appetitur, libertas est hominis. Hâc enim omissâ, cætera possideri " non queunt. Quòd si possidentur, illa non desinit haberi. Cùm igitur his & hujusmodi verbis per singulos dies Episcopus insisteret; & Dunstanus aut veris aut verisimillimis rationibus insistentem differret; quadam die vehementer hoc cogitationis ambiguo pulsatus est; ut quid in vitâ quam maximè appetendum

appetendum fuiſſet, virtus an voluptas, uxor an virginitas, magnopere deliberaret. Quem ſub tali ambiguo poſitum graviſſima febris invaſit, atque ad deſperationem vitæ perduxit. Jacebat itaque ſine expectatione ſalutis ægrotans, nec ullum intuentibus viventis ſenſum præbens. Tum [i] expirato revaleſcens. Hîc, ait, legibus voluptatis renuncio; hîc me ſempiternum ſibi adverſarium promitto. Nil cum uxore fœderis paciſcar; ſola me virtus militem habebit. Inſanum quippe eſt illam animi mei dominatricem ſuſtinere, quæ nec viventes reddit ſatiatos, & morientes relinquit deſperatos. Virginem me virginis filius huc uſque ſervavit; virginem me virginum regina Maria habebit. Confeſtim accito ad ſe Epiſcopo poſtulat ſibi dilatæ religionis benedictionem dari. Epiſcopus immensâ lætitiâ pro ſalute ſimul & converſione juvenis perfuſus celeriter illum Monachali ac ſacerdotali gratiâ promovit, attitulans Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis; cui eum ab initio parentum ſuorum ſponſio dicavit.

[i] l. ex inſpirato.
Hic Dunſtanus renunciabat ſæculo & pompis ejus.
Hic poſtulat Dunſtanus religionis habitum.

Conſummatis autem primis incœptæ converſionis diebus, cùm eum Epiſcopus adversùs inſidias Diaboli & ſermone inſtruxiſſet, & autoritate roboràſſet; dimiſit illum proficiſcentem ad locum ſuæ generationis principium; ibique in Eccleſiâ beatæ Virginis manſitabat, operans ea quæ piæ religionis norma exigebat. Cui etiam adhærentem cellam [ſive] Deſtinam *, ſive ſpelæum, ſive alio quolibet nomine rectiùs nominari poteſt; non enim invenio qua id appellatione quàm proximè vocem; cùm non tam humani habitaculi quàm formam gerat Sepulchri; propriis laboribus fabricavit. Ut enim de re, quam ipſe vidi, teſtimonium feram; quantum mea fert æſtimatio, longitudo ejuſdem cellæ non ampliùs quinque pedum, latitudo verò duos ſemis pedes habet. Porro altitudo ſtaturam exprimit hominis, ſi quis in defoſſa terrâ conſtiterit. Aliter enim neque ſatis ad pectus porrigitur; ut ſicut dixi, magis mortui videatur Sepulchrum quam viventis habitaculum. Unde manifeſtum eſt illum jacendo ſomnos cœpiſſe, & ſtando ſemper Deum oràſſe. Oſtiolum autem idem eſt quod paries. Quod enim ingredienti oſtium, idem ingreſſo paries fiebat. Neque verò in tantillo opere oſtium niſi in toto fieri valebat. Medium oſtioli feneſtella aperit, per quam lumen operanti irradiavit. Miſerum me ac peccatorem fateor inſpexiſſe ſanctum ſeſſionis ipſius locum: Vidiſſe [k] quæ etiam manuum illius opera, peccatricibus manibus contrectàſſe, oculis appoſuiſſe, rigàſſe lacrimis, & flexis genibus adoràſſe. Recordatus namque ſum, quàm ſæpe clamantem me in periculis exaudierit, quàm miſericorditer auxiliatus fuerit; & idcirco neque lacrimis temperare, neque ſi fieri potuiſſet, inde recedere volebam. Hæc juveni domus, hic lectus, hoc de toto mundo ſpectaculum. Sed his anguſtiis ampla & ſpatioſa urbium mœnia comparari non poſſunt; cùm per eaſdem anguſtias hodie & fabricantes ſalutem obtineant, & dæmonum furores quieſcant, & plurima invalitudo convaleſcat.

Nota de cellâ Sancti Dunſtani.
[k] l. quædam.

Verùm ne paupertatem illius diabolus miſereri videretur; quem antea non ſinebat habitare in palatio, eum nunc nititur depellere tugurio. Fallax ergo fallacem hominis adopertus imaginem, ſub obſcuro veſpere cellam petit adoleſcentis, immiſſo capite feneſtræ incumbit, cernit illum fabrili opere occupatum, poſtulat ſibi quippiam operis fabricari. Dunſtanus autem neque ejus calliditatem advertens, neque importunitatem ferens, operi quod poſtulabatur animum intendit. Interim ille perversâ compoſitione verba facere, mulierum nomina inſerere, luxurias commemorare, deinde religionem oſtendere, & de-

Verba Diaboli cum Sancto Dunſtano in Dormitorio.

* Deſtina apud Scriptores noſtros eſt Ædificium parvum, parieti majoris exteriùs appoſitum. Vide Bedam, Hiſt. Eccl. l. 3. c. 17.

nuo

nuo eadem repetere. Tum verò Athleta Christi qui esset intelligens, tenacula quibus ferra tenebat, fortiter ignire, suppressis labiis Christum invocare. Cúmque per summos fines eadem tenacula candentia videret; sancto actus furore, celeriter ea de igne rapit, larvalem faciem tenaculis includit, & totis viribus renitens monstrum introrsum trahit. Jam stando vires sumebat Dunstanus, cùm qui tenebatur avulso pariete tenentis se manibus aufugerat; tales immani rugitu fremens ululatus. O quid fecit calvus iste, ô quid fecit calvus iste! Tenui namque sed formosâ cæsarie erat; & eâ re talia de homine clamitabat. Mane autem facto congregata est ad eum non parva propinqui populi multitudo, sciscitans quis nam ille clamor fuisset; qui tantâ eos dormientes vehementiâ terruisset. Dæmonis, ait, furor ille fuit; qui nusquam me vivere finit, è cellâ quoque ejicere temptat. Cautè vos agite ab illo; quòd si vocem irati ferre non potuistis, societatem damnati quo pacto sustinebitis? Post hunc diem Dunstanus quasi in præcinctu belli manere cœpit, virtutibus Diabolum ad certamen lacessere, corpus inediâ macerare, animam orationibus decorare; sciens in nullâ re magis Diabolum superari posse, quàm in eâ, quam Dominus dicebat, [1] In jejunio & oratione. Unde cum pudicitiâ corporis tantam cordis munditiam obtinuit; ut vix eum latere possit quicquid sinister Spiritus molitus fuisset.

Hic Dunstanus traxit Diabolum tenaculis ignitis.

Verba Diaboli postea clamosa.

[1] Marc.IX.28.

Fama itaque nominis ejus universam percurrit regionem, quæ ad visendum hominem Dei omnium corda accendit. Omnis ætas, uterque sexus, clarus & ignobilis, tenuis & pecuniosus, privatus & cum potestate, omnes omnino Dunstanum loquuntur, sapientiam prædicant, virtutem magnificant. Mulier quædam nomine * Ethelgifu, regali exorta progenie, magnarum divitiarum, quæ omne semen Regium materno semper affectu dilexerat, foverat, nutriverat, invisa manibus suorum ad hominem Dei accessit, sanctissimo illius colloquio perfrui desiderans. Quæ cùm ex ore illius verbum audisset; adeò delectata est dulcedine vitæ æternæ, ut ulterius neque domum repetere, neque loco discedere, sed cum Beato Dunstano manere, vivere, mori deligeret. Proinde habitationem sibi in [m] infinitate sacri templi constituens, audiendo verbum Dei sedula adesse, famelicis stipem dare, vestem algentibus, ipsa multæ continentiæ operam dare, prorsus ad omne opus justitiæ promptissima existere. Circa venerationem Beatæ Virginis Mariæ ita fervens erat; ut in templo illius quamplures sacri Ordinis viros locaret, quibus ipsa quæcunque necessaria forent suâ liberalitate exhiberet. Qua de re in tantum apud eandem Virginem ejus merita valuere; ut si quando necessitate coacta quippiam postularet, vix aliqua intercedente morulâ ab eâdem susciperet. Ut enim sine tædio legentium aliquantulam ab incœpto digressionem faciam, neque enim à re quam tenemus multum deviat: Dum quodam tempore præfatus Rex propter religionem loci Glastoniam venisset; illa veterem servare volens consuetudinem, qua Regibus ministrare solebat, orat eundem ut ad se divertat, prandium quod sibi paraverat dignanter suscipiat. Quod Rex non sine verecundiâ annuens (non enim ignorabat, quid in pauperes Christi ipsa expenderet) præcepit Regiæ ministrationis provisoribus, ut scirent si omnia commodè ac moderatè parata fuissent. Illi autem circumspectis omnibus abundè omnia

[m] l.affinitate.

* Illam Osbertus Elsgivam vocat, Bridferthus Æthelfledam, Ælfledam Westmonasteriensis, qui eandem Æthelstani Regis neptim fuisse prodit (ad an. 929.) Nondum scilicet in Ecclesiâ exoleverat turpissima fœminarum συνεισάκτων consuetudo. Præclarum illius exemplum in Aldhelmo Episcopo Sciremburnensi supra habuimus. Plura alia inferioris sæculi annotari possent; de quibus forsan aliás.

esse renunciant; si ejus tantummodo potûs, qui mellis ac mirti aspergine conficitur, sufficientiam haberent. Quibus illa. Non, inquit, patiatur Domina mea mater Domini mei Jesu Christi Maria; ut in omnibus rebus, quæ regiam decent magnificentiam, deesse quippiam valeat. Et accurrens in templum Beatissimæ Virginis Mariæ, rogat per ejus largifluam bonitatem, quod in Regali ministerio minus videbatur haberi. Sedit itaque Rex multo stipatus Satellite; hauriunt ministri modicum illud confecti liquoris. Ita vasculum permansit imminutum; ut mulieris Sareptinæ, vel hydriam farinæ vel lechitum olei putares. Denique totâ die de vasculo hauriunt, totâ nihilominus die inexhaustum * reperiunt. Ad quod Rex factum mente immutatus: Peccavimus, ait, nimis in famulum Dei, multitudinis nostræ superfluitate eàm aggravantes. Ita dixit; post dictum faciem advertit; viâ qua cœpit, profectus est.

Miraculum de Beatâ Mariâ.

Sed jam ut id, quod instituimus, attingamus; transacto laborum suorum glorioso certamine, gravi corporis infirmitate cœpit hæc eadem laborare. Ad quam dum mœrens Pater Dunstanus intraret; post uberrimas alterutrarum lacrimarum inundationes, post humillimam piæ confessionis devotionem, post dulcissimam de beatâ spe & adventu Domini Salvatoris consolationem, hortatur illam, ut nudam se ab omni mundanâ specie faciat, ne in transeunte quicquam suum Princeps mundi inveniat. Cui illa; Neminem, inquit, in mundo sicut te carissimum habeo; propterea quod te præcipuum salutis meæ autorem scio, salvo eo quòd Deum omnipotentem totius bonitatis principatum tenere credo. Illum ergo rerum mearum hæredem facio, te vero hæreditatis tutorem constituo; ut quicquid illum noveris velle, tui arbitrii sit effectui mancipare. Quod Beatus Dunstanus audiens, & quamvis invitus ejus voluntati morem gerere volens, universas gazas ejus, quæ in rebus mobilibus superesse poterant, extemplo pauperibus erogabat; cætera autem ad Ecclesiarum sublevationem reservabat. Jam sol urgebat ad occasum; Dunstanus nocturnas fugiens tenebras, ad suum remeat ergastulum. Et ecce dum ostium Ecclesiæ psallendo præteriret; erectis ad cœlum oculis omnipotentis Dei Patris & Filii coæternum Spiritum in columbæ specie videt descendentem; cujus corpus omni candore nitidius; alarum verò remigia scintillantis ignis splendorem per aera spargebant. Quam ille tunc verè Beatus piâ mentis aviditate contemplatus, penetrale illud morientis Matronæ subintrantem conspicit. Concitè igitur unde venerat regressus, videt domum divini Splendoris fulgure splendescere; audit fœminam intra septa oppansi veli gratias agentem, miratur colloquium, ac dicendi finem patiens auditor expectat. Deinde levato velo, penetral subintrat; stelliferi illius nomen requirit, nuntium interrogat. Illa excellenti quadam gratiâ vultûs perfusa, modestè arridens ait. Tu stelliferum, antequam huc venires, vidisti; & nunc cui sum locuta interrogas? Ipse est, qui tibi ad ostium Ecclesiæ psallenti apparuit; qui & me de pavore imminentis mortis conterritam visionis suæ gratiâ consolari dignatus est. Annuncio itaque omnibus amicis meis tristandum de morte meâ non esse; quoniam morientem me æternæ vitæ claritas suscipiet. Tibi autem carissimo ac singulari amico uberes gratias refero; propterea quòd tuis semper instructa admonitionibus & adjuta orationibus ecce ad Deum vado, unum tibi & ultimum

Dunstanus vidit Spiritum Sanctum in specie columbæ.

* Idem Miraculum Historia Abendoniensis ab Ethelwoldo Abbate confectum refert. Sic solent mendaces Monachi in confingendis Miraculis alter alterum describere.

(si au-

(ſi auſim dicere) facio præceptum; ut diluculo * ſacri unguinis ac dominici corporis participem me facias; quatenus his vivificis munita myſteriis, non confundar in portâ, dum ibi fuero inimicis meis locuta. Cujus imperio venerabilis Pater Dunſtanus annuens abiit, manè juxta condictum rediit, itaque omnia peregit; ut finitâ ferè Miſsâ cùm ipſa corpus & ſanguinem Chriſti ſuſcepiſſet, animam pariter Chriſto tradidiſſet. Qua in Eccleſiâ honorificè Beatæ Mariæ ſepultâ, Dunſtanus tum de illius tum etiam de ſuiipſius patrimonio ſolicitus (nam uterque parens obierat, nec præter eum alium hæredem reliquerant) primò quidem eandem Eccleſiam vicinioribus atque uberioribus terris, quæ in omni patrimonio erant, muneravit. Cæteras verò fundandis quinque Monaſteriis pro ſitu terrarum ab invicem ſejunctis reſervavit. Quæ Monaſteria, ſequentium Regum temporibus in tantum per ejus induſtriam aucta ſunt; ut ſingulis complurium Monachorum turbæ ineſſent, qui omnes ſecundùm regulam ab eodem Patre inſtitutam viverent.

Exinde Sanctus vir majoribus ſeſe virtutum profectibus dedens, deprecatus eſt Dominum oſtendi ſibi gloriam juſtorum; ut qui eam per fidem bene creditam haberet, per manifeſtationem cognitam dulciùs amaret. Talia ex corde meditanti aſſiſtit juvenis, decore inſignis (quem puerum olim in corpore ipſe puer agnoverat, & ſanctâ ſemper familiaritate dilexerat) referens ea quæ ſunt æternæ vitæ gaudia, illum verò in ſæculo plura paſſurum, dæmonum inſidias, malignitates hominum. Poſt omnia hæc ad ſummos gradus perventurum, multa hominum millia Deo lucraturum, cumque his regna cœli ſcanſurum. Sed cùm ille propter cautelam dicenti aſſenſum non dediſſet; apprehenſum illum juvenis in atrium templi induxit; oſtendenſque locum eatenus inconvulſum, ait: Ut nulla te credendis his quæ audiſti dubietas attingat; ante triduum Presbyter quidam hic ſepelietur, qui nondum infirmatur. Exurgens autem manè ab oratione Dunſtanus, convocatis in unum Clericis, ad locum venit, poſitoque ſigno, ait: Si vera ſunt quæ mihi nocturno tempore oſtenſa ſunt; Ante tres dies Presbyter quidam hic ſepelietur, & nondum infirmatur. Vix illis ab invicem digreſſis, ſupervenit ejus fœminæ, quam proximè laudavimus, Curialis quondam Presbyter; qui factâ cum Clericis conventione præfatum locum in ſepulturam obtinuit, dicens: Cùm me Deus à corpore migrare juſſerit; hoc in loco meas precor reliquias ſepelite. Receſſit ergo Presbyter veſpere ſanus, noctu rediit ægrotus; decubuit, agnonizatus eſt; defungitur, in loco beato Patri ſignato ſepelitur. Stupor ingens circundedit omnes, propterea quòd idem vir tam mira de loco, tempore ac perſonâ prædixiſſet; quæ omnia poſt hæc vera ipſi & manifeſta vidiſſent. Ipſe autem de oſtensâ ac promiſsâ ſibi æternæ vitæ gloriâ lætiſſimus efficitur; de cæteris verò non parùm triſtis atque ſollicitus redditur.

Viſio oſtenſa Sancto Dunſtano de ſepulturâ cujuſdam Presbyteri.

Defuncto autem Rege Ethelſtano, frater ejus Edmundus Imperii Monarchiam ſuſcepit. Qui cum ſciret, quantâ olim virtute venerandus Pater Dunſtanus in palatio fulſiſſet; quàm juſtis operibus & rectis conſiliis præditus fuiſſet, ac per hoc fraterno ſemper amore illum dilexiſſet; directis ad eum nuntiis orat, ut dignetur ad ſe venire: Ut quem omnipotenti Deo noverat acceptum, eum inter Regios Proceres & palatinos Principes ſummum faceret tenere principatum. At Dunſtanus ſive præceptis apoſtolicis obedire volens

Edmundus frater Ethelſtani Regis.

* Nil de Extrema Unctione ægrotæ data Bridferthus habet; ſolam Corporis & Sanguinis Chriſti Communionem ab ea perceptam commemorat.

Rom. XIII. 1. (quibus [n] omnis anima potestati sublimiori subdita esse debere præcipitur) sive regnum justitiæ (quod & magnâ parte absolverat) in terrâ Anglorum exaltare cupiens, Regiis petitionibus assensum tribuit; consistens pro temporum vicissitudine in palatio, & tam ipsum Regem quam omnes Anglorum Principes justitiæ legibus summittens. Sed cùm ferè fiat, ut ex aliorum industriâ aliorum crescat invidia; cúmque ad quam virtutem pessimus quisque non valet assurgere, eam in assurgente conetur expugnare; iterum, sicut olim, à plerisque Nobilium in prosperos Dunstani successus est offensum, & Regi ut à consortio illorum pelleretur, falsâ criminatione suggestum. Rex autem, plus honesto falsis favorem attribuens, Dunstanum & rebus & regiâ gratiâ privatum curiâ proturbari jubet. Sic primo, sic secundo die transitum. Jamque tertia lux advenerat, & Rex cum suis venatum ibat. Nemus autem, quod venandi gratiâ intraverat, mons cedrorum perexcelsus conspicit, qui in medio sui interruptus ingens baratrum & immane præcipitium de summo spectantibus ostendit. Igitur Rex per devexa montis fræna laxare, & per devia quæque fugientem cervum insectari. Fatigantur utrique Rex pro cervo, cervus pro seipso. Omni tandem fugiendi libertate negatâ, bestia præcipitium petit, ac partes in minutissimas conscissa deperit. Sequentium canum similis interitus, ultimum Regem sonipes evexit. Qui viso cominus quod præ se fortuna pararet, retraxit habenas, vectorem quoque reflectere nisus; cùm repentè ruptis frænis & de manu porro rejectis volucri cursu sessorem Regem equus asportat. Quid plura? Omnino de se diffidens, de Dei verò misericordiâ nonnihil confidens, cœleste auxilium implorat; sicque confitendo orat. "Deus Rex omnipotens, qui cùm sis super omnia excelsus, humilia "respicis, & alta à longe cognoscis; adesto nunc Regi homini, cæteris mor"talibus simili, inque supremo mortis periculo consistenti; nec reminiscaris "injuriarum fideli tuo Dunstano per me illatarum; quoniam si me ipsi"us meritis à præsenti morte eripueris, quoad vivam, devotum me tui no"minis & illius laudatorem habebis. Nec dum verba plenè finierat; & quod dictu est incredibile, (sed Deo nihil impossibile) quasi divinâ manu retentum animal in summo voraginis fixum manebat. At ille corde pariter & ore excelsas Deo gratias referens, Dunstanum suæ liberationis autorem adesse jubet; & quæ per illum divinitas operata sit, coram omni Principe exponit. Et apprehensâ dexterâ viri osculatus est eam, & dixit: "Agnosco, virorum Sanctissime, quid in te commiserim mali; non per fidem "meam quòd ego voluerim, sed quòd à pessimis hominibus coactus id fe"cerim. Grates ergo clementiæ Dei, quæ non modò debitum mihi sup"plicium non inferre, verùm etiam indebitum voluit beneficium prærogare, "dum me à præciputio mortis eripiens longioris vitæ spatia in tuis nomi"nibus concessit. Sit ergo deinceps inter nos perfectæ familiaritatis per"petua integritas; sit disponendis in palatio rebus libera tibi semper fa"cultas; sit in toto Anglorum imperio judicandi inter virum & proxi"mum ejus summa potestas. Atque ut animi mei affectum circa te cog"nitum habeas; illum tibi locum, in quo te genitum, educatum, con"versatum accepi, perpetuo jure possidendum trado; ut quodcunque de "illo velis statuere, tui arbitrii sit considerare. Quod si id cordi tuo po"tissimum sederit; ut ejus Ordinis viros (cujus tu habitum geris) ibi"dem aggregare placuerit; quicquid eis in quacunque re defuerit, ego ob "gratiam tui Regiâ liberalitate supplebo.

Miraculum de Rege per Sanctum Dunstanum.

Igitur Dunstanus acceptâ potestate super regiam mansionem, quæ Glastonia vocabatur, post paucos dies augustioris Ecclesiæ fundamenta jacere, officinas secundùm exemplar sibi ostensum construere, & consummatis omnibus magnum pariter atque egregium Monachorum agmen ibidem

Dunstanus accepit potestatem super Regiam mansionem in Glastonia.

dem coadunare cœpit. Quibus * ipse primus Abbas effectus, ad tantam perfectionem justitiæ omnes cohabitantes adduxit; ut quasi cœli luminaria ad effugandas totius erroris nebulas & peccatorum tenebras viderentur. Tunc † ad omnes circumquaque Ecclesias ex eisdem Monachis Pontifices eligi, tunc Abbates assumi, tunc denique diversorum officiorum Præpositi institui; propterea quòd essent & religionis [merito] præcipui & doctrinæ sapientiâ clarissimi, ad catholicæ fidei defensionem præstantissimi. Sed tantæ religionis spiritus Dæmonis malus impatiens, quo pacto virum à statu rectitudinis dejiciat, quantis valet insidiis elaborat. Cujus oculis in cubiculo quadam nocte orantis immanem se lupum ingerit; iterumque post paulum vulpem blandientem confingit. Quam ille specierum varietatem subridens: O te, inquit, per omnia similem tibi! O formas tuæ actioni congruas, dum in altero cruentum, in altero te comprobes fraudulentum! Vade jam, inimice; quoniam in ejus nomine te vincam in lupo & vulpe, qui te in leone superavit & dracone. Cernens autem se magnam à dæmonibus invidiam pati; nec suis aut filiorum suorum viribus satis confidens, adhibuit vitæ suæ patronum Andream Apostolum; ut esset fidus interpres apud Deum, assiduus in terrâ comes, atque in omnibus hujus mundi turbinibus custos indeficiens. Hujus ipse assiduâ protectione quasi muro vallatus, securus infra cellam agebat ætatem, excelsâ mente universa mundi transcendens, & in amore divinitatis jugi meditatione requiescens. Unde suavissimis superorum spirituum concentibus sæpe interesse promeruit; bonam futuræ mercedis spem Deo tribuente; ut qui Angelorum conversationem agebat in terrâ, illorum societatem agnosceret in cœlo. Denique dum præfato Regi Edmundo filius nasceretur nomine Edgarus, ** puer videlicet pacis ac justitiæ bajulus futurus; audivit idem Beatus beatos Angelos in cœlo gratulantes, & cum magnâ gratulatione psallentes: Sit pax, sit magna Anglorum Ecclesiæ lætitia; quamdiu puer natus regnum tenuerit, & noster Dunstanus mortalis vitæ metas transegerit. Quod dictum [quanta] sit rerum veritate subnixum, congruus ordo prælentis lectionis faciet manifestum.

Dunstanus Primus Abbas Glastoniæ.

Diabolus apparuit Sancto Dunstano in specie lupi & vulpis.

Hic Dunstanus adhibuit Sanctum Andream vitæ suæ patronum.

Vox Angelorum in nativitate Edgari Regis.

Qua etiam tempestate vir Dei pretiosus, precibus Regiis devinctus, Bathensem Ecclesiam divinis cultibus instituendam invisere peregit. Ubi dum factâ refectione solitarius oraret, repentè ad superna raptus cujusdam discipuli nobiliter à se apud Glastoniam educati animam innumerâ Angelorum frequentiâ hinc inde stipatam, atque immensi luminis fulgore perfusam, ad cœli palatium provehi conspicit. Moxque in manus divinæ pietatis eam commen-

Hic Dunstanus vidit animam cujusdam discipuli ejus ab Angelis susceptum.

* Verba Bridferthi hac de re notatu digna sunt. "Rex apprehensa ejus dextera "osculatus est illum; ducensque ad sacer- "dotalem Cathedram, & imponens illum "in eam, dixit: Esto Sedis istius prin- "ceps potensque insessor, & præsentis "Ecclesiæ fidelissimus Abbas; & quic- "quid tibi, &c. Igitur post hæc servus "Dei Dunstanus jam dictam dignitatem "jussu Regis regendam suscepit; & hoc "prædicto modo saluberrimam S. Bene- "dicti sequens institutionem, primus Ab- "bas Anglicæ nationis enituit.

Nec dissimilia habet Adelardus in Vita Dunstani MS. Lect. 3. "Unde pri- "mùm, inquit, eliminato quicquid ocu- "los superni inspectoris offendebat, Mo- "nachus & Abbas effectus, Monacho- "rum ibi Scholam primò primus insti- "tuere cœpit.

† Longum Episcoporum & Abbatum ex familia Glastoniensi, hoc potissimùm sæculo, prodeuntium catalogum texuit Author Historiæ Glastoniensis. in Monastico Angl. Tom. 1. p. 8, 9.

** Natus est anno 943. juxta Wigorniensem & Westmonasteriensem; qui eandem de concentu Angelico fabulam referunt.

dans,

dans, dominos quoque loci ad commendandum invitat. Stupentibus quidem omnibus & vix fidem dictis exhibentibus, velocis cursoris testimonio & mors & mortis hora secundùm viri testificationem vera probatur.

Diabolus saltavit coram Sancto Dunstano & equitantibus secum.

Regressus autem à loco, ut Regem loquendi sibi cupidissimum adiret, Diabolum scurræ simillimum coram equitantibus deprehendit saltantem, & quasi de futuro aliquo lucro gloriantem. Cujus præsentiam dum coessenti populo indicâsset, formamque omnium conspectibus horribilem ex imperio denudâsset; requisitus postea quid ejusdem monstri tam petulans lætitia portenderet; ille mortem Regis regnique mutationem proximam esse denunciat. Cui mox prophetiæ veritas rerum contestata respondit. Nondum enim sol septies diem creaverat; * & Rex occiditur, & regnum mutatur. Ex quo satis est advertere, quanta hujus viri pectus gratia Dei regebat, qui invisibilem hostem tam facilè deprehendere & ejus vestigia tam veraciter posset denudare. Translatæ autem sunt exequiæ Regis Glastoniam, ibique à Beato Dunstano sub magnâ lugentis populi frequentiâ terræ commendatæ.

Rex occiditur, regnum mutatur.

Edredus frater Edmundi Regis.

Successit in regnum jure fratris vir egregius Edredus, homo cultor justitiæ ac pietatis, Deum valde diligens, & ipse à Deo multùm dilectus, ac per hoc paterno verbere quasi bonus filius crebrò ab illo flagellatus. In hujus conspectu venerabilis Pater Dunstanus adeò erat pretiosus; ut omni eum humano generi præferret, principem testamentorum statueret, thesauros ei delegaret, animam, corpus & regnum committeret; nec quisquam in toto regno Anglorum esset, qui absque ejus imperio manum vel pedem moveret. Proinde Dunstanus quasi Rex & Regis Imperator effectus, virgam æquitatis, virgam regni Dei per omnes Anglorum fines extendere; Ecclesias, quas aut ipse fundaverat, aut ab aliis fundatas egestas oppresserat, amplis hæreditatibus munerare, prorsus magnam populis lætitiam in suâ potentia facere. Dum pax & justitia in mutuos amplexus concurrerent, & osculandi munus per invicem [libarent.]

Mors Elphegi Wentanensis Episcopi.

Dum hæc ita geruntur, † Aelphegus primus, apud quem illum olim conversatum fuisse prædiximus, ad vitam spiritualis sæculi dispositus est. Existimans autem Rex tempus se opportunum accepisse, quo majoris honoris Dunstanum compotem faceret, aggreditur rogare illum, ut Ecclesiam pastorali solatio destitutam ipse pastor suscipiat. Sed cùm videret se quod suadebat persuadere non posse; Reginæ matri Eadgivæ verbum imposuit suadelæ. "Scio, inquit, carissima mater ac totius imperii Anglorum Regina; quòd "te amicus noster Dunstanus præcipuè inter homines diligat, in tuis autem "maximè operibus delectetur; dum quicquid pro concilio vitæ æternæ ipse "tibi præceperit, sive id esset in sustentatione pauperum, sive in muneratione Ecclesiarum, tu sedulâ semper executione implere non cessaveris. Qua "de re magnâ animus meus spe detinetur; ut si quid ab eo quod [me] at- "que illum deceat postulaveris, nullâ tibi ratione denegare velit. Decere "autem utrumque nostrûm, ut summum ipse attingat sacerdotium, omnibus

* Obiit Edmundus Rex anno 946. die festo S. Augustini, juxta Chronologiam Saxonicam. Occisum à latrunculo quodam Leof nomine, Malmsburiensis confirmat, lib. 2. de gest. Reg. cap. 7.

† Obiisse Elphegum anno 951. die festo S. Gregorii Chronologia Saxonica tradit. Illi Dunstanum Successorem à Rege delectum esse Adelardus & Osbertus etiam confirmat. Bridferthus tamen illum non Elphego Wintoniensi sed Æthelgaro Cridionensi substitutum ab Edredo fuisse refert; atque ipsius dignitatem recusantis loco Ælfwoldum delectum addit. Æthelgarus obiit Anno 953. ex Florentii fide.

" manifestum

" manifestum est; qui omnes honores vitâ & sapientiâ illius scimus esse infe-
" riores, & Regem Anglorum multis cæterarum terrarum Regibus noscimus
" esse potentiorem. Aggredere igitur, mi dulcissima, hominem fœminali fa-
" cundiâ; hortare eâ qua apud illum niteris gratiâ, ut tibi consentiat; qua-
" tenus ex hoc Deo familiariùs adhærere, & nos potentiùs valeat à peccato-
" rum vinculis absolvere. Paret itaque filio Regi mater Regina, Dunsta-
num asciscit convivio, demulcet alloquio. Sed ille juxta † etymologiam no-
minis sui, ut mons persistens immobilis. " Nolo, ait Domina, illud à me
" expeti, quod vel concessum meos animos perturbet, vel non concessum tu-
" os offendat. Neque enim nescio, quàm difficulter suam quisque ante tri-
" bunal Christi causam agat; nedum alienæ causæ cognitor aut judex existat.
" Quod si ista rationum maxima non esset; illa nimirum à suscipiendo Epis-
" copatu multum me cohiberet, quòd Dominum Regem constanti video
" languore periclitare, nec multùm me ab eo separari posse, cùm me tam
" sui patrem quàm totius regni Dominum ipse statuerit. Cùmque illa [o] ve-
gitantem suis adhuc rationibus tenere voluisset; motus ille aliquantisper; Cer-
tissimum, inquit, habeto, in diebus filii tui Pontificali infulâ me non esse
sublimandum. Inde fluctuantes animos gerens cubiculo se dedit; ibique se-
cum multa volventi somnus obrepsit. Et ecce adsunt Principes regni Dei &
Judices sæculi, venerabiles Christi Apostoli, Petrus & Paulus cum Sancto
Andrea, quasi de urbe Roma eidem egredienti occurrentes, & ad Montem
gaudii sibi se adjungentes. A quibus gratiosissimè salutatus, videbat singu-
los in singulorum manibus gladios enitere; quos omnes officiosa benignitate
sibi optulere. Cúmque visum per extensos ante se gladios duceret; hanc in
gladio Beati Petri legebat Scripturam aureis literis intextam. [p] *In principio
erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Cæterorum
verò gladii propria tenentium illos nomina habebant inscripta, Pauli Paulus,
Andreæ Andreas. Interea Andream exhilarato vultu aspicit conniventem,
& Evangelicis verbis audit præcinentem? *Tollite jugum meum super vos, &
discite à me; quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus
vestris.* Tunc à beato Petro jussus lævam extendere, modicum crepitantis fe-
rulæ ictum excepit; hoc ab illo audiens. Hoc tibi sit pœna abjecti & signum
ulteriùs non abjiciendi Pontificatûs. Ad cujus virgulæ tactum à somno evi-
gilans, divinitus se intelligit visitatum. Agit gratias Deo, cujus munere
ita se conspicit honoratum. Cúmque die illucescente Regi quæ viderat enar-
râsset; miratus ille tali enodatione visionem absolvit. Quoniam per arma
Apostolicæ benedictionis potestas exprimitur pontificalis; noveris te pro eo
quod hesterno die jugum Domini contempseris increpatum ac divinâ electio-
ne futurum Pontificem designatum. Porro quod, *In principio erat verbum*
gladio Beati Apostoli Petri inscriptum vidisti; cùm verbum Dei sit unigenitus
filius Dei, Deus apud Deum semper, homo autem pro hominibus inter homi-
nes factus; profectò scias te ejus Sedis principem futurum, quæ Christi nomi-
ne in urbe Cantuariorum cæteris Ecclesiis insignior celebratur. Hoc signo
divinæ prænuntiationis Dunstanus est glorificatus, & hac Regiæ interpretatio-
nis conjecturâ Pontifex designatus. O signum insigne! O gratiam gratis ho-
mini datam! O cordis illius sinceram puritatem! Adhuc summus Anglorum

[o] l. restitantem

Dunstanus videt Petrum & Paulum cum Sancto Andrea in visione Sancta.

[p] Joan. I. 1.

Verba Beati Andreæ Apostoli ad Sanctum Dunstanum.

[q] Matth. XI. 29.

Verba Regis de visione sanctâ.

† Paria de Dunstani nomine supra adnotaverat, *petræ firmitatem* significare dicens. Osbertus & Adalardus *montanum lapidem* ab eodem denotari volunt. Sanè antiqua Saxonum lingua Dun montem, ꞅtan lapidem seu petram significat.

Pontifex

Pontifex Odo in humanis rebus vitam agebat; & Dunſtanus in oculis ſuperni inſpectoris ſummus Pontifex erat. Mirandum valde, quòd ipſe adhuc terrigena Angelicis concentibus admiſceretur in cœlis; mirandum nihilominus quòd eum cœli cives frequentabant in terris. Quid cui præponam, hominem cœlicolis adjunctum, an cœlicolas homini deſtinatos, non ſatis comperio; niſi quòd in altero fœlicior, in altero erat ille ſecurior. Stupeant alii diverſas diverſarum virtutum donationes quibuſdam hominibus divinitus collatas; ego nihil ita magni pendo, quomodo hominem in hujus mundi turbinibus conſiſtentem, univerſa mundi animo tranſcendentem, & in amore conditoris quieſcentem; Martham videre miniſterio, Mariam deſiderio, fidem operantem, caritate ardentem. Sed nihil diximus; ſi ea, quæ reliqua ſunt, non dixerimus.

Nota de morte Edredi Regis.

At Rex Edredus * letali morbo correptus decidit in lectum; nec ullam evadendæ mortis ſpem medici promittebant. Celeriter itaque nuntios legat, qui patrem vitæ ſuæ Dunſtanum acceſſant, ut ſit ultimi arbitrii teſtis, confeſſionum ſuſceptor, & fidelis apud Deum interceſſor. Contriſtatus ergo ad animam Dunſtanus, quantâ velocitate potuit, amicum Regem inviſere pergit. Videns autem Deus illum & cordis dolore affligi & corporis laborem pati; non eſt paſſus, ut ultra illum afflictio tangeret, quin & dolorem lenivit & laborem imminuit. Nam cùm eſſet in itinere tendens ad palatium, & membra jejuniis confecta infatigabiliter fatigaret; vox de ſummo æthere delapſa inſonuit. Ecce Rex Edredus obdormivit in Domino. Cujus vocis emiſſione equus, cui inſidebat, percuſſus interiit. Comites tremuerunt, audientes quidem fragorem tonantis, ſed qui tonaret non intelligentes. Quibus ipſe rem aperiens, commendat animam defuncti Regis in manus æterni Regis; ſtatimque deferentibus nunciis audit, quod antè ſibi de cœlo Angelus abſolvit. Ingreſſus verò palatium Dunſtanus contemplatur dilecti hominis cadaver jacere, turbas comitum, qui aurati olim aſſiſtere (ſolebant) procul recedere; miratur commutationem, miſeretur conditionem. Deinde fidem, qua viventem dilexerat, defuncto quoque impendere ſtudens, corpus involutum in ſua ſuſcepit; debitumque ſepeliendi officium debitoque illi honore perſolvit.

Vox de cœlo ſonuit de morte Edredi Regis.

Edwy filius Edmundi Regis.

Edwy ſectabatur conſilia juvenum.

Poſt hunc ſurrexit Edwy, filius Edmundi Regis, ætate quidem juvenis, & nullâ regnandi gratiâ pollens; qui neque ipſe ſapiens, neque ipſe ſapientium conſilio adquieſcens; ſed alter Roboam deſpectis majoribus natu, puerorum conſilia ſectabatur. Hos ille perniciosiſſimos ſatellites nactus, & eorum non tam conſiliis quàm inſaniis fretus, optimum quemque rebus expoliare, locupletes proſcribere, exhæreditare Eccleſias, detrahere religioni, multiplices in civitatibus exactiones exercere. Nec ſolum alienis ab ejus cognatione illius obfuit crudelitas, verùm etiam Neronis more in homines ſuâ ſtirpe oriundos, in ipſam quoque matrem Reginam Edgivam ſua dementiâ debacchari. Præter hæc libidine ardens ſine intermiſſione æſtuabat ad coitum. Quibus rebus venerabilis Pater Dunſtanus graviter offenſus, frequenter eum ſimul & acriter in locis opportunis increpare, ille increpantem ridere, ſimulque illi multa mala minari. Poſtquam induſtriam ſuam nihil videt prævalere omnino; decernit ejus colloquio abſtinendum.

Edwy erat libidine plenus.

Itaque relicto illo, Monaſterio recipitur, ibique in tantâ celſitudine religionis degit, ut menſuram excederet Sancta devotio. Hoc in loco turris exſtructa erat, quam nec dum ulla in ſupremo cacumine tectura claudebat.

* Obiit Anno 955. ex fide Chronologiæ Saxonicæ, Malmſburienſis, Florentii, & Weſtmonaſterienſis.

Cúmque

Cúmque populus trabem totius operis sustentatricem summis muris applicare contenderet; repente ruptis funibus eadem trabes deorsum ruere cœpit. Clamor ingens totius populi Dunstanum iteratis vocibus perstrepentis. Advolat itaque ocyor Sanctus, elatam dextram machinæ opponit, è regione crucem depingit. Nec dum Sancta manus Sanctos extraxerat digitos; cùm ea quæ urgere cœperat trabes, non vinculis astricta, non machinis levata, non denique ullo humani ingenii apparatu sustentata, ad locum de quo ruere cœperat revehi videbatur. Si tantæ gloriæ malignus Spiritus non invideret; cui invideret? Si tunc virus malignitatis suæ non effunderet; quando effunderet? Nihil ergo dubietatis ulterius de viro Dei habens, semel atque simul omnes insidiarum suarum laqueos illi intendere statuit. Translatus itaque in speciem ursi, consimilem hianti, rictu orantem aggreditur, injectisque ungulis pastoralem quam manu tenebat virgam complectitur, atque ad se trahere conatur. At divinus Dunstanus divinitatis spiritu fortiter roboratus, retractum ad se baculum erigit in sublime, fugientem beluam dirissimè cædit, nec priùs monstrum cædendo desistit, quam flagellum in tergo illius tribus in partibus comminutum apparuit.

Miraculum de trabe.

Diabolus apparuit Sancto Dunstano oranti, in speciem ursi.

Dunstanus frangit baculum pastoralem super Diabolum.

Victus ergo in se Diabolus, in aliis victorem suum vincere quærit. Neque enim rerum occasiones longè absuerant, quibus id quod perversè moliebatur, in usus malignos transferret. Nam Rege præfato eodem, quo consecratus fuerat, die in turpes concubitus publicè devoluto, ac pro hoc omni Senatorio ordine offenso, nemine tamen ejus lasciviam redarguere auso, pari ac communi omnium voto Dunstanus compellitur, qui Regem constanter adeat, regium stuprum divinâ humanâque ratione compescat, mulieris adulteræ meretricium suspendii comminatione percellat. Fecit hoc ille, & parum est hoc. Repertum insuper cum adulterâ simul & filiâ illius Principem à mœchali thoro violenter abstraxit; positâque in capite ejus coronâ, ante Summum Pontificem Odonem adduxit. At ganea sanguineos intorquens oculos: tu, inquit, mortis me suspendio addixisti; ego te membrorum decore privatum sempiterno exilio damnabo. Cujus invectionis tenore spiritus nequam arrectus ultionem de viro Dei nefandæ meretricis impulsu expectat. Itaque mulieris animum instigat Diabolus, Regis iram mulier exaltat; Ambo exilium Dunstano intentant. Et primò quidem urgente Regis edicto † omnes Monasticæ Religionis Ecclesiæ suis rebus spoliabantur; ut quæ præcipuæ semper viro fuere lætitiæ, nunc eidem quàm maximo fierent mœrori. Deinde cùm ventum fuisset Glestoniam; & descriptis omnibus ipse proscriptus fuisset, inter lacrimas Monachorum ejus manu nutritorum, inter lamenta venientium ad se ex omnibus locis amicorum, inter gemitus pauperum consuetis stipendiis per singulos dies ab illo recreatorum, audita est in atrio Templi vox plaudentis Diaboli, quasi vox juvenculæ acriter atque minutè cachinnantis. Quem Sanctus Dunstanus severâ fronte suspiciens: nihil, ait, super exilio meo gratuleris, quoniam plus est quòd me redeunte doleas, quàm quicquid me exulante lætari valeas. Ad quod dictum pallidi regni pallidus minister abcessit. Dunstanus autem non immemor, quid sibi divinus olim Cytharœdus præcinuerit, immo Do-

Edwy commisit peccatum adulterii eo die quo consecratus fuerat in Regem.

Dunstanus traxit Regem à mœchali thoro.

Diabolus exultabat in exilio Dunstani.

† Communis illa Monachorum querela. Singuli sua Cœnobia ab Edwio Rege Dunstani odio oppressa clamitant. Si quis tamen rei veritatem excutiat; duo solummodò Cœnobia tunc temporis religionem Monasticam juxta Dunstani institutionem sectantia reperiet; Glastoniense sc. cui ipse præfuit, & Abendoniense, cui Ethelwoldum ante plures annos præfecerat. Hinc Tinmuthensis in loco superiùs citato. *Nam usque tunc non erant Monachi in gente Anglorum, nisi in Glastoniâ & Abendoniâ.* Eadem ferè verba habet Wolstanus in Vita Ethelwoldi, p. 615.

Sanctus Dunstanus applicuit in Flandriam.

Invidia mulieris in virum Dei.

Dunstanus exulat.

minicæ memor promissionis, qua beatos fore qui pro justitiâ persecutionem patiuntur Christus asseruit, marinis se fluctibus tradit, contrarium littus in gente Flandritarum attingens. Ubi eminenti coram Principe terræ illius gratiâ inventâ, manebat in Monasterio Beati Petri, quod situm est Gandavi, propterea quòd illud cæteris illius Regionis Monasteriis & professione virtutis & Philosophiæ documentis excellere videbatur. Nec tamen cessat vesana furentis mulieris insania; quin omnibus, qui virum Dei tempore suæ recessionis hospitio foverant, perscrutatis, proscriptis, damnatis, ipsius quoque oculis eruendis malignos transmitteret ministros. Verùm miserante divinâ clementiâ, cujus nunquam auxilio destituebatur, antè illum Gallia susceperat, quàm æquoreos servi Jezabelis fluctus attigissent. Exulat itaque Sanctus, † nulla exilii per gratiam Dei damna deplorans; Dum suis meritis ita sibi omnes devinciret, ut patriam esse exilium putaret. Super hæc illum amici Apostoli consolatio fovit; qui nullius rei, quam ipse expeteret, eum indigere permisit.

Edgarus, frater Edwy, constituitur in Regem.

Regnum Anglorum dividitur in duos Reges.

Respiciens ergo Christi clementia Anglorum populum tanto patrono destitutum, suscitavit corda virorum ab Humbre fluvio usque fluvium Tamisim, supra quem civitas Londoniarum est fundata, adversùs Regem Edwyum. Qui omnes quasi in unum hominem translati, non modò regnum ipsius abjicere, verùm etiam ipsum regno expellere moliti sunt: propterea quòd in commisso regimine insipienter egisset, sapientes disperderet, ignaros boni suis consiliis ascisceret; prorsus libidine atque arrogantiâ præceps abiret. Coacti itaque Regem cum adulterâ fugitantem atque in viis sese occultantem armis persequi non desistunt. Et ipsam quidem juxta * Claudium civitatem repertam subnervavere: deinde qua digna fuerat morte mulctavere. † Porro Regem per diversa locorum semetra deviantem ultra flumen Tamisium compulere. Deinde accito fratre illius optimæ indolis adolescente, nomine Edgaro, quem futurum Regem cœlesti quondam oraculo designatum fuisse prædiximus, dum pacem regnique salutem suis ac temporibus Dunstani Angeli prædicerent; statuunt illum Regem super omnes Provincias ab Humbre magno flumine usque ad flumen Tamisium; quo flumine amborum regnum ab invicem dirimebatur. Ita regnum quod unum fuerat, in duos Reges divisum, gravibus aliquantisper conflictibus bellorum sudabat. Impleta tunc veridica illa Salvatoris sententia, qua omne regnum in seipsum [divisum] asseritur destruendum, & domum supra domum esse casuram. Edgarus quotidie erat proficiens, ut David, pietate ac fortitudine; atque, ut Salomon, sapientiâ, divitiis & gloriâ. Domus autem Edwy indies decrescere, cùm ipse in flagitiis crescere non desiverit.

---

† De loco, quo exul delituit, ista habet Adalardus Blandiniensis in Vita ejus MS. Lect. 7. " Dunstanus autem exilio pro " justitia ascriptus, mare transiit, regiæ " stirpis virum magnum videlicet adiens " Arnulfum. Hic tempore eodem nobi- " le quoddam Cœnobium, nomine Blan- " dinium, à Sancto quodam Amando " structum, in majori elegantia renovavit; " ibique magnum Dei Sacerdotem Wan- " dregisilum cum sociis Archipræsulibus " nutu Dei transtulit. Quo B. Dunstanus " aliquamdiu moratus, exempla lucis imi- " tanda reliquit.

* Sc. Claudiocestriam, hodiè Glocestriam, Civitatem Glavorniensem Osbertus vocat.

† Mota est hæc Rebellio anno 957. juxta Florentium, Simeonem Dunelmensem, & Florilegum. Quòd eam Spiritu Dei excitatam Osbernus affirmat, nil mirum. Ut excitaretur enim summoperè interfuit Ordini Monastico, quem Edwius infensissimo odio prosecutus est.

Post

Post autem paucos dies electionis suæ præcepit Edgarus Diarcha totius regni sui Concilium celebrari; in quo Concilio annihilatis omnibus, quæ à fratre ejus iniquis fuerant legibus decreta, ac restitutis omnibus quæ violentâ illius fuerant dominatione ablata, Dunstanum quoque venerabilem Patrem Abbatem in magnâ gloriâ de exilio revocavit; & majore quàm ab omnibus antè Regibus honoratus fuisset gloriâ sublimavit. Cui etiam ut Pontificale decus susciperet, vehementi petitione innuit; nec antè à precibus quiescere voluit, quàm illum à sententiâ ad consentiendum retraheret, & Ecclesiæ Wigorniensi, quæ sub honore Beatæ Virginis Mariæ pollebat, Pontificem præficeret. * Qui cum Doroberniam sacrandus adveniret, & recitatâ petitione Cleri & populi Summus Dei Sacerdos Odo gaudenter annuisset; mirabile dictu, cæterum Consecrationis ministerium, non quasi super antistitem Wigorniorum, sed sicut super Archiepiscopum Cantuariorum mirabiliter atque hilariter absolvit. Qua de re à circumstante Clero reprehensus, quòd contra Patrum decreta ageret, qui unius Ecclesiæ duos prohibent esse sacerdotes, nec per jus hæreditatis fieri electionem successionis; tale fertur responsum dedisse. Si divinis humana non cederent; Jure mihi hominum autoritas prætendi posset. Nunc verò quia author omnium Deus est; non possum non illud facere, quod spiritus Dei dignatus est præcipere. Erit namque Beatus ille proximus post mortem meam hujus sedis Archiepiscopus, & adversùs mundi Principem fortissimus præliator. Hac ille summi Pontificis ratione defensus, procedit ad populum: Summus est ille Pontifex Cantuariorum prætitulatus, gestans insignia Aaron non legis velamine adumbrata, sed divinæ propitiationis munere per gratiam Christi insignita. Inde ad Ecclesiam, quæ sibi fuerat consignata, reversus atque in cathedrâ Pontificali sublimatus, recordatus est quid olim exultante Diabolo promisisset, cùm illum Regalis impietas exilio ascripsisset. Itaque obviis in illum manibus insurgere, membra ejus evangelico gladio dividere, & omnes quæ circumquaque errabundæ ferebantur, ad dominicum ovile revocare.

Dunstanus revocatur de exilio.

Intera mortuo impiissimo Rege Edwyo, atque in sortem malignorum spirituum translato, Dunstanus in Ecclesiâ, cui præerat [f] Deividis meditationibus inserviebat, nihil sciens quid de Rege actum fuisset. Et ecce tartarea cohors sub ejus aspectu exultando quasi chorum ducere, & veluti de captâ prædâ lætas victorias agere. Perscrutatus itaque Sanctus causam lætitiæ, audit Regem obiisse, animam illius statim gehennalibus incendiis tradendam, sed priùs hoc Dunstano ex divino imperio nunciandum. Motus itaque pietate Dunstanus solo tenus prosternitur; largifluus ex oculis lachrimarum imber producitur; pulsat Deum precibus, nec ab illo orando quiescit, quousque spiritum Regis liberatum agnoscit. Brevi autem morulâ peractâ redit tristis legio infernalis; magnoque clamore in has voces erumpit. O te hominem hominum! O fidei alienum! O nostris beneficiis semper ingratum! Nos detulimus obsequium; tu nobis retulisti supplicium; ad ulciscendas injurias tuas de regione tenebrarum venimus, & ecce adversis imprecationibus tuis

[f] *f. divinis.*

Anima Regis Edwy traditur ignibus gehennalibus & liberatur per orationes Sancti Dunstani.

Clamores dæmonum de amissione animæ Regis.

* Kinewaldo seu Coenwalchio in Sede Wigorniensi substitutus est anno 957. authoribus Florentio, & Florilego. Bridferthus illum in Synodo Bradanfortensi in Episcopum ordinatum fuisse, ut Regi à consiliis esset; postea verò Cynewaldo Wigorniensi Successorem datum esse refert. Vix credibile tamen est Dunstanum nulla Sede, quam obtineret, designata Episcopum ordinatum esse; quamvis binos Episcopatus Wigorniensem & Londoniensem, & postea Cantuariensem & Roffensem, simul retinendo sacros Canones postea impunè violaverit.

confusi redimus. Cúmque ille depromendæ veritatis præceptum dæmonibus indiceret; agnoscit animam Regis Angelicâ virtute illis sublatam, ad statutum terminum sub signaculo servatam, nihil juris in illam dæmones habere, sed in sortem pœnitentium animarum eandem cedere. Tum ille exultans in Domino, furores illorum tali ratione compescuit. Quid, inquit, injustè actum est vobis? Si peccavit homo iste in Christum, & in me peccavit. Sed quoniam meas propter Christum dimisi injurias; dimisit & suas Christus, cùm ejus ego clementiam deprecatus sum. Quod ergo Christus & ego dignati sumus clementer indulgere; vos qua temeritate audetis improbè reprehendere? Qua sententia tetri spiritus quasi Parthicâ percussi sagittâ muscarum modo à vento raptarum dissiliunt. *

Responsum Sancti Dunstani dæmonibus pro animâ Regis.

At Edgarus totius imperii Monarcha effectus, cogitabat beatum virum super omne Regnum constituere; nolens in regno sine illo crescere, quem ante Regnum præ cæteris studuerat familiariùs diligere. Unde apposito Patribus suis Londoniensi Episcopo, rogatu Regis ac Principum Dunstanus successioni donatur, annuentibus quoque omnibus ejusdem urbis habitatoribus, & importunis vocibus illius nomen acclamantibus. Audierant namque, quàm fuerat à primævâ ætate Deo acceptissimus, quàm in illâ cui præerat Ecclesiâ sollicitus, quàm denique in omni re bonâ & optimâ promptissimus; & ea re noluerunt habere alium, cùm possent habere lectissimum. Neque enim illum juvit excusatio, Canonum authoritate prætensa, qui sicut unam Ecclesiam duobus esse Episcopis contradicunt, ita duas Ecclesias uni Episcopo fieri posse non permittunt. Cùm Johannes, inquiunt, dilectus Domini septem Ecclesiis atque earum Episcopis præfuerit, & Beatus Paulus omnium sollicitudinem Ecclesiarum simul & magisterium habuerit. Talibus Beatus Pontifex rationum testimoniis Lundanæ urbis Antistes inthronizatur, non relinquens eam quam antè habuerat Ecclesiam, sed utrique præsidens, utramque regens, utriusque verus ac proprius Pontifex existens. Habes ergo, Sanctissime Pater, gladium Pauli, quem tibi cœlitùs destinatum olim ipse detulerat & ad dividendos Ecclesiæ inimicos habendum tradiderat. Et quamvis prior tua Pontificalis potestas non absque vigore evangelicæ disciplinæ administrata sit; non tamen eam aut gladio aut personâ præsidentis præmonstrari oportuit; propterea quòd neque virginem gladius decet, viros autem decet; neque immutando locum mutâsti obsequium, cùm à virgine transires ad virginem, à matre Domini ad matrem Domini, à Beata Mariâ ad eandem Dominam. Accingere ergo bellator fortissime, accingere gladio potentiæ Dei, factus potens per eum, qui supra femur est potentissimus ad dimicandum adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Divide illos, qui per nefarium scelus illicito abutuntur matrimonio; nec revocet ab inferendâ ultione aut regalis potestas aut Romani Pontificis singularis sublimitas. Da sententiam in populi seductores argentarios; & non priùs ad

* Edwius Rex fato cessit anno 959. ex fide Historicorum ferè omnium, præter Chronologiam Saxonicam, quæ illum obiisse male refert anno 957. quo ab Edgaro fratre imperii parte spoliatus est. Cautè quidem animæ ejus miserti sunt Monachi; ne mutilaretur deinceps solennis illa Chartarum à Regibus impetrandarum formula: *In salutem animæ nostræ, & animarum omnium Antecessorum nostrorum.* Si verò Dunstanus tanta blasphemia refertum, quale Osbernus exhibet, responsum Dæmonibus dederit; vereor ne desit qui animæ ipsius misereatur. Mitiora autem sentienda sunt. Sic enim sæpe evenit; ut stulti Monachi Sanctos, quos nulla veritatis ratione habitâ laudare volunt, in monstra convertant.

sacrum

sacrum altare die Pentecostes oblaturus procedas, quàm & illos vindicta feriat, & populo Dei justitia præveniat. Ubique tuarum signa virtutum relinque; ubique dominicæ crucis trophæa erige. Promereberis etenim post modicum gladium Petri, in quo innumera sicut Petrus omnium generum animalia occides, & in corpus Ecclesiæ manducando trajicies. Promereberis, inquam, gladium Petri insignitum nomine omnipotentis filii Dei; ut in omni Anglorum latitudine ligandi solvendique potestas per illum tibi augeatur; nec valeat in ovile intrare ovium, qui te ductore non ascenderit per ostium. Quàm meritò ostium horrei Dorobernia * sonat; ut horreum sit amplitudo imperii Anglorum, Ostium verò principatus Ecclesiæ Cantuariorum.

Sanctus Dunstanus dedit sententiam in die Pentecostes super argentarios seductores.

Excessit ergo humanis rebus, deductus Anglorum manibus ad paradisum, Princeps Sacerdotum Odo, vir clarus sapientiâ & virtute laudabilis, & nisi Dunstanus succederet, ab omni Anglorum orbe semper deflendus esset. Post cujus obitum cùm Rex Dunstanum adjuraret; ut Princeps fieret Sacerdotum, nec † ille adjuranti ullâ ratione assensum accommodaret; Assistunt quidam (quorum manus Wentoniæ Episcopus Alffinus impleverat) postulantes confirmari illi summum sacerdotium. Hic enim & ante Odonem Summum Sacerdotium ** ambierat; sed custos Ecclesiæ suæ Christus ambitionem illius impediebat. Itaque Rex eos qui muneribus Pontificis corrupti fuerant nihil suspiciens, & ob hoc simplici eos animo exaudiens, orbatam pastore Ecclesiam eidem tradidit gubernandam. Sed cùm Romam profectus fuisset, ut Pallium à sede Apostolica susciperet; gravi inter Alpes frigore correptus miserè interiit; dignâ sibi ultione divinitus recompensatâ, ut qui ab amore cœlestium, friguisset in corde; per frigoris asperitatem periret in corpore: Et qui alienos honores ambire præsumpsisset, ipse in alienâ regione mortuus honorem pariter & vitam amitteret. Iterum preces de Archiepiscopatu Dunstano funduntur, nec quicquam in animo illius confessionis operantur. Quapropter eligitur ad Patriarchatum Cantuariensis Ecclesiæ Bryhtelmus Dorsatensium Episcopus, homo mansuetior quàm industrior, & qui suæ magis quàm alienæ vitæ nosset consulere. Is post paucos suscepti Pontificatûs dies cogitans, quòd ad tantam rem minùs esset idoneus, jussus à Rege & omni populo Cantuariâ discedit, atque ad relictam nuper Ecclesiam suam non sine verecundiâ redit. Dominus namque agebat pro Dunstano; ut impleret verbum suum, quod promiserat in manu Principum Regni sui.

Odo Cantuariensis Archiepiscopus obiit.

Alffinus obiit miserè inter Alpes.

Brythelmus eligitur in Archiepiscopatum Cantuariensem.

Advertens autem Rex Edgarus horum reprobationem melioris esse vocationem, solumque in omnibus hominibus esse Dunstanum, cui nemo conferri, immo [qui] omnibus posset præferri, tertiò illum precibus fatigatum tandemque tum suiipsius tum omnium Episcoporum importunitate superatum primæ Metropolis Anglorum Primatem ac Patriarcham instituit. Quem st tim ob robur Apostolicæ fidei vel authoritatis ad Romuleam urbem Romanus Pontifex videre promeruit; cumque sacris Pontificalibus decoratum, quasi Angelum Domini exercituum ad exhibendam divinæ legis scientiam, aut quasi columnam

Dunstanus eligitur in Archiepiscopatum Cantuariensem.

* Insulsa Etymologia; quam tamen Anglorum lingua non respuit.

† Non sic solebat Dunstanus oblatos honores respuere. Delatum fuisse illi ab Edgaro Rege post Odonis atque iterum post Alffini obitum Archiepiscopatum Cantuariensem, merum est Osberni figmentum. Quod in Dissertatione enim de verâ Successione Archiepiscoporum Cantuariensium ostendimus; jus Archiepiscopum Cantuariensem nominandi tunc temporis penès Edgarum non fuit, sed penès Edwium, qui Dunstanum angue & cane pejùs odit.

** Adversarios suos, & in his Alffinum, Monachi strenuè calumniari solent. Certè Alffinus Sedem Metropoliticam pariter cum Odone ambivisse minimè credendus est; qui Sedem Suffraganeam non nisi post tredecim circiter annos accepit.

Lucis

lucis ad illuminandam faciem terræ, genti Anglorum transmisit. Ecce quemadmodum impleta sunt, quæ per gladium verbo Dei inscriptum ac beatâ Principis Apostolorum Petri legatione exhibitum tanto ante prænunciata fuerunt? Sed quid sibi vult quòd de manu tertii Apostoli tertium gladium acceperit; cùm in Ecclesiâ, quæ sub ejus nomine apud Rofensem [urbem] venerabilis habetur, Pontifex nequaquam sederit. Sedit planè potestate etsi non corporali sessione. Sedit, inquam, potestate, imperio sedit, defensione sedit, beneficiis sedit.

Dunstanus erat Archiepiscopus Cantuariensis & Episcopus Rofensis simul.

Sed ne virtutum illius gratiâ urbs Cantuaria esset privata, aut augmentum suscepti honoris diminutio præteritæ videretur fuisse virtutis; dignatus est Spiritus Sanctus novis quibusdam gratiæ suæ principiis ita virum in Ecclesiâ Salvatoris clarificare, ut mirabilis ipse extra naturam hominis videretur esse. Nam cùm die adventus sui primò sacris altaribus assisteret & populo Dei vivificum panem distribuendo porrigeret; repentè contectâ nube domo columba in Jordane à Johanne olim visa iterum apparuit; quæ quousque sacrificium fuisset consumptum, super illum mansit. Cùmque consumptum fuisset sacrificium; requievit supra memoriam Beati Odonis, quæ ad australem partem altaris in modum pyramidis exstructa fuit. Ex qua die ita Pontifex meritum ejusdem hominis Dei reveritus est; ut nunquam pertransiret, nisi genua flecteret, bonumque illum vocaret, ita dicens. Hic requiescit Odo bonus.

Spiritus Sanctus apparuit in specie columbæ ipso assistente sacris altaribus.

Spiritus Sanctus requievit supra memoriam Beati Odonis.

Dunstanus nunquam prætèribat nisi diceret, Hic requiescit Odo bonus.

Per idem tempus quidam magnus videlicet & potens Salvatori ædiculam instituit; ad quam sacrandam & jure proprio possidendam venerabilis Pontifex Dunstanus invitatus accessit. Ubi enim ad ministerium dedicationis aqua defuisset, ac per hoc invitatori verecundia accessisset; ad vocem viri, quam per naturam non habuit, per gratiam Dei arida rupes aquam profudit. Quæ de eadem rupe usque hodie manat, ac salutiferum fidelibus poculum præbens, Dunstani nomen celebre facit.

Arida rupes profudit aquam.

Dunstanus igitur candidâ apostolatûs sui stolâ à Romano, ut diximus, Pontifice infulatus, & omni se Anglorum genti necnon & aliis regionibus Anglorum regno suppositis Patriarcha destinatus, festinabat singulas regionum digredi civitates; ut si quibus nomen fidei incognitum fuisset, prædicaret, & domesticos fidei apostolicâ traditione ad bonum opus instrueret. Nec facile erat quempiam auditorum ejus non esse docibilem; propterea quòd tanta illi rerum subtilitas inerat, tanta dicendi facultas; ut nihil esset aut inventu sapientius, aut dictu ornatius, aut auditu jocundius. Cùm autem à forinsecis rebus requies data fuisset; tunc conjunctiùs cum Deo manere, sacris vigiliis insistendo, divinas Scripturas legendo, aut earum codices emendando; summumque studium erat, ut nunquam à divinis operibus vacaret. Sed nunc verum judicium inter virum & virum discernere, nunc impacatas hominum mentes placido sermone tranquillare, horum inepta dissolvere conjugia, illorum hæreticam refutare opinionem, hìc neglecta renovare, illic nova construere, neque aut superfluas ædificationes aggredi, aut necessarias prætermittere; viduis, orphanis ac peregrinis ex justis Ecclesiæ redditibus subvenire, pecuniam non lucri æstimatione sed pietatis acquisitione habere. Totam operam suam Patriæ impendens, & magis expellere ejus excidia quàm propria pericula. Proinde Rex consilio ejus ut vitæ suæ credens, omne quod ab eo diceretur quasi ab omnipotentis ore prolatum fuisset, suscipiens, quæcunque statuenda [erant, statuit; quæcunque damnanda] damnavit. Hoc consiliario omnes diabolicæ malignitatis ministros, fures, sacrilegos, perjuros, fidei violatores, veneficii compositores, libidinis appetitores; ad hæc quicunque contra Patriam conspirâssent, qui in parentes manus extendissent, Mulieres etiam quæ adulterinâ fraude viros suos interfecissent, postremò omnes quos irato Deo vivere sciebat, ex omnibus regni sui finibus proturbatos, diuturno aut perpetuo relegavit exilio.

ilio. Hujus quoque consilio omnes Ecclesiarum ministros, qui spreto professionis suæ ministerio aut venandi studio intenti, aut quæstuosis negotiis dediti, seu * concumbendi insolentiâ deturbati, ætatem agere solebant, omnes hos aut districtâ animadversione decrevit coercendos, aut citâ subversione de Ecclesiis expellendos. Ex quo factum est, ut quarundam clarissimarum Ministri Ecclesiarum, dum in eligendo quodcunque deliberarent, voluptatem honestati præferrent, regali sanctione de eisdem Ecclesiis expulsi, melioribus se & alterius ordinis hominibus sua loca relinquerent. Propter hæc igitur sanctissimæ instituta disciplinæ tantus in regno Anglorum divinitatis cultus excrevit; ut & nobilissimi quique aut in seculo potentissimi spretis omnibus mundi pompis ad divina confugerent servitia; & ii, quos jam ecclesiasticus ordo admiserat, de virtute contenderent, scientes neminem ad honorem posse pertingere, quem non virtutum merita juvarent. Ob hujus quoque disciplinæ excellentiam tanta pacis constantia, tanta rerum extitit opulentia; ut omnia mundi elementa ipsum quoque elementorum creatorem Deum Regiis temporibus arridere putares. Sic Pontificis sapientia dictabat Regis justitiam, Regis justitia obtinuit Dei misericordiam, Dei autem misericordia omnium rerum præstitit abundantiam.

Sed hæc communia totius Ecclesiæ gaudia cupiens disturbare malignus, accendit animum Christianissimi Regis in amorem Deo devotæ virginis; ut quoniam à tramite justitiæ Dunstanum dejicere non potuisset, eum quem precipuè Dunstanus diligebat & super quem totius Religionis vigor incumbebat, dejicere temptaret. Perpetrato itaque in virginem peccato, atque ad publicam populi audientiam perlato, Dunstanus tam pro culpâ quàm pro infamiâ Regis gravissimo dolore affectus, mox illum veluti alterum David cum Bersabea dormientem alter ille sed valdè severior Nathan intrepidus adiit, furibundus ad eum introiit. Assurgens autem Rex obviàm Pontifici extendit manum; ut eum ad Regium deduceret thronum. Qui renuens manum dare, oculos cum quadam animi indignatione in illum torsit, & ait: Tu Pontificis manum audes contingere, qui virginem deitatis munere arratam non timuisti præripere? Sponsam conditoris tui adulterâsti, & amicum sponsi aliquo tuo obsequio existimas posse placari? Nolo amicus esse, cui Christus fuerit inimicus. Territus ergo verborum tonitruo Rex, objurgantis se pedibus Pontificis extemplò prosternitur, scelus flebiliter fatetur, veniam humiliter precatur. Quod ut vidit Pontifex, expavit; perfusumque Regem lacrimis, lacrimis & ipse madens, tellure levavit. Deinde cùm magnitudinem peccati & amplificationem exposuisset, & paratum illum ad omnem satisfactionem reddidisset; Septennem ei pœnitentiam indixit. In toto spatio coronam regni sui non gestaret, jejunium in hebdomadâ biduale transigeret. Avitos pauperibus thesauros largè dispergeret. Super hæc sacrandis Deo virginibus Monasterium quoddam fundaret; quatenus qui unam per peccatum Deo virginem abstulisset, plures ei per plura sæculi volumina aggregaret. Clericos etiam malè actionales de Ecclesiis propelleret, Monachorum agmina introduceret, justas Deoque acceptas legum rationes sanciret, sanctas conscriberet Scripturas, per omnes fines imperii sui populis custodiendas mandaret. Nihil ergo residuum erat, quod minùs aut segniùs Rex impleret, quàm à rectore vitæ

Edgarus commisit peccatum luxuriæ in virginem Deo dicatam.

Sanctus Dunstanus noluit extendere manum ad Regem propter peccatum suum.

Sanctus Dunstanus indixit Regi septennem pœnitentiam, & quòd in toto spatio non gestaret coronam Regni.

* Nota est Dunstani in Clerum conjugatum rabies; quot machinas adhibuerit, quot portenta commentus fuerit, ut nuptiarum licentiam illis extorqueret. Nil tamen aliud effecit; quàm ut Clerici Ecclesiarum Conventualium Monachis aut locum cederent, aut conjugio renunciarent, quod pauci admodum admittere voluerunt.

ſuæ præceptum fuiſſet. Septimo autem anno cùm redeunte quaſi jubileo termino pœnitentiæ tempus exactum fuiſſet; Sacer Præſul accitis omnibus imperii Anglorum Principibus, Epiſcopis, Abbatibus, & Univerſis Eccleſiaſticæ dignitatis Ordinibus, impoſuit Regi coronam coram omni Anglorum multitudine, lætantibus cunctis & ineffabilibus jubilationis vocibus Deum in Dunſtano laudantibus.

Dunſtanus impoſuit Regi Edgaro coronam ſeptimo pœnitentiæ ſuæ anno.

Interea tantâ Clericalis Ordo quibuſdam in locis confuſione agebatur; ut non ſolùm à vita ſæcularium excellentius nihil haberet, verùm etiam improbis actibus longè inferior jaceret. Qua de re paſtores Eccleſiarum turbati Dunſtanum, ut proprium Primatem, adeunt; res malè geſtas exponunt, correctionis conſilia perquirunt. At ille in homines nefandos ſuæ authoritatis proferens ſententiam: Aut canonicè, inquit, eſt vivendum, aut Eccleſiis exeundum. Ex quo factum eſt, ut complurium Eccleſiarum Clerici, dum contemnerent propoſitâ conditione corrigi, authoritate Pontificis ſunt expulſi. Qui Rege adito, vel quos Regis gratia proximos effecerat, Dunſtanum injuriarum accuſant; ſe virtutis amatores pronuntiant; ut in præſentiâ Regis conveniatur, orant. Dunſtanus itaque his quæ quaſi irrationabilitèr poſtulabantur, contraire volens, coacto Concilio * Wentoniam venit: ibi ex ſententiâ totius Concilii de adverſariis victoriam cepit. Cúmque ex jure nihil ſibi ſupereſſe conſpicerent; uſi auxilio Regis & Principum, ad preces ſe vertunt; quibus Epiſcopum flagitant, quatinus intromiſſæ perſonæ de Eccleſiis expellantur, expulſæ reſtituantur. Dubitante igitur viro Dei, nullumque ad rogata reſponſum porrigente, Res mira & ſæculis inaudita: Ecce Dominici corporis forma vexillo crucis infixa atque mediocri domûs parte locata, humanos exprimens modos, omnium voces compeſcuit, dicens: *Abſit hoc, ut fiat; abſit hoc, ut fiat.* Ad quam vocem Rex omneſque majores natu fere uſque ad exalationem clamore pariter & Dei laudatione aerem complent.

Miraculum de cruce domini.

Et his quidem adverſariis viventibus ceſſatum eſt à contentionibus; quouſque per ſucceſſionem filiorum prior diſcordia renovata eſt. Qui abeuntes & iniquitatis ſuæ defenſorem Beornelmum Scotorum Pontificem aſſumentes, hominem videlicet tam ingenio quam loquacitate ferè inſuperabilem, ad hominem Dei in villam, quæ vocatur Kalne, tendunt; turgenti ſpiritu ſcandalum proponunt. Dunſtanus autem longo quidem ſenio & magnis Eccleſiæ laboribus effractus, jam præter orationem poſt tergum omnia poſuerat. Attamen ne pars iniqua divino quondam miraculo victa, nunc de adipiſcendâ gloriaretur victoriâ, hoc in hoſtes reſponſionis jaculum vibrat. "Quoniam, "inquit, tanto tempore elapſo calumniæ cauſam non protendiſtis, nunc au-"tem ſeneſcente me ac taciturnitati operam dantem antiquis querelis deſer-"vire contenditis; † fateor vincere vos nolo; Eccleſiæ ſuæ cauſam Chriſto "judici committo. Dixit, & quod dixit irati Dei cenſura firmavit. Mox enim concuſſa eſt domus, cœnaculum ſub pedibus ſolutum, hoſtes ſolo præcipitati ac ruentium trabium pondere oppreſſi ſunt; ubi verò cum ſuis Sanctus accubitabat, ibi nulla ruinæ ſuffuſio fiebat.

De Beornelmo Scotorum Epiſcopo.

Ultio divina in adverſarios Sancti Dunſtani.

* Concilium Wintonienſe anno 975. in interregno habitum volunt Florentius & Weſtmonaſterienſis. Rectiùs Chronicon Wintonienſe MS. (à Spelmanno citatum, Concil. Angl. Tom. 1. p. 491.) illud anno 968. habitum ponit. Anno autem 975. Concilium Calnenſe coactum videtur. Certè ſub Edwardo Martyre celebratum fuiſſe omnes conſentiunt. Obiit is ineunte anno 978. Fucum igitur Lectori facit Osbernus: qui integram ætatem duobus Conciliis interceſſiſſe prodit.

† Meliùs Capgravius (in Legendâ Novâ, fol. 94.) Dunſtani verba ſic refert: *Fateor, vinci nolo.*

At

At Rex Edgarus immaturâ morte præreptus, Edwardum filium suum & regni & morum hæredem reliquit. In cujus electione dum quidam Principes Palatini acquiescere nollent; Dunstanus arrepto crucis vexillo, quod præ se ex more ferebatur, in medio constitit. Edwardum illum ostendit, elegit, sacravit; Patrisque ac Magistri affectum quoad vixit ei impendit. Versumque in gaudium omnibus est, quod paulò antè triste putaverant; existimantes juvenem Regem inhumanum futurum, consilia sapientum non curaturum, sed pro libidine omnia acturum. Sed postquam secus esse cognovere, secus & ipsi rem tenuere; & displicuisse sibi Regem vehementer displicuit. Sed illo post triennii tempus novercali fraude occiso, Ethelredus, quem fama fratrem ejus loquebatur, regnandi sceptra obtinuit. Quæ res quamvis infesto fieret Dunstano, vel quia per effusionem sanguinis innocentis ad regnum pervenerit, vel quoniam parùm prudentiæ ac fortitudinis illi inesset; non erat tamen consilium resistere, propterea quòd filius Regis & proximus tunc hæres videretur esse: Attamen in die Consecrationis suæ post impositam * coronam fertur Dunstanus hoc illi prædixisse. "Quoniam aspirâsti ad regnum per " mortem fratris tui, quem occidit ignominiosâ mater tua; non deficiet gla- " dius de domo tuâ, sæviens in te omnibus diebus vitæ tuæ, interficiens de " semine tuo, quousque regnum tuum transferatur in regnum alienum, cu- " jus ritum & linguam gens cui præsides non novit. Nec expiabitur nisi " longâ vindictâ peccatum tuum, & peccatum matris tuæ, & peccatum vi- " rorum qui interfuere consilio ejus nequam.

Ethelredus frater Edwardi Regis.

Prophetia Sancti Dunstani de tempore Ethelredi Regis.

His temporibus contigit Ethelwoldum Wentanæ Ecclesiæ antistitem cum alio quodam Rofensi Episcopo Cantuariam venire, magnumque Dunstano de adventu suo gaudium præstare: propterea quòd ejus curâ alti, docti, ac per varias virtutum disciplinas ad summos Ecclesiæ honores fuissent provecti. Plerisque ergo diebus in mutuâ sermocinatione simul & exultatione peractis, egreditur Archiepiscopus de civitate, volens ad locum Ecclesiæ Christi mansionarium proficisci. Illi verò comitabantur, deducentes eum quousque illos via dirimeret, quæ unumquemque ab altero separatum ad locum quo ire disponebat dirigeret. Cúmque imminente jam vesperâ procul adhuc à loco distarent (tardiusculè enim quàm hora postulabat de urbe exierant) deprecatur Archiepiscopum Rofensis Antistes, ut ad vicinum Ecclesiæ suæ patrimonium divertat, nocturnum tempus secum transigat, manè verò si ita placuerit migrationem faciat. Cujus ille postulationi dignanter annuens, ait: si confrater noster Ethelwoldus mecum venire voluerit; in me nulla veniendi mora erit. Assentiunt ergo Pontifices in eodem, pariterque paratum sibi habitaculum subeunt. Jam aurea lux noctis fugaverat umbras, cùm Beati illi in viam progressi collem ascendunt, inde ab invicem vicariâ pacis relatione dividendi. Extendens autem manum summus Dei sacerdos, ut coessentes secum minores Pontifices benediceret atque dimitteret; extemplo erupit in fletum, fletum adeò magnum, ut vix de sancto pectore vocem valeret efferre. Expavescunt ad factum Pontifices insolitum, fletuum causas solliciti perquirunt; & post modicum hoc ad quæsita responsum accipiunt. Eâ, inquit, re fleo, quoniam vos in proximo morituros scio. Cùmque illi referrent. Noli, Sanctissime Pater, tam dirâ nobis prophetiâ occurrere. Non enim moriemur, sed iterum atque iterum pariter nos incolumes videbimus. Tali, quod dixerat, responsione firmabat. Quod dixi necesse est fieri. Moriemini namque huic

De Archiepiscopo Cantuariensi & duobus aliis Episcopis scilicet Wyntoniæ & Roffensi.

Dunstanus erupit in fletum benedicendo Episcopos.

Prophetia Sancti Dunstani de morte duorum illorum Episcoporum.

* Coronatus est à Dunstano apud Kyngston anno 978. 18. Cal. Maii. juxta Florentium; anno 979. 8 Cal. Maii, die Dominicâ, juxta Westmonasteriensem. Rectiùs ille.

sæculo, sed vivetis Deo. Moriemini, in hac vitâ diutius non mansuri; sed ad Deum vadetis æternaliter cum illo victuri. Divertunt ergo Pontifices ab invicem mœrentes pro invicem, magis tamen pro se quisque pio timore sollicitus. Sed Roffensis Episcopus abiens in civitatem suam, mox ut intravit, vehementer ægrotavit; postque paucos dies, prout veriloquus prædixerat vates, ex sæculo migravit. * Athelwoldus verò priusquam ad propriæ sedis urbem venisset, ultimo corporis languore correptus cœlestis sedis habitationem suscepit. Super cujus morte venerabilis Pater admodùm contristatus sive quòd sanctissimæ semper religionis fuerit, seu quòd magnam de substituendo Sacerdote litis occasionem viventibus dereliquerit; deprecatus est Dominum desertæ Ecclesiæ benignum fore provisorem. Cui mox deprecanti assistit familiaris suus Andreas Apostolus; precibus ejus Deum dicit annuere; Bathensem Abbatem nomine Elphegum monet adducendum, & ex divinitatis consilio Wentanæ Ecclesiæ Antistitem præficiendum. Ita quicquid rerum ipse desideràsset, per interpretem Apostolum confestim à Deo consequebatur: Sed & ille vicem honoris Apostolo persolvens, in omni obsequio illi studebat deferre, Basilicas in nomine ejus fabricare, fabricatas muneribus decorare.

Roffensis Episcopus mortuus secundùm Prophetiam Sancti Dunstani.

Athelwoldus etiam moriebatur antequam ad sedem propriam veniret.

Andreas apparuit Sancto Dunstano, dicens quod sacraret Elphegum Abbatem Bathensem Episcopum Wentanæ Ecclesiæ.

Dum ergo quodam tempore præfatus Rex propter quasdam dissensiones civitatem obsideret Roffensem, & factâ capiendi illam difficultate, patrimonium Beati Apostoli invaderet devastando; mandavit eidem Beatissimus Pontifex ab stultitiâ quiescere; Andream sicut ad præstandum facilem, sic ad ulciscendum virilem in promptu esse, ut potentiam ipsius ipse experiatur, si hæreditatem illius vexare non destiterit. Contemptus à Rege Dunstanus iterum currentibus nunciis eadem suggerit, insuper argenti pondo centum transmittit. Qui accipiens recessit ab obsidione. Quod simul atque Dunstano renunciatum fuisset; miratus cupiditatem hominis, hoc illi scribere curavit. "Quoniam prætulisti pecuniam Deo, argentum Apostolo, meæ voluntati "tuam cupiditatem; velociter venient super te mala quæ locutus est Domi-"nus, mala qualia non fuerunt ex quo gens Anglorum regnare cœpit usque "ad tempus illud. Attamen me vivente ista non [t] fuerunt, quoniam & hoc "locutus est Deus. Quæ omnia ita contigisse in Annalibus legere & nostris temporibus est videre.

Dunstanus remisit centum pondo argenti pro obsidione.

Prophetia Sancti Dunstani de gente Anglorum.

[t] l. fient.

Sed ut jam Beatum illum, de quo loquimur, fidentiùs pro obsequio alloquamur, & sic ad fœlicem ejus transitum madentibus oculis transeamus. Quantæ illud contemplationis est, Pater mirabilis, Pater inæstimabilis, quàm excedens omnium mortalium mentes, quòd vel Dei genetricem in hac mortali vitâ vel tuam genetricem in æternâ videbas vitâ. In cœlum namque deducebaris, intereras beatis agminibus illis; oblectabaris modulationibus Angelorum, eandem genetricem tuam quasi nuptiali thalamo æterno Regi copulantium, & suave *Kyrie eleison* modulantibus organis resonantium. Cúmque de tuæ taciturnitatis silentio arguereris; quòd inter tanta æternæ vitæ gaudia solus tu à divinis laudibus cessares; cùm præcipuè tibi pro honore parentis gaudendum fuisset; referresque hujus tantæ suavitatis inscium te esse; quàm breviter, quàm dulciter à civibus civitatis illius edoctus in has voces cantando erupisti. "O Rex gentium dominator, salva genus humanum Christiano-"rum in terrâ adhuc peregrinantium; ut & ipsi post inimicitias ad gratiam "revertantur. Jam verò quibus exultationis labiis edicam, quod matrem

Dunstanus vidit beatam virginem Mariam corporeis oculis cum aliis virginibus.

* Ethelwoldus obiit anno 984. Calendis Augusti; testibus Florentio & Chronologia Saxonica.

Domini

Domini Salvatoris, Reginam cœli, Dominam Angelorum, virgineis oculis vidisti, non vestali choro circumdatam sed virginali coronâ circumfusam? Fœlices oculi tui, qui illam videre potuerunt, cujus castissima viscera cœli ac terræ opificem portare meruerunt. Fœlices oculi tui, quibus datum est illam videre, quam speciosam super filias Jerusalem Angeli venerantur, homines desiderant, pavescit Tartarus, & omnis creatura heram miratur. Nec inde solummodo fœlix, quòd illud singulare totius orbis decus videre potuisti. Potuisti mellifluas ejus voces audire, quibus socias virgines ad collaudandum Regem sæculorum ex suâ carne temporaliter procreatum hortabatur, concinens illud viri sapientis ac senatoris Sedulii.

Carmina Beatæ Mariæ & aliarum virginum.

Cantemus Domino sociæ cantemus honorem.
Dulcis amor Christi personet ore pio.

Cùmque ab aliis virginibus hoc fuisset exceptum; aliæ qui sequuntur versus pronunciabant.

Primus ad ima ruit magnâ de luce superbus:
Sic homo cùm tumuit, primus ad ima ruit.
Unius ob meritum cuncti periere minores:
Cuncti salvantur unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit quâ janua leti:
Ex qua vita redit, sola fuit mulier.

Atque in hunc modum totius carminis bini ac bini versus procurrebant, illis semper repetitis, qui primi à matre Domini dicebantur.

Cantemus Domino sociæ, cantemus honorem.
Dulcis amor Christi personet ore pio.

Hæc tu Pontificum dignissime acutissimâ vi corporalium oculorum in spiritualem potentiam translatorum videre potuisti: hæc tu intime cœlestium arcanorum perscrutator audire potuisti: his tantis tamque stupendis rebus interesse potuisti. O Sancta animi tui puritas & pura sanctitas; quam sic honorat supernæ civitatis suprema dignitas! O decus ac præmium Virginitatis, cui sic aggaudet natura virgineæ simul atque Angelicæ dignitatis! Sed ecce supra vires viventium est viventis tui in corpore laudibus immorari, quantò minùs transeuntis tui & cum Christo æternaliter regnantis condignas laudes valebimus effari? Præstet omnipotens Deus per potentissima merita tua; ut vel finem vitæ tuæ quantulumcumque laudabili valeamus sermone describere; quatinus quem semper nobiscum corporaliter viventem non licuit habere, liceat saltem ex consideratione preciosissimæ mortis sempiternam tui vitam agnoscere, agnoscendo diligere, & diligendo beatæ mercedis aliquid per te piissimum Patrem à Deo optinere. Discant interim devoti tantorum mirabilium auditores exemplo tui sobriè vivere, sacras frequenter excubias celebrare, castis orationibus inservire; quoniam & tu idcirco talibus tantisque gaudiis interesse meruisti, quòd aliis dormientibus ipse in sanctis desideriis vigilâsti orâsti, horamque ultimam sine intermissione cogitâsti. Nec tamen sufficiens erat in secreto cubiculi tui ista operari; nisi etiam nocturnis frigoribus ædem Beati Patris Augustini frequentares; & inde ad vicinum Beatæ Virginis templum hanc gloriam Dei visurus procederes.

Sanctus Dunstanus frequentabat ædem Beati Augustini in nocturnis frigoribus.

Anno igitur verbi incarnati duodecim minùs à millesimo, adventus Anglorum in Britanniam * quingentesimo sexagesimo tertio, Sanctissimus Deoque dilectissimus Dunstanus transitoriam præsentis vitæ deserens lucem, ad lucem beatâ æternâque jocunditate præditam pervenit; ubi sicut sol ex claritate Dei resplendet, & diem æternum æternaliter possidet; Anno Patriarchatûs sui tricesimo tertio, nativitatis autem circiter septuagesimo; cum jam esset omnium virtutum carismate plenus, & Deum videndi desiderio fatigatus. Cujus venerabilis transitus tam à se quam ab aliis multiplici revelatione præscitus sibi gaudium, aliis gravem ingessit mœrorem. Sibi gaudium, quoniam quod per spem in vitâ jucundius habebat, id per rem se visurum & eo perpetuo fruiturum gaudebat. Cæteris mœrorem; quoniam qui similiter divinis & humanis rationibus excelleret, neminem deinceps in terrâ appariturum existimabant. Sed nos multiplicium revelationum multimodâ relatione postpositâ eorum quæ proposuimus singula singulis tantum rationibus v demonstrabuntur. Dies ergo Ascensionis Christi festivus diem clarificationis Beati Dunstani præcessit tertius. Tantæ itaque diei surgente aurorâ sacerdos quidam nomine Algarus, doctrinæ & actionis merito præcipuus, quem postea nobilem† Melincham Episcopum claruisse accepimus, dum sacros Dominicæ Ascensioni honores in Ecclesiâ Salvatoris pervigil impenderet, & mentem ad cœlestia contemplanda extenderet, seipso & omnibus hujus mundi rebus transcensis; Dunstanum Pontificali Throno conspicit præsidentem & Clero canonica jura dictantem. Et ecce per omnes Ecclesiæ januas irruentium Anglorum infinita ingrediuntur agmina, stolis candidissimis fulgentia, coronis aureis rutilantia, Cherubin atque Seraphin sese proclamantia, & quasi divinum nuncium deferentia. Qui dum coactis ordinibus sedenti astarent Pontifici; hoc illi salutationis alloquium persolvunt. Salve, inquiunt, Dunstane noster; si paratus es, veni, & nostro gratiosus utere contubernio. Respondit Dunstanus. Sciris, O Sancti Spiritus, hodie Christum cœlos conscendisse, nostrique officii esse tam verbo quam sacramento populum Dei reficere; ideoque venire hodie nequeo. Dixerunt Sancti Spiritus: Paratus esto die Sabbati hinc nobiscum Romam transire, & ante Summum Pontificem sanctus æternaliter canere.

v l. demonstrabimus.

De Algaro Sacerdote.

Angeli interveniunt per januas templi ad S. Dunstanum in die Ascensionis Domini. Verba Angelorum ad Sanctum Dunstanum. Responsum Sancti Dunstani ad Angelos. Responsio Angelorum ad Sanctum Dunstanum.

Postquam ergo dies æternæ retributionis est indictus, & Dunstanus divinâ fide ad consentiendum inductus; confestim qui apparuerunt Angeli disparuerunt. At sacerdos, qui rerum tam evidens contemplator exstiterat, exitus earum stupidus simul & tacitus explorator observabat. Cúmque inter sacrosancta ejusdem diei gaudia illa Evangelii lectio recitaretur, in qua Dominus magister Jesus Christus post resurrectionem suam discipulis apparuisse & exprobratâ incredulitate illorum atque duritiâ cordis mandatum legitur dedisse, ut in toto mundo Evangelium regni prædicarent, fidem ac baptismum annuntiarent, salutem proponerent credentibus, non credentibus minarentur condemnationem; cúmque ad hæc confirmanda signorum illis faciendorum po-

* Annus Christi 988. incidit in annum ab adventu Anglorum 539. Parem errorem Osbernus in exordio hujus vitæ inierat. Porrò obiit Dunstanus anno Pontificatûs sui Archiepiscopalis non 33. sed 29. anno itidem ætatis suæ non 70. sed 61. modò Osbernus illum primo Ethelstani Regis anno natum supra rectè posuerit. Istum tamen calculum erroneum esse quamvis omnibus Vitæ Dunstani Scriptoribus communem, crediderim, & Dunstanum ante 19. circiter annos sub Edwardo Rege natum.

† Lege Helmeham. Algarum enim Helmeamensem Episcopum postea fuisse confirmat Malmesburiensis; qui Visionem illius de Dunstani obitu totidem ferè verbis enarrat, lib. 2. de gestis Pontif. Angl. f. 135.

testatem

testatem delegaret, Dæmonum ejectionem, linguarum novitatem, tollere serpentes, mortiferæ portionis virus extinguere, & super omnem ægritudinem salutiferam manuum impositionem. Cùm ergo ista Evangelii lectio pronunciaretur; & post hæc, quemadmodum videntibus illis quibus hæc potestas delegata est, Christus in cœlum ascenderit, subjiceretur: processit Pontifex de sacrario, latiùs hæc eadem in populo tractaturus, & memoriam misericordiarum Dei cordibus eorum arctiùs impressurus. Locutus est ergo, qualiter nunquam antea fuerat locutus; ostendens qua ratione filius Dei carnem induerit, cur humani generis salvationem non nisi moriendo compleverit, quemadmodum resurgens à mortuis mortis Principem superaverit, & famulantibus Angelis cœlum ingressus fuerit. Deinde sanguinem Christi incomparabiliter omnibus creaturis docuit esse præstantiorem; tantamque fiduciam in effusione sanguinis illius mundum habere posse; ut si unus aliquis totius mundi peccata haberet, neque de multitudine neque de magnitudine criminum illi esset desperandum; si mediatorem Dei & hominum haberet advocatum. Inter hæc fœlicia fœlicis sponsionis gaudia Pontifex ad aram reducitur, transferens omnipotentissimis Domini verbis speciem panis & vini in veram substantiam carnis & sanguinis Christi. Jamque hora benedicendi populum advenerat; & iteratâ vice Beatus ille ad populum procedebat, volens illis abscessum suum denunciare; sed amore dulcedinis filiorum revocabatur. Proinde exhortatus est omnes; ut illuc totâ mentis intentione tendant, quo caput nostrum principiumque Jesus Christus eâdem die processerat. Dataque super illos suæ authoritatis benedictione, orabat Spiritum Sanctum illis adesse; quemadmodum filius Dei promiserat, cum redeuntem illum ad Patrem cœlestis nubes suscipiebat. *Ego*, inquit, [x] *mittam vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in æternum.* Cùm his ergo disserendis Beatissimus Pontifex diutius immoratus fuisset; videbant faciem ejus tanquam faciem Angeli Dei, ut verè ac visibiliter esset agnoscere, quòd is quem invocabat Spiritus Sanctus majestatis suæ præsentiam dignatus fuerit demonstrare. Volente autem illo ad Altare converti, suspirabat populus post eum desiderans adhuc desiderabiles vultus ejus videre, & colloquio perfrui; proinde quasi ejusdem Spiritûs Sancti magisterio edocti, quòd illum ulterius in carne non essent visuri. Quibus in amore æternæ Trinitatis tertiò confirmatis, post libatum Pacis & caritatis suæ osculum, non valuit imminentem sibi gloriam diutius contegere; sed rogat ut sui memores existant; diemque vocationis suæ dicit instare, nec se ulterius in hoc mundo cum illis manere. Tunc tantam lugentis populi videres confusionem, tam permixtam lachrimis Cleri conclamationem, viduarum ac pupillorum miserabilem perturbationem; ut diem Judicii adesse & omnia sæcula in supremam horam coisse putares. Sacerdos etiam, qui tam mirabilem in Ecclesiâ ecstasim induerat, cognito quòd non in imagine sed in rerum veritate eandem sustinuisset, palàm omnibus & cum magnis gemitibus quæ viderat absolvit. Quorum mœstitiam [Pater] preciosissimus benignè consolatus, ad Altare rediit; susceptoque vitæ æternæ epulo, tam se quàm omnes sibi commissos æterno Pastori consignavit.

[x] Joan. XIV. 16.

Facies Sancti Dunstani resplenduit sicut facies Angeli.

Inde refectionis domum lætabundus ingrediens, omnes ad se confluentes & cibo corporis & spiritualis vitæ alimoniâ saginavit. Post prandium verò vel magis ultimam cœnam denuò cum fratribus Ecclesiam Christi ingreditur; signatoque Sepulchri sui loco omnibus ad Altare Christi ascendentibus conspicuo, cœnaculum pro modo æstivi temporis requieturus ascendit. Circundat pausantem luctifica Ecclesiæ familia; quæ sive metu sui seu morte illius turbata, horrendos lachrimando questus insonuit. Quos illo sanctissimis ut semper rationibus fovente atque ad spem futuri sæculi diligentiùs informante, conspiciunt virum invisibili quadam Dei virtute è terrâ moveri, motum ad supre-

Dunstanus elevatur à terrâ mirabiliter.

prema domûs fastigia tolli. Ii autem, qui paulò antè propinquiores astiterant, miraculi insolentiâ territi, relictis sedibus devolant omnes. Stant autem innixi parietibus & maceriarum liminibus de longè, sursum aspicientes, exitum rei videre cupientes. Existimabant namque aut sicut Heliam cum carne eum transferrendum, aut alio quovis & insolito more ab eis tollendum. Sed mox eâ quâ subvectus fuerat suavitate depositus, convocat omnes qui fugam inierant, allocutione demulcens. " Vidistis, ait, filii, vidistis carissimi, quò me Deus vocat, quo Dei ineffabilis misericordia invitat.
" Semita itineris mei præ oculis ostensa est vobis ; ut nullus vestrûm de præmio capiendi cœli diffidat, qui vitæ meæ diligens sectator extiterit. Non
" herebi sedes animam meam tenebit, non ignis inextinguibilis, & vermis
" non moriens animam meam tenebit, non fœda facies profunditatis animam meam tenebit, non ignis inextinguibilis. Sursum est quod amplector, sursum quo gradior. Estote ergo vitæ imitatores; si itineris mei
" cupitis esse sectatores. Discite voluntatem Dei semper nosse ; & cùm eam
" noveritis, nihil ei velitis præferre. Quòd si ab ejus voluntate faciendâ
" quantulumcunque vos exorbitasse cognoveritis; statim ad deprecandam
" ejus clementiam convertimini ; ne dum minorem quam oporteat reverentiam exhibueritis, non solùm prævaricatores verùm etiam infideles indicemini. Nolite boni videri sed esse ; nec tam mali non videri quàm non
" esse : hoc enim maximum inter homines malum est ; quòd cupiunt boni
" videri, sed esse nolunt ; nulli volunt mali videri, sed nolunt non esse mali.
" Pacem semper sectamini ; nec priùs ab illa sectandâ desinatis, quàm illam
" in cœlo apprehendatis. Atque ut hanc efficaciter attingere valeatis ; illum semper in animo dulcissimum habete, illi continuò gratias agite, illius præceptis humiliter obedite ; qui singulare pro omnibus sacrificium
" immolari voluit ; in quo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, &
" per eum reconciliari omnia, in ipso pacificans per sanguinem crucis ejus,
" sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis. Prædico etiam vobis Anglorum
" gentem dira ac diuturna mala ab exteris gentibus esse passuram ; sed in
" fine dierum miserationem Dei super illam stillaturam. Vobis autem
" commodum erit horum verborum reminisci ; ut sive hæc ad peccatorum
" emendationem, seu ad perficiendam virtutem contigerint, animas vestras
" divinæ semper dispositioni subjiciatis ; ne sicut mali filii diligatis blandientem, erudientem quod à vobis remotum sit contemnatis. Profectò
" nullius hominum vel tam grave supplicium, vel tam excellens est meritum ; quo Dei omnipotentis visio, visio beatæ æternitatis, visio æternæ
" veritatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti valeat promereri. Magis autem si naturalem clementiæ suæ bonitatem Deus non attenderit ; nihil homo patitur, quod sibi justo Dei judicio ex suâ culpâ non debeatur.

Verba Dunstani post elevationem à terrâ.

Prophetia Sancti Dunstani de gente Anglorum.

In his verbis sensit Beatissimus Pater vires corporis paulatim deficere. Ita namque facie serenus, sensu sobrius, docendi locutione assiduus, toto illo die ac sequenti feriâ sextâ permanebat ; ut quicunque se commendaturi & benedictionem tanti Patris postulaturi advenissent, recreatos se & multipliciter in amore divinitatis confirmatos assererent. Et jam promissæ beatitudinis Sabbatum illuxerat, jam tempus requiescendi ab omnibus laboribus suis instabat Dunstano ; cùm ecce multiplex filiorum caterva concurrit, filiorum quos ipse infra gremium matris Ecclesiæ teneriùs nutrierat, atque ad excellentiorem spiritualis gratiæ perfectionem adduxerat ; clamoribus & nimiis ejulatibus queritans, quòd se derelictis recederet, nec illis commori liceret. At ille in manus Dei omnipotentis [eos] commendans, & gratiosâ benedictione confirmans, jubet Sanctæ communionis ministerium ante

ante se celebrari. Quod cum protensis manibus de cœlesti mensâ porrectum suscepisset; hac oratione Deo supplicare cœpit. "Gloria tibi, omnipotens pater, qui timentibus te panem vitæ de cœlo dedisti; ut memores simus mirabilium tuorum, quæ in medio terræ operatus es, mittendo nobis unigenitum tuum merum hominem de verâ Virgine natum. Tibi Sancte Pater meritas referimus grates; qui & nos dum non eramus creâsti, & dum peccatores essemus hujus gratiæ participes fecisti, per eundem filium tuum Deum & Dominum nostrum, omnia tecum & cum Spiritu Sancto facientem, gubernantem, & per infinita sæculorum sæcula regnantem. Inter quæ verba ex omnibus animi medullis ad Deum, quem semper desideraverat, effusa videt, qui se ad cœleste convivium invitaverant, beatos Angelos assistentes & cœleste illi obsequium præparantes. Quorum venerandâ præsentiâ fœlix anima illius gratulata, læta egreditur de habitaculo Sanctissimi corporis, proficiscens cum illis ad contemplandam claritatem æterni conditoris. Ecce quomodo honoratus est, quem Deus honore dignum judicavit? Ecce quomodo in gaudium Domini sui intravit, qui in commissâ sibi doctrinæ pecuniâ fidelis erogator extitit? O viscera misericordiæ Dei, quæ sic semper dulcia expertus fuerat iste homo Dei! O cor viri ad voluntatem Dei semper parati, qui potuit dicere; [y] *Paratum Cor meum, Deus, paratum cor meum!* Ecce nunc psallit in gloriâ suâ illustratus lumine visionis gloriæ Dei.

Oratio Sancti Dunstani ante mortem ejus.

Sanctus Dunstanus iterum videt Sanctos Angelos sibi assistere ante mortem.

De obitu Sancti Dunstani.

[y] Psal. CVII. 2.

Suscipiunt autem venerabiles Domini Sacerdotes venerabile corpus summi Sacerdotis, deferentes illud in basilicam magni Basilei domini Salvatoris, sub immenso murmure legentium populorum feretrum densissimè ambientium, facies suas dissecantium, palmis sese ferientium, atque amaris vocibus, Heu, heu, charissime Pater, clamantium. Ibi in loco, quem ante biduum ipse dictaverat, cum diligentiâ sepultus, & post hæc eminentioris operis structurâ decenter opertus, flebilem simul & amabilem cunctis sive in choro psallentibus seu per gradus ad Altare ascendentibus sui memoriam dereliquit. Flebilem ideo dixerim, quòd ejus quotidie monumentum præ oculis haberent, cujus venerandos aspectus videre non possent. Amabilem propterea, quòd licèt ejus visibili præsentiâ carerent, invisibilem tamen & incorporeum ejus spiritum in cœlesti sede gaudere & pro eis apud Deum misericordiam enixiùs orare sciebant.

Sepultura Sancti Dunstani.

Post cujus mortem, si mors dicenda est cui vita æterna successit, ita omnes res contrarium motum sumpsere; ut Dunstani mortem omnia deflere, nec ejus absentiam ferre posse viderentur. A summâ quippe pace fit commutatio ad bellum intolerabile, ab immensâ lætitiâ ad enormem tristitiam, ab omni rerum abundantiâ ad omnium rerum indigentiam. Denique aer ipse immutatus est, naturales temporum vicissitudines discedebant invicem, cœlum non exaudivit tellurem, nec tellus ea quæ seminabantur in eâ. Hostilis incursio fœdam ubique faciem dereliquit; dum eorum irruptione urbes diruerentur, Ecclesiæ spoliarentur, suffoderentur Altaria, & Sacerdotes Domini interficerentur. E quibus vir virtutum Elphegus, qui quartus erat à magno Dunstano Cantuariorum Archiepiscopus, cùm multam hostium multitudinem ad Christianam Religionem convertisset, & eos quos ab infidelitatis errore convertere non posset quotidianâ invocatione reprehenderet; tentus ab eisdem, post dirutam illius urbem, post cruentam innocentis populi cædem, post Templi sacri expolationem simul & combustionem, vinctus abductus est, & per septem menses variis tormentorum cruciatibus vexatus, & post hæc omnia eorundem manibus lapidatus, spiritum cum triumpho direxit ad cœlum. Sic ergo impleta sunt, quæ vel de rerum prosperitate Angeli Dunstano, vel de adversitate earum

Elphegus quartus erat à Beato Dunstano Archiepiscopus Cantuariorum.

Elphegus Cantuariorum Archiepiscopus occiditur à Danis.

earum Dunſtanus Regi Ethelredo prædixerunt. Sed in his tam gravibus tumultuantis populi anguſtiis non defuit ſupernæ miſeratio pietatis; quæ tanta coruſcantis gratiæ prodigia ad memoriam illius oſtendit; ut & reprobis terrori & afflictis eſſet conſolationi Neque enim aliter cœleſtis ejus ſpiritus operatus eſt, quàm ſi in terram redivivo corpore ſuo quotidie veniret. Verùm nos non omnia, quæ de illo ſunt, propter infirmitatem dicere poterimus; nec ab omnibus abſtinendum putamus, ne nulla eſſe videantur quæ dicamus. Et quædam quidem de libris Miraculorum ejus, qui nunc minimè ſuperſunt, excerpſimus; quædam verò noſtrâ ætate aut in alios facta vidimus, aut in nos patrata ipſi experti ſumus. Sed hîc libelli hujus ſit finis; ut quod intendimus, ab alio principio ſumi poſſit.

Explicit Vita Sanctiſſimi Patris noſtri Dunſtani Cantuarienſis Archiepiſcopi & Confeſſoris, ſecundùm Osbernum, ejuſdem Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis Commonachum & Præcentorem.

Incipit

Incipit Liber Miraculorum Beatissimi Patris nostri DUNSTANI Archiepiscopi Cantuariensis & Confessoris : Seu OSBERNI Liber Secundus de Vitâ S. DUNSTANI.

PROLOGUS.

DIximus in superiori Libello, quibus parentibus Venerabilis Pater Dunstanus ortus claruerit, quorum Regum tempora nobilitaverit, quos virtutum processus habuerit, & quemadmodum ad cœlestia regna gloriosus migraverit. Nunc autem propositum habemus ea narrare, quæ post depositionem corporalis sarcinæ fœlix Spiritus ejus in hoc sæculo dignatus est operari ; ut omnes futuri temporis Angligenæ populi agnoscant, quid tanti nominis viro honoris ac reverentiæ debeant. Verùm quoniam eorum quæ scribenda sunt, pleraque ac ferè omnia nostris temporibus facta cognovimus ; pauca verò aliis quidem temporibus facta, sed nobis verissimâ verissimorum virorum relatione exposita accepimus : hâc ratione omnes, qui hæc dignabuntur legere, ad credendum invitamus ; ut sicuti sibi credi volent, si fortè aliqua suis temporibus facta scribere voluerint ; ita nobis credant, cùm audierint ea narrari, quæ à nobis potuere videri. Quam enim de se veri æstimationem à sequentibus haberi volent, eam rectè præcedentibus concedere debent. Quòd si nulla, quæ scribi debeant, suis temporibus fieri contingant ; non ideo nos statim falsitatis arguant ; quasi quod alio tempore occultâ Dei providentiâ non fit, alio tempore pro corrigendis vel corripiendis hominibus fieri non possit : cùm semper opportunitatem rerum & temporum exigat gratia miraculorum. Num enim idcirco minùs credendum est Principem Apostolorum Petrum ad portam Templi speciosam claudum sanâsse ; quòd nostris temporibus istud non fecerit ? Aut ideo beatus Evangelista Johannes venenum sine læsione non bibit, & qui veneno deperierant non resuscitavit ; quòd ista nescio quis impostor & calumniator non viderit ? Quasi si quis nauclerum vel aurigam laudari audierit ; quòd hic navim in procellâ gnaviter regere, ille equos artificio sciat in cursum ducere ; supra humanam naturam hoc esse contendat, ideo illa fieri posse non credat. Non itaque hoc admittendum ; sed quòd unaquæque res tempus & ordinem spectet credendum. Dignentur ergo credere, qui hæc dignabuntur legere ; ut quemadmodum merito fidei nostræ, qua credebamus vera esse quæ non videramus, actum est ut aliqua videre possemus ; ita illi fidei præmium quandoque videre posse, quòd narrantibus nobis indubiâ fide potuerunt credere. Jam ad propositum transibimus ; & quo ordine quæque res acta sit, quantum possumus, breviter atque dilucidè narrabimus.

VITA S. ELPHEGI

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS,

AUTHORE

OSBERNO.

Epiſtola de Vitâ vel Paſſione S. EALPHEGI Archiepiſcopi Cantuarienſis & Martyris.

OMnibus in fide Chriſti manentibus, indignus Sanctæ Cantuarienſis Metropolitanæ Eccleſiæ filius Osbernus, Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto & amborum Spiritu Sancto. Si cœleſtis ſententia gravem in illum ſanxit vindictam, qui acceptam pecuniam ſudario reponere quàm menſæ nummulariorum maluit apponere; nequaquam mihi ſuccenſendum eſſe exiſtimo; ſi hujus ſententiæ periculum devitans, ea quæ de glorioſo Chriſti Martyre Elphego ipſe agnovi, aliis quoque agnoſcenda proponam. Erit autem providentiæ & me veraciter dicentem & illos ſalubriter audientes ita retributionis ſuæ beneficio donare; ut neque me laborioſæ aliquantulum narrationis, neque illos uſurariæ pœniteat operationis. Illud quoque non mediocriter ad dicendum me invitat; quòd eos plerunque torporis accuſamus; qui res, quas ſuis quidem temporibus ad honorem Altiſſimi factas noverunt, dictitandi officio adſequentes tranſmittere noluerunt. Quorum nos deſidiam aut certè vituperare non debemus; aut ſi ea, quæ memoratu digna, ſcire poterimus, efferre; ne qua in re præcedentes improbamus, in eâ à ſubſequentibus multò maximè improbandi videamur. Sanè veritatem rerum ita polliceor; ut nulla me, ſublato ſi quis infuerit ſplendore verborum, dicturum profitear; quæ non aut ab iis qui viderunt, aut à videntibus audierunt, acceperim, & eis fide ſimul & auctoritate plurimùm præſtantibus. Quorum quidem vocabula iccirco ſponte refugio; quoniam dicendi primitias barbaricis appellationibus decolorare nolo. Aliqua tamen de his rebus non incommodè ſcripta inveni; quorum ſententias exinde aſſumptas præſenti Scripturæ congruo ordine inſerenda judicavi. Illius itaque freti auxilio, cujus gratuitâ bonitate ſumus quicquid bene ſumus, cujus largifluâ miſeratione ſapimus quicquid bene ſapimus; tangamus Pſalterium, tangamus & Cytharam. In altero ſempiternam Martyris gloriam exultando prædicemus; in altero corporales ejus Paſſiones imitando veneremur. Ac quemadmodum præcipiente invictiſſimo totius Latinitatis Magiſtro Lanfranco Archiepiſcopo, Muſicâ virum modulatione dudum extulimus; ſic cogentibus iis, quas diximus, rationum cauſis, oratoriâ eundem narratione extollamus.

Incipit

Incipit Vita & Passio Sancti Patroni nostri & Domini ELPHEGI Archiepiscopi Cantuariensis & Martyris.

PRincipium nascendi splendidissimis natalibus trahens Elphegus, magnâ prudentiâ & summâ humilitate vitam instituit. Cujus animi ingenium simulque innocentiam vitæ parentes admirati, & quasi quæ per illum divinitas erat operatura futurorum præsagi, literali eum scientiâ & Christianæ religionis sapientiâ imbuendum tradiderunt. Quorum utrumque cùm vehementer adolescens amplexatus fuisset; tum hoc quidem vehementissimè, quod Christum sibi ostenderet, quod amorem vitæ æternæ in se excitaret. Lectis ergo & perlectis quæ saluti videbantur sufficientia, totum philosophiæ studium convertit ad diligendum Deum, illum semper nosse, illi parere, illius jugo mancipari desiderans. Sed veritus ne pro desiderio maternus obviaret affectus, nam piè & unicè à matre diligebatur, orabat sedulò Dominum, ut voluntas ejus in se fieret, & omne quod in conspectu illius gratissimum foret, aut per occultam inspirationem seu per manifestam revelationem edoceret; pollicens se non patris, non matris, non omnium parentum instinctu omissurum, quicquid divina bonitas indicaret agendum.

Puer Dei Elphegus totum convertit seipsum ad studium philosophiæ. Diligebatur à matre.

Tactus itaque majestatis spiritu, paternæ hæreditatis negligens, maternum dolorem obliviscens, deserit mundum, intrat Monasterium, cui * Derherste vocabulum; religionis habitum induit, cum habitu vitam composuit. Et quamvis idem locus raro incoleretur habitatore; eos tamen qui ibidem degebant, virtus probatissimos reddebat. Dum omne quod animos illorum illicere posset, vivaci instantiâ respuerent, atque ad tolerandum singuli se præpararent. Horum igitur humili severitate & severâ humilitate supra quam dici potest adolescens animatus, cœpit privata desideria ac solitarias voluntates abigere, cunctorum famulatui subjacere, atque, ut vulgo loquar, omnium se instrumentum facere: [a] Dei ferventi spiritu infatigabiliter diligere; atque ut amplissimum ejus dilectioni in se locum exhiberet, multâ hanc jejunii & vigiliarum assiduitate comparare; Alterius incommodo commodum sibi non facere, immo suo incommodo alienam magnopere commoditatem quærere. Atque ut sit ad summam dicere, quibuscunque potuit, profuit; quibus autem non potuit prodesse, studuit non obesse.

Elphegus deserit mundum cum paternâ hæreditate, obliviscens maternum dolorem. Elphegus intrat Monasterium cui Derherst vocabulum. Induit habitum Sanctæ religionis. [a] l. Deum. Elphegus diligens Deum cum Spiritu ferventi, & assiduè semper fuit in orationibus, vigiliis & jejuniis.

Superatis autem aliquot annis, in plurimâ religione transactis, cùm videret tempus adolescentiæ præterire, parumque reputaret quicquid laborum propter Deum sustinuisset; arctioris vitæ semitam arripere, singulare cum maligno hoste certamen inire contendit. Egressus itaque de Monasterio,

Elphegus vidit tempus suum adolescentiæ præterire; arctiorem vitam arripuit.

* De eodem Willelmus Malmsburiensis, de gest. Pontif. Angl. lib. 2. f. 139. "Adolescens alteravit habitum apud Diherst, tunc exiguum Cœnobium, nunc inane antiquitatis simulachrum. Insignem Deorhurstæ Abbatiam suo tempore fuisse Beda commemorat. Situm erat in agro Gloucestrensi; quod postea collapsum S. Edwardus Rex Monachis S. Dionysii in Galliâ donavit. S. Elphegum hujus Cœnobioli olim professum fuisse dicitur etiam in Chartâ eidem data ab Henrico VI. Rege (in Monastico Angl. Tom. 1. p. 548.) *prout in Legendâ ipsius S. Elphegi plenius apparet.*

Elphegus egressus de Monasterio Derherst vocato; per divinam gratiam pervenit ad locum, qui Bathan vocatur.

iturus quocunque illum divina gratia deducere vellet, pervenit ad locum, qui linguâ Anglorum * Bathan, Latinâ verò Balneum, vocatur, propterea quòd calida aqua ibidem emergens Balneorum usum pro voluntate utentium præstet. Quò ille perveniens, habitaculum struit, structo sese includit, inclusum rigore incredibili constringit. Nec mora; confluunt ad eum Nobiles, quæque suarum vulnera animarum detegentes, & cœleste ab eo consilium perquirentes. Qui postquam ea, quæ famâ vulgante acceperant, recognovissent; magnis eum beneficiorum donariis honorant; quibus tam se quàm omnes sibi adhærentes ab injuriâ famis & frigoris protegere posset. Alii sæculari ambitione sepositâ cingulum solvunt, atque sub ejus disciplinâ vitam simul & habitum mutaturi accedunt. Unde factum est, ut non parva Monachorum turba brevi ibidem congregaretur; quæ ferinâ consuetudine propulsâ mansuetissimis rationibus animum tuebatur, eandem vitæ sinceritatem ubique prætendens, eandem morum rectitudinem per omnia servans. Ad quos pietatis studio informandos talem se tantumque vir Sanctus proponit; ut nullâ qua instruerentur lectione opus esset, sed omnes in ejus vitâ legerent quid quisque vitare quidve imitari deberet.

Culpabat non modicùm, qui sæcularem habitum mutarent, vitam non mutarent. "Si enim, inquit, ii qui quomodolibet mentiuntur, divino judicio "improbantur, dicente Scripturâ: [b] *Os quod mentitur, occidit animam:* "quid de iis fiet, qui calculum veri nunquam tenent, sed omni tempore "omnium oculis speciem obtendunt falsitatis? Annon mendacii plenus tibi videtur, qui quod non est esse se ostentat; cùm aliud simulat in "veste, aliud gestat in corde? Neque enim solo motu labiorum falsitas "operatur, sed ostentatione signorum. Quapropter hinc colligere sensatus "debet, in die perditionis impiorum quantus dolor, quanta eos confusio comitabitur, quos nunc omnium vox justos appellat; tunc autem in oculis "totius creaturæ æternæ ultionis sententia premet. Homo scit, crede mihi, "(nam [hic] jurandi mos erat viro) satius est vestem non mutare, quàm "sub veste vitam negligere. Et licèt hæc pessimum quempiam ac suæ professionis vel ignarum aut negligentem respicerent; eos tamen præcipuè, qui propter inopiam aut arctiorem disciplinam proprias Ecclesias deserentes, & in Anglicam terram venientes, bonarum rerum vacui & miseriarum pleni, huc illucque incertis sedibus vagabantur. Ubi autem amplissimâ mansione perfectâ, sobrietatis legem discipulis indixisset; atque ut carnales appetitus rationis fræno moderentur, edocuisset; ipse in angustissimam sese domunculam tulit, delegato qui eis victualia ferret idoneo Præposito. Summorum tamen negotiorum causæ ad illum referebantur.

[b] Sap. I. 11.

Elphegus indixit discipulis suis legem sobrietatis.

At quoniam sine admixtione malorum vix vivitur in concione bonorum; donec dies elucescet, & quis igni, quis autem horreo aptus sit elucescat; plerique discipulorum ejus monita parùm facientes, fidei & professionis immemores, sæculi vias iterare disponunt; & quo dispositum opportuniùs exple-

* Civitas Bathonia in agro Somersetensi. Hinc Florentius aliique Elphegum Abbatem Bathonicum appellant. Illum à Prioratu Glastoniensi ad Abbatiam Bathoniensem evectum esse Author Antiquitatum Britannicarum scribit. Authorem quidem non laudat. Neque tamen deest. Sic enim Historia Glastoniensis illustres viros ex isto Cœnobio prodeuntes recensens [Monastic. Angl. Tom. 1. p. 8.] *S. Elphegus Martyr, ex Monacho & Priore Glastoniæ factus est Abbas Bathoniæ, dein Episcopus Wintoniæ, postea Archiepiscopus Cantuariæ.* Procacius igitur Editores Antverpienses Sanctorum Aprilis, Vol. 2. p. 633. hoc nomine perstringunt, quasi obscurum quendam fabulatorem, Antiquitatum Britan. Authorem; quo rerum Anglicarum scientiorem non ætas sua, sed neque nostra, tulit.

ant meditantur. Nihili igitur communem vitam habentes, mediis noctibus furtivos cibos edere, ebrietati operam dare, lascivire, & prorsus quæ inhonesta forent, quantum latens audacia sinebat, operari; nam in scientiâ patris ausum nemo arriperet. Sed ira omnipotentis propter virum, quem illuserant, nolens illos impune transire, eum qui in scelere capitalis erat, horrendo subitoque judicio exanimavit, involvit, occidit. Nocte verò, quæ sepulturæ illius successerat diem, Elphego sacras de more excubias celebrante, & suave Domino sacrificium semel offerente, contigit validas infra ambitum Monasterii voces audire, voces quasi vim inferentium aut quasi illatam sustinentium. Ratus autem vir Dei aut sacrilegos in sacro deprehensos, aut invidiâ Dæmonum Fratres incommodi quippiam dormiendo perpessos, propere surgens concito gradu ad Monasterium tendit. Cúmque pro foribus aulæ, in qua vesci consueverant, transitum fecisset; auditus clamor clariùs insonuit. Sistit itaque gradum Sanctus, attonitis auribus sonum captat, verba discernit: Dehinc domum irrumpit. Et ecce is, qui nuper obierat, miserè afflictus solo jacebat. Super quem horridi aspectûs & sordidissimi amictûs homines stabant, qui taureis eum atque ignitis serpentibus flagellabant. Ejulante quidem illo ac præ doloris angustiâ diros ululatus emittente; ii quos tortores patiebatur, talia illi improperando jactitant. Nec tu Deo, nec nos tibi. Atque eadem sæpiùs repetentes, captivum extrahunt loco.

Nota de illis, qui noctanter & furtivè solebant cibis & ebrietatibus & lasciviæ operam dare; & quid inde eis accidit. Contigit Elphegus audire voces validas infra ambitum Monasterii.

Tum Sanctus animo deficiens, & totum se in lachrimas effundens, complosis manibus recessit; sicque recedens dixit: "O infœlicem horam, qua "nos nativitas perduxit in lucem! Quanto fœliciùs pecora essemus, quàm "talium exactorum tyrannidi post mortem traderemur? Pecus namque "dum moritur cum vitâ perdit pœnam; hominis dum vivit continuus est la"bor. Dum moritur, si malè moritur, æternus dolor. Dixit, & quod reliquum noctis erat flens ac mœrens insomne duxit. Jamque sidera solaris splendor fugaverat; cùm Sanctus insimul discipulos compelleret, dicturus quæ manifestante Domino ipse vidisset. Postquam itaque res in commune audita est; videres alios pallorem in faciebus inducere; alios flere, quosdam formidine victos veluti insanire, omnes vero trepidare. At ii, quos mortui scelus sodales habuerat, dum vident secretorum nihil patrem latere; medii prosiliunt, errorem fatentur, pravè gesta postulant ulcisci; ne divinæ ultioni remaneant obnoxii. Requisiti autem, ubi conveniendi & convivandi usum habuissent, eum illi designant locum, quo defuncti animam spiritus nequam cruciaverant. Sic pius Deus propter optima viri merita, dum unius scelus noluit latere, omnium mala voluit detegere: Et dum uni noluit parcere, omnium morbos voluit sanare.

Interea fœlicis memoriæ * Athelwaldo Wentano Episcopo ex hac luce subtracto atque ad cœlestia regna translato, quis relictam Ecclesiam digne regendam susciperet, magnum certamen fuit: Aliis aliud hinc inde volentibus, nullis autem ad effectum suæ voluntatis pervenire valentibus. Siquidem Clerici ejusdem Ecclesiæ sceleratissimam vitam agentes, contra canonum statuta per omnia viventes, cùm à præfato Antistite sæpiùs correpti pravos mores corrigere nollent, immo quæ pravè gesserant pertinaci spiritu defendere vellent;

* Obiit Ethelwoldus anno 984. Calendis Augusti. Ex discordia autem de electione Successoris mota, patet illum non adeò plenam de conjugatis Ecclesiæ suæ Canonicis victoriam tulisse; quin plures adhuc pristina libertate fruerentur, & ambitioni Monasticæ constanter obsisterent. Certè ipse Dunstanus in Ecclesia sua Metropolitana votum attingere nequaquam potuit; rem verò Alfrico post Ethelgarum & Siricium successori absolvendam reliquit.

regali

regali ſanctione decretum fuerat eos extrudi, & alios qui digniores eſſent, eorum vice ſungi debere. Itaque Clericis in exterminium datis, timentes Dominum Monachi admittuntur. Ex quo factum eſt, ut in electione Sacerdotis Clerici Clericum, Monachi Monachum, utrique ſuæ voluntatis fautorem, utrique ſuæ profeſſionis authorem vellent. Qualiter autem hujus contentionis lis non humano ingenio ſed divinitatis conſilio finem acceperit; poſtea clarebit.

Quo tempore Dunſtanus Sanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus univerſis urbibus in Anglicâ regione conſtitutis, necnon & aliis regionibus Anglorum regno ſuppoſitis, Primas præſidebat. Vir quidem per omnia juſtus, & ultra humanam æſtimationem divini amoris igne ſuccenſus. Quem antè ſanctificatum quàm genitum ſic omnipotentis gratia provexerat atque protexerat; ut omnem ætatem abſque notabili reprehenſione tranſigeret, ipſiſque Regibus ac Tyrannis cùm animi virtute tum ſanctitatis authoritate potenter imperaret. Non enim erat is homo, quem poteſtas deterreret, quem favor illiceret; ſed in quocunque hominum, in quocunque Nobilium, divinas injurias conſpiceret, mox in illum ſine dilatione acriùs vindicaret. Nemo enim eum à vero & juſto unquam detorquere potuit; nemo eum perſonam in judicio alicujus accepiſſe vidit; ſed omnibus æquali jure ſervato, nec pauperi, ut fere fit, propter inopiam contra jus favit, nec divitem ut ſolent propter ſubſtantiam palpavit. Ita terribilis quidem malis, venerabilis omnibus apparuit bonis. Teſtantur ejus conſilia & ſapientiam bella ſuo tempore reſtincta, pax confirmata, largitas divinæ benedictionis, quæ tantam rerum copiam mortalibus effudit, quantam eatenus nemo veteranus vidit. Quis etenim optimas leges ſanxit, niſi ille? Quis juſtas adinvenit menſuras, niſi ille? Quis poſtremò plenam Eccleſiis Anglorum authoritatem contulit niſi ille? Aut quando impius & ſceleratus cum illo vivere potuiſſet; qui nec ipſos bonos præter diſciplinam manere ſiviſſet? Ad hæc cum munditiâ vitæ concordabat facundia linguæ; ut ſi abſtinentis vitam vidiſſes, & evangelizantis ipſius verba audiſſes; quid in homine potiſſimum mirareris, omnino neſciſſes. Ita ille utriuſque rei gratiâ præditus, nec alios docuit & ipſe facere neglexit, nec ipſe fecit & alios docere neſcivit.

Hic itaque fœlix comperto, quòd præfatus Antiſtes occubuiſſet, quódque de eligendo ſacerdote non parva partium diſſenſio facta fuiſſet, metuens ne ſub tali ſcandalo plurimarum fieret animarum deſtitutio, ad orationis munus animum intendit; Deum, cui futurorum ſcientia patet, ſupplicans, quatinus eâ pietate qua cætera dignaretur oſtendere, quis regendæ Eccleſiæ idoneus deberet paſtor ſuccedere. Cúmque illi litem, Dunſtanus multiplicaret precem; ecce divini bajulus nuncii adeſt Andreas Apoſtolus, tali oraculo uſus: "Quid, inquit, cariſſime contriſtaris? Quid tam lugubres queſtus lachrimando effaris? Surge ergo, & Elphego Abbati manum impone; eumque ſacrâ unctione perfuſum, deſolatæ Eccleſiæ ſacerdotem conſtitue. Nec te aliquorum potentia prohibeat: quoniam non à quoquam homine, ſed ab omnipotentis Dei ore hæc de illo ſententia proceſſit. Ac ne de perſonâ tecum loquentis ambiguum te reddam; Andream me filii Dei Apoſtolum tuæque ſalutis diligentiſſimum eſſe cuſtodem noveris. Sic dixit, & ſuam ſic dicendo præſentiam ſubtraxit. Pontifex ergo lætiſſimus tali oraculo effectus, quæ ex Apoſtolicâ relatione acceperat, palatinis auribus exponit; facit intentos auditores, monet ut partium deſinant eſſe fautores.

Facto itaque conventu omnes tranſiere [in] ſententiam, clamantes id ſe velle quod Deus vellet, quodque Dei Pontifex deliberaret: At Regem Athelredum non modicâ duabus de rebus lætitia obtinuit; vel quia talem in Regno Monachum haberet, qui divino fultus teſtimonio ad Pontificium promoveri, vel

vel quòd tanti meriti Pontifex repertus fuisset qui pro illo promovendo dignus esset exaudiri. Mox accitis sacerdotibus, qui sacrandi Pontificis studio Cantuariam confluxerant, apprehensum Patrem Elphegum dextrâ lævâque pertrahunt ad Ecclesiam; & causas electionis suæ turbis astantibus manifestant. Oritur ingens clamor populi, immensis laudibus quæ illi ostensa sunt magnalia Dei prosequentis. Vivat, clamitant, Episcopus annis innumeris. Vivat Deo gratus, vivat hominibus charus. Et sedato tumultu, * quæ Præsulis sunt Elphego Præsules impendunt. Deinde propriam disponit invisere sedem. Quo accepto, populi Wentani sive Wentaniâ longè remoti, omnes ac si divino magisterio edocti, omnes ac si uno spiritu adducti, obviàm prosiliunt, Benedictus qui venit, acclamantes. Existimabant namque fœlices se futuros; si quem tantis hominum studiis exquisitum, tam ingenti miraculo ostensum acceperant, eum suæ vitæ doctorem mererentur habere simul & tutorem. Neque enim eos opinio fefellit. Nam ex quo idem Beatus adeptæ dignitatis thronum ascendit; tam strenuè, tam efficacitèr se in cunctis agebat; ut nemo dubitaret, quin is cordi ejus moderator sederet, cujus antè fuerat electione promotus. Quocirca ubique metus, ubique reverentia; nusquam pauperum oppressiones, iniquæ divitum exactiones nusquam. Magis autem qui in faciendâ ejus voluntate promptior fuisset, is fœlix & sibi & omnibus prædicabatur. Unde populus ab injuriâ liber audiendo verbo Dei libere vacabat.

Crescebat in dies virtus in viro, de virtute fama, de famâ populorum frequentia. Exultant itaque rerum Ecclesiasticarum provisores, propterea quòd talem illis socium divinitus datum conspicerent; cujus nec scientia bene agendi voluntatem refugeret, nec voluntas scientiæ inopiam accusaret. Lætantur illustres heroum catervæ; quoniam quem in subveniendo sciebant humanissimum, eum Regiæ potestati viderent amicissimum. At Elphegus ita se omnium moribus condonavit; ut & omnibus carus esset, & nemo, quod rarum inter homines est, ejus gloriæ invideret. Cúmque omnia in illo essent invenire, quæ virum bonum & sanctum decerent, hoc tamen in illo præcipuam populis admirationem præbebat, quod cùm in omnes summæ fuerit misericordiæ ac beneficentiæ, in se impius atque crudelis apparebat. Unde enim nostram perlatum est conscientiam ab iis, qui secretorum illius scientissimi fuerunt, hiberno tempore, cùm tota terra glaciali frigore concreta rigeret, & profundus omnes homines somnus occuparet; ipse clam de strato surgere atque extrarium locum petere consuevit. Ibi nudus pedes, simplicem vestem indutus, tamdiu orando stetit; quousque minores stellas Sol oriens fugaret, & ipse veri Solis præsentiam adesse intelligeret. Zetam verò cùm veluti pransurus intraret, tam vacuus ferè à mensâ surrexit, quàm vacuus ad mensam accessit; ita ut nec edisse à considentibus redargui potuisset. Ut corpus illius tantâ attenuatum est macie, ut tempore Sancti sacrificii cùm manus Ecclesiastico more tensas in altum porrigeret per medias palmarum juncturas claritas aeris perspici posset, si forte præ se fenestram haberet, quam solaris radius clarè perfunderet. Quæ res nonnullis nonnullo spectaculo fuit.

Jam verò quanta misericordiæ ac munificentiæ in illo virtus claruerit, puto quod nec humanus animus valeat conjicere, nedum lingua explicare. Omni etenim generi hominum suum scivit contemperare sermonem & animum. Verùm ad hoc utcunque edocendum satis erit signi, quòd neque parochialium

* Consecratus est anno 984. die 14. Calend. Novembr. inthronizatus die festo SS. Simonis & Judæ; teste Chronologiâ Saxonica, p. 560.

quempiam

quempiam publicè unquam mendicitati servire siverit, neque alterius loci pauperem vacuum abire permiserit; immane horrendumque nefas reputans, si quod natura commune instituit, hoc velit homo usurpare privatum. Quapropter nec dominici corporis membrum esse, qui pauperum indigentiis nollet subvenire, vigilanter disputabat. Nam patiente uno corporis membro compatiuntur cætera; manifestum est ejusdem corporis membrum non esse, quod patiente alio, compatientis affectum nescit habere. Alienum namque est credere ad corpus Christi pertinere, qui qua in re inimicos Christi superare debent, in ea quam maximè ab eisdem superantur; nec modo superantur, verùm superati in blasphemiam Christi deridentur. "Attende, ait, Judæum; "intuere Paganum; observa quanto sibi invicem pro religionis suæ custodiâ "amore fœderantur; & videbis inter eos rei penuriâ familiaris neminem la-"borare, quem non statim congestâ in virum pecuniâ studeant relevare. "Qui dum nos ejus virtutis inopes conspiciunt, ad quam ii quidem per natu-"ralem affectum trahuntur, illi verò per divinam eruditionem instruuntur; "blasphemo ore impetunt Christum, Christianorum fidem [&] religionem, "futuræ beatitudinis expectationem. Quos igitur ista blasphemia principa-"liter respicit, nisi eos qui miseris adesse despiciunt per affectum compassio-"nis? Hisce sermonibus tantùm ad largiendas elemosynas divitiarum possessores animantur, quantùm clangore tubarum quibus committendi [bellum] animus est incitantur. Ob quam rem in eâdem Provinciâ nemo egenus remansit; sed idem Beatus tum per se, tum per hujus sæculi potentes, tum certè per cognationem eorum qui indigebant, omnibus subvenit. Deinde ubi illa defecissent, quæ ex jure Ecclesiæ ministerio pauperum competere potuissent; thesauros Ecclesiæ, quos ipse multiplices paraverat, jubet distribui; docens ad hoc ornatissima quæque Ecclesias possidere, ut tempore fœlicitatis sint honestati, tempore vero necessitatis sint utilitati. Si quem autem sua beneficia ad honorem extulissent; non facilè eum pro quavis causa abjicere volebat, grandem in humanis rebus pronuntians prærogativam, si quis operibus & beneficiis faveat suis, nec meritum spectet alienum, sed suæ gratiæ munus intendat. Ergo, ut diximus, viro honestatis omnia habenti, odium in se, pietas in alios quàm maxime fuit.

Nota de caritate Elphegi.

De signis autem ab eo in episcopatu perpetratis nihil attinet dicere; cum & virtutes possederit, per quas resplenduerunt qui signa facere potuerunt, & nostræ intentionis sit ea potissimum narrare, quæ de ejus glorioso martyrio verâ potuimus relatione cognoscere. Et hæc ordine faciemus; si de ejus Patriarchatu pauca dixerimus. Præfatus igitur justitiæ defensor Dunstanus accepto rumore, quo magnus & admirabilis in populo prædicabatur Beatus Elphegus, excelsas omnipotenti Deo laudes libat, qui tantâ luminis claritate patrias oras se vivente resperserat. Sed quoniam merita sua, immo Dei dona, mox coronanda esse præsciverit; & Ecclesiam Dei per malorum successionem turbari metuebat; sollicitis obsecrationibus aures divinæ misericordiæ pulsat, quatenus Elphegum Patriarchatûs sui hæredem relinquat. Cui statim exaudito quod postulat promittitur; quamvis haud statim, sed tempore decurso, quod promissum fuerat adimpletur. Quod eâ re dilatum fuisse arbitror; ut & omnibus manifestum fieret, quantùm Deus Dunstanum diligeret, cui quod viventi tam benigne promiserat, hoc defuncto longè [post] veraciter exhibebat: & Elphegum illa potissimum tempora invenirent, quæ eum ad martyrii gloriam provehere possent. Nam * quinquennio, quo simul

* Immo vix quadriennio simul vixerunt Dunstanus & Elphegus; quod cuivis calculos subducenti facilè patebit.

vixerant

vixerant Pontifices Dunstanus atque Elphegus superato, Dunstano autem cum frequenti Angelorum comitatu in gaudium Domini sui ingresso, terni post illum ex ordine sibi succedentes Patriarchæ sunt instituti. Qui cum patribus apponendi supremum arbitrium fœliciter incurrissent; universi Anglorum Pontifices cum omni Senatorio ordine sibi invicem occurrentes, quatinus qui omnibus præesse deberet communi deliberatione tractarent; Elphegi nomen omnes attollunt, Elphegum concordi voce magnificant, Elphego certatim manus dare contendunt. * Anno igitur incarnatæ Divinitatis millesimo sexto, indictione quartâ, ab adventu Anglorum in Britanniam quingentesimo septuagesimo octavo, Elphegus de Wentoniâ Cantuariam translatus, Archiepiscopus levatus est, annos natus quinquaginta duos; cùm jam diutinâ ecclesiasticarum disciplinarum exercitatione fuisset emeritus, & quantum hominis est, universitate gratiæ repletus. Quis tunc mœror, quod murmur Wentanos invaserat cives; & me & omnium mentes fugit, nisi qui populum Cantuarinum ovantem vidissent. Nam horum lætitia, quanta fuerit, illorum mœstitia multo indicio est. Quantùm enim ipsi de suscepto patre lætificati, tantum illi de amisso fuerant mœstificati.

Dunstanus & Elphegus simul vixerant Pontifices.

Elphegus post Dunstanum tertius ex ordine succedit in Patriarchatum.

Elphegus de Wintoniâ Cantiam translatus & in Archiepiscopatum Cantuariensem levatus est anno ætatis suæ quinquagesimo secundo.

Paucis admodum diebus evolutis, quibus incogniti honoris moderamina disposuit, urbem cunctis excelsiorem adire instituit. Jamque Ausoniam ingressus, quod primum occurrit oppidum subintrat. Ubi cùm itineris magnitudine fessus quiesceret; oppidani hominem incognitum habentes, suæ avaritiæ consulentes, domum irrumpunt, res diripiunt, ipsumque Sanctum omni supellectili privatum, tum verbis tum verberibus exire compellunt. At ille suas contumelias leviter ferens, suorum verò mediocriter dolens, viâ qua venit regressionem facit. Nec dum ab oppido longè secesserat; & ecce horrendæ faces mœnia corripiunt, quæ cinerem ædificiis, jacturam civibus minantur. Excitus itaque populus ab igne, strata relinquit, & præceps ad omnia limphato gressu discurrit. Cúmque in immensum flamma excrescens multa pervagâsset, nec evadendi incendii spes aliqua in civibus insuisset; saniore sensu effecti, qui virum perturbaverant, ne forte ad vindictam ignis ei deserviret, animo pertractant. Et exeuntes cum inclytis loci, hominem requirunt, inveniunt, adorant, plorant. Ille verò semper pietatis animum tenerrimum habens; redeamus, inquit, ut ignem comminùs videre valeamus. Stans quoque Pontifex ignem intuetur, lachrimas distillat, Deum compellat. O potentiam creatoris! O clementiam Salvatoris! Elphegus flevit, ignem amovit; populus plaudit. Protinus in aere ignis suspenditur; perque innumeras domos trajectus, extra loci mœnia invenitur. Ad cujus facti contemplationem omnes quamvis modicùm sensati experrecti, Angelica sibi famulata ministeria gloriantur. Sed cognito authore miraculi omne vulgus per portas, sicut aqua per rimas, effluere, optanda dicere, munera offerre. Quibus Sanctus Elphegus respondens: Vobis, ait, sint vestra; nobis autem sufficiunt nostra. Veruntamen si quod offensa promeruit laxari votum habetis; neminem deinceps de domibus vestris peregrinum perturbetis; quin potiùs omnes suscipere, susceptis quæ officii sunt impendere curate. Bonorum namque virorum Deus inhabitator est; & idcirco magnopere gratulandum, si quo in homine

Nota bene de igne Dei vindictæ descendente de cœlo.

Pia benignitas in Sancto Elphego.

* Annus ab adventu Saxonum in Britanniam 578. componitur cum anno Christi 1027. Pari errore Osbernus plus semel in Dunstani Vita tempora ab adventu Anglorum falsò supputavit, annos circiter viginti justo numero plures adjiciens. Cæterùm Elphegum anno potiùs 1005. ad Metropolim Cantuariensem translatum, vide supra in Dissertatione de vera Successione Archiepiscoporum Cantuariensium.

Deus ſuſcipitur, cum alius æquè homo ſuſcipere meretur. Quod ſi te interdum tua fefellerit opinio; ut quem religioſum [putaveris, eum poſtea animadvertas irreligioſum;] non te eâ re mercedis alienum exiſtimes, propterea quòd non tam quid fiat, quàm quo animo quicquid fiat, internus arbiter contuetur. Sic fatus ſua recepit, & turbam cum ſuis redire præcepit.

Sanctus Elphegus perveniens Romam cum Romano Pontifice colloquia quæſivit; inter loquendum ſibi fœderati ſunt amore. Gravis mœror invaſit Elphegum.

Perveniens denique Romam, Romano Pontifici præſentiam exhibuit, colloquia quæſivit. Qui dum omnem loquendi opportunitatem tribuiſſet; tanto inter loquendum ſibi fœderati ſunt amore; ut eum idem Apoſtolicus propriâ Apoſtolatûs ſui ſtolâ circumdaret, & ad memoriam cœleſtis clavigeri coram omni Romano Senatu honoraret. Dum hæc ita agerentur, & mutuâ ſermocinatione dies protraherentur; unâ dierum gravis Elphegum mœror invaſit, qui eum conſuetudinis penitus oblitum redderet, & omnino ad alios quàm habere ſolebat motus diſponeret. Mirati itaque comites inſolentiam viri, viciſſim arte ſuccedunt, conantes doloris cauſas addiſcere, animumque illius prudenti conſolatione relevare. Sed ille cœptæ proſequens luctum mœſtitiæ; Nemo, ait, hodie me hilarem videbit; quoniam * is qui mihi ſucceſſit Wentanus Epiſcopus, hominem exuit. Illi autem nec faciles credendi, propterea quòd nemo adventâſſet, qui rem geſtam nunciaviſſet; nec iterum credendi difficiles, quoniam viro Deum ineſſe noverant, & eâ re mentiri illum non poſſe credebant; ſignant diem, qui inſtabat; ut experirentur utrumnam ore vatidico an ſub opinionis ambiguo iſta prælibaſſet. Deinde ſalutato ac reſalutato alterutrum Papâ & Archiepiſcopo, læti ac triſtes regrediuntur. Jamque reflexo pede Elphegus ſuperaverat Alpes; cùm pleraque Anglorum nobilitas accurrit, quæ ſive orandi ſtudio ſeu videndi deſiderio electa, Urbem Romam attingere temptat. Qui requiſiti ſuper Epiſcopo jampridem à ſervo Dei conclamato, eâ die fatentur hominem vitâ deceſſiſſe, qua die conſtitit Elphegum fleviſſe. Quem jam prætereat, quantum divinæ gratiæ hujus Beati fulſit in pectore, qui cognovit patrios motus à Patriâ longè remotus, & Wentani Præſulis animam de carnis habitaculo egreſſam, dum adhuc ſub peregrino nomine incoleret Romam. Cujus rei fama longè latèque in Patriâ diſcurrens, ampliùs multò, quàm de homine æſtimari poteſt, de illo æſtimandum perſuaſit; qui rerum abſentium tam facilis cognitor tamque verus aſſertor eſſe potuerit.

De ſalutatione alterutrum Papæ & Archiepiſcopi, læti ac triſtes regrediuntur.

Sed ut virum, unde profectus eſt, reſtituamus; Elphegus Britanniam appulſus, atque in ſede Patrum locatus, non modò prioris vitæ ſtatum non minuit, verùm incomparabiliter auxit. Ab illo namque tempore frequenter & opportunè non deſivit Concilia celebrare, orthodoxam fidem Patribus exponere; ne qui aliorum errores tollere deberent, ipſi erronei & à viâ veritatis devii exorbitarent. Peccantes, ut ad Dominum converterentur, ſi verbis non poſſet, beneficiis provocabat; nil quod ſuâ intereſſet negligens: Dum quos admonitio verbi non corrigeret, liberalitas beneficii ſuperaret. Omnium peccata ipſe deflere; ac pro omnium ſalute per ſingulos dies vicibus ſalutarem hoſtiam offerre. Quòd ſi præcipua Solennitas inſtaret, in qua illum ſacerdotalem pro populò gratiam exhibere oporteret; deductus ſacerdotum manibus in ſacrarium, ilico ſe in partem tulit, & inter hymnos feſtivo clamore decantatos privatas Miſſas tantò devotiùs, quantò à conſpectu populi remotiùs, agebat. Inde plenus Deo ad Altare rediens, quod prius incœperat officium peragebat. Ipſe autem in veſtitu candido, deſuper amictus pallio, mitrâ

Sanctus Elphegus frequenter celebravit Conſilia ſancta, & ſæpius exponens fidem orthodoxam, & tollens errores malorum.

Quomodo Sanctus Elphegus devotiùs privatas Miſſas; & de ornatu veſtimentorum ſuorum ad Altare.

* Kenulfus is fuit; qui Elphego in Epiſcopatu Wintonienſi ſuffectus, eodem anno defunctus; eſt, authore Florentio. Eandem Elphegi viſionem Malmsburienſis breviter narrat. (lib. I. de geſtis Pontif. Angl. f. 116.) & de Kenulfi obitu factum eſſe diſertè affirmat.

cæſariem

cæsariem constrictus, diem transigebat; quatenus per exteriorem habitum vestis interiorem conciret habitudinem virtutis; & spectatores sui eò fierent devotiores ad reverentiam, quò illum spectarent decentiorem ad gratiam.

Ornatum Ecclesiæ, cujus ipse auctore Christo moderator sedebat, multis & præclaris opibus ampliabat; quas postea aut Elphegus in usus pauperum expenderat, aut Paganus in proprios abusus rapiendo asportabat. Pudicitiæ virtus tantum in illo obtinuit principatum; ut nemo in audientiâ illius obscœnum verbum proferre, nedum in aspectu turpe factum auderet efferre; dicebatque hanc esse primam atque præcipuam conservandæ castitatis magistram, ut quos animorum corruptrix temeritas præcipitat, eos morum latrix verecundia compescat. Sed quid meritorum illius cætera prosequar; cùm ad sola misericordiarum illius præconia enarranda omnis periti succumbat facetia? Totus erat clementiâ profluus, totus in lachrimas resolutus, pauperum piissimus consolator, liberalis in dando, accipiendo difficilis. Una spes omnibus ad se venientibus afflictis, unicum refugium in hâc terrâ afflictis. Ex qua re contigit, ut dum nihil superesset, quod de suo proximis largiri potuisset; hoc ipsum quod erat, dare non metueret; malens huic vitæ moriendo deesse, quàm proximis vivendo non prodesse. Quod nunc in ejus nomine aggrediar dicere, cujus clementi bonitate factum est, ut ita possem dicere.

Sanctus Elphegus erat clementiâ profluus, & consolator pauperum.

Sanctus Elphegus malens huic vitæ moriendo deesse, quam proximis vivendo non prodesse.

Per idem tempus Piratæ pessimum genus prædonum, propterea quòd illos & egestas audaces, & error investigabiles, & desperatio facit invincibiles; Ducibus Swano & Thurkyllo, Principibus Danorum fortissimis, nonnullam terræ Anglorum maculam intulerant. Sed Swano ab omnipotenti Deo terribiliter occiso, Thyrkillus malignæ hæreditatis Principatum sortitus est. Hoc Duce Piratæ omnes portus maris oberrantes, & nunc hîc nunc illic è navibus prosilientes, magno quam vicinis damno quam longinquis formidini fuere. Non enim erat illa gens inimicorum, quæ pietatem coleret, quæ ante fidem cuiquam parceret. Hoc solum inerat boni, promissam fidem nolle mentiri: Et hoc interdum. Cæterùm cultus Dei apud eos nullus; & si cultus, nulla culturæ religio. Æquè etenim omnes anni dies celebrare, æquè omnes omnibus vesci. Mysteriorum sacra non solùm non accipere, sed neque Ecclesiam ingredi, legitima conjugia procul spernere; sed quæ sanguine propinquior, ea complexu gratior. Et quoniam actio in eis non prætendebat religionem; minuebatur pietas, crudelitas indies augebatur. Proinde quasi lex erat; ut ibi quisque terminum mali poneret, qua potentia deficeret. Igitur cessante obstaculo, hostis per omnem Angliam spargitur; & quicquid obstaret, tum cæde tum incendio comminuit. Desertâ itaque extrinsecus ab incolis terrâ, ad urbes vicinas undique confugitur. Jacet itaque terra prædonum furori obnoxia, nullo cultore beata. Rex namque Anglorum Ethelredus imbellis quia imbecillis, Monachum potiùs quam militem actione prætendebat. Homines verò divitiis corrupti, voluptatibus obligati, haud quicquam præter commodum corporis honestum putabant. Quapropter militiam dicere, rem aliquam fortiter facere, pro patriâ mori velle, ne quod sibi quisquam parârat ideo moriente in jus vicinum transiret, stultum penitus ducebant execrandumque. Ita quisque dum sibi & rebus suis timet, omnes temperant bello; nemo pro omnium causâ certamen experiri tentabat: Cùm eâ re magis certandum esset, ut quod quisque suum esse vellet, pro eo quàm splendidissimè pugnaret. Singuli tamen Principes quisque sua loca quantâ poterant virtute tuentes, frequentes & nobiles de hostibus triumphos referebant; interdum quoque & hostes de ipsis non ignobiliter triumphabant.

Nota bene de adventu Danorum in Angliam. Swanus & Thyrkillus. Swanus dux Danorum ab omnipotenti Deo terribiliter occisus.

Nota. Tyrkillus dux Danorum sortitus est principatum malignæ hæreditatis.

Minuebatur pietas, crudelitas indies augebatur.

Rex Anglorum Ethelredus imbecillis erat, prætendebat potiùs Monachum quàm militem

Sanctus Elphegus tempore persecutionis Danorum solebat prædicare verbum vitæ, & redimere captivos, alere famelicos.

In tanto igitur rerum discrimine Elphegus, id quod factu difficillimum erat, hostes adire solebat, verbum eis vitæ prædicare, captivos dato pretio redimere, & eos quos fames opprimebat alere. Tantumque placendi hostibus divina illi gratia concessit, ut non solùm captivos à temporali, verùm etiam captivatores eorum ab æternâ liberaret servitute, dum & fidei expertes ad fidem vocaret, & quos fides admiserat ad fidei opera invitaret. Sed cùm pleraque populi turba credentium numero addita fuisset, pars tamen non modica infidelitatis errore detenta sociorum saluti invidebat, auctoremque salutis eorum infandâ conspiratione interficere cogitabat. Metuebant namque, ne sublatis iis, quibus auxiliariis bellandi consuetudinem agere solebant, minorem vel nocendi licentiam aut resistendi potentiam, cùm res deposceret, haberent; & eâ re dolebant bestiales hominum mentes in rationabilem transiisse qualitatem, crudelitatem religione superari, præliandi negotium meditandi otio commutari. Unde quantùm à fideli populo colebatur, venerabatur, diligebatur; tantùm itidem ab infideli multitudine contemnebatur, deridebatur, occidebatur. Sed Beatus ille malens cum Domino Beelzebub quàm cum Pharisæo Rabbi vocari, non destitit incœpto operi operam dare, fideles in fide confortare, infideles ad fidem vocare, summâ cum authoritate omnia facere. Neque enim fas erat, ut aliquorum ille formidini cederet, qui divinum spiritum suæ rectorem mentis & maximam populi partem suæ voluntatis fautricem haberet.

Sanctus Elphegus à fideli populo colebatur, venerabatur, diligebatur; multitudine infideli contemnebatur, deridebatur, occidebatur.

Sed totius malignitatis magister simul ac minister Diabolus, Diabolus inquam totius malignitatis magister simul ac minister, dum infidelium paucitatem ad injustam justi hominis necem propter copiam fidelium impellere non potuisset, aliam patrandi sceleris artem aggreditur, per quam illi omni sociorum timore sublato, quod nequissimè cogitaverant, crudelissimè exsequerentur. Quendam namque Edricum Rex totius imperii sui Præfectum statuerat, hominem humili quidem genere, sed cui lingua divitias & nobilitatem comparaverat, callentem ingenio, suavem eloquio, & qui omnes id temporis mortales tum invidiâ atque perfidiâ, tum superbiâ & crudelitate superaverat.

Rex Ethelredus statuerat Edricum Præfectum totius imperii sui.

Hujus inquam fratrem primò nobilitati Cantuariorum in præsentiâ Regis gratuitò maledicentem, deinde ea, quæ unicuique ex paternâ hæreditate provenissent, violentâ damnatione invadentem: Hujus inquam fratrem lubricum ac superbum eadem Nobilitas aggressum interfecerat, ædes succenderat. Justo Dei judicio agente, ut qui in alios injustè exarsisset, ipse justæ vindictæ pœnas exsolvisset. Cujus sanguinem frater superstes sæviens, ultionem à Rege postulat. Denegat Rex postulata, jure fratrem peremptum pronunciat, qui tantam nobilitatem tantâ animi mobilitate Regali in Palatio impetere præsumsisset. Præfectus colorem mutatus Palatium egreditur; Junctisque secum decem millibus viris quàm optimè armatis, occisum fratrem ulcisci conatur. Sed dum conatus suos parum processisse conspiceret, resistentibus iis quos importunissimos adversarios habebat, & ingenti virtute contra certantibus; elatus in iram, Danorum conciliabula expetit, auxilia perquirit, non jam ad Cantuaritas solos debellandos, sed ad totius Britanniæ fines invadendos. Quorum ignaviam maledictis increpitat; quòd tot annos laborando nihil effecerint; cùm præsertim Rex * senio & languore, Principes otio, omnes divitiis ac voluptatibus contabescant. Opus tantummodo esse incœpto, cætera rem ipsam expedire. Regnum post victoriam æquâ sorte dividendum, se ori-

Nota fratrem Edrici Præfecti virum superbum.

Edricus Præfectus armatis secum decem millibus viris occisum fratrem ulcisci conatur.

* Rex Ethelredus nondum quadragesimum sextum ætatis annum assecutus fuerat; siquidem, quod Florentius prodit, Edgarus pater Alfrytham matrem anno 964. duxerit.

entalibus Anglis principari, illos verò aquilone potiri. Cujus hominis pollicitationibus Principes Danorum arrecti, simul & memores sociorum per doctrinam Pontificis sibi præreptorum, socios se infatigabiles ad quodcunque ducere vellet promittunt, dextras dant & accipiunt, sacramenta exigunt & porrigunt.

Itaque maturato consilio Dani & Angli, Dani relictâ statione, quam hiemandi gratiâ propter Lundoniam cœperant, cum innumerâ classe & non segniter armatâ portum Sandwicum subeunt; eâ videlicet ratione, quòd illum & ad receptionem navium habilem & civitati ad quam tendebant acceperint proximum. At Edricus cum innumerâ pedestri multitudine & ipse pedes occurrens, exercitum intolerabilem facit. Hostes Pontifici, Præfectus nobilitati, omnes Cantuariæ necem intentant. Cujus rei famâ civitas Cantuariorum vehementer permota, propterea quòd neque alimentorum subsidia in ea fuissent, nec illis comparandis tempus jam idoneum suppeteret, totas spes atque res suas in manus summi Sacerdotis commendant; templumque Domini quod excellentissimâ omnium populorum veneratione ibidem colitur, assiduâ supplicatione frequentat. Arbitrabantur etenim sese propter loci sanctitatem ibi tutari posse, & omnia magis fieri, quàm se violentiâ inimicorum manu inde evelli. Sed verus ac sempiternus Deus non est, ut Dii gentium; qui non modò peccandi impunitatem suis tribuunt cultoribus, verùm etiam variis eosdem observationibus atque oblectationibus ad peccandum inducunt; dum metuunt indebitos sibi honores ab hominibus denegari, si non eisdem per mortiferas voluptatum execrandarum licentias studuerint placere. Hinc adulatoria Comœdiarum figmenta comperta. Hinc ludi Scenici instituti; & quicquid instituendis animabus malignissimi Dæmones abinvenerunt, Dii adulteri & illiberales, qui nullam sibi culturæ possunt exhibere reverentiam, si non hominibus peccandi tribuerint licentiam. At Deus omnipotens & Dominus noster, ut in nullo bonorum nostrorum se indigere, ac per hoc verum se Deum esse manifestet; sic culturam exigit, ut vivendi præcepta dare non metuebat; sic vivendi præcepta dat, ut ea servantibus præmia, contemnentibus verò supplicia proponat. Quodque parum intelligentibus æquè videtur asperius, quos præ cæteris familiariùs diligit, eorum ille peccata graviùs punit. Unde cum regnum David corroborandum promisisset; de posteritate filiorum illius ista subnexuit, dicens: [d] Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint; si justitias meas prophanaverint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Ac per hoc nullo modo à bono Deo deseruntur, qui tali modo deseri videntur.

Dani armatâ classe portum Sandwicum subeunt.

Edricus facit exercitum intolerabilem contra civitatem Cantuariam.

Civitas Cantuariorum vehementer permota commendat in manus summi Sacerdotis res suas.

[d] Psal. LXXXVIII. 31, &c.

Mox universa Nobilitas, quæ olim in legis violatorem vindictam exercuerat, universa inquam Nobilitas lachrimabili questu Pontificem circumdat; orat ut urbem exeat, vitæ consulat; in vulgi morte damnum quidem esse, sed quovis modo tolerabile; illius verò vitam omnium in terrâ vitas excellere. Sentiens autem Beatus ille suasionem, tametsi piam, suâ tamen æstimatione indignam. " Longè, inquit, aliâ mihi viâ gradiendum puto; dum prætè-
" ritos mecum labores reputans, æternam Dei retributionem cogito. Vide-
" mini namque tale mihi consilium dare; ut quod in vitâ jocundius habe-
" bam, pro minimo contemnam, & quod omni semper desiderio à Deo ex-
" petebam, id ab eo oblatum sponte projiciam. Sed absit, ut gloriam me-
" am ignominiâ commutem; ut immortalitatem, quæ auctore Deo omnibus
" proposita est, timore mortis evadam. Quòd si qualicunque de causâ turpi
" vel honestâ immortalitas captari posset; esset equidem omnibus elaboran-
" dum viribus, ut ad illam quomodocunque pertingere possemus. Nunc au-
" tem cum tanta moriendi pro illâ honestas existat; ut laudabilior sit qui
" animam

Nota bene responsionem Beati Elphegi suadentibus sibi fugere mortem.

" animam suam perdere voluerit, quàm is qui eandem servare contenderit;
" quis non ultro se ingerat in mortem, si eum amantissimi etiam sui præpe-
" dire velint à morte. Neque sceleratorum maleficia commisimus; ut ex-
" hinc mortis supplicia pertimescere debeamus. An vero * illud erit in cri-
" mine, quòd eorum delectos à Paganissimis erroribus retraximus, atque
" ad unius veri Dei agnitionem cultumque attraximus? Sed beatum me,
" si tali in causâ mori contingat; pro qua ut morerentur elaboraverunt om-
" nes Christi Martyres. An forte ibi offendimus, cùm gentis nostræ capti-
" vos perditæ libertati restituimus; & quos restituere non potuimus, in cap-
" tivitate pascere non dubitavimus. Sed utinam pro tali offensâ tot in [me]
" mortis vulnera desæviant, quot in me membrorum varietates natura for-
" mavit. Jam verò si inde furoris exarsit immanitas, quòd vitam illorum
" flagitiis ac facinoribus coopertam quotidianâ invectione reprehendebam;
" illius me coegit auctoritas, qui sanguinem impii de manu meâ dicit esse re-
" quirendum; si eidem scelus suum non fuerit annunciatum. Quòd si alia
" non sunt, quæ pro illorum studio in me culpari valeant; & hæc ipsa talia
" esse noscuntur, ut sui magis dignitate Deum mihi concilient quàm indigni-
" tate exacerbent; alienum profectò à meis orationibus esse existimo, opti-
" mis civibus in mortis periculo derelictis, de singulari meâ salute, quæ nec
" salus dicenda est, cogitare. Mercenarius esse potero; si videns oves meas
" à lupo devorari, ipse incipiam fugam meditari. Proinde quibus Deus in-
" spiravit, ut bona malaque juxta perpeti velint; hîc quæ nobis præparata
" sunt pariter expectent.

Postquam accepere ea homines, quibus omnia quàm mors & cruciatus corporis cariora erant, citato mox concilio, diversi alius alio se transferunt; plures verò placandi gratiâ Danos accedunt, rati se apud hostes tutos fore, qui infra muros civitatis tuti esse non possent. Sed è contra omnia venere: Sed me piget ista narrare. At Elphegus convocatis pauperibus populi sui, hortabatur eos bono animo esse, Deum præ oculis habere, præter eum qui corpus & animam in gehennâ perdere potest nihil formidare. Admonebat etiam eos humilitatis Christi ac patientiæ; qui cùm Deus esset, & omnia Pater illi in munus dedisset, non solùm se de inimicis ulcisci noluit, sed & sævientem Petri amorem ab ultione prohibuit, gladiumque illius Malchi sanguine cruentum vaginâ recondidit. Docebat nihilominus duas esse hominum liberationes; quarum alteram publicus, alteram occultus probaret excursus: nec magno curandum opere, si ea non proveniat, quam humani favoris judicium expectat; propterea quòd illam malus quispiam participare valeat, illam verò aliam quæ divini secreti scientiam fatetur, eo magis optimam atque infestis viribus appetendam, quòd ad eam nemo [nisi] bonus aspirare prævaleat. Ad hæc proponebat constantias Martyrum, & victorias eorum, qui fidem non verbis sed tormentis ostendebant; quibus Christiana innocentia non tam honori quam supplicio quoad viverent erat. His illos sermonibus institutos ad

Sanctus Elphegus convocans populum suum, hortabatur eos esse in bono animo.

Sanctus Elphegus docebat populum duas liberationes hominum esse.

Sanctus Elphegus proponebat populo constantias Martyrum & victorias eorum.

* Ista omnia, quæ & hîc & superiùs Osbernus ingerit, de conversis ad fidem ab Elphego Danis, conficta ab illo videntur; ut Martyrii titulum illi conciliaret. Lanfrancus enim, quo jubente Osbernus Elphegi vitam concinnavit, Elphegum verum fuisse Martyrem denegavit; eò quòd occisus fuerit *non pro confessione nominis Christi, sed quia pecuniâ se redimere non voluit*: referente Eadmero in vitâ Anselmi lib. 1. Aliam itaque Eadmerus rationem excogitavit; sc. quòd post captam civitatem, Danis sævitiam & tyrannidem summa libertate increpans, hostium furorem in se concitarit, atque ea de causa ab iis è medio sublatus sit. Conversio autem Danorum ante civitatem obsessam ab Archiepiscopo facta, Eadmero in mentem non venit.

quæcunque

quæcunque tormenta persecutor impelleret, Beatus ille paratissimos reddebat. Deinde episcopali super illos benedictione effusâ, pacis communione in osculo sancto libatâ, dum divini epuli omnes participes efficeret, se illis, illos sibi, utrosque autem omnium protectori Deo commendavit.

Sanctus Elphegus dedit Episcopalem benedictionem super populum; & commendavit eos omnipotenti Deo, protectori suo.

Jamque dies aderat, primos visura tumultus. Ecce tota civitas hostili agmine circumvallata omnem exeundi civibus libertatem negabat. At illi pro muris consistentes resistendi audaciam non tam ostendebant quàm simulabant. Vicesimo autem obsidionis die, exhausto quicquid ad usum vitæ paraverant, mittitur à Pontifice qui Dano suggerat, ut ab incœpto desistat, populum innocenter obsidionem pati, cavere ne divinæ correptionis flagello pro filiorum castigatione ad tempus concesso nimis insolenter abutatur; fieri plerumque, ut quem pater hæredem vult baculo percutiat, baculum pòst in ignem projiciat. Sed Angli, nam illi ad impietatem procliviores extiterant, quo ampliùs cognatum populum affligi cernebant, eò ferociores instare, vineas agere, turres extruere, arietibus murum ferire, igneas faces jacere, nihil intactum habere. Inde feralis per contiguas domos ignis conceptus horrendos crines attollit, ac sæviente Austro per omnia loca se dilatando spargit. Cernere tibi videreris aut Romanas flammas Neronem mirari, aut Trojana incendia Æneam deflere. Tum verò miseranda inter cives cunctatio, utrumnam desertis murorum propugnaculis ad proprias domos convolarent. Vicit communem utilitatem privata affectio, filiorum dulcis recordatio, tuendæ familiæ innata compassio. Currunt itaque furore præcipites, animositate audaces, neque vitæ memores, neque mori potentes. Rapiunt è mediis ignibus conjuges & caros liberos, hostili gladio statim feriendos. Sed illis ad cineres ædificiorum attentiùs occupatis, ecce quod dictu quoque miserabile est, effractâ urbe exercitus ingreditur; terribilis sonitus ex clamore vocum simul & ex clangore tubarum attollitur; adeò ut omnia civitatis fundamenta concuti viderentur.

Civitas hostili agmine circumvallata Cantuariæ.

Nota de incendio civitatis Cantuariæ per crudelissimos Danos.

Privata affectio vicit communem utilitatem.

Rapiunt è mediis ignibus conjuges & caros liberos.

Exercitus Danorum ingreditur.

Terribilis sonitus tubarum attollitur.

Quæ tunc facies rerum, quàm miserabilis confusio malorum, sub nullius scientiam cadere potest, qui non ejusdem calamitatis spectator affuerit. Alii namque ferro jugulati, alii flammis consumpti, plures verò supra muros præcipites dati; nonnulli, quod dicere pudet, per verenda suspensi deficiunt. Matronæ, quas cæteris clariores nobilitas effecerat, dum thesauros quos non habebant coguntur prodere, capillis per omnes civitatis plateas distractæ, ad ultimum flammis injectæ moriuntur. Super omnia in minorem ætatem crudelitas desævit; dum parvuli à matrum uberibus evulsi aut lanceis exciperentur, aut superacto plaustro minutatim contererentur. Jam verò ea quæ sequuntur mala præ doloris magnitudine vix enarrare valeo. Ecce etenim venerandus Pontifex non ferens tantam suorum depopulationem, dum fortè plangentium turba Monachorum in Ecclesiâ Salvatoris circumseptus fuisset, repente manibus tenentium se lapsus de Ecclesiâ evasit; currensque ad locum cadaveribus plenum, inter densissimos hostium cuneos se ingerit, talia geminando inclamitans. "Parcite, ait, parcite; & si viros vos esse cognoscitis, "innocentem ætatem persequi desinite. Non est victoria, qua lactentium "perimitur innocentia; nec laudi ascribetur, quicquid in supplices bellando "peragitur. Si gloriam de victoria expetitis; hanc vobis potissimum ejus "jugulum præstabit, quem cœlestis potestas omnibus præesse constituit. En "me, qui ut Christianum populum augerem, multo vos milite spoliavi; & "qui vestræ impietatis crimina libero semper ore damnavi! En qui Captivos "Patriæ horrendo multatos ergastulo pavi, vestivi, redemi! Si gratuitò malos esse delectat; in me præcipuè vestra ira desæviat; quem præ omnibus "tot peccandi modis vos offendisse constat. Protinus ergo innumeris manibus fortissimus Athleta carpitur; ac intercepto gutture vox loquentis præpeditur; vinculis palmæ innectuntur, genæ unguibus dissecantur; pugnis & calcibus

Magna crudelitas Danorum.

Trahuntur matronæ per capillos per omnes plateas civitatis, ad ultimum flammis injectæ moriuntur.

Parvuli verò ab uberibus matrum divulsi ut Lanceis exciperentur.

Turba plangentium Monachorum in Ecclesiâ Salvatoris.

Sanctus Elphegus radarguit crudelissimos Danos.

calcibus latera tunduntur. Inter hæc ſervus Dei muto ſimillimus, ne uno quidem verbo dolorem prodere; ſed Sancti Spiritûs conſolatione roboratus, ſumma tantummodo labia quaſi cum Deo loquens movere. Sicque ad atrium templi non tam deductus quàm impiorum manibus impulſus, jubetur novi flagitii ſpectator aſſiſtere; quatinus mortem ante mortem videret, nullumque mortis genus exiſteret, quod illum ſive patientem ſive ſuis condolentem præteriret. Accedunt itaque filii Diaboli ad templum filii omnipotentis Dei; cuppas ſuper invicem poſitas inflammant; tectum exinde molientes amburere. Jam plumbi materies à facie ignis reſoluta cœpit introrſum defluere; cùm beata Monachorum plebs caput pallio cooperta, amaris lachrimis faciem rigata, in Dominum per omnia confiſa egrediebatur, datura pro Salvatore quod pro omnibus ille dignatus eſt impendere. Ad quam ferro excipiendam trux carniſex occurrens mirabili atque miſerabili eandem cæde devaſtat. Quid tunc quæſo Pontificis agebatur in animo? Cùm videret totius Regni matrem miſerandis cineribus involutam jacere, filiorum multiplices catervas per diverſas diverſarum mortium ſtrages interire; ſe vinculis irretitum, vulneribus afflictum, ſaturatum opprobriis, deſtitutum ſolatiis. Sufficeret namque ad communem regni perniciem aut ſola Pontificis injuria, aut funeſta urbis excidia; ne dum utroque Anglia decore privata, [eſſet] nunquam deinceps ad priorem eſſet ſtatum reformanda. Sed quicquid illud ſit, quod æterna hoc in facto ſapientia providerit; magnum quiddam ac præclarum eſſe dinoſcitur, quod tam pio tam excellenti Pontificem Martyrio decoraverit; ut alterum eſſet, quòd de morte filiorum doleret, & alterum quòd mortem ipſe ſuſtineret. Igitur ex omni numero, qui ad octo millia hominum protendebatur, quatuor ſolummodo Monaſticæ profeſſionis, octingentos autem inferioris ordinis viros remanſiſſe accepimus; quos primùm beneficii gratiâ pro decimis computatos, deinde verberibus acriter exaratos, aut pecuniariâ redemptione dignos judicaverunt, aut ſervilibus mancipandos operibus ſecum abduxerunt. Quibus eâ ſolùm re Danos exiſtimo pepercisse; ut nullis deinceps temporibus deeſſent, qui cruentam illorum victoriam prædicare poſſent. Sed qui hominum malis bene utitur Deus, quod illi ad teſtimonium crudelitatis, hoc ille parabat ad reſtaurationem poſteritatis.

Beata Plebs Monachorum confiſa in Dominum.

Strages Monachorum.

Anglia privata, nunquam deinceps reformanda.

Decimatio populi.

Hactenus urbis excidia deflevimus; nunc ad deflendam Sancti viri mortem lachrimas reparemus. Jam populo cæſo, Jam urbe flammatâ, Jam denique Chriſti templo violato, perſcrutato, ſpoliato, extrahitur Sanctus, toto corpore vinctus, furentis populi manibus occidendus. Cúmque ad portam ſeptentrionis præcedentium raptu ac ſubſequentium pulſu traheretur; ecce ii, quos ſolos paulò antè ex omni civitatis ruinâ ſuperfuiſſe commemoravi, pedes trabibus inſerti, ſub militari cuſtodiâ tenebantur. Qui viſo Pontifice, & quæ erga Pontificem agebantur, indignitate malorum elatis in cœlum manibus cum ingenti rugitu exclamant, Deum tantæ crudelitatis inſpectorem fore poſtulantes. Omnes enim captivi eum viderunt, & elevatâ voce fleverunt. Subſiſtens autem ſummus Sacerdos, ut fractos eorum animos oratione firmaret, repentè ab impellentibus ſe gravi per ſummos humeros vulnere ſauciatur; adeo ut profluente ſanguinis undâ à toto corpore humerus diviſus appareret. Exhorrent facinus compediti, exhorrent ipſi Dani, exhorrent quicunque erant animo humani. Nec ille ſeciùs Deum orare, ſed oculos ad cœlum, animos verò ad eum qui ſupra cœlum eſt, infatigabiliter habere. Ducitur itaque hoſtia Chriſti de urbe ad claſſem, de claſſe ad carcerem, de carcere ad judicem iniquitatis. Carcerem pronuncio, quem horror tenebrarum fœdavit, quem anguſtia parietum fœdavit, quem ranarum importunitas fœdavit.

Plebs Cantuariæ deflet mortem Sancti viri De populo cæſo, urbe flammatâ, templo Chriſti violato. Sanctus extrahitur per portam ſeptentrionis. Ibi fuit populus clauſus in vinculis. Omnes captivi in carcere incluſi Sanctum viderunt, fleverunt. Sanctus Elphegus ab impiis Danis gravi percuſſus inter humeros vulnere. Compediti abhorrent atque Dani vulnera ejus.

Sanctus Elphegus ducitur ab urbe Cantuariæ ad claſſem, de claſſe ad carcerem, de carcere ad judicem.

davit. Ibi virum Dei menses septem duodeno milite septum servavere; rati illum Ecclesiæ patrimonia spoliaturum, ac pro sui liberatione iis daturum. Sed Elphegus nihil sanè ad hoc intentus, quippe cui serum videbatur, quòd huic mortali vitæ subtractus æternâ Dei præsentiâ frueretur. Quocirca patientissimè omnia sustinere, passiones Christi pro potestate ibidem celebrare, grata Deo contriti cordis solennia agere.

Sanctus Elphegus recluditur in carcere, menses septem, ibidem celebrans & agens solennia.

Interea cœpit Ira omnipotentis Dei in homicidam populum adeò desævire; ut parvo temporis intervallo duobus eorum millibus per diros internorum cruciatus prostratis, cætera quoque multitudo simili morbo percussa simile opperiretur exitium. Commoniti autem à fideli populo, ut reos se in Christum, templum ac populum illius agnoscant, dicant, defleant, de cætero autem Pontifici satisfaciant; consilium salutis differunt, opinati non tam divinâ voluntate quam fortunæ instabilitate hoc illis infortunium accidisse. Prævaluit interim clades super omnem carnem, quæ Pontifici intenderat mortem; & nunc denis, nunc vicenis, nunc pluribus his terribili viscerum dolore captis, tortis, absumptis, magnam subinde mortis formidinem viventibus incussit. Citato igitur consilio mox ad eum ab omnibus curritur; patratum facinus quamvis invitis lachrimis deploratur; ut ad cœli Regem supplicatio fiat obsecratur. Erat autem solennis ille reconciliationis dies, in quo sanctissimum corporis & sanguinis sui mysterium Salvator discipulis commendavit. Tum ille, quem paulo ante malignitas tortorum vehementer angebat, nunc eorundem manibus ad publicos populi aspectus honorificè delatus, atque in sellâ gestoriâ positus, has de sacro pectore edidit voces. "Et si vestra incessabilis " crudelitas nullum sibi promerendæ veniæ locum relinquat; nostri tamen " interest officii non tam quod vos pati conveniat, quàm quod nos agere deceat intueri. Habemus namque maximum hujus speculationis documentum in hodierno Christi Domini facto, qui cùm suorum dignatus fuisset " lavare pedes Discipulorum, non modo illum non exclusit, à quo se tradendum esse præscivit; immo etiam Sancto pane sanctissimis manibus libato " eundem cibavit. Inde cùm ad locum comprehensionis illius ventum fuisset; primò omnes Pharisaicæ impietatis ministros potentiæ suæ verbo elisit, " sed confestim pro dignitate beneficii eosdem ipsos erigendo sanavit. Ita " omnibus quæ de illo sunt diligenti ratione consideratis, invenimus eum bonitatis suæ clementiam hominibus semper prærogâsse, non eorum mala facta per condignam suppliciorum pœnam vindicâsse. Quodque magnæ bonitatis insigne est, quos quotidie mandatis cœlestibus pertinaci animo videt " resistere, eos in cœlo sedens adhuc patitur vivere, immo humanis rebus " plurimùm cæteris præstare; dum eis & clementia cœli & fœcunditas terræ, " filiorum gratia, famulantium clientela, pecuniæ augmentum, ac subjectio " arrideat inimicorum. Huc accedit quòd vobis quoque hominibus quidem, " sed canino semper more viventibus, longanimem sui patientiam prætendit; " quos olim furoris sui gladio peremisset si non pœnitentiam quàm mortem " vestram maluisset. Quapropter quùm exemplorum illius devotus cupio " imitator existere; oblitus incendia civitatis, oblitus inquam quæ in me " acta est, præteritæ impietatis; oblitus innocentium cædis; sicut ipse patrem pro suis crucifixoribus, ita ego pro meis ipsum tortoribus interpellabo. Afferte ergo panem, statim vobis reddendum salutarem; quatinus " ex hoc refecti & cupitæ salutis beneficium adepti, aut solemnes Salvatori " gratias reddatis, aut sceleratiores blasphemi remaneatis.

Ira Dei in homicidam populum desævit. Dani commoniti à fideli populo, ut Christum agnoscant.

Prævaluit clades in Danos impiissimos.

Postquam Præsul finem dicendi fecit; invocato mundi auctore Christo, datoque omnibus pane à se benedicto, omnes de exitiali liberavit clade. Qui liberati & ab homine confortati, nihil minus præstiterunt in quo cœpto constiterunt. Expectato autem sacrosancto Dominicæ requiei Sabbato, cùm perfectæ salutis integritatem se recepisse nec quempiam ex omni populo per totum

Principes Danorum legant quatuor Principes legionum ad Sanctum Elphegum. Dani petunt sexaginta argenti talenta pro vitâ ac libertate Sancti Elphegi. Responsio Elphegi ad quatuor Legatos Danorum.

tum triduum obiisse conspicerent; legant Principes legionum quatuor, qui Pontifice adito primò quidem pro impenso beneficio gratias exhibeant, deinde hujus conditionis alloquium proponant; ut si vitâ ac libertate velit potiri, sexaginta argenti talenta persolvat, singulis talentis quinquaginta librarum pondere appensis. Præter hæc spondeat se suasurum Regi; ut quoniam impossibile sit absque grandi pecuniâ Anglos Danis conciliari, ducenta superioris ponderis talenta solvantur: Sicque fœdus inter utrosque populos firmum constituatur. Quo ille accepto nuncio, tale fertur responsum dedisse. "Legatio, inquit, legitima non est; cùm id petitur, quod petenti jure denegari potest. Jure autem denegari potest, quod ratione haberi non potest. Ratione verò haberi non potest, quod aut ignis devoravit aut prædo asportavit. Quòd si ad explendam animi vestri dominatricem cupiditatem eâ vos ratione ducimini; ut existmetis me aut Ecclesiasticas possessiones expoliaturum, aut contra Patriæ decus Regi suasurum; fallimini, propterea quòd Christiani hominis non sit Christianorum carnes Paganis dentibus conterendas dare. Ego equidem id faciam; si quod paupertas ad vitam paraverat, vestris hoc morsibus abutendum tradam.

Accedentes rogabant Sanctum Dei Elphegum scripturam firmari sigillo suo. Sanctus Elphegus respondit Danis de hac causâ.

Accedentes autem ii, quorum gratiâ familiariùs utebatur, rogabant eum mitiùs loqui, sigillo suo scripturam firmari, quæ ad deprædandas Ecclesiæ reliquias circumquaque mitteretur; quatinus redemptionis pretium exinde consequeretur. At ille, qui semper erat Pater pauperum & invictus Patriæ defensor, indignè ferens eos indigna locutos, ita respondit. "Si istud mihi flagitium persuadere potueritis; quicquid usquam flagitii est persuadere potueritis. Sed satius est per virtutem emori, quàm tali modo vitam mercari. Quid namque indignius dici potest, quàm ut Elphegus in ultimâ ætate crudelis esse discat, quem clementiæ ac mansuetudinis virtus ab ipsis infantiæ cunabulis decorabat? Aut quam mercedis gratiam ab æquissimo omnium remuneratore Deo sperabo; si quæ fidelium operâ ad honorem Ecclesiæ parta sunt, hæc meo opere distracta perierint? Exciditne animis, quàm laudabili ratione Beatissimus Martyr Laurentius thesauros Ecclesiæ absconderit, ne illos violenta manus inveniret persecutoris. Quid quod eosdem tam liberali diligentiâ pauperibus distribuit? Quòd si ille quos acceperat laudabiliter thesauros occuluit; ego quos non accepi crudeliter exquiram, crudeliùs prodam? Et si ille quod non habebant egentibus dabat; ego quæ habent eisdem diripiam? Nisi fortè mitius sit quod suum est pauperibus auferre, quàm quod nostrum est non largiri. Videte ergo, quàm id impiè dixeritis, quod sobriè vos dixisse putabatis. Hæc ille, nec ad hæc illi.

Exemplum Sancti Laurentii de thesauris Ecclesiæ.

Sed postquam in castris audita fuissent, quæ ipse dixisset; tum quidem omne furoris sui venenum spirare, clamorem dentium stridore mixtum attollere, & quid de viro statuendum foret malignâ mente tractare. Nihil ergo prior fames, nihil catenæ, nihil militaris custodia valuere. Nova omnia cuduntur, & ea multiplicatis tortoribus cumulantur. Eratque miserabilis rerum conditio, & quam non solum muta animalia, verùm etiam ligna & lapides expavescerent; dum qua die universa mundi elementa de resurrectione Conditoris lætabantur, eâ ipse inauditis tormentorum quæstionibus puniretur. Sed ille propter spem, quam habebat in Domino, omnibus his malis quasi epulis delectabatur.

Elphegus habebat semper spem suam in Domino.

Exarsit itaque malignus furor impii Draconis; criditque se diro invidiæ mucrone perire, si suis artibus victus non cederet, quem suorum militum tormentis vincere non posset. Tegit ergo argumentum furoris velamine pietatis; fraude conatur elidere, quem terroris magnitudine non potuit superare. Fit virtus specie, non veritate: Angelus ore, non operatione.

Quintâ

Quintâ igitur Paschalis Festi luce peractâ, aggreditur filium lucis auctor tenebrarum; mentitur se de supernis sedibus destinatum, quatinus levi vigiles somno demulceat; illum verò ad communem gentis salutem de squalore carceris educat. Nec vererentur ignavi militis vocabulo notari; cùm neque Petro esset sublimior, nec Paulo esset robustior; quorum alterum sporta contexit, alterum verò carcerali stridore gravatum Angelus absolvit. Christi quoque venerandos teneret pedes, qui ut lapidantium se manus effugeret, de templo exivit, ac fugiendi licentiam evangelico præcepto suis mandavit. His ille sermonibus veluti unguentis delibutus, carcerem egreditur; illum sequens prævium itineris, qui filium Dei in deserto temptare præsumpsit. Plurimis autem aquarum alluvionibus per obscuras noctis umbras transvadatis, is qui ore Luciferum agebat, repentè disparuit. Tum Sanctus pestiferi ductoris machinas intelligens, ex imo pectoris dolorem anhelat; mediisque se paludibus injectans, cum maximo fletu Salvatorem implorat. "O vitæ "dator, O stirpis Adam unice moderator, cur senem me tua gratia destituit, "quem in floridâ ætate nunquam destituere suevit? Tamdiu misericordi-"ter servatum in extremo vitæ pateris perire abjectum? O totum quod cu-"pio, totum quod frui desidero, quid juvat in prælio longum diem victo-"rem fuisse, si peracto die prædam victus victorem abripiet? Aut quæ laus "natandi perito, si medium pelagi naufragus evasit, ad littus verò invisæ "mortis naufragium sustinuit? Quoties te in hujus vitæ naufragio Salvato-"rem inveni? Experiar nunc quæso consolatorem in hac Dæmonis illusione, "adjutorem in opportunitatibus, in tribulatione. Adjutorem inquam in "tribulatione experiar te consolatorem, experiar te consolatorem in hâc Dæ-"monis illusione. Carcer à tergo, a fronte flumen, tenebræ in girum, au-"ctor earum juxta. Elphegus omnibus his criminibus inclusus, Tibi soli "derelictus est pauper: pupillo tu eris adjutor.

Angelus malus aggreditur quintâ Paschalis festi, educens Sanctum Dei Elphegum de squalore carceris in locum desertum.

Sanctus Elphegus in mediis paludibus injectatus sic orabat Deum cum fletu.

Talia vir ille non clarus Pontificio, sed vilis opprobrio, gemebundâ voce commemorans, divinis auribus opplorare non desivit. Sed is qui in mediis tenebris creavit columnam lucis, ut in invio hæreditas ipsius viam inveniret; dignatus est erranti viam ostendere, qua loco unde discesserat inclytus bellator redderetur, & coronam cœlitus sibi promissam sine aliquo obstaculo recipere mereretur. Mox igitur cum surgente diei aurorâ apparuit vera veræ lucis aurora. Juvenis aureo splendore amictus, divini signaculi vexilla præferens, itaque viro alloquium persolvens. "Quò te, ait, tui distrahunt pedes? "Quò impetus fugæ? Quò ductoris invidia? Siccine iter ad coronam, fu-"giendo certaminis luctam? Aut potest bravio palmæ fulgescere, qui cur-"rendi metas in stadio noluerit perficere? Cui cùm retulisset Sacerdos, non "se fugere, Sed divini nuncii paruisse imperio; "Non hoc, ait, imperium "fuit divinitatis, sed diabolicæ malignitatis commentum; nec tam te ille de "carcere educere, quàm extra carcerem voluit seducere. Urget namque "illum & præteritæ vitæ tuæ pia operatio, & in tantis tribulationibus præsens "semper tibi Sancti Spiritûs consolatio; cujus præsentia hominibus donat "constantiam, constantia victoriam, victoria gloriam; & eâ re maluit om-"nia temptare, quàm à te confusus abire. Redi ergo ad locum, amice, co-"ronæ cœlitus deputatum; sciturus quòd te die crastino Pater honorabit in cœlo honore illo maximo, ut in æternum sis cum ejus filio. Elphegus igitur ad locum certaminis ab Angelo revocatus, lætus expectabat horam, qua à Deo perciperet Coronam.

Quidam juvenis apparuit Sancto viro Elphego, amictus splendore aureo, cum vexillo divini signaculi, colloquium sibi persolvens.

Angelus bonus confortans sanctum Dei Elphegum, & ab eo revocatus ad locum certaminis.

Sed cùm prope fuisset, ut terrificum antrum intrare debuisset, comprehensus à turbulentâ carnificum turbâ, plagis afficitur maximis; insuper cerebro capitis violato semianimis ergastulo includitur. Ubi accenso foco, & quicquid fœtidissimum fumum vel generaret vel generatum nutriret, per singulas diei horas

Sanctus Dei comprehensus à turbulentâ turbâ carnificum includitur ergastulo.

horas injecto, relicto illo intrinsecus, quem talibus pœnis cruciandum putârunt. Sed Dei agonista memor eorum, quæ pro se filius Dei perpessus fuisset, pro minimo habuit quicquid ipse pro illo sustinere potuisset. Pleràque igitur sequentis noctis parte exactâ, cùm illucescente Octavarum Sabbato æternum viro Sabbatum præpararetur in cœlo, cœpit terrifica domus cœlestis gratiæ participium suscipere, æternæ vitæ odoramina spirare, hymnos mellifluis Sanctorum vocibus modulatos personare. Quos Beatus ille in magnâ cordis lætitia intuitus, Dunstanum quondam Archiepiscopum vultu ac veste gloriosum conspicit assistentem, protensis ad illum manibus ita dicentem. "Ad te æterni Regis invictissime miles, ad te nostro honorandum obsequio, venimus, missi ab illo, qui tibi & victoriam præstitit de inimico, & sempiternam coronam præparavit in cœlo. En quorum collegio post mortem carnis in perpetuum frueris? Cives Jerusalem cœlestis, ac domestici Dei, si ea quæ desunt passionum Christi in carne tuâ patienter suppleveris. Vidimus namque multiplices urbis labores, templi incendia, filiorum necem, tua cum vinculis opprobria, & post impensa beneficia duplicata tormenta. Quod ergo reliquum est, deitatis potentiâ vallatus, libens excipe; sciens non esse condignas hujus temporis passiones ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in te. Unus namque & hodiernus dies ad supplicium, sed jugis ac sempiternus erit ad præmium." Inter hæc laxantur nodi vinculorum, stringuntur hiantia vulnerum; & absolutâ ad integrum omni corporis plagâ Elphegus & psallens cum psallentibus, exultans cum exultantibus incedit.

Beatus Dunstanus apparuit Sancto Elphego in carcere, confortans eum, loquens ei de regno Dei.

Sanctus Elphegus psallens cum psallentibus.

Pavefacti rerum magnitudine custodes nunciant iis, qui in extremo agmine curabant locum tremendo quondam horrore damnatum, nunc Deorum excubiis magnifice delectari. Qui celeri cursu turmatim ruentes, procumbunt innixi parietibus, præsentem Dei virtutem cernere volentes. Sed eâdem citius dictu percussi resiliunt. Quod simul atque Principes exercitûs accepissent, socios videlicet à se catervatim defluere, atque ad hominem Dei certatim confluere; statim in illum mortis sententiam promulgant, ne illo diutius vivente contra invicem armati procedant, graviúsque à se quàm ab exteris gentibus occisi depereant. Proinde missâ armatorum manu non parvâ, Elphegus de loco horroris ducitur ad concilium furoris, de domo fœditatis ad judicium vanitatis. Et quoniam pedes illius diuturnâ religatione olim noverant fuisse exesos; ad maturandam flagitii immanitatem hanc viro exhibuere humanitatem, ut eum jumento imponerent, & ita ad synagogam Sathanæ pertraherent. Planctus ingens fidelium luctu & lachrimis divinum equitem prosequentium. Quorum ille medius spectaculum factus angelis & hominibus, orat ne sibi adversùs mundi principem prælianti impedimento fiant; sed magis orationum suarum auxilia prætendant. Jam tibi in mentem veniret filius Dei aut vili asello residens, aut crucem humeris ferens, plangentium mulierum miserandæ lachrimæ, insultantes Pharisæi & milites crucifigentes. Cúmque adhuc spatio volitantis sagittæ procul fuisset; vasto murmure omne Concilium ista infremuit. Episcope, aurum, aut hodie mundo eris spectaculum. At ille suorum manibus reverenter exceptus, primò quidem præ lassitudine paululum siluit. Deinde postquam accepto flatu respirâsset, ita respondit. "Aurum vobis divinæ sapientiæ propono; ut relictâ vanitate quam diligitis, ad unum vivum verum æternumque Deum studia convertatis. Quòd si consilium Dei per me annunciatum vobis obstinatâ mente spreveritis; pejori profectò quàm Sodoma morte peribitis, nec in hac terrâ in perpetuum radicabitis."

Dani promulgant sententiam mortis in Sanctum Elphegum. Sanctus Elphegus ducitur de loco horroris ad judicium vanitatis. Ingens Planctui fidelium populorum.

Sanctus Elphegus deductus est ad spectaculum. Dani proclamant aurum. Sanctus Elphegus respondit Danis impiissimis. Prophetia Sancti Elphegi contra iniquos Danos.

Tum verò Satellites Diaboli venenato spiritu crudelitatem spumantes, nec jam pondus verborum illius ferre potentes, impetu acerrimorum leonum è sedibus prosiliunt, aversis securibus virum dejiciunt. Deinde alii atque alii eum lapidibus obruunt. Jamque ad ingressum vitæ erat; cùm memor Chri-

sti

ſti Domini pro omnium ſalute in cruce pendentis dextrum genu ſiniſtrum verò pedem telluri impreſſit: Hanc cùm pro ſe tum pro iis, qui ſe infatigabiliter fatigabant, orationem aſſumens. " Altiſſimi Patris unigenite fili Domine " Jeſu, qui per uterum intactæ virginis veniſti in hunc mundum peccatores " ſalvos facere; Et me in pace ſuſcipe, & iſtis miſerere. Ac prolapſus in terram, iterumque reſurgens, Denuò ſic ait: " Paſtor bone, Paſtor ſingu " laris, filios Eccleſiæ, quam tibi moriens commendo, tuere. Accurrens autem quidam, quem & ipſum de ſacro fonte ſuſceperat, cùm videret virum in continio mortis diutiùs laborantem, impiâ pietate motus, ſecurim capiti illius infixit. Qui ſtatim in æternâ pace requieſcens, victorem ſpiritum cum triumpho dirigit ad cœlum. Quis unquam poſt eos, qui primi omnium Dominici gregis ductores fuerunt, aut hoc homine innocentiùs vixit, aut vitam manſuetiùs finivit? Aut quorum merita ita fuere ſimilia, ut hujus noſtri bellatoris & Stephani Protomartyris? Niſi quòd ille divina potuit myſteria conficere, huic verò licuit offerre. Ambo namque erogandis Eccleſiæ ſtipendiis gnari, ambo ad correptionem malorum vehementiſſimi, in mortis genere pares, in dilectione inimicorum æquales. Sed ecce lapides Sanctuarii per tranſeuntium pedibus quondam conculcati, nunc ſummo angulari lapidi Chriſto ſunt conjuncti; qui illos quamvis è diverſo venientes, unum in ſe, amore, voluntate, beatitudine, æternitate facit.

Impii Dani lapidabant Sanctum dei Martyrem Elphegum. Sanctus Elphegus aſſumens hanc orationem ſequentem pro inimicis Danis. Quidam accurrens quem ipſe ſuſceperat de ſacro fonte, impiâ pietate motus infixit ſecurim capiti illius glorioſi Martyris Elphegi. Spiritum emiſit omnipotenti Deo creatori ſuo.

At Principes Danorum cupientes & ſuum facinus & Elphegi gloriam obſcurare, coacti in unum ſtatuunt corpus illius Martyris flumine immergi; rati ſceleris enormitatem eo faciliùs contegi poſſe, quò ejus ab hominibus memoria tolleretur. Verùm quod Danus ad contumeliam, Chriſtus Elphego paravit ad gloriam. Protinus namque omnis populi multitudo, quæ illo docente errorem abjecerat, armata procedit, malens cum defuncto pariter occumbere, quàm illud corpus, cujus miniſterio ſanctificationis ſuſceperat myſterium, flumineæ voragini abſorbendum tradere. Ita vas illud magnificum, in quo dum viveret Spiritus Sanctus multipliciter operabatur, ab uno ac diverſo populo ſervatum, nec mergebatur nec ſepeliebatur. Sole autem vergente ad occaſum utriuſque partis Senatores conveniunt; ut tantæ contentionis litem ſuis rationibus determinent. Factaque eſt uno omnium aſſenſu iſta Concilii deliberatio; ut in commune omnes Sanctum depoſcant, quatinus ſi quid valeat, in hoc ambiguo potentiæ ſuæ virtutem oſtendat. Cùmque in hoc quæſtio terminum inveniret; ut virtutis genus inimici Dani eligere debuiſſent: " Ecce, inquiunt, remus de ramo fraxini exciſus ſucco & cortice omnimodis " nudatus. Si hunc ejus ſanguine litum matutina lux virentem inveniret; " Juſtum nos & Sanctum occidiſſe conſtabit; & quo illum honore ſepeliatis, " penès vos erit. Sin verò in priſtinâ lignum ariditate permanſerit; erráſſe " vos in ejus amore dicemus, noſtri autem arbitrii erit quid de ejus cadavere " ſtatuere velimus. Placuit itaque omnibus ſtatuti conditio: conditionem ſequitur facti approbatio. Ut igitur conſtaret omnibus, quòd poſt mortem viveret Elphegus; contra ordinem naturæ aridum lignum ſub unius noctis tempore cœpit frondere. Quod ſerò Dani telluri fixerunt, & manè ſurgentes florere viderunt. Nihil ergo contradictionis ulteriùs habentes Dani certatim in amplexus defuncti ruere, crebra oſcula figere, cervices ſupponere, lachrimis prorſus & ejulatibus omnia complere. Sublatum ergo cœleſte margaritum bajulantium humeris inimicorum ad arborem ejus triumpho inſignem defertur; comitantibus innumeris ſignorum prodigiis potenti virtute cœlitus oſtenſis. Denique mox ſalus languidis innovatur, cæcis lumen clarè perfunditur, audiendi munus ſurdis tribuitur, linguæ organum mutus recipit, compoſito gradu loripes incedit. Ibi orationis ſuper illum domo fabricatâ plerique Danorum Magnates ex aquâ & Spiritu in eâdem regenerati, ad gremium Sanctæ matris Eccleſiæ convolârunt.

Principes Danorum cupientes immergi corpus illius Martyris in flumine, ut tolleretur memoria ejus ab hominibus.

Nota de remo exciſo de fraxino ſucco & cortice nudato

At

At ubi rumor paratæ crudelitatis Lundoniam volâsset, virtus quoque signorum linguas omnium in præconia martyris solvisset; interpositâ fide Danos jam pro novâ religione mitiores effectos adeunt, multâ pecuniæ summâ ac diversis pactionibus id agentes, ut sanctissimi corporis possessores fieri mererentur. Quorum importunitati vix illis adquiescentibus, suscipiunt * Lundani thesaurum omni auro pretiosiorem, commeantibus ad portam urbis non minùs duodecim millibus Danis & Anglis, & perpetratum facinus amaris lachrimis deplorantibus. Inde cum ineffabili totius civitatis tripudio susceptus, ad Ecclesiam Sancti Pauli Doctoris Gentium advectus, in eâdem conclamatus, honoratus, collocatus est. In qua Basilicâ plurimis annis in plurimâ virtutum claritate perfectis, cùm pacis tempora redirent, à magnifico Rege Cuntone toto adhuc corpore levatus, atque ad Ecclesiam Patriarchatûs sui, quam vivens semper amore coluerat, virtute corroboraverat, pro qua etiam & quacum mortem sustinuerat, translatus est. Cæterùm autem quicunque Danorum post mirificum illud virentis arboris miraculum ad veram catholicamque fidem converti nolebat, horrendo statim flagello correptus acerbâ morte interibat. Possem equidem dicere, qui Dæmonicâ vexatione lacerati, qui cancri ulcere percussi, qui pelago absorpti, qui manu propriâ interfecti. Et quod plus mireris, si quis illorum aliquas vestimentorum ejus particulas usurpâsset; nocturnæ visionis imagine territus nolens easdem reddebat, reddens expirabat. O fidele veritatis testimonium ad comprobanda viri merita declaratum; dum ad ejus exequias & fideles ægri mirabiliter sanabantur, & infideles sani terribiliter vexabantur. Hæc inquam dicere possem, si lectoribus meis fastidio esse non timerem.

Sed jam ista omnipotenti Domino, qui facit mirabilia solus, commendantes, narrationis cursum ad orationis effectum vertamus. Magni Regis magne miles Elphege, qui lavisti stolam tuam magni Dei cruore, filiorum ad te clamantium preces admitte; & quos honorâsti tuâ sanctâ passione, sublevâ piâ intercessione. Auxilio divino fortis superâsti Principem mortis; nos Pater adversùs illum robora, atque ut vincamus adjuva. Misertus lapidantium, miserere supplicantium; nec plus obtineat furentium commotio, quàm diligentium devotio. Portas mortis & inferni nesciant tui servuli; sed portas Paradisi resera potestate tibi à Salvatore traditâ: Qui cum æterno patre & amborum coæterno Spiritu vivit & regnat, unus, solus & verus Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Vita & Passio Sancti Patroni nostri Elphegi Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopi & Martyris gloriosi.

* Minùs conveniunt, quæ de Elphegi Sepulturâ habet Florentius; corpus sc. die Martyrium sequenti (viz. 12. Cal. Maii.) Lundoniam delatum, & ab Episcopis Eadnotho (alii Æscwinum volunt) Lindicolinensi & Alfhuno Lundoniensi in Ecclesia S. Pauli sepultum esse.

OSBERNI

OSBERNI
Historia de Translatione Corporis
S. ELPHEGI
Archiepiscopi Cantuariensis,
à LUNDONIA ad CANTUARIAM.

Incipit de Translatione Sancti Patroni nostri Elphegi Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopi & Martyris gloriosi.

QUia venerandam Beati Martyris Elphegi Passionem literalibus quondam monumentis applicavimus; placuit etiam voluntati illorum gratiam præstare, qui quemadmodum sacratissimum corpus ejus de Lundoniâ Cantuariam translatum sit, ardentissimâ cupiunt devotione agnoscere. Et quidem quòd translatum sit, in fine Passionis illius breviter attigimus; sed modum Translationis minimè exposuimus. Eum ergo nunc exponemus. Anno igitur ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo duodecimo, indictione decimâ, advesperante Sabbato Paschalis Ebdomadæ, & inchoante Dominicâ die octavarum Paschæ, tertio decimo Kalendas Maii, gloriosissimus urbis Cantuariæ Pontifex Elphegus gloriosissimâ pro omnibus simul & cum omnibus sibi à Deo creditis passione occumbens, immarcescibilem æternæ gloriæ coronam suscepit, Anno Patriarchatûs septimo, * Nativitatis autem ejus quinquagesimo nono. Cujus venerabile corpus sive gratiâ seu pretio à fideli populo receptum, de loco Martyrii ejus ad urbem Lundoniam delatum & in Ecclesiâ Beati Pauli Apostoli cum innumeris coruscantis gratiæ prodigiis est humatum. Mox denique salus languidis innovatur, cæcis lumen clarè perfunditur, audiendi munus surdis tribuitur, recto gressu claudi incedunt, omnibusque fideliter petentibus divina promptissimè beneficia perveniunt. Sed illos, qui mortis ipsius auctores extiterant, non sine terribili vindictâ vindex Dei ira transire sinebat.

* Natus est igitur Elphegus anno circiter 1054, ad Episcopatum Wintoniensem evectus anno ætatis tricesimo.

Ut

Ultio de inimicis S. Elphegi.

Ut enim pauca de pluribus prolixa breviter attingam; propono Ducem Haconem proprio se mucrone transverberantem; vatem, Matheseos disciplinis intentum, gutturi suo stilum infigentem; Presbyterum collariam Martyris crucem pertinaciter abscondentem, ejusdem Martyris manibus occisum; aliumque ejusdem ordinis virum sandalia illius temerè portantem, à Dæmone invasum, & quousque de pedibus suis traherentur, coram omni Lundanæ civitatis populo dirissimè vexatum. Ex quibus rebus tam vehemens cunctos Danorum Principes formido invasit; ut vix eos terra teneret, sed marinis se tempestatibus dantes existimabant in pelago Martyris iram effugere posse, quos ab ejus irâ tellus tueri non posset. Sed mox ut in altum spumantibus remis eductum fuisset; centum sexaginta naves adversis ventorum flatibus actæ in profundo maris summersæ sunt. Quadraginta verò itemque viginti quinque ad exteras atque ignotas regiones appulsæ; & quasi quæ insidiarum gratiâ venissent, ab eisdem miserabiliter interemptæ. Remansit tamen in Angliâ male audax Princeps malorum Thyrkyllus, pauco tempore prædo futurus, sed in æternum damnati spiritus præda mansurus. Nam parvo tempore evoluto, venit Princeps Danorum * Cnut cum multo navigio in terram Anglorum; diffidensque ab illo propter quasdam res malè ac perfidè actas, quicquid residuum infandi populi esse poterat, sicut tabulæ stilo deleri solent, delevit; ipsumque Ducem sex tantummodo navibus munitum in Danamarcam fugavit. Qui cùm ad terram evasisset; suspectus Danorum Principibus, ne intestina bella moliretur, statim per cuncta Regionis illius loca agitatus, ad ultimum ab ignobili vulgo occisus, ferisque & avibus est miserabiliter projectus. Sic ergo de terrâ & mari sublati sunt, qui virum Sanctum & cum honore nominandum Elphegum Archiepiscopum occiderunt.

At Princeps Danorum Cnut, cùm videret populum suum ab exercitu Anglorum sine intermissione dirissimè cædi, & jam ferè propter rerum difficultatem ad deditionem se compelli; accersitis omnibus, qui ad se confugerant, sapientioribus Anglis, consuluit eos, quid causæ esset, quòd tot sibi adversa contigissent. Qui omnes uno ore respondentes dixerunt: Prophetia est venerandi Martyris Elphegi; qui cùm à patribus tuis crudeli interrogatione circumventus fuisset, prædixit iis, quòd in regno Anglorum perpetuò non essent radicaturi, sed pejori quàm Sodoma morte perituri. Nunc ergo si vis illum tuis temporibus placabilem facere; hujus te pollicitationis fœdere apud illum constringe; ut cùm fœlix rerum fuerit successio, venerabiles corporis illius Reliquias de loco, in quo conditæ sunt, tollas, atque ad sedem Patriarchatûs sui servato more antiquorum transferre studeas. Assensit itaque Princeps senatorum [consilio; consilium sequitur] divinæ propitiationis declaratio. Non post multos etenim dies Cnut pacem obtinuit, post pacem regni dimidium, post dimidium totum. Cúmque ab omni bellorum tumultu requies undique data fuisset; recordatus quid Beato Elphego quondam promisisset, directâ legatione vocavit Egelnothum Archiepiscopum, qui tunc temporis summum in sanctâ Dorobernensi Ecclesiâ gerebat sacerdotium: Vir sanctus & bonus, & Regi propterea quòd illum sancto Crismate livisset valde acceptus. Qui Sabbato vigiliarum Pentecostes Lundoniam adveniens, mandavit Regi in

* Anno 1014. Canutus Rex à Danis Angliam insidentibus loco Swani Patris recens defuncti electus est. Anno 1016. post Ethelredi Regis obitum à plurima etiam Anglorum parte in Regem delectus; anno demum 1017. Edmundo Rege è vivis sublato, imperium solus tenuit. Nondum tamen Turkillus Comes exulavit. Is anno 1021. cum uxore Edgitha in Danemarchiam à Canuto relegatus fuit ante Festivitatem S Martini. Sic Wigorniensis, Dunelmensis, & Westmonasteriensis.

balneas fortè descendenti se adesse, & quid ipse velit statuere in Ecclesiâ Beati Pauli Apostoli expectare. Quo ille excepto, sine morâ de lavacro surgit, chlamyde solummodo nudum corpus obtegit, simplices pedibus subtalares inducit, sicque ad Præsulem impigro gradu tendit; mandans omnibus familiæ suæ militibus, quos linguâ Danorum Huscarles vocant, ut eorum alii per extremas civitatis portas seditiones concitent, alii pontem & ripas fluminis armati obsidant, ne exeuntes eos cum corpore Sancti Lundanus populus præpedire valeat.

Ingressus ergo Rex Ecclesiam, amplexatur Archiepiscopum, osculans illum; statimque obseratis foribus lætabundâ simul ac tremebundâ voce ait: Ecce dies, quem fecit Dominus, ut in eâ transferatur thesaurus reliquiarum Domini Elphegi de domo hospitii ad domum Patriarchatûs sui. Ad quod dictum tremefactus super quàm dici potest Sacerdos, non enim sciebat cujus rei gratiâ à Rege vocatus fuisset, in magni animi angustiâ dixit. " Non tibi " imputet Omnipotens Deus, Domine mi Rex, quòd hoc facere voluisti, & " non indicâsti mihi consilium animi tui, quatinus instructior ac per omnia " paratior advenirem; ne in medio civitatis hujus tam magnæ peremptus oc- " cumberem. Aut si placuit rem tam difficilem incipere; cur saltem non " adduxisti viros, qui hujus operis possent ministri existere; cùm lapis ad " monumenti ostium positus tanti ponderis existat, ut vix à multis boum pa- " ribus valeat moveri, nedum à duobus, qui soli præsentes assunt, debeat " Monachis revolvi. Inepta est ista consideratio. Aliud tempus & aliæ vi- " res considerandæ sunt. Cui Rex in Domino plurimùm confortatus, ait: " In hoc, Pater Sancte, maximè apparebit, quòd nobiscum Beatus ille volet " transire; si quod impossibile hominibus est, ipse suâ virtute fecerit esse pos- " sibile. Semper enim difficultas miraculum gignere consuevit. Vestra i- " gitur sanctitas Deo se in oratione prosternat; Monachi ad aperiendum se- " pulchri ostium fidenter accedant. Ego valvarum januis ostiarius incum- " bam. Itaque petitâ atque acceptâ benedictione Pontificis, Monachi, quorum alter Godricus ejusdem martyris quondam discipulus ac post aliquot annos Cantuariæ Ecclesiæ Decanus, à quo hæc omnia, quæ narramus, diligenter perquisita accepimus; Alter vero Alfwardus cognomento Longus vocabatur, cui datum est magno quondam adhæsisse Dunstano. Hi ergo acceptâ benedictione arripiunt ferreum, quod è regione stabat, candelabrum; molientes effractionem superioris structuræ murali opere firmissimè agglutinatæ. Atque ut illi asseruerunt, qui testem assertionis suæ Deum invocaverunt, vix leviter manus Monachi admoverant, cùm minores lapides cæmentum & quicquid operis desuper eminebat, quasi arborum folia sub primâ hyeme agitata, cadebant. Cúmque ventum fuisset ad lapidem patentis monumenti opertorium; flexis genibus solo procumbunt, subpositis humeris eundem impellunt, moxque in alteram facili motu partem avellunt. Quod revera supra quàm credibile est admirabile; cùm sicut prædiximus, quem multa boum paria non traherent, eum bini tantummodo Monachi levi impulsu lapidem revolverent. Accurrunt itaque admiratione perterriti Rex & Archiepiscopus, lachrimantibus oculis introrsum aspiciunt, vident organum quondam Spiritûs Sancti incorruptum jacere, nec quippiam putris in toto corpore læsionis inesse. Et computantes annorum seriem, comperiunt illum * annum esse decimum, ex quo idem Sanctus illic conditus fuerat. Exclamat itaque Rex for-

* Minùs subtiliter Osbernus calculos subduxit. Annus enim undecimus tunc vertebatur. Siquidem Elphegi corpus anno 1023. translatum esse una est omnium Historicorum nostratium sententia.

titer præ gaudio, talesque permixtas lachrimis preces effundit. " Pater, in-
" quit, Sanctissime, super omne delectamentum suavissime, Pater Beatissime,
" super omnes mundi thesauros pretiosissime, hujus peccatoris miserere; nec
" mihi obsistat vel prima indignitas, vel parentum meorum in te contra ju-
" stum & bonum expleta crudelitas. Ego te potentissimum æterni Regis fa-
" teor amicum; ac deinceps quoad vivam, meum constituam Advocatum.
" Salva me, salva omnes tu æternâ salvatione salvate; & nobiscum magnam
" filiis tuis facturus lætitiam proficisci dignare.

Accedens autem propiùs summus Dei Sacerdos, ut suis manibus venerandum corpus tractaret ac levaret, æstuabat animo, nusquam tabulam reperiens cui suppositum ad navim deferri valeret. Cúmque in magnâ desperatione dubius staret; animadvertit ligneam corpori tabulam substratam, ita ad mensuram corporis per longum & latum extensam; quasi ad hoc solum primi eam conditores supposuissent; ut inde aliquando sine aliqua difficultate intacto corpore idem Sanctus levari debuisset. Læti ergo ac præter spem hilares effecti, accipiunt lintheum, quod ad obsequium Pontificis minister Godricus secum detulerat; & in illo sacrosanctos artus subjacente ligno pariter involvunt. Sed cum aliqua pars corporis adhuc discooperta remaneret; cucurrit præfatus Monachus ad Altare Sancti Pauli Apostoli, rapiensque sindonem desuper jacentem, dimidiam pro sindone auri libram reposuit; rapidoque cursu ad obvolvendum quod residuum erat rediit. Tum levato in humeris Monachorum pretioso pretiosi corporis thesauro, descendunt angusto itinere per viam, quæ ducit ad flumen Tamisium, prosequentibus illos Rege & Archiepiscopo, utroque illorum totâ animi vigilantiâ ad Deum intento. Jamque ad flumen appropinquare cœperunt; cùm ecce Regia navis aureis rostrata Draconibus, armigeris repleta militibus, venienti Martyri obvia offertur. Quam citius dictu Rex insiliens, expansis brachiis Martyrem suscepit, deinde protensâ dexterâ Pontificem induxit. Mox remotâ à littore navi sedebat Rex, gubernaculum tenens, Navim ad ripam fluminis contrariam dirigens. Videres ergo magnam Dei potentiam obsequio Martyris favere. Dum hinc pontem & totas fluminis ripas loricatis stratas militibus conspiceres; illinc per extremas urbis portas simulatorias seditiones excitatas audires; attenderes Regem navem regentem, remigem nobilem remos trahentem, orantem Archiepiscopum, & sanctos Monachos obsequium præstantes. Inde confestim apprehensâ tellure, primus de navi Rex egreditur, acceptum corpus vehiculo imponit. Post hæc validâ cum manu militum præmittit. Ipse verò cum Archiepiscopo in ultimo pontis margine sedebat; quousque ii qui præcesserant ab urbe longiùs remoti existerent. Timebat namque civium irruptiones. Deinde surgens & liberalibus jocis Archiepiscopo alludens. " Liberatus es, inquit, & meo munere de periculo mortis, de qua
" te liberari non posse arbitrabaris. Jam securus ad Sanctum proficiscere;
" atque ut nostris faveat temporibus, humiliter deprecare. Ego vobiscum
" pariter irem; si magnis, ut nosti, regni negotiis occupatus non essem.
" Regina cum filio meo Hardecnut Cantiam incolit; illi ut vobis cum totâ
" nobilitate occurrat mandabo.

Divisus ergo à Rege Archiepiscopus cum ingenti Huscarlium turbâ præcedentes subsequitur. Cúmque jam ita propè fuisset; ut à præcedentibus oculosque semper post tergum deflectentibus, pulvis in cœlum elatus videri potuisset; suspicati iidem ipsi, qui præcedebant, Cives de civitate egressos, maturè cum paucis Monachos ministros & Martyrem præmittunt. Ipsi autem ad vicum Plumstede venientes, obsident angusta loca, tribus turmis tria prædia instituentes, animum pro amore Beati Martyris mori paratum habentes. Sed viso cominus Crucis vexillo, agnoscunt socios quos timebant adversarios; & majus quàm putaverunt gaudium invenerunt. Sic ergo gradientibus illis, & eâdem nocte in villâ quæ dicitur Earthea manentibus, occurrit infinita Cantiæ multitudo,

multitudo, equitibus permixti pedites, mulieres viris, senibus adolescentes; singuli per turmas suas choros ducentes, cytharas percutientes, & quasi arcam fœderis Domini in jubilo deducentes. Credas non aliter filios Israel concinere, vel cùm eos Propheta Dei Moyses de medio Rubri maris siccis pedibus eduxisset, vel cùm arcam Domini de medio Aminadab in civitatem suam Rex David transferret.

At cives Cantuarini, cùm audissent, quòd Pater vitæ & socius mortis eorum advenisset, sicut Jacob propter Joseph de gravi somno quasi excitati, & præ gaudio in lachrimas resoluti, obviam prosiliunt; lætantes, quòd illum possent iterum videre, cujus beneficia tam in vitâ quam in morte parentes sui multiplicia sensere. Super omnes homines majorem Monachi Ecclesiæ Christi lætitiam gerebant; dum solenni ritu Templum ornarent, levitica ac sacerdotalia vestimenta induerent. Hi crebris motibus crepitantia tintinnabula diducerent; illi lucernas, Evangelia, gemmatas in manibus cruces gestarent; & canoris vocibus ultra longa civitatis pomœria obvii procederent. Inde cum ineffabili totius Cantuarinæ urbis tripudio susceptus, ad Ecclesiam non Doctoris Gentium sicut olim, sed Salvatoris omnium, quam vivens semper amore coluerat, virtute corroboraverat, pro qua etiam & quacum mortem sustinuerat, translatus in eâdem non quasi noviter conclamatus, sed quasi cum Deo in perpetuum vivens honoratus, collocatus est.

Cùmque tertius illucesceret dies; Regina Emma cum omni, quæ secum aderat, Nobilitate advenit; oblatisque muneribus in diversis cararum rerum speciebus, benedixit Deo viventi, qui ad honorem & gloriam nominis sui in tantâ magnificentiâ illum reduxit, quem ad ejus blasphemiam cum tanto opprobrio inimicus abduxit. Atque ut aliquam filiis idem sacratissimus Pater gratiæ suæ micam ostenderet: Post septem dies muto cuidam reddit loquelam, Alium post paulum ferro vinctum confracto ferro reddit solutum.

Hæc * sunt gaudia festivitatis hodiernæ, ista solennitas diei; Quæ idcirco statuta est singulis annis in Ecclesiâ Salvatoris Cantuariæ in Comitatu Cantuariensi, sexto Idus Junii celebrari; ut nullâ valeat oblivione deleri; quemadmodum Beatus Martyr Elphegus de alieno ad sua dignatus fuerit transferri. Et quamvis diem Passionis illius cum omnibus in commune celebramus; diem tamen Translationis illius præ omnibus celebrare debemus. In illo namque unam ac simplicem lætandi causam habuimus: In isto autem duplicis lætitiæ dona suscepimus. Ibi illum in cœlum sublatum prædicamus; Hîc illum & in cœlo coronatum & in terrâ nobis à Deo datum. Benedictus Dei Filius; qui illum & in cœlo coronavit, & nobis in terrâ propitius donavit. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Translatio Sancti Patroni nostri Elphegi Archiepiscopi Ecclesiæ Christi Cantuariæ Martyris gloriosi.

* Hinc constat Historiam istam in Ecclesia Cantuariensi legi solitam die anniversaria Translationis Elphegi. Puto etiam Vitam ipsius ab Osberno scriptam die Passionis legi solitam. Authore enim Eadmero (lib. 1. de Vita Anselmi) Lanfrancus Archiepiscopus Elphegi *Historiam ab Osberno editam auctorizavit, auctorizatam in Ecclesiâ Dei legi cantarique instituit.*

Ne vacuis Paginis crebro hiaret Opus; visum est levidensia quadam interponere. Hîc loci igitur Præfationem Adelardi Monachi Blandiniensis ad Dunstani Vitam à se scriptam dabo.

Epistola ADELARDI ad ELPHEGUM Archiepiscopum de Vitâ Patris DUNSTANI.

DOmino verè Sancto Aelphego, Sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Adalardus Sancti Blandiniensis Cœnobii exiguus famulus. Patrem tuum Sanctum Dunstanum voluisti & litteris & Musis. Sed quoniam vel jussus parui, & indignus dignum peccator Sanctum tangere præsumpsi; veniam humi stratus peto. Nam pungit me memoria Ozæ Sacerdotis, arcana Dei Israel irreverenter tangentis. Et quamvis jumentum Balaam officium sumpsi aut Angeli aut hominis Sancti; tamen respiro confidens pro me tam tuis quàm etiam filiorum tuorum satisfieri votis. Suscipe Pater obedientiæ debitum; ex quo & si debentem nulla suis meritis respexit gratia; te tamen pro piè imperato debita respiciet corona. Scias autem in opere isto historiam Vitæ ejus non contineri, sed ex eâdem vitâ quasi brevem sermonis versiculum, ita compactum & ita distinctum, ut & in conventu piorum auditorum totus quasi historialiter recenseatur, & vice Sermonis inter sacras Vigilias in lectiones ter quaternas distinguatur; eâ videlicet ratione, ut ab exordio usque ad sanctam consummationem Vitæ, eodem ferè sensu, eisdem miraculis, & Responsoria Lectionibus suis, & Lectiones respondeant Responsoriis suis. Vale, Præsul gloriose.

JOHANNIS

JOHANNIS SARISBURIENSIS
Episcopi Carnotensis
LIBER DE VITA
S. ANSELMI
ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS.

ACCEDUNT

Bulla Alexandri III. Papæ de Canonizando Anselmo, antehac inedita.

ET

Epistola Anselmi ad Pascalem Papam, in editione nuperâ Parisiensi vitiata.

Hîc incipiunt Capitula Vitæ Beati ANSELMI Patris nostri Cantuariensis Archiepiscopi secundùm JOHANNEM CARNOTENSEM Episcopum, ab ipso hæc Vita est edita & composita.

CAP. XI.

Expliciunt Capitula in Vitam Sancti Patris nostri Anselmi secundùm Johannem Carnotensem Episcopum, Capellanum Sancti Thomæ Martyris.

VITA

VITA S. ANSELMI

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS,

AUTHORE

JOHANNE SARISBURIENSI

Episcopo Carnotensi.

PROLOGUS.

Incipit Prologus JOHANNIS de SARISBURIA in Vitam S. ANSELMI Archiepiscopi Cantuariensis.

AD depellendas infidelitatis errorumque tenebras Deus mirabiliter operatur; & sic ab initio nascentis mundi misericordiam suam semper & ubique dispensat; ut Ecclesiæ suæ ministros procuret idoneos, per quos proficiat ad virtutem, & per fluctus labentis sæculi trajecta provehatur ad gloriam. Sicut enim in noctis caligine aliis occidentibus stellis, aliæ ut mundum illuminent oriuntur; sic ad Ecclesiam jugiter illustrandam pro patribus succedunt filii; per quos cognitio Dei & cultus perpetuò propagetur à generatione in generationem. Sancti siquidem viri filii sunt Apostolorum & Prophetarum; qui sicut eis successerunt in fidem, ita virtutis operumque mirabilium sortiuntur hæreditatem, & retributionis æternæ gloriam assequuntur. Inter quos Beatus Anselmus Cantuariorum Archiepiscopus velut clarissimum sidus effulsit; & non modò Latinum illustravit ordinem, sed claritatis suæ radios vibravit in Græciam in Concilio Barensi, cui Romanus Pontifex Urbanus præsedit; Græcorum detestabilem de Processione Spiritûs Sancti convincens errorem. Si quis autem, quod cuivis expedire non dubito, quantus iste sit, desiderat intueri; Libros quos ex variis causis scripsit & Epistolas diligentiùs relegat: revolvat Historiam de ipso & modernis Anglorum Regibus scriptam; duos quoque Libros, quos de Vitâ & conversatione ejus Edmerus Monachus venerabilis Presbyter luculento stilo veracissimè edidit; utpote vir religiosus,

qui ei familiaris admodum fuerat. Legat & Miracula, quæ post transitum ipsius mirabiliter operatus est Dominus; & quæ ad memoriam ejus crebrò fiunt, visitationes Altissimi veneretur. Utique quod ante me de Antonio dixit alius, de isto publicè protestari non vereor; quoniam grandis perfectio est Anselmum nosse quis fuerit. Accedens ergo ad prædicta librorum Monumenta, Domino miserante qui à gloriæ suæ præconiis peccatores non semper repellit, de Vitâ & conversatione tanti Patris aliqua curavi perstringere succinctâ quidem brevitate & sermone satis plano; ut si quis ad copiam omnium, quæ ab eo vel de eo scripta sunt, aspirare nequiverit; saltem ex hac stillâ tanti fluminis gustare possit, quàm bonus, quàm suavis est Dominus, quàm beatus quàm necessarius qui eum fideliter coluit Pater Anselmus.

Explicit Prologus in Vitam S. Anselmi secundùm Johannem Saresberiensem, Carnotensem Episcopum.

Incipit

Incipit Vita Sancti ANSELMI Archiepiscopi Cantuariensis edita à JOHANNE Carnotensi Episcopo.

CAPITULUM I.

NAtus autem in Augustâ Civitate patre Gundulfo matre Ermenbergâ, quæ una erat prudentium fœminarum, concepit ab initio vitæ timorem Domini; è quo consequenter salutis suæ peperit fructum, unde veræ Justitiæ postmodum opera processerunt. Matris verò mores ideo magis exprimere studebat. Quòd enim ei patre circa alia occupato totius domûs sollicitudo incumberet; sapienter omnia disponebat, insistensque operibus misericordiæ diligenti studio frequentabat Ecclesiam, orans & totâ mentis aviditate excipiens verba Dei, & præcepta sapientiæ fideliter exequens. Nam quæ audierat communicabat aliis jocundâ relatione, & se & alios ad obsequium incitabat. Audivit ab hac puer unum esse Deum omnium conditorem, regnantem in cœlis, largitorem remuneratoremque bonorum, & credidit & jam in tenerâ ætate ad illius notitiam aspirabat. Pueriliter autem opinabat cœlum vicinis montibus inhærere; ibique Dei de quo audierat esse Palatium,& eum cum Angelis & Sanctis corporaliter conversari. Visum est ergo ei unâ noctium in somniis; quòd illuc ascenderet & quòd in devexitate montis quem ascendebat videbatur famulas Domini metentes quidem triticum sed valde negligenter; ut ejus fidei zelo accensus super hoc ante Deum disponeret accusare. Ascendit, Deumque sedentem in Palatio solum reperit, excepto solo dispensatore; per quem accitus & sedens ad pedes Domini ipso mandante panem accepit candidissimum, Unde ibidem comedit & satiatus est. Visionem retulit sociis; seque pane divino pastum gloriabatur; interim suspicans hæc circa se corporaliter gesta esse. Exinde tanto Dei amore debriatus est; ut totum contemnens mundum, etiam gravem aliquam desideraret infirmitatem, cujus occasione Monachorum quod plurimum optabat, posset ascribi consortio. Et quidem pro voto, sicut orabat, infirmatus est; sed ne Monachus fieret, tunc ut putabatur obstitit pater: quòd autem verum est, eum Dominus ad aliud reservabat. Litteris duntaxat & honestati applicat animum; & in utroque proficiens super omnes coætaneos suos explevit in brevi tempore multa. Adolescentior autem factus matre defunctâ proficisci disponit in Galliam, literarum tractus aviditate; quarum desiderio immenso æstuabat, & ut patris qui eum tractabat acerbiùs saltem fugæ præsidio declinaret offensam. Cùm verò patriam exiens in ascensu montis labore pariter & fame ferè deficiens nivem manderet,ut vel sic ei repararentur vires; compatiens ei minister, quem unicum itineris habebat socium, diligenter investigare cœpit, an aliquid alimentorum habebat in sacculo, quem deferebat asellus, & statim contra spem nitidissimum panem reperit; quem quis imposuerat ignorat. Itaque recreatus est ad viam & laborem; muneris sui Deo gratias agens.

CAP. II. Exactis dehinc partim in Burgundiâ, partim in Franciâ tribus annis, Lanfrancum illum, cujus memoria in jocunditate & benedictione est, in Normanniâ adiit, virum quidem literis & virtutibus insignem, conversationis per omnia probatæ, & ad quem audiendum de diversis mundi partibus

confluebant quicunque eloquentiæ vel ſapientiæ appetebant profectum. Is enim omnium judicio præſtantiſſimus habebatur. Factus eſt ergo ei Anſelmus familiaris præ cæteris; & magiſtri quodammodo exhauſit ſpiritum. Totus literis occupatur, & eas ſine intermiſſione aut diſcit aut docet. Inſiſtit propoſito, perſeverans in fame & ſiti, in frigore & nuditate, tantâ quidem pervicaciâ ſtudii; ut minoris videretur emi poſſe regnum cœlorum. In ſe ergo reverſus, & vias ſuas prudenter examinans, unum neceſſarium eſſe proſpexit; & quòd eloquentiæ torrens aut philoſophia hujus mundi veram non confert beatitudinem. Hæc ſæpe tumorem pariunt; timorem Domini, qui initium ſapientiæ eſt, nunquam aut raró. Reprimunt interdum literæ vitia quædam, & mundi contemptum afferunt; ſed planè contemptus mundi inutilis eſt, ubi amor Dei non convaleſcit. Auditâ patris morte amplius movebatur; & cùm ad obſequium Dei omnino animum inclinâſſet; quam tamen præeligeret viam dubius hæſitabat. An enim expeteret heremum, an clauſtrum Monachorum, an ex proprio patrimonio domum conſtruens peregrinis pro facultate & pauperibus miniſtraret, habebat incertum. Nam circa hæc tria fluctuabat animus ejus. Cæterùm ne levitas præcipitaret ſententiam, unde pœnitentia non recte factorum familiaris & jugis pediſſequa ſequeretur; motum mentis exponit Lanfranco, & ex conſilio ejus Maurilium venerabilem Rotomagorum Archiepiſcopum advenit, ipſius ſuper hoc ſententiam petiturus: Credebatur enim habere Spiritum Domini. Itaque ex conſilio ejus vitam Monachicam aliis omnibus præferentis Anſelmus Becci factus eſt Monachus anno ætatis ſuæ XXVII. Erat autem Prior ejuſdem loci memoratus Lanfrancus ſub Sancto Abbate Herliwyno, qui de Patrimonio ſuo Beccenſem à fundamentis ædificavit Eccleſiam. Ab his elementa Monaſticæ profeſſionis Anſelmus accipiens, & obliviſcens eorum quæ retro ſunt, & ſe ad Apoſtoli formam in anteriora ſemper extendens, ſtuduit implere Monachum; & æmulationi Sanctorum tantâ diligentiâ incumbebat, ut eſſet in brevi perfectioribus imitandus. Siquidem in triennio ſic profecit; ut univerſis videri poſſit ex merito lucidiſſimum veræ ſanctitatis & Monaſticæ perfectionis exemplum.

CAP. III. Aſſumpto verò Lanfranco in regimen Monaſterii Cadomenſis, ei in Prioratum Beccenſis Eccleſiæ ſuccedit Anſelmus. Studuit autem, ut pro adeptione honoris & gradûs ipſe quoque in religione proficeret; & Deo, cui devoverat obſequium ſuum, fideliùs militaret. Jam crucifixus mundo & concupiſcentiis ejus cœleſtia cogitabat; & ea duntaxat exercebat in opere, quæ ad æternam proficiunt vitam. Non enim mores hominum habebat exemplum vitæ, ſed verbum Dei. Siquidem divina Scriptura, ut ipſe dicere conſueverat, optima bene vivendi forma eſt. Sunt autem quatuor, unde ei poterant juſtitiæ rivuli ſcaturire, ſcilicet legis Dei meditatio jugis, executio cauta, fida relatio, oratio devota. Quid enim perfectius quàm in lege Domini meditari die & nocte; quàm exercere mandata à quibus ſe intelligere Propheta gratulatur; quàm annunciare gloriam Dei, à cujus præconio piſcatores inclyti facti in doctrinâ veritatis & Philoſophos gentium confuderunt. In his occupatus Anſelmus obſequium ſuum devotis orationibus Domino conſecrabat; tantâ ſeipſum mactans inediâ; ut modo illecebram gulæ reprimeret, ſc. ab initio Prioratûs ſui delectationem cibi aut potûs omnino non ſentiret. Sed non famem patiebatur à jejunio, qui jam comedendi amiſerat voluptatem. Quantæ devotionis fuerit, Orationes quas ſcripſit indicant; & ſi quis Meditationum ejus librum excutit, patenter inveniret. Quod de Martino ſcriptum eſt, certiſſimum ſit de Anſelmo; quòd ori ejus nunquam defuit Chriſtus, ſive juſtitia, ſive pax, nil quicquid ad veram pertinet vitam. Habebat ſemper ante oculos timorem Domini; & omnem peccati faciem ſuper omnia quæ dici poſſint exhorrebat: Adeò quidem, ut ſi hinc inferni dolorem, inde peccandi malitiam

corporaliter

corporaliter cerneret; sicut confiteri solitus erat, si necessitas alterum importaret, retrudi mallet in infernum quàm peccatis involvi. Dicebat & aliud, se malle innocentem teneri à gehenna, quam peccatis sordentem tenere regna cœlorum. Hanc autem assertionis suæ reddebat rationem; quòd innocentes & bonos diligit Deus ubicunque sint, & è contra omnem malitiam odit & detestatur. Profecto summa justitia non beatificat malos; & amicos suos bonitas summa nequaquam miseros facit. Pius erat; ut omnibus impenderet paternum affectum. Veræ scientiæ sic scrutabatur vias; ut fidelia scripta perlegeret, corruptiones librorum quæ ex consuetudine tunc erant plurimæ emendaret; divinis Scripturis hanc attribuens autoritatem, ut quicquid asserunt, verissimum fateretur. Fortitudinem vero animi à professione veri & cultu justitiæ nil deflexit. Vigebat in eo consilii spiritus; ut ad ipsum turmatim fluerent undique desolati. Illuxerat ei tantâ claritate & affluentiâ facies veritatis; ut intelligeret prudenter ænigmata Scripturarum, nodos quæstionum potenter dissolveret, manifesta frequenter haberet occulta cordium, & quâdam prophetandi gratiâ plerumque prædiceret arcana futurorum. Accidit autem, ut nocte quadam ante vigilias nocturnas secum meditans miraretur, quonam modo Prophetæ præterita simul & futura, sed & absentia quasi præsentia viderint, & fideliter confidenterque protulerint. Et cùm in his totus esset; vidit per medias maceries oratorii & dormitorii, quomodo custodes Ecclesiæ Altaria & luminaria præparabant; & quomodo unus eorum pulsabat Campanam ut alios excitaret. Quibus surgentibus miratus est, conjiciens Deo esse facillimum Prophetis & Sanctis suis revelare occulta, qui radios oculorum ipsius per parietum densitatem introduxerat, stupente naturâ.

Urgente necessitate divertens ad hospitium Monachi pauperis, & de inopiâ piscium quos hospiti tanto apponeret graviter conquerentis, non enim habebat domi nisi panem & caseum: Noli, inquit, frater pro defectu alimentorum quæ nobis ministraturus est Deus, sollicitari; sed mitte citiùs rete in amnem vicinum; & piscem capies, qui sufficiet omnibus nobis. Vix præcipienti paritum est; eò quòd res incredibilis videbatur & majestatis divinæ manifesta temptatio. Sed tandem cum immensò stupore omnium juxta verbum viri Dei miræ magnitudinis extractus est piscis. Aliâ quoque vice cùm nobilis vir Walterus cognomento Tyrillus eum ut secum pranderet detinens de penuriâ piscium anxius quereretur; tu, inquit, verus Dei cultor Anselmus consolans hominem de inopiâ deliciarum, quereris, & tibi sturio grandis affertur? Ridet ille & omnino diffidens, ilico juxta verbum Anselmi prægrandem sturionem sibi vidit afferri à duobus hominibus, qui eum a pastoribus suis inventum in ripa Alciæ fluminis transmissumque Domino afferebant. Unde sicut de beato Benedicto celebre est, ita & iste creditur habuisse spiritum prophetandi.

CAP. IV. Præsidebat ei sapientiæ Spiritus; ut nihil ei saperet nisi Deus, ad quem omnia referebat, ortum, processum, finemque virtutum ac vitiorum, deprehendens & exponens in singulis & quomodo apprehendi valeant aut vitari. Apostolicum implebat virum; ut nisi eum humilitatis cautela reprimeret, profiteri possit cum Apostolo de corde puro & conscientiâ bonâ & fide non fictâ. [a] *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Et quod de discipulo quem diligebat Jesus scriptum novimus; quia quicquid loquitur, caritatis igne vaporatur: ita & Anselmus & si ad parilitatem tanti Apostoli non assurgat, ejus tamen diligenti studio vestigia imitatus est; ut totus ejus sermo, tota vita, scripta quoque omnia divinæ dilectionis igne qui in eis lucet videantur esse succensa. Crederes eum non sibi vivere sed aliis, imo tanto veriùs sibi, quanto utiliùs aliis & fideliùs vivebat Deo. Aliorum quoque profectum curans, divinam sibi gratiam adquirebat. Cùm verò salutem

[a] 2 Cor. XI. 29.

salutem omnium procuraret; infirmis tamen ætate vel morbo & juvenibus ampliorem diligentiam impendebat. Nam magis indigenti citiùs occurrit, & liberaliùs subvenit caritas, & acerbiùs patienti compatitur magis. Unde ei pro voto frequentiùs succedebat, ut convalescerent ægrotantes, confortarentur senes, ad frugem melioris vitæ revocarentur errantes, in veræ virtutis cultu proficerent & solidarentur adolescentes. Nam quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu; & mores quibus tenera ætas imbuitur, difficiliùs & non sine quadam ægritudine avelluntur.

Hos ejus successus paucis expediamus exemplis. Herowaldus vir ætate decrepitus, tanto quoque languore prostratus, ut solam linguam haberet in potestate, & non cibo posset uti aut potu, in domo infirmorum imminentem ut putabatur expectans exitum, eo ipso convaluit, quòd Anselmus eum potavit manu suâ vino, quod de racemis in collectam palmam expresserat. Juvenis quidam inconsulti fervoris proposito se obligaverat, ut nullâ unquam occasione manum membris genitalibus admoveret. Sed quia frequens est [ut] inconsulta vota temptatio gravior prosequatur; tantus eum in partibus illis dolor invasit, ut moles plumbea ibidem pendere videretur. Quem cùm dissimulare non posset, admonitus ab Anselmo, ut modum ægritudinis manu tenus probaret, frater voti reverentiâ recusavit. Sciens itaque Dei famulus esse omnia munda mundis, adhibito secum grandævo fratre in locum secretiorem ducit Juvenem. Caro sanissima reperitur; & ex quo à Sancto viro visa est, dolor omnis abscessit, nec Juvenem ulterius fatigavit.

Osbernus quidam professione Monachus, ætate adolescentulus, ingenio perspicax, manibus ad artificia pollens, adeò perversis moribus erat; ut de salute ejus possit meritò desperari. Exercebat hic dentem caninum, & odio insatiabili prosequebatur Anselmum. At ille compatiens errori, sanctâ quadam calliditate puerilem animum cepit; & nunc leniens acerbitatem blanditiis, nunc puerilia quantum vigor sinebat Ordinis tolerans & prece vel exhortatione sæpiùs utens, jussis raró, perversitatem morum non tam eripuit quam surripuit; & quodammodo ignarum adolescentem divinæ legis nexibus compedivit. Nam primò omnium repressit odium, pòst extinxit; in se deinde provocavit affectum, & sensim in jam exculto pectore sevit & aluit sincera gramina caritatis. Sic itaque ex benignitate & benevolentiâ Juvenis promptissimam obedientiam procuravit; ut qui antè non admittebat, à quocunque vel verba nunc amplecteretur & verbera. Qui omnium perversissimus fuerat, omnes coætaneos de virtute in virtutem proficiens antecessit, & ad perfectiores accessit in brevi. Alii namque in eo, velut in quodam speculo divinæ gratiæ, quod imitarentur & unde vitam suam componerent, facile poterant intueri. Sed cum maximus inde fructus Ecclesiæ speraretur; Juvenis morte immaturâ cum ingenti dolore & lacrimis omnium præventus est. Eo verò in Ecclesiam pro more delato, Anselmus secessit in secretiorem orationis locum, cæteris circa defunctum in orationibus occupatis. Qui cum ex tristitiâ & lacrimis, ut fit, in somnium lumina paululum declinaret; vidit personas candore vultûs & vestis insignes, ut de Osberno suo dictaretur indicium, considere. Adest & ille similis homini, quem aut minutio nimia vel languor fecit exsanguem. Anselmo verò sollicitè inquirente, quam sententiam excepisset, respondit: Ter insurrexit in me serpens antiquus, & ter cecidit in seipsum; & tandem Ursarius Domini liberavit me. Probabile quidem est fuisse tertio impetitum, qui & de originali ante baptismum, & de actualibus postea commissis ante monachatum, & de prævaricatione professionis monasticæ poterat accusari per calumniam hostis antiqui; Ursarium verò bonum Angelum dici puto, qui cohibet & punit adversarias potestates; qui hunc ratione fidei & caritatis retentæ & pœnitentiæ in extremis à Calumniatoris laqueo expedivit.

Convenerat

Convenerat autem inter eos, dum ægrotanti Anſelmus aſſidens tam animæ quàm corporis neceſſaria miniſtraret, & multo affectu obſequendi præriperet officia aliorum; ut ei, ſi Deo placitum eſſet, ſortem conditionis ſuæ poſt exitum indicaret. Mortuus quoque vivo exhibuit obedientiam, cujus formam ſtudio viventis occeperat. Concipiens ex viſione ſpem ſalutis, & defunctum Osbernum poſſe Sanctorum ſuffragiis adjuvari per ſingulos totius anni dies Deo pro ipſo per ſe aut per alium divini ſacramenti hoſtiam procuravit offerri. Epiſtolis quoque circumquaque miſſis obtinuit, ut pro Osberno ſuo orationes facerent privatas & ſolennes; unde factum eſt ut ſucceſſionem Osberni omnes appeterent, & ipſius benignitas plures Domino lucraretur, quàm ſi cum auſteritate & cum potentiâ imperaret.

Nichil tamen de vigore Ordinis remittebat; ſed erat ad miſericordiam quàm ad ſævitiam pronior. Nam ſi pro alterutro dampnandus eſſet; mallet, ut dicebat, apud Deum inveniri nimis miſericors quàm crudelis. Noverat enim autoritatem & auſteritatem inferre, timorem potiùs quàm amorem. Nec ſine amore eſt ordo; quia nulla vera eſt ſine caritate religio. Utique non extorquebis amari; hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat. Operibus caritatis & miſericordiæ ſemper inſiſtens fructum plurimum Domino adquirebat. Sed quia interim negociorum tumultibus plurimum vexabatur; Diſpoſuit Prioratu cedere. Sed conſultus Maurilius Rotomagenſis Archiepiſcopus, jugum impoſitum ſecundò præcepit in virtute obedientiæ in finem ſuſtinere: Eâdem autoritate adjiciens, ut cùm ad majora vocatus fuerit, divinæ diſpoſitioni non reluctetur. Nam ſe multos vidiſſe & fere ſemper aſſeruit, qui cum paſtoralem curam ſuæ quietis causâ refugerent, per deſidiam ambulantes de malo ſemper in pejus defecerunt. Paruit Anſelmus triſtis & gemens; & Deo ſe totum committens, utilitati fratrum omnino ſtuduit inſervire. Licèt autem omnibus obſequi, neminem [lædere] geſtiens, etiam cum his qui eum oderant eſſet pacificus; invidiam tamen, quam aut virtus aut fœlicitas aut horum opinio ſemper accendit, non potuit declinare. Nam qui eum præceſſerant, novicium ſibi præferri murmurabant. Quorum unus, qui nullo poterat obſequio mitigari, ad extrema perductus eſt. Ibi agens, pallere & tremere & miro modo deliteſcens vultum cœpit in diverſa mutare. A fratribus cauſam interrogatus, ait duos immanes lupos ipſum jam compreſſis dentibus jugulare. Refertur hoc ad Priorem; qui paululum divertens in oratorium conſuetum, rediit in domum infirmorum, & erectâ manu ſignum ſanctæ crucis edidit, dicens: *In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Quo facto, quievit æger dicens, quòd ad introitum Anſelmi & manûs erectionem lanceam viderit igneam ex ore ejus in lupos jaculari; quæ territos celeri fugâ lupos abegit. Acceſſit ad ægrum miniſter illius Spiritus, qui Apoſtolis datus eſt in linguis igneis; & fratrem ad pœnitentiam & confeſſionem inductum abſolvit; prædicens quadam prophetandi virtute etiam horam qua erat tranſiturus.

Unâ vero noctium, cùm Riculfus quidam Secretarii fungens officio ante hoſtium Capituli iturus in dormitorium pertranſiret; introſpiciens orantem vidit fratrem globo igneo circumcinctum. Attonitus rei novitate diſcedit; Sed Anſelmum in lecto quæſitum non reperit. Rediens ſervum Dei orantem invenit; ſed igneus ille jam diſparuerat globus. Martinum ſacrificantem globus igneus inſignivit, & orantem circumcinxit Anſelmum. Apoſtoli Spiritum Sanctum in linguis igneis receperunt; & eundem in igne vibrat lingua Anſelmi. Dæmonibus quoque imperat, morbos expellit, futura prænunciat, legem Dei facit & docet; & multis eſſe vir Apoſtolicus comprobatur.

CAP. V.

CAP. V. His temporibus Anſelmus ſcripſit tres Libros, unum *de Veritate*, alterum *de Libertate arbitrii*, tertium *de caſu Diaboli*. Scripſit autem Dialogum cujus inſcriptio eſt, *de Grammatico*: Et alium, quem eo quòd ibi ſolus loquitur, *Monologion* appellavit; ubi quidem tacitâ omni autoritate divinæ Scripturæ, quod de Deo fides prædicat ratione convincitur. Sextum quoque, cui *Proſologion* titulus eſt; in quo breviter probat ea quæ de Deo ſecundùm ſe dicuntur, ut Omnipotens, Bonus, & cætera hujuſmodi omnia in ipſo unum eſſe. Sed cùm in hujus probationis inveſtigatione adeò vexaretur; ut non modò ſomnum ſolicitudo excuteret, ſed cibum quoque & potum, ita ut ex deſperatione quadam ſcrutinium hoc temptationi aſcriberet; ei ſubito inter nocturnas vigilias quod quærebatur illuxit. Sententiam exaravit in tabulis, cuſtodique commendat. Sed quis eas ſurripuerit, cùm nuſquam potuerint invenire, ſemper manſit incertum. Reparatur in aliis tabulis; ſed cùm poſtmodum exigerentur à depoſitorio, in pavimento ante locum repoſitorii repertæ ſunt cerâ abvulsâ fruſtatimque diſcerptâ. Quis autem hoc commiſerit, hactenus ignoratur; niſi quod credibile eſt hoſtis antiqui livor. Tertiò itaque conceptum eſt in chartis; ſicque permanſit.

Gravi deinde infirmitate corripitur; in qua raptus in Spiritu fluvium præcipitem vidit & magnum; in quem rerum omnium purgaturæ, ſordes & quævis immunditiæ defluebant. Rapiebat quoque omnem, quam contingere poterat, ſupellectilem Mundi, viros & mulieres, ſenes & juvenes, pauperes & divites ſimul. Cùm vero compateretur his, quos talibus ſpurcitiis cibandos potandoſque à Ductore audierat; ne mireris, inquit, quia hic torrens mundus eſt, qui ſæculares involvit. Adjecit quoque ductor: viſne videre, quid ſit verus Monachus? Volentem ergo duxit in clauſtrum, cujus parietes obducti erant argento puriſſimo; pratum quoque argenteum virentibus herbis miræ fragrantiæ veſtiebatur. Et licèt flexæ pauſantibus molliter cederent; ſurgentibus illiſæ erigebantur & herbæ. Cùm illius habitandi deſiderio caperetur Anſelmus; Eja, inquid ductor, vis videre quid ſit vera patientia? Quod cùm ille immenſo deſiderio poſtularet; diſparuit ductor, & Anſelmus in ſe reverſus eſt. Et quidem probabile eſt eum taliter reſtitutum; ut in tribulationibus, quas erat paſſurus pro Domino, quid ſit vera patientia comprobaret. Nam exinde ſemper magis ac magis mundum cum oblectationibus ſuis exhorruit, & verum Monachatum ſtudioſius & ardentius amplexatus eſt. Unde ad eum undique velut ad quendam religionis fontem etiam de remotis regionibus undique confluebant, conſortium aut auxilium aut conſilium expetentes. Inter quos Abbas quidam religioſus acceſſit; & cùm de multis egiſſet, tandem de pueris Monaſterii conſilium quærit. "Non proficimus, inquit, verberantes eos totâ die; & illi pravi enim ſunt & incorrigibiles, "ſemper in pejora deficiunt. Quales, inquit Anſelmus, tandem adulti? "Hebetes, ait Abbas, & beſtiales. Laudabiliter, inquit Anſelmus, profeciſtis; qui imaginem Dei hominem deformâſtis in beſtiam. An neſcitis quòd "in proceritatem ramorum nequaquam planta conſurgit, quæ ab initio durioribus obſtaculis undique coarctatur. Nec radices agit altas, nec ramos erigit, niſi libertate aliqua potiatur. Humore fervorem neceſſe eſt temperari; "ut ſeminum germina coaleſcant; alioquin iſte conſumit, ille diſſolvit. Ut "ex argento ſpecioſam formes Imaginem; non modò malleus opus eſt incude, "ſed celte ſculptorio, plumaxi, & aliis quibus peragitur res fabrilis. Neque "enim ſolis tonſionibus procuratur. Quis parvulos cibis initiat ſolidioribus lacte ſubſtracto? Hoc ſiquidem ſtrangulare eſſet non paſcere. Quò "progreditur qui incipit à perfecto? Cera durior ſigilli imaginem non admittit, tenera nimis & liquens non retinet. Age cum eo, qui ſæcularitate "nimis induruit, de ſubtilitate ſpiritualium; & ſermonem tuum præ duritiâ

"non

" non admittit. Puerulus quid loquaris non intelligit quidem. Ætas me-
" dia, quoniam ex his temperata est, utrumque potest. Sic adolescentia, si
" opificem peritum habeat, facilè informatur; & institutionis imaginem fi-
" deliter retinet. Unde & in his utiliùs laboratur; si secundùm Apostolum
" lacte præparentur ad solidos cibos, & singulis per competentes gradus u-
" tantur. At vos ab eis erigitis; ut in tribulationibus gaudeant, diligant
" persequentes, & similia, quæ perfectorum titulis ascribuntur. Sicut ita-
" que caritas timorem, ita timor inordinatus ejicit caritatem. Unde fit ut
" pravas & spinosas nutriant cogitationes, suspiciosi, queruli, murmurantes,
" invidi, ambitiosi, infideles; & qui nullam in prælatis experti sunt, nullam
" eis vel aliis referunt caritatem. Et quantum crescunt in dissensione mem-
" brorum in corpore; tanto incremento vitia propagantur in mente. Nun-
" quid hoc vobis velletis fieri? Justitia autem vestra, ne aliter dicam, in pro-
" patulo est. Familiare siquidem habebat probatis moribus exemplisque vulgaribus asserere; & sermonem, non ut multa scire & facundus videretur, auditoribus ut proficerent intimare. In eis quoque erudiendis, quùm quemcunque magistratum gerit, operam multam dabat; eo quòd illorum institutio potest omnibus vel prodesse vel obesse subjectis. His auditis Abbas ingemuit; & se à viâ veritatis errâsse palam confessus est.

Gravi interim morbo Abbas Herlewynus conficitur; & Anselmo dispositio commendatur. Equi & cætera itinerantibus necessaria ejus specialiter usibus præparantur. Sed ipse audito proprietatis nomine expavescit; & universa sociis præcepit communicare. Neque suum esse nil dici quicquam volebat; sed ut sibi & fratribus essent communia. Unde quæ ei sic offerebantur, omnia respuebat; etiam quæ procurabat Devotio illorum, qui ad hoc accesserant ut hominem nossent. Die quadam, dum in Dormitorio ad lectum diverteret, annulum reperit aureum; qui cujus fuerit aut unde venerit hactenus ignoratur. Creditum tamen est eum fuisse futuri Pontificatûs indicium. Invidit autem Diabolus saluti multorum, quam famulus Dei procurabat. Et ad eum undique confluentibus suas tendebat insidias. Ut ad præsens alii taceantur; Miles quidam Cadulus nomine devotione conceptâ se totum Domino precibus immolabat; & ecce extra Ecclesiam velut Scutiferi sui vocem audivit, equos & omnia quæ habebat à latronibus diripi miserabiliter deplorantis. Miles tamen in oratione persistit, pluris habens devotionis quam possessionis dispendium. Hostis verò devoti militis constantiam dolens, ursi speciem induit; & ante eum à tecto corruens horrore casûs & formæ terribilis orantem voluit impedire. At ille perseverans, monstrum securus irridet. Egressus tandem ab Ecclesiâ, inter eundum audivit vocem clarè dicentem sibi: Cadule, quò tendis? Quò tendis, Cadule? Cur ad Priorem hypocritam vadis? Nudabit te bonis more suo, & præcipitabit te in fontem erroris. Utique tunc pœnitebis. Siquidem opinio ejus à conversatione plurimum distat. Ille verò vocem audiens, neminem videns, signo Crucis orationibusque munitus pervenit ad Anselmum; & ex consilio ejus Monachum induit apud majus Monasterium in pago Turonensi. Consueverat unumquemque in illum locum mittere, quem inspirante Domino prælegit. Nam plerunque ad alia transeuntes pœnitentia comitatur.

CAP. VI. Abbati verò Herlewyno decedenti succedit Anselmus, invitus quidem & renitens, sed coactus à fratribus, & maxime urgente mandato quo eum Maurilius Rotomagensis Archiepiscopus vinxerat. Ut autem orationi, lectioni & officio verbi liberiùs vacaret; causas & forinseca fratribus ad hoc idoneis delegavit. Præcepit, ut semper præeligerent pati quàm facere fraudem; & ut pro viribus sine damno enormi omnino jurgia declinarent. Vix enim aut nunquam exercentur lites sine dispendio caritatis. Cum verò ad

causas egredi cogebatur; rarissimè loquebatur, nisi de moribus aut verbo vitæ: sæpe autem contemptis versutiis calumpniarum dormitabat. Expergefactus autem, dolos quos machinati erant sic denudabat, ac si eos accepisset à confitentibus aut interim lectos reperisset in actis. Tantam humilitatem hospitibus exhibebat; ut sæpe eorum gratiâ Refectorium spoliaret. Tantam spem de misericordiâ Dei conceperat; ut nunquam videretur de crastino cogitare. Proveniebat quoque ei secundùm fidem suam; ut Monasterium semper in omnibus necessariis habundaret. Et sicut alter Nicolaus gemma sacerdotum, adeò circa pauperes misericordiæ visceribus affluebat; ut hoc solum quodammodo nosse videretur, [a] *Omni petenti te tribue.*

[a] Luc. VI. 30.

Cùm vero in Angliam tam causâ possessionum Monasterii tam maximè ut videret Lanfrancum Archiepiscopum, descendisset; multis hinc inde sermonibus habitis, tandem de beato Elphego Lanfrancus verbum fecit. Angli, inquit, inter quos vivimus, quosdam sibi instituerunt Sanctos, quorum incerta sunt merita. Quorum unus in nostrâ requiescit Ecclesiâ, Elphegus scilicet prædecessor noster; vir quidem bonus, quem non modò ut Sanctum sed etiam ut Martyrem colunt. Cùm autem discutio causam ejus; eum ob hoc à paganis lapidatum & tandem post multas injurias, contumelias & flagra, ferro peremptum deprehendo; quòd ad redemptionem corporis sui pecuniam quæ exigebatur ab hominibus suis noluit extorquere. Cùm itaque Martyrem non faciat pœna sed causa; an cohibendi sint an sequendi, sententiam vestram audire desidero. Nondum enim Lanfrancus, utpote novus Anglorum incola, plenè historiam noverat. Nam & Elphegus pro Christo passus est. Anselmus tamen ad audita respondit. "Martyr, inquit, videtur egregius; qui " mori maluit, quàm injuriam præsertim his quos tueri debebat irrogare. Et " planè qui hoc quod parvum videtur tantum exhorruit, conventus in con" fessione Christi fidelissime staret. Nam qui devitat minima, gravia facilè " non admittit. Sic ergo Johannes pro veritate, sic & Elphegus pro justitiâ " passus mihi Martyr habetur insignis. Nam uterque pro Christo; qui sicut " veritas, ita quidem & justitia est. Adquievit Lanfrancus; & historiam legi & festum Martyris instituit solenniter annis singulis celebrari.

Anselmus autem non modò Ecclesias & loca venerabilia circumibat; sed civitates & castella & nobilium domos, hac & illac invitatus & tractus, & verus Apostolorum sequipeda, verbum fidei & salutis omnibus erogabat. Nam & omnibus omnia factus est; ut lucrifaceret omnes: adeò quidem, ut etiam his qui sine lege erant, esset & ipse tanquam sine lege. Cùm tamen omni studio indesinentur versaretur in lege Christi; unde eum perhorrebat nullus, venerabantur omnes, plurimi sequebantur; Omnis ætas, omnis professio, omnis conditio utiliter docentem audiebat, & fatebatur Anselmum. Rex etiam qui Anglos subegerat, & si cunctis esset formidini, erat tamen subditus illi. Confirmabat enim Dominus sermonem ejus sequentibus signis. Siquidem curabat ægros; & naturâ cedente creatori constat eum curâsse leprosum. Vir etenim nobilis in confinio Flandriæ & Pontini eâ laborans infirmitate, in visione monitus est; ut aquam biberet, quâ Anselmus Beccensis Abbas in celebratione Missæ manus abluerat. Factum est ita, & ille ilico restitutus est. Alius de Congregatione Beccensi à validâ curatus est infirmitate, respersus aquâ ab Anselmo purificatâ. Hoc enim in somniis monitus fuerat, dum fere in vitæ exitu laborabat. Vir literarum eruditione & morum honestate laudabilis Boso nomine his ferme diebus per Anselmum Monachorum est associatus Collegio. Sed in brevi adeò temptatus est; ut cogitationibus distractus, nullam omnino haberet requiem. Tandem post dies aliquot Anselmo quid patiatur exponit. At ille pio compatientis affectu refert: Consulat tibi Deus: Et exinde mentium tota temptatio discessit. Referre quot ægros curaverit, sed maximè febrientes, vel manûs impositione vel aquâ manuum vel pane benedicto,

dicto, perlongum est. Nam ad reliquias mensæ ægrotantes plurimos convaluisse celebre est & verum.

CAP. VII. Decedente glorioso rege Wil'elmo, successit filius suus Willelmus, qui Rufus cognominatus est. Vir quidem armis strenuus, sed parum justus aut pius; prodigus sui, appetens alieni, ferarum amantissimus, sed negligentissimus animarum, fautor militiæ & malitiæ, sed Ecclesiæ & innocentiæ vehementissimus oppugnator, voluptatis sectator acerrimus; utpote in quo sine modo & mensurâ vigebant pariter amor mundi & contemptus Dei. Quod verò maximè Principem dedecet, nullam corporis reverentiam habens, omni se immunditiâ deturpabat. Non solum nobiles, sed etiam plebs licèt afflicta quatenus poterat, ut fieri solet, Principem sequebatur. Celebre siquidem est; quòd qualis rector est civitatis, tales sunt habitantes in eâ. Siquidem *componitur orbis, Regis ad exemplum. Non sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quàm vita regentis.* Unde cum Ecclesia undique pateretur; eò gravior erat vexatio, quòd non erat qui se opponeret murum pro domo Domini. Venerabili Patre Lanfranco translato ab hoc mundo ad Dominum hujus persecutionis anno quarto, à Proceribus invitatus, ab Ecclesiâ coactus Anselmus Angliam ingressus est. Veniens autem Cantuariam pridie nativitatem Beatæ Mariæ Virginis, summo manè discessit; eo quòd præsagientes undique conclamabant illum Archiepiscopum fore. Deinde progressus ad Curiam, & ab occurrente sibi Rege honorificè & amicè susceptus est. Post pauca communiter dicenda, omnes monet emitti. Omissis itaque propriis, publica concepit curare negotia; & solus cum solo loquens quæ privatim & publicè dicebantur exposuit, statuitque Regem contra faciem suam. Non enim attulerat oleum peccatoris, quo mercenarii demulcent errantium capita potestatum. Digrediuntur ab invicem; & post paucos dies Rex graviter infirmatur. Languore tactus, & sapientum motus consilio, acquiescit; ut in Archiepiscopum promoveatur Anselmus; Dicens eum summo honore dignissimum, & prædicatorem veritatis illustrem. Rapitur ergo invitus Anno gratiæ millesimo nonagesimo tertio, pridie Nonas Martii primâ Dominicâ Quadragesimæ. In sequenti autem solennitate Paschali, cùm esset Wintoniæ, subito incendio cœpit civitas conflagrare. Et quia jam hospitium ejus circumcingere videbatur; Domina domûs res suas asportare ab amicis monita est. At illa se non timere respondit; sed tanti hospitis tutam esse presentiâ. Nec aliquo modo voluit adquiescere, ut aliquid asportarent. Moti igitur venerabiles viri Gundulphus Rofensis Episcopus & Baldwinus Monachus Anselmi procurator hominem adstrinxerunt, saltem ut videret incendium & salutiferæ crucis signum opponeret. Mira res, ille manum extendit, & flamma dejicitur, & ignis quam invaserat domum semiustam reliquit; ac si Anselmo prohibenti progredi non auderet. Ille quidem diu repugnans electioni, tandem coactus est consentire; & pridie Nonas Decembris ab omnibus Episcopis Anglorum Cantuariæ consecratur. Inventa est autem super eum illa Evangelii sententia: [d] *Vocavit multos, & misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis, ut venirent; quia jam parata sunt omnia: & cæperunt omnes simul excusare.*

[d] Luc.xiv.16.

Inde profectus ad Curiam, tres dies Dominicæ Nativitatis in lætitiâ transegit. Rege gravissimam indignationem adversùs eum concipiente ex tunc, eo quòd mille libras argenteorum rependere noluit ei, quia sine precio & obsequio & omni interventu voluerat in Archiepiscopatum promoveri. Discedens inde venit ad villam suam, quæ Herga vocatur; ibique parochialem Ecclesiam dedicavit. Porrò Clericus quidam à Lundoniâ Ministris Episcopi associatus, inter agendum Chrismatorio clam surrepto in fugam dilapsus est. Sed Deo dispensante sic erroneus frequenter ibat & revertebatur, viæ antea notissimæ omnino ignarus; ut manifesto erroris indicio convictus culpam fateretur,

& vas restitueret, & postea viam quæ Lundoniam ducit sine omni errore teneret.

Redit post paucos dies vocatus Anselmus ad Curiam; ut transfretaturum Regem suâ benedictione muniret. Interim dum ventus differt, Regem pro Ecclesiarum pace sollicitat, benignus admonens ut legem Dei auctoritate regiâ non sinat conculcari. Unde Rex exacerbatus ipsum præcepit discedere; & ne transitum ejus ibi diutiùs expectaret inhibuit. Ab illo ergo die Ecclesia Dei magis concutitur, minuuntur & auferuntur possessiones, litibus & sumptibus vexantur homines, & fiunt semper indies posteriora pejora prioribus. Ut autem palam fierent mala, quisque nocens optabat. Gaudebant enim ut Sodoma in sui publicatione peccati. Nam quisquis Anselmum offenderat, gratissimum Regi videbatur officium præstitisse. Non erat ei requies, nisi cùm fortè se claustro immergebat. Fatebatur hoc cum lacrimis, hujusmodi adhibitâ similitudine. Sic inquit in cavernâ bubo lætatur cum pullis: egredientem verò corvi corniculæque laniant & discerpunt. Continete vos intra quantum licet, dilectissimi filii; satis est, quòd me bubonem suum negotia sæcularia tumultusque consumunt. Nam & domestici ejus ex magnâ parte adversabantur ei. Erat autem sic infirmus ad mundana; ut quociens aliquandiu ex necessitate sæcularibus causis intereerat, aut animo deficeret, aut gravem aliquam incurreret ægritudinem. Ratiociniis interesse non poterat; Sed Baldwino, de quo dictum est, imminebat omnium cura. Unde quociens licitum erat, secretiorem adibat locum; & non diebus neque noctibus sed nec inter prandendum à colloquiis divinis & oratione cessabat. Scripsit interim librum *de Incarnatione Verbi*; quem epistolari stilo conscriptum Romanus Pontifex Ecclesiæ approbavit. Nam & Urbanus rationibus inde sumptis in Concilio Barensi usus est contra Græcos.

CAP. VIII. Regem de transmarinis partibus redeuntem Anselmus adiit, humiliter petens, ut pro necessitate officii & more Ecclesiastico Urbanum Papam adire liceat pro Pallio, sine quo plenitudinem officii sui exercere non poterat. At ille ad Urbani nomen intumuit, asserens in regno suo neminem sine ipsius electione debere Apostolicum nominare. Præfigitur Archiepiscopo dies & locus, ut de hac temeritate respondeat. Assunt partes, & voluntati Regis omnes acclamant. Præcipuè tamen Episcopi argutiùs allegabant, Papam non recipiendum in regno Angliæ, nisi Regis electio præcessisset. Quos cùm Anselmus, volens reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, & malens Deo quàm hominibus obedire, canonicis & planè divinis rationibus infrænâsset; uno impetu vociferati sunt eum deliquisse in Regiam Majestatem, qui voluntati ejus suas præposuerat leges. Nam nec Deo miseri quicquam nisi Rege consulto audebant ascribere. Igitur ad unam Regis vocem quidam Archiepiscopo suo omnem obedientiam abnegant, & fraternæ Societatis communionem abjurant; alii verò in his quæ præciperet ex parte Urbani Romani Pontificis. Omnes enim excepto Rofensi solo obedientiæ vinculum solvunt, & præstitæ promissionis fidem. Insuper Rex Archiepiscopo & suis omnem securitatem adimens, manifestas denuntiat inimicitias; nisi se exinde Romano Pontifici non obediturum publicè profiteatur. At ille perseverans in fide conductum & recedendi licentiam petit à Rege. Tandem verò Procerum interventu aliquot mensium inducias obtinet, & sibi & suis interim Rex pacem pollicetur. Cæterùm à fide promissi citò recedens, Baldwynum ejecit è regno; & in hominibus & terris suis Archiepiscopum vehementer afflixit. Interea Dominus Walterus Albanensis Episcopus Archiepiscopi Pallium afferens, Domini Regis & Papæ concordiam procuravit; effecitque ut à Rege in gratiam vel speciei tenus reciperetur Anselmus. Post aliquantulum temporis cùm Rex de

* Wallensibus triumphâsset; exquisitis occasionibus sopita cum Archiepiscopo cœpit jurgia instaurare. Nam in successionibus insolentior erat & ferè intolerabilis. Redit Anselmus, & iteratò eundi ad Dominum Papam licentiam petit Jubet Rex, ut cœpto desisteret, cùm hujus itineris aut nulla aut vacua sit causa. Ait enim prudentiam Anselmi non indigere consilio, nec absolutione puritatem.

Revertente Archiepiscopo ad villam suam, cui Hersa nomen est, lepus quem canes agitabant, infra pedes equi cui Dei famulus insidebat præsidium quæsivit. Substitit pater; instantesque canes accedere propius non audebant. Mirantur omnes & stupent; vir Dei bestiolæ compatitur infœlici, asserens agi circa animam peccatoris de corpore exeuntem. Deinde editâ voce leporem præcepit abire, & auctoritate solius verbi canes continuit. Aliâ vice aviculæ pedem filo innixum videns & puero tenente filum, nunc avem retrahi nunc dimitti; optavit ut avicula rupto filo liberaretur. Impletum est ilico desiderium, & puer avem evolare flevit. Exultat Anselmus, aviculæ congaudens; adjecit sic flere Diabolum evadentibus his quos laqueo peccati tenebat innexos. Nam ferè omnia, quæ habebat, audiebat vel videbat, convertere solebat ad informationem vitæ.

A Rege denuo revocatus Anselmus & inter cætera petitam licentiam tertiò repetit. Turbatur Rex, & se nimis vexari conqueritur; Jubens in furore suo per internuntios, ut incontinenti regnum exeat sine spe redeundi, aut cœpto desistens jurejurando promittat se nunquam Beatum Petrum vel sedem Apostolicam pro negotio quolibet appellaturum. Et subjecit, quòd si remanere vellet, judicium Curiæ [f] sequebatur, quod à Rege petierat in quo non fuerat perseveraturus. Ad hæc Anselmus: Dominus est, quod vult dicit. At ego vado, quò me necessitas trahit; oportet me illud exequi quod professus sum, & mandatis ejus obedire cujus ministerium gero. Curia turbatur ad hæc, reum majestatis Anselmum asserit, contumelias profert, & proposito sui applaudit. At ille patienter sustinet indignationem concilii, gaudens quòd & ipse dignus inventus est pro nomine Jesu contumeliam pati. Ingreditur ad Regem vultu placido, offerens ei benedictionem suam ante discessum, si eam ille non respuat. Quam cum Rex conquiniscens se non abjicere responderet; persecutori suo benedixit ex animo Archiepiscopus, & egressus est. Qui vero Deum timebant, Anselmum affectu & votis prosecuti sunt, & quantum licebat precibus & commendationibus juvabant. Rex autem in suâ feritate persistit; ut videretur meritò Deus recessisse ab eo.

[f] l. sequeretur.

CAP. IX. Veniens inde Archiepiscopus Cantuariam, primò à fratribus suis, deinde à locis venerabilibus & omni Clero & populo licentiam accepit, expositâ publicè causâ itineris. Sumptâ itaque ante Altare Christi more peregrinantium perâ & baculo, Deo & fidelium orationibus suam commendans peregrinationem, prosequente eum gemitu & lacrimis omnium ferè inconsolabaliter, Dovoriam profectus est; Ibique invenit Clericum quendam nomine Willelmum de Warewast, quem Rex sine Deo ad Anselmum direxerat. Moratus est is diebus quindecim in mensâ Anselmi, ut domesticus in omnibus & ubique intrans & exiens; nec alicui indicat ad quid missus sit. Cùm autem nautæ navem urgerent ascendere & sarcinæ proferrentur; ecce idem

* Vulgata Vitæ Anselmi ab Eadmero scriptæ exemplaria legunt *Rex à Gallis victor regressus*. Codices autem MSS. quotquot vidi, habent *Rex à Gwalis victor regressus*: Cui magis lectioni accedendum videtur. Suffragatur & Carnotensis.

Willelmus

Willelmus cum ſtupore omnium & indignatione Archiepiſcopum velut fugitivum & alicujus criminis reum in litore detinet, manticas & clitellas evolvit, & quid in totâ ſupellectili haberetur ſolicitus perſcrutator explorat. Deluſa eſt autem ſolicitudo quærentis, pecuniâ non inventâ. Tunc autem licenter Anſelmo recedente, cum precibus & lachrimis circumſpectans multitudo proſequitur, & in nuncium redeuntem acerbiſſimas increpationes & imprecationes intorquet. Vix aliquanto maris ſpatio digreſſi ſunt peregrinantes; & ecce mutato vento priùs murmurant nautæ, deinde palam proteſtantur & clamant omnibus aut moriendnm aut redeundum eſſe. Quo audito Anſelmus lacrimis ſuffuſus ingemuit, & recurrens ad conſueta orationum ſuffragia, ait: Diſpenſet Deus, diſpenſet Dominus in me, quod voluerit; & in priſtinas retrudat ærumnas; aut in obſequium ſuum, ſicut ipſo inſpirante diſpoſui, progredi patiatur & faciat. Neque enim meus ſum, ſed illius. His dictis in momento agnoſceres vicarium ejus, qui imperat ventis & mari; vento è regione ſurgente, qui ad optatum litus vectores cum ingenti lætitiâ citiſſimè appulit. Navi autem quæ Archiepiſcopum vexerat exoneratâ, res mira apparuit; quoniam in tabulâ unâ foramen ferme duorum pedum inventum eſt; nec aliquid omnino liquidi elementi admiſit, dum Sanctus vir remaneret in navi. Audito autem tranſitu Archiepiſcopi, Rex immanis omnes poſſeſſiones ejus confiſcari præcepit, in irritum ducens omnia quæ ille geſſerat.

Anſelmus autem indicto ſibi lætabatur exilio; arram quoque futuræ beatitudinis noverat, quòd eum pro juſtitia pati Dominus dignabatur. Eccleſiarum compatiebatur ærumnis ſortique ſuorum, quorum calamitates vix ſine lacrimis referet qui fideliter meminerit tempeſtatis illius. Fidelis autem Deus, qui ſperantes in ſe non deſerit, ſervi ſui pro ipſo patientis comitabatur exilium; ut quoquo gentium aut locorum veniret, humanè reciperetur, benignè coleretur, honeſtè tractaretur, & exaudiretur ab omnibus pro ſuâ reverentiâ. Nam in ipsâ facie hominis quædam divinæ dulcedinis gratia relucebat, ut ab omnibus amaretur; & veneranda canities ſenis timentis Dominum aſpicientibus ingerebat reverentiam pariter & timorem. Cujuſque ætatis & ſexûs homines, quaqua locorum adventum ejus fama prænunciaverat, ei turmatim occurrebant; ut ſacrâ benedictione ejus potiri mererentur. Nam qui nihil in tranſitu videre meruerunt, ſe fœlices arbitrabantur. Eloquia ejus Deo condita, & auditoribus grata erant, & Deum timentibus dulciora ſuper mel & favum. Quanto ampliùs colebatur, tanto cautiùs virtutem humilitatis cuſtodiebat; & verus Chriſti diſcipulus, cùm eſſet omnium maximus, inter ſocios verſabatur ut junior, & qui præcedebat ſicut miniſtrator.

Tranſiens autem uſque Lugdunum, ibi nuncios quos Romam direxerat, infirmitate corporis & aliis quibuſdam cauſis præpeditus ab itinere expectavit. Quibus redeuntibus, vocatus à Romano Pontifice pervenit Lateranum, & cum honore ſummo recipitur. Agit ei gratias Eccleſia Romana: Ipſe quoque Romanus Pontifex, [in præſentiâ] totius Curiæ & nobilium populorum, qui tanti exulis cauſâ convenerant, longum protendit ſermonem; atque inter cætera ait: Cùm hunc utpote peritiſſimum in omnibus liberalibus diſciplinis & in religione nutritum & tritum Magiſtri loco habere debeamus; ſitque velut quidam alterius orbis Apoſtolicus & Patriarcha jure venerandus; menti tamen ejus tam ſincera fides, tam excellens humilitas præſidet; ut nos magis indigentes conſilio ejus cenſuerit conſulendos, & ut à reverentiâ Beati Petri quem adiit non potuerit periculis terræ aut maris arceri. Hæc & plura Romanus Pontifex. Sed his omnibus Anſelmus in ſilentio ſuo cautelæ & divini timoris oppoſuit. Expoſitâ verò adventûs ſui cauſâ, miratur & ſtupet Eccleſia, ſubventionemque pleniſſimam pollicetur. Juſſus autem morari, declinavit ad montana, Romani aeris inclementiam fugiens; receptuſque eſt cum honore à venerabili viro Johanne quodam Monacho Becceníi, tunc autem Abbate

Sancti

Sanƈti Salvatoris Teleſini; & duƈtus in Villam, cui Sclavia nomen eſt.

CAP. X. Igitur ibi degens, & in ſummitate montis ubi villa erat, ſalubritate aeris & velut quadam ſolitudine exhilaratus, ait: Hæc requies mea, hic habitabo. Vacans autem Deo & ſibi, inſigne volumen incœptum quidem in Angliâ ibi in provinciâ ſcilicet Capuanâ complevit; quod *Cur Deus homo* intitulatur. Incolæ autem vici vexabantur aquæ penuriâ, eo quòd fontes, putei & ciſternæ fere omnino deerant illis. Unicus autem puteus eis in devexitate montis ſubveniebat, tenuiter quidem, quoniam diebus ſingulis ante diei horam nonam adeò exhauriebatur, ut nichil exinde uſque in alterum diem miniſtraret humoris. Explorans autem Monachus qui in eo præerat ſuſcepti hoſpitis ſanƈtitatem ex perſpicuis ſignis, incommoditatem exponit, orat opem, & in cacumine montis, quod ſumma deſipientia videbatur, aquam dicit eſſe quærendam. Laudat Anſelmus pium deſiderium. Rogatur ergo Anſelmus, ut locum eligat, terram primus aperiat, & aquam vivam exoret à Domino. Ille velut Clemens alter morem gerens hoſpiti, petitionem implet; & in brevi ſalubris & jugis aquæ habundans inventa eſt vena. Nam, ſicut incolæ ferunt, adverſis infirmitatibus aquâ in potum hauſtâ curantur ægroti; & uſque in hodiernum diem Cantuarienſis Archiepiſcopi puteus ille, qui uberrimus & minimæ profunditatis eſt, appellatur. His diebus Rogerus Dux Apuliæ Capuam obſidens, ad ſe virum Dei venire facit. Quem cum ſummo honore recipiens, ei in capellâ quâdam commodum officium procurabat, ut ex remotione exercitûs non haberet tumultum, ex viciniâ cotidiè ſæpius ſecum haberet ducem. Ubi cum quadam noƈte cæteris quieſcentibus Anſelmus egrederetur; in veterem ciſternam multæ profunditatis cecidit, cadenſque clamavit dicens, *Sanƈta Maria.* Accurrentes ſocii patrem vident in profundo ferè exanimatum; ſed ipſe ſigno dato indicat ſe nil læſionis eſſe perpeſſum, & omnino incolumis eduƈtus eſt. Venit illò Urbanus Romanus Pontifex; & in civitate hoſpitiorum adeò junƈti ſunt; ut ferè quicunque accedebat ad Urbanum, diverteret ad Anſelmum. Nam quam illi majeſtas, hanc iſti reverentiam ſanƈtitas conferebat. Pagani quoque, qui Duci in eodem exercitu militabant, magis deferebant Anſelmo, optantes ei proſpera & precantes; plurimique eorum per eum acceſſiſſent ad fidem, niſi timor Ducis & Comitis Siciliæ eos cohibuiſſet. Non enim permittebantur venire ad fidem. Soluta obſidione celebratum eſt Barenſe Concilium; ubi Anſelmus catholicâ ratione convincit Græcos, Spiritum Sanƈtum à Patre & Filio procedere docuit. Inde Romam cum Apoſtolico reverſus eſt. Ipſo præcipiente Anglos Romam venientes ad pedem juxta Romani Pontificis inſtar admiſit. [Id quidem] Anſelmi humilitas reppulit; donec Apoſtolicus ei præcepit, ut ſic moderaretur humilitatem, ne quorumcunque benefacere volentium impediret devotionem.

Præterea Cives urbis nobiliores Anſelmo quandoque tetenderunt inſidias ob fidem Imperatoris Eccleſiam perſequentis, videntes plurimum auƈtoritatis conferri Urbano ex præſentiâ ejus. Cæterùm ut eum Chriſtum Domini eſſe conſtaret, & verum diſcipulum Chriſti; mox eo viſo projeƈtis armis ceciderunt in terram; & qui ad malefaciendum acceſſerant, ſacræ benediƈtionis quærebant munus. Adeóque in totâ urbe invaluit religionis ejus auƈtoritas; ut non Archiepiſcopus, non Primas, ſed Sanƈtus Homo antonomaſticè id eſt excellenter velut proprio nomine vocaretur. Romæ interim Concilium celebratur; & inter cætera decreta ſtatuitur, ut excommunicationis ſententiâ feriantur Laici, qui inveſtituras Eccleſiarum faciunt, & qui eas accipiunt de manu Laicorum; eâdem quoque ſententiâ percelluntur, qui in Officium ſic adepti honoris aliquem conſecrare præſumunt.

CAP. XI. Lugdunum abinde revertitur Anſelmus; & à venerabili viro Hugone primæ ſedis Galliarum Epiſcopo exceptus eſt, ut tanquam loci Dominus haberetur. Siquidem Archiepiſcopus & comprovinciales ſic ei deferebant in omnibus, ac ſi Cantuarienſis Eccleſiæ ſuffraganei eſſent. Et profectò Cantuarienſis Eccleſia his diebus plus fidei reperit in extraneis quàm in ſuis. Filii enim perſequebantur patrem, & inimici hominis domeſtici ejus. Nam ex ſuorum conſilio à Rege impio deſtinatus Romam venerat, adhuc ibi degente Anſelmo, Willelmus ille, cujus in exitu Angliæ mentio facta eſt; & inter cætera obtinuit ab Urbano, ut cauſam Anſelmi differret à ſolennitate Paſchali in diem feſtum Sancti Michaelis. Unde Archiepiſcopus, quoad Rex viveret, viam redeundi in Angliam ſibi credidit eſſe præcluſam. Sed cuſtos Iſrael qui non dormit, quicquid humana temeritas ſomniaret, conſilii æterni interim ſententiam diſpenſat; & Urbanum, qui cauſam viri Dei ad petitionem Tyranni diſtulerat, eximit rebus humanis, ut præfixum diem non videat. In exilio tamen proſperatur Anſelmus; & non modo in Lugdunenſi ſed in contiguis quoque provinciis clarificante illum Deo ab omnibus communiter celebratur.

Rogatus autem à Wydone Archiepiſcopo nobilis Viennæ, quæ dicta eſt maxima Galliarum, Feſtivitatem Beati Mauritii, quæ ob præſentiam capitis ejus ibi ſolennis eſt, celebravit. Expletis divinis, cùm ad refectionem corporis conſediſſent; duo Milites voce tremulâ vultu pallenti debiles & fere membris arentibus aſtiterunt, ſupplicantes ut de micis panis ſui iis aliquid dignaretur conferre. At ille, ut video inquit, non tam micis quam pane ſolido indigetis. Habundant cibi, & locus amplus eſt; ite ſeſſum cum benedictione, comedite quantum vultis. Adjecit etiam; Nichil aliud faciam vobis, intelligens quo intendiſſent. Vitabat enim quicquam facere, quod miraculo poſſet aſcribi; non enim ſuam ſed Dei gloriam appetebat, quærens in omnibus non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Porro à dextris ſedentium Sancti viri propoſitum videns, quaſi importunitate petentium victus, fragmenta rapuit, præbuitque petentibus; monens cito diſcedere, ne hominem diutius fatigarent. Guſtant, & cum benedictione hominis Dei recedentes, ſanitati à quartanis, quod ex verbis eorum innotuit, ilico reſtituti ſunt. Unus Principum terræ illius eodem languore diutiùs vexatus, famulorum manibus in Eccleſiam Beati Stephani, ubi Anſelmus divina celebraturus erat, inductus eſt; & auditâ Miſsâ ſanus exivit. Unde poſt paucos dies patri gratias reddidit, aſſerens ſe à febribus quartanis illius benedictione curatum. Accepitque ab eo ſalutis monita, quibus inſtructus ex conſcientiâ multorum Deo digniùs, mundo gratiùs, & ſibi utiliùs vixit.

Hic fere temporibus eunti Cluniacum Sacerdos quidam occurrit, petens ut Sororem ſuam in amentiam verſam reſpicere & benedicere dignaretur. At ille velut aure ſurdâ pertranſiit. Inſtat Presbyter, & populus undique confluens inſtat; & ille Deum in hujuſmodi temptandum non eſſe reſpondit. Nec tamen antè dimittitur, quàm dexterâ elevatâ eam ſigno ſalutiferæ crucis ſignavit. Quo facto fugit ocyùs, & cucullum imponens capiti, infœlicis fœminæ deflet ærumpnas. Rediens illa domûs ſuæ nondum contigerat limen, & integerrimæ ſanitati donata eſt, in laudem viri Dei linguas omnium ſolvit. Revertens inde Lugdunum, tranſiit Matiſconam; & ibi rogatu Epiſcopi & cleri in Eccleſiâ Beati Vincentii ſolennem Miſſam celebrans, exhortatione publicâ populum monuit, ut à Domino pluviam qua mundus egebat, precibus impetrarent. Illi feciſſe ſe hoc ſæpiùs, ſæpiùſque fruſtratos eſſe reſpondent; orantes ut neceſſitates & vota eorum prece ſuâ promoveat. Celebrantur divina; & per ſacerdotes ſui officium populi preces Domino offerunt. Nec mora, pro votis ſingulorum & omnium ſuccedunt imbres; & tota civitas ſe in præconia Sancti

Sáncti viri effundit. Perveniens autem Lugdunum, Scripsit librum unum *de Virginali conceptu & peccato originali*, & alium cui titulus est, *Meditatio redemptionis humanæ.*

Dum hæc agerentur, Urbanus Papa moritur ante Kalendas Augusti; & Anselmus judicio Dei solius exponitur. Et licèt plurima pateretur, & rei familiaris angustiâ plurimum videretur urgeri; Vigebant tamen in eo læta mens & Pontificalis auctoritas; quia non deficiebat nec deserebat eum verborum ipsius operumque principium, qui in principio erat Verbum. Multa quoque de interitu Regis impii prædicabantur à multis, quæ in vindictam Anselmi innotuerant tam ex signis patentibus quàm ex visionibus manifestis. Sed ille his animum non opponens, pro conversione & salute Tyranni cotidie Dominum precabatur. Tertio verò anno exilii sui, habito colloquio Beati Hugonis Cluniacensis apud Martiniacum, accidit ut de Rege Anglorum mentio fieret. Abbas autem assertione religiosâ multis audientibus publicè protestatus est, se præteritâ [c] voce vidisse eundem Regem ante Thronum Dei accusatum & dampnationis excepisse sententiam. Mirantur audientes, sed cùm eminentiam dicentis attendunt, verbis ejus fidem non habere non possunt. Die sequenti Lugdunum venit; & in Kalendis Augusti cùm omnes quiescerent, Ecce juvenis ornatu venusto ac venerabili vultu Clerico qui ante hostium cameræ jacebat adhuc ut sibi videbatur vigilans apparuit, vocans eum nomine suo, Adam, inquit, dormis? Respondit, non; & adjecit, Vis audire nova? Adam, libenter, inquit. Et ille, Pro certo noveris controversiam, quæ vertebatur inter Anselmum Archiepiscopum & regem Willelmum Angliæ, omnino esse decisam. Ad quod ille oculos erigens, neminem vidit. Sequenti verò nocte alius inter matutinas vigilias clausis oculis stans psallebat; & ecce quidam ei ostendit cartulam, in qua scriptum erat: *Obiit Rex Willelmus.* Oculos autem apperiens, neminem nisi socios vidit. Et tunc quidem Dominus de Rege impio judicium suum terribiliter perpetraverat; & qui vixerat bestialiter, bestialem invenerat exitum vitæ. Tristabatur Anselmus; & sicut Samuel lugebat Saulem dejectum à Domino, sic istum in se provocâsse iram Domini, mœrens & anxius querebatur. Mallet enim in beneplacito Domini seipsum in corpore, quàm illum taliter mortuum esse.

[c] l. nocte.

CAP. XII. Exin post triduum cùm invitatus honorificéque susceptus in loco venerabili, cui Casa Dei nomen est, de nocte quiesceret; tempestate crebra per montem fulgura volitant, & maximo fulminis ictu & terrore horribili super domum, in qua fœnum Monasterii servabatur, plurimum ignis effundunt. Vicinæ corripiuntur ædes, & horror & strepitus, fœtet fumus teter, flamma lucens terruit universos & ad varia loca dispersit. Audiens autem Pater Anselmus invaluisse incendium; nobis, inquit, provideamus; Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet. Egressusque citiùs venit ad ignem, eique signum vivificæ crucis apposuit. Corruit ergo ignis, ipsasque quas invaserat languens reliquit domos: Et quod magis mirum est, quibusdam in circuitu consumptis domibus nil læsionis attulit fœno Monachorum, qui virum Dei habebant hospitem. Nec mora, Lugdunum reversus nuncios recepit ab Angliâ Regis interitum nunciantes; & quomodo manus Domini gloriosam illam Ecclesiæ suæ exercuerat ultionem. Siquidem secundâ die mensis Augusti, quæ post visionem Lugduni factam illuxit, idem Rex in Sylvam, quæ Nova Foresta vocatur ab incolis, venatum manè profectus est; Ibique in latere sagittam excipiens, corde sauciato emisit Spiritum suum. Sic sic patiente Basilio letali telo ad consolationem Ecclesiæ perimitur Julianus; & altero Juliano perempto in Angliâ, ad consolationem Ecclesiæ revocatur Anselmus. Quis alterutrum miserit telum, adhuc incertum est quidem. Nam Walterus Te-

 rellus

rellus ille, qui Regiæ necis reus à plurimis dictus est, eò quòd illi familiaris erat & tunc in indagine ferarum vicinus, & fere singulariter adhærebat etiam cùm ageret in extremis, se à cæde illius immunem esse invocato in animam suam Dei judicio protestatus est. Fuerunt plurimi, qui ipsum Regem jaculum quo interemptus est misisse asserunt; & hoc Walterus ille, & si non crederetur ei, constanter asserebat. Et profectò quisquis hoc fecerit, Dei Ecclesiæ suæ calamitatibus compatientis dispositioni fideliter obedivit.

Primi quidem omnium ad patrem sub omni celeritate Monachi Cantuarienses occurrunt. Deinde magnorum virorum nuncii se invicem prævenientes totius insulæ devotionem exponunt. Et insuper illustris Rex Anglorum Henricus, qui fratri successerat, revocati à se Archiepiscopi reditum fideliter procuravit. Se & omnia Regni negocia ex illius consilio pendere pollicetur. Studuit enim inter regni sui auspicia pius & mansuetus haberi, pro more potestatum, quæ donec solidatæ sint, mansuescunt. Siquidem mitissima sors est Regnorum sub rege novo. Cæterùm cùm Regi novo apud Saresberiam, quid in Romano Concilio gestum sit, exposuisset; Rege turbato omnia in contrarium versa sunt. Quot igitur & quanta pro libertate Ecclesiarum duobus annis passus est, longius est enarrare. Cùm verò Rex Henricus videret Anselmi constantiam invictam; rogavit ut cum nunciis suis Romam iret, & Regiæ dignitatis in Anglia læsæ procuraret medelam. Universi Episcopi Angliæ, Abbates & Proceres, acclamant istud Regi de jure negari non posse: Ad hæc, inquit Anselmus Archiepiscopus: Ibo quidem quoniam vultis; sed Ecclesia Dei Romana nichil consilio meo vel prece faciet, quod Ecclesiarum præjudicet libertati, aut Sedis Apostolicæ majestatem aut meam dedeceat honestatem. Venientes autem Romam nuncii cum Archiepiscopo, à Domino Paschali Papâ, qui Urbano successerat, benignè recepti sunt. Exinde suo tempore Willelmus, de quo supra, causam Regis exposuit; ac inter cætera intulit; quòd Rex nec pro Regni amissione Ecclesiarum investituras sibi pateretur auferri. Ad quæ Paschalis Papa respondit. Si Rex tuus nec pro regni amissione Ecclesiarum donationes patietur amittere; Scias & ei fideliter referas; Ecce ego coram Deo loquor, quia nec pro sui capitis redemptione eas illi Paschalis impunè permittet habere. Et quidem causa Regis tunc in his finibus subsistit. Quantum vero Anselmo Paschalis detulerit & contulerit tempore suo, liquet ex multis. Ei namque Primatum Britanniæ, quem à tempore Beati Augustini antecessores habuerant, confirmavit. Hoc quoque personaliter privilegium dedit; ut ab omnium Legatorum ditione quoad viveret esset exemptus. Præterea Girardum Eboracensem professionem Anselmo facere detrectantem causâ cognitâ coegit profiteri; & si circumventus quandoque in contrarium scripsit. Secutus enim est decisionem causæ Lanfranci temporibus ab Alexandro Romano Pontifice [quæ] sollempniter facta est & in scripturam redacta. Indicant hoc litteræ ejus, quæ in Ecclesiâ Cantuariensi adhuc extant bullatæ. Quid multa? Non meminimus preces Anselmi repulisse Paschalem Papam, vel quæ innotuerant distulisse vota.

CAP. XIII. Redeuntes Florentiam veniunt, & ibi quiescunt nocte unâ. Discedentibus illis, dominus domûs in lecto quo Anselmus jacuerat pro more decubuit. Quo dormiente adest homo ignotus, monens ut inde citiùs surgat. Et adjecit indignum esse, ut lectum occuparet, in quo tantus quievit hospes. Contempnenti nocte secundâ visio minaciùs & terribiliùs iteratur. Illo autem moto quidem sed non ut cederet, tertiâ nocte denuntiatur, ut ociùs surgat & se exinde cohibeat; experiturum fore non esse fantasticum quod videbat. Territus ille somnio, mane adiit ad Episcopum civitatis; & auditâ per eum sanctitate Anselmi, lectum ex tunc in omni reverentiâ custodivit. Cùm autem Lugdunum appropinquâssent; Willelmus sæpe dictus ab Archiepiscopo recessurus, ex

ex parte Regis Angliæ inhibuit, ne Angliam ingrederetur; nisi postpositâ obedientiâ sedis Apostolicæ se consuetudines omnes utriusque Willelmi regum promitteret fideliter servaturum. Miratur hæc Archiepiscopus, quia aliâ conditione exierat; mansit Lugduni; Et Rex Henricus omnes possessiones ejus Willelmo redeunte præcepit confiscari. Interim ad Anselmum in oratorium cæcus quidam accedens, obtinuit ut super oculos ejus signum crucis pollice pingeret. Fecit hoc tertiò, dicens sic: Virtus crucis Christi illuminet oculos istos, & ab eis omnem infirmitatem depellat; integræque sanitati restituat. Et cùm eos aspersisset aquâ sanctificatâ, illuminati sunt. Regis autem indignatio in annum & dimidium protracta est.

Exigentibus negociis quibusdam ecclesiasticis, vir Dei in Franciam veniens, à Rege Henrico rogatus in Normanniam progredi, rerum suarum tandem à Rege investituram accepit. Rege autem in Angliam transeunte, post pauca Willelmus ille qui Regium nuncius Archiepiscopum totiens fatigaverat, Beccum reversus est, rogans ex parte Regis attentius, ut retroactis querelis omnino sopitis Angliam ocyùs visitaret. De libertate Ecclesiarum, quas Dei clementia regibus jam excusserat, lætatur Episcopus; & iter arripiens Gemeticum venit; unde ne progrederetur, adversâ valetudine præpeditus est; & fere in extremum deductus ex defectu naturalium virtutum socios omnes desperatio tenuit; & mors cita ac certa videbatur astare præ foribus. Inter hæc sollicitatur pater, ut vel filiorum amore naturæ vim faciat, sibi patiatur alimentorum aliquid ministrari; & ille se omnino nil appetere, sed nec posse quidem verbis cessantibus anhelo spiritu fatebatur. Undique conveniunt Episcopi & Abbates; ut possint illius beati spiritûs transitum explorare; & ad cœlestia migrantem Psalmis prosequantur & hymnis. Quidam autem familiariùs, ut unus servientum Monasterii per silvam gradiens & huic rei nihil intentus, bestiolam quam Martyram vocant, videret perdicem in ore deferentem; & exclamans bestiolæ fugienti perdicem excussit. Qua allata gustavit æger, & convalescens contra spem admirationi fuit, & gaudium attulit universis. His ergo qui convenerant redeuntibus, unus Servientium Radulphi Sagiensis ei plurimum detrahere cœpit; asserens ei compatiendum non esse, qui sibi in alimentorum perceptione subvenisse potuerat, si inanis gloriæ jactantiam remisisset. Temeritati ejus silentium indicit Abbas, modesta sociorum increpat multitudo; & is eo ardentiùs more Stultorum qui verba sapientiæ non admittunt, Sanctum Dei lacerare non cessat. In his verbis cœpto itineri properanter insistens, in frondosam Quercum silvæ per quam iter erat vehementer offendit; & ex equo procumbens, uno stasilium pedem equitis firmiùs retinente; equoque territo, tam diu huc & illuc tractus est & concussus, ut fere videretur novissimum Spiritum exhalasse. Tandem vero sociis Beatam Virginem invocantibus, comprehensus est equus; & vix inspirans miser edoctus est parcere amicis Dei, cùm magnæ temeritatis sit etiam de servo alieno ferre sententiam.

CAP. XIV. Rediit Rex Henricus in Normanniam; & in Assumptione Beatæ Virginis Mariæ Archiepiscopum Becci amicabiliter visitavit. Illo fermè tempore capellam Curiæ prece Abbatis Archiepiscopique Rotomagensis favore dedicavit Anselmus; & in ipsâ dedicatione Clericum alienatione mentis laborantem benedictione solâ pristinæ restituit sanitati. Qui pro Deo exul & contumeliis affectus diutius sedes circuit alienas, exinde ut justum est Deo de hominibus triumphante ad suam cum honore & gloriâ remeavit. Ubi ab eo vir Anglus nobilis & dives gravi corporis infirmitate percussus, petens ab eo per nuncios benedictum & accipiens panem, secundùm fidem suam curatus est. Rex interim in Normanniâ degens congratulatur paci; & jam dissimulare non potest, confidens sibi Dominum ex hoc esse placatum, quod in veram & firmam amicitiam amicum ejus receperit Anselmum. Unde sibi in brevi

 totam

totam Normanniam & repromittit, & quidem non frustra. Nam fratrem suum & fautores ejus conserto prælio solenni confecit & cœpit. Quam victoriam nactus, per epistolam communicavit Anselmo; quæ meritis concordiæ & pacis inter eos reformatæ ascribebatur. Cùm autem in Kalendis Augusti Rex & Archiepiscopus convenissent, triumphus Ecclesiæ omnibus patuit; Rege investituram Ecclesiarum palam cedente, & concedente Archiepiscopo, nec aliquid venditante in electionibus nisi assensum, qualem sacri Canones non excludunt. Neque enim eligere nec virgâ pastorali investire sibi pro more antiquo usurpans, procedere permisit in dispositione Ecclesiarum canonicas sententias. Scripsit interea Dei famulus libellum unum *de Concordia præscientiæ, prædestinationis & gratiæ Dei cum libero arbitrio*; in quo contra morem moram fecit, quia Corpore infirmatus erat; ut non equo sed lecticâ de loco ad locum semper postea veheretur.

Cùm itaque finis ejus approquinquaret; Thomas Eboracensis junior jam electus, & à Willelmo Wintoniensi Episcopo mandante Anselmo Presbyter ordinatus, finita inter Ecclesias Cantuariensem & Eboracensem cœperunt jurgia instare. At Anselmus etsi ad summum corpore languens, virtute tamen indutus ex alto, singulis totius Angliæ Episcopis in virtute obedientiæ præcepit, ne Thomæ communicarent; donec ille ab incœptâ rebellione desisteret; litteras quoque patentes, quibus hoc mandabatur, jussit signatas in omnibus Episcoporum sedibus diligentissimè custodiri. Ad Thomam quoque in eo constitutus articulo, epistolam in hæc verba direxit:

CAP. XV. "Anselmus minister Ecclesiæ Cantuariensis Thomæ electo "Archiepiscopo Eboracensi. Tibi Thoma in conspectu omnipotentis Dei. "Ego Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus totius Britanniæ Primas loquor, loquens ex parte ipsius Dei. Sacerdotale officium, quod meo jussu "in parochiâ meâ per Suffraganeum meum suscepisti, tibi interdico; atque "præcipio ne te de aliqua curâ pastorali ullo modo præsumas intromittere; "Donec à rebellione, quam contra Ecclesiam Cantuariensem incœpisti discedas; & ei subjectionem (quam antecessores tui Thomas videlicet & Girardus Archiepiscopi ex antiquâ antecessorum consuetudine professi sunt) "profitearis. Quod si in his quæ cœpisti magis perseverare quàm ab eis desistere delegeris; omnibus Episcopis totius Britanniæ sub perpetuo anathemate interdico, ne tibi ullus eorum manus ad promotionem Pontificatûs "imponat; vel si ab externis promotus fueris, pro Episcopo vel aliqua Christianâ communione te suscipiat. Tibi quoque Thoma sub eodem Anathemate ex parte Dei interdico; ut nunquam benedictionem Episcopatûs Eboracensis accipias, nisi professionem (quam antecessores tui Thomas & Girardus Ecclesiæ Cantuariensi fecerunt) facias. Si autem Episcopatum Eboracensem ex toto dimiseris; concedo ut officio sacerdotali, quod jam suscepisti, utaris. Verebatur enim, sicut interrogatus dicebat, apparere in conspectu judicis Dei; nisi ante punisset tantam inobedientiam in jurisdictione sibi commissâ suo tempore emergentem. Unde idem Thomas auctoritate viri & acerbitate sententiæ territus, in se rediit; & præsentibus vice Primatis Cantuariæ Ecclesiæ Suffraganeis etiam post obitum Anselmi professus est.

CAP. XVI. Tertio igitur anno postquam à secundo exilio per Regem Henricum revocatus est, adeò cœpit debilitari; ut ei cibus omnis in fastidium verteretur. Vim tamen faciebat naturæ in perceptione eorum; eo quòd ipsam noverat sine alimentis constare non posse. Caro quidem infirmabatur magis & magis; sed generosus ille spiritus & Dei amore nobilis Ecclesiæ dedignabatur infirmitati. Ex eâ enim fortior & potentior videbatur. Neque enim à meditationibus divinisque colloquiis & orationibus poterat impediri; sed in consuetis

suetis & Deo placitis exercitiis jugiter versabatur. Consecrationi Dominici corporis quotidie intererat, illuc aut pede iens aut sellâ delatus. Vix quinto die ante obitum potuit inde arceri. Illuxerat Dominica dies Palmarum, & unus eorum qui aderant sic eum alloquitur: Pater verisimile est ex his quæ videmus, te ad Paschalem Domini tui relicto mundo transire solennitatem. Et ille; sicut fuerit inquit voluntas, sic fiat; & beneplacitum Domini de me ut voluerit impleatur. Verùm si mallet, quæstionem de origine animæ quam in mente volvo, vellem ante obitum meum fideliter absolvi. Nec aliquid doloris sentiebat in corpore; & ob hoc lacessente stomacho veriùs deficiebat. Vesperante dein tertiâ feriâ cùm vix jam verba formaret; rogatus à Radulpho Rofensi Episcopo & his qui aderant, Regi, Reginæ, liberis eorum & subditis omnibus benedixit; & eos, quantum ad se pertinebat, absolvit. Matutinis laudibus intererant fratres Ecclesiæ Salvatoris; & unus assistentium illi passionem Dominicam inchoavit. Ubi vero ventum est ad verba Domini Jesu. [g] *Vos estis, qui permansistis mecum in temptationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum; ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*: Lentiùs solito spiritum trahens, & fini jam proximus, in cinere & cilicio positus est. Adunatis quoque fratribus circa eum, quantum dolor & lachrimæ permittebant, obdormuit in Domino. Transiit autem illucescente aurorâ quartæ feriæ Cœnam Domini præcedentis, quæ erat undecimo Kalendas Maii, Anno videlicet Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nono, qui fuit annus Pontificatûs illius decimus sextus, vitæ quoque septuagesimus sextus. Fœlix transitus & gloriosa subvectio miraculorum indiciis declaratur; & sanctissima merita Confessoris ex signis ibi conspicuis publicè innotescunt. Venerabiles siquidem viri, memoratus Episcopus Rofensis, & Baldwinus quem vir Sanctus, ut dictum est, rerum suarum Oeconomum fecerat, modico balsamo quod habebatur faciem sacram inungere satagebant. Episcopus ergo hoc expleturus officium, digitum vix intinctum summotenus de fundo vasis extraxerat; & balsamum videt omnino defecisse, vase negligentiùs custodito. Vexatur ille, & omnes qui aderant contristantur. Rogavit itaque venerandus vir Edmerus, cujus ab initio mentio facta est, ut Episcopus vas inversum violentiùs excuteret in manum ejus. Adquievit Episcopus; & ecce de vase fere arido liquor fluens in habundantiâ subjectam manum implevit. Iteratum est hoc secundò & tertiò, & etiam sæpius repetitum; & vas fluxit semper in habundantiâ. Erumpentibus ergo lacrimis præ gaudio & admiratione, totum corpus Sancti viri qui aderant repetitis vicibus perunxerunt. Cur enim in tantâ Dei largitate seipsos parcitatis aut avaritiæ redderent arguendos. Heliâ ministrante oleum multiplicatur; & balsamum, ut obsequatur Anselmo, suscipit incrementum. Dignum quidem erat; ut caro quam vivens servare studuerat à voluptatibus incorruptam, exanimata corruptionis injuriam non sentiret.

[g] Luc. XXII. 28.

Vir quidam Christi & Ecclesiæ verus cultor, & pro facultate subventor pauperum, obeunte patre Anselmo, Cantuariæ ad fatalem ut videbatur pervenerat horam. Diu namque languerat. Quo in somnum tenuem parumper soluto, adest juvenis speciosus, & quid patiatur inquirit. At ille; en morior. Cui juvenis. Pater patriæ, inquit, æternaliter victurus nunc tendit ad Deum, & tu moreris? Surge citò, & glorifica Deum & amicum ejus qui tibi subvenit patrem Anselmum. His auditis, ille cunctis stupentibus surgit & gratias acturus concitus ad Ecclesiam pergit, & quid viderit indicat. Horâ quoque ejusdem transitûs in Monasterio Beati Augustini super statu gloriosi Patris sollicitus frater in visione vidit ad hostium cameræ Archiepiscopi albarum personarum pulcherrimum cuneum, quasi alicujus exituri adventum cum desiderio præstolantem. Præerat illi choro ingrediens & egrediens Pontifex, habitu & quadam majestate insignis. Hic Anselmo obeunte festinò exivit

&

& ait. Ecce adest quem expectatis; suscipite illum, & quo Dominus jussit efferte in voce laudis & exultationis. Paucis verò diebus ante Cantuariensis Ecclesiæ Monachus quidam Helias nomine innocens & vitæ probatæ, transitum Patris Anselmi ex aliâ visione cognovit. Visum est enim ei, quòd Beatissimum Dunstanum & Anselmum Archiepiscopum in Ecclesiâ Christi viderit colloquentes; & quòd hæc Anselmo à Dunstano dicta acceperit. Amice karissime, accipe hunc annulum manu; velles recipere. Manum retrahens Beatus Dunstanus ait: Non quidem hac vice, sed me servante interim quartâ feriâ ante Pascha recipies illum de manu Domini. Sic quidem Martini transitus in visione sanctis innotuit; & Dominus, cui similiter servierunt, Martinum & Anselmum pari modo glorificavit.

CAP. XVII. Peractis his quæ ritus exposcit, restabat ut pretiosus ille Thesaurus corporis clauderetur monumento. Ad Sarcofagum itaque ventum est; & inventus est minor quàm ut nisi fractis membris & per demptionem lapidis superioris corpus recipere posset. Quod cum minis durum & intolerabile omnibus videretur; unus circumstantium fratrum arrepto pontificis baculo saxum aggreditur, & illud undique sic pertractat & premit, huc & illuc aptans; ut recipiendo corpori cum admiratione omnium commodissimum & sufficientissimum videretur. Nam Salvator, in cujus transitu scissæ sunt petræ, hoc ad gloriam suam egit; ut confessori suo natura lapidea mirabiliter cedere videretur. His diebus Capellanus quidam Episcopi Rofensis professione Monachus, morum opinione laudabilis, Robertus nomine per pontem Lundoniæ transiens, Beati patris Anselmi patrocinium sibi adesse sensit & gavisus est. Equus enim, qui famulum & sarcinam deferebat, sine serviente quidem sed onustus sarcinis cecidit in Tamensem fluvium. Licèt igitur super amissione equi & rerum moveri possit pauper; nichil tamen exulcerabat animum ejus nisi unus librorum Anselmi, quem in sarcinulis positum credebat & lugebat amissum. Sed secus accidit. Nam cùm sæpius invocato Patre Anselmo pervenisset ad ripam; equum, manticam cum sarcinulis, librum quoque & universa quæ amiserat illæsa invenit. Præterea Arnulfus Comes filius Rogeri à Montegwyneri [de Normanniâ Angliam rediit.] Et primò quidem prosperante cursum vento in medium ponti delatus est. Quo deficiente, remiges affliguntur; exinde toto biduo jam deficientibus alimentis, naufragium patiuntur ab instabilitate & errore ventorum. Tandem vero ad Beatum Anselmum conversus Comes socios rogavit & nautas, ut Beato Anselmo, quem noverant, & de cujus sanctitate non dubitabant, totam committerent navem. Nam qui semper misericors extitit, dum mortales eum retardarent exuviæ, non defuturum supplicibus pollicetur; cùm nuper Deo junctus & nullo præpeditus obstaculo ampliori serveat caritate. Assenserant omnes; & vix sub hoc voto Dominicam Orationem compleverant; & ecce nebulis dissipatis, vento prospero quo voluerant in Angliam deferuntur. Venientes Curiam Regis, Regi & aliis quid sibi acciderant referunt; & in laudem egregii Confessoris omnium exaudientium ora laxantur. Ad hæc unus Cantuariensium fratrum de statu patris Anselmi valde sollicitus, Dominum exorabat, ut eum inde faceret certiorem. Affuit ergo amico in visione, præcipiens illum certum esse, quia ex quo onere carnis exutus est, gloriosè illum excepit & stolam immortalitatis induit, quem verè coluerat Jesus Christus.

CAP. XVIII.

CAP. XVIII. Longum erit, si omnia, quæ tunc acciderunt, hujusmodi referantur. Sed in paucis, quia succinctam promisimus brevitatem, Liber iste claudatur; & qui plura scire voluerint, recurrant ad fontes; grandia loquor volumina, à quibus hæc velut tanto modico ad itinerantium consolationem & refrigerium sumpta sunt. Novicius quidam Cantuariensis Ecclesiæ Monachus, inter alios qui ad tumbam Patris Anselmi orandi causâ turmatim confluebant, actus quidem devotione illuc veniebat; hæsitabat tamen, quid potiùs esset orandum, scilicet an Anselmus, an pro Anselmo. Sed cùm in hujusmodi fluctuatione diutiùs anxiaretur; totâ se devotione convertit ad Dominum, rogans ut quid se oporteat facere instruatur; & quia in veritate pium Dominum sæpius invocavit; in visione ubi orabat ante Altare ei apertus est liber, in quo decentissimè scriptum erat, *Sanctus Anselmus.* Intellexit ergo vir devotus nomen Anselmi scriptum in libro vitæ, & præcedentis vitæ merito dignum esse ipsum rogari ut Sanctum. Alius in eâdem Ecclesiâ Frater gravi correptus infirmitate diu languerat; & omnino quo se verteret opis gratiâ ignorabat. Postmodum verò ad notam Beati Anselmi pietatem totâ se contulit devotione. Ducitur ad Tumbam ejus; & humi fusus attentius orat, ut Ecclesia aut per convalentiam aut per interitum ipsius exoneraretur. Desiderium cordis ejus audivit Altissimus; & qui Anselmum invocaverat, restitutus est sanitati. Vir nobilis, miles probus & multis notus, Humfridus nomine lapsus in hydropem ab omnibus medicis ob desperationem relictus est. Hic Anselmum dilexerat, nec elabi poterat à memoriâ ejus. Rogavit itaque Monachum Cantuariensem Haymonem nomine, ab antiquo sibi notum venire ad se, ut vel animæ suæ consuleretur. Adest ille, & fortè secum beati Anselmi cingulum detulit. Quod deosculans miles præmissâ prece sibi circumducere nititur; sed vix præ tumore se contingere poterant summitates. Verùm miro modo sensim cœpit detumescere corpus, & in naturalem reduci statum. Quod ille sentiens per omnia membra cingulum circumduxit; & ad sanctissimi Confessoris titulum integræ restitutus est sanitati. Lugduni apud Sanctum Hirenæum inclusa quædam admodum religiosa se quadam nocte ad Thronum perpetuæ Virginis vidit adduci; ubi cùm plurima audisset & vidisset admiranda patriæ cœlestis præconia; quæsivit inter cætera, quidnam sperandum esset de Hugone Archiepiscopo Lugdunensi. At virgo genitrix, bene, inquit, filia, bene illi erit per gratiam Dei. Et Inclusa subjecit. De Domino meo Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, Domina mea regina, quid sentiam? Cui Domina: De illo certissima esto, quòd proculdubio in magnâ gloriâ Dei est. Unus eorum, qui ei fuerat familiaris, eodem ferè tempore similem vidit in Angliâ visionem. Patrem enim in albis indutum videns & Pontificalibus insignitum, recolens quidem de rebus humanis exemptum; ubinam, inquit, pater degis? Quomodo vivis? Quidve agis? Et ille. Ibi vivo, ubi video, lætor, perfungor. At ille dum expergefactus hæc revolvit; è quatuor verbis unum sibi dolet elapsum. In ipsâ vero tristitiâ quodam intervigilio vocem sibi manifestè dicentem audit, *Lætor*; & hoc quidem verbum amiserat. Unde & de Patris gloriâ ampliùs certioratus, plurimum exultavit, immensas gratias referens creatori. Et ut ad Barbaros beati Confessoris protenderetur gloria; Matrona quædam in partibus Scotiæ à Nobilibus Anglis genita, & in Christianâ religione circumquaque probata, Estryldis nomine, gravi languore ad mortem usque deducta est. Sed tandem Beati Anselmi cingulo, de quo jam diximus, cincta plenè convaluit. His interfuit, hæc vidit & procuravit jocundâ recordatione dignus Edmerus. In Cantuariensi Ecclesiâ acutâ febre laborabat Frater ægrotus. Cùm ergo medicorum omne cesserat auxilium; memorato cingulo circumdatum est collum ejus procurante Edmero, sanatus est. Mulieres quoque laborantes in partu quot eo cingulo adjutæ sunt in puerperio,

erperio, referre non expedit; quia nimis longum & multis notum. Eodem cingulo ſanatus eſt Frater ſine omni rupturâ, cui ſub umbilico in modum ſphæræ grandioris ingens coaluerat tumor. Hoc Cantuarienſis novit Eccleſia; quoniam ibi factum celebre eſt. Elphegus quidam, quod publicè notum eſt, à nativitate cæcus, ſurdus, mutus erat & claudus. Et hoc quidem publicè notum. Hic ſicut præſens teſtatur dies, ad Sepulchrum Beati Anſelmi plenam in his omnibus recepit ſanitatem. Vicum quendam Beati Edmundi incendium occupavit, & domum cujuſdam qui Beati Anſelmi alumpnus fuerat & nichil aliud habebat. Jam invaſerat ignis edax, qui univerſa conſumit. Non erat homini ſolatium; cùm ecce frater unus monet, ut nutritoris ſui Anſelmi meminerit, eique committat domum, qui flammas extinguere conſuevit. Paret ille, & nondum finitâ oratione Dominicâ domum ſuam ab incendio ſine læſione miratur & lætatur exemptam. Helias venerabilis Abbas Sanctæ Trinitatis in monte Rotomagi, precibus & meritis Beati Anſelmi, cùm ab eo ordinaretur, à tumore & dolore genuum, quibus adeò vexabatur ut vix incedere poſſit, ſe publicè confeſſus eſt eſſe curatum. Sed quis ego ſum, ut enarrem juſtitias Domini, & tanti patris præconia ore vel calamo præſumptuoſo contingam? Vires quidem meas excedit & merita, ut tantum Confeſſorem dignè deſcribam; & ineptè deſcribere nota præſumptionis eſt, & res jure & merito obnoxia pœnæ. Sed propicius mihi ſit pater Anſelmus, & meritis & precibus ſuis mentem meam dirigat in occupationem utilem & honeſtam, & quæ divinæ ſit placita Majeſtati. Auditorem quoque & Lectorem obſecro; & qua licet ſupplicatione obteſtor; ut in hoc voto mecum & pro me ſollicitent ſanctum Patrem Anſelmum, & mihi & ſibi veniam impetrent delictorum ab eo, qui ſolus eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit Vita Sancti Anſelmi Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopi ſecundùm Johannem Carnotenſem Epiſcopum.

BULLA

Bulla ALEXANDRI III. Papæ De Canonizatione ANSELMI.

Copia Bullæ ALEXANDRI Papæ concessæ Sancto THOMÆ Cantuariæ Archiepiscopo de Canonizatione Sancti ANSELMI ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi.

ALexander Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro Thomæ Cantuariæ Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Constitutus olim in præsentiâ nostrâ suppliciter nos & devotè rogâsti; ut illum sanctæ recordationis virum, Anselmum videlicet quondam Cantuariæ Archiepiscopum, cujus vitam & veneranda miracula nobis præsentare curâsti in Concilio Turonensi, canonizare vellemus. Nos verò pro eo, quòd plures illuc convenerant qui pro aliis sanctis viris illud idem instanter expetebant, [quod] rogaveras duximus differendum. Nunc autem de honestate & prudentiâ tuâ plenam in omnibus fiduciam obtinentes, negotium istud tuæ curæ tuæque discretioni committimus; per Apostolica tibi scripta mandantes, quatinus fratres Episcopos nostros Suffraganeos tuos & Abbates atque alias religiosas personas in tuâ provinciâ constitutas ante tuam præsentiam convoces, & coram eis omnibus prædicti viri sancti vitâ ejus perlectâ & miraculorum serie publicè declaratâ, cum consilio & assensu convenientium fratrum super illo canonizando, secundùm quod in consilio eorum inveneris, nostrâ fultus auctoritate procedas; sciens quòd nos illud, quod tu super hoc cum dictis fratribus provideris statuendum, auctore Domino ratum & firmum habebimus. Datum Turon. Quinto Idus Junii.

* Lib. 3. Ep. 47. p. 384.

Epistola ANSELMI vitiata in editione * Operum Anselmi *Parisiis* MDCLXXV. à GABRIELE GERBERONIO adornatâ, ex Codice MS. vetusto Bibliothecæ Lambethanæ restituta.

DOmino Reverendo & Patri diligendo Paschali Summo Pontifici Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis debitam subjectionem & orationum assiduitatem. Postquam revocatus ad Episcopatum redii in Angliam; ostendi decreta Apostolica, quæ in Romano Concilio præsens audivi; ne scilicet aliquis de manu Regis aut alicujus Laici Ecclesiarum investituras acciperet ut pro hoc ejus homo fieret; nec aliquis hæc transgredientem consecrare præsumeret. Quod audientes Rex & Principes ejus, ipsi etiam Episcopi, & alii minoris ordinis, tam graviter acceperunt; ut assererent se nullo modo huic rei assensum præbituros, & me de regno potiùs quàm hoc servarent expulsuros, & à Romanâ Ecclesiâ se discessuros. Unde, Reverende Pater, vestrum petii per Epistolam nostram consilium; quam misi Celsitudini vestræ per Wilhelmum Regis Legatum. Sed quoniam responsi vestri literas non accepi; adhuc per Legatos nostros, quos mitto carissimis fratribus & Coepiscopis nostris, qui pro eâdem re vestram Sanctitatem adeunt, jam petitum iterum supplex per cartam Sublimitatis vestræ certum peto consilium. Oramus Dominum nostrum Jesum Christum, ut vos conservet ad laudem & gloriam nominis sui & utilitatem Ecclesiæ suæ.

EADMERI

EADMERI

Præcentoris Ecclesiæ Christi Cantuariensis, & Episcopi Electi Santandreani,

ACCEDUNT



EADMERI
LIBRORUM DE VITA
S. ANSELMI
Quæ desunt in editis.

QUædam autem quæ non per somnium accidisse elapso post obitum ejus non longo temporis spatio, sed in gravi discrimine constitutis per memoriam pii nominis ejus provenisse feruntur, vis amoris, quo erga eum quidam meorum adhuc ardent, paucis me notare compellit.

CAP. LXVI. Arnulfus quidam nomine filius comitis Rogeri de Monte Gummeri, & ipse Comes, de Normanniâ Angliam rediens, marini itineris medium prospero cursu peregerat; & ecce contra spem omnium in navi consistentium subito nebula nimiæ densitatis exurgit, supercrescit, quin & ventus omnis quo vehebantur, cadit, evanescit, deperit. Navis in medio pelagi nullum quo in ulteriora raperetur ventum habens, nec quæ in eâ consistebat hominum multitudo præ densitate nebulæ quam teneret viam dinoscere valens, huc & illuc inter undarum cumulos navis nullum iter explicans fluctuabat; & consistens in eâ tædio vehementi afflicta virorum turba animo deficiebat. Mare siquidem eos per dies duos tali modo sibi haud grato obsequio vindicabat; & in diversa vota mentes illorum, quò à suo retinaculo solverentur, & ora concitabat. Tandem memoratus Comes memorandæ memoriæ patris Anselmi recordatus, vota omnium rupit; & ut sibi paucis intenderent, brevi alloquio cunctos admonuit, Omissis, ait, omnibus aliis, in causâ præsenti convertamus cor & linguam nostram ad patrem & pontificem nostrum Sanctum Anselmum, quem sæpe vidimus, cui adhæsimus, cujus sacrâ doctrinâ imbuti, & beatâ sumus benedictione sæpiùs perfuncti; implorantes *notam nobis* pietatem pectoris ejus; quatinus sanctis meritis suis impetret à creatore nostro & omnium Domino Jesu Christo nobis & peccatorum remissionem & hujus gravissimæ incommoditatis, quam pro eis justè patimur, celerem absolutionem. Assenserunt omnes admonitioni ejus. Magna dei pietas, magna potentia. Necdum eam, quam statim ad verbum Comitis cœperant, Dominicam Orationem perduxerant; cùm subitò evanescente nebulâ, cœli serenitas tota redit, & litus ad quod primò festinârant non longè abesse læti conspiciunt. Gratias igitur Deo & fideli famulo ejus agentes, animi æquiores effecti, oppanso velo prosperrimè sunt in portum desideratum evecti. Inde petentes curiam Henrici regis Anglorum, cuncta quæ illis acciderant ordine supra digesto ipsi regi præsentibus episcopis regnique primoribus exposuerunt. Quod auditum multis multùm placuit, non dubitantibus vitam ejus in mundo talem extitisse, quòd & hoc & multò majora debuerit à Deo mundo sublatus merito obtinuisse.

CAP. LXVII.

CAP. LXVII. Item Monachus erat Robertus nomine, affiduus in fervitio Radulphi Rofenfis epifcopi, cujus in fuperioribus habita memoria eft. Hic per pontem Londoniæ eo ferè tempore pergens, infortunio quodam fubito percuffus eft ex cafu equi qui manticam fuam ferebat. Idem etenim equus minùs cautè per pontem hinc inde diruptum à famulo tractus in fluvium cecidit, ubi major vis undarum & aquæ profunditas extitit. Licèt igitur nominatus frater, cujus hæc omnia erant, dampno animalis & rerum quæ in manticâ fervabantur, contriftatam aliquatenus mentem haberet; tamen quafi eorum omnium immemor, pro uno de libris beatæ memoriæ patris Anfelmi, qui inter alia inibi habebatur intrufus, valde erat follicitus. Pergebat igitur per pontem, quomodo poterat, pro libri cuftodiâ & reftitutione ob merita illius qui cum fecerat Dominum orans; & equus in profunditate tumidi fluctûs tendebat ad ripam forti conamine natans. Quid dicam? Utrique emenfo itinere, ifte pontis, ille fluminis, altrinfecus fefe confecuti funt. Mox depofitâ manticâ & referatâ, ut qua plena timebatur aqua excuteretur; reperiuntur omnia quæ intus erant præter unam folam lineam veftem ita ab humore vacua, quafi eadem mantica nunquam tincta fuiffet in aquâ. Reverfus ad Epifcopum, rem geftam me præfente retulit; & in laudem dei audientium ora refolvit.

Hinc fini præfens opufculum fubdam; dum omnes id legere vel audire dignantes priùs brevi commoneam; quatinus nullâ incredulitate ex iis quæ defcripta funt mentem vulnerent. Talibus enim in eis fcribendis auctoribus ufus fum; in quorum relatione omnem falfitatis fufpicionem procul abeffe dubius non fum. Siquidem plurima, quæ primi libri feries continet, ex verbis ejufdem patris Anfelmi collegi. Solebat enim nonnunquam, ut homo jocunditate præftantiffimus, inter alia dicta fua quafi ludens, quid puer, quid juvenis, quid ante fufceptum Monachi habitum, quid in ipfo habitu pofitus, quid Prior, quid Abbas egerit; fimplici fermone referre: autumans audientes eâdem qua ferebantur intentione & perfunctoriè illa fufcipere. Ea verò quæ inter Miracula in ipfo libello computantur, quædam à Baldwino, quædam à Bofone, quædam à Riculfo Monachis Beccenfibus, quorum me Edmerum Monachum Ecclefiæ Salvatoris Cantuariæ inibi meminiffe recordor, accepi: quibus, ficut ipfi narrabant, aut interfuere, aut in feipfis ea experti fuere, aut ab illis qui teftati funt fe dum fierent præfentes fuiffe, accepere. Quæ autem libro fecundo notantur, penè omnia aut propriis oculis intuitus fum, aut auditu aurium fenfi, aut alio aliquo modo, utpote qui ejus præfentiâ jugiter ex quo Pontificatu functus eft potitus fum, per memetipfum Edmerum addicere merui. Falfa vero fcienter aliquem in facris hiftoriis fcribere nephas effe pronuntio. Nam quociens ea vel leguntur vel audiuntur, anima fcriptoris occiditur; eò quòd omnibus per ea quæ falsò fcripfit infando ore mentitur.

CAP. LXVIII. * Præterea cum operi manum primò impofuiffem; & quæ in cerâ dictaveram, pergamenæ magnâ ex parte tradidiffem; quodam die ipfe pater Anfelmus fecretiùs me convenit, fcifcitans quid dictarem, quid fcriptitarem. Cui cùm rem magis filentio tegere quàm detegere maluiffem; præcepit quatinus aut cœpto defiftens aliis intenderem, aut quæ fcribebam fibi

* Habetur in margine alterius Codicis ifthæc nota: *Edmerus qui hunc librum fecundum compofuit, hîc finem ponit. Qui vidit, teftimonium perhibuit. Ex præcepto Radulphi Pontificis perfecit.*

oftenderem.

ostenderem. Ego autem qui jam in nonnullis quæ scripseram, ejus ope fretus & emendatione fueram roboratus, libens parui, sperans eum insitâ sibi benevolentiâ quæ corrigenda correcturum, quæ aliter se habebant singula loco sibi competenti ordinaturum. Nec aut spes aut opinio mea fefellit me. Siquidem in ipso opusculo nonnulla correxit, nonnulla subvertit, quædam mutavit, quædam probavit. Unde cùm nonnihil corde lætarer, & quod ediderám tantâ ac tali auctoritate suffultum forte plus æquo penès memetipsum Edmerum gloriarer; Post paucos correcti operis dies vocato mihi ad se Pontifex ipse præcepit; quatinus quaterniones, in quibus ipsum opus conjeceram, penitus destruerem: indignum profectò sese judicans, cujus laudem secutura posteritas ex literarum monimentis precii cujusvis haberet. Quod nimirum ægrè tuli. Non audens tamen ipsi præcepto funditùs inobediens esse; nec opus quod multo labore compegeram, volens omnino perditum ire; notatis verbis ejus quaterniones ipsos destruxi, iis quibus scripti erant aliis quaternionibus primò inscriptis. Quod tamen factum meum inobedientiæ peccato forte non caret. Aliter enim implevi præceptum ejus, ac illum intellexisse sciebam. Quapropter ab omnibus, in quorum manus forte ista ciciderint, siquidem istic quicquam, quod non omnino quantum ad fatuitatem narrationis displiceat, repererint, petitum iri summopere postulo; quatinus pro hoc & pro aliis peccatis meis dignentur intercedere; ne moles eorum me tantùm deprimat; ut ad illum, cujus vitam & actus qualicunque stilo digessi, pertingere posse non sinat. Nec enim animo elabi potest, qualiter mihi responderit, cùm quadam vice illum rogarem, ut sicut in imis me consortem laboris habuerat, ita & in superis participem suæ retributionis efficeret. Ait nempe id se quidem libenter ac lætè facturum: providerem solummodo, ne in hoc me nimii ponderis facerem. In quo si peccatorum meorum pondus justi judicis æquitas pietate remotâ appenderit; profectò anima mea non sursum sed in profundum abyssi præceps ibit. Unde quemadmodum Ego Edmerus cœpi, adhuc quibus possum precibus insisto; quatinus quam sibi impendi desiderant, mihi secum à Deo levamen & veniam delictorum obtineant: ne nimiis me peccatis oneratum quò pollicitus est pius Pater sullevare non valeat. Quod suâ clementiâ procul avertat; qui super omnia Deus vivit, dominatur & regnat. Amen.

VITA

VITA
B. BREGWINI
ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS,
AUTHORE
EADMERO.

Incipit Vita Beati BREGWINI Cantuarienſis Archiepiſcopi & Confeſſoris.

EXordium propoſiti mei atque procurſum, quo de Beato Bregwino Pontifice Cantuariorum ſcribere à quibuſdam familiaribus meis rogatus institui, gratiæ commendo Spiritûs Sancti, orans ut ſuæ largitatis abundantiâ quæ ſunt dicenda revelet, & ad ea promenda cor meum & linguam juxta placitum ſuæ voluntatis clementer aperiat. Fuit autem ipſe Beatus in matris utero à Deo electus, eandem electionem ante omnia ſæcula in diſpoſitione prædeſtinationis Dei fœliciter nactus. Parentes ejus ex gente Saxonum, nobili ut fertur proſapiâ orti, hoc meruerunt, ut talem eis filium Creator omnium daret; quem probitate morum, quem peritiâ diſciplinæ cœleſtium dogmatum & ſummum in Eccleſiaſticis dignitatibus gradum & perennis gloriæ regnum dignè debere adipiſci comprobatur. Hæc inter opera Dei regnabat in Cantiâ vir ſtrenuus & nobilis Wihtredus nomine, ſacratiſſimâ in Deum religione imbutus, ſervos Dei in Deo & Deum in ſervis ſuis præ ſe magni ſemper habens. Suo tempore pater prædicandæ memoriæ Birhtualdus in Patriarchatum primæ Metropolis Anglorum beato Theodoro ſucceſſerat, & eum dignè Deo in omnibus adminiſtrabat. Hujus inſtinctu & exhortatione * præfatus Rex in generali Concilio cunctas Regni ſui Eccleſias ab omni dominatione & exactione Regum ſive cujuſlibet terrenæ poteſtatis liberas in perpetuum eſſe conſtituit.

His diebus [ille] de quo ſcribere propoſuimus in Saxoniâ natus eſt, & à parentibus Bregwinus cognominatus, ſacro dehinc fonte in Chriſtianâ fide regeneratus; & infantiles annos egreſſus cœpit puer bonæ indolis eſſe, modeſtiâ morum ſanctæ ſpei fiduciam ſuis de ſe exhibere. Hinc litteris traditur, & in ſcholâ Dominicâ enutritur. Augentur in eo de die in diem ſtudia ſacri profectus; & fit pro tenore ſuæ ætatis in litterali ſcientiâ non multo pôſt temporis intervallo

* Factum id anno 694. in Concilio Becanceldæ, cujus Acta extant in Concil. Angl. Tom. 1. p. 189.

perfectus.

perfectus. Florebat etiam adhuc quaque per Angliam exercitia ac studia literarum; quæ ex Beati Theodori Pontificis Cantuariorum ejusque discipulorum traditione totam terram magnifice irrigabant. Religio nihilominus Christiana, quam ex prædicatione gloriosi ac Deo digni Patris Augustini Cantia susceperat, quammaximè in ea vigebat; utpote sanctissimis ac strenuissimis successoribus ejus, quos Roma direxerat quique illi in Patriarchatum Cantuariensem usque ad præfatum Birhtualdum successerant, ne in aliquo vacillaret vigilanti sollicitudine insistentibus. Siquidem ab ingressu Patris Augustini in Angliam eo usque Insula ipsa non tantum patuit Barbarorum irruptioni, quantum eam postmodum patuisse accepimus, & quidem justé. Noviter enim susceptum Christianitatis jugum majori diligentiâ à multis portabatur; & eâ de re Dominus Christus sibi adhærentes propensiori clementiâ tuebatur. Unde bonus odor & in exteras regiones emanans plures nativo solo relicto in Angliam egit. Inter quos Bregwinus Jesu Christi gratiâ fultus eò veniens, mox statione potitus cunctis carus est & civis patriæ factus.

Deinde livore carens, docet alios quæ sciebat, discit ab aliis quæ ignorabat. Igitur sicut ætate & scientiâ, ita inspirante Dei providentiâ sic in Sanctis moribus proficiebat & cœlesti sapientiâ. Quia ergo scriptum legerat: [a] *Qui addit scientiam, addit & laborem:* Eo magis videbat sibi in hac vitâ laborandum, ne inter innumeros Diaboli laqueos gradiens illis aliquatenus ab æternâ vitâ impediretur; quo majori scientiâ præditus intelligebat quo graderetur, si nullis eorum impedimentis irretitus in viâ rectitudinis detineretur. Usus itaque salubri consilio, sprevit mundum & oblectamenta mundi omnia, sequi cupiens eorum exempla, qui secuti Dominum reliquerunt se & omnia sua. Itaque sæcularem vitam vitâ Monachali commutans, habitu sæculari abjecto Monachorum sese collegio nihil habentium sociavit. Factus ergo Monachus ejus exterior homo, cuncta quæ veri Monachi sunt, virtutum scilicet ornamenta, amplexus est interior homo. Et hæc singula in suâ adolescentiâ sibi ascivit; sciens se juxta vocem Divini eloquii etiam cùm senesceret, ab eis non recessurum. Nec fecit. Igitur cœleste propositum, quod ex dono gratiæ Dei susceperat, in servitio Domini perseverans eidem gratiæ conservandum jugiter commendabat.

[a] Eccles. I. 18.

Illis diebus Antistes Birhtualdus vitæ præsenti sublatus, vitæ perenni illatus est. Locum autem quem mundo discedens vacuum reliquit, eodem anno Tatwinus quidam Presbyterii gradu sullimis, vir eximiæ religionis & quod præcipuum est Monachi professione & habitu insignis, ex totius Ecclesiæ sacratissimâ electione Archiepiscopus factus supplevit. Hic est ille Tatwinus, quem venerabilis Beda in Historiâ suâ, id est, gentis Anglorum quam edidit, ultimum Pontificem Cantuariorum ponit; suoque tempore tam ipsi Historiæ quàm suæ vitæ modum posuit. Sanè præfatus Christianissimus Rex Wihtredus ante hæc nonnullis annis diem supremum sortitus, Eadberto habenas Regni reliquit. Cujus Regni anno undecimo * Tatwinus Archiepiscopus beato fine quievit, quarto videlicet anno quo Archiepiscopatum totius Angliæ gubernandum susceperat. Quem Nothelmus subsecutus, quinque annis Christi Ecclesiam nobiliter rexit. Itaque post hæc, † anno scilicet Incarnationis Dominicæ septingentesimo quadragesimo secundo, electus est Cuthbertus in sedem Pontificum prænominatorum: Homo ex illustri prosapiâ gentis Anglo-

* Tatwinus thronum ascendit anno 731. medio: excessit post medium annum 734. Wightredus obiit anno 725. juxta Chronologiam Saxonicam. Tatwinus igitur anno decimo Eadberti vitam finivit.

† De Cuthberti successione vide Dissertationem de verâ successione Archiepiscopi Cantuariensis.

rum clarâ progenie ortus, & ipse totus ex virtutibus factus. Is inter alia bona, quibus totum vitæ suæ tempus coram Deo & hominibus clarificabat, fecit Ecclesiam in Orientali parte majoris Ecclesiæ eidem penè contiguam; eamque in honorem beati Johannis Baptistæ solenniter dedicavit. Hanc Ecclesiam eo respectu fabricavit; ut baptisteria & examinationes judiciorum pro diversis causis constitutorum, quæ ad correctionem sceleratorum in Ecclesiâ Dei fieri solent, inibi celebrarentur, & Archiepiscoporum corpora in eâ sepelirentur: sublata de medio antiquâ consuetudine, qua eatenus tumulari solebant extra civitatem in Ecclesiâ Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ubi posita sunt corpora omnium antecessorum suorum. Hic decurso vitæ præsentis articulo appositus est ad patres suos quinto decimo Præsulatus sui anno, & in præfatâ Ecclesiâ Beati Johannis decenter sepultus.

Quærebatur ergo summo studio ab Ecclesiâ Dei, qui non inferior vitâ ac sanctitate morum, posset in locum defuncti subrogari. Tenebat eâ tempestate jus Regni in Cantiâ Æthelberhtus supra memorati Regis Wigthredi [filius,] Eadberto qui ei successerat jam olim defuncto. Qui Æthelberhtus Beatum Bregwinum ex sullimitate sancti propositi morumque illius gravitate notissimum habens, contulit cum iis quos in electione pastoris universorum tenor præcipue respiciebat; suadens ut in commune viri industriam, sanctæ conversationis normam, cœpti propositi perseverantiam considerantes, præpositâ voluntate Dei ecclesiasticam electionem in eo confirmarent, si in regimine omnium Ecclesiarum totius Britanniæ eum idoneum concordi assensu judicarent. Proponitur itaque viri à pueritiâ Deo digna conversatio, mansuetudo ad omnes, humilitas in omnibus, vitæ gravitas, & in his singulis & simul in omnibus continua cum discretione fortitudo. Refertur in populum; consentiunt omnes in unum, talem videlicet Domini servum dignissimum fore tantæ Ecclesiæ sacerdotem. Quid plura? Rapitur, & licèt multum obnitens, grandævitatem quoque suam quibus poterat conatibus objiciens, Patriarchatu Cantuariensi investitur. Deus in promotione ipsius sullimi totius Cleri confluentis voce corporis ac jubilo cordis collaudatur. Dein Cantuariæ III. Kalendas Octobris, summo cum honore * sacratus, cathedram Pontificalem ad regendum Ecclesiam Dei exultantibus cunctis ascendit.

Speculum igitur omnibus à Deo constitutus, ita in sanctis operibus clarus effulsit; ut qui lucis semitam volebant incedere, in ejus vitâ quæ graderentur satis possent apertè videre. Si de Miraculorum exhibitione, quæ sanctitatem demonstrare magis solent quàm generare, quis inquirit; dico quod sentio. Equidem utrum aliquod hujusmodi fecerit necne, ad notitiam meam fateor non huc usque pervenisse. Quod si fecerit, ea aut scriptorum inopia aut vetustas vel certè casuum diversorum aliquis eventus à nostrâ scientiâ tulit. Illa tamen, quæ post obitum ejus certâ relatione cognovimus facta ad sacrum corpus ejus, luce clariùs innuunt, quid in corpore degens facere posset, si eum ratio aut necessitas ad talia exercenda perduxisset. Sed illa tempora fide Christi quaque fundatâ non egebant signis miraculorum; quæ, ut Beatus Gregorius ait, infidelium sunt potiùs quàm fidelium. Et vanè miraculum foris ostenderetur; si deesset quod intus operaretur. Ac ut mihi quidem ratio suadet, ratum esse videtur majus esse auctorem omnium miraculorum per munditiam carnis & spiritûs in se quemque continue habere, quàm miracula, quæ & re-

* Eodem die anni 759. Bregwinum consecratum esse fidem facit Chronologia Saxonica: & annum quidem rectè positum opinor. Dies autem isto anno in Dominicam non incidit. Illa igitur ætate non solum Dominicis sed etiam in Sanctorum Festis Consecrationes celebratæ fuisse videntur.

probis

probis veritas dicit esse communia pro libitu hominum & admiratione exhibere. Pax quoque diebus sui Pontificatûs in toto Regno vigebat; nec incursus hostiles aliquis metuebat. Donec ergo in Dei pace quæque consistebant, Deus pacis in omnibus & per omnia omnibus erat. Beatus & fœlix Pater in istis cùm in populo verbum vitæ prædicaret, mansueto animo ac modesto audiebatur; & quæ fieri in exhortationibus suis præcipiebat, placido effectu prosequebantur. Ut fides vera aut succresceret, aut vacillans robur statumve reciperet; sola vox Patris vallata incremento quod tribuit Dominus sufficiebat; nec ad eam probandam miraculum aliquod quis exigebat. Sed hæc bona non multo tempore permanserunt. Sublato namque in brevi de hac vitâ beato viro, cujus meritis ea provenerunt, evolutis pauculis annis & ipsa sublata sunt.

Tribus siquidem annis vixit in Pontificatu, Deo per omnia plenus, & universis virtutibus indeficienti constantiâ præditus. Anno autem Patriarchatûs ejus secundo * Æthelberthus Rex, filius ut diximus strenuissimi Regis Wihtredi, diem ultimum clausit. Anno verò post hunc fuit validissima hyems, nimiâ frigoris acerbitate cuncta constringens, animalia diversi generis & nivium densitate & immani brumæ asperitate extinguens. Verùm cùm juxta verba veri Salomonis in Cantico Canticorum loquentis [b] hiems transisset, imber abisset & recessisset; flores Dominici apparuerunt. Unde & vinea Domini Sabaoth suavissimi odoris florem emittens, ad vocem turturis ac sponsi dicentis: [c] *Surge propera amica mea, veni de Libano, veni, coronaberis*: Anima fœlicissimi patris dulcis amica summi patris surrexit, hoc est coronanda ab sponso suo Jesu Christo; sæculum corpusque reliquit, ac Angelorum adminiculo fulta, ubi ipsum Deum Deorum in Syon æternaliter cerneret, gaudens hilarisque conscendit. Sepultus sanè est in præfatâ Ecclesiâ Beati Baptistæ Johannis prope corpus Reverendi Pontificis Cuthberti, ipsius Ecclesiæ ut diximus fundatoris ac sui dignissimi prædecessoris. Post hunc assumptus est in Pontificatum relictæ Ecclesiæ Jambertus pater & Abbas vicinæ ac prænominatæ Abbatiæ gloriosorum Apostolorum Petri & Pauli.

[b] Cant. II. 11.

[c] Cant. IV. 8.

Hinc evolutis pauculis annis Dani gens effera perdiscentes Angliam in omni penè genere hominum à pristino statu exorbitare, & divitiis ac voluptatibus magis solito operam dare, cœperunt quasi pedetemptim probare, tribus navibus illuc primo directis, quàm efficere possent si plures mitterent, plures venirent. Quas cùm prosperè in nonnullis egisse audirent; animati sunt, & classe paratâ Angliam non semel aut bis, sed sæpenumero veniendi usum acceperunt. Quodam itaque tempore, &c. *Sequuntur Miracula plura, quorum Epitomen abbreviatis Eadmeri verbis dedit Vita Bregwini Osberno malè ascripta supra, pag.* 76. Plura feruntur in hunc modum de beato viro; quæ omnia scribere nimii ponderis esset. Ad alia ergo tendentes, hunc istis ponimus modum.

Transierunt plures anni; & corpus ejus sub veneratione multorum loco mansit immotum. Nonnulli quoque successorum ejus huic vitæ decedentes, locum sepulturæ in ipsâ Basilicâ acceperunt. Post hæc multis malis quaque per Angliam crebrescentibus, contigit civitatem Cantuariam ex incuriâ quorundam sua minùs cautè curantium igne succendi & crescentibus flammis in matrem Ecclesiam inibi consistentem incendium ferri. Quid dicam? Combusta est tota cum officinis Monachorum ibi degentium penè omnibus, si-

* Ethelbertum Regem anno *760.* obiisse prodit Chronologia Saxonica; quæ & hiemem asperrimam anni sequentis memorat.

mul & Ecclesiâ Beati Johannis Baptistæ, ubi ut prædictum est Archiepiscoporum reliquiæ jacebant humatæ. In qua conflagratione quæ vel quanta damna locus ipse perpessus sit, nullus hominum edicere potest. Ut tamen quædam inde tangamus; quicquid in auro, in argento, in diversis aliarum specierum ornamentis, in divinis ac sæcularibus libris preciosius habebat, ferè totum vorans lingua ignis absorbuit. De his tamen quia fuerunt recuperabilia, minùs est fortasse dolendum. At dolor immanis & nullo fine claudendus hucusque eandem Ecclesiam premit; quum privilegia Romanorum Pontificum, privilegia Regum & Principum Regni ipsi Ecclesiæ studiosè sigillata & collata, quibus se & sua perenni jure munire deberet atque tueri, ex integro redacta in nihilum deperierunt. Si qua autem sunt ex illis recuperata, diversis in locis, ubi contra scripta fuerunt, reperta sunt & accepta; bullis atque sigillis, quæ alia fieri nequibant, cum Ecclesiâ in qua servabantur igne consumptis. Ex quo robur & fortitudo hostibus ejus usque in præsens contra æquum increvit; & multa mala, oppressiones & scandala insurgentium filiorum super eam audacia struxit. Sed hæc notissima omnibus vanè quasi aliorum notitiæ scribendo significamus. Quapropter istis omissis dicamus, quòd post istud gemendum incendium corpora Pontificum supra memoratorum suis loculis immota quiescebant; donec ille virorum strenuissimus & cum omni honore nominandus Lanfrancus videlicet Cadomensis Cœnobii Abbas Archiepiscopatu Cantuariensi functus est. Is quippe omnia quæ combusti Monasterii repperit vel ædificia vel ædificiorum detrita monumenta terræ coæquans, & quæ sub terrâ erant fundamenta effodiens, cuncta nova extruxit, & præfatos Antistites levari ac in tuto locari constituit; donec ea quam cœperat Ecclesia facta esset, in qua decenter poni valerent. Et ita factum est. Post aliquot annos in Ecclesiam jam fundatam illati sunt, & in aquilonali parte super voltum singuli sub singulis ligneis locellis, ubi quotidie mysterium Sacrificii salutaris celebratur, positi sunt. His ita dispositis, fortè die quadam unus ex fratribus Ecclesiæ in scamno sedens coram sepulchro Beati Bregwini, &c. *Sequuntur Miracula bina, de quibus vide sis Epitomen Osberno falso inscriptam supra, p. 77.* Et quidem ut multi affirmant, hunc inter se morem Saxones præstantiùs habent; ut majores suos digniùs honorent & irreverentiæ subditorum non parcant, ne insolescant. Morem igitur suæ gentis & mundo exemptus filiis suis studuit bonus pater exhibere; ut eos moneret quâ reverentiâ se debeant erga majores suos habere.

Inter hujusmodi facta sanctissimi viri venit Cantuariam quidam Monachus de terrâ Teutonici Imperatoris Lambertus nomine, notus Reginæ quam Rex Henricus defunctâ primâ conjuge suâ uxorem de Saxoniâ duxerat. Hic Lambertus per multum temporis Cantuariæ rogatu Reginæ cum fratribus conversatus est; & penè quasi Monachus loci ob omnibus habitus. Unde familiaritate quoque potitus, cœpit frequentare locum in quo Pontificum reliquiæ quiescebant, illic orare, illic Missas celebrare, illic familiariter conversari. Interrogabat hunc & illum, quis ille esset vel ille, quove nomine vocaretur qui illo vel illo loculo claudebatur. Ubi autem de Beato Bregwino audivit, succensus est desiderio habendi illum & in terram suam transferendi; recordatus fortassis antiquæ bonitatis famæ, quam in patriâ suâ de illo didicerat. Verùm dum impossibile sibi videret clam vel palam desiderii sui per se effectu potiri; suggessit Archiepiscopo qui tunc erat & graviter morbo paralysis premebatur, nomine Radulfo; ut ossa memorati patris sibi concederet, asserens ei locum construendi Monasterii à primoribus gentis suæ concessum, quod sub patrocinio patris Bregwini construere & omnimodis servitio Dei accommodum ipse & sui proposuerant ordinare. Quid multa? Acquiescit Pontifex: Nec enim noverat quo de agebatur; & ideo facili assensu ad preces petentis permovebatur.

movebatur. Res fertur in audientiam Monachorum; & quidam, ut conceſſio Pontificis perficeretur, pleniſſime laudant; quidam è contra modis omnibus negant. Poſt dies defungitur Archiepiſcopus. Itaque plures eorum qui eo vivente laudaverunt fieri quod roganti conceſſerat fratri, verſâ vice contradicentibus acquieverunt; & uno animo pariter inſtiterunt, ne ſuo paſtore Eccleſia, quâ vivens in carne pio diligebat affectu, deſtitueretur. Ne tamen conceſſio Antiſtitis videretur uſquequaque contemni; ex communi concenſu deliberatum eſt, in quo & Archiepiſcopum conſenſiſſe nonnulli atteſtati ſunt, ut ſcilicet os unum, brachium videlicet ſiniſtrum, ſacri corporis fratri conferretur. Quod ipſe parum æſtimans, & iis quæ ſibi promiſſa dicebat fruſtrari non ſuſtinens, ſuſpicatus eſt ſe per Reginam, poſſe apud Regem efficere, quatinus ipſe regiâ poteſtate vi à Monachis extorqueret, ut ſibi concederent quod quærebat. Super negotio igitur Reginæ locuturus, & eam cum Rege in parco Wudeſtochico commorantem aditurus, Lundoniam vehit; ibique validâ infirmitate correptus, progredi ultra nequivit. Languore in dies creſcente, ipſe Cantuariam reportatus eſt; ubi parvo tempore vivens defungitur, & inter mortuos fratres ſepelitur. Hinc nocte ſequenti aſtitit vir quidam ſtaturâ mediocris, perſonâ inſignis, habitu Monachus, facie ignotus, cuidam Fratri de congregatione per viſum, homini bene religioſo Deumque timenti, dicens illi: Sciſne quam ob cauſam Lambertus ille Saxo ſic inopinâ morte raptus ſit? Cui cùm ſe neſcire reſponderet. Scias, inquit, quia eo quòd corpus Bregwini de ſuâ ſede auferre ſibique conatus eſt vindicare. Nec enim talis meriti fuit in oculis Dei, ut tanti Pontificis præſentiâ vol poſſeſſione debuerit jure potiri.

De his ita conſiderans ergo provida ſollicitudo ſervorum Dei, & ex iis quæ frater ille facere molitur conſiderando perpendens in futuro tempore aliquid huic ſimile à ſupervenientibus externis hominibus poſſe moliri, ne faciliorem effectum ſortirentur, reliquias ipſius Patris à præfato loco cum reliquiis Beati Plegemundi Archiepiſcopi in auſtralem Eccleſiæ partem tranſtulit, & poſt Altare Beati Gregorii Papæ decentiſſimè tumulavit. Quidam autem ex Monachis Willelmus nomine ex conſenſu aliorum horum omnium ſe præ cæteris medium fecit; & ejus induſtriâ ac proviſione ferme omnia quæ in ipsâ reliquiarum tranſpoſitione vel Sepulchrorum compoſitione impenſa fuerunt procurata ſunt. Is in unâ poſt hæc ſolennitate ſervitio Eccleſiæ toto conamine ſeſe dedens, & ultra vires in cantando vocem edens, ruptus eſt in interioribus; moxque in vomitu ſanguinis aliiſque gravibus moleſtiis vehementer afflictus. Quid igitur ageret, ignorabat. Noverat enim jam in ipsâ Eccleſiâ hoc nonnullis & eâdem causâ contigiſſe; quorum alios morte multatos, alios multis annis multo languore vexatos, omni ambiguitate ſemotâ ſciebat. Venit autem ei in mentem, quid ſervitii, quid ſollicitudinis, quid honoris nuperrimè impenderit duobus Pontificibus iſtis Bregwino & Plegemundo. Itaque corde contrito, ſpiritu humiliato, perſuſus lachrimis genas, orat eos ſibi miſereri; quatinus impetratâ ſibi à Chriſto Jeſu priſtinâ corporis ſanitate intelligat, quid de illis ipſi & aliis amodo ſit ſentiendum, quave fiduciâ pro æternâ ſuâ ſalute eos appellare poſſit ad interveniendum. Mira Dei bonitas, potentia mira. Mox ſicut ipſe refert, ſe omni ſenſit languore curatum; nec novi doloris aut incommoditatis ullam ulterius moleſtiam paſſum.

Hæc

Hæc de Beato Bregwino minùs ſapiens edidi, quæ à majoribus & veridicis viris didici. Et hi quidem alia ſe expertos in ſe fuiſſe tradunt, alia vel ab illis qui præſentes fuerunt vel à præſentibus acceperunt, ſeque referunt accepiſſe, conſtanti allegatione commemorant. Ne ergo animos amicorum meorum me ad hoc opus incitantium offenderem, ceſſi voluntati eorum. Quod itaque ſcripſi, eis ſcripſi: videant ipſi. Si in aliquo bene proceſſi, gratias Deo: Si aliter in aliquo, intentiùs orent obſecro pro ſcelere meo. Memoria tranſitûs Beatiſſimi viri VII. Kalendas Septembris recolitur; ut illic nomen Domini qui illum honoravit expeditiùs magnificetur. Sit igitur ipſe qui vivit, dominatur & regnat per omnia, benedictus in ſæcula ſæculorum & ultra. Amen.

Explicit Vita Beati Bregwini Cantuarienſis Archiepiſcopi & Confeſſoris.

VITA

VITA S. OSWALDI

Episcopi Wigorniensis et Archiepiscopi Eboracensis,

Authore EADMERO.

Incipit Vita Sancti Oswaldi Eboracensis Archiepiscopi & Confessoris

II. Kal. Martii.

Secundùm propositum gratiæ Dei venerandus Eboracensis Antistes Oswaldus ante sæcula à Deo electus, ingenuitatem generis sui, quo nobiliter editus in hujus mundi lucem processit, ingenuis moribus initiatus, viam vitæ præsentis incessit. Cujus quidem gesta vario * diversorum stilo digesta, quo multipliciora eo animis ad multa divisis videntur ad legendum onerosiora. Unde iis qui, sicut veraciter creditur, illum in hâc vitâ præ cæteris sincerius diligunt, placuit tam prece quàm præcepto me ad hoc commovere; ut quæ multipliciter de eo scripta sunt, compendioso ac novo narrandi stilo expediam. In quo fateor non parum expavesco; fatuitate quippe ingenioli mei penès meipsum consideratâ, vereor ne petentibus satisfacere in ipso opere nequeam; quia scio quòd hunc quem præcipuè amant lætissimâ exponi oratione desiderant. Non parere autem voluntati illorum nefas judico; cùm ne sibi amicissimis scilicet meis me nolle gerere morem, tum ne læsâ conscientiâ suâ me erga Sanctum Dei nullum habere opinentur amorem. His angustiis septus elegi potiùs rusticano eloquio amicorum meorum voto concurrere, quàm urbano silentio eos contemnendo per inobedientiæ culpam offendere. Scripturus itaque pro injuncto officio vitam tanti viri, quæ illi jugiter affuit, gratiam invoco Spiritûs Sancti; quatinus ea quæ per illum ad laudem sui nominis operari dignatus est, illius meritis concedere mihi dignetur inoffensis Ecclesiæ suæ auribus qualicunque verborum indagine explicare.

* Oswaldi res gestas stilo antea mandaverant Elfricus & Folcardus: de quibus consule Præfationem.

Exordium

Exordium ergo nativitatis gloriosus Oswaldus noblissimâ progenie natus eleganti formâ enituit. Qui ubi infantiles annos diligenti curâ nutritus excessit, puer factus pueriles ineptias devitare, ac ut ætas illa advertere poterat, ad sanctitatis opera semetipsum cœpit informare. Proposuit enim in conspectu cernentis secreta pectoris sui se almæ cognationis suæ nullatenus fieri velle degenerem; sed quos propinquos sortitus fuerat in genere carnis, hos sequeretur passibus virtutis, instructus fide cæterisque cœlestibus armis. Bonus siquidem & unus de præcipuis patribus Anglorum Odo nomine frater erat patris ejus, vir præstans religione, discretione sublimis, moribus gravis, justitiæ cultor, magnus consilio, qui & in omni actione suâ circumspectus, auctoritate præminebat; de cujus actibus quæ nobis quidam antiquiores pleno relatu descriplere, pauca * tangere non incongruum rati sumus; ut inde probetur quàm imitabili, quàm spectabili prosapiâ puer Dei Oswaldus originem duxerit.

Hic, ut fertur, Æthelstano victoriosissimo Regi Anglorum valde carus erat & acceptus; ac pro illius prædicabili sanctitate Rex idem illum secum habere ejusque consiliis magnopere inniti solebat. Qui Rex Deum diligens, æquitatis legibus serviens, regnum strenuè gubernabat. Is immenso Paganorum exercitui quodam tempore armatus occurrens, memoratum Odonem, cujus meritis se quam maximè credebat hostem victurum, in aciem duxit. Et commisso prælio Odo eminus à pugnâ stans lumina ac manus in cœlum tetendit, pro Rege & suis Dominum intentius orans. Pugnatum hinc inde atrocissimè, & dies ferme totus in certamine absumptus. Tandem jam Sole in occasum vergente, sors lachrimabilis accidit: juxta capulum confractus est regius ensis. Quid faceret? Ut se armaret nullum de suis exarmare volebat. Quid tunc? Hostes qui jam vertere terga cœperunt, videntes Regem fracto ense factum quasi inermem, animati & in pugnam acriùs reversi sunt. Insonuit clamor, Odonem citius advolare perurgens. Adest; ut opem suam prece negotio ferat, Rex ipse hortatur & obsecrat. At ille: Ope quam desideras, uti solummodo velis, præsto est. Quid igitur agis? Ut quid eo qui in latere tuo pendet gladio parcis? Cur eum ab interitu hostium arces? Quid formidas? Nil dubitans arripe illum; & ecce manus Domini erit tecum. Nec priùs Solis continget occubitus, quàm obsistentes adversarios tuos fuga involvat aut interitus. Dixit; & Rex ad ejus verba attonitus, ilico versâ dextrâ ad vaginam extraxit gladium fulgidum, fortem & insignem. In quo cunctos occursantes deterrens, cædens seu prosternens, ad verbum servi Dei juxta factus est & Solis occubitus & Regis triumphus. Ipse Odo, quoniam Ecclesiæ Cantuariensi officio summi Pontificis loco & dignitate præsidebat, jura Christianitatis per totum Regnum ut patriæ pater prudentissimè administrabat. In quibus diebus Edwius, qui quartus à præfato Æthelstano Regni Anglorum sceptra tenebat, voluptatum amator magis quàm Dei, luxuriæ quàm sobrietatis, libidinum quàm castitatis, Regiam dignitatem obscœnis operibus dehonestabat; ac viros virtutum parvipendens, contra æquum exasperabat. Unde Beatus Dunstanus tunc temporis Abbas Glastoniensis, eo quòd ad suggestionem & imperium sæpe fati Odonis ipsum Regem illicitis amplexibus violenter abstraxit, è patriâ pulsus est; & demum innumera per Angliam mala ab eodem Rege patrata. Contra quem Odo armaturâ Spiritus Sancti præcinctus exurgens, iniquitatum illius publicus hostis effectus est; nec destitit, donec sopitis incestibus Regnum ab infandæ mulieris infamiâ, cui

* Nondum sc. Odonis Vitam Eadmerus conscripserat. Hoc loco Vitam illius ab Osberno scriptam innuere videtur: atque eadem fusiùs postea narravit in Odonis Vita, quæ Osberno malè inscripta supra collocatur.

Rex

Rex idem omiſſâ conjuge ſuâ ſæpius commiſcebatur, expurgaret. Eam ſiquidem ſuorum militum manu vallatus, à regali curiâ in qua manſitabat vi abduxit, abductam perpetuo exilio in Hiberniâ condemnavit. Erat quippe vir viribus puræ æquitatis per omnia fultus, nec alicui iniquitatis miniſtro favens, voluntati Dei in cunctis obſequi ſatagebat. Quapropter & Deus ei ſuâ miſericordiâ ſemper aderat, ac voluntati illius aures ſuas inclinabat. Verbi gratiâ parietes Eccleſiæ Chriſti Dorobernenſis ſuæ videlicet Sedis in altiorem quàm erat ſtatum ſublato tecto ipſe pater conſtruere volens, ac velle ſuum facto adimplens, Oravit Dominum ; ut quamdiu ipſa Dei domus integritate ſui careret, pluvia quæ populum à ſervitio Dei arceret infra ambitum illius non deſcenderet. Quod & factum eſt. Videres etenim totam civitatem ſæpe grandi pluviâ circumcingi, & ipſum templum ejuſdem pluviæ inundatione nec contingi. Item idem Pater dum quadam vice ſacrum myſterium altari præſens adminiſtraret ; corpus Dominicum inter manus ejus cruentum & ſanguinem diſtillans in calicem apparuit. Ex quo intuentium mentibus nimio pavore percuſſis, mox ad preces Pontificis in conſuetam ſui formam reſtitutum eſt. Feruntur & alia de eodem viro miranda facta ; quæ nos ſilentio prætterimus, ne putemur obliti operis quod incœpimus.

Hujus igitur patris nepos puer Dei Oſwaldus exiſtens, à parentibus ſuis ejus doctrinis imbuendus, ejus exemplis inſtituendus ei commendatus eſt. Qui ex converſatione tanti viri ſeſe fœlicem fore pronuncians ; nec miraculorum, quæ nonnunquam aſſunt malis, ſed virtutum ejus, ſine quibus nemo fit bonus, imitator eſſe curabat. Unde & ab omnibus diligebatur, non ſolùm quia tantâ carnis propinquitate illi copulabatur, ſed etiam quia versùs omnes id egerant merita ejus ut à cunctis amaretur. Traditur litteris ; & cujuſdam viri * Frithegodi nomine, qui in divinis ac ſæcularibus diſciplinis quoſque ſui temporis ſapientes præcellere putabatur, magiſterio functus, ſtudioſiùs diſcit, & in brevi plurimùm proficit. Spiritus namque ſapientiæ & intellectûs ſuper eo quieſcebat, inſpirans ei gratiam ſuam & cor intelligens ad ſingula diſcenda quæ audiebat. Sæcularium ergo librorum ſcientiâ ad plenum imbutus, divinarum paginis litterarum ſedulâ intentione animum tradit. Ex quibus ſancto caritatis igne in Deum proximumque ſuccenſus, in contemptum mundi totus erigitur ; & qualiter ſervitio Dei mereretur omni modo aſciſci ſingulis horis meditatur.

Inter hæc † Wintoniam à patruo ſuo ſupra memorato ſcilicet glorioſo Odone dirigitur ; quatinus ibi degens, ſi quam fortè in Canonicis viam vitæ imitandæ reperiret, diſceret & imitaretur. Quid amplius ? Fit Canonicus inter Canonicos ipſos ; ſi quæritur qualis inter quales, regularis inter irregulares. Ipſe etenim quæ inſtitutio vitæ Canonicorum docet & præcipit indefeſſus exequebatur : Illi ſpretâ inſtitutione ordinis ſui juxta cordium ſuorum deſideria gradiebantur. Unde admirandus cunctis effectus ob plenitudinem gratiæ Dei, quæ in moribus ejus enitebat, Decanus factus adoleſcens præponitur ſenibus ; quatinus canities ſensûs illius & immaculata vita illius maculatam ſenum vitam emacularet, ac pueriles ſenſus illorum ſtudio diſciplinæ cœleſtis evacuaret. Sed illi magis antiqua pravæ ſenectutis itinera tenere volentes, licèt eum bonum beneque agentem blando honore debitoque favore veneraren-

* Monachus is Cantuarienſis plurimis in lucem editis Scriptis claruit, maximè autem Vitâ S. Wilfridi metricè juſſu Odonis compoſitâ.

† Wintoniæ in Veteri Monaſterio Oſwaldum ab Odone collocatum ac poſtmodum Decanum factum Tinmuthenſis refert. Monaſterio illi tunc temporis inſederunt Canonici Sæculares.

 tur,

tur, tamen illum nullo pacto se in talibus audituros affirmabant. At ille de laudis ipsorum ventositate nihil curans, gemebat cotidie; & ut sibi ad salutem suam Deus consuleret, precabatur nocte ac die. Verùm ubi perpendit illos propter eum nequaquam velle à veteri vitâ emendari, seque per illos si non abientaretur à suo proposito posse depravari; spretâ qua cingebatur pompâ sæculari, spretis quoque divitiis quarum copia redundabat, relictisque Canonicis quorum conversatione eatenus usus fuerat, redit ad Pontificem patruum suum, negotium salutis animæ suæ cum eo tractaturus. Quid multa? Ubi miserias vitæ mortalis cum Pontifice loquens piâ consideratione deflevit, ubi quàm difficile sit hominem inter mundi illecebras gradientem ipsis illecebris non irretiri, utrinque sermo procedens appendit; infert Christi miles Oswaldus sibi jam cecidisse in mentem se nudum sæcularibus cunctis velle amodo Christum sequi & verè Monachum fieri. Exilit gaudio Pontifex ad audita, & erumpentibus lacrimis præ jubilo cordis qua voce exprimat quod præ se intus habet invenire minimè valet. O hinc inter eos ex divinis verbis vitæ perennis orta contemplatio! O in contemptum mundi nata suadibilis divinaque collatio! Quis ipsam edisserat? Ortatur deinceps senex juvenem, ne retro abeat, ne positâ super aratrum manu post tergum aspiciat, ne laqueos sæculi jam evadere incipientem suis laqueis inimicus involvat. Ad quæ ille: Ruptis vinculis voluptatum carnalium jam inspirante Deo libertati donatus sum; & iterum me traderem miserrimæ captivitati sub earundem voluptatum vinculis vinciendum? Non æstimabam me hoc ordine Christum sequi debere. Amorem sui mihi concessit ex notitiâ Scripturarum suarum; & nunc eum desererem? Talem videlicet fructum capiendo ex meditatione earum? Imo pater, si placet dic, nec dubites ubi velis perficiam quod proposui; aut certè si tibi grave non est, ipse proponam quod disposui. Ait dic. Regulam, inquit, Beati Benedicti servare sub obedientiâ volo; & iccirco in Galliâ apud Floriacum, ubi ipsius patris reliquiæ dicuntur haberi, Monachus fieri mente revolvo. Nam juxta quod mihi mea æstimatio dicit, nusquam rectiùs servanda sunt nec fortè servantur quæ idem pater instituit, quàm in loco quem ipsemet suâ corporali præsentiâ in perpetuum honorare non desistit. Antistes ad hæc. Idem, inquit, sentimus, idem sapimus, in idem nostra intentio tendit. Monachus loci illius sum. Habitum enim religionis ad onus regiminis, sub quo gemo, vocatus inde suscepi; & propterea te, quem specialiùs amo, Monachum ibi fieri potissimùm opto. Et quidem hæc patriæ demutatio eâ re tunc ita utriusque voluntati complacuit; quoniam per id temporis religio Monachici ordinis, quæ cùm propter Barbarorum frequentes irruptiones tum propter quorundam malignantium turbulentas seditiones dudum in Angliâ pene tota obsoleverat, necdum sui vigoris statu reformata claruerat.

Mittitur ergo juvenis Floriacum, illic floribus fulciendus virtutum. Mittuntur quoque cum litteris commendatitiis dona quamplurima, juvenem & dicto & facto Abbati ac Fratribus commendantia. Suscipitur, & Monachus habitu factus, vitâ quoque Monachi in ipsis primordiis est decoratus. Qui igitur venerat ab aliis doceri alios imitari, talem se illis exhibuit; ut satis haberent in eo quo docerentur quod imitarentur. Erat enim somno parcus, cibo sobrius, in loquendo discretus, in oratione assiduus, in aliis autem virtutibus, patientiâ dico, humilitate, benignitate, mansuetudine, cæterisque hujusmodi quàm fortis, quàm subditus, quàm benevolus, quàm constans extitit, ex sincerâ caritate, qua supra humanam æstimationem ad omnes erat diffusus, conjici potest: Apostolo dicente [a] Caritatem patientem esse, benignam esse, non æmulari, non inflari, non agere perperam, nec quærere sua, nec irritari, non cogitare malum, & cætera, quæ mihi brevitati studenti exequi longum est.

[a] 1 Cor. XIII. 4.

Hic

Hìc idem Domini servus secretum in Ecclesiâ locum ab Abbate acceperat, in quo pro modo conversationis suæ Deo familiariùs adhæreret. Illic igitur orationi, meditationi, contemplationi vitæ perennis remotus ab illorum inquietudine operam dare solitus est; magnum humani generis hosti fomitem livoris & odii suggerebat. Ille quippe attendens & attendendo subvertere inhians studium strenuissimi juvenis, multiplici eum versutiâ pulsat, pulsando territat, terrendo fatigat, fatigando proturbare loco laborat. Unde quadam vice dum se in oratione pro compunctione cordis Deo noctu mactaret; affuit ipse malignus, & sonos horrificos edens hominem terrori addicere moliebatur, cùm ut cœpto desisteret, tum ut aliis horis simile opus aut segniùs aut nullatenus attemptaret. At Oswáldus fidei Christianæ scuto protectus, non magis ad fremitum leonis vel sibilum serpentis quàm ad balatum ovis vel stridorem soricis (harum enim & aliarum ei bestiarum improbus ille voces ingessit) exterritus est; cuncta videlicet nihili pendens, cum suo auctore cuncta deridens. Quod Dæmon advertens disparuit; sed in Angelum lucis è vestigio transfiguratus, viro apparuit. Eum quippe jam tunc novâ de se victoriâ usum æstimabat sibimetipsi suasurum, se scilicet non injuriâ ab Angelo visitandum, quem firmâ fretum constantiâ mentis nullis potuit inimicus irretire figmentis. Sed sua sibi iniquitas mentita est. Nam ad hoc monstrum famulus Christi signo fidei se signavit, sciens exinde Angelum lucis non irritandum, Angelum autem tenebrarum eminus effugandum. Quod & factum est. Juvenem namque hâc crucis armaturâ munitum statim degener Angelus, qui apparuit, territus fugit. Tunc ille psallens, [b] *A dextris est,* ait, *mihi Dominus, ne commovear. Propter hoc delectatum est cor meum, & exultavit lingua mea insuper, & caro mea requiescet in spe.* Præterea lectioni divinæ crebro intendebat; & quæ docente Domino inde didicisset, hilari vultu corde benigno minùs scientes edocebat. Hæc inter exercitia ejus, post susceptos inferiores ecclesiastici Ordinis gradus, gradum suscepit Diaconatûs; in quo ministrans Deum obsequio humillimæ devotionis, populum verò demulcebat eo quo magnificè præminebat concentu dulcissimæ vocis. Siquidem inter ea quæ, ut præfati sumus, in eo fulgebant virtutum insignia etiam in exteriore homine illius emicabat multiplex quædam & supereminens gratia. In habitu enim, quem oculis intuentium præferebat, & decens & appetibilis compositio inerat, non alicui pompæ, non dissolutioni, non ostentationi, non serviens hypocrisi. In vultu nihilo minus formositas ampla, nec cujuslibet pravæ voluptatis incentiva, sed quæ cæterorum vultibus antestaret magnâ honestatis prærogativâ.

[b] Psal. XV. 8.

* Talibus donorum insigniis Vir Dei Oswaldus ad potiorem Diaconatu Ecclesiastici ordinis gradum conscendere dignus est comprobatus, ac dein Presbyteri honore sullimatus. In quo gradu Deo sacrificans, qua puritate cordis & corporis Christo inhæserit, quámque benignum auditum precibus ejus piis Deus accommodaverit; & ex qualitate vitæ ejus, quæ dictante rerum veritate describitur, & ex Angelorum præsentiâ, quam ei nonnunquam etiam visibiliter affuisse monstratum est, luculenter intelligi datur. Locus siquidem in quo, sicut diximus, juxta confessionem Abbatis orare solebat, cripta quædam erat in occidentali parte decenti opere facta, qui locus Confessionis nomen pro more obtinuit. Pro foribus autem criptæ ipsius duodecim pauperes conversari ex antiquo usu consueverant, & quotidianum victum ab ipsâ Ecclesiâ

* Integra hæc Sectio Codici MS. Benedictino inserto folio est apposita; manu recentiore, quantum Amanuensis conjicere potuit, exarata. Extat eadem totidem ferè verbis apud Tinmuthensem, lib. 21. cap. 52.

accipiebant. Qui pauperes ita fuere dispositi; ut omnes literarum socii, omnes Clerici essent. De his ergo reverendus pater Oswaldus unum delegerat; ut quotiens in ipsâ Missarum volebat solennia celebrare, ejus ope ac ministerio tanti mysterii officium celebraret. Quadam itaque die cùm ipse altario præsens cœptæ Missæ officio insisteret, & post Evangelica dicta offerenda in manus panem & calicem, sicut multorum mos esse dignoscitur, sumeret, oculisque in cœlum directis orationem *Suscipe sancta Trinitas* intentâ mente ad Deum præmitteret. Vidit præfatus minister ejus quandam reverendi vultûs personam in dexterâ parte Altaris stantem, faciem ad ipsum Altare versam habentem, panem candididissimum non tamen adeò magnum inter manus, quas usque ad caput suum porrectas habebat, digno cum honore tenentem. Ad quod licet nimio timore perterritus obstupuisset; sustinuit tamen, nec subitam voluit invadere fugam. Verùm ubi eundem panem juxta quod sacerdos in secretis orationibus procedebat, paulatim crescere atque insolitæ magnitudinis crescendo fieri conspexit; ultra residere non ausus, extra ostium fugâ lapsus est. Emansit itaque Presbyter solus; & qui videbatur in dexterâ stans Angelus ejus. Minister verò, quem pavor abduxerat, foris prope ostium latitando subsistens, per vices ostio caput ingerebat, & quid circa Altare gereretur trepidus explorabat. Cùm Dei servus *per omnia sæcula sæculorum* & alia quæ in audientiâ populi dici solent, diceret in ordine Missæ; nec ullatenus respondere auderet vel accedere pro admirandâ quæ sibi apparebat visione; audivit Angelum quem videbat ad singula, respondentem & ministri obsequium ei deferentem. Consumpto autem sacrificio toto, caput ex more abditus minister ostio intulit, & illum quem viderat jam non vidit. Introïit ergo ad Sacerdotem palpitans & tremens, ac ne animum ejus quoquomodo offendisset in eo quòd ipsum quasi solum reliquerat timens. Et expositâ causâ fugæ suæ pallens sciscitatus est, utrùm & ipse vidit & audierit quæ se vidisse ferebat & audisse. At ille: Bene, inquit, vidi & audivi quæ dicis; sed benedictum sit nomen Dei omnipotentis, quia licet à te sim male deceptus, tamen in sacrosancto ministerio vivifici corporis & sanguinis ejus non sum ab eo desertus. Interdixit tamen ei modis quibus poterat, ne dum ipse vitæ præsenti superesset, rem quæ acciderat cuivis hominum innotesceret.

Postquam autem supra memoratus venerabilis Pontifex Odo certo relatu cognovit nepotem suum Oswaldum in bonorum operum culmen excrevisse; immensas omnipotenti Deo gratias agens, diebus ac noctibus eum precabatur, quatinus illum & jugiter ad meliora proficere & in viâ perfectionis consummatum concederet post hanc vitam se Deum Deorum in Syon videre. Missis præterea diversis muneribus Abbati ac Monachis pro suo Oswaldo, quas noverat convenire, cum precibus grates exolvit. Indicavit etiam illis se ipsius præsentiâ magnopere velle potiri; cùm quia senio confinis mortem sibi propinquam sciebat, tum quia regulari conversatione suæ gentis viros per eum instituere disponebat. Quæ ubi fratribus relata sunt; gravi mœrore dejecti asseruerunt se sine illo nequaquam, si fieri posset, in hac vitâ vivere velle; propterea quod ejus conversationem sibi & in animâ & in corpore sensissent valde profuisse. Non audentes tamen voluntati Antistitis obviare, parent, ac Domini servum debito cum honore ad nutum Præsulis dirigunt. At ille citato itinere Angliam petens, terrâ marique ab omni periculo protectus est. Et * hilari vultu, mente jocundâ Dofris appulsus, extemplo ingenti est dolore

* Paulò aliter Willelmus Malmesburiensis de gest. Pontif. l. 3. f. 153. qui Oswaldum refert nonnisi *nuntio agri jam discumbentis avunculi perculsum* iter iniisse.

perculsus.

perculſus. Illum enim, quem præ cæteris arctiùs diligebat, illum cujus dulcem faciem præ omnibus videre ſitiebat, illum cui adhærere ardentiſſimâ caritate cupiebat, & à quo ſe tam diu remotum fuiſſe non ſine grandi anguſtiâ cordis recolebat, jam tunc noviter non modò ſibi ſed & ſæculo exemptum audiens, nulli mirandum ſi dolebat. Deus meus, quos gemitus ille tuus alumnus ad hæc nova putamus emiſit? Quæ ſuſpiria edidit? Quas lachrimas fudit? Quæ fuit obſecro confuſio animi ejus, quando eum pro cujus amore ac reverentiâ à cunctis ſeſe amplecti ſolere meminerat, jam in terram convertendum, à conſpectibus omnium ſub terra detruſum didicerat? Quis mœror inditam piiſſimo vultui ejus hilaritatem obduxit; quando & Angliam gravi mœrore pro ejus obitu conſternatam repperit, cui nimirum impar mœroris illius cauſa fuit? Veniens igitur Cantuariam, ſed eam inveniens patre orbatam, quid faceret, quo greſſum flecteret, dubius hæſit. Auctus ad hæc lachrimabilis dolor. Illi enim qui eum priùs agnoverunt, viſo illo ex recordatione defuncti Patris lachrimis manant.

Præſidebat eâ tempeſtate per curam officii paſtoralis Eccleſiæ Dorcaceſtrenſi quidam * Oſchetel nomine, homo bonæ famæ, & quæ ſua intererant diſponere gnarus. Hunc vir Dei Oſwaldus, utpote ſibi & carnis conſanguinitate propinquum, & qua pollebat ſapientiæ luce conſpicuum, ad cohabitandum adiit; volens juxta Solomonem gradiendo cum ſapiente ſapientior fieri, non ex conſortio inſipientium illis ipſis aſſimilari. Suſcepit autem illum idem Epiſcopus benigniſſimè, ac ſincerè dilexit, ſecumque degentem ſui ſecreti conſcium fecit atque conſortem. Poſt dies defuncto Archiepiſcopo Eboracenſi præfatus Oſchetel ſedi illius ſubrogatur. Is pro ſtolâ Archiepiſcopatûs Romam petens, Sanctum Oſwaldum ſuæ viæ comitem habuit. Potitus autem deſiderio ſuo, cùm Româ digrediens in patriam ſuam remeandi iter acceleraret; Oſwaldus relicto conſortio ejus Floriacum divertit, Clericum quendam Germanum nomine, ætate juvenem, moribus ſenem, itineris ſui è patria ſocium ſecum ducens. Excipiunt autem illum Abbas & fratres cum ſummâ lætitiâ; ac nonnullis diebus circa eum lætè exactis, pro ſolâ quam intellexerant voluntate illius quem adduxerat Germano ſanctæ inter ſe converſationis habitum tribuunt. Manſit vero venerandus Oſwaldus in ipſo Cœnobio aliquanto tempore, Deo per omnia ſerviens & verbo & facto, qualiter ad cœleſtia tenderent cunctis illic commanentibus exempla prætendens.

Interea memoratus Antiſtes miſſis nunciis rogat eum Angliam redire ad ſe; quatinus viâ ſanctæ religionis, cujus eum culmen attigiſſe certò cognoverat, ſuæ gentis homines inſtrueret. At ille petitioni ejus mitis obtemperans, Angliam Germano relicto perrexit. Rudis enim adhuc in diſciplinis regularibus erat: nec illum niſi perfectè edoctum à loco ſeparari ſinebat. Perveniens itaque ad Epiſcopum, ſolito more in omni ſanctitate & manſuetudine juxta eum converſabatur; & ideo à cunctis pio affectu, magno amore, ſummo ſtudio amplectebatur, fovebatur, venerabatur. Inter hæc ille præclarus & glorioſus Dei amicus Dunſtanus in cathedram Pontificatûs Cantuarienſis prædicto Odoni ſucceſſit, vir Dei gratiâ à matris utero ple-

* Oskitellum Archiepiſcopum Eboracenſem Eccleſiæ Dorcaceſtrenſi antea præſediſſe, omnes Scriptores noſtrates hactenus editos latuit. Vide quæ ſupra annotavimus ad Radulphi de Diceto Hiſtoriam de Præſulibus Angliæ. Quod verò Oskitellum eo tempore Sedi Dorcaceſtrenſi præfuiſſe ad Eboracenſem poſtea tranſlatum Eadmerus refert; in eo manifeſtè lapſus eſt. Oskitellus enim biennio circiter ante Odonis obitum thronum Eboracenſem adeptus eſt. Eundem errorem iniit Monachus Rameſienſis apud Mabillon. Sæc. Benedict. V. p. 735.

nus,

nus, & donec vitæ præsenti superfuit nunc cœlestibus secretis admixtus, nunc beatorum spirituum crebrâ visitatione perfunctus, nunc in exhibendis miraculis celebri efficaciâ fretus. Hic auditâ eximiæ sanctitatis famâ, quæ Beatum Oswaldum circumquaque magnificabat, mittens accersivit eum; ex conversatione illius pleniter ediscere gestiens, vulgata opinio verane extiterit necne. Post aliquot verò dies comperto quod investigabat, multum præstare illis quæ fama disperserat, gavisus est; & in gratiarum actiones Deo pio corde & ore solutus. Veruntamen sæpe agebat cum eo; non ut firmitudinem animi ejus quasi suspectam habens exploraret, sed sicut eam in bono firmam penes se habebat, ita veraciter esse aliis comprobaret. Et revera in omni virtutum decore probatus repertus est, eoque non modò ab eo verùm & ab aliis præstanti est affectu dilectus. Unde beati patrui ejus dignitate perpensâ, tam vitæ illius qualitas quàm morum probitas est in Oswaldo præter solam ætatem & Pontificalem dignitatem tota penè reperta. Dum igitur vita & mores in eo imitabantur dignitatem Pontificis; ratus est Beatus Dunstanus ipsam vitam & mores illius jure sullimandos dignitate Pontificis. Quam ob rem adito Edgaro, quo Rege per id temporis Anglia gloriabatur, venerandum Oswaldum secum adduxit, eumque pro meritis suis ipsi commendatum familiaritati illius induxit. Quid plura? Prædicatur à summo Pontifice virtus animi ejus, constantia propositi ejus, integritas morum ejus; & ad hoc Rex ipse tanto testimonio credens perducitur, ut suo jusso atque judicio Cathredam Episcopalem apud Wigornam, cui Pater idem præsidere solebat, Antistes factus ascendat. Primò tamen requiritur voluntas cleri & populi super re ipsâ: & cum ingenti exultatione & vociferatione fit vox omnium una. Concrepant, clamant Oswaldum dignissimum tantæ sedis Episcopatu; & magnâ prece deposcunt eum quantociùs in ipsum ministerium consecrari. Fit quod clerus & plebs Wigornensis precatur; ac in summum sacerdotium fœlix Oswaldus à patre Dunstano sullimatur; factumque est piâ Dei dispositione, ut sicut patruo S. Oswaldi Cantuariæ Beatus Dunstanus, ita Sancto Dunstano in Episcopatu Wigornæ succederet Beatus Oswaldus.

Functus ergo vir Dei Pontificatu idem qui priùs fuit, in bonis actibus præstitit; imo quemadmodum alios dignitate, ita seipsum supergressus est in bonitate; & licet omni fuerit virtutum nitore insignis, orationum tamen assiduitate & elemosynarum promptissimâ largitate summo & ultra quàm dici possit opere præditus erat. Cœpit itaque juxta Apostolum omnibus omnia esse, & is quem nec amor nec ira cujusque posset à viâ justitiæ quovis pacto declinare. Discretione tamen in hoc quam maximè ferebatur, sciens neminem à discretione nutantem justitiæ leges omni ex parte tueri. Clero igitur ac populo sub suo regimine posito pervigil insistere, & qua graderentur ad vitam verbo & exemplo viam demonstrare. Verùm cùm multitudo eorum, quos à viâ rectitudinis exorbitantes in viam justitiæ reducere gestiebat, mentem suam interdum fatigaret; directo in Galliam nuncio Germanum cujus supra meminimus & alios timore Domini præditos viros fecit venire ad se, ipsorum videlicet ope ac religiositate illorum cupiens irreligiositatem corrigere. Itaque Germanus ad Pontificem veniens, honorificè susceptus est. Erat enim bene religiosus, sacris literis & piis studiis apprime imbutus.

Venerant prætereà ad Beatum Oswaldum ante ejus adventum nonnulli ex Anglorum prosapiâ nati, sacro ipsius magisterio se subdentes, & eum sibi patrem ac rectorem in viâ quæ ducit ad vitam constituentes. Inter hos fuit quidam Ednothus nomine, qui gradu sacerdotii functus ob sagacitatem & industriam suam Senior ab aliis cognominabatur. Collecti itaque fratres duodenarii numeri summam complent, quos pater Oswaldus, ut juxta sancti propositi normam Domino Christo die noctuque servirent, in villâ sui Pontificatus

ficatûs quæ Westberi dicitur collocavit: instituens eis præfatum Germanum præpositum & institutorem, necnon delegans ex suis quæ illis sufficerent ad eorum sustentationem. Degebant igitur illo in loco servorum Dei per omnia & in omnibus vitam agentes; quorum studiis sanctus vir eximiè delectatus eos frequenter visitare, eis monita salutis æternæ ministrare, eos consolari, inter eos conversari, & divinis operibus, hymnis, psalmis, jejuniis, vigiliis & orationibus, sanctis quoque meditationibus solebat operam dare, seque ab exterioribus curis ac sæcularibus negotiis per internam mentis quietem magnificè recreare.

His ita dispositis, festum Dominicæ Resurrectionis instabat; & ad Regis curiam totius regni Nobilitas convolabat. Adunati Principes lætos dies agunt valdeque solennes. Jam solutâ curiâ in sua quique redibant; & ecce de regiis militibus unus dives ac potens morti subactus plangebatur à pluribus. Hujus exequiis pius interfuit pater Oswaldus, qui & ipse curiam inter primos Angliæ Proceres venerat, Regi acceptus firmâque ejus amicitiâ fretus. Hunc Ægelwinus quidam de potentioribus Regni ducibus modesto incessu, demisso vultu funus sequentem atque psallentem attendens, in amicitiam illius evectus est. Antehac enim auditis probis ac mansuetis moribus ejus, quos magistrâ virtute comparatos induerat, magni eum præ se jamdudum habebat; & in hoc animum composuerat, ut si qua in re voluntati ejus obsequi posset, libens id ageret. Quam voluntatem ejus quibusdam indiciis vir Dei intelligens, inter alia quæ cum eo de verâ Dei ac proximi dilectione locutus est, innotuit illi se quosdam Monachos in Episcopatu suo religiosè viventes habere, sed locum in quo degebant illorum conversationi nimiæ strictitudinis esse; præsertim cum pene cotidie in numerum eorum quidam currerent, quos eo quòd Dominum quærebant repellendos nullo modo judicabat. Et subjunxit, "Velle igitur, si religioni tuæ molestum non est, quatinus si "aliquem locum sub tuâ dominatione Monachorum habitationi accommodum habes, eum aut solius animæ tuæ obtentu aut alicujus muneris interventu mihi concedas; quatinus inibi Monasterium construam, & per memoratos fratres Monachorum conversationem de auctore illic constituam. "Magnum enim quiddam est ante Deum vita Monachi, & imitandum omni Christiano homini. Quicunque enim in hac vitâ ad vitam tendere & "mortis laqueos cupit devitare, profectò id nullo pacto efficere prævalet, nisi vita sua vitæ Monachorum quadam dispensatione concordet. Vita namque Monachi, quæ verè vita Monachi est, cuncta admittit quæ docet. Perfectio Christiana cuncta dimittit, quæ à Christi vestigiis eadem perfectio "judicat esse profana. Quapropter si nos cùm possimus, supersedemus Monachos in suo proposito multiplicare; aut eorum religioni invidere, aut "eam non amare vel sequi nolle convinci poterimus. Sed hæc à nobis procul arceat omnipotens Deus. Quare, fili charissime, nulla te sæcularis "ambitio teneat, quæ te ab institutione & adjumento Monachicæ religionis "impediat. Nam sicut ad æternam vitam quis optat pervenire, ita debet "conari & alios secum ad eandem perducere. Illum quippe illic major honor & gloria suscipiet, qui majus lucrum hîc de aliorum salute Christo "adquirit. Gaudio ex his Dux ipse repletus, dicta comi vultu suscipit, & responsum ita paucis absolvit: "Fundus mihi est Rameseia dictus, aquis & "paludibus circumcinctus, talium hominum quales memoras conversationi "ut æstimo congruus, in quo etiam tres viri nunc mansitant sanctæ religionis "amore ferventes, & sub regulâ Beati Benedicti vitam ducere, si doctorem "haberent, magnopere gestientes. Hunc locum, si tibi placet, eamus inspicere; & si visus fuerit rei de qua loqueris aptus existere; demus operam, "ut in opere Dei cœlesti fiat habitatione præclarus.

Hæc

Hæc vir Domini mirâ cordis alacritate amplectens, ac deinde comitatus ipso Duce ad locum usque perveniens, ubi advertit eum habitationi Monachorum accommodum, gratias Deo, gratias quoque egit venerabili viro qui illum perduxit eó. Institit itaque cupito operi citiùs imponere manus, verens ne si bonum propositum differretur, aliqua postmodum maligni hostis versutiâ præpediretur; quod & viro consulendo suggessit, ac ut opem suâ ingenuitate operi ferret studiosus admonuit. Quid plura? Credit consilio, adquiescit admonitioni; conducuntur operarii, instatur operi, laboratur, & fretum tam multiplicibus rerum impensis sanctissimi patris quàm & ejus instantissimis orationibus mirâ celeritate opus perficitur. Post dies sub immensâ frequentiâ populi, divitum scilicet mediocrum minusque habentium perfecta Ecclesia sub patrocinio Beati Benedicti Deo solenniter dedicatur; & de Monachis qui apud Westberiam morabantur, idem locus instituitur; & in brevi alii & alii illuc colliguntur, ad quorum victum atque vestitum necnon ad Dei servitium celebrandum plurimæ terrarum possessiones, plurimæ diversorum ornamentorum donationes loco eidem ab utroque collatæ sunt. Facta est igitur decens & habilis Monachorum habitatio. Hinc præposito adunatis fratribus Eadnotho, cujus supra meminimus, viro prudenti & religioso, qui & Lincolniæ Ecclesiæ postea Pontifex fuit, ipse Wigornam revertitur, & inter suas oves eis & sibi superintendens bonus pastor conversatur.

Per id temporis ex sanctione & authoritate Johannis apostolicæ sedis Antistitis Beatus Dunstanus Archiepiscopus Cantuariæ & Primas totius Britanniæ, cujus paulò superius mentionem fecimus, coacto generali Concilio statuit, & statuendo decretum confirmavit; videlicet ut Canonici omnes, Presbyteri omnes, Diaconi & Subdiaconi omnes aut castè viverent, aut Ecclesias quas tenebant unà cum rebus ad eas pertinentibus perderent. Habebat autem Regem Edgarum in hoc negotio fidelem fautorem, constantem adjutorem, firmum defensorem. Qui Rex ipsius patris consilio utens, curam exequendi decreti hujus super totum Regnum duobus viris injunxit, Oswaldo scilicet Episcopo Wigornensi & Athelwoldo Wintoniensi. Quod illi zelo domûs Dei succensi, & divinitatis amore subnixi, & insuper prædictâ auctoritate muniti, strenuissimè sunt executi. Nam ut de aliis taceam, Beatus Oswaldus septem Monasteria in suâ Diœcesi regulari disciplinâ, ejectis Clericis fœminarum consortium Ecclesiis anteponentibus, instituit; delegato eis super ea quæ Ecclesiæ prius habebant tanto ex munificentiâ Regis & aliorum Principum regni subsidio rerum, ut cohabitantibus sufficeret ad victum atque vestitum. Wincelcumbensi vero Monasterio, quod de septem unum erat, supra memoratum * Germanum in Abbatem ordinavit; & aliis singulis singulos in religione probatos Abbates præposuit. De quibus quidam Folberhtus nomine Perscorensi Ecclesiæ, quæ una de septem Abbatiis est, in Abbatem prælatus est, vir moribus gravis & serventissimus cultor Monachicæ institutionis, sed in subditos quod valde in eo reprehendebatur nimiæ & indiscretæ severitatis. Is ad

* Refert Monachus Ramesiensis Germanum ortu Wintoniensem fuisse, Oswaldi in Cœnobio Floriacensi commonachum, dein Priorem Westbiriæ *ad docendum subditos Monasticæ institutionis normam.* (Eadnothus Senior interim ad *gerendam exteriorum sollicitudinem Præpositus institutus fuit*) mox Priorem Ramesiæ, postremò Abbatem Winchecumbæ. Ad Winchecumbam translato Eadnothus in Prioratu Ramesiensi successit. Qui postquam Prioratum annis 22. gessisset; post mortem Ailwini fundatoris anno 993. Abbas electus est, ad Episcopatum Dorcestrensem translatus anno 1008. in Prælio Essendunensi occisus anno 1016. Ista de Eadnotho habet Registrum Ramesiense in Monastico Tom. 1. p. 240.

extrema perductus, & huic vitæ subductus, atque in feretro mortuorum more locatus, recepto spiritu trepidantibus cunctis erexit se. Igitur fugientibus aliis, præfatus Germanus accessit sciscitans quò vel à quo ductus sit, quid viderit, quid illi contigerit, & ob quid reversus sit. At ille se à Beato Benedicto in visionem Dei perductum fuisse, & Deum sua peccata meritis dilectoris sui Oswaldi sibi indulsisse, atque ad intimandam sanctitatem ipsius patris se revixisse respondit. Rursus quænam forma, qui habitus, quis patris Benedicti comitatus extiterit, percunctatus, habitum gemmarum nitore præfulgidum, formam ejus ultra humanam æstimationem decoram, comitatum innumeris candidatorum millibus Monachorum & speciosissimarum Sanctimonialium respondit esse compositum. Quo dicto conticuit, & accepto viatico Dominici corporis dimidium diem supervixit, itaque vitam obitu iterato finivit.

Post hæc in aliis Angliæ partibus ad parochiam suam nil pertinentibus insignes Ecclesias ob præfixam causam Clericis evacuavit & eas memoratâ auctoritate subnixus viris Monasticæ institutionis sullimavit. Sunt autem hæ, Ecclesia pretiosi martyris Christi Albani, Ecclesia sanctæ Ætheldrithæ virginis in Heli, & illa quæ apud Beamfletam constituta honorabilis habebatur. Prælati quoque & istis per eum sunt singuli patres, Ælfricus scilicet, quem Ecclesia Cantuariensis pastorem postmodum habuit, Albanensi; Brihtnothus Heliensi, Beamflytensi Godemannus. Cœnobium verò Ramesiense, ut descripsimus, ejus instinctu & operatione à fundamentis ædificatum est. Aucta est ergo per Angliam observantia disciplinæ regularis in tantum; ut quadraginta octo Monasteria partim viris, partim fœminis stabilirentur per hos viros, Dunstanum videlicet Archiepiscopum Cantuariensem, Oswaldum Pontificem Wigornensem, & Athelwoldum Episcopum Wintoniensem.

Iis autem quæ Beatus Oswaldus ædificaverat, de aliis enim scribere à proposito nostro remotum est, ipse magnâ semper curâ & sollicitudine invigilabat; ne Diabolus, qui sicut leo circumit quærens quem devoret, ullum fratrem à professionis suæ normâ deviantem inveniret quem devoraret. Unde & eadem Monasteria circumire, ac in singulis prout noverat expedire, morari consueverat; verbo simul & opere fratribus quæ saluti cujusque utilia fore advertere poterat paterno affectu subministrans. Super hæc nonnullis Ecclesiis, quibus ipse non eo quo superioribus modo intendebat, tam disciplinæ regularis quàm & grammaticæ liberaliumque artium magistros postulatus dirigebat, qui aut in Galliis docti ac per eum in Angliam ducti, aut certè suâ sagacitate in Monasteriis suis imbuti, sapientes & præclari habebantur. Inter quos quidam Floriacensis Monachus erat Abbo vocatus, morum sanctitate præclarus, ac literarum tam sæcularium quàm divinarum scientiâ apprime instructus. Hunc pater Oswaldus posuit in Cœnobio Ramesiensi Monachos docere, scholas regere, & quibuscunque valeret cùm in disciplinâ regularium tum in scientiâ literali prodesse. Quod & fecit. Hinc ergo processit; ut cum religionis augmento liberales artes, quæ priùs ob diversos casus in neglectum per Angliam venerant, quaquaversum patris Oswaldi industriâ & sollicitudine eventilatæ multipliciter pullularent. Præfatus verò Abbo ob multam sui dignitatem Beato quoque Dunstano familiaris valde extitit; ejusque instinctu & dispositione passionem Beati Edmundi gloriosissimi Regis Anglorum stili officio posterorum memoriæ tradidit. Post hæc & alia innumera bona, quæ in Anglia fecerat, ad Monasterium suum Floriacum reversus, Abbas in eo factus est; & postea Martyrii palmâ à Deo pro justitiâ coronatus.

Beatus autem Oswaldus ubi se correctioni * Clericorum Wigornensium intromittere aggressus est; ipsi advertentes in quas, quantum suos mores attinebat, eos angustias vellet detrudere, statim verbis ejus aditum sui cordis occluserunt, nec ea sensum suum penetrare ullâ ratione passi sunt. Qua de re sumpto à patre Dunstano cujus consueverat inniti prudenti consilio, annuente jam sæpe memorato glorioso Rege Edgaro, Monasterium infra ipsam sedem Episcopalem construere cœpit; in quo quibuscum conversaretur Monachos adunaret. Et jam maceries operis altius levata profecerat. Non longè verò ab opere suo quidam lapis quadrus jacebat ad operis fabricam omnino aptus ac necessarius. Ad hunc pro jussu Pontificis suo loco movendum & in structuram templi componendum artifices, qui sufficere æstimati sunt, accesserunt. At dum illum, qui quasi radicitus terræ hæreret, nullo conatu vel leviter movere valerent; adjuncti sunt eis alii & alii viri, qui pari modo ad pondus lapidis nihil virium habere sunt deprehensi. Stupor ingens occupat omnes. Mandatur de negotio patri Oswaldo, qui tunc aberat; & rogatur quantocius veniat considerare quidnam monstri res ipsa prætendat. Adest, & multitudinem circa prædicti lapidis motum casso labore sudantem aspiciens, miratus est. Et attonitus stans, Deumque silentio deprecans, aspexit in lapide illo Ethiopem quendam sedere & obscœnis nutibus laborantes subsannando deridere. Itaque vir Domini statim contra Dæmonem signum sanctæ crucis intorsit; & illum è vestigio territum sibi fugâ consulere compulit. At lapis, quem octoginta viri ante movere nequibant, à paucis hominibus facillime statim levatus est, & in opere collocatus. Populus qui ad hoc spectandum undique fluxerat, considerans rei gestæ potentem virtutem, Deo super mirabilibus suis immensas gratias retulit; patrem quoque suum atque Pontificem eximiâ laude prædicavere, intelligentes veraciter esse amicum Dei, ad cujus nutum tam inerti pavore percussus tremens disparuit adversarius Dei.

Perfectam Ecclesiam ipse in honore sanctæ & perpetuæ Virginis Dei genitricis Mariæ dedicavit; ibique ut proposuerat Monachos in sanctâ conversatione Christo servituros congregavit. Clerici ergo in sede Episcopali, quæ sub nomine gloriosi Apostolorum Principis Petri fundata antiquitus fuerat, conveniebant; & Monachi in novâ Ecclesiâ sub patrocinio Sanctæ Mariæ unà degebant. At plebs nunc istam nunc illam Ecclesiam vicissim aliquandiu frequentabat: Sed post dies admirantes & admirando venerantes Monachorum religiositatem, paulatim se Clericorum collegio cœperunt absentare, & servitio Dei quod Monachi faciebant præsentes adesse; propterea quòd quemadmodum sibi ratio mentis suæ dicebat, decentius & Deo dignius servitio Clericorum fiebat. Unde & factum est, ut sicut plebis mutatio ab unâ Ecclesiâ in aliam facta est, ita & plebis oblatio mutata sit. Dum igitur in eo quod illi perdunt, isti lucrantur; in quo illi deficiunt, isti multiplicantur. Quid

* *In tempore illo Ecclesia Wigorniæ juxta veterum institutionem pro Monachis Canonicos Sæculares habebat*: inquit Monachus Ramesiensis cap. 7. Eàdem, quam refert Eadmerus, arte Canonicos loco suo amotos, Malmsburiensis tradit. Alii tamen Historici vim adhibitam subinnuunt. Sic Florentius & Monachus Ramesiensis. Certè Oswaldi molimina Edgarus Rex authoritate sua summopere fovit: qua de re extat ejusdem Charta Concil. Angl. Tom. 1. p. 432. & Oratio ibid. p. 476. Primus omnium Oswaldus Canonicis Sæcularibus ejectis Monachos Ecclesiis Cathedralibus introduxit. Quamobrem lex de ejiciendis Clericis uxoratis antiquitus vocata est *Oswaldes-Law*. Factum id ab Oswaldo in Ecclesia Wigorniensi anno 969. teste Florentio; qui Winsinum Monachis recenter introductis loco Decani præfectum addit. Non alius is à Wensino proximè memorato fuit. Eundem Priorem vocat Monachus Ramesiensis: Præpositum Edgari Charta.

moror?

moror? Qui major natu & honorabilior inter Clericos habebatur, Wensinus nomine, abjectis sæcularibus cunctis se & omnia sua factus Monachus Monachis largitus est Super quo famulus Dei mirè lætatus eum elapso brevi tempore studiis cœlestibus pleniter erudiendum Ramesiam dirigit. & eruditum inde reducens adunatis Monachis Wigornæ morum præceptorem constituit. Quem enim in Clericatu juxta mores antiquos semper amatorem honesti sciebat, hunc nihilo minus in Monachatu fautorem & executorem fore honesti spe certâ sibi promittebat. Unde nec f lsus est. Bonum quippe, quod pater de eo sperabat, ipse magnopere in bonis actibus accumulabat. Quæ omnia Clericorum nonnulli attendentes, & mente compuncti, consilium contra Deum non esse perpendentes, spreto sæculo, spretâ omni pompâ sæculari, jugo se Christi subjiciunt; & inter Monachos, quos paulo ante nimiùm execrabantur, Monachi fiunt. Audires ad hæc quamplurimos hominum stupendo cantare. O verè mutatio dextræ Excelsi! hoc itaque modo à Beato Petro in matrem Domini Salvatoris, à Clericis in Monachos translata est sedes Pontificalis honoris.

His ita sese habentibus, præfatus Eboracæ civitatis Antistes vitæ præsenti adimitur; & gravis exinde mœror Anglorum populis procreatur. Fama igitur obitus ejus agili lapsu discurrens regias pertingit ad aures, nec Beati Dunstani notitiam segniùs attigit. Volens autem idem pater pro suo officio viduatæ Ecclesiæ consultum ire, Regem petit; & consilium, quod salubrius sibi de substituendo pastore occurrit, Regi proponit. Prædicat dignitatem venerabilis viri Oswaldi, quo videlicet quantoque parente nobilitatus, qua religione à puero institutus, quibus virtutum prærogativis fuerit insignitus. Super hæc quàm strenuè Cathedram Pontificalem, cui eo usque præsidebat, gubernârit, edisserit; ac per hoc quo jure merito debeat celsiorem ascendere, pandit, probat, asserit. Placent Regi quæ feruntur, quodque Dunstanus de Oswaldo fieri laudat; velit solummodo clerus & populus Eboracensis; vult, suadet, oratur, jubet ut fiat. Rogatur voluntas illorum, & voce consonâ simul omnes respondent unum velle se illum præ cæteris sibi præfici concrepant, & id ruptâ omni morâ fiat magnis postulationibus instant. Nec mora. Vir ascitus advenit; sed petentibus suscipere regimen viduatæ Ecclesiæ non statim annuit. Intonat vox populi; ut dubio procul attestareris Scripturæ vocem populi vocem esse Dei. Par caritas, sententia concors, una voluntas populi in bono fuit; & Deus pacis, qui inhabitare facit unanimes in domo, quique est inter duos vel tres congregatos in nomine suo, non faveret rei cui tanta multitudo favebat, nec sentiret quod sentiebat, nec vellet quod volebatur? Nolebat planè, sed esto, quod Deus fieri vult fiat necesse est. Vult autem quod secundùm se volunt fideles sui Alioquin bene possent velle sine illo; & veritas non esset veredica, quæ dicit [a] *nihil sine se quenquam posse.* At secundum se voluerunt fideles sui sanctum Oswaldum fieri Pontificem Eboraci: quùm igitur hoc ipsum Deus voluit ut fieret, necesse omnimodis fuit; quapropter adquievit ille Deo, adquiescendo voluntati servorum Dei.

[a] Joan. XV. 5.

Factus igitur Archiepiscopus * Eboracensis, Romam pergit, Pallium Ec-

* Oswaldum Oskitello immediatè successisse Eadmerus, Florentius, & Malmsburiensis tradunt. Adelwoldum tamen interponunt Thomas Stubbs & Simeon Dunelm. Adelwoldo dignitatem abrenunciante successit Oswaldus anno 972. Isto enim anno Archiepiscopatum Eboracensem illum obtinuisse narrant Ingulphus, Wigorniensis, Hovedenus, & Dunelmensis in lib. de gest. Reg. Angl. Eodem anno mense Septembri obiit Johannes Papa; à quo Pallium Oswaldo datum Eadmerus scribit. Dunelmensis igitur lapsus, qui (in Epistola de Pontif. Ebor. Pallium à Benedicto Johannis Successore donatum vult. Certè falsus Thomas Stubbs, qui Stephano Papæ id acceptum refert.

clesiæ suæ debitum ab Apostolicâ sede requisiturus, plurimaque negotia Regni prout ei Rex sibi delegaverat cum ipso tractaturus. Hinc patriam egressus, transito mari transitis terris periculorum diversitatibus plenis Romam pervenit, Romana mœnia subit. Inde Johanni Apostolico præsentatus, voti compos efficitur. Denique suscepto Pallio quod petebat, functis quoque responsis regiæ legationis quam ferebat, honorificè à Papâ dimissus Angliam revertitur; reversus à Principe regni ac regno gloriosè recipitur. Post quæ reddito Regi legationis suæ responso, & ipso quòd in omnibus prudenter egisset sullimi præconio à cunctis prædicato, magnâ Regis benevolentiâ fretus ad sedem suam Eboracensem vadit. Ubi egregio cum honore susceptus, cum jubilo plebis, cum sonoris Clericorum concentibus, cathedram est Archiepiscopalem indeptus. Quo facto non quasi rudis & inscius, sed ut verè emeritus ac perspicax pastor ovium Dei, die illâ confluentem multitudinem tam documento vitæ manentis quàm alimento vitæ labentis copiosiùs pavit. Exin tractans secum illud Sapientis quia [b] *cui plus committitur, plus ab eo exigitur*; omni horâ sollicitè curabat ita sibi commissa dispensando tractare & tractando dispensare, ut nihil à se in futuro quod detrimentum sibi gigneret exigeretur, sed quod beatâ remuneratione donaretur. Quamobrem idem qui fuit in visitatione Monasteriorum quæ instituerat, semper extitit, idem in consolatione fratrum inibi degentium præstitit, idem in sustentatione illorum omniumque suâ ope indigentium mansit. In nullo igitur sanctitatis opere defectum passus est propter onus sacerdotale; sed aut idem qui fuerat præstitit, aut seipso sullimior in hujusmodi opere factus ad videndum Deum Deorum in Syon aciem suæ mentis indeficienti contemplatione dirigebat.

[b] Luc. XII. 48.

Hic igitur quamvis Eboracensi Pontificatu sullimatus extiterit, curam tamen Episcopatûs Wigornensis non amisit. Si quidem Beatus Dunstanus, quem sollicitudo omnium Ecclesiarum in Britanniâ constitutarum respiciebat, verens ne Monachi in ipsâ Wigornâ per eum tunc noviter instituti aliquâ ultra quàm ferre valerent temptatione concuterentur, si pastorali curâ destituti non haberent quo munirentur, præcepit ei ex auctoritate summi Pastoris, quatinus eâ qua solebat diligentiâ illis intenderet, quoad personam tantæ rei idoneam Deo monstrante illi substituere possit.

Post hæc instabant dies Rogationum; & servus Dei Oswaldus sumpto itinere Rameseiam * petit, visitare scilicet & consolari fratres, quos ut supra meminimus jamdudum ibi posuerat. Adest, & Monachi pro more nominatorum dierum procedunt ad Ecclesiam Beatæ Mariæ, quæ ob interjacentem paludem non nisi longo circuitu per siccum adiri valebat. Ubi celebratâ Missâ & à Pontifice solenni peracto prædicationis officio, Monachi longitudinem viæ qua venerant compendio mutare volentes, navem ascendunt, ad Monasterium per fluvium qui interfluit redituri. Verùm dum major numerus hominum in navem fugeret, quàm navis ferre valeret, onerata nimis mergi cœpit. Turbantur in navi consistentes, & mori metuunt. Exclamant opem

* Monasterium Ramesiense bis ab Oswaldo visitatum memorat Registrum Ramesiense (in Monastico Tom. 1. p. 240.) Primùm anno 972. die Decollationis S. Johannis, quando Monachos duodecim Westberienses secum adductos inibi collocavit. Dein anno 974. quando unà cum Dunstano Ecclesiam Ramesiensem dedicavit. Factum id anno 974. 6. Id. Novembris, Oswaldum comitante non Dunstano sed Alfnotho Dorcacestrensi Episcopo juxta Monachum Ramesiensem (apud Mabillon. Sæc. V. p. 742.) Idem etiam primam Oswaldi visitationem memorat; ante annum autem 972. contigisse innuit. Demum anno 991. Oswaldus Ecclesiam Ramesiensem ab Ethelwino comite reædificatam iterum consecravit. 6. Id Novembr. feria 3. authore Florentio.

Beati

Beati Benedicti ac sui patris Oswaldi afferre sibi postulantes. Nam ipse pater in ripâ fluminis adhuc stans, iis qui secum erant utilia quædam ac necessaria disponebat: ut autem auribus ejus clamor insonuit, stupore attonitus, mox illuc lumina flexit; & videns filios suos in mortis periculo positos, cor ad Deum, dextram tetendit ad illos. Quo signo beatæ crucis edito, ilico navis ab aquarum profunditate emergens, quasi nihil oneris ferret in ulteriorem fluminis ripam prosperrimo lapsu cum omnibus quæ portabat evecta est. Magno timori securitas magna succedit; ac pro re quæ acciderat, Dei laus ex corde omnium & ore procedit.

Dein aliquanto tempore ibi, ut suæ consuetudinis erat, inter Monachos degens, ædificationi vitæ illorum diebus ac noctibus intendebat. Et ecce nuncius quidam à Monachis Heliensibus directus adveniens, innotuit unum ex illis de maceriâ Ecclesiæ præcipitatum subitâ morte occubuisse. Ad quod Oswaldus vehementi mœrore dejectus, noverat enim hominem non usquequaque vitam duxisse fœlicem, confestim quod debuit officium ei caritatis impendit. Etenim Monachis sub uno vocatis pandit eventum rei, subjungendo preces quibus exhortando perorat quatinus pro animâ defuncti Dominum studiosiùs orent. Parent illi monitis ejus; & pro æternâ salute fratris instant vigiliis, instant psalmis, instant lachrimis, pulsantes ad januam misericordiæ mundi Redemptoris. Super hæc quoque singulis diebus offertur pro eo id quod his omnibus antecellit, illud scilicet sacrificium laudis, quod in arâ crucis Filius Dei obtulit patri suo pro nobis. Quæ dum fiunt, unâ noctium Pontifici in oratione Christo apud Eboracam intendenti defunctus idem visibiliter apparuit; à quo percunctatus quis esset, illum se pro quo & ipse per se & alii per ipsum Deum interpellabant esse respondit. At ille suspirans: qualiter, inquit, frater tibi fuit vel qualiter nunc est? Hactenus, ait, valde male, nunc autem valde bene. Tuis quippe meritis & precibus à pœnis quibus cruciabar per Angelum suum me die hesternâ eripuit Deus. Quod & tibi insinuando veni gratias agere; quo adverteres, licèt id optime scias, quàm gratiosus pro hoc & aliis jure debeas Deo existere. His dictis non comparuit. Vir autem Domini magno gaudio ad ista repletus, benedixit Deum super ineffabili misericordiâ ejus. Facto manè, quid factum sit, quid viderit, quid audierit, suis retulit. Dehinc exultans & gaudens in Spiritu Sancto, pro re quæ contigerat gratias egit Deo patri per oblationem corporis & sanguinis dilectissimi filii sui, in quo solo sicut ipse testatur bene complacet sibi. Mandavit etiam hoc ipsum filiis suis, Monachis videlicet Ramesiensibus simul & Wigornensibus; & quòd pro animæ fratris absolutione pio Deo grates exolverent, monuit & hortatus est: Quod ipsi diligenti studio executi sunt.

Præterea Diœcesim suam opportunis temporibus peragrans, quicquid edi-scere poterat in moribus suorum oculos summi Dei offendere, paternâ castigatione corripere atque corrigere satagebat. Hæc agentem contigit vice quadam venisse Rhipum, ubi Beatus quondam Wilfridus nobile construxerat templum, in quo ipse mundo sublatus scitur fuisse sepultus. Hoc templum ante tempus Beati Oswaldi barbarorum irruptioni patuit; qui illud magnâ ex parte dirutum, non ministeriis divinis sed latibulis ferinis fecerunt accommodum. Hujus templi conseptum vir Dei subintrans, noctu pervigil in orationibus inibi mansit. Illic ergo divinâ revelatione lustratus, didicit ipso loco Sanctorum corpora condita esse; quæ investigans cum nominibus singulorum dubio procul inveniret. Facto mane suos convocat; quid noctu acceperit, eis enarrat. Ad audita cuncti exultant. Igitur ad jussum Pontificis semirutæ Ecclesiæ pavimentum effoditur; promissus thesaurus sanctâ curiositate investigatur. Sanctorum corpora cum tabulâ hæc continente reperiuntur. HIC REQUIESCIT SANCTUS WILFREDUS ANTISTES EBORACENSIS, ET

REVERENDI

REVERENDI ABBATES TYLBERTUS, BOTWINUS, ALBERTUS, SIGREDUS ATQUE WILDENGUS. Ex his servus Dei omnipotentis gaudens hilarisque effectus, repertas Reliquias loco interim apto collocavit; Postmodum verò ad corpus Sancti Wilfredi feretro convenienter aptato, illud in eo magnâ cum reverentiâ condidit, utpote quem magno Wilfredo fundatori videlicet loci ipsius consanguinitate junctum noverat; quem in regimen Ecclesiæ Eboracensis, sicut Venerabilis Beda prope finem historiæ gentis Anglorum refert, ei successisse sciebat; quemque uti nominis ejus consortem, ita & vitæ morumque hæredem fuisse acceperat. Corpus * siquidem illius majoris Wilfredi, quod semotum ab aliis per se in eminenti loco in ipsâ Ecclesiâ tumbam habuerat, quam & epitaphium ut idem Beda in eâdem Historiâ narrat digniter decoraverat, à glorioso Cantuariorum Antistite Odone, cujus in initio hujus opusculi paucis meminimus, translatum Cantuariam fuerat: quemadmodum ipsemet in prologo Vitæ ipsius Wilfredi, quæ per eum heroico metro composita est, attestatur ita scribens: *Igitur venerabilissimas beati Confessoris Christi Wilfridi reliquias indecenti sentinosæ voraginis situ marcidas, nimiâ quod dictu quoque meticulosum est, Prælatorum horripilatione neglectas, cùm inde favente Deo scilicet à loco sepulchri ejus quidam transtulissent; reverenter excepi, atque intra ambitum Metropolitanæ cui gratiâ Dei præsideo Ecclesiæ collocavi: præsertim cogente illo Evangelistæ testimonio, meo videlicet apologetico,* [a] *quia ubicunque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ. Itaque tantæ tamque Deo dignæ affinitatis delectatus vicinitate, & editiore eas entheçâ decusare, & excerptis de libro Vitæ ejus flosculis novo opere pretium duxi carmine venustare.* Levatis ergo reliquiis, & convenienter ut dixi locatis, aliud ab illo quod fecerat primo par omnimodis & æquale Beatus Oswaldus feretrum fabricavit, ipsumque à se consecratum Wigornam destinavit. In cujus consecratione rogatus ad quarumnam Reliquiarum conditionem illud apparet, hoc se ad honorem Dei respondit composuisse, & illi cujusnam reliquiæ forent in eo condendæ notissimum esse. Servatum est itaque Wigornæ feretrum idem; ac reliquiæ ipsius admirandi patris Oswaldi à terrâ post multos annos levatæ magno cum honore sunt in eo collocatæ.

[a] Luc. XVII. 37.

His ita dictis, cœptæ narrationi insistamus. Diffusa igitur sanctitatis fama Sancti Oswaldi eò prodiit; ut languoribus variis pressi ei de longinquo id ipsum mandarent, sibi ab illo subventum iri nullo modo diffidentes. Nec fallebantur. Verbi gratiâ vir quidam potens Regi Edgaro ex ministerio, quo ei deservire solebat, notus erat. Hic validâ infirmitate corporis tactus, per nuncium viro Dei se oppidò infirmari simpliciter insinuavit. At ille benedicens panem eique transmittens, ut plenâ fide recuperandæ sanitatis inde comederet jussit. Fecit ille quod præcepit; nec unius horæ spatium priùs transiit, quàm se degustato pane meliùs habuisse percepit. Alio tempore dum idem famulus Dei in multitudine suorum apud Eboracam pransurus consedisset, jamque panem suâ sacratissimâ manu signatum considentibus distribuisset; fortè micas decidentes sorex superveniens avido simul & pavido morsu colligere cœpit. Qui dum in medium nullo eum deterrente prodisset, succubuit, nec usque progredi valuit. Benedicti etenim panis reliquias famelicus vorans, nec quod devoraverat ullatenus evomere quibat, & suffocatur subito.

* Historiam translationis Reliquiarum Wilfridi Senioris Eadmerus fusiùs narravit in Vita illius, quæ inter Acta Benedictin. extat, Sæc. III. p. 226. Ex Eadmero Gervasius in Chronico p. 1291. Acriter è contra contendebant Eboracenses corpus Wilfridi Junioris non Senioris ab Odone translatum fuisse. De qua controversia vide Malmsburiensem de gest. Pontif. Angl. f. 153. & Tom. 1. hujus Collectionis p. 66. Prologum autem Odonis ab Eadmero citatum superius habes p. 50.

Remansit

Remanſit itaque mortuus. Quod factum ne ſuæ laudi quivis aſcriberet, exanimem beſtiam à conſpectibus intuentium abjici vir providentiſſimus juſſit. Denique animadvertit nonnullos inter ſe inde loqui, & rem ultra quàm ſibi cordi eſſet extollendo admirari. Et mihi quidem duo hæc, quæ de pane ſignato proximè facta retulimus, conſideranti nec alienum ab admiratione eſſe perpendo, hoc ſcilicet irrationale animal præcipitâſſe de vitâ in mortem, quod animal rationale ſullevavit à morte in vitam. Profectò natura panis eadem in illo quæ in iſto fuit ; & quemadmodum homo pane, ſic & ſorex alitur pane. Quòd igitur homini vitalis, ſorici factus eſt exitialis; nec ſubſtantiam panis, ſed meritum reſpicit ſanctiſſimi Patris ; qui ubique & in cunctis parvus & humilis extans in oculis ſuis, magnus erat in oculis Dei atque ſullimis. Quod inter alia eo probabatur ; quia ne dicam illi, ſed quod minus eſt locis quibus per vices inſiſtere ſolebat, ſuâ Deus protectione & correptione, ne ab indignis occuparentur, intendebat.

Sed forte non credetur iis, quæ dicimus ; ſi ea declarans exemplum non ſubjicimus. Frater quidam erat profeſſione & habitu Monachus nomine Ægelricus. Hic laxatis balneo membris, cùm feſſis quieſcere opus haberet; locus quietis, væ miſero, is primus occurrit, quem venerandus Præſul Oſwaldus ſedere frequentiùs morem habebat. Non ergo veritus ſanctitatem loci, quam fuerat ex aſſiduitate Pontificis nactus, in eo ſeſe dejecit, ſomno inibi ac dulci quiete velut ſibi pollicebatur fruiturus. Et jam quieſcentem lenis ſopor involvit ; ſed abſque morâ eum ab ipsâ quiete irruens Dæmonum multitudo atrociter evolvit. Aſtant quippe illi plures teterrimi ſpiritus, & ab eo diſtrictâ examinatione perquirunt, quænam illius mentem dementia ceperit, quæ ſibi ut ſe in loco tanti Pontificis collocaret ſurripere potuit. Ad quod rationem quam pro ſui excuſatione proferret nullam habentem, invadunt, torquent, laniant, hac & illac trahunt, ab imo ſurſum rapientes, de ſurſum ad ima dejicientes. Quid miſer ageret ? Sciebat ubi erat ; nec ſe tantâ anguſtiâ involutum vel loco avellere, vel ad ſubveniendum quenquam poterat interpellare. Tandem tamen violento conatu erupit in vocem, & horrido clamore infremuit. Qui circa erant ex abrupto dormientis ſono perterriti accurrunt, vociferantem pulſant, pulſantes excitant, excitatum quid dormiens paſſus ſit diligenter interrogant. At ipſe pavens ac pallens, quo caſu quid fecerit, quid aut à quibus audierit, quid pertulerit, ex ordine pandit. Ad quorumcunque ergo notitiam iſtud perlatum eſt, non ſoli viro ſed & iis quæ ſuâ intererant deinceps honorem ac reverentiam per omnia deferebant. De quibus licèt plurima ſcribere fortaſſe poſſemus; tamen ne cui tædio ſimus, illa omittimus ; intendentes videlicet brevitati, qua nos ſcripturos fore decrevimus.

Itaque ad ſacrum ipſius tranſitum ſtili officium convertamus, & opus quod paucis huc uſque protraximus, ſuo ſicut Deus conceſſerit fini ſubdamus. Referre etenim qualiter pater ipſe Oſwaldus Rameſeiam poſtremò reliquerit, quantis lachrimarum imbribus, præſagis ut autumo illum ampliùs eo non rediturum, à fratribus dimiſſus ſit, forſitan conjectando quis poſſit, certe autem rei veritate neminem pronuncio poſſe. Diſcedentem verò non modo Monachi quos illic adunaverat, ſed & plebs hinc inde ſub uno coacta deducunt ; ſinguli ſe illius ſanctitati commendantes, ſibi ab illo benedici ſupplici devotione flagitantes. Diſceſſum autem illius ſubſecutus eſt in ipſâ Eccleſiâ terribilis fragor ; qui tertiò intonans audientes nimio pavore concuſſit, ſagaces animos illum non multò pòſt ſæculo adimendum & ex hoc pleroſque gravi tumultui ſubdendos edocuit, præmonuit, præmunivit. Denique nonnulli noſſe volentes, unde qui audiebatur ſonus prodierit, è domibus prodeunt, & in Eccleſiam pervenientes, omnia ſana, omnia integra, omnia ſuis in locis ſolito conſiſtentia mirantes inveniunt. Jam quod aliquibus per viſum fuit oſtenſum,

ostensum, ruinam videlicet duarum turrium factam fuisse, prætermitto; ne si dixero illarum turrium casus Beati Oswaldi & præfati Ducis Æthelwini præsignâsse in * mortem occasus; æstimer mihi futurorum scientiam, quam non habeo, ex iis quæ facta scio jure deridendus arrogasse. Illo igitur ut diximus prætermisso, nos gloriosum patrem Oswaldum jam proximè cœlos petiturum descripturos suâ prece rogamus idem Pater tueatur & adjuvet

Ut igitur famulus Christi Oswaldus Rameseiam liquit, Wigornam adiit. Spiritus quippe caritatis, qui in eo circa Wigornenses per gratiam suam semper ferventior erat, eâ re illuc eum non injuriâ creditur adduxisse; quia noverat illum eò potiori æternæ vitæ præmio debere remunerari, quò in majori veræ caritatis affectu huic vitæ decedentem contingeret inveniri. Mansit itaque ibi quamdiu in corpore mansit, diebus ac noctibus Deo intendens, & iter suum eundi ad Deum toto conamine purum ab omni obstaculo faciens. Ob quæ labore & insuper senio fessus, languore corripitur gravi; per quem se intellexit aliàs de istâ vitâ vocari. Aderant sacri Quadragesimæ dies, dies scilicet in quibus diversis modis diluitur quod in aliis anni diebus variâ Dæmonum illusione delinquitur; seu bono, quod alio tempore exercetur, diligentiori studio invigilatur. In usu habebat idem Antistes singulis diebus præter alios, quos quotidie innumeros alebat, duodecim pauperum pedes abluere, deosculando crine ac lintheo tergere, manibus aquam fundere, denarios præbere, & ipsis appositâ mensâ cibum & potum sufficienter ministrare, eosque in Pascha vestibus novis indutos per aliquot dies ipsius festivitatis in curiâ suâ honorifice secum habere. Nulla eum infirmitas corporalis ab istis retardabat; sed quo se corpore sentiebat debiliorem, eo sibi ad serviendum eis ingessit vim validiorem. Et jam Dei regnum ascendere cupidus, die quodam oratorium, quo continuè in Dei servitio tenebatur, cum suis egreditur; & sub aere stans acies oculorum cœlo intentissimè fixit; Christum ad quem anhelabat pio corde & ore intentiùs orans. Nec erecta lumina, ut fit, citò deflexit; sed quasi aliquod novi ac delectabile contemplaretur, ubi ea defixerat diutissimè fixa tenebat. Unde præsentes admodum admirati, quid tanto opere intueretur, sciscitati sunt. Quibus ipse ait: Considero quò tendo. Quapropter filii sustinete, quæso, quatinus juxta quod mihi conceditur prægustem gaudia quæ expecto. Attamen quod percunctamini, si quid sibi velit nosse vultis, cras vobis & me tacente res ipsa notabit. Salus enim æterna, pro qua hucusque laboravi in terrâ, instat; nec ante transibit crastina dies, quàm me in eam Dominus meus sicut est pollicitus introducat. Dixit; & unde fuerat egressus, in oratorium reversus est.

Convocatis deinde fratribus, hortatur eos impendere sibi ministerium sacræ inunctionis cum viatico Dominici Corporis, quod juxta ritum Ecclesiasticæ institutionis debetur Christianis de hac vitâ transituris. Quo illi audito in gemitus & lachrimas erumpunt, non illius gloriæ perenni ad quam properabat invidentes, sed cùm paternæ pietati qua privabantur pios affectus impendentes, tum suam desolationem quam tanto patre orbati se passuros non dubitabant amarè deflentes. Exhibent tamen illi quod petebat; & grandi mœ-

* Oswaldus Ethelwino præsente Ecclesiam Ramesiensem denuo consecravit anno *991. 6.* Id. Novembr. quod ex Florentio & Monacho Ramesiensi colligitur. Obiit Ethelwinus anno *992.* 8. Cal. Maii; quod ex eisdem constat. Oswaldus eodem anno pridie Cal. Martii defunctus est. In id utrique consentiunt. Florentius autem id feriâ secundâ, Ramesiensis Dominicâ tertiâ Quadragesimæ contigisse tradit. Rectiùs Florentius.

rore consternati, sequentem noctem per multa sæcula si fieri possit optabant protelari. In qua nocte ipse Pater, ac si languoris quo tenebatur oblitus, horam nocturnæ vigiliæ præveniens, prout suæ consuetudinis jugiter esse solebat, Ecclesiam petit; ibique noctis officium explens, residuum spatii quod diem usque tendebatur divinis laudibus pro more pervigil expendit. Et tali quidem modo nocte illâ suis dimensionibus terminatâ, fratribus illuxit metuenda dies, in qua te Reverende Pater Oswalde susciperet fœlix & nullo claudenda termino quies. Hac etenim die percantato Psalterio, quod singulis diebus cum floribus inde acceptis decantare solitus erat, unicum redemptionis humanæ sacrificium coram se Deo Patri fecit offerri. Cujus dein participatione refectus, obitum suum quem instare sciebat, ejus invictâ virtute munivit. Ac demum totius diei officio in honorem Dei percelebrato, quasi convaluisset de infirmitate, surrexit; & Monachis nequicquam insistentibus ut suæ parceret imbecillitati, solito more lintheo præcinctus pedes pauperum lavit, & osculans eos crine lintheoque detersit. Quibus lotis & quindecim graduum Psalmis, quos inter ipsum ministerium psallere semper moris habebat, percantatis, subjunxit *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Ad quod cum pauperes ei assurrexissent, ac solitas grates exolvissent; ipse dicendo *Spiritui Sancto* sanctam est resolutus in mortem, emittens spiritum suum ante pauperum pedes in manus Christi, cui in ipsis pauperibus ipse ministrârat. Ipso enim teste [b] sibi fit, quod uni ex minimis suis fit. Transiens itaque à Christo susceptus est; quatinus juxta verbum illius illic esset ubi & ille. O verè ministerium fœlix; quod sui executorem sub tantâ celeritate regni Dei fecit hæredem. Et tu O Beatissime Pater non minùs immo multo excellentiùs fœlix; qui functus ministerio, ipso eodem momento, quo illud fideliter peregisti, in gaudium Domini tui, cui servisti, fœlici præmio remuneratus fœlicissimus introisti. Illa gloria, qua coronaris, innuit tuis quantum possis sibi prodesse ante Deum, si dignaris. Et quidem, inclyte Pater, fœlix fuit vita tua, fœlix fuit & mors tua. Atque utinam sentiant in se alumni tui, quòd sit fœlix memoria tua, sibique salubris atque benefica quam ad te habent humilis devotio sua.

[b] Matth. XXV. 40.

Itaque Fratres patrem suum jam defunctum cognoscentes, accurrunt & complosis manibus lugubres ejulatus emittunt. Inter quos tamen trepidi ac gementes exanime corpus accipiunt, cilicio sternunt, abluunt, sacerdotalibus uti moris est vestibus induunt. Perciperes ad hæc pietatis officia, quàm pio affectu vivens Pastor à suis ovibus diligebatur; cum in extinctu procederet tantæ caritatis ostensio, ut nullus illi putaretur satis honoris detulisse, qui non lachrimantibus oculis manibus ejus ac pedibus devota oscula impressisset. Hinc superpositus feretro, fertur ad Ecclesiam Beatissimæ Virginis Virginum, quam sicut supra memini à fundamento ipse construxit. Et ecce dum in sublimi gestaretur; ac præcedentibus iis, qui sonoris concentibus Deo laudes & preces offerebant, subsequente autem populo, qui amissum Pastorem una cum Monachis miserandâ voce plangebant; apparuit gloria Dei, quæ doctas mentes docuit intelligere meritum mortui. Viderunt etenim, qui convenerant, niveam columbam de superis venientem expansis alis lento volatu protegere corpus Antistitis. Igneam quoque sphæram ad scuti teretis instar unà cœlo delapsam super feretrum intuebantur. Et admirantes unum & aliud signum, rogant ut qui non adverterent intueantur. Insonat clamor hinc & inde; fitque diruptio vocum laudationis divinæ: laus autem ipsa quo magis dirumpitur, magis augetur; rumpitur in canoris vocibus, augetur in jubilo cordis. Jubilant namque Deo pro gratiâ, quam in tantâ multitudine monstrare in patre suo dignatus est; per columbam videlicet ostendens simplicitatem & innocentiam pectoris ejus, per igneam sphæram fervens studium quo præditus erat in dilectione Dei & proximi, animus ejus. Interim

 venerabile

venerabile corpus oratorio infertur, cœptæ protectionis præfati ignis atque columbæ continuatione comitatum. At ipso deposito coram altari, visio quæ apparuit in australem Ecclesiæ plagam prope altare divertit, quasi locum designans corporis sepeliendi. Quo facto intuentium oculis cœlum remeans elapsa est.

Fama igitur obitûs ejus circumquaque perlabitur; & illo die ac nocte subsequente quibus à sepulturâ corpus suspenditur, undique parvi ac magni utriusque sexûs homines advolant; eorumque clamores suspiriis atque lamentis permixti aera complent. Hos inter acerbior fletus Monachos & inopes cruciabat; hos quia pastorem, patrem & advocatum, illos quia se in eo perdidisse adverterant totius vitæ subsidium, spem & consolationem. Fit igitur luctus omnium inæstimabilis, & adunata multitudo innumerabilis. Qua circumstante seseque super invicem comprimente, sepeliuntur sacratissimi Præsulis artus in præfatâ nobilissimæ Virginis æde, loco videlicet divinitus pridem designato. Post hæc annunciatur Depositio ejus his & illis, id est vel quos regendos sub pastorali curâ susceperat, vel quos à sæculari conversatione abstractos qualiter Deum in Monachico habitu sequerentur instruxerat. Unde ex dulcedine recordationis ejus cunctis, qui intelligebant se fuisse filios ejus, indicitur luctus communis. Ubi autem sæpe memoratus Æthelwinus dux rescivit gloriosum Oswaldum huic vitæ modum imposuisse; præ nimiâ angustiâ cordis infirmitas corporis, quæ illum tunc fortè premebat, in tantum convaluit; ut post modicum temporis sancto fine quiescens universæ carnis viam intraret, sepultus in Ecclesiâ quam in Rameseiâ ipse & Pater Oswaldus de suo fabricarant.

Transit autem venerandus Deoque dilectus Antistes Oswaldus ab hac vitâ ad vitam æternam II. Kalendarum Martii, transactis ab Episcopatu, quo primo functus erat, triginta vel amplius annis: Conditumque est venerabile corpus illius, uti prædiximus, Wigornæ in Ecclesiâ gloriosissimæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ. Sanè ut gratia Christi designet mortalibus Oswaldum mundo mortuum sibi vivere; qui eum non quasi penitus mortuum requirunt, verè viventis & ante se multum valentis indicia in eo reperiunt. Quod ut evidentibus probemus argumentis, quæ per eum post mortem suam facta & ad nostram notitiam sunt perlata, paucis subnectere rati sumus. Sed ne judicemur de percipiendis indigni, si invenimur de perceptis ingrati; pro iis quibus scribendis animum dedimus, & jam effectum prout Deus dedit nacti sumus, sit ipsi omnipotenti Deo, Patri, Filio & Spiritui Sancto laus & gratiarum actio per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

Explicit Vita Beati Oswaldi Archiepiscopi & Confessoris.

VITA

VITA S. DUNSTANI, ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS, AUTHORE EADMERO.

Incipit Prologus in Vitam Sancti Dunstani, Archiepiscopi & Confessoris.

QUia Deum in Sanctis suis mirabilem propheticâ voce laudare jubemur; eum in iis quæ in Sancto Dunstano primæ Metropolis Anglorum Pontifice mirabiliter operari dignatus est, quorumdam simplicium in bono fratrum non contemnendæ voluntati obtemperantes, usitato more loquendi stili officio laudare decrevimus; scriptis quæ alio quodam elocutionis genere ipsa gesta commemorant sapientum considerationi relictis. Cui ut licet insipiens adquiescerem, me nonnihil illexerunt eadem scripta, eò quòd in quibusdam nonnullis modum usitatæ narrationis excessisse videntur. Adductus etiam in hoc sum quorumdam calumniis, qui frequenter questi sunt & conqueri non desistunt Auctorem * ipsorum scriptorum vulgatæ rerum historiæ non omnimodis concordâsse. Quod non quidem in Miraculis, quæ de ipso patre scripta sunt, ei surrepsisse confitemur. De quibus verbi gratiâ est quod scribit Episcopatum Wigornensem, cùm ad eum Pater Dunstanus electus & consecratus est, fuisse in honore beatæ matris Dei Mariæ; cùm revera fuerit in honorem gloriosi Apostolorum Principis Petri. Et quod refert secundum Edwardum Martyrem ex sanctimoniali

* Author is Vitæ Dunstani, cujus errores Eadmerus perstringit, nec Bridferthus fuit nec Osbernus. Ille enim neque de Ecclesiâ Wigorniensi Beatæ Virgini dicatâ, nec de Edwardi Regis matre mentionem intulit. Iste quidem Ecclesiam Wigorniensem B. Virgini sacratam fuisse refert; de Edwardi autem matre nil habet. Alium igitur ab Eadmero subinnui Authorem puto; quem Osbernus in Præfatione suâ res gestas Dunstani stilo festivo pariter & bene ordinato conscripsisse tradit. Hujus enim scripta quamvis incendio Cant. Ecclesiæ anno 1070. conflagraverint, in Anglicum tamen Sermonem translata superfuisse idem Osbernus perhibet. Osberni quidem librum Eadmero neque notum fuisse constat. Ipse autem Osbernus omnia antiquiorum de rebus Dunstani gestis scripta perlegerat; eundemque Tinmuthensis passim describere solet in Historiâ suâ MS. lib. 21. in qua prolixam satis Dunstani Vitam dedit.

fœminâ natum, cùm proculdubio conſtet eum ex legitimâ conjuge procreatum: & alia quædam in hunc modum. Quorum omnium puram veritatem rogatus ab amicis meis tanto ſtudio inveſtigare ſollicitus fui; ut quaque per Angliam, ubi talium ſtudia vigere ſciebam & ipſemet ire non poteram, pro hoc ipſo me mittere non pigeret: omnino videlicet deteſtandum exiſtimans à rerum limite exorbitantia veritatem noſſe volentibus dicto vel ſcripto ſubminiſtrare. Unde ne quis me quâvis arrogantiâ vel invidiâ ductum judicet iſtis ſcribendis manum impoſuiſſe; fateor teſtimonium mihi perhibente conſcientiâ meâ in ipsâ veritate, à qua Chriſtianum deviare non licet, quia niſi me humanæ mentis cæcitas fallat, nil in hac parte quæ dixi vitia valuere, ſed ſolus amor veri, quo tantum Patrem & præſentibus & ſecuturis omni ſepoſitâ ambiguitate commendare cupiebam. Nec in his meo ſenſu uſus ſum, ſed firmâ & cui non credere nefarium eſſe credebam patrum auctoritate ſubnixus; quos mihi quondam atteſtatos fuiſſe recordor ſe res ipſas juxta quod eas deſcribimus certo relatu eorum qui optimè illas noverant cognoviſſe. Horum unum Ægelredum ſcilicet, qui Subprioris & Cantoris officium in Eccleſiâ Cantuarienſi ſtrenuiſſimè per multum temporis adminiſtrabat, quique poſtmodum ob religioſam prudentiam & prudentem religioſitatem ſuam Wigornenſi Eccleſiæ ſub Beatæ memoriæ Wulſtano Epiſcopo prælatus erat, & multis qui adhuc ſuperſunt notiſſimus fuerat, ne nudis ſolummodo verbis agere judicer, omiſſis aliis proponere cordi fuit. Hic Ægelrico Ciceſtrenſi Epiſcopo homini magnarum rerum peritiâ prædito antehac diu adhæſerat, & ab eo multa de Beato Dunſtano, cui penè contemporaneus fuit, didicerat; quæ ille ab iis qui intereſſe meruerunt ſe accepiſſe fatebatur. Sunt ſuper hæc Scripta veterum ſimpliciori ſtilo digeſta, & Chronicorum abbreviatæ notationes; iiſque ſcribimus atteſtantes. De iis autem quæ poſt ſacratiſſimum tranſitum ejus per eum facta ſignificamus, quædam ex literarum monumentis, quædam ex propriorum ſenſuum approbationibus, quædam ex veridicorum virorum allegationibus, qui ea partim viſu, partim auditu, partim experimento in ſeipſis didicerunt, omni remotâ ſcrupuloſitate cognovimus. Si quis igitur hæc legere dignabitur vel audire; ita quæſo legat vel audiat, ut conſcientiæ meæ ſimplicitati non deroget. Nam ea non detrahere ſtudioſis ſed parvitati meæ meorumque ſimilium condeſcendere ſcientibus atque paratis pro captu meo deſcripta eſſe pronuncio. Non itaque ſe illis quæ ſcribimus inaniter occupet, cui quod petimus in mente non ſedet.

Explicit Prologus.

Incipit

Incipit Vita Beati DUNSTANI Cantuarienſis Archiepiſcopi & Confeſſoris.

BEatus ergo Dunſtanus ex nobiliſſimâ gentis Anglorum proſapiâ originem ducens, eo nobiliùs in hujus mundi latitudinem prodiit, quo ſub materni ſinûs ipſo adhuc anguſtiâ clauſo divino miraculo deſignatum eſt præclarum mundo per eum lumen oriturum. Cùm etenim mater ejus eo gravida ſpe prolis futuræ lætaretur; dies Purificationis beatæ Matris Dei feſtivus illuxit. Multitudo igitur utriuſque ſexûs hominum pro excellentiâ tantæ feſtivitatis circumquaque coacta fluxit ad Eccleſiam, quæ antiquitus Glaſtoniæ de lignis ædificata in honorem erat ejuſdem Dei Genitricis conſecrata. In qua multitudine multos nobilitate dignitateque præcellens pater Sancti Dunſtani Herſtanus nomine cum Chynedrithâ matre ejus ad Dei ſervitium properabat; ambo cereos quos pro ritu ipſius diei Deo offerrent deferentes. Jam Miſſæ officium celebrari cœperat, &c. *Proſequitur Hiſtoriam Eadmerus ſtilo uberi. Res geſtas eodem, quo Osbernus, narrat ordine; eadem eodemque loco refert miracula, ſtilo tamen longè alio. Simplicem & hiſtoricum Eadmerus adhibet, Osbernus magis affectatum & quaſi declamatorium. Ex rerum & ordinis convenientiâ conjici poterit utrumque Dunſtani geſta ex eodem fonte, Anglicâ ſc. Hiſtoriâ, potiſſimùm hauſiſſe. Ne inutili igitur repetitione Lectorem gravemus, Eadmeri omnia prætermittenda duximus, niſi quæ aliorum narrationes aut corrigant aut egregiè illuſtrent: Præfati ſolummodo notas in margine Codicis antiquitus appoſitas Edredi Regis obitum anno* 955. *Edwii* 958. *reponere.*

Exin deſuncto Epiſcopo Lundonienſi, quæſitum quis in Epiſcopatum dignè ſuccedere poſſet. Et cùm in hoc aliquantum temporis expenderetur, nec perſona decens & idonea reperiretur; tandem electio omnium ſuper Dunſtanum verſa eſt; & ipſe Pontificatum prædictæ Eccleſiæ ſuſcipere communi cunctorum acclamatione coactus eſt. Utraque igitur Eccleſia, Wigornenſis videlicet & Lundonienſis, eo Præſule gloriabatur; quandoquidem ſummâ neceſſitate compulſus utriuſque Pontifex per nonnullum temporis ſpatium erat; utrique ſollicitudinis ſuæ curam impendens, utramque intus & extra ſuâ defenſione contra omnes æmulos muniens, in utrâque officium Pontificale opportuno tempore ſedulus exequens. En viſio, quam ſupra deſcripſimus, in gladiis Apoſtolorum partim impleta eſt; cùm in Epiſcopatu Lundonienſi, qui ex nomine beatiſſimi Apoſtoli Pauli celebris habetur, Dunſtanus confirmatus eſt. Profectò namque gladium ipſius Apoſtoli ipſi Eccleſiæ prælatus accepit; quia verbum Dei morem illius ſecutus ſubditorum cordibus excellenter infudit; & poteſtate, qua ille in virtute Domini Chriſti gloriatus eſt, ipſe ad terrendos impios, ad demulcendum pios circumquaque uſus eſt. Quod & in Eccleſiâ Wigornenſi ſtrenuus egit, quam in gladio Beati Petri regendam ſuſcepit. Siquidem Epiſcopatus idem per id temporis in honorem ipſius glorioſi Apoſtoli fundatus habebatur. Sed Oſwaldus vir Sanctus & religioſus, quem in regimen ipſius Eccleſiæ beatus Dunſtanus Antiſtes Cantuarienſis effectus ſibi ſuccedere fecit, quia Clericos ibi degentes nec à pravitate ſuâ convertere, nec inde eò, quòd nobiles juxta ſæculum atque potentes erant, quibat eliminare, conſtruxit penè contiguam ipſi Eccleſiæ Eccleſiam beatæ Dei genitrici Mariæ; in qua ipſe cum Monachis, quos ſe propoſuerat adunaturum, Chriſto ſerviret. Quod & factum eſt. Religio itaque Monachorum contemptum Clericis peperit, & vulgi conventum ab eis alienatum ſibi aſſiduum fecit.

fecit. Quid plura? Numerus Clericorum passim minuitur; Monachorum conventus indies augetur. Quidam insuper ex ipsis Clericis conversi numero illorum additi sunt. Hoc modo Sedes Pontificalis mutata est in Ecclesiam Beatæ Mariæ semper Virginis.

Memorato Odone Archiepiscopo Cantuariorum ad perennis vitæ gaudia translato, immensum omnibus Anglorum Ecclesiis luctum suus transitus intulit, & innumeros populos acerbo mœrore percussit. Postulatus Dunstanus Odoni in Patriarchatum sedis Anglorum succedere abnegat; suscepti regiminis onus satis grave sibi ad portandum, ne dum majus superaddatur, esse protestans. Unde Ælfsinus Wentanæ urbis Antistes per regni Principes, quorum alios re præsentium alios spe munerum futurorum ad hoc sibi fautores effecerat, Archiepiscopatum Rege annuente obtinuit. Qui post aliquot adeptæ dignitatis dies Romam pro Archiepiscopatûs stolâ petens, in Alpibus nimiâ frigoris asperitate correptus ultimum flatum ibidem emisit. Post quem substitutus est in summum Ecclesiæ Dorobernensis Pontificatum Birhtelmus Dorsatensis populi Præsul, vir totus ex mansuetudine, humilitate & modestiâ factus. Verùm ubi compertum est nihil in corrigendis vitiis, nihil in exercendis ecclesiasticis disciplinis, nihil denique virtutis seu constantiæ in eo esse ad tuendos bonos vel coercendos malos, ad Ecclesiam suam jussus rediit. Et ita Sedes Cantuariensis à Pontifice aliquantis diebus vacua sedit.

Itaque unanimis omnium electio Dunstanum inclamitat, illum solum se nosse vociferans, quem tanta sedes dignum valeret habere rectorem; præsertim cùm à primævo ætatis flore vitæ sanctitas, morum gravitas, & cui nemo contrairet eum perlustraverit invicta, constans & sequenda autoritas. Hac ergo Dunstanus acclamatione quasi voce verè divinâ constrictus primatem totius Britanniæ sedem regendam suscepit; & eam immensâ omnium adjacentium Ecclesiarum ac populorum exultatione & gloriâ deductus ascendit. Post hæc temporis opportunitate acceptâ beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli limina petiit; & eum summæ Sedis Pontifex magno sinceræ dilectionis affectu illò venientem excepit: secumque postea familiariùs agens, & agendo templum Sancti Spiritûs esse indubitanter agnoscens, magnificè illum honoravit, ac stolâ sui Apostolatûs pro qua venerat decentissimè decoravit. Sicque delegatâ ei legatione Apostolicæ Sedis genti Anglorum pastorem ac salutis eorum provisorem destinavit. Itaque vir Dei Româ reversus, & in Patriarchatum primæ sedis Britanniarum receptus, in ipsum mundi Principem quasi gigas surrexit, & armaturam verbi Dei à dextris & à sinistris constanti virtute in eum vibrare, & membra ejus circumquaque debellare, prosternere cœpit & enervare.

Inter hæc visionem, quam sibi in oblatione apostolicæ armaturæ dudum apparuisse descripsimus, mente revolvens, & eam jam in administratione regiminis duarum Ecclesiarum Wigornensis videlicet & Lundoniensis firmè impletam conspiciens, dicendum existimo per quid Archiepiscopatus Cantuariensis, qui hos dignitate præcedit & in quo ipse excellentiùs sedit, ei præsignatus sit. Nimirum per verbum Dei, quod scriptum suscepit in gladio Beatissimi Petri; secundùm quod illud Rex Edredus exposuit, quando ei visionem ipsam ipse Dunstanus ut prædiximus retulit. Sicque gladius Petri Ecclesiam Petri, & verbum Dei Ecclesiam verbi Dei quæ Cantuariæ sita est, significavit. Exin videtur rationis dicere, quid gladius Beati Andreæ cum cæteris oblatus prætenderit; quandoquidem ipse in nullâ Ecclesiâ quæ sub nomine ipsius Apostoli consecrata sit, sicut in prædictis tribus Ecclesiis sederit. Quod quidem quantum attinet ad nos Anglos, quibus quid hoc sit luce clariùs patet, superfluum reor dicto commemorare vel scripto. Propter externos tamen, si fortè aliquando aliquo casu ista inter eos ceciderint, breviter dico; illum meritò cum gladio Petri verbo Dei inscripto gladium suscepisse Andreæ.

dreæ. Nam qui Ecclesiæ Cantuariensi per Pontificatum præsidet, Rosensi Ecclesiæ quæ sub patrocinio Beati Andreæ subsistit per Episcopi institutionem, per horum & horum intus & extra cùm res exigit dispositionem, utpote suo dominio præsidet.

Quis igitur in cunctis quæ religioni competunt Dunstanus fuerit, videlicet cujus virtutis ad omnes omnium personarum injustitias deprimendas, ad bona quæque opera fovenda & munienda extiterit ; usque hodie tota Anglia canit ; nec opus esse arbitror, ut me in illis scribendis fatiget grandis labor. Nonnulla tamen, quæ ab illis qui ex ejus tempore usque ad nos per successus ætatum fluxere, accepimus, compendioso relatu subjiciam ; quatinus inde percipiatur veritas verborum quæ proposuimus. Comes quidam præpotens cognatam suam illicito sibi matrimonio copulaverat ; & à Dunstano semel, secundo & tertio redargutus, incestum suum divortio expiare nolebat. Quapropter gladio Spiritûs Sancti à viro Dei percussus, à liminibus est sanctæ Ecclesiæ separatus. Qui typo attactus superbiæ Regem adit ; Dunstanum immoderatæ & impiæ severitatis accusat ; regiâ sanctione se ab ejus tyrannide liberum constitui querelosâ voce precatur & obsecrat. Cujus verbis Rex adquiescens, Dunstano mandat ; ut hominem cum eâ quam duxerat in pace manere sinat, & à quibus suspenderat liminibus sacris ipsum restituat. Miratur ille ad audita ; & dolet religiosum Regem per mendacem hominis linguam ante rei inquisitionem & examinationem esse seductum. Ponit tamen hominem ad rationem ; & tam pro commisso crimine quàm & propter injustam sui criminationem apud Principem terræ factam paulo duriùs increpat, cupiens eo modo ad pœnitentiam & correctionem cor illius emollire. At ubi vidit ipsum non solùm verbis suis non consentire, sed insuper contumaci spiritu contra se furere minarique, supra id quòd eum ab ingressu domus Dei suspenderat, ut dixi, omnem ei communionem fidelium donec à suâ pravitate discederet interdixit. Tunc ille seipso deterior effectus, immani est furore correptus ; Et nihil eorum quæ possidebat alicujus momenti reputans, ad hoc solum se totum studebat impendere ; ut Dunstano excitaret scandalum, & Christianæ legis jugum, quo à suâ libidine coercebatur, sibi faceret alienum. Legatos itaque suos Romam destinat ; & talibus assueta quorundam Romanorum corda & ora in suam causam largo munere largiori sponsione permutat. Quid deinde ? Præsul Apostolicæ Sedis Dunstano peccatori homini condescendere verbis ac litteris mandat, & eum Ecclesiæ gremio integrè conciliare monet, hortatur, imperat. Ad quæ Dunstanus ita respondit : " Equidem cùm illum de quo " agitur, sui delicti pœnitudinem gerere videro ; præceptis Domini Papæ li- " bens parebo. Sed ut ipse in peccato suo jaceat, & immunis ab Ecclesia- " sticâ disciplinâ nobis insultet, & exinde gaudeat ; nolit Deus. Avertat " etiam Deus à me ; ut ego causâ alicujus mortalis hominis vel prò redem- " ptione capitis mei postponam legem, quam servandam statuit in suâ Eccle- " siâ idem Dominus meus Christus filius Dei. Hæc sibi relata ille audiens, & Dunstanum ab iis quæ certò diceret inflexibilem esse certissimè sciens, excommunicationis suæ pœnâ cùm hominum pudore constrictus tum timore periculorum quæ talibus nonnunquam accidere solent perterritus, obstinatiam suæ mentis deposuit ; & abdicato illicito conjugio, pœnitentiæ sibi cultum imposuit. Dunstano namque generale totius regni Concilium de observantiâ Christianitatis celebrante, ipse suimet oblitus, nudis pedibus, laneis indumentis corpus amictus, virgas manu ferens, Concilio sese medium ingessit ; & ante pedes Dunstani gemebundus & ejulans corruit. Quo viso moti sunt omnes qui aderant ad pietatem ; & ipse pater omnium majori præ cæteris pietate motus est. In vultu tamen servato disciplinæ rigore, utpote hominem pleniter Deo reconciliare desiderans, lacrimas ejus ad horam severus sustinuit ; ac demum à toto Concilio postulatus, lacrimans & ipse culpam indulsit.

Itaque

Itaque ab excommunicationis vinculo absolutum communioni fidelium gaudentibus cunctis eum restituit.

Alio tempore monetarii tres, qui in potestate viri erant, cum falsâ monetâ capti ad subeundam pœnam hujusmodi hominibus per totum regnum promulgatam sunt judicati. Quæ res Dunstano abscondi non potuit. Die ergo Pentecostes idem pater Missarum solennia celebraturus percunctatur, utrùm Dei populo statuta justitia de ipsis monetariis facta fuerit annon? Respondetur eam ob reverentiam tanti diei in alium diem esse dilatam. Nequaquam, inquit, ita fiet. Monetarii nempe, qui falsos ex industriâ denarios faciunt, fures sunt; & eorum furto nullum nocentius esse cognosco. Nam in falsâ monetâ quam faciunt totam terram spoliant, seducunt, perturbant. Ipsi divites, ipsi mediocres, ipsi pauperes in commune lædunt; & omnes quantum sua interest aut in opprobrium aut in egestatem aut in nihilum redigunt. Quapropter noveritis, quia ego hodie ad sacrificandum Deo non accedam; nisi primò illi qui deprehensi sunt, eam quam in seductione totius populi promeruerunt subierint pœnam. Si enim in ultione tanti mali cùm negotium me respiciat Deum placare supersedeo; quomodo illum de manibus meis sacrificium suscepturum sperare queo. Sed hæc licèt crudelitati possint ascribi, Deo tamen patet intentio mea. Lacrimæ, gemitus atque suspiria viduarum ac pupillorum, clamor quoque vulgi totius mihi incumbit, & correctionem hujus mali deposcit. Quorum afflictionem, si quantum in me est mitigare non intendo; & Deum qui gemitibus eorum compatitur, nimis offendo, & alios ad idem malum exercendum promptiores & audaciores facio. Dixerat, & pro pœnâ illorum qui manus erant perdituri pietate motus, lacrimis manat; ut satis esset videre de quo fonte procedebat edictum, quod nonnullis videbatur crudele. Ubi verò audivit præstitutam justitiam factam; surrexit, ac lotâ facie ad oratorium exhilarato vultu abiens ait: Quia Deum obediendo statutis justitiæ legibus audivi hodie, confido quòd & ipse per misericordiam suam sacrificium de manu meâ suscipiet hodie. Cujus confidentiæ effectu privatus non est. Eo quippe inter sacrosancta Missarum solennia sacras manus extendente, & Deum patrem omnipotentem ut Ecclesiam suam Catholicam pacificare, custodire, adunare & regere dignaretur toto orbe terrarum interpellante, nivea columba multis intuentibus de cœlo descendit; & donec sacrificium consumptum esset, super caput ejus expansis & quasi immotis alis sub silentio mansit. Inter hæc quid animi gereret servus Dei? Quo amore, qua dulcedine, quo desiderio putas in Deo pascebatur; qui ex præsenti gratiâ Dei tali visitatione fovebatur? Consumpto sacrificio, columba eadem in australem altaris partem declinavit, & super tumbam Beati Odonis, cujus supra mentionem fecimus, se reclinavit, alis suis illam hinc inde complexans, & quasi rostro deosculans. Quod Beatus Dunstanus intuens, & exinde meritum jacentis appendens, in tantâ eum deinceps reverentiâ habuit; ut quoties coram sepulchro illius transibat, genua flecteret. Cognomine quoque Boni in maternâ linguâ post hæc eum semper nominare consuevit, videlicet Odo Segode, quod Latinè sonat Odo Bonus. Quo cognomine ex eo tempore usque ad hanc nostram ætatem solet ab Anglis, maximè tamen à Cantuaritis, nuncupari. Percantatâ Missâ Dunstanus ab altari digreditur. Ministris autem ejus pro signo, quod acciderat, his & illis innuentibus, & alios ex fratribus ministerio Pontificis affuturos suspicantibus, ipsi se in diversa tollunt, ac virum adhuc immensis ex præsentiâ gratiæ Dei lacrimarum imbribus madentem solum relinquunt. Et ecce dum casulam, qua inter sacra vestiebatur, deponeret, nec ullus adesset qui eam susciperet; disponente Deo suspensa pependit in aere; ne cadens in terram servum Dei à suâ turbaret intentione.

* Per

Per id ferme temporis rogatus à quodam viro nobili & religioso, dedicavit ei Ecclesiam, quam ipse in suo fundo construxerat. Ubi ad ministerium aquâ deficiente, & ob hoc hominem nonnullâ mœstitudine corripiente, famulus Dei præmissâ prece terram baculo percussit; ilicoque fons limpidissimus erumpens omnes qui præsentes erant non modicùm lætificavit. Qui fons usque hodie manans Dunstani nomen & meritum celebre facit. Idem pater à Cantuariâ in remotiores villas suas opportunis spatiis hospitia sua disponens, apud Magaveldam, sicut & in aliis hospitiorum suorum locis, ligneam Ecclesiam fabricavit. Quam ipsemet dedicans, dum ex more circumiret & eam ad æquinoctialem solis ortum minimè versam perciperet; fertur quòd transiens humero suo illam aliquantulum pressit, moxque mutatam à proprio statu in medium Orientis tramitem pro voto convertit. Quod ipsum facilè potuisse efficere nemo ambigit, nisi qui verbis Domini Christi, quibus fidem sicut granum sinapis habentibus promittit quòd etiam montem dicto transferant, incredulus existit. Inter hujusmodi opera Dunstanus Deum semper in mente habere, Deo quicquid boni faciebat non sibi ascribere, magnum humilitatis minimum elationis cor per omnia & in omnibus possidere.

Cùm autem à sæcularium negotiorum occupationibus ei quies arridebat; modò contemplationi divinæ & orationibus incumbebat, modo sacrarum Scripturarum lectioni & earum expositionibus intendebat. Modò fratrum exhortationi seu librorum emendationi sedulus operam impendebat. In compunctione verò lacrimarum tantâ gratiâ præditus erat; ut quoties eum sacris altaribus sisti vel aliquo officio pontificali fungi conspiceres; Spiritûs Sancti fervore mentem ejus accendi, & quæ ille exteriùs administrabat ipsum interiùs operari per indices ex oculis illius decurrentes lacrimas non dubitares. Hæc inter sibi & successoribus suis competentia tam infra muros urbis quàm & in quibusque villis ad Archiepiscopatum pertinentibus ædificia constitui, vel constituta si qua ex parte diruta essent renovari faciebat: Se scilicet in istis non modò sibi sed & multorum utilitati natum vivereque perpendens. Præterea cunctarum Ecclesiarum totius Britanniæ adjacentiumque Insularum sollicitudinem strenuus gerebat; & earum causas, quæ ad eum sicut ad Primatem & Patriarcham quotidie ferebantur, disponebat. Et quia vigilanti studio Domino Christo per omnia famulabatur; sæpe supernorum civium gaudiis atque concentibus, ad quos anxiè suspirabat, miscebatur, aliquando corpore vigilans, aliquando sancto sopore quiescens. Quodque fortassis non minùs stupeas, per visum quædam à beatis spiritibus didicit, quæ ipse postea in servitio Dei canenda suos edocuit. *Sequitur Historia Visionis de matre suâ cuidam Regi potentissimo desponsata: quam supra habes in Osberno,* p. 114.

Alio quodam tempore Rex in die Dominicâ manè venatum ivit; & Dunstanum, qui tunc fortè secum erat, Missam suam donec rediret differre petivit. Appropinquante igitur horâ tertiâ, vir Dei ad Ecclesiam procedit; & indutus sacris vestibus, Regem sicut ei promiserat expectabat. Stabat ergo cubitis innixus altari, orationi ac lacrimis deditus. Tum subito sopore leniter pressus, in cœlum rapitur; & beatis Angelorum agminibus associatus, audit eos summæ Trinitati in laudem modulatis vocibus decantantes atque dicentes, *Kyrie eleyson, Kyrie eleyson, Kyrie eleyson*. Quorum melodiam cœlestium contemplatur edoctus, ad se reversus est. Et conversus ad suos interrogat, Rexne venerit annon. At ubi eum nondum venisse accepit; ad suas preces sese convertit. Factoque non grandi intervallo, iterum extra se ductus audivit in cœlis altisonâ voce dici; *Ite, missa est.* Ad quod cùm *Deo gratias* responderetur; accurrentes Clerici Regis Regem adesse vociferantur; sacerdotem ut festinantiùs Missam celebret obsecrant. At ille versus ab altari, Missam se habere pronuntiat; & aliam se eâ die celebraturum abnegat. Depositisque vestibus sacris, à suis de re inquiritur; quod latebat, aperitur.

aperitur. Ex hoc itaque ſumpto ſermone Regem in diebus Dominicis deinceps à venatu prohibuit. *Kyrie eleyſon*, verò quod in cœleſtibus didicit, ſuos docuit; idque multis in locis hodie ſancta Eccleſia inter Miſſarum ſolennia canit.

Moris erat viro loca ſancta, quando Cantuariæ morabatur, uno tantùm fideli ſocio comitatus noctu peragrare; & ſe inibi per compunctionem & contritionem cordis Deo mactare. Quadam igitur vice ad Monaſterium beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in quo beatus Auguſtinus & alii nonnulli de patribus Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis tumulati ſunt, ex more circa mediæ noctis ſilentia perrexit; ibique Deo ſe diutiùs in oratione proſtravit. Egreſſus verò ad oratorium Beatæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, quod in orientali ipſius Monaſterii parte ſitum fuerat, eadem facturus divertit. Cui appropinquans, audivit intus voces pſallentium atque dicentium: *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti; & quia pro ejus amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideo cum Chriſto gaudebunt in æternum.* Ad hæc ille ſtupefactus, aſtitit oſtio; ac per rimas illius introſpiciens, erat enim obſeratum, intuetur Oratorium totum immenſâ luce ſplendere, & quendam cuneum candidatarum perſonarum ipſam Antiphonam lætis concentibus reſonare. Alio item tempore præfata paſtorum Eccleſiæ limina ſimili horâ pari voto requirens, ubi inde diſceſſit, memoratam ſacratiſſimæ Virginis ædem preces illic Deo fuſurus adire cœpit. Ecce autem ipſa beatiſſima Virginum Virgo, comitata numeroſo Virginum choro, venienti viro occurrit; & ſummo cum honore ſuſceptum ad ſuam Eccleſiam quo tendebat ducere cœpit; præcinentibus duabus de choro puellis illud Sedulii carmen itaque dicentibus. *Cantemus ſociæ Domino, cantemus honorem. Dulcis amor Chriſti perſonet ore pio.* Quos verſus chorus Virginum reſumendo percantans, prædictæ binæ cantrices binos qui ſequuntur in ordine verſus proſecutæ ſunt. *Primus ad ima ruit magnâ de luce ſuperbus. Sic homo cùm tumuit, primus ad ima ruit.* Sicque donec vir Dei perductus in oratorium eſſet, Virgineus chorus primas & Virgines binæ binos, juxta quod ſeries hymni ſeſe habet, verſus modulatæ ſunt. Propter hæc & horum ſimilia facta inſignis pater Dunſtanus quanti honoris, quantæ reverentiæ, quantæve magnificentiæ apud omnes bonos extiterit, æſtimo, quòd qui talia Dei dona amplecti novit, ex magnâ parte & me ſilente videbit. At iis, qui potiùs in malitiâ quàm in bonitate vitam agere ſatagebant, horrorem atque terrorem vultus ejus incutiebat; ut ab eo fugere quàm ad eum accedere mallent. Omnes verò, qui perverſa acta ſua deſerere & ad recta opera cupiebant tranſmigrare, verâ pietate ac miſericordiâ viſceribus eum redundare ſentiebant; & ultra humanam æſtimationem conſilium ſimul & auxilium ſuæ ſalutis in eo reperiebant. A remotis itaque terrarum partibus ad eum paſſim currebatur; & quo illum præminere notum erat, Spiritûs Sancti conſilium ab ipſo petebatur.

Si ad iſta Diaboli odium & invidia ſæviebat; nulli mirandum. Sed quia ſe in perturbatione viri nihil poſſe, niſi quod verecundiam ſui & ejus gloriam magnificaret, jam certò ſciebat; ab eâ qua illum ſæpe fatigare ſolebat, impugnatione ſeſe cohibuit. Verùm ut eum redderet conturbatum; Eadgaro Regi, quem multùm pro ſuâ reverentiâ diligebat, laqueum gemebundæ deceptionis tetendit; & irretitum gravis peccati nævo involvit. Quadam enim vice idem Rex in Monaſterium Virginum, quod Wiltuniæ ſitum habetur, venit; ibique captus ſpecie cujuſdam puellæ, quæ de nobilibus Anglorum nata inter Sanctimoniales non velata nutriebatur, cuſtodiebatur, eam ſuo colloquio adduci ſecretius juſſit. Illa cùm duceretur, timens pudori ſuo, raptum ab una Sanctimonialium capiti ſuo velum impoſuit, eo modo ſe protegi ſperans, ſi fortè Rex quid inhoneſti à ſe exigere vellet. Quam ipſe velatam intuens, Quàm ſubitò, inquit, Sanctimonialis effecta es. Arreptumque velum

velum detraxit capiti ejus, illâ conatu quo poterat frustra obnitente. Abusus siquidem eâ est; & gravi scandalo quique per Angliam religiosi ex hoc mente vulnerati sunt. Quod scandalum eò vehementius fuit, quo Rex idem legitimam uxorem habebat Ælfledam videlicet cognomine Candidam Ordinæri præpotentis Orientalium Anglorum Ducis filiam, de qua & Sanctum Eadwardum genuerat. Ubi verò res Dunstano innotuit, &c. *Sequitur de correptione Dunstani & pœnitentiâ Regis; de quibus vide Osbernum,* p. 111.

Ordo Clericalis eâ tempestate plurimum erat corruptus; & Canonici cum Presbyteris plebium voluptatibus carnis plùs æquo inserviebant. Quod malum Dunstanus corrigere cupiens, fretus auctoritate Johannis Apostolicæ Sedis Antistitis, apud Regem obtinuit; quatinus Canonici, qui castè vivere nollent, Ecclesiis quas tenebant depellerentur, & Monachi loco eorum intromitterentur. Præsidebat eâ tempestate Wentanæ Ecclesiæ Præsul Athelwoldus, vir eximiæ sanctitatis, & educatione Patris Dunstani non parum insignis. Hic præscitâ de Canonicis Ecclesiæ suæ, qui nimiùm sæculares existebant, voluntate Dunstani, monuit eos semel & sæpiùs mores & actus mutare, correctioris vitæ semitas relictis fœminis arripere. At illi inpræsentiarum quidem id sibi possibile esse negantes, voce corvinâ semper in crastinum correctionem sui pollicebantur. Quod ipse gnarus non diu sustinuit. Paratis nempe quamplurimis Monachorum cucullis die, quo Communio *Servite Domino in timore* cantabatur, chorum intravit, vestes quas paraverat secum deferri faciens. Et projectis illis in medium, Canonicis ait: Animadvertistis quid modò cantaveritis? Animadvertimus, inquiunt. Igitur, inquit, si servire Domino in timore & ei vultis exultare cum tremore; apprehendite disciplinam, vestem videlicet Monachilem; ne pereatis, sicut cantâstis, de viâ justâ. Ad quod illi stupefacti, more solito inducias petunt; id se facturos in futuro promittunt. Tunc ille: Mihi credite, ampliùs non credam huic vestræ sponsioni corvinæ; sed aut disciplinam in præsenti apprehendetis, aut loci istius beneficiis & conversationi hinc eliminati jam jamque cedetis. Itaque nonnulli ex illis statim abjecto Clericali habitu Monachi facti sunt; cæteris juxta verba Pontificis de Ecclesiâ eliminatis. [Cæterùm quia isti, qui ita noviter fuere conversi, regularis disciplinæ normam sine aliorum magisterio doctè servare nequibant, Monachi de Abendoniâ ab eodem Pontifice adducti sunt, qui Monasticæ institutionis tramitem ibi docerent. Clerici verò, qui ejecti sunt,] citato gressu Regem adeunt, judicium atque justitiam sibi de expulsione sui fieri postulant. Refertur negotium ad audientiam Dunstani; & ipse eos æqua postulare pronunciat. Igitur ex præcepto Regis & Archiepiscopi coit Wintoniam Nobilitas regni totius, & Rex cum suâ conjuge adest, ad determinandum querelas negotii hujus. Surgunt hinc inde lites; quas Dunstanus propositis rationibus destruit omnes. Rationabiliter quippe cunctis ostendit Clericos, qui à sorte Dei incorrigibiliter per pravitatem vitæ suæ dissiliunt, nil per rectitudinem sibi vindicare. Posse ex iis, quæ Ecclesiis datæ sunt ad subsidium eorum qui in Clericatu purâ conversatione sese custodiunt. Quibus auditis, omissâ omni controversiâ Rex & de Principibus plures Clericorum precibus ad pietatem usque permoti Dunstanum interpellant; quatinus hac solâ vice parcat, & Clericos, jam quid amodo si se non correxerint incursuri sint reipsa edoctos, de Ecclesiâ suâ revestiat. Silet ille ad ista; quicquid potissimum de negotio sit agendum, demisso capite mente pertractat. Silentium ingens occupat omnes; & suspensi ad responsum Pontificis erigunt aures. Tunc subitò crucifixi Dei Imago signo Crucis in edito domûs affixa audientibus cunctis dixit: *Non fiet, non fiet. Judicâstis bene, mutaretis non bene.* Tremefacto in his simul universo conventu, intulit pater Dunstanus & ait: Quid amplius vultis fratres mei? Divinâ sententiâ definitum

audiſtis negotium præſens, Aiunt, audivimus verè. Reſederunt igitur Monachi Wintoniæ deinceps ſecuri: & quoad Clerici ipſi vixerunt, qui eos ſuper causâ iſtâ inquietaret nemo fuit.

Illis autem * huic vitæ ſubtractis, filii eorum cupientes recuperare quæ perdiderant in parentibus ſuis, Scotiam miſerunt; & inde quendam prægrandis, ut fama ferebat, eloquentiæ virum Bernelmum nomine magno conductum pretio in tuitionem ſuæ cauſæ contra Dunſtanum adduxerunt. Conglobati ergo ſub uno Clericorum filii Regem atque Dunſtanum apud villam quæ dicitur Kalne in quodam cœnaculo conſiſtentes reperiunt; & armati Rhetore illo, qui ſuæ victoriæ ſpes maxima erat, antiquæ calumniæ coram eis jurgia promunt. Ad quæ Dunſtanus his verbis brevi reſpondit: Calumniam iſtam, quam movetis, divino ore jam olim definitam novimus; nec eam novo conflictu ampliùs in medium revocandam exiſtimamus. Ego quoque grandævus ſum; & vitæ meæ reſiduum quod pauci temporis eſſe non neſcio, in pace ſi licuerit tranſigere cupio. Laboravi dum potui. Amodo totius laboris impatiens, Domino Deo cauſam Eccleſiæ ſuæ contra inſurgentes hoſtes tuendam committo. Dixit; & ecce ſolarium ſub pedibus eorum, qui adversùs virum convenerant, è veſtigio cecidit, omneſque pariter præcipitatos in ſuo caſu non modicùm læſit. Ubi vero Dunſtanus cum ſuis conſiſtebat, nulla ruina domûs, nullus emerſerat caſus. Hoc igitur modo calumnia Clericorum eſt ſopita; & uſque hodie Monachorum converſatio in ipsâ Eccleſiâ ſtabilita. Ejecti nihilominus per id temporis & alii quamplures Clerici horum ſimiles de ſuis Eccleſiis ſunt, & Monachi in locum ipſorum ſubſtituti. Aucta eſt igitur religio per Angliam in tantum; ut quadraginta octo Monaſteria Monachis vel Sanctimonialibus inſtituerentur; cooperantibus Beato Dunſtano in hoc viris venerabilibus, Oſwaldo videlicet, qui primò Wigornenſis poſtea fuit Epiſcopus Eboracenſis, & Athelwoldo Wintonienſi, quorum ſupra meminimus. Vitam itaque Beati Dunſtani & actus formidabant omnes, qui incedere volebant juxta vias adinventionum ſuarum.

Inter hæc ſopito negotio, quod Regem Eadgarum, ne regio more coronaretur, detinuerat, Dunſtanus adunatis Epiſcopis, Abbatibus & cæteris Principibus cum totâ regni ingenuitate, coram iis aſtante innumerâ populorum multitudine impoſuit illi coronam Regni, gaudentibus cunctis & jubilantibus Deo in voce laudis & exultationis. Ipſo autem poſt biennium, quo hæc facta ſunt, immaturâ morte prævento, Eadwardo filio ſuo totum regnum hæreditario jure reliquit. Qui Edwardus, cùm in Regem conſecrari deberet, nonnulli de principibus terræ contraire ne Rex fieret niſi ſunt; cùm quia morum illius ſeveritatem, qua in ſuorum exceſſus acriter ſævire conſueverat, ſuſpectam habebant, tum quia matrem ejus licèt legaliter nuptam, in regnum tamen non magis quàm patrem ejus dum eum genuit ſacratam fuiſſe ſciebant. Sed Dunſtanus diſcretione & induſtriâ confiſus adoleſcentis, unum non metuens, & obſervato paternæ hæreditatis & teſtamenti jure aliud contemnens, arrepto ſanctæ crucis vexillo medius conſtitit; & per rationem cunctis quæ objiciebantur eliſis, Edwardum Regem conſtituit; & conſtituto paternum affectum, conſilium & auxilium in omni negotio, dum vixit, exhibere curavit. Rex quoque ita mores ſuos in omnibus & per omnia componebat, ita totum Regnum ſanctis legibus diſponebat; ut & actus ejus Deo placerent, & eo quòd in ſuſcipiendo regno ei contradixerant, quique ſibimet ipſis diſplicerent. Sed illo poſt aliquot annos per fraudem novercæ ſuæ interfecto, Æthelredus filius

* Immo vix ſeptennium, certè non decennium, Conciliis Wintonienſi & Calnenſi interceſſit. Vide quæ ſupra obſervavimus ad ſimilem Osberni locum, p. 112.

ipsius malæ mulieris in Regnum substitutus est; matris ignominiâ magis quam Edgari patris sui solertiâ præditus. Cujus provectio non usquequaque sedit Dunstano. Ideo tamen quòd proximus Regni hæres existebat, complevit ei jus regium; sciens se inoffensis legibus terræ atque Principibus id non posse transferre in quenquam alium. At tamen illum solio regali potitum severo quodam verborum tonitruo, quia per sanguinem fratris regnum obtinuerat, increpavit; & quòd in sanguine victurus, ac posteri illius crudeli barbarorum incursu devastandi, tota etiam terra per plurima sæcula sævo illorum dominatu foret depopulanda, prædixit. Quæ licet se vivente eventura negârit; eventura tamen omnimodo esse nimis veraci, ut & in Chronicis legimus & hodie videmus, prophetiâ asseruit. Accelerabit, cùm sibi placuerit, omnipotens Deus, quam subsecuturam promisit liberationem per tanti vatis sui merita & intercessionem. Et quidem illum spiritu prophetiæ claruisse non tantùm hinc, sed & ex nonnullis aliis, quæ constat eum veraciter prædixisse, confirmamus; & id subjecto exemplo probamus. *Sequitur Prophetia Dunstani de morte Ethelwoldi Wintoniensis, & Roffensis Episcoporum: de qua consule Osbernum supra, p. 113.*

Ex Athelwoldi obitu gravis mœror Dunstanum corripuit; cùm quia tanti viri ingens solatium amiserat, tum quia cui potissimùm teneræ adhuc statum Ecclesiæ regendum committeret, dubius fluctuabat. Quos fluctus ingerebant animo ejus hinc Monachi nuper intromissi, hinc Clerici ab Ecclesiâ illâ ejecti. Monachi quippe suæ professionis virum habere Episcopum præoptabant. Clerici verò sui ordinis hominem sibi præfici desiderabant. Illi videlicet per Monachum in Ecclesiâ sibi collatâ cupientes solidari; isti per Clericum Ecclesiæ sibi ablatæ sperantes reformari. Sed hæc providens sapientia & sapiens providentia Dei citiùs determinavit. Nam per Beatum Andræam Apostolum, cui speciali quodam dilectionis affectu Dunstanum adhærere Deus concesserat, Dunstano mandavit; quatinus nihil hæsitans Ælfegum Abbatem Bathoniensem constitueret Wentanæ Ecclesiæ summum sacerdotem. Lætatus est Dunstanus in istis; & redditâ Deo gratiarum actione pro beneficiis suis, in Ælfego perfecit quod ei per Apostolum suum Deus ipse præcepit.

Multa de hoc viro, juxta quod multorum non spernenda testimonia ferunt, adhuc literarum memoriæ veraci stilo commendare possemus. Verum ne incultæ narrationis prolixitate quemlibet gravemus; prætermissis illis ad sacrum transitum ejus enarrandum cor & linguam præparemus. Quod præparare quia nostræ opis non est; oremus ut ipso, de quo agimus, interveniente perficiatur ab eo, cujus hoc donum & gratiam scimus esse. *Succedit narratio de Dunstani obitu & sepultura, Osberno planè consona; nisi quòd Osbernus corpus ejus de terra miraculosè levatum feria quinta fuisse scribat; quod Eadmerus ipso, quo obiit, Sabbato contigisse ponit.*

Epistola ad Glastonienses ELMERI aliter EDMERI, quo tempore Glastonienses asserebant se Corpus Patroni nostri Sancti DUNSTANI habere.

GLorioso conventui Monachorum Cœnobii Glastoniensis frater Edmerus, unus ex minoribus bonitate & scientiâ Ecclesiæ Christi Cantuariensis filiis & fratribus, fidelem amicitiam & caritativum servitium in Christo Jesu Domino nostro. Recordor me jam olim quadam vice ad vos venientem magno gaudio & honore susceptum, & cum majore tripudio & exultatione, donec mihi velle fuit vobiscum morandi, habitum ac detentum. Unde vobis hucusque gratiosus existo; & minus gratiosus ero, dum in vitâ præsenti subsisto. Dum igitur talis sim & de jure esse debeam erga vos; nulli mirandum existimo, si vestrum honorem diligo, si ea quæ vobis conducunt approbo, si denique ea quæ vobis opprobrium generant detestor & improbo. Nec enim aliter fidus amicus essem, nec fraternæ dilectionis legem servare dici veraciter possem. Quod quàm grave videri debeat Christiano ad regnum Dei pervenire volenti, advertit qui Beato Apostolo credit dicenti, hominem non amantem fratrem suum homicidam esse, & ejusmodi in regno Christi & Dei hæreditatem non habere. Cur hæc prælibaverim, accipite. Quidam ex vestris noviter, ut putamus, inter vos conversi prædicant antiquos Patres vestros fures fuisse & latrones, & quod nequius est, etiam sacrilegos; idque illorum prædicandi laudi ascribunt, quòd tales fuerunt, fortassis & eâdem voluntate debriati, non perpendentes quod divina intonat pagina: [a] *Fures sc. & latrones regnum Dei non possessuros.* Super hæc, ut firmiùs eis credatur ita esse, Judæ traditori eos similes fuisse affirmant, qui loculorum Domini custos ea quæ custodire deberet sceleratissimè furabatur. O homines! O fratrum honoratores! O verborum Domini intentissimos auditores! Centum & eo amplius anni evoluti sunt, ex quo ipsi, quos fures & latrones prædicant, à vitâ præsenti sunt elongati: & modò noviter tantum iis opprobrium invehitur; & æterna pœna, qua juxta sententiam istorum miserrimè cruciantur, infelicissimè illis innovatur. Verè magna impietas. Nam & si ipsi non fuerunt tales, quales isti eos esse volunt; non est propter hoc horum impietas minor, immo (remoto omni ambiguo) major, qui infamant innocentes, qui se omnibus manifestant esse mendaces ac impudentes. Testis enim est mihi omnia sciens & disponens veritas Deus; quia cùm adhuc in scholis puerulus essem, ex præcepto beatæ memoriæ Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi, Primatis videlicet totius Britanniæ, indicto jejunio toti populo Kantiæ, levatum est corpus Beatissimi Dunstani à primo sepulturæ suæ loco, astante Abbate Sancti Augustini Scotlando, Gundulfo post facto Rosensi Episcopo, cum toto Monachorum agmine utriusque Ecclesiæ, nostræ scilicet quæ est Christi Cantuariensis, & vicinæ nobis Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quæ usitario nomine hoc tempore dicitur Beati Augustini; confluente ad hoc innumerâ virorum ac mulierum multitudine; qui omnes illum cœlestem thesaurum cum ingenti modulamine vocis ac jubilo cordis usque ad locum quo recondendus erat prosecuti sunt, & diem illum divinis miraculis illustratum lætum atque solennem peregerunt.

[a] 1 Cor. VI. 10.

Nunc

Nunc * autem effluxis quinquaginta annis, ex quo illud factum est, Quidam tamen ex vestris surrexerunt, & ubi eis libet prædicant, jam ante centum annos Ecclesiæ vestræ Monachos Ecclesiæ nostræ custodes deputatos, quæ ob martyrium gloriosi Patris nostri Elphegi in magnam ut aiunt desolationem venerat, & ibi quod preciosissimum habebatur fraudulentâ calliditate furto surripuisse. Væ homines omnibus hominibus nequiores! Ecclesia totius Britanniæ insulæ Mater in occisione sui Patris ac filiorum afflicta confugit ad filiam suam unicè ab eâ dilectam, & ipsâ re, quod quasi factum sit ad præsens accipiatur, magis in protectione illius confisa; ut se & reliquias suas servaret. Et ipsa (sicut vos prædicatis) meliores filiorum suorum ei ad quod petebantur destinavit; & ipsi illic custodes sacrorum effecti, uterum matris suæ (quam tuendam susceperant) invaserunt, diripuerunt, cor ac intestina ipsius deprædati sunt, rapuerunt, asportaverunt. Judæi cùm mortuum Dominum ac sepultum, ne ab Apostolis auferretur, in sui custodiam accepissent, quamdiu potuerunt à custodiendo non defuerunt; nec sibi commendatum furto surripere aut aliàs auferre conati sunt, sed potiùs furti crimen aliis se dormientibus imposuerunt. Si simili modo custodes Glastonienses fecissent, hoc est, si sacrilegium, quod laudantur commisisse, ab aliis se somno depressis dicerent commissum fuisse, fortè aliquantulum famæ suæ consuluissent, nec tam detestabili modo deliquissent. Nunc autem quid dicemus? Ut prælibavimus; Judæ similes eos in furto approbamus, non tamen nos, sed eos sequentes fratres sui Glastonienses. Nos enim reverà scimus eos omnino immunes esse ab hoc peccato. Quid illis erit, qui conficto tam infrunito mendacio fratres suos imo patres suos criminantur? Sed utique nec Fratres nec Patres. Nam si fratres aut eorum filii essent ipsi naturales effecti; aut certè pudor humanus doceret eos parcere linguæ, doceret eos providere famæ suæ. Sed esto, ut furtum suum sancti fratres Glastonienses prudenti astutiâ cunctis absconderent; cadaver cujusdam Abbatis sui (cujus nomen ab iis qui ista componunt ignoratur) secum tulisse feruntur, ac loculo Sancti Patris nostri Dunstani, ne vacuus remaneret, reposuisse. O prudentiæ! Non erant ossa mortuorum inter Cantuariam & Glastoniam; ut necesse eis fuerit ad celandum furtum suum cadaver nesciunt cujus per ducenta ut ita dixerim milliaria transtulisse. Noverit beatitudo vestra, quia ego qui hæc scribo non parùm confundar in tam evidenti stultitiâ & omni homini risu dignâ, maximè

* De Translatione Corporis Dunstani à Lanfranco factâ ista habet Osbernus in libro secundo de Vitâ Dunstani. "Nec "multò pòst Ecclesia Salvatoris igne com-"busta est; parietes ceciderunt; nec quic-"quam ex omnibus Monasterii officinis "incombustum remansit, præter duas do-"mos, sine quibus Monachi remanere non "possent, Dormitorium scilicet & Refe-"ctorium, tantamque Claustri partem "sub quantâ absque imbrium infusione ab "unâ domo in aliam possent introire. Ex "quo satis videre fuit, quantam nostri cu-"ram Pater noster Dunstanus habuerit. "Sed horum ruina in melius commutata "est, veniente venerabili viro Lanfranco "Archiepiscopo, & omnium qui nostrâ "ætate in terrâ fuerunt sanctissimo simul "ac sapientissimo. Qui cùm fundamenta "construendæ novæ Ecclesiæ ponere vel-"let; neque hoc absque translatione cor-"porum infra ambitum ejusdem Ecclesiæ "quiescentium facere posset; indixit jeju-"nium omni populo; quatinus Sanctorum "voluntas fieret, ut eorum corpora ad alia "loca transferri deberent. Die verò huic "negotio constituto, orante omni populo, "Clero cereis & aromatibus omnique ge-"nere gaudiorum occurrente, paraverunt "Sacerdotes, ut thecam Sancti Patris "Dunstani absque contrectatione corporis "illius è terrâ levarent, & ad locum cum "omni diligentiâ præparatum deferrent. Contigit incendium istud anno 1074. Nonis Septembr. juxta Gervasium Dorobernensem. Quinquaginta annos ab eo tempore effluxisse Edmerus dicit. Scripta est igitur hæc Epistola circa annum 1124.

quòd

quòd ab Anglis dicitur esse conficta. Væ quare non consuluistis aliquem hominem transmarinum; qui in multis conversati, multis imbuti, multa confingere sciunt; ut vel pretio ageretis, quasi ipsi saltem vobis aliquid verisimile mendacium de tantâ re componerent. Væ vobis, meæ gentis homines, tam stolidâ simplicitate notaremini; ut omnibus deridendi in perpetuum indicaremini. Ad hæc rogo prædicatores tam præclari sacrilegii; quatinus mihi patriotæ suo dicant, utrumnam cadaver sui suppositi Abbatis noviter defuncti & integrum à Glastoniâ Cantuariam detulerunt? Ut utrùm more summi Pontificis infulatum, palliatum, spindulatum, & sandaliis fuerit calciatum? Quod si hæc omnia habuerit; Unde quæso pallium (ut de aliis interim taceam) habuit? Nunquid antiquitùs Abbates Glastonienses Pallio utebantur? Sed hoc Patriarchis solùm, Primatibus & Archiepiscopis à Româ & Apostolicâ Sede conceditur. Sed hactenus omni sæculo inauditum est Patriarchatum Glastoniæ fuisse vel etiam Pontificatum. Sed igitur palliatum cadaver ad deceptionem futurorum antecessores vestri Cantuariæ detulerunt. Hoc effecerunt, ut ipsi Romano Pontifici & omni Christiano homini, qui se ad fidem Christi sub magisterio Beati Petri tenent, obnoxii sint & infames ac omni opprobrio digni judicandi. Scitur enim quia illud à Sede Apostolica non habuerunt: Sed ipsi illud, malignitatis illos auctore docente, composuerunt vel componi (si ita fuit) à sui similibus effecerunt. Re enim verâ corpus, quod invenimus, ita fuit scilicet quasi omnino integrum, infulatum, annulatum, palliatum, spindulatum, sandaliis venustissimè adornatum; cum quo & scriptura in plumbeâ tabulâ exarata inventa est, quæ planè testabatur Beati Dunstani Archiepiscopi Cantuariorum esse corpus, quod tumulatum ibi jacebat. Habetis quæso aliqua literarum monumenta, quæ hæc ita se habuisse probent? Videlicet quæ ferant cadaver Abbatis illius eo quod diximus modo redimitum. Adhuc quæro; illi antiqui patres & fratres vestri, qui ad tuendas destitutæ Ecclesiæ nostræ reliquias, ut dicitis, adducti sunt, attulerunt ne secum cadaver illud Beato Dunstano supponendum, utpote furti sui effecti securi? An ipsi primò venerunt & effossum corpus Beati Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis ad Glastoniam detulerunt, ibique insigniis Pontificalibus spoliatum, Abbatem vestrum eisdem insignibus redimitum, in sepulchro sublati Patris recondendum transtulerunt? Quicquid horum dixeritis factum fuisse; quantum dementiæ sit vobis, credere facillimum est, cuivis etiam cæco videre. O infœlices, qui sic inani stoliditate involuti sunt, & intelligere nequeant ipsam stoliditatem suam nullius prudentis oculos posse latere! Christus (qui est veritas) dicit, [a] *Veritas liberabit vos*. Et vestri vates hoc tempore dicunt, furtum & sacrilegium patrumque vestrorum & vestrum mendacium honorabunt Ecclesiam nostram & nos. Quod mendacium? Corpus inquiunt Beati Dunstani Pontificis Cantuariorum & Primatis totius Britanniæ à suâ Ecclesiâ patres vestri furtim abstulerunt, & vestrum Abbatem tali sacrilegio emptum (quia vobis erat inutilis) illuc delatum sepulchro illius intulerunt. O gaudium! O luctum! O locum vestrum tali tanto fœnore magnificandum! Sed O contrarii puræ veritati, quid facietis, oro vos, cùm ipsa veritas venerit omnes perditura qui loquuntur mendacium? Et quidem omnibus luce clariùs constat, mendacium vos imponere patribus vestris; quia invitati Cantuariam secum cadaver sui Abbatis detulerunt; nec ibi degentes asportato corpore Beati Dunstani illud attulerunt. Illud enim nimiæ & incredibilis non dico stultitiæ sed dementiæ esset. Hoc autem impossibilis perpetrandæ audaciæ effectus existeret. Cùm enim ipse Beatus sepulchrum sibi effodi, ut Liber vitæ ejus veracissimè testatur, præcepit, & infra terram ad staturam virilis corporis foveæ profunditas penetravit; qui quæso tam inani furto locus & opportunitas esse potuit? Cùm & Ecclesia ipsa nunquam sine Monachis domesticis filiis suis fuerit, & civitas Cantuaria

[a] Joan. VIII. 32.

civibus suis nequaquam fuerit exinanita. Ad hæc considerandum, quia Ecclesia ipsa in passione beatissimi martyris Elphegi nec igne consumpta, nec tecto aut parietibus diruta fuit. Violatam quippe fuisse, & pluribus ornamentis spoliatam, ac supposito de foris igne ut concremaretur adorsam novimus, quo vesana manus Pontificem intus sese tuentem quem mandaret exire compelleret. At ubi ipsum exeuntem comprehenderunt; omissis ignibus & aliis malis, quibus ad captionem illius occupabantur, ipsum necatis aliquibus Monachis in oculis ejus abduxerunt, & usque ad locum exitio illius destinatum multis afflictum injuriis & cruciatibus perduxerunt & peremerunt. Quæ cum ita sint; qua fronte dici potest pavimentum Ecclesiæ sub oculis omni spatio septem pedum hinc inde ad sepulchri profunditatem tendenti effossum, aliter enim nullo modo attingi valeret, & ita abstracto corpore Sanctissimi Patris Dunstani per XV. ut dicam dies patens remansisse, donec Monachis cum furto subeuntibus ad Monasterium suum, & ibi non dico peremptum ab eis, sed in cursu illorum statim mortuum Abbatem detractis à Beato Dunstano Pontificalibus ornamentis illum adornâsse, & ita cursim fortasse asello aliquo Cantuariam delatum in sepulchro ejus collocâsse? Adhuc interrogo: Vastata fuit terra inter Glastoniam & Cantuariam illis diebus, & in solitudine acta; ut liber cursus ac recursus nullo obstante deferentibus tantum thesaurum quaquaversum pateret, an non? Verum utique ubique quando ista, ut astruitis, gerebantur, Danorum patebat immanitas; nusquam pax, nusquam securitas; bella, seditiones usquequaque fervebant. Super hæc, quemadmodum certissimè scitur, in medio chori ante gradus, quibus ad majus Altare ascendebatur, corpus Beati Dunstani humatum fuit, & plumbeo in loculo, & illo in magnâ profunditate terræ locato, uti Anglis olim moris erat suorum cadavera tumulare. Qualiter igitur Monachi Ecclesiæ, qui ad minus, juxta quod Dominus * Osbernus refert, quatuor tantæ cladi supererant, cum Clericis, qui eis admixti Dei servitium in ipsâ Ecclesiâ administrabant, ipsum terræ hiatum per tot dies sustinuerunt, donec allato Abbate innominabili in sepulchro sublati Dunstani collocaretur? Mira patientia, & verè mirabilior pro adventu venturi Abbatis Delfini vel Wlsini fortasse vocati expectatio! Propter quod Domini mei obsecro, est ne aliquis qui ad tantam vanitatem se à risu contineat? Et certe adhuc satis plura non minùs idonea ad designandam ipsius vanitatis ineptiam dicere possemus; si pudori sacri Cœnobii vestri non parceremus. Quum enim tales, qui ita se infamant, fovet, nutrit, amplectitur; pudor est illi & opprobrium magnum. Nec enim Glastonienses eâ tempestate, qua fingunt, Cantuariam venerunt, nec ibi conversati sunt. Non igitur illis surripientibus corpus Beati Dunstani nobis ablatum & vobis ullatenus fuit allatum. Sed ab aliis aut alio tempore allatum negatis. Fatemini ergo necesse est vates vestros falsa locutos; & de corpore Beati Dunstani vos quicquam habere omnimodis falsos esse. Quapropter consulite famæ vestræ, & ab istâ vanitate os vestrum cohibete. Attamen veritas vobis, si obliti estis, in memoriam revocetur. Absque dubio scitote, Agelnothum Abbatem, imo & Abbatem Glastoniensem, cum uno vel duobus Monachis olim per plurimum temporis conversatum Cantuariæ. Et Abbatem dico, quia per beatæ memoriæ Lanfrancum Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ summum Sacerdotem in generali totius Angliæ Synodo à suâ Abbatiâ fuerat † depositus,

* Refert id Osbernus in Elphegi Vitâ. Post lugubrem istam Monachorum stragem, Clerici avitam possessionem, quam ante novem annos ab Alfrico Archiepiscopo expulsi amiserant, recuperarunt, & ad Lanfranci tempora tenuerunt; ita tamen ut Clericis Monachi minore numero admiscerentur.

† Factum id videtur anno 1081. quo Thurstinum Normannum Abbatiæ Glastoniensi à Lanfranco præpositum fuisse refert Historia Glastoniensis in Monastico, Tom. 1. p. 17.

&Cantuariæ dignâ quidem tanto viro, in quadam tamen quasi captione positus. Et tunc numerus Monachorum inibi Domino Christo & Beato Dunstano famulantium sexagenariam quantitatem ascenderat. Si igitur unquam Monachi Glastonienses corpus beati Dunstani furati sunt; æstimo quòd isti fuerunt? Sed cùm isti Cantuariæ essent à primo sepulturæ suæ loco, ut prædiximus, jam fuerat translatum in locum, ubi eis accessus nullus patebat. Non ab eis ergo fuit ablatum, nec ergo ab ullo vestrorum. Ossa itaque, quibus onerastis Imaginem nostri Redemptoris, ne ipse vobis indignetur, nostro consilio auferetis. Satis enim habet in se unde honoretur, nec opus est ut sanctitas ei aut ex ossibus mortuorum aut aliunde cumuletur. Fratres mei, cogitet quæso & recogitet prudentia vestra quod honestum sit vobis cogitare, quod conveniat loqui, quod deceat agere. Centum anni & ultra transierunt à Martyrio Beati Elphegi; & nullus hominum qui interfuerit, vitæ præsenti superest, vel certè qui se meminerit interfuisse; nec ad nostram notitiam hucusque perlatum est quemque illorum, qui illis diebus verè fuerunt, inde de quo agitis aliquid dixisse vel scripsisse, quod cuivis sanum sapienti pro dicto vel scripto suscipiendum videatur. Quapropter omissis puerilibus næniis, ut decet viros sapientes atque perfectos, diligite Beatum Dunstanum sicut Patrem vestrum atque Patronum; & veritatem de eo loquimini; & tunc revera diligi ab eo merebimini. Membrum & amicus est summæ veritatis; nec ab ipsâ discordantes potest admittere in sinum suæ caritatis. Novit Deus & ipse Pater & advocatus noster dulcissimus; quia quæ dico, pro vestro honore & utilitate dico; nec in aliud tendit hæc intentio mea, nisi ut Deus, qui veritas est, & in Beatum Dunstanum sicut æquum est, magnificetur, laudetur & prædicetur tam à vobis quam à nobis, & (si efficere possem) ab universis fidelibus totius conditi orbis. Scio quia modo Epistolarum in loquendo paulisper excessi. Sed talis fuit materia; ut quamvis me proposuerim paucis locuturum, tamen se extenderet in id quod videtis extensum eloquium meum. Ne ergo miremini. Non est enim hominis via ejus. Vos itaque Domini & fratres mei, quibus Deus aperuit sensum intelligendi quæ rationis sunt, compescite insipientium juvenum procacem insolentiam, qui eo solum ut videantur scire loqui aperiunt ora sua, in quæcunque volubilitas cordis sui eos distenderit, autumantes se aliquid esse, cùm aliorum simplicitas suis verbis accommodat aures. Novi quosdam olim tales, & me fortasse fuisse; & eâ re non penitus diffido talium & mei similes aliquos hoc tempore esse. Sed jam senui & incanui; & multa, quæ juvenis magnipendebam, duco pro nihilo. Hoc erit Deo donante & juvenibus temporis hujusmodi. Quia verò prolixitas Epistolæ finem postulat; hoc ultimum dico, quoniam si omnes antiqui Patres vestri, qui in Cœnobio Glastoniensi jam ante centum annos fuerunt defuncti, aliquos tamen puto superesse qui ante ista Normannorum tempora inibi nutriti in Monachicâ religione fuerunt. Quærite ab eis, si qui sunt, utrum recordentur Abbatem loci vestri singulis annis ad festivitatem Patris Dunstani cum quatuor aut pluribus Monachis Cantuariam solitum venire, & ibi per sex aut plures dies inter fratres ob reverentiam tanti Patris lætitiæ & exultationi vacare, an non? Æstimo, si aliquis talium hucusque remansit; ita rem tunc temporis factam non negabit. Nam si aliter faceret, proculdubio veritati contrarius esset. Si igitur corpus Beati Dunstani se sciebant habere Glastoniæ; cur illud venerandum in suâ festivitate requirebant Cantuariæ. Hæc ita sint ad imprudentium confutandum errorem, & ad prudentium confirmandum in nos (quem multum optamus habere) sanctum amorem. Valeat igitur Sanctitas vestra in Christo Jesu, & oret pro nobis.

Explicit Epistola Edmeri Monachi Ecclesiæ Christi Cantuariæ.

* Scrutinium

Scrutinium factum circa feretrum beatissimi Patris DUNSTANI Archiepisc. ex mandato Reverendissimi Patris ac Domini Domini WILLELMI WARHAM Cant. Archiep. & Domini THOMÆ GOLDSTON sacræ paginæ Professoris ejusdem Ecclesiæ Prioris dignissimi, Anno Domini MDVIII. Die xxii. Aprilis.

QUoniam dilecti fratres Monachi Glastonienses jam meis temporibus non modò solent jactitare (uti quidam de patribus eorum facere consueverunt) se habere apud suum Monasterium corpus illius beatissimi Patroni Ecclesiæ nostræ Cantuariensis Sancti Dunstani; verùm etiam jamdudum fabricari fecerunt novum Scrinium; quod, ut fertur, in facie Ecclesiæ suæ non obscurè statui fecerunt: In quo non verentur fabulare reponi Corpus Sancti Dunstani. In ejus namque scrinii erectione ipsi non modicâ nec obscurâ celebritate usi fuerunt. Quippe qui ad illud festum non solum vicinos sed ipsius ferè totius Diœcesis Magnates nobiles populumque innumerum promiscui sexûs ad tantum spectaculum confluere procuraverunt. Quibus illic consistentibus, & solenni processione, quam tunc fecerant, interessentibus, cunctis spectantibus Scrinium antedictum erigi fecerunt, non quidem in eorum vestiario ubi solebant Patres eorum tanquam in loco quasi obscuro reponere aliud scrinium magis vetustum, quod uti eis libebat Scrinium Sancti Dunstani etiam appellabant. Sed istud nonnulli Scrinium ut fertur in loco clarissimo cunctis illic confluentibus patente constituerunt. Quæ cùm ita sint, ne ipsi Glastonienses populum in errorem abducant, putantes sic ibidem præsens corpus Sancti Dunstani colere; placuit Reverendissimo in Christo Patri Willelmo Warham Archiepiscopo Cantuariensi diligentissime fieri scrutinum in suâ ecclesiâ circa feretrum Sancti Dunstani; ut ex oculorum aspectu confunderet confingentes ac mentientes alibi corpus illud se habere. Vicesimo igitur die Aprilis Anno Domini MDVIII. quo die tunc accidebat Cœna Domini, ex mandato ipsius Domini Archiepiscopi & Domini Thomæ Goldston Prioris deputati sunt tres vel quatuor de confratribus ad ejusmodi opus aptiores & ferventiores; ut in vespere postquam fores Ecclesiæ essent clausæ, ne Laici hujusmodi negotio adessent, ad scrutinium faciendum circa feretrum Sancti Dunstani ut ipsi explorarent, qua viâ faciliori possent ejus sacræ reliquiæ videri, eâ ratione ut omni ambiguitate & scrupulo semotis oculatâ fide rei veritas probaretur. Hi quidem Fratres in ipsâ noctis tempestate non tam diligenter quàm prudenter ad id quidem perduxerunt opus; ut ante lucanum oculis perspicere potuerunt arcam quandam plumbeam, ubi sacræ reliquiæ recondebantur. Quæ quidem arca deposita fuit & immersa in opere lapideo feretri. Ea siquidem arca intus erat lignea, exteriùs interiùsque plumbo undique cooperta, & clavis omni in loco affixa; adeò ut inter clavum & clavum non erat spatium relictum latitudinis humanæ palmæ. Erat quoque hæc arca longitudinis juxta longitudinem operis lapidei ipsius feretri, videlicet VII. pedum, Latitudinis circiter pedis cum dimidio; Eratque in omni suâ parte ferreis ligamentis circumducta tutissimè, adeò ut vix possit discerni via possibilis illam aperiendi. Confisi tamen in divino auxilio & Sancti Patroni suffragio, instituit Archiepiscopus cum Priore; ut quidam confratres in consequenti nocte Laicis semotis iterum opus aggrederentur; quod & factum est. Sex enim de confratribus per Priorem ad hoc deputati unâ cum ope aliorum (quos convocârunt) ingenti sudore hanc arcam, quæ est magni ponderis, fecerunt supra opus lapideum sublevari.

levari. Id cùm fecissent, tandem cum magnâ difficultate satagentes anteriorem partem arcæ aperiunt. Quod profectò facere nequissent, nisi partem asseris, quo in superiore parte arca claudebatur, effringerent. Eo sanè confracto, licuit videre interiùs ab uno fine arcæ usque in alterum finem. Ibi vero patebat aspectui cista quædam plumbea: Quæ quidem cista facta est non ex plano plumbo, sed arte quadam pulcherrimè est plicata. Eâ vero apertâ, reperta est etiam & alia cista plumbea quasi tabefacta; quæ putatur esse illa, in qua ossa Sancti Dunstani, cum primùm sepeliebatur, recondebantur. Infra has duas cistas plumbeas, cùm aperirentur, primò reperta est quædam parva lamina plumbi jacens supra pectus corporis. In qua quidem laminâ continebatur hæc scriptura: HIC REQUIESCIT SANCTUS DUNSTANUS ARCHIEPISCOPUS. Et scribitur hic titulus Romanis literis. Deinde repertus est pannus quidam tinctus, nitidus valde atque integer, suppositus corpori Sancti Dunstani. Quo sublevato, apparuit illud sanctissimum organum Spiritûs Sancti indutum Pontificalibus tum pro magnâ parte consumptis. Porro apparuit ibidem testa capitis, quæ & tangebatur & osculabatur tam à Domino Archiepiscopo, qui valde manè in crastino sequenti videlicet in vigiliâ Paschæ aderat, quàm à Priore cæterisque quamplurimis de conventu Monachorum. Cujus quidem testæ partem à reliquo divisam Dominus Archiepiscopus tradidit Priori, eâ ratione ut decenter adornaretur, & inter reliquias Ecclesiæ venerandum reponeretur. Denique videbantur & alia ossa diversa tam de brachiis quàm de costis, & nonnulla massa de carne ejusdem Patroni nostri. Quæ revera omnia odore redolebant suavissimo. Ad istud non tam jocundum quam desideratissimum spectaculum affuere prope omnes de Conventu. Ad hoc etiam invitati sunt per Dominum Archiepiscopum sex Novicii nondum professi, qui simul cum aliis ista cernebant. Ad hoc quoque sacrum spectaculum affuere hi Capellani de familia Domini Archiepiscopi per eum invitati, videlicet Prior Dovoriæ, Episcopus Suffraganeus ejus nomine Johannes Thornton Doctor Sacræ Theologiæ, M. Cuthbertus Tunstall Doctor in Legibus, Cancellarius ejusdem Domini Archiepiscopi, M. Thomas Wellis Doctor Theologiæ, M. Robertus Weks, M. Andreas, in Artibus Magistri, M. Johannes Pers Bachalarius Legum. Hi verò vocati sunt ad videndum & testimonium perhibendum eorum, quæ superiùs scripta sunt. Erant interea ad ipsum advocati per Dominum Archiepiscopum tres Notarii publici, utpote M. Johannes Barret Scriba actorum Prærogativæ Ecclesiæ Cantuariensis, M. Johannes Colman Scriba consistorii Cantuariensis, M. Willelmus Potkin Scriba jurisdictionis immediatæ. Eos Notarios Dominus Archiepiscopus requisivit; ut singulis, quæ superiùs scripta sunt, de scrutinio facto circa reliquias Sancti Dunstani diligenter per eos inspectis & consideratis, Instrumentum publicum de eisdem conficerent. Idque complere super depositionem testium prædictorum polliciti sunt. Hæc cùm peracta fuissent; tunc ad mandatum Domini Archiepiscopi arca superius dicta iterum clausa est firmissimè tam opere ligneo quàm plumbeo, clavisque quamplurimis tutissime affixa. Idque factum est in prædictâ vigiliâ Paschæ. Nec fores Ecclesiæ antea aperiebantur, quàm confratres id operis explevissent. Ejusmodi experimento facto circa reliquias Sancti Dunstani modò luce clariùs constat quanto errore atque dementiâ laborant dilecti Fratres Glastonienses; qui somniant apud se habere corpus Beati Dunstani, idque publicè prædicare non erubescant. Si enim eorum reatus conscientiæ falsa de Sancto Dei prædicare compescere non valeret; saltem mundi honestas mendacia pertinaciter defendere cohibeat. Itaque post tam clarissimum hujus negotii experimentum jam factum amodo jam sileant charissimi Fratres Glastonienses corpus Beati Dunstani vendicare; ponantque modò ostium circumstantiæ labiis eorum; Et confingere desinant per patres eorum corpus illud ab Ecclesiâ suâ, ubi sepultum est, quovis pacto surreptum fuisse.

Exemplar Literarum Reverendissimi Domini Domini Willelmi Warham Cant. Archiep. ad Abbatem Glastoniensem Anno Domini MDVIII.

HOnorande frater, post condignam commendationem: Pervenit nuper ad aures meas feretrum quoddam Divi Dunstani in vestri Monasterii ecclesiâ palam à vobis erectum; ex quo quidem sacrum ejusdem corpus apud vos tumulatum habere prætenditis. Nos igitur super hac re non parum moti, sedulâ mente nobiscum considerantes præfatum Sanctum in dignitate Archiepiscopali Cantuariensi nos præcessisse ibidemque mortem obiisse, quo fit ut in eadem ecclesiâ & non alibi sepulturam sibi delegisse verisimiliter optimo jure credatur: Cupientes rei certitudinem investigare, an corpus (videlicet) suum in dictâ Ecclesiâ nostrâ Cantuariensi humatum remaneret; quùm proximis his diebus illic adessemus, de illo sumus diligenter perscrutati. Maturâ itaque inquisitione factâ, invenimus in eâdem Ecclesiâ nostrâ quandam capsulam ligneam in modum tumbæ erectam, ferro circumligatam, in parte australi summi altaris servatam, ubi verissime cernitur præfati Sancti Dunstani corpus honorifice sepultum jacere. Quam quidem capsulam dilecto fratri nostro ejusdem Ecclesiæ nostræ Priori moderno ac nonnullis Commonachis suis nec non quibusdam Notariis publicis, viris recte probis atque discretis, multisque aliis personis fide dignis (quadraginta numero) tunc & ibidem ex mandato nostro astantibus ac hæc cuncta (ut tum fiebant) haud obscurè intuentibus, cum eâ qua decuit reverentiâ aperiri fecimus. Qua apertâ, invenimus intra eandem quandam cistam plumbeam, & sub intus unum parvam peciam plumbi de longitudine unius humani pedis, hujusmodi literis insculptam. Hic requiescit Sanctus Dunstanus Archiepiscopus. Deinde intra eandem cistam quædam linthea candidissima (velut balsamis suavissimè redolentia) reperta fuere; quibus revolutis Calvam capitis memorati Sancti integram atque diversa sui corporis ossa cum multis aliis ejusdem reliquiis inibi etiam reperimus. Cæterisque probabilibus testimoniis manifestè apparet præfatum Sancti Dunstani corpus venerabile non alio loco quàm in Ecclesiâ nostrâ prælibatâ requiescere debere. Quare vehementer admiramur tantâ vos cæcitate tantâve temeritate aut audaciâ duci; ut non vereamini asserere præfatum corpus apud vos habere sepultum. Ex quo maximum Ecclesiæ Dei scandalum exoritur; populusque hujus regni in non modicum errorem, superstitionem atque confusionem inducitur. Neque revera errore carere potest; quòd unius Sancti corpus in diversis credatur esse locis; Aut quod unum corpus pro altero reputari aut coli deberet. Unde valde est timendum, ne Deus ipse ex illo gravissimè offendatur, vosipsique haud mediocriter fallamini. Ne igitur tanta labes tantaque abusio in eminentius malum paulatim (si diutiùs permitteretur) irrepserit; utque rei veritas clariùs patefiat; Fraternitatem vestram instanter hortamur, rogamus & requirimus, ut ad nos erga festum translationis Divi Thomæ Martyris proximum futurum sese conferre, scripta monumentave prætensum suum titulum in hac parte foventia (si quæ talia haerit) secum deferens. Nec erit inconsultum Fraternitati vestræ; quoniam præfata res ipsa non parvi fuerit ponderis aut momenti, ut si commodè fieri poterit, in personâ suâ propriâ ad nos accedat Sin autem; quosdam consiliorum suorum prudentiores plenè ac perfectè de mente suâ instructos in hac causâ erga antedictum tempus ad nos transmittere diligenter curet. Nec imprudenter faciet; si hujusmodi reliquias præfati Sancti Dunstani, quas in Monasterio suo habere prætendit, ne iterum aperiri aut à populo coli aliquo pacto sinat: ne si aliter fieret, major tumultus, scandalum atque error ex illo sequeretur.

Ex Lambeth IV. Junii, Anno Pontificatûs nostri quinto.

Exemplar

Exemplar Literarum Abbatis Glastoniæ.

Reverendissime in Christo Pater, post humillimam commendationem. Literas Paternitatis vestræ ea qua decuit reverentiâ accepi; In quibus scriptum erat, eandem jamdudum audire nos feretrum quoddam Divi Dunstani in Ecclesiâ nostrâ publicè erexisse, ex eâque prætendere corpus ejus apud nos habere sepultum. Humillime respondeo nos feretrum quoddam memorati Sancti Patroni nostri & amplificatoris eximii plus abhinc ducentis annis in Ecclesiâ nostrâ per religiosos patres nostros antecessores erectum auroque & argento pulcherrime fabricatum cum potestate & autoritate Episcopi Diœcesis à loco in locum transmovisse, non aliam ob causam nisi ob Dei gloriam, Sancti ejus ad honorem, & majorem Monasterii nostri decorem; quæque addi potest, quòd inter multos ad locum ubi priùs stabat confluentes propter Divi Pantaleonis & aliorum Sanctorum devotionem, ob quorum venerationem ille locus frequenter invisitur, Aliquando etiam inventi sunt, qui de scrinio ejus, quod manu tangi poterat, particulas quasdam argenteas atque deauratas surripiebant. Ut igitur ab istiusmodi compilatoribus tutius esse possit; in loco aliquanto editiori collocavimus. Nos non prætendentes ejus corpus apud nos sepultum fuisse, sed sacra ejus ossa post destructionem Ecclesiæ vestræ Cantuariensis per Danos factam ad nos allata fuisse & comportata. Quòd itaque Reverendissima Paternitas vestra se diligentissimè nuper perscrutatum esse, an ejusdem Sancti corpus in Ecclesiâ suâ Cantuariensi sepultum adhuc remaneret; & sic invenisse in unâ cistâ plumbeâ quandam minutam peciam plumbi hujusmodi literis insculptam (videlicet.) HIC REQUIESCIT SANCTUS DUNSTANUS ARCHIEPISCOPUS. Quibus revolutis, Calva capitis Sancti Dunstani apparuit integra cum pluribus sui corporis ossibus. Et propter hæc argumenta eandem reverendissimam Paternitatem vestram admirari nos prædictos viros tantâ cæcitate aut audaciâ duci, ut non vereamur illud corpus apud nos tumulatum esse affirmare. Reverendissime Pater fieri poterat, ut maximâ parte reliquiarum ejus ad nos comportatâ aliqua ibi relicta, vel ad petitionem confratrum Cantuariensium post curriculum temporis in Monasterium suum restitutorum, sive illic ad contemplationem alicujus Archiepiscopi transmissa sit: Quoniam etiam * quinque post Divum Dunstanum à Monasterio nostro Glastoniensi istinc ad Archiepiscopatum promoti sunt. Cujus rei eo faciliùs conjecturam facio; quòd nos ossa ejus majora firmioraque habemus. Dilecti vero fratres Cantuarienses, quatenus ex Reverendissimæ Paternitatis vestræ literis vel ex eorum publicis scriptis colligi potest, tantùm quasdam minutias: nos occipitium & cœlum capitis, illi calvam seu cranei priorem partem possident. Quod si verum sit, intimâ caritate gaudeo, Deum immortalem dilectum Sanctum suum diversis in locis velle honorari, sicuti nonnulli honorantur, sine scandalo aut aliquo tumultu populari. Cæterùm quod hortatur nos Reverendissima Paternitas vestra in calce li-

* Historia Glastoniensis (in Monastico Angl. Tom. 1. p. 8.) & Willelmus Malmsburiensis (de gest. Reg. l. 2. c. 11.) ex Cœnobio Glastoniensi ad Archiepiscopatum Cantuariensem post Dunstanum evectos numerant Ethelgarum, Siricium, Elphegum & Ethelnothum. Quintus non occurrit. Immo quintum non fuisse constat ex Catalogo Abbatum Glastoniensium quem Tomo 1. exhibui. Ante Dunstanum quidem Berhtwaldum & Athelmum Archiepiscopos è Cœnobio suo prodiisse Glastonienses voluerunt.

terarum

terarum suarum, ut prohiberemus Sancti Dei reliquias aut aperiri aut à populo coli; si in eam sententiam vellemus concedere, quod Reverendissimæ Paternitatis vestræ veniâ dilectissimorum quoque fratrum pace dicatur, non tam cæci & audaces, quàm prorsus nefarii atque impii dicendi essemus. Quis enim vel temerarius non timeret, ne gravissimè inde Deus offenderetur, si mortalis immortalem suspenderet, aut in hac militiâ labilis peccator triumphantis insignia desecraret. Quod porrò si fieret; maximum quoque scandalum, tumultus & periculum sequeretur; quæ nobis in Reverendissimæ Paternitatis vestræ literis humanissimè proponuntur ad terrorem. Quicunque enim præsens cerneret assiduum concursum populi, vestibus exuti, nudis pedibus quotidie supplicantis; diceret nobis proculdubio, id quod Actuum quinto à Gamaliele dictum legitur: [b] *Sinite illos, ne forte & Deo repugnare videamini.* Certè ego tum populi devotionem, tum omnipotentis Dei promissionem, qui in Sanctis suis perpetuo gloriosus est, accurate pensans, nullo modo audeo tentare; quod contra Sancti ejus æstimationem esse possit; sed totus intremisco vel tale aliquid deliberare; præsertim quando non solùm Chronicæ antiquæ sed etiam vulgaris fama decantat, ejus sacra ossa verè & indubitanter apud nos esse. Quo fit, ut quidam contermini nobis Parochiani singulis annis in die fœlicissimi ac beatissimi Patroni nostri Sancti Dunstani (qui alioquin professus est) ab operibus domesticis feriati, ad Ecclesiam nostram Glastoniensem, tam viri quàm fœminæ, tam patres familiarum quàm mercenarii eorundem seu villici, summâ cum veneratione ex vetusto quodam ritu conveniunt. Inter quas quidam è majoribus natu coram cæteris autoritate Apostolicâ à publicis Notariis interrogati, qua religione id facerent; Responderunt se à veteribus didicisse, Patres parentum eorum ossa Sancti Dunstani dum per eorum confinia à Cantuariâ Glastoniam deportabantur, eo modo ad Ecclesiam nostram Glastoniensem cum devotione fuisse insecutos, & propterea eos parochianos in rei memoriam solere usque in hodiernum diem non solùm in eo die feriari, sed etiam ad Ecclesiam nostram Glastoniensem devotionis causâ venire. Quod si aliquis eorum ita facere recusaverit, aut rei suæ attentior à laboribus eo die non supersederit: eo anno nihil prosperè ei succedere, sed vel armenti vel rei familiaris grave dampnum & jacturam facere: Quod contigit in diebus adhuc viventium persæpe. Itaque minori cum scandalo (salvo judicio Reverendissimæ Paternitatis vestræ) dilecti fratres Cantuarienses reliquias suas nuper inventas tantisper celare possent; dum vel cum reliquiis nostris comparatione factâ, unde si verè ejus sacræ reliquiæ sunt, proculdubio commanârunt, vel per aliqua scripta vetusta certiores facti, omni ambiguitate & scrupulo remotis, homines intelligant eas, quas Cantuarienses se habere dicunt, veras esse reliquias ejusdem Sancti qui tot annis apud nos in veneratione maximâ ab universo populo est habitus. Hæc autem eo diffusiùs scripsi; quòd aliquantulum laborans adversâ valetudine (sicut vellem & debeo) ipse venire ad Reverendissimam Paternitatem vestram hoc tempore non possum. Quocirca eandem impensè rogo obtestorque; ut hanc valetudinem meam excusatam habeat, qui ejus causâ sum omnia libenter facturus, citra Ecclesiæ meæ aut Monasterii juris præjudicium aut Dei Optimi Maximi Sanctorumque ejus offensam. Quorum præsidio perpetuo fulta sit eadem Reverendissima Paternitas vestra.

[b] Act. V. 38.

Scripta Glastoniæ quarto Kalendas Julii.

Exemplar

Exemplar Literarum Domini WILLELMI WARHAM Cantuariensis Archiepiscopi ad Abbatem Glastoniæ missarum.

HOnorande frater, post condignam commendationem. Vestras literas à quodam vestri ordinis Monacho accepimus; quibus feretrum quoddam Divi Dunstani in Ecclesiâ vestrâ ad multos hinc annos fuisse erectum, vosque grandiora ejus ossa possidere scribitis, neque audere reliquias prætensas à populo coli prohibere. Quantum verò ad primum attinet; nondum nobis quoquam pacto innotescit, quanam auctoritate aut quo jure jurisve colore tale feretrum erectum extiterit. Quod si fortè à vestris (uti scribitis) antecessoribus minùs prudenter attemptatum factumque fuerit; id negligenter ulteriùs haud permittendum erit, sed rectè ac justè reformandum. Quod autem scribitis præfati Sancti ossa post destructam Ecclesiam nostram per Danos ad Monasterium vestrum fuisse apportata, nihilque præter quasdam sui corporis minutias in Ecclesiâ nostrâ relictum. Hæc si vera essent, quod certe à nobis credi non potest, qua tamen auctoritate quove titulo hujusmodi ossa fuerint ad vos allata non edicitis. Absentia vero Monachorum Ecclesiæ nostræ tunc temporis fratribus vestris aliquas illinc auferendi reliquias nequibat auctoritatem tribuere. Cùm ergo nec Summi Pontificis nec Archiepiscopi nec Fratrum illius Ecclesiæ pro tempore existentium (sine quorum consensu præfatæ Reliquiæ ad alia loca de jure transferri non poterant) consensus & auctoritates vobis & Monasterio vestro factos minime exhibere valeatis; non videmus qua ratione hujusmodi Reliquias habere prætendatis. Quòd si forte vestri Monachi eas suâ audaciâ ac violenter abstulerint; in eo se sacrilegium ac furtum commisisse facilè convincuntur. Neque hujusmodi Reliquiarum detentores aut eis consentientes tractu vel diuturnitate temporis sacrilegii poterint prætendere sese immunes, neque sine debitâ restitutione absolvi. Longe præterea à veritate videtur alienum, maximam (ut asseritis) illius Sancti Reliquiarum partem apud vos esse; cùm manifestum ac clarissimum sit tam brachiorum quam tibiarum ossa grossiora, costas etiam & spondilia totumque capitis tegumentum integrum, cæteraque omnia tot & tanta corporis ipsius particularia ossa, quot & quanta ex aliquo corpore defuncto tot annis in visceribus terræ jacente remanere sit possibile, in capsâ illâ in qua venerandum corpus suum collocatum atque reconditum fuit, adhuc contineri; quæ non modo oculis inspeximus, verùm etiam & manibus palpavimus. Hæc enim res ipsa, multorumque fide dignorum, qui præmissa etiam viderunt, testimonium nobis tacentibus verissima comprobabit. Nolite igitur cogitare, Hæc aut fictè, aut minus verè à nobis prædicari. Quicunque enim præmissa, quemadmodum nos vidimus, inspexisset; fateretur proculdubio verum prælibati Sancti corpus absque diminutione quapiam in Ecclesiâ tunc suâ, nunc (licèt sine merito) nostrâ requiescere. Quare desinite frustra deinceps conjicere inaniterve jactitare maximam Reliquiarum ejus partem penès vos remanere, aut aliquas minutias vel ad Fratrum Cantuariensium petitionem vel alicujus Archiepiscopi contemplationem ad Ecclesiam nostram à loco vestro fuisse transmissas; quoniam impossibile est unius & ejusdem corporis ossium majorem partem & apud vos & apud nos in Ecclesiâ nostrâ posse simul haberi. Quod postremò scribitis vos subvereri, ne gravissimè Deum offenderetis, Sanctumque suum afficeretis injuriâ; si ejus, quas asseritis apud vos, Reliquias aperiri colique prohibere videremini. Qui enim veras adoraverit reliquias,

Deo

Deo placet; non qui falsas, fictas vel incertas. In hoc Deum potiùs offendere quàm placere; Sanctoque suo summam inferre injuriam, eundemque magis inhonorare quàm honorare censemini; quòd alienum corpus suum esse fingitis, ac pro suo corpore usurpantes, venerationem sibi sacrisque ejusdem veris Reliquiis debitam aufertis, alieno simulatoque cadaveri irreligiosi attribuentes; & quod deterrimum est, populum in vanam ac superstitiosam culturam inducentes, qui in grave tum vestrarum tum suarum periculum animarum (quod vehementer est dolendum) vestris sinistris assertionibus maximè seducitur atque illuditur. Quis enim non formidaret se Deum valde offensurum; si Sanctum pro Sancto, aut corpus fictum pro vero & incertas Reliquias pro certis colere auderet? Hæc autem à vobis fieri nemo est qui nesciat. Quod enim dignum judicatis Fratres nostros Cantuarienses dictas Reliquias Divi Dunstani celare debere; ineptum certe ac minùs prudens consilium est; quoniam hi Fratres nostri in jure priores ac potiores existunt. Pro quarum etiam possessione jura præsumunt; propterea quòd Sanctus ille, dum in humanis agebat, sedi Archiepiscopali Cantuariensi præfuit; sepulturamque sibi in Ecclesiâ sua prælegit; ibique realiter sanctum corpus suum humatum fuisse à vobis non negatur. Quare æquum ac justum est vos, qui sine aliquo justo titulo hucusque exhibito hujusmodi Reliquias possidere prætenditis, usque ad realem tituli exhibitionem prætensas apud vos Reliquias ab aliis coli minime permittere. Si enim hæc Dei & Ecclesiæ causa non esset; haud tantopere contenderemus. Nam ob pristinam inter nos amicitiam vos Monasteriumque vestrum singulari quadam benevolentiâ & amore prosequimur. Hâc itaque unicâ duntaxat causâ exceptâ, aliis cunctis in rebus vobis pro virili nostrâ cupimus libenter gratificari. Jura equidem & Ecclesiæ nostræ dignitatem in omnibus quoad possumus fortiter tueri & conservare astringimur. Ut hoc itaque negocium æquâ lance trutinetur, justo exitu potiatur, omnimodæ ambiguitates, scrupulus, occasioque scandali prorsus tollantur; vos enixè hortamur, ardenterque requirimus; ut scripta, evidentias, munimenta, cæteraque omnia, quæ titulo in hac parte vestro suffragari videbuntur citra Omnium Sanctorum solennia proximò ventura sine ulteriori dilatione in medium afferre diligenter curetis. Quod si non effeceritis; hoc unum pro certissimo habetote, nos ubique per nostram Cantuariensem Provinciam literis nostris declaraturos, acriterque injuncturos; ne quis hujusmodi assertas apud vos Reliquias sub excommunicationis aliarumque ecclesiasticarum censurarum pœnis deinceps venerari aut pro veris Reliquiis reputare præsumat.

Ex Lambeth, decimâ Julii, Anno regni Henrici VII. XXIII. & Pontificatûs nostri V.

NICOLAI Epistola ad EADMERUM de Primatu Sedis Eboracensis in Scotiâ.

ELecto per Dei gratiam in Sancti Andreæ Cathedram Domino Edmero suus Nicolaus ex adversis ad jocunditatem prosperis successibus tendere æternam. In adversis, quæ te pati commemoras, patientia maximè necessaria est, deinde prudentia & industria ad evincendam gentis barbariem; Quam nullo ingenio citiùs tuis moribus quàm largitate dapsilitatis conciliare potes. Unde & Beatus Petrus Apostolus in instructionem Sancti Clementis, quem sibi successorem statuit, inter cætera taliter admonuit: *Caritatis recipiendæ & habendæ maximum erit fomentum; si frequenter inter vos communem cibum mensamque faciatis.* Et post pauca: *Propter quod communes facite cibos vestros cum iis, qui secundùm Deum fratres sunt. Per hæc enim præcipuè caritas comparatur.* Nec mirum, si barbaries indomita alicujus gentis his officiis emollita ad moralitatem flectitur civilem; cùm & ferocissimæ rationisque expertes feræ alimoniis humanisque attractibus delinitæ mansuescunt in tantum, ut hominum magis quàm consodalium affectent belluarum societatem. Quapropter, ut amicus de amico sollicitus, suggero, suadeo, admoneo te ut carissimum, quatinus supra vires etiam tuas dapsilitate & munerum largitate affectum omnium tibi comparare studeas; quia talibus officiis quàm maximè effera corda gentisque indomitæ barbariem ad tui amorem & sanam doctrinam ecclesiasticamque disciplinam suscipiendam emollire prævales. De his jam satis.

De Eboracensis autem Ecclesiæ primatu super Scotos, unde interrogâsti, nulla est auctoritas, nulla ratio vel exemplum patet, quod hoc astruat. Quippe cùm Eboracensis Ecclesia fidem & doctrinam Christianitatis, necnon & Pontificum consecrationem à Scottis sæpenumero mutuaverit; Scotti verò ab ipsâ nunquam, præter quod in Thurgodum (1) actum est. Nam postquam Eboracenses à fide apostatantes, primum Pontificem suum Paulinum à Cantiâ eis ordinatum expulerunt; Sanctus Aidanus Scottus & à Scottis destinatus & ordinatus, fidem Christi fideique sacramenta toti Northimbriæ strenuus invexit. Deinde ejus successores Eboracensis Ecclesiæ Præsules usque ad (2) quartum omnes à Scottis ordinati, imbuti, & illi Ecclesiæ destinati sunt.

(1) Turgodus Prior Dunelmensis anno circiter 1107. electus est Episcopus Santandreanus. Motâ autem ab Archiepiscopo Eboracensi controversiâ de subjectione Ecclesiæ Santandreanæ; dilata est aliquamdiu consecratio. Consecratus demum est post medium annum 1109. (ipsis Augusti Calendis juxta Mailrosensem) à Thoma Eboracensi jussu Henrici Regis Angliæ sine ulla subjectionis exactione, salvo tamen Ecclesiæ utriusque jure. Scotiam reversus, Ecclesiam sexennio fere rexit. Ortâ demum inter ipsum & Scotos multiplici lite, Romam adeundi licentiam à Rege petiit. Repulsam passus, in gravem animi mœrorem incidit; & Dunelmum recedendi licentiam postulavit & obtinuit. Repatrians igitur, obiit in Cœnobio Weremuthensi anno 1115. prid. Cal. April. feria tertia: postquam sedisset annos 8. menses 2. dies 10. Ista Simeon Dunelmensis uberiùs refert lib. de gest. Reg. Ang. p. 207. qui in designando obitûs tempore nonnihil erravit. Anno enim 1115. prid. Cal. April. cum feria quarta componitur.

(2) Aidano successerunt Finanus, Colmannus & Tuda; Scoti omnes, & à Scotis ordinati; qui quamvis Lindisfarnæ Sedem Episcopalem collocaverint; totam tamen Northanimbriam, Provinciam sc. Eboracensem, rexerunt. His enim Lindisfarnæ sedentibus vacavit Sedes Eboracensis annis circiter triginta.

(3) Unus etiam ex eis propter suam indiscretionem inutilis illi Ecclesiæ judicatus, ab ipsis Scottis depositus est. His omnibus Sanctus Beda attestatur in Historiâ Anglorum. Præsulem verò seu Doctorem aliquem Scottis destinatum vel ordinatum ab Eboracâ nulla docet Historia, nec etiam fabula, præter supradictum Thurgod. Cesset ergo Eboracensis Ecclesia Primatum Scottiæ sibi vendicando appetere; quam si haberet, cùm Præsul Sancti Andreæ summus Pontifex Scottorum appelletur; summus verò non est nisi qui super alios est; qui autem super alios Episcopos est, quid nisi Archiepiscopus est? licèt barbaries gentis Pallii (4) honorem ignoret. Si inquam super hunc, qui summus vocatur Pontifex suæ gentis, prælationem haberet Præsul Eboracæ; jam non tantum Metropolitanus, immo Primas esset alterius etiam Regni: Quod nusquam legitur. De Eboracensis Ecclesiæ Suffraganeis quid ad vos? Alias sibi quærat, non de vobis. Quòd si tot invenire, quot se æstimat habere debuisse, non valet; sibi imputet; non aliena invadere attemptet. Suæ quidem negligentiæ ascribitur, immo & cupiditati; quòd Suffraganeorum rato numero caret. Quippe cùm regnum satis amplum & sufficiens tot Episcopis sit. Sed Præsules ipsius Ecclesiæ cupiditate possessionum illecti, magis in destruendis quàm instituendis Suffraganeis laboraverunt. Unde ipsa sola Ecclesia sex Episcoporum parochias obtinens sibi vendicat; qui omnes certis Ecclesiis & Cathedris discreti erant. Prima Sedes Eboracæ. Secunda (5) ultra amnem Usæ in Ecclesiâ Christi prope civitatem. Tertia apud (6) Ripum. Quarta apud (7) Beverlie. Quinta (8) Haugustaldensis Ecclesia. Sexta (9) Casa Candida. Has omnes Ecclesias & earum

(3) Vult Wilfridum Seniorem; qui sede suâ sæpiùs est deturbatus à Regibus Northanimbriæ. Expulso primitus Wilfrido anno 678. subrogatus est in sede Lindisfarnensi Eata, natione Scotus & Abbas Mailrosensis. Hinc factum puto, quòd Nicolaus Wilfridum à Scotis depositum fuisse asserat.

(4) Antistites Santandreani Pallii usum ante annum 1472. non obtinuerunt.

(5) Deest in Codice MS. civitat. nomen. Quænam ista fuerit, haud facilè augurari possum. Ecclesias quidem Wigorn. & Lincoln. sibi subjici debere Archiep. Eborac. illo tempore contendebant. Utraque tamen proprium habuit Episc. & obedientiam sedi Cant. præstitit tempore Epist. istius scriptæ.

(6) Ecclesia Ripensis unicum Episcopum habuit, Eathedum sc. quem de Episcopatu suo Lindisiensi ab Ethelredo Merciorum Rege depulsum Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis Ecclesiæ Ripensi præfecit.

(7) Sedem Episcopalem Beverlaci positam nusquam legi. Johannes tamen Eboracensis Archiepiscopus, postquam Wilfridum juniorem sui loco substitutum consecraverat, ab Eboraco recedens, reliquum vitæ tempus Beverlaci exegit. Hinc natum Nicolao errorem puto.

(8) Antiquos Dioecesis Hagulstadensis limites hodie nescimus. Certè partem Dioeceseos atque ipsam Sedem Episcopalem Dioecesis Dunelmensis devoravit. Altera pars in Eboraci ditionem transisse videtur. Episcopatus Hagulstadensis defecit in Tilferdo Episcopo circa annum 821. authore Ricardo Hagulstad. lib. 1. in fine.

(9) Sedem Episcopalem Australium Pictorum Ninianus Episcopus ad Candidam Casam primus fundavit; teste Bedâ lib. 3. cap. 4. Nec sedem mutavit Episcopatûs, postquam Pictis ejectis regionem insedissent Angli; quibus primus Episcopus institutus est Plectelmus circa annum 730. authore eodem lib. 5. cap. 24. Provincia enim Gallovidiensis, quæ hodie pars Scotiæ habetur, olim Regibus Northumbriæ, adeóque Archiepiscopis Eboracensibus subjecta erat. Quin & Episcopi Gallovidienses longè post excussum ab incolis Anglorum jugum Ecclesiæ Eboracensis erant Suffraganei. Anno enim 1176. Christianus Candidæ Casæ Episcopus à Viviano Pontificis Romani Legato ad Concilium Scotiæ Episcoporum vocatus, respondit *Episcopatum suum ad legeantiam Eboracensis Archiepiscopi, qui eum in Episcopum consecraverat, secundùm antiquam utriusque consuetudinem pertinere*: referente Johanne Bromton in Chronico p. 1111. Vacavit fortè Sedes per plures annos Eadmeri tempore. Unde factum, ut Parochiam Candidæ Casæ ab Eboracensi devoratam Nicolaus scribat. Parvo post tempore, post annum sc. 1125. Thurstinus Archiepiscopus Eboracensis Gilaldanum Episcopum Candidæ Casæ consecravit; teste Thoma Stubbs, p. 1720.

parochias ipsa devorans, & in suum corpus trajiciens, sola obtinet. Vix duos sibi Suffraganeos reliquit, videlicet Lindisfarnensem quæ modò Dunholm dicitur, & Cumbrensem quam Johannes modò tenet. (10) Pictorum verò Episcopi Sedes, cujus mentionem Sanctus Beda facit, ubi fuerit penitus ignoro. Ipse tamen octavus Suffraganeus esse deberet. Plures verò nunquam habuit, sicut nec Lundoniensis ullum; negligentiâ videlicet Episcoporum & instabilitate gentis circa fidem sæpiùs apostatantis.

Ecce quantum epistolari brevitate potui, de his certum te feci. Plura ore ad os intimarem valde necessaria. De tuo autem negotio audi consilium meum. Dissolve (11) litigium de te Cantiæ & Eboracæ, Principumque Angliæ Scotiæque; & favore Regis Scottorum Apostolicum sacrandus expete. Negotium Ecclesiæ tuæ gentisque strenuus exequere; nec te præsulante libertatem dignitatemque suam amittat. Quòd si hoc tibi placet; cave nè per Regem Angliæ transitum facias, & ne Eboracensis Ecclesia hoc percipiat; ne impediatur conatus tuus. Ego verò paratus sum, quod etiam volo ut ipsi Scottorum Regi dicas; quia si necesse fuerit, in Concilio Romano diratiocinare libertatem dignitatemque Regni & Ecclesiæ Scottorum ab Eboracâ. Præterea rogo & valde obsecro; ut margaritas candidas quantum poteris mihi adquiras. Uniones etiam quascunque grossissimas adquirere potes, saltem quatuor mihi adquiri per te magnopere postulo. Si aliter non vales; saltem à Rege, qui in hac re omnium hominum ditissimus est, pro munere expete. Vale.

---

(10) Pictos Septemtrionales & Australes Beda memorat, illos ad fidem conversos à Columba Presbytero anno 565. istos multò antè tempore à Niniano Episcopo, *Hist. lib.* 3. *cap.* 4. Septentrionalium Episcopum à Beda memoratum non memini: neque illi quid cum Eboracensibus Archiepiscopis commune habuerunt. Australium autem Episcopus non alius erat quam ille Candidæ Casæ Witternensis dictus; de quo in Annotatione superiori.

(11) Eadmerus ad Episcopatum Santandreanum postulatus, consecrationis munus nunquam obtinuit. Ipse enim nimiâ Ecclesiæ Cantuariensis, cujus erat Monachus, veneratione ductus, Ecclesiam Santandreanam Cantuariensi subjicere & à Radulpho Archiepiscopo consecrationem suscipere voluit. Contra Turstinus Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiam Scotiæ ad jus suum spectare contendit. Alexander Rex neutri Anglorum Archiepiscopo Ecclesiam regni sui subdi voluit; & Eadmero ut Romam profectus consecrationem à Papa obtineret, suasit. Nicolaus igitur Regi morem gerendum, & Ecclesiæ Scoticæ libertatem asserendam monet. Serò nimis Consilium amici prudentissimum Eadmerus admisit; quamobrem & dignitate excidit. Cautiùs rem gessit successor ipsius Robertus; qui ab ipso Archiepiscopo Eboracensi sine ullâ professionis subjectione Consecrationis munus obtinuit; prout ex Charta sequenti constat.

Charta

Charta TURSTINI Archiepiſcopi Eboracenſis de Conſecratione ROBERTI Epiſcopi Santandreani.

[Ex Bibliothecâ Cottoniana, *Titus A.* 19.]

THurſtinus * Archiepiſcopus Dei gratiâ Eboracenſis, univerſis ſanctæ Eccleſiæ filiis ſalutem. Notum ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris abſolutè me conſecrâſſe ſine profeſſione & obedientiâ pro Dei amore & Regis Scotiæ venerabilis David Robertum S. Andreæ Epiſcopum, ſalvâ querelâ Eboracenſis Eccleſiæ & juſtitiâ Eccleſiæ S. Andreæ. Et ſi Archiepiſcopus Eboracenſis de querelâ ſuâ loqui voluerit; Rex plenariam rectitudinem remotâ malevolentiâ ei exequetur, ubi juſtè debebit. Teſtibus Ranulfo Dunelmenſi Epiſcopo, Johanne Glaſcuenſi Epiſcopo, Radulfo Orcadenſi, Galfrido Eboracenſis Monaſterii Abbate, Herberto Rocosberienſi, Waldevo de Creilant, Adulfo Priore, Nicholao Sconenſi, Waltero de Gant, Euſtachio filio Johannis, Hugone de Cavo, & toto S. Petri Capitulo, Galfrido Murdac aſchetin de Kulmere; & de Scotiâ Almaro milite, Alden filio Adhelwold, Ulchil filio Mernin, Ulchil filio Maldred, Gille, Colman, Slugedt, Roberto de Watervile, Rogero Coyneres.

* Turſtanus Robertum conſecravit anno 1128. qui *nullam (ut dicitur) profeſſionem de quavis ſubjectione vel obedientiâ Eccleſiæ Eboracenſi aut ejus Pontifici facere permiſſus à Scotis eſt; licèt Eboracenſis Canonicus fuerit.* Florentius Wigornienſis.

EADMERI

EADMERI Epistola ad Monachos Wigornienses de Electione Episcopi.

[Ex Bibliotheca Cottonianâ, *Claudius* A. 1.]

Epistola * *Edmeri Fratribus Wigornensibus.*

DOminis & fratribus suis, Domino videlicet karissimorum karissimo Priori N. & aliis omnibus Wigornæ Deo servientibus frater E. ipsorum totus pacem Dei omnem sensum exuperantem. Pater vester, Episcopus vester, ut scitis, à sæculo transiit; & vos orphani relicti estis. Sed utinam ille qui dixit Discipulis suis: [a] *Non relinquam vos orphanos*, vos orphanos non relinquat. Et utique non relinquet, si vos eum primi non reliqueritis. Non relinquetis autem; si pacem inter vos habueritis. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum. Pacem igitur habete inter vos: & Deus pacis erit vobiscum. Quòd si Deus fuerit vobiscum; pro certo erit & pro vobis. Et si Deus pro vobis; quis contra vos? Karissimi mei, precor vos, precor vos propter Deum & propter honestatem sanctæ conversationis vestræ, unum estote in Christo Jesu, fundati in radice caritatis in ipso. Quòd si ab invicem divisi fueritis; timendum est vobis & amicis vestris, ne in desolationem corruatis, juxta verbum Domini qui dicit. [b] *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur*; Cogitate in quantam invidiam quorundam malignorum hominum Ordo Monachicus hoc tempore venit; & quantum nitantur eum saltem ab Episcopatibus extirpare. Cavete igitur propter animas vestras: ne primi sitis qui extirpemini. Si consilia, quibus hactenus usi estis, pacem pepererunt inter vos; & terras vestras, ex quibus victum, vestitum & omnia necessaria habere debetis, in manibus vestris diligentissimè cultas retinuerunt; & ornamenta Ecclesiæ in quibus Deo servitis sacratissimâ curâ ne quoquam distraherentur conservaverunt. O Domini mei, illa tenete; nec ab illis gratiâ cujusvis amici velitis discedere. Quòd si horum aliqua contraria inter vos operata sunt; propter omnipotentem Deum nullius amor vos in eis detineat, nullius blanda promissio ullâ ratione seducat; ut in eis permaneatis. Servite Deo, & omnia necessaria ministrabit vobis. Nemo dicat: non serviam Deo, nisi omnia quæ animo meo sedeant, priùs habuero. Qui enim hoc dicit, priùs mercedem exigit, quàm servitium cui merces debetur exhibere velit. Quod quàm ineptum sit etiam inter homines, quivis ratione utens satis advertit. Vos autem videte, quid agat sanctitas vestra. Ego stultus factus sum monendo me meliores & utique per omnia sapientiores. Sed revera caritas vestra me coegit. Valete igitur & orate pro me: & perdonate mihi hanc noxam. Omnipotens Deus dirigat vos & actus vestros in beneplacito suo. Amen.

[a] Joan. XIV. 18.

[b] Matth. XII. 24.

* Præcedit in eodem Codice Epistola Prioris & Conventûs Wigorn. ad Willelmum Archiepiscopum Cantuariensem, petens ut liberam sibi novi Præsulis electionem a Rege impetret. Sequitur responsio Willelmi Archiepiscopi consolatoria de morte Pastoris. Solus è Wigorniensibus Episcopis Theulfus tempore Willelmi Archiepiscopi obiit. anno sc. 1123. 12. Cal. Novembr. Illi successit Simon, anno 1125. electus, non ex grege Monachorum, quod enixè suadet Eadmerus, sed è Clero Sæculari.

WILLELMI

WILLELMI

Monachi & Bibliothecarii MALMSBURIENSIS

LIBRI III.

DE VITA

S. WULSTANI

Episcopi Wigorniensis.

VVillelmi Malmesberiensis
LIBRI III
DE VITA
S. WULSTANI,
Episcopi Wigorniensis.

Epistola WILLELMI ad Fratres Wigornienses in Vitam Venerabilis WULSTANI, Wigorniensis Episcopi.

DOmino venerabili Guarino Priori & omni reverendissimo Wigorniensi Conventui Willelmus amorem filii, clientelam famuli. Dudum à vobis jussus in sancti Patris nostri Wlstani vitâ manum ponere, aliquamdiu subterfugi officium. Subterfugii causæ plurimæ; sed ea vel prima vel maxima, quòd cùm sim imparis meriti conscius, ulteriora viribus arrogo, si Sanctum laudo. Non est enim speciosa laus in ore peccatoris. Huc accessit, & præceptum vestrum non mediocriter labefactavit metus, ne obedientiam meam quorundam pulsaret livor; si opus invaderem, ut hactenus intemptatum, ita meliori relinquendum. His causis exterritus, linguam obstinato frænâssem silentio; nisi spes de pietate Beati Antistitis concepta mederetur formidini, accurreret solatio. Consuevit enim B. Wlstanus nudis etiam se verbis amantes tum offensarum remissâ donare, tum protectionis suæ umbone defendere. Multò magis igitur perpetuam de se meditanti scripturam & venia favebit, & emolumento sermonis non deerit. Dignabitur etiam Dominus Christus de hoc opere amolirî omnem invidiam; quod susceptum est non scientiæ supercilio, sed sinceræ devotionis obsequio. Quapropter ejus ope fretus faciam quod imperâstis. Non ulteriùs munus meum obnubet periculosa cunctatio; sed moram præteriti temporis executionis celeritate compensabo. Et vos quidem, dum vitalis adhuc auræ compotes, probè cognoscetis me nichil dicere, quod non sit solidâ veritate subnixum, quod non sit probabilium virorum testimonio compertum. Adeò antiquorum mentibus insederunt visa; adeò juniores amplectuntur audita. Posteris verò quando gestorum memoria frigebit, poterit subesse dubitatio; nisi testem idoneum produxero. Quocirca quia non nisi exactâ fide deberent recitari gesta Sanctorum; dabo vadem non improbabilem dictorum

rum

rum meorum. Is erit * Colemannus Monachus vester; vir nec scientiâ imperitus, nec sermone patrio infacetus. Scripsit enim Anglicè, ne gestorum avolaret memoria, Vitam ejusdem Patris; si attendas ad sensum, lepore gravi; si ad literam, simplicitate rudi. Dignus, cui fides non derogetur in aliquo; quippe qui noverit intimè mores magistri ut discipulus, & religionem ut quindecim annis Capellanus. Hujus ego, ut voluistis, insistens scriptis, nihil turbavi de rerum ordine, nihil corrupi de gestorum veritate. Sanè verbis, quæ vel dicta sunt vel in tempore dici potuerunt, enarrandis supersedi, consulens in omnibus veritati, ne videretur periclitari. Otiosi enim est hominis & suæ indulgentis facundiæ, cùm gesta sufficiant, verba nundinari; nisi fortè sint aliqua, quæ propter eximium sui splendorem brevem exigant mentionem. Quæ cùm ita sint, hanc quæso mihi redhibete gratiam; ut ab hoc opusculo & æmulos dignemini summovere, & obsequium meum piissimi Wlstani sensibus, quò præsentiores estis, insinuare, Domini Venerabiles & meritò amabiles Patres.

* Hunc postmodum Priorem Westbiriæ à Wlstano creatum Willelmus infra refert lib. 3. cap. 10. Obiit anno 1113. die 4. Non. Octobris. Si Florentio fides. Is plura ab Hammingo Subpriore Wigorniensi de rebus Wlstani gestis accepit. Hammingus iste Wlstani jussu scripsit Librum de possessionibus Ecclesiæ Wigorniensis; qui extat in Monastico Angliæ, Tom. 1. p. 128.

PROLOGUS.

PROLOGUS.

MUlta, & ut nostra fert opinio, innumera sunt in Scripturis Sanctis; quibus divina dignatio mentes mortalium ad bonæ vitæ cultum informat, tum præcepta tum exempla. Illis qualiter vivendum sit instruimur; istis innuitur quàm sint Deo juvante factu facilia quæ jubentur. Natura porro huncquibusdam ingeneravit animum; ut quamvis utraque sciant necessaria, magis tamen exemplorum quàm exhortationum eos prolectet auditus. Et veterum quidem gestis pro antiquitatis assurgunt reverentiâ; sed alacriori capiuntur dulcedine, si alicujus Sancti, qui nuperrimè fuit, vita producatur in medium; in qua sicut è speculo conspicentur, ut ita dictum sit, vivum religionis simulachrum. Accedit enim jocundæ relationi novitas; nè aliquis desperet à se per Dei gratiam fieri posse, quod audit ab alio de proximo factum fuisse. Unde non contemnenda, sicut opinor, cura successit animo B. Wlstani Episcopi Wigornensis vitam nequaquam posteris invidere, sed eam stilo qualicunque æternæ mandare memoriæ. Fuit enim vir ut nostris temporibus affinis, ita priorum patrum virtuti non absimilis. Quapropter benigno Lectori grande paciscor commodum; ut quanquam eum non minùs quàm priscos pro miraculorum gloriâ suscipiat familiariter, tamen pro recenti ætate mores ejus æmulo exercitii pede sequi contendat. Nec verò hæc dico, quòd multis hanc beatitudinem arrogem; ut sicut ipse fuit imitator Christi, sic possint eum imitari. Pauci quin potiùs, pauci quos æquus amabit Jesus, poterunt quasi longo ad eum respicientes intervallo virtutum ipsius vestigiis insistere, potiùs quàm ipsas sibi perfectio insculpere. Adeò quòd salvâ majorum reverentiâ dixerim, nullo incontinentiâ vitiorum inferior fuit: adeò virtutum studium cœptum à tenero fœlici ad senectam continuavit proposito. Quocirca par fuerat, ut scriptor gestorum ejus esset limatus linguâ & probatus scientiâ, quatenus sublimia facta non humili proferrentur eloquio, & laudata laudator sequeretur exemplo. Mihi verò nec oratoria facultas suppetit; nec de integritate vitæ animus applaudit. Sola me palpat & urget obedientia; ne munus quod fraterna necessitudo imponit, sponsum præsertim & animæ fructuosum obstinatè recusem. Assit mihi Spiritûs Sancti clementia; ut eodem inspirante noster dirigatur stilus, quo auctore bene operatus est Wlstanus. Et quidem qui rhetoricis nituntur institutis, ita sermonem suum instituunt; ut [a] post auditorem suum benevolum, mox attentum, postremò docilem reddant. Ego quoque, cùm res expostulat, non omitto. Hic porrò eo modo rhetoricari extra propositum est. Est enim ex abundanti argumenta quærere, ubi & ad credendum fides excitat, & ad legendum materia invitat. Qua de causâ pio patri lectores non defuturos arbitror; dum polus rotabit sidera, dum ulla in mundo erit litera. Hanc ipso sibi apud homines per Dei misericordiam vivens locavit & post fata tenet gratiam. Sed hactenus proœmium traxisse suffecerit. Nunc cœlesti freti auxilio, opus destinatum tali ordiemur initio.

[a] l. primò.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Pagus est in regione Merciorum non incelebris Warwicensis dictus. Is habet villam Icentunæ vocatam; cujus jam inde à proavis incolæ parentes venerabilis Wlstani fuere. Pater Æthelstanus, mater Wlfgeva nominati; nec tenues censu nec natalibus abjecti. Conjugali affectu magis quàm pruritu conjuncti, meruere filium, in præclarum Angliæ decus evasurum. Puero Wlstanus vocabulum datum, ex anteriore materni & posteriore paterni nominis parte compositum. Primis elementis literarum apud Evesham initiatus, perfectiori mox apud * Burch scientiâ teneras informavit medullas. Gratum dictu, quantum jam tunc futurarum virtutum indolem crebris parturiebat indiciis, vix dum primum pueritiæ limen egressus; ita quod maturum, quod sanctum, prædicabilis pueri spirabat & loquebatur modestia. Jejuniis quantum id ætatis homo pateretur, operam non negare; humiles in excelsum orationes porrigere. Pueriles garritus, illecebrarum fontem, primùm in se tum in aliis aspernari. Maturæ vitæ vestigiis instare; adeò ut coævos & etiam majores natu supplicibus conveniret precibus; quatinus sibi bene vivendi simulachrum ipsi bene vivendo effigiarent: siquid perperam faceret, arguerent; ipse libens correctioni manus daret. Devotio provexit usum; ut nihil videret imitandum, quod non formaret in exemplum. Monstrabat nimirum his factis se sapientem & esse & fore; juxta quod divina sapientia Solomonis innexuit literis. [b] *Corripe*, inquit, *sapientem*; *& amabit te*. Nec minùs illud in se naturaliter rapiebat, quod olim Philosophia ex aditis effudit suis. Semper aliquem bonum virum ante oculos mentis proponendum; cujus respectu mores componantur. Non enim à justitiâ facilè deviat, qui semper vel Deum vel hominem cogitat, cujus timore peccata compescat.

(b) Prov. XIX. 25.

Habebat tunc Magistrum Ervenium nomine, in scribendo & quidlibet coloribus effingendo peritum. Is libros scriptos, Sacramentarium & Psalterium, quorum principales literas auro effigiaverit, puero Wlstano delegandos curavit. Ille preciosorum apicum captus miraculo, dum pulchritudinem intentis oculis rimatur, & scientiam literarum internis haurit medullis. Verùm doctor ad sæculi spectans commodum, spe majoris præmii Sacramentarium Regi tunc temporis Cnutoni, Psalterium Emmæ Reginæ contribuit. Perculit puerilem animum facti dispendium; & ex imo pectore alta traxit suspiria. Mœror invitavit somnum; & ecce consopito assistens vir vultûs Angelici tristitiam propulsat, librorum reformationem promittit. Nec minus pollicito sed multò pòst evenit; sicut progrediens sermo dicere perget.

* Wlstanum Monachum quondam fuisse in Cœnobio S. Petri apud Burgum, Ingulphus, & Johannes Abbas Burgi in Chronico MS. produnt. Ex Willelmo tamen liquet illum habitum Monasticum Burgi non induisse, sed nec gessisse, primis duntaxat literarum elementis ibi in ætate puerili institutum.

Itaque vernans ætas, pueritiâ exclusâ, adoleſcentiam induxerat; & erat Wlſtanus quantum ætate auctior, tanto ſcientiâ provectior. Denique nunquam, ut ea fert ætas, aliqua labe caſtimoniam perdidit; ſed integri pudoris palmam in cœlum tulit. Aderat ei in cunctis divinæ gratiæ liberalitas; ne vacillaret arbitrii libertas. Senſerat ipſe olim infuſum ſibi cœlitus caſtitatis munus; nec quin diceret ingrato ſilentio indulſit. Sed cœleſte nectar quod hauſerat, ſine livore aliis propinavit. Quod quatinus actum ſit, dicam; ut poſteris liqueat, quanta Dei gratia juvenem & prævenerit & ſubſecuta ſit. Reverſo Delvith ad parentes puella è vicino nata ad naufragium pudoris & illecebram voluptatis erat moleſta. Denique manum prenſitare, oculo annuere; & cætera quæ ſunt moriturae virginitatis indicia laſcivis etiam geſtibus impudicitiæ facere ſolebat. Sed cùm is caſtitatis inſtinctu impudicæ deſideria fruſtraretur; hoc modo penè illum venata eſt. Convenerat in campum frequens cœtus adoleſcentum, cuinam lætiùs ludo vacans non definio. Curſitabatur, ut fieri ſolet in talibus, virentis graminis æquore; plauſui & favori adhortantium reſpondebat ſtridulus aer. Emicat inter alios Wlſtanus; communique cunctorum judicio illius ludi triumphum reportat. Agreſtium multitudo in laudes acclamat; eaſdemque, ut ejus famularetur auribus, repetit & geminat. Delectaretur alius his næniis; & flatu adulantium concitatus, bullatas in corde formaret ampullas. At ille nec corporis nutu nec animi motu laudantibus adquievit. Quocirca ut de hoc Diabolus victus alio modo triumpharet; puellæ prædictæ, quæ prope aſtaret, infudit animo ut accurreret. Illa non ſegnis geſtibus impudicis, motibus inverecundis plauſibilem pſaltriam agit; ut amaſii ſui ſerviret oculis. Nec minùs ille, qui verbis & tactui non ceſſerat, infractiori geſtu totus reſolutus in amorem anhelabat. Veruntamen reducto continuò ad bonum animo, & lacrimas fudit, & fugam in dumoſa & vepribus hirſuta loca intendit. Jacebat ergo longiuſcule; aliis nihilominus jocum continuantibus. Ibi multa volventi & plurimis ſeipſum accuſanti ſopor irrepſit; fuitque tunc prodigium conſpicari. Nubes enim ſerena & blando fulgore oculis intuentium alludens ſupernè deſcendit; & aliquamdiu jacentem obnubens, ſtupori ſpectantibus fuit. Diſcuſſit protinus ſplendor nubis nebulam vanitatis; & ludibundos animos adoleſcentium gravitatis afflavit aurâ. Præcipitatis ergo curſibus illuc contendunt; ſollicitiſque ſermonibus Wlſtanum adorſi, quid illud ſigni fuerit requirunt. Nihil ille negandum ratus eſt; ut flamma cœleſtis amoris, quæ in illum reluxerat, ſcintillaret in ſocios; rem omnem ordine aperit. Nuper ſe ſtimulis carnis aculeatum immenſum excanduiſſe; nunc ſuperno rore irrigatum & ventre & totis vitalibus algere. Sperare ſe ulteriùs incentivo carnis cariturum; & juvante Dei clementiâ, nullâ inquietandum moleſtiâ. Dictum propheticum comitata eſt veritas rerum. Nunquam enim deinceps animum vel oculum ejus ſollicitavit ullius formæ miraculum; nunquam turbulenta eluvies dormientis interpellavit quietem. Hoc ſe Colemannus ab Hammingo Subpriore didiciſſe aſſeverat; qui ab ipſo Sancto poſtmodum Epiſcopo ea ſe audiſſe memoraret. Solebat enim reverendiſſimus Pater pro ætate & capacitate audientium moderari ſermonem, & nonnunquam ſua inſerre facta; ut non diffiderent ſe illa poſſe facere, quæ illum audiſſent per Dei gratiam implere valuiſſe.

CAP. II. Interea uterque adoleſcentis parens ſæcularis vitæ pertæſus, alios pannos, alios mores, & devoto ardebat animo & frequenti volvebat ſuſurro. Quippe jam eis ætas progreſſior & fortuna deſpectior imminebat. Nec multa morari, quin deſiderio facerent ſatis. Pater apud Wigorniam Monachi habitum, mater in eâdem urbe Sanctimonialis ſuſcepit velum. Ita devotione ſimplici & ſtudio efficaci propoſitum executi, diebus ſuis expletis, naturæ ceſſere.

cessere. Remansit interim Wlstanus in sæculo specie non mente, non animo sed corpore. Veruntamen ut altioris gradûs exemplo in se virtutum speciem delinearet, paulatimque mundana dediſceret; Brihtegi Wigorniensis Episcopi se curæ dedit. Suscepit eum libens Antistes; & affinium suffragio & suâ benignitate in juvene Dei gratiam favorabiliter exosculatus. Nec ille favori suo deerat; sed eum probitate morum etiam ab improbissimi & asperi propositi hominibus extorquebat; quippe à quo mens insolentior, vox præruptior, incessus fractior exulabat: fugitans protervia, immunis petulantiæ; quodque illi ætati maximo est ornamento, servantissimus custos verecundiæ. Cumulabat pectoris gratiam speciositas corporis; quam licèt inter virtutes non numerem, non tamen omnino excludo; quia sicut ars opificis in commodiore materiâ elucet; ita virtus in pulchritudine formæ splendidius eminet.

His artibus ita sibi amorem Pontificis conciliaverat: ut ultro eum ad Presbyteratum promoveret; quamvis ille vix ægréque ad consensum adduci potuerit. Memorabile in juvene; quòd eo gradu se indignum putavit; nec minùs, quòd acceptum dignis moribus illustravit. Nec ergo ad accipiendum aspiravit per arrogantiam; nec semel susceptum decoloravit per inertiam. Adeò inediâ & omni parsimoniâ corpus attenuare, & animi vires dilatare curabat: adeò mente sobrius, sermone serius, reverendus aspectu, jocundus affectu, Laicum vestibus, Monachum moribus agebat. Si verò in quopiam vidisset reatum; ita sermonem temperabat; ut rigor acerbæ correptionis transiret in materiam laudis. Non enim asperum videri poterat; quòd licèt durius sonaret, intus caritatem redoleret.

CAP. III. Obtulit ei plusquam semel Antistes Ecclesiam suburbanam; cujus opulenti reditus ad cotidianam stipem satis superque sufficerent. Ille offerentem suspenso in posterum consilio sæpe frustratus, tandem vehementiùs instanti quid animi gestaret aperuit. Fluctuantem sæculi statum menti suæ vilescere, Monachum se fieri velle, totam vitam suam non per partes Deo libare cupere. Hoc accepto responso, venerabilis Episcopus magno exiluit gaudio; juvenilemque calorem monitionum suarum in majus animavit classico. Ita votis amborum concordibus, dum quod unus cuperet alter urgeret; Wlstanus apud Wigorniam induit Monachum, Brithego indulgente favorem & habitum.

Hic si quispiam Rhetorum more spatiari cupiens auditoribus proponat, quanta bona faustus dies ille Wigorniæ attulerit, qui primò Wlstanum Monachum vidit; profectò voto excidet, propositum implere non valens. Quocirca quod lingua nequit exprimere, conetur vel animus ruminare. Illud non tacendum; quòd nunquam nostro ævo fuit Monachus aut à vitiis remotior aut virtutibus perfectior. Quocirca sinceritate vitæ ipsius exploratâ, Fratres illius Ecclesiæ non multò post puerorum faciunt custodem, mox Cantorem, postremò Secretarium; quatenus haberet liberiorem copiam orandi, & uberiorem de virtute in virtutem crescendi materiam. Quam ille occasionem dignanter amplexus, dies jejuniis & vigiliis totas continuabat noctes. Numerabat in deliciis, quod nos inertes homines magno ducimus supplicio. Diebus omnibus ad unumquemque versum VII. Psalmorum genua flectere; idem nocte in Psalmo CXVIII. facere. In occidentali porticu Ecclesiæ, ubi erat altare Omnium Sanctorum cum trophæo vexilli Dominici, obserato aditu Christum vocare, & lacrimis pulsare cœlum, æthera onerare planctibus. Plumam & ullum omnino lectum non habere; sopori non indulgere, sed surripere. Super gradus ante altare capite posito se humo exponere; vel etiam Codice aliquo vertici summisso, super lignum tenuem invitare soporem. Ante unumquodque XVIII. altarium, quæ in veteri Ecclesiâ erant, septies in die prosterni;

prosterni; hæc dura non putare, sed quod alii putarent imitari. Cúmque præ omnibus esset in virtutibus sublimis; erat tamen singulis humilitate acclivis; ut aliqua vilia, quæ alius facere fastidivit, ille incunctanter expleret.

CAP. IV. Mos beato virò increverat noctibus Ecclesias in vicino positas Psalmorum excubiis frequentare, & in singulis orationum vota apud Deum deponere. Ibat ergo per medium Cœmiterium nec titubanti gressu, nec ullâ mentem hebetatus formidine. Hoc effectum, ut ad Ecclesiam Apostolorum Principis quadam nocte veniret. Hæc quondam Sedes Episcopalis fuerat; sed eam S. Oswaldus Clericis irreligiosis vacuaverat; certo & rationabili commercio potestatem Apostoli ad Matrem Domini mutuatus. Stabat ergo ante altare jam in preces effusus, jam totus in Deum gestiens. *Sequitur narratio luctæ cum Diabolo, qui assumptâ rustici specie impetum in Wlstanum orantem fecit. Vide Willelmi librum* 4. *de gestis Pontif. Angl. f.* 159. *& Capgravium in Legendâ Novâ f.* 332.

CAP. V. Adolescebat temporis processu in Wlstano germen omne virtutum, præcipuéque obedientia & ad prælatos subjectio. Quamlibet enim durum, quamlibet videretur asperum; statim producebat velle, quamvis non suppeteret posse. Deinde & ex divinæ gratiæ fonte scaturivit in eum amor hominum; ut omni deliniendum putarent obsequio, quem acceptum habebat cœlestis dignatio. Antistes maximè, qui sic in Wlstanum afficiebatur animo; ut quovis honore dignum putaret. Nam & strenuè peracti officii industria spem altioris dignitatis salubriter exsequendi, si conferretur, infuderat. Hac occasione * Præpositus, ut tunc, Prior, ut nunc dicitur, Monachorum constitutus, statim materiam qua virtus emineret arripuit; multis incommodis intus forisque propulsatis. Nam res exteriores antecessorum incuriâ pessundatas ingenii vivacitate in solidum restituit; & interiores fræno regulari coercuit. Quod ut efficaciùs faceret, vitæ suæ subjectis religiosa porrigebat exempla; erubescens scilicet prædicare, quod fastidiret facere. Ipsam porro doctrinam non suo confingebat ingenio, nec cothurnato & plausibili præferebat eloquio. Quin potiùs majorum nostrorum scriptis invigilans, hauriebat sitibundo pectore fluenta doctrinæ, quæ postea mellito eructaret gurgite. Licet enim mihi de B. Gregorii vitâ dictum mutuari; quod à Colemanno in patriam linguam ut pleraque alia versum ego transfudi denuo in Latinum. Itaque cùm in omnibus divinæ Scripturæ libris, tum in his diligentes prætendebat excubias, qui sibi castimoniam commendarent; ejus integritatem in se alacriter exsequi, corruptionem in aliis acriter insequi: ut uno liquebit exemplo.

* Wlstanum Agelwino Priori Wigorniensi defuncto substituit Aldredus Episcopus, teste Florentio. Idem Aldredus Monasterio Glocestrensi à se restaurato Wlstanum quendam Monachum Wigorniensem anno 1058. Abbatem instituit. Sic Chronicon Wigorniense MS. Thomas Stubbs in Pontificibus Eboracens. p. 1701. Chronicon Glocestrense in Monastico Tom. 1. p. 110. & Florentius. Wlstanus iste Jerosolymam profectus obiit in itinere anno 1072. authore Chronico Glocestrensi. Ut falsus sit Ingulphus (p. 511.) & illum secutus Bollandus (in Act. Sanctorum Januarii Tom. 11. p. 240.) qui Wlstanum istum ex Priore Wigorniæ Abbatem Gloverniæ, ex Abbate Gloverniæ Episcopum Wigorniæ factum fuisse volunt.

cessere. Remansit interim Wlstanus in sæculo specie non mente, non animo sed corpore. Veruntamen ut altioris gradûs exemplo in se virtutum speciem delinearet, paulatimque mundana dediſceret; Brihtegi Wigorniensis Episcopi se curæ dedit. Suscepit eum libens Antistes; & affinium suffragio & suâ benignitate in juvene Dei gratiam favorabiliter exosculatus. Nec ille favori suo deerat; sed eum probitate morum etiam ab improbissimi & asperi propositi hominibus extorquebat; quippe à quo mens insolentior, vox præruptior, incessus fractior exulabat: fugitans proterviæ, immunis petulantiæ; quodque illi ætati maximo est ornamento, servantissimus custos verecundiæ. Cumulabat pectoris gratiam speciositas corporis; quam licèt inter virtutes non numerem, non tamen omnino excludo; quia sicut ars opificis in commodiore materiâ elucet; ita virtus in pulchritudine formæ splendidius eminet.

His artibus ita sibi amorem Pontificis conciliaverat; ut ultro eum ad Presbyteratum promoveret; quamvis ille vix ægréque ad consensum adduci potuerit. Memorabile in juvene; quòd eo gradu se indignum putavit; nec minùs, quòd acceptum dignis moribus illustravit. Nec ergo ad accipiendum aspiravit per arrogantiam; nec semel susceptum decoloravit per inertiam. Adeò inediâ & omni parsimoniâ corpus attenuare, & animi vires dilatare curabat: adeò mente sobrius, sermone serius, reverendus aspectu, jocundus affectu, Laicum vestibus, Monachum moribus agebat. Si verò in quopiam vidisset reatum; ita sermonem temperabat; ut rigor acerbæ correptionis transiret in materiam laudis. Non enim asperum videri poterat; quòd licèt durius sonaret, intus caritatem redoleret.

CAP. III. Obtulit ei plusquam semel Antistes Ecclesiam suburbanam; cujus opulenti reditus ad cotidianam stipem satis superque sufficerent. Ille offerentem suspenso in posterum consilio sæpe frustratus, tandem vehementius instanti quid animi gestaret aperuit. Fluctuantem sæculi statum menti suæ vilescere, Monachum se fieri velle, totam vitam suam non per partes Deo libare cupere. Hoc accepto responso, venerabilis Episcopus magno exiluit gaudio; juvenilemque calorem monitionum suarum in majus animavit classico. Ita votis amborum concordibus, dum quod unus cuperet alter urgeret; Wlstanus apud Wigorniam induit Monachum, Brithego indulgente favorem & habitum.

Hic si quispiam Rhetorum more spatiari cupiens auditoribus proponat, quanta bona faustus dies ille Wigorniæ attulerit, qui primò Wlstanum Monachum vidit; profectò voto excidet, propositum implere non valens. Quocirca quod lingua nequit exprimere, conetur vel animus ruminare. Illud non tacendum; quòd nunquam nostro ævo fuit Monachus aut à vitiis remotior aut virtutibus perfectior. Quocirca sinceritate vitæ ipsius exploratâ, Fratres illius Ecclesiæ non multò post puerorum faciunt custodem, mox Cantorem, postremò Secretarium; quatenus haberet liberiorem copiam orandi, & uberiorem de virtute in virtutem crescendi materiam. Quam ille occasionem dignanter amplexus, dies jejuniis & vigiliis totas continuabat noctes. Numerabat in deliciis, quod nos inertes homines magno ducimus supplicio. Diebus omnibus ad unumquemque versum VII. Psalmorum genua flectere; idem nocte in Psalmo CXVIII. facere. In occidentali porticu Ecclesiæ, ubi erat altare Omnium Sanctorum cum trophæo vexilli Dominici, obserato aditu Christum vocare, & lacrimis pulsare cœlum, æthera onerare planctibus. Plumam & ullum omnino lectum non habere; sopori non indulgere, sed surripere. Super gradus ante altare capite posito se humo exponere; vel etiam Codice aliquo vertici summisso, super lignum tenuem invitare soporem. Ante unumquodque XVIII. altarium, quæ in veteri Ecclesiâ erant, septies in die prosterni;

prosterni; hæc dura non putare, sed quod alii putarent imitari. Cúmque præ omnibus esset in virtutibus sublimis; erat tamen singulis humilitate acclivis; ut aliqua vilia, quæ alius facere fastidivit, ille incunctanter expleret.

CAP. IV. Mos beato virò increverat noctibus Ecclesias in vicino positas Psalmorum excubiis frequentare, & in singulis orationum vota apud Deum deponere. Ibat ergo per medium Cœmiterium nec titubanti gressu, nec ullâ mentem hebetatus formidine. Hoc effectum, ut ad Ecclesiam Apostolorum Principis quadam nocte veniret. Hæc quondam Sedes Episcopalis fuerat; sed eam S. Oswaldus Clericis irreligiosis vacuaverat; certo & rationabili commercio potestatem Apostoli ad Matrem Domini mutuatus. Stabat ergo ante altare jam in preces effusus, jam totus in Deum gestiens. *Sequitur narratio luctæ cum Diabolo, qui assumptâ rustici specie impetum in Wlstanum orantem fecit. Vide Willelmi librum* 4. *de gestis Pontif. Angl. f.* 159. *& Capgravium in Legendâ Novâ f.* 332.

CAP. V. Adolescebat temporis processu in Wlstano germen omne virtutum, præcipuéque obedientia & ad prælatos subjectio. Quamlibet enim durum, quamlibet videretur asperum; statim producebat velle, quamvis non suppeteret posse. Deinde & ex divinæ gratiæ fonte scaturivit in eum amor hominum; ut omni deliniendum putarent obsequio, quem acceptum habebat cœlestis dignatio. Antistes maximè, qui sic in Wlstanum afficiebatur animo; ut quovis honore dignum putaret. Nam & strenuè peracti officii industria spem altioris dignitatis salubriter exsequendi, si conferretur, infuderat. Hac occasione * Præpositus, ut tunc, Prior, ut nunc dicitur, Monachorum constitutus, statim materiam qua virtus emineret arripuit; multis incommodis intus forisque propulsatis. Nam res exteriores antecessorum incuriâ pessundatas ingenii vivacitate in solidum restituit; & interiores fræno regulari coercuit. Quod ut efficaciùs faceret, vitæ suæ subjectis religiosa porrigebat exempla; erubescens scilicet prædicare, quod fastidiret facere. Ipsam porro doctrinam non suo confingebat ingenio, nec cothurnato & plausibili præferebat eloquio. Quin potiùs majorum nostrorum scriptis invigilans, hauriebat sitibundo pectore fluenta doctrinæ, quæ postea mellito eructaret gurgite. Licet enim mihi de B. Gregorii vitâ dictum mutuari; quod à Colemanno in patriam linguam ut pleraque alia versum ego transfudi denuo in Latinum. Itaque cùm in omnibus divinæ Scripturæ libris, tum in his diligentes prætendebat excubias, qui sibi castimoniam commendarent; ejus integritatem in se alacriter exsequi, corruptionem in aliis acriter insequi: ut uno liquebit exemplo.

* Wlstanum Agelwino Priori Wigorniensi defuncto substituit Aldredus Episcopus, teste Florentio. Idem Aldredus Monasterio Glocestrensi à se restaurato Wlstanum quendam Monachum Wigorniensem anno 1058. Abbatem instituit. Sic Chronicon Wigorniense MS. Thomas Stubbs in Pontificibus Eboracens. p. 1701. Chronicon Glocestrense in Monastico Tom. 1. p. 110. & Florentius. Wlstanus iste Jerosolymam profectus obiit in itinere anno 1072. authore Chronico Glocestrensi. Ut falsus sit Ingulphus (p. 511.) & illum secutus Bollandus (in Act. Sanctorum Januarii Tom. 11. p. 240.) qui Wlstanum istum ex Priore Wigorniæ Abbatem Gloverniæ, ex Abbate Gloverniæ Episcopum Wigorniæ factum fuisse volunt.

cessere. Remansit interim Wlstanus in sæculo specie non mente, non animo sed corpore. Veruntamen ut altioris gradûs exemplo in se virtutum speciem delinearet, paulatimque mundana dediſceret; Brihtegi Wigorniensis Episcopi se curæ dedit. Suscepit eum libens Antistes; & affinium suffragio & suâ benignitate in juvene Dei gratiam favorabiliter exosculatus. Nec ille favori suo deerat; sed eum probitate morum etiam ab improbissimi & asperi propositi hominibus extorquebat; quippe à quo mens insolentior, vox præruptior, incessus fractior exulabat: fugitans proterviæ, immunis petulantiæ; quodque illi ætati maximo est ornamento, servantissimus custos verecundiæ. Cumulabat pectoris gratiam speciositas corporis; quam licèt inter virtutes non numerem, non tamen omnino excludo; quia sicut ars opificis in commodiore materiâ elucet; ita virtus in pulchritudine formæ splendidiùs eminet.

His artibus ita sibi amorem Pontificis conciliaverat: ut ultro eum ad Presbyteratum promoveret; quamvis ille vix ægréque ad consensum adduci potuerit. Memorabile in juvene; quòd eo gradu se indignum putavit; nec minùs, quòd acceptum dignis moribus illustravit. Nec ergo ad accipiendum aspiravit per arrogantiam; nec semel susceptum decoloravit per inertiam. Adeò inediâ & omni parsimoniâ corpus attenuare, & animi vires dilatare curabat: adeò mente sobrius, sermone serius, reverendus aspectu, jocundus affectu, Laicum vestibus, Monachum moribus agebat. Si verò in quopiam vidisset reatum; ita sermonem temperabat; ut rigor acerbæ correptionis transiret in materiam laudis. Non enim asperum videri poterat; quòd licèt duriùs sonaret, intus caritatem redoleret.

CAP. III. Obtulit ei plusquam semel Antistes Ecclesiam suburbanam; cujus opulenti reditus ad cotidianam stipem satis superque sufficerent. Ille offerentem suspenso in posterum consilio sæpe frustratus, tandem vehementiùs instanti quid animi gestaret aperuit. Fluctuantem sæculi statum menti suæ vilescere, Monachum se fieri velle, totam vitam suam non per partes Deo libare cupere. Hoc accepto responso, venerabilis Episcopus magno exiluit gaudio; juvenilemque calorem monitionum suarum in majus animavit classico. Ita votis amborum concordibus, dum quod unus cuperet alter urgeret; Wlstanus apud Wigorniam induit Monachum, Brithego indulgente favorem & habitum.

Hic si quispiam Rhetorum more spatiari cupiens auditoribus proponat, quanta bona faustus dies ille Wigorniæ attulerit, qui primò Wlstanum Monachum vidit; profectò voto excidet, propositum implere non valens. Quocirca quod lingua nequit exprimere, conetur vel animus ruminare. Illud non tacendum; quòd nunquam nostro ævo fuit Monachus aut à vitiis remotior aut virtutibus perfectior. Quocirca sinceritate vitæ ipsius exploratâ, Fratres illius Ecclesiæ non multò post puerorum faciunt custodem, mox Cantorem, postremò Secretarium; quatenus haberet liberiorem copiam orandi, & uberiorem de virtute in virtutem crescendi materiam. Quam ille occasionem dignanter amplexus, dies jejuniis & vigiliis totas continuabat noctes. Numerabat in deliciis, quod nos inertes homines magno ducimus supplicio. Diebus omnibus ad unumquemque versum VII. Psalmorum genua flectere; idem nocte in Psalmo CXVIII. facere. In occidentali porticu Ecclesiæ, ubi erat altare Omnium Sanctorum cum trophæo vexilli Dominici, obserato aditu Christum vocare, & lacrimis pulsare cœlum, æthera onerare planctibus. Plumam & ullum omnino lectum non habere; sopori non indulgere, sed surripere. Super gradus ante altare capite posito se humo exponere; vel etiam Codice aliquo vertici summisso, super lignum tenuem invitare soporem. Ante unumquodque XVIII. altarium, quæ in veteri Ecclesiâ erant, septies in die

prosterni;

prosterni; hæc dura non putare, sed quod alii putarent imitari. Cúmque præ omnibus esset in virtutibus sublimis; erat tamen singulis humilitate acclivis; ut aliqua vilia, quæ alius facere fastidivit, ille incunctanter expleret.

CAP. IV. Mos beato virò increverat noctibus Ecclesias in vicino positas Psalmorum excubiis frequentare, & in singulis orationum vota apud Deum deponere. Ibat ergo per medium Cœmiterium nec titubanti gressu, nec ullâ mentem hebetatus formidine. Hoc effectum, ut ad Ecclesiam Apostolorum Principis quadam nocte veniret. Hæc quondam Sedes Episcopalis fuerat; sed eam S. Oswaldus Clericis irreligiosis vacuaverat; certo & rationabili commercio potestatem Apostoli ad Matrem Domini mutuatus. Stabat ergo ante altare jam in preces effusus, jam totus in Deum gestiens. *Sequitur narratio luctæ cum Diabolo, qui assumptâ rustici specie impetum in Wlstanum orantem fecit. Vide Willelmi librum* 4. *de gestis Pontif. Angl. f.* 159. *& Capgravium in Legendâ Novâ f.* 332.

CAP. V. Adolescebat temporis processu in Wlstano germen omne virtutum, præcipuéque obedientia & ad prælatos subjectio. Quamlibet enim durum, quamlibet videretur asperum; statim producebat velle, quamvis non suppeteret posse. Deinde & ex divinæ gratiæ fonte scaturivit in eum amor hominum; ut omni deliniendum putarent obsequio, quem acceptum habebat cœlestis dignatio. Antistes maximè, qui sic in Wlstanum afficiebatur animo; ut quovis honore dignum putaret. Nam & strenuè peracti officii industria spem altioris dignitatis salubriter exsequendi, si conferretur, infuderat. Hac occasione * Præpositus, ut tunc, Prior, ut nunc dicitur, Monachorum constitutus, statim materiam qua virtus emineret arripuit; multis incommodis intus forisque propulsatis. Nam res exteriores antecessorum incuriâ pessundatas ingenii vivacitate in solidum restituit; & interiores fræno regulari coercuit. Quod ut efficaciùs faceret, vitæ suæ subjectis religiosa porrigebat exempla; erubescens scilicet prædicare, quod fastidiret facere. Ipsam porro doctrinam non suo confingebat ingenio, nec cothurnato & plausibili præferebat eloquio. Quin potiùs majorum nostrorum scriptis invigilans, hauriebat sitibundo pectore fluenta doctrinæ, quæ postea mellito eructaret gurgite. Licet enim mihi de B. Gregorii vitâ dictum mutuari; quod à Colemanno in patriam linguam ut pleraque alia versum ego transfudi denuo in Latinum. Itaque cùm in omnibus divinæ Scripturæ libris, tum in his diligentes prætendebat excubias, qui sibi castimoniam commendarent; ejus integritatem in se alacriter exsequi, corruptionem in aliis acriter insequi: ut uno liquebit exemplo.

* Wlstanum Agelwino Priori Wigorniensi defuncto substituit Aldredus Episcopus, teste Florentio. Idem Aldredus Monasterio Glocestrensi à se restaurato Wlstanum quendam Monachum Wigorniensem anno 1058. Abbatem instituit. Sic Chronicon Wigorniense MS. Thomas Stubbs in Pontificibus Eboracens. p. 1701. Chronicon Glocestrense in Monastico Tom. 1. p. 110. & Florentius. Wlstanus iste Jerosolymam profectus obiit in itinere anno 1072. authore Chronico Glocestrensi. Ut falsus sit Ingulphus (p. 511.) & illum secutus Bollandus (in Act. Sanctorum Januarii Tom. 11. p. 240.) qui Wlstanum istum ex Priore Wigorniæ Abbatem Gloverniæ, ex Abbate Gloverniæ Episcopum Wigorniæ factum fuisse volunt.

CAP. VI.

CAP. VI. Erat in eâdem urbe matrona, & domesticis opibus locuples plusquam sufficeret victui, & quæ formæ lineamentis curioso intuentium lenocinaretur aspectui. *Dein narratur, quomodo Wlstanus mulierem se ad stuprum invitantem rejecerit. Vide Capgravium f. 332.*

CAP. VII. Nec solùm in Monachos sed etiam in vulgus misericordiæ suæ respergebat semina. Crebrò enim summo manè diurnis expeditus officiis, conspicuum se præbebat ante fores Ecclesiæ; ut facilior esset aditus volentibus se convenire. Ibi igitur sedulus & pius explorator, diem plerumque ad sextam, plerumque ducebat ad vesperam; dummodo vel vim passis quantâ posset ope succurreret, vel pauperiorum filios baptizaret. Jam enim venalitas ex infernalibus umbris emerserat; ut nec illud gratis Presbyteri præberent infantibus sacramentum; si non infarcirent parentes marsupium. Horum igitur Wlstanus miseratus inopiam, illorum animo miseratus, & facto pertundens avaritiam, in baptizandis pauperibus ultroneæ dignationis impendebat officium. Currebatur ad eum ex urbibus & agris, ab illis præcipuè quorum non intererat dare nummum; ut soboli suæ mercarentur lavacrum. Transfusa est à tenuiori fortunâ in divites consuetudo; ut nemo ferè illius regionis jure baptizatum aliquem ex suis putaret, quem Wlstanus non baptizâsset. Conciliabat hanc suspicionem non falsa de viri sanctitate opinio & de religione non temeraria præsumptio. Ferebatur ergo per Angliam ipsius famæ præconium; adeò ut potentissimi tunc Optimates Anglorum ejus amicitiam & avidissimè optarent & constantissimè tenerent. Hanc sibi securitatem in secundis, evasionem in sinistris, tutelam in cunctis pollicebantur. Quorum Haroldus & majorem potentiam conscientiâ opum spirans, & jam tunc regnum magnanimitate morum affectans, unicè diligebat virum. Ita ut in itinere positus XXX. milliaria de recto calle non dubitaret divertere; ut ejus colloquio curarum suarum moles posset avocare. Ita voluntati ejus & clientelæ deditus; ut Wlstanum tantum puderet jubere, quantum Haroldum non pigeret facere. Nec minorem Comiti Sanctus refundebat gratiam; ejus confessiones benignè accipiens, & orationum apud Deum fidus interpres. Ejusdem dilectionis terebat orbitam Aldredus post Brihtegum Wigornensis Episcopus, vir multùm in sæcularibus astutus, nec parum religiosus. Is Domino Priori pro reverentiâ sanctitatis granditer obsequi, humiliter parere, prorsus in omnibus ut parenti gratissimo deferre.

CAP. VIII. Nec illud subtraho lecturis, quod non minori quàm cætera quæ dicta sunt dignum est illustri titulo. Animadvertens enim penuriâ prædicationis populum à bonis moribus diffluere, omni Dominicâ & majoribus solennitatibus in Ecclesiâ infundebat ei monita salutis. Putares ex evangelicis & propheticis aditis verba intonare, quæ ille ex alto stationis plebi pronuntiabat; adeò ut tonitrua fulminabant in improbos, adeò ut imbres irrigabant electos. Faciebat hoc summâ modestiâ, & quantum ad se sub humilitatis latebrâ. Veruntamen ita latere volentem invenit & carpsit invidia; quamvis carpentem cœlestis vindicta non præterierit; sicut ex consequenti clarebit. Erat in eâdem Ecclesiâ transmarinæ nationis Monachus Winrichus nomine; si ad literam jam spectes, eruditissimus; si ad copiam facundiæ, dicendi validus; si ad calliditatem sæculi, prudentissimus; si ad morum elegantiam, pulchrè compositus, proindeque hominibus acceptus & carus. Idem aliàs & irâ perfervidus, & ad succensendum quod displiceret torquente littore accommodus. Hic de prædicatione Sancti multa cavillari solitus, quædam ad hanc sententiam exequebatur. Contra regulas esse, quòd officium Antistitis præriperet. Solius Pontificis esse populo prædicare, qui solus traditâ

ditâ sibi & indultâ potestate peccata posset absolvere. Monacho silentium & claustrum competere, non pompatico gestu & sermone populi auribus insultare. Videri ergo magis alicujus ambitum dignitatis quàm executionem pietatis. Hæc ille non jam tantùm à tergo; sed etiam quadam die amariore bile succensus, in os objectavit Wlstano. Contra ille scuto patientiæ armatus, paucis occurrit. Nihil esse magis Deo gratum quàm populum pessum euntem in viam veritatis revocare; ideoque non se omissurum. Sin aliud quod gratius esset Christo addiscere posset, incunctanter facturum. Ita tunc discessum, & dormitum. At verò ut Deus ostenderet, quantum beati viri factum penderet, horrificâ calumniatorem visione concussit. Cùm enim ad quietem composuisset membra in lecto; ad tribunal judicis ignoti raptus est animo. Ab eo itaque gravi severitate increpatus, cur servum suum pridie de bono prædicationis objurgâsset, dum se parum expurgat, jussit in pavimentum sterni & cædi. Ita succedentibus sibi lictoribus acriter fustigatus, nichil aliud inter tormenta nisi *Miserere Domine*; *Domine miserere*; clamitabat. Tandem laxatus interrogatur, num præconem suum ulteriùs prohiberet, quo minùs homines ad curiam suam evocaret. Ille cui nihil illius temporis necessitas non extorqueret, per quicquid sanctum est dejeravit, se non modò ultra non prohibiturum, sed etiam ultro ad prædicationem & eum & alios impulsurum. Tantùm sibi miseratio judicis vitam prorogaret in posterum; ut illius evaderet angoris articulum. Ita fide datâ ne temeraret promissa, dimissus est. Mox ergo ut potuit, potuit autem statim ut illuxit, Prioris pedibus advolvitur, genua exosculatur, commissum fatetur, offensam deprecatur. Interrogatus repentinæ mutationis causam, ordinem visionis juratus exposuit. Vadabantur veritatem narrationis lacrimæ, sinceris precibus expromptæ. Livores in scapulis protuberantes testabantur nihil eum vanum vidisse, nihil molle sensisse. Nec difficulter veniam à Sancto impetravit; ad cujus benedictionem sanitas rediit, dolor omnis evanuit. Fidem ergo de præsentibus exemplis mereatur, & omni ambiguo liberetur antiquitas; quæ nobis simile factum in B. Jeronymo repræsentat. Parum enim discrepat illum fuisse cæsum propter libros Gentilium, & istum propter prohibitæ prædicationis officium. Idem est penè propter Gentilium nugas divinam Scripturam negligere, & eandem prædicari nolle.

Illud fuit tempus, quo super Ecclesiæ tectum machinabatur fabricam, in qua dependerent campanæ. Eam verò fabricam quo proprio nomine quam proximè appellem, in promptu non habeo. Ad illam ergo erigendam moliebatur gradus scalarum, quibus operantes insisterent. *Ex his quidam præceps ruit præsente Wlstano, qui facto Crucis signo hominem periculo exemit. Rem paucis narrat Capgravius in Legendâ Novâ f.332.*

CAP. IX. Interea Rex Edwardus Aldredum Episcopum Coloniam ad Seniorem Imperatorem Henricum direxit, quædam negotia, quorum cognitionem causa non flagitat, compositurum. Qui cùm in Imperatoriæ augustæ dignationis oculis invenisset gratiam; aliquot ibi dierum continuatione laborum suorum accepit pausam. Ei seu pro sui reverentiâ, seu quia tanti Regis legatus esset, multi multa, quidam Sacramentarium & Psalterium, de quibus supra dixi, dedit in exenium. Ambos enim Codices, ut suæ memoriæ apud illas gentes locaret gratiam, Cnuto quondam miserat Coloniam. Aldredus ergo prophetiæ quondam Wlstano dictæ ignarus, patriam cùm renavigâsset, libros pro merito vitæ illi soli arbitratus competere restituit. Suscepit ille cœleste depositum, magnificè gratulatus, & gratias agens Deo, quòd religioso non fraudaretur desiderio.

CAP. X. Eâdem tempestate cum * Kynegisus Eboracensis Archiepiscopus diem clausisset; Aldredus Wigornensis Episcopus successioni acclamatur. Id Edwardo Regi simplicis quippe animæ bene visum. Ille Romam pro more profectus, Nicholaum tunc temporis Papam votis suis primò abhorrentem invenit. Nam nec ille Wigornensi Præsulatui renunciare, nec Papa nisi cederet Eboracensi eum Pallio insignire volebat. Adeò illum amor Wigorniæ devinxerat; ut majoris honoris nomen ejus precio supponeret. Diu igitur multúmque conflictu habito, Aldredus reflexo pede Sutrium venit, Tostino Comite qui cum eo venerat magnas efflante minas; quòd nummi, quos Anglia quotannis Romano Papæ pensitat, hac occasione ulteriùs non inferrentur. Veruntamen prædonibus irruentibus usque ad dolorem & miserationem videntium nudati, Romam redire contendunt. Quæ res rigorem Apostolicæ Sedis hactenus inflexit; ut Aldredus Pallium Eboracense mereretur, Wigornensis Ecclesiæ discessionem pactus; meliori duntaxat personâ, quæ in ejus Diœcesi posset inveniri, ab eo in illam subrogandâ. Hujus igitur conditionis arbitros, & quædam alia Ecclesiastica negotia in Anglia expedituros, Cardinales adductos Archiepiscopus Regi exhibuit. Excepit eos Deo devotissimus Princeps more illo suo paucis imitabili, quo soleret in omnibus Ecclesiæ Romanæ convenire moribus. Ita summâ reverentiâ, honore summo apud se aliquamdiu habitos iterum ductoris tutelæ delegavit. Familiariùs enim ei conviverent, cujus mores longo comitatu addidicissent, & commercia linguæ non ignorarent; denuo ad Pascha in Curiam reducendi. Aldredus Apostolici præcepti tenorem secutus, omnemque penè Angliam cum eis pervagatus, imminente Quadragesimâ in Wigorniam pedem reflexit. Inde in prædia sui juris profectus, stabilem eis mansionem apud Wlstanum Priorem indixit. Illi consilium non aspernati, libenter in otium concesserunt, post viæ labores pausæ acquiescentes. Aderat eis humanitas hospitis nihil prætermittentis, quo minùs Anglorum dapsilem liberalitatem & liberalem dapsilitatem experirentur. Ipse interea & solitæ orationis instantiam & ciborum inediam non oblitus, propositum pertinaciter urgebat. Totis noctibus psalmicinans, protelans excubias, genua crebrò flectens, somno penitus illudens. Tribus in hebdomadâ diebus omnis cibi abstemius, noctem perinde ac lucem continuabat jejunio. Ipsis etiam diebus, ne ullo saltem laberetur verbo, perpetuo linguam cohibebat silentio. Tribus reliquis porros caulesve coctos vel elixos, panis cibaria adjiciens, victum transigebat. Dominicis porro propter Festi reverentiam pisce vinoque frugalitatis parsimoniam solvebat; magis ut contineret naturam quàm deliniret gulam. Singulis præterea diebus tres pauperes affectuosè colens; quibus Dominici sequax mandati & victum cotidianum & pedum exhibebat lavacrum.

* Obiit Kynsinus Archiepiscopus Eboracensis anno 1060. die 11. Cal. Januarii; cui in Nativitate Domini Aldredus successor eligitur. Hic Romam profectus anno 1061. Pallium obtinuit; anno 1062. Wlstanum Episcopum Wigorniensem consecravit 6. Id Septembr. Indictione 15. anno ætatis Wlstani plus quinquagesimo. Ista refert Florentius, additque Aldredum id muneris fecisse loco Stigandi Archiepiscopi Cantuariensis cui officium Episcopale tunc à Papâ interdictum erat; Wlstanum etiam subjectionis professionem fecisse non Aldredo ordinatori sed Stigando Metropolitano suo. Fucum igitur lectori fecit Thomas Stubbs in Actis Pontif. Ebor. p. 1702. à quo Aldredus Wlstanum *pro se quasi Suffraganeum suum consecrâsse Episcopum* dicitur.

CAP. XI.

CAP. XI. Hæc Cardinalibus fuerunt incitamento, ut ejus mirarentur vitam, laudarent doctrinam; quam reverentiorem faciebat, dum anticiparet exemplo quod prædicaret verbo. Denique ad Curiam reversi, dum Wigornensis Episcopi ventilaretur electio, nomen ejus tulerunt in medium; eum antistitio dignum, qui sacerdotio plus venerationis adjiceret quàm ipse per illud dignitatis acciperet: Cujus responderet natura industriæ; in quo conquadraret vita sapientiæ. His laudibus suscitaverunt majorem viri animum Edwardi Regis, in cujus pectore nihil unquam nundinator Ecclesiarum, nihil unquam deprehendit avarus, quod suis conduceret artibus. Astipulabantur votis Cardinalium Archiepiscopi Cantuariensis & Eboracensis; ille favore, iste testimonio, ambo judicio. Accedebant laudibus etiam Comites Haraldus & Elgarus, par insigne fortitudinis, non ita religionis. Ingens momentum causæ facti; adeò ut certatim concitatis equitibus pro Wlstano mitteretur. Nuntii brevi multa milliaria progressi, stimulis industriæ celeritatem maturavere negotii. Sanctus ergo ad Curiam exhibitus jubetur suscipere donum Episcopatûs. Contra ille niti, & se honori tanto imparem cunctis reclamantibus clamitare. Frustra Cardinales cum Archiepiscopis trivissent operam; nisi refugienti prætendissent Papæ obedientiam. Qua ille objectâ confusus cessit; & assensus est electioni, mœrens, invitus, impulsus. Præclarè meritóque obstinatio unius viri cessit hîc voluntati Dei & populi.

Illud sanè non omiserim, fuisse tunc apud Evesham Abbatem * Ailwium nomine, & maximæ quantum ad sæculum prudentiæ, quantum ad religionem non minimæ. Quocirca sæpedictus Aldredus pro pacto, quod fecerat, Apostolico, nonnullo tempore fluctaverat animo; utrùm ad Episcopatum eligeret Ethelwii perspicacem industriam in sæculo, an Wlstani simplicem religionem in Deo. Erant enim illi viri Wigornensis Diœcesis diverso respectu præstantissimi. Veruntamen multùm hinc indeque libratis causis, quamvis Ethelwius sollicitè anniteretur partibus, succubuerunt divinæ providentiæ humanarum præstigiarum cautelæ.

CAP. XII. Rex ergo Edwardus Wlstanum Wigornensi Episcopatu ex solido investivit; licèt illum Aldredus potentiâ qua vigebat multis & penè omnibus, ut pòst clarebit, prædiis vellicaverit. Id Sanctus licèt ægrè, ut postea ostendit, ferret; tamen dolorem silentio suppressit, cedendum tempori arbitratus. Non multò autem pòst consecratus est Eboraci ab eodem Archiepiscopo; quòd Cantuariensi Stigando Romanus Papa interdixisset officio. Causam interdictionis non est hujus temporis allegare. Scire volentem aliàs nostræ † docebunt literæ. Nec verò sine divino nutu credi fas est prog-

* Ethelwinus Abbas Eveshamiæ successit Mannio Abbati sub exitum anni 1058. vel initium sequentis. Willelmo demum Regi admodum gratus, obiit anno 1077. 14. Cal. Martii: tradente Historiâ Eveshamensi in Monastico Tom. 1. p. 151.

† Muneris Stigando interdicti causas Willelmus Malmsburiensis tum alibi pluries tum præcipue libro 1. de gestis Pontif. Angl. f. 116. exhibet. Atque hinc liquet Willelmum hujus Vitæ authorem non alium esse quàm Historicum illum magni nominis Malmsburiensem. Semel quidem Malmsburiensis in libro de Pontif. Angl. f. 154. Willelmo nostro repugnare videtur; Wlstanum à Cardinalibus Legatis *Wigorniæ ordinatum esse Episcopum* scribens; quem noster veriùs Eboraci ab Aldredo consecratum asserit. Verùm locus ille Malmsburiensis non incommodè censeri potest id solum velle, Wlstanum Sedi Wigorniensi satagentibus Legatis præfectum esse: quod Historiæ præ manibus habitæ satis convenit.

nosticon hoc ei fuisse: [a] *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* Nichil enim veriùs experietur, qui ejus conversationem viderit, audierit, legerit. Ipse porrò impositionem Episcopatûs adeò ingratè tulit; ut diceret, sicut qui præsentes fuere testantur, maluisse se decapitari quàm illud onus pati. Adeò ad quæque devia terrarum profectò præparâsset fugam; nisi quidam amici suspectam adhibuissent diligentiam. Enimvero animabant dejectum mœrore animum hi blanditiis, illi monitis. Blanditiis, genibus ejus & pedibus reverenter affusi, & nonnunquam etiam osculabundi. Monitis, ne cœleste munus gratuitò infusum impatientiâ decoloraret, sed tolerantiâ insigniret. Obedientiam virtutum omnium esse signaculum; cui qui refragandum putaret, nec dignè haberetur claustralis Monachus nec popularis Episcopus. Quocirca non solùm modestè ferret; verùm & Deo gratias ageret, qui eum sublimasset in gradum, per quem inferioribus vellet esse consultum. Hæc illi. Nec verò dubitandum est ingenti sanctum pectus sudâsse conflictu; dum in eo æquas partes facerent, & huc illucque raptarent hinc amor, inde timor. Iste, ne sub insueto labaret onere; ille, ne tot probabilium virorum imperiosæ auctoritati & populorum religiosæ devotioni videretur resultare. Enimvero quanto sibi videbatur indignior, tanto erat acclamatio pertinacior; dum fidem providè administrandi muneris faceret idem, quòd ad administrandum meticulosus accederet. Stulti est enim ad illud se inconsideratè ingerere, quod ignoret quanti sit laboris expedire.

[a] Joan. I. 47.

CAP. XIII. Ordinatus ergo, ut dicere cœperam, & sub prætextu honoris Eboraci ab Aldredo relictus, non pauco tempore Wigorniam absentiâ suâ contristavit. Ejus interim Ecclesiæ redditus usibus suis applicabat Archiepiscopus. Postmodum reverso vix septem villas contulit; cæteras omnes pertinaciter usurpans. At Wlstanus, qui nihil apud eum viribus agendum nosset, ita paulatim precibus arrogantis animi cupiditatem contudit; ut cuncta præter duodecim villas juri Ecclesiæ reformaret. Eas quo tempore & quali labore pater noster retraxerit; sequens stilus edocebit.

CAP. XIV. Sed ut ad id quod exorsus fueram regrediar; Wlstanus in Episcopum sullimatus statim ad officia pietatis animum intendit. Nec mora in medio. Alterâ enim Ordinationis die Beato Bedæ dedicavit Ecclesiam; pulchrè illi primæ dedicationis præbens principium, qui fuisset literaturæ princeps de gente Anglorum. Eo enim die tam profluâ prædicatione populum irroravit; ut non dubitaretur Wlstanum per Spiritum Sanctum eâdem niti facundiâ, quæ quondam linguam movisset in Bedâ. Nec solùm tunc sed & omni vitâ ita famâ prædicationis plebem mulcebat; ut catervatim eò videres agmina confluere, quò auditum esset eum Ecclesiam dedicare. Ipse etiam ultro rapiebat materiam; & ut semper Christum sonaret, semper Christum auditoribus proponeret, postremò Christum etiam ut ita dicam repugnantem suæ parti attraheret. Ita enim obstinatè insistebat jejuniis & vigiliis, ita violentas orationes injiciebat cœlo; ut non immeritò de ipso ejusque sequacibus Dominus dixerit. [a] *Regnum cœlorum vim patitur; & violenti rapiunt illud.* Tanto æquilibrio vitam informans; ut utramque professionem teneret, & neutram amitteret. Sic Episcopus, ut religione non abjuraret Monachum. Sic Monachus, ut auctoritate repræsentaret Episcopum. Remotissimus ab hominum moribus, quos nostra producunt sæcula. Si consuleretur, consiliosissimus: Si rogaretur, facillimus. Cùm aliquid esset impetrandum, absolutè deliberans, celeriter pronuntians: cùm judicandum, ad justitiam propensior. Nec divitem palpans pro pecuniâ; nec pauperem pulsans pro penuriâ. Nulli adulationi deditus, nec sibi adulantibus gratus. Timore principum nunquam à justitiâ decedens; nunquam amori eorum honore aliquo nisi debito

[a] Matt. XI. 12.

bito assurgens. Laudatus de bono indulgebat Dei gratiæ non suæ arrogantiæ. Vituperatus ignoscebat vituperantium errori, conscientiæ suæ gratulatus. Quanquam id rarò admodum fuerit; quia cùm ipse omnem hominem amore caritatis foveret ut sobolem; vicissim omnes eum diligebant ut parentem. Cordis alacritate & hilaritate faciei superna prælibans gaudia, jam cœlestis lætitiæ fontem spe præsumebat; quem nunc re indeficienter haurit & potat. Qui quamvis semper animo intimis hæreret; non tamen eum segnem aut hebetem in extimis Domini experti sunt. Plures in omni Diœcesi Basilicæ per eum inchoatæ animosè & egregiè perfectæ: præsertimque Episcopalis Sedis Ecclesia, cui à fundamentis cœptæ supremam imposuit manum; ubi & numerus Monachorum ampliatus, & ad normam institutionis regularis compositus. Sed hæc & postmodum facta & cotidie oculis apposita compendiosam relationem desiderant. Quocirca ut in campo liberioris materiæ nostra decurrat oratio; reliquarum rerum ordinem expedito prosequamur otio.

CAP. XV. Præter alia, quibus Præsulatum ornabat, etiam hoc habebat; Diœcesin sedulò peragrare, infantibus quod reliquum esset sacramentorum supplere, fidem populorum in bonum acuere. Oratorium quodcunque se vianti obtulisset, nulla vel præcipiti necessitate urgente præteribat insalutatum; quinimo ingressus Deo & Sancto, cujus esset templum, preces cum lacrimis semper, ut quidam ait, in statione paratis thurificabat. Hoc more quadam die dum ad comitatum evocatus per Evesham iter haberet, & socii obstreperent quominus ad Ecclesiam diverteret; audire supersedit. Itaque ingressus, ante S. Egwini se prostravit exuvias; plurimus ibi pro suâ suorumque salute precator. Factâ oratione, Monachos omnes salutatione suâ & osculo dignatur, salubri etiam prædicatione demulsit. Erat ex eodem Conventu Monachus, cui jamdudum diuturna febris internas pasta medullas, [b] mori ut putabatur affinem lecto apposuerat. Nomen ei Egelricus. *Hic Wlstanum evocans, orationum ipsius beneficio liberatus est morbo.*

[b] f. morti.

CAP. XVI. Quinto * anno collati Wlstano Episcopatûs Rex Edwardus fato functus ingens seminarium discordiæ reliquit Angliæ; hinc Haroldo, inde Willelmo Comite Normanniæ legitimo eam jure clamantibus. Et tunc quidem Haraldus vel favore impetratâ vel vi extortâ coronâ, regnum paulò minùs totum obtinuit. Soli Northamhumbri magnum & gentile tumentes interim parere distulere; Aquilonalem cervicositatem Australi ut dictitabant mollitiei subjugare non dignati. Animabat eos ad tyrannidem, & insolentiâ suâ ingentes eorum alebat spiritus Tostinus ejusdem Regis frater, nec fortitudine degener, si ardens ingenium tranquillis studiis applicare maluisset. Qui postmodum in eâdem provinciâ cum Haraldo Rege Noreganorum, quem in suffragium asciverat, cæsus pœnas inconsultæ animositatis pependit. Sed hæc posteriùs. Tunc verò Haraldus eò profecturus, ut contumaciam eorum lenioribus curaret remediis, quandoquidem ferro frangere consilium non erat, sanctum virum secum adduxit. Sic enim fama sanctitatis ejus etiam ad abditissimas penetraverat gentes; ut nullam non arrogan-

* Quarto potiùs Pontificatûs à Wlstano gesti anno Edwardus Rex obiit. Anno enim 1062. post Pascha in Episcopum est electus, mense Septembri consecratus. Edwardus autem anno 1066. Nonis Januarii è vivis excessit.

tiam

tiam molliturus crederetur. Nec verò citra opinionem rei fuit eventus. Namque illi populi ferro indomabiles, semper quiddam magnum à proavis spirantes, pro reverentiâ in jura Haraldi facilè concesserunt. Et profectò perseverassent; nisi eos Tostinus, ut dixi, averteret. Sanè licèt esset Pontifex bonus, mansuetus & lenis; non tamen ad improbos indulgebat blanditiis; sed vitia eorum arguens, minacibus infrendebat verbis. Sin id parum procederet; aperto eis præconabatur vaticinio, quanto multandi essent supplicio. Nec facilè unquam vel prudentem hominem conjectura, vel vatem prophetia fefellit. Multa & illo itinere & aliàs crebrò præscita & prænuntiata sunt. Denique Haraldo palàm testificatus est; quanto detrimento & sibi & Angliæ foret, nisi nequitias morum correctum ire cogitaret. Vivebatur enim tunc penè ubique in Angliâ perditis moribus; & pro pacis affluentiâ delitiarum fervebat luxus. Ille vitiosos, & præsertim eos qui crinem pascerent, insectari; quorum siqui sibi verticem supponerent, ipse suis manibus comam lascivientem secaret. Habebat ad hoc parvum cultellum, quo vel excrementa unguium vel sordes librorum purgare consueverat. Hoc cæsariei libabat primitias, injungens per obedientiam, ut capillorum cæterorum series ad eandem complanaretur concordiam. Si qui repugnandum putarent; eis palam exprobrare mollitiem, palam mala minari. Futurum ut qui erubescerent esse quod nati fuerant, qui æmularentur capillorum fluxu fœminas, non plusquam fœminæ valerent ad defensandam patriam contra gentes transmarinas. Quod in adventu Normannorum eodem anno claruisse quis eat in inficias? Quorum quoniam attigimus tempora; hîc primo Libello statuatur meta. Ita enim concinniùs fieri posse puto; si quid sanctissimus vir Anglorum tempore, quid Norhmannorum fecerit, enucleatè digessero. Colemannus enim in Episcopatûs ejus electione decisionem primam fecit. Illud autem conscientiæ vestræ, Domini fratres, non celaverim; me nomina testium penè omnium suppressisse, ne vocabulorum barbaries delicati lectoris sauciaret aures. Nec minùs alta verba, declamatiunculas quasdam, quas ille ab aliorum Sanctorum gestis assumptas pronâ devotione inseruit. Sicut enim superiùs dixi; quisquis rem per se satis eminentem verbis exaltare molitur, ludit operam. Quinimo dum vult laudare, infamat potiùs & attenuat; quia videatur non posse niti argumento proprio, si fulciatur patrocinio alieno.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

INterea Willelmus Normanniæ Comes Angliam veniens, congressusque prælio cum Haraldo, cæde ipsius & Anglorum strage regnum ditioni suæ asseruit. Ubi, sicut præfatus sum, claruit prophetiæ veritas; quòd tanta fuit miserorum provincialium imbecillitas, ut post primam pugnam nunquam communi umbone ad libertatem temptârint assurgere; quasi cum Haraldo robur omne deciderit patriæ. Rex porrò Willelmus nullo * unquam sanctum virum affecit incommodo. Quinimo multo eum honore veritus, patrem & venerabatur amore & dignabatur nomine. Wlstanus ergo benignitatem temporum nactus, multas Wigornensis Ecclesiæ possessiones, quas vel olim Danorum impudentia vel nuper Aldredi Archiepiscopi potentia eliminaverat, usibus debitis reformavit. Sic ei Regis favebat dignatio; sic sanctitas rerum Dominos ad se diligendum invitat. Sic religio aliis timendos ad sui reverentiam inclinat. Aldredo sanè successit in Eboraco Thomas Baiocensis Canonicus, literarum scientiâ insignis, sæculari prudentiâ non ignobilis, morum compositione multis præferendus; musicâ certè tunc temporis facilè omnium primus. Contra hunc vir Domini Wlstanus quæstionem instituit de villis Ecclesiæ suæ; quas ut prædictum est ab Aldredo pervasas nec unquam redditas ille quasi legitimo sibi defensitabat jure. Thomas è diverso non solùm prædia non reddenda putabat; verùm etiam seu quòd novus Anglus esset, seu aliquorum susurro persuasus, Wigornensem Ecclesiam sui juris esse clamabat: Dominatum illius legitimâ successione sibi competere, † antecessorum suorum fuisse. Eam causam magno egit impetu primò Angliæ, mox etiam Lanfranco Cantuariensi Archiepiscopo præsente apud Alexandrum Papam Romæ. Non tulit id Lanfrancus, qui privilegium Ecclesiæ suæ periclitari sciret, si taceret; sed ea respondit, quæ magis justitia quàm dolor imperavit. Tum Papa, qui Lanfrancum utpote magistrum suum quondam gravaretur offendere, sed nec Thomam vellet premere, arbitrii à se removens invidiam, causæ cognitionem in Concilium Angliæ trajecit. Magno ergo conflictu & Procerum Angliæ conventu ** res acta. Assistebat Thomæ Odo, immane quantum opulentus, & qui divitiis certaret cum Rege quem contingebat sanguine, frater enim ejus erat uterinus, Comes Cantiæ, Baioca-

* Wlstanum quidem Willelmus Rex, postquam sibi innotuisset præclara viri sanctitas, maximâ veneratione excepit. Antea autem ipse pariter & Lanfrancus Archiepiscopus illum Episcopatu suo deturbare moliti fuerant; & Pontificatûs insignia, annulum atque baculum pastoralem in manus Regias dimittere in Concilio Westmonasteriensi jusserant: quamvis jussum Wlstanus miraculo, si Historicis fides, edito eluserit. Rem narrant Ailredus Rievallensis in Vitâ S. Edwardi lib. 2. p. 450. Capgravius in Legendâ Novâ f. 332. & Florilegus, qui id anno 1074. factum refert.

† Episcopatum enim Wigorniensem simul tenuerant Archiepiscopi Eboracenses Oswaldus, Aldulphus & Wlstanus II. ab anno 972. ad 1023.

** Litem movit Wlstanus in Concilio Wintoniensi anno 1070. Verùm Sede Eboracensi tunc vacante, iniquum visum est de possessionibus ejus sententiam ferre. Thoma demum Archiepiscopatum Eboracensem sortito, lis in Concilio Pedredensi paulò pòst habito definita est. Vide Florentium ad annum 1070.

rum

rum Episcopus. Hunc comitabatur universitas Magnatum, pars pretio redempta, pars adulationibus depravata. Solus Lanfrancus partes tutabatur justitiæ. Nam & Rex in favorem fratris vergebat pronus; quanquam nonnihil in ejus animo ponderaret Lanfrancus. Quid plura? Consistunt partes, ventilatur causa. Egreditur Thomas cum suis; quid opponeret, quid oppositis responderet, compositurus. Wlstanus interim indulgebat sopori, dulci quiete membra consotus. Alter reversus multo sensuum acumine, multo verborum flumine dixit. Ille à sociis expergefactus, psalmos ore, preces corde ingeminat. Tandem jussus exire, ut strictiori consilio responsum poliret, cum paucis secum egressis Horam nonam incœpit & percantavit. Illis porro referentibus ut alia magis quàm Psalmos curaret, & id propter quod venerat expediret, respondit. Stulti nescitis quod Dominus dixit: [a] *Dum steteritis ante Reges & Præsides; nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Ipse idem creator Dominus Jesus Christus, qui hoc dixit, potest mihi hodie sermonem conferre, quo causæ meæ rectitudinem defendam, & illorum fortitudinem destruam. Præclarum planè dictum hominis. Habebat tunc in manibus vitas beatorum Pontificum Dunstani & Oswaldi, qui ambo quondam diversis temporibus Wigorniæ præsederant; quorum ut imitabatur vitam, sic tuebatur sententiam. Et mira prorsus oculorum fidei perspicacia! illos se coram profitebatur cernere, quos causæ non dubitabat assistere. Ita ingressus, causam non difficulter obtinuit. Siquidem interroganti Regi quid in suo invenisset consilio, cùm respondisset: Consilium meum in vobis est: Continuò ille (cor quippe Regis in manu Dei) edictum annitente Lanfranco proposuit, Episcopum Wigorniensem Cantuariensi Archiepiscopo subjectum esse debere, nihil in illum juris Eboracensi competere. Quinetiam duodecim villas, quas Aldredus usque ad diem mortis suis assignaverat commodis, indulsit Wigornensi Ecclesiæ: regiâ sanè liberalitate Archiepiscopo data prædiorum compensatione. Cumulavit miraculum; quòd in eodem Concilio apud Pedridan habito Episcopatûs ei Cestrensis à Lanfranco Archiepiscopo visitatio commissa est. Ea enim provincia, quæ tres habet pagos, Cestrensem, Crobernensem, Tefordensem, erat adhuc propter longinquitatem Normannis inaccessa, & propter barbariem impacata. Ea res diu fuit sermonis materia hominibus, affluentiam in eo Dei gratiæ mirantibus. Duos enim Episcopatus decedens Concilio reportabat, qui unum quasi amissurus venerat. Hujus narrationis Colemannus testem citat Walchelinum Wintoniensem Episcopum, in virtutibus tunc temporis Lanfranco, sed longo intervallo, proximum. Eum siquidem plusquam semel narrantem audivi; quomodo vir sanctus penè solus tot Optimatibus, & ipsis magno elimatis acumine, obnitentibus victor abierit.

[a] Marc. XIII. 9. Vide Willelmi librum 4. de gestis Pontif. Angl. f. 160.

CAP. II. Sed hæc hactenus. Nunc ad enarranda quædam, quæ per Wlstanum Christus ostendit, miracula, velificante Spiritu Sancto in altum laxemus carbasa. Propheticæ sanctitatis ejus multa fuere indicia; quorum vel duo perstrinxisse suffecerit. Aldwynus quidam, habitu Monachus, literarum expers, cùm Congregationem religionis apud Malvernum adoriri conatus esset; post aliquot annos immensitate laboris deterritus, cœpto desistere cogitabat. Sed quia præter conscientiam Patris Diœcesi ejus discedere temerarium esset; eo adito difficultatem rei & tenuitatem pecuniæ sanctitati ejus apploravit. Velle se Jerosolymam iter moliri; ut si alios nequiret, saltem seipsum Dei servitio manciparet. Non, ait Pontifex, crede mihi, (hoc enim solemni juramento utebatur) quia si scires quantam religionem Deus in illo loco futuram prævidit; multùm gauderes. Perstitit ille, hoc nisus oraculo; & veritatem vaticinii, sicut hodieque videtur, executus est sudore proprio.

Eadem ferè habet Willelmus libro 4. de gestis Pontif. Angl. f. 160.

CAP. III. Non est dissimile quod sequitur. Occasionem, ut dixi, visitandi Cestrensem Episcopatum nactus, crebróque per Scrobesberiam transiens, in Oratorio S. Petri tunc illius urbis minimo frequentes orationum protelabat excubias. Mirantibus urbicis & causam sedulò percunctantibus, cur posthabitâ quam S. Mariam nominabant Ecclesiâ, illud Oratorium suis nobilitaret precibus; respondisse constat Episcopum: Crede mihi; hoc Oratorium, quod modò vilipenditis, erit in posterum locus gloriosissimus totius Scrobesbiriæ, & gaudium omnis provinciæ; eumque & diligetis vivi, & ibi jacebitis mortui. Hæc ille dixit tunc; sed rem non infra promissum impletam esse nunc est celebratius quàm ut necesse sit ad hoc inculcandum nostrum spatiari stilum.

CAP. IV. *Miraculum de muliere Eveshamensi, quam Wlstanus à dementiâ liberavit. Vide Capgravium f.* 332.

CAP. V. *Miraculum de Dæmone ex rustico Glocestrensi ejecto. Vide Capgravium ibidem.*

CAP. VI. *Miraculum de servo suo Dæmoniaco ad sanam mentem reducto.*

CAP. VII. *Miraculum de paupere Cantiano, cui morbum Regium Kemeseyæ sanavit. Vide Capgravium ibidem.*

CAP. VIII. *Miraculum de discrimine incendii Wicumbæ evaso.*

CAP. IX. *Quomodo Ecclesiam Wicumbæ ab oppidano Spurt Lunser dicto ædificatam, concedente id Remigio Lincolniensi Episcopo, dedicarit; & viri pedissequam ab iniquo morbo liberaverit.*

CAP. X. *De cæco Wigorniensi luce donato.*

CAP. XI. *Quomodo Gunnildi Sanctimoniali Wiltoniensi, Regis Haroldi filiæ, oculos morbidos sanaverit. Capgravius rem narrat f.* 332.

CAP. XII. Rex Willelmus consuetudinem induxerat, quam successores aliquamdiu tritam postmodum consenescere permisêre. Ea erat, ut ter in anno cuncti Optimates ad Curiam convenirent, de necessariis regni tractaturi, simulque visuri Regis insigne quomodo iret gemmato fastigiatus diademate. Loca & tempora Curiæ dicere non est præsentis materiæ. Hujus igitur moris necessitate vir sanctus astrictus, Wintoniam ante Pascha ire maturabat. Jacebat in semitâ homo natalibus Francus, quem interna viscerum exagitabant tormenta, &c. *Succedit narratio sanitatis à Wlstano datæ.*

CAP. XIII. *Miraculum de Segilde matronâ ab Arthritide liberatâ per Wlstani literas.*

CAP. XIV. Semper totâ vitâ curam corporis illis posthabuit rebus, quibus conciperet terrenorum fastidium, quibus hauriret appetitum cœlestium. Quandocunque Diœceses circumiret, nunquam sine Missâ, sine sermone populum dimitteret; id crebrò & diligenter faceret. Nunquam victui die indulsit; quoad usque quanticunque numeri pueros undecunque advectos consignâsset. Hoc à primo Solis ortu ad lucem occiduam actitabat, non solùm diebus hibernis sed & solibus æstivis. Sæpe illum duo millia ut parum, sæpe

tria & quod excurrit, uno die confirmâsse non perfunctoriis testibus approbatur. Hoc non modò in juventute, cùm & virilis ætas & ipsa benefaciendi voluptas ad laborem vocaret; verùm etiam cùm jam gemmea canities nive caput aspergeret, & ipse tenui valetudine vix corporis viribus animum sequeretur. Stupori erat omnibus; quòd octo plerumque Clericis qui Chrismatorium ferrent invicem fatigationi succumbentibus, ipse indefessus persisteret. Fallebat nimirum tantos labores amor Dei. *Sequitur narratio de calumniatore Wlstani à Damone correpto, & Wlstani prece sanato.*

CAP. XV. *Quomodo Glocestriam accitus à Serlone Abbate ad dedicandam Ecclesiam, plures inimicitias dissolverit, edito in renuentes terribili divinæ ultionis exemplo. Rem narrat Willelmus libro 4. de gestis Pontif. Angl. f. 160.*

CAP. XVI. *Quomodo pacem prædicandi munus Wlstanus Colemanno delegârit,* magni pendens in eo munditiam vitæ, præstantiam personæ, profusam facundiam, literarum peritiam: *& de contemptore sermonum Colemanni cœlitus punito.*

CAP. XVII. *De arbore, quæ à Wlstano maledicta exaruit. Vide Capgr. f. 333.*

CAP. XVIII. *De contumeliâ Wlstano illatâ, & ultione divinitus secutâ.*

CAP. XIX. *De ope nautis periclitantibus à Wlstano latâ. Vide Capgr. f. 333.*

CAP. XX. Vicus est maritimus Brichstou dictus, à quo recto cursu in Hiberniam transmittitur, ideoque illius terræ barbariei accommodus. Hujus indigenæ cum cæteris ex Angliâ causâ mercimonii sæpe in Hiberniam annavigant. Ab his Wlstanus morem vetustissimum sustulit, qui sic animis eorum occalluerat, ut nec Dei amor nec Regis Willelmi hactenus eum abolere potuissent. Homines enim ex omni Angliâ coemptos majoris spe quæstûs in Hiberniam distrahebant; ancillasque priùs ludibrio lecti habitas jamque prægnantes venum proponebant. Videres & gemeres concatenatos funibus miserorum ordines & utriusque sexûs adolescentes; qui liberali formâ, ætate integrâ barbaris miserationi essent; cotidie prostitui, cotidie venditari. Facinus execrandum, dedecus miserabile, nec belluini affectus memores homines, necessitudines suas, ipsum postremò sanguinem suum servituti addicere. Hunc tam inveteratum morem & à proavis in nepotes transfusum Wlstanus, ut dixi, paulatim delevit. Sciens enim cervicositatem eorum non facilè flecti, sæpe circa eos duobus mensibus sæpe tribus mansitabat; omni Dominicâ eò veniens, & divinæ prædicationis semina spargens. Quæ adeò per intervalla temporum apud eos convaluere; ut non solùm renuntiarent vitio, sed ad idem faciendum cæteris per Angliam essent exemplo. Denique unum ex suo numero, qui pertinaciùs obviaret præceptis Episcopi, vico ejectum, mox luminibus orbavere. In qua re devotionem laudo, sed factum improbo; quamvis semel vitiatis agrestium animis nulla queat obsistere vis rationis.

CAP. XXI. Legatione Willelmi Regis & Thomæ Archiepiscopi semel ad Eboracum ante Pascha proficiscens, ut ibi Chrisma benediceret, Snotingaham venit. *Ibi sanctitas ejus uxori Vicecomitis dubitanti miraculo comprobata est.*

CAP. XXII. Sewius quidam non mediocrium divitiarum homo in suâ villâ Readeclivæ fecerat Ecclesiam. Eam à Sancto dedicari religiosis votis inæstuans, ab Archiepiscopo, cujus erat Diœcesis, petierat licentiam & impetraverat. *Ibi Wlstanus pacem cum paupere quodam ineundam opulento Presbytero incassum suadens, interitum homini denunciavit funestum, qui & brevi secutus est.*

LIBER

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

HActenus & dixi & dixisse juvat Miracula, pauca sanè, sed quæ sufficiant ad documentum sanctitatis Wlstani; nunc interiorem ejus vitam & mores dicere aggrediar. Primoque de corporis qualitate dicendum. Staturâ fuit temperatâ, maximis cedens, minimos supergrediens; omnium membrorum æqualitate compositus. Congruebat habitudini corporis serenitas mentis; ut quemvis ad reverentiam sui alliceret. Valetudinis prosperrimæ, quam & ipse modestiâ cibi & nullâ indulgentiâ somni adjuvabat. Indumenta ejus lectisternia; calciamenta moderata, nec arrogantis pretii, nec abjectæ vilitatis. Vitabatur in utroque fastus; quia & in sordibus luctuosis potest esse jactantia. Proniùs tamen ad id quod esset humile vergebat; ut totum deesset pompæ, & nihil desideraretur gratiæ. Ita semper omnis ostentationis refugus, in cunctis divitiis agninis tantum amiciebatur pellibus. Unde quadam vice à Gaufrido Constantiensi Episcopo benigne reprehensus, facetissimis hominem respersit salibus. Cùm enim interrogâsset, cur agninas pelles haberet, qui sabelinas vel castorinas vel vulpinas habere posset & deberet; eleganter respondit: Eum & homines prudentiæ sæcularis gnaros versutorum animalium pellibus uti debere; se nullius tergiversationis conscium pelliculis agninis contentum esse. Cùmque ille instaret, referretque ut vel saltem cattos indueret: Crede mihi, respondit Wlstanus, sæpiùs cantatur Agnus Dei quàm cattus Dei. Hæc verba Gaufridi risus excepit admodum delectati, quòd ipse posset illudi, nec alter posset inflecti.

Vide Willelmi librum 4. de gestis Pontif. Angl. f. 160.

CAP. II. Excepto si quando cum Monachis reficeretur, semper in regiâ considentibus militibus palam convivabatur. Indecens enim & illiberale testabatur esse; si clam obsonaretur, domesticis interim musitantibus. Quanquam nunquam post religionis habitum, nec ante aliquot annos, unctioribus cibis corpus curaverit; sed semper sagimini, semper carnibus præterquam piscium valefecerit. Quem morem qua sibi occasione indixerit, non ab re fuerit, si altiùs repetam. Brihtegus, ut præmissum est, Episcopus, eum à primis ordinibus in Presbyteratum promoverat; promotoque Ecclesiam villæ, quæ Havekesberia dicitur, delegaverat. Erat tum ille primæ lanuginis ephebus; nec tamen ut investis ævi homo sæculi luxibus consumebat operam. Inter hæc nondum ab esculentis dapibus abhorrens, jussit quadam die aucam coqui. Ales verò veru infixus torrebatur sedulò delicato pueri familiaris artificio. Distillabat igneâ vi expressus arvinæ liquor; fuerat enim de altilibus aucis lectissima. Pars ministrorum prunas suggerere, pars condimentum molere, omnes in nidorem prurire, voluptatemque verbis dissimulare non posse. His captus Presbyter ipse quoque in delectationem animum resolverat, spe aucam prælibans. Jamque pene mensâ positâ, importuna sed necessaria causa extitit; quæ ipsum & præpositum cibi extorres domo extrusit. Ita inanis discedens, momentaneæ voluptatis culpam arguebat animo. Miseram carnem ad tanta instigari; delectationem effluere, peccatum manere. Carnem non * * * * * * *Deesse videtur in Codice folium integrum. Rem narrat Willelmus libro 4. de gestis Pontif. Angl. f. 159.*

Vide Capgravium f. 333.

CAP. III. * * * * * * ris vigilantiorem deprehendisset. Quorum unus Edricus nomine, quem & ego novi, quadam nocte cantanti consedit. Sed cùm ille nihil soliti pensi prætermittere vellet; pertæsus morarum Monachus manu etiam Episcopo ut desineret significare præsumpsit. Quo somnolentiam ejus nutu arguente, resedit invitus, perstitit oscitabundus. Mox cùm se cubitum collocâsset; magnâ vi per visum concussus, flagris quinetiam cæsus, inconsultæ temeritatis pœnas dedit. Postremò datâ fide, quòd nunquam ulteriùs bonum hominem à bono deterreret vel impediret opere, tam horrificæ visionis periculo solutus est.

CAP. IV. Matutinas semper in Ecclesiâ cantitabat; quantocunque spatio dispararetur ab hospitio. Illuc ibatur, ningeret, plueret, quæcunque porrò incommoditas aeris esset. Si luto via sorderet, nihil minús. Si crassitudo tenebrarum cœlum subtexeret, nichilo segniùs cunctabatur ille omnem difficultatem itineris; dummodo veniret ad Ecclesiam: ut non falsò posset dicere Deo. [a] *Domine dilexi decorem domûs tuæ.* Hac consuetudine quam quadam vice ante Natale Domini Curiam proficiscens, apud Merlave villam hospitium accepisset; dixit suis manè se ad Ecclesiam iturum. Ea longè aberat; simul & lutosâ via quemlibet etiam die ambulantem deterreret. Præterea ninguidus imber vel nix pluvialis, utroque enim modo sæviebat aer, impedimento essent. Hæc Clericis obtendentibus, ille perstitit in sententiâ, nec dejici potuit: Velle se ad Ecclesiam ire, uno saltem vel etiam nullo comite; tantùm monstraretur sibi via, ne incerto erraret tramite. Ita votis Episcopi contra se fluentibus, cessit Clericorum improbitas, iracundiamque silentio frænavit. Quorum Frewinus mente præruptior, manu Domini apprehensâ geminavit culpam, ducendo eum qua palus undosior, qua via præruptior esset. Ille luto ad genua immersus, uno etiam calceo privatus, interim dissimulavit injuriam. Eò enim Clericalis procedebat intentio; ut & tunc Episcopum cœpti pigeret, & postmodum consiliis suis accederet. Jam verò multo die, artubus gelante rigore præmortuis, ad diversorium regressus, tum verò & suum incommodum & Clerici delictum aperuit. Præcepit etiam, ut quæreretur calceus; & nullo convitio in contumacem invectus, sed atrocitatem facti vultûs hilaritate attenuans. Erat enim Pontifex magnæ tolerantiæ; qua ita mentem armaverat, ut nulla eum illusio turbaret, nullum incommodum in peccatum concuteret. Nam plerunque quidam eum vel apertè obuncabant verbis vel occultè vellicabant ludibriis. Sed ipse adversùs hæc & extrinsecus à sæculo venientia sic stabat intrepidus; ut sequeretur animo, non tamen caderet verbo. Nec tamen ei hanc laudem arrogare volo, quam affirmare non valeo; ut nec animo moveretur. Affectiones enim animi nulla unquam religio delere potuit vel poterit; quas etsi valet ad horam compescere, non valet in æternum auferre.

[a] Psal. XXV. 8.

CAP. V. Missas cotidie ad minus duas audire; ad utramque oblationem suam non negligere; ipse tertiam cantare. Si quò equitandum esset; ascenso animali continuò Psalterium incipere, nec pausam nisi ad finem facere. Adjungebantur Letaniæ cum Collectis pluribus, & Vigiliæ cum Vesperis pro animabus. Tum si via protelaretur; ad sufficientiam horarum repetebatur Psalterium. Adequitabant Clerici & Monachi vel seriem versuum excepturi, vel amminiculaturi memoriæ, si quando videretur titubare. Hoc ideo ut dediscerent inanes fabulas, quæ potissimùm se viantibus ingerunt. Cubicularius præsto habebat marsupium, quod esset omnium egentium ærarium. Nemo enim unquam ingemuit repulsam, qui à Wlstano mendicavit eleemosynam. Jam verò viâ permensâ, cùm ventum esset ad hospitium; non antè, ut

ut supra dixi, quietis intraret cameram, quam cùm precibus salutâsset Ecclesiam. Ipsas porrò domos totius diversorii jubebat lustrari à Presbytero cum aqua benedicta & crucis vexillo. Sic fugarentur adversa; sic introducerentur secunda.

CAP. VI. Semper orabat aut prædicabat verbo, si vacaret. Sin minùs, mente affixus cœlo inhiabat Deo. Jaceret, staret, ambularet, sederet; semper in ore Psalmus, semper in corde Christus. Quid quòd etiam dormiens corpore, vigilabat oratione? Si quando nimio precum labore defatigatus quieti membra composuisset; cedebat quidem naturæ ut dormiret; sed vel per se vel pulsante alio experrectus Psalmum inchoabat. [a] *Conserva me Domine*, vel [b] *Diligam te Domine:* vel cætera hujusmodi quæ orationem sonarent. Æstivis diebus post prandium plerunque indulgebat lecto; sed (quod mirum quis dixerit) non poterat in somnum resolvi, nisi aliquo coram legente inductus. Si lector munus exerceret suum; videbatur dormitare. Altero cessante, confestim abrumpebat soporem. Legebantur enim ante ipsum Sanctorum Vitæ & Scripturæ ædificatoriæ. Verè pronunties vitam hominis fuisse quasi quoddam cœleste speculum; ex quo totius sanctimoniæ resultaret simulachrum: fuisse quasi divinæ voluptatis speculum; quod conduceret religioni, quod responderet saluti, quod postremò conquadraret decori.

[a] Psal. XV.
[b] Psal. XVII.

CAP. VII. Homines ad confessionem peccatorum venientes jocundè suscipiebat, benignè resovebat: confitentes gratissima humanitate audiens, non arroganti gestu fastidiens. Lacrimabiliter condescendens illorum delictis, non resiliens sicut inauditis. Quæ res effecerat ex totâ venientes Angliâ, ea quæ nulli alii crederent, illi confiteri non erubescerent. Non pudebat ergo illi duntaxat dicere, quod pigebat fecisse. Ipse quoque parem in confitentes refundebat gratiam, sedulò ne desperarent ammonendo, qualiter peccata caverent, qualiter commissa diluerent instruendo. Nec illud minori, nescio an majori, prædicatione dignius; quòd eos semper familiariores in posterum haberet, quorum peccata & pœnitentias nosset.

CAP. VIII. Egentium curam maximâ componens diligentiâ, ante se illos sedilibus gregatim disponebat, affluenter quæque necessaria impertiens. Filii divitum curiæ suæ mancipati officio, dapes epulanti pro more inferebant. Eis salutaria sedulo infundebat monita, arrogantiam non habere, humilitatem induere: in primis munditiam carnis non lædere; ne impulsu ætatis lubrico fœdarent corpus in voluptatum volutabro. Eosdemque cogebat genibus flexis, pauperibus mensam & cibos apponere, & pro disciplinâ ministrantium aquam manibus infundere. Si quis eorum conscientiam alti sanguinis spirans vel vultu superbiam proderet; contumacem arguebat. Alia esse in quibus mallet offendi, quàm pauperem vel nutu contristari. Dominicum mandatum observandum, ut serviatur egenis, *&c.* His & talibus pius Doctor quamlibet rudium animorum decoquebat insolentiam; ut maturescerent egenis exhibere reverentiam. Sanè pueros elegantis formæ dignanter sacrarum manuum tactu & osculis demulcens, amplectebatur in eis divinæ compositionis gratiam; materiamque boni ex decore lineamentorum eliciebat; dictitans subinde. Quam pulcher est creator, qui tam pulchras creaturas facit?

CAP. IX. In singulis villis suis singulas habebat ædiculas; in quibus se objectis repagulis a manè post Missam includebat: ibique solitudinem nactus, liberos in contemptum mundi & speculationem Dei librabat mentis obtutus. Nec erat qui meditantem interpellaret, nisi cùm Clericus pulsatione ostii tempus

pus prandii vel horarum nuntiaret. Eratque hoc claustrum inter cameram & privatam domum, domesticis tantùm consciis; ne videretur esse ostentator religionis. Hac se cohibebat inter homines sollicitudine semper quidem, sed maximè tempore Quadragesimæ; ut hoc modo furaretur corpusculo, quod toto fugitabat animo. Erat enim, ut venerabilis Prior Wigornensis Nicholaus mihi dixit, non solùm orator multiplex, sed etiam diligens. Denique cùm ad versum Psalmi veniret, quo affectum in Deum suscitare posset, utpote [c] *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me; quoniam inops & pauper sum ego:* hunc inquam & alios ejusmodi bis terque repetens, erectis in cœlum oculis ingeminabat. Diligentiam quinetiam orandi, sicut idem Prior auctor est, non solùm in se, sed & in suis diligenter observabat. Transgressiones autem suorum & tolerabat opportunè, & arguebat pro tempore. Denique si quem Monachorum videret matutinæ Synaxi deesse; quamvis tunc dissimularet, cæteris post officium somno cedentibus, neglecto rem leniter suscitans debitum implere cogebat, ipse vice Ministri cantanti respondens: Quid hoc mirabilius homine, &c. De Nicholao sanè reverendissimo plura libet dicere; si priùs quæ de moribus Wlstani habeo in manibus, potuero explicare.

[c] Psalm. LXXXV. 1.

CAP. X. Diœcesin suam, ut supra tetigi, sollicite peragrabat; nichil quod sui interesat officii prætermittens. Id ut commodiùs fieret; semel in anno metam ponebat; valetudini suæ occurrentiumque fatigationi prospiciens. Per totum enim Episcopatum, præcedente Archidiaconorum ammonitione, tantum vulgus ejus se infundebat occursui, ut nequiret numerari. Quorum dum infirmitatibus servire cogeretur; erat quidem res ponderis & gravedinis; sed emicabat animus sullevator oneris & victor laboris. Per totam Parochiam in sui juris prædiis Ecclesias struebat; in alienis ut struerentur instabat. Apud † Westbiri ex antiquo Ecclesia fuerat; sed tunc semiruta & semitecta remedium desiderabat. Eam ille reparavit in solidum, fastigiavit in summum, parietes cæmento, tectum plumbo reficiens: delegatisque villarum & decimarum redditibus librisque Officialibus, solenni dono Wigornensi Ecclesiæ dedit; ibique Monachis positis Colemannum toties dictum præfecit.

Veruntamen cùm esset in divinis domibus apparandis, ut ita dixi, solers & diligens; in sæcularibus esse propemodum videbatur hebes & negligens. Nusquam enim in villis suis aulas, nusquam triclinia fecit. Nimirum qui non solum in istis forensibus, sed etiam in Ecclesiis operosâ gravaretur architecturâ. Magis enim deputabat talia humanæ pompæ & jactantiæ, quàm divinæ voluntati & gratiæ. Quod Nicholaus dicebat eo die potuisse videri, quo vetustam * Ecclesiam Wigorniæ fecit detegi. Stabat ipse in cœmiterio tacitus, & subinde congemiscens. Scaturibat quippe in animo ejus cogitatio; quæ ingentem imbrem lacrimarum ferens, tandem erupit. Nos, inquit, miseri Sanctorum destruimus opera, pompatice putantes nos facere meliora. Quanto præstantior nobis S. Oswaldus, qui hanc fecit Ecclesiam? Quot sancti viri religiosi in eâ Deo servierunt? Et licet astantes referrent non debere illum tristari, sed potius lætari, quem Deus ad hanc servâsset gratiam ut sic

Vide Willelmi lib. 4. de gestis Pontif. Angl. f. 160.

† Domum Westbiriæ religioni à multis sæculis dicatam Oswaldus Episcopus Wigorniensis restauravit & Monachis implevit anno 983. collapsam Wlstanus restituit & Ecclesiæ Wigorniensi dedit anno 1093. die Nativitatis B. Mariæ Virginis. Extat Charta Donationis in Monastico Angl. tom. 1. p. 126. Illam Wigorniensibus Monachis Samson Episcopus postea abstulit.

* Vetustâ Ecclesiâ Wigorniensi dirutâ, nova ædificari cœpit anno 1084. juxta Annales Wigornienses MSS.

videret magnificari Ecclesiam; in lacrimarum proposito tenax fuit. Nec desunt qui dicant prædixisse illum Ecclesiæ novæ † incendium, quo subsequentibus conflagrata est annis. Sed non placuit pro vero præsumere, quod discrepat. Tunc autem & novam Ecclesiam perfecit; nec facile invenias ornamentum, quod eam non decoraverit. Ita erat in singulis mirabilis, & in omnibus singularis. Quocirca ut magnificentiæ nihil deesset; LXXII. marcas argenti scrinio innexuit; in quo beatissimi Oswaldi prædecessoris sui exuvias simulque multorum Sanctorum locavit. * Ea res multorum populi & Episcopi Roberti & Abbatum frequentiâ VIII. Idus Octobris facta; quo die Translatio prædicti Sancti, ejusdemque Octavâ Reliquiarum omnium loci memoria fieri annuatim jussa. Hoc ideo excogitatum, quia depositio Sancti, quæ in Quadragesima est, non ita commode fieri potest. Sciat porro lector id quondam Scrinium à B. Oswaldo factum, sed à Wlstano ampliatum.

CAP. XI. In animarum fidelium auxilium maximâ tenebatur miseratione; ut etiam temeritatem per cœmiteria equitantium perpetuo compesceret edicto. Multa ibi Sanctorum jacere corpora; quorum animabus, quæ apud Deum sunt, debeatur reverentia. Veruntamen parum hac profecit industria; quia nichilominus hodie Sanctorum calcatur reverentia. Quandocunque & ubicunque, ut superius dixi, alicujus audiret obitum; statim *Pater noster* præsentibus indicto, ipse tres Psalmos, [d] *Laudate Dominum omnes gentes:* [e] *De profundis:* [f] *Laudate Dominum in Sanctis:* cum precibus dicebat. Ita oratione pro anima deposita, fiebat defuncto, si tempus sineret, sermo brevis & perfunctorius, vel longus & necessarius. Missam pro mortuis nullo non die cantari faciebat, præter Dominicas & majora solempnia. Remittebat enim festivitati, quod pietati debebat; ut tanto magis augeret veniam, quanto minus urgeret causam. Erat ergo dulcedinis, quod cæteris diebus orabat; amplissimæ spei, quod in Dominicis cessabat. Neutro eum autem Dominus fraudaret; quoniam arridebat Domini clementia, ubi plaudebat servi confidentia.

[d] Psal. CXVI.
[e] Psal. CXXIX.
[f] Psal. CL.

CAP. XII. Labem impudicitiæ oderat; integritati favebat in omnibus, & maximè sacrati ordinis hominibus. Quorum si quenpiam castitati comperiisset deditum; familiarum eum partium facere, & ut filium diligere. Uxoratos Presbyteros † omnes uno convenit edicto; aut libidini aut Ecclesiis renuntiandum pronuntians. Si castimoniam amarent, manerent cum gratiâ; si voluptati servirent, exirent cum injuriâ. Fueruntque nonnulli, qui Ecclesiis quàm mulierculis carere mallent. Quorum aliquos vagabundos fames absumpsit; aliquos res familiaris aliunde quæsita, in extremum tutata,

† Civitas Wigorniæ cum principali Ecclesia & omnibus aliis & castello 13. Cal. Julii feriâ 5. igne cremata est anno 1113. Ita Florentius Wigorniensis. Ex Willelmo autem Malmsburiensi (qui idem incendium narrat, lib. 4. de gest. Pontif. Angl. f. 161.) constat non integram Ecclesiam sed tectum duntaxat conflagrâsse.

* Oswaldi ossa antea è tumulo levaverat, *& in scrinio (quod paraverat) honorificè locaverat* Adulphus Archiepiscopus Ebor. anno 1002. 17. Cal. Maii, feria 4. referente Florentio. Oswaldus obierat die ultimo Februarii anno 992. bissextili.

† Lapsum esse Willelmum suspicor. Presbyteris quidem Canonicis uxores interdixerat Concilium Wintoniense anno 1076. Nondum autem reliquis Presbyteris conjugium erat illicitum. Factum id primò in Concilio Londinensi anno 1102. Non igitur cum Presbyteris uxoratis, sed cum Canonicis solis Wlstano res erat.

non

non destituit. Pauci, quos sanior regebat ratio, abdicatis illicitis præclaro in Ecclesiis suis consenuere otio. Quare Antistes cavens in posterum, nullum ulterius promovit ad Presbyterum, qui non de castitate servanda daret sacramentum.

CAP. XIII. Humilitatis ejus ubique maximæ inter Monachos multa fuere indicia. Quando erat Wigorniæ, Missam majorem cotidie fere dicebat, officio ultroneo sæpius quam ab illo cujus septimana esset rogatus. Fertur enim solitum dicere, quod tamen fide Nicholai dixerim: Monachum se loci esse, septimanam ut cæteros Ecclesiæ debere; ideoque quod suo explere nequiret ordine, suppleret pro Adventûs tempore. Collationi semper interesse; deinde in Ecclesia confessione facta & benedictione data, redire ad sua. Summo diluculo cæteris quiescentibus in Ecclesiam se matutinus agebat; ubi si aliquis Fratrum, ut fit plerunque, Missam dicere volens, non haberet adjutoris solatium, ipse incunctanter Ministri subibat officium. Ipse in pueris & cæteris, quos perperam vestitos vidisset, dignanter acclinis pendulos componebat sinus, rugasque dissidentes redigebat in seriem.

[f] l. dejecta.
[g] Matt. XX. 26

CAP. XIV. Asserentibus quibusdam, quod tam [f] dilecta humilitas citra Episcopalem dignitatem esset; respondebat, [g] *Qui major est vestrum, erit minister vester.* Ego sum Episcopus vester & magister; ideoque debeo esse vestrûm omnium minister secundùm Domini præceptum. Nec enim unquam ad voluntatis suæ supinabatur arbitrium; in omnibus Dei præceptis obsecundans. Moribus gratissimus, nulla acerbitate cohabitantes offendens, nulla ingratitudine obsequentes confundens. Sæpe suis usibus aptata retrahens, dummodo suorum commoditatibus consuleret, faceret, diceret omnia, quæ ad officium spectarent suum. Hoc non solùm exhibebat Wigorniæ, sed ubicunque in Diœcesi sua peteretur venire ad Cœnobia. Nec enim petentes dura fronte suspendere, vel morarum ambagibus adventum suum excusare solebat. Quandocunque ei confirmandi pueri nuntiarentur, ut ante dixi; statim petitionibus nuntiantium assurgebat. Si vigilaret, rejectis quæ habebat in manibus; si dormiret, continuò somno excussus. Erant tunc temporis Altaria lignea jam inde à priscis diebus in Anglia. Ea ille per Diœcesin demolitus, ex lapidibus compaginavit alia. Unde fiebat, ut nonnunquam uno die duo in aliqua villa, secundóque & tertiò aliàs profectus totidem, dedicaret altaria. Ita impigrè quocunque vocabatur aderat; ut non eum migrare sed volare crederes. Quo tempore miraculum, quod eâ fecit occasione, non patiar obduci silentio.

CAP. XV. *Miraculum de hydromeli Wlstani meritis multiplicato in convivio post dedicationem Ecclesiæ ab Egelrico Archidiacono constructæ.*

CAP. XVI. Res ammonere videtur; ut quia de potu sermo se intulit, dicam quid monstri cuidam accidit, qui contra vetitum ejus potavit. Habebat ipse in curia sua milites multos; non quo voluptati esset, aut ejus blandiretur animo frequens servientium multitudo. Nec enim in corde parturiebat jactantiam, si haberet multorum obsequelam; sed Rex Willelmus ita fieri præceperat, quòd sereretur rumor in vulgus, Danos adventare & jam jamque affore. Nec à vero deviabat opinio; venissentque proculdubio, nisi aliæ res intercessissent. Causam minarum & obicem impedimentorum in [h] *Gestis Regum Anglorum* exposui; quæ ibi, si quis volet, amicus Lector inveniet. Quocirca, ut cœperam dicere, Rex timore percitus, coacto Concilio, quid opus esset facto, in medium consuluit. Omnium fuit sententia Lanfranco authore, Curias Magnatum militibus muniendas; ut si forte res exigeret, communi

[h] Lib. 3. f. 59, 60.

communi umbone rempublicam & privatas fortunas omnes contra Barbaros tuerentur. Ideo Episcopus plures retentans, affluentibus mulcebat stipendiis, & delicatis saturabat obsoniis. *Sequitur narratio, quomodo Nicholaus posthabito Wlstani mandato potans, noctu à Damone sit lacessitus.*

CAP. XVII. Sane ut occasione Magistri etiam venerabilis discipuli memoria eat in paginas nostras; Nicholaus clarissimæ progeniei quantum ad Anglos fuit. Parentes ejus Sanctum virum magnâ coluerunt reverentiâ; multis commodis amicitiam ejus pignorati. Puerum baptizavit ipse; literisque nobiliter instructum, continuò ut ætas tulit, semper ad latus habuit. Mox ut plena informationis perfectio in eum conflueret, Cantiam misit, sub disciplinâ Lanfranci aliquamdiu militaturum. Idemque postea tempore Thiulfi Episcopi factus Prior multa in brevi experimenta industriæ dedit. Idque quod magis conducibile arbitror, hic literas habitatoribus loci vel doctrinâ infudit vel exemplo inculcavit; ut summis Ecclesiis Angliæ etsi cedant numero, non vincantur studio. Porrò Nicholaus Wlstani dicta & facta referre voluptati habebat; in hoc fortasse culpandus, quòd vitam ejus stilo non commisit. Nullus enim eam memoriæ mandare posset veraciùs, quam nemo ipso nosset præsentiùs. Denique verba ejus, etiam quæ fortuitu effunderet, nunquam ferè pondere caruisse dicebat: ut istud. Demulcebat paternâ benignitate caput ipsius, cui jam refugis à fronte capillis damnosa cæsaries erat. Tunc ephebus alludens Episcopo, Pulchrè, inquit, servas capillos meos, qui omnes effugiunt. Non, respondit ille, crede mihi, quamdiu vixero, calvus eris. Nec minus dicto fuit. Sed ipsâ penè septimanâ qua spiritus Wlstani reliquit terras, quicquid reliquum erat capillorum in fronte Nicholai, effluxit in auras.

Vide Willelmi librum 4 de gestis Pontif. Angl. f. 160. & apgravium f. 333.

CAP. XVIII. Omni die in Quadragesimâ, ut ante dictum Lector recolit, pauperibus post ablutionem pedum & manuum stipem impendebat cibariam. Idque libentiùs noctibus quàm diebus, vitans videlicet judicia hominum, quæ in utramvis partem amore labuntur aut odio. Ubi si inter alios assedisset aliquis, quem morbus occupâsset regius, illius verò pedes pressare tenaciùs, osculari dulciùs, oculos porrò in ipsis figere ulceribus. Jam verò in Cœnâ Domini totam diem perinde ac noctem succedentibus invicem sibi pietatem officiis exigebat. Et licèt semper esset in Dei cultum suspensus; illo tamen die maximè curabat, ne quid sæculare suis irreperet actibus. Post matutinas cum Monachis in majori cantatas Ecclesiâ in cubiculum regressus, aquam calidam cum manutergiis inveniebat paratam ab Officialibus, quorum id erat munus. Ibi multis pauperibus, ut dixi, dilutis omnium etiam vestimentorum indulgebat compendium; manu suâ ipse caritatem ministrans. Tum ad momentaneam quietem membris compositis, ministri totam Aulam implebant pauperibus, quantum densatis agminibus, quantum confertis ordinibus sedere poterat. His omnibus cùm Pater calceos & victum manu præbuisset suâ; si ei diceretur, Domine, modò requiesce; bene fecisti; respondebat: Parum feci; sed voluntatem habeo præceptum Domini mei faciendi. Inde secedebat in Ecclesiam; totâque die usque ad nonam mundanorum refugus cœlum anhelabat. Sequebatur pœnitentium reconciliatio, Missæ celebritas, Chrismatis benedictio. Quæ omnia quamvis Colemannus magno verborum circuitu egerit, mihi prætermittere consilium fuit; propterea quòd non Episcopale officium designare, sed vitam ejus describere susceperim. Quid enim ad rem ea dicere, quæ & alii faciunt, nec aliter quàm in libris continetur facere possunt? Illud sanè prætereundum non opinor; aspectum ejus ita fuisse pœnitentibus gratiosum; ut cùm eum conspicarentur oculo, Dei Angelum imaginarentur animo. Eo die cum reconciliatis comedere, post cœnam

nam Monachis omnibus pedes abluere, pocula cum osculis ministrare, solitum accepimus: Sic à mediâ nocte usque ad profundum alterius noctis crepusculum mundo se subtrahere consuetum.

CAP. XIX. Anno ante obitum suum proximo tantâ in Cœnâ Domini officium istud curavit efficaciâ; ut superiorum annorum nihil fuisse putaretur diligentia. Præsagiebat profecto illud se facturum ultimò; cunctosque ministros sollicitudinis percellebat miraculo. Indixerat singulis Præpositis; ut ex singulis villis præberent unius hominis vestimenta omnia, decem hominum calceos, centum hominum victum. Eadem etiam Cubiculariis nundinanda præceperat; ut quod minus haberent prædia, suppleret curia. Tereâ die impleta est Aula egenis sic constipatis, ut vix ægréque quisquam progredi posset; adeò cunctos aditus occluserant agmina longâ serie & confusâ hærentia. Fremebat domus magno tumultu; abluebantque Monachi & Clerici pedes considentium. Ipse sedebat in medio, Episcopali nixus subsellio. Labor immensus vires exhauserat; ut vel psaltes esset, qui ablutor esse non posset. Erat interea mens misericors, quæ vellet satisfieri cunctis, ne ullus abiret inanis. Et quidem semel & secundò discesserunt omnes, vestibus ornati, nummis & calceis læti, omnes ventribus suffarcinati. Jam verò cùm tertiò locaretur pauperum ordo; suggessit in aurem Monachus Episcopo pecuniam & vestes defecisse, in angusto etiam victum esse, dapiferumque & cubicularios conventos expensas negare. Quid ergo lavari pedes attineret; quando quod lotis daretur non esset? Immo, inquit Episcopus, fiat præceptum Domini; non deerit largitas ejus, ut alicunde pascantur servi. Ministri mei pro me facere nolunt; volent cùm me non habebunt. Vix hæc locutus fuerat; & ecce tres ingressi sunt nuntii; alter alterius calcem penè præ festinatione terentes. Primus pecuniam allatam, secundus equum adductum, tertius boves donatos Episcopo nuntiavit. Ille levatis in cœlum oculis & manibus, exultavit miraculo, non tam sui causâ quàm pauperum emolumento. Monachi flere præ gaudio, & tali aggratulari Domino. Ab omnibus benedici Deus, qui non fraudaret vota in se sperantium, nec pateretur vel ad horam contristari Wlstanum. Ita equus in precium redactus, boves in nummos conflati, cum pecuniâ nuper allatâ, egenorum profecere compendiis.

CAP. XX. Præmonuerat ministros velle se ad illud Pascha convivari accuratis epulis cum bonis hominibus. Id illi falsò interpretati, opulentorum plerosque convocaverant. Jamque Paschæ dies illuxerat; cùm ille in Aulam pauperibus, quantos capere posset, introductis, præcepit inter eos sedili locato epulas sibi apponi. Excepit illud Dapifer ingenti indignatione animi. Multo enim infrendens murmure, lacerabat lenitatem viri; dicens competentius esse, ut Episcopus convivaretur cum paucis divitibus quàm cum multis pauperibus. Ad hoc ille respondit; Illos divites esse, qui nossent & possent voluntatem Dei facere. Illis debere serviri, qui non haberent unde redderent. Redditurum Deum compensationis gratiâ, quod non haberent egeni relatione vicaria. Lætiùs se videre istum consessum, quàm si, ut sæpe, consedisset Regi Anglorum. Multo enim, ut dixi, eum suspiciebat Rex honore, multo Proceres; ut qui sæpe ipsum ascirent convivio, & assurgerent ejus consilio. Ipsi crebrò qui persequerentur justitiam; ingenitâ quibusdam naturâ, ut id colant in aliis, ad quod ipsi aspirare non valeant. Quid dico de Optimatibus Angliæ? Reges Hyberniæ magnis eum venerabantur favoribus. Rex Scotiæ Malcolmus cum venerabili conjuge Margaritâ ipsius se dedebat orationibus. Penetravit regionum intima, regnorum extrema, sanctitatis ejus fama. Papa Romanus, Barensis Archiepiscopus, Jerosolymitanus Patriarcha, Epistolis quæ adhuc supersunt, ejus ambierunt apud Deum suffragia. Nulla postremò

penè fuit mundi gloria, quæ nolentem renitentemque non sequeretur. Eratque certamen inter virum & gloriam; dum quo eam acriùs fugeret ille, eo instantiùs eum illa urgeret. Sed de talibus hucusque circumvagari licuerit; dum transitum ejus lacrimabilem quidem terris sed exultabilem cœlis adoriri formidat oratio. Nunc enim præ mediocritate scientiæ dicturus, te rogo Domine Christe, &c.

CAP. XXI. Proximâ post ista, quæ nuperrimè dixi, Pentecoste gravi per omnes artus tactus molestiâ lecto accubuit. Jussit continuò equis concitatis familiari sui Roberti Episcopi Herefordensis adventum rogari. Robertus quod nuntiabatur audito confestim affuit. Et Wlstanus humanorum excessuum confessione factâ, etiam disciplinam accepit. Ita vocant Monachi virgarum flagra, quæ tergo nudato cædentis infligit acrimonia. Quantus hic vir; qui ævo invalidus, morbo infractus, conscientiâ etiam serenus, non abstinuerit flagellis corporis; ut discuteret si quid reliquum erat animæ sordis? Ab eo tempore usque in Circumcisionem Domini videbatur aliquando leviùs habere, aliquando recidebat in lectum. Ita pigrâ sed assiduâ febre agebatur in exitum. Labes corporis augebat vires animæ; ut si quid in eo erat immaturum æternæ gloriæ, fervor infirmitatis posset decoquere. Post Circumcisionem supradictus Episcopus & venerabiles Diœcesis suæ Abbates, Serlo Gloecestriæ, Geraldus Theokesberiæ, decumbentem visitârunt. Hos ipse, primùm pro more suo seipso accusato, jure absolvit suo; extremum eis valefaciens. Ebulliebat indies vis valetudinis; maturabatque Christus transitum, qui vocabat ad cœlum. Interea non feriabatur ille à Dei servitio; sed veterum non oblitus studiorum, orabat plerunque verbo, semper animo. Magisque sedens quàm jacens, aures Psalmis, oculos Altari applicabat; sedili sic composito, ut liberè cerneret quicquid in Capellâ fieret. Ante octo dies decessûs sui à Thoma Priore loci sacræ inunctionis suscepit officium; cotidiano posthæc Eucharistiæ viatico tutatus exitum. Supremum † efflavit XIV. Cal. Februarii, paulò post mediam noctem Sabbati Annus erat Incarnationis Dominicæ MLXXXVII. regni Willelmi junioris X. post annos suscepti Episcopatûs XXXIV. menses IV. dies XIII. anno ætatis circiter LXXXVII. Hîc porrò mirari quis poterit, quòd longævitatis suæ futuræ non ignarus ipse

† Multiplex in hisce numeris error deprehendi potest. Imprimis enim Wlstanus obiit non anno 1087. sed 1095. ineunte. Dein anno 1087. Rex Willelmus junior regnare incœpit; adeò ut annus ejus decimus cum anno Christi 1097. componatur. Denique Wlstanus à consecratione ad obitum sedit annis 32. mensibus 4. diebus 12. Willelmus annos 34. malè posuit. Wlstani obitum Florentius quamplurimis epochis definivit. *Migravit*, inquit, *è seculo die mensis Januarii 18. noctis septimi Sabbati horâ mediante 7. anno à primo seculi die 5299. anno ab Incarnatione Domini 1095. &c. ab adventu Anglorum* 745. (lege 645.) *ab adventu S. Augustini* 498. *à transitu S. Oswaldi* 103. *&c. Bissextilis cicli tertio, Indictionalis cicli tertio, &c. Lustro suæ ætatis* 18. *sui verò Pontificatûs septimi lustri anno tertio.* Annus rectè assignatur; di eautem non concordat. Eo enim anno dies 18. Januarii in feriam quintam incidit. Reponendus est igitur ex Willelmi aliorumque fide dies 19. Januarii, ad cujus vesperam incipiebat Sabbatum, seu quod habet Florentius dies septimus Sabbati (viz. hebdomadæ Christianæ.) Porrò Wlstanus lustro suæ ætatis 18. obiisse non potuit. Presbyter enim ordinatus est à Brithego Episcopo Wigorniensi, qui anno 1038. obiit: quin & ipse Florentius ad annum 1062. Wlstanum Episcopum consecratum referens, id anno ætatis plus quinquagesimo factum esse perhibet. Amplectenda est igitur Willelmi sententia, Wlstanum scilicet anno ætatis circiter 87. decessisse. Crassiùs adhuc hallucinati sunt Florilegus & Capgravius. Iste etenim Wlstani obitum anno 1067. posuit; ille in diem 25. Martii conjecit.

vivens fuerit. Quod cùm sæpe aliàs, tum semel in Capitulo dulcissimè pronuntiavit. Circumsedentibus enim Fratribus, & multa ut fit mutuo sermone serentibus, cùm repente obstipo capite sopori cessisset; singultantibus omnium lacrimis, quasi festino eos obitu destituturus conclamatus est. Nec multò pòst discusso somno cùm causam ploratûs addidicisset; respondit his ferè verbis. Crede mihi, quantum senile corpus durare poterit, non moriar; nec nisi longo senio dissolvetur hæc compago. Postquam autem excessero, tunc vobis præsentior ero; nec aliquis ex eis, quos timetis, vobis poterit nocere, si Deo velitis fideliter servire.

Vide Willelmi librum 4. de gestis Pontif. Angl. f. 160.

CAP. XXII. Laverunt ergo corpus; quod jam spe resurrectionis perpetuæ præfulgidum, stupori & venerationi visentibus fuit. Ita perspicuo nitore gemmeum; ita mirandâ puritate lacteum erat. Denique nasus, qui viventi citra modum protuberabat, ita pulchrè defuncto subsedit & incanduit; ut mirum visentibus esset. Illud porrò quod dicam, nonnullo præsentibus fuit miraculo. Annulus quem ad consecrationem Pontificatûs acceperat, nonnunquam ante hanc horam sponte exciderat. *Tunc verò ne extrahi quidem potuit; adeóque cum corpore sepultus est; quod ipse olim prædixerat. De isto Miraculo vide Florentium ad annum* 1095. *&* *Capgravium f.* 333.

CAP. XXIII. Offertur interea corpus; proceditur ad Ecclesiam, quam ipse de vetustâ fecerat novam. Locatur ante altare cum feretro, circumsedente Clero. Ibi nocte illâ cum sequenti die ac nocte, orationum inferiæ, lacrimarum exequiæ Deo thurificantur. Erat tunc Robertus antefactus Herefordensis Episcopus in † curiâ Regis; homo sæculi quidem fretus prudentiâ, sed nullâ solutus illecebrâ. Huic eâdem horâ, qua Sanctus rebus excessit, visus est astare multum mutatus ab illo Wlstano, quem proximis vidisset annis. Ita stellanti luce perspicuus, viridanti vultu roseus erat: Episcopalibusque vestimentis amictus, & baculum tenens in manibus, his compellare videbatur jacentem. Veni nunc dilecte frater Roberte Wigorniam; volo ut justa mihi persolvens, humo corpus, Deo animam commendes. Talia contra Robertus putabatur referre. Domine & dilecte amice, præcipis mihi ut te sepeliam; cum jam quinque annis non te viderim hujus vigoris. Dimitte, aiebat Wlstanus, sic est voluntas Dei, quam oportet impleri. Velociter nunc perge; nec verba mea negligenter accipe. Tum Episcopus tam manifestæ visionis motus oraculo, statim solutus est somno; Regis auribus visum intimavit. Cujus permissu accepto, concitato equitatu rapiebat arva morantia; Wigorniamque ire pergebat. Levabat immensum laborem vis sanctæ amicitiæ, qua jam inde ab Episcopatûs initio devinctus fuerat viro; favitque benignis votis divinitas, ut ante ad locum veniret quàm tempus humandi esset. Hoc modo primâ nocte spiritus Wlstani amicum Pontificem sed longè positum in exequiarum suscitavit officium. Sequenti verò nocte quasi de peregrinatione domum reversus, multa miranda exhibuit præsentibus. Quidam Monachorum longi laboris pertæsi, quò quisque poterat in angulos concesserant; ut liberiori otio sine arbitris soporem adorirentur. Eis omnibus continuò aderat, stertentes pulsans, semisopitos suscitans. Confestim surgerent, somnolentiæ renuntiarent. Inciperent Psalterium à capite, finirentque cum commendatione

† Eandem visionis Historiam Willelmus narrat libro 4 de gestis Pontif. Angl. fol. 16[illegible]. additque Wlstanum Roberto nocte sepulturam præcedente iterum visum, mortem illi brevi secuturam denuntiâsse. Certè obiit Robertus anno eodem 6. Cal. Julii, ex fide Florentii Wigorniensis, qui visionem primam in villâ de Crikelad contigisse scribit.

mendatione animæ. Fecerunt illi quod jusserat; nacti ex necessitate virtutem; ut dum quod esset libitum facere nequirent, ei quod licitum esset quoquo modo acquiescerent. Eorum erat unus, qui facinus immane animo quidem volutârat, sed necdum in opus produxerat. Et Sanctus fremebundus apparuit, cogitationem sceleris improperans, immanitatem exaggerans, executionem comminatus. Satis superque fuisse quòd cogitâsset; ideoque ab expletione temperaret. Si sibi vellet esse consultum; cohiberet factum. Brevi enim pœnas daturum, eodemque anno moriturum, si non absisteret illo peccato. Exterritus Monachus minarum fulmine simul & tormento conscientiæ, fidem dedit; eo abjurato de quo arguebatur, se ulteriùs mancipatum iri regulæ.

CAP. XXIV. Dies Dominica, quæ fuit sepulturæ, aderat; jamque præfatus Episcopus advenerat, indicium visionis verâ fide vix præ festinatione anhelans. Ipse Missis ex more celebratis beatum funus sepulturâ curavit. Tum verò quasi nihil ante fletum esset; itum est in planctum, porrectum in gemitum. Exclamabat turba in plangorem; quem repercussum testudinum convexa multiplicant. Nec erat simplex fletus aut simulatus; sed exprimebantur veris singultibus lacrimæ; religionis ruinam, patriæ miseriam in uno testantes homine. Difficulterque discerneres, qui justiores fletûs sui causas allegarent, clerus an populus; dum hic pro tutelâ pastorem, ille prò disciplinâ doctorem clamaret. Senes an pueri; dum hi maturitatem, hi dulcedinem desiderarent. Divites an pauperes; dum isti opum abstinentiam, illi expensarum munificentiam prædicarent. Immiserunt tandem amantissimi Patris ossa sepulchro; sed memoria nunquam in eorum sepulta est animo. Non enim Conventum vel civitatem facilè invenies; ubi defuncti Episcopi reverentia, non dicam majori, sed nec pari colatur curâ. Hoc omni ebdomadâ, si dies vacat; hoc cùm se ad ejus obitum anni volubilitas versat. Monachi Psalteria & Missas, cives largissimis expensis eleemosynas frequentant. Ipse quoque ultroneus accurrit votis precantium; nec est ullus cum fide petens, qui non mereatur suffragium.

CAP. XXV. *Miraculum de libro Epistolari Ecclesiæ Wigorniensis; quem furto sublatum Wlstanus reddi fecit.*

CAP. XXVI. *Consimile miraculum.*

CAP. XXVII. *Miraculum de Incluso quodam, qui indusium Wlstani indutus, à Diaboli tentationibus liberatus est.*

CAP. XXVIII. *Qualiter Wlstanus post mortem eidem Incluso apparuit, & beneficia contulit.*

CAP. XXIX. Instabant fideliter Monachi; missitabantur per Angliam Epistolæ doloris interpretes, amoris indices. Rogabatur, ut si Deus cuipiam aliquid de ipsius salute innotesceret; ipse bono nuntio anhelantium vota expleret. Fuit hoc tempore apud Brumetonam bonæ vitæ Presbyter Dunstanus nomine; cujus sanctitatis suavem fragrantiam jam inde à pueritiâ audisse me memini. Huic consimili virtutum studio advigilabat ejusdem villæ Reclusa, nulli virorum sanctitate inferior fœmina. Nescires quem præferres; ita æmulis certabatur bonis; Presbyter instruendi doctrinâ, mulier parendi disciplinâ. Insignis religionis homines; quos Deus theoricis speculationibus dignaretur nondum hac vitâ carentes. Isti Wigornensibus mandaverunt, nihil de salute Wlstani dubitari debere. Vidisse se illum inter sanctos

ctos choros, nihilo minus quàm cæteros habentem gloriæ, & aliquanto plus quàm aliquos inferioris gradûs habentem gratiæ. Quorum qui non credit dictis, in religionem committit; quam, ut dixi, tantâ coluerunt instantiâ, ut nostro nil præsertim sæculo supra. Denique quicquid dicebant, ita excipiebatur; quasi ex cœlestibus insonuisset templis, quasi ex divinis profunderetur aditis.

EPILOGUS.

Explicuisse mihi videor jussa vestra, Patres & Domini; ut Vitam sanctissimi viri qualicunque stilo exsculperem. Obedientiam ergo exhibui; etsi votum vestrum non explevi. Vestri erit judicii, an utrumque. Excusat voluntas impotentiam; quia etsi nequivi quod debui, feci quod potui. Paciscar ergo quæso æternam vobiscum de parvo labore gratiam; quia studio vestro & voluntati sex septimanis paulò minùs lucubravi. Par ergo erit; ut post hujus animæ corporisque discidium totidem diebus pro me Deo immoletis hostias, quot noctium ego Wlstano consecravi excubias. Valete.

Explicit Vita S. Wlstani Episcopi & Confessoris; cujus sancta Depositio celebratur XIV. Kal. Februarii.

VITA

VITA
GUNDULFI
EPISCOPI ROFFENSIS,

Authore Monacho Roffensi coætaneo.

VITA GUNDULFI

EPISCOPI ROFFENSIS,

Authore Monacho Roffensi coætaneo.

Incipit Prologus in Vitam venerabilis viri GUNDULFI Rofensis Episcopi.

VItas præcedentium Patrum posteris ad exemplum vivendi transmittere eorum est, qui præclaro præditi ingenio tantum dicere possunt, quantum illi facere potuerunt. Studuerunt illi magni esse magna faciendo; student & isti magni esse magna de magnis scribendo. Unus tamen spiritus est summus; qui & illis magna facere posse, & istis aspirat magna dicere posse. Scripturus igitur Vitam venerandi patris Gundulfi Rovæcestrensis Episcopi, Spiritum ipsum imploro summum, qui ei contulit, ut posset facere magna; quatinus & mihi conferre dignetur, ut de tanto Patre referre valeam quæ fecerit magna. Omnia tamen quæ de illo scribere proposui, aut ipse cum eo conversando vidi, aut ab iis qui videre vel ab ipso audiere & ipse auditu percepi.

Explicit Prologus; incipit Vita.

FUit in diebus Regis Anglorum Willelmi primi vir vitæ venerandæ Gundulfus nomine, Normannus genere, à puero Clericus, deinde Monachus, demum Episcopus, vitam Clericalem Monachili conversatione transmutans, vitam Monachilem Episcopali dignitate decorans. Cujus quia totam ex ordine vitam stilo veraci decrevimus prosequi; dicamus primò quid Clericus, deinde quid Monachus, demum quid Episcopus egerit; ut de ejus vita imitatione digna ordo quisque sibi decerpat quod virum Dei sequendo sibi ad imitandum assumat.

PARS I.

PAtre igitur Hatheguino, matre verò Adelesia genitus, Diœcesin Rotomagensem in territorio Vilcasino suo illustravit exortu: literis in eâdem cùm jam puerili floreret ætate traditus, & eis ut illa pati poterat ætas, pro ingenii capacitate imbutus. Cùm autem jam grandior factus apud Rotomagum arti studeret Grammaticæ; cœpit jam spiritu afflatus divino, multò magis arti utiliori studere, studiosâ videlicet intentione perquirere, qualiter Deo potissimum posset placere, discens ab eo lectione interna quemadmodum mitis esse valeret & humilis corde. Cumque adhuc esset inter Clericos Clericus, & in eâdem urbe in Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ Clericalibus officiis deditus; cæteris in exemplum factus formam vivendi se præbuit; multisque religionis tramitem appetentibus sua religione profuit. Guillelmus igitur tunc quidem Archidiaconus, futurus autem urbis ipsius Rotomagensis Archiepiscopus, videns Clericum juvenem juvenilem ætatem morum senectute venustantem, eum & Maurilio Archiepiscopo & sibi valde familiarem effecit; & ut ejus frequenter frueretur colloquio, mensa communi hospitioque recepit. Dulcia namque inter eos sæpe miscentur colloquia; sermo de mundi contemptu proponitur; de æterna beatitudine & beata æternitate disseritur; vitæ præsentis labor pro æternæ quietis recompensatione tolerandus appetitur.

Placet ergo tandem utrisque, ut carnis exercendæ gratiâ Jerosolymam adeant, loca sancta gratiâ orationum invisant; ut agnitis locis Incarnationis, Passionis & Ascensionis Dominicæ, dulciori hæc omnia memoria postmodum teneant. Factum est ergo quod dispositum fuerat: aggrediuntur laborem itinere longo. Fatigatur uterque libens terra marique discrimine multo. Perveniunt tandem ad Jerusalem terrestrem supernæ patriæ amatores: pro nihilo reputant quicquid passi sunt in via, cum fiunt desiderii sui compotes. Quis autem narrare dignè potest; quibus sancti amoris incendiis ipsi adoraverunt in locis ubi steterunt pedes Domini, quibus desideriis ipsi intuiti sunt in terris ubi conversata est corporaliter salus humani generis; quàm dulcia oscula impresserunt in loco ubi crucifixus est Dominus, ubi mortuus & sepultus, ubi demum ascendit in cœlum.

Impleto itaque sanctæ voluntatis proposito, in redeundo geminatur fatigatio. Occurrunt enim illis sicut in eundo difficiles viarum transitus; &, ut tunc temporis erat, horrendas formidabant Saracenorum insidias. Intolerabiles etiam corporis patiebantur infirmitates; & nunquam securitatem habendo, nullum locum vel tempus sine timore multo transibant. Contigit autem, ut illis laborantibus in viâ, Gundulfus tantâ afficeretur corporis & lassitudinis molestiâ; ut neque pedibus stare neque cum sociis suis ampliùs

incedere posset. Unde eo inscienter relicto, longiùs progrediuntur commeantes; & quodam monte ob nimiam arduitatem difficulter ascenso, paulúlum quieverunt. Ubi quidam Nobilis, qui cum eis comitabatur, Gundulfi reminiscens, quòd eum solum reliquissent, graviter ingemuit; & veloci cursu rediens, illum omni solatio destitutum & languore turbatum & quasi proximâ vicinitate mortis afflictum invenit; & nullam eundi vel standi virtutem habentem in humeris suis imponens, memor misericordiæ & totius honestatis, asperitate montis iteratâ cum gravi labore ad consodales reportavit. Deinde illum supernâ clementiâ respiciente, in brevi convaluit; & omni post tempore illum venerabilem virum, qui ei opem adjutorii impenderat, dignâ recompensatione cariorem in vita sua habuit.

Item aliud inter cætera terræ marisque pericula unum cæteris omnibus gravius eis imminuit; quod eis tamen vitæ immutandæ occasionem per Dei, ut creditur, providentiam dedit. Cùm enim per longa maris spatia incerto ut fit ferrentur navigio; gravissima in eos tempestas irruit, turbine ventorum & fluctuum navim omni ex parte compage jam ferè solutâ concussit; mortis metum velut jam imminentis nimio terrore omnibus incussit. Quid plura? Morte jam ut creditur instante, ad vota confugitur; & ut eis Domini pietas tranquillitatem aeris reddere dignaretur, integram incœptæ religionis perseverantiam promittentes, docente timore & amore Dei, Gundulfus & Archidiaconus ex voto Monachatum cunctis mundi deliciis præferunt; & fiunt ex devota promissione Monachi, qui habitu manent adhuc sed non sponte Clerici. Facto igitur voto cadit maris tempestas, redit serenitas, venitur ad terram, reditur in patriam.

PARS II.

DIfferente autem Archidiacono reddere votum, quod tamen Cadomi postmodum solvit, Gundulfus Becci religionis veste induitur; Monachilis vitæ rudimentis sub Herluino Abbate & Lanfranco Priore imbuitur, & inter perfectos jam ab ipso initio Monachos computatur. Erat enim vir obedientiæ multæ, abstinentiæ magnæ, orationis assiduæ, compunctionis præcipuæ; ut si ejus attenderes oculos lacrimis diffluentes, duos esse diceres fontes rivulis affluentes. Qua nimirum compunctionis virtute, qua se mactabat in oratione, in Missarum celebratione, ita in Monachatu, ita postmodum in Episcopatu, ita minoribus, ita majoribus factus est admirabilis: ut quasi Propheta haberetur in terris, ab omnibus honoraretur, ab omnibus Dei servus diceretur. Factus est autem & Ecclesiæ Beatæ Mariæ Becci custos & Sacrista: unde & ejusdem semper intemeratæ Virginis familiarior factus est & Symmista. Eo enim factus est in oratione devotior, quo ei commissus est locus orationi commodior.

Eodem nihilominus anno Anselmus, quem pro sua sanctitate spectabili & doctrina mirabili postea Cantuariensis Pontificatûs infulâ sublimatum vidimus, Beccum & ipse ad conversionem veniens, tantâ Gundulfo est amicitiâ vinctus; ut se alterum Gundulfum, Gundulfum verò alterum Anselmum diceret & vocari gauderet. Erat enim illis in Deo cor unum & anima una, frequens in spiritualibus collocutio, multa inter colloquendum lacrimarum effusio, mutua ut semper ad altiora conscenderent exhortatio, sancta ut se invicem ad opus Dei prævenirent æmulatio. Anselmus tamen, quia in Scripturis eruditior erat, frequentior loquebatur. Gundulfus verò, quia in lacrimis profusior erat, magis fletibus rigabatur. Loquebatur ille; plorabat

iste. Ille plantabat; iste rigabat. Divina ille proferebat eloquia; profunda iste trahebat suspiria. Christi vices ille, iste gerebat Mariæ. Dixit tamen aliquando Anselmus Gundulfo. Tune ait cote meâ cultrum tuum semper acuere quæris; cote verò tuâ me meum cultrum nunquam acuere permittis? Dic & tu quæso, unde proficere possim & ego. Sum etenim more cotis, in hebetatione multâ ob multitudinem peccatorum meorum semper obtunsus. Tu verò ad amorem cœlestis patriæ animum & intentionem tuam ardenter dirigens, in contemplatione Domini jugiter manes acutus. Dixit & ille bona quæ potuit. Succenduntur ambo; & sic se reficiunt dulcedine superni desiderii. Talis horum confabulatio, talis claustralis conversatio: Procul erat à cordibus eorum vel linguâ Priorum aut fratrum suorum detractio. Non eos vexabat, ut plerosque multoties solet, cibi vel potûs aut vestium murmuratio. Et quia perfectè in vitâ suâ mundi contemptum habentes, Deum studiosè per abstinentiam etiam licita respuendo & per sanctarum virtutum exercitia quæsierunt; Ideo sicut credendum est sine ambiguitate, illum veraciter apprehendere meruerunt.

Priori quoque Beccensi Lanfranco omnium eo tempore nominatissimo adeò carus, adeò familiaris Gundulfus factus est; ut cùm Lanfrancum Normannorum nobilis Dux Guillelmus Cœnobio Cadomensi Abbatem primum præficeret; hunc pro sua sanctitate & prudentia secum assumeret, secum duceret, secum in ejusdem Cœnobii gubernatione coadjutorem haberet. Cúmque & ibi sublimitas virtutum ejus cotidie augmentum caperet; fecit etiam matrem suam carnalem illuc venire; & eam sancto desiderio accensam in Monasterio Virginum, quod in eâdem villâ Matildis ejusdem Principis uxor & Anglorum futura Regina construxerat, sub Sanctimoniali proposito constituit. Illa itaque in observatione sanctæ regulæ & mandatorum Dei ardenter perseverans, optimo fine in eodem loco vitam conclusit. Et sic idem pater matrem suam, quæ eum pepererat mundo, per religionis habitum & sanctimoniam commendavit Deo.

Denique cùm Comes idem Angliâ sibi armis subjugatâ jam in eâ regnaret, & Lanfrancum Cantuariensi Pontificatu & totius Angliæ Primatu sublimaret; hunc ille in Angliam secum adduxit: & quia in rebus etiam exterioribus industrius valde erat, rei familiaris suæ Procuratorem constituit. Fama itaque viri Dei magis ac magis succrescere cœpit tam de illius sanctissima religione quàm de prudentissimâ sæcularium rerum administratione. Tantâ enim discretione diei spatia dividebat; ut aliis horis ad pedes Domini sederet cum Mariâ, aliis Dominicam cœnam præpararet cum Marthâ. Hanc autem virtutem discretionis bifidæ tam ante Episcopatum quàm in Episcopatu semper noscitur habuisse; nunc siquidem divinæ contemplationi nunc pauperum totus deditus procurationi. Denique cùm tempore quodam valida fames Angliam totam vehementer oppressisset; ille pecuniis multis à Lanfranco acceptis Lundoniam adiit; pauperum multitudinem innumeram collegit; & toto famis tempore piè & misericorditer pavit. Fertur autem quia eorum miseriis adeò compatiebatur, ut eorum infirmiora lavaret; lotisque postea manibus statim Missam decantatum iret, ut eorum recordatione recenti semetipsum acriùs inter Missam cruciaret. Cùm autem tanta cura esset illi in pauperum sedula administratione, aut impedimentum in procurandarum rerum executione; sive locus deesset ubi ab hominum conspectibus segregatus orationibus & lacrimis in præsentiâ Dei more solito seipsum mactare posset; acceptâ noctu candelâ quasi ad videndum equos suos utrùm bene procurati essent procedebat; & super præsepe eorum residens, aut in aliquo angulo sese occultans, quod in diurnâ luce ante intuentium oculos non poterat aut nolebat, tantò ardentiùs quanto secretiùs in cœlo reponebat sudores sui laboris orationum singultibus & dulcissimæ compunctionis imbribus irrigatos.

Hoc

Hoc in tempore peccatis exigentibus contigit in Ecclesiâ Christi Cantuariæ quendam è Fratribus mente excidere; & perverso spiritu plenus, à sensibus humanis in verbis & factis alienus factus est. Cùmque vinculis astrictus dentibus strideret, & in multis se inordinatè haberet; dicebatur illi a Fratribus: Tace, miser, & ab insania tua quiesce. Et si non vis propter nos; Dominus Gundulfus jam veniet, & immoderatos tui corporis motus & linguæ compescet. Ast ille: Estne, inquit, ille Gundulfus; qui die & nocte lacrimis suis & orationum suarum stimulis me exacerbat? qui in Missarum frequenti celebratione & jejuniis & multâ carnis suæ contritione corpus suum crucians, operibus meis & voluntati indesinenter contrarius existet? Ille me persequitur; ego utique persequar illum; & unde modò gloriatur, in proximo damnum sibi grave consurget. Quibus sibi relatis, non enim is interfuit, vir venerandus armis justitiæ vitam suam muniens, contra castra spiritualis nequitiæ robustissimè restitit; & licèt ei quadam die inter Missarum sacra solennia corruente calice turbatio gravis acciderit, nunquam à laudibus Dei vel gratiarum actione cessavit. Sed quia hoc ex promissione maligni & suâ negligentiâ credidit evenisse; quasi antea nihil in servitio Dei egisset, & rudimenta cœlestis vitæ quasi tunc primùm inchoasset; sese plus solito in lacrimis & aliis sanctis laboribus gravissimè afficiens, inde crevit ad cumulum sanctæ celsitudinis, unde fraudis inventor eum præcipitare voluit in barathrum confusionis. Nam idem infirmus per B. Dunstanum sanatus postea fuit; & Gundulfus in sancto proposito infatigabiliter perseveravit.

In illis diebus vir clarus in doctrina & religione Becci manens Anselmus, audiens vitam & nobilitatem actuum Gundulfi, antiquam amicitiam renovando misit illi Epistolas; quas quicunque audierit, ex testimonio & auctoritate tanti viri lucidissimè dinoscere poterit, quis inter eos sancti amoris affectus, vel qualis vita Gundulfi extiterit. Et ut ad notitiam audientium odor sanctæ societatis eorum gratanter fragrando resplendeat; placuit quasdam ex illis in hoc opusculo interponere in verbis istis:

Extat inter Anselmi Epistolas in editione Paris. 1675. lib. 1. ep. 4. p. 313.

"Domino reverendo, fratri charissimo, Domno Gundulfo frater Anselmus "salutem. Cùm tibi propono scribere, anima dilectissima animæ meæ, cùm "tibi propono scribere; incertus sum unde potissimùm exordiar allocutio "nem meam. Quicquid enim de te sentio, dulce est & jocundum cordi "meo. Quicquid tibi opto, id est quod optimum excogitat mens mea. "Talem enim te vidi; ut quomodo tu scis, te diligerem: talem te audio; "ut quomodo scit Deus, te desiderem. Unde fit ut quocunque tu vadas, "amor meus te prosequatur; & ubicunque ego remaneam, desiderium meum "te complectatur. Et tu rogitas me tuis nunciis, hortaris me tuis literis, "pulsas me tuis donis; ut memor sim tui: Adhæreat lingua mea faucibus "meis; si non sum memor tui; si non proposui Gundulfum in præcipuis ami-"citiæ meæ. Non hîc dico Gundulfum Laicum meum patrem, sed Gun-"dulfum Monachum nostrum fratrem. Qualiter namque obliviscar tui? "Is enim qui cordi meo velut sigillum ceræ imprimitur, quomodo memoriæ "meæ subtrahitur? Præterea cur, sicut audio, tanto mœrore quereris quòd "nunquam literas meas videas; & tanto amore quæris, ut eas sæpe accipias; "cùm meam conscientiam tecum semper habeas? Te quippe silente ego "novi quia me diligis; & me tacente tu scis quia amo te. Tu mihi conscius "es, quia ego non dubito de te; & ego tibi testis sum, quia tu certus es de "me. Quoniam igitur nobis nostrarum conscii sumus conscientiarum de "invicem; hoc tantùm restat, ut ea quæ erga nos sunt mandemus ad invi-"cem; ut pariter vel gaudeamus vel solliciti simus pro invicem. Quæ "autem erga me sint, & pro quibus te volui mecum gaudere vel esse sollici-"tum, melius disces per hujus schedulæ latorem quàm per Epistolæ Scri-"ptorem.

Item

Item misit ei aliam Epistolam; quæ de promptuario sacræ dilectionis effluens, mentem Gundulfi contra fallaciam inanis gloriæ, quæ interdum sub pallio sanctarum virtutum fraudulenter se ingerit, spectabili monitione munivit in hæc verba: "Gundulfo Anselmus. Ideo tam amicus tam amico salutationem meam tam breviter prænotare volui; quia sic dilectus sic dilecto affectum meum opulentiùs intimare non potui. Quisquis enim bene novit Gundulfum & Anselmum, cùm legit *Gundulfo Anselmus*, non ignorat quid subaudiatur vel quantus subintelligatur affectus. Quod ut quomodo velis intelligas, tibi quod est alteri mihi existimo relinquendum, & ad executionem Epistolæ stilum convertendum. Instat Domnus Robertus, & cogit Domnum Abbatem & me & totam Congregationem nostram; ut multorum beneficiorum tuæ caritatis gratias tibi referamus. Sed nos inviti hoc facimus; quia totius vitæ tuæ gratias in ore mentis assiduè tibi & libentissimè susurramus. In injuriam quippe tuam fieri videtur; si inter tot tua bona unum hoc tacitis majoribus cum gratiarum redibitione velut singulare prædicetur; vel si tuæ propositum caritatis fomento laudum & inclinationum adhuc indigere judicetur. Denique sic te per supernam vivere gratiam amando optamus, optando oramus, orando speramus; ut cùm aliquid in operibus tuæ caritatis gratiis investigatur dignum, nihil in actibus tuæ voluntatis laudibus inveniatur indignum. Quatinus vita tua non tantùm amantium te linguas laxet quædam laudanda exhibendo; quantùm admirantium te voces lasset se simul ingerendo. Et dum ora laudantium inquirunt partes, in quarum prædicatione aperiantur; incurrant totum, à cujus plenitudine obstruantur. Sicque mentem tuam familiaris virtutum consuetudo & consuetus amor quasi inebriando afficiat; ut non solùm quicquid in actionem deprompseris, internum affectum sapiat, sed vel posse quenquam eandem ebrietatem non sentire in se animus in te stupeat. Cùm enim tale vivendi constat esse propositum; quo ampliùs in proposito succedit profectus, eo liberiùs non tantum admirantium favorem sectatur, quantum sectantium errorem miratur. Ut igitur tandem nostram, & ut credo tuam, sententiam super tuorum actuum acceptione propalemus; quicquid erga nos vel quemlibet alium laudabiliter agis, gratissimum habemus; sed laudes ejus in illum diem, cùm laudabuntur omnes recti corde, & cùm laus exit unicuique à Deo, servandas censemus. Reverendum & diligendum domnum & patrem nostrum Archiepiscopum Lanfrancum & nepotem ejus, & dilectos fratres nostros qui cum eo sunt ex nostrâ parte, sicut tibi videtur, saluta. Præterea quoniam omnes adhærentes mihi adhærent tibi cui adhæreo, quos tibi per domnum Herluinum mandavi nostræ penitus astringi velle familiaritati, eos in interiori cubiculo memoriæ tuæ, ibi ubi ego assiduus assideo, quod & ipsi mecum precantur, colloca mecum in circuitu meo. Sed animam Osberni mei rogo care mi illam nonnisi in sinu meo. Vale, vale, amice ideo dulcissime quia verissime; vale, & mei certè servi tui, certè amici tui, certè dilecti tui, si oblivisci non potes, reminiscere.

Extat ibidem lib. 1. ep. 7. p. 314.

Item quia illum in orationibus assiduum esse sciebat; misit illi idem cœleste organum, scilicet pater Anselmus, quas ipse divino afflatus spiritu composuerat, tres de B. Mariâ Orationes seu potiùs Meditationes; & qualiter in illis meditando studere deberet, insinuat dicens: "Domno Gundulfo frater Anselmus quod Gundulfo Anselmus. Non est opus, ut multa de incolumitate pristinæ amicitiæ loquatur os meum illi quem in mutuâ dilectione scio esse alterum cor meum. Ut igitur breviter quod nosti dicam: sicut amor tui, ex quo incœperit, nunquam in me mutatus est minuendo; ita sollicitus sum, ut semper alteretur augendo. Quidam Frater non semel sed sæpe me rogavit; ut de S. Mariâ magnam quandam componerem orationem. Quod

Extat ibidem lib. 1. ep. 20. p. 319.

" cùm ipse præsens rogaret exteriùs, tu absens persuadebas interiùs. Quo-
" niam enim id tuum si fieret futurum prospiciebam; iccirco quod volebat
" libentiùs suscipiebam. Feci igitur orationem unam, unde fueram postu-
" latus; sed in eâ me non satisfecisse postulanti cognoscens, alteram facere
" sum invitatus. In qua quoniam similiter nondum satisfeci; tertiam quæ
" tandem sufficeret perfeci. Accipe igitur eas quæ factæ sunt tuâ intentio-
" ne; & ne reprehendas magnitudinem, quæ facta est alienâ petitione. Et
" utinam ita sint longæ; ut antequam ad finem cujuslibet earum legendo
" vel potiùs meditando perveniatur; id ad quod factæ sunt compunctio con-
" tritionis vel dilectionis in eis per supernum respectum inveniatur. Deni-
" que idcirco volui eas ipsas orationes per sententias paragraphis distinguere;
" ut anticipando longitudinis fastidium ubi volueris possis eas legendo in-
" cidere.

Istis auditis intelligat Lector, quantum dilectionis vinculum istos Patres in unum conjunxerit, & qualis fuerit in præsenti vitâ eorum in terrenis negotiatio.

PARS III.

QUaliter verò Gundulfus Pontificali cathedrâ sublimatus fuerit, quoque modo Pontificando vixerit, quove fine deficiendo Ecclesiam sibi commissam tristem reliquerit; jam hinc ut possumus enodare conemur. Lanfranco igitur Ecclesiasticæ dignitatis summum apicem in Angliâ tenente & sapienter administrante, Rovecestrensis Ecclesia suo est Pastore destituta, defuncto * Ernosto Episcopo; qui Monachus Sewardo & ipsi Monacho in Episcopatum quidem successerat, sed in eo anno tantùm dimidio vixerat. Volens autem Pontifex, ut ex more antiquorum in Ecclesiâ Roffensi Monachus succederet Monacho, cogitare cœpit, quem potissimùm Monachorum eligere posset, qui hoc onus sibi injunctum portare valeret. Cogitanti tamen Gundulfi citiùs occurrit sanctitas, quæ jam certis experimentis satis ei fuerat approbata. Hunc ergo, habito cum sapientibus consilio, ad Pontificatum elegit; & ut ejus electioni Rex assensum præberet, ipsum transmarinas ad partes ad Regem direxit. Gaudio autem Rex repletus non modico, quia occasionem Dei hominem exaltandi invenerat, de cujus sanctitate jam ad eum satis clara fama pervenerat; Pontificis petitionibus justis libens assensum præbuit, & honore Pontificali virum Dei dignissimum judicavit.

* Chronologia Saxonica refert Arnostum Lundoniæ à Lanfranco consecratum esse sexto Archiepiscopatûs sui anno, scilicet inter exitum Augusti anno 1075. & exitum ejusdem anno 1076. Eundem anno circiter dimidio Ecclesiæ Roffensi præfuisse Anonymus noster fidem facit. Obiit autem Ernostus Idibus Julii ex fide Obituarii Cantuariensis MS. Consecratus igitur videtur sub initium anni 1076. in Concilio Londini in Ecclesiâ S. Pauli celebrato; quod Malmsburiensis (f. 117.) anno 1075. Bromtonus (col. 975.) anno 1076. habitum dicit: ille annum ab Annuntiatione B. Virginis, iste à Circumcisione Domini exorsus. Anno sequenti Gundulfum Arnosto substitutum esse refert Chronologia Saxonica. Componitur is quidem cum anno 1077. Christi, & undecimo adventûs Normannorum; quem Historicus noster consecrationi Gundulfi posuit. Dies autem ab eodem assignatus in feriam tertiam illo anno incidit; adeò ut decimoquarto Cal. Aprilis potiùs Gundulfus consecratus censeri possit. Dominicâ enim tertiâ Quadragesimæ consecratum esse ex infra dicendis constat.

Acceptâ igitur Lanfrancus auctoritate regiâ, Præsules convocat, primores Roffensium mandat, Regis & suam voluntatem omnibus pandit; omnibus assensum præbentibus & gaudentibus, fidelem domui Dei dispensatorem consecrando constituit. Non fuit obnitendi potestas; cùm eum urgeret Regis magni & Præsulis tanti auctoritas. Vox se indignum clamantis opprimitur; cùm quo se clamat indigniorem, eo dignior acclamatur. Ordinatur itaque vir verè dignissimus Episcopatu Gundulfus in Ecclesiâ Dorobernensi duodecimo Kalendas Aprilis anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo septimo, undecimo verò adventûs Normannorum in Angliam sub Comite Guillelmo Rege postmodum Anglorum nobilissimo. Consecratus autem ex more, propriam tendit invisere sedem; tripudiantibus turbis Rofensem ingreditur urbem, Pontificali sedi intronizatus inducitur, Præsul omni veneratione ex eo habetur.

Redduntur & ei denique possessiones quædam Rosensis Ecclesiæ; quas præsulantibus antecessoribus suis Lanfrancus in suâ tenuerat ditione. Eâ verò conditione redduntur; ut in Ecclesiâ Rofensi, sicut jam Præsul uterque deliberaverat, Monachi ponantur. Audierant enim ibi quondam Monachos fuisse; unde ad antiqua statuta redeuntes, Monachorum inibi ordinem statuere sanxerunt. Tempore ergo brevi elapso, Ecclesia nova, veteri destructâ, incipitur; officinarum ambitus convenienter disponuntur; opus omne intra paucos annos, Lanfranco pecunias subministrante multas, perficitur. Igitur perfectis omnibus quidam ex quinque tantùm Clericis, qui ibi inventi sunt, ad Religionis habitum confluentes, associatis multis aliis, ad sexagenarium & ampliùs numerum in brevi sub doctrinâ patris Gundulfi succrevere Monachi. His Gundulfus vivendi speculum, his totius religionis factus est documentum. His virga puerilia districtè corrigendo; his baculus senilia misericorditer sustentando; his Martha necessaria procurando; his Maria intentæ se formam contemplationis præbendo. Noctu tamen & manè orandi Maria, horis verò aliis Martha specialiter erat. O quantis cùm oraret lacrimis dominicos pedes rigabat! O quantâ prudentiâ cùm exteriora disponeret se agebat! Quàm largâ manu Monachorum vel pauperum necessaria procurabat! O quàm dulcia oscula in cœlestium contemplatione orando figebat! O quàm amaros singultus in peccatorum suorum recordatione trahebat! Quis ejus oculos vidit fletibus udos? Quis eum gementem audivit, & statim ipse non gemuit? Quis ejus vultum lacrimarum suffusione turbatum attendit, & diu aspicere potuit?

Perfectis igitur omnibus, sicut dictum est, quæ servis Dei apud Rovecestriam manentibus poterant esse necessaria, habito cum sapientibus consilio idem venerabilis Pater collecto Monachorum & Clericorum Conventu necnon & copiosâ multitudine plebis, cum magnâ solennitate accessit ad sepulchrum sanctissimi Confessoris Paulini, qui in veteri Ecclesiâ reconditus fuerat; & thesaurum sanctarum Reliquiarum ejus in novam Ecclesiam transferri & in loco decenter ad hoc præparato reponi fecit. Interim fuit ibi quædam matrona mentis & corporis infirmitate gravi detenta. Quæ promissione factâ, quòd nunquam ulteriùs crimen quoddam quo turpiter premebatur iteraret, si sanitatem recipere posset, meritis B. Paulini sospitati reddita est; sed pactum promissum minimè servavit Nam ut rediit corporis sanitas, subsecuta est citiùs in vitâ illius iterati criminis perversitas. Tempore denique sequenti pro necessitatibus quibusdam, quibus vir suus impeditus fuerat, cum oblatione suâ opem auxilii ab eo quæsitura Sanctum Dei adiit. Sed illa, quam interiùs conscientia turpis fœdabat, vi quadam divinæ indignationis quasi flatu vehementi repulsa, cum spreto munere multùm verecunda domum rediit; & non multò pòst languore gravi percussa infœliciter diem expectabat extremum. Sed pius Dominus, qui nullum spernit, nullum à misericordiâ

suâ excludit, inspiravit ei gratiam suam; & advocato ad se venerabili Gundulfo Episcopo per humilem confessionem reatûs sui turpitudinem pandit, perseverantiam emendationis integram in vitâ suâ ex magnâ cordis contritione promittit. Quid plura? In hac pollicitatione à pio Pontifice ovis morbida recipitur; antidotum salubris pœnitentiæ adhibetur; & sic demum perfectâ sanitate receptâ, cum oblatione suâ Sancto Dei Paulino humiliter se præsentavit; mentisque novitate ad munditiam vitæ mutata, non est cum munere à Sancto repulsa; sed gaudio sospitatis manente ad domum suam alacriter remeavit; gratias referens Deo & Pontifici Gundulfo, per cujus consilium à tanto periculo liberata fuit.

Hæc inter audiens suus dilector Anselmus illum Pontificio sublimatum esse, ad corroborandum cor illius & contra adversa, quæ interdum mentes Prælatorum à quiete internâ concutiendo evenire solent, illum volens esse munitum, illi misit Epistolam consolatoriam in hæc verba.

Extat inter Anselmi Epistolas lib. I. ep. 69. p. 337.

" Olim dilectissimo fratri nunc dulcissimo patri, olim & nunc reverendo " Domino, venerabili Episcopo Gundulfo frater Anselmus semper suus, sic " explere Episcopale officium ut æternum consequatur beneficium. Ante-" quam mihi liceret dulcissimæ sanctitati vestræ literas exultationis pro vestrâ " exaltatione mittere; audivi quòd non ad requiem sed ad laborem, non ad " jocunditatem sed ad tribulationem vobis profuerit Pontificalis electio. Ex " unâ igitur parte volo vestræ paternitati congaudere, sicut illi cujus præte-" ritam vitam divina gratia sibi placere ostendit, in hoc quòd vos inter prin-" cipes Ecclesiæ suæ connumerare dignatur. Ex alterâ verò parte cogor ve-" stræ fraternitati condolere, veluti illi qui eo ipso quo magis exaltatus est, " majori tribulatione gravatur. Sed item cùm considero quoniam teste di-" vinâ Scripturâ de tribulatione nascitur patientia, quæ opus perfectum habet, " & probatio quæ operatur spem quæ non confundit; utique intelligo non " tantum condolendum esse vestræ sanctitati in tribulatione propter laborem " quem ex illâ suscipitis, quantum congratulandum propter perfectionem & " spem ad quas per illam proficitis. Gloria igitur in excelsis Deo; cui vita ve-" stra sic placuit, ut eam ad exemplum exaltaret. Et gloria in excelsis " Deo; qui sic vos dilexit, ut vos in igne tribulationis collocaret, quatinus " opera vestra usque ad perfectionem & spem vestram usque ad debitum ro-" bur excoqueret. Nam si diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-" num; cur diligentes eum non in omnibus exultantes, gratias agant pro " bono? Sic tamen hoc agere debent; ut quoniam nescit homo utrùm a-" more dignus sit an odio, serviant Domino in timore, & exultent ei in tre-" more. Hoc tamen omnis servus Dei observare debet; ne tribulationem " putet quod tribulatio non est. Ne cùm quod nec sentire debet, tribulati-" onem deputat; ibi judicandus sit eo ipso quòd dolet quod dolere non de-" bet; & ex infirmitatis teneritudine succubuisse, ubi se putat per patientiæ " fortitudinem superavisse. Sic enim existimando se esse aliquid cùm nihil " sit, ipse se seducit. Hortor itaque sanctitatem vestram; ut nullo modo " tribulationem putetis, quod nec corpus nec animam lædit. Nec si adver-" sitas earum rerum, quas servus Dei contemnere debet, vos contristat; " præbetis vos plusquam oportet transitoria diligendo, minùs quàm decet " æterna diligere. Apertè enim unusquisque homo ostendit se ea diligere, " quorum læsionem pati non potest sine tristitiâ. Nemo enim molestiam pa-" ti existimat, nisi in iis quæ diligit, cùm adversitatem tolerat. Dilectum " fratrem nostrum R. eâ qua possum caritativâ sollicitudine vestræ Paterni-" tati commendo; quatinus non illi obsit quòd à nostrâ conversatione se-" jungitur, sed magis illi prosit quòd vestræ familiaritati conjungitur.

Extat ibidem lib. 1. ep. 33. p. 324.

Item misit ei idem Pater sacræ dilectionis aliud indicium in hâc Epistolâ. "Suo suus, amico amicus, fratri frater, Gundulfo Anselmus, pro amore "fœlicitatis perseverantiam in sanctitate, pro præmio sanctitatis æternitatem "in fœlicitate. En meus Gundulfus & tuus Anselmus est testis; quia ego "& tu nequaquam indigemus, ut mutuos nostros affectus per epistolas nobis "invicem indicemus. Quum enim anima tua & anima mea sese invicem "nequaquam esse patiuntur absentes, sed sunt indesinenter sese mutuò ample-"ctentes; nihil nobis invicem deest de nobis, nisi quia corpore non sumus "nobis præsentes. Cur autem tibi dilectionem meam describam in chartâ, "cum ejus veram imaginem assiduè serves in cordis tui arcâ? Quid enim "aliud est dilectio tua erga me, quàm imago dilectionis meæ erga te? Invi-"tat igitur me nota mihi tua voluntas; ut propter corporalem nostram ab-"sentiam aliquid tibi scribam. Sed quia nobis noti sumus per animarum "præsentiam; nescio quid tibi dicam, nisi tibi faciat Deus quod scit ipse sibi "placere & tibi expedire.

Redeamus igitur ad hæc quæ incepimus de tanto Patre dicere. Laudabilis enim vita ejus omnibus Deum quærentibus potum cœlestis dulcedinis suavissimè propinat. Duas denique singulis ferè diebus celebrare solitus erat Missas, quas inter oculum vix sudum habebat. Primam quidem de Dominicâ aut de Commemoratione B. Mariæ vel B. Andreæ aut alicujus Sancti cujus memoriam specialius recolebat, sive pro familiaribus amicis; secundam verò pro defunctis, ad quam nullum præter Monachos suos & aliquos pueros adesse volebat cæteris recedentibus. Cum autem in directum absque cantu usque post Evangelium, quod ipse legebat, eadem Missa diceretur; dicto *Dominus vobiscum*, excelsa voce dicebat *Oremus*. Statim subsequebantur pueri, dulcisona modulatione cantantes offerendam *Domine Jesu Christe*, sive *O pie Deus*. Ipse verò interim in sedili suo sedens, & dulcedini cantûs intendens, totus in lacrimas suavitatis Dei solvebatur; & in amorem cœlestis patriæ animum figens, erectis ad cœlum luminibus plusquam dicere aliquis possit supernæ jocunditatis pabulo mirificè fovebatur. Et hæc prolixius agens, demum surgebat; & quod restabat de Missâ persolvebat. His autem expletis, locum petebat secretum, mœroris amicum, orationibus suis specialiter deputatum. Habebat in omnibus villis suis, in quibus manere solebat, cellulam oratoriam, ubi cum illuc veniret, cubicularius ejus libellum Orationum ejus ponebat. Ibi ergo diu orationi vacabat; sicut & ante Missas fecerat; nec ab hac orandi sive Missas celebrandi vicissitudine usquam vel unquam cessabat. Præterea consuetudo ejus erat, quando aliquam suavem modulationem aut sonitum alicujus dulciter sonantis campanæ sive aliquid hujusmodi [audiret] statim ex profundo cordis altè suspirans dicebat: O quantum est gaudium in cœlis, ubi laus Dei jugiter sine offensione æternaliter auditur? Quandò humana manus vel lingua tantæ sonoritatis consonantiam suo ingenio exprimere potest. Hæc ille. Deinde velociter, si in secreto loco esset, assuetæ compunctionis regulam sequebatur.

Et quid dicemus? Quanta erat ei pura sanctæ venerationis sollicitudo in audiendo vel dicendo servitium Domini. Raro quando dicebatur secundum nocturnum sedebat; nisi infirmitas gravis aut lassitudo multa coegisset: & similiter postquam incipiebant dicere *Laudate Dominum de cœlis*, usque in finem Matutinorum, & hoc idem in laudibus de omnibus Sanctis. Cum quantâ etiam cordis diligentiâ & fervore divini amoris recolebat memoriam Dominicæ Passionis? Hanc assiduè retinebat in mente. Hanc imitabatur, affligens & domans carnem suam jejuniis multis & interdum acri verberum maceratione. Dicebat etiam nobis: "Quid facimus, Fratres mei? Quid "dicemus, cùm venerit Dominus? Scimus certè quòd Dominus noster Jesus "Christus ex solâ pietatis suæ misericordiâ nullis nostris præcedentibus

"meritis,

"meritis, per passionem Crucis à morte æternâ nos redemit. Hoc ille nobis;
"& nos quid illi? Quas vices tanti honoris illi recompensamus? Vulnera
"quinque pro nobis moriens pertulit: quinquies & nos hoc dulcissimè in
"memoriâ cordis recolendo cotidie flere deberemus; et si pro fragilitate no-
"strâ, quæ nos multipliciter corrumpit, toties non possumus; saltem
"ad minus in commemoratione illius quinque lacrimas per singulos dies
"fundamus.

In istis laudandus Pontifex ducebat dies suos. Pro his ergo omnibus admirabilis, omnibus habebatur amabilis. Dabant ei multa multi; sed & multa dabat & ipse multis. Majora tamen quandoque minoribus pro necessitudine, minora verò majoribus pro caritudine. Minores siquidem ejus munere ditiores, majores verò se fore credebant tutiores. Quis enim annulum vel parvum sibi ab eo collatum digito portavit, & se tutiorem non esse credidit? Quis se illius orationibus commendavit, & non ab eo securus abscessit?

Lanfrancus igitur Dei servum virtutibus audiens succrescere tantis,& de ejus sanctitate famam ad usque sidera tolli, gaudio replebatur non modico; quòd de ejus contubernio tantum Ecclesiæ decus processisset; ejusque ad se sæpiùs evocati vel sponte venientis libens fruebatur colloquio. Vix autem eum remittebat vacuum; sed nunc cappis, nunc candelabris pretiosis, nunc aliis ecclesiastici decoris ornamentis donatum. Aliquando verò cùm eum vacuum dimisisset, & ob hoc commotum timeret; Timeo, ait suis, ne à nobis Episcopus commotus discesserit. Aliquid itaque est ei mittendum, quod illi esse possit acceptum. Paratis igitur magnis quibusdam donis ornatu Ecclesiæ dignis, ei acceleravit transmittere; mandans humiliter, ut B. Andream, cujus vicarius erat, pro eo dignaretur orare. Magnam siquidem in Apostolo illo habebat fiduciam; adeò ut cùm per Episcopum aliqua dona præcipua mitteret; eum supplex exoraret, ut ante altare ejusdem Apostoli Orationem semel Dominicam pro eo cantaret. Ditabatur itaque valde Rofensis Ecclesia tum præcipuè ipsius Archipræsulis donis tum & aliorum oblationibus multis.

Cùm autem postmodum tot esset possessionibus ditata, ut earum pars quidem Episcopo, pars verò Monachis sufficere posset; placuit Episcopo, placuit & Lanfranco, ut Episcopus res suas seorsim, Monachi verò & ipsi possessiones suas haberent seorsim. Hoc autem ideo maximè factum est; ne quis Episcopus superventuro tempore esset, qui Monachos non adeò diligens, res eis divisas minuere posset. Quia verò Monachi pluribus utpote jam multi indigebant, tum quidem pro eorum victûs necessitudine & vestitûs, tum verò pro hospitum susceptione; sapienter rursus provisum est, ut Monachi plura, Episcopus verò possideret pauciora. Quæ verò plura sint illa, satis evidenti distinctum est chartâ in Ecclesiâ Rofensi repositâ,Regum & Procerum necnon & Episcoporum Angliæ auctoritate confirmatâ. Hoc enim ab omnibus obtinere viro Dei facillimum fuit. Nam nullus Regum ejus temporibus in Angliâ regnandi potestatem habuit, qui non eum offendere timuisset.

Defuncto igitur apud Rotomagum nobilissimo Rege Anglorum Willelmo, successit filius ejus Guillelmus in regnum. Hic accepto regno cùm multis ob insolitas quasdam infestationes & rerum multarum gravedines onerosus & minus amabilis esset; hunc præ omnibus Episcopis venerationi habuit; audiens multorum relatione vitam hominis Dei in studio supernæ dilectionis diu esse probatam. Et si alias quibusdam angariis perturbavit; patri Gundulfo & Ecclesiæ Rofensi omnibus diebus suis benignè pepercit. Et non solùm pepercit, sed & largâ manu possessiones Episcopi multum liberaliter auxit. Hujus speciali amore Maneria duo, Hædreham videlicet & Lambetham, primum quidem ut donaretur concessit, alterum verò propriâ munificentiâ

 donavit.

donavit. Nam Hædreham Lanfrancus Archiepiscopus proprio labore & pecuniis adquisitam, non enim ex antiquis possessionibus Archiepiscopatûs eadem villa erat, savente hoc Rege Gundulfo Episcopo & Ecclesiæ suæ omni post tempore ex integro possidendam concessit. Lambetham verò idem Rex donavit ex propriâ voluntate sua pro restauratione damni, quod Ecclesia Rofensis perpessa est in obsidione, quæ in eodem loco facta est contra Baiocensem Episcopum Odonem.

Rex itaque cùm eundem Odonem in ipsa urbe cum aliis maximæ potentiæ viris obsideret; quòd in eum plusquam civilia bella Comiti Roberto favendo movisset; virum Dei tamen & licenter exire & licenter cum volebat urbem permittebat intrare. Tantâ siquidem ille prudentiâ inter utrosque medium se agebat; ut & obsidentibus placeret, & obsessis suspectus non esset. Cur hoc autem, nisi quia tantæ sanctitatis esse credebatur, quæ nec obsessis nocitura esset nec obsidentibus? Immo verò familiaris utrisque, profuturus pro suâ religione credebatur utrisque.

Devictis igitur inimicis suis, idem Princeps & cæteri Nobiles regni eum nimia veneratione coluerunt; attendentes in eo præcipuè nunc Mariæ lacrimosa suspiria, nunc Marthæ laboriosa officia. Quis enim sollicitior fuit post quietem Mariæ & Marthæ laborem exercere? Quis studiosior in membris suis Christum cibo & potu atque vestitu fovere? Sæpe sedens ad mensam, quæ dulciora noverat, tangere nolebat; sed iis quos magis indigere didicisset sine morâ mittebat. Inquirebat autem studiosius qui essent pauperiores, qui in villa vel extra inveniri possent debiliores. Talis in mensa collocutio, talis de pauperum necessitatibus disputatio. His cibum esurientibus, illis potum mittebat sitientibus. Indigentibus verò utroque misericorditer mittebat utrumque. Propriam sæpe scutellam, cum in eâ cibum modicè degustando sensisset lautiorem, mittere festinabat cuipiam languenti; dicens illum edulio tali se esse digniorem. Quod si qua paupercula prægnans vel recens enixa ei nunciabatur; iis impensius quod necesse erat eorum plangendo miserias largiebatur. Faciebat autem & in aula sua cum pranderet singulis diebus pauperes ad minus tredecim refici, præter Prabendarios illos quos locis semper alebat diversis. Erat ei & maxima cura nudos vestire, immo ne nudi essent brumali maximè tempore procurare. Multimoda itaque indumentorum genera comparari jubebat, & pro singulorum necessitatibus sexûs utriusque pauperibus erogabat. In tantum etiam eorum miseriis compassus est; ut quodam tempore non longè à Rovecestra progrediens viderit terram spaciosam ferendis messibus aptam, sed arboribus & vepribus occupatam. Hanc cùm esset in possessione Monasterii sui, ad utilitatem servorum Dei de infructuosa fructuosam adhibito labore facere disposuit. Et ne expers & quasi vacuus à mercede hujus exercitii apud Deum esse videretur; statutâ die illuc cum suis veniens, fossorium manibus propriis, quas multâ abstinentiâ satis tenues fecerat, humiliter accepit; & primum laborem suscipiens, primos tribulos & spinas pius agricola evulsit. Deinde exhortans familiam suam & alios operatores, in brevi per manum ipsorum desiderii sui effectum complevit; sicque ipsam culturam per curam Eleemosynarii sui pauperibus semper in posterum possidendam contradidit. Hæc & plurima pietatis opera sedulus custos domûs Domini sui inopiam patientibus jugiter impendebat.

Igitur temporibus hujus Principis, Guillelmi scilicet Junioris, secundo post obsidionem Rofensem anno, Lanfrancus egregius Ecclesiæ Christi Doctor quinto Kalendas Junii de hac vitâ sublatus, multos & maximè patrem Gundulfum de sua morte tristes & graviter desolatos reliquit. Suscepit igitur ex præcepto Regis & consuetudine Ecclesiæ Rofensis curam Archiepiscopatûs in iis quæ ad Deum pertinent nominandus Præsul; quam etiam Lanfranco vivente ex jussione ipsius, & gratiâ habuerat. Raro enim per semetipsum aut dedicationes

tiones ecclesiarum aut Clericorum ordinationes seu collectas puerorum confirmationes faciebat; sed dilectum suum Gundulfum mittens pro se hoc fieri amicabiliter præcipiebat.

In illis diebus præerat Monasterio S. Augustini Anglorum Apostoli vir strenuus Abbas Guido. Huic, constructâ ex plurimâ parte Ecclesiâ quam antecessor ejus inchoaverat, placuit ut corpora Sanctorum Augustini sociorumque ejus ad excelsiora loca de antiquâ Ecclesiâ transferrentur. Qui paratis omnibus, quæ tanto ministerio necessaria esse videbantur, plures summæ probitatis viros & specialiter patrem Gundulfum ad se vocavit; & per ejus sanctitatis operationem quod dispositum fuerat cum maximo tripudio & summâ devotione complevit. Hoc tunc temporis in Anglia quasi consuetudinarium erat; ut cùm aliquæ præcipuè dedicationes aut sanctarum mutationes Reliquiarum alicubi fieri deberent, velociter Gundulfus vocabatur; ut per munditiam manuum ipsius tantarum rerum celsitudo tractaretur. Et cùm alii Pontifices in iis vocationibus vocantium datis muneribus quasi pro gratiarum actione lætificarentur; ipse hoc omni conamine respuens, versâ vice vocantium animos suâ sæpe munificentiâ lætificabat.

Post hæc autem spatio quasi quatuor annorum post mortem Lanfranci transacto, Rex Guillelmus gravi infirmitate detentus, omnem ferè populum Angliæ desperandâ salute vitæ suæ ambiguum reddidit. Venerat eâdem tempestate in Angliam, urgentibus quibusdam necessitatibus, pater Anselmus, de quo superiùs mentionem fecimus, qui tunc Abbas S. Mariæ Becci erat. Videntes igitur Episcopi & Principes regni periculum imminens Regi,& desolationem necnon & oppressionem Ecclesiarum & maximè Cantuariensis; ut eis in tanto discrimine Primatem constituat, humiliter implorant. Factum est autem. Audit Rex eorum consilium; & ipso annuente omnes pariter providente gratiâ Dei Anselmum eligunt, electum advocant, vocatum licèt totis viribus renitentem Archiepiscopum statuunt. Gundulfus itaque, qui hujus rei voluntarius cooperator extitit, desideratam dilecti sui dilectoris in gremio sanctæ suavitatis ardenter amplectens, refrigerium consolationis intimæ, quam multo tempore pro morte Lanfranci perdiderat, corde exhilaratus recepit. Quæ autem fuerit vita Anselmi ante Episcopatum & in Episcopatu, aut quas adversitates vel exilia pro libertate sanctæ Ecclesiæ adquirendâ ut robustissimus miles Domini in tempore suo sustinuerit, quicunque perfectè dinoscere cupit, in scriptis, quæ de ejus vitâ & admirabili doctrinâ & sanctitate edita sunt, satis lucidè reperire poterit. Nos autem ad propositum redeamus.

Isti igitur Gundulfus & Anselmus gloriosi Principes terræ quomodo in vitâ suâ in principio conversionis suæ Becci dilexerunt se, ita in finibus terræ per supernam clementiam junctis Episcopatibus suis non sunt separati. Recedentibus enim aliis Episcopis à communione Anselmi propter quasdam discordiarum occasiones, quæ inter ipsum & regni Principes ortæ fuerant, Gundulfus dulci obsequio illi semper & firmiter & fideliter adhæsit; & inter utrosque prudenter se moderans in causis eorum, & Archiepiscopo omnino fidem servavit, & adversarios ejus nequaquam offendit. Consolatione itaque antiquæ dilectionis perceptâ isti supernæ patriæ amatores, quos multo tempore terræ marisque spatia separaverant, in unum conjuncti, dulcibus vitæ æternæ colloquiis, quibus se soliti fuerant refovere adhuc in claustro Monachi, iisdem se refovere non distulerunt jam in Angliâ venerandi Episcopi. Sæpiùs enim in diversis locis convenientes, mutuis se verbis in Dei succendebant amorem; Archiepiscopo tamen divini amoris ignem frequentiùs accendente loquendo, Episcopo verò se ad ignem illum accensum propiùs calefaciente tacendo. Quæsivit tamen Episcopus aliquando, utrùm omnibus quæ in Ecclesiâ dicerentur animum Archiepiscopus æqualiter intenderet æqualiterve retineret.

At ille. Ego, inquit, omnibus quidem quæ audio hæc retinere volens intendo; sed sæpiùs fugiunt mentem meam, dum simul omnia capere volo. Cui Episcopus. Jure utique,inquit,ille amittit omnia,qui omnia concupiscendo amplectitur. Hoc quasi alludens dicebat. Deinde subinferebat:Ego autem non omnibus quæ audio æqualiter intendo; sed ex omnibus unum quod mihi magis est cordi eligo, eique studiosiùs inhærens aliquam ex eo superni amoris mihi dulcedinem elicio. Quemadmodum si cui ægroto plura ciborum genera offerantur; ille autem non omnia sed ex omnibus unum sibi magis gratum veluti pomum eligat, quod degustando remedium aliquod suæ infirmitatis capere valeat. Et hæc quidem ille. Nos autem qui ejus vitam usu & auditu satis cognovimus, hanc illi semper fuisse consuetudinem frequenter experti sumus. Aliquando enim cùm in Ecclesiâ illud decantari audiret; *Afflicti pro peccatis nostris assiduè cum lacrimis expectamus finem nostrum*: vel illud; *Dies illa dies iræ*: vel aliud simile compunctioni amicum; illico cæteris omnibus omissis ei, quod sibi magis acceptum audierat, solummodo intendebat; oculisque in cœlum erectis bis illud terve vel quater suspirando repetebat; totumque se in gemitus vocesque lacrimosas resolvebat. Videbamus, & in lacrimas vel gemitus saltem solvi & ipsi cogebamur. Quid cùm ad populum sermonem faceret? Aliquando interrumpentibus lacrimis loqui & ipse non poterat; nec populus quicquam aliud quàm flere vel gemere illum attendens poterat. Cessabant verba, lacrimæ sermonem explebant. Hoc autem maximè fiebat, cùm in festivitate B. Mariæ Magdalenæ de ejus pœnitentiâ vel lacrimis sermonem ad populum faciebat. Loquens quippe de ejus pœnitentiâ, populum ad pœnitentiam provocabat. Recitans illius lacrimas, lacrimans & ipse cæteros ad lacrimas succendebat. Hanc quippe speciali quodam diligebat amore; hujus memoriam & cotidianâ commemoratione & annuâ semper facere satagebat solennitate. Quia enim multum peccatorem se esse credebat, eam quæ multùm peccatrix fuerat, quid multùm peccatori magis necessarium esset, magis nosse dicebat, & magis velle misereri credebat. Hanc igitur assiduabat precibus, interpellabat fletibus, cæteris sequendam proponebat, quantùm sequenda esset in semetipso præferebat. O Doctorem sequendum, qui quod cæteros faciendum docebat, priùs ipse ut cæteri eum sequerentur faciebat! O Episcopum dignum, non pecuniis sed lacrimis Episcopatum adeptum! Fiunt Episcopi quidam simulationem sub velamine religionis nonnunquam minùs cautè ostendendo: factus est iste Episcopus lacrimas multas ex corde profundendo. Hoc tamen ipsum materiam lacrimarum sibi ipsi proponebat; quòd videlicet quandam religionis speciem ostentando factus Episcopus fuerat. Væ inquiens mihi peccatori; quia sicut quidam Episcopatum emunt pecuniarum distractione, sic & ego sanctitatis cujusdam minùs cautâ ostentatione. O gloria inanis, quid mihi & tibi? Quid quod non est meum, me ostentare suggeris quasi meum? Immo quod est nihil, cur mihi suades ut ostendam quasi aliquid? Quid est quod in me invenire queas, quo me jure attollere valeas? Ubi materiam attollendi non invenis, cur me attollere quæris? Lanfrancum Archiepiscopum dum viveret adire potuisti, & alios nunc summæ probitatis viros, si homines vis invenire dignos attolli. Ibi sapientiam cum scientiâ, ibi divitias invenis cum potentiâ. Ibi invenis viros instrumentis sanctarum virtutum multipliciter ornatos, & tuis fraudulentiâ plenis machinationibus robustissimè resistere valentes. Me peccatorem & nihil horum habentem relinque, in quo nonnisi peccatum potes invenire. Addebat & se admodum vereri, ne ei eveniret quod cuidam evenisse audierat; qui ad extremum veniens, cùm jam ultimum efflare spiritum deberet, dixit: O gloria inanis, quantos perdidisti, quorum ego unus sum. Gloriam ergo inanem & studiosè vitabat, & minùs studiosè eam se vitare timebat. Altercabatur itaque cum illâ sæpe, ut dictum est, velut cum adversario quodam, ut à se eam repelleret;

repelleret; ne cùm pro merito laudabilis vitæ ab omnibus laudabatur, ei undecunque surrepere posset. Quem enim extollentia non tangeret aliqua, cùm Proceres regni aliis Episcopis ipsum præferentes, ipsum adeuntes, ipsius familiaritatem appeterent; propria ei peccata familiariùs denudantes, se per eum absolutiores fieri non dubitarent; tutiores denique eo se crederent die, quo vel ejus osculari manus vel saltem eum videre valerent. Et certè audivi à quodam boni testimonii Episcopo & veritatis amatore referri, se cùm gravissimis carnis suæ stimulis & tentationibus in adolescentiâ suâ, ut interdum evenire solet, urgeretur; Gundulfo passionum suarum nebulas corde puro ex integro manifestâsse, & omni post tempore ab hujusmodi criminum impedimentis consilio & orationibus ejus liberiorem esse. Hæc quippe dicebantur de illo. Ipse tamen non se in hominum ore quærebat; sed in se quid esset à se attentiùs disquirebat. Illi eum efferebant, ejus attollendo merita; ipse seipsum deprimebat, sua ad memoriam reducendo peccata. Si quando verò inaniter raperetur extra se; cotidianâ contemplatione se quærens & inveniens, per custodiam humilitatis citiùs se reducebat ad se. Dictis itaque quibusdam de moribus ejus, nunc ad exequendum operum ejus ordinem calamum convertamus.

Habito igitur cum sapientibus consilio, & maximè favente & auxilium præbente in multis venerabili Anselmo Archiepiscopo, sicut in civitate Rofensi construxerat virorum, ita & fœminarum Cœnobium in possessione suâ, quam Mellingas dicunt, vir Dei ædificare curavit. Amabilis enim utrique sexui, ad religionis pietatem prodesse studuit & utrique sexui. In prædicto igitur loco Ecclesiâ in honorem B. Mariæ semper Virginis compositâ, compositis & officinis aliquibus pro temporis opportunitate quantâ potuit instantiâ, Sanctimonialium inibi aggregavit Conventum; eas doctrinâ instanti erudiens interiùs, eis industriâ solerti vitæ necessaria procurans exteriùs. Magnâ siquidem providebat curâ, ut & animæ profutura eis omnino semper adessent, & quæ corpori necessaria erant eis nunquam deessent. Matres igitur spirituales de aliis acceptas Monasteriis priores vel custodes eis præficiebat; redditus vel terras undecunque poterat adquirebat, earum Ecclesiam ornatu vario decorare curabat. Unde & plures etiam nobiles illius magisterio subdere se gaudebant, sperantes se per illius obtinere sanctitatem, quod per propriam non poterant corporis fragilitatem. Abbatissam tamen eis primùm præficere noluit; sed eos per plures annos propriâ curâ regere curavit.

In illis diebus obortis propter libertatem Ecclesiæ inter patrem Anselmum & Regem magnis discordiarum querelis, idem Anselmus Angliam exiens apud Lugdunum exulabat. Contigit autem post aliquot annos, ut ipse Rex sagittâ percussus terribiliter occumberet, & frater ejus Henricus ad regni fastigia sublatus esset. Qui statim Anselmum ad patriam revocavit; & laude dignum Gundulfum, sicut antecessores ejus fecerant, nimiâ veneratione coluit, attendens in eo vitæ diu probatæ sanctitatem & quam sibi exhibebat inter prospera & adversa magnæ devotionis & fidei securitatem. Turbatis enim rebus ob mutationem Regum, Principes quidam regni securitati novi Regis minùs fidem servantes, imperium ejus in quantum poterant fraudulentis machinationibus titubare faciebant, illi subdi despicientes. At Gundulfus perspectis tantis perturbationibus multùm elaboravit, ut pacis vincula inter Regem & adversarios ejus nectere posset. Unde & perturbatores pacis per semetipsum sæpiùs adibat; ostendens sacris admonitionibus, quanta mala ex abundantiâ discordiæ oriri solent; & quid merentur mali qui hujus scandali sectatores existunt; & quàm sunt proximi Deo & affinitate sanctis Angelis conjuncti, qui semina pacis in cordibus suis suscipiunt, & hæc in manifesto per operum executionem ostendunt. Istis auditis quidam ex ipsis innocentiam viri Dei & sanctimoniam considerantes, monita salutaria devotè suscipiunt, concordiam

concordiam cum Rege firmant, fœdera pacis deinceps tenenda promittunt. Pro istis ergo amabilis factus est Regi & Principibus regni; & cùm de aliis Nobilibus terræ in Palatio aut alibi in collationibus eorum fieret mentio; Gundulfus inter eos non ut socius sed ut superior & quasi pater reputabatur.

Videns itaque providus Pater congruam opportunitatem se habere & tempus, in quo utrisque Monasteriis suis in aliquo prodesse posset, redditus & possessiones Monachorum suorum à suis quondam separatas auctoritate Regis Henrici, & Nobilium regni, necnon & Archiepiscopi Anselmi & suâ propriâ & aliorum Episcoporum Angliæ corroboratione confirmatas, atque per cartam eorum sancitas, eisdem filiis suis contradidit. Et quod tunc statutum est quisquis temerario ausu infregerit, nisi dignâ satisfactione correxerit, anathematis mucrone percussus sententiam damnationis cum Juda proditore sortiatur. Apud Mellingas verò, ubi Cœnobium fœminarum construxerat, cùm eadem villa ab antiquis temporibus campestris esset & raro incoleretur habitatore, savente gratiâ Regis Henrici, satis popularem, & affluentibus undecunque turbis & sibi mansionem facientibus, in eodem loco sicut hodie apparet, vicum pergrandem & mercatoribus aptum ad utilitatem Sanctimonialium effecit.

Matildis præterea nobilis Anglorum Regina, uxor ejusdem Principis Henrici, cognitam habens reverentiam vitæ laudabilis & dignitatem bonorum operum viri Dei, ejus sanctitati valde familiaris effecta, eum ad se frequenter venire faciebat; ejusque salubri colloquio infatigabiliter satiari cupiebat. In tantum etiam amorem illius amplexata est; ut cum filium genuisset, ipsi specialiter baptizandum & de sacro fonte levandum eum commendaret. Quod & sic factum est. Carus itaque Regi & Reginæ, carus etiam omni populo Angliæ. Nam cùm multi apud Regem seu Reginam aliquo impedimento obligati essent; ipse ab impeditis requisitus, pius interventor fiducialiter ad eos accedebat; & opem misericordiæ & sublevationis se requirentibus ab eis sæpius impetrabat.

Militavit autem Deo sub Regibus tribus, omnibus iis carus & acceptus. Rege nam Guillelmo primo Ecclesiam Rosensem Lanfranco suffragante construxit; regnante secundo terris aliquibus auxit. Rege Henrico filio prioris & fratre secundi res Monachorum à suis regiæ auctoritatis cartâ distinxit & confirmavit. Annuit autem Rex primus libens construenti, secundus adaugenti, tertius confirmanti; omnibus cooperari gaudentibus Dei homini quod bonum erat operanti. Quo verò modo sub Rege tertio Deus dilecto suo dederit, ut hinc ei inciperet hæreditas Domini, jam nunc narrare incipiam; ne multa adhuc dicenda dicendo fastidium Lectoris incurram. Quod ut nulli incredibile videatur; sciant omnes quicunque hæc audituri sunt, quòd multò ampliora iis sub testimonio veritatis fuerunt opera compunctionis & pietatis illius.

Anno igitur ante obitum suum plùs minùs uno verbere paterno corripi, gravique infirmitate oppressus, viribus corporis indies magis magisque destitui cœpit. Tactus est autem & nimio capitis dolore, ex & nimiâ ut dicebant assiduâ lacrimarum effusione. Non itaque solita Missarum celebrare solennia, non lacrimarum effundere flumina, non orationum solitum reddere pensum poterat. Nitebatur tamen infirmitatem vincere ex bonâ quantumcunque poterat consuetudine. Primò igitur quia non, ut priùs, duas poterat, unam saltem quamdiu potuit Missam celebrare satagebat. Orationum quoque etsi non totum, reddebat tamen cum lacrimis quod poterat pensum. Eleemosynarum verò largitiones multas per villas suas fieri jussit; quod tamen suo successori diu sufficere posset, ut prudens dispensator faciens reservari. Qui cùm audisset suum dilectum dilectorem præcipuum Cantuariensem Archipiscopum

episcopum Anselmum dixisse, quia non erat Episcopi morientis res ecclesiasticas sibi commissas ex toto dividere, sed successoris sui usibus aliqua reservare: Deo, inquit, gratias ago; quia mihi facultas suppeditat tanta, quæ pauperum indigentiam relevare, & successori meo secum homines etiam habenti triginta novos ad usque redditus terræ copiam possit præstare. Pauperum igitur, ut cœperat, mortem ad usque curam paternam egit; nec tamen Episcopium suum pauperum miserendo pauperavit. Domûs siquidem fidelis dispensator & prudens, & in præsenti Domini sui servis quod necessarium erat distribuit; & in futurum quod distribui abunde posset sapienter reservavit. Cujus prudentiâ Pontifex venerandus cognitâ, ejus distributionis pium desiderium & discretum exultans laudavit; & de instanti ejus perseverantiâ in bono Deo gratias egit. Et verè laudanda erat ejus in operibus justis perseverans devotio; quia cùm tantæ esset debilitatis, ut nec etiam equo insidere posset; sed vehiculo duobus equis parato, cùm ratio poscebat, de villâ ad villam transferretur; statim cùm illo pervenisset, memoria pauperum ad mentem reducebatur, & maximè Præbendariorum suorum, quorum procurationi studiosiùs invigilabat. Non credens itaque ex toto ministris suis, quòd se absente secundum libitum suum procurati essent; sibi vim faciens, & infirmitatis gravedine postpositâ, ut magis solitarius quod disponebat explere potuisset, circa vesperam ne ab hominibus agnosceretur, nobis mirantibus, manibus suorum super equum levabatur; & assumpto uno tantùm Monacho & duobus famulis secum, cellulas debilium & eorum etiam qui podagrico & elephantioso languore dissipabantur per semetipsum visitabat; & intus progrediens, & ante cubiculum eorum residens, inquisitis attentiùs necessitatibus eorum, lacrimas oculis fundentibus, eorum miseriis compatiens, secundùm modum uniuscujusque in victu & vestitu eis quod opus erat ministrabat.

Et quid dicemus de custodiâ humilitatis ejus? In secretis denique filiæ Regis, cujus omnis gloria est, ab intus thesauros virtutum suarum sub clavi humilitatis reponens, ut fructus eorum in die necessitatis recipere posset, nolebat extollere se super se. Et ut unum de multis proferamus: in ipso anno in solennitate Omnium Sanctorum cùm in Ecclesiâ majori apud Rovecestram Missam festivam celebrâsset, & pro re qualibet sibi ingratâ aliquantum quasi iratus turbaretur; astitit ei quidam de fratribus sibi familiariter dicens. Et quid est pater? Unde hæc perturbatio? Et quare commovetur serenitas cordis vestri? Totus populus istius civitatis summo tripudio pro recuperatione vigoris vestri, sicut sperant, quia insonuit hodie vox vestra diu desiderata in auribus eorum, non mediocriter exultat: & vos turbamini? Ad hæc ille. Pro me, inquit, plaudit populus? Et hoc frequentiùs iterans, interrumpentibus vocem singultibus & lacrimis, iis intentus diutius siluit. Et dixit: O quis est, qui pro me gaudere debeat? Ecce infirmitate gravi detentus morior; & quid laude dignum in omni vitâ meâ egi? Nec etiam unquam scintillulam unam fervoris & amoris Dei, ut dignum esset, tamdiu vivens apprehendere potui. Hæc prolixius exequens, vitam suam armis justitiæ & pietatis usque in finem providentissimè munire non destitit.

Ingravescente postmodum infirmitatis suæ molestiâ, venit ad eum dulcis amicus ejus pater Anselmus; & videns eum viam universæ carnis quasi incipientem ingredi, factâ prius purâ & simplici confessione, ab omnibus peccatis vice B. Petri eum absolvit, & ex more sacræ unctionis oleo devotissimè livit. Commisit autem Episcopus in ejus venerandas manus & se & suos quos aggregaverat filios; ut & eum, qui de hoc mundo recedebat, suis Deo precibus commendaret; & nos, quos in hoc sæculo relinquebat, curâ pastorali vice suâ custodiret. Obortæ igitur lacrimæ piis sermonibus patris fluunt ab utroq; madent filiorum circumstantium genæ. Longa trahuntur suspiria; intoleranda

randa præcogitatur orbitas. Peracto denique sacræ unctionis officio discedit Archiepiscopus, quibusdam advertens indiciis quòd aliquamdiu esset ille victurus.

At verò Episcopus cum mortem postmodum jam affuturam timeret, nec ut Episcopus in domo sublimiorum, sed ut Monachus & inter Monachos in loco humiliori mori mallet; inter manus ministrorum se jussit attolli, & in Ecclesiam B. Andreæ Apostoli, cujus Vicarius erat, deferri. Ibi ergo in lacrimas gemitusque resolutus, orabat Apostolum Dei pium, ut piè misereretur illius, prorsus ignorantis utrum ad ejus Ecclesiam jam ulterius esset rediturus: Eum itaque à peccatis suis absolveret; benedictione datâ licentiam abeundi concederet; locum illum & Monachos in ejus obsequium congregatos curâ pervigili custodiret. His igitur similibusve mente devotâ profusis, in domum Infirmorum, ut inter Monachorum manus spiritum redderet, se deferri fecit; ubi tamen aliquanto post tempore in magnâ cordis & corporis contritione supervixit.

Quibus etiam diebus, cùm ei lecto decumbenti à quibusdam instaretur, ut Mellingensis Cœnobii Priorem cæteris Abbatissam præficeret, ne eo defuncto locus ille sine regimine remaneret, aliusve cujus non interesset super locum illum dominationem sibi usurparet: Quid, inquit, compellitis me facere, qui ecce morior, quod utrùm placeat Deo prorsus ignoro? Ostensâ tamen justæ rationis necessitate, & consilium dantibus ex hoc Rege & Archiepiscopo per literarum suarum in præsentiâ ejus recitatam auctoritatem, astantibus circa lectum ipsius multis, accipiens baculum pastora em illi Priori contradidit, & ejusdem loci primam Abbatissam eam constituit; ipsâ deinde jurante obedientiam & subjectionem canonicam Episcopo & Ecclesiæ Rosensi, & quia nec per se nec per alium idem Cœnobium subtrahere conaretur subjectioni Rosensi.

Deinde omni circumspectione providus, vestes suas & quæque habebat parva & vilia indumenta usque ad caligas, utpote liber Monachus, se levigans ab omni ignominioso proprietatis pondere, fratribus & egenis scienter distribuit. Annulum quoque Episcopalem gestare formidans, eum cuidam Fratri sibi assiduè ministranti commendavit. Cúmque à quibusdam rogaretur, ut cuidam viro religioso Abbati scilicet de Bello, qui in expectatione finis illius apud eum morabatur, eundem annulum daret; respondit: Monachus est; nihil sibi & annulo.

Erat in Angliâ in illis diebus vir magni nominis & religione famosus, Radulfus nomine Abbas Sagii; qui infestatione cujusdam Tyranni de Monasterio suo expulsus, apud patrem Anselmum non quasi exul sed quasi compatriota manebat, ipsi Gundulfo notissimus. Hic audiens amicum suum infirmari, venit ad eum jam inter infirmos diem expectantem extremum. Cúmque ille post dulcia cœlestis vitæ colloquia, acceptâ ultimæ separationis & abeundi licentiâ, effusis hinc inde copiosis lacrimarum fluminibus, usque ad ostium domûs recedens processisset; vocato Episcopus fratre interim cui commiserat annulum suum, accepit illum ab eo, & statim subjunxit: Vocate, inquit, Abbatem. Qui vocatus rediit; & ex præcepto Episcopi recedentibus cunctis, tenens manum Abbatis immisit annulum. Qui expavescens & ad rei novitatem obstupefactus: Quid est hoc, inquit, Domine Pater? non est mei ordinis annulum habere; sum enim habitu Monachus etsi non vitâ: unde mihi re non necessariâ onerari formido. Ad hæc Episcopus. Sume, inquit, illum; erit enim tibi necessarius; & ne inobediens in recipiendo persistas, quia expedit ut fiat quod volo. Tunc ille satis admirans, & latentem hujus rei causam prorsus ignorans, accepto annulo recessit. Claruit tamen ipso defuncto hujus actionis obscuritas; sicut paulò pòst in ordine suo scribendo patebit.

Quadam

Quadam autem die posthæc Congregationem convenire jussit; & ut in omnium conspectu pro omnibus peccatis suis corporalis ei fieret disciplina, postulavit. Sed cùm hoc Fratres multam debilitatem illius considerantes, factu horrendum putarent; responderunt hoc se de illo quidem facere non posse, de seipsis verò pro illo hoc idem omnes facere velle. Factum est igitur. Et ecce in sequenti Sabbato venerandus Pater vicinitate mortis oppressus multùm debilitari cœpit; tamen aliqua pietatis opera indigentibus ipsa die fieri præcepit; & ad Missam, quæ in Capellâ Infirmorum ipso audiente dicebatur, intentionem devotissimè dirigens, cùm Evangelium legeretur, ad reverentiam tanti mysterii sese erigi fecit. Vespere facto commutuit, & usque ad horam mediæ noctis expectans sine voce sed non sine sensu jacuit; & dictis Matutinis in præsentiâ ejus ad diem pertinentibus, & omnibus Horis de S. Mariâ, tunc demum spiritum extremum trahere cœpit. Tabulâ igitur de more percussâ, ipsoque super cilicium posito, Monachi summâ cum festinatione accurrunt; Symbolo fidei præmisso Psalmos Letaniamque cantantes, animæ commendationem incipiunt; lacrimis & orationibus animam Patris egredientem & ad Creatorem suum revertentem conducunt. Cumque in hac tremendâ expectatione aliqua mora fieret; atque orantibus Fratribus & psallentibus, ad septuagesimum nonum Psalmum perventum fuisset dicendo circa illud: *Deus virtutum, convertere, respice de cælo, & vide, & visita vineam istam:* Spiritus Patris oriente aurorâ de corpore egreditur; vineam quam ipse plantaverat, sc. congregationem Ecclesiæ suæ, quam in studio cœlestis disciplinæ multipliciter erudierat, custodiæ & visitationi summi creatoris relinquens. Corpus autem attendentes relictum, mirum dictu, vident albescere miri candoris splendore; quod natum semper nigrum soliti erant videre. Imputant ergo eleemosynarum largitioni, quod albescunt manus; imputant & lacrimarum effusioni & sanctæ vitæ illius, quod totum etiam albescit corpus. Lotum itaque cum reverentiâ debiti honoris indumentis Pontificalibus induunt; & in Ecclesiam B. Andreæ Apostoli cum fletu & cantu ante ipsius altare deponunt. Mittitur & sine morâ qui Cantuarino Archiepiscopo Anselmo cari sui obitum nunciet; & ut ad extremum amicitiæ munus corpori ejus persolvendum veniat, roget. Qui nuncio accepto quantociùs Rovecestram accedit; & amici exequias debitâ fatis veneratione, prout Episcopalem decebat dignitatem, per omnia exequens, eum ante altare Crucifixi Ecclesiæ, quam ipse à fundamentis construxerat, tumulavit.

O quantus interim Monachorum luctus, quos ipse aggregaverat! O quantus Sanctimonialium fletus, quas & ipsas mundo subduxerat! O quantus populi planctus, super quem benedictionem suam toties fuderat! O quantus pauperum gemitus, quos paterno affectu paverat! O quantus dolor omnium, quos Pastor bonus annis jam triginta & uno sine querelâ rexerat! Obiit siquidem venerandus hic Pater octavo Idus Martii, Dominicâ tertiâ Quadragesimæ in qua canitur Officium, [a] *Oculi mei semper ad Dominum.* Et idem cantatum est in Consecratione ipsius; ut etiam per hoc Dominus cunctis innueret, quibus studiis ejus vita in præsenti sæculo dedita fuit. Bene enim ipsa die transiit de hoc mundo; quia secundùm quod dictum est, ex compunctionis gratiâ oculi ejus assiduè intenti fuerunt ad Dominum. Et ideo, ut credendum est, ad retributionem bonorum actuum ipsius [b] *evulsi sunt pedes ejus de laqueo miseriarum,* quibus abundat præsens vita. Fuit autem tunc Incarnationis Dominicæ annus millesimus centesimus octavus, regni verò Regis Anglorum Henrici octavi, ætatis autem suæ plus minus octogesimus quintus, Monachatûs verò quinquagesimus primus, Episcopatûs autem ut dictum est tricesimus primus.

[a] Psal. XXIV. 15.

[b] Psal. XXIV. 15.

Aliquanto post obitum Patris nostri elapso tempore, cœpit Archiepiscopus Anselmus tractare, quem in loco ejus posset Episcopum substituere. Et habens

bens consilium, quod sicut credimus de vultu Dei prodiit, de quo superius diximus venerandum Radulfum Abbatem Sagii faventibus omnibus ad Episcopatum Rosensem elegit, & electum ex more lætantibus cunctis ejusdem loci Pontificem devote consecravit. Qui factus Episcopus tunc primum intellexit, quam in se haberet significantiam illa occulta annuli datio, quem Gundulfus adhuc vivens alteri negatum sibi specialiter designavit. Unde apparere videtur illum præscientiam in vitâ sua habuisse quis post eum in loco suo Pontificio deberet sublimari. Sed & hic Radulfus cùm ferè sex annis Rosensem rexisset Ecclesiam, defuncto Anselmo ad Archiepiscopatum translatus, Ernulfum virum laude dignissimum, in scientia literali & religione diu probatum, olim quidem Priorem Cantuariensem, sed tunc Abbatem Burgensem, post se constituit Episcopum. Qui omni favore à suis receptus, ipso die electionis suæ dixit nobis: Sciebam, inquit, Fratres ante paucos dies me licèt indignum ad celsitudinem hujus ordinis in proximo promovendum. Apparuit enim mihi dormienti, cùm adhuc essem in loco meo, pater Gundulfus annulum magni ponderis mihi offerens. Cúmque ad gravedinem ipsius imbecillitas mea non sufficere videretur; me ad onus ejus stupidum & accipere renuentem increpavit, & post increpationem annulum me recipere coegit; deinde non apparuit. Hæc ille. Nos autem qui præsentes ab eo hæc audivimus, intelleximus postea non fantasticam esse illusionem, quam vir sanctus in somnis viderat; quia postmodum factus Rosensis Pontifex eundem annulum recepit, quem Gundulfus Episcopus vivens Rodulfo adhuc Abbati sed futuro Episcopo dederat.

Hæc de vitâ patris Gundulfi nunc quidem prosâ latiùs disseruimus; sed paucis antehac versibus Heroicis breviter comprehendimus. Placuit autem eos ipsos & hîc subnectere; quia metricam vim prosâ gratiorem quibusdam novimus esse. Sunt igitur bis deni, ordine subscripto dispositi.

Te Gundulfe pater peperit Normannia mater.
Mundum sprevisti, claustrum Beccense petisti.
Te Monachi texit vestis, te regula rexit.
Rexit & erexit; nec te via prava reflexit.
Primò Beccenses juvisti, pòst Cadomenses.
Hinc mare transisti, Lanfranco complacuisti,
Summo Doctorum Doctorum præcipuorum.
Hoc donante datum rexisti Pontificatum.
Templum fundâsti, donis illud decorâsti.
Tu collegisti Monachos, quos hîc posuisti.
Tu pater illorum vixisti, tu populorum.
Te tam majores quàm dilexere minores.
Tu peccatorum solamen, tu miserorum.
Pauperibus largus vivebas, & tibi parcus.
Orando flebas, suspiria longa trahebas.
Dum sic lugebas, Missas celebrare solebas.
Te prope multarum cæcavit fons lacrimarum.
Ante diem mortis dolor adveniens tibi fortis,
Anno dante moram, postremam traxit ad horam.
Te mors bis quartâ tulit Idus Martis adorta.

Versibus ergo & prosâ venerabilis Patris nostri vitam posteris ad exemplum vivendi transmittimus: & si quanta gesserit non quantâ debuimus dictandi venustate depinximus; fecimus tamen alienâ potiùs petitione quàm nostrâ præsumptione quod potuimus, ad laudem & honorem illius, qui & ei quod fecit facere & nobis quod scripsimus concessit scribere: qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen. †

WILLELMI

WILLELMI de WYCUMBA
Prioris LANTHONIENSIS
LIBRI II.
DE VITA
ROBERTI BETUN,
Episcopi HEREFORDENSIS.

ACCEDIT
Succeſſio Priorum Eccleſiæ LANTHONIENSIS.

VITA
Domini Roberti de Betune,
HEREFORDENSIS EPISCOPI.

PROLOGUS.

HENRICO Divinâ Gratiâ Episcopo Wintoniensi WILLELMUS Prior Lanthoniensis.

SUscipe Præsulum specimen exspectabile, vir amicorum egregie; suscipe dignanter munus exiguum servi tui; dico autem monimentum vitæ sinceri dilectoris & dilecti tui piæ memoriæ Roberti Herefordensis Episcopi tibi conscriptum; quod inter magnificentiæ tuæ studia multimoda illius tibi memoriam penitus obliterari non sinat. Quod scribo, poterat alter elegantiùs, veracius nemo: quippe cùm mihi & præfato viro fuerit locus nativitatis conterminus, procursus ætatis ferè continuus, secura satis & familiaris amicitia, ab annis denique maturitatis accedentibus societas individua. Nec omnia tamen ejus prædicabilia mihi compilanda polliceor. Quis enim sufficiat? Adeò multa famæ notitiæ furari procurabat. Sed amor apud modestas mentes citiùs invenit præsumptionis indulgentiam. Hoc igitur habebo defectûs mei in me quidem solatium, penès te autem veniæ fiduciam; quia si prædicabilis vitæ ejus laudibus quicquam per ignorantiam detraxero, nihil tamen omnino sanctitatis ejus meritis adimere potero, sed neque invidia.

PROLO-

PROLOGUS ALTER.

COegit me, Reginalde Prior, vis amoris tui, ut & ego desiperem, & communis amici nostri meritis injuriam facerem. Quid enim aliud dixerim quàm desipere eos, qui quod arduum sit, quod supra vires, impudenter præsumpsere. Quid autem aliud quàm honorandum nobis patrem irreverenter & injustè defraudavero; si dignissimis ejus meritis exiles & inæquabiles laudes indignè scribendo reddidero? Sed quid ego sum, seu quis ego; ut incomparabilis sæculis nostris viri Roberti Herefordensis Episcopi vitam stilari officio elucidare sufficiam? Quod si temptavero; quid aliud quàm lucernam mundi sub modio coarctare velle videbor? Vide quid feceris: ne dum alteri amicorum præstare quæris officium, ambobus ingeras injuriam non officium. Sed instantiæ tuæ rationibus allegas; quòd licèt alius elegantiùs, veriùs tamen alius non posset prosequi vel explicare quod exigis. Et hoc adjicis argumentum; quòd mihi & præfato viro locus fuerit nativitatis conterminus, [a] prima notitia, familiaris amicitia, & ab annis juvenilibus societas individua. Ideoque notitiæ meæ nulla ejus esse acta, quæ alienis esse possint, ignota. Satis instas, acriùs urges . . . me impulerit voluntas tua, tu videris. Meritis tuis debitorem me fateor, illius autem permaximè, cujus dignitati si respuerem, non poterit justicia mea: vel hoc habebo solatium; quia si laudabilis vitæ ejus laudibus quicquam per ignorantiam detraxero; tamen non sanctitatis ejus meritis adimere potero.

[a] *f.* plurima.

Capitula

Capitula in Speculum Vitæ ROBERTI Venerabilis Episcopi Herefordiensis.

CAPITULUM I. De primordiis ejus & profectibus cotidianis gradus ætatis præcurrentibus.

CAP. II. *De nutriturâ ejus & studio literarum sub fratre suo magistro Gunfrido, & de indiciis futuræ religionis.*

CAP. III. *Quomodo se habuerit in regimine scolarum, & quod impedimentum habuerit in proposito religionis, quaque deliberatione renuntiavit liberalibus artibus, & contulit se ad divinas Scripturas.*

CAP. IV. *Quos magistros elegerit, & quomodo deinceps Vitam suam instituerit, & qua occasione secundò distulerit conversionem suam.*

CAP. V. *Quomodo tandem dilationes suas increpaverit, & definito consilio omnia vincula carnalia ruperit.*

CAP. VI. *Quas difficultates pertulerit in eundo Lanthoniam, & quàm gaudenter susceptus sit.*

CAP. VII. *Quàm religiosè & quàm obedienter se habuit postquam susceptus & professus est.*

CAP. VIII. *Quàm solicite quámque sanctissimè se habuit postquam Prior factus est.*

CAP. IX. *Quàm humilis, quàm providus, quàm perspicax fuerit in officio regiminis.*

CAP. X. *Quantam virtutem divinitus habuerit contra temptamenta Diaboli.*

CAP. XI. *Quantâ difficultate tractus sit ad Episcopatum, & cum quantâ pietate recesserit à Lanthoniâ.*

CAP. XII. *Quàm invitus & quàm hæsitans perductus sit ad Curiam, etiam post præceptum Domini Papæ.*

CAP. XIII. *Quomodo tandem factus sit Episcopus, & quali gaudio Herefordiæ susceptus.*

CAP. XIV. *Qualem se exhibuit in ordine Episcopali erga singulos & justitiâ & opibus misericordiæ.*

CAP. XV. *Quomodo domum suam disposuerat; quàm dapsilis aliis, quàm parcus sibi fuerit.*

CAP. XVI. *Quantam habuit curam & prudentiam castitatis servandæ.*

CAP. XVII. *Item quàm devotus esset in divinis officiis & orationibus, quàm strenuus & providus in ministerio.*

CAP. XVIII. *Quantæ fuit humilitatis, quantæ caritatis, quàm timoratus.*

CAP. XIX. *De quatuor gestis ejus memorabilibus in itineribus suis.*

CAP. XX. *Quantas tribulationes pertulerit à domesticis suis.*

CAP. XXI. *De angustiis ejus in communi desolatione regni; item quantâ caritate succurrerit fratribus Lanthoniæ.*

Speculum

Speculum Vitæ Viri Venerabilis ROTBERTI EPISCOPI HEREFORDIÆ.

LIBER I.

CAPUT I.

VIr igitur venerabilis & acceptus Domino Robertus Betunensis ex illustri satis ordine militari duxit originem. Qui quanto parentibus suis tenerius dilectus erat, tanto teneriùs educatus. Et quod conferre solet natura primogenitis privilegium amoris, contulit ei gratia sine invidiâ, cùm esset fratrum novissimus. Cùm autem vir iste de infantiâ transisset in puerum; puerile nihil habebat, nisi quod nomen sonat, ætatis puerilem puritatem. Nec errâsse me putaveris, quòd virum in puero nominavi. Sic enim antecedentes maturitatis profectus gradus anticipabant ætatis consequentes; ut in puero virum invenires, in viro seniorem, in seniore geruntam.

CAP. II. Porro puer elegantior factus, studiis literarum à parentibus traditus est. Jam enim specimen quoddam religionis in eo relucere videbatur; sicut candor matutinalis prælucere solet auroram. Curam ejus & disciplinam suscepit primogenitus ejus frater Gunfridus, diebus suis magister emeritus; literalibus rudimentis, prout ætas postulat, imbuit; moribus instituit; & ne quid præter honestum lubricis annis ut assolet subolescat, cautiùs observavit: sed meliori viâ supernâ perfusus gratiâ puer ingreditur. In hoc enim fefellit alumnus pædagogum, discipulus magistrum; quoniam furtivis jejuniis præmaturè cœpit tenerum corpusculum macerare, ciboque castigato præsentem necessitatem edomare, imitator fieri volens Nicholai, cujus ab incunabulis non vires sed virtutem audierat. Sed deprehensus & objurgatus, propositum non omisit, sed coactus in tempus distulit. Cùm autem liberior ætas accessisset; jejuniis addidit vigilias & orationes frequentes, unde & *Pater noster* cognomentum accepit, auspicato tamen nomine qui tantorum filiorum pater futurus erat non geniturâ sed prolatione.

CAP. III. Proficiente autem ingenio docili cum ætate, coætaneos suos scientiâ literarum sic præcucurrit; ut brevi tempore magistros summos æquipararet. Cùm igitur vires suas explorare volens, Scholarum regimen suscepisset; affluentibus discipulis doctrinâ se magistrum, comitate socium exhibuit. Nulli se per arrogantiam prætulit; omnibus in commune prodesse sine venalitate studuit, à pauperioribus nihil exigens vel accipiens, à ditioribus si quid sponte obtulissent, gratanter & tanquam immeritum accipiens. De collatis quod in sumptus suos necessarium esse providebat sibi retinuit; cætera siqua supererant in usus honestos prudenter erogavit. Indumenta ejus & lectisternia

ex moderato & competenti habitu complacebant, non quæ superbiæ vel avaritiæ forent argumentum, sed quæ modestiæ præberent exemplum. Si feriatis diebus ad relevandum tædium discipuli foras exissent; ipse comes erat & custos aliorum, ne quid ineptum vel inhonestum licentia soluta ludis se admisceret; sed dum talibus exercitiis tempus insumeret, aliud maturius versabat in pectore. Fecissetque satis cogitatibus occultis, nisi novum vetuisset impedimentum. Contigit namque ut præfatus frater ejus & nutricius Gunfridus vitæ suæ finem faceret. Cogitans igitur vir pius, quia nemo unquam carnem suam odio habuit, simulque reminiscens fraternæ dilectionis & impensi beneficii, præcavit ne degener & ingratus inveniretur. Suscepit igitur fraternam sarcinam sustinendam, filios & filias quos ille de conjugio susceperat. Expectatis autem sub custodiâ nubilibus annis, neptes suas nuptum tradidit, nepotes religioni mancipavit. Inter hæc attendere cœpit in quo vitæ suæ dies expendisset, quámque inania forent figmenta Poetarum, quàm inutilia scrutinia Philosophorum, quantus labor, quàm exilis fructus foret in Artibus Renuntians igitur his, hactenus animum convertit ad agiographa; fructum deinceps quæsiturus, non folia.

CAP. IV. Parvi pendens autem quid de suo sensu garrire cœpisset in divinâ paginâ, quid disputare novella subtilitas, contulit se ad viros Catholicos Willelmum Capellensem, Anselmum Laudunensem, magistros emeritos quos documenta sanctorum Patrum veraciter instituerant quid in divinis Scripturis sentire, quid prædicare vel venerari deberent. His igitur studiosiùs auditis, cœpit mentem cotidie roborare, carnem in contemptum ducere, vitam cœlestibus doctrinis afformare. Cúmque prædicabilem se vitâ & moribus exhiberet; vanam tamen gloriam, quam semper oderat, præcipuè devitabat: nocturnis vigiliis & orationibus abundantius solito studium adhibebat; hoc sedulo divinam exorans clementiam, ut vitam ejus in viam salutis æternæ dirigeret. Cùm igitur divinis literis imbutus esset uberiùs; noluit se publicis conventiculis exponere, lectionem venditare, sed circa religiosos conventus habitare, cum paucis sociis hisque maturis eloquia divina tractare, ubi videlicet quietiùs & contemplativos fructus colligeret, & quis singulis in locis ordo religionis haberetur cautiùs exploraret. Eo siquidem rationis intuitu maturabat propositi sui consilium, ne quid subitò vel improvidus arriperet. Suspicione tamen torquebatur anxius, ne qua forte demorandi propositi suboriretur occasio. Nec eum fefellit opinio; fraterni nempe sanguinis soboles, cùm ad tertiam usque generationem tanquam seges succrevisset opima, cœpit denuo virum dei solicitare, paupertatem suam ingerere, & tanquam debitam ex jure naturæ sui curam exigere. Turbatur homo misericors; distrahitur animus; dumque deliberat quid primum expediat, pietate carnis & sanguinis movetur, juxta quod dicitur *Si furcâ naturam expuleris, sponte recurrit.* Distulit igitur interim, quod expedire non potuit; donec expediret quod differre non potuit: denique mentem usque ad cunabula nova inclinat, nutrices renovat & nutritios pro sexu, pro ætate necessarios: sumptus interim quæritat & providet facultate qua prævalet.

CAP. V. His ita pro tempore dispositis, rediit ad se. Jamque censor sui factus ipse rigidior, inertiam suam fatetur & increpat. Et meritò, inquit, tibi contingit homo tepide languens & torpide; quousque pallias socordiam tuam falsâ specie pietatis? Quamdiu pones consilium in animâ tuâ, dolorem in corde tuo per diem? Ecce quo magis expectas, minùs & minùs utilis astas. Docuisse te poterant olim Poetarum argumenta fabulosa sed vera. An non legeras quomodo invidiâ novercali labores Herculei multiplicati sunt? An non legeras quomodo succisis Hydræ capitibus singulis trina succrescebant? Crede

jam

jam vel expertus, Labor hic tuus infinitus est, Opus inexplicabile, onus importabile. Tempus residuum incertum & fluxile; vita tua non est vita sed funus miserabile; si sic vivens sepeliaris in carne: & si dimidiare poteris dies tuos elapsos & insumptos; quis tibi reduxerit? Hæc dicens flebat amarissimè. Surgens igitur, ruptisque tandem vinculis naturæ, sibi liber redditur. Cœpit deinceps ruminare, quis modus aptior, quis esset ordo religionis accommodatior ad ambulandum in viâ Domini; in qua alius sic, alius sic iret. Cúmque definitioni suæ minus crederet; rapuit se ad Ricardum Abbatem de consiliariis suis unum, fidelem virum religionis & discretionis eximium. Effundit ei propositum intentionis suæ; sed fluctuationibus suis fixam quærit audire sententiam. Vir autem prudens, cùm satis audisset, deliberans paulisper in se, Frater, inquit, utinam meruissem in domo Dei societatem tuam; sed quia consultis tuis responsum debeo; indica mihi quæ domus, quis ordo trahat animum tuum. Nulli, inquit, ordini præjudicare præsumo. Ordo tamen Canonicus me amplius trahit, domusque Lanthoniensis. Et Abbas; surge, inquit, frater, nec moreris; ambula securus in nomine Domini nihil hæsitans. Dominus tecum, qui locum religionis & salutis tibi providit accommodum, & fortè studio tuo promovendum.

CAP. VI. Confirmatus ilico tanquam voce lapsâ de cœlo, surrexit, Lanthoniam properavit, desiderium suum indicavit, petitionem fecit, cum gaudio impetravit, Terminum statuit, quo se pleniùs expediret, diem certum quo rediret; sed quantas difficultates, quanta remoramina innectat invidus adversarius desertoribus suis, ipse brevi temporis articulo certiùs expertus & propter cautelam de suo docere postmodum solebat exemplo. Novissima tamen fugæ suæ persecutio digna relatu videtur. Ultimâ die, qua reditum suum pepigerat, venit ad radicem montis quem Hatiram dicunt. Jam nox cæca clauserat diem, nix hiemalis vias operuerat. Reliquit ibi vir fervidus animo comites suos & equos longo itinere defessos, nec transitum montis permittentes; misit se in pedes, calceamenta detracta projicit, eâ sicut æstimabant ratione quo in lubricis gradibus pedes fortiùs figeret, revera autem quoniam ad viventium martyrum habitacula sine martyrio venire nolebat. Callis erat angustus, anfractuosus, saxis asperatus, nivibus oppletus. Ascendit Helisæus noster baculo prætemptans iter. A dextris prominent rupes sublimes & arbores proruentibus similes. A sinistris patet Abyssi cæca vorago, de qua non sit lapsis spes ulla resurgendi. Quotiens igitur fallente nive pes alter exorbitabat; ruebat in pessum fessus viator, rotans & volutans donec arboreis obicibus retentabatur. Et cum toto corpore conquassatus putari potuisset; resumpto post modicum spiritu surgebat, & porrectis ad instar natantis brachiis, niviumque mole disjectâ, reptabat manibus ad superiora donec perditum callem reperiret. Sic semel, sic sæpius datus est in ruinam & resurrectionem. Jamque montis apicem attigerat; ubi statera crucis fixa fatigatis requiem offerebat. Ubi paulisper respirare volens, residuo labori renovandus resedit cruci annixus: sed non defuit invidus temptator. Dum enim arrectis auribus captat, si fortè comites sequentes audiret; audit à sinistris tanquam lenem serpentis sibilum & tanquam vocem in cogitatione susurrantem. *Quid voluit homo liber sic facere? Quid voluit magnus magister tam indignum laborem gratis assumere? Potuit aliud fecisse, unde gloriam consequeretur & præmium. Eo tamen citius de nostris erit quo præmaturiùs ineptâ morte perierit.* Sed ubi cautus diabolicas advertens insidias, surgit ociùs, & signans sibi frontem & pectus: abite, inquit, recedite cogitationes pessimæ. Dominus mihi adjutor est, non timebo, quid suggerat mihi fraudulentia Diabolica. Potui quidem aliud fecisse, sed melius non potui. Elegi abjectus esse in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis principum, & gloriam mundi quærere vel præmium. Et præferens

ferens clypeum apostolicum adjecit,[a] *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* His dictis omnis temptatio tanquam fumus evanuit. Procedit igitur vir indefatigabilis, descensum montis invenit ascensu graviorem. Nam alternantibus lapsibus nunc in dorsum nunc in frontem, miserandum, poterat, si quis videret, præbere spectaculum. Cùm tamen pervenisset ad metam, ubi clivus jacentior prærupti montis ardua relinquit, animæquior factus est. Unde cùm audisset signorum classicum in ecclesia subjacente; tunc demum tanquam cœlestis harmoniæ modulamine recreatus, residuum itineris indefessus peregit, signatis in nive sanguine vestigiis. Pulsat januam antelucanus hospes, agnitus introducitur, nuntiatur fratribus, cum lanternis occurritur. Mirantur incomitatum & tanquam spoliatum. De manibus latronum suspicantur elapsum. Quid tamen actum sit differunt interrogare, videntes quoniam opus sit consolatione potiùs quàm rumore. Serenato quantocius igne, deprehendunt pedes cruciatos, ruderibus laceratos. Lavant & fovent, nec sine lacrimis: positâ denique mensâ omni humanitatis studio refocillant. Post cibos confortatus, ne fratres diu suspensos teneat, narrat ex ordine quomodo venerit, & quanta impedimenta pertulerit. Spinas autem & tribulos, quos incurrerit, pro rosis reputabat & liliis. Mœror omnis convertitur in gaudium; & residuum noctis datur in requiem. Manè autem providus vir timoratus & prudens, ne quid impedimentum afferret votis suis dilatio, convocavit tres quos noverat in Conventu majores, Ernisium Priorem, Willelmum, & Robertum; & in manibus eorum trium in nomine Trinitatis tradidit se societati sanctorum fratrum ad Ordinem Canonicum.

[a] Rom. VIII. 18.

CAP. VII. Cùm igitur ordinatus esset, & obedientiam professus secundùm regulam & vitam sub sanctis Apostolis constitutam: cœpit regulam ordinis & constitutiones diligenter ediscere, memoriæ commendare, actibus adimplere; nec se magistrum ulteriùs passus est appellari, sed discipulum & subjectum in omnibus studuit exhibere; communes observantias Conventûs irreprehensibiliter custodire, privatas tamen religionis hostias quantum fas erat occultiùs adjicere. Vigil in orationibus, profusus in lachrimis, devotus in divinis obsequiis, in cibo & potu parcissimus, in confessionibus cotidianis purissimus, in disciplinis privatis districtissimus: Nocturnæ delusionis fantasias uberibus lacrimis puniens, ultra quàm alius etiam actus turpitudinis punire curaret. In omni morum honestate & virtutum ornamento conspicuus; ita ut conversationem ejus tam singularem quàm sacram nullus sufficeret admirari, nullus imitari, profectibus ejus omnes congauderent, nullus invideret. Inter hæc Hugo de Laceio, vir nobilis, fundator & patronus Ecclesiæ Lanthoniensis, cùm vitæ suæ finem fecisset, sepultus est apud Wibeleiam in parte fundi quam in extremis agens Ecclesiæ donaverat. Cùm igitur definissent fratres locum religionis ibi fundare; missus est præfatus Robertus cum Willelmo tanquam operis dispositor, custos & procurator. Videres philosophum antiquum factum novum operarium. Videres lathomum inusitatum marras, picos, sculcas, bajulantem, terram fodientem, lapides scindentem, scissos eruentem, erutos comportantem. Sed cùm nec sibi parceret; nec corpus imbecille fervorem mentis æquaret: de consilio revocatur in claustrum. Cum autem intercurrente tempore pater Ernisius ad intermissam dudum vitam anchoriticam respirâsset, & inexorabilis desiderium suum obtinuisset; communicato fratres consilio præfatum virum Rotbertum Priorem suum constituerunt.

CAP. VIII.

CAP. VIII. In quo ministerio quàm strenuum se exhiberet, quàm sollicitum, exemplo perdoceri non potest. Quid enim singulis utile, quid necessarium esset, diligentiùs explorabat. Quod domi non erat, foris quæritabat, & quasi apis argumentosa reportabat. Redditus necessarios callidus conquisitor sine notâ cupiditatis paulatim attrahebat. Nec corporum tantum procurator sed animarum, quicquid ordinis vel religionis uspiam indagare potuisset, compilabat; & cautâ suggestione primitivis usibus sensim adjungebat. Crescebat igitur in dies numerus Fratrum & religio. Optima quoque longè latèquè pro veritate religionis fragrabat opinio. Nec silendum puto, quàm sanctam, quàm laboriosam sibi consuetudinem indixerit; ut cessante diurno Marthæ ministerio nocte resideret ad pedes Domini suspensus cum Mariâ. Cùm enim vespere facto Conventum in Dormitorio conclusisset; expectabat donec omnes soporatos æstimaret, tractans interim & conferens in corde suo, in quibus utilitatibus aut forte negligentiis diem expendisset; qualem rationem pro se pro sibi commissis reddere potuisset; quale judicium subire dignus esset. Tum deinde reminiscens, quanta solicitudo fuisset beato Job pro filiis suis, pro quibus cotidie post epulas holocausta per singulos obtulisset; [b] *ne forte benedixerint Domino in cordibus suis.* Post hæc surgens pastor bonus clanculum exibat in oratorium, pro grege sibi commisso de se ipso facturus holocaustum. Flexis igitur genibus centies aut eo ampliùs cum lacrimis & orationibus detracto cilicio, quo ad carnem utebatur, seipsum diris flagellationibus afficiebat. Videres, te putares Dei filium ante Pilati tribunal flagellatum luere peccata totius mundi. Dubitas an palam hoc faciebat: aut si occultè, unde nosse potuerim? Fateor curiositatem meam; quoniam egredientem è vestigio sæpe prosequebar, exploraturus quid faceret; & in tormentis ejus anxius ipse torquebar; nec cessavi furtim prosequi sanctum Domini, donec nocte unâ tenebrosâ radiante super eum cœlesti lumine deprehensus sum latitans. Sed increpatus sum, & admonitus, ne curiositatem hanc ulteriùs præsumerem: Adjuratus insuper, ne quid viderim eo superstite cuiquam indicarem.

[b] Job. I. 5.

CAP. IX. Porro in cæteris quæ ad officium regiminis pertinebant, omnibus incomparabilis inventus est temporis nostri Pastoribus. Quique præfectus erat omnibus, factus omnium servus, non se reputans potestate dominante, sed caritate serviente felicem: Verus imitator Jesu Christi, qui non venerat ministrari sed ministrare, & dare animam suam pro ovibus suis. Officium tamen in se retinebat pastoris, qualem format Apostolus, qualem imitatur Augustinus. Corripiens inquietos, consolans pusillanimos, suscipiens infirmos, patiens ad omnes; Disciplinam libenter habens, metuendus imponens: Et cùm utrumque sit necessarium, plùs tamen appetens amari quàm timeri. Hoc tamen prudenter utens discretionis temperamento, ne remissior plùs amaretur, rigidior plùs timeretur. Quod si appeteret; sua sibi videretur quærere, non quæ Jesu Christi; nec pastor esset sed mercenarius. Porrò in confessionibus suscipiendis quàm discretus fuerit, noverint qui experti sunt. Habebat frater aliquis in conscientia quod hasitabat confiteri. Deliberans tamen diutiùs, vicit tandem erubescentiam; ut securam faceret conscientiam. Cúmque coram sancto viro aperiret os in confessione ambagibus utens, alia quædam leviora quàm quæ proposuerat elocutus; & acceptâ absolutione recedere parabat; tunc vir sanctus, Attende, inquit, tibi frater, & glorifica Deum. Attende fallacias seductoris tui; os tuum aperuisti in confessione; sed quicquid proposueras abstulit tibi ne diceres. Frater autem obstupescens cecidit ad pedes ejus; & verum esse quod dicebat confessus est; & quod dicturus fuerat puriùs

† emendavit.

emendavit. Alius missus in obedientiam, cùm redisset de itinere, confessionem suam fecit ex consuetudine, quòd in multis offendisset. Cùmque verbis finem fecisset; ait ei vir sanctus: Et quomodo, frater, subtrahis quod deterius est? nonne tibi prohibueram, ne ad parentes tuos diverteres; & transgressus es præceptum Domini? Erubuit frater, & admirans ait: Et quomodo innotuit tibi pater? At ille tanquam ludens respondit: An nesciebas quod haberem Angelum meum, quem ego mitto cum his qui foris exeunt, ut observet & renuntiet mihi quid agatur in viâ? Et procidens frater indulgentiam impetravit. Sic & aliorum secreta cordis sæpe deprehendit; ut eum etiam occulta cordium videre non dubitarent.

CAP. X. Vim autem virtutis suæ, quam acceperat vir sanctus à Domino, in multis adverti potest argumentis. Frater quidam occultè temptatus, cùm directus esset, in itinere moram fecit; dum locum sibi remansionis dolosè perquireret. Cúmque tandem rediisset & propositum malum explere temptaret; quæsivit fallaciter occasiones exeundi, figmenta quædam proponens. Sed dolus ejus Priori jam innotuerat & fratribus. Admonitus igitur sæpiùs de purâ confessione & stabilitate servandâ, obstinatâ mente mendaciis se diutius redemit. Tandem cum in Capitulo coram fratribus publicè moneretur, & machinationes ejus sibi ex ordine opponerentur; surrexit responsurus; sed Prior anticipavit responsum ejus, adjurans eum in nomine Domini, quòd si spiritus veritatis esset cum eo, loqueretur; sin autem in spiritu mendacii cogitâsset eos fallere, in virtute Spiritûs Sancti non haberet potestatem verbum unum proferre. At ille statim tanquam elinguis factus prorsus ommutuit, & recessit. Alius frater nocturnis fatigatus illusionibus, cotidie cum lachrimis confessionem faciebat. Et cùm die una luctuosus & erubescens redisset ad patrem; ait: Credo, pater, quod si meruissem orationum tuarum suffragia; liberari possem ab istâ molestiâ. Et ait ei vir sanctus cum fiduciâ: Et ego rogo Dominum meum, ne te infestet ulterius supra naturam ista spurcitia. Frater igitur recedens cum fiduciâ, delusoris sui vires confutatas expertus est. Item frater alius spiritu fornicationis graviùs impugnatus, de consilio sancti viri carnem suam domuerat jejuniis & abstinentiâ escæ, quanta valetudo permittebat; nec pacem invenerat. Desperatus igitur rediit turbulentus ad virum Dei, dicens: ecce necesse tandem habeo discedere, quia pacem vel salutem hoc loco mihi destinatam ultra despero. Servus autem Domini blanditur, amplexatum consolatur; absit, inquiens, frater, ut tam leviter de te triumphet [c] *adversarius noster, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Hoc nempe primum quærit, ut eliminare te possit à caulis summi pastoris, quo liberiùs rapiat ad devorandum. Sed apprehende arma Scripturarum; state in acie, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Crede Prophetæ dictum. [d] *Cùm te consumptum putaveris; orieris ut Lucifer.* Et ego præcipio incentori tuo in virtute Spiritûs sancti, ut discedat à te. Dixit, & sanatus est frater ex illâ horâ. Talibus studiis intentus pastor providus & Domino plenus consueverat agnos sibi commissos de ore leonis eripere.

[c] 1 Pet. V. 8.

[d] Job. XI. 17.

CAP. XI. Contigit eodem tempore, ut Ecclesia Herefordensis pastore destituta jam diebus multis miserrimè laborâsset. Ex condicto igitur primarii duo diebus illis, Paganus filius Johannis & Milo Constabularius, suggesserunt regi Henrico; quo præfatæ Ecclesiæ tandem post annos quinque pastorem provideret. Quæsivit quem laudarent, aut si quem providerint. Nominant Priorem Lanthoniensem. Assensit Rex; & utinam, inquit, vel una radix

radix bona relinquatur post dies nostros in ecclesiâ. Consulitur Archiepiscopus. Laudat consilium, & assensit libens: sed providendum est, inquit, quomodo cautiùs agatis. Nam homo ille quantum potest prælationis fugitans, cùm ante annum præteritum ad Archiepiscopatum quæreretur, & mandatus esset ad curiam, delituit, & consilium vestrum frustravit. Exiit tamen consilii verbum in publicum. Quod cùm Prior persentisceret; territus est, & mente præsagâ consternatus. Et accelerans ad Episcopum Landavensem Urbanum, cujus professus erat, præmunivit eum rogans & obsecrans, ne eum absolvat; adjiciens non illi expedire, ut de filio suo privignum faciat. Sensit Episcopus, quò vergeret verbum hoc; & libenter promisit operam. Cùm igitur mandatum Regis & Archiepiscopi, ut personam memoratam absolveret & ad Episcopatum Herefordiæ liberam faceret; distulit rem ut potuit. Hoc secundò, hoc sæpenumerò. Dum sic callidis artibus opera luditur instantium; annus emensus est. Mittunt igitur ad Papam Innocentium; & super postulatis accipiunt mandatum obedientiæ: Unum ad Urbanum Episcopum, ut personam memoratam absolvat; alterum ad ipsam personam, ne vocationi suæ ulteriùs reniti præsumat. Convenientibus igitur utrinque in Capitulo Lanthoniensi Legatis, præsente Episcopo Urbano, leguntur Apostolica præcepta, Regis & Archiepiscopi mandata. Facit Episcopus quod præcipitur; patitur Prior quod cogitur. Sequestratis autem procul in partem Legatis, Prior Conventum breviter alloquitur. Videtis, fratres, quàm violenter à vobis revellor, membrum à membris meis; ni fortè rationem habetis, quæ me retinere sufficiat. Si minùs, maturi consilii tempus est; quia potestas imminens moram non patitur. Respondent fratres. Utinam pater suppeteret nobis te retinendi ratio sufficiens! Sed quia non est sapientia, non est consilium contra Dominum; consilium nostrum est facere de necessitate virtutem, & æquanimiter tolerare quod mutare non possis. Surgit in hæc verba lacrymans uberrimè. Petit licentiam eorum & benedictionem. Petit & veniam & absolutionem eorum de omnibus quæ se fatetur in omnibus & in singulis offendisse. Et nudatus pedibus singulorum advolvitur cum flagello, postulans disciplinam. Deus bone, Jesu pie, quanti singultus, quanta suspiria quatiebant corda singulorum? Quanta fuit concertatio pietatis cum obedientiâ? Ubi pii filii reverebantur, & cogebantur piissimi patris dorsa flagellare. Cùm igitur resumpsisset indumenta sua, & valedixisset omnibus; accedentibus Legatis rapitur, revellitur, reducitur. Prosequimur, quantum permittimur. Videres tanquam Heliam raptum per aera: Videres Helisæum non unum sed multos circumstantes extensis manibus inclamantes. *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga ejus.* Et iterum. Cur nos, pater, deseris; aut cui nos desolatos relinquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. Ego quoque impatientiùs ferens desolationem meam: Quò, inquam, progrederis sine filio, pater; quò, sacerdos sancte, sine ministro properas? Et respiciens in me cum lacrymis, petiit & impetravit à fratribus; ut comes itineris, solatium laboris, minister in obsequiis sibi commendarer.

4 Reg. II. 12.

CAP. XII. Recedimus tandem luctuosi quidem & suspirantes; sed cùm verticem Hatiræ montis vir sanctus attigisset, & locum sanctum post se respexisset; tum demum lacrymis & singultibus temperare non potuit, visus sibi tanquam Adam de paradiso pulsus in exilio. Vix loco abstrahitur, vix conquiescit; sed inductis de industriâ variis consultationibus, commeantes mentem occupant, donec montem transmisisset. Primam mansionem viantibus Rossa nobis obtulit. Ibi eâdem noctis horâ visiones singulas vidimus; quibus territi

eodem temporis momento nos horrendis clamoribus pariter excitavimus. Manè facto promovimus. Cùmque in itinere debitum pensum horarum persolvissemus; in publica verba redimus. Rogat me vir Dei, quid habuerim in nocte, qui sic clamaverim? Et ego: Somnium, inquam, meum terruit me. Et me, inquit, meum similiter. Retulimus invicem, quid viderimus. Sed cùm audisset visionem; contulit in corde suo, nec jam opus habebat Joseph aut Danielem interpretes. Intellexit enim spiritualis homo, quid visa portenderent, & quomodo ad caput unum concurrerent. Evanuit tandem spes ejus evadendi, quam nec dum projecerat. Suspiravit ab intimis, rediit in lacrymas, succutitur singultibus. Et cùm processisset gressibus paucis; substitit nutabundus, & ait; Quò feror infœlix? Quò me rapit cæcatæ mentis impetus? Ecce dum liber & meus sum; quid me tanquam videns & volens ingero in servitutem & tormenta? Ad hæc ego impatienter commotus: quid, inquam, quid agimus? Quid est quòd cotidie morimur? Non sic mihi constat liberum esse, quem Apostolicæ auctoritatis cathena constringit. Quòd si minor est obedientia quàm voluntas; quid cunctamur quod melius est eligere? Ecce patet è sinistris planities ad fugam, Nemus à dextris ad latibulum. His dictis illico percussi cor meum, dicens: Ignosce, mi pater; quia commotus verba delira protuli. Quin potius tu tecum delibera, quid potius expediat, qui virtutem obedientiæ tociens nobis prædicâsti. Vacillantes confirmaverunt sermones tui; & genua trementia roborâsti. Si voluntas est hominum quæ tractatur; dicit nobis Psalmista: [c] *Dominus dissipat consilia gentium, respuit autem consilia populi, respuit consilia principum.* Quòd si voluntas Domini est, quæ operatur circa te; [d] *Quis est qui resistere possit ejus voluntati?* Unum dicit idem Psalmista. [e] *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero ad inferos, ades.* [f] *Jacta igitur in Domino curam tuam; & ipse te enutriet. Non dabit in æternum fluctuationem justo.* Subditus esto Domino; & ora eum. Dicito quod sæpe soles. [g] *Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.* Et iterum. [h] *Deduc me, deduc me, Domine, in viâ tuâ, & dirige me in semitâ rectâ.* Et iterum. Fiat à me & in me & de me tua voluntas non mea. Adquievit tandem vir humilis & mitis; nec præsumptuosam habuit consolationem meam, cujus noverat dilectionem. Respondit tamen, & dixit. Ne mireris, charissime frater, sed miserare potius angustias meas. Præsentio namque, quæ cruces, quæ tormenta me maneant. Ad bestias habebo pugnare ferocissimas. De amicis meis facturus sum hostes meos. Absit enim, ut pacem aut fallacem gratiam malignantium tanti faciam; ut pro pastore mercenarium me constituam. Absit ne pastoralis honor in personâ meâ meritò blasphemetur. Hic est enim amor meus, fortè præsumptivus, fortè supervacuus. Potens est enim Deus de omnibus his eruere animam meam. Sed novi, nec quisquam me meliùs, imbecilitatem meam; & quàm impar sim tantis congressibus, qui in pace & quiete delegeram in domo Domini expectare finem meum. Coactus igitur obedientiæ virtute, vix extorsit ab animo suo, ut cœptum promoveret iter: dieque tertiâ pervenit ad Curiam. Nec tardavit meliores amicos suos anticipare, singulis supplicare cum lacrymis; ne consulerent aut consentirent, quòd amicus eorum homo pusillanimis & infirmior prælationis oneri subjiceretur. Primarios autem supra fatos, qui de dominiis Herefordensis Ecclesiæ villas tenebant, qui consilium prætractaverant & persequebantur, acriùs aggreditur; rogans instantiùs, comminitans, & præmuniens; ut si pacem suam diligerent, ab incœpto desisterent.

[c] Psal. XXXII. 10.
[d] Rom. IX. 19.
[e] Psal. CXXXVIII. 7.
[f] Psal. LIV. 23.
[g] Psal. V. 9.
[h] Psal. LXXXV. 11.

CAP. XIII.

CAP. XIII. Fecit homo quod potuit, Deus quod voluit. Habito namque tractatu persona vocatur in Episcopatum, eligitur renitens, qua licuit, assumitur ad altare, & divinis laudibus offertur; & cùm posterâ die sacratus * esset, ad cathedram mittitur Episcopalem. Hic intueri licet, quanta fuerit in religioso viro modestiæ discretio; qui noverat de gestis filiorum alienorum imitationis exempla traducere. Legerat nempe regem David cinerato capite in terrâ jacuisse, septem diebus cibos abdicasse, quamdiu parvulus sibi natus mortem præmaturam promittebat. Cùm autem accepisset puerum jam obisse; surrexit de terrâ, & adorato Domino in templo, lavit faciem suam & manus, & cibos sumpsit: tali scilicet indicans exemplo, quamdiu gravis præsidentis sententia suspensa tenetur & mutari poterit, modis omnibus humilitatis annitendum esse quo redimatur: Cùm autem definita fuerit, continendum esse, prout tempus & ratio postulaverit. Hoc igitur Episcopus prudens usus documento, sic actus posteros modificavit; ut & lacrimis ultra non valituris temperaret, & onus inpactum, quod abjicere nequiret, æquanimiter toleraret; & quæ de cætero facienda restarent, prudenter provideret. Cum igitur perductus esset Herefordiam; solenni gaudio, tanquam Angelus à Domino missus, suscipitur; procedentibus in obviam ac stipantibus supra numerum turbis tam cleri quam populi, laudantium Dominum ac dicentium: [h] *Benedictus qui venit in nomine Domine.* Sic positus in cathedrâ sedit mensibus tribus minùs ab annis XVII. Quam autem vitam post hæc duxerit, quid egerit, quid pertulerit; quàm gloriosus obierit; si prosequi voluero, immensus mihi pelagus aperitur; & mihi fortasse priùs aura deficiet quam materia. Aggredior tamen, si quid potero, quia sic vultis, fretus meritis ejus & precibus, quibus optanda nobis apud Deum impetrari posse confidimus.

[h] Matth. XXI. 9.

Explicit Liber Primus.

---

* Consecratus est Oxenefordiæ à Willelmo Doroberniæ Archiepiscopo anno 1131. die 3. Kal. Julii. Sic Monachus contemporaneus Wigorniensis, qui Florentii Chronicon ad annum 1141. continuavit. In Ecclesiâ tamen Roffensi consecratum dicit Gervasius in Actis Pontif. Cant. p. 1663. Quarto potiùs Cal. Julii consecratum puto. Is enim dies illo anno Dominicus fuit. Crassiùs erravit Waverleiensis Chronographus, qui Robertum anno 1133. ad Pascha à Rege designatum scribit.

Incipit Liber Secundus.

CAPUT XIV.

POstquam igitur Venerabilis vir & à Domino benedictus Rotbertus pontificali honore sullimatus esset; nihil ut assolet bonis moribus, nihil proposito religionis imminuit. Providens namque quod de vitâ & actibus suis Domino redditurus esset rationem, sedens distinxit in corde suo; quid deberet ordinis sui officio, quid domesticis suis, quid alienis, quid omnibus in commune; quid opibus misericordiæ. Secundùm hoc vitam suam instituit; ita ut servatâ regulâ justitiæ simul & ordine quæ Dei sunt Deo redderet, & quæ hominum hominibus exhiberet. Emergentibus igitur occasionibus, pro loco, pro tempore, pro personis, singula singulis congruentia dispensabat moderamina; & quantum in ipso erat omnibus secundùm Apostolum placere studuit; bonis tamen in bonum: cautiùs observans quod de corruptis scribitur in Psalmo [a] *quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Bonos & modestos honore præveniebat, in bono suo consovebat, ad meliora provocabat. Perversos autem & discolas admonebat, corripiebat; mansuetudinem amans, rigorem non negligens. Discordantes in pacem & misericordiam revocabat. Latronum & raptorum pœnale judicium non abhorrebat, aut lenire curabat. Oppressorum & desolatorum causam tanquam patronus suscipiebat. Religiosorum adventum hospitaliter suscipiebat, necessitates audiebat, penuriam misericorditer relevabat. Si quos gyrovagos & dissolutos in ordine deprehendebat; sic privatim increpabat, ut in publico non minùs honoraret. Porro inclusorum & Heremitarum, Cœnobitarum conversionem diligentius inquirebat. Et quos in viâ Domini bene currere didicisset, affectuosiùs amabat, frequentiùs visitabat vel in personâ sua vel in benedictionibus caritatis. Scolarium, Clericorum indigentiam explorabat; & secundum rationis differentiam consolari curabat. Viduarum pauperiem, languidorum vel debilium impotentiam miseratione paternâ sustentabat; quorum nomina vel hospitia singulis in locis quo veniebat perquiri faciebat. Reliquorum pauperum discursantium non personalem numerum sed turmas pro loco, pro tempore concurrentes refocillabat; quos cum major erat numerus multitudinis, ante suum prandium refici constituerat. Si qui tardiùs supervenissent, coram mensâ suâ ministrari faciebat. Habebat autem ministros idoneos Deumque timentes super hoc officium constitutos. In singulis nihilominus mansionibus suis habebat numerum pauperum definitum; quibus non præbendam tantùm diurnam, sed indumenta & calceamenta per annum necessaria procurabat. Singula si referrem, diceres Johannem Eleemona vel revixisse, vel alium pro eo surrexisse. Unde non immerito posset cum beato Job sine inani gloriâ gloriari dicens: [b] *Pater eram pauperum, oculus cæcorum, pes claudorum.* Et quod in consequentibus additur: [c] *Si negavi quod volebant pauperibus; & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex eâ. Quia ab infantiâ meâ crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Quoniam autem necessarium agnoverat conservare conscientiam sibi, famam proximo suo; inter honestum & utile sic metiebatur, sic angusto calle transibat; ut nihil honestum quod inutile, nihil utile

[a] Psal. LII. 6.
[b] Job XXIX. 15.
[c] Job XXXI. 16.

utile quod inhoneſtum reputaret. Hoc igitur obſervans, domum habebat ordinatam & bene diſpoſitam, copioſiùs abundantem ſine prodigalitate; Familiam & clientelam diſciplinatam, non tumultuantem aut populari loquacitate diſſolutam, ſed cum modeſtiâ & honeſtate miniſtrare inſtitutam. Cantores, mimos, hiſtriones, turpiloquos, & hoc genus omne vanitantium nec videre curabat nec prorſus audire.

CAP. XV. Menſam habebat frugalem ſine avaritiæ notâ, religioſis perſonis aut aliis ſullimibus confeſſoribus adornatam. Lectionem utilium Scripturarum ad menſam audire conſueverat; de quibus inter epulandum aut cum literatis breviter & modeſtiſſimè conferebat, aut illiteratis aſſidentibus aliquid ædificatorium utiliter exponebat. In camerâ privatè comedere ſine magnâ neceſſitate nunquam conſuevit. Ubicunque tamen comederet, ſatiram habebat coram ſe capaciſſimam; quam de appoſitis ſibi cibis in eleemoſynam infirmorum cumulabat. Hora refectionis ejus erat prandium; vel ſi opus diei exigebat, prandium tranſlatum in cœnam. Et cum aliis hilariter dapſilis eſſet & largus; ſibi tamen erat pro conſuetudine parciſſimus. Hoc autem erat mirabile; quomodo quotiens exemplo beati Auguſtini carnes in menſâ ejus apponebantur propter hoſpites; ipſe magno quodam apparatu & fantaſticâ manuum agilitate oculos fallebat convivantium, carnes incidens & in orâ parapſidis ordinans, buccellis tamen panis interſertis, quas cum acciperet, carnem edere putaretur. Sic cum alios ſaginabat; ipſe ſiccus permanebat. Siquando tamen domi vel foris propter vitandam hoſpitum moleſtiam carnem guſtabat; nocte ſequenti lacrimis, in craſtino abſtinentiâ eſcæ tanquam reatum aliquem expiabat. Nec hoc quidem quòd votum haberet ſuper ſe; ſed quòd devotione gauderet abſtinentiæ. Piſces raro tangebat niſi fortè viliores. Cibus erat pro temporum congruentiâ, lac, caſeus, butyrum, naſcentia leguminum, fructus arborum, olera herbarum. In potu non minùs erat abſtemius; ut nec bibiſſe facilè poſſit adverti; ſed cùm Paulum imitari vellet dicentem: [a] *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo:* itemque Auguſtinum docentem, *carnem veſtram domate jejuniis & abſtinentiâ eſcæ, quantum valetudo permittit*; exceſſit medicina modum. Nam incidit in morbum, quem ſyncopin vocant. Cùm autem ex neceſſitate reddere vellet ſua jura naturæ; præmortuâ jam appetitivâ virtute refutabat accipere. Non ſegniùs tamen, quod mirandum eſt, corpus effœtum laboribus ſubigebat.

[a] 1 Cor. IX. 27

CAP. XVI. Proinde quod ad cuſtodiam & argumentum pudicitiæ pertinere dinoſcitur; nunquam oculum in fœminam figere conſuevit. Legerat enim quomodo *abhominatio eſt Domino defigens oculum.* Nuſquam ſolus cum ſolâ ſedere vel loqui niſi coram poſitis arbitris præſumſit, nec de confeſſione quidem vel quolibet arcano. Quid igitur de mundiciâ carnis ejus ſentiendum ſit, cito dixerim. Quod ſcire potui, virgo ſenex obiit.

CAP. XVII. Porro quàm ſedulus, quàm devotus fuerat in divinis officiis, docere per ſingula perlongum eſt, perſuadere difficile. Quotiens enim Miſſam celebrabat, & ad ſumendum Dominicum ſacramentum venerat; non erat modus ſingultibus, non cruentis lacrimis; donec ſeipſum tanquam mactatum holocauſtum obtuliſſet. Hunc uſum etiam in privatis orationibus ſuis obſervabat. Sæpiùs etiam cum attentiùs oraret, aut etiam meditaretur, ſive ſedens ſive procumbens; rapiebatur in ecſtaſi mens ejus, ut ſopitus videri potuiſſet. Cùm autem hauriret ſpiritum cum impetu redeuntem; quaſi de gravi ſomno excitatus, ſemilanguidus apparebat. In exequendo miniſterio ſuo tam promptus, tam ſtrenuus erat; ut quotiens ad Baſilicas dedicandas ſive Oratoria, ſive Cœmiteria ſacranda peteretur; non excuſabat, non inducias quærebat; ſed quæcunque

quæcunque intemperies inhorruisset, statuto die alacer occurrebat. Et cùm in divinis sacramentis & verbo Domini seminando cæterisque causis emergentibus diem expendisset; ad propria jejunus redibat. Quod si fortè tardius erat, aut alia necessitas urgebat; vix precibus adduci poterat, ut hospitium vel cibum acciperet alienum. Ordinationes Clericorum exquisitissimè faciebat; præcavens & præminitans, ne qua venalitas intervenisset aut indignitas contradiceret. Per singulos gradus sermonem de more faciebat instructorium; quo discerent singuli, quâ ratione, qua vitâ ordinem suum honorare deberent & ministerium. Gyrovagos, acephalos, notabiles, alienos, servos penitus refutabat. Clericulos nisi provectiores & libertatis testimonium habentes, quibusq; in ecclesiâ locus & victus provisus fuisset, coronare devitabat. In omnibus denique Paulum imitari satagebat dicentem: [b] *Honorificabo ministerium meum.* Unde cùm in omnibus generaliter, in Clero tamen propensiùs execrabatur & persequebatur omnigenæ fornicationis immunditias, & quæ harum occasiones sunt, ebrietates & comessationes, cæterasque turpes dissolutiones.

[b] Rom XI. 13.

CAP. XVIII. Humilitatis ejus virtus quanta fuit, paucis plenius innotuit. Quam vir prudens in officio regiminis sic modificabat; ut nec rigor humilitatem, nec humilitas destitueret rigorem necessarium. Non enim ignorabat, quomodo inter regendos si nimia servaretur humilitas, regendi frangeretur autoritas. Cùm autem ad privatum rediisset conscientiæ judicium; dicere poterat securè cum Psalmista: [c] *Domine non est exultatum cor meum, neque elati sunt oculi mei:* &c. Astruere poteram unum pro multis nec modicum humilitatis ejus documentum: sed vereor, ne si audierit Pharisæus, indignetur, sumatque sibi scandalum de bono alterius. Quomodo tamen silere potero veritatem, quæ sancti viri nobis commendat humilitatem, viderit humilis, qui imitari voluerit: Viderit superbus, qui humilitatem abhorruerit. In Cœnâ Domini quotannis cum sacramenta diurna peregisset: & pauperibus Christi propriis manibus necessaria ministrâsset; facto vespere Salvatoris exemplum in abluendis pedibus discipulorum in choro reverenter exhibebat. Deinde domi præparatis pauperibus aliis, idem humilitatis exemplum repetebat: Addens caritatis opus in eleemosynis consolatoriis. Denique facto noctis crepusculo, nudis pedibus & aperto capite assumpto uno comite fidelissimo, altero præmisso præparare quæ necessaria forent, procedebat ad habitacula leprosorum. Ibique præcinctus lintheo pedes singulorum humiliter lavabat, lacrimis rigabat, capillis tergebat, deosculabatur dulciter. Postremò vestes & calceamenta dividebat per singulos; sicut cuique opus esse præquisierat. Quo facto de nocte redibat in sua. Si quis discretor es censorque meritorum; tibi relinquo in hac parte judicium. Audisti factum Mariæ Magdalenæ scriptum in Evangelio, quod prædicatur in universo mundo. Audis simile factum humilitatis Antistitis sancti cum veritatis testimonio. Lavit mulier peccatrix pedes Salvatoris, lacrimis rigavit, capillis extersit, & oscula junxit. Pedes inquam Salvatoris, sed pedes mundissimos, pedes sanctissimos. Lavit Antistes humillimus pedes pauperum, in quibus erat Christus; sed pedes leprosos, ulcerosos, cœnulentos. Sed & hos lacrimis rigavit, capillis extersit, & oscula fixit. Confer opus humilitatis & devotionem amborum; Et si de sententiâ meritorum hæsitas; divino committe judicio. Nos cœptam viam prosequimur: sanctissimi viri caritatem admirantes, qua sic fraternis negociis expositus erat, communia propriis anteponens; uti nec laboribus suis parceret nec impensæ. Cavebat enim provide, ne si rogatus veniens fratrem vel amicum gravâsset in aliquo, gratiam & meritum perdidisset, tanquam si caritatis officium vendidisset. Quotiens autem ad publicos conventus evocatus accederet, quotquot ad eum undique confluxissent viri religionis, in eo inveniebant negociis suis consilium, in hospitio humanitatis solatium, in

[c] Psal. CXXX. 1.

conventu patrocinium. Porro tantæ charitatis ejus meritis tanta succrevit & gratia; ut in publicis tractatibus si qua dubietas si qua difficultas oriretur, Robertus Episcopus tanquam senior tanquam discretus & religiosus consuleretur; & quod ipse definisset ratum haberetur. Si quem autem vel ignorantiâ vel voluntate à tramite justitiæ deprehendisset exorbitare; nullius persona nullius potestas à puncto veritatis eum dimovere prævalebat. Unde & hic subsecutus est honor, sed onerosus labor; ut quicunque à Domino Papâ causam suam in Angliâ terminandam retulisset, Robertum Episcopum patronum habere postularet & obtinere gauderet. Nec hoc silendum, quomodo quotiens infirmabatur vir iste timoratus, festinabat ministris suis solidos totius anni de integro reddere, & gratuita donaria singulis superaddere: Dein quod ad manum habebat, pauperibus erogare; si quid alibi haberet, testamentum facere. Cùm autem convaluisset; nihil eorum quæ in eleemosynam denominâsset, rehabere volebat, nisi alia pro aliis redimeret. Si quis verò in obsequio ejus infirmabatur; omnem humanitatis sollicitudinem erga eum exhiberi faciebat. Quòd si moriebatur; quicquid de rebus suis disposuisset, ratum haberi præcipiebat. Nisi forte ad majorem salutis ejus profectum aliquid demutandum pervidisset.

CAP. XIX. Plura satis sunt quàm quæ memoria signaverit humanitatis ejus indicia, sanctitatis argumenta foris scintillantia. Ex quibus quæ ipse videre non potui, sollicitus fui ab aliis qui viderunt certiùs indagare, piorum thesaurum exemplorum conferens in corde meo. Quæ apud pias mentes parvi pendenda non æstimo; si exilis stili macilentâ brevitate coartantur. Agebat iter aliquando vir sanctus vocante negocio; & præmisso comitatu ad transitum pontis præjacentis ipse novissimus sequebatur, uno comitatus Canonico, psalmocinantes invicem secundùm consuetudinem. Cúmque post alios pontem ascendisset Canonicus; incautiùs allateratus Episcopo cecidit foras & equus super eum inversus in gurgite rapidissimo. Vir autem impiger reminiscens, quia majorem charitatem nemo habet quàm ut animam suam ponat quis pro fratribus suis, descendens insiluit in profundum. Et reversans equum supinatum, apprehendens fratrem extulit caput ejus supra aquam donec respirâsset; sed dum eum tollere vel à sellâ revellere frustra luctaretur; accelerantes comites certatim insiliunt gurgitem. Alii rapiunt Episcopum; Alii circumjectis capistris equum extrahunt hærentem in limo profundi. Cùm igitur ruinam reparassent, & timor redisset in securitatem; ascensis equis promovent iter. Interea juventus levior & garrula turba puerorum insultant Canonico, vocantes eum militem nimis delicatum, qui nec in expeditione uno die balneo carere potuisset. Maturiores autem quæritabant inter se, quomodo cecidisset Episcopus. At ille, ut erat auribus vigil, subaudiens: non cecidi, inquit, sed calui fratris perituri subveniendum putavi; ut vel vivus vivum liberarem, vel mors socialis individuos socios inveniret. Mirantur audientes, & strenuitatem viri prædicant, charitatem autem & humanitatem quàm maximè. [*Sequuntur Miracula bina; quæ Lectoris fastidium veritus rejeci.*]

Alio tempore exigente necessitate homo Dei movit iter antematutinum, cúmque devenissent in solitudinem, offenderunt mulierculam jacentem secus viam & puellulam parvulam juxta eam plorantem. Substitit homo pius; ut sciret quid esset. Interrogat puellam. At illa: Væ, inquit, mihi misellæ, væ mihi. Hæc est mater mea, quæ hoc loco serò obdormuit; & in totâ nocte non possum eam excitare. Et timeo lupos ne me cum illâ devorent. Descendentes & tractantes deprehendunt mulierem esse mortuam. Quam fecit Episcopus in palefridum suum levari: Puellulam verò post clientem deferri. Et convocans Clericos, cœpit commendationem animæ & totum cursum qui sequitur in agendis mortuorum. Cúmque elucescente die ecclesia comparuisset,

isset; à dextris divertunt illuc: Et dato pretio fecit eam sepeliri. Puellulam verò portatam longiùs ad aliam villam, ubi notos habebat, quæsitâ nutrice datoque pretio commisit alendam.

CAP. XX. Fœlix homo, si in talibus exercitiis vitam in pace finire licuisset. Longè tamen fœliciorem dixerim, cui de tribulationibus consequentibus indubitata martyrii corona constat adaucta. Sed hæc est hostis invidi seducta calliditas; ut quem in pace seducere nequit, victorem perdat in prælio. Primam igitur persecutionem à domesticis suis pertulit; de quibus dicere posset. [a] *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Hoc nempe bonæ intentionis studium vir sibi sanctus indixerat; ut ad decorem Ecclesiæ sibi commissæ si quas personas idoneas literatas alicubi vacantes acciperet, eas ad se vocaret, ordinaret, & beneficiis ecclesiasticis vel honoribus sullimaret. Sed nescit malitia beneficiis respondere. Unde factum est, ut Radulphus quidam, quem alienum asciverat, & Decanum constituerat, primus contra eum levaret calcaneum. Nec prius eum destitit indignis tribulationibus vexare; donec compelleret Romanum Pontificem adire. Cui cùm angustias indicâsset, & vexationes, quas à Decano suo patiebatur tam indignas quàm injustas; decreto Curiæ cum pace suâ remissus est. Sed pacem reportans, pacem domi non invenit. Agebat enim invidia Diaboli; ut quo amplius terrenis perturbationibus vexaretur, spiritualibus lucris minùs intenderet. Sed noverat Dominus, quibus tormentis Martyrem suum ad coronam præpararet. unde cùm deposito per Dominum Papam Innocentium vexatore suo Decano redisset ad sua; novos invenit ex filiis suis vexatores, alterum post primum, tertium post secundum. Quorum non tolerans vir sanctus tam immunditiam quàm impietatem, laboribus & impensis primis similibus eorum debellavit insolentiam: metuens ne sibi cederet in periculum, si pestilentes non eliminaret, quos Ecclesiæ deceptus induxerat.

[a] Isa. I. 12.

CAP. XXI. Cùm sic laboribus indignis atteritur; contigit ut Henricus Rex pacificus finem faceret vitæ suæ. Turbatum est regnum; recessit è medio pax & justitia; & in millibus multis etiam fides Christiana. Et ne quid residuum foret Ecclesiæ consolationis; paucis post obitum Regis evolutis diebus defungitur etiam Archiepiscopus Cantuariæ. Revelantur statim ex multis cordibus feritates & insaniæ. Rapiunt invicem, cædunt, incendunt. Grassantur in subversionem religionis & ecclesiarum, quos ante antehac regalis justitiæ rigor coercuerat. Et quantæ putamus cruces & frixuræ torquebant & torrebant totam substantiam zelantis ecclesiam Dei Pontificis? Fuerunt igitur inter hæc mala pio viro lacrymæ suæ panes die ac nocte; nec erat quod amplius in hoc articulo desideraret, quàm cum pace Ecclesiæ funeratâ & ipsum funerari. Singulariter autem succurrebat animo graviùsque torquebat Conventus Lanthoniæ inter barbaras gentes deprehensus. Audit spoliatos semel & secundò. Audit victualia jejunis defecisse, nec alia jam posse tutò convectari. Dolet, anxiatur, luget; tanquam omnes trucidâsset. Pœnitet enim sed serò; quòd dum potuit & consilium habuit, hujus horæ necessitatem non prævenit; quòd diebus pacis locum refugii non providit. Sed homo Dei spiritu fervens diebus illis sic affectus erat; ut optaret se cum cæteris omnibus unâ die martyrio consummari. Nunc autem expertus, quia non est in manu hominis vita ejus; fecit tandem pro tempore quod potuit. Ascivit ad se Conventum. Tradidit eis domos suas, capellam, horrea, cellaria, cæterasque necessarias officinas, redditus insuper Episcopales, quantum necessitatibus eorum sufficere possit. Interim quæsivit & invenit eis locum habitationis apud Gloecestram sub Milone Constabulario. Expensas dedit ad ædificandum. Secundo anno transtulit

lit * illuc Conventum. Ad supplementum quoque subsidii dedit eis Ecclesias duas Frome & Presteberie. Ipsam insuper villam Presteberie cum omnibus proventibus ejus præstitit usque ad finem vitæ suæ. Dum talibus studiis invigilat; invaluit peramplius doloris miseranda materia: unde requiem non admittebat pii pastoris corpus neque anima. Videns nempe mala jam undique crebescentia, discurrebat anxius inter furentes. Execrabatur cædes mutuas, rapinas & incendia. Pacem obtinebat, ubi poterat; vel induci s saltem aliquos propositis furoribus procurare satagebat.

CAP. XXII. Transeo multa nec ignarus hoc loco magnifici viri certamina; quæ tam gloriose perexiit quàm strenue percucurrit. Quæ † mihi quidem diebus meis stilo prosequi nec satis tutum erat sed neque necessarium. Quippe quæ fama celebris in memoriam sine litterâ transmisit æternam; ex quibus plurima satis filii qui nascentur & exurgent enarrabunt filiis suis. Siquidem post obitum pacifici Regis Henrici, sicut breviùs prælibatum est, cùm Stephanus Rex jam obtinuisset regnum, & cognata ejus Imperatrix supervenisset; exorta est simultas inter alterutrum & feralis de regni jure calumnia, singulis pro se rationibus satis validis innitentibus, sed nullo interveniente judicio dissentio tanta nec finem accepit, nec conceptis malis pacis sequester quispiam inducias obtinuit. Divisis itaque contra invicem Principibus regni desolatio dolenda subsecuta est juxta sententiam Dominicam: [b] *Quia omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadit.* Et in primordiis quidem tantorum malorum res acta est inter pares compugnantes invicem, affligentes invicem, rapientes. Sed consumptis altrinsecus universis, quæ furor ambitiosus invenerat, irruptum est latiùs in sanctuarium Domini, nec locatim in parte sed passim in toto. Ecclesias invadunt; minores spoliant & incendunt, majores & firmiores in munimenta sibi castellorum usurpant. Satagebat igitur sæpefatus Episcopus saltem pro domo pro populo sibi commisso murum protectionis opponere; precibus, pretio modisque omnibus agens, quibus solet feritas humana leniri. Sed prævaluit flagellum inundans & respectus iræ desuper. Pergrassante igitur latiùs & tanquam cancreno more hostili serpente vesaniâ, factum est ut Episcopatum Herefordensem communis pestis involveret: (†) Episcopus ejus domibus suis & possessionibus spoliaretur. Sed eorum quidem quæ ad proprios usus pertinebant, direptionem æquanimiùs interim toleravit; Ecclesiæ autem captivitatem & divinorum officiorum silentium altiùs indoluit. Quoniam igitur quid utilius faceret non occurrebat; in spiritu humilitatis & in animo contrito cum precibus & lacrimis ad Dominum convertitur, supernam sustinens promissionem; qua dicitur. [c] *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* Inter-

[b] Luc. XI. 17.

[c] Heb. X. 30.

* Narrat Historia Lanthoniensis (in Monastico Tom. II. p. 63.) Milonem Constabularium Herefordiæ Comitem Canonicis à Lantoniâ fugientibus dedisse locum quendam extra urbem Glocestriæ qui Hyda dicebatur. Ubi Ecclesiam admirabili celeritate construxerunt; quæ à Simone Wigorniensi & Roberto Herefordensi Episcopis anno 1136. consecrata est, & nomine prioris Ecclesiæ suæ Lanthonia appellata.

† Innuit puto tyrannidem Milonis Constabularii; qui (ut in Historiâ Lanthoniensi legitur p. 65.) *tempore aliquo Ecclesiam & Ecclesiasticas personas acerbissimè insectabatur, & Ecclesiasticâ sententiâ sub horribili austeritate proinde plectebatur. Hujus tyrannidem actusque detestabiles probrosamque à grege Dominico sequestrationem, tanquam æternæ mandans memoriæ, in libello quodam* Willelmus *digesserat*; Prioratu Lanthoniensi à Rogero Milonis filio ideo deturbatus.

(†) Factum id annis 1138. & 1139. refert Florentii Wigorniensis Continuator.

dum tamen ne quid minus faceret, temptavit & hoc quod docetur per Apostolum Timotheus: [d] *Argue, obsecra, increpa in Domini patientiâ & doctrinâ.* Sed cùm talis diligentia pacis oblitos nondum leniret, quin insuper ad deteriora provocaret; nec haberet jam in suis vir pius ubi tutus caput inclinaret; secessit ad modicum, fidelium suorum usus consilio, imo Salvatoris exemplo simul & documento. Nec ad exteras tamen gentes exul demigravit; sed contulit se ad Cœnobia Religiosorum, ad castella parochialibus suis circumjecta terminis; ubi cum pietate & reverentiâ ab omnibus susceptus est, ut qui omnibus carissimus erat & reverendus. Gaudebat autem & Domino gratias agebat ipse pro se, qui hospitio & cibo jam indigebat alieno, nec minùs tamen pro illis quorum non tam datum quærebat quam fructum pietatis, quibus dicturus esset in fine filius hominis: [e] *Hospes fui, & collegistis me: esurivi, & sitivi; & ministrâstis mihi.*

[d] 2 Tim. IV. 2.

[e] Matth. XXV. 35.

CAP. XXIII. Respexit post modicum justus Dominus lacrimas servi sui, piasque preces exaudivit; compungens corda persecutorum ejus; ut ab illius oppressione desisterent, Ecclesiam occupatam liberam redderent, super ablatis compositione receptibili satisfacerent. Episcopus igitur cùm pace restitutâ in sua redisset; Ecclesiam suam reformavit, hostica de foris munimenta diruit & complanavit; spurcitias de intus eliminavit; Clerum dispersum revocavit; divinum officium innovavit; ad cætera religionis & pietatis opera recucurrit; habitus ab omnibus in gloriâ & magnificentiâ. Redeunt ad januam ejus pauperes Christi, ad hospitium viri religiosi, ad consilium in negociis ambigui, ad patrocinium solatio destituti. Omnibus seipsum exhibet, miseretur, suffragatur; & quod de Catone legitur, non se sibi sed toti mundo natum esse profitetur. Inter hæc silentio prætereundum esse non æstimo speciale caritatis opus. Venit ad eum Conventus unus fratrum desolatorum numero XX. quos maledictio sterilis terræ de secessu nemoris post quinquennium expulerat; & quia totum definitionis & consolationis suæ pondus in consilio & caritate tanti Pontificis rejecerunt; egit studiosiùs ut in Lanthoniensi Collegio omnes unâ die reciperentur. Ne autem domus supra vires gravaretur, addidit ad suprafatam Ecclesiarum donationem terram unam quam Moram vocant. Quas elemosinas à Domino Papâ confirmari fratribus impetravit.

CAP. XXIV. Plura sunt ejus quàm quæ stilo prosequi possum opera misericordiæ. Inter cætera tamen virtutum ejus insignia, nihil erat quod ejus obedientiæ præjudicari possit. Verus siquidem imitator Jesu Christi debitam patribus suis servavit obedientiam usque ad mortem. Unde factum est; ut cùm ad Concilium Remense sub Eugenio Papâ summonitus esset occurrere; licèt diebus illis infirmitatem corporis veraciter possit obtendere; noluit tamen excusare, præoptans in obedientiâ mori quàm sine illâ vitæ suæ spatium protelare. Cùm igitur Remis pervenisset; die tertiâ Concilii ingravescente morbo decidit in lectum.

Hic liquidò potest adverti, quàm grata Domino fuisset vita ejus; ad cujus transitum totus ferè mundus concurrerat. Ne mireris tamen æqua divinæ justitiæ libramina; ut qui multigenarum odore virtutum tantos circumquaque perfuderat, tantorum haberet undiquaque confluos in novissimis suis consolatores & coram positos apud Dominum intercessores. Sic enim promiserat verus ac verax omnipotens. [f] *Glorificantes me glorificabo; & qui contemnunt me erunt ignobiles.* Sed qualis fuerit circa novissima transitûs sui præperatio, sicut pium est audire, sic impium videtur negligere. Hanc autem præparationis diligentiam intra passionem & resurrectionem Domini senariâ dierum distinctione optabili eventu digessit; ut quo dierum numero machinam mundi constabat

[f] 1 Reg. II. 30.

ſtabat eſſe peroratam, eodem ſe cum mundo in ſanguine redemptoris ſpe fideli præparet innovandum & cum Chriſto reſurgendum.

CAP. XXV. Apud Abbatem Remenſem Odonem habebat hoſpitium; ubi ſicut ſummâ veneratione habitus eſſet, ſic omni humanitate in infirmitate ſuâ tractatus eſt. Venerat feria quarta, pridie videlicet Cænæ Dominicæ. Senſit vir Dei morbum ingraveſcentem; & petit inunctionis ſacramentum; nec moram patitur. Abbas igitur præmonitus totuſque Conventus ordinatâ proceſſione ſolenni cameram ingrediuntur, in qua jacebat. Videntes autem lectum vacuum, nutibus quærunt ubinam ſit. Et reſpicientes vident eum longius à lectulo in terrâ nudâ proſtratum. Hortantur ut ad lectum referatur; ſed renuit. Tollere volunt, ſed non permittit. Præoccupans autem voces eorum in confeſſione; Neſcitis, inquit, fratres & domini, neſcitis quem viſitare veniſtis: Hominem utique peccatorem, nec vitâ dignum, Epiſcopum illum falſum ſed hypocritam verum, populi ſeductorem qui cum nihil eſſet aliquid ſe eſſe ſimulabat. Non paſtor ovium ſed mercenarius infidelis, lac colligens & lanam, ſed ſalutem negligens animarum. Arbor ſterilis terram hactenus occupans, & frugum proventum umbrâ præpediens. Miſeremini ergo mei fratres & amici Dei; ſinite me hominem terreum atque terrenum in terrâ pœnitentiam agere, pœnitentiæ ſacramentum in terrâ ſuſcipere; & quia nec illâ gratiâ dignus ſum, oſtendite mihi miſericordiam, vindicate injurias Dei in tormentis rei ſui. Et proferens virgas, quas habere ad manum conſueverat, obtulit Abbati; flagitans diſciplinam à ſingulis. Non erat qui lacrimis poſſit temperare; graviúſque torquentur in mente, quàm vapulatus in carne. Sed dolet ipſe anxius in mente: quia dolorem non ſentiat in carne. Unde ab ultimo fratrum rapit ipſe virgas. Et quid eſt, inquit, fratres quod facitis? Quæ eſt hæc pietas parcere peccatori, quo minùs parcatur ei, ſed graviùs puniatur in futuro? Hæc dicens, cœpit ſeipſum pro more ſuo flagellare ſine modo, ſine miſericordia; donec de ſuis unus accurrens impatienti pietate extorſit ei flagellum è manibus. Poſtremò cum omni humilitate & religionis affectione completum eſt inunctionis officium. Et cùm accepiſſet Dominici corporis & ſanguinis ſacramentum; pauliſper conquievit; ſentiens in ſe quod de inunctionis efficaciâ per Jacobum Apoſtolum aſſeritur dicentem; quomodo [g] *ſi à ſacerdotibus ungatur infirmus*; *oratio fidei ſalvabit infirmum*; *& allevabit eum Dominus*; *& ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*. Ab eâ horâ plus elegit ſilentium, tumultu carere, de rebus forinſecis nihil audire, totus in ſe redire, totum ſe ſibi vacare, paſſionem Domini piâ mente tractare, de qua eâ die in conſilio Pontificum & Phariſæorum impiè conſiliatum ſit atque tractatum. Hanc enim noveram ego conſuetudinem ejus; ut pro temporis accurſu & Dominicarum ſullimitate ſolennitatum feriatâ mente totus in eâ materiâ verſaretur. Quod eum hoc loco peramplius feciſſe non dubitant qui viderunt, qui ejus omnia tanquam ſeduli aſſeſſores ſcire potuerunt. Sub hac ergo diſciplinâ diem transegit noctemque ſequentem, in timore Domini & patientiâ Chriſti perſeverans.

[g] Jac. V. 14.

Illuxerat dies craſtina: volvere cœpit in mente quod dudum tractare ſolebat in concione, quanta ſcilicet ſit illius diei ſolemnitas, quàm magnifica ſacramenta, quæ autoritate divinâ inſtituta ſunt & ab Eccleſiâ catholicâ veneranter recolenda. Memorat & miratur quanta ſit hujus diei gratia, in qua ſacrati Ordinis miniſterio poſt lamenta pœnitentiæ ſit pœnitentium reconciliatio, peccatorum remiſſio, membrorum Eccleſiæ præciſorum redintegratio. In qua die trimoda fiat olei conſecratio in totius Eccleſiæ generale ſacramentum; cujus confectio Epiſcoporum ſolum expectat officium. Miratur & memorat, quantum nobis inditum ſit in hac die ſacramentum, & humilitatis exemplum in ablutione pedum diſcipulorum Chriſti manibus ejus filii patris altiſſimi.

Memorat & miratur, quàm stupendum sit quàm mirabile sacramentum, quod hujus diei vespere agnus Dei verus agnum typicum comedens cum discipulis suis, terminatis omnibus Veteris Testamenti sacrificiis, unum pro omnibus majus omnibus instituit, conferens corporis & sanguinis sui veritatem & virtutem in panis & vini speciem divinâ virtute consecratam. Quam fidem astruxit discipulis suis, cum ait; [a] *Accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et iterum [b] *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Talibus secum pertractatis vir Deo plenus exultavit in spiritu, gratias agens; & postulavit afferri sibi Dominici corporis sacramentum. Dum præparant, reminiscitur vir timoratus Apostoli sententiam de hoc sacramento dicentis: quomodo [c] *qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Ideo mente perculsus rediit in lacrymas, & fonte pœnitentiali rigat faciem, lavat conscientiam. Cum igitur obtulisset corpus Dominicum; veneranter ut solebat adoratum suscepit. Et cùm iterum gratias egisset; paululum se fatigatus reclinavit. Post modicum cùm accessisset hora, quam ipse diligentiùs observaverat; convocans Clericos suos, interrogat quando faceret mandatum suum? Et obstupescentes responderunt. Propitius esto tibi pater. Scitur quia dum potuisti, devotè fecisti. Nunc autem pro necessitatis ratione nos tui pro te humilitatis hujus supplebimus officium. Absit, inquit; sed parate mihi: Et ego faciam saltem hac vice. Paraverunt igitur pauperes ante lectum suum in subselliis; & erexit se in cubitum, deinde in genua; & præcinctus lintheo lavit pedes omnium, lacrymis rigavit, capillis extersit; eleemosynam per singulos distribuit. Et cùm lavisset manus; reclinaverunt eum in lecto spiritu fatiscentem. Sic itaque permansit nocte sequenti pervigil; tam carnis sui passione quàm Christi compassione gratanter delectatus.

[a] Matt. XXVI. 26.
[b] Matt XXVI. 28.
[c] 1 Cor. XI. 29.

Successit feria sexta, quæ de passionis Domini piâ recordatione annuâ devotione fidelium recolitur. In hac die manum Domini propensiùs aggravavit super eum; ut carnis disciplinam non prætermitteret sed augeret, lacrymarum intemperans. In hac die factus est in agoniâ tanquam raptus extra se: totus positus in passione Christi. Tantam recolens & mente revolvens divinæ pietatis dignationem, quæ sic redimere delegerit genus humanum. Ne quid autem deforet passionum Christi in carne suâ in se transferebat devotione, qua poterat, opprobria, convicia, tormenta: ut Christo morienti commoriens, resurgenti conresurgere meruisset. Dum in his commoratur, & tanquam in frixorio totus confrigitur; accedit hora qua per ecclesias fideles Christi crucem ejus venerantes adorant. Expletis igitur horis & cæteris diei statutis officiis, postulat sibi crucem afferri. Quam cùm vidisset à longè; incurvatus quantum potuit pronus in terram adoravit, & dixit: Salve crux pretiosa, crux benedicta, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus tanquam margaritis ornata. Post hæc extensis manibus apprehendit eam, deosculans reverenter, & lacrymis rigans uberrimis. Et adjecit. O crux, ave spes unica post passionis tempora, te adoro in Domino Jesu meo; sed in te adoro speciale illud crucis signaculum, in quo Christus pependit & morte suâ de mortis auctore triumphavit. In honore ejus ac tuo Jesu Christe in memoriâ beatæ passionis tuæ adoro crucis tuæ signaculum, non tanquam opus manuum hominum, nec eo puro adorationis intellectu quo tu solus Deus adorandus es, sed tanquam passionis tuæ patibulum, mortis tuæ instrumentum, redemptionis nostræ adminiculum, conversationis novæ ministerium, quo scilicet mortificantes & crucifigentes tecum membra nostra quæ sunt supra terram cum viciis & concupiscentiis, nobis absit ultra gloriari nisi in cruce tuâ Domine. Te igitur, Christe, te principaliter, te singulariter adoro, te benedico; quia per crucem tuam redemisti mundum. Te adoro pro me incarnatum, natum & passum, mortuum & sepultum, tanquam hominem verum. Te adoro à mortuis resurgentem,

gentem, cœlos ascendentem, tanquam Dominum vivum & verum. Miserere nostri, qui passus es pro nobis. Et astringens crucem artiùs ad pectus suum, adjecit: Domine Jesu Christe, creator ac redemptor meus, non est in cœlo vel in terrâ medicus aut medicina languentis animæ præter sanguinem tuum pretiosum. Ideo pono passionem tuam & crucem tanquam malagma salutis unicum super cor meum & corpus meum. Ideo pono sanguinem tuum super vulnera mea; immo totam substantiam meam involvo sanguine tuo; ut qui de cœnulentâ mundi voragine te vocante sordidatus egredior, lavari merear & emaculari in sanguine tuo, salvator mundi. Et cùm addidisset: [d] *In manus tuas Domine commendo spiritum meum; redemisti me Domine Deus veritatis:* conticescens elanguit. Accedentes igitur qui assistebant, laxatis amplexibus amoverunt ab eo crucem. Et cùm accepisset communionis sacramentum; reclinaverunt eum in lecto, anxiùs observantes cùm Christo spiritum emitteret. Sed cùm soporatus jacuisset ad modicum; reviguit paulisper & resumpsit spiritum. In eâ tamen constantiâ mentis totâ die permansit, quæ de Annâ prædicatur, & vultus ejus non sunt ampliùs in diversa mutati. Paucis pauca loquebatur, intra se multò pluriora. Sed cùm se continere non possit cordis incendium; erumpebant per vices voces exiles, in quibus scintillabat foris quid intus pertractaret. Plenus enim Domino jam soli Domino loquebatur aut de Deo, misericordias ejus recolens, & gratias agens. Unde & hoc dixisse subintellectus est. Quid est Deus bone, Jesu pie, quid est quod fecisti nobis, quod pertulisti pro nobis? Regem cœlorum & Dominum quis appendit in patibulo? Utique Judæorum impietas invida, sed certe misericors pietas tua & pia misericordia. Vita vivens in te, in quo vita essent quæcunq; facta sunt. Quis vitam tuam tulit in cruce? Utique inolita tibi pietas & misericordia. Lumen indeficiens, splendor patris, & sol justitiæ, quis obtexit caligine radios tuos in cruce? Utique voluntas & misericordia tua, potestatem habens ponendi animam tuam & iterum sumendi eam. Et quia raptabatur mens ejus per singulas Dominicæ passionis actiones; variabat in contemplatione vocum prolationes. Unde tanquam à dextris respiciens: Ohe, inquit, quàm bene venisti Joseph ab Arimatheâ, vir bone, vir juste, quàm bene venisti obsequium præstare Deo in cœlo regnanti & in cruce perempto? Tolle de cruce, tolle Jesum meum. Tolle talentum mundi pretiumque pretiosum, in quo redempta sunt & restaurata universa. Involve reverenter, sepeli diligenter, abscondе thesaurum apud te lapidem pretiosum in exciso lapide. Absconde lucernam mundi ab oculis cœcorum; ut videntes non videant. Age securus, ne doleas, ne diffidas. Ponat Pilatus custodes ad ostium monumenti. Signent lapidem advolutum. Expecta modicum; venit hora, & videbis mirabilia. Resurget mortuus noster ex mortuis; lumen prorumpet è tenebris, quo lux veræ fidei convalescat, & paulatim impleat orbem terrarum. Quis dubitet in his verbis quid vir sanctus volveret in abscondito mentis? Cùm in talibus diem exegisset; vespere facto dixit cum Christo. [e] *In pace in id ipsum dormiam & requiescam.* Et resolutus est in somnium. Pausantibus igitur undique sociis, quos labor & dolor aggravaverat, post horam unam invalescens morbi stimulus bisacutus soporem ejus excussit; & cœpit anxius plangere. Appropriantes igitur qui lectulo præsidebant, expectabant si quid vellet vel aliquid diceret. Cohibuit autem planctum, parcens fatigatis. Cubicularii autem intuentes eum oculis clausis labia moventem, appositis auribus captant lene susurrium vocis exilis: Ait namque, Gloriam tibi Domine, quàm bene quàm justè fecisti somnolentiam meam excitare, qui non potui unâ horâ vigilare tecum. Nec decebat, ut servus empticius sterteret in lecto; dum redemptor ejus jaceret mortuus in sepulchro. Hactenus talia; deinceps verò quantum sentire datum est, quod facere solebat corporaliter cogitatu mentis qua potest devotus exequitur. Circa sepulchrum Domini versatur & excubat; vulnera ejus & mortem luctuosus adorat. Contuetur mulieres

[d] Psal. XXX. 6.

[e] Psal. IV. 9.

mulieres pias sedentes contra sepulchrum lamentantes & flentes Dominum, & collacrymatur. Cogitat discipulos latitantes, & contristatur. Inter hæc tamen exultat in spe, sperat in fide; securus quod redemptor noster descendat ad inferos, vectes inferni confringat, mortis principem debellet, captivitatem suam potenter eripiat, & ad carnem suam victoriosus redeat, in qua tertiâ die immortalis à mortuis resurgat. Sub hoc solatio residuum noctis soporatus exegit.

Cùm autem illuxisset Sabbatum, quod dicitur Sanctum; nec morbus cessaret viri sancti corpus decoquere, vires adimere; redit ad se, intrat in cor suum, scrupulosiùs scrutatur conscientiam suam. Et anxius ingemiscens & suspirans secum ait. [f] *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ.* Et advocans Priorem de Weneloc Reginaldum & David Diaconum, officiosos & familiares præ cæteris, ait illis: quid est quod facitis fideles amici mei? Quomodo neglexistis necessitates meas novissimas & majores, quas fidei vestræ commiseram? stupent & se mutuo contuentes hæsitant, quid intelligat. Et addidit. Nonne vos obnixiùs rogaverim; ut offensas meas memorantes ad memoriam mihi reduceretis tanquam negligenti nimis & obliviosо? Fecimus, inquiunt, pater ut potuimus. Et nescitis, inquit, aut parvipenditis, quòd habebam in domo canem nigrum albipedem curialem quidem sed tamen canem; quòd habebam cervum domesticum, arietem quadricornem, grues & pavones, vanitantium oblectamenta; quibus omnibus ego miser panem, quem ipse benedixeram, in mensâ projicere vel manubus meis porrigere consueveram: surreptor pauperum & languentium, quibus mensæ meæ reliquiæ debebantur. In quo facto culpâ meâ transgressus sum, & contempsi documentum evangelicum: [g] *quia non bonum est sumere panem filiorum & mittere canibus ad edendum.* Exemplum malum reliqui confessoribus meis, quos vel corrigere habebam vel ædificare. Ordinis mei honestati derogavi tantæ vanitatis & levitatis indicio. In hæc verba nudatus protulit virgas, dicens: Vindicate contemptum Dei; vindicate pauperes Christi, quibus fraudem feci. Vindicate fideles Christi, quos exemplo pravo destruxi. Cum igitur disciplinam fecissent parciùs quàm ipse voluit. Parcitis, inquit, virgis, dum mihi malè parcatis. Nec pietas ista temporis hujus erat. Et corripiens virgas propriis manibus supplevit, quod alienis non poterat. Cùm igitur talibus medicamentis assiduatis non solùm carni defectæ sed & ossibus & medullis dolorem inflixisset; angustias suas ultra supprimere non poterat; sed planctu gravi compassionem movit audientium; & dissolutionem sui corporis non solùm exoptavit, sed quantum licere putabat, Dominum gemitibus exoravit. Sed cùm accepisset, ut consueverat pro diebus sacris & ordinis instituto, communionem; modicum alleviatus repausavit. Venit vespere; redit iterum in se, recolens & pertractans sacratissimæ illius noctis beatitudinem, quæ sola meruit scire tempus & horam quando ab inferis Christus resurrexit. Gaudenter contemplatur devotas mulieres aromata portantes, obsequium pietatis sepulto Domino præstituras. Parat & ipse quæ potest in conscientiâ puritatis & orationum aromata; & cum procedentibus mente procedit. Angelos si liceat optat videre cum videntibus, testes resurrectionis audire cum audientibus.

Refulsit tandem dies Resurrectionis almiflua. Resonant undique in laudem Dei triumphatæ mortis gaudia. Hilarescit, quantum valetudo permittit, vir devotus; & exultat spiritus ejus in Domino salutari suo. Agnoscit veridicam magistri promissionem. [h] *Mundus gaudebit; vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Expletis igitur qua poterant novæ solennitatis officiis, percipit glorificati corporis sacramentum, plenâ fide creditus & credens se Christo veraciter incorporari. Deinceps securior expectat finem suum; jam solùm metuens, ne longiùs differatur; [i] *Cui vivere quidem Christus erat, sed mori lucrum.* Comites igitur ejus tam providi quàm soliciti projectâ jam spe convalescendi, accedunt ad eum, quærentes quid de corpore suo faciendum

[f] Psal. XXXVIII. 6.

[g] Matth. XV. 26.

[h] Joan. XVI. 20.

[i] Philip. I. 21.

faciendum decerneret. At ille humiliter indignatus. Obruite, inquit, ubilibet in scrobem depressam cadaver indignum; & restituite vermibus hæreditatem suam. Quo dicto videns eos confusos magisque contristatos, mutavit responsum & ait. Habetis ad manum Archiepiscopum nostrum; per illum definite quod à me requiritis. Consultus igitur Archiepiscopus hortatur; quòd si quo modo possent, tollerent corpus ejus & redderent Ecclesiæ suæ. Redeunt certiores, & provident quæ necessaria fore perspiciunt, nihil suspicantes de imminenti contradictione. Feriâ secundâ visitatus est à Domino Papâ Eugenio, qui lectulo ejus assedit in terram, manus ejus & pectus attrectavit. Flevit super eum, quasi pia mater super unicum filium suum. Consolatus est eum in verbo Dei. Elemosinarum ejus dispositionem & testamentum confirmavit. Postremò confessionem ejus suscepit, auctoritate Apostolicâ absolvit & benedixit. Cùm igitur intra spatium XLVIII dierum ægritudinis ejus visitatus esset frequentiùs & absolutus ab Archiepiscopis, Episcopis cæterisque sacri Ordinis personis; plenus dierum obdormivit in Domino Anno ab incarnatione Domini MCXLVIII. XVI Kalendarum Maii.

CAP. XXVI. Cùm autem vir sanctus pretiosam Deo reddidisset animam; facta est dissensio non modica inter Clericos Episcopi & Monachos Remenses de corpore tanti Pontificis, quibus thesaurus ille tantus justiùs obveniret. Magnis autem utrinque rationibus justitiam suam tuebantur; nec tam turpe quàm damnosum vinci pars quæque reputabat. Nimirum pretiosas in corpore reliquias haberi non dubitabant; cujus vita tam sancta, tam gloriosus exitus fuisset. Unde non facilè sedata lis tanta fuisset; nisi quia strenuos & devotos comites vir sanctus habuerat, qui per Cardinales Episcopos evicerunt; ut per Apostolicam jussionem ejus corpus asportandum cederetur. Cùm igitur aromatibus conditum tolleretur è civitate corpus almificum; incredibile fortasse videbitur quanto luctu quantâ gloriâ prosequeretur non civitas sola Remensis, sed totus penè confluus orbis. Sed & hoc mirabile dictu, quia quacunque transiret in die, quocunque locorum vespere perveniret, corpus ejus venerabile prævolante famâ tanto planctu & exequiarum impensâ suscipiebatur; ac si omnium pater fuisset & Episcopus, & omnes in unius transitu orbati fuissent.

CAP. XXVII. Cùm igitur corpus perlatum esset ad portum maris, & in Ecclesiâ Sancti Nicolai in feretro compositum; affuit mulier de finibus illis egressa filiam bajulans ægrotam. [*Succedit miraculum de sanatâ puellâ.*] Hæ sunt primitiæ signorum, quibus Dominus Sanctum suum mirificavit. Mane facto navique paratâ corpus sanctum imposuerunt; & flante pro voto aurâ captatâ libero cursu Doroberiam applicuerunt. Suscipe fœlix Anglia sinu læto thesaurum tuum impretiabilem; & magnifica Deum, qui te tanto deposito beatificavit. Noluit enim justus judex; ut quem educaveras, quem in viâ justiciæ lucernam hactenus habueras, ejus præsentiâ corporali privareris. Neque enim parvum ex eo sperandum est tibi patrocinium, à quo tantarum accipere meruisti exempla virtutum. Crede secura, prædica, venerare sanctitatis ejus merita gloriosa; quibus ne dubites contestantur vera miraculorum testimonia. Quæ ne posteris surripere possit antiquata veritas; operæ pretium duximus in consequentibus litterarum commendare monimentis, in quibus nova semper vivit & allabentibus sæculis reparatur antiquitas.

CAP. XXVIII.

CAP. XXVIII. Crebrescente igitur undique famâ tanti obitûs Pontificis & recentis miraculi, factus est concursus populorum, in quorum mentibus formavit pietas secundùm geminam materiam diversos affectus, dolorem & gaudium, planctum & plausum. Præcurrente perinde famâ celeberrimâ magno processionum apparatu & pietatis affectu susceptum est ubique corpus almificum, Cantuariæ, Roffæ, Lundoniis, sicque toto tractu restantis itineris usque Herefordiam. Nec se hominem æstimaret humanum, quicunque in toto itinere vel Nobilis vel Episcopus occurrisset; si non feretro humeris subjecto pietatis officium præstitisset. Ad evidentiam tamen meritorum ejus singulariter memorandum puto singularem planctum; quem fecit super eum Lundonia civitas Angliæ major & populosissima, in qua Regis & Optimatum fieri solet conventus frequentior. Die qua venerabile corpus ejus apportabatur, erat Lundoniis Henricus Wintoniensis Episcopus frater Stephani Regis, vir illustris atque magnificus. Hic præfatum Episcopum intimo dilexerat amore; & sicut honorabilem agnoverat, sic honoratum in omnibus habebat. Cùm audisset igitur, quod dilecti dilectoris sui corpus afferretur, quem jam nuper obisse defleverat; exiit foras longiùs in obviam. Et cùm appropinquâsset; misit se in pedes, & comitatus ejus cum eo. Et cùm suscepto debitâ veneratione corpore absolutionis officium incœpisset; tanto spiritus impetu compunctus est, ut quatiente singultu vix verba dimidiata proferre potuerit. Expleto tandem quod competebat officio, convertitur ad planctum. Dolet & dolendum prædicat virum tantum sullatum è medio. Et heu, inquit, quomodo perdidimus florem ordinis nostri, virum sanctum, virum prudentem, virum amicorum, sine dolo, sine venalitate, strenuum Ecclesiæ propugnatorem, & columnam immobilem, exemplum totius honestatis & constantiæ, puritatis & castimoniæ. Revera peccatis nostris exigentibus tetigit nos manus Domini, nec pepercit. In hæc lamenta procedit pedibus usque Lundoniam; pertransit pedibus Lundonie latitudinem, quàm spetiosa est, usque templum Domini. Ingredientibus civitatem circumtonant undique classica tanto fragore concrepantia; ut aures obsurdescentes vix possent terrificum sustinere mugitum. Occurrunt undique processiones cujusque ordinis flentes & psallentes. Augent planctum turbæ civium concurrentes, & complosis manibus lamentantes virum quem noverant, quem amaverant, cujus honestatem, munificentiam & religionem agnoverant. Cúmque viderent Episcopum Wintoniensem virum nobilem & sullimem pedibus incedentem, lacrimis affluentibus faciem & barbam irrorantem; duplicant lacrimas pietatis, & dicunt. [a] *Ecce quomodo amabat eum?* Postulantibus autem benedictionem respondebat: Benedictionem fratris non habeo. Hoc autem dicebat, deferens sanctitati ejus qui defunctus ferebatur. Benedictionem, inquit, non habeo; sed hic quem bajulamus. [b] *Hic est qui accepit benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.* Orate pro eo; & impetrabit vobis benedictionem à Domino. Tali venerationis obsequio perlatum est corpus ad templum Domini. Dum feretrum collocant, luminaria provident, vigilias ordinant; Regina tumultu civitatis attonita cùm occasionem didicisset, descendit de solio lugubris & neglectior. Egreditur visitare corpus Episcopi, quem viventem sinceriter amaverat. Rex itidem, qui foris agebat in rebus, audito corporis adventu relictis negociis imperfectis equo citato festinus accelerat. Convenientibus igitur in templum, innovatus est dolor & planctus. Sedentes è diverso mutuis lamentis plùs excitantur. Effluunt lacrimis, singultibus succutiuntur; & tanquam obliti regiæ dignitatis & modestiæ, eluctatis ejulatibus inconsolabiliter irrugiunt. Recordatio surreptæ probitatis stimulos instaurat conceptis doloribus. Aiunt namque, Heu quomodo mutilati sumus in morte viri incomparabilis, irreparabilis, maturi consilii, fidelis amici? Ubi relictus est nobis similis

[a] Joan. XI. 36.

[b] Psal. XXIV. 5.

similis consiliarius, non acceptor personarum, sed examinator causarum, libram tenens justitiæ, nec refragator misericordiæ? Videres hinc regem David cooperto capite lugentem filium suum Absalon: Videres illinc Rachelem plorantem filios suos & nolentem consolari, quia non sunt. Videns tandem Episcopus regium planctum modum excedere, accessit; & inconsolatus ipse consolans eos prudenter egit; ut tandem discederent: quia magna restarent circa corpus obsequia. Ille autem, sicut præordinaverat, collectam præter numerum pauperum multitudinem cibis & potu copiose refecit. Diluculo celebratis Missarum solenniis, tollunt corpus & recedunt. Nec cessavit in itinere viri sancti meritum gratiam sanitatum impendere; quæ portitorum & commeantium festinantia minùs advertit, sed debilium sanitas restituta veriùs comprobavit.

CAP. XXIX. *Miraculum de puero Eveshamensi sanato.*

CAP. XXX. Denique cùm planctu prosequente miserabili, corpus sanctum susceptum esset in Ecclesiâ Herefordiensi; factus est etiam concursus pauperum ejulantium atque clamantium: Heu, heu, pater orphanorum, sustentator pauperum, quomodo dereliquisti nos? Quis consolabitur nos post te? Quis eripiet de famis angustiâ? Comites igitur fideles in finem emptis in foro cibariis consolati sunt lugentes die illâ & crastinâ; donec pio patri debitum impenderetur sepeliendi officium.

Sepultus est in Ecclesiâ suâ matrice, quam ipse multâ impensâ & sollicitudine consummavit; ipse Solomonis exemplo solemnissimè dedicavit, adhibitorum secum septimus Episcoporum; & tam reliquiis Sanctorum quàm ornamentis & vasis pretiosis adornavit: ut dicere veraciter possit cum Psalmistâ. [a] *Domine, dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Sed quoniam humanis laudibus divina contestatio fidem comparat invincibilem, juxta Psalmistæ vocem. [b] *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*; operæ pretium duximus litteris prosequi; quæ viri sancti gloriosum finem miracula subsecuta sint; ut cùm defecerit vel siluerit lingua dolosa, littera loquatur omnem veritatem. Veritatis enim præconia etiam adjuratus tacere non possum.

[a] Psal. XXIII. 8

[b] Psal. XCII. 5.

CAP. XXXI. *Miracula, quæ subtexuntur, fastidium magis quàm fidem paritura, prætermisi.*

Successio Priorum Lanthoniæ ex Historiâ Prioratûs Lanthoniæ MS. in Bibliothecâ Cottonianâ. *Julius D.* II.

WIllelmus miles Hugonis de Laci, & Ernisius Capellanus Matildis Reginæ, sæculo relicto vitam Hermiticam simul apud Lanthoniam ducere cœperunt anno MCIII. & Ecclesiam ibi construxerunt, quæ in honore S. Johannis Baptistæ dedicata est ab Urbano diocesano Episcopo & Ramelino Herefordensi anno MCVIII. Paulò pòst suadente potissimùm Ernisio plurium sodalitium sibi asciverunt, & consentiente Anselmo Archiepiscopo Canonicorum Regularium Cœnobium instituerunt. Cœnobio recèns fundato Ernisius Prior electus est, & à Dioceiano Episcopo confirmatus.

Ernisio defuncto successit Robertus de Betun; qui aliquanto post tempore ad Episcopatum Herefordensem translatus est.

Robertus de Braci successit, qui Conventum Lanthoniensem à Walensibus

 graviter

graviter infestatum transtulit à Lanthoniâ ad locum quendam extra urbem Glocestriæ, qui Hyda dicebatur, à Milone Constabulario Comite Herefordiæ donatum; ibique Cœnobium & Ecclesiam admirabili celeritate constructa nomine prioris sedis *Lanthoniam* appellavit. Ecclesiam dedicârunt Simon Wigorniensis & Robertus Herefordensis Episcopi anno MCXXXVI. in honore beatæ Dei genitricis Mariæ.

Roberto defuncto Willelmus de Wycumbâ, Roberti Episcopi Capellanus, canonicâ electione substitutus est; qui post annos aliquot Rogero Comiti Herefordiæ, Cœnobii Patrono, ob vellicatam peculiari scripto Milonis patris famam, & Monachis suis ob austeritatem nimiam exosus factus, Prioratu cedere compulsus est; & residuum vitæ apud Fremam unici Canonici sodalitio contentus exegit.

Clemens Supprior, in Willel. locum electus, magistratum pluribus annis tenuit.

Rogerus de Norwich, loci Subprior, successit. Iste in extremâ ætate paralisi correptus quendam Clericum magni nominis apud Bristoliam in obsequio Roberti Hardingh tum temporis degentem & Medicinæ scientiâ celebrem, cui nomen erat Galfridus de Henelawe, sibi accivit, donis amplissimis cumulavit; & ad obitum usque, qui die XVII. Cal. Novembr. contigit, penès se retinens, carissimum habuit; & in extremis agens successorem sibi designavit.

Galfridus de Henelawe post Rogeri obitum Prioratum sortitus est.

Episcopus Menevensis factus est anno MCCIII. Qui sequuntur Priores, à recentiore manu additi sunt.

Martinus, Prior octavus.
Rogerus de Godestre, Prior nonus.
Walterus, Prior decimus.
Stephanus, Prior undecimus.
Philippus, Prior duodecimus.
David, Prior decimus tertius.
Thomas, Prior decimus quartus.

Suspecta est mihi Successio Priorum Lanthon. post Galfridum. In aliis enim historiis & monumentis occurrunt nonnulla de Prioribus Lanthon. quæ cum hisce minimè conciliari possunt. Ad illustrandam itaque Historiam Lanthon. & ista & alia quæ de Prioribus Lanthon. invenire potui, visum est subjicere.

Prior Lantoniæ ad Abbatiam Bardeniensem promotus est anno MCCXIV. *Annal. Dunstaple.*

Johannes Prior obiit anno MCCXL die XXIX. Decembr. *Annal. Teokesbir.*

Prior Lanthoniæ resignavit anno MCCLI. cui successit

Everardus, ejusdem loci Canonicus, *Annal. Teokesbir.*

Petrus Prior depositus est ab Abbate Cluniacensi. Illi successit

Reginaldus de Jor, qui præfuit anno MCCXCIII. *Claus. 21. E. 1. m. 29.*

Willelmus Prior fuit anno MCCXCVII. *Prynn. collect. vol. 3. p. 707.*

Thomas de Gloucestriâ Prior resignavit ineunte anno MCCCI. *Regist. Winchelsey.*

Willelmus Prior anno MCCCLVIII. *Regist. Islip.*

Thomas de Elinham Prior, scripsit anno MCCCCXV. Chronicon à Bruto ad sua tempora, MS. in Bibliothecâ Cottonianâ, *Claudius E. 4.* Item Historiam metricam carmine Elegiaco de gestis Henrici V. Angliæ Regis, MS. in Bibliothecâ Regiâ Westmonasteriensi.

Henricus Dean, ex Priore Episcopus Bangorensis factus ann. MCCCCXCVI. Prioratum simul tenuisse videtur. Anno enim MCCCCXCVIII. Henricus quidam Prior Lanthoniensis in Registro *Morton* memoratur.

RICHARDI

RICHARDI
MONACHI BARDENIENSIS
LIBER
DE VITA
ROBERTI GROSTHED
EPISCOPI LINCOLNIENSIS.

ACCEDUNT,

Vita ejusdem ex Annalibus de Lanercost.
Epistola Decani & Capituli S. Pauli London. ad Clementem V. Papam de Canonizando ROBERTO GROSTHED.
Epistola Giraldi Cambrensis de laudibus ROBERTI GROSTHED.
Indiculus Scriptorum ROBERTI GROSTHED.

VITA Roberti Grosthed, Episcopi Lincolniensis.

Authore Richardo Monacho Bardeniensi.

Epistola ad Reverendum in Christo Patrem Willelmum Smyth, Dei Gratiâ Lincolniensem Episcopum, de vitâ & actibus dicti Pontificis Roberti Grosthede.

CAPITULUM I.

Lincolniensis apex Præsul Salveto Wilelme,
Clara sacerdotum gemma, lucerna gregis.
Est tua vita decens; tibi sit jocunda senectus,
Jugis prosperitas, continuata salus.
Te Deus elegit vas nobile, vas in honorem,
Vas speciale sibi, vas generale suis.
Jam precor, o præsul, quem cœlica fama venustat,
Suscipe quod scribo Bardeniensis ego.
Nullus ad authorem respectus fiat honore
Thematis; hoc Lector experiatur opus.
Sum Monachus. Pater aspira metro; quia pennâ
A te correctâ scandala nulla timet.
Thema sacrum festinat opus non author; honestas
Materiæ celebris materiata juvat.
Dive vale, decus Ecclesiæ, dispone precanti
Portum, naufragium tolle, faveto rati.

CAPITULUM II.

Gaudeat orbis ovans, lætetur floris odore;
Quem colit in pratis Anglia læta suis.
Continet in gremio florem Lincolnia sponsa,
Cujus odore novo jam juvenescit homo.
Montibus excelsis Domino Lincolnia laudes
Det, jubar Angelicum qua nitet ecce novum.

Sponsa

Sponsa novas laudes Lincolnia sumpsit ab ore
Roberti Grosched Præsulis egregii
Ut rosa flos florum, Cleri flos sic fuit ille,
Lincolniensis apex, quem colit orbis ovans.
Quique Deum coluit exemplo, dogmate vocis,
Laude; relativo gaudet honore coli.

CAP. III. De Somnio matris suæ prægnantis.

QUI qualis quantus Præsul foret ille futurus,
Judicium gratum partus erat pueri.
Imprægnata parens patitur per somnia multum;
Quòd nihil in ventre sit nisi grande caput;
Et tam grande caput ac tanto robore forte,
Quòd puer ex utero fultus abit baculo.

CAP. IV. Præsaga futurorum in puero.

Quid sibi vult uterus pariens, Ecclesia dictat,
Fœcundata suâ prole placente Deo.
Quid caput in ventre, nisi quòd puer ille paratus
A Domino dante sit caput Ecclesiæ?
Grande caput fuit hoc; quia grandiloquus nitet iste.
Hinc *Caput* hunc *Grossum* plebs vocat historicè.
Robore vir fortis, fidei radicibus hærens.
Sic bene Robertus nomine reque valet.
Quid sibi vult baculus, quam matris somnia præstant?
Nam Deus elegit hunc sibi Pontificem.
Hunc Deus elegit; ut ovilia dogmate pascat,
Exemplo foveat, commoditate juvet.

CAP. V. De loco ubi natus fuit.

PRimævis tunicis rosa dedignata teneri
Exiit florigero cortice spirat odor.
Ex agro veteri virtutum semina, morum
Plantula, justiciæ pullulat ampla seges.
Nascitur in Stoia, quasi sanguine clarior arte.
Quod natura negat, moribus accumulat.
Pullulat in flores natura labore ministro.
Egregios mores condidit abs tenebris.
Militat in puero gravitas matura, stupescit
Pauca dies tenerum tempore, mente senem.
Gente suâ minor est annis, sed major honesto
Proposito, merito, simplicitate puer.

CAPI-

CAP. VI. Quòd mater ejus agens in extremis, instruxit eum bonos mores.

Dum mater genitum videt & præcordia vitæ
Indolis; emergunt gaudia, vita placet.
Non sibi sed nato mater vult vivere; quamvis
Amplius esse negat, non negat esse parens.
Ergo vocat puerum, qui gloria sit speculumque
Matris supernæ sollicitudo frequens.
Sic ait ad natum. Jubeo conamine toto,
Ex animâ totâ dilige corde Deum.
Atque precor mea jussa libens intellige matris.
Expedit in morte fructificare preces.
Nunquam crede gulæ, cui crapula servit, obedit
Gustus, adulatur suavis in ore sapor.
Non sis sollicitus animæ quid detur in escam.
Sed debet tolli cura timorque tibi.
Nulla laborat avis, nec mandat semina terræ;
Attamen à Domini pascitur illa manu.
Quære Dei regnum priùs, & præcepta sequaris
Ejus; & addentu à Patre cuncta tibi.
Paupertas si læta venit, lætissima fiet.
Inter delicias munera sumpta ligant.
Vive puer, valeas; benedictio plurima summi
Patris te patriâ sedulitate regat.

CAP. VII. De loco ubi nutritus fuit Groshede.

Pauperibus trabeatus avis puer iste parentis
Post obitum, panem vendicat ore suum.
Tandem quem Stoia lavit, Lincolnia pavit.
Ac tenuem victum dat nova terra sibi.
Est habitu vilis, & vultu sordet, amictu
Pauper & incultus, pallidus, esuriens.
Sed bonus in Domino teneris puer inclitus annis,
Pastor erat pecudum, qui fuit hinc hominum.
Angelus ingenio, pecudes per devia minans
Rithmicare solet, quùm nihil artis habet.
Quùm nihil artis habet, metris simul ille scolares
Omnes præcellit, Anglica verba sonans.

CAP. VIII. Quomodo Grosthed adolescens fame captus mendicabat.

ESurit interea mendicus, & hostia pulsat
Cujusdam civis, qui Prior urbis erat.
Vir cernens inopem, deformem crine, corosum
Vestibus, hæc loquitur ridiculosa satis.
Gustus edax, ventris venator, prædo crumenæ,
Irato vacuas increpat ore minas.
Est *Rogo* vox miseri, vox importuna pudoris,
Prodiga mœroris, plena favoris egens.
Est *Dare* lætitiæ vox, verbum nobile, verbum
Mellifluum, dantis gloria, dantis honor.
Ridens alloquitur deformans ora cachinno.
Sic ait ad juvenem. Accipe quod dabitur.
Fœderis hoc pacto fructum tibi sume caponis:
Quòd nunquam Præsul istius urbis eris.

CAP. IX Sed noluit iste Grosthed Dei gratiam vendere.

VIx homo perversam poterat finire loquelam,
Et recolit Juvenis verba respersa gulæ.
Est, ait, O Domine, cibus aspidis iste peremptus;
Quem renuo, matris cœlica jussa sequens.
Pestiferos non gusto cibos; me gratia pascet
Deliciis, potu, veste, sapore, cibis.
Spe lucri nolo Dominum tentare; videtur
Gratia venalis, emolumenta petens.
Est cibus iste tuus capo; sed gratia nobis.
Omnipotens redimat prosperitate malum.
Do Domino grates in paupertate famescens
Faucibus; & celebro sospite mente Deum.
Est preciosa fames, sequitur quam gratia Christi,
Quem colo, quem veneror. Munera sumpta ligant, &c.

CAP. X. Quomodo Major Lincoln. remisit pro insigni Grosthed.

GAudet, abit juvenis, jejunus corpore panis.
Comprimit inde famem, depulit unda sitim.
Ad Juvenis reditum Major respirat, amicat
Blanditiis; verba non meminisse nequit.
Dum recolit dicta; dolor excitat, ungue capillos
Fulgurat, & famulum convenit; ista jubet.
Vade, voca juvenem; comedat, bibat & requiescat.
Militat in Juvene (spe comitante) Deus.

Mente

Mente ſuâ minor eſt nobis, ſed major honore,
Sobrius & juſtus, officioſus, amans.
Hunc Deus elegit vas nobile, vas honorandum,
Vas ſpeciale ſuum, vas generale ſuis.

CAP. XI. Ad inſtantiam Majoris redit Groſthed.

MAjoris famulus abiens percircuit urbem,
Explorans vicos; invenit & Juvenem, &c.

CAP. XII. Quomodo Major eum benignè ſuſcepit.

HIs dictis rediit Juvenis, comitis celebrator,
Mente Deum grates accumulare ſtudens.
Hoſpitium pulſat, ſimul intrat tecta, ſalutat.
Occurrit Major, & ruit in lacrimas, &c.
Offert delicias Major, juveniſque reſignat;
Matris conſilii degener eſſe negat.
Partitur pietas Majoris prandia multa.
Dat feſtina dapes menſa, lagena merum.
Sic ait; O Juvenis vinum bibe fronte benignâ
Quod dabitur. Redolent dantis amore dapes.

CAP. XIII. Delicias reſpuit, exhibitionem petendo.

ALloquitur Juvenis Majorem: prandia nolo.
Conſilium matris nunc meminiſſe juvat, &c.
Non epulas tales ſumam vel pocula. Quæſo,
Des mihi ſubſidium, unde ſtudere queam.
Pauperies quod noſtra nequit, tua nempe facultas
Suppleat. Aggrediar, te miſerante, Scholas.

CAP. XIV. Hîc Major Lincoln. concedit illi exhibitionem.

AUdit eum Major, nec tardat mittere ſervum
Uſque Scholas: Doctor curſitet inde citò.
Doctor adeſt; & ei juvenem committit honeſtum;
Ut doctrinetur moribus arte ſimul.
Ne dubites, ait, ipſe dabo condigna laboris
Præmia; tu juveni conſule, confer opem, &c.

CAP. XV. Præ cæteris Groſhed in Grammaticâ Lincolniæ viget.

NE lateat jubar angelicum ; Lincolniæ floret
Roberti titulus, nomine Grande Caput.
Mira patent. Juvenis novitas oblita dierum,
Obſtupet in juvene delituiſſe ſenem, &c.
Grammaticæ præcepta capit, ſuperando coævos,
Qui tegitur fragili cortice, ſpirat odor.
Quomodo diverſas ſpecies vox indicat una ;
Indulgens ſtudio ſcripſit & hoc docuit, &c.

CAP. XVI. Poſtea Cantabrigiæ ſcientias ſtuduit liberales ſtudioſiſſimè.

DOctrinæ titulo florens, ſenſu juvenili
Inclitus & docilis, alta colit ſtudia.
Doctrinam cupiens, quæ Cantabrigia dictat ;
Ut Gallus vigili præcinit ore diem.
Sollicitatque manum, mentem manus excitat, urget
Ingenium ; ſenſus applicat ille ſuos.
Ut granum de meſſe ſibi, de fonte ſalubri
Pocula, de doctis dogmata mente legit.
Inſomnes animi motus vigilemque Minervam
Excitat in ſtudiis ſedulitate ſuâ.
Latiùs inquirens intrat penetralia mentis,
Principio clarus, clarior ecce ſtudet.
Subtilis multùm prætenditur ille ſophiſta ;
Prodigiis tentans vendere falſa ſuis.
Monſtrat Elenchorum pugnans Logicæque duellum,
Falſa negans : verus ille fuit Logicus.
Qualiter ars Logicæ tanquam via dogmata clauſis
Oſtendit, reſerat ; & legit & docuit.
Rhetoricus bonus egregius fuit iſte Robertus.
Excitat atque monet, inſtruit in brevibus.
Argumenta notat, probat, exprimit, aſtruit, infert.
Sermonis claudit ſingula laude ſuâ.
Deſtruit, informat, diſſolvit, diſſipat, urget.
Orator grandis, Rhetor erat rigidus, &c.

CAP.

Cap. XVII. Hic Epiſcopus Sarum conducit Groſthede ad nonam Lectionem Romæ in Feſto S. Petri legendam; qui in unâ nocte Romam adiit & revenit.

Res miranda nimis: Præſul Saresburienſis
Multùm debilitat, ſed ſacra pacta timet.
Antea promiſit Papæ ſolennia Romæ
In propriis per ſe concelebrare Petri.
Sic ait, nec meminit ſenio confectus & æger.
Flevit promiſſa; tempus adinſtat ei.
Præſulis adventum veneratur Lectio nona:
Et feſtum Petri prævenit una dies.
Quid moror? Hic Præſul Robertum convocat iſtum;
Munera promittens; fœdera narrat ei.
Novi quòd Papa numerat mihi tempus & horam;
Ut ſibi promiſſâ laude ſalute feram.
Tempus adeſt; nec quid faciam ſcio. Pande, precamur,
Ad decus Anglorum dogmata quæ tua ſunt.
Sic ait; & precibus aſſenſum præbuit ille.
Ne laus Anglorum claudicet orba fide.
Ne timeas, O Præſul, ait; vos arbiter alti
Conſilii mecum concomitatur iter.
Ducet & adducet citò me: ſoſpes remeabo,
Omnia conſummans proſperiore gradu.
Quomodo neſcitur aut qualiter, iſte Robertus,
Ad talem curſum proſperè frænat equum.
Nox venit, & inſtat celebrata Vigilia Petri.
Tunc maturat iter Clericus iſte ſuum.
Digreſſurus ave geminat, tonat Anglia tota.
Procedunt comites Clericus atque Beal.
Æthercam lucem ſuperans, jam ponit in altum
Greſſus ille ſuos; & via prima placet.
Altius aggreditur ſpatium, quo ſplendor & ignis
Jura tenent celſis; arbiter implet opus.
Pungit equum ſeſſor; & concitò tendit in illud,
Sol ubi jura tenet, pullulat unde ſalus.
Tandem cautelæ ſtudio regione potitur,
Quam Venus & Stibion oſcula dando colunt.
De qua progreditur flammata palatia Martis;
Stupet & inſultus quos paret ille locus.
Tunc Jovis innocuos ignes luciſque ſerenæ
Lætitiam tentant; exhilaratur homo.
Saturni latebras tractans ſeſſore volente
Sorte ſuos greſſus dirigit ad ſuperos.
Lucis inoffenſæ ſpatium fontemque nitoris
Ingreditur promptus. Arbiter ille fremit:
Seſſori loquitur; Benedic tibi, vel morieris.
Ad mare ſubmerſus imprime ſigna tua.

Vade Beal, ait iste studens, iter istud in ævum
Talia signa timet; siste gradum jubeo.
Verbum pondus habet Jubeo: paret Arbiter, intrat
Ima petens Romam, Clericus Ecclesiam.
Hospitis adventum miratur Lectio. Captat
A papâ Benedic; mos velut est patriæ.
Nec mora; distinctè legit, sed mente sepultâ
Nidi pro vidi; risit & ille chorus.
Nidi pro vidi, Lecturam non bene vidi;
Clericus ingeminat, Angelus ingenio.
Alloquio suavis redolet dulcedine vocis.
Mirantur omnes, qualis & ille fuit.
Dum legit, inter eos mirantes quæstio vergit.
Discutiatur enim Spiritus est an homo.
Non potuit, dicunt, sic voce loqui malus hospes.
Absit, ut Angelico peccet in ore labor.
Lectio finitur; abscindit cuspide cultri
Quod legerat folium: nec mora, cingit equum.
Sessor equum stringit sine fræno. Clericus iste
Ad patriam subitum præmeditatur iter.
Accelerat, natalis humi dulcedine gaudet
Clericus, ad manes currere cogit equum.
Præsulis hospitium videt, intrat tecta, salutat
Patrem progrediens exiguosque lares, &c.

CAP. XVIII. Præsul Sarisburiensis Grosthede remunerat ei valedicens.

DUm nullis Præsul precibus nec amore teneri
Sentit eum, mœstâ sedulitate favet.
Aureolam donat, simul oscula porrigit, ornat.
Obsequiis, onerat rebus, honorat ope, &c.

CAP. XIX. De Studiis Grosthede in Oxoniâ.

OXoniæ studia noviter colit iste Johannes
Clericus humanâ laude nitescit homo.
Plaudit & Oxonia, collum ligat, oscula jungit.
Fœlicem laudat nobilitas studii.
Præcellens studiis omnes ratione peritos,
Plùs aliis sensu clarus in urbe fuit.
Quicquid in arboribus, virgultis, floribus, herbis,
Seminibusque latet, præcinit iste studens.
Omnes naturas pecudum cognovit, & omnis
Reptilis, & vermis omnis, & omnis avis.
Invenit voces, quibus allevare solebat
Ægrorum morbos, subsidiumque dabat.
Obvia spiritibus invenit verba malignis.
Inde fugabat eos, nec remeare fovens.

Deque

Deque Characteribus fuit Author, quos pretioſis
Inſcripſit gemmis, mira potenter agens.
Utilis Anglorum fuit iſta ſcientia genti.
Oporciſta fuit; perficit inde bonum.

CAP. XX. De æneo capite, quod Oxoniæ fecit Groſthede ad dubia quæque determinanda.

SOlus naturæ ſtudii quæ ſingula ſparſim
Munera contulerat, colligit iſte ſtudens.
Carus, amans, docilis, & in omni floruit arte,
Ut patuit, quando ſecit ab ære caput.
Indulgens operi, mentem deducit in actum
Quod mens intus habet, prædicat exteriùs.
Fabricat ære caput, dum claruit arte Magiſter,
Quod coluere ſimul tempus & ordo, locus.
Tempore Saturni loquitur Saturnia proles
Corrigit errores, conſulit in dubiis.
Sic vis naturæ ſapientis vincitur arte.
Quòd pictura loquens dogmata multa ferit.
Sed gravis eventus, caſus miſer: ordine quodam
Dum caput erigitur, corruit ima petens.
Infra ſe patitur, nec ſeſe ſuſtinet; immo
Pondere ſub proprio mole ſuâ premitur.
Scinditur in cineres: plangit Saturnea proles.
Nec manet ulteriùs forma recens capitis.
Dicunt vulgares, quòd adhuc Lincolnia mater
In voltâ capitis fragmina ſervat ea.

CAP. XXI. Quomodo pœnituit Groſthed ſtudii ſcientiarum inhibitarum.

HIs monitis ſubpreſſa viri prudentia magni
Reſpuit hæc ſtudia, dum cupit inde nova, &c.
Acclamat vulgus, ut in ordine Presbiteratûs
Gaudeat alta ſtudens; ſed negat ille timens.
Rex jubet, hoc ſentit; ſic gens generoſa, fidelis
Urget eum Clerus. Presbyter efficitur.
Dat tibi Præbendam primam Lincolnia mater;
Quam bene Cliſtona ſolvit in Eccleſiâ.

CAP.

CAP. XXII. Quomodo Magister Grosthede Doctor efficitur Theologiæ.

LÆtitiæ studia, quibus ardet grata juventus,
Omnia deponit nobilis iste studens.
Sic ait. In fragili lusit mea pagina mente.
Mens lasciva nitens in sua damna volat.
Majorem nunc tendo liram; studium renovabo.
Cœlesti Musæ plectra parat cithara, &c.
Sic Scripturarum mustum bibit atque propinat;
Quòd doctus fuerat, & decus orbis erat.
Doctrinâ probitate simul vir nobilis iste
Robertus Grosthed Doctor in orbe nitet.

CAP. XXIII. Grosthede reipublicæ multùm utilis ab omnibus amatur; in negotio saltem regio occupatus.

DUm floreret adhuc studiis ætate virili
Clericus, ad Regis cogitur obsequia.
Mente senex, ætate virens, sine fraude fidelis,
Dogmate præcellens, Regis amicus erat.
In Regis mensâ prior inter Regis amicos
Efficitur. Probitas emerat illud ei.
Secretarius hic Regi, Custosque Sigilli
Postea Privati, Rege jubente, fuit.
Ejus consilium, doctrinam Rex veneratur.
Prudens & verus & vir honestus erat, &c.

CAP. XXIV. Quomodo eligitur Episcopus Lincolniensis.

ORba suo sponso plangens Lincolnia sponsa,
Hunc sibi Robertum clamat, amore calens, &c.
Hunc plebs, hunc proceres, hunc plurima turba potentum,
Robertum dignum Præsulis arce ferunt.
Fama citat laudem, laus præmia, præmia mentem,
Mens studium, studium dogmata, dogma decus.
Sponsa decora nimis Lincolnia languet amore
Illius, & Regi supplicat absquè morâ.
Audit eam Rex, & ad amatam mittit amatum.
In mediis precibus Præsul & efficitur.
Per vicos populus canit, Alleluia plateæ
Præsulis adventum flore, favore, colunt, &c.

CAP. XXV. Quomodo ſe habuit in Epiſcopatu.

PRæſul & ille pater miratur nobile Templum ;
Et congaudet ei, quam beat omnis homo.
Hæret in hanc oculo ; ſed nec minùs hæret amore.
Totum prædatur ſponſa venuſta virum.
Dedicat Eccleſias, pueros confirmat ; & omne
Præſulis officium diſſimulare negat.
Deſudat virtutis agro cœleſte talentum.
Multiplicans patris horrea meſſe replet.
Quadrata virtute ratus præcepta ſalutis
Prædicat ; & geminat proximitatis opem.
Et linguæ cognata manus documenta maritat.
Rebus honeſtatis conjugatoris opes.
Sic mentes recreat & corpora, dogmate mentem,
Corpora ſubſidio ; paſcit utroque Deum.
Defunctos ſepelit, vivos ſuſtentat ; & omni
Obſequio pietas officioſa viget.
Obſequitur legi ; caſtigat turpia prolem ;
Inſtruit exemplis ; religione docet.
Increpat elatos ; iratos mitigat ; ægris
Compatitur ; miſeros viſitat ore, manu.
Seminat, auget, alit, exterminat, arguit, arcet,
Dogmata, jura, decus, ſciſmata, probra, dolos.
Viſitat infirmos, triſtes ſolatur, egenis
Condolet, in membris gaudet amare caput.
Regis in aſpectu placet ; huic extendit habenas
Præ reliquis Regis gratia ; Regis amor.
Hoc doctore Deum colit & beat Anglia tota.
Virtus adeſt, rectum militat, error abeſt.

CAP. XXVI. Comes Ceſtriæ promotioni invidens, ſcripſit illi Epiſtolam invectivam.

POntificis laudem Rex, plebs & patria fundunt.
Sed Comitem quendam comprimit invidia.
Fulgurat interiùs Comes is quem Ceſtria ditat ;
Intonat exteriùs ; ſcripſit & iſta ſibi.
Plaude pater Præſuli caput es & origo parentum ;
Ruſticus in primo, nunc generoſus homo.
Sordeſcit mundo fœtens tua tota propago.
Dives opum probus es, non tua progenies.
Solus habes abs te, quo ſtas in Præſulis arce.
Orbe nitens clarus, optimus es generis.
O furor, O rabies, porcos per devia minans,
Qui fuerat paſtor, incipit eſſe pater.

Porcorum

Porcorum custos ascendit culmina Cleri.
Præsulis officium rusticus aggreditur.
Vale, vale, decus Eclesiæ, nunc maxima moles.
Insequitur truncum virgula fronde suum.

CAP. XXVII. Responsio ad Epistolam.

PLange Comes Coridon, onus es & cauda parentum;
Ingenuus primò, rusticus ecce modò.
Clarescit mundo florens tua tota propago.
Pauper, inops, miser es; non tua progenies, &c.

CAP. XXVIII. Quomodo Nobiles regni Angliæ liberos eorum ad illum miserunt ad mores & literas erudiendos.

TOt dotes animæ, tot munera digna favore
Præsul habet sanctus, quòd sibi fama nitet.
Munere divino, donis cœlestibus ardet.
In cujus speculo gratia quæque nitet, &c.
Regnorum Proceres ad eum sermone docendos
Transmittunt pueros, moribus ut niteant.
Præsul & ille vigil ter dena volumina scripsit
Altioris studii; litera scripta manet.

CAP. XXIX. Quomodo Magus de Æthiopiâ venit ad disceptandum cum Lincolniensi.

ÆThiopem magicum de finibus orbis ad urbem
Præsulis istius fama stupenda movet.
Plurimus huic cœtus sociatur; aromata, gemmas,
Ornatus, auri pondera multa ferens.
Quæ Magus iste sibi proponit, ænigmata solvit, &c.

CAP. XXX. Quomodo Lincolniensis Papæ subsidium negavit, quod ab Angliâ exigebat.

HActenus arrisit Roberto gratia Regis.
Præsulis in populo floruit omnis honor.
O nova res! Papa Legatum dirigit Anglis;
Ut sibi subsidia solveret Ecclesia.

Legatus

Legatus tentat, ut maxima ſumma daretur
A Clero; ſic plebs non oneretur eâ.
Rex ſentit ſimul & Proceres; negat iſte Beatus
Omne datum Præſul. Rex tacet, inde bonum.
Quid ſero plura? nihil, ait almus Præſul, in ævum
Solvere debemus, ſit niſi vaſta fides.
Quæ dabimus? quare? quis ſcit? Lincolnia ſponſa
Solvere nil valeat; irruat Eccleſia.
Supplicat eclypſin Papæ Romana facultas.
Gaudeat in rebus Anglia læta ſuis.
Conſenſit Clerus; Legatus concipit iras
Et maturat iter limen adire Petri.
Aggreditur Papam feſtinus, & omnia narrat.
Miratur Papa Præſulis acta ſui.

CAP. XXXI. Quomodo Lincolnienſis à Papâ citatus Romam adiit intrepidus.

REM geſtam cernens citò Papa remittit ad Anglos
Præſulis in urbem ſcripta citatoria.
Nec mora; Præſul abit, Romam colit hoſpes amœnus.
Viſitat & Papam pace, ſalute, fide.
Accedunt comites, ac in medio ſeniorum
Hunc ſiſtunt. Papa tunc ait iſta ſibi.
O Leo crudelis, mordens, o tigris inique;
Ut pungens aſpis, inſtimulans ut apis.
Ex bonitate meâ tibi gratus eram, tibi lenis,
Mitis & affeci. Te tua culpa gravat.
Teſtis Roma meæ pietatis, teſtis & orbis;
Terrarum Princeps teſtis & Anglicus eſt.
Arbiter ille mei cordis teſtatur amorem.
Vox tua firmabit judiciumque tuum.

CAP. XXXII. Reſponſio Lincolnienſis Domino Papæ.

SUſcipe, ſancte Pater, reſponſum Præſulis oro.
Utere nunc illo; fiat ut inde ſalus.
Porrò quid illud erat, quod me compellere poſſit
Ad ſcelus, ad fraudes, ad mea danda ſimul.
Non cogebat ad hoc me Romæ dira cupido,
Non formido mei, juſſa ſequendo Dei.
Non me cogebat mala ſuſpicio metuendi
Rancoris fateor, quo tibi gratus eram.
Non me cogebat injuſti cauſa doloris.
Scis quia prælatus omnibus unus eram.
Non Leo crudelis, nec Tigridis ore remordens
Sum: decet hîc Papam dulcia verba loqui.
Sum mortalis homo, pater, & Deitatis imago;
Clericus Anglorum Præſul in officio, &c.
Æra negare tibi non dira coegit egeſtas.
Copia quippe mihi plena fluebat opum.

Vis tibi depingi breviùs nunc omnia, Papa?
Quærit habens, inhiat copia, plenus eget.
Te non excruciet census sitis ebria: cujus
Pullulat ex gustu multiplicata fames.
Heu quid opes opibus cumulas! quid propria quæris?
Quum se nemo queat appropriare sibi?
Ut quæras loculos nummis emungere Cleri,
Legatos mittis, deficiuntque tibi.
Curant non aras sed aras, non vera sed æra,
Non æquum sed equos, non inopes sed opes.
Verbis frondescunt non fructibus; immò sequuntur
Utres seu ventres, dolia sive dolos.
Hærent seu vinis, seu vanis, sive venenis.
Quærunt vana, colunt vina, venena vomunt.
Libras non libros relegunt; parentque monetis
Non monitis; precio non prece quemque juvant, &c.
Est nova res Anglis, solvant subsidia Papæ.
Ut magis absolvas, postulo, quæro, peto.
Libera fiet enim mea nunc Lincolnia sponsa.
Est codex cordis arbiter iste mei, &c.

CAP. XXXIII. Quomodo Lincolniensis à Domino Papâ excommunicatur.

Papa videns hominem fortemque petita negantem,
Testibus adductis templa beata subit.
Primi Pontificum simul & populi seniores
Ad Papam properant, Conciliumque tenent.
Concilium post concilium firmare laborant;
Ut capiant, teneant Præsulis acta nova.
Tertia facta dies est; summus honore sacerdos
Progreditur; sequitur cœtus Apostolicus.
Ne sacra Romana pereant, loquitur sibi Papa;
Anglorum terris tu maledictus eris.
Lincolniensis apex Præsul Roberte salutes
Has tibi de Roma stillat ab ore meo.
Hoc sermone nova sententia clauditur; immo
Non alio potui te superare modo.

CAP. XXXIV. Quomodo Lincolniensis à Papâ excommunicatus ad Deum judicem appellavit.

Præsulis ardorem non flexit flebile verbum.
Alloquitur Papam stans probus ista loquens.
Me velut incertum rerum dubiumque futuri
Naufragio tradis, dum pater ista jubes.
Anglia libera sit, mea sit Lincolnia conjux.
Carcere solus ego non mea fata luo.
Me polus absolvat; quia non sua fulmina misit:
Nec nocuere mihi grando, procella, lapis.
Me simul absolvat, quem non absorbuit, æquor.
Quem non immersit undaque tutus ero.

Ipsa

Ipſa mei cordis elementa fatentur honeſtè.
Atque rei teſtes ſunt mare, terra, polus.
Per mare, per terras redeam nil paſſus acerbi.
Puniri merui; ſi Romecida fuit.
O modò ſi præſens judex fuerit mihi Chriſtus!
Proh dolor, & procul es Chriſte tuuſque thronus.
Nunc ſine te præſens adjudicor à patre; præſens
Es tamen in cunctis judicioque potens.
Sunt tua judicia, juſtiſſime rector, abiſſus
Multa, nec humanæ cognitionis egent.
Scrutaris renes & corda Deus; patet omne
Cor tibi, mens loquitur, notificatur opus.
Affligor, miſerere precor, defende, laboro,
Subvenias, crucior, protege, lædor, ades, *&c.*
Scis me, ſumme pater, immunem criminis, abs quo
Papæ judicia perniciosa feram.
Appello cœlos & ſummi Judicis arcem.
Ni patiar, Papa, nunc tua judicia.
Si reus, ad pœnam damnor; ſi non reus, inde
Tu malediceris & maledictus eris, *&c.*
Filiolis lætare tuis Romæ pater alme.
Clericus Anglorum, filius ibo Dei.
Vale Papa; redeam citò vide morte ſecurâ,
Judicis uſque thronum te revocans miſerum, *&c.*

CAP. XXXV. Quomodo Lincolnienſis à Papâ revenit Angliam.

VEla dabat ventis; ſulcabat & æquoris alta
Puppis; maturat Præſul & illud iter.
Præſulis adventum ridet, colit Anglia tota.
Quum ſibi congaudent Rex, proceres, populus.
Occurrit Clerus; famoſi Præſulis acta
Libera nunc facta præcinit Eccleſia.
Ad ſponſum properat urbs & Lincolnia cantat.
Amplexatum eam, porrigit ora ſimul.
O decus orbis, ait, honor Anglis, nobile templum,
Splendida præcellens virginis Eccleſia.
Evolat ad nubes paries, ad ſidera tectum.
Montibus arridet urbs nova Jeruſalem.
Sit tibi laus; quo vivo, loquor, nunc libera gaude.
Ecce tuum teneor concelebrare diem.

CAP. XXXVI. Lincolnienſis ex itinere fatigatus, fratribus valedicens, migravit ad Dominum.

TUnc Pater & Præſul intrando palatia feſſus.
Canonicos omnes convenit ille ſuos.
Oſcula dat cunctis, pacem jubet, omnia narrat.
Explicat inde citò, quòd moriturus erat:
Digreſſurus Ave geminat pater, ac benedicit
Fratribus, & cunctis degenerare negans,
Clamat. Sit Dominus vobiſcum, vos comitetur, *&c.*

His dictis iteratur Ave; dans oscula pacis,
Dormit cum patribus, cœlicus astra tenet.
Anno milleno Domini duo C. quoque terno
Cum quingenteno clauditur ista dies.

CAP. XXXVII. De citatione Papæ ad judicium Dei.

DUM jubar Angelicum dormit, canit Angelus unde.
Spiritus ad Romam corpore cepit iter.
Intrat secretè thalamum, Papamque salutans,
Surge miser, dicit, jam moriturus eris.
Præsulis hinc baculus penetravit cuspide cordis
Intima; tunc Papam judicis ira movet.
Surge miser; surge, Præsul fert tempus in horâ
Non videas; properant nunc tua judicia.
Surge citò; cernes, quum veneris ante tribunal,
An bona sive mala sint tua judicia.
Clamat in extremis Summus tunc ille Sacerdos.
Conveniunt homines flebiliore modo.
Clericus Anglorum baculo percussit habenas
Cordis, ait; Morior; hic præit, ipse sequar.
Me vocat usque tronum supremi Judicis; ecce
Est hæc vita brevis, lubrica, pœna, dolor.
Sic ait & moritur: stant insimul ante tribunal
Judicis & Papa Præsul &, acta probant.
Ambo boni; titulos amborum prosperet ipse,
Qui præstat justis cœlica lucra via.

CAP. XXXVIII. De sepulturâ & miraculorum ostensione Lincoln.

UT legis præcepta volunt, sepelire laborant
Canonicique chorus nomine mente patrem.
Patri compatitur Lincolnia, mœsta querelis
Ampliat, imbre rigat uberiore genas.
Conveniunt Proceres regni; mors unica, damno
Pluralis, patriam patre jacente premit.
Rex dolet ac regnum gemit & flent Anglia tota;
Plebs plangit, gemitus ingeminare studet.
Quippe tenor patriæ, speculum virtutis, azilum
Justitiæ, Regis anchora, Præsul erat, *&c.*
Nunc Deus in mundo miracula multa per ipsum
Perficit & præstat, qui dedit omne bonum.
Loripides saliunt; mutos facundia laxat:
Obtusas aures arcuit iste sacer.
Languoris floreſcit hyems; vesania pacem
Induit, & turgens laxa redire datur.
Qui Dominum coluit exemplo, dogmate, votis,
Laude; relativo gaudet honore coli.

Concluſio Operis

EXplicit iſtud opus. Precor, O pater alme Roberte,
Sis pius omnigenis qui tua dona petunt.
Ut mihi præſertim, qui te precor, effero, laudo,
Cujus amore ligor, Bardenienſis ego.
Fige ratem, qua portus adeſt: jam trinus in uno,
Unicus in trino, ſit benedictus. Amen.

*Finit Vita Roberti Groſthed, Lincolnienſis Epiſcopi metrificata per Magiſtrum Richardum de Monaſterio Bardenienſi Monachum, anno Dom. MDIII.

Vita *Roberti Groſthed*, ex Annalibus de Lanercoſt, in Bibliothecâ Cottonianâ, *Claudius* D. 7.

ANno MCCXXXV. vir laudabilis Robertus Groſeteſt Electus Lincoln. conſecratus eſt in Feſto S. Michaelis, genere quidem infimus, ſed ſcientiâ clariſſimus, & vitæ honeſtiſſimus, qui ſimiliter Paſtoris officium exhibebat Laicis & Clericis. Nam & Pſalterium legendo poſtillavit uſque ad medium; nec ulteriùs licuit propter vitæ terminum; & alia plurima ſcribendo & interpretando fecit. Hic tantæ fertur continentiæ; quòd dixit ſemel ſe nolle pro toto mundo unâ nocte cum propriâ ſorore ſolus morari in una æde. Tantæ verò eloquentiæ extitit; quod ſibi parem poſtea Anglia hucuſque non invenit. Tanti zeli juſtitiæ, quòd ad Curiam Romanam evocatus in præſentiâ Papæ & omnium confratrum in libertate ſpiritûs & facundiæ publicè prædicaverit & redarguit cupidos mores Curiæ; ac curam itidem paſtoralem reſignaverit, nec pro eâ recipiendâ aliquid juxta morem corruptum fratribus Curiæ offerre voluerit. Unde & Glorioſum Anglicum avari illi eum vocaverunt. Extant adhuc ejus Sermones & Literæ epiſtolares ad Curiam directæ. Denique quòd noluit in periculum proprii capitis Eccleſias viduare & vacuare fructibus conferendo Romanorum filiis, in ultimis diebus ſuis à Curiâ excommunicatus eſt. Quam ſententiam ipſe juſtitiæ tenax patienter ſuſtinuit ac confirmavit, necnon ad tribunal ſummi Judicis appellavit. Animarum verò curæ tantum incubuit; quòd excubiis longis orationum vigiliiſque reconciliabat Deum peccantibus. Non ceſſabat circuire viſitando, & in vulgari populo prædicando, vel quando ſibi non vacabat Fratres Minores ſubrogando, quos continuè ſecum propter animarum ſalutem detinebat. Conſulenti ſe cuidam ſemel Fratri, utrúmne ſalubre eſſet animæ in foro pœnitentiæ pro aliorum animabus expiandis turpia audire & conceptionibus fœtidis quaſi quibuſdam ſtercoribus congeſtis animam propriam fœdare; reſpondit parabolicè ſic: Si quis ſuum regnum, caſtrum vel curiam obortis incendiis adverteret deſtruenda, ac armigeris & aliis juberet fortiter agere nec ſibi parcere, ut excitatas flammas extinguerent; videret quoque quoſdam de labore ſemiuſtos redire, quoſdam fuligine & fumo denigratos; non propter hoc minùs eos gratos ſibi reputaret, ſi indumenta ab eo recepta pro ejus honore ſalvando corrumperent vel fœdarent. Sic Salvator facilè animæ ſuum reſtituit decorem, quæ deturpata fuit propter ſuum honorem. De ejus frugalitate ac urbanitate teſtantur aula quam extruxit, & menſa quam tenuit. Dixit quidem Procuratori menſæ in Quadrageſimâ

mâ ſemel, quòd non erat ſufficienter proviſa. Ille obtendebat piſcium raritatem & maris tempeſtatem. E contra Epiſcopus intulit: Nolo, ut per mare excuſetur, ſed quòd ipſum me ſequatur. Accidit aliquoties, ut adveniente ad ſe Comite Gloverniæ, curialis Præſul menſas profuſiùs ob amorem & tanti hoſpitis perſonam juberet. In accubitu verò Epiſcopus Comitem ad ſui dextram præpoſuit; de omnibus ante ſe illi exhiberi ſervitium voluit. Ventum eſt verò, ut erat dies piſcium, quando lupi aquatici electi apponerentur in cibum. Dapiferi verò Domino ſuo propitii egregium hujus generis natatile ponunt ante Epiſcopum, minoris quantitatis ante Comitem. Quem non placido vultu intuens vir prudens, Aut, inquit, iſtum piſcem abſtrahite, aut æqualem apponite Comiti. Inficiantibus omnibus quòd conſimilem non poſſent apponere; Et hunc, inquit, integrum eleemoſinæ aſſignate, & mihi minorem cæteris coæqualem date. Illuſtris vir invitatus alto corde imbibit & pertractat, quod in viro ſcolaſtico viderat. Excuſſâ tandem menſâ, & cameram more Curialium intrantes, non differt dives ſæcularis problema proponere quod conceperat. Si licet, inquit, Domine Epiſcope, unum ſine offensâ quærerem: Unde tanta curialitas poſſet oriri? Nam te ſimplici progenie accepimus ortum, & tamen ita facetè facta tua exequentem, ut ſæpè de te in ſæculo ſermonem conferamus. Veriſſimè, ait, Domine Comes, humili de patre & matre ſum natus in orbe; ſed tamen inter præcipuos virtuoſæ vitæ viros ac rectores orbis alitus ſum à juventute. Audiens hæc alter altiori attonitus eſt ſtupore; & quomodo, inquit, hoc ſit, gratularer ſcire. A principio, ait, quo S. Scripturam cœpi revolvere & legere, virorum fide dignorum qui ab inchoato mundo nunc uſque homines prudentes, modeſti, liberales, & caſti, cæteriſq; virtutibus pollentes, in ſuis geſtis & moribus velut in ſuis verbis & vultibus, me informare poſſent, reperi; & eorum actibus me conformare ſtudui. Gratum habuit reſponſum generoſus herus; & deinceps Epiſcopum in corde tenuit gratiorem. Vir iſte primus cathedram ſcolarum Fratrum Minorum rexit Oxoniæ; unde & aſſumptus fuit ad cathedram Prælatiæ. Quo tempore contigit inter Fratres, ut quidam novicius ætate juvenis infirmitate ſuperveniente tandem ad exitum videretur properare. Properatis ſibi ſecundùm morem animæ ſtipendiis, circumſtantibus omnibus fratribus quaſi valefacturus ait; Viri ſancti & honeſti, Deo gratias ago & vobis de converſione meâ, inſuper vobis ſpecialiter de doctrinâ, exemplo & conſortio mihi jam per XII. hebdomadas præſtitis. His dictis, introrſus rediens diu ſiluit; fratribuſque ſimplicibus mirantibus & exultantibus & rei eventum expectantibus, is qui profecturus erat, cùm paſſione letali vexaretur, voce altâ clamavit: Domine nunquid punis? nunquid percutis? Immò percutis ut parcas, punis ut non punias. Accurrentes fratres, & eum alienatum putantes, ſurripuerunt ei talia, & alia auribus ejus inculcaverunt: & ſic innocens anima ad vitam æternam abſceſſit. Adeuntes fratres Robertum utpote pædagogum, expoſuit quid evenerit; ſupplicant ut dicat quid ſenſerit. Ego, inquit, reputo vos temerariè egiſſe; quoniam ille legebat in libro vitæ; & vos docuiſſet, ſi continuâſſet, multa Dei ſecreta.

Anno MCCLIII. VI. Idus Novembris ſolemnis columpna Eccleſiæ ex hac luce ſubtrahitur Robertus Groſeteſte Epiſcopus Lincoln. qui inter moriendum reum ſe Domino Deo conclamavit de Eccleſiis ſuo ſanguine acquiſitis, quas malè ut homo deceptus erogavit. Et tamen ipſum judicem Deum teſtem adhibuit, quòd in conferendo ſemper ſanam & ſanctam intentionem habuit. Ipſum proſecutus eſt quaſi eveſtigio eodem fatali anno Fr. Adam de Mariſco, ſibi ſuper cæteros condilectus; qui primus poſt ipſum de Ordine Minorum cathedram rexit Oxoniæ. De quo unum ad inſtructionem poſterorum memoriæ tradam. Fuerat is vir vitâ & ſcientiâ clarus ante mutationem ſui ſtatûs, Rector Eccleſiæ ſolemnis per triennium tantùm in Dioceſi Dunelmenſi loco Wirmouthe

mouthe nomine. Qui cùm faſtidio haberet ſæculum, & volenter mutâſſet vitam & habitum; tandem communi ſorte omnium, nt dicitur, diem clauſit extremum, ſepultuſque eſt, ob dolorem quem conceperat, Lincolniæ inter Epiſcopum & parietem auſtralem; Deo providente, ut ſicut in vitâ erant amabiles & decori, ita non eſſent in morte diviſi.

Epiſtola Decani & Capituli Eccleſiæ S. Pauli London ad Clementem V. Papam, de canonizando Roberto Groſthed Epiſcopo Lincolnenſi. *Ex Autographo.*

SAnctiſſimo in Chriſto Patri & Domino noſtro, Domino divinâ providentiâ Clementi ſancroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici ſuum ſubjectum & minimum Eccleſiæ London. Capitulum ſalutationem verbali ex humilitate tacitâ non mentali devota pedum oſcula beatorum. Scribitur in Job, quod filii ejus faciebant convivium per domos. In diſtinctis verò domibus tunc fit quaſi gaudium convivale, dum virtutes ſingulæ alios quaſi propriæ recreant atque paſcunt: Hoc Auguſtini teſtante eloquio, ubi dicit, Gaudium eſt alienæ virtutis velut fons gaudii in propriâ domo naſcens. Sanè à veſtrâ Lincoln. Eccleſiâ quidam recolendæ memoriæ Robertus Groſſeteſte nomine vir memorabilis & præclarus, tanquam lucerna non ſub modio poſita, ſed ſuper candelabrum prodiit, atque lampas cujus oleum ad illuminandum immittente Altiſſimo nunquam deeſt; quem primitus filium & poſt patrem ipſius Eccleſiæ patrona edidit virgo mater; qui in hujus mundi ergaſtulo à vitæ ſuæ primævo certamine acri & ſedulo carnis domuit incentiva; & quanto ſuper cunctos ejus temporis eminebat Philoſophos, & in Dei ſcientiâ & doctrinâ anteibat Theologos, quod teſtantibus ſuorum ſcriptorum famoſiſſimorum opuſculis modernos non latet Scholaſticos, adeò ejus aucto ex gratiâ divinâ ingenio quòd unicus dixiſſe potuit cum Pſalmiſtâ, [a] *Super omnes docentes me intellexi*; tanto humilior, ſimplicior & ſanctior, ut innocens atque mundus in vitæ deguit puritate. Cujus ſanctitatis opinio longe lateque percrebeſcebat & fama. Qui funditus terrena deſpiciens, toto niſu mentis ad ſola aſpirabat cœleſtia & flagrabat. Quem demum paſtorali ut dignum veſtigio creator omnium Deus ad Præſulatûs officium in dictâ Eccleſiâ cenſuit evocandum; eumque quaſi alterum Joſeph conſtituit Dominum domûs ſuæ; ubi in ſpectaculum poſitus & exemplum, verbo ædificationis inſiſtens, quod verbis docebat operibus exhibebat. Cujus nondum ſui oblitus famuli auctor ille nedum poſt mortem veraciter ſed in vitâ eſt in eo virtutes & miracula operatus immenſa, quaſi ſub quadam viciſſitudinis ſui meriti repenſivâ; quæ ſigna, miracula & virtutes apud nos per uſum ſunt vetera, & per augmentum quotidie ſunt recentia atque nova. Quorum ſignorum intuitu & virtutum in gaudio cum Lincolnienſi noſtra communicat Eccleſia Sancti Pauli; & paulò minùs lætatur cum eâ quàm ſi pignus illud tam honorabile eſſet ſacrarium domûs noſtræ, cùm in ipſius virtutum eminentiâ & ſignorum frequentiâ dictæ quoque Eccleſiæ ob id laude & gloriâ non ſolùm noſtra, ſed tota Eccleſia fulgeat Anglicana. De quo dici poteſt quod ſcribitur ad Timotheum, [b] *Quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu.* Qualis autem erat in carne, & eſt modò in ſpiritu; quia ſanctus, per virtutes & miracula limpidè eſt oſtenſus. Decet igitur hunc tam venerandum Patrem in Eccleſiâ militante Sanctorum aggregari collegio, & in eorum veneratione & laudibus numerari; cùm in Eccleſiâ triumphante ut in cœleſti ſolio inter Sanctos indubitanter ſedeat & locetur, tanquam eis non abſimilis in merito ſive diſpar. Quapropter veſtram Paternitatem ſanctiſſimam flexis genibus

[a] Pſal. CXVIII. 99.

[b] 1 Tim. III. 16.

genibus exoramus; quatenus vestra memor ejus quod scribitur ad Hebræos, [c] *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci*, dignetur Clementia præfatum virum, ejus attentis meritis, signis & miraculis, quæ ex Deo procedere probabuntur dilucidè, Sanctorum ascribere cathalogo Confessorum, Christum in hoc munere tam placabili imitantes, eum in humanis laudibus extollendo in terris, quem divina providentia cum cæteris Sanctis qui æqualis sunt meriti jam sublimem voluit in excelsis; ut sic ratio quæ movet delegantem, id est omnium conditorem, moveat delegatum, utpote vos hîc Vicarium Jesu Christi. In regimine universalis Ecclesiæ Domini & prosperè vos dirigat Altissimus & conservet. Datum in nostro Capitulo antedicto, Non. Julii, Anno Domini Millesimo trecentesimo septimo.

[c] Heb. XIII. 16.

Epistola Giraldi, Archidiaconi Menevensis, ad Willelmum de Ver, Episcopum Herefordensem, commendans illi Robertum Grosseteste. Ex Simbolo Electorum MS. Epist. XIX.

PRO bonis viris, ut ait Simmachus, quisquis intervenit, non magis eorum videtur juvare commodum quàm suum commendare judicium. Hinc est quòd pro Magistro Roberto Grosseteste, quem nuper sicut audivi & gratanter accepi in familiam & familiaritatem suscepisti, vestram id solum efflagito discretionem, ut viri merita æquiparent præmia. Scio enim quòd ejus opera tam in negotiis vestris variis & causarum decisionibus quàm in corporis vestri conferendæ sanitatis & conservandæ curis, cùm in horum peritiâ fideliter præstet, vobis dupliciter fiet immò multipliciter pernecessaria. Præcipuè quidem cùm facultates illas, quæ his nostris diebus fructuosæ præ cæteris in temporalibus esse solent, super liberalium artium & literaturæ copiosæ fundamenta stabiliter erectas egregii mores adjuncti laudabiliter illuminent & exornent. Cùm enim prædictarum facultatum artifices fide plerumque vacillare solent; præter cæteras virtutes & animi dotes quibus excellit, fide noveritis ipsum & fidelitate conspicuum. Et ut brevi eloquio ad cumulum commendationis multa concludam; talis hunc naturæ pariter & industriæ novi; quòd virum in eo juxta cor vestrum, si non fallor, & in quo plurimùm quiescet spiritus vester, invenietis.

Indiculus scriptorum Roberti Grosthed Episcopi Lincolniensis.

ROBERTUM Episcopum Lincolniensem omnes sui temporis eruditione, & omnes quotquot fuerunt Anglos librorum à se scriptorum numero superâsse notum est. Scriptorum ejus catalogum, imperfectum tamen (neq; enim omnia Lincolniensis scripta ad manus nostras devenerunt) congessimus. Doctrinæ testis erit omni exceptione major Rogerus Baconus, vir itidem omnium Anglorum sæculo sequenti doctissimus; qui in libro MS. *De laude S. Scripturæ* ad Clementem Papam; ista habet, cap. 27. *Vulgus Philosophorum semper est imperfectum; & pauci sapientissimi fuerunt in perfectione Philosophiæ, ut Solomon, & deinde Aristoteles pro tempore suo; in diebus nostris Robertus nuper Episcopus Lincolniensis, & Fr. Adam de Marisco; quia hi fuerunt perfectissimâ sapientiâ.* Cap. 28. *Dominus noster Robertus Episcopus Lincolniensis, & Fr. Adam de Marisco, majores Clerici de mundo, & perfecti in sapientiâ divinâ & humanâ.* Cap. 31. *Nam omnes sancti Philosophi Latini & Poetæ studuerunt de linguis alienis,*

alienis, & omnes sapientes antiqui; quorum multos vidimus durare usque ad nostrum tempus; ut duos Episcopus Lincolniensem & Sancti David, & Fratrem Adam, & multos viros; & adhuc aliqui senes perdurant, qui student multum.

EDITA.

Sermo coram Innocentio IV. Papâ in Concilio Lugdunensi habitus, anno 1250. 3 Idus Maii, *de corruptelis Ecclesiæ.*
Sermo ad Clerum, in Sap. VI. 26. Rex sapiens stabilimentum, *&c.*
Sermo ad Clerum, in Johan. X. 11. Ego sum Pastor bonus.
Sermo ad Clerum, in Ezech. XXXIV. 2, 3, 4. Væ pastoribus Israel, *&c.*
Sermo ad Clerum in Synodo, in Gen. I. 17. Posuit stellas in firmamento cœli.
Sermo in celebratione Ordinum, in Luc. XII. 13. Sint lumbi vestri præcincti, *&c.*
Dictum de bono Judice, in Psal. LVII. 1. Rectè judicate filii hominum.
Dictum de Prophetis veris & falsis.
Dictum de Fide & ejus articulis.
Dictum de Gratiâ & Justificatione hominis.
Dicta II. de Oratione.
Dictum de Superbia.
Dictum de Detractione & ejus malis.
Dicta III. de Humilitate.
Dictum de Patientiâ.
Dictum de Misericordiâ & Justitiâ.
Sermo ad Clerum, in 1 Tim. IV. 12. Exemplum esto fidelium, *&c.*
Sermo ad Clerum, in Psalm. CXXXII. 9. Sacerdotes tui induantur justitiam.
Epistolæ CI. quarum ultima, omnium maximè insignis, exstat etiam apud Matthæum Paris, pag. 870. & Annales Burtonenses, p. 326.
Constitutiones XXXIX. Dioeceseos suæ Clericis directæ. Scripta omnia hactenus enumerata evulgata sunt ab M. Edoardo Brown in Appendice ad Fascicu-lum rerum expetend. *Londini* 1690. f.
Liber de Cessatione Legalium. Prodiit *Londini* 1652, 4°. sed mutilus. Extat enim in Codice MS. Trin. Coll. Cant. plùs duplo auctior.
Commentarius in Dionysii Areopagitæ librum de Mysticâ Theologiâ. Excusus est inter Opera Dionysii, *Argentinæ*, 1502. f.
Compendium Sphæræ mundi. Venetiis 1508.
Commentarius in libros Posteriorum Aristotelis. Venetiis 1504. 1537. 1552.
Testamentum XII. Patriarcharum ab eo Latinè conversum, prodiit *Paris.* 1549. 12°. & in Bibliothecâ Patrum, ac Orthodoxographis Basil. p. 861. Latinè id transtulit Lincolniensis anno 1242. juxta Annales Londinenses MSS. Sic & nota vetusta ad calcem exemplaris ipsius MS. in Trin. Coll. Cant. quæ sic habet. *Nostris temporibus venerabilis Lincolniensis Episcopus Robertus II. anno Dominicæ Incarnationis MCCXLII. illud scriptum, à Græco in Latinum, in quibus idiomatibus fuisse perhibetur peritissimus, assistente ei Clerico Elichero ab Ecclesia B. Albani beneficiato, natione & conversatione Græco, diligenter transtulit ac fideliter.*

Inedita MSS. in Bibliothecâ Ecclesiæ Westmonasteriensis.

Epistolæ CXXVIII. in unum volumen digestæ, & Indice uberi auctæ. Codex ex Bibliothecâ Cottonianâ olim mutuò sumptus est; & ex eodem Epistolæ CI. supra memoratæ sunt editæ. Epistola 127. (quæ adhuc manet inedita) justi Tractatûs molem habet; agitque contra exemptionem Capituli Lincolniensis à subjectione Episcopali. Incipit *Moses qui tradente Domino.* In Codice MS. Trin. Coll. Cant. seorsim ponitur, isto insignitus titulo *De Curâ*

Ista omnia ex Bibliothecâ Westm. in Cottonianam postliminio nuper sunt revecta, & sub Othonis effigie collocata.

Curâ Pastorali. Aliud exemplar Epistolarum ejusdem in Collegio Corporis Christi asservatur.

Summa Philosophiæ. Apographum recens.

Dicta CXLVII. cum Indice. Sunt [si Sermones demas numero XIX. qui in his locum habent] quasi totidem Prælectiones breves de variis articulis Theologicis & S. Scripturæ locis in Scholis maximam partem habitæ. Totidem etiam Dicta reperiuntur in Codice Collegii S. Trinitatis Cantab. In alio quidem ejusdem Collegii Codice numerantur CLXVI. Verùm in his plures justi Tractatus & Sermones loco non suo reperiuntur.

Sermones, Propositiones, & Themata ferè centum.

Summa Theologiæ.

Commentarius in Epistolam ad Galatas.

Tractatus de septem Sacramentis.

De modo confitendi.

Regulæ Agriculturæ per menses digestæ. Gallicè.

Tractatus breves quamplurimi ad frontem & calcem *Dictorum* in alio quodam Codice congesti 72. viz. *De Oculo morali, De Veneno & peccato morali, Sermones XXV. Qualiter homo factus est ad Imaginem Dei, Morales Expositiones in Operibus sex dierum, Meditationes VII. in dicta seu facta quædam S. Anselmi. De libero Arbitrio, De sex Differentiis. Quòd Deus est forma prima omnium; De Intelligentiis, De Veritate, De Veritate futurorum contingentium, De ordine emanandi causatorum à Deo, De impressione aeris, De iride & speculo, De statu causarum, De luce & colore ejusdem, De generationibus impressionum humidarum, Quòd motus simpliciter sit in formâ primâ, De motu circulari, Descriptio figuræ machinæ mundi, De conceptione & excellentiâ B. Mariæ secundùm Anselmum Meditationes II. Expositio Prologi S. Jeronimi super Bibliam, De sapientiâ & scientiâ; Expositio* (prolixa admodum) *in primum caput Geneseos seu in Hexaemeron, De decem Præceptis, De Confessione, Quomodo Christus est Virga de radice Jesse, Expositio in ista verba Cantic.* Unguentum effusum est nomen tuum; *Expositio in ista verba Cant.* Nigra sum, sed formosa; *De acceptione manûs pro executione operis in S. Scripturâ; Quare Spiritus S. descendit super Christum in specie columbæ; Quomodo Spiritus ubi vult spirat; De Levitis, ex libro Numerorum; Qualem Episcopum esse oportet ex instructione Pauli ad Titum, De signis in Sole & Luna in die Judicii; Sermo de laude B. Martini; De Incarnatione Christi; Expositio in hæc verba Lucæ,* Exiit edictum à Cæsare; *De beatitudine Pauperum in Spiritu, De mutui collatione Antiquorum.*

Constitutiones datæ Priori & Conventui de Newenham.

In Bibliothecâ Lambethanâ.

De Curâ Pastorali Tractatus, qui incipit *Scriptum est de Levitis.*

De Pœnis Purgatorii.

Tractatus bene prolixus, *De Articulis Fidei,* linguâ Gallica.

In Bibliothecâ Publicâ Cantabrigiensi.

De Summâ Justitiæ. Opus ingens.

Sermones & Tractatus plures, Anglicè.

Moralitates super IV. Evangelia.

De linguâ & corde moraliter.

Scala voluptatis.

Templum Domini.

De Conjugio.

Alia

Alia Oxoniæ asservata memorat Jamesius in *Eclogâ Oxon.-Cantab.* & in his *Versionem Latinam & Commentarium* in omnia Dionysii Areopagitæ, exceptis Epistolis, Opera. Plura Baleus sibi visa memorat Cent. IV. cap. 18. Mihi ea tantummodo recensere in animo fuit, quæ oculis ipsemet perlustravi; de reliquis parum certus. His apponam quæ de Lincolniensi habet Johannes Tinmuthensis in *Historiâ Aureâ* MS. lib. 22. cap. 210.

" Anno MCCLIII. Robertus dictus Grossum-Caput, Lincolniensis Epi-" scopus, obiit. Hic Doctor in Theologiâ, in triplici linguâ eruditus, Latinâ, " Hebræâ & Græcâ, multa de Glossis Hebræorum extraxit, & de Græco mul-" tum transferri fecit, utpote Testamenta XII. Patriarcharum, & libros Dio-" nysii, quorum novam translationem perlucidè commentavit. In fine libros " suos Fratribus Minoribus Oxoniæ legavit ob affectionem Fratris Adæ Do-" ctoris in Theologiâ secum jugiter permanentis. Hic Robertus præcipuè in " Logicâ & Astrologiâ florens, in cunctis tamen liberalibus artibus excellenter " eruditus, plurima commentatus est. Ad Innocentium quoque Papam mi-" sit Epistolam invectivam satis & tonantem, pro eo quòd Ecclesias Angliæ ex-" actionibus indebitis vexare videretur. Hac de causâ Robertus ad Curiam " vocatus est; & cùm ibi molestaretur, appellavit constanter à curiâ Inno-" centii ad tribunal Christi. Unde contigit, quòd Roberto in Angliâ obe-" unte, audita est vox in curiâ Papæ: *Veni miser ad judicium.* Repertus est " in crastino Papa exanimis, quasi cuspide baculi in latere percussus. His de " causis licèt perspicuis effulserit Robertus miraculis; transferri tamen aut in " Sanctorum catalogo poni non est à Curiâ permissus.

Propositio Roberti Grosthed de Visitatione Diocesis suæ.

Anno Domini MCCL. coram Papâ & Cardinalibus sic proposuit Venerabilis Pater Robertus Lincolniensis Episcopus verbotenus.

EPiscopi Lincolnienses omnibus retro temporibus consueverunt visitare Domos Religiosas illius Diocesis sibi subjectas, & Visitationis ratione procurationes ab eisdem domibus suscipere. Sed de his consuetis & ex longâ consuetudine approbatis & tolerabilibus non est modò intentio. De inconsuetis autem pauca, si placet, benigniùs audiantur. Ego post meam in Episcopum creationem consideravi me esse Episcopum & Pastorem animarum; & ideo necesse habere, ne sanguis ovium in districto judicio de manu meâ requiratur, cum diligentiâ, sicut disponit & præcipit Scriptura, oves mihi commissas visitare. Unde Episcopatum meum cœpi circuire per singulos Archidiaconatus, & in singulis Archidiaconatibus per singulos Decanatus rurales, faciens Clerum cujusque Decanatûs per ordinem certis die & loco convocari; populum præmuniri, ut eisdem die & loco adesset cum parvulis confirmandis ad audiendum verbum Dei & ad confitendum. Congregatis autem Clero & populo, egomet ut pluries proponebam verbum Dei Clero, & aliquis Frater Prædicator vel Minor populo; & quatuor Fratres consequenter audiebant confessiones, & injungebant pœnitentias; & confirmatis pueris eodem die & sequente, ego cum Clericis meis intendebamus inquisitionibus, correctionibus & reformationibus, secundùm quod pertinet ad officium inquisitionis. In primo autem ejusmodi circuitu meo venerunt ad me quidam, dicentes mihi, quasi super prædictis me increpando; Domine, novum facis & inconsuetum. Quibus respondi, Omne novum, quod hominem instituit, promovet, consummat, benedictum novum est, &c. Nec potuit tunc temporis ascendere in cor meum; quòd occasione

casione prædictæ meæ Visitationis acciderit in posterum aliquod gravamen meis subditis. Nunc autem ex multis quæ video tanquam pro certo habeo; quòd nisi apponat remedium hæc sacra Sedes, Successores mei ratione Visitationis exigent & extorquebunt novas & inconsuetas Procurationes, opprimentes, affligentes, usque ad intima scandalizantes, Evangelio Dei summum offendiculum præstantes. Trahet enim eos ad hoc, nisi sint viri omnino spiritales, cupiditas; & omnino potuerint de suis Procurationibus vivere, & omnes proventus Episcopales in thesaurum reponere. Si verò dicat quis, quòd absque procuratione pigritabuntur in Visitationis officio; respondeo, quòd ex cupiditate Procurationis visitantes, aut omisso Visitationis officio solùm intendent Procurationibus accipiendis; aut fient firmarii peccatorum, ex eâdem videlicet cupiditate accipientes ab inventis in peccatis certam quantitatem pecuniæ, & per hoc dimittentes eos in peccatis suis liberè sordere. Quantò autem ego Episcopus Lincolniensis magis sum pastor ovium Lincolniensis Diocesis quàm Dominus Archiepiscopus; qui etiam, ut creditur à multis, earum pastor non est; & quantò Dominus Archiepiscopus magis sibi sufficit ad peragendum officium Archiepiscopale, quàm ego Episcopus ad peragendum consimiliter meum Episcopale officium; tantò prædictæ rationes scriptæ fortiùs arguunt, quòd nullo modo debet Archiepiscopus exigere Procurationes inconsuetas.

VITÆ

VITÆ

HUGONIS NONANT, Episcopi Coventrensis & Lichfieldensis, Authore *Giraldo Cambrensi.*

WILLELMI WICKHAM, Episcopi Wintoniensis, Authore *Thoma Chaundlero.*

THOMÆ BEKINTON, Episcopi Bathonensis & Wellensis, Authore eodem.

HENRICI SPENSER, Episcopi Norwicensis, Authore *Johanne Capgravio.*

Articuli RICARDI SCROPE, Archiepiscopi Eboracensis.

Martyrium ejusdem, Authore *Clemente Maydestone.*

Vita HUGONIS NONANT, Episcopi Coventrensis & Lichfeldensis, ex *Giraldi Cambrensis* Speculo Ecclesiæ MS. Distinct. II. Cap. XXIII, XXIV.

[a] EPiscopus autem acceptâ contumeliâ & injuriâ tantâ, sicut potuit, abinde gravi cum confusione recessit; & Londoniis ubi totus propemodum Angliæ Clerus proter ardua Ecclesiæ negotia nuper emersa tunc fortè convenerat, se Co-Episcopis suis & Archiepiscopo bonæ memoriæ tum præsidenti Baldewino lugubri tam voce quàm vultu præsentavit. Et sicut erat vir singularis eloquentiæ & admirandæ facundiæ; causam suam in publicâ audientiâ cœpit ab exordio declarare, & usque in finem acceptæ injuriæ persuasoriè propalare; livores etiam ictuum & tumores in corpore suo recentes adhuc & patentes, necnon & Clericorum suorum vulnera cum lacrimis denudavit; asserens quoque & sacramento confirmans, quòd mallet eo die quo ei hoc accidit verè confessus ab hac vitâ cum honore migrâsse, quàm se tantum dedecus Monachorum manibus, præsertimque in tanto Cleri populique conventu pariter & conspectu perpessum fuisse. Cúmque sermonibus his & hujusmodi longè disertiùs atque discretiùs, quàm sub hoc compendio comprehendi valuerit, lingua facundissima perorâsset; multosque assistentium & audientium, Co-Episcopos autem quos specialiùs res tangebat ferè cunctos, ad lacrimas provocâsset; procedens in publicum, coram Archiepiscopo & fratribus ad terram, formam Crucis amplectens & faciens, humiliter se prostravit; rogans & supplicans, quatinus non suæ personæ exili quidem & modicæ, Episcopali tamen dignitate præditæ quanquàm indignè, sed honori Dei & Ecclesiæ ipsius sanctæ, in cujus injuriam principaliter facinus hoc redundabat, suoque honori proprio ad quos specialiùs hoc spectabat, in hoc facto consulere satagant & providere. Cúmque Præsul à fratribus protinus erectus fuisset; statim Episcopalibus Archiepiscopus & Episcopi cuncti solenniter induti, candelis accensis, tam fautores dicti facinoris omnes quàm factores ipsos excommunicationis sententiâ communiter involverunt; tribusque diebus proximis aut quatuor super his præcipuè cæterisque negotiis Ecclesiæ magnis & arduis pro posse corrigendis, in consiliis & deliberatione fuerunt.

---

[a] Narrationis pars prior, excisis in Giraldi Codice foliis nonnullis, desideratur. Jactura sanè perquam dolenda, quæ rerum scitu dignissimarum notitiam nobis abstulit. Supersunt tantùm Summaria Capitum desideratorum in Indiculo præmisso: quæ sic habent. *Caput XVIII. De Habitu Monachali Clerico cuidam per pravam cupiditatem violenter injecto. Caput XIX. De Cantuariensi S. Trinitatis Monasterio, & Monachorum loci ejusdem supercilio. Caput XX. De Capellâ Lammetæ in Cleri injuriam gravem per Monachorum invidiam atque superbiam solo tenus eversâ,* &c. *Caput XXI. De Monachis Coventrensibus à Monasterio suo per Episcopum Hugonem ejectis, & postea per Archiepiscopum Hubertum revocatis. Caput XXII. De duobus Archiepiscopis in Angliâ coætaneis nostrisque diebus dignè promotis. Caput XXIII. De Coventrensi Episcopo ab Ecclesiâ suâ per Monachos turpiter ejecto, & divinâ postmodum ultione secutâ.*

In medio circiter hujusce Capitis lacuna desinit. In priore parte rixæ gravissimæ quin & pugnæ inter Hugonem Episcopum Clericosque suos Lichfeldenses & Monachos Coventrenses in ipsâ Ecclesiâ consertæ narrationem texuisse Giraldus videtur. Johannes enim Tinmuthensis, qui Litis Historiam brevem dedit in Historiâ Aureâ MS. lib. 22. cap. 95. refert Hugonem in Concilio coram Archiepiscopo, anno 1190. *querelam deposuisse; quòd Monachi Coventriæ sanguinem suum coram altari fudissent.*

Coven-

Coventrensis autem ex contingentibus interim nihil omittens, coram patre & fratribus apertè proposuit, etiam quod evidens satis & notum antea fuerat, eis ad mentem revocando inculcavit; qualiter per universum ferè fidelium orbem Pontificales Ecclesias Clerici tenent & regunt, præterquam in Angliâ solâ, quam Augustinus Anglorum Episcopus ad fidem convertit; qui quoniam Monachus fuit, in sensu suo vir sanctus abundans in Sedibus Episcopalibus [a] Monachos collocavit. Sed quanquam zelum Dei in hoc habens, fortè tamen vel non plenè secundùm scientiam aut regularem institutionis Ecclesiasticæ disciplinam id processit. Ut enim salvâ tam veniâ viri sancti quàm reverentiâ loquamur; longè convenientiùs Clerici loca regiminum tenent. Sic enim Clerici in numero regentium continentur & rectorum; sic Monachi numerum & ordinem tenent regendorum. Quoniam ut ait Jeronimus, qui & Monachus fuit; sic se habent Monachi respectu Clericorum, sicut grex respectu pastorum. Clerici itaque regant, & loca regiminum teneant; Monachi verò regantur & pascantur, & nisi in Clerum fortè assumpti fuerint, soli sedeant & taceant, & vel se vel mundum plangant ac lugeant. Ignorari quoque non debet sed magis ad mentem revocari; quia B. Jeronimus & nobilis Martyr Cyprianus, quanquam tamen ambo viri sancti & in Scripturis sacris eruditissimi, uterque tamen, ille in quæstionum circa bigamiam solutionibus, ille verò ob vehemens odium in Schismaticos & Hæreticos habitum asserendo sacramenta ecclesiastica dari ab his quamvis etiam in formâ Ecclesiæ nullatenus posse, dormitâsse nonnunquam est visus. Sic & dictum Augustinum quanquam virum sanctitate conspicuum, cùm nichil humanum omni ex parte perfectum, quandoque dormitâsse discredi non debet.

Demum autem Episcopus ad propositi sui finem accedens, monuit & fratribus suis in fide consuluit; quatinus duo millia Marcarum omnes qui Monachos in sedibus suis habebant simul inter se colligerent, Romamque secum per suos transmitterent, Cantuariensis sc. & Roffensis, Wintoniensis, Bathoniensis, Wigorniensis, Eliensis, & Norwicensis, necnon & dives ille Eboracensis Provinciæ & deliciis affluens Dunelmensis. Et ipse pro se Ecclesiâque suâ paupere Coventrensi liberandâ mille marcas apponeret; quatinus tria millia marcarum in summâ forent; & insuper ipse pro cæteris omnibus in propriâ personâ laborans Curiam adiret, operamque simul & diligentiam per Dei gratiam adhiberet, ut Monachis ubique à Sedibus ipsorum amotis juxta dispositionem propriam Clericos ibidem instituere possent. Cùm autem consilium istud cunctis propemodum fratribus multùm animo sedisset & placuisset; solus Archiepiscopus, quia Monachus fuit, quanquam Ordinis alterius & habitûs, ne tanta Monachis in Angliâ suo in tempore permutatio tantaque cum honoris detrimento molestia fieret, id fieri quidem non sustinuit. Talis

[a] Nil mirum Hugonem Episcopum, qui pro more sæculi in rebus Anglicis ante Conquestum gestis planè cæcutiit, Augustino crimen illi sæculo ignotum impegisse. Non enim Augustinus Monachos in sedibus Cathedralibus collocavit: sed Monachi Canonicis exturbatis post 400 vel 500 circiter annos sedes obtinuerunt. Ecclesias Cathedrales à Monachis usurpatas Hugo paulò inferiùs recenset; sc. Cantuariensem, Roffensem, Wintoniensem, Bathoniensem, Wigorniensem, Eliensem, Norwicensem, Dunelmensem, & Coventrensem suam. Ex Cantuariensi Ecclesiâ Canonicos Sæculares deturbavit Lanfrancus Archiepiscopus, ex Roffensi Gundulphus Episcopus, ex Dunelmensi Willelmus de S. Karileso circa eadem tempora. Ex Wintoniensi Ethelwoldus, ex Wigorniensi Oswaldus sub Edgaro Rege. Norwici sedem Cathedralem & in sede Monachos Herbertus Episcopus posuit. Sedes Episcopales à Lichfeldiâ & Cestriâ ad Coventriam Robertus de Lymesy, à Wellis ad Bathoniam Johannes de Villulâ paulò ante transtulerant. Isthic Conventus Monachorum ante sæculum, illic ante semisæculum institutus fuerat. Hac autem occasione arreptâ, Monachi exinde æqua cum Canonicis Lichfeldensibus & Wellensibus in electione Episcopi suffragia vendicârunt. Episcopatus denique Eliensis ex Abbatiâ, isto sæculo, fundatus fuerat; quamvis & istud Cœnobium Canonici Sæculares olim insederint, ab Ethelwoldo Episcopo Wintoniensi ejecti.

enim vir ille naturæ pariter & industriæ fuit, literaturæ quidem grandis, religiositatis immensæ simul & honestatis, sed vivacitatis omnino nullius aut animositatis. Vir nempe benignus & bonus, patique magis injuriam per omnia quàm cuiquam inferre paratus. Ideoque Monachos suos patientiâ & liberalitate vincere proposuit, sed non prævaluit. Sicut enim albedo & nigredo sunt primâ fronte contraria: sic Monachi exteriori nigredine fucati, & utinam non interiore contaminati, benignitate ipsius & liberalitate semper abutentes, contrarii per omnia ei fuerunt & discordes.

Videns igitur Episcopus, quòd non proficere poterat, non ad plenum voti compos esse valebat, sumptis Co-episcoporum literis tam testimonialibus quàm supplicatoriis quoque, quatenus honori Ecclesiæ contra dedecus illorum à Domino Papâ provideretur, iter incunctanter arripiens, & Romam veniens injuriam sibi & Ecclesiæ suæ irrogatam, Monachis à sede suâ, sicut dictum est, ejiciendis & Clericis substituendis, vindicari cum honore procuravit.

Unde cum per Castrum Coventrense transitum quandoque faceremus tempore quo Clerici Monachis amotis eodem in loco plantati fuere; deque statu Ecclesiæ illius, qualis sc. antea fuisset & qualis tunc esset, diligentiùs inquireremus; assertione cunctorum accepimus quos inde convenimus, fœlicem fuisse mutationem illam & dexteræ Excelsi proculdubio dispositione factam. Et licèt incolæ quamplurimi Monachis sanguine juncti fuissent, quia tamen laudari potuit tantus in hoste decor, Deum in hoc facto benedicebant & laudabant; communiter asseverantes, quia locum habitationis suæ tam primitus incultum & tam obscurum, tunc autem tam luminosum effectum & tam clarum, necnon & mansuetudine pariter & humanitate, curialitate similiter & affabilitate, caritate quoque & hospitalitate multùm in omnibus emendatum, Dominus per gratiam suam magnam diebus ipsorum visitare dignatus est & illustrare.

Qui [a] ergo Congregationem talem & tam idoneam & Clericale Collegium tam laudabile dissipare curavit & delere, nonne digno Dei judicio qui tam bona quàm mala retribuit, talionem paulò post in Clericorum suorum dissipatione suscepit.

CAP. XXIV. De Coventrensis Antistitis Hugonis fine fœlici & exitu commendabili.

DE memorato verò memoriæque laudabilis Coventrensi Episcopo Hugone de Nunant cognominato quiddam memoratu dignum hîc adjiciendum nec superfluum quidem nec inutile duxi. Cùm enim in natali sui Normanniæ solo vir ille venerabilis, miseræ conditionis humanæ fragilitati morem gerens, demum gravi correptus morbo decubuisset; & in Monasterio quodam Cluniacensis Ordinis eisdem in finibus per hiemem totam ægrotando laborâsset; inter febriles angustias gratiâ co-operante salutis propriæ non immemor existens, & ut spiritum salvum faceret carni minimè parcens, iteratis pœnitentialibus singularum propemodum hebdomadarum confessionibus & disciplinis ferè cotidianis, orationibus quoque continuis, vigiliis, jejuniis & abstinentiis corpus afflixit. Et cùm virgis asperis flagellisque nodosis dorsum cotidie totum usque ad sanguinis fluxum exponeret, minutis virgulis diligenter ad hoc consertis, os proprium quoties privatus extiterat ipse contundens & flagellans,

[a] Vult Hubertum Cant. Archiepiscopum; qui Clericorum collegium primo Hakingtonæ postea Lamethæ magno molimine instituit. Utrobique autem Monachi Cantuarienses factâ ad Papam appellatione post diuturnam litem funditus demoliri fecerunt.

quicquid ore deliquerat vel mentiendo vel detrehando vel otiosa verba loquendo vel eloquentiæ suæ tam lepidæ suavissimo lepore delectando, totum hoc revera pœnitendo, deflendo, compungendo propriâque manu percutiendo, jugi flagello purgare curavit. Item & in caritatis operibus tam profluus extiterat; ut in eleemosinarum largitionibus & pauperum refectionibus substantiolam suam adeò ferè totam effunderet, quòd præter cotidianam necessitatem sibi familiæque suæ modicæ vix quicquam in crastinum reservaret.

Cùm igitur hiemali tempore necnon & quadragesimali subsecuto morbus incessanter institisset; sub moderamine tamen tanto per gratiam desuper datam indulto, quod sensim solum de die in diem paulatim adauctus, nec subitus & duris insultibus, quod acriùs afflictis accidere solet, fuerit aggravatus; adeò ut per morbi molestiam tam gratiosè ut dictum est modificatam nec ei discretio fuisset in aliquo diminuta neque memoria vel in modico debilitata. Sed secum totus existens, nec animus ob diutinam languoris instantiam in quoquam alienatus, se tanquam hostiam vivam Deo mactare jugiter & dicare, seque non sacrificium Deo, sed holocaustum, non partialiter sed totaliter Domino vovere, dictisque modis & molestiis unà cum morbo carnem affligere, spiritumque totis roborare nisibus & salubriter expiare curavit. Qamcitùs autem ad sacros jejunialis abstinentiæ dies attigerat; statim toto devotionis & intentionis affectu petere à Domino cum lacrymis & implorare noctu diâque non cessavit; quatinus si divinâ providentiâ sacro quadragesimali tempore dies obitûs ejus immineret; eo die quo Christus in cruce positus patri suo spiritum reddidit, & ipse Deo spiritum suum reddere prævaleret. Cùm autem hebdomadis elapsis & diebus effluxis jam Pascha propiùs accessisset, viribusque totis vir ille bonus destitui cœpisset, diemque suæ dissolutionis sibi jam certiùs imminere sensisset; precibus assiduis, præsumptione majore, sed pietate propensiore & devotione vigilantiore suffultus, petere lacrimosis singultibus & vocibus anhelis implorare non cessavit; quatenus non solùm eodem die, verùm etiam eâdem horâ, quâ Christus ligno crucis affixus caput inclinans expiravit, ut spiritum suum tunc exhalare posset, hanc sibi quoque Christi pietas gratiam indulgeret.

Demum itaque die Parasceues illucescente, cùm Monachi in Ecclesiâ more diei illius horâ debitâ divina ministrarent; ipse in lecto suo residens cum Clericis suis, demissis ut potuit vocibus devotè divinis indulsit obsequiis; & horâ Dominicæ Passionis legendæ passionem Levitæ ministerio distinctè & apertè pronuntiari fecit. Sed cùm eâ perlectâ spiritus adhuc ejus in corpore superstes extiterit; iteratò Passionem ab exordio legi jussit. Quo facto cùm ad locum perventum esset quo Christus inclinato capite spiritum emisit; & ipse quoque spiritum suum verbis eisdem, quæ Christus morte imminente protulit, sc. *In manus tuas*, &c. tanquam verus Christi discipulus, magistrum etiam moriendo sequi desiderans, fœliciter emisit. Fertur autem & famâ divulgante memoriæ commendatur: quòd vir iste bonus in lecto supremæ ægritudinis, ut dictum est, & desperatæ constitutus multoties in orationibus suis lacrimosis suspiriis à Domino petere consuevit; quatinus anima sua, postquam corpus exsangue relinqueret, in igne expiabili & remediabili usque ad districti examinis diem, nisi mitiùs & misericordiùs agi cum ipsâ possit, purgatoriis suppliciis, quatinus vel tunc salva fieri posset, deputaretur. Veruntamen verisimile videtur & valde credibile; quatinus qui in finalis affectûs appetitu tam misericorditer à Domino fuit exauditus, ab eodem fonte pietatis & benignitatis longè majorem, quàm ausus implorare fuisset aut sperare, misericordiam fuerit & gratiam consecutus.

Vita

Vita WILLELMI WICKHAM, Episcopi Wintoniensis, Authore *Thoma Chaundlero,* Cancellario Oxoniensi.

Cronica brevis de ortu, vita ac gestis nobilibus reverendi Domini Willelmi de Wykham olim Episcopi Wintoniensis.

PRæmissa meditatione internâ pensante memoriâ occurrit digna recordatio Reverendi Patris & Domini Domini Willelmi de Wykham, nuper Episcopi Wintoniensis. Cujus probitas, actus & merita eximia hoc brevi compendio annotanda sunt. Fuit autem prædictus Pater apud oppidum de Wykham in Comitatu Suthamptonschire fœlici momento enixus anno Domini MCCCXXIV. & anno XVIII. regni Regis Edwardi II. Crevit autem puer Willelmus, & confortatus est; fuitque Dominus cum eo, & omnia opera ejus dirigebat. Parentes ejus Johannes & Sibilla nomine, licèt honesti genere, opibus tamen non affluebant. Unde filius non ex eorum Patrimonio, sed aliorum Patrocinio nutritus literis secularibus parvulus primitivis scientiis traditur imbuendus. Postquàm animi maturitas adesset, probis & præclaris viris adhærens, prudentiæ sæculari se commisit; & officium Marthæ in se suscipiens, panem otiosè non comedit. Unde vice tabellionis Constabulario Castri Wintoniensis adhærebat. Exinde cœpit in florem sæcularis prudentiæ pubescere, & fructu discretionis pollere; propter quos translatus est in Curiam Domini Regis Edwardi III. qui promerente ejus bonitate gratis, sc. suffragantibus obsequiis, inter primos & præcipuos Regis familiares in brevi est admissus. Illius igitur prudentiam attendens Rex Edwardus ditavit eundem peramplis beneficiis; ac procedente tempore expertâ illius ingenti discretione suum Privatum Sigillum fecerat deportare. Hunc enim secundùm utrumque hominem multiplici naturalium gratiâ donorum bonitas divina ditavit; ut in ministerium magnum vas videretur excisum, & ex naturæ beneficiis futurus prædicaretur Antistes. Nam anno Domini MCCCLXVI. anno verò regni Regis Edwardi tertii XXXIX. & ætatis dicti Willelmi Wykham XLII. civitas Wyntoniæ privata fuerat suo Antistite. In cujus quidem Ecclesiæ Episcopum divinâ disponente gratia procuratione Domini Regis Willelmus sæpe dictus canonicè electus est. Consecratur igitur in Episcopum Wintoniensem anno Domini MCCCLXVII. & anno regni Regis Edwardi tertii XL. ætatis verò dicti Willelmi XLIII. Ut cum sacramento rem sacramenti consequeretur; veterem hominem renovare disposuit; consideransque se patrem multarum gentium constitutum, æstimavit rectum renovationis progressum à seipso incipere, & tunc de recto aliis dominari posse, si sibi ipsi priùs didicisset imperare. Corpus igitur divinæ servituti subjiciens docuit ancillari & spiritui servire; sciensque quòd charitas non quærit quæ sua sunt, non solùm in se sed in proximo venari cœpit. Nam lares ægrorum & debilium per suos scrutabatur, & beneficiis visitabat, victu vestituque sustentabat quamplurimos. In omnis enim agendis Deum ante oculos habebat. Ecclesiæ Anglicanæ, in quantum potuit, & præcipuè Ecclesiæ suæ Cathedrali Wintoniensi, per omnia patrocinabatur. Consultus erat in ambiguis, in responsis promptus, alacer & affabilis. Nec erat ejus sermo sterilis nec otiosus; quem commendabat verborum & operum comitatus. Tandem non post multos hos dies, suæ sc. dignitatis sic adeptæ, prosperis sibi alludentibus ad votum, dictus Pater volens sibi divini favoris gratiam misericordiis pauperum conciliari, propensiùs cogitans recogitansque quanta sibi

ſibi fecerit Dominus, qui ditavit egenum & ſublimavit humilem, apertis theſauris ſuis, duo Collegia Clericorum ad laudem Dei & glorioſiſſimæ Virginis matris ejus in Eccleſiæ ſanctæ profectum divinique cultûs augmentum propoſuit ordinare. Erexit enim titulum, & poſuit primum lapidem in Collegio Wintonienſi in Oxoniâ anno Domini MCCCLXXIX. horâ quartâ ante meridiem quintæ diei menſis Martii, qui fuit dies Lunæ tertiæ ſeptimanæ Quadrageſimæ, anno regni Regis Ricardi ſecundi tertio, ætatis verò dicti Patris anno LV. & conſecrationis ſuæ anno XII. In quo quidem Collegio conſtituit idem Pater numerum centum perſonarum, viz unius Cuſtodis & LXX. Scolarium in diverſis ſcientiis & facultatibus ſtudere debentium, & X. Capellanorum, & III. Clericorum, & XVI. Choriſtarum pro divinis officiis in Capellâ prædicti Collegii quotidie per eoſdem ſolenniter celebrandis. Quorum, viz. Cuſtodis, Scolarium. cæterorumque prædictorum primus ingreſſus in idem Collegium ad inibi habitandum fuerat horâ tertiâ ante meridiem XIV. die menſis Aprilis, die Sabbati proximò præcedente Dominicam in Ramis Palmarum, anno Domini MCCCLXXXVI. Collegii verò B. Mariæ prope Civitatem Wintoniæ primi lapidis poſitio facta fuerat XXVI. die menſis Martii, horâ tertiâ ante meridiem anno Domini MCCCLXXXVII. & regni Regis Ricardi ſecundi anno XI. ac conſecrationis dicti Patris anno XX. ætatis verò ſuæ anno LXVIII. In quo quidem Collegio conſtitutus eſt per eundem Patrem numerus CV. perſonarum, viz. unius Cuſtodis, decem Sociorum & Capellanorum & trium aliorum conductitiorum & trium Clericorum, XVI. Choriſtarum puerorum pro divinis obſequiis in Capellâ ſuâ quotidie ſolenniter celebrandis, necnon LXX. Scolarium parvulorum Grammaticam addiſcere debentium, unius Magiſtri in Grammaticâ, & Oſtiarii ſub ipſo eis intendere debentium propter inſtructionem eorum in moribus & ſcientiâ. Primus autem ingreſſus omnium prædictorum poſt conſtructionem dicti Collegii erat hora tertia ante meridiem XXVIII. die menſis Martii anno Domini MCCCXCIII. regni Regis Ricardi ſecundi XVII. ætatis autem dicti Patris LXXIX. & conſecrationis ſuæ anno XXVI. Cæterùm non immeritò memoriæ tradendum eſt, quòd prædictus Pater ultra magnifica opera iſtorum Collegiorum prædictorum ſic per eundem ſumptuosè diſcretéque fundatorum & dotatorum, plura memoriis digna Eccleſiæ ſuæ Cathedrali Wintonienſi aliiſque pluribus locis fecit. Nam Eccleſiam illam pluribus donis, viz. veſtimentis de pannis auri aliiſque jocalibus quàm hîc inſeri poſſint, mirificè decoravit; corpuſque dictæ Eccleſiæ cum duabus alis & omnibus feneſtris vitreis à magnâ Occidentali feneſtrâ capitali uſque ad campanile à fundo uſque ad ſummum de novo reparavit, & voltas in eiſdem opere curioſo conſtituit. Omnibus ſupradictis & pluribus aliis quàm hîc inſeruntur per eundem Patrem fœliciter perpetratis, juxta diſpoſitionem divinamque honorabiliter completis, idem Antiſtes, qui cùm plenus eſſet dierum, octogenarius ſc. & ultra, totum ſe Deo commendans in fide Chriſti ſub ſacramentis Eccleſiæ fœliciter obdormivit in Domino, anno Domini MCCCCIV. & anno conſecrationis ſuæ XXXVII. in Feſto SS. Coſmæ & Damiani. Cujus corpus jacet tumulatum in Oratorio B. Mariæ Virginis in navi Eccleſiæ Cathedralis Wintonienſis, quod ipſe ſuperſtes ad honorem ejuſdem Virginis fieri ordinavit. Cujus laudem pulchrè oſtendit Epitaphium, quod metricè inſcribitur. Unde pars illius à me dicenda eſt.

Hunc docet eſſe pium fundatio Collegiorum.
Oxoniæ primum ſtat, Wintoniæque ſecundum.
Subtrahitur, ſed non moritur, quod ſemper habetur,
Ipſius egregium nomen in orbe novum.

Vita

Vita THOMÆ DE BEKINTONA, Episcopi Bathonensis & Wellensis, ex principio Collucutionum *Thomæ Chaundleri* Cancellarii Oxoniensis de laudibus Willelmi Wickham Episcopi Wintoniensis desumpta.

FErrandus. Peragratis montibus atque illis quæ luto & cœno plenæ sunt vallibus, ab almâ & præclarâ Universitate Oxoniensis Studii in hanc villam parvam introimus, consors Panesti dilectissime. Utinam tam longo itinere lassos artus, quos nisi baculo quem manu meâ gesto sustentarem in humum dilabi haud dubitem, concederetur ad tempus paululum recreari. *Panestius.* Civitatem appellare venustiùs potuisses quàm villam; quod profectò luce clariùs intelligeres, si omnem qui intro est nitorem ac pulchritudinem conspiceres. Speciosissima namque Ecclesia ista, quam adhuc procul cernimus, piissimo immortalis Dei Andreæ Apostolo consecrata intus habet digni Præsulis Episcopalem cathedram. Habet insuper adjunctum ingens Palatium, miro splendore decorum, fluentibus aquis undique vallatum, & delectabili murorum turrillarumque serie coronatum; in quo præsidet dignissimus ac literatissimus Præsul Thomas hujus nominis primus. Hic nempe suâ industriâ & impensis tantum isti splendorem civitati contulit, tum Ecclesiam portis, turribus & muris tutissimè muniendo, tum Palatium in quo residet cæteraque circumstantia ædificia amplissimè construendo; ut non fundator, immò potiùs decus ac splendor Ecclesiæ meritò debeat appellari. Quid putas honoris, quid liberalitatis & cujusvis honestatis genus in nobili ac faceto Decano cæterisque Prælatis ipsis quos Canonicos vocant reperies? Moribus itaque religiosos, vitâ & honestate Clericos, hospitalitate illustres, gratos advenis atque affabiles, cunctis benevolos, primo discernes intuitu, ac deinde experientiâ docente id senties. Solent enim advenis & peregrinis tanto humanitatis officio obsequi; ut contendere videantur quis quem invitet, in hospitiumque eum trahat. Cæterùm cùm his ipsa quæ in inferioribus Clericis est urbanitas, quos dicunt Vicarios, ordo atque civium unitas, justissimæ leges, optimæ politiæ, delectabilis loci situs, munditia platearum, habitationis nitor, intrinsecus prudens populus; ornatus, pulchritudo, decor & suavitas omnium, civitatem conficiunt ritéque condecorant. Huic vocabulum est Fontana civitas, à fontibus inibi scaturientibus sic à priscis incolis nuncupata. *Ferrandus.* Aiebas huic Ecclesiæ præsidere dignissimum quendam & literatissimum Præsulem Thomam: quibus precor literis eruditum? *Panestius.* In teneris annis bonæ indolis puer Wintoniæ traditur Grammaticis imbuendus. Cui in ipsis primordiis tanta inerat in sermone facundia, corporis elegantia, ingenii perspicacitas, & gravitas morum; ut qui eum viderant, omnes esse futurum Pontificem prædicerent. Ac cùm demum ille piissimus & prudentissimus dispensator Willelmus de Wykham ducentorum fundator Clericorum, in eum oculos convertisset; mirâ Dei dispensatione prævidens quantæ dignitatis futurus erat puer, quantaque utilitas per eundem Collegiis suis accresceret; nullis intermediantibus instantiis, mero suo motu ac solo nutu mandavit in Collegium suum prope Wintoniam assumi; ubi per aliquod tempus Grammaticis & Rhetoricis intendens, anteriores & coætaneos superabat; suoque merito dehinc in Collegium translatus Oxoniense, in florenti & juvenili ætate seniores tempore studio antecellens, egregius & in Anglorum gente facundissimus Legum Doctor Oxoniæ creatus est. Ita nihilo minùs nunc senex ingenio pollet,

memo-

memoriâ viget; quod ipsa Logicæ principia, quæ adolescens ante Jura Civilia didicerat, ac Philosophiam, quam audiendo ac legendo acquisierat, omnia ita memoriter tenet; ut si eum disserentem audires, putes te doctissimorum Philosophorum gymnasiis interesse. Sic plantatus est, sic irrigatus liberalium artium ac jurium imbribus, sed & Scripturæ divinæ adeò fructifer, ut quicquid arduum, quicquid difficile videatur opponi, mirâ quadem vel ingenii perspicuitate, vel suæ artis & scientiæ diligentiâ facile præbeat dissolvi. Quem si in privatis locis aut publicis loquentem audires; mixtam cum ejus sermone eloquentiam delectaberis advertere. Nec perpendi quenquam ejus lassum eloquiis; adeò nempe suaviter & argutè concludit omnia. O certè fœlicem hanc patriam, cui præficitur dignus Præsul, natus educatusque in eâdem, cognomen à suâ villâ sortitus, ut Thomas de Bekingtona communiter appelletur. Pauperum & Clericorum amator, super afflictis pia semper gestans viscera. Quàm fœlix Antistes! Multorum enim tersit lacrimas, quorum oculos non vidit. Ipse Philosophos & quocunque literarum genere peritos valde habet acceptos. In illius hospitium jam declinemus. Ego enim ejus humanitatem expertus quatuor annis, quibus Oxoniæ regebat Cancellarius, nescio qua industriâ potitus, aut veriùs gratiâ, cùm sit vir magnæ benignitatis ac pietatis eximiæ. Ita fuerat in gerendis rebus strenuus; ut solo nutu primâ facie antequam ortæ essent in gente ac tempore tam ferocibus maximas pessimasque discordias pacificaret. Omnibus amabilem se præbuit; ab omnibus amari sibi vehemens cura ac studium semper fuit; ita ut quantùm alii unquam honores, quantùm divitias ambiebant; tantùm iste ab ineunte ætate amores hominum: atque sic ipsos homines lucrari summopere conatus est sapiens ac prudens pacis amator. *Ferrandus.* Si tuti domum ejus ingredimur; an ipse nos læto animo suspiciet? *Panestius.* Profectò lætissimo corde suscipiet. Ego enim sum hujus humanitatem expertus; ego præibo: periculo meo veni. *Ferrandus.* Quid ei muneris offeremus? *Panestius.* Non est honoris cupidus, nec muneris ab inope libens acceptor. Quid hæsitas introire? Audendo virtus crescit, tardando timor. *Ferrandus.* Licèt admodum pauperes fuerimus; carmina tamen, quæ divitiis præfert, & linguæ officium offeramus digna suæ laudis perpetua monumenta.

Ferr. Natus in hac urbe Fontanâ, grammata discens
Wintoniæ Thomas, inibi qui substitit olim
Inter centenos tanquam scintillula candens.

Panest. Inde loco nostro velut ardens lampada luxit.
Oxoniæ quippe sociis præsentibus, illo
Tempore quo pressus obiit præ morte Robertus.
Wintoniæ Custos præponitur ordine miro.
Nescio quo jure texuntur fata virorum.
Hoc scio quòd Thomas, si sic bene contigit aut sic,
Disponente Deo sociorum voce suorum
Unâ, saltem non contradicentibus ullis,
Fit Custos, operante reor sic flamine sacro.

Ferr. Oxoniæ demum centum præponitur, illic
Electus Custos Thomas lucerna refulgens,
Otia vitavit, studuit, docuit, vigilavit,
Vepres prostravit, Domini Sabaoth reparavit
Vitem. Divinæ legis venerabilis iste
Doctor erat, Thoma Gascoing Doctore creante.

Panest.

Panest. Præficitur Clero bis Cancellarius; ac sic
Fit Studii splendor vitâ & virtute coruscans,
Discretus, prudens; rexit per quatuor annos
Clerum; sub quo pax, studium virtusque vigebat.

Ferr. Wellensis rursum fit Cancellarius; illum
Præsule Fontano Thoma sic præficiente
Suscipit officium: Deus illud prosperet illi.

Panest. Inter eos patres, nostrum quos pertulit unum
Collegium; nemo sibi Præsule carior isto.

Vita HENRICI LE SPENSER, Episcopi Norwicensis, Authore *Johanne Capgravio,* Provinciali Ordinis Eremitarum S. Augustini in Angliâ.

HEnricus igitur iste de genere Dispensatorum ortus est, miles in omnibus strenuus, & qui in robore juventutis sola bella sitire visus est. Quoniam autem tunc Anglia summâ pace gaudebat; ad Romam festinans, ibi pro Apostolico jure reluctans, rebelles Ecclesiæ vi & vindictâ oppressit. Multis igitur annis in hac militiâ perseverans, vacante Ecclesiâ Norwicensi, Papa huic viro illam contulit, specialissimis literis eum Regi commendans. Adepto igitur Pontificali gradu, multis annis populum suum pace gubernans, omnium subditorum corda retinuit. Largus erat in dandis, lætus in consolandis; & pauperum omnium optimus pater effectus, eorum vota in amorem suum retorsit. In rumore populi, quando Ribaldi per totam Angliam debacchati sunt, ipse non mediocriter se habebat. Dominis Militibus & aliis Nobilibus se propter timorem abscondentibus, ipse palam processit. Audierat enim dum cum Rege esset circa partes Londoniarum, quosdam infimæ fortunæ homines in grege suo insurrexisse & sibi titulos dominationis assumpsisse; qui & equitabant cum turbâ multâ, quærentes Magnates ut occiderentur. Quorum principaliores erant hi: Jek Lister, & alii tres, Sceth, Trunch, & Cubith. Condolens igitur pius Pastor gregem suum tot luporum morsibus laceratum, Londonias deserens venit, sicut decuit, in adjutorium populo suo. Et primò apud Cantabriggiam quosdam de hac scelerata turbâ inveniens, alios trucidavit, alios incarceravit, alios verò ad propria remisit, recepto priùs juramento, quod de cætero ad talia non exirent. Deinde cùm venisset apud Hiklyngham, ubi unum molendinum viam strictiorem reddit inter Cantabriggiam & Thetfordiam; obviàm habuit Domino Thomæ Morle & altero Militi dicto Brews. Illi autem præsentaverunt sibi ibidem tres dictos malefactores, Sceth, Trunch, & Cubith. Non enim audebant sine speciali jussione Regis morti eos tradere. Sed iste optimus vir zelum Phinees habens in pectore, populique periculum considerans, duxit eos secum apud Wymundham; ubi confessos fecit decollari. In dicto enim loco plures malefactores exiterunt; qui metu mortis territi, ulteriùs insurgere non sunt ausi. Veniensque bonus Pastor ad principaliorem civitatem suæ Diocesis sc. Norwycum, vidit domorum & locorum scissuram per dictum populum furiosum, dum sic agitarentur, factam, & condoluit.

condoluit. Nam in absentiâ suâ unus principalis Capitaneus eorum, nomine Jekke Lister, adjuncto sibi multo populo invitis civibus civitatem intrans multa horrenda fecit, specialiter in dilapidatione domorum & locorum, in quibus aliqui Nobiles vel Legis vel Regis familiares habitabant. Consimili modo fecit adjunctâ sibi turbâ unus Ribaldus de Cantiâ dictus Wat Tyler in civitate Londoniarum. Sed Henricus iste Episcopus & Pastor bonus, qui videns lupum non aufugit sed posuit se discrimini, sciscitatus est à civibus, ubi caput totius malis & totius hujus infamiæ inveniretur. At illi dixerunt eum circa Walsham-market & circa Gymyngham circumvagare; ubi maximas vires rusticorum & ribaldorum habebat. Tunc demum jubet Episcopus domesticos suos ad partes illas se transferre, cum quibus & ipse semper primus fuit. Dixit enim his qui secum erant Episcopus. Melius est ut unus malus & sceleratus moriatur, quàm tota gens pereat; quæ licentiâ ab eo obtentâ latrocinatur & furescit, occidendo eos qui criminis conscii non sunt. Et hæc dicens venit ad villam dictam Felmyngham, ubi idem Capitaneus mansionem habebat. Interrogati verò hii qui illic habitabant ubi esset, dixerunt ipsum pridie fuisse apud Thorp-market, ubi proclamari publicè fecerat, ut omnes qui volebant bonum regni & communitatis ipsum sequerentur usque ad Walsham; ubi intendebat, ut dixit, contra tirannidem supervenientis Episcopi militari acie populum defendere. Et super hac re omnes robusti villarum adjacentium ipsum secuti sunt, & ibi sunt. Ad referentem ait Episcopus. Benedicaris fili, quoniam non immiscuisti te malis hominibus nec populo pestilenti. Sic usque ad Walsham properans, invenit exitus viarum lignis, turribusque ac aliis impedimentis præoccupatum. Sed bono tractatu Episcopi & aliorum virorum qui convenerant, populus universus se reddidit, gaudentes quòd redirent cum pace. Ipse Jekke Lister murum transiliens abscondit se in segete. Quod videns quispiam de populo nunciavit Episcopo. Quæritur traditor & invenitur, captus decollatur, in quatuor partes divisus per provinciam mittitur ad Norwicum, Jernemutham, Linnam, & locum mansionis suæ; ut discant rebelles & contra pacem surgentes, quo fine terminabunt. Hæc sunt acta hujus venerabilis Episcopi. Et posthæc jussu Papæ contra Schismaticos in Flandriâ cruce signatus, signa desolationis ibidem dereliquit; & plura fecisset, nisi fraude & deceptione quorundam militum Helmham & Tryveth non fuisset impeditus. Semper enim ad punitionem malorum promptus erat; nullus Hæreticus tempore suo inter populum habitare potuit. Nec regnaverunt in diebus suis perjuratores in questis & assisis sicut nunc; quippe qui potenter opprimebat eos & diligenter inquirebat.

Si sit alicui dubium, an Episcopus sive persona Ecclesiastica poterit in quibusdam casibus arma ferre & populum ad bellum animare; & quoniam multi de hac re conscientiam faciunt; allego hîc processum Decretorum XXIII. Quæstione VIII. *Si in morte*. Ubi sub paragrafo sic continetur. Ecce quòd Nicholaus Papa prohibet Episcopos sæculari militiâ occupari, & nec etiam contra maritimos Piratas permittit eos ad pugnam accedere. Quomodo ergo Leo Papa adversùs Saracenos urbem egreditur; & ut eos procul à littore arceat, populum undique convocat, & eorum injurias præsentialiter vindicat; atque Gregorius milites ad arma invitat? Sed notandum est quosdam Episcopos Leviticâ tantùm portione esse contentos; qui sicut in Dei sorte tantùm numerantur, sic ipsum Deum solummodo in hæreditatem accipiunt dicentes: [a] *Dominus pars hæreditatis meæ*. His nihil est verè cum Principibus hujus sæculi; quia temporalia penitus abjiciunt, ne eorum occasione legibus Imperatorum obnoxii teneantur. Talibus nulla occasio relinquitur occupationis sæcularis militiæ; quia cùm de decimis & primitiis vivunt, tanquam filii summi Regis in omni regno à terrenis exactionibus liberi sunt, ita ut dicere valeant: [b] *Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* Porrò sunt alii, qui

[a] Psal. XV. 5.

[b] Joan. XIV. 30.

qui non contenti decimis & primitiis, prædia, villas, castella & civitates possident; ex quibus Cæsari debent tributa, nisi Imperiali dignitate immunitatem ab hujusmodi promeruerint. Quibus à Domino dicitur: [c] *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quibus & Apostolus ait: [d] *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Et quidam Doctor compendiosè hunc processum sic declarat dicens. Qui ergo tantùm de eleemosinis & decimis vivunt, præliis interesse prohibentur; quia cum eis nihil commune Principibus. Qui verò castra & hujusmodi regalia à Principibus habent, præliis interesse permittuntur, non tantùm contra Paganos vel Saracenos, sed etiam contra falsos Christianos alios opprimentes. Propriâ tamen manu nullâ causâ cuiquam Clericorum in sacris Ordinibus constitutorum arripere licet arma. Hæc dicta sunt in excusationem vel magis confirmationem factorum hujus venerabilis Episcopi; qui contra Schismaticos & pacis perturbatores sive fidei inimicos solùm militavit.

[c] Matth. XXII. 21.
[d] Rom. XII. 7.

Obiit autem in Vigiliâ S. Bartholomæi, sub anno Domini MCCCCVI. sepultus apud Norwycum. Cujus Epitaphium hoc est.

Henricus natus le Spenser miles amatus,
Præsul sacratus hîc Norwycensis humatus.
Florens progenie regali virgo putatur,
Et pugil Ecclesiæ, per eum quia scisma fugatur.
Lollardi mores damnavit deteriores.
Insurrectores perimens necat & proditores.
Spirat ad astra boni Pastoris mens matutinis.
Dicendo [e] *Domini est terra* fuit sibi finis.
M. quadringeno vigili sex Bartholomæi,
Christo sereno Regi peragrat requiei.

[e] Psal. XXIII. 1.

 RICHARDI

RICHARDI SCROPE, Archiepiſcopi Eboracenſis, ARTICULI ADVERSUS HENRICUM IV. Angliæ Regem.

Articuli venerabilis Domini Richardi Scrope, Archiepiſcopi Eboracenſis, contra Henricum quartum, intruſorem Regni Angliæ, anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono.

Collati cum Articulis in Continuatione Hiſtoriæ Petri de Ickham MS. in Bibliothecâ Lambethanâ.

IN Dei nomine Amen. Coram Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto, judice vivorum & mortuorum, à Domino Deo patre ſuo conſtituto, ordinato, & præelecto, & coram intemeratâ & benedictâ ſua matre & Virgine Mariâ, & Beato Georgio Martyre & Milite ſpeciali Regni Angliæ Protectore & Advocato; quorum vexilla jam in teſtimonium narrandorum expanduntur ſive extenduntur: Nos A. B. C. D. *&c.* olim metuendiſſimo & glorioſiſſimo Domino noſtro ſc. Ricardo nuper Regi Angliæ & Franciæ, ut ſibi & ſuis hæredibus regni Angliæ & Franciæ futuris Regibus, & juſto titulo, lineâ rectâ & mero jure ſecundùm leges, ſtatuta & conſuetudines regni prædicti poſt ipſius mortem in regnum ſuccedentibus, noſtram fidem, fidelitatem & veram ligeantiam, quamdiu vivemus, ſervaremus indempnem, illibatam pariter & illæſam, coram multis Prælatis & regni Proceribus & Magnatibus regni manuali juramento tactoque & oſculato ſacroſancti Evangelii libro fecimus jurati, aſtricti pariter & obligati. Vigore & virtute cujus juramenti ac aliorum juramentorum per nos præſtitorum tam in Romanâ Curia, quàm in Oxoniâ quicquid vitioſum adnullatim & deſtructim contra prædicta juramenta probatâ fide videremus inſurgere & ſurgendo ſuum malitioſum affectum ad finem optatum deducere, quamvis injuſtè, intereſſe habemus & debemus ſecundùm conſcientiam nobis à Deo datam, nos & noſtra dare & opponere, nec gladium vel mortem expaveſcere vel timere cujuſcunque, ſub pœnâ fractionis juramentorum, quæ pœna eſt damnatio perpetua & æterna. Quapropter nos videntes, ſcientes & intelligentes plura enormia patrata inviſa & maledicta ſcelera atque delicta à filiis Dæmonum & Satanæ ſatellitum, primò contra principatum Eccleſiæ Romanæ, contra libertatem Eccleſiæ Anglicanæ, contra jura Regni, perſonam Regis Ricardi & hæredum ſuorum, contra Prælatos, Proceres, Religioſos, Communitates & totam rempublicam Regni Angliæ prædicti indies ab eiſdem ſatellitibus indeſinenter & abſque ceſſatione perpetrari; quæ omnia divinæ majeſtatis oculos continuè offendunt, & ad vindictam faciendam in regno & populo excitant, provocant & compellunt. Idcirco nos A. B. C. D. *&c.* procuratores antedicti, timentes divinam vindictam & iram in proximo adeſſe, deſtructionem Eccleſiæ tam Romanæ quam Anglicanæ noſtri regni & cleri & populi inſtanter imminere & adeſſe; ſolum Deum

Deum, ejus regnum & justitiam habendo præ oculis, invocato quoque nomine Jesu in quo omne genu flectitur quod movetur, confidentes de ejus misericordiâ, clementiâ & potentiâ, qui dividit singulis prout vult; assumimus nobis certos & in formâ subscriptos Articulos proponendos, propalandos, prosequendos & probandos coram judice nostro Domino Jesu Christo superiùs memorato ac toto mundo, ad ipsius honorem, Ecclesiæ, Cleri & populi liberationem, & in reipublicæ utilitatem & commodum. Quòd si, quod absit, fortitudine, formidine vel hominum malignorum [a] proditorum in carceribus vel vinculis fuerimus detenti, vel morte violentâ præventi fuerimus, quo minùs prædictos articulos probare poterimus in hoc mundo, prout cupimus; ad summum Judicem nostrum & supremum Jesum Christum superiùs nominatum, ut ipse de eisdem articulis in suo extremo judicio judicet & decernat, in his scriptis provocamus & appellamus. Quorum articulorum prosequendorum & ut præmittitur probandorum sequitur primus in hunc modum.

[a] prædictorum.

Primò ponimus, dicimus, excipimus, & probare intendimus nos reipublicæ procuratores & defensores coram judice nostro Domino Jesu Christo contra quendam Dominum, sc. Henricum Derby filium Domini Johannis de Gaunt, nuper Ducis Lancaster vulgariter in regno nostro Angliæ nuncupatum, & se Regem Angliæ jam dicentem & prætendentem, licèt nullum jus vel titulum prout [b] habeatur ad eundem; contraque cæteros complices suos, adhærentes & fautores; Ecclesiæ Dei, scilicet Romanæ ac Anglicanæ, Wallicanæ, & Hibernicanæ, Regis Domini nostri Ricardi nuper Angliæ, suorum hæredum, regni, & reipublicæ ejusdem invasores, destructores & proditores fuisse, fore & esse: ut [c] pateat in sequentibus manifestè.

[b] habebat.

[c] patebit.

Secundò ponimus, dicimus, & probare intendimus iidem procuratores & reipublicæ defensores contra eundem Dominum Henricum; quòd idem Dominus Henricus tum propter crimina enormia & delicta proditoria contra Dominum Regem suum Dominum Ricardum ejusque statum præconcepta, præcogitata, conjectata & conspirata, ut toti patuit regno, & claruit [d] cùm duellum inter dictum Dominum Henricum & Dominum Thomam Ducem Norfolchiæ apud Coventre fuit initum & conceptum, sed non perfecte consummatum, erat idem Dominus Henricus per sententiam dicti Domini Regis Ricardi, Domini Johannis Ducis Lancastriæ patris sui, populorumque Dominorum temporalium & regni Procerum voluntatem & consensum suum, saltem verbotenus ab eisdem Dominis expressatum, ad certum terminum & tempus extra Regnum Angliæ missus, juratusque de non redeundo vel remeando in Regnum Angliæ prædictum, priusquam gratiam Regiam obtinuisset & habuisset. Sed eodem Domino Rege Ricardo in Hibernia existente pro reformatione dictæ terræ Hiberniæ ad coronam Regiam pertinentis & spectantis; sed tunc aliqualiter contra dictam coronam rebellantis, & recalcitrantis, idem Dominus Henricus contra juramentum suum pristinum & voluntarie præstitum & infra tempus ejusdem, cum prædictis suis fautoribus & Regni invasoribus, Regnum prædictum Angliæ clam & secretè est ingressus; voce publicâ & omnino jurans & protestans se ob nullam aliquam causam quamcunque in absentiâ Domini nostri Regis Ricardi Angliam intrâsse, nisi ut hæreditatem paternam jure hæreditario post mortem sui patris sibi debitam, & hoc cum consensu & voluntate Domini sui Regis Ricardi & aliorum Regni Dominorum tam Spiritualium quàm Temporalium, humiliter peteret & haberet; quod quasi omnibus placuit ita clamantibus & dicentibus *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sed qualiter hæc benedictio versa est in maledictionem, patebit in sequentibus; ex quibus patet ejus mira & nefanda ac omnibus stupenda conspiratio in destructionem & mortem Domini nostri Regis Ricardi & plurimorum Dominorum

[d] quando.

norum aliorum tam Spiritualium quàm Temporalium, & ejus manifestum perjurium; & sic non solum stat & est perjurus contraveniens voluntariè suo proprio juramento, verùm etiam excommunicatus propter machinationem & conspirationem in mortem Principis sui & nostri Regis. Unde ipsum pro præmissis tam perjurum quàm excommunicatum in his scriptis pronunciamus.

Tertiò ponimus, excipimus, dicimus & probare intendimus nos reipublicæ procuratores coram judice nostro superiùs memorato contra prædictum Dominum Henricum Derby; quòd cùm idem Dominus Henricus per suas machinationes & verba dolosa immediate post suum ingressum in Angliam palam populo propalata, & publicè per regnum proclamando nullas de cætero decimationes Ecclesiasticas in Clero, quintam decimam in populo, sigillationem panni, diminutionem lanæ & vini, solutiones & extortiones vel exactiones aliquas de cætero in regno fieri; ut sic Prælatorum Spiritualium, Dominorum Temporalium, Clericorum promotorum, Mercatorum, & quasi omnium Regni communitatum voluntatem, vocem & favorem sibi & suis adquireret; statim castra regia manu forti recepit ac tenuit, bona regia ubicunque fuerant inventa vastavit, & clamando *Havok* fideles homines tam spirituales quàm temporales quosdam spoliavit, quosdam captivavit & incarceravit, quosdam miserabili & incessabili & turpissimâ morte condemnavit & occidit; quorum quidam fuerunt Pontifices, Prælati, Sacerdotes & Religiosi. Ex quo patet ipsum Dominum Henricum non solùm fore & esse perjurum, promittendo & jurando nullas in populo exactiones, solutiones & extortiones de cætero in regno fieri; verùm etiam excommunicatum propter violentiam & injuriam prædictis Prælatis & Sacerdotibus factam pariter & illatam. Unde ipsum, ut supra, pro præmissis tam perjurum quàm excommunicatum in his scriptis denunciamus.

Quartò ponimus, dicimus, excipimus & probare intendimus iidem procuratores, ut supra, contra prædictum Dominum Henricum; quòd idem Dominus Henricus, postquam audivit quòd Dominus noster Rex Ricardus de Hiberniâ in Walliam adveniret, cum multis millibus hominum armatorum idem Henricus dicto Domino Regi occurrit; & usque ad Castrum de Flynte in Walliâ cum eodem suo exercitu properavit; ibique suum Regem cepit ac tenuit; & quod dolenter ac flebiliter referimus, quia sanguis ejus super nos & super filios nostros, eundem usque ad Leicestriam secum tanquam proditorem duxit; & sic captivatum iter versus London arripuit; & per viam sic inductus [c] infinitas injurias & inaudita opprobria ab eo & suis passus est & sustinuit; eumque in Turri London posuit; & eodem Rege sic incarcerato & absente, Parliamentum tenuit, in quo eundem Dominum Regem Ricardum resignare jus regni & coronæ regiæ per metum mortis compulit & artavit. Qua resignatione sic factâ quamvis nullâ, nec de jure nec de facto, idem Dominus Henricus coram Parliamento surgens superbè & pompaticè coram omnibus dicens & asserens, Regnum Angliæ & coronam regiam ejusdem & regalia ejusdem, immediatè ad se, & ad nullum alium, nunc temporis de jure pertinere; quod falsum fuit, est & erit in æternum. Quia omni jure quod habuit vel habere potest vel potuit, per facta sua præcedentia & subsequentia in perpetuum est privatus. Sed tamen per fas & nefas seipsum in Regem promovit & exaltavit; à quo tempore Regnum nostrum nunquam viguit nec prosperavit, sed omnibus virtutibus caruit; quia Clerus defecit, militia recessit, & exaruit caristia, inolevit cupiditas, ac miseria accessit. Et quid plura? gratia vestra breviter est sublata, & vindicta est parata. Ex quibus patet eundem Dominum Henricum non solùm fore & esse perjurum & falsum, usurpando sibi, ut præmittitur,

[c] plurimas.

præmittitur, alterius scilicet regnum & regni dominium & regalia; verùm etiam & excommunicatum propter Regis sui violentam captionem & injustam incarcerationem & falsissimam à regno suo privationem & direptionem. Unde hîc, sicut in aliis nostris articulis superiùs memoratis, eundem Henricum pronunciamus & denunciamus fore & esse perjurum & excommunicatum.

Quintò ponimus, dicimus & excipimus & probare intendimus iidem procuratores qui supra contra prædictum Dominum Henricum; quòd idem Dominus Henricus cum cæteris suis fautoribus, mala malis & pejora pejoribus semper accumulantes, nefandissimum & sceleratissimum & à seculis retroactis inauditum perpetrarunt facinus, & expleverunt factum. Nam postquam, ut superiùs diximus, prædictum nostrum Regem Ricardum diu tenuerunt & incarceraverunt, & regno suo privaverunt & deposuerunt; his malis, damnis & injuriis sibi inhumaniter, & contra naturam illatis & irrogatis, iis non solùm contentis, verumetiam ad Castrum de Pomfret eum deduxerunt, & in eodem posuerunt & incarceraverunt; ubi breviter, ut vulgariter dicitur, quindecim dies & totidem noctes in fame, siti ac frigore vexaverunt & crucifixerunt, & tandem morte turpissimâ adhuc regno nostro Angliæ penitus incognitâ sed gratiâ divinâ diutiùs non celandâ interemerunt & occiderunt. Quis quæso unquam audivit factum tale? aut quis vidit huic simile? Tu qui Anglicus es & audis, obstupesce: tu qui vides & Anglicus es, tibi plorare est necesse! Tu qui hoc cogitas, & Anglicus es, infreme & ingemisce! O Domine Jesu Christe! quis timebit occidere communem vel pauperem; cùm isti non timebunt occidere tam nobilem & generosum Principem? Quis quæso de cætero timebit occidere cujuscunque ordinis vel statûs hominem; cùm isti non timebunt interficere verum suum Regem, sacrorumque sancto crismate unctum & consecratum? Aut quis de cætero verebitur mutilare alicujus filium simplicis; cùm isti non confundebantur mutilare filium Edwardi tam nobilis Principis Walliæ? Surge igitur Anglia in causam, sanguinem, injuriam & mortem Regis tui, & injuriam in tuâ personâ celeriter vindicare? Quod si non feceris; scito quòd verus Deus & justus per alienas gentes & [f] exteras nationes, puta Wallicanas, Scoticanas, & Hibernicanas, destruet tuam linguam & gentem; & sic in irâ suâ vindicabit se de te pro hac nefandâ re: Ex quo patet non solum ejus perjurium, verumetiam ejus execrabilis excommunicatio. Ideo prædictum Henricum pro præmissis denunciamus, ut supra, non solùm perjurum, sed etiam excommunicatum.

[f] extraneas.

Sextò ponimus, dicimus, excipimus, & probare intendimus iidem procuratores qui supra contra prædictum Dominum Henricum; quòd postquam coronam & regalia regni de facto ut præmittitur, licèt non de jure, est assecutus & sortitus, plures [g] Dominos Spirituales, Præsules & Pontifices, Abbates & Priores, Clericos Sæculares, Clericos promotos & non promotos, Regulares, Religiosos, quos capi fecit per manum laicalem & arestari, incarcerari & vinculari, ad vetitum examen & prohibitum, & ad sæculare judicium protrahi, stare, & condemnari fecit; non parcendo Pontificibus vel eorum corporibus sacrosancto crismate unctis & consecratis; aliosque Sæculares Presbyteros & Religiosos quamplures per sæculare examen & judicium temporale condemnari, protrahi, suspendi, decapitari fecit, jussit & permisit; non obstante sacrosanctæ Ecclesiæ privilegio, eorum Sacerdotio, capitum rasurâ, manuum consecratione, infinitarum Missarum celebratione, & habituum benedictione. Quæ omnia revereri & venerari debuisset, si verus Rex & justus fuisset; Quia primum & præcipuum in coronatione veri Regis est juramentum libertates & jura Ecclesiæ inviolabiter custodire, defendere & tueri debere. Quorum jurium

[g] inter.

rium & libertatum eſt, nullum Sacerdotem, Religioſum, vel Clericum trahere ad ſæculare judicium, niſi hæreticum & poſt degradationem ab Eccleſia factam. Cujus contrarium fecit hic Dominus Henricus, facit & continuat. Ideo ex iſto articulo, ſicut in omnibus aliis præcedentibus, patet ipſum non ſolùm eſſe perjurum, ſed etiam excommunicatum.

Septimò ponimus, dicimus & probare intendimus nos procuratores antedicti contra prædictum Dominum Henricum; quòd idem Dominus Henricus non ſolùm Dominos Spirituales, Pontifices, Prælatos, Presbyteros, & ut præmittitur, Religioſos, ſuſpendi & decapitari fecit & juſſit; verumetiam & Dominos Temporales & Regni Proceres quamplurimos, & ferè omnes pro juſtitiâ regni inſudantes & laborantes, crudeliter occidit & nequiter interfecit; & plures nititur infra breve confundere & extinguere, niſi ſuæ malitiæ & nequitiæ per Dei miſericordiam & gratiam citiùs obvietur. Inter quos Dominos Regni Proceres & Magnates, primo ſc. Dominum Comitem Sarum, Dominum Comitem Huntington, Dominum Comitem Gloceſtræ, Dominum Rogerum Clarendon, fratrem Domini Regis, & quaſi [h] infinitos alios Milites & Armigeros. Noviſſimè verò, quod dolenter referimus, nobiles Dominos exiſtentes Milites Dominum Thomam Percy Comitem Wigorniæ, & Dominum Henricum Percy, primogenitum Comitis Northumbriæ, quem Henricum Percy non ſolùm ſemel occidit, ſed quantum in ipſo eſt bis & ter interfecit; Quia poſtquam fuit ſemel occiſus, & Domino de Furnyvale ad ſepeliendum traditus & liberatus, qui ipſum Eccleſiaſticæ ſepulturæ, prout moris erat Chriſtianorum, cum honore quo tunc potuit tradidit, & cum ſuffragiis mortuorum, Miſſarum & aliarum orationum ipſius animam apud Deum commendavit; idem Dominus Henricus, ut cruenta [i] beſtia, ejus ſanguinem denuo ſitiens, & ejus corpus de tumulo exhumari & extrahi præcepit, & inter duas molas aſinarias in quodàm vico de Shrewsbury juxta colliſtrigium reponi & [k] ſedere fecit, ac cum armatis hominibus cuſtodiri, poſtmodum decollari, & membratim dividi & quarteriſari, & caput & ejus quarterias ad regni certas civitates tranſmitti juſſit. Hæc enormia & quamplura alia fecit. Propter quod factum deteſtabile, à ſæculis retroactis de aliquo tyranno vel Chriſtiano inauditum eſt. Unde ſententiâ majoris excommunicationis eſt [l] involutus. Ideò hîc, ſicut in ſuperioribus noſtris articulis, ipſum Henricum in his ſcriptis excommunicatum eſſe pronunciamus.

[h] plures.

[i] bellua.

[k] reponi.

[l] innodatus.

Octavò ponimus, dicimus, excipimus & probare intendimus iidem procuratores qui ſupra contra eundem Dominum Henricum; quòd idem [m] Dominus Henricus, poſtquam regnum & coronam ejuſdem regni regaliam de facto ut præmittitur & non de jure eſt adeptus & ſortitus, quoddam ſtatutum nefandiſſimum promulgatum & renovatum in Parliamento apud Wintoniam celebrato anno Domini Regis . . . . . . ſcienter approbat, ratificat & ſuſtinet, nec aliud remedium quàm illud ordinat vel opponit: quod quidem ſtatutum eſt directè contra Curiam Romanam, ejus poteſtatem ac principatum à Domino noſtro Jeſu Chriſto, Beato Petro ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus traditam & collatam; quibus omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum tam ſuperiorum quàm inferiorum plena & libera diſpoſitio, ordinatio & collatio ex eorum poteſtatis plenitudine deberet ut noſcitur pertinere. Quod ſtatutum nefandum eſt cauſa efficiens multorum ſcelerum & peccaminum, videlicet, Simoniæ, Perjurii, Adulterii, Inceſtûs, Irregularitatis & Inobedientiæ. Quia plures Epiſcopi, Abbates, Priores & Prælati, non dicimus virtute, ſed errore iſtius ſtatuti, vacantia Beneficia conferunt juvenibus & illiteratis & indignis perſonis, qui ſecum communicaverunt in his peccatis & enormibus delictis. Et vix reperitur aliquis Prælatus taliter Beneficium conferens; quin ex conventione

[m] ipſe.

ventione ac pacto vult habere singulis annis tertiam [n] vel dimidiam partem Beneficii sic collati. Et sic his diebus non promovent aliquos, nisi suos filios spurios & cognatos, secum in peccatis enormibus laborantes, & commensales. Ita quòd per istud statutum destruitur Clerus Universitatum. Quia Milites & Armigeri, Mercatores & tota regni communitas potiùs eligunt filios suos & cognatos apprenticios facere vel constituere in aliqua arte temporali vel sæculari, quàm ad aliquam Universitatem pro Clericis fiendis mittere vel destinare; & sic istud statutum nefandum non solùm est derogativum juris Sancti Petri, Ecclesiæ Romanæ & Anglicanæ; verumetiam & destructivum Cleri & Universitatum Oxoniæ & Cantabrigiæ, & per consequens regni militiæ & reipublicæ; quòd ex uno semper sequitur aliud. Et ideo prædictum Henricum, tanquam principalem, omnesque alios hoc statutum concedentes, excommunicatos dicimus fore ipso jure; & excommunicatos in his scriptis denunciamus.

[n] vel quasi.

Nonò ponimus, dicimus, excipimus, & probare intendimus nos procuratores antedicti contra Dominum Henricum; quòd postquam idem Henricus malitiose & tyranniter sibi, ut præmittitur, usurpavit regimen regni, regaliam & coronam, nunquam viguit Anglia, nec vigebit nec prosperabitur in Clero nec in populo; & omnia nobilissima & ditissima per fœlices Reges Angliæ præcedentes gratiâ divinâ & armis militaribus per conquestum eidem regno & coronæ adquisita, ut puta generosa terra Aquitania, nobilis terra Wallia, & fertilis terra Hibernia, suo tempore sunt totaliter perdita & reversa. Et quod pejus est, terra nostra quasi tota in semetipsa est divisa & destructa; cùm exactiones & destructiones plurimæ, innumerabiles collectiones pecuniæ in Clero & in populo, annuatim in tempore suo & quasi sine cessatione sint extortæ & collectæ: nec scitur à Dominis regni, sed penitus ignoratur, quo prædictæ pecuniæ sic nequiter per ipsum extortæ devenerunt aut quò vadunt. Quia Militibus & Armigeris pro eorum laboribus & expensis nihil, ut asserunt, eis datur; populis [o] non ruralibus & mediocribus personis pro eorum victualibus parum vel nihil solvitur. Et tamen infœlix & miser Clerus, & infœlicior & miserrimus populus semper ad solvendum per minas & pœnas compellitur & artatur. Tales solutiones injustas & exactas & vexationes indebiter, tam spirituales in Clero quam temporales in populo, tempore quo sibi coronam usurpavit, de cætero publicè juravit in regno non fiendas. Ex quibus non solum patet ejus manifestum & continuatum perjurium; verumetiam propter ejus indebitam & injustam Ecclesiæ Dei vexationem incurrisse excommunicationem manifestam. Unde hìc, sicut in cæteris omnibus articulis superiùs memoratis, ipsum denunciamus non solùm fore perjurum verumetiam excommunicatum.

[o] etiam.

Decimò & ultimò ponimus, dicimus & publicè in his scriptis protestamus nos procuratores supradicti, pro nobis & vobis in hac causâ Romanæ Ecclesiæ & Anglicanæ, Domini Regis Ricardi, suorum hæredum, Cleri & populi & totius reipublicæ regni nostri Angliæ assistentibus & adhærere volentibus; quòd non fuit, est nec erit intentionis aliquid dicere vel facere quod debet offendere aliquem statum Prælatorum, Spiritualium Procerum, Dominorum Temporalium, vel communitatum hujus regni. Sed quia proditionem & destructionem hujus regni prædicti Angliæ appropinquare & imminere videmus; hos articulos eandem destructionem causantes & excitantes universitati omnium Dominorum tam Spiritnalium quàm Temporalium ac communitati fidelium Anglicorum duximus intimandos & conscribendos; obsecrantes vos omnes in visceribus Jesu Christi Dei & judicis nostri & per merita

rita beatæ Mariæ matris ejusdem, & Sancti Georgii nostri Protectoris, sub quorum vexillis tam expansis sive protensis vivere volumus, & sub pœnâ perditionis & damnationis animarum vestrarum ; ut huic causæ & nobis favorabiles sitis & benigni in nostris agendis actionibus ; quæ causæ sunt tres tantùm in numero. Intendimus primò cum Christi auxilio justum & verum hæredem nostri Regni Angliæ & Regem sublimare & in suo regali solio Regis diademate coronare : Secundò Wallenses, Hibernenses, & omnes regni nostri inimicos ad nostram perpetuam pacem & concordiam revocare : Et tertiò regnum nostrum Angliæ ab omni exactione, extortione & injustâ solutione liberare & finaliter liberum facere. Ideò omnibus in isto pio, ut credimus, meritorio negotio nobis assistentibus & juxta suum posse juvantibus, Dei & Domini nostri Jesu Christi benedictionem, peccatorum suorum omnium veniam, & vitam in scriptis [p] promittimus sempiternam. Et nobis verò contradicentibus maledictionem Dei omnipotentis [q] damus autoritate nobis commissâ à Deo & Ecclesiâ suâ, & in his scriptis excommunicamus eosdem. Fiat, fiat.

[p] dari.
[q] comminamur.

Clementis

CLEMENTIS MAYDESTONE Historia de Martyrio RICARDI SCROPE, Archiepiscopi Eboracensis.

Hæ fuerunt causæ, quare decollatus est Archiepiscopus RICARDUS SCROPE.

PRima causa fuit, quòd consuluit Regi ad pœnitendum & ad satisfaciendum pro perjurio quo juravit in villâ de Chestriâ per sacramentum corporis Dominici, quòd non rebellaret nec deponi consentiret Regem Ricardum; cujus contrarium fecit cogendo Regem Ricardum resignare coronam in Parliamento in crastino Sancti Michaelis, anno Domini MCCCLXXXXIX. per attornatum, & eodem Rege Ricardo in Turri London incluso medio tempore; & tamen fidelitatem ante eidem Regi Ricardo juravit in præsentiâ Domini Thomæ Arundell Archiepiscopi Cantuariensis, & multorum Nobilium.

Item optavit idem Archiepiscopus Ricardus Scrope; quòd corona regni restitueretur rectæ lineæ vel cursui; & Ecclesia Anglicana haberet suas libertates, privilegia & consuetudines secundùm justas leges regni Angliæ ab antiquo usitatas.

Item quòd Domini Regni & Magnates judicarentur per Pares suos cum deliberatione justâ aliorum Dominorum illis æqualium.

Item quòd Clerus & communitas regni non sint oppressi per exactiones & taxas decimarum, quintadecimarum & subsidiorum, nec per alias impositiones iniquas, eo modo quo jam opprimuntur. Anno post coronationem suam idem Rex habuit unam decimam, & aliquando duas in uno anno; licèt in primo introitu juravit idem Rex, quòd in tempore vitæ suæ, in quantum impedire possit, quòd nunquam solveret Ecclesia Anglicana decimam nec populus taxam: & istud juravit in Castro de Knaresburgh juxta Eboracum.

Item quòd coronâ restitutâ rectæ lineæ, certi sapientes qui sciunt honores & haberent scientiam, assignarentur; & alii cupidi & avari ac ambitiosi, qui volunt dicere & facere quæ Regi placent & non Deo, sed ut ipsi net ditarentur, amoverentur.

Item quòd Vicecomites in quolibet Comitatu liberè eligerentur absque coertione Domini Regis seu Baronum.

Item quòd Barones, Nobiles & communitas regni in suis causis haberent in Parliamento liberam disponendi facultatem.

Hic incipit Martyrium prædicti Ricardi Archiepiscopi.

ANno Domini MCCCCV. VIII. die mensis Junii, scilicet in die Sancti Willelmi Confessoris, quæ tunc fuit feria secunda Pentecostes, Magister Ricardus Scrope, Baccalarius Oxoniæ Artium, Doctor utriusque Juris Cantabrigiæ, Advocatus pauperum nuper in Curiâ Romanâ, & deinde Lychfeldæ Episcopus, & postea Archiepiscopus Eboracensis, decollatus est extra muros prope Eboracum. Henricus enim quartus Rex Angliæ in camerâ Manerii dicti Archiepiscopi, quod vocatur Bishopsthorp juxta Eboracum, mandavit

Willelmo Gascoyne Armigero ad tunc Justiciario principali Angliæ; ut sententiam mortis de præfato Archiepiscopo proferret tanquam de proditore Regis; qui hoc recusavit, & sic sibi respondit. Nec vos Domine mi Rex, nec aliquis nomine vestro vester ligeus, potestis licitè secundùm jura Regni aliquem Episcopum ad mortem judicare. Unde præfatum Archiepiscopum judicare omnino renuit. Quare idem Rex irâ vehementi exarsit versùs eundem Judicem, cujus memoria sit in benedictionem in sæcula sæculi. Et statim mandavit Domino Willelmi Fulthorp Militi & non Judici; ut eodem die, scilicet feriâ secundâ hebdomadis Pentecostes, qui fuit dies octavus mensis Junii, sententiam mortis in aulâ præfati Manerii in Archiepiscopum, quem vocavit proditorem, proferret. Et cùm prædictus Willelmus Gascoyne Judex principalis Angliæ omnino renuit; prædictus Dominus Willelmus Fulthorp in loco Judicis sedit, & Archiepiscopum adduci præceperat. Quo Archiepiscopo coram ipso nudo capite stante, hanc sententiam ipso accedente & omnibus circumstantibus protulit. *Te Ricardum proditorem Regis ad mortem judicamus; & ex præcepto Regis decollari mandamus.* Hæc audiens Archiepiscopus, hanc orationem publicè dixit. *Deus justus & verus scit me nunquam intendisse malum contra personam Regis nunc Henrici quarti.* Quibus verbis Archiepiscopi patet communem famam tunc fuisse ubique; intentio tamen Archiepiscopi fuit adire Regem cum cæteris Dominis, qui ad hoc congregarentur, ut peteret à Rege reformationem malorum in Regno tunc existentium; quia tunc erant dissentiones inter Dominos, specialiter inter Dominum Nevil & Comitem Marescallum. Quare Archiepiscopus dixit populo suo seipsum equitare cum multitudine. Et post prædicta verba dixit sæpius circumstantibus: *Oretis, ut Deus omnipotens non vindicet mortem meam in Rege nec in suis.* Quæ verba sæpe repetiit, deprecando simul Protomartyri Stephano, qui pro lapidantibus deprecatus est. Et postea eâdem die circa meridiem ductus est super equum valoris XL. denariorum sine sellâ; & gratias agens, dixit quòd nunquam placuit mihi meliùs equus quàm iste placet. Et Psalmum *Exaudi* secundum decantavit, sic equitando cum capistro & in blodiâ chimærâ & manicis chimæræ ejusdem coloris existentibus. Vestem tamen lineam, qua utuntur Episcopi, non sinebant Archiepiscopum uti. Et sic cum caputio jacincti coloris sive consimili colore circa humeros suos pendente ductus est, sicut ovis ad victimam, qui verò non aperuit os suum nec ad vindictam nec ad excommunicationis sententiam. Qui cùm ad locum decollationis pervenisset, dixit, *Omnipotens Deus, tibi offero meipsum & causas pro quibus patior; & veniam à te peto pro omnibus peccatis & indulgentiam à me commissis sive omissis*; & tunc capucium & tunicam ad terram deposuit; & suo decollatori Thomæ Alman nuncupato dixit; *Fili, mortem meam Deus tibi remittat, & ego tibi remitto; tamen deprecor, ut Deus mihi cum gladio tuo quinque vulnera in collo meo, quæ sustinere cupio pro amore Domini mei Jesu Christi, qui pro nobis obediens patri usque ad mortem quinque vulnera principalia sustinuit.* Et tribus vicibus osculatus est eum; & positis genibus orabat dicens, *In manus tuas, dulcissime Jesu, commendo spiritum meum:* junctis manibus, & elevatis oculis in cœlum; & mox extendit collum genuflectendo, & cancellatis manibus super pectus suum, Decollator cum gladio eum quinquies in collo percussit unâ & eâdem carnis divisione. Et in quintâ percussione caput ad terram cadit, corpus super dexterum latus. Erant enim ibi quinque seliones cum ordeo ubi fuit Archipræsul decollatus; qui erant pedibus conculcantium in die decollationis suæ penitus destructi, sed tamen in autumno absque aliquo opere Deus ex suâ gratiâ tale incrementum dedit supra communem usum; ut aliqui calami quinque, aliqui quatuor spicas ordei produxerunt; & qui pauciores, minus tamen quàm duas spicas non produxerunt. Eo tempore quo fuit decollatus, idem Rex horribili leprâ percussus est equitando versus Ripon; & videbatur, quòd quidam

dam percussit Episcopum sensibiliter; & hac de causa pernoctabat in villâ de Hamerton per VII. miliaria ab Eboraco distante; & nocte eâdem sequente horribiliter idem Rex vexabatur, in tantum quòd clamore magno Camerarios suos excitavit, qui surgentes omnia luminaria in camerâ & aulâ sine lumine & sine igne invenerunt; & Regi theriacum in vino vocato *Vernage* dederunt: & in crastino ad Ripon equitavit valde infirmus; ubi permansit per VII. dies. Et quùm Georgius Plumpton, qui Regem VIII. die decollationis prædictæ vidit, quòd in facie & in manibus prædicti Regis magnæ pustulæ leprosæ crescebant & præeminebant quasi capita mamillarum. Et qui ista vidit & audivit, testimonium perhibuit, Stephanus Cotinham alias Palmer; qui hæc Magistro Thomæ Gascoyne Sacræ Theologiæ Professori retulit.

In nocte verò tertiâ post prædictam decollationem aparuit idem Archiepiscopus Johanni Sibson in domo suâ apud Roclyfe, præcipiens eidem ut peccatum suum de cogitatione homicidii Pœnitentiario Eboracensi confiteretur; Quia, inquit, triginta annis elapsis de dicto proposito indies insidias parâsti ad occidendum talem hominem. Sed quia in opere non complevisti, peccatum non esse putasti, nec confessus es. Ideò pœnitere, & confitere; ne fortè damneris. Hoc idem Johannes Simpson narravit in audientiâ plurimorum; & præcepit ei, ut offeret candelam ceream super sepulchrum ejus; & quòd asportaret truncos, quos homines super sepulchrum ejus posuerunt ne homines ibidem adorarent vel offerrent. Quæ idem Johannes, solus & senex dierum asportavit & removit; licèt & aliqua ipsorum vix tres fortes homines levare potuerunt; & coram altari Beatæ Virginis Mariæ ibidem in Ecclesia deposuit; ac per XIV. vices eidem Johanni idem Sanctus Archipræsul aparuit. Et virgo moriebatur idem Archiepiscopus; ut per confessionem ejusdem cognitum est.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCCCV. decollatus est fœlicis recordationis Dominus Ricardus Scrope, Legum Doctor, ex præcepto & consensu Henrici quarti Regis Angliæ; post cujus fœlicem mortem multimodâ miraculorum gloriâ declaratam, idem Rex saniori consilio quorundam sibi assistentium ad se reversus, pœnitudinem quandam assumpsisse videbatur; misitque ad Sedem Apostolicam nuncios solennes pro absolutione obtinendâ, scilicet tam pro injuriâ Christi Ecclesiæ illatâ, quam pro reatu quem contraxit præcipiendo mortem prædicti sanctissimi Præsulis, necnon contra omnia jura sibi nequiter procurata. Cùm verò Romanus Pontifex nunciorum verba audisset; ingemuit, & plurimas effundens lacrimas cum maximo mœrore dixit: *Heu! heu! quòd in diebus meis tanto scelere Christi sponsa sit impiorum manibus tam turpiter obscurata.* Et his dictis recessit. Cúmque dicti nuncii dicti Regis nudis pedibus, capitibus discoopertis, & vestibus tantummodo lineis induti, veniam, indulgentiam & absolutionem postulâssent, & nullatenus profecissent; tandem preces precibus immergentes, & pretiosa munera Cardinalibus & Cubiculariis distribuentes, sub hac tantummodo conditione plenariam indulgentiam eidem Regi obtinuerunt; ut idem Rex tactis sacrosanctis reliquiis Sanctorum juraret tria nova Monasteria construere acrioris observantiæ totius Christianitatis in honore trium Festorum principalium; Et quòd dotaret ipsa Monasteria absque ullâ oneris impositione; ut Religiosi in eisdem degentes cum omnium pace & animorum quiete Deo gratuitis obsequiis deservirent. Reversi Nuncii omnia referunt, Regique præcepta Apostolica & salutis æternæ januam sibi apertam. Quæ omnia libentissime suscepit, & ipse juravit fideliter completurum. Sed quid proficit in infirmo sua detegere vulnera; nisi sanitatis remedia voluerit adhibere? Nam usque ad extremam vitæ suæ horam idem Rex Henricus quartus & propriæ animæ remedium & publicum juramentum & Apostolicum neglexit mandatum, & mortuus est.

Poſt mortem ejuſdem Regis accidit quoddam mirabile ad prædicti Domini Ricardi Archipræſulis gloriam declarandam & æternæ memoriæ commendandam. Nam infra triginta dies poſt mortem dicti Regis Henrici quarti venit quidam vir de familiâ ejuſdem ad domum ſanctæ Trinitatis de Howndeſlow veſcendi causâ; & cùm in prandio ſermocinarentur circumſtantes de probitate morum ipſius Regis; reſpondit prædictus vir cuidam Armigero vocato Thomæ Maydeſtone in eâdem menſâ tunc ſedenti. Si fuerit vir bonus, novit Deus; ſed hoc veriſſime ſcio, quòd cùm à Weſtmonaſteriâ corpus ejus versùs Cantuariam in parvâ naviculâ portaretur ibidem ſepeliendum, ego fui unus de tribus perſonis qui projecerunt corpus ipſius in mare inter Berkingum & Graveſend. Et addidit cum juramento; tanta tempeſtas ventorum & fluctuum irruit ſuper nos, quòd multi Nobiles ſequentes nos in naviculis octo in numero diſperſi ſunt, ut vix mortis periculum evaſerunt. Nos verò qui eramus cum corpore, in deſperatione vitæ noſtræ poſiti, cum aſſenſu projecimus illud in mare; & facta eſt tranquillitas magna. Ciſtam verò, in qua jacebat, panno deaurato coopertam cum maximo honore Cantuariam deportavimus, & ſepelivimus eam. Dicant ergo Monachi Cantuariæ, quòd ſepulchrum Regis Henrici quarti eſt apud nos, non corpus: ſicut dixit Petrus de Sancto David Act. 2°. Deus omnipotens eſt teſtis & judex; quòd ego Clemens Maydeſtone vidi virum illum, & audivi ipſum jurantem patri meo Thomæ Maydeſtone omnia prædicta fore vera.

Giraldi

Giraldi Cambrensis,

Archidiaconi & Episcopi Electi Menevensis,

Vita GALFRIDI Archiepiscopi Eboracensis.

Vitæ Episcoporum Lincolniensium.

Vitæ Sex Episcoporum coætaneorum.

Epistola ad STEPHANUM LANGTON Archiepiscopum Cantuariensem.

De Libris à se scriptis.

De Descriptione Walliæ Liber Secundus.

Retractationes.

De Rebus à se Gestis Libri III.

De jure & statu Menevensis Ecclesiæ Distinctiones VII.

Vita S. DAVIDIS Archiepiscopi Menevensis.

Quo major sequentia Giraldi Opera lecturis lux adesset, visum est præmittere rerum à Giraldo gestarum Chronologiam, qualem ex scriptis ipsius expiscari potuimus.

ANno circiter 1150. Giraldus natus est.
Anno circiter 1170. metricam Cosmographiam scripsit.
Anno 1172. ab Academiâ Parisiensi, ubi per plures annos bonis literis operam dederat, in Angliam reversus est.
Anno 1175. à Ricardo Archiep. Cant. Legatus in Walliâ constitutus, brevi post Archidiaconatum Brechenienssem obtinuit.
Anno 1176. mense circiter Maio Episcopus Menevensis electus est. Sub exitum ejusdem anni Parisios repetiit.
Anno 1179. Juris Canonici Professor publicus in Academiâ Parisiensi electus, provinciam recusavit. Eodem anno Canonici Menevenses Ecclesiæ suæ jus Metropoliticum in Concilio Lateranensi protestati sunt.
Anno circiter 1180. in patriam reversus, administrator Episcopatus Menevensis à Petro Episcopo constitutus est.
Anno ciriter 1184. ab Henrico Rege in Curiam accitus, unà cum Rege in Norman. transiit.
Anno 1185. Johanni Henrici Regis filio in Hiberniam misso comes & consiliarius datus est.
Eodem anno Fernensem & Lechelinensem Episcopatus sibi oblatos recusavit.
Anno 1186. mediâ Quadragesimâ in Concilio Dublinensi peroravit; & post Pascha in Walliam rediit.
Anno 1187. Topographiam & Expugnationem Hibernicam scripsit.
Anno 1188. Baldwinum Archiepiscopum Cant. in Walliâ itinerantem comitatus est.
Anno 1189. ex Galliâ legatus est à Ricardo Rege ad tutandas Walliæ partes.
Eodem anno Willelmo Episcopo Eliensi summo Angliæ Justiciario coadjutor datus est.
Anno circiter 1190. Episcopatum Bangorensem sibi oblatum recusavit.
Anno circiter 1191. Episcopatum Landavensem sibi oblatum recusavit.
Anno 1192. Aulâ relictâ Lincolniam studii Theologici gratiâ se contulit; ibique per septennium moratus est.
Anno 1193. scripsit Vitam Galfridi Archiepiscopi Eboracensis.
Anno circiter 1197. Gemmam Ecclesiasticam scripsit.
Anno 1198. mense Septembri Episcopus à Capitulo Menevensi inter alios tres postulatus est.
Anno 1199. ineunte, solus à Capitulo Menevensi in Episcopum postulatus, die 29. Junii electus est.
Eodem anno die 30 Junii in Hiberniam transvectus, post tres septimanas remeavit; & Romam profectus, circa Festum S. Andreæ urbem intravit.
Anno 1200. mense Maio administrator Episcopatus Menevensis tam in temporalibus quàm spiritualibus pendente lite ab Innocentio III. Papâ constitutus, Angliam brevi post rediit.
Anno 1201. Romam reversus mediâ Quadragesimâ intravit; medio anno ad Angliam rediit.
Anno 1202. ferè integro in placitis variis coram delegatis Judicibus exacto, die 2. Novembris versùs Romam iter ineuns transfretravit, urbem ingressus die 4. Januarii sequentis.
Anno 1203. die 15. Aprilis sententia definitivâ ab Innocentio Pontifice latâ, mense Augusto repatriavit.
Anno eodem, die 10. Novembris electo Gaufredo in Episcopum Menevensem, litem ulteriùs prosequi destitit; & paulò post Archidiaconatum Willelmo nepoti suo resignavit.
Annos inter 1204, & 1205. scripsit Descriptionem Walliæ, Symbolum Electorum, Speculum duorum, Invectiones, Legendam S. Remigii, & de Gestis suis.
Anno circiter 1215. Episcopatum Menevensem iniquis sibi conditionibus oblatum recusavit.
Anno circiter 1218. Dialogos de jure Menevensis Ecclesiæ conscripsit.
Anno circiter 1220. scripsit librum de Principis instructione, & Speculum Ecclesiæ; & editionem Dialogorum secundam concinnavit.

Giraldi

Giraldi Cambrensis

LIB. II.

De Vitâ GALFRIDI Archiepiscopi Eboracensis:

SIVE

Certamina GALFRIDI Eboracensis Archiepiscopi.

Introitus primus.

VArias rerum humanarum vices, motus incertos & mutationes dum oculo mentis diligentiùs inspicio; illa mihi quæ plerosque movere solet in mentem obrepit ambiguitas; utrùm scilicet res hominum cæca vagis volitans pennis fortuna regat, an pro meritis cuique reddente providentiâ potius & ratione gubernentur. Cùm enim malos & malè meritos subito in altum extolli video, dignitate & honore sublimari, & è diverso viros egregios & virtute conspicuos crebris adversitatibus angi, tribulationibus atque doloribus excruciari; fortunæ libramine multa moveri non possum penitus non arbitrari. Porro quoties mundani cursûs ordinem intueor, Solis Lunæque labores continuos, mensis & anni terminos, oceani metas, fluxus ejusdem atque refluxus, indesinentes æstus, & brumæ, lucis & umbræ tempora invariabili varietate distincta: Qualiter id solum, cujus hæc omnia constat causâ patrata, in incertum agi, sorte & non arte regi credere quis præsumet? Sed justo Dei judicio quanquam occulto prædictas accedere varietates non sit ambiguum. Mali namque & reprobi, si quid boni in hac vita gesserunt, hîc remunerantur; Boni verò & electi, in quibus deliquerunt, hîc puniuntur. Ut in futuro, ubi incomparabiliter & illa gravior & istud gratius invenitur, nec illis pœna nec istis præmium minuatur. Illi quoque ut qui in sordibus sunt sordescant ampliùs, florere in tempore & extolli permittantur. Istis verò, quia flagellat Deus omnem filium quem recipit, ne & cor apponant & intellectum mutent, bona temporalia subtrahuntur. In horum autem consideratione se aliquando motum esse Psalmista dicens testatur: [a] *Penè moti sunt pedes mei: vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani; & transivi, & ecce non erat, & non est inventus locus ejus.* Unde & Augustinus: Nihil est infœlicius fœlicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut interior hostis roboratur. Gregorius autem super utroque pleniùs & breviùs differens ait, Tauri mactandi largioribus pastibus relinquuntur; reservandi verò jugo supponuntur. Idem in Moralibus: Cùm occulta sint Dei judicia in eo, quòd malis hîc dantur bona & bonis mala; multo occultiora sunt & ab humano intellectu remotiora, cùm bonis hîc dantur bona, & malis mala. De quodam igitur nostri temporis viro Gaufrido sc. Eboracensi Archiepiscopo, in quo pro meritorum exigentiâ retributionis honor non respondit, præsens tractatus exemplificat. Unde & quemadmodum à barbarico Scottorum impetu boreales regni fines Lincolniensis adhuc Electus strenuâ virtute liberavit; Qualiter contra Francos contraque fratres pro patre circa extrema quæ ei imminebant

[a] Ps. XXXVI. 35.

imminebant incommoda jam Cancellarius egregie militavit; Quantam patre extincto difficultatem in electione & circa electionem indebite sustinuit: Quantam in ordinatione & circiter eandem; Quantam in consecratione & paulò post in Angliam navigatione, Liber *de promotionibus* ejusdem *& persecutionibus*, quem præ manibus habemus, explicabit. In quo & rerum vicissitudines, & rotæ volubilitates; & nec in tempore ad plenum & vitiosa retundi & virtutes remunerari, Lector poterit experiri. Sed quum historiæ cursus quosdam magnos in oculis hominum viros tangere videtur & notare; rarique sunt hodie Scriptorum remuneratores, & promptissimi ubique injuriarum ultores; inter Apocrypha potiùs annumerari & sub incerti autoris titulo latere noster ex industriâ Libellus elegit. Satius enimvero & longè securius esse videbatur præmium omittere laboris incertum, quàm periculum incurrere de professione certissimum.

Explicit Prologus.

Incipiunt Capitula.

De

Introitus secundus.

MOS erat antiquis majorum imagines & picturas, quibus eorundem memoria in ævum efferretur, honore quamplurimo venerari. Quanto magis autem & modernis cura propensior esse tenetur, inditas suorum historias scripto commendatas tanto desiderantiùs amplexari, quanto eosdem evidentiùs & diligentiùs perpetuo constat literarum munimine declarari. Veruntamen si majorum memoria laudabilis tantopere delectare solet; quanto sua cujusve historia dignè recitata, cùm propriis insonat auribus, plus longè delectaret. Vitæ igitur anteactæ & quasi lustra per octo ab ætatis humanæ perfectione jam dimidiatæ cuncta ferè magis inclyta memoratuque magis accommoda hoc opusculo quasi speculo quodam dilucido, cui propinavimus, utinam persuasum esse valeat; ut residuum vitæ ab historiâ non discrepet exaratâ populique per ora manusque jam celebratâ. Quinimo proficiat potiùs, & meritis crescat, seseque virtutum studiis quotidie vincat, & hac solùm victoriâ glorietur. Illud itaque Hieronymi ad Nepotianum & ad hujus instructionem cum effectu dirigi possit. Crescat in te cum annis gratia; crescat cum ætate justitia; & fides quo antiquior, eo profectior esse videatur. Sicut enim maximus laudis profectus est, quoties sequentibus bonis priora vincuntur; sic indolis egregiæ merita depereunt, si laudem fortè maturioris ætatis enormia demerentur. Infœlix etenim, in quem illud Poetæ meritorum exigentiâ refundi poterit: *Cæpisti meliùs quàm desinis: ultima primis Cedunt. Dissimiles hic vir & ille puer.* Maturans igitur providæ mentis industria mores induere maturiores, Maturans inquam ipsius jam nunc imminentis fructum assequi maturitatis, canos de cætero non canes attendat; avos quoque plùs quàm aves respiciat. *Sed quoniam virtute decet non sanguine niti*; plus animi tui quàm atavi nobilitate lætetur. Et sicut in dignitatum honores ab Archidiacono in Electum, ab Electo in Cancellarium, à Cancellario in Archiepiscopum, non longis ab invicem temporum intervallis gradatim ascendit; sic per ætatum gradus singulos virtutum suscipiat incrementa; justitiâ, prudentiâ, largitate laudabilis & liberalitate.

Explicit.

Incipit Liber primus, de Promotionibus GAUFRIDI Eboracensis Archiepiscopi.

CAP. I. De ortu Gaufridi Eboracensis Archiepiscopi, educatione & promotione.

GAlfridus itaque Anglorum Regis Henrici secundi filius, & ab avo nobili Andegavorum Comite nomen adeptus, inter fratres legitimos Henricum tertium, Pictaviensium quoque & Britonum Comites, naturalis ipse natuque major, non minori diligentia est & dilectione nutritus. Literarum verò studiis & liberalibus disciplinis à pueritiâ datus, & in sortem Christi electus, per ordinum dignitatumque gradus seriatim ascendens, in Clero statim ut regium decebat sanguinem, non indebitè est sublimatus. Inter varios igitur, ad quos juvenilibus annis rapiebatur honores, Archidiaconus Lincolniensis existens, quoniam Cæsaribus virtus competit ante diem, cùm adhuc quartum ætatis suæ vix lustrum implesset, patris assensu unanimique fratrum concordiâ, vacante sede Lincolniensi in ejusdem loci Episcopatum est electus. Revolutis itaque perpaucis annorum curriculis, fortunâ variante vices & semper lætis tristia miscente, cùm prænotati tres filii pravorum consilio in patrem arma sumentes eum capitaliter persequerentur, primævi socerum Ludovicum Francorum Regem, necnon & Guillelmum Scottorum Principem, Comites quoque tam Cestriæ quam Leicestriæ & Hugonem Bigod, cum aliis Baronibus multis tam Anglicanis quàm transmarinis complices habentes & fautores; hic solus paternas injurias atque molestias tanquam proprias anxiè ferens, ad tuendum ejus honorem à filii naturâ non degenerans omnimodas erigit intentiones. Statuens igitur imprimis ad monita Eliensis Cancellarii, qui & postea Episcopus Londoniensis extiterat, patri in pecuniâ subvenire, per totam Diocesis Lincolniensis amplitudinem collectam fieri fecit immoderatam. Postmodum autem colligens secum deliberansque propensiùs, quia *Non habet eventus sordida præda bonos*; & quoniam populi favore potiùs benedictione pariter & benevolentiâ opus hîc erat quàm exactione; revocatis denuo Capitulis, quamquam ad summam excreverit immensam, animo excelso restitui fecit universa.

CAP. II. Qualiter Lincolniensis jam Electus Insulæ Castellum expugnavit.

SED cùm facilius est ardentes favillas ore comprimere, quam innatæ strenuitatis audaciam imminente necessitatis articulo dissimulare; vacillantibus jam fere cunctis, & à fidelitate & clam & palam recedentibus, contra suorum omnium monita ad armatam militiam se proripiens, pro patre simul & patriâ dimicare, seque pro populo discrimini opponere laudabili animositate decrevit. Convocatis itaque militibus, multis & stipendiariis undique confluentibus, ad castellum Rogeri de Mumbrai, qui inter boreales regni Barones non modicus extiterat. & inter primos filiis contra patrem adhæserat, circa XX. millia ab urbe Lincolniensi distans, totamque Provinciam cædibus, incendiis & deprædationibus vastans, primò vexilla convertit. Erat autem oppidi

oppidi nomen Insula[a], eo quòd aquis ex omni latere complecteretur, & valde inexpugnabile hactenus haberetur. Veruntamen quia subitò nimis & inopinatus advenerat; castrenses, qui præ nimiâ securitate & negligentiâ nil tale timentes sibi in alimoniis non providerant, statim ad deditionem sunt compulsi. Unde patet, quia incauta est semper nimia præsumptio & sui negligens. Timor autem prospicere futuris admonet, & diligentiam docet in prosperis & providentiam. Destructâ igitur & deletâ penitus prædonum spelunca, provinciâ egregie pacificatâ, victor ad propria remeavit.

CAP. III. Qualiter Castellum de Malesharth suppeditavit; Scottorum Regem ab Eboraci finibus profugavit.

NEC mora, ecce Ranulphus de Glanvilla, qui tunc Vicecomes Eboracensis existens, nec longè post Angliæ totius Justiciarius erat, ex parte Eboracensis Archiepiscopi Rogeri, necnon & cunctorum partium illarum Regis & Regni fidelium transmissus, devotè postulans, & ad Electi genua provolutus humiliter deplorans, quatinus eis contra Scottorum Regem Guillelmum, qui boreales Angliæ fines cum barbarorum multitudine jam hostiliter invaserat, in manu forti subveniret. Ipse verò licèt priore plurimùm labore fatigatus, puta cujus à gravamine vix respiraverat, tamen animo invicto, quamquam Ranulpho sine spe certâ jam reverso, pleniùs prosequens quàm promittens, validam armatorum manum in brevi conjunxit. Iter igitur incunctanter arripiens, & cum exercitu pulchro ad Eboraci fines accelerans, cùm per decem adhuc millia ab urbe distaret, nuncios Archipræsulis ei obviam missos suscepit, ex parte Domini sui obnixe postulantes, quatinus pro caritate Dei loco beneficii magni ac remunerationis ad ipsum eâ nocte hospitandi gratiâ declinaret. Archiepiscopus autem quasi quatuor ab urbe passuum millibus ei in propriâ personâ obviàm venit, rogans attentius & efflagitans, ut quod nunciis impetrare non poterat, per se saltem impetrare valeret. Quod tandem Electus importunitate victus & instantiâ, de suorum quoque consilio, ut per hoc ipsum patris sui servitio fortiùs atque fideliùs insereret, ei concessit. Maturans itaque reditum Archiepiscopus voti compos & hilaris, cum processione Ecclesiæ suæ pulcherrimâ ei usque ad urbis medium obviam venit. Plebs autem clipeum ejus tanquam patriæ liberatorem, populique salutem & pacis signaculum passim deosculari contendebant; clamantes alii, *Beati pedes pacem portantes*; Alii verò dicentes, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et sic cum hymnis & canticis usque in Ecclesiam Cathedralem perductus est, à toto communiter tam Clero quàm populo cum gaudio magno atque tripudio susceptus. In crastino verò rumoribus susceptis, quòd Rex Scotiæ audito Electi eventu statim ad sua remeâsset, quamquam multorum consilium fuisset ut hoc ad præsens contentus honore reverteretur; tamen vir magnanimus fortunam urgens, & semper successibus instans, nil credens actum cùm quid superesset agendum, ad castellum Rogeri de Mumbrai, cui nomen Malesharth, ab Eboraco quasi per XX. millia distans, per quod Provincia tota in prædam data fue-

[a] Insula sc. de Axholm; in qua Castellum Rogeri de Munbrai à Lincolniensibus anno 1174. 3 Non. Maii expugnatum esse Radulphus de Diceto memorat in *Imag. Hist.* p.574. Idem castrum Malesart eodem anno ab Eboracensibus duce Gaufrido ad deditionem coactum refert p. 577. Gaufridum ad Episcopatum Lincolniensem antea fuisse electum uterque Historicus confirmat. Electio autem confirmata est demum anno 1175. in Octavis S. Johannis Baptistæ in Concilio apud Wodestok; quando & Galfridus Turones à patre missus fuit, *ut ibi scholas exerceret & disceret.* Ex fide Benedicti in Historiâ MS. *de gestis Henrici II.*

rat & deprædationem per novum castellum non procul inde nuper exstructum, victricis palmæ vexilla convertit. Cùm igitur ad opidum jam pervenisset, & tentoriis undique circumpositis id obsedisset; castrenses eâdem nocte cingulum exterius quo claudebantur, fossatis altis & forti sepe munitum, igne apposito combusserunt; & se protinus intra muros ex diffidentiâ retraxerunt. Electus autem positis circa exercitum vigiliis & excubiis armatis, propter nocturnos Scottorum impetus quos formidabant, per machinas bellicas quas attrahi fecerat tam subterraneas quàm balistas acriter insultus continuando, non absque labore plurimo atque periculo, eos infra dies paucos ad deditionem coartavit; castrumque delevit, captis in eo militibus XXX. & sagittariis armatis LX. Episcopum quoque Dunelmensem Hugonem de Pusatio, qui à fide jam vacillare & fidelitate, Regis in partem adversam declinare videbatur, quamquam invitum ad se venire fideique pariter ac fidelitati stare coegit. Quibus ad vota completis, accepto quoque rumore quòd Rex Albaniæ castrum quoddam quasi per millia duodecim à Richemunt distans, cui nomen Beoves, jam obsederat, statim ad ipsum inde removendum invictus labore vexilla direxit. Sed cùm aliquantulum versùs partes illas processisset; audito iterum Regem adventum ejus non expectando reversum fuisse, Eboracensi Provinciâ tam à proditorum & prædonum infestatione quàm à barbarorum irruptione liberatâ, cum duplici immò multiplici victoriâ remeavit. Quinimo ut brevi eloquio laudis ad cumulum multa concludam; nullum in regno grave periculum, nullum urgens instabat incommodum, in quo viri virtus innatâ strenuitate non eniteret. Ubique nimirum, sicut in Regis Scottorum apud Alnwicense castrum non longè post interceptione, & in aliis multis per se & per suos, fideliter ut decebat & naturaliter patri filius assistebat; adeò quidem ut apud Huntendunnense municipium, quod paulò pòst deletum fuit, cùm patri septies XX. militum agmine septus præter alios armatos quamplurimos occurrisset, Rex gavisus in multorum audientia dixisse memoratur: Alii filii mei se revera bastardos, iste verò solus se legitimum & verum esse probavit.

CAP. IV. Qualiter Ecclesiam Lincolniæ sponte resignando & patris Cancellariam suscipiendo eidem circa extrema strenuè militavit.

HIS ita peractis, quoniam adolescentem se novit, & animo excelso ad majora spiravit, nec Ordines adhuc majores & consecrationem suscipere voluit; nec his sine Episcopatum ampliùs detinere sustinuit. Electioni, qua promotus fuerat, ultroneâ voluntate renunciavit; & Episcopatum resignavit; patre ipsius, quoniam ipsum in guerris quæ ei tam à filiis quàm Rege Francorum circa extrema crebriùs imminebant sibi pernecessarium fore sciebat, assensum præbente, eique Cancellariam suam cum castellis duobus Beaugi, scilicet in Andegaviâ & Langeis in Turoniâ, necnon & castellis aliis terrisque quamplurimis tam in Angliâ quàm transmarinis, & præter hoc Archidiaconatum Rothomagensem, Thesaurariam quoque Eboracensem, & tam Ecclesias quàm Præbendas variis in locis varias conferente. Cùm igitur in omnibus guerris tam contra fratres quàm Regem Franciæ se ubique pro patre fideliter opposuit; tandem in Guerrâ illâ ultimâ patri per Comitem Pictavensem à Rege Franciæ factâ, ubi non solùm ab aliis verùm & à juniore filio Johanne, quem præ omnibus adeò dilexerat, ut & aliorum iram ob hoc & indignationem sibi suscitavit & comparaverit, in fine relictus, qui ubique se verum antea probaverat, in hoc extremo negotio & quasi mortis articulo se per omnia verissimum comprobavit. In urbis igitur Cenomannensis incendio, quamdiu locum habebat defensio, inter primos & præcipuos animositate conspicuus,

ſpicuus, igni & hoſtibus reſiſtebat. Demum verò Rege jam ob ignis inſtantiam exire compulſo, & Comite Ricardo cum Francis patrem è veſtigio perſequente, hic ei in cunctis periculis, ubi multi in viâ versùs Frenellas præ calore nimio & feſtinatione extincti paſſim occubuerunt, individuus aſſiſtebat. Et cùm in villâ quadam modicâ extra caſtrum eâ nocte quaſi inter hoſtes & patrem hoſpitari voluiſſet & ſe periculis in omnibus exponere ; patre non permittente, intra municipium adductus eſt. Ubi Rex ei, quoniam Cenomannis ſua ferè cuncta perdiderat, interulam propriam & veſtimenta donavit. Et cùm cœnâ ſumptâ Rex in ſtrato decumbens præ confuſione & irâ nequaquam veſtibus exui voluiſſet; vix tandem filii ſui pallio ſe ſuſtinuit operiri. In craſtino verò contra ſuorum ferè omnium conſilia cum comitatu perpauco versùs Andegaviam Rege properante, fidei tamen ſacramentique vinculis Seneſcallo Normanniæ Guillelmo Radulphi filio & Comite Guillelmo de Mandevilla ante conſtrictis de munitionibus Normanniæ cunctis, ſiquid de ipſo ſiniſtrum forte contigerit, filio ſuo juniori Johanni reddendis, quamquam tamen & ipſe ab eodem, proh dolor ! paulò pòſt diſceſſerit, Cancellarius cum exercitu ferè toto verſus Aleconam divertit. Unde ſtatim cum centum militibus bene paratis & electis patrem non abſque periculo ſequens, cunctis nimirum interjacentibus viis jam propemodum ab hoſte occupatis, rebus in afflictis cum gaudio magno à patre ſuſceptus, ſe ei apud Savigniacum fideliter adjunxit.

CAP. V. Qualiter patri afflicto & in ægritudine poſito inſeparabiliter affuit, eumque uſque ad obitum non dereliquit.

CAptâ verò urbe Turonenſi poſt colloquium de Atai, accedens ad patrem in viâ cum lacrimis rogare cœpit & efflagitare, ut craſtino colloquio, ubi ſe miſericordiæ Regis Francorum ſupponere omnino deberet, ei non intereſſe liceret. Dicebat enim ſe nullatenus ſufferre poſſe, ut dominum & patrem ſuum tam ærumnoſam pacem facere videret. Et ſic ab invicem eâ vice cum ſingultibus magnis & largis lacrimarum fontibus diſceſſerunt; pace vero in craſtino factâ, cum ibidem Rex gravi morbo decubuiſſet, irâ videlicet & indignatione tantæ confuſionis ſuæ morbo materiam miniſtrante, Cancellarius quum eidem ab Atai lecticâ delato pro pietate pariter atque dolore aſſiſtere non potuit, apud Chinonem jam conſtituto inſeparabiliter adhæſit; & quem ſanum dilexerat & in proſperis, adverſis afflictum & in ægritudinis lecto poſitum non reliquit. Sedens igitur aliquando, patriſque caput & humeros ſinu fulciendo, milite quodam pedes ejuſdem gremio ſuſtinente, dum flabello muſcas à facie patris abigeret, oculos quos diu clauſos præ morbi anxietate tenuerat tandem Rex aperiens, filiumque reſpiciens, cum gravi ſuſpirio in hæc verba prorupit. Fili, inquit, cariſſime, quia quicquid patri filius fidelitatis & gratitudinis in vitâ conferre potuit, mihi ſemper conferre ſtuduiſti; ſi ab hac ægritudine Deo propitiante convaluero, tibi patris optimi proculdubio vices rependam, & inter maximos potenteſque meæ ditionis viros te conſtituam. Quod ſi fortè nunc occumbendo tibi retribuere non potuero; Deus qui bonorum omnium retributor eſt & auctor, tibi retribuat, quòd in omni fortuna mea te mihi tam naturalem patri filium exhibuiſti. Cui ſtatim ille reſpondit. Sufficit mihi ſanitas, pater, & proſperitas tua ; quam ſi Deus & fortuna ſecunda conferre & conſervare voluerit, nihil mihi ad deſiderii cumulum deeſſe fatebor. Eoque dicto ſurgens, & abinde cum magno ululatu fletuque recedens, ibi moram amplius facere præ nimio dolore non ſuſtinuit. Demum verò die critico, ſeptimo ſcilicet à quo decuberat, febre jam vincente, audiens patrem in extremis agentem, luctuoſus & lamentabilis acceſſit. Ad cujus lamenta lumina jamdiu clauſa Rex aperiens, eumque recognoſcens, in hæc verba

verba tenui voce prorupit. Desiderium meum, fili carissime, foret ut Wintoniensis Ecclesiæ aut potiùs Eboracensis cathedralem honorem per Dei gratiam obtineres. Et accipiens annulum aureum optimum cum panterâ, quem valde carum habebat, quem & Regi Hispaniæ genero suo mittere propo'uerat, ei cum benedictione suâ porrexit. Alium quoque annulum suum insignem saphiro præditum preciosissimo ac virtuosissimo, quem pro magno diu thesauro habuerat, eidem dari præcepit. Sed quanquam testamenti favorabilis sit antiquitas & irrefragabilis de jure auctoritas; sicut in aliis multis, liberum in hoc nequaquam fuit quod item non redit arbitrium. Quo facto, quoniam pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres; Rex denique morbo succumbens spiritum exhalavit.

Qualiter autem inter tot tantasque divitias egenus extiterit; qualiter annulo, sceptro, coronâ, cunctisque fere quæ regias decebant exequias, in fine caruerit; aliaque plurima, quæ cunctis ad exemplum induci poterunt; Liber *de Principis instructione*, quem ad posterorum doctrinam pariter & cautelam studiosus animus edere proposuit, diligentiùs exsequetur. Corpus autem Regis apud Fontem Everardi delatum, filio funus in viâ pedite tam procurante quàm prosequente, cùm in Ecclesiâ jam positum fuisset; ecce Comes Pictavensis Ricardus legitimorum extantium primævus & hæres quantociùs advenit. Qui cùm Ecclesiam intraret, & ad corpus accederet; facies patris in ejus adventu sudario quo cooperta fuerat nudata comparuit. Quæ tanquam colorata & solitâ feritate non exuta cum omnibus appareret; Comes non absque fremitu carnis & horrore coram corpore genua ponens in oratione modicum & tanquam orationis Dominicæ per horam vix remansit; sed statim cum intrâsset Ecclesiam, sicut perhibent qui præsentes fuerunt, Regis utraque naris sanguineas guttas emisit; adeò ut assidentes & funus servantes os & faciem sudario detergere & purgare aliquotiens oportuerit. Cujus autem rei signum sive portentum hoc esse potuerit, quoniam expressa nocent, diligens per se lector advertat. His ita peractis cùm claustrum & capitulum jam Comes intrasset; turbâ ut assolet plùs prædam quàm hominem sequente, Cancellarius in Ecclesiâ cum Monialibus ferè solus funeri paterno individuus assidebat. In crastino verò cùm exequiis & sepulturæ paternæ filius uterque devote satis & reverenter interfuisset; Cancellarius Comitem reddito eidem patris sigillo, quod in ejusdem statim obitu sub sigillis Baronum qui tunc aderant fideliter signaverat, per aliquot dies secutus est, ab eo ut videbatur fraternâ dilectione susceptus. Comes autem cùm in Normanniam ire properâsset; Cancellario post ipsum aliquantulum in Turoniæ & Andegaviæ partibus moram faciente, cùm ad ipsum postea in Normanniâ venisset, vultum ejusdem à se per invidorum malitiam valde inversum invenit.

CAP. VI. Qualiter patre extincto fratri adhæsit, eumque in Angliam secutus, multas circa electionem adversitates sustinuit.

TEmpore verò parum procedente, paucis post fratris transfretationem diebus, cùm ipse quoque in Angliam transfret. sset; ecce personæ & Canonici Eboracensis Ecclesiæ, Abbates quoque & Priores Provinciæ illius, ei in partibus Londoniæ occurrerunt, obnixe supplicantes & efflagitantes, ut electioni ipsorum, quam in ejus absentiâ de ipso fecerant, efficaciter assentiret. Statim enim ex quo tam Regis voluntas extrema quam & Comitis assensus eis innotuit, ipsum unanimiter elegerunt. Ipse vero renuens omnino & refutans, honorem oblatum tam verbo quàm voluntate recusavit. Certum est enim quòd nunquam ei dignitas illa inter hæc inicialia aut animo sedit aut placere potuit; nisi quòd paternæ voluntati solùm primâ fronte resistere nolens,

quoquo

quoquo modo renitens & invitus acquievit. Prædictæ namque personæ, quum alias assensum ab ipso extorquere non poterant, canum & avium cursu volatuque, quibus tam naturâ quàm nutriturâ delectabatur, uti posse interdum ex industriâ consenserunt: Dum tamen aliàs Episcopali officio propensiùs indulgendo, justitiam & æquitatem observaret. Quo facto, vix tandem assensum præbens, & ad fratrem apud Windesoram veniens, totum iterum tam animum ipsius quàm vultum à se alienatum invenit. Decanus enim Eboracensis Ecclesiæ cui nomen Hubertus Walterus, qui & paulò pòst Salisburiensis Episcopus effectus est, se ejusdem Eboracensis Ecclesiæ tunc Electum gerens, Reginam matrem Comitis novercali fortè naturâ ad malum pro more [proclivem] sibi jam allexerat,& per ipsam Rannulphum quoq; de Glanvilla similiter & Comitem Ricardum, qui omnes unà tanquam ex condicto parati fuerant Cancellarii promotionem impedire. Sed quoniam vexatio dabit intellectum, & virtus plerumque in infirmitate & adversitate perficitur; tandem multis altercationibus & appellationibus hinc inde factis, post Comitis coronationem apud Pepeswell, ubi electiones Episcoporum & Abbatum factæ fuerunt, ejus electio communi omnium assensu renovata fuit, & per os etiam Hugonis Dunelmensis Episcopi, suffraganei sui & Provinciæ totius sub ipso personæ dignioris, solemniter est pronunciata.

CAP. VI. De ordinatione ejusdem.

HIS ita completis ecce nuncii semel & secundò, primò Milites, deinde Clerici & Episcopi, à Rege transmissi, nunciantes ei, & ex parte Regis firmiter præcipientes, quatinus ad sacerdotis gradum sine cunctatione promoveretur; alioquin acriter interminantes totius Archiepiscopatûs regalia in fiscales abusus quantoties convertenda. Ipsi verò mandatum ob hoc valde displicuit. Sperabat enim si de Rege fratre suo in peregrinatione tam periculosâ quicquid fortè sinistrè contigerit, se Regnum universum & Regni partem non modicam assecuturum. Dum autem super hoc cum Clericis & personis Ecclesiæ suæ diutiùs & diligentiùs deliberâsset; demum ad instantiam & supplicationem omnium quamplurimam, quamquam invitus & dolens, se ordinari velle consensit: propositum enim & animo fixum habuerat, se non ab alio quàm Summo Pontifice & ordinari velle & consecrari. Victus tamen suorum instantiâ, per manûs impositionem Suffraganei sui Johannis Galwediensis Episcopi Sacerdotii gradum suscepit: à principali Suffraganeo suo & ferè singulari Hugoni videlicet Dunelmensi Episcopo, quoniam promotionem suam pro posse impedierat eique in cunctis ferè agendis adversarius hactenus extiterat, illud fieri omnino recusans. Qua occasione magna inter eos postmodum orta contentio fuit; sicut in sequentibus palàm erit. Rex autem auditâ fratris sui ordinatione, & quòd in Sacerdotem jam promotus fuisset, respondisse memoratur, Ex hac parte jam securi sumus; & hinc de cætero cura nobis sopita est & cogitatio. Senserat enim in multis conflictibus, quibus ipse contra patrem, hic verò pro patre dimicaverat, viri virtutem & innatæ strenuitatis animositatem. Ideoque ex abundantiâ cordis os pronuncians, conceptum animi coram privatis denudavit. Contigit autem, ut hoc facto Rex injustas ei petitiones per litteras suas & nuncios persæpe fecisset; quibus contra jus & æquitatem obtemperare confidenter abnegabat. Unde nonnunquam regiis in hunc modum crebrescentibus exactionibus, verbum animosum & memoratu dignum emisit, In regalibus, inquit, & his quæ ad Regem spectant, regiis mandatis justum est ut acquiescam. Super ecclesiasticis rebus autem & iis quæ ad ordinem & dignitatem meam pertinent, duos Apostolicos non habebo. Sufficit enim unum habere; cui utinam in justis ac necessariis digne valeam

valeam obedire. Quod verbum ad Regem sinistre delatum & pravè interpretatum, qua nihil adeò bene dictum quod non possit malignitas depravare, animum ejus erga Electum non mediocriter exasperavit.

CAP. VIII. De adversitatibus, quas Cantuariæ & Dovoriæ in fratris transfretatione suscepit.

INterea cùm Rex Angliæ Regem Scotiæ propter distentionum causas non modicas, quæ de regnorum finibus olim emerserant, litteris & nunciis ad Curiam vocâsset; ipse nisi Eboracensem Electum prævium haberet & deductorem, omnino venire recusavit. Cùm itaque de mandato Regis Electus eum non absque labore sumptuoso primò Londonias dein Cantuariam deduxisset; Rex interim frater ejus ipsum de duobus castellis prænominatis in partibus transmarinis, Beaugi scilicet & Langeis, aliisque terris, quas in finibus illis ex patris donatione habuerat, subito destitui fecit & privari. Quo audito, Electus Regi Scotiæ significavit; ut quoniam in hoc quem sibi fecerat conductu illud ei damnum accidit & dispendium, à fratre suo ut ejus gratiâ restitueretur, modis omnibus impetraret. Ipse verò licèt se prius hoc quàm sua facturum firmiter pollicitus, propriis ad vota peractis, quoniam altiùs descendunt injuriæ quàm beneficia, pristinas forsan altâ mente repostas recolens atque revolvens confusiones, super Electi negotio nullam prorsus faciens mentionem, à Cantuariâ quantociùs versus Scotiam repatriavit. Sed quoniam nunquam sola veniunt scandala, & quoniam varias versat fortuna vices, & semper lætis tristia miscet, malis tanquam agmine facto mala cumulando; cùm Legatus Curiæ Romanæ Johannes Anagninus, qui apud Dovoriam pridie applicuerat, Cantuariam jam venisset; & omnes fere Episcopi Angliæ & personæ majores illuc confluxissent, tum propter Regis transfretationem, tum & ut unà cum Rege Cantuariensem Archiepiscopum Baldewinum & Monachos suos scilicet Sanctæ Trinitatis, qui diu ab invicem gravi discordiâ dissenserant, ad concordiam & pacem revocarent: Rex missis Episcopis, Dunelmensi scilicet & Coventrensi, Electis quoque Eliensi scilicet Guillelmo qui & tunc Cancellarius erat, & tam Wintoniensi Godefrido quàm Salisburiensi Huberto cum aliis personis quamplurimis, nunciavit Electo nostro fratri suo, Coventrensi Episcopo Hugone de Nunant verbi duce & quasi Mercurio sive Ulixe secundo sermonem proferente, quatinus electioni citra juris ordinem factæ renunciaret; quam & penitus injustam fuisse, nec stare aliquatenus posse, multis ex causis quanquam non convenientibus assignare contendebant. Quarum una & quasi præcipua esse videbatur, quòd voce Eboracensis tunc Decani scilicet Huberti Galteri, quam primam esse constabat, pronuntiata non fuit: quinimo contradicente potiùs & reclamante & contra eandem appellante. Electus verò se iis, quæ ab ipsis ei objiciebantur, non respondere teneri constanti animo proponebat. Quoniam Suffraganei Ecclesiæ Cantuariensis sibi & Ecclesiæ suæ semper adversantes extiterant; nequaquam de electione sua ad ipsos pertinebat, sed ad Dominum Papam solum & ejus Legatum; & sic in protectione summi Pontificis se & electionem suam, statum & dignitatem Ecclesiæ suæ & personæ ponens, ad ipsum appellavit. Rex autem his auditis, instinctu Hugonis Dunelmensis Episcopi, qui Justiciarius per Angliam nuper creatus fuerat, & qui pecuniæ interventu quæ nimis copiose scaturiebat & obsequiorum gratiâ Buchardum nepotem suum in Eboracensis Ecclesiæ Thesaurariam paulò ante intrusum & si non rectè, quocunque modo in Archiepiscopum ut ferebatur promoveri satagebat; cunctis regalibus Electum illico privavit, & in manu Dunelmensis ea constituit. Unde & Episcopus ille tunc temporis scribendo dicere consuevit. *Hugo Dei gratiâ Dunelmensis Episcopus, Comes Northumbriæ,* *&*

& Eboracenſis Eccleſiæ cuſtos. Coram ſuis & in talamis & conclavi quaſi in opprobrium & improperium dicere ſolebat: *Galfridus Presbyter hoc fecit, & hoc dixit*, ſimplicem eum Presbyterum jam notans, ut nullo dignitatis honore ſubnixum. Sed hæc ejus inſultatio & præconiorum exaggeratio vix per triduum ei duravit. Electus enim eâdem nocte ad Legatum accedens, ratam electionis ſuæ confirmationem impetravit; & cum eodem Regem in craſtino Dovoriam uſque ſecutus eſt. Rex autem audito horum adventu, continuò miſit ad eos Gualterum Rothomagenſem Archiepiſcopum & prædictos Epiſcopos duos, Dunelmenſem ſcilicet & Coventrenſem, Electos quoque Elienſem & Salisburienſem, in Prioratum in quem hoſpitandi gratiâ declinaverant. Qui primo Legatum ex parte Regis convenientes, interrogare cœperunt acriter & inquirere; utrùm electionem Eboracenſis Electi contra dignitatem Regis & honorem regnique coronam, ſicut ferebatur, confirmâſſet. Quibus conſtanter ille reſpondit; quia confirmavi & adhuc confirmo, non contra Regis tamen dignitatem & honorem, ſed ad petitiones ipſius, quas ut promotioni fratris ſui intenderem jam plures ſuſcepi. Ipſi verò è contra aſſerebant nullatenus Regi placere, ut Archiepiſcopus fiat; cauſas aſſignando varias, appellantes quoque & reclamantes. Inter quos ſurgens Salisburienſis Electus Hubertus Gualterus ſe priùs ad eandem Eccleſiam, in qua Decanus fuerat, communi fratrum aſſenſu electum fuiſſe proponebat; Ideoque electionem hujus ſecundam, priori adhuc pendente, quaſi pro nulla habendam. Cui Legatus: Tace frater, quia ad aliam Eccleſiam vocatus es; cui ſi dignè præeſſe potueris, ſatis abundeque tibi ſufficere debet. Quo dicto Coventrenſis Epiſcopus & Elienſis Electus Eboracenſem ſeorſum ducentes, ex parte Regis ei ſecretò propoſuerunt; quòd nullo modo permiſſurus erat eum Archiepiſcopum fore, quia prius Romæ ad ejus electionem caſſandam XX. milia marcarum expenderet. Veruntamen in terris & honoribus ſæcularibus tam in Angliâ quàm partibus tranſmarinis, quoniam in militiâ ſtrenuum eum & noverat & ſenſerat, tam amplâ manu ei conferret, unde honorificè & copioſiſſimè ſuſtentari poſſit. Quibus in continenti ipſe reſpondit; quòd honorem, quem per Dei gratiam & poſtremam ſui patris voluntatem adeptus fuerat, ſe nulli hominum cedere velle, neque perſonæ ſuæ generique toti tantum dedecus ut ſuâ voluntate fieri permitteret, ab ullo perſuaderi poſſe. Quibus auditis, iterum propoſuerunt ei; quia Rex moram ipſius in Angliâ in ejus abſentiâ ſuſpectam habebat; & proinde volebat, ut tempore peregrinationis ſuæ, per triennium ſcilicet, in partibus tranſmarinis perhendinaret. Cùmque ipſe ſtatim de ſuorum conſilio acquievit; propoſuerunt ei, quòd Rex tantam peregrinationem aggreſſurus, auxilio ipſius ſicut & aliorum magnorum de regno ſuo indigebat. Unde & poſt varias altercationes & conſilia multa, demum inter eos ita convenit; quòd Rex Eboracenſi Eccleſiæ libertatem de ſilveſtri exactione, quam Curiales Foreſtam vocant, per provinciam de Notingeham evacuandâ penitus atque delendâ conceſſit. Tandemque Eccleſiam ad ſtatum libertatis, quo tempore Regis Henrici primi aliquando fuerat qui eam quoque ab hac ſervitute liberaverat, redigendam firmiter pepigit, & cartâ ſuâ confirmavit, & per annulum inveſtivit. Electus verò fratri ſuo ob tanti tamque ſumptuoſi conaminis aggreſſum ſe duo milia marcarum in auxilium terminis idoneis daturum ſpoſpondit. Quibus in hunc modum conceſſis, & in ſcripta ſigillis corroborata utrinque redactis, ad Regem Electus in Caſtellum uſque vocatus acceſſit. Cui Rex poſt varia colloquia demum inter cætera hoc ei coram paucis & in privato propoſuit; quòd ſolebat Electus coram ſuis & ſecretò cooperculum crateris aurei capiti ſuo imponere, dicens: *Nonne caput hoc aptum eſſet Regiæ coronæ portandæ?* Et quòd Regis imaginem in membranâ depictam ſub pedes projicere & calcare ſolebat, inquiens: *Sic ſuppeditari & ſic ſubjici debet Rex peſſimum.* De quibus cùm Regi indubitatâ veritate cautum & conſtans eſſe cœpiſſet

 quòd,

quòd per invidiam sibi & falsò relata fuissent; cœpit fratrem in osculo & quasi in gratiam recipere. Cùm autem in crastino acceptâ licentiâ & tanquam re bene gestâ cum toto comitatu suo lætus & alacer reverteretur; ecce Vicecancellarius, cui nomen Johannes de Alescun, ipsum è vestigio sequens, ei ex parte Regis acriter exposuit; ut super duobus milibus librarum, in quibus ei tenebatur, sine cunctatione reddendis cum effectu cogitaret; cùm tamen duo tantum marcarum milia pepigisset. Ad quod iterum non absque irâ & indignatione plurimâ reversus, post multas altercationes & graves tam dissentiones quàm absque amicitiâ ferè & pace ab invicem discessiones, demum compulsus à suis, Regis voluntatem fieri vix concessit.

CAP. IX. Qualiter ad fratrem transfretando, eumque de loco ad locum sequendo, gravem ejusdem indignationem, quia vacuus venerat, incurrit.

POst tot itaque procellas & fortunæ insultus aversæ plurimùm & perversæ, reversus Eboracum, nec ibidem adhuc tranquillitatis portum potuit obtinere. Cùm enim ad præscriptam pecuniam reddendam per totam Archiepiscopatûs Provinciam auxilium ei non modicum promissum fuisset; adversarius ejus Dunelmensis Episcopus, qui & eâ tempestate Justiciarius extiterat, quo minùs redderetur penitus impedivit. Electus autem his auditis & visis, ad Regem ilico transfretare curavit; & inveniens eum apud Lyons in Normanniâ, primùm ab ipso dum sperabatur solvendo fuisse, satis honorificè ut decuit susceptus est. In crastino verò cognoscens Rex quia vacuus venisset, quamquam tamen causas prætenderet, & culpas in Dunelmensem non injustè refunderet; statim versa est in nebulam præmissa serenitas; Regisque rancorem magnum incurrit & indignationem; adeò ut totius Archiepiscopatûs bona regio mandato confiscata, & possessiones in damnum & dispendium non mediocre statim fuerint dissipatæ.

CAP. X. Qualiter nunciis de Curiâ reversis, contra tantos adversarios electionis suæ confirmationem & Pallium impetravit.

UT autem eidem longè graviùs incommodaret; ad cassandam ejusdem electionem misit ad Curiam Romanam Bathoniensem Episcopum Reginaldum & Decanum Cenomanni & Buchardum Dunelmensis nepotem. Sed ii Clericos Electi nostri, quos ex industriâ præmiserat & cautelâ, à Curia redeuntes obvios habuerunt cum Pallio quod impetraverant & electionis à summo Pontifice indultâ confirmatione. Obtulerat autem Electus fratri suo universos totius Archiepiscopatûs sui redditus, ut annuatim susciperet donec debitum foret persolutum; ipso tamen cum Clericis paucis tenuiter exhibitionem habente, & moram interim alicubi satis singulariter faciente. Quod tamen totum Rex animo obstinato recusavit.

CAP. XI. Qualiter Turonis demum fratris gratiam & pacem recuperavit.

CUM itaque Regem de loco in loco tædiosè nimis & sumptuosè diu secutus fuisset, nec gratiam ullam penitus invenire potuisset; quoniam multa ex tempore remedia provenire solent juxta illud Sapientis: *Tempore mitescunt*

mitescunt positâ feritate leones: Tempore leniri tygris & ursa solent: tandem Turonis, ubi Rex in signum peregrinationis statim arripiendæ baculum & peram suscepit, bonorum virorum interventu sub hoc tenore Principis ira resedit; quòd Electus ei mille libras præ manibus perquirere debuit, aliis mille libris quæ in debito fuerant regali munificentiâ condonatis. Secutus itaque Regem usque Vergiliacum, ubi ipse & Rex Franciæ convenerant, tam laboriosum peregrinationis iter abinde pariter arrepturi, super DCCC. ibidem marcis pacem fecit, de residuo debiti usque ad Scaccarium in Angliâ respectum habens. Quibus ita completis, cùm iter duorum dierum ultra Vergiliacum Regem fraterno affectu jam conviâsset; sumptâ tandem revertendi licentiâ & osculo dato, hæc ultima tunc à Rege verba suscepit. Frater quod ego diligo illud & diligas; & quod odio habuero id similiter exosum habeas; & sic unum cor erimus & una anima. Cum his itaque verbis & quasi cum summâ fratris gratiâ reversus est; litteris quoque à Rege impetratis de revertendo in Angliam quando voluerit cum ejus licentiâ pariter & benevolentiâ, & in majoribus regni negotiis cum Justiciariis suis & iis quibus rerum gerendarum cura principaliter commissa fuerat ut interesset ubique, quamdiu fratri suo Regi fidelis ut decebat inventus fuerit. Reversus igitur ad urbem Turonensem, cùm ibidem ab Archiepiscopo loci ejusdem Bartholomæo se consecrandum ilico speraret; Rex frater suus tam illi quàm cæteris cunctis terræ suæ Archiepiscopis litteris & nunciis secretis ne manum ei consecrationis imponerent jam districtè prohibuerat: Quamquam tamen generale mandatum Domini Papæ Electus habuerit, quòd à quocunque Archiepiscopo consecrari elegerit, manum ei licitè consecrationis imponeret.

CAP. XII. Qualiter nunciis iterum ad Curiam transmissis, cum aliis privilegiis magnis Dunelmensis exemptionem evacuavit.

Accidit & aliud incommodum longè gravius sæpedictis. Enimvero Dunelmensis Episcopus, quamquam unicus fere Suffraganeus ejus existeret, quoniam ordinari ab eo ut dictum est renuerat, ex superbiâ nimiâ, quam & gazarum copia & generis prosapia gignit, Romam mittens, & magnam, ut ibi mos est negotia magna gerentibus, pecuniam profundens, privilegium exemptionis impetravit. Quibus auditis, Electus quendam Clericum suum, virum bonum & liberalem, copiosè litteratum & Juris peritum, magistrum Simonem scilicet Calabriâ ortum, qui pluribus jam annis ei in omni fortunâ suâ fideliter astiterat, & Regi quoque patri suo valde carus & familiaris extiterat, ad Curiam Romanam transmisit, & unà cum ipso Hamonem Cantorem Eboracensem & Archidiaconum de Notingeham Guillelmum Testardum & Randulfum de Wigetoe Canonicum de Rippun; qui demum ibidem non inutili labore Dunelmensis exemptionem, quæ secretò in camerâ & non de fratrum consensu neque debitâ solemnitate facta fuerat, prorsus in irritum revocârunt, Privilegio solitæ & per omnia debitæ subjectionis impetrato. Aliud quoque privilegium Eboracensi Ecclesiæ valde accommodum impetrârunt super eximendâ Ecclesiâ eâdem cum Provinciâ suâ totâ ab omni jurisdictione Legati cujuslibet nisi fortè Cardinalis in Curiâ residentis & à latere summi Pontificis in Angliam transmissi. Præterea litteras Domini Papæ attulerunt Turonensi Archiepiscopo districtè injungentes, quatinus Eboracensi omni contradictione & appellatione cessante munus consecrationis impenderet.

CAP. XIII. De consecratione ipsius, & qualiter Turonis ab Archiepiscopo loci ejusdem cum multâ solemnitate est sublimatus.

QUibus in hunc modum egregiè completis, Turonensis Archiepiscopus convocatis Episcopis octo & Abbatibus aliisque personis Ecclesiasticis quampluribus, in urbe Turonensi & Ecclesiâ S. Mauritii circa Kal. Septembris Eboracensem cum multâ solemnitate & debitâ celebritate consecravit. Qua peractâ oblatum est ei Pallium à Majoris Monasterii Abbate, cui transmissum est à Domino Papâ illi tradendum quamcitò fuisset consecratus. Hoc autem rarissimè contingit, quòd die consecrationis suæ Metropolitanus pallium obtineat, nisi fortè à Summo Pontifice & in ejus præsentiâ consecratus. His ita completis, celebraverunt duo Archiepiscopi simul in eodem Altari, consecrator scilicet & consecratus, consecrator altâ voce, & consecratus demissâ eadem verba proferentes, & simul signacula facientes, uno existente calice & illo coram Turonensi, & duobus oblatis, illo solo levante calicem & hostiam usque ad perceptionem; & tunc ipse percepit unam hostiam cum sanguine, & consecrat alteram cum vino communi, quia totum in utroque percipitur. Facta est autem hæc consecratio anno ætatis consecrati XL. Anno ab obitu patris ejusdem, Regis scilicet Henrici secundi secundo, Anno à desolatione terræ Hierosolymitanæ per Saladinum factâ quarto, Anno postquam Philippus Rex Franciæ & Ricardus Rex Angliæ versus Jerosolymam iter arripuere primo, anno ab incarnatione Domini MCXCI. Tunc impleta est visio, quam vidit Archiadiaconus quidam de eo, priusquam ad Ecclesiam alterutram vocatus fuisset. Videbatur enim videre ipsum unum pedem tenere super Ecclesiam Lincolniensem & alterum extendere super Eboracensem, & sic unum post alterum ad se retrahendo in Eboracensi Ecclesiâ residere. Impleta est & illa, quam vidit Presbyter quidam vitæ bonæ & conversationis apud Norhamptuniam, ipso ibidem pueriles annos agente & liberalibus studiis indulgente. Videbat enim ei clericaliter & albis induto & tonsorato in coronam amplam & nuper rasam tres guttas olei magnas quasi de cœlo descendere, totumque caput ejus irrigare.

Explicit liber primus de Promotionibus.

Incipit

Incipit Liber Secundus, de Persecutionibus GALFRIDI Archiepiscopi Eboracensis.

PRO OGUS.

SED ut metricis cujusdam versibus Sapientis ad hæc utamur!

Semper adest homini quo pectoris ima gemiscant,
Ne possit plenâ prosperitate frui.
Gaudia nunc luctu, nunc mutat amara secundis,
Versans humanas sors inopina vices.
Sola venire solent & vix & serò secunda.
Et simul & subito semper amara fluunt.

Omnes adversitates post adeptæ dignitatis honorem in adeundo Ecclesiam suam illico sustinuit. Qualiter ille qui cornu Christi sui occulto judicio aliquatenus humiliari permisit, protinus idem egregio per orbem exemplo voluit exaltari; suamque & Ecclesiæ suæ injuriam is qui sibi vindictam clamitat, in continenti terribili cunctis animadversione vindicandam esse decrevit; sequens operis partitio declarabit. Ubi & frangi superbum omne proclivique ab alto ruinâ descendere, neque prosperitatem stabilem, nec ærumnam in tempore pertinacem esse comperietur. Sic etenim nihil hîc stabile, nihil hîc permanens plasmavit conditor ille; ut & eò vanitatis indicio mentes hominum, quoniam varium & mutabile quicquid cernimus, ad vera perpetuaque bona efficacius provocet & invitet.

Explicit.

CAP. I. De transfretatione Gaufridi in Angliam, obsessione ejusdem, captione, & in Castello Dovorensi retrusione.

PRæmissis itaque ritè peractis, versùs Angliam Archiepiscopus iter arripiens, & apud Witsondiam in Boloniâ transfretare proponens, quoniam promotiones magnas majores plerumque sequuntur persecutiones, difficilem ex inopinato transitum & aditum ad propria gravem invenit. Eliensis enim Episcopus Willelmus de Longo-campo, qui Cancellarius antè, Justiciarius autem Angliæ nuper creatus fuerat, à Comitissâ Flandriæ necnon & Boloniæ fraudulenter & falsò impetraverat; ut ei transitus ibi non pateret, mentiens eum contra Regis honorem & regni pacem advenire. Hoc autem ex invidiâ pariter fecerat & timore. Audierat enim ipsum multis privilegiis munitum accedere, exemptumque penitus à Legati jurisdictione, qua per Angliam paulo ante fungebatur, & se in brevi iterum functurum sperabat. Verebatur & adventum ejus; quoniam terras suas per Archiepiscopatum ferè omnes funditus destruxerat, & possessiones universas diripuerat. Et ut pleniùs imo penitus in fiscales abusus cuncta consumeret; per tres menses & quatuor, postquam litteras Regis de restituendis omnibus acceperat, in manu suâ occupata retinuit. Propter hos igitur & alios hujusmodi, quibus in illum graviter deliquerat, excessus, animositatem ejusdem ei non incognitam plurimum reformidans, ipsum à Regno modis omnibus excludere satagebat. Et tamen Willelmus

mus iste Clericus ejusdem de mensâ suâ diu ante juratus quoque ipsius, ne dicam perjurus extiterat; qui & homagii pariter & fidelitatis vinculo eidem astrictus fuerat. Præfecerat enim eum Officialem per Archidiaconatum suum Rothomagensem; unde & Regis Henrici patris sui nonnunquam indignationem & iram ferè incurrit. Improperabat enim eidem pluries, quòd proditorem suum & proditionis hæredem ex utroque parente familiarem habebat. Cæterùm ipse apud castrum de Ginnes existens, & audiens per partes illas & portus se transfretare non posse, ad Comitissam Flandriæ nuncios dirigens diligentiùs inquirere cœpit; utrum ejus mandato factum fuisset, & facti causam. Quæ respondit, quòd ad instantiam Cancellarii Angliæ & Justiciarii hoc fecerat; cujus mandatis tanquam unius ipsorum ex utriusque præcepto tam Regis Angliæ scilicet quam Comitis Flandriæ mariti sui obtemperare tenebatur. Veruntamen licentiam dedit, ut omnes de comitatu suo tam Clerici quam Laici cum equis saginariis & clitellis cunctisque rebus præter corpus suum licitè transfretarent, dum tamen non alibi quam apud Dovoriam applicarent. Præmissis itaque Clericis suis & Magistro Simone, qui sextâ feriâ apud Dovoriam applicuerunt, & statim fide astricti fuerunt, quòd ab eo Castro sine licentia non discederent; Ipse in crastino die Sabbati in naviculâ quadam non Bolonicâ sed Anglicâ, paucis comitatus atque privatus, in eodem Dovoriæ portu applicuit. Hìc autem mihi notabile videtur, quòd sicut Thomas Cantuariensis patriam fugiendo exiliumque petendo eodem maris littore nec procul abinde nave modicâ insularem tyrannidem vix evasit; sic e diverso Eboracensis iste patriam petendo Ecclesiamque suam devotus adeundo simili tyrannide vexabatur. Cùm itaque manè parum ante tertiam applicuisset; statim occurrerunt ei Castellani, qui adventum ejus in littore observaverant, præcipientes acriter, ut ad Dominam suam Castellanam scilicet sororem Cancellarii, cui nomen Richeut, in castellum veniret. Ipse verò verba eorum respuens, versùs Prioratum equitabat. Et cùm unus ex Castrensibus in equo forti scelus accelerans, ut eum fræno retineret, manum extenderet; ipse solitâ nondum exutus audaciâ, & militaris disciplinæ quam frequentaverat exercitium quamque innatam habebat animositatem dissimulare non prævalens, latronis illius equum adeò in latere à se propellendo dextro pede percussit, ut utrumque fere ad terram prostratum reddidisset: Et sic ampliùs intactus & illæsus Ecclesiam intravit.

Cancellarius verò, cùm *Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum,* Nec bellua tetrior ulla est; & cum audito ejusdem versùs Angliam adventu per omnes orientales Angliæ portus litteras præmiserat in hunc tenorem. "Willelmus Dei gratiâ Eliensis Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, & Domini Regis Cancellarius, Vicecomiti Suthsexiæ salutem. Præcipimus tibi, "ut quòd si Eboracensis Electus applicuerit in aliquem portum in Ballivâ tuâ, "aut aliquis nunciorum ejus; eum retineri facias, donec mandatum nostrum "inde receperis. Et similiter præcipimus, quòd litteras Domini Papæ aut alicujus magni viri, quæ illuc venerint, retineri facias. Teste meipso apud "Preston. xxx. die Julii.

Missâ igitur auditâ, cùm se obsessum undique jam Archiepiscopus audisset, rei eventum Castellanæ nunciavit; quærens & scire volens, utrùm huic facinori autoritatem adhibuisset. Ipsa verò in continenti Cancellarium fratrem suum laudavit auctorem; dicens & asserens, quoniam si Castrum illud totum & etiam urbem Londoniensem comburi jussisset, indubitanter obtemperaret. Venerunt itaque imprimis milites de provinciâ, Willelmus scilicet Aubelvilla & alii cum Castellanis, monentes & ex parte Cancellarii præcipientes, quatinus fidelitatem Domino Regi & Cancellario sub cautione juratoriâ statim præstaret. Quibus ilico respondit; quòd Regi fratri suo fidelitatem antea fecerat, & quòd aliam propter illos non faceret. Cancellario vero se nihil

nihil aliud facturum, nisi quod proditori Regis & Regni & suo faciendum erat. Quibus auditis cum indignatione reversi, statim armatâ manu obsederunt eum, & posuerunt ubique custodes ad hostia cuncta & exitus omnes; nec eum etiam permiserunt cibos in villâ habere venales. Cùmque intrâsset cameram quandam à latere claustri intra Ecclesiam; & ante cameram illam protinus armatos posuerunt. Sed manè Dominicâ exiens à camerâ coram ipsis Ecclesiam intravit intactus ab ipsis & illæsus, ejus vestigia sequens, qui [b] *transiens per medium ipsorum ibat, quia nondum venit hora ejus.* Cùm itaque Missæ solemnia ipso celebrante peracta fuissent; publicè candelis accensis excommunicavit Castellanam nominatim, & omnes alios generaliter tam armatos quàm inermes qui violentiam illam faciebant & per quos fiebant. Quò facto adeò aggravari cœpit obsessio; quòd extra Ecclesiam eum ire non permiserunt, sed intra ipsam Ecclesiam custodes suos posuerunt. Cùmque ibidem fuisset usque ad vesperam jejuniis: tandem advenit Constabularius, cui nomen Matheus de Clara, Cancellarii sororius, rogans & monens præcipiensque, ut Regi & Cancellario fidelitatem exhiberet. Qui statim responsum accepit simile priori, hoc addito tamen, quòd cum coram Episcopis & Baronibus Regni Regisque fratris sui fidelibus veniret, se consilio eorundem, si Regi plus quàm fecerat facere deberet, libenter obtemperaturum, salvo in omnibus ordine suo & dignitate. Constabularius autem his auditis permisit eum ab Ecclesiâ exire in cameram, ubi priùs extiterat, & cibos habere venales; custodiâ tamen circa Ecclesiam habitâ & in nullo prorsus diminutâ. Cùm itaque solus ibi mansisset usque ad feriam quintam; nunciatum est ei contra vesperam milites armatos à Cancellario transmissos ut eum caperent jam venisse. Et cùm sui vix compulissent eum Ecclesiam intrare; ecce armati sub capis xv. & plures tam milites quàm servientes ad ostium Ecclesiæ jam plusabant, clamantes acriter & comminantes, nisi eis ociùs ostia paterent, se statim eadem confracturos. Asserentes igitur & affirmantes se cum Archiepiscopo locuturos, cum pace & pro pace intrare velle; apertis januis intraverunt capati circa x. super loricas; & hi Bragmanni erant & Coterelli Flandrenses conducti. Cùmque ipsum in cathedrâ juxta altare sedentem invenirent stolâ albâ indutum, mariumque habentem in collo, & crucem bajulantem in manibus auro & ebore distinctam, eum in hæc verba convenerunt. Mandat tibi Cancellarius, quoniam contra prohibitionem Regis & suam hanc terram intrâsti, navem ut intres, & retro transfretare festines. Quibus cùm responsum dedisset se nihil pro Cancellario facturum, sed se pacificè in regnum venisse; quod inde apparuit, quòd neque Bragmannos neque Flandrenses, quorum copiam habere potuerat, secum adduxit; sed cum licentiâ & bono amore Regis fratris sui in regnum venerat, sicut ex literis ipsius, quas & Cancellario super hoc transmiserat, palàm fuit. Cui illi. Si nihil aliud dicere volueris; oportet quòd impleamus, quod nobis injunctum est. Et sic ipso eis amplius non respondente, exeuntes abjectis capis armati reversi sunt.

Sed quoniam [c] *omnia quæcunque fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti; quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus;* ut uno eodemque facto & intollerabilem illius arrogantiam, qui frangis omne superbum, evacuares, & generosam hujus celsitudinem, quià vexatio dabit intellectum, per tribulationes humiliares; venientes ministri nequitiæ ad nefas omne parati, & invenientes sedentem adhuc intrepidum & immotum, iterum monuerunt & præceperunt; ut mandato Cancellarii obtemperaret, & aliud jam videret. Et cùm nullum aliud responsum habere potuissent; primo ponentes genua coram altari & percutientes pectora sua, postea surgentes ipsumque per humeros & brachia tenentes extraxerunt. Sed cùm ad ostium venissent, & jam exire voluissent; ille renitens retro cecidit; sed ipsi renitentem & reluctantem per pedes & brachia portantes extraxerunt, ita quòd caput ejus super pavimentum Ecclesiæ graviter

graviter illideretur. Et cùm extra Ecclesiam ei equum adducerent, in quo equitaret; ascendere noluit; sed pedes ibat, crucem semper in manu portans; & sic per aquas & loca limosa usque in Castellum perductus est, & Constabulario traditus; qui statim genibus positis coràm ipso cum lacrimis, & dolens ut videbatur, eum suscepit, & in turre principali retrudi fecit. Hoc autem mihi notabile nec sub silentio prætereundum videtur; quòd cùm dies illa serena fuisset, tanta facta est eâdem nocte in mari & in terrâ tam importuna procella tantaque ventorum rabies & violentia, quanta multis ante temporibus nec visa in partibus illis nec audita fuisset: Adeò ut pro miro à multis & potius pro miraculo duceretur, tanquam elementa tanti facinoris conscia novi & exquisiti sceleris honorem novâ præter solitum concussione pronunciarent. Clausus igitur ibidem atque retentus octo diebus, duobus primis in turre, & aliis sex in castro inferiùs, cum tribus Clericis tantùm & servientibus quatuor, quos secum habere vix permissus fuerat, in nullo castellanis communicare volebat, nec etiam aquâ & igne; sed quotidie in villâ inferius cibos suos ministri sui faciebant, & usque ad eum in castrum deferebant cum aquâ & igne, & tum ad vesperam quotidie manducabant: Nec unquam ibi super calcitram jacere volebat. Tertio verò captionis suæ die equi sui omnes ad Cancellarium adducti sunt; in quorum adventu quasi re bene gestâ & tanquam victor exultare cœpit capta prædâ quando dividit spolia. Interim autem quotidie ferè venerunt nuncii de Cancellario, nunc ei nunciantes quòd si reverti vellet & transfretare, naves ei invenirentur; nunc ut fidelitatem Domino Regi & Cancellario cautione præstitâ exhiberet: Quorum ipse verba omnia atque mandata animo constanti respuebat. Constabularius autem prænominatus saniori fretus consilio, & pœnitentiâ ductus, quamquam tamen ab initio invitus ei & non ex animo molestus fuisset, ad pedes ipsius se provolvens, semel & sæpiùs cum lacrimis & humilitate veniam imploravit; eique, sicut in tali loco potuit talique casu quantum valuit, honorem exhibuit. Unde & tantam in oculis Archiepiscopi gratiam invenit; quòd ipsum inter excommunicatos & obstinatos, pœnitentiam attendens & compunctionem, clementer absolvit; Illius vestigia secutus, qui pro persecutoribus suis exoravit.

Cap. II. De famâ eventûs hujus, & totius Angliæ in Cancellarium commotione.

FAma vero tam horrendi facinoris cunctos per regni amplitudinem tam in populo quàm clero constitutos adeò in Cancellarium jam concitaverat; ut vix unum de tot modò milibus invenire valeas, qui hanc injuriam quasi propriam omni conamine vindicandam non judicaret. Episcopi quoque per regnum fratris & Co-Episcopi sui ærumnis anxie condolentes in tali casu & tam inopinato nihil ex contingentibus omiserunt. Lincolniensis enim Episcopus Hugo statim audito rumore, in prædictum Castellanum & Castellanam nominatim, in cunctos autem autores sceleris hujus & fautores generaliter, candelis accensis apud Oxoniam palam & publice sententiam dedit. Londoniensis verò Ricardus, qui Suffraganeorum Cantuariensis Ecclesiæ Decanus extiterat, & ad quem specialiùs pertinebat, ob administrationis regiæ qua fungebatur reverentiam mitiùs in eum ne dicam remissiùs agens, in partibus de Norwic ad ipsum accessit; monens attentiùs, & sub interdicti demum interminatione firmiter injungens, quatinus Achiepiscopum cum suis universis absque dilatione liberaret. Norwicensis quoque Johannes, quamquam valetudinarius, non invalidè tamen apud Norwic ad ipsum accedens, non tepidè, non trepidè, sed acriter & acutè super eodem ipsum casu convenit.

Cap. III.

CAP. III. De persuasione Coventrensis Episcopi Hugonis, & Comitis Moritonii per ipsum ad vindictam animatione.

COventrensis autem Episcopus Hugo, vir eloquentiæ singularis, vir prudentiâ pariter & animositate conspicuus, non solùm spirituali verùm & materiali in tantâ cunctorum offensâ gladio utendum putans, Comitem Moritoniæ Johannem apud Lencastrum incunctanter adivit; casumque fratris sui & capturam in injuriam suam suorumque maxime redundantem evidenter aperiens, tam animum ejusdem ad ulciscendum viriliter exacuit, quàm agressionis audaciam efficaciter incussit.

CAP. IV. De liberatione Archiepiscopi.

VIdens autem Cancellarius totum ferè Regnum & tam clerum quàm populum in ipsum nec immeritò commoveri, susceptis jam nunciis tam à Comite Moritoniæ quàm à majoribus Regni cunctis tam Episcopis quàm Baronibus super Archiepiscopi liberatione, & hoc sub acri à plerisque despicatæ inimicitiæ comminatione, misso Hamelino Comite de Warrennâ Archiepiscopi patruo, ut Eboracensis libertati suæ restituatur, nunciavit. Ita tamen quòd in verbo Domini promitteret sicut Episcopus & sacerdos, se Londonias venturum, ibique coram Episcopis Regni atque Baronibus super cautione quam exigebat Regi faciendâ, & iis quæ ibidem ei proponerentur eorum consiliis obtemperaturum. Quo concesso, salvo tamen in omnibus ordine suo & dignitate, equis adductis ei in quibus equitaret, respondit se eodem modo exire velle quo intravit; & ita pedes stolâ albâ indutus & orario, & crucem in manu bajulans, in Prioratum descendit, populo ei obviam currente & præ gaudio liberationis suæ ei cum lacrymis, quas exultatio gignit, applaudente; sicut & antea, cùm captus in castrum duceretur, è contra fleverant præ dolore. Priùs tamen duo milites à Comite Moritoniæ venerant, cum festinatione transmissi, rogantes & ex parte Comitis acriter præcipientes; ut frater suus Archiepiscopus absque omni dilatione liberaretur; & si in aliquo deliquit, saltem ei plegiaretur. Quo non impetrato, cum magnâ indignatione & comminatione recesserunt. Archiepiscopus autem liberatus demum & libertati suæ plenè restitutus, Cantuariam venit; & cùm Ecclesiam Sanctæ Trinitatis intrando ad tumbam Martyris egregii profusiùs orâsset, apud Sanctum Augustinum, ubi hospitatus fuerat, inde divertens, à Monachis loci ejusdem cum processione pulcherrimâ susceptus est. Venerunt autem ibidem ad eum à Cancellario transmissi Comes de Arundell Willelmus scilicet de Aubingni filius Willelmi, & Henricus de Cornhull, nunciantes se ex parte Cancellarii venisse; ut eum Londonias salvè & honorificè conducerent, sub cautione tamen & promissione simili priori. Quo facto ad nobilem Londoniarum urbem profectus est. Interim autem Comes Moritoniæ Johannes, instinctu Coventrensis & efficaci persuasione, à borealibus Regni partibus Merlebergiam accelerans, quoscunque sibi necessarios ad hujus ultionis aggressum consilio Episcopi esse putabat, ad se vocando vivaciter allexit. Et primò militem egregium Willelmum Marescallum qui partibus Gloverniæ præerat, deinde Willelmum Briware qui partibus Oxoniæ, & Galfridum filium Petri qui partibus Northamptuniæ; Rothomagensem quoque Archiepiscopum Walterum, quem Rex à Siciliâ ad regni regimen parem Cancellario & etiam majorem remiserat, & Episcopum Wintoniæ Godefridum. Quos omnes aliosque plurimos regni Magnates ipsum injuriæ ge-

nus tantique excessûs enormitas de facili ad vindictam provocârunt. Bathoniensis autem Episcopus Reginaldus cum aliis vocatus accedens, & Comitem fortè in sylvâ venantem inveniens, ab eo salutatus, quasi cum irâ & indignatione respondit; Quid hîc venaris, ô miser, & in ferarum persecutione delectaris? si quam in corde scintillam animositatis haberes, solam illam bestiam venari deberes, quæ Regi fratri tuo & tibi totique stirpi regiæ, & quod plus est, Deo pariter Ecclesiæque suæ sanctæ in Eboracensis captione tantum dedecus irrogavit.

CAP. V. De conventu Procerum & Pontificum apud Radinges.

HIS ita completis, de Merlebergiâ recedentes cuncti Oxoniam convenerunt; ubi & Lincolniensem Episcopum Hugonem obvium & ex animo consortem habuerunt. Et inde Radingam, propter colloquium, quod inter ipsos & Cancellarium super præscripto facinore inter Radingam & Windesorum nominatum jam fuerat, accesserunt. Præmiserant enim nuncios singuli ad Cancellarium versûs Norwic, ubi tunc erat, super Eboracensis liberatione, & ut tanto super excessu in loco prædicto ad diem nominatum regni judicio veniret stare paratus. Quibus ipse imprimis cum tanto fastu & comminatione respondit, citans Proceres super Baronias suas, Episcopos verò super Regalia, ut Comitem Moritonii, qui regnum sibi usurpare parabat, relinquerent, & sibi qui ad regni regimen eis à Rege præfectus fuerat adhærerent; Proditores vocans, & factiosos, adeò ut in se cunctorum animos eo ipso longè graviùs atque molestiùs exasperaret. Quoniam ut ait Solomon in Proverbiis, [d] *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Eboracensis autem, cùm per aliquot dies Londoniæ moram fecisset, & Cancellarius quoque jam illuc venisset; ecce duo milites nunciantes Eboracensi ex parte Comitis Moritonii fratris sui, quatinus ad eum apud Radingam, ubi Episcoporum atque Baronum conventus extiterat, in continenti venire non postponeret. Ipse verò statim à Cancellario impetratâ licentiâ propter prædictas de Londoniis non exeundo sponsiones, apud Radingam profectus est, sub eo tamen conventionis tenore, quòd se Londonias reversurum die tertiâ post colloquium, quod futurum erat ut sperabatur in Sabbato proximo sequente, firmiter promisit. Cum itaque Radingam pervenisset; Comes frater ejus ad ipsum statim accessit; ubi & inter oscula cum multis lacrimis & singultibus convenerunt. In crastino verò manè post Missam coadunati sunt omnes tam Archiepiscopi & Episcopi quàm Comites & Barones. Et cum intrâssent cameram quandam solùm viri majores & honoratiores; surgens ad eos Eboracensis causam suam & casum eis exposuit; tandem coram eis genua ponens, cum lacrimis humiliter imploravit, ut ipsi & Ecclesiæ suæ injuriam in ipso factam vindicarent. At ipsi statim è contra genua ponentes, neque absque lacrimis, se illud promptâ voluntate facturos omnes unanimiter protestantur.

[d] Prov. XV. 1.

CAP. VI. De Colloquio inter Windesoriam & Radingam.

POst hac autem properantes statim ad Colloquium versûs pontem de Lodena, qui quasi per milia v. a Radingâ versûs Windesoram distat, convenerunt. Cancellarius autem de Windesorâ, quia eis apud pontem illum obviare debuerat, cùm per quatuor miliaria jam venisset; ulterius procedere præ timore non ausus, præmissis qui cum ipso venerant, Londoniensi videlicet Episcopo Ricardo, & Comitibus de Arundel scilicet Willelmo, de Warenniâ Hamelino, & Rogero Bigod, cum aliis non paucis, ipse sub infirmitatis obtentu metum

metum pallians, se ibi præstolari velle professus est. Convenientibus igitur apud pontem prædictum omnibus in prato quodam, Archiepiscopis duobus Rothomagensi scilicet & Eboracensi, Episcopis quinque Londoniensi, Wintoniensi, Bathoniensi, Coventrensi, Lincolnensi, necnon & Comite Moritonii, cum aliis tam Comitibus & Baronibus, quàm regni fere majoribus cunctis, turbis in coronam consertis, Eboracensis in medio consistens legi fecit in publicâ audientiâ litteras Regis; quarum testimonio cum licentiâ ipsius gratiâque & bonâ amicitiâ in regnum advenerat, & in cunctis majoribus regni negotiis cum Justiciariis suis tanquam frater & fidelis suis assisteret. Rothomagensis quoque varia literarum transcripta, quas à Rege reportavit, & quorum testimonio ad Regni regimen remissus est, & ut nihil de regni negotiis ipso inconsulto tractetur, super electione quoque Cantuariensis Archiepiscopi, quòd præcipuam ei curam injunxerat, utpote cui totum super hoc cordis sui secretum denudaverat, Coventrensi ad Proceres cuncta fideliter interpretante, in publicâ audientiâ legi fecit. Ostendit etiam coram omnibus, qualiter super hæc omnia Londoniam veniens, & Cantuariam peregre proficisci volens, à Cancellario ne ulterius procederet, neve Tamisiæ pontem transiret, mandatum suscepit. Continebatur & in litteris, quas ei super hoc misit, hujusmodi comminatio: Quia si transire præsumpseritis, indignationem & animi rancorem, quem erga vos habemus, dissimulare non poterimus. Erant autem litteræ in hæc verba transmissæ.

"Venerabili & dilecto in Christo Patri & amico Waltero Dei gratiâ Rothomagensi Archiepiscopo Willelmus eâdem gratiâ Eliensis Episcopus & "Domini Regis Cancellarius, salutem & debitam cum omni devotione reverentiam. Convenimus vos apud Londoniam, quâ occasione Cantuariam "adire valetis; & id à vobis in responsis accepisse meminimus, quòd cum Monachos Cantuarienses audieratis vobis offensos, ut scilicet de causis offensionis si quæ essent inquireretis, & de Prioris depositione certitudinem haberetis. Verùm datum est nobis intelligi vos aliâ consideratione Cantuariam festinare, videlicèt ut cum Monochis illis de Archiepiscopo eligendo tractetis. Et valde, nec mirum, admirati sumus; quod quasi captatâ "absentiâ nostrâ velitis id facere; cùm sine nobis fieri nec possit nec debeat, "qui & toti regno vice regiâ præsidemus, & jure Cancellariæ nostræ Archiepiscopatum illum in manu nostrâ cum omnibus Ecclesiæ pertinentiis habemus. Cum igitur super tam magno & arduo negotio, à quo summopere "totius regni pendet dispositio, sine Domini Regis aut nostrâ nunc temporis "præsentiâ tractari non debeat; discretioni & honori vestro consulimus, & "mandamus ex parte Domini Regis districtiùs inhibentes; ne propter hanc "aut propter aliam quamcunque causam Cantuariensem Ecclesiam adeatis, "donec vobiscum loqui possimus. Non enim cum patientia & rancoris dissimulatione hoc perferremus. Teste meipso apud Releiam xxv. die Augusti."

Præterea publicè professus est Archiepiscopus; quia postquam in regnum advenit, nunquam Cancellarius ejus consilium in aliquo expetiit & expectavit. Similiter & alii Justiciarii, quos ei socios & coadjutores à principio Rex adjunxerat, publicè proclamârunt; quia nihil omnino eorum consiliis actum est; Willelmus scilicet Marescallus, Willelmus Briware, Galfridus filius Petri. Comes autem de Arundel, quia solus cum Cancellario propter affinitatem inter eos nuper contractam claudicare videbatur, sub silentio præterivit. His itaque propalatis, præcepit Rothomagensis omnibus tam Comiti Mortonii quam aliis ex parte Regis; ut in Cancellarium unanimiter insurgerent, & eum tanquam inutilem Regi & regno à potestate dejicerent, aliumque magis accommodum communi consilio instituerent. Litteras quoque Domini Regis, quarum autoritate hoc præcepit, coram cunctis ostendit & legi feci, in hæc verba.

 "Ricardus

"Ricardus Dei gratiâ Rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Co-
"mes Andegaviæ, caro & fideli suo Willelmo Marescallo salutem. Mitti-
"mus ad te venerabilem patrem nostrum Walterum Rothomagensem Archie-
"piscopum, virum prudentem & discretum, de cujus fidelitate & prudentiâ
"plenè confidimus, sicut & ad Cancellarium nostrum & Willelmum Briware,
"& Hugonem Bardulf & Galfridum filium Petri, quibus negotia regni nostri
"commisimus tractanda; præcipientes ut absque prædicti Archiepiscopi as-
"sensu & consilio nihil facere præsumas. Et si fortè Cancellarius noster
"negotia regni nostri juxta consilium prædicti Archiepiscopi & tuum & alio-
"rum prædictorum, quibus curam regni nostri commisimus, fideliter non tra-
"ctaverit; Præcipimus ut secundùm prædicti Archiepiscopi dispositionem tu
"& prænominati socii tui de omnibus agendis regni nostri tam de castellis
"quàm de eschaetis absque omni occasione faciatis. Nos enim ei cor no-
"strum aperuimus, & secreta nostra ei commisimus. Teste meipso apud
Messanam xx. die Februarii". In eâdem quoque formâ scripsit Rex singulis Justiciariis & quibusdam aliis Comitibus, Baronibus & fidelibus suis. Quibus in audientiâ propositis, miserunt ad Cancellarium in continenti Episcopos Lincolniensem, Wintoniensem, Coventrensem, cum Baronibus quibusdam; ut ipsum securè procedere facerent & ad colloquium venire. Sed cùm aliquantulum processissent; obvios habuerunt nuncios, qui Cancellarium sub ægritudinis obtentu Windesoram jam reversum asserebant.

CAP. VII. De solemni apud Radingam sententiæ prolatione.

IN crastino verò, Dominicâ scilicet pòst, convenerunt omnes apud Radingam in Ecclesiâ majore; & Bathoniensi Episcopo Missam celebrante, aliisque tam Archiepiscopis quàm Episcopis ad altare astantibus cum mitris & baculis, candelis accensis, omnes præscripti sceleris tam factores quàm fautores anathematis sententiâ perculerunt, Coventrensi Episcopo verbum proferente & palam ad populum exponente. Eodem autem die summo manè missi sunt à Cancellario Radinges milites de familiâ suâ Petrus scilicet de Campis, Cardo, aliique nonnulli de Franciâ & Flandriâ viri stipendiarii. Missus est & Willelmus de Breusâ junior, qui affinitatis quoque gratiâ Cancellario nuper adhæserat, jus suum quanquam inaniter protestari. Missi sunt & alii à latere & in occulto Comiti Moritonii supplicantes, & multis munera multa licèt in vacuum offerentes. Cum quibus versùs Windesoram contra vesperam reversis venerunt milites duo ad Cancellarium á Comite Moritonii & Baronibus transmissi, nunciantes quatinus eis in crastino ad colloquium modis omnibus obviam veniret, super his quæ ibidem ei objecta fuerint regni judicio stare paratus. Alioquin nullam in ipsis de cætero fiduciam habere posset. Instabant autem milites ipso dubitante, quatinus si ad Colloquium venire vellet, illud ore suo palam profiteretur. Quod tandem post multas alterationes variaque consilia se facturum admisit.

CAP. VIII. De fugâ Cancellarii & confectione.

MAnè verò feriâ secundâ Episcopi & Barones de Radingâ exeuntes, cùm pontem de Lodena jam transissent; missis saginariis & clitellariis cum redis & impedimentis omnibus viâ per sylvam à dextris versùs Stanes, non absque tamen tutelâ militari, ipsi publicâ ad colloquium versùs Windesoram stratâ venerunt. Profecti sunt autem hoc ordine, Episcopi cum Clero populoque imbelli & pacifico quasi per passuum milia præcesserunt, ad pacem cuncta redigere

gere atque concordiam justitiâ cum misericordiâ mediante parati. Sed quoniam arma tenenti omnia dat qui justa negat; Barones in armis & manu forti eodemque comitatu Archiepiscopi duo temperato incessu subsequuntur. Cancellarius autem cum suis vix tandem ab oppido exeuntes, versùs colloquium armati venerunt. Sed quoniam visa veriùs quàm audita narrantur, non minùs ad risum atque derisum casûs hujus eventum contemplantes, & beluam istam stipendiariis stipatam militibus qualiter arma decerent considerantes, rei ipsius tam deformitas quam enormitas movit universos, quàm si simia ibidem equitare armata communiter ab omnibus inspiceretur. Cùm autem parum à Castro & quasi per duo passuum milia versùs colloquium processisset, nuncios suscepit & exploratores; quòd ordine præscripto tam Pontifices quàm regni Proceres advenirent, rectoque tramite ad urbem Londoniæ accedere proposuissent. Quo audito consternatus animo, festinato consilio lora regirans, ad castrum de Windesora unde exierat, nec equo parcens nec calcaribus, concito cursu reversus est; & munitionem intrando breviter satis & trepidé magis quam providè super ejusdem castri custodiam disponendo, quum parum ibidem in tam nobili scilicet castro se tutum esse putabat, meticulosæ nimirum menti timor est ipsa securitas, pontem ilico sub castello Tamisiæque fluvium transiens, præproperam valde cum suis & confusione plenam versùs Londoniam fugam arripuit. Qui clitellas inordinatè præ nimiâ festinatione saginariis impositas, qui saginarios ipsos cum oneribus ob turbam condensam à ponte passim præcipitari videret; miræ confectionis & confusionis de cætero non immemor esse valeret. Pontifices autem & Proceres ad colloquium venientes, rei eventum & Cancellarii reversionem non statim audierunt; sed Episcopi qui processerant, susceptis demum nunciis certis & fide dignis, primùm in admirationem versi sunt, deinde ad consilium conversi. Statim autem audito rumore, inquit Bathoniensis, Et nos quid faciemus? Nonne revertemur? Cui Coventrensis in publicâ audientiâ solitâ verbi facetiâ respondit. Non utique, sed incontinenti Londoniam ibimus, contra imminentem hyemis algorem vestium remedia comparare. Et statim reversi ad Proceres communicato consilio, Coventrensi quoque persuadente, Londonias omnes per viam de Stanes incunctanter profecti sunt. Sed vide quantam, peccatis exigentibus nutuque divino superbiam frangente, datus sit in confusionem. Quoniam si ad colloquium eo die venisset, tantam proculdubio in oculis eorum gratiam invenisset; quòd ob Regis reverentiam regiæque dispositionis honorem ipsum emendatum Procerumque consiliis & Pontificum, quibus assignatus fuerat & associatus, deditum magis & devotum in potestate dimisissent. Sed *fugit impius nemine persequente*; & juxta illud aliud authenticum *Tumultus susurri semper in auribus impii; & cùm pax sit, ille insidias suspicatur.* Multis igitur in direptionem datis tam profugorum sarcinis quàm vecturis, non procul à suburbio Londoniensi factus est militum conflictus & equorum strages; ubi & captis hinc inde nonnullis & vulneratis, miles egregius de familiâ Comitis Moritoniæ, cui nomen Rogerus de Planis, fugitivos inter primos acriter persequendo ictu lanceæ letali confossus est. Convocatâ vero civium multitudine in aulâ publicâ, quæ à potorum conventu nomen accepit, per Henricum de Cornhull, qui & unus eorum extiterat & ad hoc à Cancellario manè præmissus, statim ut urbem Cancellarius intravit, ad illos ibidem accessit; eosque coram ipsis publicè prostratus super fide Regi debitâ conveniens ut secum firmiter starent, & urbis ingressus Comiti Moritoniæ regnum, ut aiebat, occupare volenti viriliter defenderent, verbis suasoriis nec persuasoriis admonebat. Ipso verò responsum præ timore non exspectante, sed ad castrum & turrim ilico cum suis accelerante, magnâ cives inter se altercatione dissidebant. Duo namque tunc principales, Ricardus scilicet filius Reinerii & prædictus Henricus, quorum alter Comiti alter

ter verò Cancellario favere videbatur, ad contraria contendebant. Henricus enim, ut Comiti januæ patefacto priùs veniendi animo non paterent, modis omnibus suadere nitebatur. Ricardus verò injuriosum hoc esse & in damnum urbis & detrimentum vergi posse, si Regis filio Regisque fratri & hæredi sine causâ januæ claudentur. Allegans ei potiùs extra urbem obviàm eundum, & animum ejus præ tentandum, cum universitatis assensu persuadet. Quo facto quum se pacificè venire & ob urbis regnique totius honorem & commodum profitebatur; honorifice ut decuit intra murorum ambitum cum universo comitatu susceptus est.

CAP. IX. De obsessione ejusdem, depositione & dejectione.

IN crastino verò convocatis in unum civibus, communione, & ut Latine minùs, vulgariter magis loquamur, communâ seu communiâ eis concessâ & communiter juratâ, propositis in publicum excessibus atque injuriis multis in Regni dedecus & detrimentum intolerabiliter redundantibus, publicè in Cancellarium tanquam hostem Regis & regni Coventrensi persuadente ab urbis civibus regnique Proceribus conclamatum est; & statim turris, in quam se susceperat, armatâ manu obsessa est. Quartâ verò feriâ ad petitiones Cancellarii multas accesserunt ad eum intra munitionem Episcopi Londoniensis, Lincolniensis, Wintoniensis, & Coventrensis. Quibus ipse humiliter & cum lacrimis supplicando, demum quoque ad pedes eorum bis ut videbatur sincopicâ passione prostratus, ne tanto dedecori sui & dejectioni assensum præberent, multis suasit verbis nec persuasit. Et cùm inter alia proposuisset, si municipia Regni alii quàm Regi traderet, se non immeritò proditionis argui posse, nec unquam genus suum ulla proditione fuisse notatum; respondit Coventrensis. De genere tuo nobiscum non disseras neque discutias; sed quod fieri oportet, id facias. Quodque vitari non potest, id non differas. Generis namque tui proditio à te nunc inchoare non potest. In genus ipsius, qua prius ipse verbis exui volebat, cautè & facetè notam proditionis intorquens. Eodem autem die per intercessores multa promittendo & non pauca præmittendo, Comitem Moritoniæ adeò ab incœpto fere Cancellarius avertit; ut & ab urbe discedere infecto negotio, nisi Coventrensis suasio & Eboracensis iterum supplicatio eum ad propositum revocâssent, jam parâsset. Tandem itaque circa vesperam Osbertum fratrem suum germanum & Matthæum Camerarium, quòd regni judicio pariturus in publicum manè prodiret, Cancellarius obsides dedit. In crastino verò egressis tam Pontificum quàm Procerum turbis in campo orientali ex parte ab urbis & castris muralibus non remoto exiens quoque, tanquam vulpes à foveâ, Cancellarius à castro ad eos, tandem judiciale subiturus examen, vix & valde invitus accessit. Meticulosa nimirum res est, quoniam ambigua sunt semper fata causarum, judicem adire, nedum judices tot & tantos in turpi causâ offensos.

Post varias igitur altercationes & consilia multa, tandem communi omnium censurâ sententia prodiit diffinitiva; ut ab utrâque potestate Cancellarii scilicet & Justiciarii, qua nimis enormiter abusus fuerat, exueretur: & municipiis omnibus quæ post Regis transfretationem sibi usurpaverat privaretur; tantùm tribus, de Dovora videlicet, Cantebrugia & Herefordiâ, quorum custodiam antè habuerat, ei relictis. Dum tamen hæc eadem fidelibus Domini Regis & per assensum Justiciariorum ejusdem committerentur. Super hac autem ultimâ, castrorum scilicet privatione, vehementiùs dolebat. Proposuerat enim per munitiones, quas possederat, & affinitates, quas cum multis & magnis regni viris ex industriâ contraxerat, usurpatam sibi potestatem inconvulsè radicare. Quo facto & in publicum propalato, fide pro Cancellario datâ firmatum

tum est & cautum, se nihil unquam contra dispositionem istam machinaturum nec absque licentia transfretaturum. Sextâ vero feriâ Castrum relinquens & Tamisiam navigio transiens, apud Bermundeseiam se suscepit. Sabbato verò cùm iter apud Dovoriam arripuisset,& per quinque & sex miliaria versùs urbem Roffensem quasi completâ persecutione & in suâ libertate susceptus jam properasset; ecce nunciis è vestigio sequentibus ipsum subitò redire, & quia nunquam sola veniunt scandala, Henricum de Longo campo fratrem suum uterinum pro reddendis absque scrupulo Regni municipiis quæ restabant obsidem dare compulsus est. Qui & longo pòst tempore apud Kairdif in Walliâ in vinculis & carcere tentus est justo Dei judicio; ut qui fraternam tyrannidem intolerabili suâ arrogantiâ atque superbiâ crudeliter in omnibus augmentâsset, & ipse pœnam suâ ex parte non immeritò sustineret. Notandum autem videtur Pontificum nostrorum apud Radingam data quantæ efficaciæ sententia fuerit. Primâ feriâ promulgata fuit; Secundâ fugatus ille & confectus; Tertiâ obsessus; Quartâ obsides dare compulsus; Quintâ ab omni potestate depositus & dejectus; Sextâ a castro & urbe quæ caput est regni expulsus; Sabbato â viâ vi revocatus & cautionem ampliorem dare compulsus. Et sic totius Ebdomadæ dies plenæ & non penè ordine suo in cumulum pœnæ & confusionis suæ dati sunt.

CAP. X. De Archiepiscopi Rothomagensis in Justiciarium electione.

HIS ita completis, & Eliensi Episcopo solùm Cancellarii jam nomen inane portante, vix tandem Dovoriam dilapso & in castello suscepto, Rothomagensis Archiepiscopus Galterius communi omnium assensu & electione in Justiciarium solemniter est sublimatus. Galterius iste âb antiquâ & authenticâ Britonum prosapiâ Trojanæ nobilitatis apicem præferente originem trahens, ab Archidiacono Oxoniensi, Thesaurario Rothomagensi, & Anglorum Regis Henrici secundi Archisigillario, in Episcopatum Lincolniæ & inde in Archiepiscopatum Rothomagensem meritorum exigentiâ gradatim ascendit Qui tamen quanquam tanti nominis & ominis extiterit, adeò modestum & minùs arrogantem se in omnibus exhibuit; ut nec proprio sigillo in regiis negotiis, verùm Regis ipsius apud Scaccarium residentis uti voluisset. Adeò igitur accuratè & circumspectè cuncta disposuit, adeò nihil omnino de regni negotiis absque fidelium Domini Regis, qui ei advincti fuerant, consiliis agere volebat; adeò inquam injuncti regiminis citra rigidum longèque trans remissum tanto moderamine strinxit habenas; ut Anglia aliquandiu vi tempestatis & turbinis graviter concussa, jam quasi è naufragio elapsa in gratissimum tranquillitatis portum se susceperit. Turbatio namque, quæ inter ipsa regiminis hujus initia super Archiepiscopi Cantuariensis electione se subitò ingessit, per Monachorum Sedis ejusdem & Bathoniensis Episcopi ut videbatur collusionem contra Regis honorem & authenticam Episcoporum Regni dignitatem hinc ambitu inde superbiâ factam, solutâ in brevi per interemptionem quæstione, divinâ providentiâ conquievit.

Intestina vero illa & detestanda discordia, cui tandem ausu nefario contra jus & honestum, contra fidem & sacramentum, contra naturam & merita bona prava regnandi cupido occasionem dedit, quem finem sortiri debeat ille viderit, qui iniquitates in virgâ visitare novit, & in verberibus sceleratorum excessus vindicare. Contigit autem feriâ quartâ turbationis hujus, die videlicet qua Cancellarius publice Londoniis deponi meruit, quòd Archiepiscopus Rothomagensis cum multis & magnis ut assolet viris secum convivantibus, cùm in mensâ

mensâ sederet, & cœnâ jam finitâ hymnoque dicto benedictionis eulogium dextrâ porrectâ donaret; Grus domestica stans coram mensâ cunctis admirantibus genua posuerit, & quasi ad benedictionem cernuo capite se inclinaverit. Unde & quidam dicebant, quia gratias agit Archiepiscopo super tyranni dejectione. Alii verò dicebant pronosticum esse jam imminentis & proximo futuræ potestatis. Accidit eidem quoque de Siciliâ redeunti apud Lugdunum super Rodanum res haud dissimilis. Cùm enim à digniore Ecclesiæ Metropolitanæ post Archiepiscopum personâ, quem Senescallum vocant, die Pentecostes cerva domestica ei mitteretur; & clamarent omnes, ut mos est, ad coquinam; illa sola caput Archiepiscopo semper inclinando mortem, quam alii minabantur, mutâ persuasione deprecabatur. Unde & Archiepiscopus, puta vir bonus & pius, eandem cum metricis his versibus à collo in scedulâ suspensis illæsam & indemnem ilico remisit.

Cerva quasi faris vitam sine voce precari:
Ergo revertaris tribuenti retribuari.

Sed hæc hactenus. Ad Eboracensem autem, cujus hæc causâ & vindictæ gratiâ gesta videntur, revertamur. Vindicat enim Dominus interdum ob meriti gratiam, interdum ob sacramenti reverentiam. Non enim meritorum qualitatem sed potiùs sacramentalem delibutionem attendit; cùm Sauli nequissimo Regi suoque persecutori pertinacissimo David parcendum esse decrevit, dicens, [f] *Absit à me, ut manum mittam in Christum Domini.*

[f] 1 Reg. XXVI. 11.

CAP. XI. De Eboracensis completâ victoriâ, celebri atque solemni inthronizatione.

EBoracensis igitur hoste fugato & confecto, deposito pariter & dejecto, versùs propria victoriosus accedens, apud Northamtuniam, quoniam ibidem liberalibus olim disciplinis aliquandiu studuerat, Clero & populo obviam ei veniente cùm processione pulcherrimâ susceptus est; & inde ad Provinciam parrochiamq; propriam accelerans, ubique debito veneratus honore, tandem Eboracum perveniens, cum magno Cleri populique concursu processione rite celebratâ solemni Omnium Sanctorum die solemniter & magnificè suâ in sede est collocatus. Ubi & eundem, utinam pontificaliter in omnibus agentem, longâ laudabilique vitâ degentem, gregi commisso verbo & exemplo proficientem, de cætero relinquentes, magnis Scriptoribus majora ejusdem & maturioris ætatis insignia materiam reservantes; ad Cancellati nostri nondum finitam ærumnam, quia nec dum extinctam nequitiam, revertamur.

CAP. XII. De Eliensis Episcopi apud Dovoriam in habitu muliebri captione, vapulatione & incarceratione.

ELiensis igitur cùm aliquot diebus in castro Dovorensi, quò diverterat, moram fecisset; miram metaphoram & exquisitam fraudem excogitans, se fœminam simulavit; & vestem sacerdotis in habitum convertit meretricis; fideique pariter immemor & honesti, & potiùs contemptor, quùm aperte non poterat, sub habitu fœmineo transfretare parabat & occultè, Assumens itaque peplum in capite, & tunicam viridem enormiter longam, & capam ejusdem coloris manicatam, pedes ad littus à castro descendit. Ut autem efficaciùs assumpto hujuscemodi sub fuco lateret, lineam telam in lævâ, virgam institoris

toris dextrâ præferens, mulierem mercatricem ne dicam meretricem ſe ſimulavit. Tunicam itaque fœmineam indutus pro tunicâ ſacerdotis jacinctinâ, capam habens manicatam pro planetâ, peplum in capite pro mitrâ, virgam menſoriam pro baculo paſtorali, telam pro textu Evangelico ſeu potius manipulo portans, Talibus ornatus Antiſtes ad mare deſcendit. Et cùm in littore reſidens, Euro ad vota ſpirante, horam navigandi præſtolaretur; ecce piſcator qui nudus fortè de mari jam venerat retiaque ſiccanda per littus expoſuerat, videns eum & eam ſolam ſedentem, reputans ſcortum eſſe, calefieri cupiens, celeriùs accurrit; & ſtatim lævâ collum ejus amplectens, dextrâ cœpit inferiora rimari. Sed protinus miniſtri ejuſdem & ſervi, qui non procul aſtabant, dolum non ignorantes, acceſſerunt; & modeſtâ quadam violentiâ eum repellentes, increpaverunt etiam ut taceret. Interim autem exiens è villâ mulier quædam ad littus, & videns lineum pannum quem geſtabat, propiùs acceſſit; & putans venalem eſſe, cæpit de pretio diligenter inquirere. Et cùm ille non reſpondiſſet, quoniam Anglicæ linguæ peritiam non habebat; continuo ſupervenit & alia mulier, cum inſtantiâ magnâ illud idem inquirens. Cùm autem nullum eis reſponſum dediſſet, ſed potius ſubrideret, ſicut ſemper in dolo conſueverat; cœperunt inter ſe mulieres admirari, & quærere quidnam eſſet; & tandem dolum ſuſpicantes, extenderunt manus ad peplum quo facies tota uſque in oculos velabatur, & ſubmittentes à naſo uſque deorſum, viderunt faciem hominis nigram noviterque raſam; & conterritæ præ admiratione muliebriter vociferare & proclamare cœperunt. Venite, videte monſtrum, quod deformavit utrumque ſexum, virum ſcilicet ſub muliere latentem. Et ſtatim factus eſt concurſus virorum ac mulierum magnus, avellentium peplum de capite, ipſumque proſtratum ad terram per caputium & manicas turpiter trahentium, coronâ ſimul & fraude detectâ. Servientes autem ſui bis & ter impetum fecerunt in turbam, ut eum liberarent; ſed prævalente populo non potuerunt. Ipſe verò coronam, quam paulo antè tegebat, palam oſtendens, altâ voce clamabat ſe Presbyterum eſſe & Epiſcopum, rogans & ſupplicans, ut cum ipſo ordinis & dignitatis intuitu mitiùs ageretur. Illi verò nihilominus ipſum verbis dehoneſtantes, ſpittis, alapis & verberibus afflictum, lapidatum, perque plateas omnes tractum turpiter, & ſic tractatum tandem eum in cellario tenebroſo quaſi ſub carcerali cuſtodiâ concluſerunt. Tractus eſt igitur qui traxerat, captus qui ceperat, ligatus qui ligaverat, incarceratus qui incarceraverat; dignâ Dei compenſatione eandem quam menſus eſt menſuram ſuſcipiens, & irrogatas aliis injurias in ſeipſo recognoſcens. Mirum igitur & inauditum hactenus vindictæ genus. Quamquam etenim fugatus fuiſſet, & confectus, depoſitus viliter & dejectus; parum hoc ad vindictam eſſe videbatur, niſi eodem in littore & eodem die per aliquot Hebdomadarum revolutionem, quo Chriſto Domini injuriam irrogare præſumpſit, & ipſe in veſte muliebri, quam ante abhorruerat, à mulieribus quarum ſemper ſexum exoſum habuerat, exquiſitâ divinitus ultione confunderetur.

CAP. XIII. De liberatione ejuſdem & transfretatione.

CUM itaque diebus aliquot clauſus in hunc modum teneretur; nunciato Rothomagenſi Archiepiſcopo, qui tunc regiminis lora tenebat, rei eventu, provido præcepto ſtatim eſt abſolutus & transfretare permiſſus. Nullâ nimirum indignatione, nullius iracundiæ motu ad talionem provocatus, Ordini deferendum duxit & dignitati. Verebatur etiam, quia providæ mentis eſt futuris proſpicere, ſi Comes Moritoniæ in eundem ſic captum manus injecerit, ne caſtella quædam quæ ſpretis obſidum & ſacramentorum cautionibus nondum reddiderat, ſibi ab ipſo eâ occaſione extorqueret. Elapſo igitur hyemali tempore,

pore, & Cancellario nostro clàm mare transmenso, advenerunt nuncii ejusdem de Curiâ Romanâ, Legatione sibi per litteras Episcoporum Angliæ, qui pro ipso dum adhuc in potestate fuerat summo Pontifici scripserant, cum aliis illis quæ condimentum in Curiâ facere & gratiam comparare solent copiosè præmissis, jam renovatâ. Quamquam tamen post præmissam, quæ Clemente extincto expiraverat, Legationem se nihilominus Legatum gerens in præjudicium Ecclesiæ Romanæ & detrimentum Anglicanæ non modicum, per dimidium ferè anni spatium crucem sibi indebitè præferri ex nimiâ tam præsumptione quàm superbiâ non formidâsset.

CAP. XIV. Qualiter iterum apud Dovoriam sub prætextu Legationis applicuit.

Circa Kalendas igitur Aprilis, ubi tanto cum dedecore circa præmissas Kalendas Octobris expelli meruerat, comparato sibi ut fertur Reginæ, quæ circa id ipsum temporis in Angliam venit, filiique sui Comitis Moritoniæ favore cum magno apparatu in portu Dovorico ausus est applicare, in Anglorum gentem solitam tyrannidem & etiam causâ vindictæ longè graviorem exercere paratus. Præmiserat etiam quibusdam familiaribus suis transcripta litterarum Domini Papæ; quibus quosdam de majoribus tam Episcopis Angliæ quàm Baronibus ob illatas sibi injurias excommunicaverat: Alios etiam excommunicatos jam denunciaverat; præfixerat quoque diem & locum, citationibus emissis, quo sibi Angliæ majores præsentari præcepit. Sed quoniam Præses, priusquam Provinciam intraverit, jurisdictionem non habet; tam ipse quàm sententiæ ipsius, omnes comminationes pariter & mandata contempta sunt.

CAP. XV. De Concilio contra ipsum Londoniæ convocato, & secundâ ejusdem expulsione.

Audito tamen adventu ejusdem, convocato Londoniis Concilio, præsentibus Reginâ & Comite Moritoniæ cum Regni primoribus cunctis, contra Legationem ipsius à Clero communiter est appellatum. A populo verò & Clero pariter, præmissis ad hoc majorum nunciis tam Episcoporum quàm Baronum, quo minùs accederet repulsam passus, versùs Normanniam, quam natione fœdaverat & conversatione, confusione plenam & ignominiâ navigio fugam attemptavit. Veruntamen ne nil penitus in Angliâ egisse, neve potestate vacans ab omni fine vindictâ qualibet reverti videretur; Episcopatum suum Eliensem, ordinario saltem fungens rigore, sub interdicto conclusit. Justiciarii namque proventibus ejusdem in compensationem fiscalis ærarii, quod per biennium illud quo præerat in proprios abusus evacuaverat, nihil in scriniis illis præter claves relinquens, ipsum post primam statim expulsionem spoliaverat. Quos tamen proventus vix tandem interventu Reginæ, quæ sola miserias ejus, casus & calamitates misereri videbatur, recuperavit.

CAP.

CAP. XVI. De morâ ipsius & insidiosâ transmarinis in partibus exspectatione.

IN transmarinis itaque partibus & Aquitannicæ Galliæ finibus in insidiis exspectans, & Anglorum Regno regiisque ministris & terris adjacentibus pro posse ingratus, viriumque modulo molestus existens, Francorum Regi Philippo necnon & Curiæ Romanæ ejusdemque Legatis ab illa transmissis sinistra suggerendo, tanquam vipera latebris excussa, totum in vindictam virus evomuit. Porro quoniam non principaliter sed quasi per excursum & accidentaliter in hominis hujus ineptias incidimus; ad posterorum doctrinam pariter & exemplum collectam quasi sub epilogo earundem hic summam Lector reperiat. Et quoniam legitur, *O faciles dare summa Deos, eademque tueri Difficiles. Summisque negatum Stare diu*: Et *Qui stat, videat ne cadat*: Et *Qui se exaltat humiliabitur*: Et quia *ante ruinam bos exaltatur*: In hoc exemplari semper invenire valeat & humilitas quod speret, & superbia quod formidet; quum ut ait Jeronimus: Lætemur ad ascensum, timeamus ad lapsum; non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de excelsis corruisse.

CAP. XVII. De tertiâ ejusdem ab Angliâ plenâ ærumnis discessione.

DEmum autem audiens Anglorum Regem Ricardum in Alemanniæ partibus, ut satis notum est, iniquè nimis & injuriosè detentum, ad ipsum occultè transiens, & operas suas ingerens, ut erat immoderatæ vir ambitionis & arrogantiæ, semper audiens & aggrediens aliquid novum Giaris & carcere dignum; se ad obsidum exactionem in Angliam à Rege remitti toto conamine procuravit. Veniens igitur in Angliam apud Sanctum Albanum, ubi Regina, Rothomagensis Archiepiscopus & alii quidam Regis regnique fideles convenerant, quoniam Londonienses urbem nobilem ejus ampliùs adventu fœdari non permiserant, coram eis constitutus, quanto magis ibi gloriam appetiit, victoriam pariter atque vindictam, tanto minùs eam assequi potuit. Quinimo spe fraudatus & desiderio, multis ibidem confusionibus tabescere meruit. Quoniam, ut ait Hieronymus, Gloria virtutes quasi umbra sequitur; & appetitores sui deserens, diligit contemptores. Prima namque confusio fuit, quòd Archiepiscopus ad ipsum in osculo suscipiendum nullâ potuit Reginæ nullâ Procerum & Pontificum instantiâ flecti. Dicebat tamen regia quæ per ipsum præponerentur negotia nullum in hoc penitus impedimentum habitura & defectum. Secunda verò, quia cùm domos Coventrensis Episcopi, quas in urbe Londoniæ habebat, ei auferri aliique dari damno perjurii in publicâ audientiâ præcepisset; adeò in se omnium indignationem adauxit & provocavit, ut sibi ipsi statim contradicere nullumque præceptum se aut fecisse aut facturum esse palàm pronunciare oportuerit. Juraverat enim coram Episcopis magnisque viris ei cùm applicuit ad hoc præmissis, se nihil in regno novum, nihil imperiosum, nihil prorsus nisi quod ad liberationem Domini Regis pertineret, propositurum. Tertia verò, quòd cùm obsides instanter efflagitaret ad exemplum Reginæ, cui præcipue tamen inniti videbatur, quia nepotem suum ex filiâ Willelmi scilicet Ducis Saxoniæ filium statim ei dare recusavit, & omnes alii suos tam filios quàm nepotes se nullatenus ei committere velle proclamarunt. Dicebant autem quidam: Filios quidem nequaquam, filias autem ejus custodiæ si voluerit securè committemus: Vitium illud detestabile, quo tam infamis extiterat, facetis ei sermonibus improperantes. In ipso verò Conventùs

ventûs hujus discessu Monachus quidam loci ejusdem, audito quod ille sic vacuus & confusus recederet, subjecit: Abeat igitur, abeat, & non reversurus abscedat. In hoc enim Scaccario, in quo jam tertiò succubuit, de cætero locum non habet. Aut tres istas, quas hic descripsimus, notans confusiones, aut trimam potiùs ejusdem ab Angliâ ancipiti verborum ænigmate designans expulsionem. Rex etenim saniori fretus consilio, timens ob Eliensis adventum Regni Proceres, quibus exosus fuerat, potiùs offendi quàm ad obsequia provocari, directis ilico post ipsum nunciis ac literis, eundem ad se cum festinatione revocavit. Quoniam, ut ait Ambrosius, cùm is qui displicet ad intercedendum mittitur; irati animus proculdubio ad deteriora provocatur.

CAP. XVIII. De innatâ ejusdem malitiâ & originali naturâ.

Licèt autem expulsus à Regno totiens & exul effectus, penitiores tamen tam Almaniæ quàm Franciæ partes sub prætextu obsequii intus & in circuitu impiè perlustrando, in Anglorum Regnum & nobiles regni viros, tanquam Parthicis utens à tergo sagittis, innatam malitiam & vindicis animi nequitiam occasione sigilli regii, cujus iterum officium ut magis officere posset sibi usurpaverat exercere non cessavit. Inter quos Hugonem Coventrensem Episcopum, virum magnificum & disertum, in Cantiæ partibus per nocturnas suorum irruptiones, qui in castello Dovoriæ in insidiis adhuc latitabant, equis & thesauris quos versùs Almanniam Regi deducebat ausu sacrilego spoliavit. Stephanum quoque Ridellum Comitis Moritoniæ Cancellarium, virum liberalitate & ingenuitate conspicuum, Ecclesiasticis Beneficiis quibus in Eliensi Episcopatu abundabat, citra omnem juris ordinem, non citatum, non convictum aut confessum, non criminibus ullis irretitum, spoliavit. Nec beneficio solùm quinimo & officio Ordinisque canonice adepti executione, quia de jure non potuit, de facto tamen privare præsumsit; nullam in literis suis aliam rationem assignans, nisi quòd de assensu Domini Regis se id fecisse dicebat. Quem tamen assensum, si quis fuerat, non de proprio Regis arbitrio elicuit; sed pravis potiùs suggestionibus extorsit. In fine vero mandati tanquam pro validiori ratione subjunxit; quia nepotibus suis redditus eosdem assignaverat. Præterea quatuor municipia validissima & inter electiora Normannicæ & Aquitannicæ Galliæ munitissima in perditionem perpetuam, ut creditur, totiusque terræ transmarinæ quæ Anglorum Reges contingere solet periculum grave, Francorum Regi suo consilio & machinatione tradi fecit. Nec mirum, sic homo natus ut hic, aliter agere potuit, quàm hic? Primus etenim abavorum hujus qui Normanniam intravit rusticus obscuri nominis & servilis conditionis, à Franciâ propter proditionem expulsus & profugus, circa Longi campi fines in Normanniâ se suscepit. Ubi in processu temporis compertâ viri naturâ, ut in sylvestribus exactionibus nequitiam animi liberiùs exercere posset, in partibus illis forestæ præfectus est. Cui originali ejusdem nativitati bene concordat illud de [a]Scripto, quod *Clericus sine nomine* intitulatur, de eodem emisso his verbis, cùm de aculeo agitur, quo pueros nobiles ad mensam pungere consueverat, *memor piæ recordationis avi sui, qui servilis conditionis in pago Belvacensi & aratrum ducere & boves aculeo castigare solebat. Qui tandem ob remedium libertatis ad fines Normannorum transvolavit.*

[a] Verba reperiuntur in Epistolâ Hugonis Nonant Episcopi Coventrensis *de ejectione Willelmi Episcopi Eliensis*; ex qua Giraldus nonnulla etiam superiùs acceperat. Habetur illa apud Hovedenum fol. 400. & in *Memoriali* MS. Henrici Spencer Episcopi Norwicensis. Illam Author dissimulato nomine evulgâsse videtur. Scriptam autem fuisse à Magnate quodam, qui rei gestæ interfuit, ipsius Epistolæ verba edocent.

Sub-

Subitam igitur ejus electionem & inopinatam & ab exili origine in altum provectam consecrationis ejus pronosticum satis aperte declaravit in hunc modum: [g] *Videntibus illis elevatus est.* Et quoniam *O faciles dare summa Deos, eademque tueri Difficiles.* Et iterum *Tolluntur in altum, Ut lapsu graviore ruant.* Subitam quoque ruinam ipsius finis pronostici ejusdem non minùs apertè propalavit. [h] *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Unde & à quodam sapiente dictum est: *Plus gravitatis habent res, quæ cum tempore crescunt. Rara solet subitis rebus inesse fides.* Quotiens autem præter præscripta tam Legationis quàm Prælationis officia, ambitionis pariter & vindicis animi vitio frustra perquisierit; paginæ nostræ compendium singula revolvere recusavit.

[g] Act. i. 9.

[h] Ibid.

CAP. XIX. Descriptio Beluæ multiformis [i].

[i] Viz. Willelmi Episc. Eliens.

EJus autem, cujus insolentiam & intolerabilem arrogantiam atque tyrannidem Anglia aliquandiu lugubris & gemebunda sustinuit, sicut in superiori tractatu tantâ diligentiâ prosecuti sumus, tam interioris hominis quàm exterioris proprietatem in calce libelli literis exprimere, subitosque ejusdem tam ascensus quam descensus & inauditos enormitatis accessus summatim perstringere calamique officio compilare & tanquam in fasciculum connectere, non inutile reputavi. Ut quamquam fieri nequeat de præterito medela; fiat tamen hæc audientibus pagina præsens & de futuro cautela. Quoniam ut ait Ennodius, Ruina præcedentium posteros docet; & cautio est semper in reliquum lapsus anterior. Erat itaque staturâ exiguâ despectâque, & clune claudus utroque. Capite grosso, & tanquam simiam simulans usque ad alia ferè, fronte pilosâ, colore nigerrimus, nigris ocellis & confossis, naribus simis, facie caninâ, barbâ comâque infra supraque lumine tenus hispidâ totâ: Mento reflexo, simulatoque risui & ficto continuoque ferè oris rictui, quem in dolo præferebat, valde accommodo; collo contracto, pectore gibboso, ventre præambulo, renibus retrogradis, tibiis tortis, & in modico corpore pes immensus. Quid plura? Tanquam toto nisu experiendo probans, quantum semel in turpitudine posset, deformiorem in humanâ figurâ beluam edere natura non prævaluit. Præterea proditore parente prodiit ex utroque. Unde & Anglorum Regi Henrico secundo fidelibusque suis ac familiaribus cunctis adeò infestus fuerat & exosus; ut tanquam à Regno profugus & comparere non ausus, ad Pictavensium Comitem Ricardum circa extremas, quæ inter ipsum & patrem peccatis urgentibus emersère, discordias pauper inopsque se transferre curaret. Ubi malorum incentor effectus, malitiæque totius pro posse machinator, quum meritorum exigentiâ directè non poterat, per rerum vicissitudines & casus varios, qui inopinatis eventibus in Regum mutationibus accidere solent, revolutis interea perverséque reversis fortunæ curriculis, tentare disposuit ambitiosis ascendere gradibus & indirectè: similis illi, qui quum virtutum titulis extolli non potuit, Dianæ templum incendit; ut & sic agnitus quocuncunque modo nominis sui memoriam protelaret. Extincto autem Henrico secundo, & filio ejusdem Comite Ricardo in Regni solium sublimato, primùm à Rege Cancellarius est constitutus: demum eodem procurante in Episcopum Eliensem electus: postmodum autem in Regni totius Justiciarium est creatus. Sed quoniam semper successus augent aviditatem: Fecit enim avidos, ut ait Seneca, nimia fœlicitas; nec tam temperatæ cupiditates unquam sunt, ut in eo quod contingit desinant: Gradus à magnis ad majora fit, & spes improbissimas amplectuntur insperata assecuti: Nunciis ad Curiam Romanam cum festinatione transmissis, non absque multâ, ut mos erat, impensâ totius Angliæ, Walliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Legationem impetravit. Singulis autem qualiter statim abusus est officiis, quantoque fastu omnia cœpit opprimere, qui diligentiùs prosequi vellet, nulla narranti dies, nulla scribenti pagina sufficere

cere

cere posset. Veruntamen ut plurima paucis absolvam; quos in Regni totius amplitudine sua præteriit immunes malitia? Quos à tantâ tam multiformi tyrannide sua nequitia reliquit indemnes? De personâ namque in personam, de potestate in potestatem, tanquam Proteus alter, tam variè versutèque se transferre & transformare curavit; ut quod una forte potentia non poterat, altera nihilominus adimpleret, effectuiq; quod volebat modis omnibus manciparet. Unde & quasi pro miraculo per orbem personare potest; quòd inter tam multas & tam egregias Angliæ personas nostris diebus in personam nullissimam tot personæ convenerant. Sub personâ quippe Cancellarii, litteris & cartis ad contraria prostitutis; sub personâ Justiciarii talliis crebris & scutagiis indebitè tempore pacis extortis, & justitiâ nullâ nisi venali; sub personâ Legati hospiciorum per Cœnobia & sedes Cathedrales enormi gravamine magnorumque munerum & obsequiorum exactionibus immoderatis adeò in brevi totam ferè Regni gloriam extinxit, pecuniæq; puteum hactenus inexhaustum Angliam penè funditus exhausit; ut ad pristinum vix unquam dignitatis statum regio redire, vix ullo valeat ab hujus cladis exitio longi temporis beneficio respirare. Et quoniam *Non habet unde suum paupertas pascat amorem*; *Divitiis alitur luxuriosus amor*: inter varias delicias ne nihil illi quod collibuisset deesse valeret, tanto luxu rerum atque libidine cœpit involvi; ut quicquid turpius, quicquid enormius, quicquid inhonestius in usu venereo excogitari possit, id ei jocundius, id acceptius, id appetibilius esse videretur.

Nefandum igitur illud & enorme nimis Normannorum crimen, quod olim à Francis mutuati nunc sibi velut proprium vendicant & speciale, adeò in hoc Normanno & aliorum omnium illo in abusu quasi signifero jam invaluit; ut detestandâ ejus in Curiâ solus ille pro vili haberetur cui naturalis copula non vilesceret. Adeo quidem in pejores petulans libido proclivior usus in tantam excreverat impudicitiam pariter & impudentiam; ut ad invicem hac in Curiâ dicere consueverint: *Si ea quæ sunt Curiæ non agis; quid in Curiâ quæris?* In Angliâ quoque ab eâ tempestate usque in hodiernum quasi in proverbium versum videtur; ut de familiâ Cancellarii ille dicatur, quisquis præscripti criminis & utinam proscripti culpam notabilem incurrisse putatur. Sed taceo quod ruminare solet, nunc clamitat Anglia tota, qualiter puella matris industriâ tam comâ quàm cultu puerum professa simulansque virum verbis & vultu, ad cubiculum beluæ istius est perducta. Sed statim ut exosi illius est sexûs inventa, quanquam in se pulcherrima, thalamique thorique deliciis valde idonea, repudiata tamen est & abjecta. Unde & in crastino matri filia tam flagitiosi facinoris conscia cum petitionis effectu terrisque non modicis eandem jure hæreditario contingentibus virgo ut venerat est restituta. Tantæ nimirum intemperantiæ, & petulantiæ fuerat tam immoderatæ; quòd quotidie in prandio circa finem preciosis tam potionibus quàm cibariis ventre distento, virgâ aliquantulum longâ in capite aculeum præferente pueros nobiles ad mensam ministrantes eique propter multimodam qua fungebatur potestatem in omnibus ad nutum obsequentes pungere vicissim consueverit; Ut eo indicio quasi signo quodam secretiore quem fortiùs inter alios atque frequentius sic quasi ludicro pungebat, alio à se nocte eâdem sive meridie pungendum aculeo denotaret. Ad hæc etiam nullum ei jusjurandum, nulla fides, nulla religio. Puta cui falsitatibus atque fallaciis funditus addicto nihil minùs menti quàm non mentiri, nihil fas nisi nefas, nihil æquum præter iniquum videbatur. Anglos autem cum totâ Curiâ suâ tanto & tam exorabili est odio persecutus; ut usuali verbo in eorum opprobrium & improperium dicere consueverint: *Anglicus fiam, si hoc fecero. Pejor sum Anglico, si illud admisero.* Ad injuriarum quoque cumulum & dedecoris argumentum, cùm ad exquisita naturæ pergere parabant, dicere solebant: *Eamus facere Anglicum.* Ipse verò quoties ad populum sermonem faciebat, quod præ arrogantia pariter & Normannicæ verbositatis jactantiâ frequentiùs facere solebat, in Anglorum

Anglorum populum, cui sermo fiebat, insolenter invehi consueverat; dicens Anglos aliquando tam militiâ quàm literaturâ laudabiles fuisse, nunc verò propter luxuriam & ebriositatem in neutrâ præstantes existere. Allegabat decretum ad hoc Gregorii, quod Anglis nuper ad fidem conversis quarto & quinto gradu copulandis dispensativè datum fuerat, ubi inter cætera subjungitur. *Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere.* Et contra dicebat etiam, quod & auribus ipse aliquoties audivi & me vix continui, in prædicto casu palam & publicè loquens : *Ubi*, inquit, *evanuit, ubi migravit utraque gloria?* ubi *quò* ponere deberet, *ubi* adverbium ponens; & inter adverbia loci motum & statum designantia male distinguens, & gramaticos literatosque viros non minùs impudenter quàm imprudenter male gramatizando contemnens, & damnabilis ipse latrando quidem sed non mordendo molestans.

Reperiuntur eadem in Giraldi *Gemmâ Ecclesiasticâ*, cap. 2. par. 36.

Præterea quia *Luxuriant animi rebus plerumque secundis, Nec facile est æquâ commoda mente pati:* qui paulo antè cum duobus & tribus vix circumrepserat equis, mox in potestate positus cum mille & quingentis per Abbatias Angliæ sub prætextu Legationis circumibat. Milites enimvero multos tam Francigenas quàm Flandrenses ad cadaver suum custodiendum & naturales Regni Proceres opprimendum, non tanquam minister sed quasi propriis utens non alienis, præ timore pariter & præsumptione, regiis thesauris fiscalibusque stipendiis conducebat. Necesse est enim, ut multos timeat quem multi timent, & qui multos offendit à multis exosus habeatur. Quoniam, ut ait Agellius, cunctorum meretur odium, qui omnium in commune se approbat inimicum. Nobiles quoque Regni viros, quos ei socios & coadjutores in regni regimine Rex adjunxit, in nullâ secum societate seu potestate nisi umbratili solùm admisit. Quinimo cùm potestatem sibi minus provide, soli quippe & sine teste primitus indultam, saniori consilio revocatam audisset & mutilatam; multis audientibus respondisse memoratur : Parciùs agat Rex, si sapiat; nec me invidorum meorum consiliis ullatenus offendat. Animadvertat potiùs & deliberet, quia in manu meâ Angliæ regnum teneo; & sibi & hæredibus suis valde alienum fiet, si voluero. Solebat etenim à privatis suis multoties inquirere, utrùm audissent de aliquo qui simul Rex fuerat & sacerdos; & tunc exemplum eis de Presbytero Johanne, qui Orientalium Rex erat atque sacerdos, proponere consueverat, arroganter in hunc modum innuens idem de se fore futurum; de Bretchebem quoque Presbytero, qui nostris diebus Norwagiæ regnum & coronam viribus & armis viriliter obtinuit, loqui libenter & loquentes audire consueverat. Proinde & super matrimoniis, super honoribus & dignitatibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, pro animi sui motu ad libitum & nutum cuncta disponebat. Res amplas & excelsas nobilitate & honore dignissimas absque delectu non absque delicto suo extollendo, vilibus conferens & indignis. Rothomagensem Archiepiscopum Galterium, virum providum & prudentem, cùm à Messanâ Siciliæ ad regni regimen parem ei & potiùs majorem Rex remisisset, adeò unà cum regio mandato utroque sigillo tam majore scilicet quàm minore munito contempsit; ut eundem etiam Cantuariam peregre proficisci volentem, cùm Londonias itinerando jam pervenisset, ulteriùs ire Tamisiæque pontem transire horrido præconis imperio prohibuisset. Demum verò tanquam modis omnibus tentans, quantum transgredi & excedere impune valeret, in Regis filium, Regisque fratrem Eboracensem Archiepiscopum Galfridum apud Dovoriam manus misit violentas, in Ecclesiâ clausit & obsedit, ab Ecclesiâ irreverenter extraxit, & in castello retrusit. Unde & effectum est; ut qui ad instar hostis antiqui in humanum genus tam inhumaniter hactenus desævire permissus fuisset, quàm cito in Christum Domini sacrilegas manus extendit, eâ qua nimis enormiter præsumpsit abuti meruisset ilico potestate privari. Multa quippe & horribilia ejusdem peccata, quæ præcesserant, ut qui in sordibus fuerat sordesceret amplius, eum ad hoc perpetrandum tam horrendum, &c. *Desunt pauca.* Giraldi

Giraldi Cambrensis

LEGENDA S. REMIGII.

Duæ proximè sequentes Giraldi Historiæ ex uno eodemque decerptæ sunt Opere, quod ipse Legendam S. Remigii *inscripsit. Idem tamen alibi pluries historiam suam* De Vitis Episcoporum Lincolniensium, *&* Tractatum de Copulâ tergeminâ, *seu sex Episcopis sui temporis, laudavit; adeò ut hi tituli Historiis Giraldi præ manibus Authore non invito apponi possint. Reliqua Operis memorati Capitula, utpote mirè fabulosa, rejeci; integrum tamen eorundem indiculum, qualis Codici MS. præfixus comparet, exhibere consultum duxi.*

Summaria Capitum Legendæ S. Remigii.

XXV. De

Incipiunt secundæ Distinctionis capitula.

Tertia Distinctio.

Giraldi Cambrensis LIBER De Vitis Episcoporum Lincolniensium.

PRÆFATIO.

REverendo patri & Domino Stephano Dei gratiâ Cantuariensi Archiepiscopo totius Angliæ Primati & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali G. de Barri dictus Archidiaconus Sancti David cum salutatione devotâ & salute perpetuâ libellum suum. Volumen hoc bipertitum, duorum quippe virorum illustrium vitas exemplo præclaras & memoratu dignissimas principaliter & præcipuè complectens, vestræ celsitudini destinare curavi, quamquam tantæ majestati triplicique per Dei gratiam in unâ personâ dignitati munus indignum, digno tamen cui digna donentur præsentatum. In quo quidem luculentissimas unius Ecclesiæ lampades duas, nubilos hos dies & finalia mundi tempora caliginosa lumine suæ claritatis irradiantes, cum cæteris quibusdam non incompetenter aut inutiliter adjectis, non absque admiratione pariter & exultatione, necnon & laudabili zelo caritatis ac sanctitatis æmulatione considerare poteritis. Reperietis hîc etenim inter Lincolniensis Ecclesiæ lilia duo niveo nitore fulgentia; quorum tamen annis aliquot præcessit & præfloruit unum nec emarcuit, alterum autem haud dissimiliter perpeti candore conspicuum suo in tempore subsecutum: rosam in medio Cantuariensem quasi picturâ decenti purpureo colore, qui marcescere nequit, rubricatam dignis quoque laudum præconiis brevi quidem eloquio sed dilucido venustatam.

Invenietis & hîc Episcoporum Angliæ præcipuâ nostris diebus laude dignorum Copulam tergeminam; ubi & reperire poteritis, si tamen lectioni interdum vacare volueritis aut valueritis, quæ animo vestro quamquam admisso & quasi currenti ac ferventi calcar adjungant, imitabilia nonnulla & laudabilia. Nam sicut in Legendâ quadam Ecclesiasticâ de Sanctis legi solet: Qui Sanctorum merita religiosâ caritate miratur, quique justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque virtutes imitetur; quoniam quem delectat alicujus Sancti meritum, delectabile est ei proculdubio & imitabile par circa cultum Dei obsequium. Nec enim difficile est nobis quod ab ipsis geritur imitari; cùm sine præcedenti exemplo ab antiquis talia gesta conspicimus, ut non ipsi aliorum æmuli redderentur, sed æmulandæ virtutis seipsos nobis præberent exemplum. Quatinus dum nos ex ipsis, & ex nobis alii proficiunt, sic Christus in suis semper magnificetur, & angelica ruina completo maturiùs electorum numero restauretur.

Præsertim autem illis hoc perfacile est & perspicuum, quos viam virtutis ac vitæ fæliciter ingressos & victoriosum pro Christi Ecclesiâ contra seculares nequitias jam constat certamen aggressos. Ad cujus appetitum etiam mentem bene institutam & tam naturæ quàm industriæ donis ac dotibus informatam plurimùm invitare debent non solùm præmia patriæ, verùm & laus & gloria grandis hinc proculdubio proventura; dum tamen non hæc affectentur, vitæ scilicet istius ac viæ. Gloria namque virtutes ac virtuosos tanquam umbra sequitur vel

vel invitos; & appetitores sui deserens, laus sæcularis & popularis applausus diligit & appetit contemptores. Mirumque in modum res dum desideratur amittitur, eademque dum vitatur acquiritur. Verè itaque laus umbræ similis, quam non fugiendo fugabis. Si fugis en sequitur; fugit aspernata sequentem.

Pretium igitur est mihi laboris & præmium; si libellum vobis exaratum saltem semel oculo vel aure percurratis, & postmodum eundem venerabili Lincolniensi Episcopo Hugoni secundo, filioque vestro primogenito & hactenus unigenito, ad tempus interdum precariò concedatis; quatinus lectione refocillatus plurimùm & delectatus, præter egregiam Remigii vitam imitatione dignissimam, Hugonem primum Hugo subsequens sequatur; & virtutem ac vitæ sanctitatem, quas in ipso fuisse perpenderit, totis in se desideriis amplectatur; quatinus ejusdem sicut nominis & dignitatis, sic & ominis ac fœlicitatis valeat successor haberi. Idem consideret ibidem decessores suos cum titulis & descriptionibus suis fere cunctos præter ultimum solum per ordinem omnes; in quibus tanquam speculo quodam perlucido, quæ sibi imitanda fuerint, evidenter attendere poterit, & quæ vitanda. Non igitur aliam ab ipso vel alio laboris hujus vel expeto vel expecto remunerationem; nisi quòd duplicato beneficio unico tamen ad Curiam labore complendo, sed multiplici quidem & non unicâ mercede retribuendo, Beatum Remigium nobilem Lincolniensem Antistitem primum simul cum Hugone primo, opere quidem & operâ laudatissimis, Romæ canonicari satagat, Lincolniæque transferri; quatinus qui magni meritis & gratiâ suis ambo temporibus & prope modum in eâdem Ecclesia præsidendo pares extiterant, magno simul in terris dignoque parique donentur honore. Magnam quippe Beato Remigio præter merita ipsius maxima & caritatis opera quibus affluebat pene incomparabilia, sicut præsens ejusdem Legenda declarat, gratiam & gloriam adjicere debet; quòd Sedem suam Cathedralem à loco nimis incongruo & obscuro ad urbem præclaram & locum competentem scilicet Lincolniam transferre curavit. Necnon & hoc quoque, quòd Lindeseiam totam ab Humbro marino usque Withemam fluvium, qui Lincolniam permeat & penetrat per tanta terrarum spatia, contra adversarium tantum tamque potentem Metropolitanum scilicet Eboracensem, innatâ quippe prudentiâ præditus, & gratiâ quoque desuper & divinitus adjutus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur & prosperantur in bonum, tam Provinciæ Cantuariensi quàm & Dioecesi Lincolniensi stabiliter atque potenter adjecit.

Honorem igitur ab Ecclesiâ recipiat & in Ecclesiâ, quam tanto tamque decenti beare decrevit honore; quatinus & eadem tanquam gemina columna in altum erecta gaudeat & exultet, fideliter ac firmiter esse subnixa, duplicique thesauro simul ac semel fœliciter effosso & in aures publicas atque in commune deducto Lincolnia lætetur & ditetur; tertiumque thesaurum pretiosissimum suo similiter in tempore sublimandum brevique dierum spatio propitiante Domino speret & expectet exaltandum, purpuream scilicet puniceamque Cantuariæ gemmam incomparabilem, non quidem sub modio ponendam aut in occulto diutiùs dimittendam, sed ut pulchriùs elucescat exponendam potiùs & extollendam. Cujus splendore non Anglia solùm & Britannia tota, verùm & orbis fidelium climata cuncta, quasi sole quodam nubibus & nebulis expulsis recenter emerso & sereniùs irradiato, signis quoque repullulantibus & virtutibus crebris renovatis, undique gaudiis illustrata clarescent, & lætabundis vocibus ac votis in laudum præconia communiter & confidenter exurgent. Hoc igitur ordine tractando processimus. Præmisimus utrique Legendæ capitula primùm, & postea proœmium; quatinus ex ipsis quasi luminaribus quibusdam commodè præmissis cuncta sequentia clariùs enitescant,

escant, & Lectoris animo longe evidentiùs atque efficaciùs singula per partes congruas & distinctiones innotescant.

Valeat in Domino Dominus meus.

Incipit Proemium.

VItas virorum virtute præditas legere libenter & mente tenere laudabilis est operæ diligenti: Eorumque præcipue juvat acta recolere, qui nubilos hos dies & caliginosas finalis temporis hujus & mundi vesperæ tenebras nobiscum conversando lumine suæ claritatis irradiant. Mundo nimirum in maligno posito fidei fervor olim intepuit; & quasi rivulo procul ab origine longâ derivatione producto, nativum fontis saporem unda deposuit. Unde & quanto magis multorum hodie caritas quasi contagiis infectorum moresque formantium à convictu jam refrixit; tanto propensiùs ipsam variis tam lectionum remediis & exhortationum quàm etiam sanctæ conversationis exemplis, tanquam incitatoriis quibusdam & auràm provocantibus, opus est exsuscitare. Cogunt enim nos, ut ait Gelasius, multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Quid autem cor hominis ad caritatem & correctionem màgis accendit, quàm homines in terris attendere nil animo prorsus terrenum sapientes, verùm totis cœlo nisibus fixos, terram carne cœlum corde tenentes, vitamque beatam quæ non auferetur hìc jam fœliciter inchoantes? Isti, ut ait Augustinus, sunt sancti qui lucent in medio hujus nationis pravæ & perversæ sine querelâ, fixi in cœlo; quibus dicit Apostolus, [a] *Omnia facite sine murmuratione, positi in medio nationis pravæ; ut luceatis tanquam luminaria in mundo.* Horum autem conversatio in cœlis est; unde despiciunt quæ in terra fiunt, quasi non curent quæ hìc gerantur; & sicut luminaria placidè peragunt cursus suos, quicquid in terris agatur; lectioni & orationi, labori manuum & abstinentiæ dati, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Hi sunt igitur alios tam vitâ quàm verbis ædificantes, seque vivendi tanquam exemplaria mundo donantes; qui juxta illud Angeli in Daniele, [b] *Quoniam ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgent in perpetuas æternitates.* Hi nempe ad laudabilem meliorum æmulationem bonos accendunt; malos autem ad conversationem virtutumque quas in ipsis vident imitationem tam monitis quàm bonorum operum exemplis vocant, vel saltem ad earundem admirationem pariter & approbationem efficaciter invitant. Virtus enimvero est virtutem diligere vel in altero; & magnum bonæ indolis indicium, immo quasi quoddam bonitatis ipsius initium, bonum quod nondum mens ad plenum tenet in proximo diligere & approbare. Quoniam, ut ait Augustinus, Qui in alio amat bonum, quod ipse non habet, imputatur ei tanquam haberet. Hi sunt enim, qui affectus carnis ex toto superant, & potenter Dalidam suam domant; qui non terram sapiunt, sed quæ sursum sunt, qui in carne quidem ambulant sed non secundùm carnem militant, qui mundi delicias omnes & divitias tanquam lutum calcantes altâ mente contemnunt, nec quicquam præter Deum cogitare dignum ducunt. Hi sunt, ut ait Ambrosius, in quibus non est corporalium possessionum ulla cupiditas, quos non inflammat libido, non stimulat avaritia, non effæminat lascivia, non decolorat luxuria, non sternit ambitio, non macerat invidia, non aliqua negotiorum sæcularium cura sollicitat. Quorum aliqui si ad mundanas fortè dignitates & rerum culmina quandoque rapti fuerint; paupertatem spiritûs & humilitatem non exuentes, spontaneam inter opes inopiam & inter escas inediam patiuntur. Aurum enim & algam æquiparantes divitiis, cùm affluunt, quæ pusillanimes quidem & terrenâ

[a] Phil. ii. 15.

[b] Dan. xii. 3.

terrenâ fæce defixos à viâ veritatis avertere solent, cor non apponunt; sed potiùs eisdem in caritatis operâ bene utendo viam sibi per hæc materiamque augent & ampliant ad coronam, juxta illud Philosophi: *Magnus ille est, qui in divitiis pauper est*: Et illud Psalmistæ; [c] *Simul in uno dives & pauper.* Inter hos autem electos & electorum electissimos non longè ante hæc nostra extabat tempora mundus à mundi contagio, qui & nostro nunc causam calamo dedit, sanctæ memoriæ vir Remigius Lincolniensis Antistes primus; qui Anglicani suis diebus lux & gemma sacerdotii, totam incomparabili splendore Insulam lumine suæ sanctissimæ conversationis illustravit. In quatuor itaque particulas Libellus iste distinguitur. Prima viri sancti vitam singulariter & gesta complectitur. Secunda virtutes ipsius & signa prosequitur. Tertia successorum ejusdem sex proprias seriatim exprimit actiones. Quarta præ-electorum Angliæ nostri temporis Antistitum ter geminorum mores & modos comprehendit.

[c] Psal. xlix. 2.

Explicit.

CAP. I. De electione Remigii & consecratione, vitæque & morum ejusdem institutione.

REmigius ergo tempore Anglorum Regis Willelmi primi agnomine Bastardi, regno sibi armatis viribus & animositate subacto, circa initialia quoque regni ejusdem tempora ad sedem Dorkecestrensem à Clero loci illius canonicè in Episcopatum est electus, & à viro venerabili ac Sancto Archipræsule Cantuariensi Lanfranco solemniter apud Doroberniam consecratus. Erat quippe vir prudens & providus, & copiosè literatus, de Normanniâ oriundus, & Fiscamnensis Monasterii Monachus professus. Et quoniam *Principibus placuisse viris non ultima laus est*; Regis notitiam, quamplurimam familiaritatem atque favorem habens, putà qui cum ipso in Regnum venerat, & decem militibus quos in ejus auxilium & obsequium Abbas ejus miserat quasi Decurio nobilis in necessariorum ministratione præfectus. Illud autem officium quamquam invitè susceptum quoniam à Monasticâ quiete longè alienum, sed per obedientiam tamen à suis sibi primoribus injunctum, cum tantâ industriâ atque modestiâ gesserat; ut tanquam omnibus omnia factus, nec sæcularem militiam in tanto tumultu ac populari strepitu austeritate nimiâ vel singularitate religionis ostenderet, nec ordinis aut habitûs dignitatem ullius nævo maculæ per mundi contagia denigraverit.

Religionem igitur, humilitatem, mansuetudinem & pietatem, ac præcipuè cariatem quasi præcipuam & primam, radicatas olim in se virtutes in sublimitate non deserens, sed magis exemplo docens, quia non mutant mores, ut dici solent, sed potiùs monstrant & revelant honores, tantam in cunctorum oculis gratiam obtinuit; ut solus inter Anglorum Antistites præcipuus & verus orphanorum & pupillorum defensor, necnon & afflictorum sustentator esse videretur; adeò ut ore & opere moribus egregiis & vitâ laudabili canonicam illam pastoralis viri descriptionem, quod raris accidere solet, plenè adimplesse videretur.

CAP.

CAP. II. Quod inter universas, quibus emicuit, virtutes præcipuè caritate præfulgebat.

INter cætera verò virtutum ejusdem insignia adeò caritatis titulos præferebat; ut in Christi pauperes se totum exhauriendo tam proprias si quæ fuerant quàm Ecclesiæ suæ facultates eisdem non pro posse solùm sed quasi Martinus alter ultra posse plerumque largiretur: Illud Pauli ad Galathas se legisse dissimulans; [d] *Nolo ut aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio.* Sciebat enim & eundem ad Galathas eosdem scripsisse; [e] *Si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Et Johannes in Epistolâ canonica primâ. [f] *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere & clauserit viscera sua ab eo; quomodo caritas Dei manet in eo?* Præmiserat autem *In hoc cognovimus caritatem Dei; quoniam ille pro nobis animam suam deposuit; & nos debemus pro fratribus animas nostras ponere.* Sed si animas, quanto magis & pecunias? Item & illud Ambrosii: Necessitates aliorum, quantum possumus, juvemus; & plus interdum quàm possumus: Licèt tamen paulò pòst subjunxerit: Misericordiæ verò modus servetur; ut non sibi quisque totùm eripiat, sed quæ habet cum paupere partiatur. Sed & idem alibi. Non minus est criminis habenti tollere quàm cum possis & abundes indigentibus denegare. Et alibi: Tantorum te scias invadere bona, quantis possis præstare si velis. Item Beda: Frustra manus suas ad Deum orando expandit, qui eas ad pauperes pro posse non expandit. Item Hieronymus: Pars sacrilegii est rem pauperum pauperibus non dare. Item in Ecclesiastico: [g] *Ante mortem benefac amico, & secundùm vires tuas exporrigens da pauperi.* Et paulò pòst, [h] *Conclude eleemosynam in siuu pauperis; & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso; & gratiam hominis quasi pupillam conservabit.* Item Tobias ad filium; [i] *Ex substantiâ tuâ fac eleemosynas; & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiat, ut nec à te avertatur facies Domini? Quomodo poteris, ita esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum fuerit, & exiguum libenter impertire stude.* Item Salomon in Parabolis: [k] *Domino fœneratur, qui pauperi miseretur.* Et in eisdem; [l] *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non audietur.* Item Albinus: Tria sunt genera eleemosynarum; una corporalis egenti dare quicquid poteris, altera spiritualis dimittere à quo læsus fueris, tertia delinquentem corrigere & errantes ad viam veritatis reducere. In quibus omnibus incomparabiliter Remigius emicuit.

[d] 2 Cor. viii. 13.
[e] Gal. iv. 15.
[f] Joan. iii. 17.
[g] Eccl. xiv. 13.
[h] Eccl. xvii. 18.
[i] Tob. iv. 7.
[k] Prov. xix. 17.
[l] Prov. xx. 13.

CAP. III. Quòd prædicationi jugiter insistendo enormes plebis excessus pontificaliter extirpavit.

HIS igitur & similibus vir Deo plenus ad caritatis opera non mediocriter allectus, longè tamen plus ad hæc internæ pietatis & dilectionis ardore compulsus, quolibet æstivo tempore à Kalendis Maii usque ad Kalendas Augusti præter opera misericordiæ, quæ in cunctos ferè quos videbat egenos misericorditer exercebat, mille ex more pauperibus alimenta præbebat ac præterea cæcos, claudos, languidos, & variis incommodis debiles & imbecilles, qui ad victum quærendum se movere non poterant, centum sexaginta vestibus annuatim & cibariis sustentabat. Item quolibet die cùm ad prandium sedebat, mensæ suæ xiii. ex consuetudine pauperes adhibebat; omnique feriâ vii. mandatum cum summâ humilitate ac devotione celebrabat. Ad hæc etenim primus

mus hic juxta verbum Lincolniæ leprosis habitaculum lapideum construxit, & ad usum vitæ necessaria quæque suppeditavit; adeò ut certum eis & perpetuum XIII. marcarum redditum assignaret. Quos & crebrâ visitatione comfortando & tam animæ cibum quàm corporis largiendo, ad patientiam & longanimitatem verbo prædicationis instruebat; docens carnis martyrium tale patienter & purè sufferentibus Deoque jugiter & devotè supplicantibus ipsumque ex toto corde diligentibus & gratias ei in cunctis agentibus ad salutis animarum remedia divinâ miseratione collatum.

CAP. IV. Quòd Episcopalem sedem Lincolniam usque transposuit, totamque Diocesi suæ Lindeseiam adjecit.

HIS itaque Remigius & moribus ornatus, & operum meritis imitabile bonis omnibus exemplar datus, de Sedis suæ Lincolniam usque locum longè Cathedrali Ecclesiæ competentiorem translatione, quod olim mente conceperat, non absque labore grandi & operâ erga Regem & Archiepiscopum excambium Eboracensi pro Lindeseiâ donantes prudenter effectui Deo cooperante mancipavit. Et sic Lindeseiam terramque totam Widhemam scilicet Lincolniæ fluvium & Humbriam [interjacentem] Diocesi suæ Provinciæque Cantuariensi viriliter adjecit. Utque firmiori quod gestum fuerat stabilitate constaret, Cathedralem Ecclesiam suam in summo apud Lincolniam montis vertice trans Widhemam in honore beatæ Virginis fundari egregièque in brevi consummari procuravit; sicut longè ante miraculis quibusdam, signis & prodigiis multisque sanctorum tam virorum quàm mulierum visionibus præter spem futurum esse divinitus fuerat declaratum. Constitutâ verò Ecclesiâ & stabiliter collocatâ juxta ritum Rothomagensis Ecclesiæ, quam sibi in singulis quasi exemplar elegerat & præfecerat, Canonicos viginti & unum statim adhibuit, datis Præbendis & assignatis cunctorum etiam altarium totius Ecclesiæ oblationibus Canonicis eisdem perpetuâ largitione concessis.

CAP. V. Quòd Ecclesiam consecrare paratus, morte præventus occubuit.

HIS itaque completis, quum gregem commissum gravibus olim involutum criminibus invenit; prolem enim propriam quam genuerat, nepotes etiam & neptes, alienigenis in servitutem detestandâ avaritiâ venalem ex consuetudine prostituebant; perjurium, adulterium, incestum pro modico, vagum verò concubitum & illegitimum pro nihilo reputabant; cœpit prædicationi & instructioni tanquam strenuus pastor & impiger vitiorum eliminator insistere, totamque Diocesim de fine ad finem fortiter attingens, suaviterque disponens, tam circumeundo quàm penetrando non cessavit; donec præscriptas enormitates & alias quascunque reperiebat pro posse funditus eradicasset, & extirpatis vitiis more boni pastoris & non mercenarii undique virtutes pontificaliter inseruisset. Quibus egregiè peractis, vir magnanimus & Deo plenus nil credens actum cùm quid superesset agendum, manum Ecclesiæ suæ consummationis & sacræ munus dedicationis adhibere totâ mentis intentione proposuit. Convocatis autem ad hoc tam Episcopis quàm Abbatibus infinitis, sumptuum quoque in tantorum & tot virorum adventu ad exhibitionis honorem sufficientiâ longâ & largâ provisione congestâ, vir sanctus quod tantopere desideraverat morte præventus effectui non mancipavit. Quarto namque die

ante

ante dedicationis diem, quia semper extrema gaudii luctus occupat, in mœrorem versâ lætitiâ rebus humanis exemptus est. Erant autem Dominicæ dies Ascensionis & dies Sancti Johannis ante portam Latinam concurrentes; quùm vir sanctus tanquam unà cum Domino cœlos ascendit, & exultantibus Angelis Empiræi palatii portas æternales fœliciter intravit. Unde & à quodam dictum est.

Festa Johannis erant portam simul ante Latinam,
Et Domini ascensus; cùm pater hic obiit.

Occulta sunt ergo judicia Dei; cùm ferè in omnibus ad votum antè successerat, hoc illi desiderium suum tam laudabile tam honestum non est consummare concessum. Ergo nec velle volentis nec currere currentis, sed totum est Dei miserentis. Exequiis autem ut tantum virum decuit solemniter & rite peractis, sepultus est à fratribus in eâdem Ecclesia in prospectu altaris sanctæ Crucis pridie Nonas Maii.

CAP. X. De corpore viri sancti ad latus Altaris sanctæ Crucis aquilonare translato, & post triginta duos annos integro invento.

PRocessu verò temporis Cathedralem Beatæ Virginis Ecclesiam casuali contigit igne consumi; & ipso incendio cùm fortiùs ingrueret tecti materiâ in aream corruente, petra corpori superposita per medium confracta partes in geminas & separata. Cujus eventûs occasione à Canonicis loci ejusdem inito consilio, quatinus ad locum secretiorem communique à transitu remotiorem corpus transferretur, sapienter est decretum. Jejuniis igitur, orationibus & confessione communiter purgati & mundati, effossum corpus & discoopertum, cum annis jam XXXII. in terrâ jacuisset, adeò integrum ut ibi positum fuerat est inventum; nullâ etiam in veste ipsius vel in modico læsione repertâ. Quidam autem nomine Ricardus, similiter natione Normannus, videns & admirans corporis integritatem barbæque, quæ prolixa aliquantulum tanquam excrevisset extiterat, temerariâ præsumptione tentare volens an pili firmis carni radicibus inhærerent, vellere manu fortiter cœpit, sed nec unum avellere potuit. Qui continuò domum remeans, tam plectibilis præsumptionis audaciam divinâ statim ultione secutâ, gravi morbo correptus, per annum integrum lectum tenuit & languorem. Translatum est ergo reverentiâ magnâ, sicut tantum decuit thesaurum, corpus usque ad altare sanctæ Crucis, ibique ab Aquilonari latere debiti honoris exhibitione reconditum. Annulus autem à digito ipsius extractus & aquis intinctus potum febricitantibus variisque languoribus ægrotantibus salubrem dedit.

CAP. XXI. De Successoribus ejusdem, & primò de Roberto Bloeth.

IGitur vitâ Beati Remigii sub stili brevitate transcursâ, subsequentium Antistitum nomina summatim & acta perstringere non incongruum reputavi. Successit itaque Remigio Robertus Bloeth, similiter natione Normannus, prudentiâ & probitate conspicuus. Hic palliis olosericis, capis auro intextis, philateriis, phialis, crucibus & textis aureis & argenteis, artificum diligentiâ mirifice fabricatis, Ecclesiam suam laudabiliter adornavit. Terras plurimas & maneria perquisivit; Præbendas quoque in duplum multiplicavit. Cùm enim viginti

viginti & unum tantum invenisset; totidem adjiciens XLII. adimplevit. Controversiam magnam ab Archiepiscopo Eboracensi Thoma super Lindeseiâ recuperandâ totâque terrâ ex parte illâ usque Windhemam Ecclesiæ suæ resarciendâ suæque Diocesi redintegrandâ sumptuosis litibus suscitatam à Rege Willelmo Willelmi filio, cujus Cancellarius extiterat, fiscalibus facultatibus & excambiis perpetuâ sedari transactione curavit. Monachos quoque de Stowa usque ad Egnesham laudabili commutatione & Ecclesiæ Lincolniensi tam propter manerii propinquitatem & amœnitatem quàm & Præbendarum vicinitatem valde accommodâ providè transposuit; baculique pastoralis donationem & principalis dispositionis & provisionis honorem sibi & successoribus suis reservavit. Sed hujus tempore Eliensis Ecclesia per regiam voluntatem & violentiam desiit esse Lincolniensis filia; & facta est cathedraliter principalis, quæ fuerat antea subjugalis. Spaudewic tamen cum pertinentiis suis XL. librarum manerium à monasterio Eliensi in excambium suscepit. Et quia stultitiam patiuntur opes, & prosperitas stultorum perdet eos; inter alia sui deliramenta, quamquam in multis tamen suæ Ecclesiæ periculis, centum librarum pallium peregrinis sabellinarum pellibus nigris admodum atque interjectâ canitie respersis & exquisitissimo panno consertum Regi Henrico primo dedit; & inconsideratâ largitione ad donaria similia successores suos obligavit.

CAP. XXII. De Alexandro.

HUic successit Alexander, de Normanniâ similiter oriundus. Hic Præbendas aliquot adjecit; terras etiam aliquas & maneria perquisivit. Sed quatuor ex terris Ecclesiæ suæ & reditibus, tanquam unum altare spoliando & alia vestiendo, Monasteria construxit. Tria quoque Castella in terris Ecclesiæ suæ magnis sumptibus erexit, hostili quidem quod tunc instabat tempore pernecessaria. Pallium, quod decessor suus primò dedit, & ipse quoque sine contradictione persolvit. Ecclesiam tamen Lincolniensem casuali igne consumptam egregiè reparando lapideis firmiter voltis primus involvit.

CAP. XXIII. De Roberto de Cheinto.

SUccessit Alexandro Robertus de Cheineto seu Querceto, vir generosus, natione quidem Anglicus, sed cognatione Normannus. Hic terras quasdam alienavit, quasdam neptibus suis nuptui dandis cum scandali notâ donavit. Ad hæc etiam Ecclesias de maneriis suis quatuor, quas decessores sui Clericis Capellæ suæ dabant, & unam Præbendam Ordini de Semplingeham in perpetuum donando, Ecclesiam Lincolniensem & successores suos non mediocriter damnificavit. Item Sanctum Albanum amisit; cùm tamen tantâ familiaritate Monasterium illud Ecclesiæ Lincolniensi junctum fuisset, quòd Abbates ejusdem plerique in Ecclesiâ Lincolniensi Præbendati extiterant. Manerium tamen X. librarum, cui nomen Stanrige, à Monasterio Sancti Albani quasi in compensatione suscepit. Idem etiam in trecentis libris erga Aaron Judæum Ecclesiam suam obligavit. Crevit ergo Diocesis Lincolniensis per Remigium; sed decrevit enormiter per Robertum & Robertum. Cunctas tamen Cathedrales adhuc regni totius Ecclesias, VII. Comitatus & dimidium in se continens terræ populosæ, & præter varios personatus alios septem vel octo Archidiaconatus habens, longè latéque Diocesis amplitudine vincit. Ergo non dormitabit deses neque dormiet, qui bene custodiet illam. Mercatus tamen nonnullos & nundinas perutiles hic acquisivit; & unam Præbendam adjecit. Domos quoque

que de veteri Templo Londoniis Ecclesiæ suæ comparavit ; & domos Episcopales cum terris quoque ubi sitæ fuerant comparatis sumptibus magnis Lincolniæ fecit.

CAP. XXIV. De Electo Gaufrido.

HUic autem ad regimen Ecclesiæ Lincolniensis, multis Episcopio prius annis in fiscales abusus enormiter usurpato, successit Gaufridus electus Regis, Henrici secundi filius, de Archidiacono Lincolniensi patre procurante ad ejusdem sedis cathedram sublimatus. Hic autem inter ipsa initia ornamenta Ecclesiæ suæ, quæ in libris argenti trecentis apud Aaron Judæum decessor suus obligaverat, redimendo statim adquietavit ; & ipse quoque ornatus Ecclesiæ suæ plurimum propriis donariis amplificavit. Cui & inter cætera quoque campanas duas grandes egregias atque sonoras devotâ largitione donavit. Nobiles quoque personas litteratosque viros in Ecclesiâ suâ plerosque plantavit ; terras quoque nonnullas antea perditas viriliter recuperavit. Idem in Werrâ illâ magnâ, quam Regi Henrico filii legitimi pravorum consilio suscitaverant, verè filius naturalis, quoniam patri naturaliter adhærens & fideliter assistens, castella Rogeri de Mumbrai fortiter expugnando, Scotorumque Regem Willelmum à borealibus Regni finibus refugando viriliter & repellendo, remotiores Northumbriæ fines egregiè pacificavit. Unde & quoniam innatâ strenuitate patri circa dies extremos pernecessarius videbatur ; ipso procurante Lincolniensem Ecclesiam sponte resignavit, & Cancellariam Regis cum terris magnis tam in Angliâ quàm transmarinis à patre suscepit. Et sic ingruentibus circa finalia tempora per legitimos incommodis multis, contra Francos contraque fratres patri usque ad extremum ejusdem obitum egregiè militavit. Quo defuncto, in metropolitanam Eboracensis Ecclesiæ sedem est sublimatus.

CAP. XXV. De Waltero Constantiensi.

SUccessit autem Walterus Electo, de Constanciis dictus, sed revera de Cormei domo Cornubiâque natus, & nobili Britonum gente ac Trojanâ stirpe originaliter propagatus. Vir affabilis & liberalis, litterarumque studiis affatim eruditus, & in sæcularibus Curiæque negotiis prudens admodum & discretus ; unde & Regis aliquamdiu tam Consiliarius quàm Archisigillarius existens, eodem procurante ad sedem Lincolniensem est vocatus ; ubi tantùm annuus existens, iterum Rege procurante, ut in consiliis suis & arduis negotiis propius eidem assisteret, ad principalem Normanniæ cathedram & Metropolitanam Rothomagensis Ecclesiæ sedem est translatus. In uno tamen Lincolniensem Ecclesiam graviter læsit, totumque Capitulum non mediocriter offendit ; unde & vir præclarus magnam in gloriâ suâ maculam posuit : quòd Ecclesias illas, quas prædecessor ejusdem Robertus de Querceto quondam ut diximus alienaverat, in ipso discessu suo Ordini de Semplingeham, quacunque gratiâ seu beneficio præveniente vel subsequente, cartarum suarum & sigilli munimine perpetuâ stabilitate roboravit.

CAP.

CAP. XXVI. De Hugone Burgundiensi.

SUccessit autem Waltero Hugo, de Burgundiâ natus, ingenuis de ordine militari natalibus ortus. Hic à juvenilibus annis honestati & religioni datus, ne per lubricum ætatis in lapsum rueret, arctissimis Cantuariensis observantiæ regulis se mancipavit. Unde transmissus postmodum Prior in Angliam, in cellulâ de Witham Regis Henrici secundi, qui forestam ubi sita est cellula venandi studio frequentare, locumque eâ occasione atque Priorem visitare consueverat, familiaritatem in brevi & favorem adeptus, in Lincolniensi Ecclesiâ est sublimatus. Hic igitur in primis justitiæ cultor rigidus existens, nec aulicis vel curialibus aut publicis officialibus in Ecclesiam aut Clerum grassantibus, ut solent, vel in modico deferebat. Quicquid honestati, quicquid religioni, quicquid Ecclesiæ suæ proficuo vel honori prodesse videbat, totum effectui mancipare totisque nisibus adimplere curabat. Communam Ecclesiæ suæ egregiis largitionibus amplificavit. Canonicas in certis perpetuisque beneficiis, terris videlicet & Ecclesiis olim amissis quas recuperavit, duas adjecit; Aliasque duas à decessoribus olim in denariis ex camerâ constitutas cancellavit. Item Monasterium de Egnesham olim perditum iri regiâ potestate paratum viriliter retinuit; baculique pastoralis donationem sumptuosis laboribus sed efficacibus & fructuosis ad Ecclesiam Lincolniensem revocavit. Item Ecclesiæ suæ Capitulum Pariis lapidibus marmoreisque columnis miro artificio renovavit, & totum à fundamento opere sumptuosissimo novuum erexit. Similiter & domos Episcopales egregias construere cœpit, Dominoque cooperante longè prioribus ampliores & nobiliores spe certâ consummare proposuit. Item pallium illud Bloetinum & Alexandrinum, minùs providè minùsque circumspectè semel datum, & ob hæc perpetuo debitum, saniori consilio depilavit; & tam interminabilem tantæ servitutis exactionem per cartas regio sigillo munitas, Lincolniensis Ecclesiæ libertatem ac perpetuam, si regnet in terris fides, immunitatem protestantes, unicâ largitione delevit. Item personas egregias, literaturâ & honestate præclaras, per regni amplitudinem quasi studio quodam ad hoc electas, fideles Ecclesiæ suæ columnas erexit; non sanguinem imprimis ut cæteri, non sobolem carnaliter sapiens, sed duce spiritu ac ratione præviâ litteras potiùs & merita pensans. Item cupiditatis omnis & ambitionis expers, ab omni munere, subjectorum gravamine & exactione potenter manus excutiens, adeo Simoniæ laqueos, quibus cuncti hodie ferè majores irretiuntur, exhorruit; ut sponte oblata plerumque donaria, ne sinistræ suspicionis ulla suboriri nota valeret, ex consuetudine recusaret, etiam ad antidora teneri & vel mentaliter ac naturaliter obligari plurimùm cavens. Sed quid per singula curro? Tot bonitatis & probitatis ejusdem, tot virtutis & honestatis indiciis tam insignis enituit; ut tanquam unica suis diebus Anglicanæ Ecclesiæ columna, singulareque speculum divinæ repercussione luminis elucescens, & propemodum in omnibus non petere exemplum sed dare dignus existens, inter Lincolnienses Antistites usque ad sua jam tempora post Beatum Remigium meritò primus & præcipuus, si principio finis assenserit, habeatur. Utinam ergo talarem indutus tunicam, quæ tam laudabiliter inchoavit fœlici fine concludat, & in anteriora se constanter extendens & non respiciens, operam adhibeat, opemque divinam ad hoc exposcat; quatinus vitæ commendabilis cursûs Primo ne medium, medio ne discrepat imum. Sed quanto fini affinior, tanto ad finem Christum amplioribus virtutum passibus & elegantioribus bonorum operum studiis fervente caritate non frigescente de die in diem magis accedat.

Giraldi Cambrensis
COPULA TERGEMINA:
SEU
De Vitis Sex Episcoporum Coætaneorum.

CAP. XXVII. De Episcopis Angliæ ter-geminis; & primò de Thoma Cantuariensi & Henrico Wintoniensi.

Quoniam autem de Lincolniæ Prælatis nullum prætereundo per ordinem disseruimus; de Anglicanis consequente nostri temporis Episcopis, non omnibus quidem, quia dispendiosum & longum esset, sed paucis ad modum & potioribus, aliqua forsan memoratu digna dicemus. Singulorum autem, quos novimus & vidimus, dum mores & modos mente recolimus propensiore, certatim occurrere videntur tergemini quasi sub copulâ triplici, longè præ cæteris omnibus præconiali laude dignissimi. In hoc autem senario per triplicem binarium ordinatè distincto duo concurrunt, sicut tempore primi, sic & præ cæteris moribus & sanctitate conspicui: Thomas Cantuariensis, & Henricus Wintoniensis. Erant enim hi duo contemporanei, sed non coævi; ultima namque Wintoniensis tempora Cantuariensis incathedrati videre prima & doluere postrema. Unde auditâ morte Martyris & modo mortis, sacrum os statim in hæc verba resolvit. Per ordines, inquit, Dei verè Martyr, & verus ac magnus Martyr est iste; sed ecce quemadmodum juvenes cœlum rapiunt; & nos miseri senes quid hîc moramur inutiles? Et tamen cùm ille in fine Decembris, sicut notum est satis, gladiis impiorum occubuerit imo veriùs ad cœli palatia transvolaverit; [p] *Justus enim si cecideret, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*: Iste Septembri sequente plenus dierum & bonorum rebus humanis exemptus est, tanquam sine socio diutiùs in terris subsistere tædium ducens, & absque compari stella ampliùs in tenebris lucere recusans. Ut autem specialiter aliquid de ipso dicamus; illud imprimis, quod ad utrumque tam ipsum scilicet quàm Cantuariensem illum æque pro parte referri potest, explicabimus. Quùm ergo Wintoniensis inter Episcopos Angliæ quasi Subdecanus existens, Decano Episcoporum Londoniensi scilicet ante promotionem Thomæ Cantuariensis rebus humanis exempto, munus ei consecrationis impendit; & statim hoc completo dixisse memoratur: Frater charissime, duorum optionem nunc tibi do, & tanquam ludum partitum tibi constituo, aut summi Regis gratiam proculdubio perdes, aut terreni. Noverat enim Regis Henrici secundi naturam Ecclesiasticæ libertati ex toto contrariam. Quo dicto, sic ilico Thomas oculos & manus ad cœlum levando subjunxit. Et ego Deo opitulante viresque mihi ministrante, hanc partem firmiter eligo; quòd nunquam pro terreni Regis amore seu favore gratiam & favorem summi Regis amittam. Hanc etiam optionem pariter & sponsionem uterque lacrimarum profusione & consecrator quoque dextræ manus benedictione confirmavit.

[p] Psal. xxxvi. 24.

Proinde

Proinde & audito transitu Martyris tam eximio & tam insigni: Deo, inquit, summo patri gratias intimas ago; quòd datum est mihi tanto viro manus consecrationis imposuisse. Item Henricus iste merito magnus ac magnificandus, & tam animi quam atavi nobilitate præclarus, Anglorum quippe Regis Henrici primi ex sorore nepos extiterat, & nobilissimi Blæsensis illius Theobaldi frater, & Stephani filius, Stephanique Regis Angliæ frater tam uterinus quàm germanus; hic inquam quicquid in bestiis, quicquid in avibus, quicquid in monstris terrarum variis peregrinum magis & præ oculis hominum vehementiùs obstupendum & admirandum, audire vel excogitare potuerat, tanquam innatæ nobilitatis indicia congerebat. Præterea opera mira, palatia sumptuosissima, stagna grandia, ductus aquarum difficiles, ipogeosque varia per loca meatus, denique ea quæ Regibus terrarum magnis difficillima factu visa sunt hactenus & quasi desperata, effectui mancipari tanquam facillima mirâ magnanimitate procurabat. Ad hæc etiam in manu ipsius regni tranquillitas & turbatio fuit. Fratrem ejusdem Regem Stephanum ab ejus gratiâ quandoque desertum statim fortuna deseruit, & captum apud Lincolniam in publico conflictu carceri retrudendum dedit. Qui tamen in brevi restitutus, ad gratiam continuo nobilis Antistitis, fratris afflicti naturali pietate miserti, armis & animositate liberatus, miro commercii commutandique modo Rege pro Comite dato, cum plenâ pristini honoris integritate regnum simul & sceptrum recuperavit. Unde Papa Eugenius de hoc Antistite dicere consueverat. Hic ille est ille, qui potuit linguâ suâ duo regna corrumpere: In cujus erat potestate ad nutum creare potentes & evertere. Et tamen à Curiâ Romanâ Angliæ totius Legationem adeptus, Archipræsulum aliquamdiu supercilia premens & dejiciens, cunctorumque ferè majorum in Insulâ superbiam calcans, regnique colles incurvans & tumorem explodens, Ecclesiasticæ dignitatis honorem justitiæque rigorem tam indultâ desuper potestate quàm & innatâ nobilitate conservavit. Domos regias apud Wintoniam Ecclesiæ ipsius atrio nimis enormiter imminentes, regiæ Londoniensi nec qualitate nec quantitate secundas, quoniam Cathedrali Ecclesiæ cui præerat nimium vicinæ fuerant & honerosæ, vir animosus & audax funditus in brevi raptim & subitò nactâ solùm temporis opportunitate dejecit; & in majorem publicæ potestatis offensam ex dirutis ædificiis & abstractis domos Episcopales egregias sibi in eâdem urbe construxit.

Licèt autem mundano fastu rerumque sæcularium vanitate pariter & curiositate tantum, prout videbatur, implicitus & involutus existeret; nihil tamen in mente superbum, nihil in vultu superciliosum, nihil in habitu vel gestu varium aut religioni dissonum, circa postrema sui præsertim tempora, præferebat. Quinimo Cluniacensis à puerilibus annis Monachus existens, humilitatem Ordini competentem, religionem, sanctitatem, & quo præcipuè centesimi fructûs coronam meruit, in tantâ tam potestate quàm sanguinis & stirpis nobilitate carnis virginitatem quo ad interiora & mentis secretiora conservavit.

Item Cathedralem Ecclesiam suam palliis purpureis & olosericis cortinis & aulæis preciosissimis, textis, philateriis, crucibus aureis massatis & argenteis, miro & exquisito artificio longè materiam exsuperante fabricatis & gemmatis, incomparabiliter & inestimabiliter usque ad Regum invidiam exornavit. Item cùm audisset Presbyteros per Diocesim suam post multas commotiones & præceptiones de calicibus argenteis habendis in stagneis passim celebrare, convocatis omnibus tanquam ad auxilium postulandum, dederat enim paulò ante quingentas marcas Regi Henrico ad expeditionem Tholosanam, significavit eis quòd in calicibus argenteis, quibus restaurare vel ex parte damna possit Ecclesiis olim per Werras suas irrogata, petebat sibi auxilium ferri. Quo promptissimâ à cunctis voluntate concesso, cùm ad diem statutum singuli de singulis Ecclesiis ad minùs calices congeruntur, de plerisque nimirum Ecclesiis opimis plures allati fuerant; consecratis omnibus

omnibus & benedictis, ad Ecclesias unde venerant cunctos remisit, dicens: Quæ Deo & officio suo dare noluistis, mihi Monacho minimo & peccatori miserrimo dare parati fuistis. Nunc autem saniori consilio Deo donentur, & ejus obsequiis in perpetuum mancipentur. Item aliis cæteris per Angliam Episcopis Clericos & subditos suos creberrimis talliis & exactionibus præter modum honerantibus, convocatis Clericis suis tanquam aliquid quod pecuniarum acervum augeret petiturus, post publicam & ultroneam communiter omnium concessionem, nihil aliud ab ipsis quàm orationum & Missarum munus exegit.

Item hoc etiam sub silentio nequaquam prætereundum, sed quasi pro miraculo recitandum censui; quòd Ordines hoc Patre apud Wintoniam celebrante, Clericus quidam furtivè inter alios accedens ad ordinem Diaconii se impudenter ingessit; cùm tamen publice sub anathematis interminatione prohibitum esset, ne quis nisi ascriptus & intitulatus accedere præsumeret. Qui cùm die statuto primum solemniter Evangelium apud Geldefordiam legere deberet; quasi passione percussus obmutuit. Quòd cùm ei etiam secundò contigisset; ad Episcopum accedens, & ad pedes ejus die Pentecostes apud Wintoniam in processione se provolvens, cum lacrimis multis & singultibus rem gestam ei confessus est. Ipse verò eum ad pulpitum secum ducens, toti populo quod acciderat palam exposuit; & sic ei pœnitentiâ injunctâ ibidem de compunctione ipsius plurimum confisus, populique totius ad hoc orationibus adjutus, Ordinis executionem divinitus ademptam misericorditer illi Præsul indulsit. Unde & die statim in eâdem urbe à Præsule statuto, & confluente urbis ad hoc spectaculum ferè populo toto, facultas ei legendi Evangelium est restituta. Et sic pii patris officio propriæque compunctionis merito, populi quidem supplicationibus adjuto, linguam ejus ad legendum sanctumque Evangelium Christi distinctè pronunciandum virtus quæ ligavit absolvit. Præterea in senectute bonâ jam constitutus, biennio ante obitum sanctum, nihil omnino proprium retinens, cunctas fere possessiones suas in caritatis opera largiendo dispersserat; quotidianam tantùm refectionem, tenuem admodum & exilem, vix sibi cum paucis suscipiendo. Terras tamen Ecclesiæ suæ & maneria cuncta, tanquam bonus & fidelis dispensator, non supervacuus dissipator, posteris exemplum præbens, plena bonis & usque ad summum instaurata reliquit. Et sic in orationibus continuis, disciplinis quotidianis, & crebris confessionibus & pœnitentiis vitam hanc terminans, Cantuariensem qui paulò antè præcesserat, rubris indutum roseisque coronis puniceis coccineisque decenter ornatibus purpuratum, nive nitidior longèque lacte candidior, liliorum sertis undique septus, Wintoniensis fœliciter est secutus.

De Thoma Cantuariensi.

MArtyris autem nostri gloriam novis extollere titulis post tanta ipsius & tam egregia à magnis viris scripta præconia, eique cujus orbem lumen irradiat laudibus irradiat, ut plùs lucescat lucem præferre, præsumptuosum esset & superfluum. Quoniam, ut ait Symmacus, supervacanei laboris est commendare conspicuos; ut si in sole positis facem præferas, & accensu luminum claritudinem diei gestias adjuvare. Et alibi: Probitate & honore pollentibus viris nihil aliena addit oratio. Suâ enim luce conspicui, precariis testimoniis non juvantur. Ne tamen in tantâ materiâ penitus elingues reperiamur; quæ specialia magis ejus insignia & ab aliis intacta memoratuque digna magis occurrunt, sub compendio perstringemus. Viro igitur Deo plenissimo, & ob hoc in Ecclesiâ ipsius cui præerat dignitate ac libertate tuendâ constantissimo, præter multiplex illud septennalis ferè exilii martyrium in multo mœrore,

rore, cilicio scilicet duplici tam femorali quàm corporali, in lectione & oratione continuâ, & omnium angustiarum gravissimâ nec ætati parcente nec sexui tam miserabili sanguinis universi proscriptione, ad consummabilem totius martyrii gloriam id totum accessit; quòd ultroneus ipse furibundis hostibus templi fores aperuit, & apertò vertice gladiis occurrens, sacram vulneribus coronam obtendit. Quòd in ecclesiâ matre & metropolitanâ & coram altari; Quòd à quatuor aulicis canibus rabie plusquam caninâ furentibus in coronâ, quæ Clero potiùs signum protectionis esse solebat, quatuor vulnera suscepit, & nullum extra; Quòd eâ solum in parte, quæ passionem Christi significat; Christi miles & martyr insignis intrepidè passus emicuit, fœlici commercio incorruptibilem pro corruptâ coronam adeptus; Quòd sacram Dominici Natalis hebdomadam suo quoque sanguine consecravit. Et sicut primus Thomas quintâ natalem luce prævenit, sic iste secundus sacris ex nomine jam cessantibus, eùndem numerum subsequenter implevit. Quòd ille Orientis lampas fuit, hic Occidentis; quòd ille nascenti Ecclesiæ lumen dedit, hic senescenti. Et sicut ille surgentis Ecclesiæ fundamenta suo sanguine cæmetavit; sic iste suo diu fundatæ & tanquam ruinosæ & tam senio confectæ quàm vi tempestatum crebrò concussæ pristinum statum reformavit. Et sicut ille fervens erat fide fervente; sic iste non tantùm fervens sed & plusquam fervor fuit jam refrigente. Et sicut ille, ut Ecclesiæ substantiam erigeret, tortoribus & cruciatibus se cruentis exposuit; sic iste, ut ejusdem formam conservaret illæsam, gladiis occumbere non formidabat. Cujus quoque triumphales tantæ gloriæ titulos hi duo versiculi sub compendio satis egregiè comprehendunt.

Pro Christi sponsâ Christi sub tempore Christi
In templo Christi verus amator obit.

De quo inter varias ejusdem virtutes illud præcipuè spectabile memoriâque dignum occurrit; quòd separatis membris & projectis inaudito more nova reposuit, & hac suæ novitate virtutis verè novus Martyr apparuit. Unde quidam:

Miratur rediisse virum neutratus ocelli,
Succedunt oculis albus hic, ille niger.

Quia ne causari malignitas posset eosdem oculos fuisse, quos priùs habuerant non erutos ad plenum sed læsos; dati sunt minores & diversi coloris, miraculoque majori, quibus non minùs in tenebris & nocte obscurâ quàm clarâ luce videbant. Unde & pauca, quæ circiter finem Martyris insignis notabilia valdè cognovi, & aliorum scriptis quæ legi nondum expressa repperi, hîc apponere dignum duxi.

Apud Pontiacum, ubi diutius exulans perhendinavit, die quodam cùm Missam celebrâsset, in qua more consueto se totum in lacrimis effuderat; coram altari prostratus, ut orationi vacaret, audivit vocem ei dicentem: *Thoma Ecclesia mea gloriabitur in sanguine tuo.* Cui ille. *Tu quis es Domine?* Et iterum audivit: *Ego sum Iesus Christus pater tuus.* At ille: *Utinam Domine sic fiat; ut Ecclesia tua glorificetur in sanguine meo.* Et ex illâ semper horâ mortem impavidus expectavit.

Unde paulò antequam perimeretur, in crastino videlicet Innocentium, cœnanti eidem & ex ave phasidos avidè comedenti, dixit ei Monachus quidam commensalis ejus: Domine per Dei gratiam libentiùs solito & hylariùs vos hodie prandere videmus. Cui ille sub modicâ quasi risus significantiâ: Sic, inquit, decet virum, qui ad dominum suum vadit, lætum esse. Et statim circa vespertinam ejusdem diei horam curiam Archiepiscopi ministri Belial & cruenti carnifices intrârunt, Primò quidem quasi pacifici & inermes sed minaces, postea verò quia viri constantiam minis acerrimis & terroribus flectere non

non poterant, armati statim cum multâ lictorum sequelâ furore repleti, ad tam enorme facinus perpetrandum sunt reversi. Item nocte proximâ præcedente martyrium cùm Archiepiscopus nocturnas horas & matutinas cum Clericis suis & Monachis cubiculariis in camerâ suâ complesset, & ad fenestram qaandam quam aperiri fecerat extra prospiciendo diutiùs in oratione pariter & meditatione stetisset; tandem conversus ad suos, quæsivit ab eis quanta pars noctis adhuc restaret; & utrùm ad portum de Santwich per vii. inde miliaria distantem ante diem perveniri posset. Et cum responsum acciperet, quòd magna pars noctis adhuc restabat atque longè plus viæ ante diluculum ire quis posset; subjunxit vir firmus & constans; Fiat autem de me voluntas Dei; quia Thomas in Ecclesiâ cui præest divinæ dispositionis eventum exspectabit. Audierat enim milites illos à Rege transmissos minaciter applicuisse; ideoque præsumi potuit magnum in mente viri sancti inter rationem & sensualitatem conflictum fuisse. Suggessit enim sensualitas tam imminens mortis periculum, quamdiu facultas foret, modis omnibus declinandum. Sed è diverso non ampliùs fugiendum, quinimo pro domo Domini se murum opponendum usque ad sanguinis etiam effusionem animæque pro ovibus donationem, ratio efficaciter persuasit. Vir etenim sanctus septennali ferè tam clibano decoctus quàm camino purgatus, adeò in fide Christi & dilectione firmatus extiterat; quòd vitam hanc in tædio, & mortem habebat in desiderio.

Item Hierosolimitanis Palestinæ finibus nocte eadem Monachus quidam vidit in somnis se quasi in cœlum raptum; ibique virum cum maximo totius Curiæ cœlestis gaudio susceptum vidit & tripudio; cui cùm ad dexteram suam cathedram insignem apponi Christus jussisset, Dominus ipse capiti suo coronam apposuit miro gemmarum & auri fulgore rutilantem. Monachus autem quasi ab Angelo ductore cùm quæsisset, quisnam esset ille, cui tantus honor exhibebatur; responsum accepit, quòd Thomas erat Cantuariensis Archiepiscopus, qui pro Christi Ecclesiâ mortem perpessus in terris, cum tantâ victoriæ palmâ nunc triumphat in cœlis, & pro coronâ fractâ in terris & corruptâ tam gloriosam & incorruptibilem in cœlis per hanc figuratam jam suscepit. Cùm autem hoc manè multis revelâsset; notatus est dies, & nox scripto certæ notitiæ data: Et non longè pòst cum primis peregrinis de Angliâ venientibus veritas eventûs eidem & aliis qui hæc audierant tempori & horæ conveniens est declarata. Item vesperâ eâdem quâ vir sanctus sceleratorum gladiis occubuit, in remotis Insulæ Anglicanæ partibus scilicet Devoniæ finibus Militè quodam, cui nomen Wido de Brionnâ, cum familiâ suâ ad obsonium sedente & epulante, puer quidam quasi septennis herilis filius, qui coram mensâ ludebat, ad patrem subitò conversus in hæc verba prorupit. Ignoras pater, quòd bonus Sacerdos jamjam morietur? Ipse verò & alii qui hoc audiebant de Capellano curiæ, qui cum aliis ad mensam sedebat, pueriliter dictum esse putabant. Et post pusillum quasi circa medium prandii recurrens puer ad patrem eadem verba pronunciavit, secuto omnium risu & ad Capellanum præsentem verba jocosa referentium. Tertiò quoque statim cœnâ finitâ ad genua patris puer occurrens, eisq; cum lacrymis incumbens, Pater inquit bone, mortuus est Sacerdos optimus & jam nunc occisus. Nonne dolendum omnibus & lugendum? Major autem audientium pars jocandi adhuc cum Capellano materiam inde sumebant. Pater verò & mater propter verbum toties à puero jam repetitum rem taciti considerabant; & de singulis secum cum admiratione conferebant. Licèt autem à Cantuariâ remota plurimùm sit hæc Provincia; fama tamen pernicibus alis infra septimum diem vel octavum eo usque transvolavit. Unde statim à cunctis, qui hæc audierant, magnificatus est Deus, qui pueri junioris & innocentis spiritum ad hæc revelandum eâdem horâ tam magnificè suscitavit.

Item die secundo vel tertio post facinus perpetratum tam horribile, ad manerium Archiepiscopi, quod Maulinges dicitur, tanquam re bene gestâ hospitandi

tandi causâ diverterunt. Qui cùm ad ignem post cœnam consedissent; mensa principalis, ubi Archiepiscopi comedere solent, adeò se subitò excutere cœpit; quòd hernesium eorum totum sellas scilicet & clitellas & cætera supposita ad terram cum magno fragore dejecerat. Cùmque servientes cum lumine statim accederent; valde admirati sunt de excussione tali; cùm tabula grandis fuerat & spissa & firmiter etiam, sicut solent mensæ dormientes, & immobiliter defixa. Post horam autem modicam iterum mensa eadem cum excussione longè majore & fragore necnon & terrore audientium superposita cuncta dejecit. Quo facto prosilientes ilico cum luminaribus tam milites quàm ministri scrutati sunt cum diligentiâ, utrùm aliquid sub mensâ quod hoc fecisset latitare valeret. Sed cùm nihil invenirent; dixit unus militum illorum quatuor: tollite ab hinc sarcinas istas, quas ipsa quidem mensa sibi apponi reputare videtur indignas. In quo perpendere possumus, quale jam opus perpetravimus. Item hoc quoque pro miraculo habendum est magno; quòd quatuor illi Sathanæ satellites cruentissimi cum totâ sequelâ suâ ad facinus hoc perpetrandum, sicut & omnes ferè Martyris persecutores, morte in brevi sunt consumpti; & plerique eorum morte turpi & tanquam ultione divinâ subitâ passione percussi. Ille verò, qui totius facinoris auctor fuisse creditur & machinator, non multò pòst tempore miserum cum dedecore spiritum exhalavit.

Occidit autem hoc tritici granum, & in terram cadens multum fructum attulit, anno videlicet ortûs sui XLVIII. Consecrationis octavo, exilii septimo, in fine Decembris, fœlici bravio cursum finiens, veteremque vitam cum anno terminans & novam inchoans, ab incarnatione verò Domini MCLXXI. præsidente Romæ Alexandro III. imperante Fretherico, regnante in Franciâ Ludovico, in Angliâ Henrico II. Unde Norwicensis Turbo:

Annus millenus centenus septuagenus
Primus erat, Primas quo ruit ense Thomas.

CAP. XXVIII. De Bartholomæo Exoniensi, & Rogero Wigorniensi.

FUerunt etiam eisdem temporibus duo in Angliâ magni nominis Episcopi, Bartholomæus Exoniensis, & Rogerus Wigorniensis, Ecclesiasticæ zelo justitiæ non immeritò parificandi, religione quoque & honestate præclari. Erant enim quasi gemina candelabra Britanniam totam fulgore suæ claritatis irradiantia. Unde & Papa Alexander tertius duo magna luminaria Anglicanæ Ecclesiæ dicebat hos esse: Quibus & omnium ferè causarum per delegationem in Angliam suo in tempore transmissarum, de probitate ipsorum & bonitate confisus, commissiones faciebat. Erant enim præter alia virtutum insignia, alter inter eruditos litterarum disciplinis & eloquentiâ præclarus, alter autem inter generosos & regni primos utrâque gentis scilicet & mentis nobilitate conspicuus. Exoniensis autem cuidam, qui se sciolum in Decretis esse jactabat, unde & Canones extollens, Leges in quibus plùs præcellebat Episcopus, verbis quasi parvi pendendo contemnebat, satis curialiter inquit: Tanquam ex æquo dividamus, ego Leges, tu Decreta; citiùs mihi auferrem Leges, quàm tibi concederem Decreta. Alludens illi Ciceronianæ in Ermagoram invectioni, qui materiam rhetoricæ orationis usque ad philosophicas etiam quæstiones, sicut in principio rhetoricæ de inventionibus legitur, nimis insolenter extendebat; per quod non quid ars sed quid ipse potuisset exposuisse videretur. Nunc autem, ut ait Cicero, ea vis est in homine; ut ei multò citiùs Rhetoricam quis ademerit, quàm Philosophiam concesserit. Item in Concilio Can-

tuarienſis Archiepiſcopi Ricardi apud Weſtmonaſterium idem Sermonem faciens, totum de ſtatuis manu hominum factis ſæpiùs idipſum inculcando thema produxit. Similiter & Lundonienſis Gilbertus Foliot de montibus virtutum ibidem loquens & montibus vitiorum; In illis dicebat, quia quo plùs aſcenditur, & plùs merito ſcandens ſublimatur; in his verò quo plùs proficit, eo plùs deficit; quo plus aſcenditur, plus deſcenditur, & longe deorſum aſcenſor in deteriora dejicitur. Quoniam enimvero Ricardus ille tantis in regno perſonis & tam validis longè non litteraturâ ſolùm ſed induſtriæ pariter & naturæ dotibus, ut videbatur, inferior, regiá poteſtate præfectus fuerat; tactus utroque ſermone ſubtiliter erat atque notatus. O quot hodie tales in Eccleſiâ ſtatuas erectas videmus, manibus hominum factas, & violentâ quadam principum arte fabricatas! Sicut enim priùs de causâ cognoſcendum quàm judicandum; ſic primo cognoſcendus eſſet ad unguem, & poſt eligendus. Hodie verò ordine præpoſtero ſolâ voluntate non ratione vel neceſſitate commutato, ſtatim proponitur eligendus, poſt electionem autem & conſecrationem cognoſcendus.

Olim autem fiebat electio Pontificis expreſsâ Dei vocatione aut miraculi oſtentatione, ſicut Aaron, qui non ſibi ſumpſit honorem, ſed vocatus à Deo & miraculosè approbatus indicio virgæ florentis & incendio æmulorum ut Choræ & complicum ejus; Nicholaus voce delapsâ de cœlo declaratus; Matthias jactu ſortium Apoſtolus eſt inſtitutus. Hodie loco omnium iſtorum ſucceſſit Canonica electio; cùm ſcilicet Deo autore magis literatum & honeſtum eligit Eccleſia miniſterio. Unde Dominus [p] *Faciam*, inquit, *vos fieri piſcatores hominum:* quaſi Ego faciam autoritate. Unde quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, hos fieri canonicâ ſcilicet electione miniſterio Eccleſiæ piſcatores hominum, qui laxent retia in capturam animarum non pecuniarum. Hodie vero loco canonicæ electionis in plerifque partibus ſucceſſit intruſio Principis, ſub voce tamen electionis vanâ & umbratili pronunciatione; ubi vox quidem ſolùm auditur, nec voluntas attenditur.

[p] Matt. iv. 19.

Item in continenti poſt Sermones recitante decreta Concilii Monacho quodam Benedicto nomine, qui tunc Cancellarius erat Archiepiſcopi & poſt Abbas de Burgo, cùm Exonienſis quædam corrigenda monſtraret, & ille obloqueretur & obſtreperet, puta qui ſuperciliosſus ſuo modulo & arrogans erat, indignanter ad ipſum ſermonem dirigens Epiſcopus: Minimus, inquit, gubernator es ad tantam navem regendam, quanta eſt tota Eccleſia Anglicana; manum ad hæc circumducens, & tot nobiles perſonas ibi utroque ex latere per ordinem ſedentes oſtendens. Et ſic ad illum verba direxit; pro Archiepiſcopo tamen dicta ſatis intelligendum dedit.

Item accidit, ut hac tempeſtate quartus ſatellitum Sathanæ prædictorum, & quatuor illorum primus, cui nomen Willelmus de Traci, ſtatim cæde perpetratâ tam ſacrilegâ ad Exonienſem Epiſcopum Bartholomæum, in cujus Dioceſi terras amplas habebat, accelerans, confeſſus eſt ei; quòd ipſe & ſocii ſui tres, Reginaldus ſcilicet filius Urſi, & Ricardus Brito & Hugo de Norwic, artati fuerunt à Rege ſacramento corporaliter præſtito, quòd de Archiepiſcopo Thoma modis omnibus id efficerent quod poſtea perpetrârunt. Facit ad hoc etiam & argumentum inducit; quòd proſtrato trium illorum ictibus coram altari corpore ſacro, quartum qui nondum manum appoſuit, acriter increpare tres cœperunt, ac ſi apertè dicentes; fac & tu, quod facere debes, & ad quod ſicut & nos ex promiſſo firmiter & condicto teneris Ille verò ſtatim longè crudelius cæteris in jam mortuum ſæviens, gladii mucrone à capite cerebrum extrahere & per pavimentum ſpargere non abhorruit. Rex tamen in ſcrutinio de morte Martyris à Cardinalibus Alberto ſcilicet & Theodino paulò pòſt facto ſub ſacramento aſſeruit; quòd licèt propter ipſum de Archiepiſcopo id factum fortè fuerit, per ipſum tamen & voluntate ipſius nullatenus id factum fuiſſe. Verùm quo-

quomodo res gesta fuerit, & tam actionis quàm & passionis circumstantias, illo teste & conscio qui non irridetur, finis utriusque hinc gloriosus inde ignominiosus evidentissimè declaravit. Dictus autem Episcopus Exoniensis in illâ opinione diu, sicut alii plerique priùs, extiterat; quòd dicti milites illi absque omni mandato præciso malitiam tantam exercendi à Rege discesserant. Sed ex quo dictus miles & locutus, ut dictum est, & confessus fuerat; quoties inde postmodum sermo fiebat, præcisum super hoc mandatum emanâsse.......

Item accidit eâdem temporis urgente procellâ, quòd Rex à facie Cardinalium fugiens de Normanniâ in Angliam, de Angliâ in Walliam accelerans, in finibus Sancti David apud Penbroc Milverdico scilicet portu classe coactâ, ut in Hiberniam transfretaret, solùm auram prosperam & Eurum expectavit. Ubi Bartholomæus Episcopus transmerso Sabrini maris brachio non modico, quod Walliam atque Devoniam interfluit, ad Regem accessit; ibique manerium de Boreham sibi & Ecclesiæ suæ longè ante sublatum acquisivit. Ubi & inter cætera Rex Episcopo dixit: huc usque Cardinales vestri de Româ missi me transfugârunt; adhuc ulteriùs, quoniam in Hiberniam si mecum loqui voluerint ad me venient; tanquam non in Hiberniâ, sicut & in Angliâ vel Normanniâ, divina vel etiam Romana potestas dominetur. Porrò illo providente, qui subsannat impios & irridet irrisores, & irridendos ac ridiculos reddit, in hoc fugâ & hiemali in Hiberniâ morâ tanta est Regi à filiis & familiaribus necnon & Baronibus suis interim in transmarinis orta seditio; quæ ipsum usque ad obitum ejusdem ærumnosum continuè fere persequi non cessavit. Unde & cursu præpropero longè magis quàm cùm fugitivus abscesserat, remensis terris plurimis & æquore duplici, Hibernico scilicet & Gallico seu Normannico, transnavigato, propter dicta pericula propriasque causas in Normanniam est reversus; ubi statim in-primis Cardinalibus, tanquam solùm ob hæc adveniens, satisfacturus occurrit; quamquam tamen simulatoriè magis ex parte ipsius quàm verè, sicut ex post facto claruit, totum ageretur. Verumtamen, sicut Scriptura testatur, [q] *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Præterea in Concilio Hugucionis Cardinalis in Angliam Legationis vice transmissi apud Westmonasterium convocato & ferè inchoato, sed tamen abortivo, cùm inter Archiepiscopos Cantuariæ Ricardum & Eboracensem Rogerum in Capellâ sanctæ Katerinæ de primatiæ dignitate & primo cathedralis sedis honore virgis, baculis & pugnis allegatum fuisset; demum quum Eboracensis, cujus in hoc conflictu pars debilior esse videbatur, Regis ad genua prostratus in lacrimis ei querimoniam fecit; Rege erga Cantuariensem & Suffraganeos ejus irâ præter modum ut videbatur accenso, Wigorniensis audacter in hæc verba prorupit. Unde conqueritur ille? portatus enim, sicut Archiepiscopus, & in altum undiq; subvectus erat. Cui Rex malè, inquit portatus fuit; cùm capa ejus tota fuerit ibi discissa. Et Episcopus illi. Domine capa illa proculdubio decennalis fuerat, vel etiam temporis diuturnioris. Unde si in turbâ consertâ dilacerata fuit, non mirandum; quæ per se de cætero dicidua proculdubio foret & defectiva: parcitatis in Archiepiscopum vel etiam avaritiæ notam intorquens. Et sic ob elegantium verborum urbanitatem Rege in risum converso, in brevi subsequenter indignatio tota resedit.

[q] Prov. xxxi. 30.

Item accusatis quibusdam in præsentiâ Domini Regis, quòd indecentia de ipso & inhonesta dixissent, ad suggestionem Episcopi ejusdem, unus eorum facetè subintulit: Ea forsan diximus; & illa quidem minima respectu illorum erant, quæ nisi vinum defecisset dicturi eramus. Ad quos conversis in risum omnibus, & Rege cum aliis in gaudium resoluto, imputatis ebrietati cunctis, immunes relicti sunt illi tam ab accusatione quàm suspicione. Nullum enim misericordia magis & modestia quàm Principem decet. Unde & in jure humano sub Principis personâ scriptum est. "Si quis modestiæ nescius & pudicitiæ ignarus improbo petulantique maledicto nomina nostra lacescenda cre-

" diderit, ac temulentiâ turbulentus obtrectator nostrorum temporum fuerit;
" pœnæ nolumus subrogari, neque durum aliquid nec asperum sustinere; quo-
" niam si id ex levitate processit, contemnendum est; & si ex insaniâ, misera-
" tione dignissimum; si ab injuriâ, remittendum. Unde integris omnibus
" hoc ad nostram scientiam referatur; ut ex personis hominum dicta pense-
" mus; & utrùm prætermitti an rectè exquiri debeant censeamus". Item contigit aliquando Præsule Rogero apud Gloverniam in Monasterio S. Petri coram principali altari Missam celebrante, turrem Ecclesiæ amplam & altam vitio fundamenti subitò ad terram ipsâ confectionis horâ corruisse. Et cùm tantus fragor & tam terribilis tantusque terræmotus propinquè fuerit, quantus in finibus illis nunquam antea vel visus fuerat vel auditus; adeò ut vix Monachi perpauci in choro remansissent vix ministri ad altare stetissent, fugientibus ferè cunctis & latebras quærentibus, nihilque præter ruinam totius Ecclesiæ certissimam expectantibus; pius Pater raptus interim ad aram illam sublimem, totusque suspensus in altum, tanquam nihil omnino ex his audiisset, stetit intrepidus & immotus. Ad majorem etiam constantiæ virilis experientiam & expertæ gloriam, tantus illico pulvis & tam densus ex cœmate lapidibusque contritis Ecclesiam aliquandiu totam implevit; quòd nemo nedum videre vel oculos etiam aperire prævaluisset. Hoc etiam pro miraculo haberi potuit; quòd cùm multus sexûs utriusque populus ad audiendum Præsulis Missam convenisset, nemo tamen ex tantâ ruinâ ibi læsionem ullam incurrit. Cùm enim turris illa in ultimâ & occiduâ Ecclesiæ parte stetisset; omnes eâ horâ tam mulieres quàm mares versùs altare principale propter benedictionem principalem appropinquaverant; sicut piâ fuerat Salvatoris dispositione provisum. Hujus etenim diebus & Episcopatu in vico videlicet, cui nomen Straneweie, quasi miliaribus duobus à Monasterio de Winchelcumbe distante, cùm Presbyter parochialis, cui nomen Rogerus, vigiliâ Ascensionis celebraret; in prolatione istorum verborum *Qui pridie* & cætera, crux quædam Crucifixi vultum & imaginem præferens, major aliquantulum quàm portatilis, ligno quod post altare se in utrumque parietem extendebat cuneis firmiter infixa, se subitò evellens & in volatum erigens, acuto ligni capite, quod sub pede Crucifixi se porrigebat, quæ demissior prius extiterat parum supportata, parte inferiori præacutâ caput & coronam Presbyteri tetigit. Et cùm ad medium Presbyterii pervenisset; versùs altare se vertens retro ad terram cecidit cum magno fragore resupina, capite versùs introitum Presbyterii & pedibus ad altare porrectis. Celebratâ verò Missâ, Diaconus crucem elevans, eam in loco suo reposuit. Presbyter autem statim Episcopum adiens rei eventum aperuit. Ipse verò, ut plurimorum testimonio certius super hoc instrueretur, quosdam de suis ad Ecclesiam illam misit; quorum unus magister Sylvester dictus erat. Et inquisitâ veritate totius Parrochiæ testimonio hoc verum fuisse didicerunt. Testati sunt & Presbyter & Diaconus; quia tertiâ nocte post casum illum iterum cùm summo diluculo ad Ecclesiam venissent, crucem in eodem loco prostratam invenerunt. Quid autem hoc portendere debuerit, Deo quidem notum sed hominibus hactenus ignotum extitit; nisi fortè quia parum ante martyrium Beati Thomæ Cantuariensis Antistitis illud acciderat, tantam Christi Ecclesiæ tam imminentem contumeliam & Crucifixi injuriam crux illa sic volans miraculosè declaraverit. Hoc etiam de ipso notabile censui; quia cùm circiter annos viginti Ecclesiæ Wigornensi vel electus vel consecratus fœliciter præfuisset, nullos omnino redditus aut in terris aut ecclesiasticis beneficiis ulli consanguineorum suorum dedit. Thomæ Cantuariensis in hoc vestigia sequens, qui in tantâ sui tam Cancellariæ potestate quàm Metropolitanæ dignitatis sublimitate; non Syon ædificans in sanguinibus, i. e. Ecclesiam in consanguineis, illos solùm quos dignos reputabat in his præcipuè quæ Dei sunt beneficiare dignum duxit: Illud Hieronimi super Leviticum non ignorans: Multa

nos

nos facere cogit affectus; & dum corporum propinquitates respicimus, corporis & animæ creatorem offendimus; & illud Papæ Alexandri tertii: Filios Episcopis Dominus abstulit; nepotes verò Diabolus dedit.

Item hi duo soli inter Anglicanos Antistites, Exoniensis scilicet & Wigorniensis, tempore exilii Beati Thomæ gratiam ipsius obtinuerunt. Wigorniensis enim patri compatiens, spontaneum interim in regno Francorum urbe Turonensi, ubi & postmodum diem clausit extremum, exilium sustinuit. Qui nisi patre reconciliato priùs ac restituto, si multis etiam vixisset annis, repatriare non proposuit. Exoniensis quoque patrem ilico sequi parans, assensu ejusdem & voluntate potiùs in regno moram fecit; quatinus aulicorum & curialium impetum atque furorem in familiares ejusdem Clericos & cognatos, quoad posset, mitigaret, & ipsum etiam exulantem de facultatibus suis clandestinâ nonnunquam largitione sublevaret.

CAP. XXIX. De Baldewino Cisterciensi, & Hugone Cartusiensi.

Fuerunt autem in Angliâ non longè post horum tempora duo de Ordine Monastico, alter Cisterciensi, alter verò Cartusiensi, in Episcopos Rege procurante Wigorniensem qui & pòst Cantuariensis, & Lincolniensem assumpti. Alter Hugo Abbas fuerat Fordensis, & alter Prior Wittamensis. Circa extrema namque sui tempora Rex Henricus Secundus duorum Ordinum viris prædictorum ad redimendum vel sic famam suam, quia multos ante indignos episcopaverat, plùs opinionis amore & ostentationis, sicut videbatur, quàm devotionis, Sedes dare Cathedrales disposuerat. Fuerat autem his duobus, ut videbatur, bonitas propemodum & religio par, sed via virtutum valde dispar. Litteratus affatim erat uterque, sed alter litteratissimus. Ille sermone serus & parcus, hic verborum urbanitate facetus. Ille quasi subtristis semper & pavidus, hic quasi continuâ cordis hilaritate & mentis securitate jocundus. Ille Diogenes, hic Democritus. Ille ad iram sicut ferè ad omnia tardus & temperatus, hic autem facili satis occasione movendus. Ille lenis, hic asper. Ille tepidus, hic calidus. Ille remissus, hic rigidus. Unde & Papa Urbanus tertius Archiepiscopo quandoque scripsisse recolitur. *Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, Monacho ferventissimo, Abbati calido, Episcopo tepido, Archiepiscopo remisso salutem, & cætera.* Alexander autem Archidiaconus Bangornensis, vir sermone facetus & facundus, qui Beato Thomæ familiaris extiterat, dicere consueverat. Archiepiscopus Thomas ausus irasci fuerat ob injurias Ecclesiæ, & iram effectui per justitiæ rigorem mancipare; Ricardus autem illi succedens ad iras quidem & minas acerrimus, citra opus tamen omne vel ultionem, facile moveri solet, illius Ecclesiastici vel dissimulator vel immemor. *Noli citatus esse in linguâ tuâ, & inutilis ac remissus in operibus tuis.* Baldewinus autem tertius à Thoma ne dum operari, nunquam etiam vel semel irasci. Dicebat etiam, quia Thomas de equitatu ad villam veniens statim aulam petebat, Ricardus grangiam, Baldewinus Ecclesiam. Duo namque sequentes habitu religionem præferebant, quamquam diverso; Thomas actu, illi in ore; hic in opere; Illi in cucullis, hic medullis. Sicut enim sub Clerico Monachum occultavit, sic bona sua tam naturalia quàm gratuita, arrogantiam & apparentiam, supercilium atque superbiam per omnia vitans, nisi tunc solum cùm opus erat operibus opem & operam adhibere, modis omnibus celare curavit. Cùm autem Festo Beati Thomæ primo, quod apud Cantuariam publicè celebratum fuerat, biennio videlicet post martyrium jam elapso, cui & Deo dante intereram, multi Barones regni illuc piâ devotione confluxissent; in audientiâ communi cùm post prandium in cameram intrâssent, conquestus est Archiepiscopus de publicæ potestatis officialibus sibi & ministris suis contra Ecclesiæ dignitatem nimis præter solitum nuper injuriantibus; dicens & jurans, se nullatenus

latenus hæc passurum, manum quoque ad caput extendens, se prius hoc gladiis expositurum, quam hæc pateretur, cum juramento firmavit. Respondens autem vir nobilis & magnanimus, qui cum aliis advenerat, Hugo de Laci; Non oportet, inquit, O Archiepiscope, quòd caput ad hoc vel etiam pedem ponatis. Securè jus vestrum tueri & Ecclesiasticam justitiam exercere potestis. Tantum operatus est Deus pro Martyre sancto decessore vestro: quòd non inveniret Rex Ribaldum aliquem in terrâ suâ, etiam si vellet, qui ausus esset in vos manum extendere. Finitum est bellum; manu tenete si vultis quod Martyr evicit. Item cùm circa id ipsum temporis in præsentiâ Ricardi Wintoniensis Episcopi de miraculis quæ tunc creberrimè fiebant quidam colloquerentur; inquit Episcopus, qui quasi de persecutoribus Martyris unus extiterat; Multum decepti fuimus de homine illo per habitum illum & fastum, quem exteriùs ut videbatur præferebat; interiùs autem, sicut ex post facto patuit & quotidie patet, longè dissimilis. Et cùm dixisset quidam: Mirum autem, quod de articulis illis pro quibus Martyr occubuit, nullum Ecclesia prorsus obtinuit: Et Episcopus, qui plùs sensatus erat quàm litteratus, plus in sæcularibus actibus astutus quàm liberalibus artibus imbutus, sic respondit. Totum revera, quantum in ipso fuit, Martyr obtinuit; quia si successor ejus decimam partem bonitatis & probitatis ejus habuisset, nullum Ecclesia de articulis illis amisisset. Sed quod ille per strenuitatem eximiam tam laudabiliter acquisivit, iste per ignaviam peccatis urgentibus totum amisit.

Item cum Norvicensis Episcopus Johannes Comitem Willelmum de Arundel filium Willelmi propter terras ejus quasdam quas occupaverat apud Len... ..... excommunicâsset; & Comes in querimoniam suam Regi detulisset, Henrico secundo scilicet qui Laicorum semper contra Clerum fautor extiterat; ait Episcopo Rex in multorum audientiâ: parciùs agite vos Episcopi, parciùs contra Barones Regni; nec eos tam præcipitanter excommunicetis; quia si uni ex vobis bene inde accidit & ex tali fortè præsumptione successit, non omnibus hoc continget; nec omnes qui propter ausus temerarios interfici poterunt, statim ob hoc Martyres fient. Sed ecce quanta Martyris nostri gloria, cujus etiam ab autore facinoris ipso, sicut & antè à fautore, poterant laudis præconia non taceri. Ergo nec immerito laudari potuit tantus ab hoste decor. Sed hæc hactenus.

Baldewinus autem litterarum studiis à puerilibus annis affatim imbutus, & jugum Domini ab adolescentiâ portans, moribus & vitâ eminens in populo lucerna fuit. Unde & Archilevitæ, quem canonicè adeptus fuerat, cedens honorem & sponte deserens, mundique pompas altâ mente despiciens, Cisterciensis Ordinis habitum sacrâ cum devotione suscepit. Et quoniam moribus olim plusquàm Monachus extiterat; infra anni terminum Abbas effectus, & intra paucos postmodum annos in Episcopum, deinde in Archiepiscopum est sublimatus; tanquam super pauca fidelis inventus, & ob hoc supra multa constitutus. Cæterùm quoniam, ut ait Tullius, nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura expolivit; innatæ benignitatis mansuetudinem, quam privatus exercuerat, in potestate non exuens, tanquam baculo sustentans & non virgâ castigans, tanquam ubera dans matris & non verbera patris, remissionis in publico gravi cum scandalo notam incurrit. Adeò nempe lenitatis in ipso tepor ac torpor pastoralem penitus rigorem absumpsit; ut melior Monachus simplex quàm Abbas, melior Abbas quàm Episcopus, melior Episcopus quàm Archiepiscopus fuisse videretur. Sanè quum in Anglicanis finibus inter Regnum & Sacerdotium frequens esse solet altercatio & ferè continua, insulari tyrannide semper ingruente; tantò notabilior lenitatis hujus eminet excessus, quantò Beatum Thomam ejusdem sedis Antistitem pro Ecclesiæ libertate usque ad martyrii palmam dimicando nostris diebus constat gloriosiùs triumphâsse. Quod itaque Martyr insignis pravas regni con-

consuetudines in Ecclesia Dei pullulantes extirpando, multis priùs allegatis, demum caput allegando fœliciter evicit; hoc ille, cujus occulta quidem judicia sed nunquam injusta, per Martyris ejusdem primi successoris remissam liberalitatem ne dicam ignaviam, recidivo jam morbo redivivâque malitiâ, quod non absque dolore dicendum vel audiendum, in Ecclesiæ suæ damnum enorme perditum ire permisit. Quod utique secundi istius tempore contra obstinatam nequitiam non lenitate, non patientiâ dissimulandum, sed cum rigore potius & austeritate usque ad sanguinis etiam, si opus fuisset, effusionem denuo fuerat recuperandum. Unde cùm primus ille Martyris successor morbo decumberet, quo paulò pòst occubuit; noctu in somno vocem hanc terribilem cœlitus emissam audivit. *Dissipâsti Ecclesiam meam, & ego eradicabo te de terrâ.* Sed utinam de terrâ morientium & non viventium, de terrâ quam terimus non terrâ quam quærimus, de terrâ laboris & sudoris non de terra dulcoris & decoris.

Inter primos tamen Martyris successor hic secundus, auditâ Salvatoris & salutiferæ Crucis injuriâ nostris proh dolor diebus per Saladinum irrogatâ, cruce signatus in ejusdem obsequiis tam remotis finibus quàm propinquis prædicationis officium viriliter assumpsit. Et postmodum iter arripiens navigioque fungens, apud Marsiliam transcurso tandem pelagi profundo in portu Tyrensi incolumis applicuit; & inde ad exercitum nostrum Acaronem transivit. Ubi multos ex nostris inveniens & ferè cunctos Principum defectu in summâ desolatione jam positos & desperatione, alios quidem longâ expectatione fatigatos, alios fame & inopiâ graviter afflictos, quosdam verò aeris inclementiâ distemperatos, cùm singulos pro posse vinculo caritatis amplectens, sumptibus & impensis, verbis & vitæ meritis aliquandiu confirmasset; morbo letali correptus, infra paucos dies, ut erat diætæ tenuis & abstinentiæ grandis, usque ad spiritûs exhalationem afflictus, fidelis depositi custos commissumque à Domino fœnore cum multo talentum reddens, diem fœliciter in terrâ Sacrâ clausit extremum.

Ut autem ad Lincolniensem revertamur; & illud de ipso, quod quasi in signum aliquod & prognosticalis eventûs indicium absque dubio datum videtur, sub silentio quidem prætereundum non putavi. Eo namque die vel circiter illum proximo, quo apud Lincolniam primò susceptus fuit Episcopus Hugo & incathedratus, apud manerium ipsius quasi per octo miliaria ab urbe Lincolniensi distans juxta Stowam sylvis & stagnis delectabiliter obsitum, olor novus & nunquam ibi antea visus advolavit; qui infra paucos dies cignos, quos ibidem plures repperit, mole suæ magnitudinis omnes oppressit & interemit, uno tamen fœminei sexûs ad societatis solatium non fœcunditatis argumentum reservato. Erat enim tantò ferè cigno robustior, quantò cignus ansere major: Cigno tamen in omnibus & præcipuè in colore & candore simillimus; præter quantitatem etiam hoc distante, quòd tumorem in rostro atque nigredinem more cignorum non præferebat, quinimo locum eundem rostri planum croceoque decenter colore una cum capite & colli parte superiore distinctum habebat. Avis hæc autem regia & tam qualitate quàm quantitate conspicua in primo ad locum illum Præsulis adventu quasi sponte & absque difficultate domestica facta, ad ipsum in camerâ suâ propter admirationem est adducta; quæ statim à manu ipsius panem sumens & comedens, eique quàm familiariter adhærens, omnem sylvestrem interim ut videbatur exuta naturam, nec ejus attractus nec astantium undique turbarum & intuentium accessus sive tumultus abhorrebat. Consueverat etiam interdum, cùm ab Episcopo pascebatur, caput cum colli longitudine totâ in manicam ipsius largam & peramplam inque sinum interiorem avis extendere, ibique aliquandiu cum solicitudine quadam modò suo Domino congratulans atque præludens, tanquam aliquid quæritando mussitare.

Item

Item sicut asserebant ministri & custodes manerii, contra Præsulis adventum ad locum illum, cùm forte aliquandiu absens fuisset tribus diebus vel quatuor, solebat se solito alacrius avis agitare, volitando videlicet in amnis superficie & aquas alis verberando altaque voce clamando, interdum etiam à stagno exeundo, nunc ad aulam nunc etiam ad portam ulteriorem, tanquam advenienti Domino obviam pergens, magnis passibus deambulabat. Credibile satis est, quòd imminente apparatu & instante servorum frequentiâ majore atque discursu, cum subtiles sint & aereæ volucres naturâ, à quarum etiam gestibus pronostica temporum multa sumuntur; & ista forsan ex eâdem naturâ avis hæc perpendere potuit. Mirum hoc etiam, quòd nemini præterquam Episcopo soli se familiarem vel ex toto tractabilem exhibebat; quin potius astans Domino ab aliorum eundem accessu, sicut aliquoties cum admiratione conspexi, clamando alis & rostro minando voceque altisonâ juxta naturæ suæ modulum crocitando defendere solet, tanquam se propriam ejus esse demonstrans, eique solum signum fuisse transmissam manifestè declarans. Non enim mysterio carere potuit; quæ avis candida imminentis interitûs cantu nuncia viro innocenti pio ac puro mortisque minas, quia Sancti mortem habent in desiderio & vitam in patientiâ, nil formidanti divino tanquam oraculo destinata transmittitur. Quemadmodum enim avis ista candore spectabilis mortis discrimina docet non dolenda; & imminente letali articulo tanquam de necessitate virtutem faciens, funebria fata canendo contemnit: sic viri virtutum meritis candidati ab ærumnis hujus sæculi læti discedunt; solumque Deum fontem vivum sitientes, à corpore mortis hujus liberari dissolvique cupiunt & esse cum Christo. Absit autem, ut de nitore pennarum exteriore nigredineque carnis & corporis interiore misterium hîc quispiam assignare præsumat. Item & illud quoque, quòd viri sancti præelectionem quodammodo & pudicitiæ cælibisque vitæ præparationem insinuâsse videtur, similiter & notabile duxi. Hic enim, cùm juvenilibus annis Monachus effectus repugnantes carnis & spiritûs in se conflictus non absque molestiâ gravi sæpe pertulerit, tandem ei in visu vir angelicus apparuit; qui & forcipe, quem manu gestabat, statim virilia visus est illi resecuisse: fœlici quidem remedio eique divinitus indulto; quoniam ab illâ nunquam horâ, licèt Episcopus pòst creatus ad Anglicanæ copiæ superfluitates in ferventi ætate transplantatus fuisset, ullos carnalis illecebræ, vel quod majus miraculum erat, primorum vix motuum sensit insultus. Unde Augustinus: Cuicunque rationali creaturæ præstatur, ut peccare non possit: hoc non est naturæ propriæ, sed gratiæ.

Simile reperies in libro, qui *Paradisus* inscribitur, de Helia Monacho; qui cùm Monasterium immane magnis sumptibus construxisset, in quo Conventum ad trecentarum numerum fœminarum reclusisset, quibus & provisor erat & ordinator, juvenis adhuc existens, temptatus est subitò corporali desiderio voluptatis. Qui relicto statim Monasterio cùm per solitudines jam biduo jejunus errâsset, & crebras ad Dominum orationes fudisset, ut vel vitam ejus vel hanc temptationem eriperet; nocte in somnis visum est ei, quòd tres Angeli ipsum arripientes genitalia ipsius novaculâ præciderint, & ad regimen iterum fœminarum illarum eundem transmiserunt. Qui manè reversus, cùm XL. annorum tunc existens alios XL. in illarum frequentiâ & habitaculo proximo pòst vixerit annos; nunquam ultra in cor ipsius cogitatio talis ascendit.

Lincolniensis tamen, quem juxta primum in Episcopatu statum calidum diximus & rigidum, secum attendens & considerans, quia caput Ecclesiæ in terris languidum, & quòd nec parem haberet in regno de cujus vel societate solatium vel virtute vires sumeret, nec superiorem aliquem de cujus ad plenum posset autoritate fulciri, processu temporis patriæ paulatim morem genere; & quia turpis est omnis pars suo universo non congruens, Coepiscoporum cætui patientiâ

tientiâ pariter atque modestiâ se conformare satius & securius duxit. Unde & violento dominatui potiùs in plerisque per industriam cedere, quàm solus apertè obviando, seque suosque, quos in regni bonis jam radicaverat, in periculum dare saniori consilio prælegit. Quoniam, ut ait Rabanus super Tobiam, non debemus nos in pericula præcipitare vel Deum tentare, dum ratione possumus agere. Unde, [s] *Si persecuti vos fuerint in unâ civitate; fugite in aliam.* Et alibi, [t] *Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.* Et Paulus, [u] *In sporta dimissus* per murum; & Jesus fugit in Ægyptum,[x] *& erat ibi usque ad obitum Herodis.* Item in Tobia, [y] *Arguebant eum omnes proximi sui dicentes; Jam hujus rei causa interfici jussus es, & vix effugisti mortis imperium; & iterum sepelis mortuos. Sed Tobias plus timens Deum quàm Regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo suâ; & mediis noctibus sepeliebat ea.* Super quod Expositor: Ut nec ab humanitatis officio cessaret, nec etiam indiscretè Regem offenderet. Quòd enim potestati sit deferendum, habebatur ex Judith; Quæ cùm in faciem Holofernis intendisset, adoravit eum prosternens se super terram. Super quòd Expositor: Non perturbatione timoris, sed observatione ordinis. Unde [z] *subditi estote in omni timore Dominis*: &, [a] *Deum timete, Regem honorificate.* Præmittitur tamen hic & præfertur honori regio timor Domini. Et Apostolus: [b] *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Unde Helias Regem impium Achaz adorâsse legitur. Unde & Paulus apud Agrippam Regem & Sextum Præsidem causam suam agens verba mansueta protulit: Similiter & apud Holofernem Judith. Item in Ecclesiastico, [c] *Noli resistere contra faciem potentis; nec coneris contra ictum fluvii.* Si enim cum multitudine est dispensandum, juxta illud Augustini: Ubi non hujus aut illius hominis sed totius populi strages jacet, detrahendum est aliquid severitati; ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat: & cum illo quoque, qui sociam habet multitudinem, proculdubio est dispensandum. Illud tamen Ecclesiastici Expositor sic determinat. Obediendum est majoribus, si veritati concordant & justitiæ; nec aliter scilicet pro rectâ fide & verâ religione, in quibus est salus animæ, decertandum est. Unde & in Ecclesiastico subsequenter [d] *Pro justitiâ agonizare pro animâ tuâ; & usque ad mortem certa pro justitiâ: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Noli citatus esse in linguâ tuâ, & inutilis ac remissus in operibus tuis.* Hanc autem egregius Martyr noster Thomas sententiam sequens imo adimplens, nostris diebus pro justitiâ usque ad mortem martyriique coronam dimicavit; & Deus in conspectu populi totius inimicos ejus in brevi potenter expugnavit, ipsumque in cœlestibus egregiè remuneravit; ipse qui ait: [e] *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Item Origenes super Numeros: Non legimus antea quòd obtexerit nubes tabernaculum,& apparuerit majestas Domini, & receperit intra nubem Moysen & Aaron; nisi cùm populus in eos surrexit & lapidare voluit. Discamus ex his, quanta sit utilitas in perfectione Christianis, quomodo protegat eos Deus, & infundatur Spiritus Sanctus. Tunc enim maxime adest Domini gloria, cùm hominum sævitia concitatur: & tunc pacem habemus apud Deum, cùm ab hominibus propter justitiam expugnamur. [f] *Ubi enim abundat peccatum, superabundat & gratia.* Tamen ad diversa relata......... Lincolniensis igitur, si vero illo deliciarum orto florigeroque supernarum sedium campo, ubi juxta merita plerumque & præmia variantur & serta, purpuream roseamque coronam non obtinuerit; niveam saltem liliique candore venustatam, gratiâ desuper inspirante favorem, fœliciter assequatur. Sed quoniam infœlix operis summa est, quæ apponere finem nescit; Libellus vitam Sancti Remigii cum aliis quibusdam non incompetenter appositis succinctâ brevitate præstringens, sub hoc compendio terminetur.

Explicit.

[s] Matth. x. 23
[t] Joan. viii. 59.
[u] Act. ix. 25.
[x] Mat. ii. 15.
[y] Tob. ii. 8.
[z] Coloss. iii 21.
[a] 1 Pet. xi. 17.
[b] Rom. xiii. 3.
[c] Ecclus. iv. 32.
[d] Ecclus. iv. 33.
[e] Mat. v. 10.
[f] Rom. v. 20.

LIBER TERTIUS.

CAP. I. Transitus de signis ante Interdictum ad signa divinitus in ipso Interdicto data.

QUamquam autem huic operi & delicioso labori finem hîc ponere promiserimus; cùm tamen nihil honestum verè valeat aut debeat amicitiæ denegari, ad instantiam viri venerabilis Rogeri Decani Lincolniæ, & ea miracula, quibus nubiloso nihilominus Interdicti tempore divina bonitas, tanquam luculentam in tenebris lucernam accendens, Sanctum suum clarificari in terris voluit & magnificari, scolastico quoque digerere stilo cæterisque non incompetenter adjicere dignum duximus.

Ad implendam hanc paginam, Carmina bina ex Giraldi libro Epigrammatum descripsi.

Carmen Giraldi in laudem Innocentii III. cùm primò Romam advenit, emissum.

PAR jubar in terris stellæ mirantur, & ima
Sol novus irradiat, Sole stupente poli.
Urbis & orbis apex, animarum rector habenas
Hujus & hujus habens, Rex in utroque potens.
Imperiale decus & Cleri culmen adeptus:
Mitior ad Christum cuncta referre cupit.
Sicut Alexander, sic tempora nostra beavit
Tertius Innocuus, laudis honore pares.
Omnia cùm possit, qui præminet omnibus Innocentius, innocuus est tamen atque pius.
Ergo Petri navem rector non sorte sed arte,
Et vigil & validus protegit atque regit.
Concutitur, sed non quatitur, rectore sub isto.
Navigat in portu; navita Christus adest.

Carmen ejusdem, quando Curiæ Romanæ valedixit, emissum.

MIrum quæ Romæ modicos sententia Papæ
Non movet, hîc Regum sceptra movere potest!
Quæ minimos minimè censura coercet in urbe,
Sævit in orbe fremens, celsaque loca premens.
Cui malè sublatus Romæ non cederet hortus,
Nititur ad nutum flectere regna suum.

Giraldi Cambrensis EPISTOLA AD STEPHANUM LANGTON, Archiepiscopum Cantuariensem.

POstquam apud Gildefordiam dulci colloquio vestro nos ultimò refocillati plurimùm fuimus; in viâ versùs Cantuariam auribus nostris rumor insonuit, qui spiritum nostrum valde conturbavit & contristavit. Relationibus namque quasi plurium accepimus, vos circa Festum S. Michaelis proximò futurum versùs Curiam Romanam iter arrepturos, & incunctanter Apostolorum limina visitaturos; quatinus resignatâ dignitâte, quod absit, quâ præeminetis tam utiliter & præsidetis, anachoriticam solitudinem aut heremeticam, aut Cartusiensis etiam carceris austeritatem, vobis finaliter eligeretis. Verùm quia notum est satis, quòd ad Ecclesiam, cui fœlici regimine præesse noscimini; diutiùs male tractatam & tirannicis oppressionibus graviter afflictam, quatinus per vos demum vestramque prudentiam & inflexibilem pontificalis curæ diligentiam respirare possit, debitâque libertate gaudere, divinæ miserationis & dispositionis gratiâ vocati fuistis: nonne sic illam nunc tam subitò deserere, denuoque prostremæ desolationi dare: iterumque luporum dentibus gregem Anglicanum, quod Deus avertat, exponere; nonne magis acediæ vel etiam ignaviæ detestabilis, quàm bonæ prudentiæ vel laudabilis industriæ; quia revera non dextræ Excelsi factâ mutatione, signum foret evidentissimum? Nonne laborem tam utilem fugere, tantoque animarum lucro, per quod Prælatis egregiis centenarius fructus accrescit, duplexque corona, tam aurea sc. quàm aureola, pro communi commodo simul ac proprio fœliciter acquiritur, vitam ociosam, sibique solùm proficuam & non aliis, anteponere? Si quid enim in statu vestro quod vobis displiceat, quodve gloriam vestram & dignitatis apicem in aliquo minuat, nuper emersit; æquanimiter illud sustinendum; & donec aurâ flante purgaminis & prosperitatis, expulsis nubibus adversitatis & nebulis, dies illucescant sereniores, patientibus animis expectandum. Illud quoque poeticum ad mentem vestrum revocandum. *Quod malè fers, assuesce, feres: mala cuncta vetustas Lenit.* Et illud quoque moralis Philosophi. *Fors fiet, ut dies longa quandoque ebet et laxatum dolorem; siquidem malum ferè cunctis, finis de tempore venit.* Interim autem dum recens est anxietas, frigent fortè verba solantium; nec aures applicat consiliis & bonis, surdus ex multis injuriis animus. Unde Poeta:

Dum furor in cursu est; currenti cede furori.
Quis matrem nisi mentis inops in funere nati
Flere vetat? Non hoc illa monenda loco est.
Accedes meliùs, tunc cùm sua vulnera tangi
Jam sinet; & veris vocibus aptus eris.

Sanè si tam Clero Anglicano quàm populo gravamen indebitum & onus insolitum vestris sors inopina diebus adjecit; non hoc vestræ quidem innocentiæ, sed potiùs principis ignaviæ, & principali Curiæ oblatum honorem non recusanti, est imputandum. *Quod itaque sors fert, æquo*, ut ait Philosophus, *ferendum est animo.* Nulla nimirum in terris, ubi semper prosperis adversa, dulcibus amara miscentur, absoluta fœlicitas. Non enim viæ sed patriæ, non viatoribus sed perfunctoribus, & in aulâ cœlesti triumphatoribus, plenæ beatitudinis ex omni parte perfectionem ordinatio divina reservavit. Quamvis non habentes hìc stabilem fœlicitatem, solidam quoque prosperitatem aut mansionem permanentem, futuram totis nisibus inquiramus & æternam. Poterit quoque versibus his pentametris non incompetenter eadem sententia sic declarari.

Giraldum authorem habent isti versus, in libro Epigrammatum ipsius reperti.

Semper adest homini, quo pectoris ima gemiscat;
Ne possit plenâ prosperitate frui.
Gaudia nunc luctu, nunc mutat amara secundis,
Versans humanas sors inopina vices.
Sola venire solent, & vix, & serò, secunda.
Sed simul & subitò, & semper, amara fluunt.
Ergo ubi nil varium, nil vanum, nilve nocivum:
Sint ibi fixa tibi spes, amor, atque fides.

Novit enim ad unguem prudens & pia discretio vestra; utrum sint cariores Christo Prælati egregii, an Heremitæ solivagi, aut Anachoritæ conclusi. Illi namque regunt; isti reguntur. Illi pascunt; isti pascuntur. Sunt etiam isti respectu illorum, tanquam grex respectu pastorum. Illi nempe talenta commissa Domino cum fœnore multo restituunt; & lucrum animarum, pro quibus lucrandis animam suam posuit Christus, multum facere non desistunt. Isti verò quodammodo talentum commissum abscondunt; dum suæ saluti penè solùm intendunt. Illi tanquam grana tritici vera non paleæ, multum in horrea Domini fructum afferunt: Isti verè sicut solitarii sic & soli sine fructu multiplicando subsistunt. Nonne plùs igitur in excolendâ Christi vineâ, longéque plùs profecit Basilius Episcopus, quàm heremita Macharius? Nonne plùs etiam Papa Gregorius, Doctor eximius & Anglorum Apostolus, quàm vel heremitarum Paulus primus vel Anthonius; quanquam tamen uterque vitâ fuerit & sanctitate conspicuus? Licèt ergo securior existat, ut nôstis, multóque tranquillior vita contemplativa; longè tamen utilior, quia multos ad salutem perficit multumque lucrum Christo facit, ideoque longè strenuior & gloriosior, est activa. Non itaque gloriam vestram alii dare; nec opus & honorem Pontificalem tam bene & tam commodè, vobisque divinâ dipositione commissum, alii minùs ad hoc idoneo, Deoque minùs accepto, & minùs forsan in literis proficuo vel in commune bono, cedere velle præsumatis. Malè namque dolorem suum vindicat; qui recente dolore superaddito, tanquam vulnera vulneribus adjiciendo, priorem augmentat. Sed dignitate Metropoliticâ primâque regni Anglicani & primatiali cathedrâ vobis à Deo donatâ cum lucro animarum multo, tam ore quàm opere, tam verbis sc. quàm vitæ meritis faciendo, fructuque centesimo, sicut martiribus & virginibus, sic & Prælatis electis & bonis, indulto divinitus & approbato, finaliter atque fœliciter uti satagatis. Interque patronos Ecclesiæ vestræ gloriosissimos, tam Confessores sc. quàm Martirio coronatos, coronam per Dei gratiam similiter adepturus immarcescibilem, liliis nempe sive rosis

sis delectabiliter atque decenter ornatam, & non solùm vernis verùm etiam floribus & fructibus æternis inenarrabili tam decore quàm suavitatis odore consertam & venustatam, cum aliis virtuosissimis Ecclesiæ Dorobernicæ, quibus miro fulgore perradiat, gemmis & orbem illustrat, & vos eidem loco sanctissimo cui præsidetis, tam in morte quàm in vitâ preciosum & perpetuum præstare patrocinium non desistatis. Ad hæc etiam quatinus in epistolaris tanquàm calce sermonis, salvâ Monachorum pace, vestrâque potissimùm veniâ petitâ, pauca loquamur; quòd Monachus vester cubicularius pariter & commensalis, exteriore nigredine fucatus, & utinam non interiore contaminatus, nos cum Libro nostro vobis præsentato, tanquam scripto famoso, pravo judicio, quia sicut veritatis sic & caritatis expertissimo, dignos incendio multis audientibus asseveraverit; Necnon & librum eundem supercilio Pharisaico fastuque Dorobernico se propriis in ignem manibus missurum minis acerrimis oculisque torvis & verbis non minùs vultuosis quàm tumultuosis constanter affirmavit: Piæ paternitati vestræ preces porrigere dignum duximus; rogantes quatinus comminator ille, plus acerbitatis in se quàm humilitatis vel caritatis habens, dicti libri vestri & nostri, ne vel nostrum abradendo, vel suum nequiter inserendo, scripta corrumpat, copiam nullatenus habeat aut custodiam. Nichil enim, ut nostis, tam bene dictum aut scriptum est, quod non possit malignitas depravare, Veruntamen lectas ab alio libri sententias audire si velit, non prohibeatur; quatinus justas audiendo sibi similium correptiones, zelo revera rectitudinis ad corrigendum & non amaritudinis ad rodendum emissas, ipse corrigatur; aut si fortè incorrigibilis auditor inventus fuerit, tetro livore tabescat. Discat & hoc quoque, quod nondum didicisse videtur; quia scripta famosa dicuntur, quibus viri probi ac virtuosi pravâ falsâque delatione diffamantur. Cujusmodi delatoribus linguam capulandam aut caput amputandum lex Imperialis dignè decrevit. Non illa verò famosa reputanda sunt, sed veriùs officiosa; quæ causâ correctionis & emendationis amici vel proximi sunt emissa. De quibus & illud Ambrosianum audiatur elogium. Correptiones quidem in amicitiâ gratæ sunt; aculeos habent, dolores non habent. Unde Jeronimus. Multotiens bona parantur invitis; dum eorum potiùs utilitati consulitur quàm voluntati. Nam & qui freneticum ligat, & qui letargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Haud dissimiliter ad ægroti vulnera sanandum cirurgus accedit; & calibatâ manu nunc carnes putridas resecat, nunc vulnera ligat, & fomenta coaptat; nunc ossa incidit & separat; crudelisque simul ac clemens, non parcit medicus, ut parcat; & sævit, ut misereatur. Noscat igitur delator ille, quòd notum est satis; & supercilium Dorobernicum quandoque deponat; quasi plerique, quos adeò vicia sua delectant; quòd ea malunt finaliter atque pœnaliter occultari, quàm remediabili confessione propriâ vel correptione alienâ fœliciter atque salubriter propalari. Ut autem paulisper ad priora revertamur; & dicta delatoris nostri pleniùs adhuc retundamus; dentesque caninos tanquam marculo ferreo sive malleo confringamus: si dicta quælibet aut scripta mordacia, quanquam zelo caritatis & pietatis emissa, quoniam ingenua ingenia magis reverâ verba timent aspera quàm verba dura; propter quòd plerosque, quos non corrigit timor, emendat pudor; censet esse famosa: Epistolas quoque Pauli, quibus insensatos Galathas vocat, & quibus etiam masculos cum masculis & mulieres cum mulieribus turpitudinem agentes palam enarrat, ut corrigat; quoniam fas est interdum, ut materiæ verba sint cognata: scriptaque Jeronimi ferè cuncta caritativâ quidem & correctivâ reprehensione repleta, temerariâ censurâ condempnet; necnon

Vult Librum suum contra Ordines Monasticos, *Speculum Ecclesiæ* dictum.

necnon & verba Christi scriptaque, quibus Judæos ypochritas vocat, ut corrigat, dicens: [a] *Quid me tentatis ypocritæ?* & alibi de eisdem: [b] *Generatio prava signum quærit*, &c. Item & Archisinagogum, indignantem quòd paraliticum Sabbato curâsset, coram omnibus [c] *ypocritam* vocat; incendio digna, non minùs fatuo judicio quâm falso, confirmet. Nec mirum quòd sic decernit, qui sic cernit; sic quoque deliberat, qui ad oculum judicat. Utinam igitur illi, qui verba viciorum reprehensiva tantis detestantur nisibus & abhorrent, non minùs ipsa viciosa facinora tam publicis actibus quàm secretis abhorrerent. Valeat in Domino multis profutura per ævum, gregemque commissum nullatenus desertura, quinimo lupis rapacibus fiducialiter atque fortiter atque finaliter baculo pastoris vocibusque clamosis occursura, prudens & pia Paternitas vestra. *Explicit Epistola à Giraldo digesta.*

[a] Matth. xxii. 18.
[b] Mat. xvi. 4.
[c] Luc. xiii. 15.

Giraldi

Giraldi Cambrensis EPISTOLA AD Capitulum Herefordense de Libris à se Scriptis.

AD illos tutum habet accessum justa petitio, quorum non ignoratur discretio pariter & eruditio. Rogo itaque, quatinus librum nostrum, sc. *Ecclesiæ Speculum*, Beato [d] Æthelberto anno jam ferè præterito datum, mihi per hunc Clericum præsentium latorem, ad corrigendum adhuc pleniùs & utilia quædam locis competentibus adjiciendum, remittere velitis. Memorialem autem interim vobis *Topographiam Hybernicam*, & *Vaticinalem Hybernicæ expugnationis Historiam*, Opera duo sc. & diversa, sed uno volumine conserta, per eundem destinavi; quem cùm melioratum susceperitis, quod in proximo fiet, & emendatum; alium, si placet, remittetis. Peto similiter & illud, quatinus in *Topographiâ* nunc missâ, in Distinctione primâ, quasi juxta principia, tractatum de avibus earumque naturis in allegoriis etiam adaptatis, percurrere legendo non postponatis. Pretium namque laboris & præmium fore michi noveritis; quotiens eruditis oculis aut auribus se fortè subjicere scripta mea contigerit. Nosse vos enim pro certo volui; quòd transactis annorum curriculis triginta vel pluribus, cùm circiter editionem dictæ Topographiæ primam & libri recitationem in puplicâ Cleri audientiâ per triduum solempniter Oxoniæ factam, cùm Archiepiscopus Cantuariensis Baldewinus, vir quidem valdè litteratus & in Sacris Scripturis affatim eruditus, dictum de avibus earumque naturis & allegoriis assignatis tractatum coram se lectum quandoque relectumque diligenter audisset; quæsivit, utrùm evidentiam aliquam ad allegorias illas sic assignandum ab agiographis & expositoribus nostris habuissem: Cùmque responsum accepisset, quod reverâ penitus nullam, nisi quod solum gratia divina concessit; subjecit vir ille bonus atque benignus: Nec mirum, quia certe eodem spiritu, quo & ipsi. Scire vos etiam & hoc cupio, quoniam juvenili tempore, cùm per lustra ferè sex artibus indulserim trivialibus, quibus præcipuè studiis vehementer animum applicueram, Parisiisque tum propter exercitium, tum propter etiam rationis humanæ utilitatem, Scolas aliquamdiu puplicè rexerim; tandem maturiori consilio Magistrorum limina Theologicorum auditor & amator avidus per triennium integrum & ampliùs terere cœpi nec cessavi; & super artium ac litteraturæ fundamenta superædificare stabiliter per Dei gratiam tam Theologicam quàm canonicas statui disciplinas. Egressus itaque tenore sub isto de scolarum tunc gignasio, demum reversus in Patriam, sciensque quoniam juxta Philosophi sententiam, Animus si remittitur, amittitur; ne fortè quiete torpescerem aut desidiâ, dictam Hiberniæ Topographiam cum abditis suis & archanis, aliisque regnis per orbem universis, valde diversis & prorsus alienis, opus ab alio non attemptatum, ad tractandum aggressus fui. Postmodum autem aliquot annis evolutis theologica repetens studia, per quinquennium spacium & ultra litteris sacris animum incunctanter & incessanter applicui. Præter hæc etiam non minùs in hospitiis alibi, quàm scolarum

[d] Sc. Ecclesiæ Herefordensi.

ſcolarum exercitiis ociiſque literalibus, quoniam ut ait Philoſophus, Ocium ſine literis mors eſt, & tanquam hominis vivi ſepultura; tàm luculentis ſtudiis diurnis, quàm lucubrationibus quoque nocturnis, ſtudioſum continuare laborem, & mentis aciem vel legendo vel ſcribendo jugiter exercere conſtitui. Conſideret itaque ratio provida menſque diſcreta; cùm vir ille tam eruditione quàm dignitatis honore præditus & præclarus, primos labores noſtros, & quaſi præludia quædam ad experiendum ingenii vires & exercendum attemptata, tantâ commendatione digna cenſuerit; ut dictum eſt ſupra: utrùm commendari debeant & digne laudari, quæ provectior ætas & eruditior emiſerit; an malicioſo lividorum judicio reprobari? Illud quoque palàm & in propatulo cunctis eſſe deſidero; qualiter vir ille magnus & meritò magnificandus completâ Legatione ſuâ tam devotâ per horridos & hiſpidos Walliæ fines in Crucis obſequium & Crucifixi negotium, quia tunc ſortè cùm dictæ Topographiæ ſibi preſentatæ lectio, quam libenter audiebat, à nobis coram ipſo cotidie facta completa ſimiliter erat; ſermonem ad me dirigens, & os ſacrum in verba reſolvens, ait: Opus tuum, Archidiacone, quòd jam perlectum audivimus; quoniam uniformiter tam verborum floſculis quàm ſententiarum medullis adeò convenienter & competenter cunctis ex partibus exornatur; quòd nec primum medio, medium nec diſcrepet imo; dignum commendatione plurimâ judicamus. Gratiamque ſtili talem tibi collatam à Domino, quam plùs opibus cunctis terrenis & tranſitoriis proculdubio diligere debes & approbare, nullo vacare tempore ſinas aut permittas; tibique in fide conſulimus, & tanquam noſtræ prælationis officio firmiter injungimus; quatinus litterati ingenii tui gloriam, gratiamque ſtili tam egregii deſuper datam, in aliquo literali ſtudio, quod multis in poſterum proficere queat, ſemper exerceas, & in caritatis opere tali vitalia complere tempora non deſiſtas. Propter hæc igitur monita, quinnimo præcepta, quibus obedire neceſſe fuit, animum antea ſtudiis obnoxium longè propenſiùs ſolito curis litteralibus applicare dignum duxi. Adeò quidem ut veluti modum in hiis atque modeſtiam omnem minùs ſervantem non ſolùm æmuli, verùm etiam amici nonnulli, tanquam me ſenem penitus infatuatum reputaverunt ac delirum, ſæcularibus negotiis minùs intentum, & in hiis quæ mundi ſunt promotum longè ſegniùs & ſublimatum. Verumptamen ut dicti Prælati tanti monitis adquieſcam, & præceptis obediam; & cùm præſentibus propter invidiam placere non valeam, ſaltem poſteritatis favorem & gratiam, ſi litteraturæ decus quandoque reſurgat, niſibus totis michi perquiram; dictas contumelias & convicia pati ſatis tolerabile duxi. Quinimo non propter applauſum in futuro laudis humanæ, quod vanitati reverâ ſubjacet apertæ, ſed propter ſpem potiùs retributionis æternæ, quia literalia ſtudia, quibus adeò perſeveranter mens intenta, multos in poſterum ædificare per Dei gratiam & informare valebunt, dictas ſuſtinere contumelias & obprobria valdè concupiſcibile judicavi. Porrò quatinùs ad priora revertamur, poſt commendationem dicti libelli tantam ab Archiepiſcopo Cantuarienſi factam, duas commendationes ejuſdem à duobus viris litteratiſſimis, Waltero Mapo ſc. Oxonienſi Archidiacono, & Magiſtro Roberto de Bello-foco, Salesburienſis Eccleſiæ Canonico, ſimiliter emiſſas, & hîc apponere præter rem non putavi. Lecto namque libello primùm eodem ab Archidiacono, ſicut & aliis quibuſdam de juvenilibus laboribus noſtris, quos libenter audiebat & inſpiciebat, ait: Et ſi fortè ſcripta Giraldi non propter aliud digna commendatione fuiſſent, niſi propter proœmia ſola tam egregia; dicerem ea proculdubio laude non indigna. Eoque dicto rogavit, quatinus *Libellum de proœmiis operum noſtrorum* variis in unum conſertis ei donarem. Sed cùm alii vel antea vel pòſt ſimiliter efflagitaverant, quidam metrica carmina mea juvenilis ætatis, quidam Epiſtolas & dictamina ad varias perſonas variis temporibus deſtinata: nonnulli quoque rethoricas orationes perſuaſibiles per opuſcula noſtra varia diſperſas, quibus movebantur

movebantur, in unum congestas; & magnorum quoque virorum descriptiunculas congruè & competenter adaptatas, de dono nostro mero sibi largiri postulabant. Verùm quia laborem honestum fugere non consuevi; quatinus uno beneficio quanquam laborioso singulis petitionibus illis omnibus plenè & habunde satisfacerem; de *Dictis quaptuor* per totidem distinctas particulas artificiosè consertas, sicut delectabile sic & opus non inutile compaginare curavi. Ut tanquam pluribus ex ortulis & pictis arvorum pratis mens studiosa præcipuos eligere flosculos tam salutiferos quàm odoriferos queat; & quasi marinas inter harenas, aliquas fortè virtuosas valeat gemmas excerpere. Et ut etiam dicti Canonici Salesburiensis præmissa commendatio non prætermittatur: sciendum quòd dicta Topographia postquam apud Oxoniam solempniter recitata per triduum fuerat, per varia loca se diffudit, & ad manus dicti Canonici litteralibus in studiis laudatissimi fortè devenit. Quem cùm legeret & relegeret, satiarique legendo seu fatigari vix valeret; quæsivit tandem ab eo familiaris quidam Clericus ejus & commensalis; quid in illo libello dignum lectione suâ tam continuâ tamque libenter & totiens repetitâ tunc reperiret; qui sacris Scripturis, tam arduis atque subtilibus studiis assiduis animum applicare solebat. Cui respondens statim ait, & assertivè proposuit; quòd ideo librum illum inspectione tam affectuosâ, nec fastidiosâ, dignum judicabat; quia si viginti Clerici litteratiores & laudabiliores totius Angliæ, ubi tot sunt boni, super eâdem materiâ sibi commissâ per triennale spatium, quo completum est istud, communi labore studioque continuo tam eximium opus emisissent; dicerem ipsos præconali laude dignissimos. Præscriptis etiam adjicere curavi; quòd ante monita viri sancti tam salubria ex propriæ motu industriæ, juvenili conamine scripta nonnulla compegeram, animis reverâ studiis litteralibus addictis non inutilia. In primis videlicet *Cronographiam metricam, & Mundi nascentis descriptiunculam.* Et *Cosmographiam* Pentametris versibus exornatam. Deinde *Topographiam Hybernicam*; & *Vaticinalem* postea regionis ejusdem *expugnationis Hystoriam.* Item & laboriosum per hispida & inæqualia Walliæ loca postmodum *Itynerarium*; & succinctam *Kambriæ descriptionem*, gentisque Britannicæ naturam expressam & proprietatem ab aliis nationibus longè diversam & prorsus alienam, studiosis absque dubio mentibus opus commodum & compendiosum. Item *Symbolum Electorum*, & *librum de Invectionibus* intitulatum, ad præmissas injurias multas vice talionis animo vindice nec inimico responsalem. Item *Speculum duorum commonitorium ac consolatorium*; & quod sola peperit indignatio, cum *Epistolis* paucis ad injurias illatas respondentibus ac remordentibus, quasi querulum carmen emissum. Item librum *de Promotionibus & Persecutionibus Gaufridi Eboracensis Archiepiscopi*; quòd nec incunabulis aut celsitudine generis, nec in divitiis aut fortunæ blandiciis spes ponenda, exemplum præbendo. Item ad natale solum pleniùs illustrandum, ingeniumque variis exercendum studiis & exacuendum, otiumque per omnia desidiosum fugiendum attentiùs atque cavendum; expressam *Kambriæ totius Mappam*; cum montanis arduis & silvis horridis, aquis & fluviis & castellis electis, Cathedralibus etiam Ecclesiis & Monasteriis multis, maximéque Cisterciensis Ordinis, copiosâ pariter & artificiosâ sumptuositate constructis, arto folio, strictoque valdè locello & spatio brevissimo, distinctè tamen & apertè declaravi. Post monita verò suscepta, grata plurimùm & accepta, maturioribus studiis atque majoribus animum applicando; librum *de Principis Instructione*, multis auctoritatibus tam Philosophicis quàm Theologicis per exempla pariter &

præcepta studioso labore compaginatum, longisque lucubrationibus elaboratum, edere curavi. Item & *Gemmam Ecclesiasticam* subsequenter, de sacramentis ecclesiasticis saluti animarum pernecessariis, necnon & de Clericali continentiâ, conversationem honestam per capitula plurima & tam exempla congrua quàm præcepta doctrinaliter insinuantia. Item de Monasticis Ordinibus & Ecclesiasticis Religionibus variis, Librum inter labores grandes ferè postremum continuoque triennali studio laboriosiùs editum; cui *Speculum Ecclesiæ* tytulus non incongruè nomen imposuit; quia quæ vitanda fuerint, & quæ propensiùs imitanda, quasi speculo dilucido discerni in eo poterunt & perpendi; cum gratiâ bonorum & dilectione, odio verò malorum & indignatione, digessi. Item & *Dyalogum*, *librumque de gestis Giraldi* laboriosissimis, Menevensi Ecclesiæ futuris fortè diebus pernecessarios. Ex quibus nimirum, etsi conferri non possit de casu præterito medela, plurima tamen elici poterit de futuro cautela. Ad hæc etiam præter dicta maturioris & provectioris ætatis conamina, minora quædam nec inutilia, quæ mixtim & alternatim, prout res exigebat, tam Epistolaria stilo prosaico varia, quàm metrica quoque compegi carmina. Ad magnorum quoque virorum & auctenticorum instantiam plurimam, legendas Sanctorum Vitas emisi. *Vitam* videlicet *Sancti Aedelberti*, Martiris Herefordensis egregii. *Vitam Sancti David*, Menevensis Archiepiscopi. *Vitam* quoque *Sancti Karadoci*, loci ejusdem Heremitæ nobilis & Presbyteri. Item *Vitam Sancti Remigii*, Lincolniensis Episcopi primi. *Vitamque* similiter *Sancti Hugonis*, Sedis ejusdem Episcopi, de Cartusiensis Ordinis carcere fœliciter assumpti. Verùm ne parvipendantur hæc Opuscula minora, si interdum emergant inter majora; sciendum quia signa sunt hæc saltem & argumenta certissima; quòd mens, quæ non minora passim loco & tempore recusat opera, sicut nec majora, meritò censeri debet laude non indigna. Beatus Ambrosius eodem stilo studioque, quo sacras Scripturas tam arduas exposuit & explanavit, Vitam quoque Sanctæ Agnetis Virginis & Martiris explicare dignum duxit. Sanctus quoque Bernardus Clarewallensis Vitam Sancti Malachiæ Præsulis Hyberniensis solitâ stili sui elegentiâ tractare curavit; eique super altare Clarevallensis Ecclesiæ principale, à latere sc. orientali, sepulturam fieri fecit; cui & corpus suum proprium non longè pòst simili structurâ lapideâ decenter adjungi procuravit. Adjiciendum hoc etiam, & notâ non indignum arbitror; quòd tam Origenes, quàm Jeronimus, & Augustinus, quamquam in sacris Scripturis transferendis pariter & exponendis tam utili labore desudaverint; historias tamen temporis sui plurimas, tam ecclesiasticas sc. quàm & alias quoque memoratu dignas, tractare non omiserunt: Libros etiam Epistolares egregios suis temporibus, qui adhuc extant & multos informant, emiserunt. Lucas etiam Evangelista, postquam Evangelium ediderat, Actus Apostolorum & tanquam Itinerarium eorum dilucidè pertractando declaravit. Sic & non solùm Evangelia, verùm etiam Epistolaria scripta, salutiferæ fidelium doctrinæ, necnon & Apocalypsis visione propheticâ in inspiratione divinâ, curis Apostolorum & studiis emanârunt. Quædam igitur oportet facere, veluti sacris utriusque Instrumenti paginis, præsertim autem medullis evangelicis, principaliter atque finaliter nisibus totis attentiùs invigilare. Et alia tamen, sicut prælibavimus, tam epistolaria, cùm res exegerit, quàm cætera cuncta quoque variis ex causis pernecessaria, nullatenus omittere. Quanquam medullæ carnium interiores, cùm ossibus effractis eliciuntur, dulciùs sapiant, & fortiùs enutriant; carnes tamen exteriores sumptæ similiter & consumptæ tam ad usum quàm ad esum necessariæ, non inutiles esse reputari

putari debent. Ad historicorum namque commendationem Moralis iste Philosophus, Seneca sc. historiæ descriptionem talem non inelegantem emisit. *Historia est antiquitatis auctoritas, testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis.* Sciant itaque lividi nostri; quòd non vitam hactenus vel desidiosàm duxi vel otiosam; nec ullo tempore per Dei gratiam, dum superesse valuero, ducam. Unde secùrè me senem fatuum atque delirum æmuli vocent, rodant, & lacerent, & latrare non cessent. Ego juxta viri Sancti totiens dicti monita præceptaque salubria, gratiam stili desuper datam vacuam Deo dante non relinquam: propter quòd in litteralibus studiis, & tam Theologicis quàm Philosophicis & Historicis, variis vicibus, sicut hactenus feci & consuevi, studiosum animum indesinenter exercens. non solùm in hiis ad posterorum eruditionem zelo caritatis maximo diuciùs immorari, verùm etiam mori, in talem quoque spiritum, cùm hora super venerit, exalare, desiderabile duxi. Periculosum tamen est hodie, sicut & olim, & calumniosis æmulorum undique depravationibus expositum, scribentis maximéque nova cudentis, officium. Unde moralis ille Philosophus egregius, Seneca: *Lividi Lectoris malitia dictionem sanam & insanam pari revolvit appetitu; non ampliùs concupiscens electa quæ laudet; quàm despecta, quæ rideat.* Item & Poeta.

Discit enim citiùs, meminitque libentiùs illud,
Quod quis deridet, quàm quod probet & veneratur.

Sanè quum duplex esse constat doctrinæ genus: aliud enim linguæ labiorumque labore cathedraliter emissum, auribus se applicat auditorum: aliud mentis manúsque ministerio, studio videlicet stilique vicissim & calami officio, litterarum nexibus coagulatum, oculis se subjicit inspectorum. Ideoque postremum hoc, tum propter dicta viri Sancti monita, quibus resisti ullatenus non decuit nec debuit, tum etiam quoniam istud utilius & diuturnius, quia communius & longævius, mihi doctrinæ genus elegi. Vox enim emittitur, & verba pertranseunt: scriptum verò semel editum & approbatum tenaci longævitate transmittitur ad posteros, & notariorum operâ successivâ renovatione perpetuatur. Unde cùm Origenes & Jeronimus cæterique Agiographi nostri & Doctores ecclesiastici multùm Christi sponsam modis utrisque, longè plùs tamen libris quàm linguis, litterisque quàm labiis, ipsam illustrârunt. Nam Patribus nostris, Ecclesiæque rectoribus atque Doctoribus, nisi tanta studendi scribendique cura fuisset, conceptumque corde thesaurum in scripta redactum posteris præsentandi; in quo nunc Ecclesiâ vel metricè psalleret vel melicè jubilaret? in quo vel Scismaticis resisteret, vel Hæreticis aut etiam inimicis crucis Christi plenè & perfectè responderet? Item nisi auctores linguæque Latinæ moderatores tantâ diligentiâ studiis scriptisque suis orbem universum illustrâssent; professionis hodie litteratoriæ tam celebri frequentiâ vulgi per ora quid volitaret? Aut etiam quid haberet quod legeret tereretque viritim puplicus usus? Sicut in proœmio *Gemmæ* nostræ *Ecclesiasticæ* primo pleniùs super hiis disputatur. Virilis igitur est animi, mentisque à naturâ bene dispositæ & industriæ claræ; ut quemadmodum à patribus atque prioribus nostris affatim omnes accepimus; sic & nos jam decessorum nostrorum sicut & præsentium quasi & posterorum quoque studiis aliquid adjiciamus: & saltem cum Viduâ evangelicâ in Gazophylacium Domini duo minuta mittamus: Quatinus tam rectè vivendo quàm rectè scribendo, nostram memoriam longis in ævum spatiis extendamus. Et quod satius

est longéque sanius atque salubrius, plùs per opera bona quàm per opuscula vana, præsertim si plausûs popularis aucupativa fuerint & appetitiva, de luctu in lucem, de viâ in patriam, de morte in vitam doloris ignaram & finis nesciam, fœlici mutatione gratiæque supernæ benigno favore transferamur. Habeat igitur in studiis librisque nostris, multis absque dubio lucubrationibus ad posterorum utilitatem elaboratis; quatinus æmulis nostris ylia rumpantur, & præsens tempus quod laceret, & posteritas quod laudet. Habeat hoc quod lædat, illa quod legat. Habeat hoc quod dampnet, illa quod amet. Habeat hoc quod reprobet, illa quod probet. Valeat in Domino cara nobis Fraternitas vestra.

In canes & æmulos suos morem Jeronimo Giraldus gerens ad renovata convitia iteratâ responsione remordet.

Elegi rudibus Elegis non carmine plecto
 Versibus insipidis suppeditare vices.
Rodere Giraldum qui tentas dente canino,
 Latras non mordes, velle nocere doces.
Corriperis, sed te non corrigis; immo medentis
 Et tua curantis vulnera spernis opem.
Non detractoris vicio sed commonitoris
 Officio condi carmina nostra scias.
Livide delator, tua fundis toxica; sed dum
 Quæris obesse mihi, plùs tibi livor obest.
Zelo consimili vitiis virtute rebellem
 Jeronimum rodas, atra venena vomens.
Temporis ille sui quòd mores arguit; exul
 Pulsus ab urbe fuit, regna remota petens.
Si potes, ostendas Giraldum Jeronimumve
 Falsigraphum; veris aut adhibeto fidem.
Et potiùs mores emendes; inque monentem
 Pleniùs ut sapias, ne maledicta feras.
Evome quicquid habes; quòd te tua putrida tabes
 Torquet, nec propriæ verba salutis ames.
O mendice miser, Monachari qui properâsti,
 Ut ventrem pascas, pabula mentis ama.
Æmule detractor, quòd pergis dicere quæ vis,
 Audis quod non vis: ergo quiesce, sile.

Giraldi

Giraldi Cambrensis

Catalogus brevior Librorum suorum.

Sequitur de Catalogo & numero Librorum à Giraldo compositorum.

OCcurit hîc igitur in primis tempore tenerior *Cronographia* nostra, & *Mundi Cosmographia*, annis adolescentiæ versibus Hexametris Pentametrisque metricè composita; plùs Philosophicum quàm Theologicum nonnullis in locis dogma secuta.

Item *Topographia Hybernica*, liber sc. de situ terræ illius & mirabilibus ejusdem multis exaratus, apud Oxoniam per tres dies continuos in publicâ Cleri audientiâ recitatus.

Item Liber *de Expugnatione Hyberniæ*, & hac ultimâ Insulæ illius per Anglos subactione.

Item Liber *de Legendis Sanctorum*, Vita sc. *S. Davidis* Menevensis Archiepiscopi, Vita *S. Caradoci* nobilis loci ejusdem Confessoris, Vita *S. Ethelberti* Martyris Herefordensis egregii, Vita *S. Remigii* Lincolniensis Episcopi primi, Vita *S. Hugonis* quinti post Remigium loci ejusdem Antistitis.

Item Liber *de promotionibus & persecutionibus Gaufredi Eboracensis Archiepiscopi*; quòd nec in cunabulis aut celsitudine generis nec in divitiis aut fortunæ blanditiis spes ponenda, exemplum præbens. Et quoniam non sub certi Auctoris nomine liber editus est, meritò dicitur Apocriphus.

Item *Symbolum Electorum*, ad varia complendum diversorum desideria, sicut ex Proœmio libri ejusdem patet, compaginatum.

Item *Liber Invectionum*, Romæ in Giraldum acriter inchoatus, & ibidem ab ipso, Papâ monente, in pleno Consistorio ad injurias respondente & objecta crimina non incompetenter evacuante pariter & refundente, necnon & utilia quædam adjiciente consummatus.

Item *Speculum duorum Commonitorium & Consolatorium*, & quod sola peperit indignatio, cum *Epistolis* paucis ad injurias illatas respondentibus ac remordentibus, quasi querulum carmen emissum.

Item Liber de Cleri Ecclesiastici circa Sacramenta majora magisque necessaria instructione & persuasibili valde per exempla pariter & præcepta ad vitæ honestatem inductione; Cui *Gemma Ecclesiastica* titulus nomen imposuit.

Item *Itinerarium Giraldi*, & laboriosa Baldwini Cantuariensis Archiepiscopi Legatio, devotaque per Walliam in Crucis obsequium prædicatio.

Item *Kambriæ Topographia* & tam terræ quàm morum gentis illius brevis & compendiosa descriptio. Cujus in fine satis succinctus ac dilucidus tam *Retractationum Tractatus*, quàm *Librorum nostrorum Catalogus* non incompetenter est appositus.

Item circiter id ipsum temporis, quo *Kambriæ Descriptionem* stilo perstrinximus, *Mappam* ejusdem expressam, quatenus & natale solum non tantùm literis verùm etiam protractionibus quibusdam & quasi picturis variis nec incompetentibus aut indecentibus nostrâ foret ad unguem operâ declaratum, breve in loculo

culo arctoque folio loca quamplurima complectentes, eademque tamen dilucidè satis & distinctè disponentes, non absque studioso labore propalavimus.

Item Liber *de Fidei fructu Fideique defectu*; quanta ferventem præmia, quanta frigentem supplicia manent, succinctâ brevitate declarans; labor sc. diligenti Lectori non inutilis.

Item Liber *de Principis instructione*, toties promissus; ferè inter primos inchoatus, inter ultimos autem propalatus, diu nimiùm clausus & sopitus, quando tutè prodire posset plurimis annorum curriculis tempus exspectans; liberaliter quidem & non lividè legenti labor suâ quoque laude non indignus.

Item Liber *de Gestis Giraldi* laboriosis Menevensis Ecclesiæ, de cujus dignitate multa complectitur; quanquam ad præterita minimè medelam, magnam tamen ad futura cautelam præstans. Labor non infructuosus; ubi perpendi evidentissimè poterit, quòd Ecclesia militans per surreptiones varias, instrumentorum ac testium falsitates, plerumque decipitur aut corrumpitur; triumphans verò non irridetur. Et quòd non semper ad merita æquè respondent in terris præmia; vel cæcâ in incertum aberrante, ut solet, & exorbitante fortunâ, vel certè benigniore clementiâ juxta cordis desideria, si piè, purè, legitiméque certatum fuerit, ad æternam fælicitatem coronâ repositâ & mercede servatâ.

Giraldi

Giraldi Cambrensis

LIBER SECUNDUS

De Descriptione Walliæ,

SEU

Liber de Illaudabilibus WALLIÆ.

QUoniam in priori Libro gentis Britannicæ naturam, mores & modos satis evidenter explicuimus, eaque præcipuè quæ virtuti consona & in unum collecta ad laudem ejus & honorem verè poterant explanari; de cætero competens ordo deposcit, ut in sequenti Operis partitione more historico ad ea quoque quæ virtutis & laudis lineam egredi videntur, calamum vertamus. Impetratâ tamen veritatis explicandæ veniâ, citra quam omnis Historia non solùm authoritatem sed & meritò nomen Historiæ demeretur. Naturam enimvero imitari arte professus, autoritatem Pictor amittit; si diligentiùs apta dum protrahit, minùs idonea verecundè prætermittit. Unde etiam quoniam vitiis sine nemo nascitur, Optimus ille est qui minimis urgetur; nichil humanum à se alienum sapiens putet. Semper enim mundanis in rebus quasi nulla sub cœlo perfecta fælicitas, & mala sunt vicina bonis, & vitia virtutibus distinguuntur. Sicut ergo sive naturæ sive industriæ bona mentem bene compositam audita delectant; sic recitata bonis contraria non offendant. Corrumpi nimirum ex longo exilio & paupertate pejoresque ad usus gentis hujus natura perverti potuit. Sicut enim multa paupertas extinguere vitia solet; sic nonnulla interdum ex eâdem contraria virtutibus adolescunt.

CAP. I. De Inconstantiâ Gentis hujus & instabilitate, fidei quoque Sacramentique reverentiâ nullâ.

GEns igitur hæc gens [a] tenuissimæ fidei; nec minus animo levis quàm corpore. Gens ad facinus quodlibet sicut facillimè impellitur; sic à proposito seu jam incœpto eâdem facilitate revocatur. Gens in omni quidem mobilis actione, semper tamen in malo pertinacior; nullius nempe rei præter inconstantiæ solius constantiam habens. Nullum eis jusjurandum, nulla fidei, nulla veritatis reverentia. Adeò namque fidei fœdus aliis inviolabile gentibus parvipendere solent; ut non in seriis solùm & necessariis, verùm in ludicris omnique ferè firmando verbo dextræ manûs, ut mos est, porrectione signo usuali dato fidem gratis effundere consueverint. Præterea quicquid commodi, quicquid temporalis emolumenti sacramenti transgressione provenire potest, passim perjurio parant; adeò quidem ut in causis [b] foroque civili tam excipiendo quàm explicando, puta quicquid ad præsens expedire videtur, jurare parati, pars utraque semper agere semper probare nitatur. Quanquam tamen venerandæ leges, ubi sacramenta sacra putantur, ubi reverentia veris & honor exhibetur

[a] Tenerrima Cod. Cotton.

[b] Tam Ecclesiasticis quàm forensibus, nunc excipiendo nunc replicando. Cod. Cotton.

hibetur honestis, in rei favorem & odium actoris probationem actori tanquam onus imponant; porro populo versuto & versipelli jugum hoc suave & onus leve videtur.

CAP. II. Quòd de rapto vivunt; & pacis amicitiæque fœdera non custodiunt.

AD hæc etiam rapinis insistere raptoque vivere furto & latrocinio, non solùm ad exteros & hostiles populos verùm etiam inter se proprium habent. Pacis quoque & amicitiæ fœdera visâ nocendi opportunitate non respiciunt; fidei sacramentique religionem turpi lucro postponentes. Quod & Gildas olim in libro *de Excidio Britonum* more historico suæ gentis vitia veritatis amore non supprimens, his verbis declaravit. *Nec in bello fortes, nec in pace fideles.* Sed quando Julius Cæsar, qui tantus erat quantus & orbis, sub Cassibelliano duce *Territa quæsitis ostendit terga Britannis*; nunquid non fortes fuere? Quid & quando Belinus & Brennus Romanum Imperium suis addidere victoriis? Quid Helenæ nostræ filii Imperatoris tempore Constantini? Quid Aurelii Ambrosii regno? quem etiam laudibus Eutropius effert. Et Arturi nostri famosi, ne dicam fabulosi, tempore quanti fuere? Sed è diverso qui à Scotis & Pictis populisque tam vilibus ferè debellati, auxiliatrices Romanas toties vexârunt legiones, dicentes: sicut ex Gilda colligimus, *Barbari nos ad mare, mare autem ad Barbaros impellit. Hinc subjugamur, hinc submergimur, hinc trucidamur.* Nunquid tunc fortes, inquit, & laudabiles fuere? A Saxonibus quoque in auxilium vocatis & stipendiario munere locatis quando expugnati & subacti; nunquid fortes? [c] Et quod omnium istorum validius ignaviæ eorum argumentum est; quòd Gildas, qui vir sanctus erat & de gente eâdem, in cunctis quas de gente ipsorum scripsit Historiis nichil usquam egregium de ipsis posteritati reliquit. Hujus autem contrarii solutionem Deo dante vitâque comite in Britannicâ promittimus Topographiâ.

[c] Deest in Cod. Cotton.

[d] Id tamen hîc tantillum ad majorem evidentiam addere sufficiat; quòd ex quo maximus ille Britonum Princeps, cujus in capite libelli mentionem fecimus, totum armatæ juventutis Britanniæ in transmarina ducendo robur exhauserat; multis postmodum annis vacua viris & viribus Insula piratis & prædonibus mansit exposita; quæ quidem antea incomparabili strenuitatis gloriâ floruerat. Adeò quidem ut per ejus alumnos præclarus ille Tyrannus totam ferè Cisalpinam Galliam subjugaverit, ipsumque Romanum Imperium armis attemptare præsumpserit. Processu quoque temporis longâ demum propagatione multiplicata & armis instructa in pristinæ probitatis audaciam Britannica juventus excrevit. Distinguantur igitur in hunc modum tempora; & concordabunt scripta. De Gilda verò, qui adeò in gentem suam acriter invehitur, dicunt Britones; quòd propter fratrem suum Albaniæ Principem, quem Rex Arthurus occiderat, offensus hæc scripsit. Unde & libros egregios, quos de Gestis Arthuri & gentis suæ laudibus multos scripserat, auditâ fratris sui nece omnes, ut asserunt, in mare projecit. Cujus rei causâ nichil de tanto Principe in scriptis authenticis expressum invenies.

[d] Desunt omnia ad finem usque capitis in Codice Westmonast.

CAP.

CAP. III. De Martio conflictu invalido, turpique fugâ & illaudabili.

IN bellico conflictu primo impetu acrimoniâ, voce, vultu terribiles effecti tam clamore horrendo cœlum replente tubarumque prælongarum clangore altisono quàm cursu pernici pariter ac præcipiti, crebris quoque jaculorum ictibus gens asperrima. Porrò si suscepta viriliter passa fuerit primò repulsam; confusioni facillimè data statim ut terga dederint, solùm fugæ præsidio nullique penitus confidunt rebellioni. Quod tamen in Martiis conflictibus reprehensibile Poeta non ignoravit, dicens. *Ignavum scelus est tantùm fuga.* Et alibi. *In vicium culpæ ducit fuga, si caret arte.* Sicut ergo de Teutonicis in Romanâ Historiâ legitur; sic & istis idem assignari potest. In primo impetu majores sunt viris, in secundo verò minores mulieribus. In fugâ nimirum & confectione crebrò revertens & tanquam Parthicis à tergo sagittis fugiendo repugnans animosa virilitas magis apparet. Et tamen sicut in bellicis successibus ac victoriis etiam ignavi de virtute gloriantur; sic & in pejori fortunâ vix etiam viris sua virtus conceditur. Totum itaque vel fugando vel fugiendo certamen eorum. De plano namque confligere deque victoriâ comminus contendere diuque viriliter dimicare: cujus modi conflictum Poeta describit dicens; *Jam clypeo clypeus, umbone repellitur umbo, Ense minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis:* Gens leviter armata & agilitati potiùs quàm robustis viribus confisa sustinere non potest. Veruntamen hodie confecta & cruentam in fugam turpiter conversa, cras nihilominus expeditionem parat; nec damno nec dedecore retardata. Etsi apertis congressibus belloque indicto fortè non prævalet; insidiis saltem & nocturnis irruptionibus hostem gravat. Unde & quoniam nec fame nec frigore gravata, nec Martio labore fatigata, nec casibus adversis in desperationem data, sed post lapsum statim resurgere prompta, bellique discrimina denuo subire parata; sicut prælio facilè sic bello difficilè vinci solet. Unde & Claudianus de gentis ejusdem naturâ loqui videtur dicens.

Dum pereunt, meminere mali: si corda parumper
Respirare sinas, nullo tot funera censu
Prætereunt, tantique levis jactura cruoris.

CAP. IV. De ambitiosâ terrarum occupatione & inter fratres divisione.

FInales autem fossas effodere, terminos transponere & metas transcurrere, terrasque modis omnibus vel occupare vel dilatare gens præ gentibus aliis ambitiosa. Adeò quidem hoc ambitionis vitio communi labe laboravit; quòd terras quascunque seu precario seu commodato locationis, conductionis, emphiteseos vel alio quocunque titulo semel possidere contigerit, sacramentis etiam vero domino proprietario super indemnitate ac securitate palàm interpositis, nichilominus tamen easdem tanquam proprias & hæreditarias sibi jure perpetuo vendicabunt. Hinc itaque lites in curiâ & contentiones, hinc cædes & incendia, hinc crebra fratricidia. Ad hæc etiam quòd fratres inter se pro herili terras portione dividunt & distinguunt, antiquus in hac gente mos obtinuit. Accessit & aliud incommodum grave; quòd Principes filios suos generosis de terrâ suâ viris diversis diversos alendos tradunt; quorum quilibet alumnum

suum post patris obitum extollere aliisque præferre toto conamine nititur & machinatur. Per quod graves toties terris eorum, nec sine cædibus injustis & fratricidiis seu fratrum exoculationibus crebris, virium quoque omnium & successuum experientiâ facilè fœdabiles emergere solent turbationes. Unde & inter fratres collactaneos quàm naturales longè veriores invenies amicitias. Hoc etiam in his notabile, quòd fratres plùs mortuos diligunt quàm vivos. Vivos enim ad mortem persequuntur; mortuos autem & ab aliis interemptos totis viribus ulciscuntur.

CAP. V. De gravi eorum exactione & immoderantiâ.

UBI autem copiam inveniunt & potestatem exercere possunt, exactores improbissimi. Cibo namque potuque præsertim inebriante extra briam omnem poni cupientes, modum & modestiam minùs observant; dicentes cum Apostolo: [a] *Scimus abundare; scimus & penuriam pati.* Sed non cum eodem, [b] *Omnibus omnia facti, ut omnia lucrifaciant Deo.* Sicut enim ingruente necessitate nimiæ sunt abstinentiæ & parsimoniæ; sic post longam esuriem lupis in hoc & aquilæ similes, quia sicut & illi rapto vivunt & raró reficiuntur, ad alienam præcipuè positi mensam, immoderatam appetunt saturitatem. Sunt igitur in penuriâ parci, in copiâ superflui. Suam tamen nemo substantiam, sicut in Anglorum gente videmus, ob gulæ propriæ, crapulæque vitium fœnori donat. In sumptibus autem & honore volunt omnes omnibus, quoniam facinus quos inquinat æquat, pravâ consuetudine parificari.

[a] Phil. iv. 12.
[b] 1 Cor ix. 22.

CAP. VI. De Incestûs crimine, Ecclesiarum quoque per successionem & participes abusione.

CRimen autem incestûs adeò apud omnes tam minores in populo quàm etiam majores enormiter invaluit; quòd in quarto gradu & quinto passim, in tertio quoque plerumque, quòd non est timor Dei ante oculos eorum, consanguineas ducere nec verecundantur nec verentur. Ad sedandas quippe inimicitias, quas inter se toties, quia veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, hostiliter incurrunt, hujuscemodi per se dispensationibus passim abutuntur. Ob generositatis etiam amorem, quam tantopere cupiunt & affectant, suæ genti se jungentes, alienis omnibus, tanquam sanguine & origine juxta innatæ præsumptionis arrogantiam longè disparibus, modis omnibus copulari recusant. Matrimoniorum autem onera, nisi expertis antea cohabitatione, commixtione, morum qualitate & præcipuè fœcunditate, subire non solent. Proinde & puellas sub certo parentibus pecuniæ precio & resipiscendi pœnâ statutâ non ducere quidem in primis sed quasi conducere antiquus in hac gente mos obtinuit. Ecclesiæ verò istorum omnes ferè tot Personas & participes habent, quot capitalium virorum in Parochia genera fuerint. Successivè quoque & post patres filii Ecclesias obtinent non electivè, hæreditate possidentes & polluentes sanctuarium Dei. Quòd si Prælatus alium eligere & instituere fortè præsumpserit, in instituentem proculdubio vel institutum genus injuriam vindicaret. De duobus autem his excessibus, incestûs videlicet & successionis, radicatis olim in Armoricâ Britanniâ necdum eradicatis, scribit in quadam Epistolâ suâ Ildebertus Cenomannensis Episcopus, dicens etiam se Concilio interfuisse cum Clero Britanniæ ob has enormitates gentis illius extirpandas convocato. Ex quibus constare potest utrumque vitium huic genti tam cismarinæ quàm transmarinæ ab antiquo commune fuisse. Unde & illud Psalmistæ David

vid non incompetenter huic populo adaptari posse videtur. [c] *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. Non est qui faciat bonum; non est usque ad unum. Omnes declinaverunt; simul inutiles facti sunt, &c.*

[c] Psal. xiii. 1.

CAP. VII. De peccatis eorum, & tam Britanniæ quàm Trojæ meritis urgentibus amissione.

PRæterea peccatis urgentibus & præcipuè detestabili illo & nefando Sodomitico, divinâ ultione tam olim Trojam quàm postea Britanniam amiserunt. Legitur enim in Romanâ Historiâ, quòd Constantinus Imperator Occidentali Imperio B. Silvestro & successoribus suis cum Urbe relicto Trojam reædificare proponens, ibique Orientalis Imperii caput erigere volens, audivit hanc vocem: *Vadis reædificare Sodomam.* Et statim mutato consilio versùs Bizantium vela pariter & vexilla convertit; ibique imperii suicaput constituens, urbem eandem fœlici suo nomine decoravit. De Mailgone quoque Britonum Rege aliisque plurimis in Historiâ Britonum legitur eodem vitio laborantibus. Veruntamen multo jam tempore adeò à Britonibus enormitas illa prorsus evanuit; ut ejus etiam memoria jam apud eos vix habeatur. Proinde quasi pœnitentiâ jam ferè peractâ, & quoniam numero præter solitum & multitudine, viribus & armis, bellorum quoque successibus & terrarum incrementis, nostris plurimùm diebus adaucti sunt; gloriantur ad invicem, prædicant & confidentissimè jactant, toto (quod mirum est) in hac spe populo manente, quoniam in brevi cives in Insulam revertentur, & juxta Merlini sui vaticinia exterorum tam natione pereunte quàm nuncupatione antiquâ in Insulâ tam nomine quàm omine Britones exultabunt. Sed mihi longè aliter visum est. Quoniam enimvero *Luxuriant autem rebus plerunque secundis. Nec facile est æquâ commoda mente pati.* Et quia *Non habet unde suum paupertas pascat amorem. Divitiis alitur luxuriosus amor.* Ut paupertati potiùs in hoc exilio, quo extorres ferè facti sunt à regno, attribuenda sit vicii illius, quo in divitiis carere nescierant, illa carentia quàm virtuti.

[d] Qualiter enim pœnitentiam nedum peregisse dicentur, quos tot peccatis vitiorumque voragini datos, perjuriis puta, furtis, latrociniis, rapinis, homicidiis, & fratricidiis, adulteriis & incestibus, obstinatâ de die in diem ampliùs malitiâ implicitos videmus & irretitos. Adeò quidem ut verbis Oseæ Prophetæ in ipsos uti verè quis possit. [e] *Non est veritas, non est misericordia, &c.*

[d] Deest ista periodus in Codice West.

[e] Ose iv. 1.

Alia quoque de quibus jactant, operosis Regum Normannorum curis, quibus Francorum superbiæ in transmarinis tantò præindulgent, longè veriùs quàm vel eorum viribus magnis vel potentiis sunt assignanda. Hujus autem rei si certitudinem quæris; respice Reges Anglicos Normannis priores. Qui quàm hac solùm Insulâ Britannicâ contenti fuerant, & tantùm his debellandis operam dabant; eosdem penè penitus sæpe deleverant. Sicut Rex Offa suo in tempore, qui & fossâ finali in longum extensâ exclusit Britones ab Anglis. Ethelfridus quoque, qui nobilem Legionum Urbem destruxit, & egregii illius Bangornensis Monachos Monasterii in auxilium orando vocatos gladiis interemit. Et sicut longè pleniùs Haroldus ultimus; qui pedes ipse cumque pedestri turmâ & levibus armis victuque patriæ conformi tam validè totam Kambriam & circuivit & transpenetravit; ut in eâdem ferè mingentem ad parietem non reliquerit. In cujus victoriæ signum perpetuamque memoriam lapides in Walliâ more antiquo in titulum erectos locis, in quibus victor exstiterat, literas hujuscemodi insculptas habentes plurimos invenies; HIC FUIT VICTOR HAROLDUS. Ob has igitur tam cruentas tamque recentes Anglorum de hac gente victorias primi tres Normannorum Reges in tantâ

subjectione tamque pacificam suis diebus Walliam tenuere. Quorum temporibus gens hæc in numero plurimùm adaucta, armis etiam & equis à Normannis & Anglis, quos & Curiam sequendo & obsides dando jam frequentaverant, edocta paulatim, & assueta, trium sequentium tempore propter majores, ut diximus, quibus transmarinas ad partes tenebantur, curas, cervicem erigentes & terras occupantes, pristinum ferre jugum omnino respuerunt.

CAP. VIII. Qualiter Gens ista sit expugnanda.

POrrò qui gentem hanc subjugare pacificamque tenere voluerit, hac arte utatur. In primis operam ad minus annuam operosamque curam & assiduam huic adhibere negotio Princeps in animo fixum habeat. Gens etenim, quæ nec in campo contra exercitum armatum consertis viribus apertè congreditur, nec in castellis obsidionem exspectat, non impetu primo sed per moram diligentem & vacationem est expugnanda. Deinde vires eorum dividat, & quosdam ex ipsis ad alios confundendum, quòd se invicem odio & invidiâ prosequi solent, donariis alliciat tam præmissis quàm promissis. Et sic autumnali in tempore non solùm Marchia sed etiam terra interior locis idoneis, castellis, alimentis & familiis bonis bene muniatur. Interim autem cuncta mercimonia frumenti, panni, salis & bladi, quibus ex Anglicanâ copiâ sustentari solent, arctiùs eis inhibeantur. Naves quoque validis plenæ viris, ne per Hyberniam vel Sabrinum mare eis prædicta navigio deferri possint, aliquot ad tutelam adhibeantur, quibus & ab hostibus arceantur & suis victualia deferantur. Subsequenter autem hyeme ingruente majore, cùm foliis silvæ & pascuis montana caruerint, prædis abductis ipsisque jam per familias & crebros undique Castrensium impetus plurimùm afflictis, cum exercitu pedestri valido mediocriter & non ad onus armato, usque ad eorum latibula silvarumque condensa arborum confraga viriliter transpenetretur. Semper autem pedestribus turmis è vestigio sequentes ad fortitudinem & refugium milites aliquot adjiciantur. Et sic per crebras confligentium mutationes, ut fatigatis semper turmis novæ succedant, per cædes quoque & strages multas, si casus obtulerit, expugnentur. Non enim his sine nec absque periculo multorum & damno gens poterit inimica debellari. Sed licèt hodie de Anglorum exercitu stipendiarii multi ceciderint; cras nihilominus ad eadem discrimina totidem vel plures moneta dabit. De Kambrensibus autem, quoniam nec alienigenas nec stipendiarios habent, quicunque ceciderint; damnum eis impræsentiarum irreparabile fiet. In hoc itaque negotio sicut artifici credendum est in suâ facultate; sic horum præcipuè standum est consilio, qui circa similia patriæ negotia conversati diutiùs & usitati mores gentis & modos agnoscunt; quorumque magnopere refert, ut gens inimica, quacum ex crebris belli diutini conflictibus hostilitatem plurimam & odium implacabile contraxerunt, eorundem operâ vel debilitari possit vel deleri. Fœlices dixerim Kambriæ fines, quos Anglorum gens inhabitat; si Reges eorundem in partibus illis gubernandis & propulsandis inimicæ gentis injuriis plùs Marchionum & Baronum patriæ quàm Andegavorum & Normannorum consiliis & dispositionibus olim usi fuissent. In hac autem expeditione, sicut in aliâ qualibet sive Hybernicâ sive Kambricâ, gens in Kambriæ Marchiâ nutrita, gens hostilibus partium illarum conflictibus exercitata, competentissima puta formatis à convictu moribus audax & expedita; cùm alea Martis exegerit, nunc equis habilis nunc pedibus agilis inventa; cibo potuque non delicata, tam Cerere quàm Baccho causis urgentibus abstinere parata. Talibus tam Hybernia quàm Kambria viris initium habuit expugnationis: Talibus quoque vel nullis consummabilis finem habitura conquisitionis. Flandrenses quippe Normanni, Coterelli, & Bragmanni, quanquam suis in terris milites egregii

gii ſint & armis inſtructiſſimi; Gallica tamen militia à Kambricâ, ſicut & ab Hybernicâ, diſtare dinoſcitur. Ibi namque plana petuntur, hîc aſpera; ibi campeſtria, hîc ſilveſtria. Ibi arma honori, hîc oneri. Ibi ſtabilitate vincitur, hîc agilitate. Ibi capiuntur milites, hîc decapitantur. Ibi redimuntur, hîc perimuntur. Sicut igitur ubi militares acies de plano conveniunt; gravis illa & multiplex armatura tam linea ſc. quàm ferrea milites egregiè munit & ornat; ſic ubi ſolùm in arcto confligitur ſeu loco ſilveſtri ſeu paluſtri, ubi pedites potiùs quàm equites locum habent; longè levis armatura præſtantior. Contra inermes namque viros, quibus ſemper in primo ferè impetu vel parta eſt ſtatim vel perdita victoria, expeditiora ſatis arma ſufficiunt; ubi fugitivam vel agilem per arcta vel aſpera gentem ſola neceſſe eſt gravi quadam & armatâ mediocriter agilitate confundi. Cum illa nimirum armaturâ multiplici ſelliſque recurvis & altis difficilè deſcenditur, difficiliùs aſcenditur, difficillimè cùm opus eſt pedibus itur. Ut igitur ſingula quæque locum teneant ſortita decenter; contra graves & armatos ſolùm virium robore & armorum ope confiſos, de plano dimicare victoriamque vi obtinere contendentes, armatis quoque viris & viribus opus ibi eſſe proculdubio proteſtamur. Contra leves autem & agiles & aſpera petentes levis armaturæ viri taliumque præſertim exercitati congreſſibus adhibendi. Urbes autem & caſtra, quæ Sabrina perlabitur, totaque terra ab Occiduâ ejuſdem parte versùs Walliam ab Anglis occupata, necnon & Slopesburiæ Provincia & Ceſtria tota, communitæ viribus & armis, vel alio quovis ſpeciali libertatis honore providâ Principis largitione lætentur. Ubi & annis ſingulis per viros probos & diſcretos ad hoc deputatos, qui patriæ tutelæ & defenſioni non rapinis intendant & deſtructioni, bellici apparatûs, armorum ſc. & equorum viſio fiat; quatinus ibidem tam militibus & civibus quàm ſervientibus populóque toto armis inſtructis & aſſuetis, & libertati in hunc modum libertas opponatur, & per ſuperbiam ſuperbia retundatur. Kambri nimirum, quòd nec laborioſis oneribus atteruntur, nec Dominorum exactionibus ullis moleſtantur; hinc eis ad propulſandas injurias cervix erecta, hinc ad patriæ tutelam audacia tanta, hinc armis ſemper & rebellionibus gens promptiſſima. Nichil etenim quod adeò corda virorum ad probitatem excitet erigatque & invitet, ut libertatis hilaritas; nichil adeò deprimit & deterret, ut ſervitutis oppreſſio. Poterit etiam hæc regni particula armis & animoſitate munita non ſolùm in finibus iſtis verùm etiam alibi in neceſſitatis articulis tam remotis partibus quàm propinquis egregie Principi militare. Et ſi fortè à provinciis iſtis annuis vectigalibus fiſcali minus ærario proveniat; regni pace & regis honore plenè & abundè defectus iſte compenſetur. Præſertim etiam cùm expeditionis unius ad Walliam gravis partes admodum & periculoſa ſumptuoſitas multorum ſoleat armorum fiſcales finium illorum reditus æquiparare.

CAP. XI. Qualiter expugnata ſit gubernanda.

GEns igitur hæc ſicut per induſtriam prædicto tenore eſt expugnanda; ſic expugnata moderato in hunc modum regimine eſt gubernanda. Conſtantis & vindicis animi viris cura regiminis committatur: Qui & pacis tempore dum legibus obtemperat & ſervire non recuſat, ipſam interim ſtabili conventione deliniat & honore præveniat. Gens etenim hæc, ſicut & barbara gens quævis, quanquam honorem neſciant, honorari tamen ſuper omnia quærunt; & veritatem, quam in ſe non habent, in aliis approbant & venerantur. Cùm autem [a] uſitatæ levitatis indicio à pace reſilire præſumpſerint; diſſimulatâ prorſus manſuetudine continuò vitium vindicta ſequatur. Cùm iterum ad pacem reverſi fuerint; condignâ delicti ſatisfactione ſecutâ, quoniam poſt inimicitias iræ meminiſſe malorum, quamdiu fideliter ſteterint diſſimulatâ prorſus

[a] Innata *Cod. Cotton.*

sus injuriâ pristinâ statim tam securitate gaudeant quàm honore; quatenus tam ad obsequendum quàm ad pacis bona sequendum & præmium invitet, & à temerariis ausibus secutura semper pœna deterreat. Porrò qui ista confundunt, in delictis deferendo, in obsequiis deprimendo, in guerrâ blandiendo in pace deprædando, imbelles spoliando, rebelles venerando; sicut plerosque vidimus; hi confusa sub se cuncta reddentes, demum & ipsi confunduntur. Præterea quia minùs ea lædere solent quæ prævidentur; & quia fœlix est illa civitas quæ in pace bellum cogitat; pacis tempore contra imminentia Martis incommoda tam castrorum constructione quàm silvestrium viarum ampliatione necnon & familiæ bonæ retentione vir prudens præmuniatur & præparetur. Qui enim in pace foventur & sustentantur, hi longè promptiùs, securiùs atque fideliùs urgentibus incommodis ad bella vocantur. Et quoniam semper insidias sub amicitiæ fuco gens insubacta molitur; Princeps vel Præfectus nunquam eorum caput suum aut castrum [b] fidelitati donet. Quoniam enimvero insignium virorum exemplis, quorum quosdam crudeliter extinctos, alios autem castris & honore privatos per incuriam vidimus & negligentiam, nationis subdolæ & subactæ longè fortiùs timenda est ars quàm Mars, pax quàm fax, mel quàm fel, malitia quàm militia, proditio quàm expeditio, amicitia præfucata quàm inimicitia despicata. Expedit itaque viro prudenti ac provido alienis in malis fugienda contemplari. Indempnis est enim castigatio, qua prædocent exemplaria; quoniam ut ait Ennodius: Ruina præcedentium posteros docet, & cautio est semper in reliquum lapsus anterior. [c] Citra conflictum autem & sanguinis effusionem tanta expedire negotia pius Princeps si præelegerit; Marchiâ, ut diximus, per omnia latera bene munitâ, commerciis quoque per mare per terras districtè prohibitis, quidam Kambrensium in alios stipendiis datis, terrisque aliorum in alios collatis, lethalibus exitiis excitentur; ut sic demum tam fame & inediâ cunctorumque ferè ingruente penuriâ necessariorum quàm cædibus inter se creberrimis & inimicitiis implacabilibus demum afflicti, infra non longum tempus ad deditionem proculdubio compellantur. Tria sunt enim quæ gentem hanc destruunt, & fructuosæ propaginis gaudia percipere non permittunt. Quod paternam hæreditatem filii inter se tam naturales quàm legitimi herili portione dividere contendunt: propter quod fratricidia, ut diximus, crebra contingunt. Et quòd fortibus & generosis provinciæ viris filii traduntur alendi; quorum quilibet defunctis patribus suum modis omnibus (unde cædes & incendia tot Patriæque destructio tota) anteponere conatur alumnum. Et hoc præcipuè, quòd aliarum gentium more, quæ fœliciter vivunt, unius Regis consilio unique subjici Domino obstinatâ pariter & elatâ mente recusant.

[b] Fidei *Cod. Cot.*

[c] Desunt reliqua hujusce Capituli in *Cod. Westm.*

CAP. X. Qualiter eadem resistere valeat & rebellare.

SED quoniam pro Anglis hactenus diligenter admodum & exquisitè disseruimus; sicut autem de utrâque gente originem duximus, sic æquè pro utrâque disputandum ratio dictat; ad Kambros denuo in calce Libelli stilum vertamus, eosque de arte rebellandi breviter sed tamen efficaciter instruamus. Si ergo armaturâ Gallicâ Kambri pleniùs & communiùs uti assueverint, stabilique magis pugnæ quàm agilitati dimicando confiderint; item si Principes eorum unanimes in defensione & inseparabiles esse voluerint; vel potiùs si uno gauderent Principe & illo bono; in terrâ tam hispidâ tam munitissimâ gens prævalida vinci ad plenum vix valeret. Si igitur inseparabiles esse vellent; & insuperabiles valde fieri possent, præcipuè tribus adjuti, terrâ in se munitâ, parvoque vivere gente tam consuetâ quàm contentâ, & plebe totâ sicut & Nobilibus armis instructâ; præsertim etiam cùm Angli pro cupiditate certent, Kambri pro libertate; illi de lucro captando, isti de damno vitando; Stipendiarii

diarii illorum pro pecuniâ, isti pro patriâ: illi, inquam, ut hos ab Insulâ prorsus expellant totamque terræ faciem simul obtineant; isti verò ut qui universo soli regno tamdiu præsidebant, in hac saltem ejusdem angulo pessimo silvis & paludibus delitescant & quasi pro delictis huc relegati, præscriptisque divitiarum excessibus usque ad præfinitum tempus in paupertate & inediâ pœnitentiam agant. Plurimam quippe animositatis scintillam exprimere, plurimam rebellionis audaciam imprimere potest continua pristinæ nobilitatis memoria, & non solùm Trojanæ generositatis verùm etiam regni Britannici tantæ & tam diuturnæ Regiæ Majestatis recordatio. Unde & Anglorum Rege Henrico II. in Australem Walliam apud Pencader, quod *Caput Cathedræ* sonat, nostris diebus in hanc gentem expeditionem agente, consultus ab eo senior quidam de gente Kambrorum, qui contra alios tamen vitio gentis eidem adhæserat, super exercitu Regio populoque rebelli si resistere posset, quid ei videretur, bellicique eventûs suam ut ei declararet opinionem; respondit: Gravari quidem plurimâque ex parte destrui & debilitari vestris, Rex, aliorumque viribus nunc ut olim & pluries meritorum exigentiâ gens ista valebit; ad plenum autem propter hominis iram, nisi & ira Dei concurrerit, non delebitur. Nec alia, ut arbitror, gens quàm hæc Kambrica aliave lingua in die districti examinis coram Judice supremo, quicquid de ampliori contingat, pro hoc terrarum angulo respondebit.

Giraldi Cambrensis

RETRACTATIONES.

Prologus. TRactatum Retractationum & Catalogum Librorum diligentiâ Giraldi compositorum in calce Libelli de Kambriæ Descriptione dignè duximus adjiciendum.

QUoniam itaque cunctorum habere notitiam, ut ait Imperator, & in nullo peccare potiùs divinitatis est quàm humanitatis: quoniam Tullio testante, nihil rebus in humanis simplicique in genere omni ex parte perfectum natura expolivit; ea quæ in Opusculis nostris retractanda decrevimus, quatinus & Lector caveat & præ cæteris incerta non habeat, hîc proponere dignum duximus. Quoniam, ut ait Jeronimus, errores adolescentiæ ætas matura condemnat. Item & Boethius: Res quidem teneris auribus accommodatas senior Philosophiæ tractatus eliminat.

Imprimis igitur de *Topographiâ Hybernicâ*, labore sc. nostro primævo ferè nec ignobili, ubi multa nova aliisque regionibus prorsus incognita ideoque magis admiranda scribuntur; hoc pro certo sciendum, quòd quorundam quinimo & quamplurium per diligentem & certam indagationem a magnis terræ illius & authenticis viris notitiam elicuimus. De cæteris autem publicam potiùs terræ famam secuti fuimus. De quibus cum Augustino sentimus, qui in libro de Civitate Dei de talibus, quæ solùm fama celebrat nec certâ veritate fulciuntur loquens, nec ea affirmanda plurimùm nec prorsus abneganda decrevit.

Item in *Symbolo Electorum*, inter versus nostros metricos, duos appositos de Duelli descriptione, & duos de dolenti missâ consolatione, & quatuor de renuentis solatia responsione, alienos noverit esse Lector & non nostros.

Item

Item in *Libello Invectionum*; ubi de Ecclesiasticæ Historiæ Britannicæ Cronographiâ tractatur, præter illa quæ ex tomis Anacleti Papæ & Historiis Bedæ eliciuntur, cætera ferè cuncta, veluti de enumeratione Sedium Episcopalium antiquitus Menevensi Ecclesiæ Suffraganearum & subjectarum, necnon & de dignitate ejusdem Ecclesiæ ac libertate tempore Wilfridi Episcopi, sicut & de Sedibus Metropoliticis Britanniæ Majoris per Faganum & Duvianum olim, longè scilicet ante adventum Saxonum in Britanniam, depositis, magis famam publicam & opinionem quàm Historiæ cujuspiam certitudinem sunt secuta. Item & super his quæ in eodem Libello de Archiepiscopo Huberto potiùs amaritudinis quàm rectitudinis zelo magisque vindictæ intuitu quàm justitiæ scripta noscuntur, plus operata est fama & opinio quàm aliqua per visum vel auditum certitudo; veluti de versu metrico parasito responso, de Sermonibus tam in Synodo quàm alibi in publicâ audientiâ factis, verbisque Latinis tam literaturæ quàm etiam sanæ doctrinæ defectum redolentibus, de mercaturis variisque mensuris, de Monialibus, & Sigilli Regii cui præfuit abusu. De his inquam omnibus ac similibus magis absque dubio credendum, quòd ea famæ malignæ confictio quàm ulla rei gestæ perpetratio publicare præsumpserit.

Similiter & si in libro de *Gestis Giraldi* hæc fortè aut his similia reperiantur, eadem habenda est consideratio. Ut autem ea quæ de ipso verè dici & scribi poterant, paucis aperiam. Erat utique vir ille animosus & strenuus, & inter virtutes varias incomparabiliter dapsilitate conspicuus. Unde ut ad animi amplitudinem res ei suppeterent & facultates; trans modestiam fuit in acquirendo modis omnibus sollicitus nimis & curiosus. Et utinam adeò spiritualia sapiens sicut & sæcularia, adeò divinitatis amator sicut & vanitatis aucupator, adeò caritate fervidus sicut & cupiditate repletus, adeò inquam supernam sitiens gratiam, sicut & terrenam appetens pompam & mundi gloriam. Erat hic autem Principis frænum & tyrannidis obstaculum, populi pax & solatium, majorum pariter & minorum suis diebus contra publicæ potestatis oppressiones in necessitate refugium; sicut ex post factis palàm fuit. Ipso namque defuncto statim in regno tyrannis invaluit, & tanquam rupto repagulo non solùm in humanas verùm etiam res divinas impudens & improvidens contumacia crevit. Unde & ultricem non longo pòst tempore potentiæ cui non resistitur dextram, & cujus animadversio in pertinaciter obstinatos etsi aliquamdiu differtur non tamen aufertur aut evitatur, præsumptuosa superbia sensit. Poterant igitur, quantum ad humanum spectat examen, decessoris ejusdem ultimi literatura pariter & religio, necnon & hujus animositas, rigor & strenuitas, si in unâ fortè personâ circumscriptis vitiis hæc violantibus, conjuncta fuissent; dignum Martyris egregii Cantuariensis constituere successorem. Sancta quippe rusticitas sibi solùm valet; & quantum exemplo prodest, tantum silentio obest. Strenua verò simul & devota prælatio tanquam tuba vocem exaltat, & scelera sua populo dei confidenter annuntiat; seque pro domo Domini murum opponens, animam suam dare pro ovibus suis imminente gregis periculo in necessitatis articulo non formidat.

Giraldi Cambrensis

LIBRI III.

De Rebus a se gestis.

PROLOGUS.

INclitorum gesta virorum quondam Grai veteres primò per imagines deinde per scripta tenaciùs & expressiùs memoriæ commendabant; quatinus exacti temporis virtutum extantium æmula posteritas posset imitatione laudabili ad similia provocari. Fabulosis enim seu relationibus seu lectionibus, quibus hyperbolica promuntur & impossibilia, ad imitationem nullus accenditur. Sed ubi vera viri virtus emicat; ibi ad imitandum & virilia complexandum mens virtuosa consurgit. Unde viri cujusdam nostri temporis inclitè gesta, quæ vel oculis conspexi vel ipso referente notavi, scolastico stilo, simplici tamen & non exquisito, perpetuæ memoriæ [commendare] curavi. Quatinus non in pauca sed plurima Operis hujus diffundantur utilia, in laudabilem actionem, & actionis æmulationem, in fidei duplicis Ecclesiæ videlicet tam Italicæ quàm Walensicæ per experimenta cognitionem, & facillimam utriusque ære operante corruptionem; in Menevensi Ecclesiâ firmam atque fidelem suæ dignitatis instructionem, & perpetuam in posterum contra incommoda similia præmunitionem. Quanquam ex his instrumentis elici nequeat de præterito medela; contrahi tamen per hæc eadem poterit, quod non mediocriter expedit, de futuro cautela. Et sicut super fundamentum à Bernardo positum egregiè Giraldus ædificavit; sic super hanc Giraldi struem si quis unquam in Menevensi Ecclesiâ de cætero probus emerserit, & fidem in fratribus invenire valuerit; ad Ecclesiæ suæ dignitatem & Kambriæ totius honorem suis & ipse diebus ædificare ac strenuè dimicare contendat, suisque posteris materialem arcam apperiat. Magnum quippe est & laude dignissimum fundamentum quod firmiter ædificari queat fideliter extruere, & scalam per quam sublimiter ascendi possit in altum erigere. Pars igitur Operis hujus prima de ortu Giraldi, pueritiæ gestis atque adolescentiæ; Secunda verò de gestis virilis ætatis ejusdem & robustæ: Tertia verò de gestis provectioris ætatis & maturæ, laboribus immensis atque periculis & persecutionibus plena.

Indiculus Capitum totius Operis.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

CAP.

XXIII. Qua-

LIBER TERTIUS.

CIX. Qua-

CIX. Qualiter Meneviam veniens Archidiaconus in Festo S. Davidis clero & populo Sermonem in publico fecit; & sacramentum fidelitatis in crastino à Canonicis suscepit.

CX. Qualiter hoc [a] Archidiacono sinistrè significato, literas contra Archidiaconum terribiles variis personis mitti fecit.

[a] Archiepisc.

CXI. Literæ Regis Johannis contra Archidiaconum Capitulo Menevensi directæ.

CXII. Literæ Archiepiscopi contra Archidiaconum missæ.

CXIII. Literæ Willelmi Marescalli contra Archidiaconum missæ.

CXIV. Literæ Justiciarii contra Archidiaconum missæ.

CXV. Literæ Judicum ad Archidiaconum undique vexandum missæ.

CXVI. De appellatione ab Archidiaconi Clericis legitimè interpositâ, & Judicibus ob favorem Archiepiscopi nihilominus procedentibus.

CXVII. Literæ Justiciarii contra Archidiaconum Capitulo Menevensi missæ.

CXVIII. De Synodo variis in locis ab Archidiacono convocatâ, & semper per publicam potestatem revocatâ.

CXIX. Archidiaconus Abbati S. Dogmaelis.

CXX. Literæ ab Officiali Archiepiscopi per Archidiaconum impetratæ.

CXXI. Literæ Archidiaconi tam Capitulo Menevensi quàm variis personis directæ.

CXXII. Qualiter Synodus etiam apud Brecheniam convocata ferè impedita fuerat & annullata.

CXXIII. De Synodo Archidiaconi apud Brecheniam celebratâ, & literis Archiepiscopi ad Clerum avertendum transmissis.

CXXIV. De literis excusatoriis variis ad Synodum missis, & literis Archiepiscopi patentibus illuc transmissis ab Archidiacono retentis.

CXXV. Qualiter divisus dupliciter immo multipliciter Archidiaconus coram quibusdam Judicibus impetebat, & coram aliis respondebat.

CXXVI. Literæ Archidiaconi Judicibus missæ.

CXXVII. Citatio Judicum Archidiacono missa.

CXXVIII. Literæ Archiepiscopi Capitulo Menevensi contra Archidiaconum missæ.

CXXIX. De manu publicæ potestatis aggravatâ, & Canonicis Menevensibus Archidiacono faventibus exspoliatis.

CXXX. Qualiter apud Brakelegam Archidiaconus coram Judicibus apparuit, & Canonicos Menevenses ex parte Capituli sibi pariter & Ecclesiæ suæ contrarios invenit.

CXXXI. De Canonicorum Menevensium perplexitate & quasi dilemmate, Folioto in cuncta facto.

CXXXII. Quòd Giraldus beneficium libertatis conferre parabat invitis, & de Walensibus qui libertatem recusabant magis admirandum.

CXXXIII. Qualiter aggravatâ jam persecutione, nec etiam hospitio Giraldus in Menevensibus partibus recipi potuit; & terribili Judicum majorum ad eum citatione porrectâ.

CXXXIV. Citatio Judicum & editio.

CXXXV. Literæ Papæ Giraldo directæ.

CXXXVI. Qualiter Archidiaconus adversitatibus frangi non potuit; & de Canonicis Menevensibus cunctis apud S. Albanum ire compulsis.

CXXXVII. Qualiter Archidiaconus contra diem illum se præparavit; sed priùs ne quid per pigritiam amitteret, in Venedociam ire non tardavit.

CXXXVIII. Literæ Giraldi amicis & consanguineis suis in Hiberniam missæ.

Giraldi Cambrensis
LIBER PRIMUS
De Rebus a se gestis.

CAP. I.

GIraldus itaque de Kambriâ oriundus & Australi ejusdem parte maritimisque Demetiæ finibus non procul ab oppido principali de Penbroc, Castello sc. de Mainarpir, ingenuis natalibus prosapiam duxit. Ex matre namque Angareth filiâ Nestæ nobilis filiæ Resi Principis Sudwalliæ sc. filii Theodori, viro egregio Willelmo de Barri matrimonialiter copulatâ, processit. Qui cùm ex fratribus quatuor germanis pariter & uterinis natu minor existeret, tribus aliis nunc castra nunc oppida nunc palatia puerilibus, ut solet hæc ætas, præludiis in sabulo vel pulvere protrahentibus ac construentibus modulo suo, solus hic simili præludio semper Ecclesias [a] eligere & Monasteria construere totâ intentione satagebat. Quod dum pater ejus sæpiùs intuendo cum admiratione consideràsset; ductus ad hoc quasi prognostico quodam, ipsum literis & liberalibus disciplinis applicandum præsagâ mente decrevit; eumque ludendo & applaudendo suum Episcopum vocare consuevit. Accidit autem, ut nocte quadam hostili invasione terrâ turbatâ & juventute castri totâ certatim ad arma prosiliente, puer hoc intuens & tumultum audiens cum fletu proclamaret, quærens quonam declinare deberet, & petens quatenus ad Ecclesiam portaretur; miro præsagio pacem Ecclesiasticam & immunitatem domûs Deo dicatæ firmissimam atque securam esse debere declarando. Cuncti verò qui hoc audierant cessante tumultu verbum illud puerile secum cogitando & inter se conferendo cum admiratione recolebant; quòd majorem sc. sibi securitatem in Ecclesiâ remotâ ventis & fortuitis eventibus expositâ, quàm in oppido viris & armis referto, turribus & muris munitissimo, promittebat. Id etiam quoties super dignitate ecclesiasticâ & libertate, quoties de jure fori & poli inter clerum & populum altercationes audiebat; Ecclesiæ se pro posse protectorem & advocatum etiam puer opponebat: Zelo eodem Deo inspirante & gratiam de die in diem augmentante, per omnem ætatem & usque in finem ei perdurante. Nihil enim adeò in terris sicut Ecclesiæ Christi gloriam amplam, profectum in omnibus & honorem, quolibet ævo statuque suo cupiebat.

[a] f. erigere.

CAP. II.

PUer autem imprimis fratrum consortio festivis diebus colludentium & militaria suæ professionis negotia summopere collaudantium, quoniam à convictu mores formantur, non mediocriter impeditus, longè segniùs in propositâ disciplinâ profecit. Cæterum tandem à Menevensi Episcopo piæ memoriæ Davide tunc præsidente, qui & avunculus ejus extiterat, correptus quidem & statim correctus, Clericorumque duorum ejusdem Episcopi, quorum alter in suggilla-

ſuggillationem ipſius declinabat *durus*, *durior*, *duriſſimus*, & alter, *ſtultus*, *ſtultior*, *ſtultiſſimus*, inſultatione plurimùm adjutus, plùs verecundiâ deinde quàm virgâ pluſque pudore quàm præceptore ſive timore quovis proficere cœpit. Tantâ namque ſtudium vehementiâ poſtmodum eſt amplexatus; ut coætaneos omnes & conſcolares terræ ſuæ infra modicum tempus longè tranſcenderet. Proceſſu verò temporis causâ ſtudii majoris atque profectûs ter in Franciam transfretando, treſque ſtatus annorum plurium Pariſiis in liberalibus diſciplinis faciendo [b], ſummoſque præceptores demum æqui parando, trivium ibidem egregiè docuit, & præcipuam in arte rhetoricâ laudem obtinuit. Adeòque ſtudiis ex toto addictus fuerat, nil levitatis aut ſcurrilitatis actibus aut animo gerens; ut quoties de bonis Scolaribus Doctores Artium exemplificare vellent, Giraldum præ cæteris omnibus nominarent. Sicque ſcolaſtici officii præcellentis & prælecti in primâ ætate meritis id exigentibus bonis & annis adoleſcentiæ non petere exemplum ſed dare dignus erat.

CAP. III.

REverſus autem à ſtudio, ſtatim in Eccleſiis & eccleſiaſticis beneficiis tam in Angliâ quàm Walliâ provehi cœpit plurimùm & proſperari. Tempore quoque ſuccedente non ſibi ſed patriæ natus & in commune bonus totis niſibus eſſe proponens, circiter Eccleſiæ profectus ejuſque ſupplendos pro poſſe defectus indolem egregiam exercere curavit. Videns itaque per totam ferè Dioceſin Menevenſem, præcipuè ejus Demeticam regionem & Kereticam, ex Prælatorum incuriâ nec lanæ decimas dari nec caſeorum, accedens Cantuariam, cui tunc temporis Menevenſis Eccleſia ſicut & Wallia tota de facto ſuberat lege provinciali, & Archiepiſcopo Ricardo tunc præſidenti, qui & Primas Angliæ totius & Curiæ Romanæ Legatus extiterat, defectus iſtos oſtendens, ſtatim remiſſus eſt ab ipſo in Walliam Legatus ſc. à Legato, ad hos exceſſus & alios, quos ibi invenerit, emendandos. Monuit etiam Archiepiſcopus literis ſuis, & in remiſſionem peccatorum injunxit omnibus, à quibus hactenus decimæ prædictæ datæ non fuerant, ut darentur. Quibus etiam ad monita ſua dare volentibus tertiam partem injunctæ pœnitentiæ relaxavit. Obſtinatos autem & dare renuentes præcepit per eccleſiaſticam diſtrictè cenſuram coerceri. Statim verò Walenſes omnes monitis ſalubribus obtemperantes, decimas illas dandas conceſſerunt; cunctique patriæ totius præter Flandrenſes de Ros & complices ſuos. Qui cùm tempore non modico ſub interdicto concluſi fuiſſent; per Regis Anglorum Henrici II. quem ad hoc adierunt, inſtantiam ſententiæ datæ relaxationem ab Archiepiſcopo prædicto ad inſtantiam pariter & inſtantis damnationem ad tempus impetrârunt. Unde non multo pòſt tempore Rege defuncto & minùs honeſtè rebus humanis exempto, Walenſes qui lanæ decimam ad monita viri boni ſponte dederunt, Roſenſem provinciam deprædantes, oveſque lanigeras cum reliquâ prædâ his qui Deo & Eccleſiæ ſuæ lanæ decimam dare renuebant, omnes abſtulerunt & abduxerunt. Ubi & illud Auguſtini in decimarum & rerum eccleſiaſticarum detentores dictum & hîc completum eſſe videtur. Hoc aufert fiſcus, quod non accipit Chriſtus. Dabis impio militi, quod dare non vis ſacerdoti. Accidit autem diebus eiſdem, quod & notabile cenſui, virum quendam partium illarum, cui nomen Rogerius agnomen Bechet, tempore tonſionis creditori ſuo X. lapides lanæ debere. Qui cùm non plures haberet, decimum lapidem uxore ſuâ diſſuadente Eccleſiæ ſuæ ba-

[b] Se Petri Comeſtoris Pariſiis Theologiam publicè prælegentis auditorem fuiſſe Giraldus prodit in *Gemmâ Eccleſiaſticâ* MS. Diſt. 2. cap. 6.

ptiſmali ſc. de Kaeru miſit, & reliquos novem creditori ſuo apud Penbroch, rogans ut patientiam haberet, quia ſuper defectu decimi lapidis eidem in brevi ſatisfaceret. Creditor autem cùm lanam acceptam ponderaret, decem lapides invenit; & cùm iterum & iterum ponderaret, ſemper decem lapides integros invenit; & ſic debitori ſuo ſibi ad plenum ſatisfactum eſſe renuntiavit. Hoc igitur exemplo & ad inſtar olei Eliſæi lanâ miraculosè multiplicatâ, multi in partibus illis ad decimarum illarum præſtationem tam converſi ſunt quàm confirmati. Mirum autem, ſicut Giraldus frequenter dicere conſueverat & hunc verſum recitare,

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata ;

quòd tam obſtinata ſemper in illicitum nititur mens humana. Mirum etiam, quòd exceſſu tam temerario tamque nefario & tanquam hæreditario ea quæ Dei ſunt quæque ſibi in ſignum dominationis ipſe reſervavit, ſicut primi parentes fructum arboris, ſic ſequaces eorum naturâ conſimili decimam Domini, quam in ſignum dominationis & miniſtrorum quoque ſuorum ſuſtentationis reſervari voluit, in propriam & perpetuam damnationem uſurpare nituntur. Cùm autem legatione fungens eâdem, in Prioratu de Penbroc, quod propinquum erat, & Vicecomes provinciæ cui nomen Willelmus Karquit, ob invidiam adventûs ipſius in tali poteſtate, quòd nemo propheta ſuſceptus in patriâ ſuâ, juga boum octo de Prioratu in ipſo ejus adventu tanquam ad dedecus ſuum & confuſionem per miniſtros & apparitores ſuos rapi juſſit & in caſtellum retrudi. Sed cùm tertiò requiſitus ea prorſus reddere renueret, & etiam deteriora promitteret; mandavit ei Giraldus, quòd niſi boves remitteret, excommunicationis ſententiâ ſtatim involveretur. Et cùm reſponderet ille, puto qui ſuperbus erat & nequam, quòd non tam audax foret, ut Conſtabularium Regis de proprio caſtello ſuo excommunicaret; renuntiavit ei, quòd quando audiret omnes totius Cœnobii campanas trino intervallo pulſari, tunc ſe quidem excommunicari proculdubio ſcire poſſet. Statim reverſis nunciis, aſtantibus tam Monachis loci illius quàm Clericis patriæ qui convenerant multis, ſolemniter in ipſum & candelis accenſis auctoritate legationis qua fungebatur excommunicationis ſententiam dedit; & continuò campanas omnes ſimiliter ut fieri ſolet vel ad ſententiæ confirmationem vel potiùs ad facti denuntiationem pulſari fecit. In craſtino verò versùs caſtellum de Lamwadein prædo properans, coram Diœceſano Epiſcopo David & tam Giraldo qui jam advenerat quàm Magiſtro Michaele collegâ ipſius, qui comes ei ab Archiepiſcopo adjunctus fuerat, reſtitutione factâ & ſatisfactione ſecutâ virgis verberari meruit & abſolvi. In proximo verò Comitatu de Penbroc, quòd Vicecomes & Conſtabularius prædictus eſt in publico ſe excommunicatum à Giraldo fuiſſe; conqueſti ſunt & alii, quòd inveſtituram Eccleſiæ de Talachar Giraldus in manu forti & viris ac viribus armatis accipere venerat. Audiens hæc Ricardus filius Tancardi, qui tunc temporis in partibus illis magnus habebatur, & qui Giraldo totique generi ſuo ſemper invidebat, cœpit in ipſum & illos qui cum ipſo versùs Talachar profecti fuerant, ſi præſcius & præmunitus fuiſſet, minas acerrimas emittere & mortem crudeliſſimam interminare. Cúmque magna ibidem inter magnos contentio ſuper his facta fuiſſet; Odo de Kerreu conſobrinus Giraldi & Philippus de Barri frater ejuſdem Giraldi, qui viri probi & magni fuerunt in finibus illis, licèt generi prædicti Ricardi, ſc. filias ſuas habentes uxores, tamen acerbè dixerunt ei, quòd taceret & ſtultiloquio temperaret; quia non tanta vindicta ſumpta fuit de alio Giraldo, fratre ſc. Odonis primævo, pro quo dudum à Roſenſibus interempto ducenti viri & plures de eiſdem uno die corruerunt, quanta quàmque crudelis & cruenta de hoc Giraldo, ſi per ipſum aut ſuos fortè caderet, ſumeretur.

CAP.

CAP. IV.

HOC etiam non prætereundum puto; quòd cùm intrasset apud Brecheniauc Giraldus Diocesin Menevensem cum legatione sibi injunctâ, inveniens ibi veteranum quendam Archidiaconum terræ illius concubinam suam secum in domo publicè tenentem; primò monuit eum diligenter; deinde cùm monitis non adquiesceret, præcepit ei auctoritate Archiepiscopi Primatis & Legati, ut ipsam abjiceret & à se removeret, nec his quibus præerat, quos corripere ac corrigere magis deberet, ipsam tenendo malè se habendi & minùs honestè vivendi exemplum daret. Qui non solùm hoc renuit, sed etiam in virum tantum, personam scilicet Archiepiscopi, turpia verba & contumeliosa præferre fatuè nimis & temere præsumpsit. Quibus auditis, statim eum Giraldus ab omni Beneficio ecclesiastico suspendit; & Archidiaconatum suum cum Præbendâ in manu Archiepiscopi, cujus auctoritatem spreverat & in quem contumeliosus extiterat, suscepit. Unde legatione completâ cùm reversus esset ad Archiepiscopum simul cum Episcopo Menevensi quem secum duxit; Episcopus idem ad instantiam Archiepiscopi prædictum Archidiaconatum & Præbendam Giraldo contulit, & inveterato dierum (sed ùtinam bonorum) Archidiacono priori, unde quietè & absque vexatione vivere posset, reditus alios assignavit. His autem hoc ordine completis, videns Giraldus propter mandatum Regis & Archiepiscopi Rosensibus ad tempus relaxandis totam fere patriam eâ occasione corruptam; quòd Flandrenses ubicunque in finibus illis fuerant, tam extra Ros quàm intra eâdem immunitate gaudere volebant; & sic laborem suum mancum fuisse considerans, impetravit ab Archiepiscopo literas ad Episcopum Sancti David continentes, quòd tantum habitantes in cantaredo de Ros & non alios ab interdicto relaxaverat, & illos ad tempus propter Regis instantiam; & quòd reliquos omnes decimas lanæ & caseorum dare renuentes sub interdicto priori firmiter concluderet. Quo facto, revocati sunt sub interdicti sententiam habitantes in cantaredo de Dugledu & illi de Angulo; qui licèt habitantes in provinciâ de Penbroc, tamen quòd Flandrenses erant, & similiter cum Rosensibus sicut & illi de Dugledu, ad immunitatem quærendam sumptus fecerant, simili libertate gaudere volebant. Revocati sunt & illi de Talachar; qui quoniam Flandrenses ex parte fuerant, & ovibus longè præ cæteris abundabant, magis rebelles & renitentes existebant. Postmodum nonnisi speciali mandato Domini Papæ postmodum à Giraldo perquisito domari ad plenum poterant & informari. Facta est igitur in patriâ turbatio magna, & Flandrensium in Giraldum exacerbatio; Clericorum autem è contra, quorum honori & commodis invigilabat, dilectio grandis & affectio. Præterea initium & allectorium & ad hæc decimandum in Demeticâ longè antè datum fuerat per Giraldum. Dùm enim adolescens in scholis Parisiis fuerat; consanguinei ipsius, sc. Willelmus filius Hay, Odo de Kerreu, & Philippus de Barri frater ejusdem decimas suas de lanis & molendinis, quoniam indolis ipsum bonæ sciebant, ei tanquam ex condicto longè antè contulerant. Unde postmodum auditâ prædicatione quæ per ipsum venerat & pontificali remissione, ad dandas decimas prædictas Ecclesiis suis tam ipsi quàm alii exemplo ipsorum longè proniores erant & procliviores. Multum itaque contulit, qui & principium dedit, & negotium totum opere sequente non mediocriter augmentando promovit. Contigit autem Parochianos de Angelo, quorum Ecclesia Giraldi fuerat, non solùm interdictos propter hanc rebellionem sed etiam excommunicatos ad diem certum absolutionis gratiam & Giraldi præsentiam expetere pariter & expectare. Nocte verò præcedente diem illum proximâ jacens simul cum Episcopo Sancti David apud Kerreu, cùm manè ad iter se præpararet, licèt tempe-

ſtate maximâ ingruente ventoque pervalido, pluviâ in grandine permixto profecturo directè in faciem & oculos perflante; dixit ei Epiſcopus, à cujus thoro non longè jacebat, quòd propter procellam imminentem nimis diemproterminaret & quieſceret. Qui reſpondens periculoſam in hoc caſu moram exiſtere; quoniam qui excommunicati fuerant abſolutionem expetebant & correctionem promittebant; ſicque cum ejus licentiâ & benedictione iter incunctanter aggreſſus eſt. Præſul autem cùm eodem die ad prandium ſederet, procellâ pluvioſâ fortiùs inflante & flatus horribiles eructante, videns & circumſpiciendo notans, ut erat vir prudens ac providus, alios epulis ac poculis, quoſdam verò puellarum ac fœminarum affatibus licentiùs atque laſciviùs indulgere, tam unius ad laudem quàm aliorum correctionem dixit. Ille qui hodie iter arripuit, & tale tempus non abhorruit, nec propter gulam nec propter laſciviam aut deſidiam ullam infecta negotia ſua prætermittit. Dicere namque Giraldus aſſueverat, quòd non erat animi virilis auram ad agenda vel aggredienda negotia aut temporis tranquillitatem in terris obſervare. Solùm enim mare tranſeuntibus tolerabilem eſſe dicebat obſervantiam talem.

CAP. V.

INter ipſa verò ſuæ promotionis in Archidiaconum initialia inveniens in Eccleſiâ de Haia, quæ finalis eſt versùs Angliam Diocefis Menevenſis, Militem quendam fratrem Perſonæ tam oblationes ad altare quàm decimas exteriores & obventiones omnes cum Perſonâ dimidiantem & ex æquo participantem, ſtatim enormitatem illam, ſed non tamen abſque difficultate & Militis mulctâ ac comminatione, delevit. Et ſic Eccleſiâ Perſonæ redintegratâ, Militem prorſus expertem fecit. Item cùm ad viſitandum quaſdam Archidiaconatûs ſui finales & remotas inter Vagam & Sabrinam fluvios, de Elvein ſc. & Melenith, partes accederet; occurrerunt ei Clerici duo, nunciantes ex parte Decani & Capituli finium illorum, quòd eorum Eccleſias in propriâ perſonâ viſitare non deberet ſed per nuncios & officiales ſuos, præcipuè verò per Decanum, quem & Archidiaconum ſecum vocabant, quæ agenda fuerint apud ipſos more prædeceſſorum ſuorum agere quidem & effectui mancipare caveret. A quo cùm reſponſum acciperent, quòd ſegnitiem aliorum ſive ignaviam ſequi, ſi qua fuerat, nollet; ſed potiùs jure ſuo & officio ſe plenius uti velle; prohibuerunt ei ex parte Cleri totius & populi necnon & Principum patriæ, ne adveniret; crucem quoque Domini more gentis illius, ne procederet, ei proponentes. Cùm autem à cœpto itinere propter hæc nullatenus retardari poſſet; in ſilvæ cujuſdam grandis ingreſſu occurrunt alii, denuntiantes ei capitales inimicitias hoſtilitatis antiquæ inter genus ſuum & quoſdam generoſos terræ illius viros olim ortas fuiſſe; & quoniam ea, quæ quaſi ſopita jamdiu fuerant, nunc propter famam adventûs ipſius ad memoriam ſunt revocata, viros fortes de hoſtibus illis & armis munitos inſidias ad mortem ſibi & ſuis in eâdem ſilvâ ſi proceſſerint proculdubio poſuiſſe. Quod licèt iteratis rumoribus crebriùs ei nunciatum eſſet; diſſuadentibus ſuis omnibus totâque ſequelâ valde timente, tanquam nihil audiens aut penitus audita contemnens, iter agere non tardabat. Præſenſit enim & prædixit per Clericorum illorum adventum ipſius reformidantium fraudulentam malitiam totum hoc confectum aut confictum fuiſſe. Unde ſi ſic inprimis & tam facilè per minas ipſorum abſterreri poſſet; ſemper in poſterum minoris apud ipſos auctoritatis ac reverentiæ foret. Cùm igitur hiſpidâ trans Vagam & ſilvis conſertâ provinciâ de Elevein tranſcurſâ, Eccleſiæ partium de Melenith, ubi Capitulum tenere & eâ nocte jacere decreverat, quaſi per milliare tantùm adhuc diſtans appropinquaret; familiam ſuam, quam ſimul cum ſaginariis, cocis & clitellariis ante præmiſerat, fugitivam

vam & formidine plenam obviam habuit, lanceis quippe longis & sagittis acutis acriter à villâ propulsatam. Quo viso quanquam omnes tam obviantes quàm commeantes ut ociùs rediret hortarentur; improperantes etiam pulchriùs & honestiùs ipsum consilio suorum id antè fecisse, virumque discretum ausu præpopero seu temerario se suosque tam magnis & manifestis exponere periculis non debere: Ipse quidem hæc omnia respuens. tantoque animosiùs versùs Ecclesiam iter accelerans, aliosque sequi præcipiens, cunctis ei villæ totius hostiis clausis & seratis, in Ecclesiâ quam fortè aptam invenit, quòd nec alibi tunc potuit, hospitium suscepit, & equos in cœmiterio stabiliri fecit. His autem in hunc modum vel potiùs præter modum actis, duos Clericos illico mittens, nunciavit Principi terræ illius Cadwallano filio Madoci, cui sanguine junctus fuerat, adventum suum suosque repulsos seque in Ecclesiâ circumseptum & obsessum indicavit. Ipse verò statim hoc audiens, Archidiacono victualia ad sufficientiam misit, mandans etiam se ad ipsum in crastino venturum & injurias ipsius tanquam proprias acriter ulturum. Quibus auditis soluta est statim obsessio; & Clerici sex vel septem more Walensium participes Ecclesiæ illius unus post alterum ad pedes Archidiaconi humiliter accesserunt, veniam petentes & impetrantes; dignâ tamen inobedientiæ quinimo contumeliæ tantæ satisfactione secutâ. In crastino verò Princeps advenit cum uxore suâ filiâ Principis Powisiæ cui nomen Eva & filiis duobus, Mailgone sc. & Howelo, seque suaque cuncta, terras & oppida, res & possessiones offerens, Archidiacono & exponens, filiumque suum juniorem & qui ipsum tueretur dum in patriâ foret, adjunxit; quòd primævum illi nutrierant quos Clerici in ipsum concitaverant.

CAP. VI.

PEractis igitur his quæ ibi agenda videbantur, versùs Brecheniauc lora regirans ad domicilium suum de Landou reversus est. Ubi cùm paucis diebus quasi tantùm tribus aut quatuor moram fecisset; venerunt Clerici duo missi à Decano & Capitulo partium prædictarum cum festinatione, nuntiantes ei Laneluensem Episcopum Adam ad Ecclesiam de Keri, quæ finalis erat inter Episcopatus, sed tamen de eorum Capitulo & Capitulo Menevensi ab antiquo fuerat, proximâ Dominicâ proculdubio venturum, ipsámque eodem die, ut eam sic cum totâ provinciâ occupare posset, dedicaturum; asserentes quoque nullatenus ipsum ab hoc impediri posse, nisi occurrens ei in propriâ personâ Archidiaconus adventaret. Asseverabant etiam, quòd si provinciam illam sic occupare permissus fuerit, totam quoque terram usque Vagam sc. Meilenith & Elevein tanquam ad Ecclesiam suam de S. Asaph pertinentem firmiter occupare proposuit. Quo audito quanquam fessus adhuc labore priori, cunctisque suis constanter dissuadentibus & his præcipuè qui secum antea fuerant, plus præ timore tamen quàm labore, cum ipso tunc ire recusantibus, in crastino sc. feriâ sextâ cùm his quos secum ducere poterat, iter iterum incunctanter arripuit, & Vagæ fluvium transpenetrando in confinio de Melenith pernoctavit. Surgens autem Sabbato manè, pòst Matutinarum & Missarum solemnia nuncios qui Clericos undique convocarent eumque sequi facerent, varias ad partes destinavit; alios etiam ad Principes & fratres sc. Æneam Clut & Cadwallanum misit; rogans quatinus de familiis suis viros probos cum equis & armis, qui ei si opus esset assisterent & jura Sancti David cum ipso defenderent, post ipsum mitterent; quoniam in manu forti cùm Powisensibus & de Kaddewein Episcopus ille venturus esse dicebatur. Et sic Melenith transcurrendo apud Ecclesiam de Lanbist non procul à Keri nocte illâ moram fecit. Et cùm manè Dominicâ ad Ecclesiam S. Michaelis de Keri veniret Archidiaconus; Clerici duo par-

participes Ecclesiæ, qui obviam Episcopo perrexerant, cujus etiam adventui consenserunt, Ecclesiæ claves absconderant. Sed quæsitis illis diligenter & tandem inventis, Archidiaconus intravit; & statim pulsatis campanis tanquam in investituræ signum & possessionis, Missam solemniter inchoari & celebrari fecit. Interim autem veniunt nuncii Episcopi cum Personâ Ecclesiæ, præcipientes Ecclesiam statim ad dedicandum præparari; ac si satis pro imperio fieri debere nec resisti posse constaret. Archidiaconus autem hoc audito post Missam completam misit quosdam de Clericis suis discretos simul cum Decano Provinciæ obviam Episcopo nunciantes ei ex parte ipsius, quòd si pacificè veniret & tanquam amicus & vicinus, hospitio libenter cum omni honore susciperetur; sed alio modo non accederet. Quod cùm ei dixissent; diligenter inquirens si Archidiaconus in propriâ personâ jam advenit, & admirans, cùm paulò ante de provinciâ recessisset; tandem inito cum suis consilio, ne vinci videretur, quia superciliosus erat valde & præsumptuosus, suæ morem gerens arrogantiæ, respondit se non hospitem & vicinum sed tanquam Episcopum loci illius & ad dedicandum Ecclesiam illam & officium Episcopale in parochiâ suâ faciendum continenter accessurum. Decanus autem & Clerici missi hoc audientes, sicut edocti fuerant, ne in hunc modum propiùs accederet, neve in alienâ parochiâ dedicationem non vocatus ad hoc nec invitatus facere præsumeret, constanter inhibuerunt, & ad Summum Pontificem appellaverunt. Sed quoniam ipsum per hoc tardare non poterant; quosdam ex suis in equis fortioribus, sicut præmuniti fuerant, hoc Archidiacono nunciantes cum festinatione præmiserunt. Qui cùm venissent; relictis in Ecclesiâ de comitatu suo quibusdam, qui eam servarent interiùs & ostia serarent; statim exivit Archidiaconus obviam Episcopo venienti ad introitum cœmeterii. Episcopus autem, ut venit, præcepit Archidiacono; quatinus cum suis festinanter abiret, Ecclesiamque suam & cœmiterium ad faciendum quòd disposuit ei relinqueret. Alioquin ipsum, licèt invitus, quòd Parisiis olim socii fuerant & conscolares, excommunicaret. Archidiaconus autem è contra rogavit Episcopum; quatenus causâ amicitiæ & societatis antiquæ in pace discederet, & nichil in injuriam suam suæque detrimentum jurisdictionis attemptaret. Quod cùm facere penitus recusaret; ne dedicationem vel aliquod officium Episcopale ibi faciendo falcem mitteret in messem alienam, ex parte Dei Dominique Papæ & Archiepiscopi necnon & Regis Angliæ, in cujus manu & custodia tunc erat Ecclesia S. Davidis paulò ante orbata Pastore, firmiter inhibuit & appellavit. Episcopus autem his auditis literas Archiepiscopi Cantuariensis, à quo non longè antè consecratus fuerat, produxit, & legi fecit; quibus Episcopatum Lanelum cum cunctis pertinentiis suis ei confirmavit, & omnes qui aliquid ei injustè auferrent excommunicavit. Quibus perlectis subjunxit Episcopus Ecclesiam de Keri, sicut & omnes Ecclesias inter Vagam & Sabrinam, ad Ecclesiam suam Laneluensem jure parochiali pertinere; & in ejus rei testimonium librum produxit antiquum, in cujus id fine contineri dicebat; quod & legi fecit; dicens & asserens, quòd nisi Archidiaconus citò desisteret, incontinenti ipsum & suos excommunicaret. Archidiaconus autem ad hæc respondit Ecclesiam de Keri & alias inter Vagam & Sabrinam, de Elevein sc. & Melenith & Warthrenniaun, nec ad Diocesin Laneluensem nec ad Archiepiscopi confirmationem illam ullatenus pertinere; puta quas trecentis annis & pluribus intra Diocesin Menevensem contentas fuisse dinoscitur. In libro autem suo scribere poterat quod volebat. Sed si cartam inde haberet cum authentico sigillo vel privilegium, ostenderet; & cùm hoc non haberet, si ipsum excommunicare vellet, quòd pro Ecclesiæ suæ stabat defensione, & ipse in eum sententiam simili temeritate præcipitaret. Respondit ille se Episcopum esse, nec licere Archidiacono Episcopum excommunicare. Cui Archidiaconus. Si, Episcopus, inquit, es; non es Episcopus meus; nec potestatem ullam habes sententiandi in me, sicut nec ego in te.

Ideoque

Ideoque valeat sententia quantum valere poterit, utrique temerè & indebitè data. Episcopus autem his auditis se parumper retrahendo, statim equo dilapsus, capiti suo mitram imponi fecit; & sic mitratus baculumque pastoralem nudatum manu bajulans, ut majoris auctoritatis ejus sententia fore videretur, cum turbâ suorum pedes accessit. Archidiaconus autem è contra Sacerdotes & Clericos plures albis stolis ac superpelliciis & sacerdotalibus cæteris indutos cum cereis accensis & cruce bajulâ ac præambulâ in modum Processionis de Ecclesiâ exeuntes in faciem procedere jussit. Noverat enim hominis naturam; quòd præceps erat in actibus suis & præsumptuosus. Ideoque dum verbis contendebant, quòd garrulus erat ille & verbosus, hæc præparari cautè curaverat Archidiaconus. Quos cùm videret Episcopus, quæsivit quidnam hoc esset, & ad quid illi sic venirent. Cui Archidiaconus. Ad hoc, inquit, ut si in nos & ipsos sententiam dare præsumpseritis; & ipsi non minùs audacter in vos & vestros vice versâ sententiam donent. Episcopus autem, hoc audiens ait. Propter amicitiam quæ inter nos olim fuerat & scolasticam societatem, parcemus nunc personæ vestræ & his qui vobiscum sunt; nec nominatim in quenquam vestrûm sententiam dabimus. Generaliter autem sicut Archiepiscopus in literis suis, omnes, qui jura Sancti Asaph patroni nostri nobis auferre & sibi usurpare nituntur, sententiâ excommunicationis involvemus. Ad hæc Archidiaconus. Si talem, inquit, sententiam generalem dederitis in montibus illis, ostendens montes in parochiâ Laneluensi non procul inde distantes, à mane usque ad vesperam; quoniam in nullo nos tangeret qui tantùm jura nostra tuemur, nichil omnino curaremus. Sed propter populum astantem qui non intelligeret; sed potiùs putaret sententiam vestram, si hîc daretur sub hac quacunque formâ, in nos quidem aut præjudicium nostrum datam esse; nolumus quòd hic aliquatenus fiat. Et cùm Episcopus juraret se prædicto modo ibi statim excommunicare velle; & Archidiaconus se sub formâ consimili sententiam daturum asseveravit. Cúmque Episcopus in genere, ne nichil egisse videretur, excommunicare hostes & adversarios Sancti Asaph altâ voce cœpisset; & Archidiaconus altiori voce cum suis in cœmiterio omnes qui jura Sancti David præripere vel perturbare præsumerent excommunicavit; & respiciens campanas, quæ juxta ipsos ab alto pendebant, præcepit quatinus in ignominiam adversariorum & quasi sententiæ suæ confirmationem simul omnes trino intervallo pulsarentur. Quod cùm fieret, quoniam Walenses sonum hujusmodi campanarum, cùm in ipsos pulsantur, multùm abhorrent; confestim Episcopus & sui equos scandentes interruptâ sententiâ quàm citiùs poterant abscesserunt. Populi verò qui ad hoc spectaculum undique concurrerant, clamorem magnum, ut mos est gentis illius, post ipsos extollentes glebis etiam & lignis ac lapidibus fugientes à tergo sunt prosecuti. Cúmque versùs Cadwallanum, cujus assensum habuerat, apud Melenith Episcopus iter ageret; turbam magnam Clericorum in equis bonis, lanceis etiam & sagittis, qui Archidiaconum sequebantur, obviam habuit. A quibus cùm quæreretur quid apud Keri actum fuisset; respondit Episcopus, quia non securus erat, se contra Archidiaconum, qui bonus olim socius suus & amicus extiterat, nichil agere velle; & quòd ad Cadwallanum, ut ei loqueretur, pacificus ibat. Archidiaconus autem coram Decano & Clericis qui jam advenerant Personas Ecclesiæ super facto suo, quòd Episcopum illum adduxerant, acriter arguere cœpit. Qui responderunt, jurantes de voluntate suâ nunquam id provenisse; sed veniam petentes, se de cætero firmos ac fideles fore promiserunt. Accepto igitur ab ipsis fidelitatis sacramento, scilicet Ecclesiæ Menevensi & sibi necnon & Episcopo futuro; audiens per Clericos suos, qui Episcopo obviaverant, ipsum ad Cadwallanum ivisse in Archidiaconatu suo, statim ad partes illas iter arripuit; & in Ecclesiâ proximâ loco ubi Cadwallanus Episcopum susceperat, hospitium accepit; & horâ cœnæ sc. in vesperâ, sicut Walensibus mos est, misit Episcopo

ſcopo de pane proprio & potu peroptimo, quos ſecum tulerat, causâ curialitatis exenium pulchrum; quod & verbis adornans mandavit; quòd ei in ſuâ poteſtate & juriſdictione reperto præcipuéque pacifico omnem honorem & reverentiam exhiberet; ſeque in domo ſuâ propriâ, ſi ſors obtulerit, eum libentiſſimè & honeſtiſſimè ſuſcepturum. Rogavit etiam, quòd ſicut olim in Franciâ ſocii fuerant boni, quando pauperiores erant & privati; ſic & nunc vicini boni & amici forent in poteſtate conſtituti. Epiſcopus autem licèt diſſuadentibus ſuis propter dedecus ei factum perpeſſamque repulſam quòd non ſuſciperet, tamen ſaniori conſilio cum gratiarum actione ſuſcepit; dicens ſe propter hoc factum non minùs Archidiaconum appreciari, quinimo magis ab omnibus fore laudandum, quòd Eccleſiæ ſuæ jura pro poſſe tueri ſatagebat; nec ob hoc ſe dilectionem ipſius & vicinitatem bonam velle aliquatenus recuſare. Cadwallanus verò cum Proceribus & bonis viris ſuis animoſitatem Archidiaconi & virilitatem multis laudibus efferebant; dicentes & aſſerentes virum talem honore pariter & poteſtate digniſſimum. In craſtino verò cùm receſſiſſet Epiſcopus, Cadwallanus ab Archidiacono conventus, quòd Epiſcopo veniendi licentiam & occupandi parochiam ſuam aſſenſum præbuiſſet, negavit cum juramento: ne ſc. Archidiaconi offenſam incurreret; ſeque de cætero Sancto David & Eccleſiæ ſuæ fidelem fore ſacramento firmavit. Tria igitur iſtud aggrediendi Epiſcopo occaſionem dederunt: quòd Eccleſia Menevenſis paſtore carebat; quòd Archidiaconum [ob] hoſtilitatem ſibi oppoſitam patriam reliquiſſe nec ampliùs reverſurum eſſe pro certo audierat; quòd etiam Principis illius, licèt in contrarium juraverit, aſſenſum occultum habuerat, propter metum ſc. divortii celebrandi inter ipſum & uxorem ſuam Evam ſub prætextu tam affinitatis quàm conſanguinitatis, cujus rei ſe judicem fore ab Archiepiſcopo Cantuarienſi conſtitutum per cautelam Epiſcopus procuraverat. Archidiaconus autem è diverſo, ne Menevenſis Eccleſia propter Epiſcopi defectum in ſuâ juriſdictione læſionem incurreret vel Dioceſis deciſionem, neve Archidiaconatus de Brechiniauc ſuo mutilationem tempore ſeque præſidente ſuſciperet aut diminutionem, ſub periculo pariter atque labore efficacem operam adhibere curavit.

CAP. VII.

HIS igitur ita peractis, confeſtim Archidiaconus & abſque morâ quam alicubi faceret ullâ ad Regem acceſſit, à quo dies eligendi Epiſcopum in præſentiâ ſuâ ſibi & Eccleſiæ ſuæ fuerat conſtitutus. Quem inveniens in partibus de Norhamtune, in primis impetum Epiſcopi illius in Diocesim Menevenſem ei indicavit, & qualiter parochiam Eccleſiæ S. David, quæ in manu & cuſtodiâ Regis ipſius erat Sede vacante, occupare volebat. Propter quod Regem monuit & rogavit; quatinus Epiſcopum illum literis ſuis & nunciis à tali præſumptione coerceret. Subjunxit etiam ventam quam circumſtantes ad riſum commovit, quòd ſicut Laici & populi Walliæ fures & raptores erant rerum aliarum, ſic & Epiſcopi Walenſes Eccleſiarum. Cui Rex ita reſpondit. Revera Epiſcopus hoc facere voluit; ſed tu viriliter ei reſtitiſti, & Eccleſiam tuam contra ipſum optimè defendiſti. Advocanſque magnates ſuos qui tunc aderant, cœpit referre qualiter Epiſcopus ille Eccleſiam de Epiſcopatu S. David occupare volebat & dedicare, & qualiter Archidiaconum iſtum ſibi reſiſtentem Epiſcopus excommunicavit, & Archidiaconus incontinenti Epiſcopum non minùs audacter; omnium ſc. qui in Curiâ tunc erant & hæc audierant riſu maximo ſubſecuto. Sic enim Regi relatum fuerat, quòd uterque eorum alterum nominatim excommunicaverat. Unde admiratus eſt Archidiaconus vehementer, quòd rei illius notitiam Rex jam habuiſſet; & quòd ad eum quiſquam citiùs ipſo, qui celerrimè venerat, perveniſſet; niſi quoniam revera fama volat & ad Reges

Locus corruptus.

ac

ac Principes, quos nichil ferè latere potest, semper rerum eventus notabiles sub celeritate feruntur. Sed hæc hactenus. Priùs autem, quàm vel de obitu Menevensis Episcopi David, vel electione aut alterius substitutione dicamus; quædam quæ paulò antè acciderant non reticenda prosequamur.

CAP. VIII.

CUM circiter clausum Pascha Hugutio Cardinalis titulo S. Angeli, fungens in Angliâ legatione, Concilium generale regni totius apud Londoniam convocâsset; Archidiaconi Menevenses & Canonici discretiores ad protestandum pariter & prosequendum, si liceret, jus dignitatis Ecclesiæ suæ Metropoliticum coram Cardinali Londonias advenerunt. Episcopus enim ipsorum, quoniam in consecratione suâ controversiam illam abjuraverat, contra sacramentum suum licèt extortum venire nolebat. Prætemptantes autem primò Regis animum; utrum inclinari posset ad consensum, pecuniamque non modicam tam ipsi quàm consiliariis suis ad hoc offerentes, cùm plurimum circiter hæc laborâssent, quia Rex ille sc. Henricus II. morosus erat in responsionibus, tandem responsum hoc acceperunt; quòd nunquam id tempore suo Rex permitteret, nec caput Walliæ dando Walensibus Archiepiscopum contra Angliam erigeret. Quo audito, fecerunt quod potuerunt, jus Ecclesiæ suæ & pristinam dignitatem coram Legato, cujus tamen Concilium per contentiones & pugnas inter Archiepiscopos duos sc. Cantuariensem Ricardum & Eboracensem Rogerum de primâ sede & primatiæ dignitate aborsum fecit, in publicâ audientiâ sunt protestati.

CAP. IX.

PArumper autem postea defuncto Episcopo suo quasi XV. diebus ante Pentecosten, convenerunt Canonici apud Meneviam; ut super electione & Pastoris subrogatione communiter tractarent. Intrantes igitur Ecclesiam suam & Capitulum clausis ostiis & seratis, post diutinum consilium & tractatum prolixiorem, tandem in quatuor Archidiaconorum suorum nominationem, quia non plures Ecclesia illa neque majores personatus habebat, unanimiter consenserunt; ita ut quem illorum Rex vellet assumeret, & ille singulariter postmodum atque solemniter eligeretur. Et continenter tanquam unius electione legitimè factâ in Canticum laudis impetu magis quàm consilio proruperunt. Quanquam enim ut regio deferrent honori plures nominarent; de uno tamen præ cæteris assumendo sc. Magistro Giraldo, quoniam alii famæ obscuræ fuerant & fortunæ, id solum intendentes, id attendentes, spem singularem atque fiduciam omnes habebant. Populique stantes exteriùs & Canticum audientes, Giraldum solum inter alios electum solumque præ cæteris electione dignissimum, cum necdum tricesimum ætatis ageret annum, conclamabant. Eâdem autem nocte cogitans Giraldus secum & considerans circa [a] Festum istud præpopere nimis & inconsultè processum fuisse, cùm in Regno Anglicano neque nominatio fieri soleat nec electio nisi Rege priùs adito vel ejus Justiciario & obitu Episcopi ei nunciato, suoque assensu requisito, manè Capitulum intrans, coram omnibus nominationi de se factæ cum admiratione cunctorum & dissuasione renunciavit; dicens tamen & asserens, quòd Ecclesiæ suæ quo minùs electionem liberam haberet & legitimam, dum quidem ordine fieret competenti, nullatenus deesse volebat. Nec mora: fama facti istius ad Regem in Angliâ convolavit; nuncians ei electionem factam, & Giraldum Archidiaconum proculdubio electum esse. Rex autem hoc audito, quia contra regni

[a] f. factum.

sui consuetudinem & in injuriam ipsius magnam id actum videbatur, multùm excanduit, & statim Canonicos omnes terris suis & redditibus destitui jussit. Juravit etiam, quòd sicut ipsum expertem fecerunt electionis seu nominationis, sic eos omnes expertes & exsortes faceret promotionis. Iram tamen præcipuam & indignationem in Giraldum Archidiaconum convertebat; tum quòd pro Electo ab omnibus habebatur, tum etiam quòd rebellionem in Ecclesiâ Menevensi aut reclamationem à nullo fieri timebat nisi ab ipso, tam propter Clericatum ejus quo præcellebat & animositatem, quàm etiam propter generositatem ipsius magnam qua Principes omnes & Magnates Walliæ contingebat.

CAP. X.

INterim autem Archiepiscopo Ricardo Cantuariensi cum Suffraganeis suis ferè cunctis coram Rege constitutis, consuluit eos Rex super Episcopo Menevensi Ecclesiæ præficiendo. Qui cùm inquirerent inter se, utrùm aliquis in Ecclesiâ illâ posset idoneus inveniri; quia hoc ordine procedendum, ut de ipsâ Ecclesiâ sumatur si fuerit in eâ dignus inventus; tandem omnes Episcopi in Giraldum Archidiaconum ejusdem Ecclesiæ, quòd literatus egregiè & legitimè natus fuerat, concordabant. Archiepiscopus autem auditis aliis suum similiter assensum in eundem adhibuit; & hoc etiam adjecit, quòd simul cum Clericatu eximio vir erat animositatis & strenuitatis immensæ. Rex autem, qui alios omnes tacitè & patienter audierat, ad hæc Archiepiscopi verba, quippe quibus vim majorem & pondus inesse putabat, sic respondit. Nec Regi nec Archiepiscopo opus est aut expediens nimis probum aut strenuum, ne vel Angliæ corona vel Cantiæ cathedra detrimentum sentiat, in Ecclesiâ Sancti David Episcopum esse. Et sic dissoluto Concilio, Rex Archiepiscopo & paucis, quibus fidem majorem habebat, secretiùs revelavit non esse tutum Archidiaconum illum, quia Reso Principi Suthwalliæ & aliis ferè cunctis Walliæ majoribus sanguine propinquus erat, in cathedrâ Menevensi collocari; nec expedire per talis viri promotionem præcipuéque tam probi simul & tam generosi Walensibus vires dare eorumque superbiam augmentare. Hæc autem cùm vir bonæ & laudabilis memoriæ Rogerus Wigorniensis Episcopus Archidiacono secretó referret ac revelaret; dixit & asseruit plùs ipsum honorem tanti testimonii in tantâ audientiâ dati quàm Episcopatum optimum, nedum pauperem illum, diligere debere & approbare.

CAP. XI.

CUM itaque Canonici sui cuncti & Archidiaconi propter redditus suos recuperandos & in pace tenendos se regiæ voluntati omnino supponerent; & fiscalia stipendia, ut de loco ad locum propter electionem faciendam ad nutum Regis ipsum sequerentur, in commune susciperent; solus Giraldus tanquam timens Danaos & dona ferentes, nichil accipere volebat; sed nunc Archiepiscopum nunc Legatum adeundo pro Ecclesiæ suæ libertate laboravit; ut si non de corpore Ecclesiæ suæ, de membris saltem cum Regis assensu virum probum & non ignotum nec linguæ patriæ ignarum obtinere valerent. Tandem verò Legato, qui sibi imprimis auxilium promiserat, ei ex toto deficiente, Ecclesiâque suâ totâ per ignaviam succumbente, constitutis demum coram Rege Canonicis apud Wintoniam, nominatus est eis & oblatus ex parte Regis Monachus Ordinis Cluniacensis sc. Prior de Wenelac, omnibus & singulis tam famâ quàm facie prorsus ignotus, & tamen ab ipsis ibidem sc. in camerâ Regis coram

coram lecto suo ipso præsente cum stipatoribus suis & præcipiente more Anglicanæ tirannidis cum cantico laudis tremulo satis & tremebundo est electus. Cùmque Londonias ut consecraretur Electus ille & sic electus, cui nomen Petrus, ad diem statutum accederet; Giraldus nil ex contingentibus omittens, ad honorem & securitatem quod potuit fecit. Illi Electo, cujus nondum faciem viderat, ne contra Ecclesiæ dignitatem, ad quam magis assignatus fuerat quàm vocatus, professionem aliquam aut subjectionem nisi in formâ communi facere præsumeret, literis & nunciis dissuasit; præcipuè verò ne sacramentum aliquod super abjurando jure Ecclesiæ suæ faceret, ex parte Dei Sanctique David prohibere curavit. Ipse tamen, quoniam Regis plantatio fuerat & creatio, regiæ voluntati in nullo contraire disponens, super jure dignitatis Ecclesiæ Menevensis contra Cantuariensem non prosequendo sacramentum dedit, & sic consecrationem suscepit.

LIBER SECUNDUS
De Gestis GIRALDI.

CAP. I.

HIS ita completis, Giraldus nil credens actum cùm quid superesset agendum, nec retro respiciens sed semper se in anteriora protendens atque gradum incunctanter ascendens, causâ majoris & maturioris sententiæ congestis librorum thesauris in Franciam transfretare seque Parisiis denuo studiis elegantioribus totis desideriis applicare curavit: quatenus super Artium & literaturæ fundamentum Legum & Canonum parietes in altum erigere, & sacrum scripturæ Theologicæ tectum à superiori concludere, & sic ædificium triplici structurâ connexum firmissimis stabilire juncturis prævaleret. Cùm igitur annis plurimis ibidem primùm Imperialibus Constitutionibus deinde Pontificalibus demum verò sacris apicibus studiosum animum applicuisset; tantam in causis Decretalibus, quæ Dominicis diebus tractari consueverant, gratiam optinuit, quòd die quo ipsum causari velle notum in urbe fuerat, tantus ad vocem ejus jocundam Doctorum omnium ferè cum Scolaribus suis concursus extiterat, quòd vix domus amplissima capere poterat auditores. Adeò namque vivas legum & canonum rationes introductas rhetoricis persuasionibus adjuvabat; adeòque tam verborum scematibus atque coloribus quàm sententiarum medullis causas adornabat, dictaque Philosophorum & Auctorum miro artificio inserta locis congruis adaptabat; ut quanto scientiores & eruditiores accederent, tanto avidiùs & attentiùs ad audiendum memoriæque figendum aures & animos applicarent. Tantâ nempe verborum dulcedine ducti fuerant & deliniti; ut dicentis ab ore tanquam penduli & suspensi longo licèt eloquio & prolixo, cujusmodi tædium multis afferre solet, nec fatigari possent hunc audiendo nec satiari. Unde & Causas ejus omnes verbo ad verbum, sicut ab ore ipsius emanaverant, passim scribere Scolares & amplecti magno desiderio contendebant. Quadam autem die cùm fieret ad ipsum audiendum concursus undique magnus, finito sermone ipsius & murmure multitudinis cum favore

vore cunctorum & laude subsecuto, Doctor quidam egregius, qui & Parisiis in Artibus legerat & diu Bononiæ in Legibus studuerat, cujus nuncupatio Magister Rogerus Normannus, qui & postea Rothomagensis Ecclesiæ Decanus extitit, palàm in hujuscemodi verba prorupit. Non est sub Sole scientia, si fuerit Parisios fortè delata, quæ incomparabiliter ibi & longè excellentiùs quàm usquam alibi proculdubio non prævaleat. Principium autem Causæ illius & quasi proœmium hîc apponere præter rem non putavi. Sic igitur inchoâvit.

CAP. II.

" PRoposueram priùs audire quàm audiri, priùs discere quàm dicere, priùs " dubitare quàm disputare. Eruditis enim auribus summæque elo" quentiæ viris & minùs medullata sententiis oratio & jejuna verborum macies " propinabitur. Supervacaneum enim est & omnino superfluum tam inter " eloquentes arida quàm inter scientes & sapientes usitata proferre. Unde " moralis Seneca noster, & ab ipso Sidonius. *Donec scientiam natura combibe-* " *rit, non est major gloria dixisse quod scias quàm siluisse quod nescias.* Verunta- " men quoniam Augustino testante *turpis est omnis pars suo universo non con-* " *gruens*; ne solus inter vos anomalus videar, neve solus loquentibus aliis taci- " turnitate præ cæteris Pythagoricus discipulus inveniar; elegi potiùs loquen- " do ridiculus quàm tacendo discolus inveniri. Quam igitur vocem inter olo- " res canoros clamosus anser emittet? Nova nimirum an nota proponet? " Frequentata & trita fastidium generant; auctoritatem nova non habent. " Quoniam, ut ait Plinius, *Ardua res est vetustis novitatem dare, novis auctori-* " *tatem, obsoletis nitorem, fastiditis gratiam, obscuris lucem, & dubiis fidem, & om-* " *nibus naturam.* Questio, quam præ manibus habemùs, vetus est, sed non- " dum inveterata: lis dudum ventilata, sed adhuc sub judice.

Fuerat enim Questio proposita: *Utrum Judex secundùm allegata judicare debeat, an juxta conscientiam?* Ad ultimam autem hanc quasi disjunctè particulam longèque magis improbabilem tam urgentes Legum & Canonum rationes induxit; ut cum omnium admiratione, utrùm ornatui verborum an efficaciæ sententiarum & rationum major attribui laus deberet, cunctis in dubium verteretur. Adeò quidem ut vir nobilis, Canonicus Parisiensis Ecclesiæ, filius sc. Castellani de Monte Mauricii, qui & paulò pòst in Decanum ejusdem Ecclesiæ promotus fuit, quòd vir docilis erat & literalis eruditionis appetitor, in discessu ab Auditorio ubi ipse cum aliis multis intererat, Giraldum secretò conveniens quæsivit ab eo, quot annis apud Bononiam Legibus & Canonibus studium impendisset. Et cùm responsum acciperet, quòd nunquam Bononiæ fuerat; quæsivit iterum, ubinam in Jure studuerit; & cùm ab ipso audiret, quòd Parisiis tantùm operam huic studio per triennium indulserit, cum admiratione recessit. Præceptor autem ejusdem in eâ Facultate, quem post prandium visitavit, tanquam applaudens & discipuli tanti gloriæ congratulans, hoc ei in audientiâ verbum emisit. Nollem revera pro placito centum solidorum, idioma namque Bononicum erat, quin hodie in tanto Consistorio tantoque Scolarium conventu tam egregiè locutus fuisses. Quoniam, ut ait Jeronimus, profectus discipulorum laus est & gloria præceptorum. Contigit etiam quòd Magister Matthæus Andegavensis, quem in Legibus & Decretis tunc audiebat, vocatus à Papâ Alexandro III. ad Lateranense Concilium ut Cardinalis fieret, à sociis in Auditorio suo licentiam accipiens, quatinus Magistrum Giraldum loco ipsius auditorem & præceptorem haberent, cum multâ ipsius commendatione monuit attentiùs & suadendo consuluit. Quod cùm Scolares omnes appeterent & postularent; tamen ipse, quoniam in proximo Bononiam causâ majoris in eâ facultate profectûs ire proposuit, huic petitioni [non] adquievit. Lectiones

ctiones tamen duas in hospitio suo sociis de Decretis Gratiani, unam in Distinctionibus, & alteram in Causis, ad instantiam ipsorum cotidie legit.

CAP. III.

HOC autem & hîc inserere dignum duxi; quòd in Lateranensi Concilio circiter eadem tempora celebrato Canonici Menevenses, quùm Episcopus eorum licèt præsens existens propter sacramentum illud abjurationis pessimum & perniciosum obmutuit, jus Ecclesiæ suæ Metropoliticum, Synodalem in tantâ audientiâ facientes proclamationem, palàm & publicè sunt protestati. Unde Magister Gerardus, cui cognomen Puella, qui postmodùm Coventrensis Episcopus erat, reversus in Franciam & urbem Parisiensem à Concilio, cui Romæ missus ab Archiepiscopo Cantuariensi Ricardo interetat, Magistro Giraldo inter cætera quæ ei de Concilio retulit, & hoc subjunxit: quòd valde arroganter & audacter locuti sunt ibi Canonici Menevenses, Metropoliticam dignitatem sibi & Ecclesiæ suæ de jure debitam in tantâ audientiâ protestantes & proclamantes, Judicesque sibi super hoc dari & Commissionem fieri cum magnâ instantiâ postulantes. Sed quoniam Episcopus eorum qui fuit præsens nullam inde mentionem fecit, negotium tunc non processit.

CAP. IV.

UT autem ad rem pariter & materiæ cursum revertamur; Giraldus post diuturnam in studiis moram repatriandum ducens, cùm nuncios suos longè trans terminos veniendi & pecuniam ibi ferendi constitutos inaniter expectâsset; & creditores, quibus obligatus in multis extiterat, importuni & impatientes de die in diem acriùs instarent; dolens & anxius & quasi in extremâ jam desperatione constitutus, ad Capellam S. Thomæ Cantuariensis apud S.Germanum Autissiodorensem ab Archiepiscopo Remensi Regis Ludovici fratre nomine ipsius inter ipsa martyrii sui initialia constructam & dedicatam tanquam ad ultimum refugium cum sociis suis Martyris auxilium devotè deprecaturus & imploraturus accessit. Sciens quippe, quoniam ut ait Philo sapiens, quando deficit humanum auxilium, tunc recurrendum est ad divinum. Missâ igitur de Martyre solemniter auditâ & oblatione factâ, præmio devotioonis suæ statim & incontinenti divinitus dato, nuncios suos eâdem horâ cum hilaritate pariter & prosperitate suscepit: mirâ Dei dispositione, qui de rebus mundanis suo cursu provenientibus Sanctis suis elicit, & quod ex gratia suâ merâ dari dinoscitur, vult tamen tanquam precibus & meritis obtineri. Giraldo itaque versùs Angliam iter agente, cùm Attrebatum veniret in septimanâ Pentecostes, & juxta forum hospitatus esset; factus est tumultus in urbe magnus. Comes enim Flandriæ Philippus, qui tantus erat in hac urbe suâ, tunc existens in Foro, quòd tanquam in urbis medio spatium magnum in quadranguli modum obtinebat, quintanam erigi fecerat, clypeum videlicet fortem posti firmiter appensum, ubi tyrones & robusti juvenes equis admissis militaria negotia præludendo, lanceas frangendo vel obstaculum transpenetrando, vires suas experirentur. Giraldus etiam ab alto hospitii sui solio cuncta prospiciens, & utinam tanquam vana despicere valens, vidit Comitem ipsum totque cum ipso viros nobiles, tot Milites atque Barones sericis indutos, tot equos egregios admitti, tot lanceas frangi; ut cum diligentiâ magnâ considerans singula, vix satis admirari posset universa. Sed cùm hoc quasi per horam unam durâsset, totumque illud spatium grande tantâ Nobilitate repletum esset; Comite Philippo subitò discedente cunctisque dilapsis, ubi tanta pompositas paulò

paulò antè visa fuerat, nec homo nec bestia jam comparuit, nec quicquam nisi forum omnino vacuum videretis. Argumentum quidem & indicium magnum, sicut ipse de his & similibus loquens dicere solet; omnia sub Sole vanitati subjecta & quasi phantasmata celerrimè prætereuntia & tanquam momentanea sæcularia cuncta.

CAP. V.

PRocedens itaque & mari Flandriæ transnavigato, [a] Cantuariam veniens, in die S. Trinitatis cum Monachis loci ejusdem & in Refectorio requisitus à Priore comedit. Ubi sedens cum Priore & majoribus in disco principali duo, sicut ipse referre consueverat, ibi notavit, signorum sc. superfluitatem nimiam, & ferculorum numerositatem. Tot etenim Prior ad Monachos servientes, & illi è contra ad mensas inferiores exenia ferendo, & hi quibus ferebantur gratias referendo, digitorum & manuum ac brachiorum gesticulationibus & sibilis ore pro sermonibus longè leviùs atque licentiùs quàm deceret effluebant; ut quasi ad ludos scenicos aut inter histriones & joculatores sibi videretur constitutus. Esset itaque magis ordini consonum & honestati verbis humanis cum modestiâ loqui quàm mutâ in hunc modum garrulitate signis & sibilis tam jöculariter uti. De ferculis & eorum numerositate quid dicam; nisi quod ipsum multoties dicentem audivi; quia sedecim aut plura per ordinem, ne præter ordinem dicatur, sunt apposita valde sumptuosa. Ad ultimum quoque loco generalis olera per omnes mensas sunt allata, sed parum gustata. Tot enim videas piscium genera, assa quidem & elixa, farta & frixa, tot ovis & pipere cibaria cocorum arte confecta, tot sapores & salsamenta ad gulam irritandam & appetitum excitandum eorundem arte composita. Ad hæc etiam in tantâ abundantiâ vinum hìc videas & siceram, pigmentum & claretum, mustum & medonem atque moretum & omne quod inebriare potest; adeò ut cerevisia, qualis in Angliâ fieri solet optima & præcipuè in Cantiâ, locum inter cætera non haberet. Sed hoc ibi cerevisia inter pocula, quod olus inter fercula. Tot inquam videas in cibis & potibus superflua nimis & sumptuosa; quòd non solùm hæc fastidium sumenti sed etiam tædium parere possent intuenti. Quid autem ad hæc Paulus Eremita diceret? quid Antonius? quid monasticæ vitæ pater & institutor Benedictus? Ut etiam longè propiùs exempla petamus; quid noster Jeronimus, qui in *Vitas Patrum* primitivæ Ecclesiæ parsimoniam & abstinentiam atque modestiam tantis laudibus effert; dicens ibidem inter cætera Ecclesiam quidem, ex quo crevit possessionibus, multùm decrevisse virtutibus. Referebat etiam quandoque Giraldus, quòd & hìc apponere præter rem non putavi; qualiter Monachi S. Swithuni Wintoniæ cum Priore suo coram Anglorum Rege Henrico II. ad terram in luto prostrati, cum lacrimis ac luctu conquesti sunt ei; quòd eorum [Episcopus] Ricardus, quem & loco Abbatis habebant, tria eis fercula subtraxerat. Et cùm Rege inquirente quot eis remanserant, responderent decem, quoniam ab antiquo tredecim habere consueverant. Et ego, inquit Rex, in Curiâ meâ tribus ferculis contentus sum. Pereat Episcopus vester, nisi ad hunc numerum ferculorum meorum redigat fercula vestra. [b] *Ut quid ergo perditio hæc?* præcipuè in viris religionem profitentibus & habitu præferentibus. *Poterant enim venundari* hæc superflua, *& dari pauperibus.* Hanc autem rationem assignant,

[b] Mat. xxvi. 8.

[a] Effusam Monachorum & præcipuè Cantuariensium luxuriam Giraldus in *Speculo Ecclesiæ* MS. Dist. 2. cap. 4. acriùs insectatur; ubi istius convivii historiam ex hoc libro descriptam inseruit; addens se aliâ pòst vice eorundem Refectorio die S. Trinitatis interfuisse; & Prioris mensæ adhibitum fercula septemdecim ordine imposita notâsse.

& factum

& factum suum sic colorant; quòd propter eleemosinam ampliandam & augmentandam tanta in ordine ipsorum inventa & admissa est ferculorum numerositas. Meliùs tamen atque consultiùs & scandalum vitari & honestati eorum atque modestiæ provideri posset; si paucioribus ferculis contenti forent, & de superfluis illis pauperes Christi reficerent; sicque gulam temperarent, & scandalum resecarent, & eleemosinam suam longè satiùs atque salubriùs augmentarent.

Profectus autem hinc versùs Londonias, invenit Archiepiscopum Cantuariensem Ricardum in quadam terrâ suâ non procul ab urbe Londoniæ distante; à quo, quùm ei familiaris atque dilectus extiterat, fuit hospitio eâ nocte retentus & cum honore receptus. Manè verò nuncio suscepto quòd eâdem die Londonias Wintoniensis Episcopus Ricardus quandam sororem suam in Episcopatu Wintoniensi maritatam à viro suo ecclesiasticâ censurâ separare volebat; consulens super hoc Archiepiscopum, statim literas suas impetravit; quibus ipsum affectuosè rogavit, quatinus divortium illud tunc differret, & virum cum uxore suâ concordari, si fieri posset, non impediret. Et sic Londonias incunctanter accelerans, invenit ibi apud Sutwerche in Capitulo grandi ad hoc convocato sororem suam & virum suum jam coram Episcopo stantes, & divortium, quod eis statim imminebat, expectantes. Episcopus autem videns ipsum intrantem, cujus notitiam satis habuerat, & socios suos cum signaculis B. Thomæ à collo suspensis; admirans quoque subitum ejus adventum, quem in Franciâ tanto tempore fuisse cognoverat & adhuc esse putabat, ipsum in osculo suscipiens ad latus suum apposuit, sociosque suos recipi jussit; & cùm literas Archiepiscopi porrectas inspexisset, respondit quòd si per se Archidiaconus advenisset, & eum absque literis omnibus sors obtulisset; ipsum in hac petitione libenter audiret, tantòque libentiùs tamen quòd Archiepiscopi mandatum inde susceperat. Sicque soluto Capitulo per inopinatum ejus adventum & insperatum hunc eventum vir & mulier super gravi discordiâ & ferè implacabili, unde pecuniam grandem Episcopo propter divortium dare debuerant, per operam Giraldi paulò pòst sunt pacificati. Argumentum quòd prope est Deus in angustiis, & quia nemini fideli in Deo confidenti in quocunque articulo seu puncto constituto, nisi merita repugnent, de divinâ misericordiâ est diffidendum; & quòd plerumque *Grata superveniet, quæ non sperabitur, hora.*

CAP. VI.

Cum igitur Angliâ transcursâ demum in Walliam pervenisset; contigit in brevi postea Petrum Menevensem Episcopum, qui propter discordiam inter Episcopum & Walenses exortam à Walliâ expulsus fuerat, vel se potiùs expulsum simulaverat, consilio Cantuariensis Archiepiscopi Magistro Giraldo Archidiacono suo generalem totius Episcopatûs curam & custodiam commisisse; adeò ut per ipsum omnia tam in temporalibus quàm spiritualibus, præter sacramenta solis Episcopis concessa, disponerentur. Cùm igitur Ecclesiam Menevensem sic aliquamdiu sapienter & modestè gubernasset; Episcopus ab Angliâ, ubi in quodam Monasterio moram faciebat, per literas suas & nuncios Canonicos Sancti David & Archidiaconos non vocatos aut citatos, non convictos aut confessos, impetuosè & inconsultè quosdam suspendere & alios excommunicare præsumpsit. Quæ cùm Giraldus corrigere vellet nec posset, sed contra consilium suum & dissuasionem crebram de die in diem acriùs in ipsos desæviret; condolens & compatiens Ecclesiæ suæ, curam & custodiam sibi commissam Episcopo resignavit; & Capitulo suo firmiter adhærendo citra juris ordinem excommunicatos & suspensos justè per Archiepiscopum absolvi fecit;

fecit; & Ecclesiam suam contra extraordinaria & impetuosa Episcopi gravamina providè pariter & discretè defendit. Novum etiam Officialem ad Ecclesiæ Menevensis & Clericorum patriæ gravamen ab Episcopo missum penitus à Clero repelli fecit & cum dedecore recusari. Argumentum dilectionis & devotionis, quam erga Ecclesiam suam habuit maximè, qui maluit ei assistere eamque defensare privatus, quàm ipsam opprimere vel opprimenti consentire in potestate constitutus.

CAP. VII.

PRocessu verò temporis & non longè pòst discordiâ inter Episcopum & Archidiaconum ortâ pergrandi, adeò ut Romam mittendo & Episcopum criminaliter accusando totis ad ejus depositionem intendere nisibus Archidiaconus appeteret & affectaret, tamen cùm de pace inter ipsos formandâ magni viri laborent; ipse pacem Menevensis Ecclesiæ præferendo, absque illius pace se verbum pacis in eundem nullum prorsus admissurum constantissimè proponebat. Demum verò die ad hoc assignato tam Archidiacono quàm Capitulo apud Meneviam in Synodo, quam tenuit ultimam Episcopus Petrus circa Pentecosten, per operam Archidiaconi tunc ibidem effectum est; ut omnium quæ vel Episcopus Capitulo, vel Capitulum Episcopo, seu Canonicus Concanonico suo injustè abstulerat, per sacramenta undique data statim fieret restitutio. Quo facto Episcopus, ut inter Episcopum & Archidiaconum pax firmior & stabilis concordia foret, tam terras apud Landu occupatas, sc. in partibus de Brecheniauc, quàm etiam terras quasdam ad Præbendam de Martru spectantes, ei tunc restituit. Poncius autem dictus Archidiaconus de Penbroc nondum hoc effectui mancipato secretiùs Archidiaconum Giraldum conveniens solum, fratre ipsius Archidiaconi viro probo & prudenti Philippo de Barri teste adhibito, cœpit ei ostendere mensæ Episcopalis in hoc facto, si processerit, læsionem non modicam & redditaum mutilationem. Proinde ut sibi provideret in hoc & præmunitus esset, monuit & in bonâ fide consuluit. Adjecit enim, quòd de nemine spes tanta fuit succedendi in cathedram Menevensem post Episcopum istum, sicut de personâ ipsius. Archidiaconus autem ad hæc respondit; quòd propter spem istam quod tam utiliter & rectè provisum fuerat, per ipsum non remaneret. Pertinax enim in hoc & constans erat; dissuadente tamen utroque, tam Archidiacono Pontio, quàm etiam fratre suo Philippo. Adeò quidem quòd quædam Ecclesia sua bona sc. de Lanwadaf tunc inter alia Capitulo fuit adunata, sed tamen ad ejus instantiam cuidam Clerico suo Martino sc. de Lanwadein, Capitulo consentiente & Episcopo instituente, in Canonicam data fuit, processu temporis ad usus communes reversura. Asseruit etiam, quòd si jam consecratus Episcopus esset, hoc ipsum facere non prætermitteret. Quoniam in jacturam propriam licèt acciderit, communibus commodis longè postponeret. Argumentum igitur & indicium hinc certissimum; quòd zelum habuit Giraldus Archidiaconus rectitudinis magnum & valde incensum ecclesiasticæ tranquillitatis affectum.

CAP. VIII.

CRescente igitur famâ Giraldi & de die in diem ampliùs innotescente, ab Anglorum Rege Henrico II. in Marchiæ finibus ad Walliam pacificandam tunc agente consilio Magnatum suorum est vocatus; & per Regis instantiam magnam, promissiones etiam & præceptiones, quanquam invitus plurimùm & renitens, quòd sicut Scolarium vitam præ aliis appreciari sic Curialium quoque detestari solet, demum Curiæ sequela & Clericus Regis est effectus. Cùm

Cum ergo pluribus annis Curiam sequendo fideliter servisset, & ad Walliam pacificandam & in pace tenendam plurimùm profecisset; tamen propter parentelam qua Resum filium Griffini & alios Walliæ Principes contingebat, nichil à Rege qui tot ditabat & promovebat indignos, præter vacua veris promissa suscepit. Valde tamen in secreto coram Consiliariis suis ipsum Rex commendabat; mores ejus modum & modestiam ac fidelitatem quam expertus fuerat approbabat; dicens & asserens, quòd nisi de Walliâ natus esset, & Walliæ Magnatibus præcipuè quidem Reso sanguine tam propinquus existeret, [dignitatibus] ecclesiasticis & redditibus amplis copiosè quidem ipsum extolleret, & in regno suo magnum efficeret.

CAP. IX.

Contigit autem circiter hæc tempora Resum filium Griffini Principem Suthwalliæ nunciis Regis Baldwino Cantuariensi Archiepiscopo, qui jam successerat Ricardo, & Ranulso de Glanvilla Justiciario Angliæ ad colloquium apud Herefordiam obviam venisse. Qui cùm sederet ad prandium in domo Episcopi Herefordensis sc. Willelmi de Ver, à quo cum honore magno susceptus hospitio fuerat & exhibitus; inter ipsum sc. & Walterum filium Roberti Baronem nobilem, qui de genere Clarensium erat sicut & Episcopus, accedens Giraldus Archidiaconus & astans coram ipsis mensâ tantùm interpositâ Resum in hæc verba satis curialiter & facetè convenit. Gaudere potes ô Rese, & lætus existere; quòd inter duos Clarenses, quorum hæreditatem tenes, & de majoribus duos, in hoc prandio sedes. Tenebat enim tunc terram de Kerdigan totam; quam super Comitem de Clara Rogerum recuperaverat. Resus autem, ut erat optimi vir ingenii & præcipuè promtulus in responsionibus bonis, incontinenti respondens: Verum est, inquit, quòd hæreditatem nostram per Clarenses multo tempore perdidimus; sed ex quo perdere debuimus, læti sumus & esse debemus, quòd non per ignavos aliquos & obscuros, sed per viros tam claros & tam illustres terras nostras tamdiu perdidimus. Subjecit etiam Episcopus. Et nobis quoque multum placet, ex quo terras quas tanto tempore possedimus, perdere debuimus; quòd vir tam probus & tam nobilis ut Resus ipsas nunc tenet. Post somnum verò meridianum die jam inclinatâ cùm viridarium quoddam intrâssent Episcopus & viri magni, Resum secum ducentes; facto ibidem consessu, & Giraldo Archidiacono intrante cum aliis & sedente, Resus resolutus in verba jocosa & ludicra, deque Giraldo loquendi materiam sumens, & tanquam ei de sermone in prandio dicto vicem reddere volens, ait. Archidiaconus iste & illi de genere suo qui Giraldini dicuntur, de amitâ meâ Nestâ sc. sorore Griffini patris mei descenderunt; & viri magni quidem & probi sunt, sed nonnisi in angulo quodam Walliæ cantaredo sc. de Pembroc. Quinimo septem cantaredos Demetiæ filii Nestæ in Walliâ obtinuerunt. Primævus sc. Willelmus filius Giraldi Penbroc & Ginelin, Robertus filius Stephani Kerdigan & Kemmeis, Henricus filius Regis Nerberd & Penbidiauc, Mauricius Landesteffan, Willelmus Hay Sanctum Clarum, Hoelus & Walterus Lanpeter & Swelfrei cum terris aliis. Duæ verò filiæ Nestæ, sc. Hangaret mater mea & Gladewis, duobus Baronibus de Ros & Penbroc nuptæ fuerant. Præter hos sex aut septem Barones, David Menevensem Episcopum, qui toti ferè Suthwalliæ pontificali jure præsidebat, filium habuit. Præterea licèt de Walliâ tantas portiones & tam largas habuissent; tamen crescente propagine & pullulante progenie, filii Nestæ Robertus & Mauricius cum nepotibus suis Remundo & Meilero necnon & filiis atque cognatis mare Hibernicum transvolantes conquestui regni illius suâ principium dederunt animositate; & xxx. cantaredos vel plures sibi & suis de regno Hibernico retinuerunt;

 runt;

runt; cunctarumque terrarum, quæ ab Anglicis ibidem possidentur, per aggressum suum occasio fuerunt. Cùm igitur vii. ferè cantaredos Nestæ successio de Walliâ habuerit, præter Kerdigan quoque cujus partem majorem quandoque possedit; cùmque triginta vel plures in Hiberniâ conquisierit; nec verè dici potest nec seriò dici debet, quòd proles Nestæ nisi in angulo de Penbroc vivere non possit. Sed verissimè dici potest filios Griffini extra Suthwalliæ portiunculam modicam nullatenus vivere posse videri; de qua cùm vii. cantaredos vel octo [a] tamen adhuc obtineant, totum sibi residuum quasi jure hæreditario vendicantes nec ad exteras regiones transeunt nec hæreditatem suam conquirunt. Resus autem quoniam in magnâ audientia hæc dicta fuerant; quia coram Archiepiscopo & Justiciario necnon & Episcopis atque Baronibus qui jam supervenerant non paucis, verecundiâ parumper & rubore perfusus, quia tamen vir sapiens erat & discretus, satis modestè respondit in hunc modum dicens. Quòd revera viri probi & strenui fuerunt & sunt qui de Nestâ provenerunt; & quòd conquestum magnum in Hiberniâ fecerant, si tamen eis remanere posset. Propter hoc autem istud adjecit; quòd nationes hæ duæ, Walensica sc. & Hibernica, terras omnes ab Anglicis sibi ablatas semper recuperandi spe pascuntur. Nunciis igitur ad Regem reversis, cùm inter cætera verba tam prandii quàm viridarii responsa ei fideliter relata fuissent; risu grandi secuto cœpit Rex coram omnibus personam Giraldi Archidiaconi, probitatem ejus atque prudentiam commendare plurimis & magnificare; dicens nisi Walensis esset, excellenti dignum honore. Sed quoniam probitas laudatur & alget, licèt exercitus Resi plurimos præter alia servitia magna à terrâ Regis, quam impetere parabat, ipse solus per operam suam & diligentiam avertisset; nichil tamen à Rege præter laudes hujusmodi vanas & adulationes cum promissis magnis accepit. Sicut ergo à pluribus ei dictum fuerat Consiliariis Regis in vitâ ipsius & post mortem à plurioribus; nichil illi impedimento fuit promotionis magnæ, nisi solùm natio ipsius & cognatio.

[a] Tantum.

CAP. X.

HIS autem diebus Patriarcha Heraclius de Jerosolimis in Angliæ fines advenit, & claves urbis Jerosolimitanæ Regi optulit; postulans humiliter sed non impetrans, ut vel ipse ad terræ Jerosolimitanæ defensionem veniret, vel unum filiorum suorum (quoniam adhuc tres extabant) illuc mitteret. Ipse verò nec hoc nec illud faciens, sed nuncium tantùm spernens, & spretus ob hoc ipse, Deumque deserens & desertus à Deo, quia quæ semper hactenus creverat ex tunc versa est in ignominiam gloria ipsius, filium suum natu minorem Johannem cum magno apparatu in Hiberniam misit; Magistrum quoque Giraldum, quòd de primis expugnatoribus gentis illius magnum in Hiberniâ genus habebat, & quòd probus ipse ac prudens extiterat, cum ipso transmittens. Cùm ergo Paschali tempore de Penbroc in Walliâ & portu Milverdico classe solutâ Johannes in Hiberniam transfretando apud Waterfordiam applicuisset; propter causas in *libro Expugnationis Hibernicæ* à Giraldo conscriptas non profecit. Quarum etiam tres urgentissimas & hìc inserere dignum duxi. Prima fuit, quòd cùm in Saracenos potiùs ad Terræ Sacræ subventionem mitti deberet, missus est in Christianos. Secunda quòd juvenis & puer ipse juvenum quos secum duxit, qui ibi ignoti fuerant penitus & ignari, consiliis utens, probos viros & discretos ibi repertos, qui mores & modos gentis & patriæ cognoscebant, tanquam extraneos & indignos repellebat. Tertia verò, quæ quidem omnium pessima fuerat, quòd Deo & Ecclesiæ suæ nullum in partibus honorem facere disponebat; Sicut ex Visione, quam tunc vidit Giraldus & in prædicto Expugnationis Hibernicæ libro posuit, palàm apparuit. Quan-

Quanquam propter hoc præcipuè, ut Ecclesiam Hibernicam extolleret & exaltaret, & denarium S. Petri sicut in Angliâ sic in Hiberniâ dari faceret, pater ipsius intrandi Hiberniam sibique subjugandi ab Ecclesiâ Romana licentiam impetravit: Quemadmodum ex privilegio Adriani Papæ super hoc obtento aperte declaratur. Cujus transcriptum, sicut in *Expugnationis* libro illius est positum, simul cum Visione illâ verbis eisdem hîc apponere præter rem non putavi. Hoc autem privilegium fuit.

CAP. XI.

" ADrianus Episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio " illustri Anglorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem. " Laudabiliter & fructuosè de glorioso nomine propagando in terris & æternæ " fœlicitatis præmio cumulando in cœlis tua magnificentia cogitat: dum ad " dilatandos Ecclesiæ terminos, ad declarandam indoctis & rudibus populis " Christianæ fidei veritatem, & vitiorum plantaria de agro Dominico extir- " panda, sicut Catholicus Princeps intendis; ad id convenientiùs exequendum " consilium Apostolicæ Sedis exigis & favorem. In quo facto quantò altiori " discretione procedis, tantò in eo fœliciorem progressum te præstante Domi- " no confidimus habiturum, eo quòd ad bonum exitum semper & finem so- " leant attingere, quæ de ardore fidei & religionis amore principium accepe- " runt. Sanè Hiberniam & omnes Insulas, quibus Sol Justitiæ Christus il- " luxit & quæ documenta fidei Christianæ ceperunt, ad jus B. Petri & S. R. E. " quod tua etiam nobilitas recognoscit, non est dubium pertinere. Unde " tantò in eis libentius plantationem fidelem & germen gratum Deo inseri- " mus; quantò id â nobis interno examine districtiùs prospicimus exigendum. " Significâsti nobis siquidem, fili in Christo carissime, te Hiberniæ Insulam ad " subdendum populum illum legibus, & vitiorum plantaria inde extirpanda " velle intrare, & de singulis domibus annuam unius denarii B. Petro velle sol- " vere pensionem, & jura Ecclesiarum terræ illius illibata & integra conser- " vare. Nos itaque pium & laudabile desiderium tuum cum favore congruo " prosequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes assensum, gratum & " acceptum habemus, ut pro dilatandis Ecclesiæ terminis, pro vitiorum re- " stringendo decursu, pro corrigendis moribus & virtutibus inserendis, pro " Christianæ religionis augmento, Insulam illam aggrediaris, & quæ ad ho- " norem & salutem illius terræ spectaverint exequaris. Et illius terræ popu- " lus honorificè te recipiat, & sicut Dominum veneretur. Jure nimirum è " contrario illibato & integro permanente, & salvâ B. Petro & S. R. E. de " singulis domibus unius denarii pensione. Si ergo quod concepisti animo, " effectu duxeris prosequente complendum; stude gentem illam bonis moribus " informare. Et agas tam per te quàm per illos, quos ad hoc fide, verbo & " vitâ idoneos esse prospexeris; ut decoretur ibi Ecclesia, plantetur & crescat " fidei Christianæ religio; & quæ ad honorem Dei & salutem pertinent ani- " marum, taliter ordinentur; ut à Deo sempiternæ mercedis cumulum conse- " qui merearis, & in terris gloriosum nomen valeas & in sæculis obtinere.

Visionem quoque Giraldi cum quibusdam ab ipso præmissis, ut evidentior Visio fiat, suis ipsius verbis hîc apposui. Cùm enim causas incommodi & infortunii, quas dolens ipse notaverat, plurimas assignâsset; tandem & hanc quasi validiorem aliis & urgentiorem assignavit. Accessit & incommodum omnium majus; quòd Ecclesiæ in novo Principatu nostro nichil de novo conferentes, non tantùm principali largitione debitoque dignam honore non judicavimus; quinimo terris statim sublatis & possessionibus, pristinas eidem dignitates & antiqua privilegia vel mutilare contendimus vel abrogare.

C A P.

CAP. XII.

Hibern. Expugn. lib. 2. cap. 35.

"CUM igitur super universis quæ nobis acciderant, mecum non medio-
"criter anxius extiterim; & præcipuè super hâc Salvatoris injuriâ
"suspiriosæ mihi multoties cogitationes in animum ascenderint; nocte quadam
"dam in somnis ex reliquiis fortè cogitationum Visionem vidi, quam & in
"crastino statim Venerabili Dublinensium Archipræsuli Johanni non absque
"utriusque admiratione propalavi. Visus sum enim mihi videre filium Regis
"Johannem in viridi quadam planicie tanquam Ecclesiam fundaturum. Cùmque metantium more cespitem undique signando terræ faciem lealiter ape-
"ruisset; fabricam archetipam sensili quodam modo circumponens, tandem
"corporis Ecclesiæ signatio posterior aliquantulum capax, Presbyterium au-
"tem enormiter arctum aparuit & informe; tanquam Laicorum in Insulâ
"partem non modicam Cleri verò minimam efficere disposuisset. Cùmque
"satis ibidem ut videbatur super eidem adjiciendâ tam amplitudine majore
"quam formâ digniore frustra tamen disputaverim; ipsa tandem contentionis
"anxietas experrecto somnum extorsit. Sicut autem is somnis ex abundantiâ cordis imaginariè, sic multoties non somniando sed vigilando Comitem licèt incassum simili suasione convenit.

CAP. XIII.

PRocessu vero temporis duorum Episcopatuum, qui tùnc vacabant, Wesefordiensis, sc. qui & Fernensis dicitur, & Lechelinensis, Archidiacono Comes optionem dedit; & cùm utramque recusaret, obtulit illi duas Ecclesias illas & Dioceses in unum convertendas, si regimen ipsarum suscipere vellet. Ad quod respondit; quòd si animum ipsius ad hoc datum videret, ut Ecclesiam Hibernicam extollere vellet & sublimare; se forsan ut ad hoc cooperari & quo adjuvare posset oblatum honorem suscepturum. Sed quoniam hoc non attendit; maluit esse privatus, quàm inutiliter in potestate constitutus; nec aliquatenus ibi præesse voluit, ubi prodesse non potuit. Videns ergo quòd Comes ibi nil proficeret, sed de die in diem deteriorem per ejus adventum terra statum haberet; considerans etiam multa ibidem nova & notabilia, aliis aliena regnis & prorsus incognita; ut vel ipse quæstum aliquem vel conquestum suo saltem labore faceret; primò *Topographiæ* suæ, deinde *Expugnationis Hibernicæ* materiam ibi colligere studio grandi & diligenti inquisitione curavit. Cùm itaque Comes per æstatem totam & hiemis partem morâ in Hiberniâ inutili factâ, remenso pelago in Walliam & Angliam remearet; Giraldus cum Senescallo Hiberniæ Bertranno de Verdun socius & rerum gerendarum testis relictus, ut studio prædicto pleniùs indulgeret, non solùm congerendo sed etiam digerendo usque ad Pascha sequens moram in Insulâ fecit.

Accidit autem cùm in mediâ Quadragesimâ, sc. ad *Lætare Jerusalem*, Johannes Dublinensis Archiepiscopus convocatis Suffraganeis Episcopis Dublinensibus in Ecclesiâ S Trinitatis Concilium teneret; primo die sermonem fecit ipse de sacramentis Ecclesiæ. Secundo die Abbas de Balkinglas Albinus, qui & postea Fernensis Episcopus erat, de continentiâ Clericorum sermonem texens prolixiorem, totam in Clerum qui de Walliâ & Angliâ in Hiberniam advenerant denique culpam refudit; docens munditiam Cleri Hyberniæ quanta fuerit, donec ex contagio advenarum, quì m â convictu mores formantur, & qui picem tangit coinquinabitur ab eâ, corruptelam contraxerunt. Ad cumulum quoque confusionis finito sermone ipsius, Clerici nostrates de Wesefor-

diæ

diæ finibus se invicem super concubinis publicè ductis domumque traductis & nuptiis solemniter factis coram Archiepiscopo & universo Concilio constanter accusârunt, & accusatos incontinenti testium productione pariter & susceptione, instigante ad hoc Archiepiscopo Giraldi consilio, ut statim publicè justitia sequeretur, cum magnâ Cleri Hibernici tam irrisione quàm insultatione convicerunt. Archiepiscopus autem, ut Hibernicorum insultationem reprimeret, sibique tales immunditias & enormitates displicere probaret, in convictos illico sententiam dedit, & ipsos omni tam officio ecclesiastico quàm beneficio suspendit. Die verò tertio Archiepiscopus Giraldo Archidiacono sermonem injunxit; qui de pastorali officio materiam sumens, imprimis quæ ad laudem Cleri Hibernici verè dici poterant non suppressit, deinde de vitiis eorum & excessibus præcipuè verò de ebriositatis incommodo cunctos in commune notando; demum ad Prælatos ipsorum se convertens, eos super incuriâ & negligentiâ Pastorali irrefragabili ratione convicit. Unde & Sermonis ejusdem partem hæc continentem verbis eisdem, quæ etiam in *Topographiâ Hibernicâ* ultimâ Distinctione reperies, hîc interserere præter rem non putavi.

CAP. XIV.

EST autem terræ istius Clerus satis religione commendabilis; & inter varias, quibus pollet, virtutes castitatis prærogativâ præeminet & præcellit. Item Psalmis & horis, lectioni & orationi vigilanter inserviunt; & inter Ecclesiæ septa se continentes, à divinis quibus deputati sunt officiis non recedunt. Abstinentiæ quoque & parsimoniæ ciborum non mediocriter indulgent; ita ut pars maxima cotidie ferè, donec cuncta diei compleverint horarum officia, usque ad crepusculum jejunent. Sed utinam post longa jejunia tam sobrii fuerint quàm seri, tam veri quàm severi, tam puri quàm duri, tam existentes quàm apparentes. Inter tot enim millia vix unum invenies, qui post jugem tam jejuniorum quàm orationum instantiam vino variisque potionibus diurnos labores enormiùs quàm deceret nocte non redimat. Diem itaque naturalem tanquam ex æquo dividentes, lucidaque spiritui tempora, nocturna quoque carni dedicantes, sicut de luce lucis operibus indulgent, sic & in tenebris ad tenebrarum opera convertuntur. Unde & hoc pro miraculo duci potest; quòd ubi vina dominantur, Venus non regnat. Vix autem hoc Jeronimo persuaderi posset dicenti; quòd venter mero æstuans facilè despumat in libidinem. Vix & Paulo, qui ait. [a] *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Sunt tamen nonnulli inter hos optimi, & sine fermento sincerissimi. Est enim gens hæc cunctis ferè in actibus immoderata, & in omnes affectus vehementissima. Unde & sicut mali deterrimi sunt & nusquam pejores; ita & bonis laudabiliores non reperies. Sed inter avenas & lolia triticum rarum. Multos nimirum vocatos invenies, paucos electos: grana rarissima, paleas multas. In Episcopis verò & Prælatis hoc præcipuè reprehensione dignum invenio; quòd in populi tam enormiter delinquentis correctione desides nimis sunt & negligentes. Quòd igitur nec prædicant nec corripiunt; hinc ipsos prædico corripiendos. Quòd non arguunt, hinc arguo. Quòd reprehendere negligunt, hinc reprehendo. Quoniam, ut ait Gregorius, præconis officium suscipit quisquis ad sacerdotii gradum ascendit. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius; quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Si enim Prælati à tempore Patricii per tot annorum curricula prædicationi & instructioni, item increpationi & correptioni pro officii debito viriliter institissent; & enormitates gentis nimias aliquatenus extirpâssent, & aliquam in eis proculdubio formam honestatis & religionis impressissent; præcipuè quidem ubi adeò Prælatis bonis & prædicatoribus opus esset. Ut enim de perjuriis eorum & proditionibus, de furtis

Dist. 3. cap. 27,28,29,30.

[a] Ephes. v. 18

furtis & latrociniis, quibus totus hic populus propemodum immo præter modum indulget, de viciis variis & immunditiis nimis enormibus, quas *Topographia* declarat, ex toto non omittamus; gens hæc gens ſpurciſſima, gens vitiis involutiſſima, gens omnium gentium in fidei rudimentis incultiſſima. Nondum enim decimas vel primitias ſolvunt; nondum matrimonia contrahunt. Non incæſtus vitant; non Eccleſiam Dei cum debitâ reverentiâ frequentant. Nec infantes ante fores Eccleſiæ ſacerdotes eorum more debito catecizant; nec mortuorum corpora ad eccleſiaſticam ſepulturam debitis obſequiis proſequuntur. Quinimo quod deteſtabile valde eſt, & non tantùm fidei ſed & cuilibet honeſtati valde contrarium; fratres pluribus per Hyberniam locis fratrum defunctorum uxores non dico ducunt ſed traducunt, immo veriùs ſeducunt, dum turpiter eas & inceſtuosè cognoſcunt: Veteris in hoc Teſtamenti non medullæ ſed cortici adhærentes; vetereſque libentiùs in vitiis quàm virtutibus imitari volentes. Non ergo Prælatus in ipſis fuerat, qui tanquam tuba vocem exaltaret; non fuit qui ex adverſo aſcenderet, & murum pro domo Iſrael opponeret; non fuit qui uſque ad exilium nedum uſque ad ſanguinem pro Eccleſiâ Chriſti dimicaret, quam ipſe ſibi ſuo pretioſo ſanguine adquiſivit. Unde & omnes Sancti terræ iſtius Confeſſores ſunt, & nullus Martyr; quod in alio regno Chriſtiano difficile erit invenire. Mirum itaque quòd ubi gens crudeliſſima & ſanguinis ſitibunda, fides ab antiquo fundata & ſemper tepidiſſima, pro Eccleſiâ Chriſti corona Martyrii nulla. Non igitur inventus eſt in partibus illis, qui Eccleſiæ ſurgentis fundamenta ſanguinis effuſione cœmentaret; non fuit qui faceret hoc bonum, non fuit uſque ad unum. Sunt enim paſtores, qui non paſcere quærunt ſed paſci. Sunt Prælati, qui non prodeſſe cupiunt ſed præeſſe. Sunt Epiſcopi, qui non omen ſed nomen, non onus ſed honorem amplectuntur. Hujus itaque terræ Prælati intra Eccleſiarum ſepta de antiquâ conſuetudine ſe continentes, contemplationi ſolùm ferè ſemper indulgent; ubi & Rachelis pulchritudine ſic delectantur, ut Liæ lippitudinem faſtidio ducant. Unde accidit, ut nec verbum Domini populo prædicent, nec ſcelera eorum eis annuntient, nec in grege commiſſo vel extirpent vitia vel inſerant virtutes. Cùm enim omnes ferè Hiberniæ Prælati de Monaſteriis in Clerum electi ſint; quæ Monachi ſunt ſollicitè complent omnia, quæ verò Clerici vel Prælati ferè prætermittunt univerſa. Sin autem tantam curam agentes & tanquam ſibi ſolliciti pro grege commiſſo ſollicitari negligenter omittunt & poſtponunt; illud Jeronimi ad Ruſticum Monachum vel prorſus ignorantes vel diſſimulantes: *Sic vive in Monaſterio, ut Clericus eſſe merearis: longo tempore diſce, quod poſtmodum doceas; & inter bonos ſemper ſectare meliores; & cùm in Clerum electus fueris, age ea quæ Clerici ſunt.* Et illud ad eundem. *Si Clericatus titillat deſiderium; diſce priùs quod poſſis docere; ne ſis miles antequam tiro, ne magiſter antequam diſcipulus.* Sed malè ſibi provident, malè ſui curam agunt; cùm his, quorum cuſtodiæ ex ſuſcepti regiminis officio ſunt deputati, per incuriam & negligentiam, curam & providentiam ſubtrahunt & ſubducunt. Seipſos enim multò graviùs quàm illos & damnabiliùs ſeducunt. Scire igitur debent, quòd ſicut Jeronimus ad Eleutherium teſtatur, Cùm alia ſit cauſa Monachi, alia Clerici; & Clerici oves paſcant, Monachi paſcantur: Sic ſe habent Monachi reſpectu Clericorum, tanquam [grex] reſpectu paſtorum. Monachus enim tanquam unius cuſtos vel ſingularis dictus ſive ſolius curam agit. Clericus verò circa multorum curam ſollicitari tenetur. Eſt itaque Monachus tanquam granum tritici ſolum manens. Eſt autem Clericus tanquam granum germinans, & in horrea Domini multum fructum afferens. Bipertiti ergo hujuſmodi Prælati quædam contrahant ex Monacho & quædam ex Clerico. Ex Monacho contrahant columbinam ſimplicitatem, ex Clerico verò ſerpentinam prudentiam; hinc ſapientiam, inde eloquentiam; hinc verba, inde opera; hinc conſcientiam, inde ſcientiam; hinc fœcundi

fiant,

fiant, inde facundi: & sic utrumque compleant officium, ut inter sacerdotes ingredientes tabernaculum eorum vestimenta tintinnabulis ambiantur; & in ore ipsorum tam instructionis quàm increpationis verbum resonans audiatur. Fatuos enim & elingues Prælatos & plus Monachi quàm Clerici præferentes manifestè redarguit Jeronimus dicens. Innocens & absque sermone conversatio quantum exemplo prodest, tantum silentio obest. Latratu namque canum & baculo pastorum lupi sunt arcendi. Similiter & in primo Bibliothecæ Prologo. Sancta quippe rusticitas sibi solùm prodest; & quantum ex vitæ merito ædificat Ecclesiam Dei, tantum nocet, cùm destruentibus non resistit. Error enim, ut ait Innocentius, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cùm minimè defensatur, opprimitur. Item Eleutherius. Negligere cùm possis perturbare perversos, nichil est aliud quàm fovere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare; præsertim cùm ad hoc ex officio teneatur. Mirum autem cùm omnino tam desides officii tam subditorum salutis negligentes semper extiterint; quòd tot ex ipsis in terrâ pro Sanctis habentur, & ab accolis tanquam Sancti tam devotè coluntur & venerantur. Unde & unum duorum inevitabile est non evitari. Aut enim ab Agiographis nostris tam circa pastoralis officii debita quàm aliarum quarumlibet rerum instructionem multa ad terrorem constat emissa; & quoniam [b] *misericordiâ Domini plena est terra*, magis sperandum de clementiâ quàm timendum de justiciâ; aut potiùs Ecclesia militans in multis decipitur, triumphans verò non irridetur. Unde & nonnullos quos recipit hæc, despicit illa; quos prædicat hæc, abdicat illa; & è diverso. Illa quoque inter electos non immeritò multos honorat, quos ista tamen prorsus ignorat. Quidam enim intus esse videntur, qui foràs missi sunt; & quidam foràs mitti, qui tamen intus existunt. Quia quod altum est hominibus, abominabile est apud Deum; sicut & è diverso plerunque contingit.

[a] Psal. xxxiii. 5.

CAP. XV.

FInito verò Sermone, & favorabili nostratium murmure subsecuto, non hodie quod heri sed vice versâ grandi Clero Hibernico confusione perfuso, multâ in adversarios insultatione pariter & exsultatione capita nostrates erexerunt. Eodem die cænante cum Archiepiscopo Osiriensi Episcopo Fælice, qui Monachus erat mutilatus, ut videbatur, & eunucatus; cùm quæsisset ab eo Archiepiscopus quid ei visum fuisset de Archidiaconi sermone, respondit ille, quia multum bene dixit mala. Vocavit, inquit, nos potores. Certè vix me continui, quòd statim in ipsum non involavi, vel saltem quòd verbis talionem reddendo quòd acriter ei non responderim.

CAP. XVI.

CUM itaque magni nominis in Insulâ tunc Giraldus extiterit & famæ præclaræ; inter Pascha & Pentecosten de Hiberniâ in Walliam transfretavit; ubi & *Topographiæ* suæ, cujus tractatum jam inchoaverat, consummationi studiosam ex toto mentem applicuit. Processu verò temporis opere completo & correcto, lucernam accensam non sub modio ponere, sed super candelabrum ut luceret erigere cupiens, apud Oxoniam, ubi Clerus in Angliâ magis vigebat & Clericatu præcellebat, Opus suum in tantâ audientiâ recitare disposuit. Et quoniam tres erant in libro suo Distinctiones, qualibet recitata die tribus diebus continuis retractatio duravit; primoque die pauperes omnes oppidi totius ad hoc convocatos hospitio suscepit & exhibuit. In crastino verò

verò Doctores diversarum Facultatum omnes & discipulos famæ majoris & notitiæ. Tertio die reliquos Scolares cum Militibus oppidanis & Burgensibus multis. Sumptuosa quidem res & nobilis; quia renovata sunt quodammodo autentica & antiqua in hoc facto Poetarum tempora; nec rem similem in Angliâ factam vel præsens ætas vel ulla recolit antiquitas.

CAP. XVII.

Circa dies istos terrâ Jerosolimitanâ peccatis urgentibus Paganis & Parthis Saladino Duce subactâ, Rex Henricus exemplo Ricardi filii sui Comitis Pictaviæ Cisalpinorum Principum primo cruce signati unâ cum Philippo Francorum Rege apud Giortium, præsente Tirensium Archiepiscopo & persuadente, crucem susceperat; de Normanniâ, ubi moram diutinam fecerat, circa Kalendas Februarii in Angliam venit; & statim convocato in Norhamtunæ partibus apud Garcedune quasi Concilio, prædicante Baldewino Cantuariensi Archiepiscopo & Crucis signum præferente, necnon & Gilleberto Roffensi Episcopo sermonem ad huius faciente, ipso quoque Rege operam ad hoc præbente, majores Angliæ tam de Clero quàm de populo Crucem ibidem in humeris assumpserunt. Ut autem Walliæ sicut & Angliæ probos viros ad Crucis obsequium rex alliceret & obligaret; Cantuariensem Archiepiscopum Baldewinum ad Walliæ fines transmisit. Qui cum circa caput Jejunii simul cum Ranulfo de Glanvilla ei adjuncto Herefordiam veniret, & apud Radenouram Walliam intraret, ibique Resum filium Griffini & principales Walliæ viros plures obvios haberet; facto ab Archiepiscopo sermone de Crucifixi negotio, primus omnium Giraldus Archidiaconus aliis exemplum præbens ad instantiam Regis quæ præcesserat magnam & Archiepiscopi quoque ac Justiciarii ex parte ipsius plurimam, tam devotione propriâ quàm tantorum virorum exhortatione Archiepiscopo imponente Crucem suscepit. Et statim Menevensis Antistes Petrus, Archidiaconum tam sequendo quàm imitando, cum aliis multis signo Crucis humeris assuto & assumpto, Crucifixi obsequiis sunt astricti. Sicut in *Itinerario* Giraldi, quod ipse conscripsit, singulorum gesta dierum per Walliæ circuitum & rerum eventus tam antiqui quàm moderni luculento relatu depromuntur.

CAP. XVIII.

Procedens igitur Archiepiscopus, & Archidiaconum Giraldum individuum sibi ad prædicationis officium comitem assumens, Walliam quasi laterando & per Australem maritimam & Episcopatum Landavensem versus Meneviam tendendo, Crucem & Crucifixi obsequium ubique locis congruis prædicabat. Demum verò cùm jam Demetiam intrâsset, & Meneviæ partibus appropinquâsset; apud Haverfordiam tanquam in medio provinciæ sitam convocato partium illarum Clero & populo, primùm ipse sermonem fecit, deinde Giraldo Archidiacono verbum Domini faciendum injunxit. Cui tantam loquendi & persuadendi gratiam eâdem horâ contulit Deus; quòd totius terræ illius de ordine militari juventutis electæ pars potissima crucem susciperet, de populo verò non numerati. Cùm autem Archiepiscopus ad verbum suum de tantâ multitudine paucos crucem sumpsisse videret; quasi condolens & admirans ait. Deus quàm dura gens est hæc? Cùmque crucem suam portatilem ad tenendum eique innitendum Archidiacono tradi juberet; & Archidiaconus Episcopo suo Petro, qui ad latus Archiepiscopi sedebat, verbum injungi moneret; subjunxit Archiepiscopus, quia non attendi dignitas ad hoc debet, sed cui

cui gratiam dederit Deus. Diſtinxerat autem ſermonem ſuum Archidiaconus in tres particulas, tanquam vim violentam perſuaſionis in fine ſingularum conſtituendo. Unde & ter tanta venientium & Crucem rapientium preſſura fiebat, ut vix Archiepiſcopus ab impreſſione turbarum nimiâ defendi poſſet, & Archidiaconum loquentem ſilere diutiùs & pauſare præ tumultu ſingulis vicibus illis oporteret. Miles autem, cui nomen Philippus Mangunellus, qui & cognatus erat Archidiaconi, eidem pridie dixerat ſeriò quidem & non ludicro coram multis; quòd nullus vir probus patriæ propter ſuam vel Archiepiſcopi prædicationem crucem ſumeret, & quia ſic pro nihilo venerunt. Cui Archidiaconus paucis ſic reſpondit: quoniam in Deo erat hoc & non in homine. Accidit autem ut Militem illum in proſpectu ipſius ſedentem, quoties ſic pauſando ſilebat, totum flendo lacrimis effluere videret. Qui poſtea finito ſermone cum quinque vel ſex commilitonibus viris probis ac ſtrenuis ad Archiepiſcopum accelerantes, crucis ſignaculo ſunt inſigniti. Ex quo patet, quòd Spiritus ubi vult ſpirat & quando vult ſpirat. Unde & Archiepiſcopus pluries in illo itinere dicebat nuſquam ſe tot lacrimas, quantas apud Haverfordiam viderat, uno die vidiſſe. Jeronimus autem in libro Epiſtolari dicit, quòd lacrimæ populorum laudes ſunt prædicatorum. Præterea pro re mirandâ multi ducebant & obſtupebant; cùm Archidiaconus linguâ tantùm Gallicâ loqueretur & Latinâ; quòd non minùs vulgares qui neutram linguam noverant, quàm cæteri ad verbum ipſius flebant innumeri; & ad Crucis ſignaculum plures quàm ducenti concurrebant. Simile contigit in Alemanniâ de B. Bernardo; qui verbum Domini Teutonicis faciens linguâ Gallicâ, quam penitus ignorabant, tantam eis devotionem incuſſit & compunctionem; ut & ab oculis eorum lacrimarum affluentiam, & ad cuncta quæ ſuadebat vel facienda vel credenda facillimè cordium eorum duritiam emolliret; cùm tamen ad interpretis ſermonem eis linguâ ſuâ ſingula fideliter exponentis nichil omnino moti fuiſſent. Ex quo patet virtute divinâ Spiritu interiùs operante & corda perluſtrante tam hîc quàm ibi rebus quoque plus quàm verbis actum fuiſſe. Unde & finito ſermone, cùm Archidiaconus, qui ſtando locutus fuerat, ſe in ſeſſione reciperet; vir quidam Hoſpitalaris qui prope conſederat, dixit ei verbum iſtud. Verè Spiritus Sanctus hodie manifeſtè locutus eſt ore veſtro. Comes verò Moritoniæ Johannes, qui fratri Ricardo poſtea ſucceſſit in regnum; quia tunc temporis Comitatum de Penbroc donatione patris habebat, quàm citò poſtea Giraldum Archidiaconum in Angliâ vidit; acriter ei coram multis improperavit, quòd terram ſuam toto robore ſuo totiſque viribus, per quas contra Walenſes ſe tuebatur, per ſuam prædicationem evacuaverat; & quia non adeò propter terræ Jeroſolimitanæ ſubventionem ſicut propter terræ ſuæ deſtructionem, ut eam ſc. ſic viris vacuam parentibus ſuis Walenſibus tradere poſſet, iſtud fecerat. Ad quod Archidiaconus breviter reſpondit, in hunc modum; quòd intentionem ſuam in hoc facto ſcrutator cordium & intentionum novit Deus; & ille dijudicet.

CAP. XIX.

PRocedens autem Archiepiſcopus, & inde Meneviam veniens, quoniam ad Reſum Principem Suthwalliæ ipſum apud Aberteini expectantem iter accelerabat, Giraldo Archidiacono ſuper verbo Domini ibidem ſeminando vices ſuas injunxit. Ubi multi quidem ipſum audientes ad Crucis ſignaculum cum magnâ devotione accurrerunt; multo verò plures ad verbum ipſius valde moti, certumque propoſitum ſuſcipiendi Crucem habentes, ad interpretis vocem, quæ non adeò ordinatè vel gratioſè proceſſit, ſtatim à voto ſuſcepto reſilierunt. Quoniam, ut ait Rhetor Apollonius, lacrimâ nichil areſcit citiùs. In craſtino verò apud Kenmeis non procul tamen à ponte de Aberteini, convocato populo

populo partium illarum coram Principe Reso, primùm ad Archiepiscopi deinde ad Archidiaconi verbum virorum allecta est copia multa. Unde & eodem die vir quidam jocosus, qui simulatâ stultitiâ & linguâ dicaci magnum Curiæ solatium præstare solet, cui nomen Johannes Spang, dixit Reso. Multùm diligere debes, ô Rese, cognatum hunc tuum Archidiaconum; quia centum homines vestros vel plures ad Christi obsequium hodie misit; & si linguâ Walensicâ locutus fuisset, non credo quòd unus vobis de totâ multitudine vestrâ remansisset. Contigit autem eodem die, quòd viro quodam Cruce signato, quanquam unico filio & unico matris senio jam confectæ solatio, eundem statim mater intuita & divinitus ut videbatur inspirata, subjecit. Gratias tibi, carissime Domine Christe, intimas ago; quòd talem mihi filium, quem tuo dignareris obsequio, parere concessisti. Fuit & alia ibidem mulier, matrona sc. de Abertheini, animo à priore longè dissimili; quæ virum suum, ne ad Archiepiscopum iret neve crucem susciperet, per pallium & zonam firmiter tenens coram cunctis imprudenter retrahebat. Sed eadem tertiâ pòst nocte terribilem hanc in somnis vocem audivit. Servientem meum mihi abstulisti; quamobrem & à te quoque quod plurimum diligis auferetur. Qua visione viro cum utriusque tam admiratione quàm terrore relatâ, cùm iterum obdormisset, filium puerulum, quem secum in thoro maternâ plùs dilectione quàm diligentiâ jacentem habebat, non minùs infœliciter quàm insuaviter oppressit. Et statim vir Diocesano Episcopo tam visionem referens quàm vindictam, crucem suscepit uxore favente, ipsâque signum sponte propriis manibus armo virili inserente. Post hæc autem per amplam de Kerdigaun Provinciam euntes, & trans fluvium Devi Venedociam intrantes, cùm toto Quadragesimale tempore Crucis obsequiis indulgerent; ubique sermo Giraldi incomparabiliter gratiosus extiterat. Tandem verò cùm apud Album Monasterium & Osewaldestrue Powisiam lateraliter ambientes, Paschalibus diebus Slopesburiam pervenerunt; cùm ad Archiepiscopi cæterorumque verba perpauci, ad suasibilem Giraldi sermonem allecta virorum fuit copia multa. Unde cùm finitis sermonibus turbæ quæ convenerant dissolverentur; dixit matrona quædam ad convicaneas & matres suas in discessu, audientibus Clericis Archiepiscopi, ipsoque Giraldo, qui tunc eas evestigio fortè sequebatur. Nisi Archidiaconus ille (loquens sc. de Giraldo) tam lenibus verbis & tam simplici vultu viros nostros circumvenisset & incantâsset; bene propter omnes alios evasissent. Dixit etiam vir quidam, qui intererat, oppidi illius. Non est huic Archidiacono curandum, in quo loco aut coram quibus loqui debeat.

CAP. XX.

FInitâ sic igitur Legatione laudabili, cùm ad Angliam de Walliæ finibus tenderet Archiepiscopus; quidam de Clericis suis pariter iter agentes, & de peregrinatione Jerosolimitanâ coram ipso loquentes, interrogabant eum quis nobilem historiam illam de terræ Palestinæ per Principes nostros restauratione, & Saladini ac Saracenorum per eosdem expugnatione dignè tractare posset. Quibus ipse respondens ait, se bene providisse ac promtum habere qui Historiam illam egregiè tractaret. Et cùm instarent illi quærendo quisnam esset; vertens se ad Archidiaconum Giraldum, qui ad latus ipsius equitabat, Hic est, inquit, qui prosaicè tractabit; & nepos meus [a] Joseph me-

[a] Josephum Iscanum à Baldwino hîc laudari arbitror. Claruit is isthoc circiter tempore, arte Poeticâ insignis; qui inter alia ingenii sui monumenta scripsit metricè Belli Trojani Historiam, sub Daretis Phrygii nomine vulgatam. Illi patronus erat Baldwinus Archiepiscopus, referente Lelando apud Baleum de Scriptor. *Cent.* 3. *cap.* 60. Baldwini nepotem fuisse non alius ante Giraldum indicavit.

trice;

tricè; quem & Archidiacono adjungam, ut ei serviat & inseparabiliter adhæreat. Sperabat enim Archidiaconum promovendum à Rege plurimùm & sublimandum. Cœpit etiam Librum Archidiaconi, quem ei in introitu Walliæ dederat, & quem ipse jam legerat & perlegerat, sc. *Topographiam Hibernicam*, valde commendare, & stilum ipsius tractandique modum multis laudibus extollere. Potuit autem in hoc Archiepiscopi tam modestia notari quàm prudentia; quòd nichil in laudem Libri istius aut vituperium, donec totum audisset, pronuntiare volebat. Sciens quippe, quòd plerùmque Principium medio, medium quoque discrepat imo. Quæsiverat etiam Archiepiscopus ab ipso, utrùm evidentiam aliquam ab Agiographis & expositoribus nostris habuisset super allegoriis circa avium naturas assignatis in primâ *Topographiæ* distinctione. Et cùm responderet quòd nullam; subjecit Archiepiscopus, quia revera spiritu eodem quo & illi scripserunt scripta sunt ista. Ad hæc autem injunxit ei Archiepiscopus; ut gratiam stili egregii sibi à Deo collati vacuam esse non permitteret; sed eâ semper utendo & aliquid scribendo tempus otio non amitteret, sed studio continuo laudabiliq; labore nominis sui memoriam in ævum extenderet, & perpetuam sibi tam præsentium livore carentium quàm futurorum gratiam & favorem compararet: dicens etiam & asserens, ipsum longè plusquam divitias aliquas terrenas in brevi perituras aut sæculares dignitates citò prætereuntes talem stili gratiam à Deo datam diligere debere, & valde gratus existere: cujus quippe nec præterire possunt opera nec perire, sed quantò longæviora fuerint & antiquiora, tantò per ævum omne cunctis cariora & pretiosiora futura.

CAP. XXI.

INterea werrâ inter Reges transmarinis in partibus ortâ prægrandi, Pictavensium Comite Ricardo occasionem præstante, transfretantibus quoque Cantuariensi Archiepiscopo & Ranulfo de Glanvilla regni Justiciario, consilio eorundem & Archidiaconus transfretavit. Sed Rege Henrico brevi post defuncto, filioque suo Comite Ricardo ei subrogato, missus est ab eo consilio Cantuariensis Archiepiscopi ad servandam pacem in Walliæ finibus propter Regum mutationem Giraldus Archidiaconus cum literis multis. Contigit autem; cùm apud Depam transfretaturus accederet, nec vento in contrarium flante transfretare posset; relictis ibi saginariis & oneribus suis, ipse & milites quidam, quorum similiter erant acceleranda negotia, iter versùs Flandriam per maritimam, ut ociùs ibi transnavigare possent, expeditè & absque sarcinis arripuerunt. Unde quiddam, quod Archidiaconus, quando de variis casibus & fortuitis eventibus suis loquebatur, referre consueverat, hîc interserere præter rem non putavi. Accidit enim, quòd per generalem illam temporis intemperiem, quæ tunc imminebat, qua non solùm de populo innumeri, verum etiam Rex ipse cum Baronibus multis rebus humanis exempti fuerant, servientes Archidiaconi ferè cuncti vel ægroti repatriâssent vel in partibus illis morbo decubuissent. Unde puero quodam, qui solus illi de suis sanus & superstes extiterat, cum saginario clitellisque apud Depam relicto, de quodam extraneo quem nunquam antea viderat Camerarium suum fecit; eique rerum suarum, quas cariores habebat, & quas secum tunc ferebat, custodiam dedit. Manè verò fluvio Depensi à boreali latere transvadato, de quo mare influens portum facit, cùm in colle quodam, à quo villam à tergo relictam & classem in portu prospicere poterant, se recepissent & stetissent, quærentes ad invicem, ut viatores solent, utrùm socios suos omnes & res quas tunc ferre volebant secum haberent; defuit novus ille Archidiaconi cliens. Cúmque diutiùs ibidem ipsum expectâssent, & nusquam compareret; cœpit Archidiaconus (nec mirum) de

de ipso hæsitare; utpote qui ignotus omnino fuerat, & de quo securitatem nullam habebat: recolens etiam ipsum aliquando dixisse, quòd si nisi ei tunc adhæsisset, ad quendam fratrem suum qui in Ungariâ fuerat quærendum iret. Audientes autem milites qui in comitatu fuerant quòd extraneus esset, & quia pecuniam non modicam ferebat, Archidiacono ut rediret, eumque tam apud Depam quàm etiam Rothomagum, ubi ad ipsum primò venit, sollicitè quæreret, consuluerunt. Archidiaconus autem, quia solus erat & absque sequaci, de inventione illius diffidens omnino si aufugisset, potiùs unâ cum illis iter agere quod jam cœperat totumque Deo committere prælegit. Cùm igitur Augum transiret in Marchiâ Normanniæ versùs Flandriam constitutum, & in colle quodam iterum diu expectantes eumque non videntes, omni spe destituti tunc fuerunt; quoniam etsi sequeretur per terras de Vimmou & S. Walerico latronibus & vespilionibus plenas, cùm solus esset; nullatenus evadere posset non spoliatus. Et cùm inquirentibus militibus summam eorum quæ ferebat, illis Archidiaconus exposuisset; tunc instantiùs ut reverteretur adhuc & quæreret commonuerunt. Erat enim summa pecuniæ quam ferebat in auro & argento, ciphis & coclearibus marcarum quasi XL. præter palefridum quem equitabat bonum, & vestes Archidiaconi quas portabat, præter capsam quoque literis Comitis plenam, & præter tabulas grandes Itinerarium suum & laborem annuum nusquam adhuc alibi scriptum continentes. Cùm igitur ipso reverti nolente sed totum Deo committente, iter accelerantes Abbevillam venissent & hospitati fuissent; Archidiaconus cameram quandam solus intravit, super his quæ sibi acciderant sollicitè cogitans & contristans. Sicut enim ipse referre solebat, causæ cogitandi & contristandi cùm tres fuissent. Prima quidem de pecuniâ perditâ nonnulla fuit, sed respectu aliarum modica; quòd pecuniam frequens est amittere & aliam recuperare. Secunda de literis Comitis perditis & primâ Legatione sibi ab eo injunctâ sic evacuatâ major. Sed quòd literarum tenorem noverat, per literas Justiciarii Angliæ similes remedium aliquod habere potuit. Tertia verò de tabulis perditis maxima; quia de libro non edito sed edendo tabulis comprehenso & cum ipsis perdito damnum dicebat non recuperandum. Cùmq; mœstus ibi plurimùm & anxius esset; demum cogitans & recolens illud amantis remedium; *Loca sola nocent, loca sola caveto:* statim ad Aulam se conferendo, nunc militum nunc servientium se turbis inseruit; ut aliud & aliud audiendo, aliud interdum cogitare & doloris instantis vehementiam vel sic mitigare valeret. Nec mora, quoniam prope est Deus in angustiis; ecce puer de foro veniens quæsivit cujusmodi equum haberet ille Archidiachoni cliens; & cùm audiret quòd ferrandum, dixit se quendam talem equitantem in foro vidisse cum magno trussello, qui hospitium Archidiaconi quærebat; & cùm illico missum esset propter illum, ad hospitium ductus est idem ille, & cum gaudio susceptus est ab universis. Et cùm quæreret Archidiaconus, utrùm salva essent omnia; respondit, salva. Causam autem moræ, quia non nisi post prandium assignari milites permiserunt, tunc assignavit in hunc modum, dicens; quòd fluvio transvadato descendens ad equum suum stringendum & involucrum suum quod grande fuerat æquandum & firmandum, comperit se corrigiam XX. marcarum aut plurium ab involucro dilapsam amisisse. Unde reversus illico ad villam & hospitium unde exierat, quæsivit undique diligenter intus & extra, nec invenit. Sicque revertens & aquam jam tertiò transiens, ut sequeretur, ex toto spe fraudatus, oculos tamen viâ qua primùm iverat in littore petroso deorsum trahens, vidit & invenit corrigiam suam inter lapides jacentem non extensam sed complicatam ut antea fuerat & constrictam. Casus igitur hic multiplex erat & multipliciter admirandus. Primus quòd corrigiam sic perditam invenit. Secundus quòd ipsâ inventâ occasione absentiæ nostræ, qui tunc longè remoti fuimus, cum rebus omnibus quas gestabat, non recessit; præsertim cùm extraneus esset. Tertius quòd sequens solus & tam onustus per viam vespi-

vespilionibus & prædonibus plenam integer & indemnis advenit. Patet ergo, quòd graves interdum tribulationes & angustias his, quos diligit & dirigit, immittit Deus; & tamen majore urgente molestiâ, propinquum interdum se propitiumque demonstrat.

Venientibus igitur ipsis ad mare Flandriæ & transfretantibus, Archidiaconus Londoniam accelerans, reperto ibidem puero suo cum saginario apud Depam relicto, traditisque literis Comitis Justiciario sibi directis, statim ad Walliæ fines festinavit. Datisque literis Comitis quibus fuerant destinatæ, patriam præ morte Regis valde turbatam plurimùm adventu & interventu suo pacificavit. Comes verò Ricardus paulò pòst in Angliam veniens, Londoniis in Regem coronatus est. Sed [parvam in] Angliâ moram faciens, ut unâ cum Philippo Francorum Rege Jerosolimitanam peregrinationem arriperet, in Normanniam transfretavit; Cancellario suo Willelmo de [a] Nunchamp, cui Archidiaconum adjunxit, Justiciario in Angliâ relicto. Videns autem Archidiaconus Regem Henricum, ad cujus instantiam Crucem susceperat, jam defunctum, accedens ad Cardinalem & Legatum Johannem Anagninum, qui tunc recedens ab Angliâ Dovoriæ fuerat, sibi & Episcopo suo senio confecto, nil tamen requisitus, ab illo absolutionis gratiam & Cartam talem impetravit.

[a] l. Longchamp.

CAP. XXII.

"VEnerabili in Christo Patri Baldwino Dei gratiâ Cantuariensi Archiepi-"scopo & omnibus ad quos literæ præsentes pervenerint, Johannes "Anagninus eâdem gratiâ titulo S. Marci Presbyter Cardinalis, Apostolicæ "Sedis Legatus, æternam in Domino salutem. Veniens ad nos Giraldus de "Sancto David Archidiaconus ex parte suâ & venerabilis fratris nostri Petri "Menevensis Episcopi nobis proposuit; quòd cùm eis ex parte Henrici Anglo-"rum Regis spes si Jerosolimam secum vellent adire, in expensis quas in præ-"dictâ viâ facerent non modica facta esset; prædicto siquidem Rege sublato "de medio, votum præconceptum, cùm eis expensæ non suppetant, peragere "minimè possunt. Nos igitur paupertati tam prædictorum Episcopi & Archi-"diaconi quàm aliorum Walensium, qui ad votum præconceptum peragen-"dum per se non sufficiunt, taliter duximus consulendum; quòd in propriis "personis ire non possint, de bonis divinitus sibi collatis Jerosolimam euntibus "tribuant, & ad reparationem Ecclesiæ Menevensis operam impendant & au-"xilium. Præfatos quoque Episcopum & Archidiaconum propter ætatis de-"fectum vel paupertatem à prætaxato itinere Jerosolimitano auctoritate nobis "concessâ sub eâdem dispensatione duximus absolvendos, & penitus denuntia-"mus absolutos: istâ tamen [conditione] quòd Jerosolimam accedentibus "auxilium præbeant & adjutorium. Illud item de populo sibi commisso fa-"cimus". Paucos autem Archidiaconos hodie videmus, qui non potiùs Episcoporum suorum quærerent aut appeterent elongationem. Argumentum itaque fuit & manifestum indicium Archidiaconum istum ad Episcopi sui parum anhelare vel aspirare successionem. Interim autem defuncto Bangorensi Episcopo Wiano, oblatum ei à Justiciario prædicto & Apostolicæ quoque Sedis tunc Legato Episcopatum illum Archidiaconus omnino recusavit.

CAP.

CAP. XXIII.

COmes verò Johannes, qui fratri Regi juraverat priusquam discederet, quòd Angliam per triennium proximum non intraret; jactans Archidiacono quem familiarem habebat, clàm tamen & secreto, quòd absolutus à sacramento tali per Cancellarium erat, dixit in hoc ei plurimùm successisse, quòd Anglicanis deliciis & divitiis vacare non poterat. Cui Archidiaconus respondit, dicens magis honori ipsius & famæ competere, ut absens esset in fratris absentiâ quàm præsens; ne Principibus aliis ferè cunctis in expeditionem Jerosolimitanam profectis, solus ipse domi residens desidiæ & ignaviæ dari videretur; potiùs autem in Hiberniam iret, & pleno conquestui regni illius interim & incastellationi viriliter indulgeret; multiplex inde commodum consecuturus; quòd imprimis rem suam sic emendaret, & non solus inter Principes ocio vacaret: quòd suspicionis notam vitaret, & laudem hominum multam adquireret; quòd fratris etiam revertentis gratiam sibi eo ipso plurimam compararet, nec ad successionem vel surreptionem aspirare videretur. Comes autem non gratanter verbum suscipiens, respondit; quòd non adeò Hiberniam sicut Archidiaconus diligebat; quia nec tantam in eâ quantam & ipse cognationem habebat.

CAP. XXIV.

PRocessu verò temporis Cancellario jam dejecto & ab Angliâ per Comitem expulso, cùm Comes ipse quasi vices Regis tunc obtineret; Episcopatum Landavensem, cujus Ecclesia Cathedralis cum majore parte Diocesis in terrâ ipsius de Glatmorgan erat, obtulit Archidiacono; quem & simili solitâque constantiâ recusavit. Præter Ecclesiam itaque Sancti David, ad quam in adolescentiâ suâ nominatus fuerat & præcipuè vocatus, quatuor ei Episcopatus, duo in Hiberniâ, & duo in Walliâ, oblati jam fuerant; quas tamen oblationes omnes, nil tale ambiendo, securâ quidem & altâ mente calcavit. Nichil enim tunc ambiebat, nichil amplius habere volebat; quod studium ipsius, in quo ferè semper assiduus & continuus erat, impediret. Mirum enim de ipso, quòd Curias sequendo nichilominus Historias scribebat; & post longas dietas more Curialium & laboriosas, ad lucem vigilabat & lucubrabat; noctesque diebus, tanquam in Scolis existens & nichil aliud agens, studendo continuabat. Legerat enim [illud] Plinii. *Nulla tibi temporis asperitas studii tempus eripiat; nam perit omne tempus quod studiis non impertitur.* Caput itaque desiderii sui fuerat, ut statum adhuc unum ad studii completionem & absolutam præcipuè Theologicæ disciplinæ consummationem in Scolis facere posset; & sufficientiam ad hoc faciendum & librorum ac scriptorum copiam, sicut expetit illa Facultas, perquirendum & tenendum honestam haberet. Talis enim, ut dicere consueverat ipse, studiosis est animis appetenda sufficientia, quæ studium nutriat, non impediat, quæ nobilis operæ diligentiam non opulentiâ suffocet sed mediocritate sustentet.

LIBER

LIBER TERTIUS
De Gestis GIRALDI.

CAP. I.

CONsiderans autem Giraldus vanam ex toto Curiæ sequelam, vanas omnino promissiones, vanas & indignas nec juxta merita promotiones; quod olim mente conceperat & paulatim jam incæperat, à Curiæ strepitu tanquam tempestuoso pelago penitus se retraxit; & ad Scolas & studium tanquam portum quietum & tranquillum salubriori consilio se transferre curavit: illud Plinii Secundi sæpiùs ad animum revocando. *Strepitus inanesque discursus & ineptos labores, ut primùm occasio fuerit, relinque; teque studiis trade; quia dulce honestumque otium ac penè omni negotio pulcrius est studere.* Et illud ejusdem. *Humiles & sordidas curas aliis manda; ipse te in arduo sublimique secessu studiis asseras.*

CAP. II.

IN hoc itaque proposito firmiter constitutus, ad amicum suum Anachoritam de Locheis apud Elevein in Archidiaconatu suo non procul à Vagæ fluvio, cui nomen Wecheleu, virum bonum & sanctum, licentiam ac benedictionem suam accepturus, accessit. Quem cùm inter cætera rogaret attentiùs, ut oraret pro ipso, quatinus Sacram Scripturam, cui indulgere volebat, scire salubriter & intelligere posset; respondit vir sanctus manum Archidiaconi manu suâ tenens & stringens: Oth, oth, noli dicere scire sed custodire: vana est scire nisi custodire. Talis enim erat ei loquendi modus semper per infinitivum, nec casus servabat; & tamen satis intelligi poterat. Quare magis admirandum, unde viro simplici & idiotæ scientia talis, quod vana sit scientia non custodienti, quinetiam & periculosa; quia qui sciens & prudens peccat, graviter peccat. Cui nimirum multum committitur, meritò & ab ipso plus exigitur. Quo enim quisq; meliùs sapit, eo deteriùs delinquit; & ubi majus donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ. Unde Ysaias. [a] *Qui vides multa, non custodies?* Non igitur ab homine ei sententia talis sive scientia, sed à Deo, cujus revera spiritu plenus erat. Archidiaconus autem hoc audito correctus plurimùm & ad lacrimas commotus, supplicavit ei tunc attentiùs; ut oraret, quatenus Sacram Scripturam divinam non solùm scire sed etiam summopere custodire valeret. Requirenti verò Archidiacono unde ei verba Latina, cùm non didicerit, respondit in hunc modum. Sua enim ipsius verba ponam; sicut ea libenter Archidiaconus & frequenter retractare & recitare consueverat. "Ego, inquit, ire Hierosolimam & visitare Sepulchrum Domini mei; & quando redire, ego ponere me in hoc carcere pro amore Domini mei qui mori pro me. "Et multùm ego dolere, quòd non posse intelligere Latinum neque Missam "nec Evangelium; & multoties flere & rogare Deum dare mihi Latinum intelligere. Tandem verò cùm uno die horâ comedendi vocare ad fenestram "servientem meum semel & iterum & pluries, & non venire; propter tædium

[a] Isa. XLII. 20.

"simul & famem ego dormire; & quando vigilare, ego videre super altare "meum panem jacere. Et accedens benedicere panem & comedere; & statim "ad Vesperas ego intelligere versus & verba Latina quæ dicere Sacerdos, & "mane similiter ad Missam sicut mihi videbatur. Et post Missam ego vocare "Presbyterum ad fenestram cum Missali; & rogare ipsum legere Evangelium "illius diei. Et ipse legere, & ego exponere; & dicere Sacerdos quòd re-"ctè; & postea loqui cum Presbytero Latinum, & ipse mecum. Et ab illo "die ego sic loqui; & Dominus meus, qui dedit mihi Latinam linguam, non "dedit eam mihi per Grammaticam vel per casus; sed tantùm ut intelligi pos-"sim & alios intelligere". Tale fuit & illud Esdræ Prophetæ, qui de se sic scribit. [b] *Dixit Dominus mihi, Aperi os tuum; & aperui os meum; & ecce calix plenus aquâ, cujus color similis igni. Et cùm bibissem; eructavit cor meum intellectum; & in pectus meum introivit sapientia.*

[b] Esdr. XIV. 39.

Contigit autem Walenses castellum Pagani in Elevein paulò ante constructum obsedisse; & cùm multitudo Anglicani exercitûs apud Haiam & circa partes illas collecta fuisset; venit ad eos mulier quædam quasi sub specie Monialis & tanquam ab Anachoritâ prædicto transmissa, monens illos ex parte ipsius & consulens, quatenus cum Walensibus securè congrederentur, certam eis victoriam promittendo. Et quoniam fides habebatur ei tanquam viro sancto, ita factum est: & ceciderunt uno die de Walensibus circiter tria millia. Cùm autem divulgatum esset verbum istud per totam provinciam illam; venit Archidiaconus amicum suum Anachoritam visitare; quod libentissimè nactâ opportunitate faciebat; qui statim inter cætera retulit ei de verbo illo. Et quia multùm dolebat tale verbum de ipso disseminatum fuisse; jurans etiam se nunquam tale quid Anglicis mandâsse vel innotuisse. Dicebat enim, sicut & decebat, se potiùs talem conflictum inter Christianos, unde sanguinis effusio proveniret, dissuadere velle quàm monere. Dicebat autem Diabolum propter perditionem multorum, quam inde providit, & lucrum animarum magnum sibi venturum ex hoc conflictu, tale mandatum tanquam ab ipso, cui fides habebatur, Anglicis ut veniret procurâsse, & ut ipsum etiam quasi cædis auctorem & instigatorem diffamaret, Angelum Satanæ Se tanquam in lucis Angelum transformâsse. Diligebat autem Archidiaconum tenerrimè; adeò ut visiones suas & revelationes sibi divinitus factas & secretò proponeret, & cùm absens atque remotus esset, grandi dilectionis affectu cuncta volens ei communicare scriptas in rotulis destinaret. Multis itaque signis & virtutibus in vitâ suâ multóque pluribus post obitum ipsius fuerat divinitus viri Deo dilecti & electi sanctitas atque fœlicitas declarata. Quæsiverat autem aliquando ab Archidiacono consilium; utrùm claudos & cæcos variisque languoribus afflictos ad ipsum venientes, ut manus per fenestram eis imponeret & curaret, à se repelleret; sicut Monachi quidam Cisterciensis Ordinis ei suaserant, necne? Qui responsum accepit; quòd gratiam curationum sibi à Deo datam non supprimeret, sed petentibus & indigentibus eam caritativè potiùs impenderet. Veruntamen ne quid inde sibi superbiæ surreperet aut arrogantiæ, summopere caveret. Illud etiam evangelicum ad mentem ei revocavit exemplum de Discipulis revertentibus ad Jesum & gloriantibus dicendo, quòd & Dæmonia eis fuerant subjecta; quibus ad arrogantiam deprimendam respondit Jesus. [c] *Nolite gaudere, quòd spiritus vobis subjiciuntur; sed potiùs gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Sed hæc hactenus de viro sancto; à quo difficilè discedimus; sicut & Archidiaconus ipse de eo loquendo vix ab eâ materiâ discedebat. Nunc autem ad rem revertamur.

[c] Luc. X. 20.

CAP.

CAP. III.

COllectis itaque librorum undique thesauris ad consummandam sacrorum apicum disciplinam, non solùm in his morari verùm etiam mori dulce dicebat & delectabile. Parisios iter incunctanter arripiendo tendebat. Sed mare appropinquans, quòd werram inter Reges Philippum & Ricardum, quam per treugam quinquennalem sopitam ad tempus audierat, resuscitatam iterum certiùs suscepit; propter quod eundi in Franciam securitas ei nulla patebat: nec temporis jacturam, qua nulla gravior, ampliùs sustinere volebat. Ubi saniùs atque salubriùs in Angliâ Theologicam scientiam vigere cognovit, sub doctore peroptimo Magistro Willelmo de Monte dicto, quoniam in monte S. Genovefæ Parisiis legerat, quem etiam ibi Archidiaconus tunc noverat, studii causâ Lincolniam adivit. Ubi continuato plurium annorum studio, quoniam nil in terris stabile, nil in mundo non mutabile, nil in vitâ non variabile; Petro Menevensi Episcopo interim rebus humanis exempto, literis & nunciis crebris tam Capituli Menevensis quàm Baronum patriæ, quatinus Regem cujus patri & sibi multùm servierat statim adiret; & quoniam favorem omnium & assensum habebat, Episcopatum S. David peteret & obtineret, sollicitatur. Sed quoniam ex toto studiis addictus fuerat, nec aliam in mundo vitam quantùm istam affectabat; non semel sed sæpiùs & semper eis literis & nuntiis respondebat, virum Episcopalem non petere sed peti debere; quòd eo ipso si Episcopatum peteret, indignum Episcopio se probaret; & quoniam sufficiebat ei quod habebat, à studio & statu optimo ac tranquillissimo, in quo tunc erat, ullatenus discedere nolebat. Accidit autem circiter eadem tempora fame ingruente in finibus illis validâ, cùm Archidiaconus in camerâ suâ more solito studiis indulgeret; audivit pauperes & inopes ad fores & fenestras hospitii sui clamantes & eleemosinarum beneficia postulantes. Quorum misertus incontinenti, cùm respiceret penulas in palliis & capis suis, ac pellicia de peregrinis murium pellibus nec non & cuniculorum perticis appensa; præcepit ut statim quicquid ibi de vario & grisio at cuniculis inventum fuerit, venderetur & in usus pauperum partiretur. Quod & factum illico fuit. Ab illâ autem Archidiaconus horâ penulis agninis contentus erat.

Cancellarius Lincolniensis Ecclesiæ is fuit.

CAP. IV.

CUM igitur Episcopus Menevensis quasi in principio Autumni defunctus fuisset; duo Archidiaconi & quatuor Canonici Menevenses parum ante Festum S. Michaelis ad Archiepiscopum Cantuariensem Hubertum tunc Angliæ Justiciarium per districtum ejusdem mandatum cum literis Capituli de rato ad Electionem faciendam accesserunt; & tres personas ei nominaverunt, has sc. principaliter & primo loco Giraldum Archidiaconum de Brechene, secundo Walterum Abbatem S. Dogmaelis, tertio Petrum Abbatem de Albâ Domo; quartum etiam, ut numerum augerent nominatorum, & Anglicos penitus excludere non viderentur, Reginaldum Foliot qui Anglicus fuit, & de quo tamen spes esse nulla potuit, quasi per cautelam adjecerunt. Sed ea quæ cautè & providè fieri creduntur, in contrarium vergere plerumque videntur; sicut ex sequentibus palàm erit. Archiepiscopus autem primò nominatum primò recusavit & constanter abnegavit. Et cùm quærerent Canonici, quare virum discretum & literatum, generosum ac legitimè natum recusaret; respondit, quia Rex nullum Walensem, præsertim autem illum qui Principes Walliæ sanguine contingat, Episcopum in Walliâ habere volebat. Aliud tamen quàm

prætenderet in causâ fuit. Verebaturenim de Archidiacono, cujus tam eruditionem quàm animositatem optimè noverat, quasi mente præsagâ quod postmodum accidit ei. Aliud etiam in causâ fuit. Circiter enim id ipsum temporis, quo defunctus erat Episcopus Petrus, Archiepiscopus in Marchiâ Walliæ tanquam Justiciarius existens cum exercitu Angliæ, quem contra Walenses in Elevelt immisit, ubi strages illa grandis apud Castellum Pagani facta fuit, & de obitu Episcopi prædicti nuncium suscepit. Et cùm inquireret, quisnam Ecclesiam & Episcopatum dum vacaret custodire posset; & responderent qui missi fuerant, quod Giraldus Archidiaconus qui tunc in scolis fuerat; statim Archiepiscopus in personam Giraldi Archidiaconi turpia verba proferens & inhonesta, dixit quòd nunquam ei vel Episcopatum vel Episcopatûs custodiam in vitâ suâ committeret. Erat enim offensus Archidiacono tunc plurimùm propter Abbatem de Bedlesdene sc. Willelmum Wibertum Monachum Cisterciensis Ordinis trutanissimum, per operam Archidiaconi, quem graviter offenderat, paulò antè depositum. Fuerat enim Archiepiscopo familiaris, & ut nuncius ejus tam in Walliam quàm in Scotiam fieret, & ad varias partes ipso mittente discurreret, se frequenter inferebat. Unde & literas, quas Archidiaconus Archiepiscopo super his immisit, simul cum literis Archiepiscopi responsoriis, necnon & literas Archidiaconi de rati habitione, hìc inserere dignum duxi.

CAP. V.

" REverendo Domino & Patri carissimo Huberto Dei gratiâ Cantuariensi " Archiepiscopo, totius Angliæ Primati, Giraldus Archidiaconus de " Sancto David salutem in auctore salutis. Benedictus Deus, qui docuit ma-" nus vestras & digitos vestros ad bellum. Benedictus Deus, qui tam glorio-" sam in manu Christi sui victoriam de hostili populo fecit. Et benedictum " nomen ejus sanctum, qui tam strenuâ Pontificis sui & Primatis industriâ, utrâ-" que militiâ vigente & utroque gladio dimicante, miro moderamine tempo-" rum vicissitudini se cooptante, regni amplitudinem & legibus regi statuit & " armis pacificari. A tempore namque quo Rex Haroldus Walliam pedestri " expeditione tam fortiter invasit, totamque ferè nationem illam in ore gladii " funditus delevit & exterminio dedit, tantam gentis inimicæ stragem per du-" cem aliquem aut principem uno congressu factam fuisse nullius antiquitatis " memoria tenet. Ergo ut Liber Sapientiæ docet, *Melior est sapientia quàm* " *virtus, & vir prudens melior quàm fortis.* Sed quoniam mundanis semper " mala sunt vicina bonis, semper amaro dulce respersum, semper mella mixta " venenis, semper tristia lætis inhærent, & saltem extrema gaudia luctus occu-" pat; tam clari eventûs serenitatem in pectore meo nubes incontinenti & ne-" bula sinistri rumoris abduxit. Significatum namque est mihi, quod non æqua-" nimiter ferre prævalui, gravem me Domini mei nuper offensam incurrisse; si-" cut quidam ex verbis vestris minùs circumspectè, quàm vel famam meam " vel etiam vestram deceret magnificentiam, in [me] jaculatis perpenderunt. " Quod quidem tanto molestiùs tuli, tantoque majore admiratione dignum " æstimavi; quanto simpliciùs & innocentius elapso jam biennio divinis ex toto " addictus studiis neminem in mundo vel dicto vel facto vel etiam scripto læ-" dens, me gessi per omnia sine querelâ. Cui igitur rei hanc imputem tantam " erga me, ut etiam conviciis in proximum & invectionibus sacrum os polluat, " præter merita Domini mei indignationem incurrerim, prorsus ignoro. Por-" rò cùm causa non subsit nec culpa suppetat, fortè ut fieri solet, Incutiunt " antiqua novum peccata pudorem. Graviùs enim vir bonus verbis læditur " quàm verberibus. Ingenia nimirum ingenua magis verba timent quàm ver-" bera; longéque molestiùs ferunt famam lacerari, quàm substantiam distrahi.

" vel

"vel dissipari. [b] *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio citò; ne postea*
"*emendare non possis, cùm dehonestaveris amicum tuum.* Item in Ecclesiastico.
" [c] *Mittens lapidem in volatilia, dejicit illa; & qui conviciatur amico, dissolvit ami-*
"*citiam.* Et paulò pòst. *Homo assuetus in verbis improperii in omnibus diebus*
"*non erudietur.* Super quod Expositor. Cujus os sc. maledictione & amari-
"tudine plenum est, non prosperabitur. Magnos igitur & magnanimos talia
"non decent; modicos etiam & pusillos non promovent. Sed quoniam leporem
"persequi non est laus magna leoni; ira hæc quacunque occasione concepta,
"quoniam humiliari paratus sum in omnibus Domino meo, & si in aliquo de-
"liqui, cùm tamen in nullo, Deum testem invoco, conscius mihi sim, ad nu-
"tum satisfacere, si nondum plenè resedit; utinam in brevi Deo dante residear
"& evanescat. Et sicut placabilem tanti Pontificis animum atque modestum
"decet, indignatio Sole oriente exorta ante Solem occidat occidentem. Quo-
"niam ut ait Jeronimus; *Irasci quidem hominis est; sed iracundiæ finem imponere*
"*Christiani.* Verùm si peccatis urgentibus nondum hanc animi placationem
"valeam obtinere quam opto; verbis parcat, in res ac redditus ultrix ira de-
"sæviat; substantiam ad libitum distrahat, & famam non lædat. Igitur la-
"titare mihi & libris ac literis quod residuum est dierum absque molestiâ liceat
"indulgere. Nimium temporis, unde mihi plùs dolendum est, ambitioni
"hactenus & perditioni dedi. Proinde & hanc Poetæ Horatii sententiam Deo
"annuente de cætero sequar. *Sit mihi quod nunc est, etiam minus; ut mihi vi-*
"*vam. Quod superest ævi, si quid superesse volunt Dii, Sit mihi librorum &*
"*provida frugis in annum Copia; ne dubiæ fluitem spe pendulus horæ.* Et illud Ovi-
"dii. *Crede mihi; bene qui latuit, bene vixit.* Et infra. *Fortunam debet quis-*
"*que manere suam.* Et illud ejusdem. *Usibus edocto si quicquam credis amico;*
"*Vive tibi, & longè nomina magna fuge.* Et illud Flacci. *Fuge magna, licèt*
"*sub paupere tecto.* Unde si ad digniorem Cathedram Angliæ vel Franciæ va-
"cantem canonicâ jam electione vocarer; novit Deus, qui scrutator est cordium
"& interiorum conscius secretorum, quem gravissimum etiam si mentior ul-
"torem habeam; tamen ut illam optinerem, sacrarum literarum studium,
"cui totis nisibus Deo vires impertiente deservio, non desererem imperfectum.
"*Majus est enim*, ut ait Jeronimus, *Episcopalem virum esse quàm Episcopum.*
"*Majus Episcopio dignum, quàm in Cathedrâ collocatum. Illud enim virtutis est,*
"*hoc fortunæ: illud bonorum tantùm, hoc commune.* Unde in eodem Libro Epi-
"stolari. *Minus est tenere sacerdotium quàm mereri.* Ut quid igitur verbis
"roditur aut conviciis laceratur, qui nec amplius quærit nec plus appetit; &
"id etiam modicum quod habet, casibus adversis æquanimiter amittit? Juxta
"veterem statum, quo me mundus captivum tenuit & ambitus ejus, multa in
"me revera fuisse fateor reprehensione dignissima. Juxta præsentem autem
"statum, cui me per Dei gratiam nunc applicui, non me quidem à pecca-
"to, cùm nemo sine crimine vivat, cùm sæpius etiam in die cadat justus, &
"quoniam in multis offendimus omnes, immunem dixerim. Hoc tamen fidu-
"cialiter assero & securâ veritate protestor; quòd nullius tam enormis tam no-
"tabilis exessûs, unde tantam majestatem in tantum offendere debuerim, me
"conscium esse recordor. Secundùm hunc itaque statum cùm sibi sit sanæ
"mentis quilibet plusquàm aliis notus, si bene novi noti solitos, mihi subtiliùs
"& diligentiùs in me cuncta rimanti hujus tantæ causa culpæ nequit occurre-
"re; nisi propter id fuero culpandus, quòd vehementi sacræ doctrinæ studio
"datus. Ambiant igitur alii, Curiam sequantur; sicut & ego quandoque vi-
"tio laborans eodem Curiæ sequela fui quanquam inutilis. Cupiant, inquam,
"& currant & Cathedras scandant; mihi solùm latere liceat & sacris apicibus
"indulgere: in quorum doctrinâ non solùm morari verùm etiam salubriter
"mori desiderabile duxi. Præterea quanquam Principibus placuisse viris non
"ultima laus sit: satius tamen & longè satius esset potentis amici nunquam no-
"titiam

[b] Prov. XXV. 8

[c] Eccl. XXII. 25.

"titiam habuisse, quàm ab ejusdem familiaritate semel habitâ facilè & præter
"merita decidisse. Unde Demetrius. *Non opto, ut eos qui divites sunt amicos habeam.* Item Horatius. *Dulcis inexpertis cultura potentis amici. Expertus metuet.*
"Item in Ecclesiastico. [a] *Longè abesto ab homine potestatem habente.* Et in eodem. [b] *Pondus super se extollit, qui honestiori se communicat. Et ditiori te*
"*ne socius fueris*, &c. Item Jeronimus. *Potentes amicos habere operosum est,*
"*satis inimicos non habere.* Utinam autem & hoc mihi detur; quòd si Dominum meum amicum, ut solet, habere non possim, saltem non habeam inimicum. Vices ergo potentum & vexationes satis olim & plusquam satis expertus, sic apud illos esse nunc cupio, quasi non essem, tanquam exinanitus,
"sc. etiam incognitus, nec bonum ab illis sperans nec malum expectans. Det
"itaque pius pater & misericors Deus, quatenus præteriti jacturam temporis
"redimendo utcunque & deflendo, procul à Curiæ curis & ambitionibus, quæ
"semper corda sauciant & nunquam satiant, nunquam sanant, popularique
"strepitu cuncto, dulci quiete modicum id [quod] restat ævi ducere valeam;
"& alternis sacræ lectionis & orationis vicibus animum dividens & distinguens, ad illam toto cursu vitam anhelem; ubi nec vices variant nec vicia
"vexant, ubi nec prælatio premit nec dominatio domat aut damnat, ubi
"quies & pax perpetua ac lux continua, ubi gaudia vera & finis ignara. Valeat in Domino multis profutura per ævum & paucis nocitura pia & placabilis paternitas vestra; illi egregio Maronis ad Mæcenatem eulogio se conformans. *Omnia cum posses tanto tam clarus amico: Te sensit nemo posse nocere*
"*tamen.*

CAP. VI. Huberti Archiepiscopi Responsio.

"HUbertus Dei gratiâ Cantuariensis Archiepiscopus, totius Angliæ Primas, dilecto filio Magistro Giraldo Archidiacono de Sancto David
"salutem & benedictionem. Ascripsisti nobis destructionem Walensium,
"qui die alterâ per suam superbiam ceciderunt; cùm non nobis sed Deo potiùs, qui superbos dejicit & humiliat, eorum sit destructio ascribenda. Tantum enim obscuratum erat per superbiam insipiens cor eorum; ut cùm plurimùm & instanter, quòd à proposito suo desisterent & viam eligerent saniorem, à nobis & ab aliis magni nominis viris & religiosis rogati fuissent &
"commoniti; nec consilium salutis intelligere, nec suam possent stultitiam
"quæ eos ad perditionem trahebat prævidere. Et ex hoc quidem, quòd manus solius Dei & non nostra sive alterius hominis hæc operata sit, poteris evidenter attendere & intelligere; quòd cum ibi conflictus esset & congressio,
"hasta vel arcus eorum non potuit quenquam ex nostris lethaliter vulnerare.
"Super hoc verò quod dicis, quòd sacris literis intendis & de cætero omnino
"intendere decrevisti; valde te commendamus, attendentes ex hoc quòd tutius judicas & intelligis sedere & audire verbum Dei cum Mariâ quàm ministrare cum Marthâ. Ad hoc autem quòd asseris te nullum læsisse nec aliquantum, ut ab alio læderetis & improperium sustineres, promeruisse; respondemus, quòd tu nosti an id feceris quod te dicis non fecisse. Nos verò nec
"inde te accusamus, nec tibi vel alicui alii in quantum meminimus succensemus. Valete." Hanc autem clausulam propter Abbatem prænotatum per operam Archidiaconi nuper, ut dictum est, depositum adjecit; per quam animi rancorem & conceptam amaritudinem declaravit.

CAP.

CAP. VII. Literæ Archidiaconi de rato Archiepiscopo missæ.

"QUoniam morbo diutino & gravi nuper afflictus, & recidivum iteratò
"jam passus, nondum plenæ sanitatis vigore convalui; ad diem nobis
"in præsentiâ vestrâ comparendi præfixum venire non potui. Verum ne
"unius absentia tantam utilitatem & Ecclesiæ nostræ vacantis necessitatem
"impedire prævaleat; in quamcunque personam idoneam assensu unanimi
"Regis & vestro Capitulum nostrum Menevense canonicâ electione consenserit,
me proculdubio ratum & gratum Vestra noverit Sanctitas habiturum.
"Personam autem idoneam dicimus; si concurrentibus aliis quæ Pontificem
"decent, paupertati patriæ piâ & purâ voluntate condescendat, & gentis
"utriusque mores ac modos agnoscat, qui pastorali officio pontificaliter
intendat, & non per Angliæ girum in Ecclesiæ nostræ olim autenticæ
licèt nunc pauperculæ opprobrium non modicum & confusionem
"assiduè mendicando discurrat; & qui ad Anglicanas etiam opulentias
per translationem vel adjectionem jugiter aspirare vile & contemptibile
ducat. Excipimus autem omnem nigræ cucullæ belluam. A
"Monachis enim cunctis, & præcipuè Nigris, omnique hujuscemodi peste vo-
"raci Ecclesiam nostram miseram, ne miserior immò miserrima fiat, & fundi-
"tus evacuata depereat, in perpetuum amodo defendat Deus. *Injuriosè nimirum,*
ut ait Jeronimus, *Neptunum accusat, qui iterum naufragium fecit.* Va-
"leat in Domino cara nobis Paternitas vestra.

Quoniam enimvero Episcopus, qui nunc ultimò decessit, Monachus erat Ordinis Cluniacensis, nec Episcopalem auctoritatem Pontificaliter exercuerat, nec Monachalem honestatem dignè prætulerat; Monachos omnes, & præcipuè Ordinis illius cunctos, excepit. Qui verò literas Domini Archidiaconi contra Willelmum Wibertum Abbati Cisterciensi missas & literas responsorias legere voluerit, qui *Symbolum Electorum* inscribitur, Libellum quærat. Sed ad rem revertamur.

Sicut autem Archidiaconum sic & Abbates duos necnon & omnes de Walliâ oriundos Archiepiscopus tunc recusavit. Obtulit autem eis Anglicos duos, Monachum sc. Cisterciensis Ordinis Alexandrum nomine, qui & commensalis & cubicularius ejus fuerat, & per operam ipsius paulò antè in Abbatem promotus; & Priorem Lantoniæ Galfridum, qui propter artem Medicinalem qua præcellebat cum Archiepiscopo, cujus curam frequenter agebat, & familiaritatem multam contraxerat: propter quod etiam custodia Menevensis Episcopatûs dum vacaret eidem postea per Archiepiscopum commissa fuerat. Sed quoniam Canonici, qui missi fuerant, nec à suis Nominatis discedere neque novos citra Capituli sui consensum admittere volebant; neque de Regis assensu qui in Normanniâ fuerat, sino quo negotium juxta regni consuetudinem perfici non poterat, eis constabat; Archiepiscopo per mandatum Regis ad ipsum transfretante, infecto negotio reversi sunt. Audiens autem hæc R. Foliot, qui Herefordensis Episcopi Willelmi de Ver Notarius erat, & se præter spem omnem inter alios nominatum, & Giraldum Archidiaconum, de quo spes major extiterat, sicut & alios omnes de Walliâ oriundos, recusatum; quoniam ex Anglicis erat, & tamen Menevensis Ecclesiæ Canonicus, utpote quem avunculus ejus sc. proximò defunctus Episcopus canonicaverat; ex his omnibus spem concipiens, & licèt imberbis adhuc & immaturus & in nullo prorsus ad hoc idoneus jam cornua sumens vel in brevi sumenda nimis præsumptuosè confidens, ad Regem Angliæ Ricardum in Aquitaniæ finibus tunc agentem, ut Clericus ejus & Curiæ sequela fieret, & hac saltem viâ & hac scalâ cathedram avunculi scandere posset, aliis ambitiosis

transvo-

transſvolavit. Ad hæc etiam Abbas Adam de Dora, vir famæ non incognitæ, ſtatim defuncto Epiſcopo ſtatimque poſt ſtragem illam Walenſium apud Elevein magnam, quæ circa id ipſum temporis facta fuerat, ut quaſi recentes Regi ſuper hoc rumores ferret & eo ipſo ei gratus exiſteret, cum literis magnorum virorum & Baronum Marchiæ propter ejus promotionem in Eccleſiâ Menevenſi Regi ſcribentium & ſuadentium, transfretavit. Qui ut Regi, quem cupidum & pecuniæ ſitibundum noverat, per hoc placere & faciliorem ad vota complendum aditum habere poſſet, ſilvam Triverenſem domui ſuæ proximam, quæ Regum foreſta fuerat pulcra & tam proceris arboribus ad ſpectaculum uſque ſpecioſa quàm etiam ferarum copiâ fœcundiſſima, à Rege loci illius atque provinciæ prorſus ignaro ad extirpandum datâ pecuniâ grandi comparavit. Unde niſi Rex ille citiùs in transmarinis occubuiſſet, præſertim quòd facilis erat & præceps ad quævis pro lubitu complendum & præcipuè indignos promovendum; magna proculdubio Menevenſi Eccleſiæ per duorum iſtorum ambitiones & altercationes tribulatio proveniſſet. Archiepiſcopus autem quanquam in transmarinis partibus remotus exiſtens, propter nominationem tamen prædictam plurimùm timens eique præcavens, literas Regis Capitulo Sancti David ſub hac formâ mitti procuravit.

CAP. VIII.

" RIcardus Dei gratiâ Rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes " Andegaviæ, dilectis ſibi Capitulo Menevenſis Eccleſiæ ſalutem. Sciatis quòd bonum animum & bonam voluntatem habemus conſulendi Eccleſiæ " veſtræ, quæ paſtore deſolata eſt. Unde ad petitionem Domini Cantuarienſis " Archiepiſcopi ei ſecundùm Deum providere volumus. Et ideo vobis mandamus, quòd mittatis ad nos in Normanniam quatuor de diſcretioribus Capituli veſtri; ita quòd ſint ad nos in xv. die poſt Feſtum S. Andreæ cum literis de rato ad eligendum idoneum Poſtorem ſecundùm Deum & dignitatem " Eccleſiæ veſtræ. Teſte meipſo apud Rupem Andeleiæ ix. die Novembris." Sed quoniam hæ literæ propter impedimenta plurima tam maris quàm Marchiæ & aſperioris per Walliam viæ tardiùs Meneviam venerunt; eodem procurante & ſtimulante, literas Juſticiarii tales Canonici Menevenſes circa Natale ſuſceperunt.

CAP. IX. Literæ Juſticiarii Angliæ Capitulo Menevenſi directæ.

" G. Filius Petri dilecto ſibi in Domino Menevenſis Eccleſiæ Capitulo ſalu- " tem. Noveritis quòd quoniam ad Dominum Regem in Norman- " niâ ad ſtatutum terminum propter eligendum Paſtorem Eccleſiæ veſtræ non " transfretaſtis; nobis dedit in mandatis, quòd vos citari faciamus quatenus " ad hoc faciendum in partes transmarinas ad eum accedatis. Mandamus " itaque vobis; quòd omni occaſione poſtpoſitâ ſitis apud Weſtmonaſterium " in Octavis S. Hilarii, parati transfretare ad Dominum Regem; vel quatuor " ſive ſex de diſcretioribus Capituli veſtri ad ipſum in Normanniam transmit- " tere. Teſte meipſo apud Turrim Londonienſem xviii. die Decembris." Illi verò ſuper hoc inito conſilio quatuor Canonicos Londonias miſerunt; mandantes etiam Giraldo Archidiacono literis & nunciis apud Lincolniam, eumque per fidem quam Eccleſiæ ſuæ debuit firmiter obteſtantes & adjurantes, quatinus Concanonicis ſuis ad Juſticiarium miſſis Londoniis occurreret, & Eccleſiæ ſuæ in tali articulo tantoque negotio ſaltem non deeſſet. Citiùs tamen literas ei tales miſerunt.

CAP. X.

"DOmino & amico in Christo dilecto Giraldo Archidiacono de Brechene
" Capitulum Menevensis Ecclesiæ salutem in Domino. Hucusque
" per literas & internuntios locuti fuimus; amodo autem nos urget necessitas,
" ut præsentes loquamur; ut communicato consilio Ecclesiæ nostræ profectui
" pariter & honori intendamus. Inde est quòd vobis mandamus & in fide
" consulimus; quatinus statim visis literis istis omni occasione & excusatione
" postpositâ ad Ecclesiam vestram veniatis. Consilium etiam omnium ami
" corum vestrorum est, ut veniatis. Valete in Domino.

Item & paulò pòst tales.

" Dilecto in Domino fratri & amico Giraldo Archidiacono de Brechene Ca-
" pitulum Menevensis Ecclesiæ salutem & amorem caritatis glutino con-
" nexum. Noverit discretio vestra, quòd xii. Cal. Januarii, qua videlicet
" die literas vestras suscepimus, mandatum Domini Regis in hac formâ susce-
" pimus. *Ricardus Dei gratiâ* [&c. ut paulò antè.] Item literas Justicia-
" rii Angliæ circa Natale tales. *G. filius Petri* [&c. ut antè.] Super hujus-
" modi mandato tam expressò quid nobis agendum sit amodo, consilium ve-
" strum expectamus. Consilium nostrum namque est, si vobis expedire vide-
" bitur, ne nimis Walenses aut rebelles videamur, mittere ad Dominum Re-
" gem tres de discretioribus Capituli vobiscum, ut pro quarto existatis; tres
" quidem cum literis de rato, qui vos constanter petant & eligant. Si verò
" Dominus Rex aliquo modo, quod absit, in hoc non consenserit. Et scia-
" tis pro certo, quòd neque schismata neque dissensiones ortæ sunt inter nos;
" sed omnes concordes sumus & unanimes, quantum in nobis est, ad vos eli-
" gendum; nihilque nobis deest, nisi expensarum facultas. Preces autem &
" petitiones sive ad Dominum Regem sive ad Justiciarium qualescunque ido-
" neas noveritis, ad nos transmittite; & nos easdem sigillabimus. Valete,
" & faciatis nos habere responsum consilii vestri in crastino S. Hilarii; quia
" tunc Deo volente generale Capitulum habituri sumus.

Ex his autem literis patet, quantum affectum ipsum præ cæteris habendi in Pastorem tunc habebant. Ipse verò hæc audiens, & secum recolens, quia non minus Ecclesiæ pauperculæ suæ debuit, quàm si Canonicus & Archidiaconus esset optimæ; ad diem statutum, parum sc. ante Quadragesimam, Londonias accessit. Justiciarius autem Canonicis, qui ante adventum Archidiaconi coram ipso fuerant, obtulit instanter duos illos, Abbatem sc. & Priorem, quos Archiepiscopus eis primitus obtulerat; ut utrum illorum vellent, in Episcopum susciperent. Pronior tamen voluntas ejus in Priorem erat. Alioquin præcepit eis, quatinus ad Regem quantociùs transfretarent. Ipsi verò responsum usque ad adventum Archidiaconi differentes, demum inito cum ipso consilio responderunt; quòd à suis Nominatis discedere vel alios suscipere consilium à Capitulo suo non habebant: Et quòd pauperes erant & de paupere Ecclesiâ ac remotâ, sibi ad transfretandum expensas non suppetere; nec unquam Ecclesiam suam vel aliquam Ecclesiam Walliæ propter Electionem faciendam transmarinas ad partes mittere consuevisse. Obtulerunt tamen ei; quòd duos de Clericis suis cum literis ipsius si vellet ad Regem mitterent, propter assensum ipsius de Pastore sibi præficiendo expressè sciendum, & ut Electionem suam eis in Angliâ facere liceret. Quo concesso, tum quòd Justiciarius pauperes eos noverat, tum etiam quoniam ipsis expensas quas petierant, si necessitas eis incumberet transfretandi, propter exemplum aliis Ecclesiis Cathedralibus de expensis petendis dandum invenire nolebat; unum ex illis quatuor Elyodorum nomine, filium Elyodori, cum Clerico quodam

Ecclesiæ suæ transmiserunt. Qui suscepto negotio transfretantes, & tam Normanniam quàm Andegaviam & Aquitaniæ partem transcurrentes, suscepto rumore de Regis obitu in Lemovicensi Provinciâ, ubi expeditionem agebat, interempti, statim post dietas longas non absque timore periculoque apud Chinonem castrum in Andegaviâ Comiti Johanni fratri suo super negotio Menevensis Ecclesiæ primò literas Justiciarii Angliæ, deinde Capituli Menevensis & tam Baronum patriæ quàm etiam Abbatum & Priorum multis sigillis appensis Giraldum Archidiaconum communiter postulantium in Pastorem, ei porrexerunt. Quibus susceptis & diligenter auditis, coram Reginâ Alienorâ matre suâ & Reginâ Berengariâ nuru suâ & Secretariis suis valde benignum Comes cum multâ quoque commendatione Giraldi Archidiaconi, dicens ipsum patri suo & sibi diu ac fideliter servisse, statim eis responsum dedit. Unde & in crastino, sc. feriâ tertiâ, literarum Comitis tria paria susceperunt; Literas sc. Giraldo Archidiacono, quibus ei mandavit, quòd petitionem Capituli Menevensis & consilium Baronum patriæ nec non & Cleri super ipso sibi in Pastorem præficiendo exaudierat; & quòd ad ipsum visis literis illis cum tribus Canonicis Ecclesiæ suæ vel quatuor, qui eum eligere possent, venire non tardaret. Et alias Capitulo Sancti David, continentes quòd petitionem suam benignè audierat; & quòd tres Canonicos suos vel quatuor cum literis de rati habitione ad eligendum Giraldum Archidiaconum ei transmitterent. Literas quoque Justiciario Angliæ continentes, quòd Canonicos Menevenses super Electione faciendâ non vexaret; sed totum in [a] respectum poneret, quosque Giraldus Archidiaconus, quem propter hoc ad se vocaverat, ab ipso rediret.

[a] viz. differret.

CAP. XI.

IN Octavis itaque Paschæ sequentis apud Lincolniam literæ Comitis Archidiacono porrectæ sunt. Quibus demum susceptis & lectis, consilio magnorum virorum Lincolniensis Ecclesiæ, à quibus dilectus erat, cum libris & sarcinis suis Scolam quidem sed non studium deserens, in quo continuus erat, cum duobus Canonicis Sancti David, præscripto sc. Elyodoro & Henrico Roberti filio, literas Capituli de rato Comiti juxta mandatum suum deferentibus, ad eundum ad ipsum se præparavit. Erant autem literæ tales.

CAP. XII.

"CArissimo ac desideratissimo Domino suo Johanni Domino Angliæ & "Hyberniæ, Duci Normanniæ & Aquitaniæ, Comiti Andegaviæ, "Capitulum Menevense salutem & orationes in Christo. Gratias vestræ sublimitati referimus tam cumulatas quàm affectuosas; quòd petitionem nostram necnon & Baronum patriæ Clerique totius super Pastore nobis præficiendo tam benignè exaudistis. Noverit igitur Excellentia Vestra, quòd "Magistrum Giraldum Archidiaconum de Sancto David præcipuè & præ aliis "cunctis postulamus, & eum per illos duos vel tres Canonicos nostros has literas nostras vobis præsentantes eligimus; & Electionem, quam ipsi pro nobis "de eo canonicè fecerint, ratam habemus & gratam." Notandum hìc autem, quòd quia nondum Rex fuerat, Dominum eum vocant; & ne fortè Canonici missi ad alium eligendum perverti possent, dicunt se Giraldum Archidiaconum jam elegisse. Per quod & affectus ipsorum ipsum sibi præficiendi in Pastorem maximus indicatur.

Comes autem interim citò ac subitò in Angliam veniens, die Ascensionis in Regem Londoniis apud Westmonasterium coronatus est. Quo facto, cum Conca-

Concanonicis suis ad Regem, sicut mandaverat, Archidiaconus accessit. Et auditâ voluntate ipsius, quam tamen propter Archiepiscopi Cantuariensis dissuasionem, cujus ad nutum tunc cuncta fiebant, in publicum propalare nolebat; Archidiaconus Curiam & Angliam post terga relinquens, Walliam reversus est. Accedens itaque Meneviam, & Ecclesiam Sancti David visitans, quam annis antea non viderat plurimis, à Canonicis & Clericis totoque populo simul & clero cum gaudio magno susceptus est. Cùm ergo super Pastore sibi præficiendo diutiùs & diligentiùs tractaretur, omniumque menti insideret ut Archidiaconus ipse præficeretur; tandem ut meliùs atque maturiùs cuncta procederent, usque ad Festum Apostolorum Petri & Pauli, quinto die sc. post Nativitatem S. Johannis Baptistæ, quasi per quindecim dies, ut omnes Canonici Ecclesiæ convocari possint, negotium Electionis est prothelatum. Cúmque ad diem illum convenirent omnes per se vel literas ratihabitionis aut procuratores; post diutinos tractatus in Giraldum Archidiaconum cunctorum vota consenserunt; ipsumque statim unanimiter eligentes supplicaverunt obnixè, quatinus Romam adeundo & perniciosam illam juris Ecclesiastici abjurationem evitando consecrationem suam à Summo Pontifice susciperet; & juxta singularem ac præcipuam, quam de ipso spem & fiduciam à primævâ ejusdem ætate & indole bonâ conceperant, dignitatem Ecclesiæ suæ Metropoliticam Romæ laudabili conamine vendicaret.

CAP. XIII.

COgitans igitur Archidiaconus gravem Ecclesiæ suæ ex pastorali defectu desolationem, & ejusdem jus antiquum perpetuò ferè longâ taciturnitate deperditum; considerans quoque Cleri totius ac populi vota communiter in ipsum concurrentia; attendens etiam, quia vox populi vox Dei; & illud recolens, *Hoc velis, quod Deus vult; alioquin curvus es*; sciensque divinæ voluntati ac dispositioni suæque vocationi tam unanimi licèt ad pauperculam Cathedram & sollicitudinem nimiam atque laborem animo virili non portabilem, resistere quidem tutum non esse: contra propositum, quod tam fixum mente conceperat, studiique statum electissimum, vix tandem & invitus adquievit. Statimque sibi in ipso aggressu tantum animositatis pariter & cordis accrevit; ut ad reformandum Ecclesiæ suæ statum pristinum patriæque totius honorem, tanquam propter hoc natus & à Domino datus, se totum indubitanter & incunctanter applicaret. Unde & in crastino, sc. proximâ post Electionem die, Euro flante navigioque parato in Hyberniam est transvectus; ubi cognatos suos Meilerium sc. tunc regni Justiciarium aliosque Proceres patriæ magnos consulens & conveniens, multam super aggressu suo laudem à cunctis & maximam manûs auxiliatricis in re tantâ promissionem suscepit. Tertiâ verò septimanâ post navigationem non completâ, remenso mari Hybernico Meneviam est reversus; & cùm in crastino manè Capitulum intraret, accepit à Canonicis se literis Archiepiscopi & Justiciarii Angliæ mandatum interim suscepisse, ut proximâ Dominicâ post Assumptionem B. Mariæ coram ipsis venirent Electionem facturi, & Episcopum suum Priorem sc. Lantoniæ suscepturi: Quem etsi non venirent, mitterent eis consecratum. Super hoc itaque deliberantes, miserunt literas Capituli ad diem præfixum, prohibentes Officialibus Archiepiscopi, Londoniensi sc. & Roffensi, quoniam Archiepiscopus ipse post Regem in Normanniam transfretaverat, & appellantes, ne citra electionem canonicam quenquam ipsis præficere vel consecrare præsumerent. Et alias Priori Lantoniæ & Conventui, prohibentes eis tanquam membris Ecclesiæ Sancti David & intra ipsius Diocesin consistentibus, ne talibus & tam temerariis ausibus citra electionem omnem se immiscerent. Duo quoque Literarum paria tunc fecerunt

Summo Pontifici per Electum suum dirigenda, sc. decretum Capituli super Electione factâ in hunc modum.

CAP. XIV.

"REverentissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratiâ Summo Pontifici "Capitulum Sancti Andreæ Sanctique David salutem & debitæ devo-"tionis obsequium. Sanctitati Vestræ notum facimus nos Magistrum Giral-"dum Archidiaconum nostrum post varias postulationes, quibus ipsum præ "aliis tam ab Anglorum Rege quàm ab Archiepiscopo Cantuariensi communi "assensu tam Cleri patriæ quam populi totius postulavimus. tandem in Ec-"clesiâ nostrâ canonicè & concorditer elegisse. Unde quoniam prædictus Ar-"chiepiscopus cum Regis Officialibus nobis extraneum aliquem, linguæ nostræ "& morum patriæ prorsus ignarum, contra electionem nostram & privilegia "nostra violentâ intrusione præficere volebant; & quoniam voluntatem Ar-"chiepiscopi nobis omnino contrariam ex recusatis multoties postulationibus "nostris experti eramus; nec ad ipsum nobis propter insidias undique positas "patebat accessus; præcipuè verò ne illicitum sacramentum ab Electo nostro "in præjudicium juris Ecclesiæ nostræ, sicut aliquoties à Prælatis nostris factum "fuerat, extorqueretur: præsentiam vestram appellantes, vobis prænomina-"tum Electum nostrum virum literatum, discretum & honestum, legitimè "natum & generosum, Ecclesiæ nostræ tam in temporalibus quàm etiam spi-"ritualibus, sicut pro certo credimus, perutilem futurum, unanimi consensu "confirmandum transmisimus & consecrandum. Rogantes attentiùs & sup-"plicantes; quatinus manum ei consecrationis apponere dignantes, his quæ "tam ipse quàm Clerici nostri cum ipso transmissi super pristinâ dignitate & "libertate Ecclesiæ nostræ per laicam potestatem peccatis urgentibus olim de-"perditâ Vestræ Sanctitati ex parte nostrâ significaverint, fidem habeatis, & "remedia paternâ pietate adhibeatis. Valeat in Domino per tempora longa "Paternitas Vestra". Iidem propter comminationem Archiepiscopi de con-secrando eis Priore prædicto, quòd præceps esse solebat in talibus, sicut & de Roberto Bangorensi Episcopo patuit citra Electionem omnem ab eodem conse-crato, Domino Papæ scripserunt ad cautelam sub hac formâ.

CAP. XV.

"REverentissimo Domino & Patri Innocentio Dei gratiâ Summo Pontifici "Capitulum Menevense salutem & fidelitatis obsequium. Si fortè ad "audientiam vestram pervenire contigerit Priorem de Lantoniâ Episcopum "Ecclesiæ nostræ à Cantuariensi Archiepiscopo consecratum & præfectum "esse; contra electionem nostram omnem & voluntatem id proculdubio fa-"ctum esse noveritis. Ab initio namque Sede nostrâ vacante M. Giraldum "Archidiaconum nostrum, quem in Ecclesiâ nostrâ canonicè jam elegimus & "postulavimus, & adhuc à Paternitate Vestrâ postulamus consecrandum, In "nullum alium per Dei gratiam & vestram consentire volentes. Ne quid & in "præjudicium Ecclesiæ nostræ & Electionis communi tam populi patriæ quàm "Cleri assensu tam canonicè factæ fieri præsumeretur; præsentiam vestram, "sicut ab initio, sic continuè quidem & constanter appellavimus. Valeat in "Domino toti fidelium orbi profutura per ævum Paternitas Vestra." Duos etiam de ipso Ecclesiæ gremio, Magistrum sc. Martinum Canonicum & Idenardum Decanum Provincialem & Vicecanonicum, Romam cum Archidiacono & Electo suo tam propter Ecclesiæ suæ jus Metropoliticum quàm propter Electionis negotium destinârunt.

CAP. XVI.

HIS ita dispositis, accedens ad fratrem suum virum probum & discretum Philippum de Barri, viamque suam & viæ causam, purè sc. & propter Deum Ecclesiæqué suæ profectum, secretiùs eidem aperiens, verba hujuscemodi ab ipso & monita suscepit. "Arduum est negotium quod, frater, aggre-"deris & laboriosum, sumptuosum quoque nimis & periculosum; quod non "solùm contra Archiepiscopum Cantuariensem sed etiam contra Regem & "Angliam totam esse videtur. Si tamen Deus in causâ est, ut nobis asseris, "& Ecclesiæ Sancti David dignitas, quam revocare contendis & intendis, & "non terrenæ pompositatis ambitio; securè laborem hunc assumas; quòd re-"vera vel hîc inde præmium assumes vel in futuro. Quanquam etiam bonâ "intentione verseris & vexeris; ne credas quòd omnia tibi statim ad vota suc-"cedant; quinimo multa tibi hostis ille antiquus, semper bonis votis invidens, "impedimenta prætendet; vel Deus id vel ad probationem tuam vel ad pur-"gationem fieri permittet. Ideóque cùm adversa tibi multa concurrerint & "occurrerint; ne desperes, sed potiùs ad animum revoces, qualiter Apostoli "discipuli Domini, qui Christi fidem salutisque viam mundo prædicabant, "tantis tamen adversitatibus afflicti fuerunt; vincula, verbera, carceres ac "vulnera, mortem quoque demum pro Christo sustinentes". Magnum itaque solatium ex verbis viri istius boni Laici prorsus & illiterati ex dilectione pariter & discretione magnâ provenientibus, suis crebris quas graves & grandes in hoc agone sustinuit, afflictionibus Archidiaconus se proculdubio suscepisse testari solebat.

CAP. XVII.

ITER igitur Archidiaconus arripiens, & Deo se Sanctoque David, cui militabat, ex toto committens, Vigiliâ Assumptionis B. Mariæ ad Monasterium Stratæ Floridæ cum sociis suis & sequelâ totâ pervenit; ibique librorum [a] suorum & Bibliothecæ thesaurum de Angliâ apud Brechene & illuc inde extra potestatem Anglorum, quicquid contingeret, allatum eodem die suscepit. In crastino verò Assumptionis Ithenardus Decanus missus ab Archidiacono versùs Brechene cum parte pecuniæ suæ & equis qui libros portaverant, propter Anglorum insidias quas per Angliam timebat, in montanis de Ruella à Walensibus quos non timebat est spoliatus; vitansque Scillam quasi in Carybdin incidit, Non expectato vulnus ab hoste ferens. Et quia non sola venire solent incommoda, reversus Ithenardus sic spoliatus præ confusione forsan infortunii sui gravi statim morbo correptus occubuit. Sic itaque Giraldus illico & quasi præ foribus sc. in ipso viæ aggressu tam pecuniâ privatus quàm sequelâ, fortunæ didicit impetus & adversitatis insultus æquanimiter sustinere. Procedens autem de Stratâ Floridâ, & per montana de Elenit versùs Cumhir accelerans, & inde apud Keri Angliam intrans, properans apud Sandwich mare Flandricum transfretavit; & nuncios suos de nundinis Wintoniæ venturos per xv. dies & plures apud S. Audomarum expectavit: ubi & alterum socium suum, sc. Magistrum Martinum Menevensem Canonicum gravi morbo correptum secundo fortunæ insultu remittere oportuit. Duos autem juvenculos Ecclesiæ suæ, quorum & alter Canonicus Menevensis erat, in partibus illis Scolares inventos, qui saltem pro jure Ecclesiæ suæ Metropolitico cum ipso stare possent, secum duxit. Cùm

[a] Se Libris demum suis Monachorum, apud quos erant depositi, versutiâ ac perfidiâ defraudatum fuisse Giraldus acerbè conqueritur, in *Speculo Ecclesiæ*, Dist. 3. cap. 5.

itaque

itaque propter werram grandem, quæ inter Regem Franciæ Philippum & Comitem Flandriæ Baldwinum, qui Regi Angliæ Johanni tunc adhæserat, orta fuit, rectâ viâ per Franciam ire non potuit; longo circuitu per Flandriam profundam à sinistris & Henoniam per Ardeniæ grandis silvas hispidas & horrendas Campaniam laterans & Purguniam penetrans, ad publicam demum stratam cum peregrinis & mercatoribus itinerando pervenit. Mirum autem, quòd xxvi. annis antè provisus fuit à quodam in somnis labor iste. Videbatur enim ei circa dies extremos David Menevensis Episcopi; quòd processionem vidit Meneviæ magnam cum campanarum omnium pulsatione. Et cùm inquireret quidnam hoc esset; dictum est ei, quòd erat Electus Ardeniæ magnæ qui ad Ecclesiam veniebat. Et cùm diligentiùs inspexisset; videbatur ei, quòd Giraldus Archidiaconus esset, cum tanto ibi pro Electo Ardeniæ magnæ, qui ad Ecclesiam veniebat, & cùm diligentiùs inspexisset, honore susceptus. Putabant autem aliqui visionem hanc audientes post obitum David Episcopi; quòd Nominatorum primus & præcipuus erat Giraldus quidem, Ardenia magna vocata in visione Wallia fuerit, quia terra silvestris est ut illa. Sed veriùs tempus istud quo verè & præcisè electus fuerat, visio prospexit. Et quòd per Ardeniam magnam viam inviam & indirectam vespilionibus & latronibus plenam tam periculosè laborem tantum fuerat aggressurus; Ardeniæ Magnæ dictus Electus erat.

CAP. XVIII.

ALpes itaque transcendens, & Italiam ac Tuscaniam transcurrens, circa Festum S. Andreæ Romam pervenit; & accedens ad pedes Papæ sc. Innocentii III. qui tunc præsidebat, & Papatûs ejus anno secundo, VI. libros suos, quos ipse studio magno compegerat, ei præsentavit; dicens etiam inter cætera: Præsentârunt vobis alii libras, sed nos libros. Libros autem illos Papa, quòd copiosè literatus erat & literaturam dilexit, circa lectum suum indivisos per mensem ferè secum tenuit; & elegantia ac sententiosa verba Cardinalibus advenientibus ostentabat: deinde verò singulis Cardinalibus singulos precariò concessit. *Gemmam* autem *Sacerdotalem* præ cæteris dilectam à se separari non permisit. Nec mora: sed quasi xv. diebus ante Natale cursor quidam literas Archiepiscopi Cantuariensis ad Curiam portavit; quas Clericus quidam in eodem comitatu veniens & contra Giraldum missas esse præsentiens, furto sublatas ei secretò venales obtulit. Erant autem XII. paria tam Domino Papæ quàm Cardinalibus missa. Giraldus autem hæc audiens respondit Clerico; quòd literas uni Cardinalium missas ei priùs ostenderet, ut videre posset utrùm pro se an contra missæ fuerint. Quo facto literas ostendit Petro Placentino missas; quas cùm fracto sigillo Giraldus inspiceret, invenit eas invectionibus plenas, tam personam suam sc. quàm electionem graviter accusantes. Sciens itaque per hoc alias simili tenore compositas, accessit ad Dominum Albanensem Episcopum Johannem, quem præ cæteris tunc Cardinalibus magis familiarem habebat; ipsumque super hoc consulens, responsum accepit, quòd nil propter illas literas daret, nec etiamsi gratis habere posset, acciperet; quòd in injuriam Domini Papæ & Cardinalium, quibus literæ missæ fuerant, hoc fieret; potiùsque velle debere quòd adversarium haberet, quàm absque adversario diutinam in Curiâ moram faceret. Clericus autem cùm à Giraldo nihil habere posset; conversus ad cursorem, literas ei pretio dato restituit. Papa verò literas Archiepiscopi sibi porrectas Archidiacono Giraldo ad se vocato statim ostendi jussit; quibus perlectis respondit. Domine, scripsit magis ut Archiadversarius quàm ut Archiepiscopus. Homo iste quippe nec veritati parcens, ut lædere possit, nec verecundiæ. Cui Papa. Vis ergo literis istis respondere?

Et

Et ille. Volo, si placet Excellentiæ vestræ. Et Papa. Placet utique; & literis ad literas post Natale respondeas. Imminebat enim jam dies Natalis, quibus abstinentes à Curiâ studio vacare volebant. In crastino verò Epiphaniæ, quòd non diutiùs ibi feriatur, procedens Archidiaconus in pleno Consistorio proposuit se literis Archiepiscopi Cantuariensis contra se missis respondere paratum. Cui Papa. Legantur ergo literæ Archiepiscopi primùm, & postea respondeas. Lectæ sunt igitur coram omnibus; quarum & tenorem hic inserere non superfluum reputavi.

CAP. XIX.

"SAnctissimo in Christo Patri ac Domino Innocentio Dei gratiâ Summo "Pontifici Hubertus divinâ permissione Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis salutem & tam devotam quàm debitam patri & Domino obedientiam & reverentiam. Ad hoc divinæ providentiæ dispositio vos super gentes & regna constituit; ut juxta merentium diversitatem discretio vestræ sollicitudinis evellat, destruat, dissipet & disperdat, ædificet & plantet; ut omnem plantationem, quam non plantavit Pater cœlestis, per vos, cui vices suas commisit in terris Altissimi filius, eradicet & explantet, & disperdat eos qui dispergunt, eo quòd cum ipso colligere non elaborent. Ideo namque vobis desuper data est plenitudo potestatis; ut quod per nos, qui in partem vocati sumus sollicitudinis, corrigi non potest, ad regulam redigat & reducat vestra, cui resisti non poterit, majestatis amplitudo. Non ignorare vos arbitror, Pater Sanctissime, quòd Menevensis Ecclesiæ & cæterarum Ecclesiarum totius Walliæ mater & Metropolis est Ecclesia Cantuariensis; sicut prædecessorum vestrorum piæ recordationis Adriani, Eugenii, Alexandri & Cœlestini confirmationes & scripta testantur, & nuper à vobis missa pagina vestræ confirmationis ostendit. Nuper tamen, sicut certâ relatione didici, quidam Menevensis Ecclesiæ Archidiaconus, Giraldus nomine, natione Walensis, plerosque Walliæ Magnates vel sanguine vel affinitate contingens, fiduciâ forsan sanguinis animatus, cùm deceat virtute magis quàm sanguine niti, à tribus tantùm Canonicis, quos ut dicitur, aliter quàm decebat vel debebat, ad consensum illexerat, in Menevensem se eligi Episcopum procuravit, aliis omnibus Canonicis nequaquam favorem præstantibus vel assensum. Ille tamen tali nominatione suffultus, confirmationis à me, ad quem primò recurrere debuerat, munus nec expetens nec expectans; sed mox Electi nomen pariter & auctoritatem usurpans, Canonicum qui sigillum Capituli Menevensis custodiebat, quoniam precibus inflectere non potuit, usque adeò cruentis deterruit comminationibus; quòd idem Sigilli custos Sigillum prædictum super altare Episcopalis Ecclesiæ posuit; priùs tamen appellaverat, ne quis præter communem Capituli consensum illud inde tollere vel asportare præsumeret. Ille tamen non magis appellationem reverens quàm horruerat intrusionem, sigillum sustulit & sic abstulit; ut quoties & qualia velit patrocinia vel testificationis possit instrumenta conficere. Novit Deus, ante quem sto, & quem nullum latet secretum; quòd si eum idoneum & ad tantæ dignitatis apicem canonicâ electione præeunte evocatum credidissem; munus confirmationis sed etiam consecrationis, si à me vel alterum vel utrumque petere voluisset, benignè impendissem. Veruntamen ille de Electionis qualitate minimè confidens, me minùs licitè minùsque canonicè neglecto, ad Sedem Apostolicam, sicut fama est, festinum iter arripuit; ut vos, cui nondum de formâ Electionis suæ innotuit, falsis circumveniat testimoniis. Sed nostis, Pater peritissime, quòd testibus non testimoniis credi oportet: præsertim cùm plura efficere possint & soleant, quòd testimoniis eorum qui testes no-

"minantur

"minantur voluntas non consonet; sicut veri sigilli vel furtiva surreptio vel ab-
"latio violenta, vel impressionis adulterinæ cum vero sigillo, sicut plerunque
"fit expressâ similitudine. Hæc vobis, Sanctissime Pater, non odio personæ
"novit Deus, sed zelo justitiæ castigatiùs forsan & temperantiùs, quàm expe-
"diret vel rei veritas exigeret, significanda duxi; ne quoquo modo circum-
"venti, veritate priùs non intellectâ, manum ei Consecrationis, si placet
"Sanctitati Vestræ, vel imponatis vel faciatis imponi. Sed ex hoc vellemus
"Vestræ innotescere Sanctitati; quòd sæpedictus Archidiaconus obtento forsan
"à vobis, quod absit, Consecrationis munere, non foret hoc fine contentus.

Reliqua desunt in Codice MS. Supersunt solummodo Summaria Capitulorum, quæ in Operis fronte collocantur. In his recensentur plurimæ Johannis Regis contra Giraldum literæ & mandata. Hujuscemodi quatuor ex Archivis Regiis descripta Willelmus Prynne in Collectione vernaculâ de Jurisdictione Ecclesiasticâ Regum Angliæ, *Tom. II. p. 236. exhibuit. Ista nos proinde Giraldi libro, in quo locum olim habuisse videntur, subnectenda duximus.*

Pat. 3. Johan. Regis, m. 7. n. 18.

Rex, &c. omnibus, &c, Audivimus, quòd Giraldus Archidiaconus de Brechunon in grave & manifestum dispendium dignitatis nostræ & Ecclesiæ Cant. in Episcopatu Menevensi nititur Archiepiscopum constituere; & super hoc faciendo dicit se nostrum impetrâsse assensum. Unde scire vos volumus, quòd nunquam in hoc assensum præbuimus; nec unquam ei consentiemus, sed ei in hoc penitus deficimus. Mandantes vobis, & in fide qua nobis tenemini præcipientes; quatinus nullatenus ei in hoc temerario proposito suo assistatis, vel ei in hoc consilium vel auxilium præstetis; sed viis omnibus quibus poteritis processum suum impediatis; sicut dignitatem nostram diligitis. Teste *meipso* apud Vernol. VIII. Marcii.

Pat. 3. Johan. Reg. m. 2.

Rex, &c. omnibus, &c. Sciatis quòd Giraldus Archidiaconus de Brech. manifestè operatur contra coronam & dignitatem nostram; qui se gerit Electum Menevensem, cùm nos in eum eligendum nunquam præbuimus assensum. Et inde trahit in causam W. Abbatem S. Dogmaelis, in cujus electionem consensimus. Temporalia etiam Episcopatûs Menevensis, quæ vacante Sede debent in nostrâ manu esse ex diuturnâ & approbatâ regni nostri consuetudine, contra coronam & dignitatem nostram sibi committi procuravit: hæc & alia contra nos impudenter perquirendo, qualia nullus alius post coronationem nostram contra nos attemptavit. Et quoniam hæc nullâ ratione sustinebimus; mandamus vobis, quòd sicut honorem nostrum & dignitatem diligitis, quam sicut fideles nostri fovere & manutenere tenemini; prædicto Giraldo Archidiacono in nullo ad hoc consilium vel auxilium vel assensum præstetis; sed prædictum Abbatem S. Dogmaelis quantum poteritis adjuvando, prædicto Giraldo Archidiacono in quantum poteritis resistatis. Quicunque autem aliter fecerit, manifestum erit ipsum nobis & dignitati nostræ adversari. Teste meipso apud Rupem Aurmall X. die Aprilis.

Pat. 3. Johan. Regis, m. 7. intus, n. 28.

Johannes Dei gratiâ, &c. omni Clero & populo Angliæ, &c. Universitatem vestram scimus non latere, quòd custodiæ Episcopatuum & Abbatiarum vacantium in regno nostro in temporalibus omnibus Antecessoribus nostris & nobis hactenus ex diuturnâ & approbatâ consuetudine Regni nostri consueverunt competere. Verùm quia Galfridus Archidiaconus de Brechunon, qui se gerit Electum Menevensem, & cujus electioni non consentimus nec unquam consensimus, custodiam Temporalium Episcopatûs Menevensis in damnum & dispendium dignitatis nostræ coronæ præsumit usurpare; quod nos nullâ ratione salvâ dignitate nostrâ sustinere possumus aut debemus: Vobis mandamus & firmiter præcipimus; ne quis vestrûm prædicto G. in temporalibus, quæ ad dictam Ecclesiam spectant, respondere, vel ipsum ad ea obtinenda promovere aut manutenere præsumat; sicut nostram diligit fidelitatem & coronæ

ronæ nostræ dignitatem. Sciatis enim, quòd si quisquam vestrûm in contrarium pro eodem G. aliquid attemptaret; pro manifesto habebimus ipsum dignitati nostræ & coronæ inimicari. Teste meipso apud Rothomagum xvii. die Decembris.

Sub eâdem formâ scribitur Capitulo Menevensi.

Pat. 5. Johan. m. 7. intus.

Rex, &c. omnibus Baronibus & fidelibus per Episcopatum Menevensem constitutis, &c. Quot & quantis machinationibus & nos opprimere & regni nostri consuetudines ab antiquis temporibus in Electionibus Episcoporum obtentas G. Archidiaconus de Brechuno pro posse laboraverit extinguere tam in Curiâ Romanâ quàm alibi; satis nôrunt universi. Per eum enim non stetit; quòd pravis suggestionibus ejus & dilationibus malitiosis & venenosis non solùm pax partium vestrarum, immo totius Regni nostri tranquillitas turbaretur; maximè cùm inimicis nostris nequiter communicando talia confixerit, quæ nobis & regno nostro manifestum importarent dispendium, si iniquitas ejus prævaleret & pro voto processisset in actum. Unde non immeritò ipsum inter inimicos nostros duximus numerandum: vobis & omnibus nos diligentibus mandantes & districtè prohibentes, ne ejus promotioni aliquo modo consentiatis; immo ejus promotionem pro posse impediatis. Non enim justum est, quòd ille fidelibus nostris diligatur vel promoveatur, qui in damnum & dispendium dignitatis Regis & juris Regni perturbationem anhelat. Teste meipso apud Tastnu xi. die Septembris.

Giraldi Cambrensis

Distinctiones VII.

De jure & statu Menevensis Ecclesiæ.

Incipit Prologus Epistolaris.

REVERENDO Patri & Domino Stephano Dei gratiâ Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliæ Primati, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Auctor Operis sequentis vel adjutor cum salutatione devotâ & salute perpetuâ Libellum suum. Quoniam gregis cura Walensici ad pastoralem vestri regiminis jure provinciali spectare dinoscetur provisionem; gentis ejusdem proprietates variasque diversitates, cæteris per orbem nationibus cunctis valdè contrarias, vestram non ignorare Discretionem nec inutile quidem nec incongruum aut etiam indebitum reputaverim. Verùm quòd sicut populi patriæ mores, modos atque maneries Libellus, qui *de Kambriæ descriptione* nomen accepit, vobis olim exaratus & præsentatus, expressè declarat; sic & Dialogus hic præsens nobis nunc editus, & renovato beneficio datus, Cleri Walliæ, maximè verò Cathedralium Ecclesiarum & Episcopalium, tam residentis sc. quàm rure degentis, naturas ac nutrituras, usus & abusus, quòd qualis populus, talis hîc ferè sacerdos, evidentissimè vobis explanat. Quoniam igitur pecorum suorum vulgus agnoscere pastoralem sollicitudinem decet; & non solùm exteriores, verùm etiam quoad licuerit, & fas fuerit, longè propensiùs interiores; Libello priori populi Walensici faciem intimam & intestinam tanquam in speculo dilucido perspicere poteris; hoc autem Cleri formam moralem quidem ac mentalem ad unguem agnoscere prævalebitis; quatinus ex horum noticiâ super utrosque pastoralis sit cura solertior. Et si qua fortè deceptio vel error in moderamine regiminis hactenus emersit; licèt ex his elici nequeat de præterito medela, contrahi tamen non modica per hæc eadem possit de futuro cautela. Præter hæc etiam ex Giraldi labore propter Ecclesiæ suæ dignitatem assumpto, cujus in hoc Opusculo comprehenditur pars non modica, perpendi evidentissimè poterit; quibus adminiculis nitatur Ecclesia Menevensis ad jus obtinendum, quod tantopere cupit & optat; quatinus si futuris fortè diebus de Meneviæ finibus quis emerserit Ecclesiam suam diligens & cor habens, ejusque jura super fundamenta primùm à Bernardo, postmodum à Giraldo posita, contra Cantuariensem Ecclesiam prosequi volens; quod tamen de tam miseris tamque minutis hodie Menevensibus, potiùsque procacitati & lecacitati quàm probitati datis, de cætero vix eveniet; Cantuaria longè cautior, & quoniam jacula prævisa minùs lædere solent, longè præmunitior existere queat. Quoniam enimvero præter spem interdum pleraque contingunt; ad varios rerum eventus fortunæque volubilis insultus, tam imminentes quàm ex inopinato quoque provenientes, se præparat & armat mentis industria gnaræ. Sicut enim fœlix est illa civitas & fortunata;

tunata; quæ pacis tempore & tranquillitatis seriè bellum cogitat; sic & Ecclesia beata, quæ in summâ prosperitate constituta, mente plerumque providâ inter propria prospera meditatur adversa. Unde philosophus in ipsâ securitate se præparet animus ad difficilia; & contra fortunæ injurias inter ipsa beneficia firmetur.

Porro clausulam quandam *de Itinerario* Giraldi sumptam, qua de dictis Ecclesiis duabus sermonem texens, suam exinde promit opinionem, hìc inserere præter rem non putavi. Ait enim. "De duabus autem Sedibus istis, de quibus mentionem hìc fecimus, Cantuariensi sc. & Menevensi, quid mihi videtur juxta moderna tempora, paucis edisseram. Illinc hodie regum favor, opum affluentia, Suffraganeorum Antistitum opulenta numerositas, Literatorum & Juris peritorum copia multa. Hinc autem omnium istorum defectus, & jus remotum. Quapropter nisi per regnorum fortè mutationes rerumque vicissitudines magnas, quæ variis & inopinatis eventibus interdum accidere solent, difficilis erit juris antiqui recuperatio." Porrò licet dictis his rationibus & aliis, immo etiam propter Cleri Menevensis vel inopiam vel ignaviam, tuta queat esse quoad judicem terrenum Cantuariensis Ecclesia; timendus tamen quamplurimùm est Judex ille supremus, qui speculator astat desuper acutissimè cuncta prospiciens; cujus ante oculos universa quasi penetrant & perlustrant. Neque rei alienæ longæva possessio neque diutina rei occupatæ detentio malæ fidei possessorem quicquam excusat. Quinimo quanto quis diutiùs rem alienam invito Domino detrectare præsumit; tantò dictum speculatorem illum & Dominatorem omnium longè graviùs offendit. Quare locus præscriptioni vel usucapioni non esse videtur; quòd non dimittitur peccatum, Ambrosio testante, nisi restituatur ablatum; & nemo delicto suo meliorem conditionem suam facere debet. Sed qualiter ergo illud Gelasii Papæ intelligi debet; *Jure sibi vendicet; quod tricennalis lex conclusit, quòd & filiorum nostrorum Principum ita emanavit auctoritas*; ut Causâ XVI. Quæstione III. Cap. *Præsulum*, in fine. Sed licèt tali exceptione se quis tueri possit, tamen scientiam habet rei alienæ. Dominium enim tali præscriptione, ubi bona fides & titulus desunt, non acquiritur, sed tantùm possessionis & exceptionis commodum, nec habet talis detentor conscientiæ puritatem; & quicquid contra conscientiam fit, ædificat ad gehennam.

Lib. 2. cap. 1.

Ut autem plenior super his discussio seu disputatio tanquam veniâ petitâ fieri possit: Sciendum, quod dicunt quidam, quòd hoc distat inter Præscriptionem Legalem & Canonicam; quòd Legalis malâ fide inchoari potest & compleri: Canonica verò sine bonâ fide non currit nec completur. Si verò malam fidem aliquo tempore ante completionem habuerit; tenentur eam etiam jam completâ præscriptione restituere. Sed si bonâ fide continuaverint & compleverint; licèt postea comperiant rem alienam esse, justè tamen detinent. Sed obviat eis apertè Augustinus, Causâ XXXIV. Quæstione II. dicens. Si virgo nesciens viro nupserit alieno; hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera. Si autem sciat; jam ex hoc esse adultera incipit, ex quo cum alieno sciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum. Cùm verò scierit, nec ab alienâ possessione recesserit; tunc malæ fidei possessor perhibetur; tunc justè injustus vocabitur. Proinde dicendum revera videtur, quòd hujusmodi adquisitio nulli viro perfecto, nulli verè religioso & Catholico competere debet; quia quàm citò scientiam habuerit rei alienæ, sive ante præscriptionem completam sive post, ex æquitate tenetur restituere; & nisi restituat, peccat. Non ergo locum habet detentio; quia peccat, nisi quatenus bonâ fide excusari poterit. Unde si semper rem alienam bonâ fide possideat; ignorantia facti excusabitur, nisi crassa fuerit & supina. Quòd si putaverit se detinere justè, quia auctoritate Legum & Canonum; cùm tamen jam alienam perceperit, igno-

rantia juris non excusabitur, præcipuè in lucro captando. Sed objicitur; quoniam sic nullus erit locus præscriptioni vel usucapioni; aut si fuerit, juris occasio trahi videtur ad iniquum compendium. Ad quid enim tam lege quàm canone statutum est, quod sine peccato exerceri non potest? Dicunt autem Juris periti, quòd in judiciis locum habet ad sedandas lites, & ne dominia rerum essent in incerto. Hac enim ratione & legibus hoc cautum est, & postea canonibus in hoc leges imitantibus confirmatum. Aliud est enim judicium causarum, aliud animarum. A causarum judice hoc permittitur; à judice animarum hoc punitur. Sicut in aliis plerisque videmus. Meretrici & histrioni quod ob turpem causam adquisivit impune possidere tam à Sæculari quàm Ecclesiastico Judice permittitur; à Judice tamen animarum punitur. Similiter occulta voluntas seu cogitatio, quæ intra fines suos contenta est, jure humano non punitur; juxta illud Codicis, Tit. *De Pœnis* Cogitationis pœnam nemo patiatur; jure tamen divino punitur. Vetus enim Testamentum non cohibuit nisi manum; Novum autem cohibet etiam animum. Aliud ergo faciendum jure fori, aliud jure poli: quòd alia est ratio divinarum causarum, alia sæcularium: ut de Consecratione Dist. IV. *Celebritatem*, in fine. Sed objici potest adhuc. Quomodo Gelasius hoc permisit; si peccatum esse præscivit? Item aut justè aut injustè hoc permisit. Dici non debet; quòd injustè. Si verò justè; ergo justè præscribitur. Non ergo præscribendo peccatur. Ad hoc autem dici potest, Gelasium intuitu causarum leges in hoc imitatum, ut lites compendiosiùs sedarentur, & pigritantium ignavia puniretur. Vigilantibus enim prodita sunt jura, & non juris sui contemptoribus. Vigilantibus quoque corona promissa est. Et quòd dispensatione quadam usus est, & justè: Nec tamen justè præscribitur; & ita quod justè statutum est à Prælatis, injustè exercetur à subditis. Nonne Moyses justè concessit Libellum Repudii, dispensans propter homicidia vitanda: prævidit enim alias uxores à viris interficiendas. Injustè tamen ipsi dabant; quòd pro minimis plerunque vel nullis causis. Item permittitur vir fidelis uxorem suam infidelem cohabitare volentem non recipere; peccat tamen nisi recipiat. Item justè permittitur causâ incontinentiæ quis uxorem suam cognoscere; & sic tamen cognoscendo peccat. Sicut ergo Moses populi sui malitiâ in hoc statuendi necessitatem devenit; sic etiam Gelasius ob populi pigritantis ignaviam. Nec objici denuo potest. Dicit Gelasius: *Jure sibi vendicet*, &c. Ergo jure possidetur. Et adhuc exquisitiùs, Jure Canonum, cui non est derogatum; ergo justè,& sic sine peccato. Concedi posset jure possideri; si *jure* nominaliter accipiatur, non adverbialiter; quòd quodam jure, sed positivo; non tamen justè, quòd non ex æquitate. Præscriptiones enim sicut & servitutes introductæ sunt pro bono publico contra naturalem æquitatem. Unde circumspectè dixit Gelasius. Jure sibi vendicet; & non justé. Simile haberi potest in prædictis. Jure dederunt libellum repudii, & cui non fuit tunc derogatum; ergo justè, vel ergo ex æquitate; vel in servitute, vel usuris, vel in proprietatis possessione. Quæ omnia contra æquitatem & naturalem justiciam pro bono publico sunt introducta. Qualiter cùm æquitas ubique juri stricto, ubi contraire videntur, sit præferenda, Codice Tit. *De Judiciis*, declaratur in hunc modum. Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justiciæ æquitatisque quàm stricti juris rationem. Nemini itaque perfectè religioso, nulli serenæ conscientiæ viro Præscriptio competit & rei alienæ detentio, nec in tempore brevissimo nedum perlongo. Qualiter enim de proximo diligendo tanquam seipso Decalogi mandatum observat; qui proximum possessione propriâ sponte spoliat & scienter apporiat, aut etiam rapinæ alterius ultroneus detentor existat?

Quamvis autem indecens esse proculdubio constet, ut Epistola longa Libellum æquiparet, prologique prolixitas tractatum exsuperet; verbosæ tamen ætatis vitio victus, seu potiùs vestræ dilectionis glutino vinctus, patri forte

profutura

profutura verba exuberantia filius exaggerat. Satius enimvero est atque securius longéque salubrius ac venialius de duobus incommodis; ut zelo plenitudinis & perfectionis aliqua nonnunquam, quod facile est remedium verbositatis, videantur apponi superflua; quàm favore breviloqui succinctique sermonis amore nonnulla necessaria supprimi. Audiat itaque pater exhortationem ex filialis affectûs mero fonte manantem. Audiat & consilium modestiæ simul & saluti accommodum. Nam si juxta Poetam, *fas est & ab hoste doceri*, multò fortiùs ab amico; & quòd *Non nocet admisso subdere calcar equo*; zelo sinceræ caritatis ad monendum magis quàm docendum accenso.

Constet igitur imprimis juri Menevensis Ecclesiæ pristino quoad libertatem ejusdem & dignitatem totam, præter usum Pallii, non esse præscriptum; sicut ex colloquio secretiùs inter Papam & Giraldum habito manifestè patescit Distinctione Libelli istius secundâ. Post violentiam enim, ut ibi veraciter astruitur, per Regem Henricum I. factam, interrupta imprimis per Bernardum Episcopum præscriptio fuit. Postea secundò tempore Successoris ejusdem primi per Canonicos Menevenses coram Hugucione Legato & Cardinali. Tertiò verò per Canonicos eosdem in Lateranensi Concilio. Quartò verò per Giraldum post Lateranense Concilium anno quasi vicesimo sexto. Per hoc autem, ut in dictâ Distinctione evidenter ostenditur, quòd Cantuarienses à successoribus Bernardi proximis duobus sacramentum extorserunt abjurationis juris Ecclesiæ suæ. Propter quod per Canonicos ipsorum & non per ipsos facta proclamatio & interruptio fuit; clarescere potest; quòd sicut ab initio malæ fidei possessores extiterunt, puta qui per violentiam possidere cœperunt, sic & adhuc quidem malâ fide eosdem possidere. Quare non in hac possessione se longi temporis præscriptione de jure tueri possent, etiamsi nulla interruptio secuta fuisset. Ad hæc etiam quòd ante tempora Regis illius Henrici I. Menevensis Ecclesia Cantuariensi subjecta non fuit; ex Literis primis & quasi invectivis ab Archiepiscopo Huberto contra Giraldum Papæ directis argumentum sumi potest non improbabile: quarum verba hoc exprimentia, simul cum responsione Giraldi in litteris responsalibus factâ, hîc apponere dignum duxi. Ait enim Hubertus, aut potiùs Huberti Notarius. "Non ignorare vos arbitror, Pater Sanctissime, quòd Menevensis Ecclesiæ & cæterarum Ecclesiarum totius Walliæ mater & metropolis est Ecclesia Cantuariensis; sicut prædecessorum vestrorum piæ recordationis, Eugenii, Adriani, Alexandri, & Cælestini confirmationes & scripta testantur; & nuper à vobis missa pagina vestræ confirmationis ostendit." Ad hoc sic respondit Giraldus. "In verbis his notandum moneo; quòd non à remotis incipit, sed quasi à modernis; tamen quod & literis populi ac Cleri Walliæ, quas suscepistis, concordare videtur; qui asserunt tantùm tres Episcopos Menevenses Cantuariensi Ecclesiæ subditos fuisse. Sed & hoc quoque dignum est notâ; quòd scripta illa confirmationes vocat non donationes. Videat autem ipse, viderint & decessores sui; ne conscientiam Sedis Apostolicæ suppressâ veritate circumvenerint." Sed hæc sua desiderant tempora; & nos quod instat agamus; hoc tamen adjecto, quòd clausula modica, quæ confirmationibus adjici solet, sc. *sicut justè possidetur*, & in his quoque prætermissa non fuit. Ambæ verò literæ illæ in principio Libelli Invectionum poterunt inveniri. Inquirat itaque diligentissimè Cantuariensis Ecclesiæ Prælatus, & sollicitus indagator existat, tanquam securitati propriæ consulere cupiens & saluti; utrùm ante tempora Regis illius Henrici I. qui violentiam illam fecisse dinoscitur; confirmationes aliquas subjectionis Ecclesiæ Walensicæ habuerit vel habeat Ecclesia sua. Quòd si hoc invenerit ab antiquis sc. & longis retro temporibus; Summis Romanæ sedis Episcopis longè securior esse poterit. Sin autem; habere absque dubio poterit, unde sibi timeat; præ oculis quoque manibusque tenebit, quod plurimùm sibi cavendum, plurimùmque timendum & corrigendum

gendum occurrat. Maxime verò, si tomos & divisiones Anacleti Papæ, sicut in Pontificalibus Romanorum gestis & Imperialibus continetur, Galliarum Episcopis directas, diligenter inspexerit; Registrumque Gregorii Papæ, præcipuè verò Capitulum illud ibi contentum, cùm certum sit Augustino Anglorum Episcopo directum; necnon & Ecclesiasticam Bedæ Historiam, de qua cùm plurima argumenta trahantur, sicut in dictâ Libelli istius distinctione evidenter ostenditur; tria tantùm illorum hìc apponere dignum duximus. Imprimis quòd septem Episcopi Britonum Augustino in finibus suis occurrentes, post varias inter ipsos sermonum collationes, demum tam ipsum quàm ejus mandata contempnentes, contumaciter recesserunt. Quod quidem si vel Legatus eis à Summo Pontifice missus fuisset vel prælatus; non hoc ausi fuissent, nec illud impune fecissent. Unde cum Augustino renuerunt prædicationis, quod postulabat, esse socii; multò minùs sibi vel successoribus suis vellent esse subjecti. Secundò quòd cùm Theodorus, septimus ab Augustino Cantuariensis Archiepiscopus, primus fuisset qui Concilium Episcoporum Suffragnaeorum convocaret; & cùm duo convocâsset; & singulorum qui interant Episcoporum nomina Beda apposuerit; nullum omnino Britonum nominavit. Constat ergo, quòd nec interfuerint, nec ei subjecti fuerint. Tertiò verò quòd in totâ Anglicanæ Ecclesiæ Historiâ, quam Beda tractavit & diligenter explanavit, nunquam reperitur Walensicam Ecclesiam Anglicanæ fuisse subjectam, sicut nec Scoticam. Quòd si ita fuisset; non illud revera Beda, qui Anglicus erat, in Historiâ suâ tacuisset.

Sed objicitur, vel obiici potest; quòd si tam periculosa fuisset rei alienæ diutina detentio; quomodo Cantuarienses Archiepiscopi boni & sancti, præcipuéque beatus Martir Thomas talem non abhorruerit detentionem? Cæteris igitur Archiepiscopis, qui tempore dicti Regis Henrici I. vel postea sederunt, sibi suæque conscientiæ relictis, ad Martirem Thomam, ubi vis major objectionis esse videtur, respondendo stilum vertemus. Hic etenim more aliorum possessioni tali incumbens, zelum revera Dei habebat, sed non secundùm scientiam. Nec enim ignorantiâ facti potuit excusari; qui nimirum in controversiâ, quam Bernardus Menevensis Episcopus Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo super hoc movit, tam Ecclesiæ Cantuariensi quàm Archiepiscopo, cujus Archidiaconus erat & Clericus familiaris, totis nisibus astiterat. Nec etiam ignorantiâ juris, præsertim in lucro captando; si sc. vel Archiepiscopum illum primò vel seipsum postea sic præscribendo justè possidere putavit; cùm neuter tamen sic possidendo vel bonam fidem vel titulum justum habuerit. Veruntamen si Martir in his vel in aliis humanæ conditionis imperfectione malè operando perperam quid quandoque commisit, vel in aliquo fortè minus agendo deliquit; lavacro sanguinis maculam omnem indubitanter diluit & delevit. Notandum tamen, quòd à tempore Regis illius totiens dicti præscriptio non cucurrit; quòd pluries, ut dictum est, interrupta fuit; quæ si etiam integrè cucurrisset, apud districtum Judicem, ut dictum est, non excusâsset.

Advertat itaque cor intelligens concordiæ modum, quem Archiepiscopo Huberto Giraldus obtulerat, & quem bonæ sanctæque memoriæ Eustachius Eliensis Episcopus, qui tam discretus erat tamque peritus, plurimùm commendabat; dicens & asserens, quòd si Cathedræ præesset ipse Cantuariensi, se malle Archiepiscopum in Walliâ cum Suffraganeis suis sub pace stabili perpetuâque subjectum habere, quàm quatuor Ecclesias ibidem Cathedrales simplices sic pendulas semper & litigiosas, cumque cauteriatâ fortè conscientiâ, jure provinciali possidere. Quoniam & sic initium possidendi Cantuariensis Ecclesiæ vitiosum, quia violentum, ex parte purgari posset; cùm de consensu ejusdem Ecclesia Menevensis pristino gauderet honore, etsi non pleno. Sic quoque Cantuariensis Ecclesia plus haberet honoris; loco sc. simplicis Episcopi Suffraganei Archiepiscopum subjectum habens; multoque minus oneris,

& cum

& cum longè meliori conscientiâ; terram sc. tam remotam, quòd per XV. ferè diætas, & gentem divisas ab Angliâ prorsus atque diversas linguam, leges & consuetudines habentem, qui modos & mores patriæ non ignoraret, & qui propiùs residens ac diligens existeret, quasi per Vicarium regens; & tunc non nomine solùm sed & omine, non vocaliter tantùm sed essentialiter & quasi substantialiter, Primatiæ sedes Cantuaria foret. Non enim Primas propriè vel Patriarcha dici potest, sicut notum est satis prudentiæ vestræ, nisi qui Archiepiscopum unum vel plures subjectos habuerit; sicut infra Distinctione IV. palàm ostenditur.

Interim autem donec dictis modis aut aliis conscientiam suam Cantuariensis Antistes plenè serenaverit; quolibet anno secundo vel tertio per se vel per Legatos discretos & justos Walensicam Ecclesiam visitet; & pastorali sollicitudine barbaros mores eliminet. Præcipuéque Cathedrales Sedium Episcopalium Ecclesias à vitiis radicatis olim & tanquam innatis, publicis scilicet fornicationibus & successionibus, purget. Per universos quoque Walliæ fines incestuosos cognatarum amplexus & sanguine propinquarum à Laicis; cujusmodi labe tota ferè illa gens laborat. Item quòd gens indomita, gens inquieta, rapinis & rebellioni semper accommoda, cædis & sanguinis sitibunda; quòd verbi constantia nulla, fidei quoque sacramentique reverentia rara. Nec mirum; cùm gens naturaliter agilis & non mente minùs quàm corpore levis; gens quoque revera solâ instabilitate stabilis, solâ infidelitate fidelis; sicut in dicto de *Kambriæ descriptione* libello, distinctione II. ubi de naturâ gentis hujus & moribus agitur, pleniùs explanatur. Committuntur autem à Clericis præcipuè vitia tria; Concubinarum sc. cohabitationes, & Ecclesiarum participationes, enormes quoque filiorum post patres in Ecclesiæ bonis successiones. Tam hæc, inquam, in Clero, quàm prælibata in populo vitia viribus totis & nisibus Pontificaliter emendet; & indecentia quæque potenter extirpet; sicut in primâ Distinctione & postremâ, capite sc. Libelli istius & calce, super Ordinis utriusque delictis, & tam admissis & commissis quàm omissis, tractatu diligenti est declaratum. Proh dolor! de gente quanquam moribus olim & meritis sterili & ferè prorsus inutili, docili tamen valde doctrinæque capaci, si doctor adesset & eruditor omnino non deesset. Unde cùm in libro *de Kambriæ descriptione*, distinctione primâ, ubi de gentis istius agitur religione & erga Deum cultumque divinum devotione, tanquam antiquitus insitâ & firmiter radicatâ; reverentiâque locis sacris & Ecclesiasticis viris, necnon & Sanctorum reliquiis, campanis bajulis & baculis, cæterisque similibus fideliter exhibitâ, dilucidè satis & exquisitè Giraldus disseruisset; denique quasi sub Epilogo summam rei seriemqne concludens, clausulas has finales adjecit. Heremitas & Anachoritas abstinentiæ majoris magisque spirituales alibi non videas. Gens etenim hæc in omni vehemens est intentione. Unde & sicut malis nusquam pejores; sic bonis quoque meliores non reperies. Fœlix itaque gens & fortunata: Gens verè utrâque sorte beata; si Prælatos haberent bonos & Pastores, uno gauderent Principe, & illo bono. Utinam igitur quod in Jeremiâ dictum est a Domino filiis Israel conversis & reversis, hoc istis similiter à Domino diceretur. [a] *Dabo vobis pastores juxta cor meum; & pascent vos scientiâ & doctrinâ.* Jer. III. 15.
Sic & eisdem Principes utinam daret eximios, non insimul tamen plurimos, sibi ad invicem solitâ semper infœlicitate contrarios; sed potiùs unicum cæteris cunctis jure succedaneo præstitutum, justum in omnibus & pacificum, moribus & armis egregium, pietate pariter & probitate conspicuum.

Præter hæc etiam provideat & hoc attentiùs totiens dictus Archipræsul & Primas; quòd vacantibus Ecclesiis Pontificalibus, convocatis Abbatibus & Prioribus Conventualibus cæterisque de confinio viris religiosis & discretis, Electio fiat; cui etiam privilegium Menevense super eligendi libertate manifestè concordat. Alioquin modici miserique & moribus incompositi Sedium illa-

illarum dicti Canonici, sed veriùs concubinarii, si liberas eligendi proprio arbitrio habenas habuerint; more solito moribus suis consentaneum eligent, & non Ecclesiæ suæ necessarium; consulentes absque dubio longè propensius propriæ juxta vitam enormem indempnitati, quàm Ecclesiarum suarum utilitati. Adeò itaque per singulos Cantuariensis Provinciæ angulos, tam remotos quàm propinquos, diligens & solers vigilet curæ pastoralis executio; quatinus vel justi legitimique regiminis plenior exuberet, centesimum nempe fructum adæquans, Prælatis egregiis sicut & virginibus & Martyribus debitum, digna retributio; vel saltem ut rei usurpatæ tolerabilior existat ipsa præsumptio.

Sed quoniam Historiæ cursus, quæ lege scribendi veniâ datâ veris insistere vereri non debet, quosdam magnos in oculis hominum viros tangere videtur & notare; rarique sunt hodie Scriptorum remuneratores, & promptissimi ubique injuriarum ultores; inter Apocripha potiùs annumerari & sub incerti auctoris titulo latere noster ex industriâ libellus elegit. Satius enimvero & longè securius esse videbatur præmium omittere laboris incertum, quàm odium incurrere periculumque de professione certissimum. Explicit Prologus.

PRÆFATIO.

Brevis subsequentium Explanatio.

LEctio certa prodest, varia delectat. Sic fastidientis est stomachi multa degustare, saltim in legendo non seriatim incedere. Qui ergo vel occupatione nimiâ vel negligenti incuriâ seu desidiâ literis & libris, lectionibus ac studiis mentis efficaciam applicare nequiverit; duas saltem Libelli istius Distinctiunculas primas duasque postremas ordine transcurrat. Per tres autem medias quasi per saltus quosdam campestremque planiciem, ubi Giraldi labores explicantur non illaudabiles, quotiens paginam prolixiorem mens delicata studioque nimis data fastidio duxerit; tunc gustando non satiando, liguriendo quoque non guttur implendo, quasi per saltus amplos & campos amœnos saltim Lector incedat. Verumptamen sicut in primis Opusculi partibus & imis mores hominum Ordinis utriusque, potiorisque potiùs & dignioris, plenè & abunde perpendi poterunt; quod præsidenti plurimùm rectorique spirituum expedire dinoscitur, necnon & cæteris cunctis tam privatis ad vitia vitandum virtutesque sequendum, horum notitia, quoniam erudiunt plerumque bonos exempla malorum; non parum prodesse noveritis. Virtus enimvero, ut ait Boethius, virtutem diligit, aspernaturque contraria; nec potest malum vitari nisi cognitum. Sic & mediarum haud dissimiliter Distinctionum Lectio quidem non fabulosa sed Historica, vera quippe per omnia non hyperbolica, proposito viri cujusdam nostri temporis exemplo virtuosissimo, ad virtutes amplectendum virtuososque labores aggrediendum viriles animos multùm animare valebit. Virtus nimirum est virtutem diligere vel in altero; & magnum innatæ bonitatis indicium, quinimo & quoddam bonitatis ipsius & imitabilis æmulationis tanquam initium, bona quæ nondum mens ad plenum tenet, in alio diligere & approbare. Quoniam, ut ait Augustinus, qui bonum in alio diligit, quod ipse non habet, imputabitur ei tanquam haberet.

DISTINCTIO

DISTINCTIO PRIMA,

Incipit Dialogus duorum, seu Sermonis inter Quærentem & Solventem alternatio.

Quærens. QUoniam liberalem te plurimùm & affabilem novi; item & discretione pariter & eruditione spectabilem, item & illi, de quo mihi præcipuè est sermo, persamiliarem; item & quoniam Cleri Menevensis Capitulique, de quorum hìc actibus agitur, mores & modos intus & in cute nosse dinosceris: te longè securiùs & confidentiùs super illis, unde moveor, alternis affatibus convenire disposui.

Solvens. Dic igitur audacter, dic confidenter; quoniam ea quæ novero tibi evidenter explicare, teque super his quibus hæret & hæsitat animus tuus, prout sensero, proculdubio certificare curabo.

Quærens. Imprimis ergo mihi mirandum occurrit, sicut & Provinciæ toti; quòd Præsule Menevensi Gaufredo nuper rebus humanis exempto, in electione Pontificis de Magistro Giraldo, quem moribus & scientiâ præditum & Præsulatu dignum dudum prætulit & præfert Wallia tota, nulla prorsus facta mentio fuit; præsertim etiam cùm juvenilibus ejusdem annis post David Episcopum Sede vacante Dewiorum, nominatus primus & præcipuus Giraldus extiterit. Iterumque robustioribus ipsius annis defuncto Antistite Petro præcisè à cunctis & solus electus; nunc autem cùm ætate provectior & maturior, nec tamen vel delirus adhuc vel decrepitus, sed in bonâ valetudine fortis ac firmus, & ætatis beneficio longioris ampliori scientiâ præditus, rerumque multarum experientiâ providus magis ac prudens effectus; cùmque tunc & tunc tam effectuosè fuerit electus; nunc autem cùm longè dignior extiterit & præstantior, non rememoratur; nec ad dignitatis honorem præ cæteris, ut solet, debito de jure vocatur, satis admirari non possum.

Solvens. Tuam hanc, Fili dilecte, dubitationem & admirationem tibi satis evidenter, ut arbitror, & indubitanter absolvam. Tempore utroque, cùm primò & secundò fuerat Giraldus electus, adeò in Anglorum regno juxta antiquæ tirannidis abusum, adversùs ecclesiasticam potestatem regiæ potestatis rigor invaluit; quòd nonnisi ad Principis nutum ulla de facili fiebat electio. Proinde quùm Clerus Menevensis pro certo sciebat, quòd Rex Anglorum de gente sibi inimicissimâ, sc. Walensicâ, in principali Ecclesiâ Walliæ Prælatum fieri nullatenus admitteret; pelli suæ timentes & possessioni, propter publicam, quam in Meneviæ Demetiæque finibus nimis urgebat, potestatem, quoniam purum Walensem eligere non ausus fuerat; quasi dispensativè mixtum, & ex utrâque gente oriundum, Britannicâ sc. & Normannicâ, Giraldum elegit. Quem non solùm literali eruditione & clericali conversatione præ multis coætaneis & compatriotis suis fore conspicuum, verùm etiam ampliore redituum ad sumptus, si opus ingrueret, sufferendum juxta patriæ modulum facultate,& ad labores etiam aggrediendum & sustinendum animositate, magis idoneum novit. Et tamen utrâque vice quoniam electionem seu nominationem citra Regis assensum juxta temporis illius abusum facere præsumpserunt; rebus & reditibus suis per regios ministeriales spoliati fuerunt. Eâ namque tempestate quasi regulare in Angliâ fuit; quòd nemo Walensicus vel etiam in Walliâ natus, quamvis Anglicus & dignitate dignissimus, propter mores, qui à convictu contrahi solent, Episcopus in Walliâ præficiendus;

ſed magis de Angliâ oriundus, quanquam ibi viliſſimus & quaſi pro nullo reputatus, cuilibet in Walliâ nato & quantumlibet honeſto & laudatiſſimo præferendus. Hæc etenim Anglorum opinio & quaſi ſententia rata; quòd vilis & abjectus in Angliâ validus & acceptus in Walliâ. Unde juxta Auguſtini de talibus irriſionem, qui Monachos in religione Canonicis & Clericis præferre volebant; ſicut, inquit, malus Choraula bonus Simphoniacus eſt; ità & malus Monachus bonus Clericus. Sic quoque malus Anglicus bonus Wallicus; hoc eſt, malus in Angliâ bonus in Walliâ. Nunc autem [a] quum Eccleſia tam Anglicana quàm Walenſica per Dei gratiam reſpirando, ſervitutis à ſe majori jam ex parte jugum excuſſit; & refrænatâ plurimum publicæ poteſtatis oppreſſione, tam populum quàm clerum oculo benigniore pietas divina reſpexit; ad purum ſibi Wallenſem præficiendum, quoniam de talibus totum propemodum Menevenſe Capitulum eſt conſertum, occaſione temporis audaciam ſumpſit.

Et ut exemplo poſito evidentiùs & clariùs quod aſſeveratur appareat; tempore Regis Stephani minoratâ non modicum fiſcali poteſtate ex gravi, quæ tunc urgebat undique ferè, regni turbatione; defuncto Præſule Bernardo, quùm Canonici Menevenſes puta varii & diverſi, diverſis nimirum ex populis congregati, unanimes in eligendo eſſe non poterant, ſchiſmate in Eccleſiâ facto, Wallenſes, quorum tunc quoque ſicut & nunc numeroſitas major ſed dignitas minor, in purum Wallenſem conſenſerunt; eumque Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo tanquam Electum ſuum præſentaverunt. Franci verò & Anglici è diverſo, quanquam numero potiores, merito tamen longè potiores & digniores, Canonicum ſuum & Archidiaconum de Keirdigaun, cui nomen David, virum ex utrâque gente ingenuis natalibus ortum, elegerunt; & coram dicto Archiepiſcopo in Angliâ per ſententiam obtinuerunt. Unde, ſicut virum [b] quendam magnum & autenticum inque ſummo ac præclaro dignitatis apice conſtitutum, cùm ſuper Electionibus Anglicanæ Eccleſiæ in præſentiâ ipſius ſermo fieret, dicentem audivimus; quòd ubicunque Monachi in Cathedralibus Eccleſiis jus Electionis habent, ſi libere in eligendo procedere poſſent, nunquam præter Monachum quenpiam eligerent; niſi remedium deſuper quandoque fuerit indultum, & à Curiâ Romanâ conſilium remediabile datum. Sic etiam veraciter dici poterit; quòd ubicunque Walenſes liberas ad eligendum habenas habuerint, nunquam propter probitatem aliquem aut virtutem quenpiam præter Walenſem ſibi præficient; & illum gentibus aliis neque naturâ, nec nutriturâ nec natione, ſed nec educatione permixtum. Proinde & de Monacho tali in caſu à Monachis aſſumpto, quatinus de ſimilibus ſimilia conjectes, exemplum ponere præter rem non putavimus.

[c] Nobili Cantuarienſium Martiri Thomæ Monachorum electione ſucceſſit Monachus & Dovoriæ Prior Ricardus; tot bonis ac validis Angliæ perſonis in Clero conſtitutis & dignitate digniſſimis, quaſi pro nichilo apud ipſos reputatis. Rege nimirum Henrico II. propter guerram ejus graviſſimam à filiis ejus & Rege Francorum motam tranſmarinis in partibus tunc temporis agente, & ad hoc ſolitâ efficaciâ intendere non valente. Quid autem ex hac

[a] Anno enim 1215. Johannes Rex, Papæ in omnibus morem gerens, Eccleſiis Angliæ Cathedralibus liberam Præſulum eligendorum facultatem conceſſerat, & charta ſuâ confirmaverat. Charta extat apud Matthæum Pariſ. p. 263.

[b] Stephanum Cant. Archiepiſcopum hunc fuiſſe indicat in *Speculo Eccleſiæ*, Diſt. 2. cap. 19.

[c] Omnia uſque ad finem hujus Sectionis Giraldus operi ſuo, cui *Speculum Eccleſiæ* titulus, inſeruit, iſtâ Præfatione præmiſſâ. *Diſt. 2. c. 19. Quanta verò incommoda Anglicanæ Eccleſiæ noſtris diebus per Monachorum electionem & eorundem in Pontificalibus Eccleſiis, & maximè in Cantuarienſis Eccleſiæ ſede principali, promotos acciderint, & utilitates è diverſo quantæ & quàm honorificè per Clericos ibidem aſſumptos evenerint; ſicut in Dialogo noſtro nuper edito & Archiepiſcopo Cant. Stephano præſentato ſatis dilucidè eſt declaratum, quædam ex illis & hìc apponere nec inutile quidem nec ſuperfluum eſſe decrevimus.*

præ-

præsumptione contigerit, satis immo plusquam satis novit Anglia tota. Ecclesiasticam namque libertatem olim in regno perditam, quam dictus Martyr egregius, caput ad hoc gladiis exponens, cerebrumque cum sanguine fundendum & effodiendum præbens, tam laudabiliter evicit, succedens ei Monachus ille per ignaviam jus obtentum minimè defendens, quod tunc revera calente adhuc Martirii memoriâ tam recentis facillimè fieri potuisset, si vel in modico rigorem Ecclesiasticum exercuisset; totam, proh dolor & damnum vix reparabile, continenter amisit. Unde & cùm morbo decumberet, quo paulò pòst decessit; hanc vocem terribilem cœlitus emissam audivit. *Dissipâsti Ecclesiam meam; & ego eradicabo te de terra.* Sed utinam de terrâ morientium, non viventium; de terrâ quam cernimus, non illâ quam quærimus; de terrâ laboris & sudoris, non terrâ dulcoris atque decoris.

Ut autem de Cantuariensi Ecclesiâ sumamus adhuc exempla; successit ibidem Monacho Monachus, quòd Ricardo Baldewinus, dissimilis quanquam habitûs & eruditionis; vir utique literatissimus & religione probatissimus; sed adeò morum lenitate nimiâ, animique simplicitate præditus immoderatâ; quæ pastoralem in ipso rigorem prorsus absumpsit; ut ob innatum sibi teporem nimium ac torporem, cùm hoc ordine in Ecclesiâ gradatim ascenderit; melior Monachus simplex quàm Abbas, melior Abbas quâm Episcopus, melior Episcopus quàm Archiepiscopus, fuisse videretur. Unde & eidem Urbanus Papa quandoque scripsisse recolitur in hunc modum. "Urbanus Episco-"pus, servus servorum Dei, Monacho ferventissimo, Abbati calido, Episco-"po tepido, Archiepiscopo remisso, salutem, &c." Propter hunc itaque vivacis naturæ defectum, quem noveris in Prælato non modicum, nec hujus quoque tempore vel ejus operâ, quanquam Martirii tunc memoria recens & Miraculorum gloria frequens, libertas Ecclesiæ prædicta fuit aut in modico recuperata. Sancta quippe rusticitas ut ait Jeronimus, sibi solùm prodest; & quantum exemplo valet, tantum silentio nocet. Baculo namque pastorum & latratu canum lupi sunt arcendi.

Successit & huic Hubertus, vir vivacitate quidem & animositate conspicuus; sed quoniam nec literalis eruditionis copiâ præditus, nec intensioris forsan religionis gratiâ fæcundatus; propter hos in ipso defectus maximos, neque ejus quoque diebus à servitutis incommodo Ecclesia Anglicana respiravit. Poterant autem, quantum ad humanum spectat examen, decessoris hujus ultimi literatura pariter & religio, necnon & hujus animositas, rigor & strenuitas, si in unâ fortè personâ circumscriptis vitiis hæc violantibus conjuncta fuissent, dignum Martiris egregii Cantuariæ constituere Successorem. Strenua namque simul & devota Prælatio tanquam tuba vocem exaltat, & scelera sua populo Dei confidenter annuntiat: seque pro domo Domini murum opponens, animamque suam dare pro ovibus suis, imminente gregis periculo & necessitatis articulo, non formidat.

Successit Huberto Stephanus, de Angliâ oriundus, sed in Curiâ Romanâ de Cardinali in Archipræsulem Cantuariensem electus & consecratus; qui post afflictiones & persecutiones Ecclesiæ multas occasione suæ promotionis exortas; libertatem ejusdem, quam Thomas tam viriliter evicit, quamque Successor ejusdem uterque tam ignaviter amisit; & quam tertius quoque plùs per inscitiam & divini cannoicique juris imperitiam quàm per ignaviam aut pigritiam non recuperavit; tandem [d] Stephanus caritate fervidus & animosi-

[d] Veriùs primævam Ecclesiæ Anglicanæ libertatem Thomas labefactavit, Stephanus autem funditus sustulit, Ecclesiam antea liberam Romani Pontificis jugo subjicientes. Ecclesiæ Anglicanæ libertatem ante Thomæ inimicitias cum Henrico Rege initas sic enarrat Monachus Cantuariensis in Vitâ ejus post biennium à morte scriptâ, quæ MS. habetur in Bibliothecâ Lambethanâ. Henricus Rex optabat & agebat, ut Ecclesiasticorum status in regno suo redigeretur ad aviti temporis modum. "Tunc autem nihil vel pa-"rum

tate, calibatâ quippe religione præditus & eruditione probatâ per Dei gratiam suique industriam, citra sanguinis effusionem, quod vix credi poterat aut sperari, fœliciter obtinuit: Utpote vir omni penitus tam industriæ quàm naturæ, quantum ad humanum spectat examen, defectu carens; Canonicamque pastoralis viri descriptionem plenè in suâ personâ vel propemodum adimplens.

Da mihi nunc quæso, & præmium accipito, Monachos nostri temporis duos his Clericis duobus, quorum unus libertatem Ecclesiasticam tirannicè depressam sub capitis discrimine tam viriliter evicit, alter eandem denuo deperditam & tanquam ex toto deformatam tam strenuè deformavit, dignè comparabiles. Monachos apertos dico, non opertos aut occultos, qui magis actu Monachi sunt quàm habitu, magis existentes sc. quàm apparentes. Horum autem secundi quidem fuit Electio purissima, nullâque penitus ex parte fermentata. Primi verò etsi non adeò ad initio pura, processu tamen temporis fuit ad ple-

" rum in eo consueverat Romanæ sedis censura. Tunc enim magis ad Regis arbitrium etiam in Ecclesiasticis quæque gerebantur; præsidentibus tamen temporis illius Archiepiscopis, sed propriam tenentibus pro consuetudine regni mensuram. Hoc itaque justè sibi vendicare credebat, quod sui decessores obtinuerant. Nihil enim, sicut ei suadebatur, contra legem Evangelii vel Apostolorum vel Prophetarum vel Sanctorum dignitatis suæ jura faciebant. Ideoque licitè zelandam credebat eorum observantiam, nec ob contrarias Imperatorum vel Episcoporum constitutiones abolendam. Sed & ad eadem subditos priores Archiepiscopos priores Reges habuerant; quorum etiam plures indubitata sanctitatis memoria veneratur. Non minus autem & salutis & honoris Archiepiscopo suo sicut dicebat & optabat & manere posse putabat. Voto quoque sibi multum fore jurans, ut sublimiùs & fœliciùs ipse eis præsideret, & ad hoc ope consilioq; se pro viribus affuturum promittens. Gloriam quippe suam præcipue fore, si & is quem creaverat non minùs gratiam apud Deum & homines optineret, & in eo divinam sententiam electioni suæ concordare probaret. Præsertim enim detestans & declinare volens Romanæ Curiæ supercilium & ambitionem, Archiepiscopo soli suos ad judicium subditos fieri nitebatur, consequenter & sibi subdendos esse metiens, & quosdam etiam de Clero discolos aut infidos pro arbitriò reprimendos conjiciens. Quis enim in regno præpedire posset, in quo Regis & Archiepiscopi nisus concurrerent? Paria ferè habet Henricus de Hertley, S. T. D. Cancellarius Academiæ Oxoniensis in Concione habitâ solenniter in Universitate Oxon. anno 1313. de laudibus S. Thomæ Cant. MS. in Bibliothecâ Lambethanâ paulò ante finem. "S. Thomas confessus fuit se non habuisse canonicum ingressum; sed renunciavit in manibus Papæ. Nam certè Thomas talem habuit ingressum in Archiepiscopatum, qualem alii ante eum etiam magni & sancti viri habuerunt, sicut Anselmus, Lanfrancus. Nam tunc fuit consuetudo Regum Angliæ, quòd dabant Episcopatus vacantes quibus vellent; & si fiebat electio, ne bat in Capellâ Regis ipso Rege præsente cum aliis per eum vocatis, & reputabatur tunc temporis talis ingressus satis canonicus & legitimus. Sed Thomas istam consuetudinem in humili resignatione quam fecit in manus Papæ, de cætero abrogavit; in quo summè promovit Romanam & totam Universalem Ecclesiam, quantum ad illam libertatem. Ego puto, quòd si esset modò in regno Angliæ talis consuetudo quòd per illum modum Episcopi crearentur; non de facili aboleretur per potestatem Summi Pontificis. Et quidem cùm Johannes Rex apud Northampton argueretur per Legatos Papæ, quòd usurpavit super libertatem Romanæ Ecclesiæ conferre Episcopatus; ipse respondendo allegavit rationem; quomodo S. Edwardus secundùm consuetudinem suorum progenitorum tam Anglorum quàm Normannorum contulit Episcopatum Wigornensem S. Wlstano; & quomodo postea Willelmus Dux Normannorum & Rex Anglorum voluit eum amovisse, quia nescivit Gallicum, sed postea eum in pace dimisit. Item quomodo idem Willelmus deposito Stigando Cant Episcopo contulit Archiepiscopatum Lanfranco de Cadomo natione Lumbardo. Item quomodo pater suus Henricus II. contulit Archiepiscopatum Cant. S. Thomæ. Ad hæc omnia respondit Legatus nomine Pandulphus; quòd illa consuetudo fuit abolita per S. Thomam Cant. qui resignavit in manus Papæ totum suum jus quod habuit: & ex eo tempore facta est Romana Ecclesia omnium aliarum hujus regni Domina ac Magistra.

num

num per ultroneam resignationem purificata. Quinetiam si maculam aliquam vel inde vel aliunde fortè contraxit; lavacro sanguinis, quod Martyribus statim gloria, diluta confestim ex toto fuerat & deleta. Sicut autem huic primo martyrium corporis occultum ad ampliorem purgationem viventi non defuit, sicut ex post facto claruit; sic & huic secundo simile martyrium per afflictionem occultam simul cum abstinentiâ à carnium esu publicâ valetudini humanæ valde inimicâ, deesse non crediderim. Et sicut primus ille periclitante Ecclesiâ caput suum ad ejus tuitionem gladiis impiorum exposuit; sic secundum istum, si causa, quod absit, urgens ingruerit, se pro domo Domini murum oppositurum, caputque simul & corpus totum pro Ecclesiâ tuendâ, si necessitas exegerit, persecutoribus & percussoribus expositurum, piâ satis probabilique præsumptione quasi certus extiterim. Non igitur in vestibus pullis, non in amplis cucullis, sed in cordibus puris intimisque medullis latitat religio vera. Propterea non juxta exterioris habitûs cultum, sed magis interioris habitûs animum pariter & actum, consideratis quoque præscriptis virtutum circumstantiis, dictos duos viros illustres tam gloriosè & tam insigniter exornantibus, non nationis intuitu vel cognationis, nec utilitatis obtentu propriæ, sed communis potiùs Ecclesiæ simul & patriæ, de gente vel ordine quovis, dum tamen dictis idoneus modis, ad curam pastoralem est eligendus.

Quærens. Placet mihi plurimùm, præceptor & Domine, rationum tuarum assignatio: sed restat adhuc, unde moveri possum. Cùm Menevensis Ecclesia ex utrisque populis, Anglicis sc. & Wallicis, sit conserta; longéque Francos & Anglos tam moralitate quàm scientiâ præcellere constet: quòd sibi de gente Walensicâ prælatos præfici tantopere cupiant & affectent: cùm potiùs Ecclesiæ suæ, sub cujus alis ab antiquo majori ex parte propaginaliter & parentaliter tam nati sunt quàm educati, de Pastore idoneo sibi præficiendo, qui & præesse noverit & prodesse; maximè verò cùm non possit Ecclesiæ meliùs & utiliùs quàm in tali articulo provideri, præ rebus omnibus operam deberent propensiorem.

Solvens. Nosse te novi, quod notum in Walliâ nimis est atque notorium, Canonicos Menevenses ferè cunctos, maximè verò Walensicos, publicos fornicarios & concubinarios esse, sub alis Ecclesiæ Cathedralis & tanquam in ipso ejusdem gremio focarias suas cum obstretricibus & nutricibus atque cunabulis in laribus & penetralibus exhibentes. [a] Paternarum nempe suarum traditionum præter modum æmulatores, & transgressionum enormium imitatores non minùs impudenter quàm imprudenter existentes: adeò quidem ut sicut patres eorum ipsos ibi genuerunt & promoverunt, sic & ipsi more consimili prolem ibi-

[a] In Angliâ non minùs quàm Walliâ consuetudinem istam adhuc invaluisse Giraldus in *Speculo Ecclesiæ* MS. Dist. 3. cap. 8. fidem facit his verbis. *Exemplum de Presbytero, qui nostris diebus in Angliâ nec procul à Walliæ Marchiâ Ecclesiam filio suo cesserat; & per annos XX. vel plures liber ab animarum curâ & secularibus negotiis cunctis, assiduus in Ecclesiâ divinis obsequiis & orationibus intentus extiterat. Hic in eâdem camerâ cum filio suo Presbytero lectum suum habebat. Filius autem more Sacerdotum Parochialium Angliæ ferè cunctorum damnabili quidem & detestabili publicam secum habebat comitem individuam & in foco focariam & in cubiculo concubinam. Contigit autem, quòd ille vocatus ad Synodum procul inde remotam per dies aliquot absens existeret, concubinâ suâ nihilominus more solito de nocte cubile tenente. Veteranus autem ille in angulo quodam domûs ejusdem cubiculum habens, solum se cum solâ conspiciens, tantæq; opportunitatis occasionem captans, post luctam pectoris gravem tandem instigante Diabolo* stuprum meditatus, noctu surgit, & ad mulieris lectum pergit. Illa venientem aspiciens *statim exclamavit dicens. Errâstis, pater, errâstis; non hic est locus vester, &c. Et ille respondens. Erravi verè, filia, erravi; & ex toto mente captus exorbitavi*, &c. Hinc clarissimè constat concubinam istam lege conjugali Presbytero conjunctam esse, quali & concubinas Presbyteris Walensibus conjunctas esse Giraldus dicit. Invisum quidem Concubinarum nomen Giraldus apponit. Verùm id partium studio deputandum est.

dem

dem suscitant, tam in vitiis sibi quàm Beneficiis succedaneam. Filiis namque suis statim, cùm adulti fuerint & plenè pubertatis annos excesserint, Concanonicorum suorum filias, ut sic firmiori fœdere sanguinis sc. & affinitatis jure jungantur, quasi maritali copulâ dari procurant. Postmodum autem occasione captatâ vel ab obsequiis, impensis, vel aliis quibuslibet modis; quòd per fas omne nefasque, ut id peragatur, invigilant, multiplicatis etiam ad hoc de Capitulo, cùm locus affuerit, quoniam dicto modo cognati sunt omnes aut affines, intercessoribus, Canonicas suas filiis suis conferri per cessationem non inefficaciter elaborant; ipsis tamen nichilominùs, ut antè, tam in Choro quàm Capitulo locum dum vixerint & auctoritatem retinentibus. Unde & quoniam tum propter fornicationis & incontinentiæ crimen, quod inde contrahitur atque fovetur, tum etiam propter successionis in Clero maculam, quam Canones condemnant, morem istum apud bonos viros bene morigeratos & eruditos abhominabilem & detestabilem norunt; ideo de gente suâ tales, qui neutrum, vel successionis sc. in Clero, vel fornicationis in populo ferè toto sicut & in Clero, crimen abhorrent; apud quem nempe spurii & nothi & contra legem nati & geniti, sicut & legitimi, hæreditatem consequuntur, Prælatos habere desiderant. Successionis quippe vitium non solùm in Sedibus Cathedralibus, verùm etiam adeò per totam in clero sicut & in populo Walliam pertinaciter invaluit; quòd qualis ibi populus, talis & sacerdos; quòd post patres filii passim Ecclesias & consequenter obtineant, tanquam hæreditate possidentes, & polluentes Sanctuarium Dei. Nam etsi Prælati alium eligere quenpiam & instituere fortè præsumpserint; in instituentes proculdubio vel institutos, quòd generosis ob hoc ex industriâ se copulant, tanquam pro terrâ laicali violenter ablatâ, genus injuriam vindicaret. De duobus autem excessibus, incestûs videlicet de sanguine propinquis tam in Clero quàm populo copulatis, & successionis in Clero, radicatis olim in Armoricâ Galliæ Britanniâ, necdum eradicatis, similiter scribit in quadam Epistolâ suâ Ildebertus Cænomanensis Episcopus, dicens se Concilio interfuisse cum Clero Britanniæ ob has enormitates gentis illius extirpandas convocato. Ex quibus constare potest utrumque vitium toti huic genti Britannicæ, tam transmarinæ sc. quàm cismarinæ, ab antiquo commune fuisse. Hæc igitur est causa, quare quantopere de gente suâ Prælatos appetant; ut sc. innata sibi suæque genti vitia, & tanquam ex usu longævo seu veriùs abusu velut in naturam conversa Episcopi tales non abhorreant; ideoque facillimè pravæ consuetudini ipsorum morem gerant.

Quærens. De Prælatis Walensicis promovendis satis factum ad præsens, satisque mihi dictum esse videtur. Sed de duobus ultimis Episcopis Anglicis regiâ huc potestate translatis, dictam successionem foventibus, filiosque post patres promoventibus, rationem constare non video.

Solvens. Ubi nulla est ratio, sed magis revera rationis abusio, rationem assignare non præsumo; Magistri tamen Marbodi versum hunc metricum tibi pro ratione commemorans. *Non esset vitium, si non ratione careret.* Dictum est autem per fas omne nefasque cessiones hujusmodi & successiones, ut fiant, procurari solere. Dicit enim Poeta. *Etsi non rectè possis, quocunque modo rem.* Et alibi quoque quasi temporis sui deridens avaritiam & describens ait. *Unde habeas quærit nemo; sed oportet habere.* Ex his ergo conjectes lineari circiter hæc directoque procedere non omnia cursu. Exempla verò de multis aliqua, & de plurimis pauca tibi proponere præter rem non putavi. Sicut de terrâ Præbendæ de Brewdi carnalis affectûs obtentu tam amplè collatâ, postmodum eidem perjurio fratrum sublatâ & militari feodo assignatâ; qui ut sibi invicem, maximè in terris adquirendis, vitio gentis suæ commoda parent, nullam fidei sacramentive transgressionem abhorrent. Ad facinus etiam hoc concinnandum rectori

oculos sed malè regentis, argenteò XX. Marcarum collirio liniente & demulcente lippientes. Similiterque de Landegof militaribus feodis duobus medicamento distractis. Sicut & de terrâ de Trallan pro bobus & vaccis prætereuntibus ferè & propemodum immo veriùs præter modum dimidiatâ & in perpetuum alienatâ. Quoniam igitur hos & hujusmodi tam in Prælatis quàm subditis excessus, veluti terrarum Ecclesiæ translationes & alienationes, non puras etiam aut gratuitas, provenientes in Clero successiones, sub alis quoque matris & matricis Ecclesiæ Menevensis publicas & scandalo plenas fornicationes, item Canonicarum & Ecclesiarum simoniacas emptiones & Gieziticas venditiones Giraldo plurimùm ab ineunte ætate displicuisse noverunt; propter quod Episcopis loci illius Canonicæ commonitionis & correptionis Epistolas sæpiùs more debito destinavit, Canonicis quoque loci ejusdem præscripta relinquere vitia contrariasque sequi virtutes zelo caritatis & fraternæ dilectionis sæpe suasit nec persuasit; ipsum ob hæc valde suspectum, quia moribus suis omnino contrarium; & quoniam juxta Philosophi sententiam, Omnis amicitia ex morum concordiâ; & quoniam cùm distant mores, ut dici solet, male conjunguntur amores; latenter exosum habuerunt. Quod & ei statim nactâ temporis occasione tranquillioris & libertatis Ecclesiasticæ serenioris, ut de gente suâ quenpiam ausi eligere forent, ostenderunt; suæ proculdùbio juxta status in quo nunc sunt, & à quo ne discedant, dentibus & unguibus hærent, enormium quibus involvuntur abusuum potius indempnitati consulentes, quàm matris Ecclesiæ suæ præsentibus temporibus aut futuris utilitati vel honori providere curantes. Verumptamen Gaufredo Episcopo letali morbo correpto; statim quidam ipsorum, & hi quoque qui majores in Capitulo partes habere videbantur, Giraldum in Angliâ literis & nunciis crebris sollicitârunt; monentes & consulentes, quatinus ad Cathedram Menevensem in brevi suscipiendam se præparare non tardaret; suum ad hoc suorumque consilium atque favorem, dum tamen consilio & prudentiâ regi vellet, absque dubio promittentes. Quendam etiam ex ipsis sibi familiarem magis & consanguineum ad ipsum, defuncto Gaufredo, destinârunt, per quem inquirere possent & certi existere, si ad promissiones aliquas seu cautiones emittendas aut obligationes quomodolibet induci posset. Porro quùm tam in primâ temptatione quàm secundâ firmum eum & inflexibilem invenerunt, dicentem & asseverantem; quoniam ad meliorem Angliæ Cathedram, nedum ad pauperculam illam & undique depilatam, cum scrupulo damnationis aut Simoniacæ contagionis assumi nullatenus vellet; aliud ab ipso responsum habere non valentes, ad aliud consilium se verterunt.

Quærens. Miror autem, si Giraldus centum Marcarum aut plurium annuos in Ecclesiis reditus habens, in illâ pauperculâ Ecclesiâ circiter XX. Marcarum certos annuatim reditus vix habente, inque terrâ hispidâ & horridâ, inquietudine plenâ & hostilitate repletâ, genteque barbarâ, cædis & sanguinis omni tempore sitibundâ, præfici vellet & præponi.

Solvens. Mentem in hoc Giraldi tibi, ut arbitror, dicere possum. Si vocatus ab omnibus unanimiter fuisset, & à nullo recusatus; nec Rege quoque nec Archiepiscopo dissentiente; quod vix revera fieri posset, tum propter generositatem ejus, qua principales Walliæ viros propinquâ consanguinitate contingit, cùm propter quæstionem statûs Menevensis Ecclesiæ tam pertinaciter olim Dorobernensi Ecclesiæ motam. Si hoc, inquam, ita contingeret, quod nonnisi per miraculum Deique dispositionem sic ordinantem contingere posset; tunc onerosam paupertatem illam non recusâsset; illam sacræ Scripturæ sententiam ad animum revocans, & commemorans. *Hoc velis, quod Deus vult: alioquin curvus es.*

Quan-

Quanqnam tamen periculosissimus sit Antistitum status; nisi moribus antestent, sicut & honoribus antecedunt: quòd testante Jeronimo, vilissimus reputandus est Episcopus; si non præcellat scientiâ & sanctitate, qui est honore præstantior. Tales enim esse Prælati debent & Pastores, quorum respectu cæteri grex dicantur. Unde cùm B. Martinus se longè minùs virtuosum, postquam in Archiepiscopum promotus fuit quàm antè, proculdubio comperit: quid aliis accidere poterit, ubi tanta Ecclesiæ columna defectum in hoc articulo sumsit? Quid enim faciet virgula deserti; ubi concutitur cedrus Libani? Verumptamen legitur de B. Bernardo Claravallensi; quòd multò appetierit zelo justiciæ sedere per triennium, sicut & ipse nonnunquam asserebat, in sede Papatùs propter tria maxime; quatinus Episcopos Exemptos revocaret ad Archiepiscopos suos, & Abbates similiter Exemtos ad obediendum Episcopis suis; quatinus sic membra substracta capitibus suis redintegrentur. Secundum erat, ne quis in Ecclesiâ duas dignitates haberet, & biforme monstrum duorum capitum in se prætenderet. Tertium verò, ne Monachus seu Canonicus in Cellâ vel alibi extra Conventum degeret; ubi nimirum nec ordo servatur nec honestas. Sic & Giraldus zelo consimili propter jura ecclesiastica per incuriam præsidentium & ignaviam olim deperdita, necnon & dignitatem Metropoliticam Ecclesiæ suæ pro viribus totis recuperandam, in Clero quoque propter fornicationes publicas & successiones & Ecclesiarum partitiones eradicandas, & enormitates has ac similes hactenus incorrectas in normam & formam revocandas; sedere aliquamdiu in Sede pauperculâ totiens dictâ, dum tamen a Domino vocatus ut Aaron, & non intrusus ut Chore, concupisceret. Porrò permittuntur interdum propter peccata populorum, sublatis eisdem iracundicè Principibus bonis ac Prælatis, tam Tyranni intronizari, quàm Trutanni & hypocritæ incathedrari.

Ut autem ad rei seriem revertamur; verè nimis onerosa viro suæ naturæ memoratæ pauperis illius Ecclesiæ multis ex causis cura fuisset. Inprimis quòd nunquam angi cessaret animus ejus, nunquam respirare vel quiescere posset spiritus ejus; donec terras per pastoralem incuriam aut avaritiam perditas olim & alienatas, cæteraque similiter Ecclesiæ suæ de jure competentia, pro viribus totis & nisibus in statum debitum ac pristinum revocaret. Unde & Archiepiscopus Hubertus, dum inter ipsum & Giraldum funus traheretur tam contentiosus, quandoque dixisse memoratur; quòd citiùs atque faciliùs promotioni Giraldi in Wintoniensi Ecclesiâ, si vacaret, consentiret quàm Menevensi. Item etiam quoniam fixum animo Giraldus habuit firmumque propositum; quòd ad justas Ecclesiæ suæ facultates & non undecunque congestas, si promotus fuisset, artaret expensas & aptaret; paupertati patriæ morem gerere paratus, suâque sorte contentus & non ingratus. Viderat enim quosdam Episcopos, sicut referre nonnunquam consueverat, duos sc. ultimos, ab Anglicanis Monasteriis Menevensem ad cathedram potestativè potiùs quàm electivè canonicève translatos; ut opulentiis affluere, sicut assueverant aut in Angliâ viderant, multasque sequelas & evectiones innumeras circumducere & pomposè incedere possent; ad pecuniam modis quibuslibet congerendam, tam Officiales suos undique rapidos, quàm etiam Ministeriales ubique rabidos, ad Clericorum pariter & Laicorum enorme gravamen, exacuere præter modum & instigare non cessabant. Horum autem gravamina quædam zelo revera rectitudinis & non amaritudinis, quoniam livor omnis & rancor post fata quiescit, in medium proponere non inutile duxi; quatinus hæc audientes sive legentes similia vitare vitia curent & virtutes imitari. Neminem itaque nomino, neminem expresè noto; quatinus & videntes non videant; & audientes quid de quo dictum fuerit, non advertant.

De

De Laicis igitur ut primò dicamus, qui per Senescallos & ministrorum manus, maximè verò per principalem illum de Pebidiauc aut Vicarium ejus, ad pecuniam extorquendam miseri finium illorum incolæ & indefensi, viduæque passim & orphani sive pupilli, quòd nulli omnino sexui, nulli parci aut deferri solet ætati, non solùm deplumari verùm & excoriari solent, nullâ sibi vel suis per querelam quantumlibet flebilem & miserabilem restitutione factâ seu consolatione. Præter hæc etiam de naufragis & naufragium passis, cujusmodi casus in finibus illis creberrimè propter mare Hybernicum præterfluens tempestuosissimum accidere solent, non hìc prætereundum. Per quos sc. casus non solùm naufragi & periculum passi, verùm etiam habitatores finium illorum cuncti per falsas impositiones & fraudulentas causationes & accusationes gravamen incurrere solent immoderatum, & judicium nullâ prorsus misericordiâ temperatum, Sed nonne judicium sine misericordiâ fiet illi, qui non fecit misericordiam? Videas autem è diverso Jure cautum Imperiali; quòd Præsides revocandi à Provinciâ & removendi, sub novis Præsidibus eisque subrogandis cunctis querimoniam facturis per quinquaginta dies respondere tenebantur, cunctaque per impressionem ablata restituere; nec fiscalibus tamen usibus sed passis injuriam & oppressis singula proventura. Item etiam de naufragis cautum esse novimus in hunc modum. "Piorum Imperatorum emanavit auctoritas; "ut etiam earum rerum, quæ in tempestate maris levandæ navis causâ ejiciuntur, dominium non amittatur. Non enim eas quis eo animo abjecit, "quòd habere nolit, sed quòd periculum effugere possit. Unde & qui res ipsas "lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Quæ namque major impietas "quàm afflictos affligere, & quassatos confringere, & à vento marique vix "ereptos crudeliorem mutis elementis hominum malitiam & avaritiam invenire". Porrò si tanta pietas & æquitas Gentilium fuerat & Infidelium; quantò major esse deberet religiosorum & fide præditorum, Christique Sacerdotum atque Pontificum?

Nunc autem ad Clericos revertamur; de quorum gravamine exempla proponere quædam, quæ Giraldus querulis plerumque verbis, miserorum condolens & compatiens oppressioni, detestari solet, præter rem non putavi. Cùm quendam Presbiterum suum porcis abundare pinguibus Episcopus exploràsset; vocatum ad se sic convenit. Decem mihi porcos contra Natale, quod nunc imminet, dabis. Cui Presbiter. Domine, porcos non habeo nisi paucos, & illos mihi familiæque meæ pernecessarios. Subjecit autem Episcopus; quòd nunc dabis viginti. Cui Presbyter. Bonum est mihi, quòd porci mei ludendi jocandique materiam Domino meo dederunt. Cui Episcopus. Rem certè nunc agi seriam, non jocosam aut ludicram, priusquam à me discedas, indubitanter experieris: & nunc dabis triginta. Presbiter autem misericorditer secum agi, cùm in nullo deliquisset, postulavit. Episcopus autem è contra quadraginta porcos eum sibi daturum asserebat: affirmans etiam, quòd quotiens negaret aut donum differret, decem ei porci semper accrescerent. Presbyter autem videns verbum Episcopi mutari non posse vel modificari, quod utinam in bonis tam stabile fuisset, consilio quorundam astantium, qui mores Episcopi noverant, ne mora majus periculum gigneret & nimium extorsionis incrementum adjiceret; quadraginta porcos pingues & pulchros se daturum Episcopo firmiter pepigit, & persolvit. Si causam quæris hujus extorsionis & rationem; aliam tibi non assignabo, quòd non alia fuit, nisi quòd porcis pinguibus Presbiter abundabat. Fuit & alius Presbiter in partibus eisdem, similiter porcis abundans; qui levi ex causâ vel nullâ, nisi quoniam Episcopus porcos habere volebat, in sexaginta porcos grandes & grossos est condemnatus. Unde & inter Episcopum & Archidiaconum suum grandis exorta contentio fuit; Archidiacono partem suam, tertiam sc. sibi de jure debitam, inde petente, Episcopo verò è contra negante & asseverante, sicut in majoribus semper proven-

 tibus

tibus hac Archidiaconum arte deludere consueverat & exortem facere, non ex causâ aliquâ in Capitulo motâ, sed ex mero Presbiteri dono lucrum istud provenisse. Quomodolibet autem inter Episcopum & Archidiaconum præda partita fuerit; nec minima rapinæ portio tantæ ad Presbyterum miserum, quòd misericordiam nullam consecutum, tot porcorum & tam pinguium portio reversa fuit.

Item Episcopo Capitulum tenenti nunciatum est Personam Ecclesiæ cujusdam, cujus ipse patronus erat, decessisse, Ad quod, Deo gratias, inquit Episcopus. Hîc surgit lucrum meum; quòd revera qui plus mihi dederit, Ecclesiam illam obtinebit. Istud autem non in occulto sed in publico Capituli totius auditorio dictum fuit. Hoc autem audiens Personæ defunctæ filius, eodem die Episcopum cum effectu conveniens, datis ei xii. bobus magnis & pulchris, Ecclesiam illam obtinuit. Vespere verò cùm exiens à camerâ Cartam Episcopi super Institutione suâ Clericus ille detulisset; obvians illi loci ejusdem Archidiaconus Cartam de manibus ejus eripuit; nec restituit, donec & ei quoque sex boves pulchros se daturum firmâ sponsione pepigisset.

Fuit & Episcopus loci ejusdem, qui cautiùs aliquantulùm & verecundiùs contractus hujusmodi Simoniacos vel magis Gieziticos peragebat. Cùm enim propter Ecclesiam aliquam vel Canonicam obtinendam aliquis ei primò quicquam offerret; difficilem se præbendo, & asperè valdè respondendo, acriter illum à se repellebat. Cùm autem secundò vel tertiò revertens, summæ majoris oblatione paulisper mentem Episcopi mitigâsset; mitiùs ei respondendo, ad Capellanum cubicularium sc. Monachum vel Canonicum suum ipsum mittebat; qui mores quidem hominis pleniùs agnoscens, & Mediatoris vices assumens, deque puncto in punctum summam exaggerans, demum ad nutum Episcopi rem componebat.

Item cùm inter Clericos duos Menevensis Diocesis causa diutiùs coram Judicibus à Domino Papâ delegatis diu actitata fuisset & ventilata; timens denique reus diffinitivum sententiæ calculum, præmissis plurimis & promissis Diocesani Episcopi gratiam ad ipsum in causâ juvandum, quamvis tamen non gratis datam, impetravit. Quo facto, Clericum actorem Episcopus ad se vocitatum, quatinus ad dictâ causâ pro amore suo desisteret, multis suasit verbis nec persuasit. Quod videns Episcopus, & modis omnibus vincere suæque avariciæ modum gerere volens, processum causæ, à superiori, quoniam à supremo in terris Judice, commissæ fatuè nimis & indiscretè prohibere præsumpsit. Et quoniam Clericus ille à jure suo recedere nollet; Episcopus eum, quanquam appellantem & ex contingentibus nichil omittentem, primò suspendit, & postmodum excommunicavit. Quo facto, Clericus Episcopum sæpiùs adiens, & cautionem standi juri more debito suppliciter offerens, absolutionis gratiam impetrare non potuit. Quo viso, pastoralis sententiæ quomodolibet datæ periculum timens, juvenem quendam in Jure peritum & exercitatum secum ob hoc Clericus ille ad Episcopum de Angliâ duxit. Sed quoniam neque per ipsum, quanquam probum & expeditum atque discretum, legum etiam & canonum copiam ad hoc inducentem, proficere nullatenus potuit, nisi causæ suæ & juri renunciare vellet, & Bullam Domini Papæ in manu Episcopi resignare: recedentes ab ipso, per aliam sibi suæque indemnitati & securitati viam providerunt.

Quærens. Mirum autem, cùm nec Domini existant nec Dominatores esse debeant; quòd tantam in Clero tirannidem Episcopi exercere præsumant. Nunquid enim illud Apostoli, xiv. Dist. cap. ultimo, vel non legerunt, vel se legisse non meminerunt? *Episcopi non debent esse dominantes in Clero, sed forma facti gregi ex animo.*

Solvens.

Solvens. Multa sunt & alia tirannidem hujusmodi detestantia, quæ bonorum animos movere possunt; sicut etiam illud Jeronimi ad Nepotianum, Dist. xcv. "Episcopi sacerdotes se sciant esse non Dominos. Honorent Clericos quasi Clericos; ut ipsis Episcopis à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud Oratoris Domitii. Cur ego, inquit, te habeam ut principem; cùm tu me non habeas ut Senatorem?" Quibus & illud Gregorii consonare videtur. "Admonendi sunt subditi; ne plùs quàm expedit sint subjecti; ne dum student plùs quàm necesse est hominibus subjici, compellantur eorum vicia venerari." Et non tantùm vitia non venerari, quinimo viciosos Prælatos publicè reos deferre sub interminatione ibidem multis capitulis invitantur. Sicut ibidem Capitulum illud *Quapropter* manifestè declarat. Unde & Episcopus Papæ. Ubi non delinquimus, pares sumus [a]. *Lex enim* Apostolo testante, *propter transgressores posita est; proindè & qui spiritu Dei ducuntur, non sunt sub lege.*

Præterea ad ampliora Cleri gravamina, generale per totum Episcopatum dicti Episcopi auxilium à Clericis quibuslibet anno secundo vel tertio Episcopi petere solent. Unde & alter * eorum præ foribus, quòd non longè à promotione suâ, sed protinus anno primo, Clericos Diocesis suæ convocatos, tanquam ipsos salutando sed non lætificando, auxilium ab eis, quod tamen versum est in tallagium immoderatum vel etiam tolagium, postulavit. Qui tamen cùm impositionis immoderantiam communiter omnes recusâssent; promisit eis, quòd si ad voluntatem suam se tunc gravarent, se de cætero, nisi necessitas Ecclesiæ vel utilitas evidens exposceret, auxilium ab eis non petiturum. Sed de hoc ipsorum auxilio se terras suas instaurare, & inde quidem non de exactionibus aut extorsionibus vivere velle promisit. Cùm autem hoc denuo concesso Clerici verbis Episcopi fidem habentes, pacificè & quietè se postea diu degere posse sperarent; protinus anno proximo sequente convocatis Clericis, auxilium de ovibus ad terras suas instaurandum expetiit ab eis. Qui plurimùm admirantes, promissionem anni præteriti & conventionem ipsum ad animum revocare velle nil proficiendo supplicârunt. Respondit enim & assessores sui, qui ad miserorum gravamen linguas suas acuerant sicut serpentes, quòd illa anni præteriti promissio seu remissio de denariis facta fuit, non de ovibus vel de rebus aliis aut possessionibus. Et sic de miseris & indefensis ad nutum suum denuo tallagium extorserunt. Qui enim oves habebat, oves dabat, ad æquiparationem datorum anno præterito denariorum. Scriptum enim de singulis anno præterito datis, vel potiùs violenter, ne dicam fraudulenter, ablatis, secum præ manibus habebant & prætendebant; & ad formulam illam, quanquam informem nimis & enormem, cursum intentionis suæ dirigebant. Qui autem agnos habebat & non oves, ad valentiam ovium agnos dabat. Qui verò nec oves nec agnos habebat, sive Vicarius seu Persona, nec ob hoc potuit excusari. Denarios enim ad oves emendum, juxta quod anno præterito dederat, dare nunc iterum modis omnibus oportebat. Mirum autem, quod anno tertio de vaccis, quæ in partibus illis abundare solent, auxilium non extorsit. Item cùm aliâ vice modicoque pòst tempore generale tallagium per Episcopatum faciens, Decanatui de Elevein quinque libras sibi reddendas & ad terminum brevem Episcopus imposuisset; tantumque gravamen se ferre nec velle nec posse Clerici communiter omnes proclamâssent, nec ad hoc tolerandum ullatenus induci possent; Officiis simul & Beneficiis Episcopus omnes suspendit. Sed cùm & hoc diutiùs pertulissent; adeò ut Provincia de Elevein tota non absque Laicorum, qui nichil in hoc deliquerant, querimoniâ magnâ per dimidium annum & ampliùs divinis caruisset; tandem quatinus etsi non rectè, quocunque tamen modo vincere & cupiditati magis quàm caritati morem gerere posset; Clericorum familiam & præcipuè Concubinas

* Galfridus is fuit.

 Patro-

Patronis Ecclesiarum & potentibus patriæ viris ad diripiendum exposuit. Quo facto, cùm propter suas redimendas & earum pacem, sine quibus miserrimi esse, quanquam non absque utroque tam corporis sc. quàm animæ damno non modico, vel nolunt vel nesciunt, onus impositum admisissent; statim revocato mandato, & focariæ ad focum, auctore non dico Prætore sed Pastore, & concubinæ ad cubiculum sunt reversæ. Sed ecce Prælati opera sancti! ecce sub religionis habitu non ficta quidem sed vera religio! Item sciens Episcopus & sentiens Clerum propter crebra & immoderata tallagia nimis esse gravatum, novum extorquendi modum, & cui resistere non possent, excogitavit. Coactis enim in unum Diocesis suæ Clericis, & tanquam ad Sinodum convocatis, quatinus vel semel justam petendi auxilii causam prætendere posset, coram omnibus assertivè proposuit, se propter revocandam dignitatem Ecclesiæ suæ Metropoliticæ Romam iturum, & in brevi quidem iter arrepturum, seque super fundamentum à Bernardo Episcopo quondam egregiè positum, & postmodum his nostris diebus à Giraldo Archidiacono insigniter adauctum & roboratum, se totis per Dei gratiam nisibus ædificare velle promisit. Propter quod exhilarati cuncti auxilium ei grande & cum gravamine multo tunc sponte & gratanter impenderunt; nec tamen ipsum à Curiâ Romanâ reversum aut iter etiam aggressum adhuc viderunt.

Ad hæc etiam præter jam dicta tallagiorum incommoda tanta, cupiditas crescens & mala semper adaugens, multiplex diebus nostris misero Menevensi Clero præter solitum gravamen adjecit. Maximum autem omnium gravaminum & urgentissimum esse constat in crebrâ per Episcopos Hospitiorum visitatione; quod veriùs quidem ad Archidiaconorum officia spectare dinoscitur, nisi quoniam niti in vetitum aviditas solet, & sorte suâ minimè contenta, ardentiùs ad aliena semper anhelat. Fautores tamen Episcoporum sic fortè distringunt; ut Clericorum casas visitent Episcopi, Ecclesias autem Archidiaconi. Sed utinam & has & illas Magister & Minister cum effectu visitent; & ab omni maculâ, maximè mortali, plenariè purgent. Porrò si lauta & splendida fuerit Episcopi mensa, & ferculis ac pigmentis plenè referta; præcipuè si munera sibi in discessu pulchra totique ferè familiæ, more Cardinalium & transmissorum à Curiâ Romanâ Legatorum, fuerint donaria data, quod revera novellæ adinventionis in Walliâ certum est esse, non dicimus tamen cujus, dicant qui conscii sunt & experti; si hæc, inquam, hoc ordine provenerint; tunc nulla prorsus macula vel menda, tunc nec in hospitiis nec in Ecclesiis disconvenientia notabitur ulla. Nec ad remota solum à terris & Maneriis suis Clericorum tecta divertere solebant, per quæ transire fortè necessitas urgebat; sed etiam ad propinqua valde, quasi per unum milliare tantùm vel duo distantia, tanquam sibi de jure debita, cùm per injuriam solùm esse constet extorta. In his autem hospitiis sic usurpatis & tanquam ad nutum debitis, ubi tamen, sicut pluries audivimus, dicere præsumebat ambitio; Eamus accipere hospitia nostra, nichil Pontificale prorsus exercebant: sed crapulæ solùm & castrimargiæ minùs honestè minùsque modestè quàm deceret indulgere, tanquam immunes aliena ad pabula fuci, non erubuerunt. Alibi namque in Episcopos Archidiaconi nonnunquam ascendere solent; hic è diverso Episcopos in Archidiaconos descendere facit aviditas & avaritia. Præter hæc etiam suæ Diocesis hospitia sic usurpata, quibus non modicam temporis partem producere poterant, per Abbatias Angliæ, Templariosque & Hospitalarios, aliosque viros religiosos & caritate præditos, tres menses anni vel quatuor non absque scandalo grandi maculâque & mendâ Menevensis Ecclesiæ non modicâ, quæ nobilis olim & autentica fuit, circuiendo & hospitando consumere consueverant. Unde & Archidiaconus Oxoniensis Magister Walterus Mapus, vir linguæ dicacis & eloquentiæ grandis, illorum & similium sugillans avaritiam Episcoporum, dicere nonnunquam solet. Menevensis Ecclesia quando

Metropolis

Metropolis erat, tribus Episcopis Suffraganeis tantùm aut quatuor, ut dicitur, contenta fuit. Nunc autem cùm Pallio careat & Cathedralis Ecclesia simplex existat; longè plures quàm Angliæ cunctos, nec solùm Episcopos, verùm etiam Abbates & Priores, Suffraganeos habet. Ut quid igitur ad ampliorem dignitatem aspirare deberet? Item & eundem quandoque dicentem audivimus; quòd cùm in omni gente, professione & ordine trutannicè vivere & more trutannico per emendicata suffragia vitam producere miserum esset & ignominiosum: in Episcopis autem & Episcopali dignitate præditis miserrimum hoc erat & miseratione simul & admiratione dignissimum. Ad hæc etiam audiens quidam Herefordensis Episcopus quendam Menevensem Episcopum per Herefordensem Diocesin in his nostris diebus hospitia tam trutannicè scrutantem & tam inverecundè circuientem, lepidam satis in ipsum sugillationem in multorum audientiâ super his loquentium sic contorsit. Nec mirum, inquit. Scriptum est enim & Poeticum emanans olim Proverbium, quòd Pauper ubique jacet.

Propter dictas igitur tam spiritualium quàm temporalium distractiones, tam Simoniacas sc. emptiones quàm Gieziticas venditiones, propter indebitas etiam exactiones & suorum spoliationes, propter crebras quoque & assiduas ferè tam suæ Diocesis quàm alienæ peragrationes, & per extranea pabula vel pascua circuitiones, totam in his & hujusmodi vivendi spem ponentes; nec dispersa revocare, nec pauca adhuc habita vixque retenta colere & instaurare; sed eadem mox ut emptorem invenerint, distrahere protinus & dilapidare curabant. Proinde nisi Prælati in posterum emerserint aliqui, qui de propriis vivere malint quàm alienis, quique rapinas abhorreant, & de suo sine querelâ degere desiderent & dignum ducant; unum duorum inevitabile est non evenire; vel quòd ad dispersa revocandum, ut Pontificaliter vivere queant, totis si cor habuerint nisibus animos applicabunt; aut si pusillanimes fortè & ignavi extiterint, pauperes in terris & inopes permanebunt.

Sequentia duo Capita nonnisi Loca communia de curâ pastorali habent.

DISTINCTIO SECUNDA.

Quærens. NUnquid autem omnes Episcopi Menevenses tales fuerunt, quales hi ultimi fuisse describuntur?

Solvens. Absit. Quonimo tam de numero & catalogo Archipræsulum [a], qui primò per ordinem successivè sederunt XXV. quàm postea quoque Pontificum, qui ad hæc nostra tempora sederunt XXIV. plurimos credibile est sanctos fuisse, scientes quippe Deum & sitientes justitiam, abhorrentes iniquitatem omnem & impietatem. Veluti de primo Archipræsulum & ultimo, Davide videlicet & Samsone, quorum sanctitas sole clariùs elucescit. Tempore tamen Samsonis hujus Pallium in hunc modum est translatum. Ingruente per Kambriam isto præsidente peste quadam, qua catervatim plebs occubuit, quam flavam pestem vocabant, quam & Phisici ictericiam dicunt passionem, Præsul quanquam sanctus & ad mortem intrepidus, tamen ad suorum instantiam na-

[a] Archiepiscopos Menevenses 25. & Episcopos 23. Giraldus in *Itinerario* l. 2. c. 1. recensuit. His adde Jorwerth Episcopum 24. qui tempore libri istius scripti præsedit. De his autem & de Pallio a Samsone asportato consule Historiam nostram de Episcopis Menevensibus.

vem

vem ſcandens, flante Circio cum ſuis indempnem in Armoricâ Britanniâ ſe ſuſcepit. Ubi etiam vacante tunc fortè ſede Dolenſi, ſtatim ibidem in Epiſcopum eſt aſſumptus. Unde contigit, ut ob Pallii gratiam, quod Samſon ſecum hinc illuc attulerat, ſuccedentes ibi Epiſcopi uſque ad hæc noſtra ferè tempora, quibus prævalente Turonorum Archipræſule adventitia dignitas evanuit, Pallia ſemper obtinuerunt. Noſtri verò vel propter ignaviam vel paupertatem, aut potiùs propter Anglorum adventum in Inſulam, & Saxonicam interpoſitam hoſtilitatem, eâ occaſione continuè priſtinâ caruerunt dignitate. Semper tamen uſque ad plenam, quæ per Anglorum Regem Henricum I. facta eſt, Kambriæ ſubjectionem, Epiſcopi Walliæ à Menevenſi Antiſtite ſunt conſecrati; & ipſe ſimiliter ab aliis tanquam Suffraganeis eſt conſecratus, nullâ penitus alii Eccleſiæ factâ profeſſione vel ſubjectione.

Illorum autem, qui noſtris apud Meneviam ſedere diebus, aut qui parumper tempora noſtra prævenerunt, de quorum actibus recens adhuc & calens hæſitare memoria non permittit, tibi mores & modos actuſque bonos ſeu bono contrarios evidenter explicare curabo. In adventu Anglorum ad partes illas primoque Meneviæ Demetiæque finium conqueſtu, defuncto principe Reſo Theodori filio, Regis Henrici I. regno, ſedit apud Meneviam Epiſcopus nomine Wilfridus; qui hoſtiles advenarum acies & arma pertimeſcens, terras Eccleſiæ ſuæ plurimas, veluti Canarthmaur apud Emelin [b], Lanrian, Lenreni, Uccetunam, & alias pleraſque, quarum quaſdam timore compulſus alienavit & terrore; alias quidem illicito, ut fertur, amore illectus & fervore. Quo defuncto, ſucceſſit ei Bernardus, de tranſmarinis partibus oriundus, & primus ad hanc Sedem regiâ poteſtate tranſlatus; vir quidem curialis atque facetus & copioſè literatus. Hic primus & ſolus inter tot Epiſcopos tantoque privatos honore, Eccleſiæ ſuæ jura proteſtans publicè, poſt multas ſumptuoſas & graves ad Curiam Romanam vexationes, demum niſi factæ profeſſionis & ſubjectionis exhibitæ Cantuarienſi Eccleſiæ veri aut falſi teſtes coram Eugenio Papâ Meldis in Franciâ palam prodiiſſent; non inefficaciter, ut creditur, reclamâſſet. Tribus igitur fultus auxiliis, tam formidabiles tantæ cauſæ conflictus confidenter eſt aggreſſus. Regis videlicet Henrici I. familiaritate nonnunquam ſubnixus plurimâ & favore; tempore pacifico gaudens & pacis ſequelâ ſufficientiâ. Adeò quidem ex nimiæ ſecuritatis audaciâ debito de jure quandoque præſumpſit; ut & Crucem interdum ſibi præferri per Kambriæ fines acceptâſſet. Bernardus iſte quanquam in multis commendabilis, humanæ tamen imperfectionis maculam non evaſit. Nichil nimirum ſimplici in genere, Cicerone teſtante, omni ex parte perfectum natura expolivit. Quoniam hic igitur de Curiâ exierat, & plantatio Regis extiterat; ad Anglicanas opulentias per tranſlationem ſemper anhelans, quo morbo laborant ferè ſinguli ab Angliæ finibus hîc intruſi, terras Eccleſiæ ſuæ plurimas infructuoſè penitus & inutiliter alienavit. Alias verò tam improvidè & tam indiſcretè diviſit; ut ubi militaribus officiis X. terræ carucatas, XX. vel XXX. manu ampliſſimâ largiretur; ibi divinis Sanctique David obſequiis & Canonicis ab ipſo miſerè nimis & infœliciter inſtitutis, vix duas vel tres impertiret. Unam tamen ſolam, quam & nepoti ſuo contulit, quia nemo carnem ſuam odio habuit, XX. carucatis terræ amplificavit; quæ poſtea quidem, ut ſupra diximus, perjurio pariter & dicto collirio cooperantibus, in militares & laicales feodos Præbendâ ſpoliatâ, ſunt converſæ. Menevenſem enim Eccleſiam rudem hic prorſus & inordinatam invenit. Clerici namque loci illius, qui Glaſwir, id eſt, viri Eccleſiaſtici, vocabantur, barbaris ritibus abſque ordine & regulâ Eccleſiæ bonis enormiter incumbebant. Ca-

[b] Nota recenti manu addita. *Poſt alienationem Wilfrid recuperata eſt Llanryan; & eſt Præbenda hodie Archidiaconi de Carmerdyn, & ſuæ dignitati annexa.*

nonicos

nonicos hic igitur primus instituit, & Canonicas, quanquam miseras nimis & minutas, utpote plùs militaris in multis quàm Clericalis existens, ordinavit. Totum namque Cantaredum de Pepidiauc, quem Menevensi Ecclesiæ devotà Principum Sudwalliæ largitione collatum invenit, sicut & alias terras plurimas, Comitibus, Baronibus, nobilibusque patriæ viris, quatinus magnum sibi per Magnatum hominia dominationis nomen & famam compararet, minimâ Præbendis terrarum portiunculâ datâ, modicâque mensæ Pontificali portione retentâ, dicto quippe Translationis ambitu, vitioque pariter pompositatis adjuncto, malum hoc totum operante, nimis indiscretè divisit. Tempore quoque Bernardi ipsius terra de Fissigart Provinciæ de Pebidiauc fuit abjurata. Terræ quoque per Wilfridum alienatæ, Maneriaque de Lanstadhewal & Sancto Ysmaele super Milverdici maris brachium non inamœna, per advenas & alienigenas occupata, minimè per ipsum aut etiam hactenus alium sunt revocata.

Successit Bernardo David, Menevensis Ecclesiæ Canonicus & de Keirdigan Archidiaconus. Orto quidem in electione scismate grandi, Canonicis nempe Walensicis modis omnibus purum Walensem & non intermixtum habere volentibus & talem exigentibus; Francis autem & Anglis è diverso dictum Archidiaconum, ingenuis de gente utrâque natalibus ortum, per Canonicam electionem obtinentibus. Vir erat hic modestus, vir suâ sorte contentus; terras Ecclesiæ suæ paucas & pauperculas sibi relictas diligenter excolere & instaurare curabat: de suo nempe vivere volens, non alieno, non rapinis, non exactionibus indebitis aut extorsionibus, non exquisitis & excogitatis per Angliam & Walliam hospitationibus, indulgebat. Nec enim ad Clericorum etiam suæ Diocesis hic hospitia divertebat: Archidiaconis quppe singulisque Canonicis & Clericis suis integrè sua jura relinquens. Unde vix semel in anno vel etiam biennio ad Clericum quempiam, & tunc ad multas ejusdem instantias & supplicationes plurimas divertebat; modestiam per omnia servans & parsimoniam. Unde cùm etiam XXVII. aut pluribus annis sedisset; tantùm semel à Clericis suis auxilium petiit; & tunc ob causam adeò justam & honestam; quòd à Papâ Alexandro III. ad Turonense Concilium vocatus fuerat. Et tunc quidem non per palpones Præsulum & assessores pecuniam augendam proterviter & immisericorditer insistentes; sed quod quisque primo verbo & sponte offerre volebat, eo Præsul cum gratiarum actione contentus erat. Terras hic tamen Ecclesiæ suæ, non ex toto immunis à maculâ, parcius tamen & verecundiùs quàm vel decessores sui vel successores, quasdam alienavit; veluti [b] Trallan apud Brecheniauc, & alias apud Dugledu vel Pepidiauc nonnullas. Terram quoque de Oisterlaf à viris magnis & magnatibus occupatam diebus istius, nec revocatam, Ecclesia Menevensis hactenus amisit. Porrò circiter extremos ejusdem annos Canonici Menevenses coram Hugucione Cardinali tituli S. Angeli, in Angliâ legatione fungente, Cantuariensi Archiepiscopo Ricardo super jure Ecclesiæ suæ Metropolitico controversiam moverunt; & præscriptionem priùs interruptam per Bernardum Episcopum tunc interruperunt; Episcopo suo propter sacramentum abjurationis juris Ecclesiæ suæ Metropolitici in Consecratione suâ à Cantuariensibus extortum dissimulante.

Defuncto verò Episcopo Canonici Menevenses quatuor Archidiaconos suos juxta temporis illius abusum, quatinus quem vellet illorum Rex assumeret, nominaverunt; principaliter autem & quasi præcipuum, & cui specialiùs innitebantur, Giraldum, quanquam tunc temporis adolescentulum, nominandum duxerunt, & Regi in Angliam transmittendum. Rex autem, quoniam de Walliâ oriundi fuerant omnes, & maximè Giraldum, qui principalibus etiam Walliæ viris erat consanguinitate propinquus, recusavit; minis quoque

[b] Nota recens. *Trallonge est restituta.*

magnis

magnis intonans & acerrimis, quòd citra ipsius assensum ad nominandum vel etiam de electione tractandum processissent. Post multas itaque comminationes, & literarum quoque Regis super spoliandis Canonicis, si non desisterent, emissiones; tandem post plurimas in Angliam vocationes & vexationes, apud Wintoniam convocati & coacti in Castello & camerâ Regis coram lecto ipsius Monachum quendam sibi ex parte Regis oblatum & nominatum, quanquam omnibus & singulis prorsus ignotum, Priorem sc. de Weneloc nomine Petrum, timore compulsi, tremulis vocibus elegerunt. [a] Tales itaque fuerunt & tam umbratiles tempestatis illius Electiones; quòd longè veriùs tirannicæ dici poterant intrusiones, & tanquam violentæ Choritarum impressiones, non in Ecclesiâ sed in Camerâ, non in Capitulo sed oppidulo, non juxta chorum sed ante thorum, non antea noti sed prorsus incogniti, vel etiam in malo plerunque non ignoti. De quadam autem Electione nimis curialiter, quoniam de Curiali factâ, non simplâ quidem sed duplâ & mirabiliter duplicatâ ac reiteratâ, exemplum ponere præter rem non putavi. Clericus * quidam nostris diebus, Ecclesiâ Anglicanâ libertatis honorem nondum assecutâ, quinimo jugo adhuc pristinæ servitutis graviter oppressâ, in Capitulo Norwicensi Sede vacante, regio urgente mandato, consonâ Monachorum voce fuit electus. Qui statim cum literis electionis suæ in Normanniam transfretans, & inde usque Andegaviam ad Regem accelerans, nondum enim terra transmarina Regibus Anglorum fuit adempta, tanquam re bene gestâ Regi promotionis suæ modum exposuit. Rex autem super Electione tali non exhilaratus, revocatis ad se Monachis Norwicensibus quatuor cum literis de rato, de tribus nominatis aut quatuor, quorum dictus Clericus unus extiterat, cui & Rex assensum præbuit, illum denuo eligi fecit, electionem in Ecclesiâ factam & de unicâ personâ expressè nominatâ, quantum in se, reprobans & condemnans; factam autem in Camerâ suâ juxta pravæ consuetudinis abusum, & exturbatâ nominatâ, unâque de pluribus personâ ad nutum ejus assumptâ, more tirannico roborans & confirmans. Quendam autem virum bonum & autenticum & in sacris Scripturis affatim eruditum, ecclesiasticis oppressionibus condolentem, quandoque dicentem audivimus; quòd vocales erant tantum & non reales Electiones tales, vocibus quidem & non votis emissæ. Non enim Capitulum aut Conventus quatuor nominans & Principi offerens eligit; sed ille potiùs qui de nominatis & oblatis quem vult assumit. Sicut qui quatuor aureos, ut unus eligatur exponit & offert; non ille quidem qui offert & optionem alii confert, sed

* Johannes Grey is fuit.

[a] Eandem querelam Giraldus antea deposuerat in *Gemmâ Ecclesiasticâ* Dist. 2. cap. 34. iisdemq; verbis Petrum, ut videtur, Episcopum perstringit. "Erat ille Episcopus Anglicana plantatio, Walliæ nec naturaliter nec adoptive sed violenter inserta. Ideoque in Episcopali officio nec gratiæ divinæ, prout videbatur, rigationem habuit, nec divinitus ad perfectum incrementa suscepit. Tales vidimus omnes ab Angliâ nostris diebus in Walliam transpositos, cupidos, rapaces, summam tamen semper inopiam simulantes, per Abbatias in Angliâ jugiter mendicantes, apud Scaccarium semper per translationem vel adjectionem majora quæritantes, & ob hunc ambitum effectui mancipandum scurrarum officium inter Angliam & Walliam posthabito pastorali penitus officio sibi assumentes. & causis ad hoc se frequenter immo fere semper ingerentes. Propter quæ tota eorum, si quæ fuerat, & Ecclesiæ suæ apud viros magnos, probos & discretos vilescit auctoritas. *Et Paulo post.* Ideoque curias hodie omnes ferè ambitiosi sequuntur; quòd per has & per hipocrisin, quæ solet ex pòst patere facto, Sedes nunc scandi videmus Cathedrales. Unde omnes fere moderni Episcopi Chorithæ sunt. Hodie nempe ferè omnes introducuntur & regiâ violentiâ in Ecclesias Cathedrales irrumpunt. Proponitur enim aliquis eligendus; qui nisi statim eligatur, bona confiscantur; rei majestatis, qui contradixerint, esse putantur & censentur. ——— Hodie loco Canonicæ Electionis in plerisque partibus successit Principis intrusio, sub voce tamen Electionis vanâ & umbratili pronuntiatione; ubi vox quidem solùm auditur, nec voluntas attenditur.

ille veriùs eligit, qui ex optione datâ quem vult assumit. In fraudem itaque divinæ legis hæc & similia fieri constat. Unde timendum est illud & valde timendum; qui Christi Ecclesiam jure suo tanto conamine fraudare nituntur in terris, ne & ipsi vindice dextrâ suo quoque terreno jure quandoque fraudentur & honore priventur. De Clerico verò geminâ, ut dictum est, Electione promoto, & de primâ quasi Canonicâ ad non Canonicam, quia tirannicam, ineptè translato, miraculosè quidem accidisse videtur; quòd sicut instabilis fuit in electione, sic & in omni statu suo stabilis esse nequivit. De Episcopatu namque ad Episcopatum inaniter anhelans, & iterum ad Archiepiscopatum incassum & cum scandalo gravi proterviter nimis & immoderanter aspirans; tertiò verò in utroque deficiens & ab utrâque spe turpiter cadens, tertiam Cathedralem Ecclesiam & Episcopalem duabus primis uberiorem & pinguiorem appetens & ambiens, & ob hoc etiam Romam adiens Curiamque corrumpens; demum tamen inde reversus inanis & vacuus & ambitione plenus occubuit.

Ut autem à diverticulo res repetatur; qua conscientiâ & quàm cauteriatissimâ, qua præsumptionis audaciâ & quàm temerariâ, ausi sunt miseri ambitione cæcati, honores in hunc modum assumere, & non tanquam Aaron à Domino vocati, sed tanquam Chore violenter intrusi, Ecclesias præsertim Pontificales per parietes irrumpere,& non per ostium intrare? Horum quippe ingressus præsumptuosissimus; egressus verò, si finaliter in his perstiterint, sub certâ damnatione periculosissimus. Novit hoc noster Cantuariensis Martyr insignis; qui dignitatem Ecclesiasticam per temporale obsequium ac Principis favorem & impressionem adeptam in manu Domini Alexandri III. Papæ divinitus edoctus & inspiratus resignavit. Sic quoque Venerabilis Eliensis Ecclesiæ Præsul Romam adiens Eustachius. Sic quoque Roffensis per nuncium & Archidiaconum suum Romam ob hoc transmissum Gillebertus. Sic igitur eruditi, sic timorati. Longè aliter autem imperiti; quoniam à malè perquisitis & quomodolibet usurpatis malè vivendo pejúsque moriendo non recedunt. Verum est igitur illud Jeronimi in libro Epistolari. Imperitia audaciam, eruditio verò timorem creat. Et illud Solomonis in Parabolis. [a] *Qui apponit scientiam, apponit laborem; & cor intelligens tinea est ossibus.*

[a] Ecclef. I. 18.

Ut autem ad rem denuo revertamur; Monachus iste sic electus & promotus, cunctis Diocesis suæ Baronibus & Militibus, qui terras Ecclesiæ tenebant valde in initio terribilis fuit, tum sc. propter religionis habitum sub quo sperabant immo veriùs formidabant, & actum; tum etiam propter Regem, per quem promotus extiterat, cujus habere familiaritatem plurimam atque favorem credebatur. Inprimis hic etenim hominia ipsorum semel & iterum & pluries oblata cum multis supplicationibus suscipere constanter recusavit; quod & timorem eis plurimum adauxit. Demum autem de Angliâ venienti obviàm ei Barones patriæ de terris Ecclesiæ feodati tanquam ex condicto venerunt, consilio definito penitus & ex deliberatione communiter inito, quòd summam ei pecuniæ grandem, inprimis ut ipsos audiret & exaudiret, offerrent: alioquin tertiam ei partem terrarum omnium remitterent. Quòd si nec sic placabilis foret sed inexorabilis adhuc prorsus existeret; tunc medietatem terrarum omnium cum molendinis omnibus & Ecclesiarum patrociniis ei remitterent, aliâ medietate de ipso & Ecclesiâ suâ tenendâ contenti. Episcopus autem se longè solito magis eis affabilem præstans, rogavit, ut secum Meneviam venirent, quatinus ibidem juxta desiderium suum responsum audirent. Quo facto cùm inter edendum,ut fieri solet, inter fercula videlicet & pocula, nunc seria conferrent & nunc jocosa; tanta varietas in verbis Episcopi tantaque reperta est illis & comperta facilitas; quòd post prandium protinus sumptâ licentiâ nec expectato responso Barones ad propria sunt reversi: sumptâ quidem à quodam ipsorum securitatis audaciâ, cui nomen Ricardus Tancardi filius; qui major inter illos & animosior existens, verbum eis tale in discessu assertivè proposuit.

Securi estote & confidentes. Sponsorem enim me vobis constituo, quòd de hoc Episcopo nil nobis timendum, nil ullo tempore formidandum. Securos itaque, quamdiu vixerit iste, carpite somnos. Accidit hinc igitur, ut hominia Baronum, quæ totiens antea suscipere recusavit, pluries Episcopus ut ei postmodum datâ solùm relevatione legitimâ fierent, frustra diutiùs requisivit.

Patet hinc igitur; quòd comessationes, ut legitur in Job, & convivia comitari plerunque loquacitas solet & inconsulta verbositas. Proinde singula sapientum verba seria & sobria priùs ad limam veniunt quàm ad linguam, priùs elimantur quàm eliminantur. Dictus autem Tancardi filius, qui vir prudens erat & providus, initiales Episcopi trium annorum vel quatuor actus considerans & observans, cùm ipsum videret nec terris suis excolendis nec maneriis instaurandis indulgere; sed cuncta, quæ illi ad manus obvenerant, in natale solum Angliæ, sc. unde oriundus erat, transmittere, & tam modicam etiam in Walliâ moram facere; dicere consuevit, quòd non bonam nec qualem vellet de ipso spem conceperat, quòd gregi sibi commisso bonus & utilis pastor existeret; qui tam Ecclesiæ quàm Diocesis suæ rarus tantùm visitator fieret & non habitator; non incola visus aut vineæ cultor, sed tanquam hospes in transitu sive viator.

Primus hic etenim Episcoporum Menevensium nostri temporis, qui per hospitia tam Anglicana quàm Walensica jugi ferè discursu circuiendo & circumvagando cum scandali notâ nævoque non modico famæ denigrationem incurrit. Primus hic quoque, qui quolibet ad minus anno tertio Clericis suæ Diocesis grave tallagiorum onus adjecit. Qui utinam tam integræ famæ fuisset & tam honestæ, tam sinceræ conscientiæ & tam serenæ, tantæque constantiæ in dictis & factis & tam maturæ, quanquam Monachus; quantæ fuisse videbatur & credebatur post promotionem suam proximus decessor ejusdem, sed Clericus. Primus hic namque Menevensis Episcopus nostri temporis, qui per incontinentiæ maculam famam suam & opinionem gravi cum scandalo denigravit. Quoniam, ut ait Cæsar in oratione pro Catilinâ, *Qui in obscuro & demisso vitam agunt, fama eorum & fortuna par; in maximâ verò fortunâ minima licentia.* Unde & Poeta. *Omne animi vitium tantò conspectius in se Crimen habet, quantò qui peccat major habetur.* Et alibi. *O Coridon, Coridon, secretum divitis ullum Esse putas? taceant homines, jumenta loquentur.* In eminenti itaque speculâ constituti omnium oculos in se credant esse conversos.

Item hic etiam Episcopus super alienandis Ecclesiæ suæ terris notam suis diebus & mendam non evitavit. Terram namque de [a] Lancadauc cum molendino majori ex parte pro bobus & vaccis alienavit. Præposituras quoque Maneriorum suorum pluribus in locis magnis & potentibus viris Walensicis pro pretio distraxit, potestates revera dominicas & commoditates graviter enervantes. Terras etiam mensæ suæ dominicas & proprias, non steriles aut remotas, sed fertiles magis ac propinquas, tam de Landu sc. quàm de Lanwadein servientibus suis Anglicis dedit. Terram quoque mensalem Manerii de Lantefei propter argentum Anglicum malè mutilavit & detrectavit. Terram etiam Dominicam apud Meneviam, Sedem sc. suam, ubi sedere diutiùs & perhendinare deberet & deceret, propter aurum Hibernicum malè rutilans & resplendens ferè totam adnichilavit. Probans siquidem per hæc & similia nimis apertè, se parum Ecclesiam illam dilecturum, seque rarissimè Sedem suam visitaturum, & tunc modicam ibidem moram facturum, seque non stabilem ut stellam sed vagum potiùs veluti planetam appariturum. Verumptamen sic morigeratum Wigorniensi Episcopo Baldewino, viro revera moribus & scientiâ prædito, literaturâ simul & religione conspicuo, Monachi Cantuari-

[a] Nota recens. *Llangadauc est iterum restituta.*

ensses Metropolitanâ post Ricardum Sede vacante longè præferre sibique Prælatum totis præficere nisibus contendebant; ad exteriores solùm tanquam extra se facti cultus atque colores, quum album & nigrum valde contrarios noverant, animos timore pariter & livore repletos applicantes.

Præterea diebus istis Canonici Menevenses in Lateranensi Concilio præsidente Papâ Alexandro III. sinodalem juris Ecclesiæ suæ Metropolitici in tanto auditorio proclamationem emiserunt, etiam nichil ex contingentibus omittentes, quasi quinto post litem Archiepiscopo Ricardo in Angliâ motam anni curriculo, præscriptionem interruperunt; Episcopo suo præsente, sed ob sacramentum illicitum abjurationis juris Ecclesiæ suæ Metropolitici, ab ipso in consecratione sui à Cantuariensibus extortum, obmutescente.

Porro defuncto præsule Petro, cùm XXVII. aut pluribus annis sedisset, Canonici Menevenses, quamvis nondum nactâ libertatem Ecclesiâ Anglicanâ seu Walensicâ, Magistrum Giraldum Archidiaconum suum, solum quidem & non cum cæteris sed præ cæteris nominatum, in Ecclesiâ suâ & Capitulo canonicè & concorditer elegerunt: ipsumque protinus ad Curiam Romanam, de probitate ipsius industriâ pariter & eruditione confidentes plurimùm & præsumentes, propter dignitatem Ecclesiæ suæ Metropoliticam, necnon & confirmationem suam & consecrationem ibidem obtinendam, transmiserunt.

Quærens. Quoniam de Electione Giraldi hac secundâ, sicut & antea de primâ, nos satis evidenter certificâsti; nunc super juris non sui solùm sed & Ecclesiæ suæ prosecutione tam strenuâ, si placet annectere, non inutile reputaverim; quatinus magnanimitatem ejusdem & inter adversa constantiam & tolerantiam admirari Lector valeat & imitari; necnon & de jure Menevensis Ecclesiæ Metropolitico per ipsum enucleato & tam elucidè declarato majorem elicere certitudinem queat.

Solvens. Super hoc desiderio tuo, quòd ex industriâ provenit & discretione, te certificare, causasque tanti laboris & tam pertinacis, longè ultraque Giraldi vires, tibi satis evidenter explicare curabo. Auditâ Electione de Giraldo factâ, & Electione tali, quoniam in Ecclesiâ & non in camerâ, item de unicâ personâ per se quidem & expressè nominatâ, non cum turbâ; item citra Regis assensum omnem, quòd requisitum sed non habitum, immo Archipræsulis instinctu prorsus denegatum, consonè & canonicè celebratâ, modum insuetum & insolitum sibique prorsus incognitum vehementer admirans & abhominans, se totis illico nisibus Archiepiscopus opposuit, & manifestum adversarium constituit; ad morem eligendi, quem non in Scholâ didicerat sed in Curiâ, non apud Philosophicum studium sed apud Scaccarium, cuncta reducere volens; quatinus ad Principis fierent omnia nutum. A quo nempe gymnasio cuncti ferè Anglicani Episcopi, tirannici temporis urgente procellâ, passim assumi solent. Qui enim hîc bene computat, bene disputat; qui bene ratiocinatur, bene philosophatur. Potuit & hæc quoque causa fuisse, quare se ei tam pertinaciter opposuit; quoniam mente forsitan jam præsagâ, quòd non ignotum Giraldum habuerat, quod postmodum accidit ei verebatur.

Versùs itaque Curiam Giraldus iter incunctanter arripiens, qui jus Ecclesiæ suæ summatim solùm & breviter exponere & non penitus intactum relinquere disposuerat, ob dicti Archiepiscopi protervitatem, qui tam acriter in cunctis adversandum ei decreverat, ad ampliora proponendum & proposita persequendum vindicem animum quasi provocatus erexit. Inprimis itaque cùm aliquantam in Curiâ moram Giraldus exegerit; dictus Archiepiscopus per cursorem quendam literas contra ipsum tanquam invectionis Papæ direxit; ad quas Papâ innuente & responsum audire volente, in proximo Consistorio Giraldus

raldus singula repetens, & objecta retundens atque refundens, cum omnium qui aderant favore respondit. Unde & literas Responsionis suæ cunctis ferè Cardinalibus & Notariis Curiæ majoribus ad instantiam ipsorum transcribi fecit. Ambæ verò Epistolæ tam Archiepiscopi sc. quàm Archidiaconi in principio Libelli *de Invectionibus* poterunt inveniri.

Accidit autem, ut vesperâ quadam, cùm ad Papam in Camerâ suâ Giraldus accessisset; cùm semper eum benignum satis & benevolum, ut videbatur, invenire consueverit; tunc fortè præter solitum amicabilem magis & affabilem ipsum invenit. Inter primos igitur affatus, cùm de jure Menevensis Ecclesiæ Metropolitico mentio facta fuisset; præcepit Papa Registrum afferri, ubi de universo fidelium orbe singulorum regnorum tam Metropoles per ordinem quàm earum quoque Suffraganeæ numerantur Ecclesiæ Pontificales. Et cùm verteretur ad regnum Anglorum; scriptum in hunc modum ibidem & lectum fuit. "*Cantuariensis Metropolis Suffraganeas habet Ecclesias istas, Roffensem,* " *Londoniensem,*" & cæteras per ordinem. Enumeratis autem singulis Suffraganeis Ecclesiasticis Angliæ; interpositâ Rubricâ tali, *De Walliâ*, prosequitur in hunc modum. "*In Walliâ Menevensis Ecclesia, Landavensis, Bangoriensis, &* " *de Sancto Asaph.*" Quo audito, subjecit Papa quasi insultando & subridendo. Ecce Menevensis Ecclesia connumeratur. Respondit Giraldus. Sed non eo modo connumeratur illa vel aliæ de Walliâ, per accusativum scilicet, sicut Suffraganeæ de Angliâ. Quod si fieret, tunc revera reputari possent subjectæ. Cui Papa. Bene, inquit, hoc notâsti. Sed est & aliud, quod similiter pro vobis & Ecclesiâ vestrâ facit, de Rubrica sc. interpositâ; quæ quidem in Registro nusquam apponitur, nisi ubi transitus fit, vel de regno ad regnum, vel de Metropoli ad Metropolin. Verum est, inquit Giraldus: Et Wallia quidem portio est regni Anglicani, & non per se regnum. Ad quod Papa. Unum sciatis, quòd non est contra vos Registrum nostrum. Præterea cùm quæsisset Papa, an Privilegia haberet aliqua Menevensis Ecclesia super jure quod petit; Respondit Giraldus, quoniam olim privilegiis abundavit; sed quòd super mare Hibernicum sita est Ecclesia & tanquam in angulo quodam terræ; frequenter à Piratis ab insulis Orcadum æstivo tempore longis illuc navibus advectis spoliari consuevit, & tam libris quàm privilegiis, textis quoque & filateriis cunctisque thesauris & ornatibus asportatis, Canonicis etiam & Clericis nonnunquam interemptis, funditus ferè destructa sæpius & desolata relicta. Item quærente iterum Papâ, qualiter & ob quam causam dignitate pristinâ Menevensis fuerat Ecclesia privata, respondit Giraldus, exponens ei quomodo per ultimum Archiepiscopum Menevensem Sampsonem nomine, fugientem cladem icteritiam & ob hoc in Armoricam Britanniam transfretantem, Metropolitica dignitas evanuit: sicut supra in principio ferè Distinctionis hujus secundæ pleniùs continetur. Quo audito, Papa respondit. Quinimo Eboracensis, ut fertur, fuerat Archiepiscopus Samson ille Dolensis. Ad quod Giraldus. Immo quòd noster fuit, & non aliunde, [b] Samson ille salvâ, Pater, reverentiâ vestrâ, Dolenses etiam Historiæ contestantur. Unde & in eorum sequentiâ de Sampsone sic reperitur. *Præsul ante Menevensis, dignitatis in Dolensis transfertur fastigium.* Eboracenses autem æquivocatio decepit; quoniam hoc

[b] Alii binos Sampsones, Eboracensem alterum, alterum Menevensem, sibi invicem in sede Dolensi succedentes ponunt. Ita verbi gratiâ Florilegus; ex cujus sententâ Samson senior Eboraci Archiepiscopus consecratus est anno 490. & post aliquot annos relictâ sede suâ in Armoricam transiens, Dolensis Archiepiscopus factus est ante annum 520. Illi ibidem defuncto successit Samson junior (antea Menevensis) anno 561. Sic quidem Florilegus; cui cæteri Historici in pluribus discordant, vix tamen certiora afferunt. Certè Giraldo præ omnibus pessimè successit in tradendis Samsonis Menevensis rebus gestis. Quem enim ille Gregorio coævum ponit, Samson Archiepiscoporum Menevensium vicesimus quintus, post trecentos saltem à Gregorio annos sedem tenuit.

hoc eodem nomine quidam eorum Archiepiscopus nuncupatus extiterat. Item cùm quærenti adhuc Papæ, quantum temporis effluxerit à transitu seu transfretatione Sampsonis illius, responsum à Giraldo fuisset; quod tempore Gregorii Papæ Magni scilicet Doctoris, qui Augustinum & socios suos in Angliam transmisit, accidit illud: illico Papa subjecit. Tuti sunt ergo longâ præscriptione Cantuarienses. Ad quod Giraldus. Quantum quidem ad Pallii repetitionem vera est, Pater Sancte, objectio vestra. Quoad hoc enim, quod tunc translatum & postmodum usque ad Bernardi Episcopi tempora nec recuperatum fuerat nec repetitum, solam paternæ pietatis vestræ misericordiam petimus & non sententiam. Sed quantum ad Metropoliticæ dignitatis honorem totum, præter usum Pallii solum, si placet Excellentiæ vestræ, longè secus esse noveritis. Quoniam usque ad Anglorum Regem Henricum I. qui Walliam sibi subjugavit, & Ecclesiam Walensicam Ecclesiæ Anglicanæ supposuit, totam Metropoliticam dignitatem præter usum Pallii Ecclesia Menevensis obtinuit; nulli Ecclesiæ prorsus nisi Romanæ tantùm, & illi immediatè, sicut nec Ecclesia Scotica, subjectionem debens. Ad quæ Papa paucis respondens ait. Non novum hoc esse, non inauditum Ecclesiam Episcopalem, quanquam simplicem, nulli Metropolitano subjectam, sicut & Lucensem, necnon & Papiensem; cujus etiam Antistes, cùm simplex Præsul existat, Pallio tamen fungi & Crucem sibi præferri de Romanæ Ecclesiæ indulgentiâ gaudet. Et cùm denuo Papa quæsisset, quot anni effluxerint à tempore violentiæ per Regem illum, ut dicitur, factæ; respondit Giraldus, quòd circiter annos LXX. vel plures. Veruntamen præscriptionem multipliciter interruptam asseruit; sicut primò per Bernardum Episcopum, qui quasi XXVII. suæ promotionis anno Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo super jure Ecclesiæ suæ Metropolitico coram Eugenio Papâ controversiam in Franciâ movit. Et postea circa finales Davidis Episcopi successoris Bernardi dies, cùm annis quasi XXVII. vel pluribus sedisset, Canonici Menevenses Ricardo Cantuariensi Archiepiscopo coram Hugutione Cardinali titulo S. Angeli in Angliâ legatione fungente, eandem audacter controversiam moverunt. Tertiò verò in Lateranensi Romæ Concilio à Canonicis Ecclesiæ nostræ jus Ecclesiæ suæ coram Papâ Alexandro III. constanter in tantâ audientiâ protestantibus Sinodalis proclamatio facta fuit. Quartò verò nos in audientiâ vestrâ jus Ecclesiæ nostræ quasi XX. post Lateranense Concilium anno jam petimus, & Huberto Cantuariensi Archiepiscopo controversiam movendo cum effectu per Dei gratiam & vestram petituri sumus. Omnibus auditis, Papa subjecit, dicens. Quòd si probari poterunt ea quæ proponitis; satis erit in expedito jus quod petitis. Ea ergo, per quæ jura Ecclesiæ vestræ magis evidenter declarari poterunt & probari, scribere curetis & nobis conscripta deferri.

His autem auditis, Giraldus more consueto nec piger nec deses existens, ad id faciendum quod Papa suggesserat, studiosum animum incunctanter applicuit. Post paucos itaque dies scriptum hoc in manus Domini Papæ tradidit, quod & ipse satis benignè suscepit. Erat autem scriptum in hunc modum.

Ut evidentiora, Pater Sancte, quæ subscribentur existant; paulò remotiùs atque prolixiùs veniâ petitâ, quoniam ab ortu pariter & processu fidei Christianæ in insulâ Britannicâ, tam juxta divisiones Anacleti Papæ & Epistolam Gregorii Augustino directam, quàm etiam Ecclesiasticæ Historiæ Anglicanæ à Bedâ digestæ seriem ordiemur. Ad instantiam itaque Lucii Regis Britonum missi sunt ab Eleutherio Papâ, qui quasi quartus decimus fuit à Beato Petro, duo nobiles Prædicatores in Britanniam majorem, Faganus sc. & Duvianus; qui fidem Christi per universam Insulam à mari usque ad mare plantaverunt, & juxta Provinciarum numerum, quas tempore Gentilitatis habuerat Insula, quinque Metropoles, singulas xii. urbes sicut olim habuerant, & Suffraganeas Ecclesias totidem subjectas habentes, ordine & numero competenti distinxerunt.

runt. Juxta tomum enim Anacleti Papæ, ſicut in Pontificalibus Romanorum geſtis & Imperialibus continetur, directam Galliarum Epiſcopis, juxta ſtatum Gentilium ante Chriſti adventum Britannia habuit Provincias numero quinque, Britanniam Primam, Britanniam Secundam, Flaviam, Maximiam, Valentiam. Prima dicta eſt, Occidentalis pars Inſulæ, quòd primùm in illâ Britones, Bruto & Corineo Ducibus applicuerunt; eaque primò à Corineo & ſuis occupata eſt & inhabitata. Britannia Secunda Cantia, quòd ſecundò à Bruto & ſuis inhabitata fuerat. Tertia Flavia, hoc eſt, flava; quæ dicitur & Mercia, quaſi mercibus abundans, caput cujus eſt Londonia. Quarta Maximia, *i. e.* Eboraca, ab Imperatore Maximo dicta. Quinta Valentia, ab Imperatore Valente nuncupata, Albania ſc. quæ nunc abuſivè Scotia dicitur. Sicque ordinatum à viris ſanctis prædictis duobus fuerat; ut in Occidentali Inſulæ parte, quæ & nunc adulterino vocabulo Wallia dicitur, propriè verò Kambria, à Kambro Bruti filio dicta, Urbs Legionum Metropolis fuerat, xii. Suffraganeos habens. Dorobernia, quæ nunc Cantuaria dicitur à Dur Britannico, quod eſt Aqua, quoniam aquis abundat, ſic nuncupata, Metropolis ab Auſtrali Thamiſiæ fluvii parte, xii. Suffraganeos habens. Eboraca, quæ nunc dicitur Eboracum, Metropolis xii. Suffraganeos habens. Et urbs, quæ nunc S. Andreæ forſan dicitur, totidem Suffraganeos habens, olim Alba dicta; unde & Albania Provincia, vel potiùs ab Albanacto Bruti filio, nuncupata. Cùmque hoc ordine diſtincta ducentis annis & pluribus Britannica Eccleſiaſtica floruiſſet; ſuperveniens gens Saxonica, quæ nunc Anglica dicitur, à Britonibus invitata, ut eis contra Pictos & Scotos, qui Boreales Inſulæ partes occupaverant, Britonum ſtipendiis militarent. Tandem verò cùm viribus & numero creviſſent; juncto cum hoſtibus fœdere & ipſi quoque pejores hoſtes effecti, miris proditionibus incolas uſque ad occiduas partes Inſulæ propulerunt; totamque *terram* reſiduam, quam & Angliam poſtea vocaverunt, à natali ſuo *Saxoniæ* ſolo, quod linguâ eorum *Engelont* vocabatur, i. e. Angularis, terram Britanniam occupatam ſic nominantes, immo & Scotiæ partem non modicam deſtructis Eccleſiis ritu Gentilitatis, quoniam Gentiles erant, fœdaverunt: Britonibus nichilominus Chriſti fidem in Occiduis Inſulæ partibus inconcuſsè ſervantibus. His autem uſque ad tempora Gregorii Magni Doctoris ſic ſe habentibus, miſſus eſt ab eo Auguſtinus Monachus in Angliam; qui Ethelberto Rege Cantiæ ad fidem cum gente Anglorum converſo, duas tantùm in Angliâ Metropoles conſtituit; Doroberniam ſc. quæ nunc Cantuaria dicitur, & Eboracum. Doroberniæ, quam ſibi ſedem elegerat, totam Angliam ferè, quaſi XII. vel XIII. Epiſcopatus amplos ſubjiciens; Eboracenſem autem Eccleſiam ferè monoculam relinquens: illud ad mentem, quanquam Monachus, revocando; *Maledictus, qui partem ſuam deteriorem fecerit.* Sed hæc hactenus. Ad Eccleſiam autem noſtram Walenſicam redeamus. Apud Urbem Legionum, ut diximus, ante adventum Saxonum per Faganum & Duvianum Walliæ Metropolis fuerat; & Archiepiſcopo Sedis ejuſdem Dubricio Davidi honorem cedente, & eodem Davide poſtea procurante, Sedes Metropolitica uſque Meneviam eſt tranſlata; quod à vate noſtro Merlino longè fuerat in hunc modum ante prædictum. *Menevia Pallio Urbis Legionum induetur.* Habuimus autem apud Meneviam Urbis Legionum Archiepiſcopos ſucceſſivè XXV. quorum primus fuit Sanctus David, ultimus verò Sanctus Sampſon, qui ingruente per Walliam icteritiâ clade in Armoricam Galliæ Britanniam navigio ſe tranſtulit cum Pallio noſtro; ſicut plenè ſuperiùs dictum eſt. Nunc autem ad Anglicanam Hiſtoriam à Bedâ digeſtam tranſeamus; & inde argumenta ad enucleandum quod intendimus eliciamus. Sciendum igitur inprimis, quòd in dictâ Anglorum Hiſtoriâ, totâ ab eorundem Hiſtorico Bedâ digeſtâ, nuſquam invenitur Walenſicam Eccleſiam Anglicanæ in aliquo ſubjectam, ſicut nec Scoticam, quæ uſque in hodiernum diem in ſuâ libertate remanſit. Eboracenſis autem Eccleſia quandoque

Can-

Cantuariæ subjecta fuit, quandoque verò in libertatem evasit. Item legitur etiam in eâdem Historiâ; quòd post conversionem Regis Ethelberti & quorundam Anglorum, multitudine tamen populi in suâ infidelitate adhuc manente, audiens Augustinus in Occidentali Insulæ parte Christianos esse, accedens ad fines illos, convocatis vii. Episcopis Britonum, cùm de termino Paschali, quem non more Ecclesiæ Romanæ colere videbantur, & aliis quibusdam corrigendis diutiùs disputatum esset; tantùmque duo peteret Augustinus ab ipsis; ut in termino Paschali concordantes, ad prædicandum Gentili Saxonum populo ipsum juvarent; id facere omnino renuentes, responderunt quòd gentibus sibi commissis juxta gratiam desuper datam intendere volebant; ipse verò Anglorum instructioni & conversioni, ad quos missus fuerat, operam daret. Si ergo Augustini renuerunt esse socii; multò minùs sibi vel successoribus suis vellent esse subjecti. Item adjectum est etiam ibidem, quòd cùm vii. Episcopi venissent, quoniam Augustinus in sellâ sedens venientibus non assurrexit, eum superbiæ notantes, sumpto quidem à viro quodam Anachoritâ de gente suâ sanctissimo à cunctis habito experimenti illius documento, tam ipsum quàm ejus statuta statim reversi spreverunt. Nec ipsum pro Archiepiscopo suo se habituros publicè proclamabant; testantes ad invicem, quòd si nunc nobis assurgere noluit, quantò magis si ei subdi cœperimus, jam nos pro nichilo contemnet? Quòd autem vii. tunc erant Episcopi Britonum, cùm hodie nonnisi iv. hæc ratio assignari potest; quòd plures tunc fortè fuerant in hoc Walliæ spatio quàm nunc sunt Sedes Cathedrales; vel potiùs [a] se tunc ampliori Wallia fine quàm usque ad Sabrinæ fluvium dilatabat. Item successit Augustino Laurentius: qui non solùm sui gregis, sed etiam Britonum, Hibernensium & Scotorum curam gerens, in termini Paschalis observantiâ eos literis admonuit, nec profecit. Simili enim modo Hibernici, Britones & Scoti à quartâ decimâ Lunâ antiquo more servabant. In eâdem autem Epistolâ scribunt Laurentius, Mellitus & Justùs Episcopi; quòd Daganus Episcopus Hiberniæ ad ipsos veniens non solùm cibum cum ipsis sumere sed nec in eodem hospitio quo vescebantur sumere voluit. Ubi notandum, quòd literas commonitorias Britonibus, sicut & Hibernicis vel Scotis, qui nichil ad eos pertinebant, miserunt. Sententiam autem nunquam in eos magis quàm in alios ullam dederunt vel suâ vel Domini Papæ auctoritate, quod quidem fortè fecissent, si eis jure provinciali subjecti fuissent. Laurentio successit Justus, Roffensis Ecclesiæ Episcopus; cui scribens Bonifacius Papa Pallium ei ad Missarum solennia tantùm & ordinandi Episcopos potestatem, ad evangelizandum genti quæ nondum fidem susceperat, indulsit. Ecce quòd gentem, quæ fidem susceperat, excludit. Theodorus successit Justo, septimus ab Augustino, vir literatus & bonus, de Ecclesiâ Romanâ missus, & de Siciliâ oriundus. Hic primus Archiepiscoporum Cantuariensium Concilium Episcoporum convocavit. Tenuit autem duo. Et cùm nomina singulorum apposuerit Episcoporum qui intererant; nullus omnino Britonum nominatur. Unde constat, quod nec interfuerunt, nec ei subjecti fuerunt. Patet igitur ex his, quòd Walensica Ecclesia nequaquam Cantuariensi subjecta fuerit. Quod quidem si fuisset; non illud Beda, qui Anglicus fuerat, in Historiâ suâ tacuisset. Ex Registro quoque Gregorii & Epistolâ Augustino transmissâ, quæ sic incipit, *Cùm certum sit*, haberi potest; quòd si qua Eboracensis Ecclesiæ vel alterius Augustino subjectio concessa fuit; personale

[a] Hovedenus itaque Giraldo consonus sedes Episcopales Archiepiscopatûs Menevensis olim suffraganeas sic enumerat ad annum 1199. Landavensem, Lanpaternensem in Kerdigaun, Bangornensem, Asaphensem, Cestrensem, Herefordensem & Wigorniensem. Septem quidem Episcopos Britonum in colloquium cum Augustino descendisse Beda fidem facit l. 2. c. 2. Quibus autem isti sedibus præfuerint, aut cuinam Metropoli subjecti, id ne divinando quis assequi possit; si veritatem potiùs quàm inanes Historicorum sequiorum fabulas cordi habeat.

bene-

beneficium & non perpetuum erat. Cùm enim Eboracensi se Pallium daturum Gregorius promiserit; subjecit; *Quem tamen tuæ voluimus fraternitatis dispositioni subjacere*; statimque subnectit: *Post obitum verò tuum ita Episcopis, quos ordinaverit præsit; ut Londoniensis Episcopi Diocesi nullo modo subjaceat. Sit verò inter Londoniæ & Eboracæ civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio; ut ille prior habeatur, qui priùs fuerit ordinatus.* Proposuerat enim tunc Augustinus, sed postea fortè mutavit, Sedem suam Metropoliticam Londoniis, ubi caput est regni, facere. Walensica verò Ecclesia nunquam, sicut nec Scotica, Cantuariensi, præsertim verò post Augustini tempora, quemadmodum nec Beda testatur, subjecta fuerat; donec Rex Angliæ Henricus I. Walliam in manu forti subjugando, apposuit; ut Ecclesiam quoque Walensicam, quam liberam invenit, Ecclesiæ regni sui supponeret; sicut & terram regno suo subjecerat. Potuit igitur esse, sicut ex dictâ Gregorii Epistolâ Augustino directâ manifestè colligitur, quòd omnes totius Insulæ Britannicæ Episcopos Augustino voluerit personaliter esse subjectos. Quòd autem Augustinus Walensicam Ecclesiam sibi, ut dictum est, rebellem invenit, propter novellam & teneram fidei in Insulâ Britannicâ plantationem sub dissimulatione transivit. Ex scriptis igitur autenticis hæc, Pater Sancte, constat, esse collecta. Et præter hæc, etiam senes & valetudinarii extant adhuc in Walliâ plurimi; qui Walensicam Ecclesiam sicut & Scoticam, Romanæ tantum Ecclesiæ subjectam immediatè viderunt. Cùm autem tot rationibus pristinum jus Ecclesiæ nostræ clarescere possit; hic erit effectus causæ status, si cum effectu processerit; quòd in primis magnus erit honor Ecclesiæ Romanæ, si Ecclesia Walensica ei immediatè subjecta fuerit; sicut est Ecclesia Scotica, & sicut ipsa quoque olim fuerat & esse deberet. Hoc etiam emolumentum, quòd Wallia parata est dare Ecclesiæ Romanæ denarium S. Petri de singulis domibus, sicut datur in Angliâ; quod ascenderet ad summam ducentarum marcarum annuatim & plurium. Et præterea dabunt magnam Decimam suam Ecclesiæ Romanæ. Hoc autem vocant Magnam Decimam, quando decimant omnia animalia sua tam pecora quàm armenta & equitia omnemque substantiam suam mobilem. Summa verò Decimæ istius per Walliam totam ad plusquam tria millia Marcarum ascenderet. Hoc etiam non sine pronostico creditur contigisse; quod eodem anno, in cujus principio Dolensis Ecclesia per hanc Curiam Pallium amisit quod à nobis habuerat, & nos illud ejus omnino casûs ignari in hac Curiâ ejusdem anni fine petivimus. Unde cùm omnia redire debeant ad sua initia; sicut Ecclesia Dolensis ad suum initium jam [b] rediit, sc. simplicem Episcopatum; sic & Menevensis Ecclesia ad suum initium, i. e. Sedem Metropolitanam, Deo dante diebus vestris redire debet.

Quibus auditis, Papa respondit; quoniam adversarius expectandus erat; qui cùm venerit, audientia tibi justitiaque non negabitur. His igitur ita completis, cùm favorabilis esse videretur tam causa Giraldi quàm persona in oculis Domini Papæ Curiæque totius; venienti vesperâ quâdam ad visitandum Papam in camerâ suâ, sicut fieri solet, vocans eum Papa ad latus suum, ait. Procede Menevensis Electe, procede. Et ille hoc audito procidens, statim osculatus est pedem ejus, dicens. Domine vim confirmationis habere debet verbum hoc in ore tuo. Cui Papa quasi subridens. Quoniam, inquit, alii ita te vocant. Papa nimirum neminem ante confirmationem seriò Electum vocat. Cùm autem Giraldus, qui circa Festum Omnium Sanctorum ad Curiam venerat, jam usque ad *Lætare Jerusalem* vel ultra moram in illâ fecisset; parum ante Pascha venit

[b] Ante plures enim annos mota fuerat controversia inter Antistites Turonenses & Dolenses de jure Metropolitico; hoc ipso demum anno ab Innocentio Papâ definita eâ lege, ut Dolensis Ecclesia Turonensi tanquam Metropolitanæ deinceps subjiceretur. Vide Hovedenum, p. 453.

ad

ad Curiam quidam nomine Boniohannes, Lumbardus sc. & Clericus Cantuariensis Archiepiscopi cum exeniis pulchris, ut creditur, ab Archiepiscopo more solito Papæ transmissis. Qui die quodam interrogatus à Papâ in Consistorio, utrum speciale mandatum aliquod haberet contra Archidiaconum Menevensem, qui diutinam jam in curiâ moram fecerat, respondit quòd non: hoc tamen injunxerat ei Dominus suus Papæ dicendum, ut ait, si Archidiaconum illum in Curiâ fortè reperiret; quòd quatuor erant nominati ad Ecclesiam illam, quorum unus erat Archidiaconus iste: sed ipso statim à Rege recusato, Canonici Menevenses Abbatem quendam cum Regis assensu Londoniis elegerunt. Et cùm quæreret Papa, quando hoc factum fuerat. Dixit ille, quòd parum ante Natale. Cui Papa. Tunc autem erat Archidiaconus in Curiâ istâ. Et cùm quæreret Papa, utrùm Dominus suus Electionem illam confirmâsset; ille obmutuit. Et cùm instaret Papa, ut responderet; tandem dixit, quòd non erat ei injunctum ad hoc respondere. Credebat tamen id Domino suo non displicere. Ad quod Papa. Talia sunt, inquit, opera Domini tui; & nos quicquid actum est contra electionem Archidiaconi istius post iter ad nos arreptum & appellationem interpositam in irritum revocamus. Et conversus ad Archidiaconum ibidem astantem, ait illi. Et tu, Archidiacone, parum adhuc & patienter expectes; quod nisi aliud in brevi audierimus, aliud proculdubio facturi sumus. Putabant igitur omnes hæc audientes in proximo futuram Archidiaconi promotionem. Unde & Cardinales ipsi visitati postmodum, ut moris est, ab ipso tanquam ei applaudendo & congratulando dicebant; quòd bene nunc expectaverat & bene jam ei successerat; quoniam in januis erat & quasi præ manibus sub certitudine quadam promotionis ejus imminebat effectus. Interim autem Papa considerans in Giraldo viri personalis idoneitatem, copiosam quoque scientiæ literalis eruditionem, necnon & ex literis Archiepiscopi ipsius sibi directis perpendens ingenuam viri ejusdem generositatem, ad ipsum in Ecclesiâ, ad quam vocatus fuerat, promovendum, & cui tantæ dignitatis honore privato & contra tantos adversarios tamque potentes & tam opimos adeò validus & eximius præsul & rector, pugil & propugnator foret absque dubio pernecessarius, pronus & proclivis extiterat. Unde & habitâ super hoc cum fratribus deliberatione, sic denique provisum & decretum fuit; sicut à Cardinali quodam amico Giraldi sibi secretò revelatum fuit; quòd Papa de mero dono suo & non habito respectu ad electionem factam, cui Archiepiscopus eam accusando se palàm opponebat, Ecclesiam Menevensem, quæ adeò in tam barbarâ & hostili terrâ bono indigebat gubernaculo, Giraldo conferret.

His igitur ita dispositis, dictus Archiepiscopi Clericus tam per verba Papæ & applausum Curiæ, quàm per aliquos quoque Cardinalium Domini sui fautores, demum super hac re præmunitus, ad impediendum, sicut edoctus fuerat, Curiamque cautè & argutè pervertendum, illico se convertit. Injunxerat enim ei Archiepiscopus, utpote vir sæculari providentiâ et astutiâ plenus; quatinus si Giraldum tantum in Curiâ fortè favorem sentiret assecutum, quòd ejus ibidem sperari promotio posset; statim per Cardinales ejus fautores literasque suas ad hoc directas Papæ suggereret; quatinus Nuncium aliquem de Capellanis suis & Clericis Curiæ ad auxilium à Clero patriæ petendum in Angliam destinaret; & ipse negotium tam dare incipiendo & cæteris exemplum dando, quam aliis id etiam persuadendo, cum effectu promoveret; adeo ut grandis pecuniæ summa Papæ per hoc consilium proveniret. Placuit itaque mandatum, placuit & consilium. Unde consequens esse videbatur, quòd non offendendus erat in hoc articulo, non exasperandus ille, per quem potuit tam grande emolumentum Curiæ Romanæ provenire. Mutatum est itaque Curiæ consilium; quia promissum adeò placuit auxilium. Placandus quippe magis videbatur in hoc casu Archiepiscopus ille, quàm per Giraldi seu cujusquam promotionem exacerbandus. Quapropter oblatâ Giraldo Judicibus in Angliâ commissione

ſuper Electionis cauſâ, quendam Curiæ Subdiaconum Philippum nomine in Angliam illico deſtinavit; qui juxta promiſſum & præmiſſum Archiepiſcopi verbum, tam ab ipſo inprimis quam per ipſum quoque ab univerſo Angliæ Clero non mediocrem pecuniæ ſummam corrogavit.

Videns itaque Giraldus vices Curiæ, ut vitia dicamus, et variationes attendens, quod potuit fecit; Commiſſioni ſuper electione ſuâ ſibi oblatæ Commiſſionem quoque ſuper causâ ſtatûs Eccleſiæ ſuæ, propter quam principaliter & præcipuè laborem hunc aſſumpſit, adjungi poſtulavit. Papa verò ſuper hoc habito cum Fratribus conſilio, quòd de tam arduâ causâ ſicut de Archiepiſcopatu & Pallio petendo, cùm privilegia nulla prætenderentur, nec in Regiſtris ſuis quicquam inde reperirent, vel cauſam antea motam audirent, Commiſſionem dari non poſſe reſpondit. Verùm ut Giraldum quaſi poſt offenſam quoquo modo placaret, adminiſtrationem Menevenſis Eccleſiæ tam in Temporalibus quàm Spiritualibus ei, quamdiu Sedes illa vacaverit, liberaliter indulſit. Archidiaconus autem de tali reſponſo non exhilaratus, immo verò valde contriſtatus, conſtanter reſpondit; quòd ſi Commiſſionem de ſtatu Eccleſiæ Menevenſis obtinere non poſſet, de aliâ revera non curaret. Adjecit tamen & ſupplicavit; quatinus regiſtri Eugenii Papæ, coram quo cauſam ſtatûs inter Bernardum Epiſcopum & Theobaldum Archiepiſcopum in Franciâ actitatam audierat, copiam ſibi parumper indulgeret. Quo impetrato, vertens ad geſta Eugenii in Franciâ coram Clerico Camerarii conſidente & totum obſervante, confeſtim invenit, nec mediocriter exultans inſpexit & legit literas iſtas; quas & hîc inſerere dignum duximus. Eas enim Archidiaconus à Camerario licentiâ datâ ſtatim tranſcribi fecit. Erant autem literæ tales, ex Regiſtro Eugenii Papæ Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo directæ.

" Venerabilis Frater noſter Bernardus Epiſcopus Sancti Davidis, ad noſtram
" præſentiam veniens, Eccleſiam Sancti Davidis olim Metropolin fuiſſe vivâ
" voce aſſeruit; & eandem dignitatem ſibi à nobis reſtitui ſuppliciter poſtula-
" vit. Cùm autem cica petitionem iſtam invigilans diu in Curiâ noſtrâ com-
" moratus eſſet; tu, frater Archiepiſcope, tandem eo præſente ex adverſo con-
" ſurgens, in præſentiâ noſtrâ adverſùs eum querelam depoſuiſti, tanquam
" proprio Metropolitano obedientiam ſubtraxiſſet, tibique inobediens & rebel-
" lis exiſteret; cùm à prædeceſſore tuo tanquam à proprio Metropolitano con-
" ſecratus eſſet, & vivâ voce & ſcripto Cantuarienſi Eccleſiæ profeſſionem feciſſet
" & in multis poſtea tanquam alii Suffraganei tibi obediſſet & aſtitiſſet. Ille verò
" conſecrationem negare non potuit; ſed profeſſionem ſe feciſſe & obedientiam
" exhibuiſſe omnino negavit. Quod tu audiens, duos teſtes in medium pro-
" duxiſti teſtimonium perhibentes, quòd ipſe illis videntibus & audientibus
" poſt conſecrationem ſuam & vivâ voce & ſcripto Cantuarienſi Eccleſiæ pro-
" feſſionem feciſſet. Nos igitur auditis utriuſque partis rationibus & diligen-
" ter inquiſitis, & teſtibus tuis ſtudioſè examinatis, communicato fratrum no-
" ſtrorum conſilio juramenta eorum recepimus; & ut ipſe Epiſcopus tibi tan-
" quam proprio Metropolitano obedientiam & reverentiam exhibeat, juſtitiâ
" dictante præcepimus. Verùm quoniam ſingulis Eccleſiis & Eccleſiaſticis
" perſonis ſuam dignitatem & juſtitiam volumus conſervare; Beati Lucæ fe-
" ſtivitate proximi ſequentis anni tibi & ipſi diem præfiximus; ut tunc præ-
" ſentibus partibus de dignitate Eccleſiæ Sancti Davidis & libertate ſuâ rei ve-
" ritatem cognoſcamus; & quod juſtum fuerit auctore Domino exinde ſtatua-
" mus. Datum Meldis III. Kalend. Julii.

His igitur in hunc modum ad vota completis, acceſſit inprimis Archidiaconus ad Hugolinum Cardinalem titulo S. Euſtachii Diaconum, Domini Papæ conſobrinum; qui & poſtea proceſſu temporis Hoſtienſis Epiſcopus factus fuit, & Archidiacono videbatur amicus. Cui cùm ſcriptum illud oſtenderet; congratulans

gratulans ei monuit, quòd eâdem nocte cum scripto eodem ad Papam accederet; seque præsentem ibi tunc fore, eique locum amici tenere velle promisit. Quo facto cùm vesperâ eâdem circa crepusculum ad Papam accessurus Cameram intraret; nomine Archiepiscopi ipsum, eo tamen hoc non intelligente, Papa salutavit, & ad latus suum eum vocavit. Hugolinus autem ex altero Papæ latere sedens ait. Nonne audistis quo nomine vos Papa vocavit? Respondit Giraldus, quòd nomine Archidiaconi, sicut credebat, quemadmodum consueverat. Hoc etenim ipse putabat. Cardinalis autem è contra. Quinimo certè Archiepiscopi nomine vos salutavit. Quod audiens Giraldus ad Papæ pedes mox humiliter se prostravit, & osculum eis dedit; dicens, quòd verbum propheticum per Dei gratiam & suam hoc erat & esse debuerat in ore tanti Pontificis. Porro quærenti Papæ utrùm de statu Ecclesiæ suæ quicquam in Registro Eugenii reperisset; & respondisset quòd sic, sicut & Cardinalis ei ante prædixerat; & cùm transcriptum porrexisset, illud Papa in manus Cardinalis ad legendum dedit. Quo lecto & diligenter audito, respondit Papa, quòd benè placuit ei; & tunc optatam & expetitam Archidiacono super causâ statûs Commissionem concessit, & Hugolino Cardinali faciendam ibidem continenter injunxit; literas sc. easdem super electione simul & statu continentes. Erant autem literæ tales. "Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus Lincolniensi, Dunelmensi & Eliensi Episcopis salutem & "Apostolicam benedictionem. Cùm dilectus filius Giraldus Archidiaconus & "quidam Clerici Menevenses," &c. sicut in *Libro Invectionum* plenè continetur.

His autem tunc ita patratis, Archidiaconus nil credens actum, cum quid superesset agendum, ad Papam iterum veniens, & commodis Ecclesiæ suæ pro viribus invigilans, Literas super Beato Karadoco nobili Heremitâ & Confessore nostro canonizando & Catalogo Sanctorum ascribendo, dum tamen de vitâ ipsius & conversatione primum inquisitio fieret, tales impetravit. "Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Abbatibus Albæ "Domûs, Stratæ Floridæ, & Sancti Dogmaelis, salutem & apostolicam be"nedictionem. Multa jamdudum de honestâ conversatione viri venerabilis "Karadoci, dum vixit, & de Miraculis, quæ post ejus obitum dextera Domi"ni fecit, ad audientiam Sedis Apostolicæ pervenerunt. Unde nuper à nobis "etiam fuit supplicite postulatum; ut quem Deus exaltavit in cœlis, nos cu"raremus glorificare in terris, ipsum Sanctorum catalogo ascribendo. Ve"rùm quoniam in rebus ambiguis non est absolutum judicium proferendum; "& in ipso præsenti articulo, qui plùs pertinet ad divinam inspectionem quàm "humanam, inquisitionem hujusmodi vobis duximus committendam; per "Apostolica scripta mandantes, quatinus qualis fuerit jam dicti viri vita præ"cedens, cujusmodi obitus, & quæ miracula ipsum fuerint subsecuta, dili"gentiùs inquirentes; quæ super his inveneritis, nobis per literas vestras fide"liter intimetis; ut per vos veritate compertâ, quod statuendum fuerat sta"tuatur; attentiùs provisuri, ut ita purè veritatem inquirere studeatis, ne "fraus vel falsitas valeat admisceri. Quòd si omnes his exequendis interesse "nequiveritis; duo vestrûm ea nichilominus exequantur. Datum Laterani "viii. Idus Maii, Pontificatûs nostri anno iii. Literæ tamen istæ per invidiam atque malitiam duorum Abbatum, sc. de Albâ Domo Petri & de Sancto Dogmaele Galteri, in absentiâ Archidiaconi per corruptionem Archiepiscopi ex inopinato ad Cathedram Menevensem anhelantium, & ob hoc Giraldo gloriam hanc invidentium. subpressæ ab ipsis tunc ad effectum non pervenerunt. Qui tamen ambo spe ambitionis conceptâ reque dolosè promissâ defraudati, divinam S. Davidis ultionem non evaserunt; altero sc. vitâ postmodum in brevi, & altero quidem honore privato.

Cæterùm cùm peteret Giraldus literas super administratione Menevensis Ecclesiæ, sibi oblatâ sed imprimis ab ipso recusatâ; respondit Papa, quòd Noluisti, quando potuisti; nec cùm volueris, illud habebis. Ad quod Giraldus. Immo Domine, quòd si pater filio panem obtulerit, & ille semel insolenter & fatuè oblatum recusaverit; nunquid ob hoc perpetuò est panis ei negandus? Et statim hoc dicto; quòd sicut verbum exasperans iram excitat, sic verbum lene furorem mitigat & indignationem eliminat; mox Papa quæsivit, utrùm Decanum haberet Menevensis Ecclesia. Et cùm responderet Giraldus, quòd personas non habebat Ecclesia illa præter Archidiaconos iv. injunxit Papa Notario qui præsens aderat, super administratione sibi concessâ literas fieri. Erant autem tales. "Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis "filiis Officialibus & universo Clero ac populo Diocesis Menevensis, salu-"tem, &c." Ad hæc etiam literas impetravit varias commendationis Menevensis Ecclesiæ & ad promovendum commonitionis; primò Principibus Walliæ Lewelino sc. & aliis, secundò Abbatibus Walliæ, tertiò verò Clero & populo Walliæ directas. Quæ quidem omnes in Libello *de Invectionibus* per ordinem continentur. Similes quoque magnis & nobilibus viris Hiberniæ, Meillerio tunc Justiciario & aliis de genere suo, per Giraldi diligentiam directæ fuerunt. Ex quibus revera duorum utrumque constare potuit; & quàm vigilans in commodis & profectibus Ecclesiæ suæ Giraldus extiterit, & quanto quoque tunc Papa studio proposuerit Menevensem Ecclesiam promovere.

Porro quoniam ad multorum fortè manus Libellus iste deveniet, ad quos non ille; Literas Principibus directas, ex quibus formam & tenorem aliæ susceperunt, hìc apponere præter rem non putavimus. Erant autem tales. "Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, nobilibus viris, "Lewelino & aliis Principibus Walliæ salutem & apostolicam benedictionem. "Accedentes ad præsentiam nostram dilectum filium Archidiaconum & quos-"dam Clericos Menevenses super negotio Menevensis Ecclesiæ, quam nobis "per literas vestras commendâstis, & consideratione ipsorum & precum ve-"strarum obtentu benignè recepimus; & quantum cum Deo potuimus, justis "desideriis vestris studuimus favorem Apostolicum impertiri: Cùm vos tan-"quam devotos Ecclesiæ filios sincerâ diligamus in Domino caritate. Ut au-"tem in diebus vestris spiritualiter & temporaliter proficere valeat jam dicta "Ecclesia Menevensis, quam & nos versâ vice devotioni vestræ duximus com-"mendandam; Nobilitatem vestram rogamus attentiùs & monemus, per "Apostolica scripta mandantes; quatinus ad utilitatem ipsius filialem respe-"ctum habentes, ita ejus necessitatibus subvenire curetis, ipsiusque com-"modis & profectibus imminere; ut quam diligere verbis asseritis, vos "amare per exhibitionem etiam operum demonstretis: pro certo scituri, "quòd obsequia Ecclesiis & earum ministris impensa & Altissimus accepta-"bit, cujus hæc intuitu conferuntur, & facientibus ad æternum præmium "proficient obtinendum. Datum Laterani, iii. Nonas Maii, Pontificatûs "nostri anno iii." Item & Literas Papæ perquisivit ad Anglorum Regem tam commendationis quàm excusationis. Item & Literas Cantuariensi Archiepiscopo tam commendationis quàm ad pacem quoque commonitionis: quæ similiter omnes in Libello *Invectionum* continentur.

DISTINCTIO TERTIA.

HIS itaque sub hoc tenore completis, demum Giraldus post longos labores ad Ecclesiam suam reversus, invenit eam Archiepiscopi machinatione per duorum Abbatum de Kenmeis sc. & de Albâ Landâ factam interim Electionem, unius apertam, alteriusque clandestinam ex toto ferè corruptam [a]. Ostensis igitur in Capitulo literis Commissionis tam super Electione quàm Statu, necnon & literis Eugenii Papæ in Registro ipsius inventis super causâ Status Theobaldo Archiepiscopo motâ, similiter & literis super inquisitione de S. Karadoco faciendâ, negotioque suo tam laborioso summatim exposito, quanquam fictis & falsis Fratribus ob Archiepiscopi corruptionem & frivolam promissionem neque profectui tanto congaudentibus neque labori compatientibus. Nichilominus tamen Ecclesiæ suæ commodis invigilans, diligenter inquisivit, utrùm à tempore Bernardi Episcopi aliqua relicta fuerint super statu Menevensis Ecclesiæ literarum monumenta. Et tandem Literas easdem super statu bullatas bullâ Eugenii Papæ, variato tamen principio, quia Clero & populo Menevensi directas; necnon & alias bullâ Lucii II. signatas & Bernardo Episcopo transmissas; ambas autem ferè obsoletas & obesas diuque deperditas, per curam & investigationem non modicam vix extraxit. Erant autem literæ Lucii tales.

" Lucius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri, Bernardo Epi-
" scopo Sancti Davidis salutem & apostolicam benedictionem. Fraternitatis
" tuæ literas debitâ benignitate suscepimus; & quod de dignitate Ecclesiæ tuæ
" tam in ipsis quàm in aliis, quæ super hoc ad Sedem Apostolicam missæ sunt,
" diligenter attendimus. Verùm quoniam peccatis exigentibus & pravorum
" hominum superabundante malitia ejusdem Ecclesiæ dignitas longo elapso tem-
" pore ab ipsâ alienata & ad alias Ecclesias translata est; certum quid inde sta-
" tuere ad præsens consilium non habemus. Disponimus quidem per Dei gra-
" tiam Legatos nostros pro Ecclesiarum negotiis ad partes illas in proximo di-
" rigere; quibus eandem causam per antiquos homines & autentica Ecclesiæ
" tuæ scripta indicare curabis. Et nos per eos veritate pleniùs cognitâ, quod
" ad honorem Dei statuendum fuerit, maturiori habito consilio statuemus. Da-
" tum Laterani II. Idus Maii.

Ad hæc etiam literas tunc Giraldus varias, in cunctis agendis Ecclesiæ suæ vigil & validus, antiquam dignitatem Metropoliticam redolentes, per incuriam olim & negligentiam ferè deperditas & oblivioni datas, verbi gratiâ, Bernardi Episcopi Papæ Innocentio, item Capituli Menevensis Papæ Eugenio, item Capituli Menevensis Papæ Honorio, Jem Bernardi Episcopi Simoni Archidiacono de Bangor, item Denei & Kadwaladri principum Norwalliæ Bernardo

[a] Post hæc verba in alio Codice MS. Cottoniano *Vitellius*, E. 5. sequuntur ista. " Et " cætera, sicut hac Distinctione tertiâ & in " tribus sequentibus de Giraldi labore non " illaudabili, tam pro Ecclesiæ suæ quàm e- " tiam jure proprio constanter assumpto, lu- " culento tractatu declaratur. Quibus ex " industriâ brevitatis causâ, quæ magnis vi- " ris & multum occupatis ad votum acce- " dere solet, subtractis & non appositis, " septimam & ultimam Distinctunculam hic " apponere nunc sufficiat." Hinc constat duplicem hujus Operis editionem à Giraldo factam esse. Prima, quæ uberior est, jam in lucem prodit. Secunda, quæ brevior est, manuscripta in Bibliothecâ dictâ habetur; quam quidem, missis tribus intermediis Distinctionibus, & Epilogo (quem exinde descriptum subnexui) in reliquis ne verbo à primâ diversam deprehendi. Ratio autem consilii fuit; quòd eadem, quæ in tertiâ, quartâ & quintâ hujus Operis Distinctionibus narravit, in libro tertio *de Rebus à se gestis* uberiùs tractaverat.

Episcopo

Episcopo directas. Quæ quidem omnes tam in libro *Invectionum* quàm in libro quoque *de Gestis Giraldi* continentur.

His itaque sic Meneviæ gestis & congestis, ad judices suos in Angliâ, Walliam post terga relinquens, Giraldus incunctanter accessit. Sed quoniam Rex Angliæ Johannes minis acerrimis in ipsum intonuit; Archiepiscopus literas ei Regis de salvo conductu patentes, sicut promiserat, obtinere vel noluit vel non potuit, sumptâ relatione Judicum iter versùs Curiam, & ad diem Dominicam, sc. qua cantatur *Lætare Jerusalem* partibus præfixum, accelerevit.

Veniens itaque Romam, invenit ibi Clericos ab Archiepiscopo missos contra ipsum duos, unum à latere suo cui nomen Andreas, alterum verò Canonicum Menevensem, sc. Reginaldum Foliotum, inter corruptos corruptissimum, à Petro Episcopo & Monacho in Menevensi Ecclesiâ, carne non spiritu revelante, canonicatum. Huic autem blando & blæso moribus & ætate juvenculo, adeóque prorsus imberbi, ut utrùm mas an fæmina nequiret nullatenus per exteriora perpendi, Cathedram Menevensem, quatenus contra Giraldum Romam eundo tam in causâ status quàm electionis coram Papâ stare curaret, firmâ sponsione promisit. Ad Papam autem inprimis vesperâ quadam Giraldus accedens ostendit ei dictas Literas ambas tam Lucii Papæ quàm Eugenii super causâ status apud Meneviam per suam diligentiam nuper inventas. Quibus inspectis & auditis, bullisque notatis, præcepit ut in crastino convocatis ad hoc Cardinalibus cunctis coram illis in pleno Consistorio & publicâ audientiâ legerentur; quatenus de causâ statûs Menevensis Ecclesiæ pluries olim motâ toti de cætero Curiæ palam fieret; & non novum illud vel inauditum, sicut in primo Giraldi adventu visum fuerat, à modo videri posset. Postmodum autem processerunt in publicum Andreas & Foliotus, literas producentes Archiepiscopi Cantuariensis, quibus factus est Andreas procurator Archiepiscopi in causâ Electionis, Foliotus autem factus Procurator tam Abbatis Sancti Dogmaelis quàm & Capituli Menevensis per literas ipsorum, Capitulo sc. per dictam corruptionem & seductionem jam contra Giraldum prorsus abstracto. Lectis autem Literis illis, cùm quæsitum fuisset, utrùm Andreas vel alius Procurator esset Archiepiscopi in causâ Status; & cùm responderet se super hoc Literas non habere; quòd apud Parmam, ubi spoliatum se fuisse [dicebat] ei ablatæ fuerant. Et cùm quæsitum è contra fuisset, quare magis illæ literæ super Statu quàm literæ super Electione ablatæ fuissent, causam assignare non potuit. Cùm autem quosdam testes Giraldus produxisset, & pars adversa ad testes producendos in patriâ dilationem sibi dari petisset; quid super hoc actum fuerit aut statutum ex literis Domini Papæ Judicibus nostris in Angliam directis, quarum finalem hìc partem in hunc modum apponimus, palam fiet.

"Archidiaconus autem coram Auditoribus sibi datis quosdam testes induxit; "& cùm depositiones eorum posceret publicari; adversarius ejus ad testes producendos in patriâ tam ad fundandam intentionem suam quàm repellendos "testes ex adverso productos dilationem sibi petiit indulgeri. Licèt autem ex "multis præsumptionibus videretur Archidiaconus in quibusdam fuisse gravatus; volentes tamen juris ordinem observare, dilationem duximus concedendam. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus; quatinus tam Archiepiscopo quàm prædicto Abbati S. Dogmaelis, immo etiam "cuilibet, qui super electione prædicto Archidiacono se duxerit opponendum, "ex parte nostrâ per nuncios & literas vestras districtiùs injungatis; ut à Festo "Omnium Sanctorum proximè venturo usque ad annum, quod pro peremptorio assignamus, paratus sufficienter & instructus per se vel per Responsalem idoneum ad Apostolicam Sedem accedere non postponat. Quòd si venire contempserit; nos ex tunc in eodem negotio procedemus. Verùm quoniam Archiepiscopus tam super Electione quàm super quæstione Status ad "nostram

"nostram citatus præsentiam, ad alteram tantùm sufficientem Procuratorem "direxit, cùm idem Archidiaconus utramque causam in personâ propriâ fue- "rit prosecutus; volumus & mandamus, ut Archiepiscopus ei saltem medie- "tatem legitimarum restituat expensarum. Ad quod eum auctoritate nostrâ "suffulti, remoto appellationis & contradictionis obstaculo, compellatis.

His autem in hunc modum exactis, iteratas super administratione Menevensis Ecclesiæ literas perquisivit; & quoniam spoliatus proventibus ejus fuerat, super restitutione sibi faciendâ & administratione de cætero quietè tenendâ Cantuariensi Archiepiscopo literas directas impetravit. Item & literas super eisdem clausas Abbati Sancti Dogmaelis spoliatori suo & tamen consobrino. Item & literas Judicibus patentes super spoliatione factâ & restitutione faciendâ, necnon & super Abbatis spoliatoris illiteraturæ probatione faciendâ. Item & literas protectionis patentes: item & literas clausas super commendatione pariter & protectione Cantuariensi Archiepiscopo directas; quarum principium post salutationem tale. "Quamdiu & quantum dilectus filius Menevensis Archidiaconus super causâ suâ duxerit laborandum, qualiter nec per- "sonæ pepercerit nec expensis, inclementiam temporis, intemperiem aeris & "viarum discrimina non evitans; tua Fraternitas plenè novit, &c." Item & literas Præbendarum & Ecclesiasticorum Beneficiorum vacantium in Menevensi Ecclesiâ Giraldo donationem indulgentes. Item & tam literas Commissionis secundæ super Statu, quàm etiam super Electione; quæ quidem omnes tam in libello *Invectionum*, quàm in *Gestis* quoque *Giraldi* poterunt inveniri.

Cæterùm cùm die quodam coram Auditoribus sibi datis Cardinalibus duobus, sc. Domino Suffredo & Petro Capuano, factum Electionis suæ proponere pars utraque præciperetur; Archidiaconus autem Electionem suam & tempus & horam, quòd in Festo Apostolorum Petri & Pauli quasi quinto post Festum S. Johannis Baptistæ die, cæterasque circumstantias cunctas cum multo audientium favore proposuit: postea surgens Reginaldus Foliot eorum præcepto factum Abbatis Sancti Dogmaelis, cujus se procuratorem gessit, proponere cœpit. Et quoniam oportet mendaces memores esse; oblitus fortè mendacii quo instructus fuerat, tempus Electionis Abbatis parum ante Natale, cùm Archidiaconi ferè per dimidium priùs annum celebrata fuisset, in cursu suæ narrationis expressit. Unde quoniam existentibus duabus Electionibus in Ecclesiâ eâdem, semper in Curiâ Romanâ priore prævalente secunda cassari solet; omnes qui aderant & hæc audierant propter Archidiaconum, cujus tam causam quàm personam sicut cuncti Curiam frequentantes favorabilem habebant, exultare & exclamare cœperunt. Andreas autem anxiè suspirans, & contra cæteros omnes altâ voce proclamans, malè cunctos de tempore intellexisse nec ipsum ita dixisse, cuncta pervertere nitens, contendebat. Post magnas igitur altercationes Cardinalis Suffredus tandem contentioni finem imponens, jussit utrique, ut factum suum juxta seriem tunc factæ narrationis, cujus optimè memor fuerat, verbo ad verbum scriberet. Et ad Foliotum se convertens, ne mutaret in aliquo vel variaret, quòd bene se memorem tam de tempore quàm aliunde fore, nec posse in his decipi dicebat, sub anathematis interminatione præcepit.

Interim autem elapsâ Pentecostes hebdomadâ & sic mense ferè toto post ultimam audientiam excurso, denique partes coram Auditoribus apparuerunt; lectoque primùm facto Archidiaconi & concordi prorsus cum narratione reperto; factum Folioti quasi pro Abbate cunctis advertentibus valde dissonum est inventum. In hoc etenim spatio tanto per exquisitas Advocatorum subtilitates, ne dicamus falsitates, ut primam Electionem facerent novissimam & novissimam primam, duas Abbatis Electiones fuisse confinxerunt, unam ante Electionem Archidiaconi & alteram post. Unde & in hunc modum scriptum Abbatis factum fuit. "Cùm defuncto Petro Menevensi Episcopo Archidiaconi

" coni & Canonici Ecclesiæ cum literis Capituli sui de rato propter Pastorem " eligendum coram Archiepiscopo Cantuariensi circa Festum S. Michaelis con- " stituti fuissent, & IV. personas nominâssent, quòd non constabat eis de Re- " gis assensu qui in transmarinis agebat, in Archiepiscopum tunc ad Regem " transfretare paratum vota eligendi contulerunt; ut quem ipse cum Regis as- " sensu vice Capituli eligeret, illum pro Electo suo & Pastore susciperent. " Unde & processu temporis Archiepiscopus apud Insulam Andeli in crastino " Epiphaniæ proximæ Abbatem Sancti Dogmaelis cum assensu Regis elegit; " & parum ante Natale sequens Capitulum Electionem ab Archiepiscopo fa- " ctam solempnizavit." Cùm autem exclamarent omnes, qui priorem narrationem audierant, manifestam in scripto variationem, id ipsum quoque Dominus Suffredus assereret; tamen adversariis è contra clamantibus & turbas concitantibus, cùm alter Cardinalis Archiepiscopi Cantuariensis fautor extiterat; & propter diutinum temporis spatium videbatur oblivio surrepere potuisse; scriptum susceptum fuit, nullâ falsitatis & inobedientiæ pœnâ secutâ. Ad hoc itaque figmentum per falsos testes comprobandum totam usque in finem intentionem pars adversa direxit. Testes igitur ad fundandam intentionem suam & Electionem comprobandam produxit Archidiaconus Presbyteros tres & Clericos duos. Et cùm multi peregrini de Walliâ per turbas varias tunc fortè Romam confluerent; omnes sponte coram Auditoribus comparentes, testimonium electionis Archidiaconi primè & præcipuè de auditu & famâ patriæ publicâ perhibuerunt; qui non minùs, quàm illi de visu, suscepti, jurati & examinati fuerunt. Multùm enim validæ præsumptiones juvare solent probationes.

Interim autem vicissim & alternatim magnæ contentiones coram eisdem Auditoribus erant inter R. Bangorensem Electum & Andream, qui se ei propter Archiepiscopi favorem pro Roberto Bangorensi Episcopo totis nisibus opponebat. Hic autem Electus Monachus erat Ordinis Cisterciensis & Subprior Monasterii de Aberconeu in Venedociâ, dicens se legitimum Electum de Bangor, & Robertum ab Archiepiscopo superintrusum. Hunc autem & primâ vice qua Romæ fuerat Archidiaconus & hâc secundâ Romæ inventum, tam in odium Archiepiscopi, cujus factum Monachus etiam impugnabat, quàm etiam quoniam ipse Walensis extiterat, & in causâ status & dignitatis Sancti Davidis ei pro posse assisteret, totis juvare viribus intendebat. Cùm itaque Monachus ille supplicâsset Archidiacono; quatinus Andreæ, qui toties in gentem Walensicam publicis conviciis turpiter invehebatur, quandoque responderet; die quodam coram Cardinalibus in magnâ audientiâ quoniam iterare verbum hoc Andreas in cursu sermonis & crebrò repetere consueverat, *Audietis mirabilia:* sic inchoavit, & in laudem Britonum Anglorumque confusionem verbum produxit. " Magister Andreas promisit vobis & quotidie promittit mi- " rabilia. Sed si ordine psallendi & non saliendi incesserit; priùs ad [a] *Defecit* " quàm ad [b] *Mirabilia* perveniet, &c." Verbum autem istud propter hoc magis notatum ab omnibus & quasi propheticum est reputatum; quòd in brevi pòst revera defecit Andreas, & letali morbo correptus apud Signiam expiravit. Qui autem hanc Invectionem & alias anni illius contra Andream scriptas audire gestiverit, libellum *Invectionum* quærat.

[a] Ps. CXVIII. 81.
[b] Ps. CXVIII. 129.

His itaque completis quasi XV. diebus post Pentecosten, super causâ status Menevensis Ecclesiæ Papa sententiam dedit, Archiepiscopum, quoniam indefensus extiterat quoad hanc causam, in expensas Archidiacono condemnando; iterumque diem peremptorium, sc. Festum Omnium Sanctorum anni secundi, coram ipso partibus assignando. Ad instantiam quoque Archidiaconi magnam, ad recipiendum testes senes & valedudinarios super jure Ecclesiæ suæ Metropolitico, ne tractu temporis pro defectu testium jus idem deperire posset, Judices in Angliâ dedit. In favorem tamen Archiepiscopi

Can-

Cantuariensis & hoc adjectum fuit; quòd si totum Capitulum Menevense vel pars major Archidiacono in causâ Statûs astiterit: tunc audietur in causâ Statûs, & non aliter. Sciebat enim pars adversa Capitulum Menevense facilè corruptibile; quinimo contra Archidiaconum non solùm in causâ Electionis verùm etiam in causâ Statûs Ecclesiæ propriæ minis & muneribus corruptum esse.

Elapsis autem post hæc quasi diebus octo, super causâ Electionis Papa in pleno Consistorio sententiavit. Et quoniam pars adversa ad testes suos producendum dilationem petiit; diem eundem, quem & in causâ Stat s, coram ipso partibus dedit. In favorem autem Archidiaconi testes contrarios non nisi in Curiâ Romanâ recipi jussit; sciens quippe Archiepiscopum in Angliâ testium copiam ad quidlibet asserendum habere posse, ex cautelâ & industriâ hoc statuendum esse. Et quoniam ad duas causas vocatus tantùm in unâ defensorem habuit; in medietatem expensarum Archidiaconi Archiepiscopus est condemnatus. In cursu verò sermonis Papa quasi misertus laboris Archidiaconi, hæc verba proposuit. Si ex conscientiâ judicare possemus, & non secundùm allegata; nulla certè daretur dilatio. Et ad Archidiaconum se convertens ait. Et tu, frater, quanquam laboriosum tibi sit & sumptuosum, ad nos terminò statuto revertaris; quòd revera si ad nos redieris, nisi aliud audierimus & longè aliud, non consecrandus sed consecratus abibis.

Post Festum verò S. Johannis Baptistæ & Festum Apostolorum Petri & Pauli, Papa tanquam temporis intemperiem post terga relinquens, apud Signiam in Campaniâ quasi per diætam unam ab Urbe distantem cum Curiâ totâ discessit. Archidiaconus autem propter literas suas Curiam sequens, cùm apud Signiam moram ferè menstruam fecisset; literas demum omnes tam Commissionis sc. quàm etiam alias, Andreâ ibidem in extremis laborante & letaliter ægrotante, suscepit. Reversus igitur in Angliam, solo Bangorensi comitatus Electo & puero quodam extraneo, cunctis ferè sociis & servientibus utriusque defunctis, citationes statim Archiepiscopo fieri, & literas tam protectionis & commendationis quàm etiam restitutionis ablatorum eidem tradi fecit. Et sic in Walliam incunctanter accelerans, & ad Ecclesiam suam in Octavis S. Nicholai veniens, quam antè corruptam invenerat, nunc invenit corruptissimam; adeò sc. quòd nec etiam in causâ statûs & dignitatis Ecclesiæ suæ ei vellent assistere. Osberto Archidiacono Anglico & falso Menevensis Ecclesiæ filio ex parte Regis & Archiepiscopi necnon & Justiciarii corruptoris pariter & cursoris officio fungente, & Folioti vices, qui his assueverat, in hoc assumente; & Abbate de Albâ Landâ, quòd Walensis erat, utrumque per Walliam conducente. Foliotus enim, quoniam anno præterito contra Ecclesiam suam pro Archiepiscopo Romæ steterat, sciens se Walensibus ob hoc exosum, ad discurrendum per Walliam miserumque Menevense Capitulum tam minis deterrendum, ut solet, quàm muneribus præmissis pariter & promissis alliciendum, Osbertum similiter corruptum & perniciosum Ecclesiæ suæ filium sibi Vicarium fieri procuravit.

Post hæc autem qualiter Giraldus in Venedociam & Powisiam transiens, à Principibus partium illarum cum honore maximo susceptus fuit; & de auxilio sibi liberaliter & largè promisso, liber *de Gestis Giraldi* manifestè declarat. Reversus igitur inde Giraldus & versùs Ecclesiam suam incunctanter accelerans, ad diem Canonicis Menevensibus, in Octavis sc. S. Hilarii, præfixum illuc advenit. Ubi collectis Canonicis & Clericis Ecclesiæ, convenit eos super verbo promissionis suæ, quam ei ab initio fecerant, monitis ipsorum & supplicationibus multis Romam ad hoc ituro; rogans diligenter & monens, quatinus ad diem in crastino Conversionis S. Pauli sibi à Judicibus datum apud Wigorniam se cum ipso venire præpararent, & saltem in causâ statûs & dignitatis Ecclesiæ suæ sibi fideliter assisterent. Sumptus etiam de proprio venturis

obtulit & expensas. Principes quoque Sudwalliæ Mailgo & Resus filius Resi nunciis suis qui præsentes erant & literis, quatinus cum Archidiacono Giraldo firmiter starent pro dignitate Sancti David, commonuerunt. Alioquin ipsos cunctosque probos terrarum suarum viros capitales in perpetuum hostes haberent. Lewelinus quoque Norwalliæ Princeps ad idem ipsos per nuncium suum, virum eloquentem, Laurentium Priorem de Insulâ Sanctorum, ad hoc destinatum invitavit, literis etiam suis patentibus id ipsum monendo; si quis Canonicorum aut Clericorum Ecclesiæ quicquam ob hoc per Anglicos amiserit, in duplum ei se redditurum de suo; & expulsos ob hoc exilioque datos cum honore in terrâ suâ recepturum, & abundanter exhibiturum, certâ sponsione concessit.

Porrò Archiepiscopus è contra literas Regis & Justiciarii terribiles crebrò mitti Capitulo procuraverat. Ad hæc etiam annulos Londonienses aureos vel potiùs deauratos, zonas auro atque ebore distinctas, atque murænulas aureas vermiculatas argento, variaque munuscula hujusmodi, quibus abundat urbs illa deliciosa, per dictum Osbertum intra Capitulum sparsit. Quibus sic præmissis & longè amplioribus compromissis, quin & reditibus etiam quibusdam eorum amplè collatis, omnes ferè majores in priori, quam ipse fecerat, corruptione solidavit. Adeò quidem ut blanditiis ac beneficiis sic deliniti, nec Deum respicientes, nec dedecus & infamiam formidantes, Archidiacono responderunt; quòd propter metum Regis & Justiciarii inhibentium ipsis ut in causâ Statûs, quam contra Regis coronam esse dicebant, ei nullatenus assisterent, timentes tam suam quàm Ecclesiæ suæ destructionem, cum ipso in hac causâ stare non ausi erant. Sciens autem Archidiaconus ipsos corruptionem anno præterito factam & nunc renovatam ac confirmatam sub metûs obtentu colorare, consilium eis quanquam incassum tale dedit; ut Ecclesiæ suæ fidelitatem debitam saltem in causâ statûs cum ipso stando conservarent; donec ipsum, qui caput erat controversiæ, & quem primitus atque propensiùs adversarii cuncti damnis & injuriis afficere vellent, reditibus suis in Angliâ vel Walliâ privatum viderent; & tunc se tempestivè satis & cum minori dedecore retrahere possent. Multis quidem & multifariis eis in hunc modum suasit verbis, nec persuasit. Caput enim corruptionis hujus & corruptorum omnium post Archiepiscopum Abbas Albæ Domûs existens, totam Menevensem Ecclesiam pervertebat; cujus quippe Canonici Walenses ferè cuncti vel affines vel cognati, instinctu ipsius, & ut promotionem ejus cum aliis sic procurarent, ei carnaliter adhæserunt; & ob hoc non solùm contra electionem Archidiaconi, verùm etiam contra dignitatem Ecclesiæ suæ stare, tanquam filii spurii & ingrati tam exhæredatione quàm etiam extirpatione dignissimi, non erubuerunt. Abbas enim ille, qui anno præterito occultè nocuit, nunc se cum aliis evidenter opposuit. Abbate namque Sancti Dogmaelis quasi loco nichili finem expectante & tantùm nominis umbram præferente, Abbas Albæ Domûs, albior exteriùs quàm interiùs, habitu quàm actu, nomine quàm omine, Capitulo Sancti Davidis malitiæ suæ virus infundens, & totius corruptionis glutinum atque ligamen existens, tam Capitulum inficiendo, quàm nuncios Archiepiscopi per Walliam antè retroque conducendo, & quod deterius omnium erat, infirma Ecclesiæ Menevensis atque secreta necnon & Baronum patriæ, qui Ecclesiam eandem diligebant, & ob hoc Archidiacono favebant, tam Archiepiscopo quàm Regi & Justiciario revelando, efficacem ad nocendum pestem tanquam domesticus hostis & familiaris se multipliciter exhibuit.

Archidiaconus autem nec sumptui parcens nec labori, per hispidas de Stratewi terras versùs Angliam iter agendo in montanis de Cantebrochan nuncium sibi à Decano suo de Brechen missum obviàm habuit; per quem ei nunciatum est terras omnes de Brechene tam apud Landu quàm alias ad Episcopatum pertinentes, quas ipse ratione custodiæ in manu suâ tenebat, præcepto Justiciarii

in

in manu Regis per ministeriales Willelmi de Breusa resumptas esse. Apud Luel quoque nuncium alium sibi cum festinatione missum suscepit; per quem intimatum est ei non solùm terras Episcopales verùm & proprias omnes simu cum reditibus in proximo per Justiciarium auferendas: consiliumque fidelium suorum & amicorum omnium partium illarum esse, quòd etiam ad tempus in propriâ personâ declinaret, & furorem persequentium dum in cursu fuerat & tam recens evitaret. Corpori namque suo totique sequelæ, si teneri possent, Curiales & Regis Officiales captiones & carceres minabantur. Procedens autem Archidiaconus, nec his perterritus, nec ab itinere retardatus, quasi per milliare de Landu inter Abereschin & Trallan Decanum suum, cui nomen Ricardus, quique rerum suarum in partibus illis procurator extiterat, pallidum & tremebundum obvium habuit; qui statim ei, quæ literis & nunciis significaverat, verbis & vivâ voce repetendo, singula quoque si terribiliùs poterat inculcando, quatenus ad præsens declinaret nec se minùs circumspectè tam imminentibus periculis offerre præsumeret, modis omnibus suasit; sed persuadere non potuit. Archidiaconus enim ad hæc, ut erat vir firmus nec formidolosus, tanquam in verba jocosa conversus, ait. Nonne domi cerevisiam bonam habemus? Eamus ergo & bibamus eam, priusquam omnino fuerimus destituti. Veniens igitur ad domum suam, nichil ibi turbatum circa res suas domesticas & familiares invenit; nec quicquam præter minas terribiles per Reginaldum Foliot & complices suos, quos paucos habebat eosque viles & abjectos, in finibus illis per patriam totam ad deterrendum Archidiaconum, quò minùs accederet, disseminatos.

Causa tamen tantæ commotionis hujus & insultationis adversariorum hæc fuit. Justiciarius enim Angliæ parum post Natale apud Slopesberiam cum Baronibus partium illarum existens, magnam ibidem audivit querimoniam ab Episcopo Bangorensi Roberto de G. Archidiacono, cum omnibus quos secum ad hoc inducere potuit. Ait enim ipsum adversarii sui, qui se gerebat electum per Walenses citra Regis assensum, fautorem existere; eumque nuper in Episcopatûs custodiâ, quâ destitutus fuerat, restituisse: asserens etiam in publicâ audientiâ, quòd non solùm in hoc sed in omnibus quoque, quæ Regis honorem contingebant, se semper opponebat. Adjiciens etiam, quòd ad hoc in Norwalliam nunc advenit, ut Lewelinum & Powisiæ Principes cum Sudwalliæ Principibus confæderaret, totamque simul Walliam contra Regem excitaret. Talibus itaque verbis Episcopi, quæ quòd vera non erant, pro sacrilegis habenda fuerant, commotus Justiciarius de terris Episcopalibus apud Brechene Archidiaconum destitui fecit; & transiens per Oxoniam, literas tales Archidiacono terræ istius misit.

"G. filius Petri, Comes Essexiæ, carissimo amico suo Archidiacono Oxoniæ "salutem. Sciatis quòd G. Archidiaconus de Brechene inimicus est Domini "Regis: & ideo vobis mandamus, quatinus capiatis in manus vestras omnes "reditus suos quos habet in Archidiaconatu vestro, teste meipso apud Glover-"niam xx. die Januarii." Ad Abbatis etiam Albæ Domûs suggestionem, qui Justiciario cum aliis apud Slopesberiam occurrerat, ut Abbatiarum Ordinis Cisterciensis per commoditates, ad quas graviùs urgente persecutione præcipuum consueverat habere refugium & auxilium, Archidiacono auferre posset; eidem Abbati literas tales misit. "G. Filius Petri, Comes Essexiæ, Abbati "de Albâ Landâ salutem. Significatum est nobis, quòd vos & domus vestræ "& Abbatiæ vobis subjectæ in Walliâ, G. Archidiaconum, inimicum Domi-"ni Regis & hostem, & contra coronæ dignitatem manifestè nitentem, & exci-"tantem Walenses contra fidelitatem Domini Regis conjurare, vestris consi-"liis & auxiliis manu teneatis. Unde vobis ex parte Domini Regis præcipi-"mus; quatinus nullum cum eo habeatis consilium vel assensum, sed eum te-"neatis pro inimico Domini Regis & coronæ impugnatore; sicut vestris vul-

"tis prospicere possessionibus & fidelitatem Domino Regi conservare. Alio-
"quin & domus vestras & catalla omni occupanti exponemus; & Angliæ vo-
"bis universis commeatum interdicemus. Teste meipso apud Slopesbe-
"riam, &c.

Abbas etiam idem ambitione cæcus & excæcatus, quoniam receptionem penitus Archidiacono interdicere non potuit, per Abbatias domui suæ subjectas, præsertim etiam apud Stratam Floridam, ubi thesaurum librorum suorum congesserat, & ubi urgente fortiùs persecutionis articulo frequentiùs se contulerat, statuendo præcepit; quatinus honor ei cùm adventaret vel Archidiaconi vel Electi non exhiberetur; sed tantùm in Aulâ publicâ inter hospites communes & strepitum popularem locaretur. Statuit etiam, quod inhumanius erat, ut Archidiaconum nec Monachus nec Frater nec etiam garcio domûs de loco ad locum quoquam deduceret, nec per ignota & avia desertaque & invia, quod etiam majoribus extraneis mansuetudo negare non solet, viam ostenderet. Porrò Archidiaconus paulò pòst Abbati eidem vicem reddens & talionem, quinimo Deus injurias Sancti sui, cujus Ecclesiam ejusque propugnatorem tantis nisibus impugnabat, vindicans etiam in terris, per operam illius, quem opprimere quærebat, opprimi potiùs ipse & cum dedecore deponi ac potestate, quâ tam temerè præsumpsit abuti, justo judicio privari fecit: sicut in sequentibus palam erit.

Ut autem ad rem revertamur, peractis his quæ apud Brechene videbantur agenda, progressus in Angliam Archidiaconus & Herefordiam veniens; adeò cursor ille & præcursor Reginaldus Foliot urbem illam in adventu ipsius deterruerat; asserens ipsum tanquam hostem Regis & regni statim à Castellanis per literas Justiciarii, quas inde susceperat, capiendum & in carcerem trudendum; ut vix aliquis Canonicorum vel amicorum suorum ob metum publicæ potestatis cum ipso loqui, vix aliquis civium ipsum hospitio suscipere ausus esset. Post tantas autem declamationes & terrores garcio missus à Folioto tanquam à Justiciario, literas ei tales manè porrexit. "G. filius Petri, Co-
"mes Essexiæ, G. Archidiacono de Brechene quondam sibi dilecto salutem.
"Miramur plurimùm, quòd tu tam temerariè propriâ auctoritate contra coro-
"nam & dignitatem Domini Regis præsumpsisti te intrudere in terras & res
"pertinentes ad Episcopatum Menevensem. Unde tibi consulimus & distri-
"ctè præcipimus; quod sicut teipsum diligis & omnia tua, ab hac presumpti-
"one te retrahas, & de aliquibus ad prædictum Episcopatum pertinentibus te
"nullatenus de cætero intromittas. Alioquin scias, quòd sæviùs in te animad-
"vertemus; & omnia tua, quæ in potestate Domini Regis inventa fuerint,
"saisiemus in manu Domini Regis; & corpus tuum, ubicunque inventum
"fuerit, in potestate Domini Regis capi & salvò custodiri facietis. Teste
"meipso, &c." Archidiaconus autem nichilominus iter arripiens, ad diem à Judicibus datum apud Wigorniam in crastino Conversionis S. Pauli tempestivè satis advenit. Sed nec principalem Judicem suum Eliensem Episcopum, qui cum Archiepiscopo ad Regem transfretaverat, nec substitutum ab ipso Archidiaconum Gloverniæ ibi invenit. Sed tantùm Prior S. Mariæ tam à Decano Londoniensi quàm ab Archidiacono de Bokingeam ad diem istum per literas ipsorum subrogatus, solus in Camerâ quadam loco Judicis immo Judicum sedit. Advenit autem Prior S. Trinitatis Cantuariæ cum Monachorum turbâ. Occurrerat Archidiacono etiam ibidem Magister Simon de Sutwella, principalis tunc Archiepiscopi Clericus & generalis ejusdem Officialis in Angliâ relictus, cum Clericorum catervâ, magis autem ad ostensionem & pompositatem; ut ostenderetur Ecclesia Cantuariensis, licèt absente Archiepiscopo, non absque defensoribus esse, ad primum absque necessitate diem in tantâ multitudine concurrerunt.

Facto itaque consessu, primus omnium Prior Cantuariæ Archidiaconum in publicâ

publicâ audientiâ convenit in hunc modum. "Mirum, inquit, quòd vir "discretus & eruditus tanquam ad puteum exhauriendum, qui fundo caret, "accedere parat; & causam, cujus optatum attingere finem penitus est im-"possibile, temerariorum hominum impetu potiùs quàm consilio suscitare "contendit. Nam etsi Archiepiscopum Cantuariensem, qui tantæ opulen-"tiæ est & potentiæ, superare posses; cum Conventu S. Trinitatis tibi de novo "restaret congressio; qui certè terras & thesauros Ecclesiæ totos priùs expo-"neret, quàm detrimentum ejusdem in hac causâ sustineret. Sed esto, quòd "utrumque viceris; tertius adhuc cum Suffraganeis Cantuariensis Ecclesiæ "cunctis tibi restaret conflictus. Ad hæc etiam licèt de tribus istis victoriosè "triumphaveris; cum ipso Anglorum Rege, cujus coronam impugnas, quar-"tus tibi longè impar & importabilis supererit congressus." Paucis autem sic Archidiaconus ad hæc respondit. "Omnibus his me penitus imparem nec "in aliquo comparabilem esse fateor; quoniam, ut verbis poeticis utar: *Non* "*me nominibus furiosus comparo tantis.* Nisi tamen dignitatis Ecclesiæ nostræ "in hoc articulo jus pro posse prosequerer; ingratum me filium ejusdem infi-"delem & illegitimum certissimis indiciis comprobarem. Sed qui nisus suos & "vires omnes ad quod de jure tenetur apponit, quicunque fuerit secutus effe-"ctus, argui non debet aut reprehendi; juxta illud Poetæ, *Careat successibus* "*opto, Quisquis ab eventu facta notanda putat.* Et illud ejusdem: *Si desint vires,* "*tamen est laudanda voluntas. Hac quoque contentos auguror esse Deos.* Item & "illud Senecæ. *In arduis aggressibus etsi non sequatur effectus, laudabilis tamen* "*est ipse conatus.* Post bellum diutinum & duodenne discrimen tandem fatis "urgentibus aut sinistris eventibus Trojæ nobilis secuta ruina est; & tamen "Hector, quoniam in ejus defensione dum stetit propugnator erat egregius, "perpetuam nec immeritò laudem obtinuit. Unde Poeta. *Hectora quis* "*nosset; fælix si Troja fuisset? Ardua per præceps gloria stravit iter.* Itaque qui "cum debili dimicat hoste, si victus fuerit, confusio grandis; si victor extite-"rit, gloria brevis. Et è diverso qui bello forti in justâ causâ congreditur, "dum bene pugnârit & ex contingentibus nil omiserit, fortuna belli & alea fati "quocunque se verterit, debitâ non debet laude privari. Contra fortes igitur "adversarios pro Ecclesiâ nostrâ fortiter pro posse dimicando; etsi victoriam "assequi non potero, tamen ignaviam effugere volo. Regiam verò coronam "non impugnare sed potiùs augmentare, tertiam in Regno Metropolin refor-"mando, magnis nisibus elaboro.

Cæterùm quoniam nullus principalium Judicum affuerat, & primus inter alios Eliensis Episcopus in transmarinis agebat; ampliùs ad hunc diem processum non fuit. Prior autem S. Trinitatis secretiùs Archidiaconum conveniendo, ut causæ Statûs renunciaret, & cum Archiepiscopo Ecclesiâque Cantuariensi se concordaret, multis suasit, nec persuasit. Procedens igitur inde versùs Oxoniam Archidiaconus quendam ibi puerum suum, quem ad Justiciarium cum literis suis miserat, literas ejusdem tales ei deferentem obvi-"um habuit. "G. filius Petri Comes Essexiæ, G. Archidiacono de Brechene "salutem. Mandamus vobis, quòd aliter quàm incæpistis, vos habeatis erga "Dominum Regem; & quod Sinodum nec Capitulum aliquod teneatis in "terrâ Domini Regis, nisi in Archidiaconatu vestro; sicut omnia tua diligis "& etiam corpus tuum. Si verò venire volueritis nobiscum locuturi; securè "veniatis. Teste &c." Literarum autem, quas Archidiaconus ei præmiserat, tenor hujusmodi fuit. "Nobili & magnifico viro G. filio Petri, Comiti Es-"sexiæ, totius Angliæ Justiciario, G. Archidiaconus de Brechene tam corpo-"ris quàm animæ salutem. Miror valde virum discretum & sapientem, prin-"cipalem Regis Consiliarium & regni Justiciarium, verbis inimicorum in ab-"sentiâ partis adversæ tam facilè fidem adhibuisse, & in iram aut indignatio-"nem motum fuisse. Non enim ex unius partis assertione alterâ parte absente

"ju-

" judicium ut nostis fieri solet. Non igitur tam Silvester sum, sicut adversa-
" rii mentiuntur; quin & campester existere loco ac tempore sciam. Unde de
" Walliâ in Angliam ad vos Deo dante in brevi veniam; ea vobis, quæ de me
" falsis suggestionibus cantata sunt, veris per Dei gratiam assertionibus discan-
" tare paratus; & Episcopi verba non omnia fore semper Evangelica, sed ubi
" veritati contraria fuerint potiùs sacrilega, vobis ostensurus. Utinam diu &
" bene valere possitis.

Justiciarium itaque sequendo Londoniam venit; sed ulteriùs in Cantiam progressum apud Cantuariam die Purificationis invenit. Contigerat autem Nuncium quendam Lewelini Principis circa dies eosdem ad Curiam venisse. Qui requisitus à Justiciario, quid actum in Walliâ fuerit à Giraldo, totum eidem in veritate replicavit; asserens eum Principem ipsum & proceres suos ad obsequium Domini Regis & fidelitatem plurimùm allexisse. Per quod Justiciarius ab irâ, quam Slopesburiæ conceperat, placatus est multùm & mitigatus. In crastino verò summo diluculo simul cum Justiciario Missam audivit in Ecclesiâ S. Trinitatis; ipsâque completâ, vocatus à Justiciario multis ibidem de statu Walliæ verbis secretiùs est conventus. Cui cùm ad singula respondisset; subjecit virum tantum & tam discretum adeò adversariorum suorum ad verba moveri minimè debere, nec eorundem instinctu Sinodos ipsius & Capitula, quod nichil ad laicam pertinet potestatem, prohibere. Addens etiam & firmiter asseverans; quòd licèt ad tempus de Temporalium custodiâ sibi sublatâ cum patientiâ sustineat; ad Spiritualia contra custodiam sibi commissam quicunque manum extenderit, se noverit proculdubio vinculo anathematis innodandum; nec personæ cujusquam præter Domini Regis & Capitalis Justiciarii sui deferendum. Ad quæ cùm responderet Justiciarius, ut erat vir mitis & mansuetus, se nullum præceptum circiter hoc fecisse nisi per mandatum Domini Regis & literas ejusdem transmarinas ei transmissas. Et Archidiaconus. " Nec mirum, inquit, cùm Ar-
" chiepiscopus ibi sit, qui regio sigillo præest, si literas tales vobis mitti faciat,
" taliaque per vos contra Dominum Papam omnemque justiciam fieri persuade-
" at, quæ per se vel suos ausus nullatenus esset attemptare. Mirum etiam, quòd
" Dominus Rex contra honorem proprium, de tertio sc. Archiepiscopatu in regno
" suo reformando, ei ad nutum in omnibus sic assentit." Ad quæ Justiciarius paucis ita respondens ait. Credo quòd plus timor in his quàm amor operatur. Hoc autem ideo dixit, quòd Rex propter werram, quam cum Rege Franciæ tunc temporis grandem habebat, nec Archiepiscopum nec quenquam Magnatum suorum ausus offendere fuit. Mirum etiam, quòd quoties contra Archiepiscopum Rex commotus, vel etiam in pace ac prosperitate constitutus, profectum Menevensis Ecclèsiæ simul cum Archidiacono procurare studebat; statim vel per concordiam cum Huberto, vel per discordiam cum Philippo, subitò fuerat impeditus.

Considentibus autem adhuc & conferentibus coram altari quodam à latere dextro Justiciario & Archidiacono, ecce Monachi ejusdem Ecclesiæ ad Giraldum intuendum & quibusdam ab aliis ostendendum per turbas astiterunt. Quod considerans Justiciarius Archidiacono, qui cum ipso loqui potiùs intendebat, illud ostendit, dicens. Nonne videtis, qualiter hi Monachi catervatim huc concurrunt, & vos quasi monstrum aliquod cum admiratione conspiciunt? Credo vexationem, quam facitis Archiepiscopo, non multùm eis displicere. Sciebat enim non veram neque firmam inter Monachos & Archiepiscopum consistere dilectionem. Quoniam itaque pulchrum monstrari digito & dicier, hic est: ad eos, qui laborem ipsius plangere solebant, & quòd causam tam difficilem & desperabilem contra tantos adversarios assumpserat, quasi patiendo dolere, sic Archidiaconns respondere consueverat. " Duabus alis
" in hoc agone sustentor & sublevor; quæ mihi laborem hunc alleviant & de-
" lectabilem reddunt. Ala dextra est intentio pura & conscientia sana; qui-
" bus

"bus propter honorem Sancti Davidis & Ecclesiæ nostræ dignitatem pium "& meritorium absque dubio laborem assumpsi. Ala verò sinistra est laus "& gloria; quam etiam in terris propter hunc tam nobilem ausum & tam "strenuæ mentis aggressum me certum est & impræsentiarum & cuncta "per sæcula consecuturum." Ad hæc etiam cùm die quodam festo Lewelinus Venedociæ Princeps, convocatis terræ suæ Magnatibus, Curiam teneret magnam; processit in fine prandii coram omnibus vir quidam linguæ dicacis, cujusmodi linguâ Britannicâ sicut & Latinâ Bardi dicuntur. Unde Lucanus. *Plurima concreti fuderunt carmina Bardi.* Et cùm sibi tam voce quàm manu silentium indiceret; talem proposuit quæstionem. Quæro, inquit, utrùm potius & honestius Electo Menevensi foret (sic enim Archidiaconus tunc ab omnibus vocabatur; ipse tamen Archidiaconum & non Electum se vocabat) an causam super dignitate Sancti Davidis tanto tempore sopitam non suscitâsse, si non datum ei fuerit optatum eandem ad finem perducere; an sic eam inchoâsse & effectu mancipare non posse? Cùm autem morâ non modicâ taciturnitas omnium cum murmure quodam subsecuta fuisset; primus omnium Princeps ipse tale tandem responsum dedit. "Quid, inquit, super hoc mihi videtur, "absque præjudicio vobis edisseram. Dico longè melius & laudabilius Electo "fore jura S. Davidis, ne nimio silentio deperirent, contra tantos adversarios "& Angliam totam vendicâsse, quamvis tamen evincere non possit. Quòd, "quamdiu Wallia stabit, nobile factum hujus & per historias scriptas & per "ora canentium dignis per tempora cuncta laudibus atque præconiis efferre-"tur. Qui enim quicquid potest facit; & nihil probitatis aut vivacitatis omit-"tit; fortè etsi contra votum evenerit, laudem nihilominus dignam prome-"ruit. Non enim vel lusor in aleis bonus vel miles in bellis strenuus semper "quod volet obtinebit. Item & quòd jus Menevensis Ecclesiæ per ejus labores "longè clarius & evidentius, quod antea obscurum fuerat, omni tempore fiet." Favor autem omnium & plausus dictum Principis est subsecutus. Item cùm die quodam circa tempus idem Powisiæ Princeps atque Reveiliauc Wenonwen proceres terræ suæ virosque majores in consessu quodam & consilio secum haberet; & de labore Giraldi mentio fieret; sicut per Walliam & Angliam confabulandi materiam multis tunc temporis dabat; ait ipse. "Magnas multoties "werras Angliæ Wallia nostra movere solet. Sed nunquam tam grandem "tamque gravem movit ei, sicut his nostris diebus per Electum Menevensem; "qui Regem & Archiepiscopum totumque simul Angliæ clerum & populum "propter honorem Walliæ tantis, tam diuturnis & continuis infestare nisibus & "molestare non desistit. Nostræ nimirum werræ, si per æstatem durant, ad "pacem hiemali tempore revertuntur; nec nisi per annum ad plus vel etiam "dimidium durare solent. Hujus autem werra per quinquennium & amplius "incessanter jam duravit.

DISTINCTIO QUARTA.

REvertens igitur Archidiaconus, & tam Angliam primò quàm postea Walliam penetrans, contra Festum S. Davidis, quod primo die Marcii & circiter Jejunii caput celebrari solet, Meneviam accessit; ipsoque die solemni verbum exhortationis ad populum faciens, ab hoc Isayæ verbo, [a] *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi verò spreverunt me:* thema suscepit, & verbum de populo Israelitico dictum, quem Deus enutriens multiplicavit in Ægypto, & per desertum educens, & mare rubrum siccis vestigiis transire faciens, in manu forti

[a] Isa. I. 2.

forti transtulit in regna gentium & exaltavit: Ipsi verò spreverunt eum ejusque mandata, tam servos suos interficiendo, Prophetas sc. quàm filium quoque proprium videlicet Christum penitus contempserunt: Clero Menevensi convenienter adaptavit; qui nutritus à patrono suo sc. Sancto David sub alis Ecclesiæ suæ, & sublimatus in Canonicos, Archidiaconos & Abbates, spreverunt ipsum & honorem suum; servos ipsius & filios pristinam ejusdem dignitatem restaurare cupientes & enitentes totis impediendo viribus. Unde tanquam filii ingrati exhæredatione digni fuerant & extirpatione. Eodem autem die statim in fine, priusquam à pulpito descenderet, O. Archidiaconum de Kermerthin & R. Foliotum tanquam sibi rebelles & mandato Domini Papæ inobedientes publicè candelis accensis excommunicavit. Completâ verò diei solemnitate festivi, in crastino collectis coram Archidiacono Clericis & Canonicis Ecclesiæ qui tunc aderant cunctis, sacramenta fidelitatis à singulis tanquam procuratori Menevensis Ecclesiæ à Summo Pontifice constituto suscepit.

His igitur hoc tempore peractis, corrupti ex nostris & complices Archiepiscopi, qui scilicet ex nobis exierunt, sed nobiscum non steterunt, ista videntes & anxiè gementes, dicebant ad invicem. Videte, quòd nichil proficimus, si dimittimus eum sic. Tota jam Ecclesia nostra post ipsum ibit. Et statim communi consilio nuncii duorum Abbatum ad Cathedram aspirantium in Normanniam ad Archiepiscopum Cantuariensem transfretantes, & de magnis, ut mos est, majora loquentes, suggesserunt ei totum ferè Menevensis Ecclesiæ Capitulum totumque Clerum Archidiacono Giraldo præcisè fidelitatem jurâsse; & quòd ei in utrâque causâ, tam Statûs sc. quàm Electionis, inseparabiliter assisterent, præstito super Reliquias Ecclesiæ preciosiores corporaliter sacramento firmâsse. Ad quæ motus non mediocriter Archiepiscopus, & ultra quàm credi possit animo consternatus & perturbatus, Literas Regis, cujus sigillo præerat, terribiles tam Archidiacono quàm Capitulo & Baillivo de Pembroch clausas, universis autem aliis ad quos literæ pervenerint patentes, ad metum majorem mitti procuravit. Qui autem literas has tam undique terribiles videre voluerit, *de Gestis Giraldi* librum requirat.

Præterea ut nullâ ex parte vexatio Giraldo deesset; citatus est interim per Judices à Domino Papâ delegatos, Abbatem sc. de Wigemora, & J. Priorem de Weneloc, & Magistrum A. de Bromfeld; quatinus ad diem certum sibi præfixum veniat responsurus Abbati de Kenmeis & O. Archidiacono de Kermerthin & R. Folioto. Istud autem rescriptum Archiepiscopi fuit machinatione quæsitum; quatinus Archidiaconus sic undique vexatus, minùs ad principalem causam intendere posset. Archidiaconus autem nil inde permotus, ad secundum edictum & peremptorium primum, ubi & inserta fuit editio, grandem pecuniæ summam singulorum trium illorum petitione complectens, Clericos suos & procuratorem misit; qui statim audientes principalem Judicem, sc. Abbatem de Wigemora, vices suas cuidam Canonico suo commisisse per literas, ut moris est, patentes, non retentâ sibi & conjudicibus suis sententiâ diffinitivâ, ad Curiam Romanam appellaverunt. Porrò cùm Judices hoc audito subsistere vellent, & appellationi legitimè interpositæ deferre, sicut & de jure deberent; Prior de Weneloc in favorem Archiepiscopi, cujus creatio fuit, & ejusdem instinctu super hoc consulti, nichilominus in causâ procedendo, quoniam amplum & latum est Judicis officium, novas de die in diem citationes artas nimis & crebras ad Archidiaconi gravamen emittere non cessavit. Unde quoniam Archidiacono appellationi innitente & ob hoc ad dies plurimos nec per se nec per alium comparente Judices acriter & accuratè procedentes, in Archidiaconum tanquam contumacem sententiam dare jam paraverant: consultus super hoc Eliensis Episcopus, qui principalis ejusdem in magnis & arduis causis suis Judex extiterat, consuluit ei, quatinus ad singulos dies, quanquam grave fuerit ei & sumptuosum, Procuratores mittat & Advocatos, qui per juris re-

media causam teneant & sententiam differant; salvâ tamen Appellatione, quæ legitimè fuerit interposita, & eâdem singulis diebus renovatâ. Præsumserat enim Archidiaconus, & hoc Episcopo significavit; quòd Archiepiscopi suggestione tam acriter in causâ procedebant; auctoritate Domini Papæ qua fungebantur etsi non justè tamen injuriosè, etsi non rectè quocunque modo, sententiam excommunicationis in ipsum præcipitarent ; ut vel sic in arduis causis,quas contra Archiepiscopum habebat, silentium ei imponere possent,& vocem ejus tanquam funestam suffocarent. Ad obviandum igitur huic malitiæ, & vitandum incommodum, quod machinati fuerant adversarii pariter & Judices injusti, tam Advocatos de Oxoniâ in Marchiam Walliæ crebrò mittendo quàm etiam testium copiam, magnos Archidiaconus sumptus fecit.

Elapso interim temporis spatio circa clausum Pascha per literas Regis transmarinas Archiepiscopo procurante directas literæ Justiciarii Baillivo de Pembroch tales missæ sunt. " G. filius Petri, Comes Essexiæ, Radulpho de Bende-" vill, Vicecomiti de Pembroch, salutem, Pro certo accepimus, quod Poncius " Archidiaconus & M. filius suus, & R. filius Jonæ, & H. filius suus, & Meiler, " & Samuel, & Asser, & G.Decanus de Pembroch, dicti Canonici Menevenses, " qui ad dedecus Domini Regis & contra dignitatem coronæ & regni sui G. Ar-" chidiacono assistunt & adhærent, & contra Dominum Regem ei sacramenta " fecerunt, ei sigillum Ecclesiæ suæ tradi permittentes ad operandum inde con-" tra Dominum Regem, prout ejus voluntati placuerit, Laica habent tene-" menta & terras & exchaetas, in quibus publicas suas fornicarias contra Deum " & Ordinem suum habent & exhibent; & potiùs debent dici Laici luxuriosi " quàm Clerici ordinati vel Canonici; & quòd illi dum præfato G, adhæserint, " non minùs manifestè hostes regis & regni sunt quàm ipse Giraldus. Tibi " mandamus & firmiter præcipimus; quòd sicut teipsum & omnia tua diligis, " omnia laica tenementa sua & wardas & exchaetas & catalla in ipsis inventa " in manum Domini Regis capias & retineas. Corpora etiam fornicariarum " suarum capias & salvò custodiri facias, donec aliud à nobis inde habueris man-" datum. Teste meipso, &c. „ Per harum itaque tenorem duo perpendi poterunt & notari. Quòd omnes isti, qui majores fuerunt Menevensis Ecclesiæ & pars sanior, si liberum eis esset, cum Archidiacono starent; & quòd falsi fraterculi & infideles filii in firmâ Capituli sui & per quæ magis gravari solent, tam Archiadversario suo quàm & Justiciario ex abundanti malitia revelârunt.

Archidiaconus autem ad diem præfixum partibus,scilicet in crastino Inventionis S. Crucis apud Niweport incunctanter accessit. Sed quòd Judice suo principali in transmarinis adhuc agente, & cum Judicibus substitutis tam pro ipso quàm pro Decano Londoniensi, tantùm tertius Judicum sc. principalium Archidiaconus de Bukingeam præsens extiterat; parum eo die fuerat in causâ processum. Propter metum quoque publicæ potestatis; & propter literarum tenorem præscriptarum Canonicorum Menevensium nullus accesserat. Citationes igitur in singulis causis Archidiaconus accepit, diffuso sc. in crastino S. Botulfi apud Bracheleiam propter absentiam Judicis principalis sc. Eliensis Episcopi, ut interim redire posset, ex industriâ dato.

Interim autem cùm generalem Sinodum totius Diocesis Menevensis auctoritate sibi commissâ pluries Archidiaconus convocaverit,primò apud Keirmerthin, deinde apud Pembroch tertiò apud Meneviam; & semper per literas Regis ad Justiciarium Archiepiscopo procurante & per literas Justiciarii ad Baillivum de Pembroch Sinodos prohibentes & Clericos absterrentes sunt impeditæ; demum apud Brechene in Octavis Pentecostes, sc. incrastino S. Trinitatis, generalem Sinodum convocavit; literasque tales Abbati S. Dogmaelis, quoniàm & idiota fuit ideoque Temporalium Episcopatûs contra dispositionem Domini Papæ spoliator extiterat, mitti fecit. " G. Archidiaconus de Brechene W. Abbati " Sancti Dogmaelis salutem. Quoniam propter rerum & temporum vicissitudi-

" nes & varietates negotia quoque nonnunquam variare necesse est; Sinodum
" nostram in Octavis Pentecostes solemniter apud Brechene Deo opitulante ce-
" lebrandam vobis denunciamus. Quapropter vobis mandamus & auctoritate
" Domini Papæ qua fungimur districtè præcipimus; quatinus tunc sicut de-
" cet, ibidem in præsentiâ nostrâ comparentes, omnia percepta de Episcopatu
" infra eundem terminum juxta mandatum Domini Papæ, quod inde susce-
" pistis, nobis restituatis. Præterea secundæ diei Sermonem Sinodalem &
" verbum exhortationis & instructionis tanquam personæ magnæ & autenti-
" cæ, quæ se Menevensem Electum gerit & nominat, vobis injungimus. Va-
" lete.

Cæterùm quoniam Baillivus de Pembroch præcepto Domini Regis & Justiciarii, quorum inde literas susceperat, clam universo Diocesis Menevensis Clero in suâ potestate constituto firmiter inhibuerat, ne G. Archidiacono in quoque obedirent, nec Sinodos ipsius aut Capitula frequentarent; Archidiaconus Magistrum S. de Sudwella, qui generalis erat Officialis Archiepiscopi in Angliâ relictus, super hoc adiens & conveniens, literas ab ipso tales patentes reportavit. "H. Dei gratiâ Cantuariensis Archiepiscopus, totius Angliæ Primas, dilectis
" in Christo filiis Capitulo & Clero Menevensis Ecclesiæ salutem, gratiam &
" benedictionem. Ex conquestione dilecti nobis in Christo filii G. Archidia-
" coni de Brechene accepimus; quòd quidam sæculari potestate utentes se op-
" ponunt & impediunt, quo minùs curam Spiritualium à Domino Papâ & à no-
" bis sibi ad tempus commissam valeat exercere, vobis prohibentes ne ei in ali-
" quo intendatis. Hinc est quòd quia jus ecclesiasticum sæcularibus legibus
" minimè constringi debet; vobis mandamus, quatinus occasione laicæ pro-
" hibitionis nullatenus omittatis, quin ei in curâ spiritualium secundùm teno-
" rem mandati Apostolici & nostri obtemperetis; salvis appellationibus ad nos
" vel Officiales nostros ritè interpositis sive interponendis. Si autem mandato
" in hac parte obedire contempseritis; vos ad hoc, sicut justum fuerit, com-
" pellemus. Valete." Scribebat enim nomine Archiepiscopi in cunctis quæ Archiepiscopum contingebant; & contra Sigillo ejusdem cum ipso relicto literas signari faciebat. Literas etiam alias clausas ab eodem impetravit; quibus Baillivo de Pembroch districtè prohibuit; ne Clerum Menevensem, quo minùs Archidiacono G. intendant, impedire præsumat. Cùm igitur Abbates duo spiratores ad cathedram cum cæteris complicibus Archiepiscopi hæc audirent, & quòd Vicecomes de Pembroch à Clero avertendo propter hoc mandatum jam cessaret, & quòd Clerus patriæ ad Sinodum ire se jam pararet; nuncios in Normanniam ad Archiepiscopum, ut mandatum Officialis ociùs revocaret, cum festinatione transmiserunt.

Archidiaconus autem nichil ex contingentibus omittendo, Sinodum toties & tot locis convocatam, semper autem per publicam potestatem impeditam, demum apud Brechene solemniter & publicè celebravit. Verùm qualiter Sinodus ferè impedita fuit, & qualiter cursores Archiepiscopi cum R. Folioto ad oblatrandum & impediendum advenerunt, qualiterque vacui prorsus & confusi recesserunt; liber *de Gestis Giraldi* evidenter explanat. Qualiter etiam dicti Judices de Marchiâ ad gravamen Archidiaconi ob Archiepiscopi favorem per fas omne nefasque de die in diem acriùs contenderunt; liber idem manifestè declarat.

Interim autem imminente Festo S. Botulphi ad diem partibus datum, sc. in crastino apud Brakelegam, septus Clericorum & Advocatorum cuneis non Canonicorum Giraldus accessit; & inveniens ibi Judicem principalem, sc. Eliensem Episcopum, qui jam in Angliam advenerat, & alios duos substitutos; Clericos etiam Archiepiscopi Magistrum Simonem de Sudwella, & Magistrum Jo. de Tinemuda, quem Archiepiscopus literis suis patentibus Procuratorem suum constituit, & Magistrum Willelmum de Cauna; processit in medium,

um, & quòd neminem de Ecclesiâ suâ sibi assistentem habebat, sic inchoando : " Solus in arma vocor ; nec tamen omnino dicendus solus, si cui astiterit Deus, " nec omnino est absque sequelâ, cui veritas suffragatur atque justitia : " literas Domini Papæ clausas protectionis pariter & commendationis Archiepiscopo directas legi fecit ; quibus prohibebatur Archiepsicopo, ne Clericos Menevenses vel blanditiis alliciat vel minis deterreat, aut damnis afficiat, vel per suos aut Regis Anglorum ministros aut Officiales quomodolibet impediat vel impediri permittat, quo minùs Archidiacono Menevensi in utrâque causâ tam Statûs quàm Electionis, si velint, assistere possint. Deinde prosecutus est, qualiter munusculis primò sibi Capitulum allexit & blanditiis, postea minis & terroribus publicæ potestatis, prostemò quidem spoliationibus & rapinis; adeò ut jurare compulsi sint & etiam sponsores dare, quòd Archidiacono Giraldo non solùm non assisterent, sed etiam cum Rege & Archiepiscopo stantes ubique se Archidiacono in causis suis constanter opponerent. Sed ecce quàm obediens est Domino Papæ Archiepiscopus ; & tamen in literis suis omnibus ad ipsum directis se devotum ejusdem filium vocat. Postmodum autem ad cumulum injuriarum legi Archidiaconus literas Justiciarii Baillivo de Pembroch directas, quibus præcepit, ut laica tenementa & exchaetas Canonicorum in manu suâ saisiet & etiam concubinas eorum capiat & custodiat, donec mandatum suum inde suscipiat. Has autem literas misit Justiciarius, sicut & alias terribiles multas, mandato Domini Regis de partibus transmarinis. Unde per Archiepiscopum hæc omnia fieri per vehementissimas constare potest præsumptiones. Prima, quòd assiduè Regi in transmari nis assistebat. Secunda, quòd ejus sigillo tanquam Archicancellarius præesse dinoscitur. Tertia cum aliis, quòd res ipsius hîc agitur. Quarta, quòd errata non corrigit, quinimo factus est evidens ecclesiasticæ libertatis oppressor, qui ordinis & officii debito deberet esse defensor. Error enim, ut ait Innocentius, cui non resistitur, approbatur ; & veritas cùm minimè defensatur, opprimitur. Negligere cùm possis perturbare perversos nichil aliud est quàm fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare, præsertim cùm ad hoc ex officio teneatur.

Cùm autem ad hæc Clerici Archiepiscopi alternatim, ut noverant, respondissent ; quæsito utrùm aliqui Canonici Menevenses adessent ; processerunt Anglici illi & anomali duo Osbertus & Foliotus, & duo Walenses Martinus frater Abbatis Albæ Domûs & Samuel ejusdem consanguineus. A quibus cùm quæsitum esset per Judices, utrùm Archidiacono G. assistere vellent in causâ Statûs necne ; responderunt sicut edocti fuerant, quòd acephali erant ; ideoque tam arduam causam, donec caput haberent & Episcopum, suscitare vel suscitanti assistere vel assentire nolebant. Literas quoque Capituli sui de rato habendo, quod hi quatuor ibi dixerint aut egerint, porrexerunt. Alter autem Walensium, sc. Samuel, ne verbum omnino nullum pro Ecclesiâ suâ facere videretur, palam asseruit Ecclesiam S. Davidis revera Metropolim fuisse & esse debere, sed locum aut tempus huic quæstioni nondum existere. Ex abundanti quoque testati sunt, tanquam testes repentini & quidlibet asseverare parati, se nunquam G. Archidiaconum elegisse ; literasque Capituli sui id ipsum astruentes produxerunt.

Archidiaconus autem ad hæc respondit ; qui electioni suæ se opponere voluerint, longiùs ituros & Apostolorum limina visitaturos. Dictos etiam Anglicos duos à se excommunicatos asseruit. Ipsi verò se absolutos ab Archiepiscopo responderunt. Capitulum autem & Canonicos discretiores ac residentes ad ei non assistendum & in utrâque causâ sic scribendum per violentiam & bonorum spoliationem compulsos esse ; & hoc se probaturum per testes, qui rapinis & deprædationibus intererant violentis, die proximò partibus præfigendo promisit. Quatuor autem Canonicos istos, ut Archiepiscopum, à quo seducti fuerant, placare per hoc possent, & Abbatum duorum ad Cathedram Spiran-

 tium

tium alterutrius promotionem vel sic procurarent, tam contra factum electionis proprium quàm etiam Ecclesiæ suæ dignitatem pariter & libertatem stare, cum assertione proposuit. Sed ecce in quantam perplexitatem peccatis urgentibus, & partis adversæ de die in diem atrociùs instante malitiâ, sunt deducti; qui si steterint cum ecclesiâ suâ, sicut ipsos debere constat & decere, statim privati sunt bonis omnibus & spoliati. Sin autem è contra, perfidi sunt & perjuri? Mos enim est Ecclesiæ Menevensis; quòd quando canonicatur quispiam, priusquam installetur, fidelitatem jurat Ecclesiæ suæ super Reliquias Ecclesiæ Sacramento corporaliter præstito. Unde & Archidiaconus Romæ coram Cardinalibus Auditoribus suis in Consistorio Foliotum Sillogismo cornuto & quasi sub dilemmate sic constrinxit. Aut falsus fraterculus hic noster nobiscum stabit pro Ecclesiâ suâ in causâ Statûs, aut contra cum parte adversâ. Sed si contra; manifestè perjurus est Ecclesiæ suæ. Si nobiscum & pro Ecclesiâ suâ; perjurus est Archiepiscopo, cujus stipendiis & sumptibus cuique juratus ut pro Ecclesiâ Cantuariensi contra Menevensem in Curiâ Romanâ pro posse staret, huc accessit. Sunt igitur, ut prosecutus est coram Judicibus Archidiaconus, omnes Canonici Menevenses, qui contra Ecclesiam propriam & matrem suam pro lucro terreno seu damno stare præsumpserunt, perpetuò infames atque perjuri. Maximè verò Anglici illi duo, Foliotus sc. & Osbertus; qui ad hoc conducti atque jurati contra Ecclesiam suam non necessitate, ut alii plerique, sed voluntate nituntur.

Post varias igitur altercationes hinc inde factas secundo die soluto litigio datus est dies quartus in Octavis S. Jacobi apud Bedefordiam. Quò cùm partes transcurso tempore coram Judicibus convenirent; produxit Archidiaconus testes duo Presbyteros & Clericum unum, qui spoliationi Canonicorum intererant & violentiæ factæ; propter quam nec ipsi assistere ausi fuerant nec comparere. Canonici verò præscripti quatuor ad hunc etiam diem, *quasi* à Capitulo missi, Canonicos spoliatos aut ab Archidiacono per violentiam aversos tam literis Capituli quàm vivâ voce negârunt. Archidiaconus autem hanc ipsam negationem propter metum publicæ potestatis, ne si querimoniam deponerent, ei deteriora contingerent, absque dubio factam esse proposuit. Literas quoque Capituli vel pro Ecclesiâ Menevensi vel pro Archidiacono facientes coram Judicibus in publicum productas eodem terrore negantes, vel surreptitias omnes vel falsas esse dicebant. Quærenti autem Eliensi Episcopo, quare invitis beneficium dare & ingratos à servitute ac subjectione eripere Giraldus tantis nisibus elaboraret; sub distinctione in publicâ audientiâ sic respondit. "Beneficium, ut nostis, aliud libertatis, aliud liberatio-
" nis, aliud liberalitatis. Primum & secundum dari possunt invitis, tertium
" verò nequaquam. Possum enim servum meum emancipare & captivum
" meum à carcere liberare vel invitum. Codicem autem meum cuiquam
" dare non possum, nisi accipere voluerit. Induxit & illud Jeronimi. Mul-
" toties bona patrantur invitis; dum eorum potiùs utilitati consulitur quàm
" voluntati. Et illud ejusdem. Et qui phreneticum ligat, & qui letargi-
" cum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Adjecit & mirandum valde
" corruptionis hujus effectum; quòd Canonici Walenses, qui originali gau-
" debant libertatis honore, sicut & gens sua tota, à servitute & subjectione,
" qua tenentur, eripi recusant, vel etiam ab extraneo quocunque & quando-
" cunque, nedum à quodam fratrum suorum & de corpore Ecclesiæ suæ tan-
" tis ad hoc curis & laboribus enitente. De [a] Anglicis enim, qui servi sunt
" olim atque subacti, & jam quasi naturaliter servi, si à longâ suæ servilis
" con-

[a] Haud satis conjectari possum, quid sibi velit Giraldus, Anglos magis quàm Wallos ad servitutem natos asserens. Puto illum subinnuere Anglos pariter ac Wallos (Angliæ jamdudum subactos) communi Regi magis servili conditione subdi, quàm suis olim Principibus Walli subdebantur. Vel forsitan collimat ad servitutis consuetudinem à

" conditionis consuetudine, quæ tanquam in naturam converti potuit, disce-
" dere renuunt, non adeò quidem obstupendum. Unde & aures istorum,
" quia servitute recedere nolunt subulâ perforari deberent more Judaico,
" qui anno septimo servos suos manumittebant. Deserviebant enim Judæi,&c."
Judices autem testes Archidiaconi super spoliatione Canonicorum & violentiâ factâ suscipere differentes, quintum singulis causis apud Sanctum Albanum in octavis Nativitatis S. Mariæ diem dederunt.

Interim autem persecutionis gravius de die in diem urgente procellâ, præceptum & publico edicto, ne quis in Demetiæ vel Meneviæ finibus Giraldum hospitio susciperet; adeò ut ad partes illas accedens, propinquorum suorum atque nepotum hospitia, ne periculum incurrerent aut jacturam, evitaret. Et in festo Assumptionis B. Virginis Meneviam veniens, in Præbendâ suâ propriâ per sex inde milliaria distante, scilicet [b] Martru, nocte præcedente jaceret; & post Missam die Festo solemniter celebratam & exhortationem ad populum ab ipso factam, cùm nec ipsum ibi quisquam suscipere ausus esset, nec ipse sui occasione quempiam lædi vellet, ad Præbendam iterum & hospitium proprium remearet.

Peractis igitur his quæ tunc in partibus illis agenda fuerant, reversus Archidiaconus apud Brechene, in Conventu Clericorum patriæ & Capitulo apud Aberhothene, ne nulla temporis aut terræ pars tribulatione careret; ecce adversarii Archidiaconi & scurræ Archiepiscopi duo, Osbertus sc & Foliotus, cum insultatione plurimâ procedentes, citationem Judicum cum literis Domini Papæ sibi directis, tenorem commissionis variatâ personâ contingentibus, Archidiacono porrexerunt. Sciens enim Archiepiscopus Menevense Capitulum ex toto corruptum, ideoque tam minis allectum quàm muneribus, ad nutum suum contra Giraldum quidlibet testificaturum, per nuncios suos Romam solito cum effectu transmissos literas impetravit; quatinus testes tam de Capitulo Menevensi quàm aliunde, senes & valetudinarios, pauperes & inopes, contra Giraldum & ejus electionem admittantur: cùm tamen in commissione Giraldi contineretur, ut qui contra electionem ejus agere vellet, Romam veniret. Qui autem citationem hanc videre voluerit & editiones varias cum nugis suis insertas, necnon & literas Papæ super hoc Giraldo directas; *de Gestis Giraldi* librum inspiciat.

Archidiaconus autem his omnibus nec frangi potuit animo nec desperanter affligi. Sed potiùs vultu erecto & corde securo spem præferens, omnes fortunæ adversæ sprevit insultus, & rotæ versatilis volubilitatem altâ mente calcavit; memor sapientis illius: *Tu ne cede malis, sed contra audaciùs ito, Dum tua te fortuna regit.* Multum quoque cunctis adjutus in angustiis sæpedicto Fratris optimi consilio super adversis æquanimiter sufferendis. Missæ sunt igitur literæ Regis, Justiciarii & Marescalli, Archiepiscopo cuncta curante, tam Baillivo de Pembroch quàm Capitulo Menevensi, districtè præcipientes, quatinus omnes Canonici Menevenses, juvenes & senes, divites & pauperes, sicut honorem Domini Regis diligerent, apud S. Albanum die prænotato absque omni excusatione aut tergiversatione venirent. Alioquin corpora ipsorum cum concubinis & catallis omnibus tanquam hostium Regis & Regni caperentur; ipsisque in carcerem detrusis, concubinæ prostituerentur, & bona ipso-

Normannis in Angliam introductam atque illo adhuc tempore retentam; qualis apud Walliam non obtinuit. De servorum Anglorum conditione ista habet Gervasius Tilberiensis in libro MS. de Scaccario nigro, paulò ante hæc tempora conscripto, cap. 36. *Jam cohabitantibus Anglicis & Normannis & alterutrùm uxores ducentibus, sic permixtæ sunt nationes; ut vix discerni possit hodie (de liberis loquor,) quis Anglicus quis Normannus sit genere; exceptis duntaxat ascriptitiis, qui Villani dicuntur, quibus non est liberum obstantibus Dominis suis à sui statùs conditione discedere.*

[b] Nota recenti manu addita. *Verus valor Præbendæ de Merthre est XXX. libr. per annum hodie.*

rum

rum omnia confiscarentur. Missæ sunt enim literæ Archiepiscopi simul cum aliis, more solito pungentes pariter & ungentes. Hoc autem terrore compulsi tam fideles & firmi, si fas esset, quàm corrupti, tam ad iter arripiendum quàm ad motum Regis & Archiepiscopi quidlibet asseverandum se præparaverunt universi. Sed ecce quanto discrimine contra potestatem hîc dimicatur utramque; quòd nisi regia sic jugiter instaret & urgeret violentia, parum quidem in utrâque causâ proficere posset pars adversa.

Archidiaconus autem novis super casibus novis utens consiliis, ad intentionem suam fundandam & electionem suam coram Judicibus astruendam, testes plurimos solitâ vivacitate præparavit. Quibus sub celeritate completis, quoniam pecuniam in Norwalliâ & Powisiâ collectam & ei promissam per nuncios fideles sæpiùs missos habere non potuit, Archiepiscopo partes etiam illas per Abbatem Albæ Domûs & alios quosdam corruptores inficiente darique promissa dissuadente, nec ignavus nec deses, per Elevein & Melenith per Keri & Kedewein versùs Venedociam iter incunctanter arripuit; penetransque Powisiam & terram Wenonwein silvis hispidam & munitissimam, ipsum in expeditione contra Lewelinum, cui tunc concordatus fuerat, invenit; à quo & cum honore susceptus est. Solus hic tamen inter Principes Walliæ tam propter invidiam, quòd Lewelinus hoc inchoaverat, quàm etiam avaritiam; necnon ut Anglicos, quibus contra Lewelinum adhærebat, & Archiepiscopum in hoc placaret, auxilium in terrâ suâ Sancto David facere recusavit. Unde & vindictâ divinitus paulò pòst secutâ, tantam in pede læsionem equo proprio calcante seu recalcitrante suscepit; ut claudicationem incurreret gravem & imbecillitatem vix curabilem. Venedociam igitur intrans Archidiaconus & ad Lewelinum accedens, simul cum Electo Bangorensi qui ei occurrerat, super pecuniâ----collectâ & penès Electum reservatâ Principem convenit. Ipse verò de adventu Archidiaconi lætus & hilaris, ut erat vir liberalis & lenis, si quam rubiginem ex infectione contraxerat, statim ut vultum amici vidit, totam abjiciens, pecuniam Archidiacono reddi jussit. Erat autem summa pecuniæ collectæ, præter hoc quòd à Powisensibus habuit, quasi librarum XX. His itaque sic completis, per Albi Monasterii & *Slopesburiæ* fines Angliam intrando, quasi quarto postquam à Lewelino discesserat die apud Abbatiam de Hagemam pernoctavit. In crastino verò priusquam inde discederet, advenerunt ei nuncii duo de Meneviæ partibus, capellanus scilicet Præbendæ suæ de Martru, cui nomen Philippus, & Capellanus Ecclesiæ suæ de Lanwundaph, cui nomen Aidanus; nunciantes adeò nuper aggravatam in ipsum & suos omnes persecutorum manum, ut post minas multas jam in facta immo facinora ac sacrilegia prorumpentes, sc. Nicholaus Avenel qui jam subrogatus fuerat Radulpho de Bendevilla in Ballivâ de Pembroch, ut atrociùs ageret, quoniam crudelis extiterat, & nemini parceret, & Willelmus filius Martini, tam Præbendam Archidiaconi de Martru quàm Ecclesiam de Lanwundaf in cœmiteriis & extra spoliantes, & viros ac mulieres captivos ducentes & incarcerantes, ad redemptionem gravem coartarent. Archidiaconus autem his auditis, cùm constantiâ respondit, sibi plurimum in hac spoliatione successisse, & novos Archiepiscopi nisus per hanc exceptionem elidi posse. Ducens itaque Capellanos illos secum in Angliam ad testificandum quod actum fuerat, eâ nocte in terrâ Baronis cujusdam, cui dilectus antea & familiaris extiterat, cui nomen Willelmus Alani filius, hospitio susceptus est. Porrò vir ille de Wigorniâ, ubi cum Archiepiscopo circiter id ipsum temporis locutus fuerat & querimoniam ejusdem de Giraldo grandem audierat, ad terram eandem eodem die reversus, cùm audiret Archidiaconum ibi esse, misit ad ipsum Camerarium suum, indicans ei secretò, quatinus cautè & incunctanter abscederet. Quosdam enim de comitatu suo, qui Archiepiscopum diligebant; si ipsum ibi invenirent, ab ejus molestatione & rerum

rerum suarum direptione præpedire non poterat. Adjecit etiam se valde dolere, quòd affectum dilectionis, quem erga ipsum habebat, ei ostendere eumque cum honore in terrâ suâ tunc suscipere non valebat. Quo audito, quòd nec frangi potuit adversis nec consternari, hilari vultu & erecto monitis adquievit, illud ad mentem revocans. [a] *Si persecuti vos fuerint in unâ civitate; fugite in aliam.* Veniens igitur Oxoniam, Advocatos suos duos, sc. qui per totam æstatem singulis diebus causæ datis ei astiterant, & non gratis, secum apud S. Albanum ducere volens, aversos per Archiepiscopum ambos nec ipsos nec alios habere potuit, præter unum qui de partibus transmarinis nuper advenerat, famæ adhuc incognitæ, qui etiam præ timore publicæ potestatis urgentis ei vix & duris quoque conditionibus ausus fuerat adhærere.

[a] Matt. X. 23

Versùs itaque S. Albanum Archidiaconus accelerans, in crastino Nativitatis S. Mariæ coram Judicibus, qui omnes in propriâ personâ tunc aderant, cum comitatu testium non modico tam Cleri quàm populi confidenter apparuit. Archiepiscopus autem Clericos suos & Advocatos omnes illuc transmittens, ipse non procul inde sed quasi per milliaria XII. accedens, ut crebrò nuncios suos suscipere & mittere posset ac remittere, apud Dunstaple quasi in insidiis moram fecit. Imprimis igitur Clerici Archiepiscopi scientes juxta Comici sententiam, *Omnia priùs attemptanda quàm arma*, ex parte Domini sui amplissimos reditus Ecclesiasticos Archidiacono, ut utrique causæ renunciaret & ab Archiepiscopi vexatione cessaret, per Judices obtulerunt. Ipse verò non personæ suæ sed Ecclesiæ præ rebus omnibus profectum quærens, & ad statum ejusdem pristinum reformandum pro viribus enitens, pacis & concordiæ modum, ad quem induci potuit, exprimentem talem in manus Judicum demum Schedulam misit.

"Quoniam Ecclesiam nostram Menevensem constat multo tempore Metropolin fuisse, & etiam in plenâ potestate Metropoliticâ præter usum Pallii usque ad tempora Regis Angliæ Henrici I. permansisse, per cujus potestatem ac violentiam Cantuariensi Ecclesiæ subjici cœpit cum aliis Ecclesiis Walliæ; sicut ex scripto, quod de divisionibus Anacleti & Registro Gregorii necnon & Ecclesiasticâ Bedæ historiâ fideliter extraximus, ex parte perpendi potest; iterum, si placet, Metropolitica fiat, sed Ecclesiæ Cantuariensi subjecta; sicut una Ecclesia Metropolis alii Metropoli jure Primatiæ subjici solet; quemadmodum videlicet Burdegalensis Metropolis Bituricensi tanquam Primatiæ sedi subjecta est. Primatiæ namque propriè sedes, ut nostis, non est nisi quæ subditum sibi Archipræsulem habet. Verùm cùm Ecclesia Menevensis temporibus B. Davidis & XXV. successorum ejusdem usque ad Samsonem Dolensem, qui Pallium nostrum asportavit, intra Walliæ spatium ut nunc est, & V. Episcopatuum Angliæ, Cestrensis sc. seu Coventrensis, Herefordensis, Wigorniensis, Bathoniensis & Exoniensis, sicut ex antiquissimis Historiis vel ex veterum relatione fideli & assertione colligitur, XII. Suffraganeos haberet; nunc tribùs illis tantùm, qui intra Walliæ fines continentur, contenta foret. Sic etenim initium possidendi Cantuariensis Ecclesiæ vitiosum, quia violentum, ex parte purgari posset; cùm de consensu ejusdem Ecclesia Menevensis pristino gauderet honore, etsi non pleno. Et quia jam aliquamdiu in subjectione fuerat, quanquam injustè, temporibus sc. trium Episcoporum nostrorum ultimorum, qui soli de nostris à Cantuariensibus consecrationem susceperunt, subjecta remaneret. Et sic Cantuariensis Archiepiscopus plus haberet honoris, sc. loco simplicis Episcopi suffraganei Archiepiscopum subjectum habens. Et cum longè meliori conscientiâ multoque minùs oneris terram sc. tam remotam, quasi

"per

"per XV. ferè diætas, & gentem divisas ab Angliâ prorsus atque diversas [*]
"linguam, leges & consetudines habentem, qui mores & modos patriæ non
"ignoraret, & qui propiùs residens ac diligens existeret, quasi per Vicarium
"regens. Cæterùm ne videar personæ meæ hanc dignitatem appetiisse vel ap-
"petere; Archiepiscopus Ecclesiæ nostræ fieret quicunque, dum tamen ido-
"neus, juxta Domini Papæ & Regis & Archiepiscopi dispositionem. Sicque
"perpetuò controversia tanta sopita foret. Alius concordiæ modus, si fortè
"Domino Papæ, in cujus omnia ponimus dispositione, modus iste non sederit
"vel etiam Archiepiscopo; quòd testes nostros valetudinarios Judices susci-
"piant; & attestationes sub sigillis suis Domino Papæ transmissæ & ibidem
"bullatæ in scriniis ejusdem, ne tractu temporis jus depereat, reserventur;
"& secundæ apud Cantuariam bullatæ, & tertiæ apud Meneviam reponantur;
"& toto tempore vitæ Archiepiscopi istius, quam Deus ad honorem Ecclesiæ
"suæ longam conservet; hæc controversia pro bono pacis sopita quiescat;
"nisi fortè voluntate summi Pontificis vel etiam mandato Principis resuscite-
"tur. Et ut liqueat omnibus me propter cathedram Menevensem mihi obti-
"nendam tantum nullatenus assumpsisse laborem; Electionem de me factam,
"si qua fuit, in manu Domini Papæ resignabo; & ejus providentiâ Ecclesiæ
"nostræ pauperi ac depilatæ & usque ad exterminium ferè dilapidatæ Pastor
"vividus ac validus, qui dispersa revocet & reparet, provideatur. Sin au-
"tem neutrum concordiæ modum vel Dominus Papa approbaverit vel Archi-
"episcopus admiserit; nichil aliud restat, nisi ut lites suo Marte decur-
"rant.

Scriptum hoc autem statim Archiepiscopo per suos missum fuerat. Quod cùm diligenter inspiceret & respiceret, quanquam plurimi suorum & discretiores modum pacis & transactionis oblatum approbarent, & præcipuè Eliensis Episcopus, quid tam discretus erat & in jure peritus, asserens, si cathedræ præesset ipse Cantuariensi, se malle Archiepiscopum in Walliâ cum Suffraganeis suis sub pace stabili perpetuâque subjectum habere, quàm quatuor Ecclesias ibidem Cathedrales simplices sic pendulas semper & litigiosas jure provinciali possidere. Tamen Archiepiscopus de tribus confisus, de regiâ potestate sc. quam vel amore ipsius vel timore magis propter werræ urgentis incommodum ad nutum habebat; de Capitulo Menevensi, quod ex toto corruperat; & de Curiâ Romanâ, quam corrumpi, quod absit, posse putabat; oblatæ concordiæ non adquievit; sed donec Suffraganeos suos omnes super hoc consuleret, responsum proterminavit. Unde & literas Domini Wigorniensis Episcopi, cui nomen Malgerus, qui simul cum Eliensi ad pacem intendebat, super hoc Archidiacono missas hic apponere præter rem non putavi. "Magister M. Magistro G. salutem. Cum maximâ diligentiâ & sedulâ atten-
"tione utrumque modum concordiæ & pacis inter Archiepiscopum & te, si-
"cut in literis vestris continebatur, exposui. Et de illis duobus Anglicis
"Canonicis, quòd pacem nollent sed Werram desiderarent, apertè significa-
"vi. Ipse autem post secreta consilia & tractatum cum prudentibus habi-
"tum, respondit, quòd super hoc nichil ad præsens certum respondere po-
"terat; quoniam causa non ipsum tantùm sed omnes suffraganeos tangebat.
"Sed me tibi fidejussorem constituit; quòd illud faceret, si suffraganei sui
"consenserint, & Dominus Papa modum approbaverit & confirmare volu-
"erit.

[*] Mirum id toties ingerere Giraldum, illos nempe VVallensibus Episcopos dari debere, qui VVallensium linguam calleant. Ex libro enim 2°. *de gestis Giraldi* cap. 18, 19. constat ipsum linguam VVallicam adeò nescivisse, ut plebi Latinè vel alienâ saltem linguâ concionari necesse habuerit.

Cùm igitur ad lites & causarum ventilationes perventum esset; procedentibus Canonicis & Clericis Menevensis Ecclesiæ, senibus etiam & valetudinariis, qui residentes jugiter esse solebant, ferè cunctis per violentiam venire compulsis, & ad quidlibet testificandum contra Giraldum eodem terrore paratis, videns Eliensis Episcopus & attendens iniquitatem hanc maximam à senioribus progressam, inter cætera quæ proposuit, Archidiacono, quem de Scolarum olim in Franciâ societate notum habuerat & dilectum, quasi jocosè in publicâ audientiâ dixit. Ecce qualiter gens tua & pontifices tui tradiderunt te nobis: respiciens Clerum Menevensem. Et risu universorum subsecuto, respondens Archidiaconus ait. "Scriptum est enim. [a] *Generatio* "*perversa atque infideles filii.* Quod nunc veraciter istis adaptari potest; qui "occasione quantâlibet in matrem propriam armati & tanquam matricidæ "cruenti, juxta pœnam tanto facinori debitam & statutam culeo insuti cum "gallo gallinaceo, simiâ & serpente, projici deberent in profluentem. Tri-"plici namque gradu in hac sui damnatione procedunt. Quidam enim mi-"nis attoniti; quod etiam malum; alii muneribus allecti, sed hoc pejus; "quidam ambitu promotionis sui vel suorum in eâdem Ecclesiâ quam im-"pugnant excœcati; quod pessimum: omnes simul à viâ veritatis exorbi-"tantes; etsi humanam ultionem fortè effugere prævaleant, divinam absque "dubio vindictam non evadent.

[a] Deut. XXII. 20.

Interim autem lite super Electione per incuriam contestatâ, producti sunt ex utrâque parte testes plurimi. Sed ex parte adversâ Clerici Menevenses à corruptelâ non discedentes, ad testificandum contra Giraldum certatim omnes accurrerunt. Qui enim senes & valetudinarii non erant, pauperes se esse dicebant; qui licèt respectu Anglicanæ opulentiæ pauperes quodam modo dici possent, non usque adeò tamen ut Romam propriis facultatibus ire non prævalerent. Quanquam etiam Archiepiscopus cunctis pro se contra Giraldum Romam ituris de suo sumptus sufficientes invenire paratus esset; sicut in sequentibus palam erit. Dictum autem fuerat adversæ partis astutiâ & publicis officialibus sub comminatione promulgatum; quòd qui hîc pro Rege & Archiepiscopo testimonium contra Giraldum non perhiberet, contra eundem testificaturus proculdubio Romam iret. Proinde & miseri vano hujusmodi timore perterriti, passim ad perjuria prosiluerunt. Quidam enim ut inter senes ad perjuria reciperentur, se sexagenarios, cùm non essent; alii verò ut inter pauperes pejerare possent, se XL. solidorum reditus aut facultates non habere falsò jurabant. Dupliciter itaque perjuri sunt; dum falsum scienter & sponte jurant, ut illico jurati falsissimum testificentur; sicut ex attestationibus eorum Romæ publicatis postmodum patuit, quibus asserebant, quòd Giraldum Archidiaconum nunquam elegerunt, nec aliquid quod Electio dici posset unquam de ipso fecerunt.

Super literaturâ verò cùm examinari deberet Abbas S. Dogmaelis, qui tunc primò comparuit; obtulerunt ei Judices imprimis literas Domini Papæ legendas, commissionem ejusdem negotii sibi factam continentes. Sed cùm responderent qui pro ipso loquebantur, Clerici sc. & complices Archiepiscopi, ipsum de literis talibus, quibus non assueverat, probari non debere sed potiùs de libris Ecclesiasticis; allatus est liber Missalis cum literâ legibili & grossâ; qui cùm ei legendus offerretur à Judicibus & exponendus, de licentiâ Judicum, quam expetiit, causâ deliberandi cum Clericis Archiepiscopi secessit ad partem; & post moram longam ac tædiosam, tandem tam lectionem recusans quàm expositionem, cum responso relationi Judicum inserto recessit. Ad hæc etiam cùm in causâ statûs Canonici Menevenses se Archidiacono Giraldo nec assistere velle nec assentire proponerent; Archidiaconus ad hoc ipsos sibi in eâdem causâ assensum primò perhibuisse, sed postea per violentiam & rerum suarum adversâ parte procurante spoliationem aversos fuisse. Et cùm hoc quoque probare in continenti per testes idoneos Presbyteros &

 Clericos

Clericos paratus esset, dicens etiam Dominum Papam, si coram ipso bis ageretur, probationes istas admissurum; Judices tamen vel suo in sensu abundantes, vel Archiepiscopo, cui provincialiter subditi fuerant, in hoc articulo propitiantes, tandem nec se probationes Archidiaconi super hoc suscepturos; unde Papa postmodum ipsos in hoc errâsse proposuit; nec in causâ statûs, cùm nullus ei Canonicorum assisteret, processuros, sententialiter pronunciârunt; sicut eorundem relatione postmodum insertum est. His autem sic completis, cùm procederent adversarii plurimi, archiadversario cuncta procurante & machinante, super injuriis & gravaminibus sibi allatis ab Archidiacono, juxta editionem in citatione factâ per ultimas literas contra Giraldum impetratas comprehensam, querimoniam deponentes; Archidiaconus se nuper spoliatum conquerens per Archiepiscopi & aliorum adversariorum machinationem, qui nunc falsò de ipso conquerebantur; & Capellanos suos spoliatos in medium producens, se non responsurum, nisi priùs fuerit restitutus, asseruit. Præposuit etiam se propter adversæ partis malitiam & concurrentem sæcularem simul justiciam cum ecclesiasticâ potentiâ, nec Advocatos, nec aliquam sequelam habere posse; sed tanquam publicos hostes Regis & regni seque suosque per forum & compita declamatos esse. Propter quæ gravamina ad Summum Pontificem appellavit.

In fine verò coram Judicibus in publicâ audientiâ, potestate sibi à summo Pontifice traditâ & auctoritate, spoliatores suos prædictos Nicholaum Avenel & Willelmum filium Martini, quòd Præbendam suam de Martru spoliaverant, sententiâ excommunicationis innodavit; & terras ipsorum sub interdicto conclusit. Ad hæc etiam ut undique vexatio vehemens exercitium pariter & intellectum daret; missis Clericis & nunciis ad diem in Marchiâ Walliæ datum à Judicibus prædictis, à quibus appellaverat, Archidiaconus per ipsos quasi Judicibus eisdem ultimum vale dicturos appellationem suam legitimè factam tam litteris præcisè renovare curavit quàm vivâ voce missorum. Judices tamen ob favorem Archiepiscopi ad gravamen Archidiaconi nichilominus procedentes, partium adversarum probationes super damno suscepto de die in diem processu temporis susceperunt; & Archidiaconum absentem versusque Curiam proficiscentem adversariis in CLXX. Marcis per sententiam condemnaverunt: per cautelam etiam exquisitam sententiæ executionem iniquæ, ne Archidiacono dum esset in Curiâ id nunciaretur, usque Pascha sequens vel Pentecosten distulerunt. Totum hoc autem Archiepiscopi suorumque factum est instinctu; quatenus suæ condemnationis in expensas Archidiaconi per Curiam Romanam & hujus sic factæ per Judices tales fieri fortè compensatio posset.

Archidiaconus autem machinationes adversas omnes atque malitias altâ mente contemnens & post terga relinquens, versùs Curiam, unde cunctorum sibi remedia sperabat incommodorum, iter incunctanter arripuit; primòque Londonias ad se præparandum deinde Cantuariam ad transfretandum, sed in occulto non per stratam publicam, sed lateraliter atque latenter incessit. Veniens igitur ad S. Augustinum apud Cantuariam, & à Monachis qui Archiepiscopum similiter adversarium in multis immo ferè cunctis habebant, gratanter susceptus & fideliter occultatus, apud Sautwich clandestinum sibi parari [a] naufragium fecit. Suave namque collegium & dulce consortium eorum habere solatium, quos simul delectat subire litigium. Sed cùm ferè per VIII. dies moram ibidem Euro in contrarium flante fecisset; ecce adveniunt nuncii Archiepiscopi & Justiciarii, qui versùs partes illas profectum esse Giraldum audierant; publico præcipientes edicto, ne quis Clericus aut Laicus absque literis ipsorum transveheretur. Similiter & per portus omnes totamque maritimam præceptum fuit; præcipuè verò de Giraldo, ne transveheretur, edictum exiit; qui etiam per singulas domos de Santwich quæsitus, ut caperetur si reperiri posset, præceptum fuit. Unde & Judicibus suis, qui in crastino S. Lucæ Londoniis coram Archiepiscopo & Suf-

[a] l. navigium.

& Suffraganeis suis quamplurimis relationem suam partibus tradere debebant literas has misit, quæ & in publicâ audientiâ lectæ sunt.

"Venerabilibus viris & in Christo dilectis, E. Dei gratiâ Eliensi Episcopo, "Decano London, & Archidiacono de Bukingham, Giraldus Archidiaconus "de Brechene salutem in Domino. Vestræ discretioni notum facio, quod a-"pud Santwich, ubi publicus est transitus omnium, prohibitus fui transfre-"tare; & die veneris proximâ post Festum S. Dionisii per singulas domos ejus-"dem villæ, quæ propria est Cantuariensis Ecclesiæ, per ministros ejusdem "quæsitus ut caperer; & me non invento, sicut Domino placuit, cùm ta-"men procul inde non laterem; timens hominum malitiam publicè procla-"matum fuit ibi & in Insulâ de Tenetham per Archiepiscopi & Justiciarii "præcones, quatinus me vel meos nemo transportaret. Sed ecce quàm bene "paritum est mandatis Domini Papæ; qui præcepit Archiepiscopo, quòd me "vel meos nullatenus impediat, vel à quoquam impediri permittat; quo mi-"nùs utramque causam tam electionis sc. quàm dignitatis Ecclesiæ nostræ se-"curè prosequi possimus. Spoliati sunt autem Canonici Menevenses nobis "assistere volentes. Spoliati sunt Clerici Præbendæ nostræ, & Laici addu-"cti & compedibus constricti. Destitutus sum reditibus meis, Præbendâ sc. He-"refordiæ & Ecclesiâ & Cestretune. Neque est qui corrigat; quòd qui deberet "esse corrector, pluries etiam requisitus, factus est oppressor & omnium istorum "auctor; sicut suo loco & tempore per Dei gratiam docebitur. Vos autem quod ad "vos spectat faciatis; & istud ad injuriarum Cumulum nunc tam acriter addi-"tum, relationi vestræ, si placet, super vi & metu interserere non postponatis. "Valeat in Domino paternitas vestra.

Giraldus itaque nec his perterritus nec consternatus, sed solitâ constantiâ novis in fortunis novis obviando consiliis atque remediis, præmisso in Flandriam Clerico quodam cum parte pecuniæ suæ sub pauperis habitu transfretante, versùs Feurisham lora regirans, & apud Tilleburiam Tamisiæ fluvium navigio transiens, & Exsessiam penetrans & perlustrans circa maritimam S. Osithæ navigium quærendo se suscepit. Sed quoniam naves ibi magnæ ad equos transportandum inveniri non solent; consilium iniit, ut naviculam intrando & terram à dextris lateraliter ambiendo cum Clericis & carioribus rebus suis ad naves Flandriæ, quæ in portu de Santwich exteriori jacentes solum Zephiri beneficium expectabant, se transferret; & equis suis in Angliâ relictis, alios sibi in Flandriâ compararet. Firmato itaque consilio, cum cymbam intrâsset, & tribus diebus ac noctibus cum suis in eâ latitando frustra Circium & auram prosperam expectâsset; super insidiis jam sibi paratis & captione præmunitus, ad equos suos, ubi absconditi fuerant, vix evadens, per aliam regrediens viam, & alibi Tamisiam transiens, per semitas insolitas & insuetas periculo tamen & dispendio plenas, iterum Cantiæ fines, ubi magis exosus fuerat minùsque securus quoniam undique quæsitus atque observatus, intrare præsumpsit; & quoniam in maritimo Boloniæ latere propter werram inter Reges nulla fuit Anglis applicatio, ideoque nulla ex directo tunc apud Dovoriam transfretatio; ad partes illas, ubi minùs credebatur, per industriam exquisitam accessit.

Fortunam igitur urgens, seque semper in anteriora protendens, quippe nil credens actum cùm quid superesset agendum, cùm in casâ modicâ non procul à Dovoriâ, se quod poterat transformando suamque sequelam segregando, per octo dies & plures jam latitâsset; receptis ibidem nunciis suis cum relatione Judicum quam portaverant toti negotio pernecessaria, & nave longâ trans æquum gravique conditione conductâ, in crastino Omnium Sanctorum Zephiro flante clandestino navigio & indirecto apud Graveninges vix applicuit. Sed quoniam ibidem eâdem horâ de Santwich, prædicto sc. Angliæ portu & Cantuariensis Ecclesiæ territorio directo cursu applicuerant; timens & ibi partis adversæ potentiam, quæ in partibus illis & portubus Flandriæ maritimis non

 mo-

modica fuit, sub transtris navis & remis sub imo carinæ usque ad noctem ferè latitavit. Manè verò versùs S. Audomarum, quò partem pecuniæ suæ transmiserat, cùm acceleraret; ut pars terræ nulla per quam transiret ei foret absque terrore, à peregrinis & aliis, quos obvios habuit pro certo accepit, quòd Anglici cuncti ibi inventi capiebantur & spoliati publicæ custodiæ tradebantur. Quibus auditis, mutato consilio simul & calle, in Castro de Challi à boreali latere quasi per sex inde milliaria distante se suscepit. In crastino verò veniens ad ipsum Canonicus S. Audomari, cui nomen Alexander & cui notus fuerat & dilectus, secum eum apud S. Audomarum securè conduxit. Cùm igitur ibi cum amico, latenter tamen & non apertè pernoctâsset; recepto Clerico suo quem præmiserat & pecuniâ, versùsque Duniacum & Kameracum, quibus in finibus via commeantibus securior extiterat; Atrebatum, ubi capiebantur Anglici, longè à dextrâ relinquens, in crastino iter arripuit. Cùm igitur duabus apud Duniacum noctibus jacens, societatem quam expectaverat nullam invenit; manè die tertio versùs Cameracum iter aggrediens, & se fortunæ committens, cùm per duo milliaria jam processisset; ecce serviens quidam Nevelonis illius nequissimi custodis Atrebati, qui cunctos spoliabat Anglicos & nulli parcebat, præmissus à Domino suo ad Comitissam Flandriæ apud Valocenes, quò & ipse veniebat, Archidiaconum non directè obviando sed à dextro latere quasi ex transverso veniendo, sicut fors obtulit casúsque sinister, offendit; qui statim intuens pueros qui sequebantur nuper vestitos, per habitus ipsorum & vestes Anglicos esse perpendens, Archidiaconum cum his qui præcedebant celeriùs est consecutus.

Porrò qualiter nec fugæ præsidio tutus, nec Ecclesiæ refugio securus, ad gravem demum redemptionem est artatus. Item qualiter Parisios veniens, Bangoriensem Electum, qui apud Normanniam transfretaverat, ibi invenit. Item qualiter inde Trecas, & postea Claravalem & Cistercium adeundo, Abbatis de Albâ Landâ depositionem non immeritò procuravit; Sanctique Davidis injurias tanquam minister ultionis assumptus, vindicare non tardavit; sicque Burgundiam longis diætis transmetiens, & Alpes transcendens, Italiam intravit. Item qualiter insidias adversariorum tam Parmam vitando quàm Bononiam subitò transpenetrando præmunitus evasit. Et qualiter ibi duos Canonicos Landavenses, quos secum adduxerat, adversariis furtim adhærentes & fraudulenter Giraldus amisit. Item qualiter Faentiam tertio ante Natale die perveniens, XX. Marcatas auri, quod in obolis Mutinis à civibus Bononiensibus in nundinis Trecensibus emerat, vix & cum difficultate recuperavit. Et qualiter etiam ibidem urgente necessitatis articulo, majorem in extraneo quàm in compatriotâ & socio, Bangoriensi sc. Electo, cui tamen tam necessarius toties extiterat, liberalitatem invenit. Item qualiter tertio Natalis die per Balneum S. Mariæ sub Alpibus illis iter arripuit; & fortunæ manibus se suosque committens, transmensis montibus arduis & præruptis, nivibus pariter & prædonibus perhorrendis & periculosis, demum in Valle Spoletanâ se suscepit; ubi mirabantur admodum & stupebant indigenæ, quì Alpes illas prædonibus & periculis plenas sic indemnis cum suis omnibus pertransivit: Liber *de Gestis Giraldi* totum explanat.

Profectus itaque per partes illas dietis aliquot assignatis, biduo ante Epiphaniam Romam pervenit. Electus autem Bangoriensis propter sententiam, quâ separatus ab Ordine fuerat, quoniam id Abbas Cisterciensis Domino Papæ literis & nunciis significaverat, non statim urbem intrare, sed non procul ab urbe vel etiam in ipso suburbio, quousque per Archidiaconum animum Domini Papæ erga ipsum prætemptâsset, latitare disposuerat; donec Archidiaconus ei vix animum adjiciens & audaciam, secum eundem ad Curiam duxit. Archidiaconum autem statim Papa more solito cum honore & osculo suscepit. Bangoriensi verò dixit. Frater, dicitur quòd excommunicatus sis. Cui Archidiaconus.

diaconus. Domine verbis adversariorum nisi Parte utrâque priùs auditâ & veritate cognitâ, fides, si placet, adhiberi non debet. Et statim ipsum quoque palàm in osculo suscepit, dicens. Ita dicunt & asserunt ; vos videritis. Prævenerant enim adversarii, qui cum literis Abbatis Cisterciensis id attestantibus sic ipsum in Curiâ diffamaverant. Cùm igitur apud Lateranum Archidiaconus hospitium non procul â Curiâ cepisset ; Bangoriensis, qui pecuniosus erat, non jam cum ipso, ut solet, sed per se hospitium cepit. Noverat enim Archidiaconum in Flandriâ spoliatum, residuamque pecuniam suam sibi in proximo defecturam ; ne mutuum ei faceret à cohabitando ; sed ne causa sua periret, quæ desperata jam fuerat, ab auxilio petendo & consilio se non retraxit. Archidiaconus autem quanquam hæc ei perspicua forent cuncta ; tamen sub dissimulatione præteriens, causam suam propter causas præscriptas non minùs quàm propriam promovere curabat.

In primo itaque post Epiphaniam Consistorio magno procedens Archidiaconus in medium cum turbâ suorum, sic exorsus est. "Supplico celsitudini ve-"stræ, pie Pater & Domine, quatinus patienter & diligenter audire velitis "paginam prolixiorem plenam nostrâ injuriâ & nostrâ jacturâ. Multoties "mente præsagâ malorum vaticinatur quis quod veretur. Sicut anno præte-"rito quando placuit Sanctitati vestræ sic scribere Judicibus nostris super in-"quisitione consensûs nostri in quæstione Statûs ; præsensi statim & in publicâ "audientiâ dixi ; hoc nichil aliud fore, nisi occasionem dare patentem parti "adversæ malignandi & corrumpendi Capitulum nostrum ; quod & antea fa-"cilè corrumpi posse satis comperérat tam blanditiis & beneficiis quàm pro-"missionibus ; & ubi his proficere non poterat, minis & terroribus ac bono-"rum spoliationibus. Remedium tamen ad hæc vestra putavit adhibuisse pru-"dentia ; scribens Archiepiscopo Cantuariensi in hunc modum. *Quamdiu &* "*quantum dilectus filius Menevensis Archidiaconus super causâ suâ duxerit labo-*"*randum, qualiter nec personæ pepercerit nec expensis, inclementiam temporis, in-*"*temperiem aeris & viarum discrimina non evitans ; tua fraternitas plenè no-*"*vit, &c.* ut supra. *Quapropter fraternitati tuæ per Apostolica scripta manda-*"*mus atque præcipimus ; quatenus nec per te, nec per carissimum in Christo filium Johan-*"*nem Regem Anglorum, aut tuos vel ejus Officiales, impedias aut permittas ab aliis* "*impediri ; quo minùs tam supra quæstione Statûs quàm causâ Electionis ejusdem* "*mandatum Apostolicum impleatur. Clericos etiam & Laicos Menevenses in alter-*"*utro prædictorum assistentes eidem nec afficias damnis nec minis perterreas nec blan-*"*ditiis revoces, quo minùs testimonium perhibeant veritati ; & eorum, quibus su-*"*per hoc scripsimus, se conspectui repræsentent.* Ipse verò Clericos Menevenses "mecum in utrâque causâ stare paratos nichilominus tam beneficiis & blandi-"tiis alliciens, quàm minis & terroribus necnon & bonorum spoliationibus ab-"sterrens, quàm sit obediens mandatis vestris evidenter ostendit ; literis ta-"men omnibus vestræ Celsitudini ab ipso destinatis se devotum filium vestrum "vocitare præsumit. Sanè sincera devotio magis in factis quàm dictis vel "etiam scriptis, magis in opere quàm in sermone vel in ore consistit. Proba-"tio quippe tam devotionis quàm dilectionis exhibitio est operis. Quòd au-"tem hæc vera sunt, & quòd mandati vestri sic per omnia contemptor extite-"rit ; & coram Judicibus nostris in Angliâ probare parati fuimus, & hîc in "præsentiâ vestrâ per testes exceptione majores probare parati sumus. Unde "quoniam non solùm in nos & nostros sed etiam in Clerum Angliæ ferè uni-"versum publicâ regni potestate, quam ad nutum habet, sic desævire non ces-"sat ; ita rigor Apostolicus ejus insolentiam atque superbiam tantam repri-"mere curet ; ut pœna unius multorum sit metus ; & animadversionis hujus "exemplo cæteri discant Prælati à temerariis ausibus hujusmodi temperare. "Quoniam, ut ait Ambrosius, qui uni indulget indigno, ad prolapsionis con-"tagium provocat universos. Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delin-"quendi.

Post

Post hæc autem porrectæ sunt Papæ ab Archidiacono literæ Principum Walliæ cum sigillis appensis, communiter ei pro Ecclesiâ Walensicâ scribentium; quas non in Consistorio sed in camerâ coram Cardinalibus legi fecit. Erant autem literæ tales. "Reverendissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratiâ "Summo Pontifici, Lewelinus Princeps Norwalliæ, Wenunwen & Madocus "Principes Powisiæ, Grifinus & Mailgo, Resus ac Mareducus filii Resi Principes Sutwalliæ, salutem & debitam per omnia subjectionem. Paternitati "vestræ notificamus, quanta incommoda & animarum pericula Ecclesia Walensica sustinuit, postquam Anglicæ potestati & Cantuariensi per regiam "violentiam, & non de ratione vel Apostolicæ Sedis auctoritate subjecta fuit. "Inprimis itaque Cantuarienses Archiepiscopi ex consuetudine nobis & genti "nostræ Episcopos præficiunt Anglicos, morum patriæ & linguæ nostræ prorsus ignaros; qui nec verbum Dei populo prædicare sciunt, nec confessiones "nisi per interpretem suscipere. Illos etiam non per electionem Canonicam "sed per intrusionem potiùs & violentiam in Ecclesiasticis constituunt; vel si "Electionem quandoque sustineant, umbratilem illam & non veram faciunt; "Clericos nostros in Angliam vocando, & ibi in cameris Regum quemcunque "& quantumlibet vilem in partibus suis abjectum sibi eligere pastorem compellendo. Præterea Episcopi nostri sic nobis de Angliâ præfecti, quòd nec "terram nostram neque nos diligunt, sed sicut innato quodam odio corpora "prosequuntur, ita nec etiam animarum lucra quærunt; præesse quidem nobis & non prodesse cupientes, pastorale officium minimè apud nos exercent; "sed quæcunque à terrâ nostrâ, etsi non rectè, quocunque modo rapiunt, in "Angliam asportant, ibique in Abbatiis & terris eis à Regibus Angliæ ad hoc "concessis, ut quasi Parthicis a tergo & à longè sagittis, securè nos quotiens "jubentur excommunicare possint, cuncta consumunt. Terras etiam ob hoc "olim Ecclesiis Cathedralibus per Walliam à nostris prædecessoribus devotâ "largitione collatas, quòd patriam non diligunt, tam Clericis quàm Laicis "vendunt, donant & alienant. Et nos ob hæc ex parte nostrâ terras Ecclesiarum, quoniam omnia quasi in direptionem data videmus, Ecclesiæ auferimus & occupamus. Unde ad summam miseriam & paupertatem Ecclesiæ "Cathedrales in Walliâ redactæ sunt; quæ si bonis & idoneis gauderent Prælatis, nobiles essent & opimæ. Ad hæc etiam quoties Anglici in terram nostram & nos insurgunt; statim Archiepiscopi Cantuarienses totam terram "nostram sub interdicto concludunt; & nos, qui pro patriâ nostrâ solùm & "libertate tuendâ pugnamus, nominatim, & gentem nostram in genere sententiâ excommunicationis involvunt; & id ipsum Episcopis nostris, quos "ipsi ad libitum suum nobis, ut diximus, creant, & qui eis in hoc libenter "obediunt, faciendum injungunt. Unde accidit, ut quoties in bellicis conflictibus pro patriâ tuendâ cum gente inimicâ congredimur; quicunque ex parte "nostrâ ceciderint, excommunicati cadunt. Contra hæc igitur incommoda "& alia multa, quæ Canonici Menevenses cum Electo suo, Giraldo Archidiacono, viro venerabili & discreto, vobis vivâ voce pleniùs ostendent, à "vestra Sanctitate, ad quam Ecclesiæ totius regimen spectat, cum lacrimis "& singultibus remedia quærimus: rogantes & communiter supplicantes, "quatinus filios vestros tantùm trium Episcoporum Menevensium tempore ab "Anglicanâ Ecclesiâ miserabiliter afflictos ab indebitâ servitute paternâ pietate relevare velitis. Quoniam ante illorum trium, qui nunc ultimò fuerunt, tempora, Ecclesia Menevensis primatiæ Walliæ totius sedes fuerat, sicut "& antiquitus, Metropolitana, sanctæ Romanæ sc. Ecclesiæ solùm obnoxia. "Unde si oculo misericordiæ vestræ nos super his respicere dignum duxeritis; "quodcunque servitium, quod ferre possimus, nobis & terris nostris vobis & "Ecclesiæ B. Petri faciendum injunxeritis; promptâ & devotâ voluntate suscipiemus. Valeat in Domino cara nobis Paternitas vestra.

De

Deinde verò Judicum [a] relatione in medium totam negotii seriem continens producta utrinque & in publicâ audientiâ lecta fuit. Quæ quoniam cum commissione insertâ longa nimis est & prolixa; hîc ipsam apponere superfluum duxi. Qualiter autem super attestationibus S. Albani in proximo Consistorio utrinque datis, necnon & novorum testium ibi productorum dictis, fuerit disputatum, & criminalibus etiam objectionibus tam vivis rationibus quàm legibus etiam & canonibus obviatum; Liber *de Gestis Giraldi* totum enarrat. Sanè quoniam adversarii conditionem suorum noverant testium, quippe qui tanquam vilissimi facilè repelli poterant; cùm de variis criminibus accusarent, præcipuè de Simoniâ, ubi passim omnes & absque delectu tales etiam quales fuerant ipsi, cujuscunque famæ, cujuscunque conditionis, aut condemnationis, in odium criminis suscipiuntur, ipsum per cautelam exquisitam accusare contendunt. Archidiaconus autem statim productis testibus illis coram Auditoribus ad jurandum, proposuit in singulorum personas se dicturum; in Canonicos Menevenses tanquam perjuros & excommunicatos, in Monachos tanquam trutannos & domorum suarum desertores, in ribaldos tanquam vilissimos &, sicut cæteri cuncti, mercede conductos. Præterea prosequens & proponens de tribus eorum testibus, de Folioto, de Philippo falsò Diacono, qui se Diaconum gesserat & simulaverat cùm non esset; de Goluveno Monacho, qui agnominatus Follus; subjecit. Tales itaque testes contra nos produxerunt Falsos, Follos, & Foliotos. Item & de O. Archidiacono quem sicut & Foliotum reprobaverat tanquam excommunicatum suum & perjurum; quòd per triduum Auditores examinantes verbis frivolis & vanis scaturiendo detinuerat, & tantùm de auditu loquendo coram Papâ in consistorio & Cardinalibus, ait. Ut argumentum etiam rhetoricum sumamus à nomine: Osbertus dicitur quasi Ospertus, i. e. Os apertum. Nec mirum ergo si ore aperto multum evomuit. Item & de eodem. Gurgulio est vermis totus in gutture subsistens; qui facili attactu crepat & rumpitur, & fœtorem emittit. Facile est igitur istud huic nostro Gurgulioni adaptare.

[a] l. relatio.

Hoc quoque *de Gestis Giraldi* adjiciendum hîc putavi. Venerant nocte quadam ad Archidiaconum de multitudine partis adversæ Anglici duo fratres germani Presbyter & Clericus, à Folioto ducti, & ab Huberto conducti; qui propter offensam inter ipsos casualiter nuper exortam de secretis ipsorum & machinamentis ei plurimum revelârunt. A quibus inter cætera revelatum est ei; quòd quando recesserunt ab Archiepiscopo in Cantiâ Manerio suo quodam sc. apud Otofordiam in camerâ dedit Archiepiscopus universitati testium, quos contra Giraldum tam de Walliâ quàm Angliâ corrogaverat, ad sumptus & stipendia XLV. libras sterlingorum; sacramento tamen priùs à singulis super Crucem suam præstito, quòd Ecclesiæ Menevensi & Giraldo juxta consilium Clericorum suorum, cum quibus ituri fuerant, se fideliter opponerent; & quòd V. vel VI. ex illis parati fuerunt testificari tam super Electione Archidiaconi quàm Abbatis, & dicturi se utrique Electioni interfuisse, qui nunquam Meneviam viderunt; quorum etiam quidam Walliam intraverunt; de quorum numero se Presbyter ipse unum esse dicebat. Præmunitus itaque per hæc Archidiaconus & cautior effectus, in schedulis examinationum datis Auditoribus in examinatione scripsit & has de stipendiis apud Otofordiam datis & sacramento; de situ quoque Menevensis Ecclesiæ, sc. ad illos qui nunquam ibi fuerunt, quorum etiam nomina ei fuerunt ab eisdem indicata. Unde cùm inter testes adversæ partis Osbertus Archidiaconus primus fuerit ad interrogationem super stipendiis apud Otofordiam datis & sacramento, respondit, sicut publicatis attestationibus postmodum apparuit; quòd revera Archiepiscopus his qui pro ipso Romam ituri fuerant, quòd pauperes erant, fecit in camerâ Otofordiæ numerari XLV. libras sterlingorum. Sed dixit se nescire utrùm mutuo vel dono; & quòd juraverunt, quòd fideliter Clericis Domini Cantuariensis, cum

quibus ibant, & Procuratori Menevensis Ecclesiæ assisterent. Proditor autem Landavensis Ivorus primus de non Menevensibus examinatus, interrogatus de situ Menevensis Ecclesiæ, dixit, quod sita erat in colle quodam & procul à mari, & quòd non habebat nisi unam turrim & campanas malas. Unde & hunc testem mendacem & subornatum fuisse quidem evidens erat. Sed quoniam hi duo primi fuerunt examinati, ille Menevensium, hic exterorum; suos statim omnes super interrogationibus hujusmodi factis & faciendis præmunierunt. Quare nullus eorum postea de stipendiis Otofordiæ datis quicquam dicere voluit. Dicebant autem, sicut postmodum edocti fuerant, se ibi jurâsse, quòd Procuratori Capituli Menevensis fideliter assisterent. De situ quoque Menevensis Ecclesiæ & circumstantiis cunctis statim exteri cuncti plenè sunt instituti. Proinde qui diligentiam debitam adhibent omnem examinatores & cautelam, examinatorum ad examinandos nisi completis omnibus non permittunt accessus.

Cùm autem omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci; qualiter equum suum in Curiâ contra falsam trutanni vendicationem per industriam & cautelam exquisitam Giraldus obtinuit, hîc inserere præter rem ne putetur. Interim autem quidem Monachus falsus de Walliâ oriundus, cui nomen Golwenus; quem quòd domûs suæ sc. de Sancto Dogmaele desertor fuerat, & falsus sc. absque auctoritate per Walliam propter quæstum prædicator, Archidiaconus excommunicaverat; & qui Romam contra eundem allectus ab adversariis cum similium catervâ jam venerat; coram Camerario Domini Papæ singulis ferè diebus post meridiem quendam equum Archidiaconi vendicando acriter ipsum impetebat. Dicebat enim equum illum sibi per Archidiaconum in Walliâ sublatum. Archidiaconus autem non negavit quendam equum modicum & debilem, quo vix circumferebatur trutannus ille, à quodam Decano suo, quoniam absque licentiâ & auctoritate, cùm etiam excommunicatus esset, cum cæteris spoliis suis falsisque reliquiis sublatum fuisse; qui cum hoc ejus equo, qui grandis erat & fortis preciique non modici, nichil commune præter colorem habebat. Et hæc quidem rei veritas erat. Trutannus autem è contrario, puta quem nichil puduit, nichil turpe fuit, suum eundem esse constanter asserebat; & testium multitudinem de garcionibus & ribaldis partis adversæ, qui omnes jurare parati fuerant & testificari, quoniam ille idem erat quem etiam pullum se cum trutanno vidisse parati fuerant comprobare. Instinctu namque Clericorum Archiepiscopi, ut Archidiacono in Curiâ confusionem inferrent, trutannus ille vilissimus id totum faciebat; qui & ribaldos suos cunctos ad hoc probandum simul cum ipso mittebant. Trutannus autem tripliciter ad hoc accensus & accinctus erat. Primùm ut partem adversam, cujus stipendiis militabat, per hoc placaret. Ut etiam de Archidiacono se vel sic vindicaret; & ut equum optimum evincendo lucrum sibi non modicum compararet. Proinde & ad pedes Camerarii, qui vir simplex erat & juris ignarus, puta cui nichil trutannicum [a] incognitum erat aut expertum, se cotidie coram omnibus cum fletibus magnis & singultibus provolvebat. Adeò ut vir ille fatuus & idiota, motus ad hæc & credulus nimis effectus, equum illum ad stabulum suum duci faciens, ipsum penes se quasi in sequestro posuerat. Videns igitur Archidiaconus ribaldos illos ad nutum Dominorum suorum quidlibet probare paratos; videns hæc, inquam, & propter dedecus & hostium si vicerint & sic evicerint insultationem longè magis quàm propter damnum aut jacturam anxius existens, in partes divisus est plures, ideoque ad singula, nec mirum, minor effectus. Duplici namque causæ suæ, tam Statûs sc. quàm Electionis, & longè plùs Statûs, plurimùm intentus; de causâ quoque Bangoriensis Electi non minùs quàm de propriâ sollicitus ad frivolam hanc quoque controversiam & casualiter emersam distractus plurimùm & impeditus; omni ferè die manè coram Papâ in Consistorio, vespere verò coram Camerario vexabatur. Sciens itaque

[a] l. cognitum.

itaque si probatio ribaldica procederet, quòd tunc in eâ causâ proculdubio cum confusione succumberet; ut fraudem hanc & falsitatem detegere & artem adversam arte eludere posset, totius industriæ vires exercuit. Cùm ergo vespere quodam constitutis coram Camerario partibus, jam ad testificandam pro trutanno ribaldica multitudo procederet; quidam ex Archidiaconi parte, sicut edoctus ab ipso fuerat, Camerarium in hæc verba convenit. Mirum quòd homo, quo nemo in mundo vilior, nemo trutannior, desertor ordinis & honestatis, vocem in hac Curiâ vexandi virum bonum & honestum habere potest. Equus enim ille, qui ei in Walliâ propter trutanniam suam ablatus fuerat, & quem modò mentitur hunc esse, eunucatus fuerat; hic autem integer est & testiculos habens. Et statim trutannus ille prosiluit in medium; & ut erat præceps & effrons, & ad quidlibet pro commodo vel affirmandum vel negandum promptulus ac paratus, ad illum, qui locutus fuerat, conversus ait. Certè mentiris planè. Immo ille meus equus testiculos habuit, & quicquid bonus equus habere debuit, & adhuc habet; quod & Dominus Camerarius nunc perpendere poterit; & statim si placeat, videri faciat & probari. Quo dicto, protinus Archidiaconus & sui petierunt, ut hæc contestatio verbo ad verbum annotaretur. Quod & factum est; sicut moris est in partibus illis; quia propter contradictiones & contentiones, quæ sequi solent, contractus omnes & conventiones, facti narrationes & contestationes, per cautelam exquisitam scripto traduntur. Camerarius autem quosdam illico servientes de suis simul cum nostris ad equum inspiciendum in stabulo suo misit; cum quibus, ut rem certiùs indicaret, & ipse trutannus concurrit. Quibus in brevi reversis, unus servientium Camerarii dixit. Domine, fecimus quod jussistis, & nichil ibi tale reperimus; sed nec Monachus ipse nobiscum veniens, quanquam propinquiùs aliis partes illas inspiciens, & oculis quidem ac manibus cuncta perscrutans ac perlustrans, quicquam ibi præter virgam inutilem & peram vacuam invenit. Cum itaque verbum hoc jocosum risus secutus esset universorum; negotium Camerarius usque in castinum post meridiem protelavit. Et cum nocte eâdem rem gestam Domino Papæ replicaret; ipse resolutus in risum, equum Archidiacono reddi & trutanno silentium imponi jussit. Quod & in crastino cum maximâ partis adversæ confusione & grandi Curiæ totius hæc audientis lætitiâ pariter & exultatione factum fuit. Dicebant enim ferè cuncti per Curiam, & quasi pronosticum ex hoc eventu sumebant, conjectantes hanc victoriam Archidiaconi veluti præambulam, alias quoque victorias ejus in magnis negotiis consecutivas absque dubio prænuntiâsse. Quod revera, si Curia severa, si justicia mera, si falsitas sera, si fides sincera, si æqua statera, ubi vacua pera; juxta vaticinium & spem complurium provenisset.

Contigit autem his diebus Papam ad Fontem Virginum, quò spatiandi causâ loco & tempore competenti libenter atque frequenter ire consuevit, profectum esse. Erat autem fons ille fons pulcherrimus, à Laterano non longo intervallo meridionali ex latere distans, limpidas & frigidas aquas ex se fundens, Pariis lapidibus arte conclusus, & rivum amænum & amplum ad campos emittens. Sanè cùm Papam exiisse tam campanâ Palatii motionis ei nunciâ quàm famâ testante compertum fuerat; paratis ad equitandum palafridis, cum Electo Bangoriensi & sociis suis Papam Archidiaconus evestigio secutus est. Qui cùm ad fontem venisset, & paulò remotiùs in campo cum suis è regione consederit; Papa qui juxta fontis scaturiginem aliquantulum remotus ab aliis quasi in conclavi quodam præter semitam artam aquis & undis undique concluso cum paucis de familiâ suâ secretiore sedebat, Archidiaconum ad se vocari jussit, & solum sine socio venire præcepit. Factus itaque consedentium unus, Papâ quærente qualiter in causâ inter ipsum & Monachum super equo petendo processum fuisset, paucis admodum verbis & apertis quod ipse à Camerario priùs audierat ei replicavit; & qualiter artem illorum arte delusit, &

quomodo per subtilitatem acutam quasi per aquam modicam facilè totius falsitatis illius explosa vesica concrepuit. Addidit etiam, quòd si Monachus sic testibus careret ut equus, plus in religione & minus in causis & contentione proficere posset. Retulit etiam, qualiter unus Monachus quatuor conductorum cum trutannis aliis contra Giraldum, cui nomen Rogerus, publicè in Golwenum non sales quidem sed lædoria sic contorsit. Multa tibi mala, Golwene, testes fecerunt. Testes à domo tuâ & fratrum consortio te turpiter ejecerunt. Testes tibi religionis & honestatis commodum ademerunt. Testes tibi nunc equum tuum & omnem hîc honorem abstulerunt. Diminutivum autem ubique posuit ipse non positivum. Ad hæc autem Papa resolutus in risum, ait Archidiacono. Suntne tales testes, quos contra te producunt? Et Archidiaconus. Sunt utique; quia nunquam in hac Curiâ tam viles & tot fuerunt in uno negotio corrogati; quos utinam sic nosset intus & in cute vestra prudentia, sicut & à nobis cogniti sunt. Subjecit Papa. Si unquam scribere nosti vel tractare; tractatus illorum, quos in te facturi sunt, oportet te nunc cum diligentiâ magnâ retractare, & prudenter objectis respondere. Cui Archidiaconus. Domine, si gratiam in oculis vestris invenire poterimus & judicialis calculi justum examen; falsitates eorum omnes & frivola figmenta facilè Deo dante veris assertionibus nostris evacuabimus. Unicum tantùm refugium & solatium victoriæque titulum, si cætera cuncta defecerint, sibi de pecuniâ Domini sui, & ex puteo gazæ Cantuariensis inexhausto cornua sumunt. Hanc igitur allegationem solam, si opus fuerit, quasi peremptoriam & tanquam malleum, cui resisti non poterit, contra omnia adminicula nostra se jactitant in fine fiducialiter & efficaciter, quod absit, oppositūros. Sed qui oblatum aurum calcat & suppeditat, immo qui aurum ut algam reputat & æquiparat, Anglicano ære vel argento nunquam ab æquitatis lineâ deviat, nunquam à viâ veritatis exorbitat. Ad hæc autem Papa. De jactantiâ ipsorum aut stultiloquio ne cures; sed causæ tuæ, ut diximus, diligenter invigiles. Curiæ namque Romanæ inflexibilis æquitas causarum meritis non personarum semper in fine clarescet. Sed nunc de [a] Archiepiscopi vestri Grammaticâ loquamur, & qualiter in Sinodo Sermonem inchoavit, & qualiter in Dominicâ Palmarum de trium personarum distinctione disseruit; nobis edisseras. Cùm itaque nunc seriis, nunc jocosis & ludicris, ibidem Papa diutiùs indulsisset; cunctis admirantibus, sed adversariis & æmulis livore tabescentibus, quòd tam longum cum Archidiacono colloquium Papa tenuisset; soluto consessu, Romam reversi sunt. Qui verò prænominatos Archiepiscopi Sermones & Grammaticæ suæ figuras Rhetoricæque colores audire gestierit, quæ Papa libenter & Cardinales frequenter audire solebant, Libellum *Invectionum* Archidiaconi consulat & requirat.

Interea verò cùm super attestationibus jam publicatis in Consistorio acriùs utrinque disputaretur; Tinemudus verbo scaturiens & ore abundans, quùm in multiloquio peccatum deesse non solet, inter cætera quibus Archidiaconum in administratione Menevensis Ecclesiæ nimiam in subditos crudelitatem exercuisse probare volebat, ideoque in Episcopum ibidem nullatenus assumendum palàm asseruit, ipsum omnes Canonicos Menevenses, quoniam ei nec in causâ Statûs nec Electionis assistere vel assentire volebant, coram Judicibus apud S. Albanum excommunicâsse proposuit. Papa verò, ut erat acutus & subtilis, quæsivit statim à Canonicis, utrùm verum hoc esset. Surgentes autem Osbertus & Foliotus & alii cum ipsis omnes, ita revera fuisse proclamârunt; pu-

[a] Huberti Archiepiscopi illiteraturam Giraldus in *Gemmâ Ecclesiasticâ* Dist. 2. cap. 36. tacito ejus nomine deridendam pluribus allatis exemplis proponit, & in his tandem verbis narrationem claudit. *Unde à Clerico Curiæ Romanæ in Angliam transmisso quæsivit quidam, quare Dominus Papa toties literis & nuntiis Archiepiscopum ad se vocaret. Cui ille caput & humeros more suæ gentis avertendo respondit. Non sine causâ vocat illum; vult enim ipsum examinare in Donato.*

tantes Archidiaconum illico condemnandum. Quibus & Papa. Cùm igitur auctoritatem à nobis habuit & potestatem hoc faciendi; contra ipsum standi vel testificandi quam vocem habetis? Et obmutescentibus illis tanquam confusis, dixit Papa voce demissiore assessoribus suis Cardinalibus, audientibus etiam Capellanis qui ad pedes ejus sedebant, tanquam id Archidiacono per aliquem revelari vellet; meliorem exceptionem Canonicos omnes repellendi Archidiaconum habere non posse. Conversus autem ad Archidiaconum Papa quæsivit & ab ipso, utrùm verùm esset, quòd Canonicos Menevenses sic omnes excommunicâsset. Archidiaconus autem nactâ occasione ex Domini Papæ disputatione & partis adversæ confusione, veram rei gestæ seriem longè confidentiùs sic propalavit. Revera, Pater Sancte, duos illos Archipiratas Archiepiscopi sc. Osbertum Archidiaconum & R. Foliotum, per quos totam Ecclesiam nostram corrupit, rebelles ab initio mandato vestro & mihi in custodiâ Menevensis Ecclesiæ à vestrâ benignitate concessâ prorsus inobedientes & etiam spoliatores meos, nominatim excommunicavi. Et cùm alii complices eorum de Ecclesiâ tam Canonici quàm pro Canonicis habiti, necnon & Vicarii, post inhibitionem pluries sub anathematis interminatione factam passim eis & irreverenter communicarent, eos omnes rebelles tanquam & contumaces ex communicavi. Apud S. Albanum non, sicut mentitur pars adversa, nullum eorum excommunicavi; sed cùm producerenter pro nutu Regis & Archiepiscopi ad testificandum contra nos & Ecclesiam nostram, ipsos omnes excommunicatos à me Judicibus denunciavi. Et ad hæc Papa. Omnes ergo juxta hanc vestram narrationem sicut & suam ipsorum confessionem excommunicati sunt. Sicque soluto Consistorio, in cameram Papa recessit; & tumultuantibus adhuc in Palatio discedentium & descendentium turbis, accessit ad Archidiaconum qui cum sociis suis nondum à banco surrexerat, unus de Capellanis Domini Papæ, qui sedens ad pedes ipsius prænotatum ab ore ejus verbum audierat; præmonens ipsum & præmuniens, quatinus ab illâ exceptione, quâ meliorem contra adversarios habere non poteat, sc. Excommunicatione, non discederet.

Facta est itaque tam propter Fontis colloquium quàm & hoc quoque Consistorium magna partis adversæ tam confusio quàm desperatio; & è diverso Curiæ ferè totius, quoniam omnes Archidiaconi causam favorabilem habebant, exhilaratio pariter & exultatio. Unde & Hispanus quidam Advocatus in Curiâ peroptimus sæpiùs Archidiacono & suis quasi applaudendo & congratulando tunc dicere consuevit. Fortes estote, & confidenter agite; quod justitia vobis cum est & Dominus Papa. Pars autem adversa plùs de bursâ confidens quàm justitiâ, ducentas libras Camerario quasi salutando per hoc Papam eâdem nocte per hoc ipsum tanquam loco primitiarum ex parte placando numeravit. Singulis quoque Cardinalibus & majoribus in Curiâ singula donaria dedit; & si Dominus suus contra Archidiaconum obtinere potuerit, longè ampliora promisit.

Processu verò temporis videns Archidiaconus & attendens ex attestationibus falsissimis, quòd Abbatis S. Dogmaelis electionem, quæ longè posterior fuerat, pars adversa primam facere modis omnibus niteretur; contra falsas probationes rhetoricas assumens præsumptiones necnon & quasdam probationes, coram Papâ sic proposuit. "Pater Sancte quòd Abbatis Electio non fuerit prima, "sicut nititur pars adversa, veris assertionibus & tam præsumptionibus pluri-"mis quàm etiam probationibus nonnullis sic astruimus; & figmenta falsissima "certissimis tam conjecturis quàm probationibus exsufflamus. In primo ad-"ventu nostro statim evestigio misit Archiepiscopus Cantuariensis post nos vo-"bis per cursorem quendam literas Invectionis suæ; quibus & mandato vestro "respondimus, quas & adhuc in promptu habemus; in quibus omnia quæ ex-"cogitare potuit nostræ promotionis impedimenta congessit. Nullam autem "in eis mentionem fecit de Electione aliquâ ante nostram factâ. Quæ quidem si "facta fuisset, præsertim ab ipso; nec immemor fuisset nec tacuisset. Iterum in "Quadragesimâ sequente parum ante Pascha venit ad Curiam quidam nomine

"Bonjohannes, Clericus Cantuarienſis Archiepiſcopi & ab ipſo tranſmiſſus;
"qui interrogatus à vobis, utrùm ſpeciale mandatum aliquod haberet à Do-
"mino ſuo contra me, qui diutinam jam in Curiâ Romanâ moram feceram,
"dixit quòd non. Tantùm tamen injunxerat ei Dominus ſuus vobis dicen-
"dum, ut ait, ſi me fortè in Curiâ reperiret; quod quatuor erant nominati,
"quorum unus erat Archidiaconus; ſed ipſo ſtatim à Rege recuſato, Cano-
"nici Menevenſes Abbatem quendam cum Regis aſſenſu Londoniis ipſo præ-
"ſente coram Domino ſuo parum ante Natale tunc proximum elegerunt. Et
"cùm quæreretis, utrùm Dominus ſuus Electionem illam confirmâſſet, quòd
"tunc eram ego in Curiâ iſtâ; ille obmutuit. Et cùm inſtaretis, ut reſpon-
"deret; tantùm dixit quòd non erat ei injunctum ad hoc reſpondere. Crede-
"bat tamen id Domino ſuo non diſplicere. Vos autem illico, ſi ta-
"men benè recolimus, quicquid actum fuerat contra Electionem meam poſt
"iter ad vos arreptam & appellationem interpoſitam, in irritum revocâſtis.
"Unde ſi Archiepiſcopus immemor fuiſſet Electionis ante noſtram à ſe factæ
"mittendo curſorem; non immemor utique fuiſſet mittendo Clericum. Item
"in ſecundo adventu noſtro ad Curiam, cùm coram Auditoribus nobis datis
"ſc. Domino Sufredo & Petro Capuano narrâſſet pars utraque præcepto ipſo-
"rum factum ſuum coram ipſis; per narrationem R. Folioti, qui ſe Procura-
"torem geſſit Abbatis S. Dogmaelis, palam fuit omnibus Abbatis ejuſdem
"Electionem per dimidium annum vel ampliùs poſt Electionem noſtram
"factam fuiſſe; ſicut nonnulli, quos adhuc præſentes videmus, ſi memores
"ſunt, audierunt. Ad hæc etiam in hebdomadâ Paſchali proximâ poſt obitum
"Regis Ricardi reverſus eſt Archiepiſcopus in Angliam; ubi & Comitem Jo-
"hannem in die Aſcenſionis coronavit; & poſtea Rege ſtatim in Normanniam
"reverſo, & regno ex toto pacificato, Archiepiſcopus per totam æſtatem uſ-
"que in ipſum autumnum in Angliâ remanſit. Sed quare hoc toto inter-
"vallo Abbatem ſuum, ſi electus antea fuiſſet, non confirmavit aut etiam
"conſecravit, nullo prorſus reſiſtente obſtaculo, cùm nullius adhuc Electio
"proceſſiſſet. Sed nec etiam Abbatem illum toto hoc tempore ad ſe vocavit,
"quod quidem potuiſſet per curſorem, nec eum oculis ſuis vidit. Item
"conſuetudo in Angliâ eſt, licèt non approbanda; quòd quàm cito aliquis
"eligitur de aſſenſu Principis, ſtatim adminiſtrationem ſuſcipit Temporali-
"um etiam ante confirmationem. Unde ſi Abbas electus fuiſſet in Epiphaniâ
"de Regis aſſenſu; quàm cito nuncius inde redire poſſet, adminiſtrationem
"proculdubio recepiſſet. Sed non uſque Natale recepit; quòd Prior Lantoni-
"enſis eam uſque tunc habuit. Ergo non antè electus fuit. Item circa
"Feſtum S. Michaelis proximum poſt electionem Giraldi Archidiaconi Ar-
"chiepiſcopus iterum de Normanniâ in Angliam reverſus, ſtatim mandavit,
"ut Canonici Menevenſes ad ipſum venirent cum literis de rato, ut dicit O.
"Archidiaconus, paſtorale ſolatium ſuſcepturi. Ipſi verò tres Canonicos mi-
"ſerunt, ſed abſque literis de rato. Ad hæc enim verecundabantur & vere-
"bantur contra factum ſuum tam recens venire manifeſtè. Dicit enim O. Ar-
"chidiaconus, quòd quia literas de rato non habuerunt, non cantaverunt *Te
"Deum laudamus*, in Electione Abbatis apud Lameiam, nec Archiepiſcopus
"conſuluit. Conſtat autem, quòd ſi Archiepiſcopus Abbatem antè ele-
"giſſet, vicem in hoc Capituli gerens, nec literas de rato quæſiſſet, quòd nec
"eis indigeret; nec *Te Deum laudamus* cantari diſſuaſiſſet. Item ex literis
"Capituli noſtri miſſis Archiepiſcopo apud Glouceſtriam in illâ examinatione
"præſumptuoſâ ad petendam confirmationem Abbatis manifeſtè patet; quòd
"non contulerant vota eligendi in Archiepiſcopum; ſed tantùm ut ſuper
"aſſenſu Regis de uno illorum quatuor inquiſito eos certificaret, ei ſupplica-
"verant. Unde, ut dicunt, intellecto tandem per literas Archiepiſcopi &
"literas Juſticiarii, quòd in Abbatem S. Dogmaelis Rex conſenſit; ipſum

"elegerunt

"elegerunt in Pastorem. Verecundiùs itaque tunc mentiebantur quàm "postea. Nondum enim excogitata subtilitas illa fuerat, faciendi sc. primum "novissimum & novissimum primum. Item in ipsâ Electione Giraldi Archi-"diaconi & etiam pòst Priorem Lantoniensem Canonicis Menevensibus ut eli-"gerent, Archiepiscopus tam literis suis & nunciis quàm etiam Justiciarii "districtè mandavit. Quòd si Abbatem antè elegisset; nullatenus Priorem "illum tam impudenter illis tunc ingessisset. Unde timens Capitulum no-"strum, ne citra Electionem omnem vel etiam nominationem Priorem illum "Archiepiscopus ei mitteret consecratum; quòd præceps esse solet in talibus, "sicut patet in Bangoriensi, literas suas contra eundem Priorem ad vos de-"stinârunt. Unde si aliquod obstaculum de Abbate præscripto vel alio quoli-"bet se credidissent tunc habituros; contra eundem absque dubio pro Electo "suo & Ecclesiæ libertate scripsissent. Item quòd totum falsum & confictum "fuerit de potestate in Archiepiscopum collatâ, ex hoc quoque patet eviden-"ter; quòd nunquam adeò mente capti fuissent Canonici Menevenses, quòd "in archiadversarium Ecclesiæ suæ, qui nunquam eos bono & valido pastore "gaudere voluit, potestatem eligendi sibi Episcopum contulerint. Quod etiam "ex ipso Abbate, quem elegisse dicitur, sibi ipsi in Philosophiâ simillimo clares-"cere potest. Nec mirum, quoniam ut ait Plautus: Ex insensibili ne credas "sensile nasci. Item si Archiepiscopus Abbatem illum elegisset vice Capituli "Menevensis in Epiphaniâ proximâ sequente post obitum Episcopi P. sicut ni-"titur pars adversâ; constat quòd illam Electionem suam confirmâsset, cùm "nullum haberet impedimentum; quòd nisi per anni dimidii spatium & am-"plius subsequenter elapsum, Festo sc. Apostolorum Petri & Pauli, Archi-"diaconi electio facta fuit. Sed nec ante Archidiaconi electionem nec post "Abbatis Electionem confirmavit, Ergo nec ipsum elegit. Sunt igitur ar-"gumenta, Pater, ut nostis, hæc rhetorica, conjecturalia quidem & proba-"bilia, præsumptiones sc. magis quàm probationes; quibus revera fides "longè major adhiberi debet, quàm testium assertionibus vilissimorum.

"Veruntamen præter præsumptiones has tam validas tot & tantas, habemus "ad hoc trium testium probationes, duorum sc. de nostris & unius de adversis. "Sicut enim missi fuerant sex Canonici nostri ad Archiepiscopum contra Fe-"stum S. Michaelis proximum post mortem Episcopi ad Electionem facien-"dam; sic mandato Justiciarii & hoc per præceptum Regis & Archiepiscopi, "de partibus cismarinis missi fuerunt quatuor Canonici nostri Londonias ad "Justiciarium contra Quadragesimam ad Electionem faciendam vel ad Re-"gem & Archiepiscopum transfretandum; quibus & adhuc Justiciarius Prio-"rem de Lantonei constanter offerebat; quem quòd recipere nolebant, de "assensu ipsius miserunt unum ex ipsis cum Clerico quodam Ecclesiæ ad Re-"gem Ricardum propter assensum ipsius requirendum de Giraldo Archidiaco-"no eligendo. Hoc autem probant testes nostri duo, Nicholaus Major & Hu-"go serviens, & O. Archidiaconus testis contrarius. Dicit enim Nicolaus "Major, quòd in comitatu fuit Clericorum Menevensium, qui missi erant ad "Regem Ricardum propter assensum ejus requirendum de Giraldo Archidia-"cono eligendo, & hoc usque in Normanniam; & inde ipsis Regem sequenti-"bus, usque Pictaviam. Ipse in Franciam eundo scolas petiit; ubi paulò "pòst audivit, quòd Rege Ricardo interempto Clerici Menevenses ad fratrem "suum Comitem Johannem reversi sunt. Hugo verò serviens dicit, quòd "cum Clericis Menevensibus tunc ivit, ut eis serviret; & cum ipsis fuit, "quando reversi à Rege Ricardo interempto ad Comitem Johannem apud "Chinonense castrum venerunt. Osbertus autem, qui totum ferè de auditu "loquitur, dicit se audisse quatuor Canonicos iterum missos ad Justiciarium "in Angliam propter electionem faciendam; & quòd inde miserunt duos Cle-"ricos ad Regem Ricardum parum ante obitum suum. Et licèt tempus

"non

" non exprimatur missionis istius, quod nec fortè interrogatum fuerat per in-
" curiam aliquam; tamen ex verbis singulorum testium ipsorum hoc colligi
" potest, quòd circa Quadragesimam. Dicunt enim omnes, quòd quia Re-
" gem Ricardum mortuum invenerunt, & priusquam ad ipsum pervenire pos-
" sent, interemptum; conversi sunt ad fratrem suum Johannem, qui ei suc-
" cessit. Rex enim Ricardus quasi XV. diebus ante Pascha interfectus fuerat.
" Unde patet, quòd si Archiepiscopus Abbatem elegisset in Epiphaniâ proxi-
" mâ præcedente, vel etiam potestatem habuisset ei à Canonicis collatam ip-
" sum eligendi; non quidem Canonicos de Walliâ in Angliam, de Angliâ in
" Normanniam aut Pictaviam, propter eligendum Episcopum vocari aut vex-
" ari procuraret; nec Capitulum Menevense Clericos suos ad transmarinas &
" longinquas regiones inani labore transmisisset. Sunt autem hæ probationes
" apertæ, sicut & antea præsumptiones inductæ validæ satis & manifestæ. Quic-
" quid igitur amodo in pronunciatione contingat, in quamcunque partem a-
" lea sententialis declinetur; propalatâ tam evidenter veritatis serie æquanimi-
" ter à nobis sufferendum noverit hæc Curia tota.

Videns itaque pars adversa causam Archidiaconi de die in diem toti Curiæ magis acceptam & favorabilem, suique figmenti fraudem jam ferè detectam, imminente jam Paschâ & Palmarum Dominicâ, ad remedium efficax & collirium, quod oculos excæcat, & loculos hinc aggravat inde evacuat, tanquam ad ultimum refugium, &, qui ibi non fallit, arcum recurrendo, ut Archidiaconi cassetur electio; primò Camerarios & Consiliarios, deinde Papam & Cardinales æris nitebantur immensitate corrumpere. Erat tamen inter ipsos in hujus rei deliberatione dissensio. Pars enim Cardinalium sanior electionem Archidiaconi, cùm quòd veritas rei subpetere videbatur & ratio, tum etiam quoniam ejus promotio propter causam Statûs, quam Ecclesiæ Cantuariensi suscitabat, quamdiu duraverit ille, & perutilem fore sciebant & fructuosam, confirmandam esse censebant. Alii verò sicut complices Archiepiscopi & ab ipso corrupti pecuniam oblatam in tantâ quantitate nullatenus respuendam sentiebant; dicentes tantæ animositatis Archidiaconum esse, quòd etiam in statu, quo tunc erat, Cantuariensem Ecclesiam super dignitate Ecclesiæ suæ vexare non desineret. Archiepiscopus enim post concordiam inter ipsum & Archidiaconum factam pluries assertivè dicere consuevit; quòd in controversiâ ei ab Archidiacono motâ, præter Clericos suos bonos & servientes in Curiâ mortuos, XI. millià Marcarum expenderat. Hanc enim quasi maximam Clericis suis ad Curiam missis dederat; quòd si viderent Archidiaconi promotionem procedere debere; in profundendâ pecuniâ, quo minùs hoc fieret, modum & mensuram, tanquam ad redimendam pacem & tranquilitatem suam & Ecclesiæ Cantuariensis toto Giraldi tempore, non attenderent. Ideoque videntes causam ipsius de die in diem ampliùs profecturam, juxta mandatum inde susceptum immoderatam ad Curiam corrumpendum & à viâ veritatis avertendum pecuniam undique profuderunt.

Archidiaconus autem, quia cæca futuri mens hominum fati, ignorans hæc omnia usque post sententiam datam, instabat, ut in personas testium dicere posset, sibi Auditores dari. Et cùm pluries Papam super hoc jam convenisset; & semper hoc ipse dissuasisset, dicens morosum fore negotium & imminente temporis æstu personis etiam periculosum; respondebat Archidiaconus assiduè se malle negotia morari & æstuantia tempora sub dispendio sanitatis expectare, quàm merita causarum justitiæ tam evidentis per testes vilissimos periclitari. Noverant enim adversarii testium suorum conditionem; & quia reprobabiles cunctos esse cognoverant, præsertim etiam excommunicationis exceptione Canonicos omnes exsufflante; erga Papam & Cardinales dona cumulando & promissiones augmentando, ut tolleretur articulus iste, toto conamine laborabant. Sciebant enim ipsi, sicut & Curia tota, quòd si testes contra Archidiaconum criminaliter excipientes objectu criminum reprobarentur;

rentur; nil præter purgationem canonicam Archidiacono per sententiam injungi posset. Proinde ad dissuadendum hoc Archidiacono, quia remedium illud ei, si persistere vellet, de jure negari non poterat, familiares & sectarii Papæ ferè cuncti contendebant. Quidam enim ex ipsis & alii per ipsos dicebant; mirum esse virum discretum, qui Domini Papæ Curiæque totius favorem habebat, propriam promotionem proferre velle, & sententiam pro se dandam prolongare. Hugolinus quoque Cardinalis & Papæ consobrinus, qui hactenus Archidiaconi præcipuus in Curiâ fautor fuerat & amicus, nunc autem cum aliis ex toto corruptus, maximus ejusdem rei dissuasor extiterat; & quoniam efficax est hostis ad nocendum cui fides habetur, consuluit Papam super hoc secretiùs ab Archidiacono consulendum, ejusque consilio, à quo, ut asserebat, dilectus erat, indubitanter obtemperandum. Archidiaconus autem, heu! credulus nimis, utpote tantæ corruptionis prorsus adhuc ignarus, Papam incontinenti, qui tantum sibi honorem exhibere seque tanquam advocatum ejusdem in causis omnibus gerere consuevit, super hoc confidenter adeundo convenit. Papa verò pronus similiter & promptus ad dissuadendum, ait. Si contra testes ipsorum dixeris, & ipsi contra similiter dicunt; & sic non erit litium finis; & supervenient æstuantia tempora vestratibus, ut nostis, periculosa. Sin autem renuntiare volueritis utrinque testium productioni & scripta reddere; citò per Dei gratiam expediemini. Nec vos timere oportet; quòd nunquam vobis in jure vestro deesse velimus. In crastino verò convocatis in thalamo Archidiacono & Tinemudo, qui totam hanc dissuasionem sicut & corruptionem procuraverat & comparaverat, Papa simili modo proposuit eis vel expeditionem accommodam vel moram periculosam. Archidiaconus autem, cui malè fuerat persuasum, Curiæ fallaci credulus nimis effectus, se testibus renunciaturum statim & cunctis adminiculis ex toto concessit. Thinemudus autem id gavisus suâ ex parte concessit; dum tamen Archidiaconus exceptioni unicæ super Canonicorum sc. excommunicatione renuntiaret. Timebat enim exceptionem illam; quoniam efficax erat. Timebat & Dominum suum; quoniam de verbo ipsius, quod ore proprio in pleno Consistorio protulerat, data huic exceptioni occasio fuit. Papa verò quoniam huic exceptioni opponendo, ut dictum est, authoritatem dedit; & ut etiam factum corruptionis per hoc utcunque dissimularet, illico subjunxit. Hoc itaque faciet, si & vos exceptionibus vestris, quibus ipsum criminosum reddere contenditis, renunciare volueritis. Hoc autem dicto, renunciatio utrinque simpliciter & absolutè facta fuit; & sic productioni testium pars utraque renunciavit.

Postmodum autem constitutis coram Papâ & Cardinalibus in Camerâ partibus propter criminales ei factas objectiones, Archidiaconus ad famæ suæ defensionem se pauca dicturum proposuit, & audientiam postulavit. Et cùm Papa subjiceret, quòd non opus esset; ait Archidiaconus. Immo Domine, quòd revera longè plùs diligo famam meam quàm cathedram illam. Papa verò ut ad finem negotii expeditiùs tendere posset, ait. Frater, ab initio notitiæ personæ tuæ tuam commendavimus honestatem & commendamus; nec unquam aliud de te audivimus, præterquam ab adversariis, quibus fides haberi non debet. Quem nos ergo defendimus, non aliâ, ut credimus, opus est illi defensione. Instante itaque septimanâ pœnali & jam imminente Paschali, finis interim datus est causis, & ad transigendum ac deliberandum necnon & sententias formandum vacatio grata. Qui verò rhetoricam Archidiaconi in famæ suæ defensione videre voluerit Orationem, Libellum Invectionum in calce respiciat.

Paschalibus itaque diebus cùm ad Papam Archidiaconus accederet; inter cætera dixit ei Papa, id quod animo conceperat ex parte denudans; quòd propter Reges aut Principes seu Magnates, qui ipsi adversabantur, non oportuit

ipsum

ipsum in aliquo timere; quia nichil ei, nisi per exceptionem aliquam partis adversæ repelli deberet, nocere poterat ad promotionem. Susceperat enim eisdem diebus, sicut & antea pluries, Archiepiscopo Cantuariensi procurante, literas tam Regis Angliæ Johannis, quàm etiam nepotis ejusdem Alamannorum Regis Othonis, quem Papa tunc speciali amplexabatur dilectione, Archidiacono adversantes; qui ambo inter Principes terræ favorabiles in Curia nimis extiterant, unus propter Imperii spem obtinendi, alter propter auri & argenti tam rem quàm spem largiendi. Respondit ad hæc Archidiaconus; quod per tales testes, si fides eis adhiberetur, quibus nunquam similes neque tam viles in hac Curiâ producti fuerunt, non solùm Archidiaconus unus aut Electus, verùm etiam Archiepiscopi septem firmiùs stantes & fortiùs quàm Cantuariensis, deponi possent & degradari; si fides falsitati præberetur. Per testium tamen illorum reprobationem, si licuisset & ei dissuasum non fuisset, ipsorum assertiones tanquam vilissimorum facilè dixit evacuandas. Papa vero hoc audiens, Hugolinum qui ei assidebat respiciendo, cum capitis concussione subrisit.

Elapsis itaque diebus aliquot, feriâ tertiâ post clausum Pascha Papa in Consistorio sedens, præsentibus Cardinalibus & partibus assistentibus, velut absque morâ promissa perciperet, vel etiam dictos viros magnos pleniùs maturando negotium complacaret, ad sententiandum sic properavit. "Duo proponuntur "Ecclesiæ Menevensis Electi, Abbas S. Dogmaelis & Giraldus Archidiaco-"nus. Proponitur enim ex parte Abbatis; quòd post obitum Episcopi P. "missi sunt VI. Canonici Menevenses ad Archiepiscopum Cantuariensem "cum literis Capituli sui de rato ad eligendum sibi pastorem. Sed quoniam "de Regis assensu, qui in transmarinis agebat, non constabat; in Archiepisco-"pum ad Regem transfretaturum vota eligendi contulerunt. Ipse vero in "Epiphaniâ sequente apud Insulam de Andeli in Normanniâ cum Regis as-"sensu Abbatem elegit. Sed quoniam in literis de rato continebatur; quòd "eligere possent illi sex, non autem quòd in alium hanc potestatem conferre "possent; nulla fuit Electio ab Archiepiscopo sic facta. Contulerunt enim "in ipsum quod conferre non potuerunt. Unde cassamus electionem illam "tanquam nullam. Item proponitur ex parte Archidiaconi; quòd in Festo "Apostolorum Petri & Pauli post obitum Episcopi sui convenerunt Canonici "Ecclesiæ Menevensis apud Meneviam ferè cuncti propter electionem facien-"dam; ibique communi & unanimi omnium assensu Giraldum Archidiaco-"num elegerunt, & statim ad nostram audientiam appellaverunt. Sed quo-"niam dubium adhuc esse poterat, utrùm Electio de Abbate illo ab Archie-"piscopo facta teneri deberet; poterat enim de facto Archiepiscopi sui bene "dubitare: (His enim verbis ipsis ad colorandum factum suum usus est Papa) "& in illo dubio priusquam discussum esset, ad aliam Electionem faciendam "processerunt; cassamus & illam." Ecce qualiter sententiam hanc ex toto fundavit & formavit, è mendacio per partis astutiam adversæ conficto; tanquam constaret ei electionem Abbatis apud Insulam priùs factam fuisse; sicut per testes perjuros & excommunicatos nostros ac veris rationibus & irrefragabilibus à nobis reprobatos fuerat astructum; ubi nil veritatis omnino, sed conficta & falsa cuncta fuerunt. Patet itaque, quàm ambigua sunt valde fata causarum; quarum in aleâ cæca & incerta, vaga & erronea, multa quidem immeritò, multa quoque ex insperato proveniunt; maximè verò ubi Principes magnos grandique viros potentiâ præditos necnon & in Curiâ favorabiles, totis adversantes nisibus, & in contrarium literis & nunciis crebris supplicantes, contingere causa videtur. Præsertim etiam, si dicere fas est, ubi forsan massa metalli tum rutili tum tinnuli, oculos & aures malè demulcens, trutinam ipsam æquâ librari lance non permittit. Unde quod Hyldebertus Cenomannensis Episcopus ad Curiæ sugillationem in libro suo Episto-

Epistolari inter cætera scripsit, & hîc apponere dignum duximus. "Nobis, "inquit, Romam profecturis tempus hieme suspectum, nivibus Alpes, incre-"mentis aquæ, vinculis Imperator, seditionibus civitas, exactione Palatium. "Sanè omnia hæc orationibus evacuari posse credimus; solam verò exactio-"nem nec oratione nec jejunio temperari.

Facta est igitur adversæ partis exultatio grandis & insultatio: [a] *sicut exultant victores captâ prædâ, quando dividunt spolia.* De Abbatis enim illius Electione cassatâ nihil eis cordi fuerat. Gaudium enim exuberans super Archidiaconi Electione cassatâ, cujus adeò verebantur promotionem, cæteras eorundem curas omnes absorbuit. Nec unquam Archiepiscopo menti fuerat aut proposito Abbatem illum vel alterum vel quenquam de Ecclesiâ illâ vel etiam patriâ ibi promovere. Sed tantùm per promissiones varias & deceptiones & Electionum plurium confusiones schisma inter ipsos facere; & quia [b] *omne regnum in se divisum desolabitur*; Archidiaconi solius, qui solus canonicè & legitimè electus fuerat, & quem solum verebatur, per hæc omnia promotionem impedire. Sicut ex post facto claruit, & sicut ex sequentibus palam erit. In crastino verò procedens Archidiaconus in pleno Consistorio, Papam in hujuscemodi verba convenit. "Pater & Domine, duplex, ut nostis, causa laboris no-"stri fuit; causa videlicet Electionis, & causa Statûs Ecclesiæ nostræ. Unde "si extincta est una, prout placuit arbitrio vestro; supplicamus Sanctitati ve-"stræ, quatinus altera, propter quam præcipuè toties ad Curiam istam labo-"ravimus, sc. causa Statûs, suo cursu suoque Marte procedat." Et quis, inquit Papa, causam istam prosequeretur? Et Archidiaconus. "Ego, Pater, si "vestræ placuerit providentiæ. Quòd si Electus Ecclesiæ illius non sum, Archi-"diaconus tamen ejusdem sum & Canonicus filiusque legitimus & non spuri-"us; matrem & fratres ab indebitâ quidem eripere servitute pro posse para-"tus." Protinus autem Hostiensis Episcopus, liberalis ille & Curialis Octovianus, Cardinalis primus, & dextrum Papæ latus ubique tenens, ad hæc respondit. Nunc revera evidenter apparet; quòd magis appetiit & appetit iste Ecclesiæ suæ profectum quàm personæ; & quia magis hunc caritas laborare quàm cupiditas fecit. Hoc autem dicto, & favorabili multitudinis murmure subsecuto, Curia tota Giraldo etsi non voce, votis tamen applausit.

[a] Isa. IX 3

[b] Matt. XII 25.

Papa verò surgens statim à Consistorio, causâ deliberandi super hoc cum Cardinalibus in cameram secessit; & post moram non magnam vocatus est in Cameram Archidiaconus; & commissionem ei fieri, juxta quod poposcerat, adjudicatum fuit. Erat enim tam petitio favorabilis quàm petitionis evidens justitia; necnon & Curiæ non modicum, si causa processerit, emolumentum. Erat autem forma Commissionis & summa; sicut Archidiacono juxta desiderium ipsius & præmissam toties antea postulationem tunc Papa proposuit; quòd si probare posset Canonicos Menevenses sibi in causâ Statûs aliquando consensisse, & postea per violentiam aut bonorum spoliationem aversos fuisse; admitteretur agens, & juxta tenorem Commissionis anni præteriti causa procederet. Judices quoque in favorem Archidiaconi & ad ejus instantiam non de Suffraganeis Cantuariensibus, ut antè, sed de Eboracensi Provinciâ, ut placaretur utcunque super offensâ priore, & quoniam placuit hæc controversia tam fructuosa Curiæ toti, Papa concessit. Audientes autem hoc adversarii, non hodie quod heri, sed tristes & consternati demissis vultibus & cernuis capitibus discesserunt. Speraverant enim, & ob hoc pecuniam in tantâ quantitate dederant; quòd extinctâ Electionis causâ quæstio quoque Statûs, quam adeò verebantur & propter quam ne procederet Archidiaconi promotionem tantis nisibus impedierant, similiter extingueretur. Sed quoniam hac spe frustratos & desiderio suo fraudatos se conspexerunt; timentes offensam Domini sui & iram gravem, quem sc. hominem austerum noverant & cujus pecuniam tantam dederant, & pacem ei non obtinuerant; intimo dolore contabuerunt.

tabuerunt. Sicque digno Dei judicio factum est; ut qui fraudi intendunt & deceptioni, fraudati doleant & decepti. Nec enim lex justior ulla est, Quàm sic artifices arte perire suâ. Curia verò hæc audiens & Clerici extranei ab orbe universo Curiam sequentes, dicebant; quòd verè dignus honore foret & honorabili Cathedrâ Archidiaconus iste; & quòd infœlix Ecclesia est illa, ad quam vocatus fuerat vir tantus, & pro cujus dignitate tam egregiè tamque devotè laboravit, & adhuc quoque laborare disponit, quòd talem habere Prælatum non prævaluit.

His ita completis, cùm secretiùs ad Papam Archidiaconus accederet; ipsum quasi adulando & post offensam utcunque placare volendo sic Papa convenit. Frater, commendandus est valde labor tuus & animositas tua; quòd contra Reges & Principes tantumque Pontificem & tam opimum pro jure tuo & Ecclesiæ tuæ tam strenuè dimicasti. Nec esse poterit, quin id tibi retribuat Deus; si tamen talis fuit intentio tua, qualem nos fuisse putamus. Et nos tibi custodiam Menevensis Ecclesiæ committendo, pro te, quoties res expetebat, nunc acriter nunc affectuosè scribendo, benignè te satis per cunctos aggressus tuos sustentavimus. Respondens autem Archidiaconus ait, De intentione nostrâ judicet ille, qui scrutator est cordium & animi conscius secretorum. Quòd verò zelo Dei solùm & Ecclesiæ nostræ laborem hunc assumpserim, ex hoc patet, quòd nunc & vacuus à spe Cathedræ illius, laborem eundem nichilominus aggressus sum. Et quoniam homo mihi laborem hunc non reddit; necesse est, ut ipsum, qui nullum bonum relinquit irremuneratum, reddat Deus. Et custodia quoque mihi commissa, Archiepiscopo cuncta turbante, plùs onerosa fuit quàm fructuosa. Subjecit autem Papa, nitens ad hoc, ut Archidiacono gratus adhuc vel in aliquo videri posset; ostendens, qualiter in modo sententiandi criminales objectiones omnes suppeditavit; & nullam prorsus de ipsis in pronuntiando mentionem faciens, tanquam viles & momenti nullius, nec repetitione dignas nec recordatione, ut nullo unquam tempore ei nocere possint, adnichilavit. Archidiaconus autem in omnibus gratias agens, respondit per suas & suorum responsiones objecta criminalia satis exsufflata & evacuata fuisse; & si in testes criminosos dixisse licuisset, & id ei dissuasum non fuisset, ampliùs & perfectiùs ex solis testium reprobationibus adnichilata fuissent. Qualiter autem Cardinales pro Giraldo scripserunt; & ut iterum eligeretur, cautè & occultè persuadere studuerunt: Qualiter etiam Octovianus Hostiensis Episcopus Cardinalis mutuum Giraldo Romæ habere fecit, & ipsum post Papam Præneste transmisit: Qualiter Præneste veniens, mutuum per Papam, sicut Romæ per Hostiensem, Giraldus impetravit: Qualiter à cruce, à qua per Cardinalem absolutus fuerat, & ad quam resumendam per Archiepiscopi protervitatem arctatus extiterat, demum à Papâ fuit absolutus; Et qualiter per hos tantos post adversa successus & Papæ tanquam favores exhibitos parti adversæ livor pariter & dolor accrevit: Qualiter expensæ per sententiam Archidiacono sunt adjudicatæ: Liber uterque, sc. tam *Invectionum* quàm *de Gestis Giraldi*, patenter explanat. Super expensis tamen adjudicatis & altercatione inter Archidiaconum & Tinemudum coram Auditore Cardinale super hoc habitâ hîc inserere præter rem non putavi.

DISTINCTIO V.

INterim autem coram Hugelino Cardinali Auditore dato cùm inter Archidiaconum & Tinemudum, quod *Os Claudens* Anglicè sonare videtur, super expensarum condemnatione frequens fieret altercatio, isto petente expensas tanquam

tanquam sibi de jure debitas, illo verò non os claudente sed in contrarium acriter aperiente. Tandem utrinque renunciato allegationibus & scriptis in manum Cardinalis datis, Papæ sententia est à Cardinalibus reservata. Scriptum autem Archidiaconi Papæ præsentatum & coram ipso & Cardinalibus lectum, tale fuit. " In secundâ Commissione condemnatus est Archiepiscopus in me-
" dietatem expensarum Archidiaconi præcisè circa finem his verbis. *Verùm*
" *quoniam Archiepiscopus tam super Electione quàm quæstione Statûs ad nostram*
" *citatus præsentiam, ad alteram tantùm sufficientem procuratorem direxit, cùm*
" *idem Archidiaconus utramque causam in propriâ personâ fuerit prosecutus; vo-*
" *lumus & mandamus, ut Archiepiscopus ei saltem medietatem legitimarum resti-*
" *tuat expensarum.* Sed dicit adversarius nuncios Archiepiscopi literas procu-
" rationis in causâ Statûs perdidisse Parmæ, sicut credit, ubi Andreas
" captus fuit & detentus. Sed quare literæ illæ magis essent deperditæ quàm li-
" teræ procurationis in causâ electionis, vel etiam excusationis in causâ Statûs,
" quas ambas protulit Andreas anno præterito, nec unquam etiam illud alle-
" gavit. Ideoque frivolum est istud & fictitium. Item dicit adversarius,
" quòd licèt Archiepiscopus quoad hoc fuerit indefensus, non tamen debuit
" Archidiacono condemnari; quoniam Archidiaconus falsò se gessit procura-
" torem Ecclesiæ Menevensis. Ad quod respondemus, quòd neque verè ne-
" que falsò se gessit Archidiaconus Procuratorem Ecclesiæ Menevensis; quòd
" non nomine Ecclesiæ vel Capituli sed nomine proprio, sicut membrum Ec-
" clesiæ, Commissionem illam impetravit vel citationem, ut pro Ecclesiæ suæ
" staret & ageret libertate: sicut satis patet ex ipsâ Commissione; ubi etiam
" interseritur, & in Registro Eugenii Papæ reperitur, de quodam Archie-
" piscopo Cantuariensi contra Menevensem Episcopum super eodem citatum,
" & coram Eugenio causam etiam actitatam. Ex hac occasione motus Domi-
" nus Papa citiùs & faciliùs Archidiacono nomine suo citationem indulsit.
" Item & propter hoc etiam, quòd eidem Archidiacono generalem contulerat
" totius Episcopatûs administrationem. In secundo tamen adventu suo literas
" portavit de rato, non ut à priori formâ recederet, vel ut nomine Capituli
" agere vellet, sed tantùm ad cautelam; ut se sc. non præter assensum Capi-
" tuli causam istam movisse palam esset. Item dicit adversarius Archidiaco-
" num confessum in jure se Procuratorem fuisse Ecclesiæ Menevensis in causâ
" Statûs; & hoc se probaturum in patriâ suâ promittit. Ad quod responde-
" mus, quòd non curaret, nisi ut negotium quocunque modo differret, & te-
" stes in Angliâ produceret, ubi quicquid vellet probare posset. Sed si per
" Judicum relationem hoc probare posset, probet. Item propter falsa instru-
" menta, si probentur, sententia retractatur; non propter falsam rationem
" aut allegationem, etiamsi hoc constaret. Item statuerunt Judices, sicut in
" relatione testantur, diem peremptorium Archiepiscopo, instans sc. Festum
" Omnium Sanctorum; ut coram Domino Papâ per se aut sufficientem respon-
" salem paratus esset id docere, Archidiaconum sc. falsum procuratorem fu-
" isse Menevensis Ecclesiæ. Quòd si procurator Archiepiscopi illud hìc pro-
" bare voluerit; nos audiemus & admittemus. Ad hæc etiam procurator
" Archiepiscopi probare nititur Archidiaconum egisse nomine Menevensis Ec-
" clesiæ, per id quod ponitur in primâ Commissione circiter finem, ubi dicitur
" ad hunc modum. *Archiepiscopum ipsum citare curetis, &c. ut nostro se con-*
" *spectui repræsentet tam super Electione præmissâ quàm etiam super statu Mene-*
" *vensis Ecclesiæ responsurus.* Ad quod respondemus. Ibant qua poterant,
" & qua non poterant non ibant. Ecce enim qualiter literam pervertendo
" genitivum convertere nititur in dativum propter dictionis abrenunciatio-
" nem in Scripturâ. Nec mirum: Dominum namque suum in hoc imitatur,
" qui frequenter in Grammaticâ suâ figurâ illa, que Antithesis dicitur, utendo
" casum pro casu ponere consuevit. Item dicit adversarius, quòd Archie-

"piscopo quasi victori debet Archidiaconus quasi victus in causâ Electionis
"condemnari in expensis; & ita recompensationem fieri petit. Ad quod
"respondemus, quòd non principaliter se opposuit Archiepiscopus in causâ
"Electionis sed obliquè, fovens sc. & promovens electionem Abbatis quem
"intrusit. Unde si petit expensas, quòd cassata est electio Archidiaconi cui
"adversabatur; eâdem ratione petit Archidiaconus expensas ab eo, quòd cassa-
"ta est electio Abbatis cui favebat. Petit igitur Archidiaconus interlocutio-
"nem Domini Papæ super expensis utriusque & coercionem.

Auditis igitur tam his quàm partis adversæ rationibus, Papa medietatem expensarum Archidiacono debitam adjudicavit. Et cùm centum Marcas peteret Archidiaconus, & probare paratus esset; Papa taxavit LX. reddi jubens, & sic Judicibus executoribus scribens; sicut ex sequentibus palam erit. Multiplex igitur adversarios tunc angebat angustia. Præter hanc enim condemnationem, unde doluerunt & iram Domini sui incurrere valde timuerunt, inter cæteras anxietates, promissiones Curiæ factas, de quibus ad nundinas Franciæ terminos habere sperabant, gravissimis conditionibus reddere oportuit in continenti. Ad hæc etiam super omnes anxietates Tinemudum timor Domini sui propter causam Statûs, quæ processit, longè vehementiùs anxit. Unde & à Domino Papâ singulisque Cardinalibus literas excusationis ad Archiepiscopum & commendationis operæ suæ, & quòd per ipsum non stetit, quòd causa Statûs extincta non fuit, multis supplicationibus vix impetravit. Præterea in puncto quo majorem pecuniæ partem pars adversa persolvit, perflatis lucri odore Curiæ naribus, forma Commissionis in causâ Statûs, quæ jamdudum in notulâ fuerat, à priori conceptione per Tinemudi instantiam sic variata est & vitiata; quòd hoc subtracto, *Si probaverit Archidiaconus Canonicos Menevenses sibi aliquando in causâ Statûs assensum præbuisse, & postea per metum & bonorum spoliationem aversos fuisse*; hoc appositum fuit: *Nisi per legitimam exceptionem repelli possit ab agendo, in causâ Statûs agens Archidiaconus admittatur.* Sperabant enim adversarii, quòd Capitulum Menevense facilè corruptibile noverant; quòd per exceptionem illam anni præteriti, quòd solus sc. Capitulo suo sibi non assistente tantam causam agere non poterat, repelli posset.

Decepti tamen in hoc fuerant; & pecunia perdita, quam, ut id obtinerent, in augmentum addiderant. Multis enim rationibus, quas diligenter & sollicitè tam Romæ quàm Bononiæ collegerat Archidiaconus, si causa Statûs fortè procederet, probari posset; quòd unus de Capitulo, aliis ei non assistentibus immo contradicentibus, in causâ Statûs agere potest. Et primò quòd unus de collegio servorum ad eripiendum se & alios à servitute, unus etiam fratrum in servitute constitutorum, ad eripiendum se simul & fratres necnon & patrem & matrem, ipsis etiam reclamantibus & renitentibus, ob favorem libertatis agere poterit: sicut in jure cautum est, Digestis, *de liberali causâ*, lege I. & II. & Codice *de liberali causâ*, lege *Principaliter* in fine legis. Sic & unus de Ecclesiæ collegio ad eripiendum se & fratres à subjectione indebitâ admitti debet. Expressum est enim argumentum. Item cùm aliquis vendicat aliquem in servitutem, dicendo eum fore sibi & alii communem, cùm bene possit agere sine altero, ut dicit Lex; multò fortiùs ubi de libertate contenditur. Item ubi multi possident aliquem in servitutem, & unus velit ei libertatem dare & alii velint contradicere; nichilominus eripietur in libertatem; sicut dicit lex Codicis *de communi servo manumisso*, Lex sc. *Una*. Item cùm Ecclesia Menevensis sit quasi ad supplicium mortis ducta; servitutem enim ferè mortalitati comparat juris regula, Digestis *de regulis juris*; ad servitutem evacuandam admitti debet unus, etiam contradicente Capitulo; cùm simile dicat alibi Lex in aliquo ducto ad supplicium mortis; Digestis *de Appellationibus non tantùm*. Item cùm turbata sit possessio libertatis Menevensis

vensis Ecclesiæ laicali potentiâ, & sic quasi Canonicis absentibus: Tutor enim, qui per violentiam præsens est, absens intelligitur: admitti debet unus; cùm in causâ consimili admittat lex servum, qui aliàs non habet caput standi in judicio, & libertum sine literis, sine omni cautione: ut Codex, *si per vim vel alio modo turbata sit absentis possessio*, Legè primâ. Item ad idem facit Lex, Digest. *de liberali causâ*, lege secundâ; ubi dicitur. *Quòd si Titius, qui liber homo est, detineatur in servitute; sed de statu suo vel conditione suâ litigare non audet, ne sibi vel generi suo à detinente inferatur injuria; datur potestas filio ejus legitimo vel etiam naturali tantùm petere eum in libertatem: Hæc enim sunt verba Legis; ut patri invito succurratur. Non enim modica est filii ignominia habere parentem servum.* Idem autem de matre intelligi potest, Cod. *de liberali causâ*, L. *Principaliter*, in fine Legis. Ubi dicitur; quod si aliquis consentiat servituti; potest is, cujus interest, eum invitum trahere ad libertatem. Item interdictum de libero homine exhibendo cuilibet volenti competit; ut Digest. *de libero homine exhibendo* Lege tertiâ. Hoc interdum omnibus competit. Verba enim Legis sunt hæc. *Nemo prohibendus est libertatem fovere.* Ergo multò fortiùs admittitur, ut Ecclesia libera exhibeatur. Parum enim distat à servitute vel à servo, cui facultas recedendi non datur: ut Digest. *de libero homine exhibendo*, Lege secundâ dicitur. Sic & Menevensi Ecclesiæ recedere à Cantuariensi facultas non datur. Item Canonicis constat, vel constare debet vel potest, Ecclesiam suam esse liberam. Ergo eo ipso, quòd non agunt, sunt negligentes. Ergo esse non videntur: ut causâ XII. qu. II. *Non liceat.* Ubi innuitur nullos esse Clericos in Ecclesiâ, quia mali & negligentes. Item dicitur Digest. *quod cujusque universitatis*, Lege primâ. Et quidem hæc sunt verba. Et quidem non esse actorem vel sindicum tunc intelligimus; cùm is absit vel valetudine impediatur, ut inhabilis sit ad agendum. Capitulum autem nunc videtur inhabile ad agendum, eo ipso quòd vel in perpetuum vel ad tempus juri suo renunciaverunt. Ergo ad solum Magistrum Giraldum est jus Capituli, quantum ad hunc articulum, devolutum: ut Digest. *quod cujusque universitatis*, Lege *Sicut*. Ultimò ubi dicitur; Si universitas ad unum redit; agere potest & conveniri; quia jus omnium in unum recidit, & stat nomen universitatis in uno. Ad idem facit Decretum LXVI. Dist. cap. *Si fortè.* Item aut dicunt Canonici, Nolumus agere, quòd nullum jus habemus; & tunc admitti Magister Giraldus debet etiam nomine illorum, quia jus Ecclesiæ periclitatur; aut dicunt, Nolumus agere ad præsens, non tamen renunciamus juri nostro; & in hoc casu potest agere nomine proprio, non nomine illorum; quia in hoc casu decretum Canonicorum exigeretur: ut in Extravaganti *de Procuratoribus* Cap. I. Proprio autem nomine potest; cùm sit actio popularis: ut Digest. *de Jurejurando cùm qui*, L. *In popularibus.* Item nunquid possunt Canonici agere nolentes Dominum Papam privare jure illo, quod Magister Giraldus sibi vult adquirere; ut sc. Ecclesia Menevensis & Metropolitica sit & Domino Papæ subsit immediate? Certè non. Item si Capitulum dicat aliquid, & unus de Capitulo rationabilius alleget; stabitur ei quod ab uno dictum est: ut dicit Concilium Lateranense in Extravaganti *de his quæ fiunt à majore parte Capituli.* Melius autem libertate gaudere quàm sub jugo quasi servitutis esse. Item quia partus ventrem sequitur, per ingenuitatem matris, i. e. Ecclesiæ Menevensis, probabit se Magister Giraldus ingenuum esse. Ergo cùm pro suâ libertate ipsum stare & agere posse reclamantibus cæteris non sit dubium, & hanc per matris ingenuitatem probare intendat; utramque quidem, sed unam per aliam & propter aliam, probare poterit, suam sc. directè & Ecclesiæ matris indirectè. Et hoc quidem validum est argumentum & subtile. Item juxta Apostolum. [a] *Si revelatum fuerit minori melius aliquid; taceat major.* Et ita si revelatum fuerit Magistro Giraldo melius aliquid; taceat Capitulum. Multis

[a] 1 Cor. XIV. 30.

Multis etiam aliis tam rationibus quàm juris constitutionibus per Giraldi diligentiam ad hoc congestis & collectis idem astrui potest; quæ in utroque dictorum Librorum poterunt inveniri.

Præterea favorabiles odoris prædicti gratiâ literas super Electione à Capitulo Menevensi de novo faciendâ & prioribus cassatis clàm Tinemudus obtinuit; atque per cursorem Domino suo, quatinus absente Archidiacono ad nutum ejus Electio fieret, cum festinatione destinavit. Archidiaconus tamen hoc præsentiens, & Papam illico super hoc conveniens, alias sibi committi sub eâdem formâ impetravit. Judices etiam ei, quatinus ipsum in aliquo placaret, quales eligere voluit, Papa concesserat; & penultimam clausulam ad ejusdem instantiam in Menevensis Ecclesiæ favorem adjecerat. Erant autem literæ tales. "Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus "Elyensi & Wigorniensi Episcopis salutem & Apostolicam benedictionem. "Causam, quæ vertebatur inter dilectos filios Abbatem S. Dogmaelis & Giral-"dum Archidiaconum de Brechene, quorum uterque se asserebat electum in "Episcopum Menevensem, coram delegatis à nobis Judicibus aliquamdiu "ventilatam, nos tandem in Consistorio nostro examinavimus diligenter. Au-"ditis ergo & intellectis attestationibus & allegationibus partium, de commu-"ni fratrum nostrorum consilio electionem cassavimus utriusque. Ne verò "contingat Ecclesiam Menevensem ex iteratâ dissentione graviùs perturbari; "fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus; quatinus Canonicos "Menevenses ad Electionem concordem de personâ idoneâ infra duos menses "canonicè celebrandam monere ac inducere procuretis. Quæ si taliter facta "fuerit; per Metropolitanum proprium confirmetur. Alioquin vos auctoritate "nostrâ suffulti, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, "præficiatis eis personam idoneam in pastorem, & faciatis eam per Metropo-"litanum eundem in Episcopum consecrari: attentius provisuri, ne idem Ar-"chiepiscopus aliquam ab eo recipiat cautionem, per quam prosequi nequeat "causam Statûs Ecclesiæ Menevensis. Quòd si non ambo his exequendis po-"tueritis interesse; alter vestrùm ea nichilominus exequatur. Datum Ferenti-ni, VII. Kal. Junii. "Item literas super statu Menevensis Ecclesiæ jam tertiò Judicibus directas, sed non intra Provinciam Cantuariensem impetratis, perquisivit. Erant autem literæ tales. "Innocentius Episcopus, servus ser-"vorum Dei, venerabili fratri Dunelmensi Episcopo, & dilectis filiis Decano "& Priori Sanctæ Trinitatis Eboracensis, salutem & apostolicam benedictio-"nem. Cùm olim dilectus filius Giraldus Archidiaconus Menevensis adver-"sus venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem Archiepiscopum super sta-"tu Menevensis Ecclesiæ proposuisset in nostrâ & fratrum nostrorum audien-"tiâ quæstionem: Archiepiscopo ipsi per literas nostras dedimus in mandatis, "ut per se vel procuratorem idoneum ad præsentiam nostram super hoc acce-"deret responsurus. Verùm cùm ipse nec venisset nec misisset propter hoc i-"doneum responsalem; volentes Menevensi Ecclesiæ paternâ sollicitudine pro-"videre, causam super hoc venerabili fratri nostro Episcopo Eliensi & dilectis "filiis Londoniensi Decano & Archidiacono de Bukingham sub certâ formâ "duximus committendam; à quibus non fuit hactenus juxta mandatum no-"strum in ipsâ processum. Ne igitur causa ipsa remaneat indecisa; dis-"cretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus; quatinus nisi pars adversa "prædictum Archidiaconum per exceptionem legitimam repellere valeat ab "agendo; partibus, si fieri poterit, vel procuratoribus earum ad locum ido-"neum & securum per nuncios vestros & literas convocatis, & lite legitimè "contestatâ, testes quos Archiepiscopus duxerit producendos in Angliâ, & "Archidiaconus producere voluerit contra eum in Walliâ, recipere procu-"retis. Verùm si Archiepiscopus citatus legitimè, coram vobis per se vel pro-"curatorem idoneum noluerit comparere aut litem etiam contestari; vos ni-

"chilominus

"chilominus senes & valetudinarios, quos Archidiaconus per se vel procura-
"torem suum duxerit producendos, sublato cujuslibet contradictionis & ap-
"pellationis obstaculo, admittatis; & depositiones eorum conscriptas & ve-
"stris sigillis inclusas ad Sedem curetis Apostolicam destinare. Statuentes
"partibus peremptorium terminum competentem, quo per se vel responsales
"idoneos vestro se conspectui repræsentent justiciam recepturæ. Testes autem
"qui fuerint nominati, si se gratiâ, odio vel timore subtraxerint; per censu-
"ram Ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhi-
"bere; nullis literis veritati & justitiæ præjudicantibus à Sede Apostolicâ im-
"petratis. Quòd si non omnes his exequendis potueritis interesse; tu ea fra-
"ter Episcope cum eorum altero nichilominus exequaris. Datum Ferentini,
"XIV. Cal. Julii, Pontificatûs nostri anno VI." Item & literas super ex-
pensis tales. "Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fra-
"tri Episcopo Dunelmensi, & dilectis filiis Decano & Priori S. Trinitatis E-
"boracensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Quantum venerabili
"fratri nostro Cantuariensi Archiepiscopo super expensis, quas dilectus fili-
"us Archidiaconus Menevensis primâ & secundâ vice fecisse dinoscitur, defer-
"re curavimus, ignorare non debet prudentia vestra. Nuper enim cùm CCXL.
"Marcas idem Archidiaconus se juraverit expendisse, ipse Archiepisco-
"pus ad solutionem medietatis illius pecuniæ teneatur; eum nonnisi in LX.
"Marcis duximus condemnandum. Propter quod ipsi dedimus in mandatis,
"monentes & hortantes attentiùs, ut in hac parte gratiam recognoscens sine
"dilatione qualibet mandatum nostrum super hoc adimplere non tardet, ei-
"dem Archidiacono LX. Marcas infra XL. dies post susceptionem præsentium
"pro expensis solvens. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta man-
"damus; quatinus dicto Archiepiscopo in executione mandati nostri cessante,
"vos eum ad id per districtionem ecclesiasticam appellatione postpositâ com-
"pellatis. Quòd si non omnes his exequendis potueritis interesse; tu frater E-
"piscope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Ferentini
"XII. Cal. Julii, Pontificatûs nostri anno VI." Item & literas super Crucis
& peregrinationis absolutione tales. "Innocentius Episcopus, servus servo-
"rum Dei, venerabilibus fratribus Eliensi & Wigorniensi Episcopis, & dilecto
"filio Archidiacono de Bukingham Lincolniensis Dioceseos, salutem & Aposto-
"licam benedictionem. Dilectus filius Giraldus Archidiaconus Menevensis
"proposuit coram nobis, quòd cùm olim signaculum Crucis assumpserit ad in-
"stantiam claræ memoriæ Henrici Regis Anglorum, qui spem ei dederat super
"subsidio expensarum, si cum eo Jerosolimam ire vellet; ipso Rege interim
"sublato de medio idem Archidiaconus spe frustratus votum suum, cùm non
"competerent facultates, non potuit adimplere. Undæ bonæ memoriæ I. E-
"piscopus Prænestinus tunc titulo S. Marci Presbiter Cardinalis, cùm in par-
"tibus illis Legationis officio fungeretur, ejusdem Archidiaconi compatiens
"paupertati, eum à labore peregrinationis absolvit, ita quòd euntibus in Ter-
"ræ Sanctæ subsidium subveniret, & ad reparationem Ecclesiæ Menevensis
"impenderet operam & auxilium opportunum. Cæterùm cùm postea emanâ-
"rit ab Apostolicâ Sede mandatum; ut ad recipiendum Crucis signaculum per
"excommunicationis sententiam cogerentur, quos illud absque prosecutione
"itineris deposuisse constârit, nisi Apostolicæ Sedis indulgentiam specialem
"haberent; idem Archidiaconus, ut causam liberiùs ageret, quam pro Eccle-
"siâ Menevensi tractabat, resumere Crucis signaculum est coactus. Unde hu-
"militer postulavit à nobis, ut senectuti compatientes ipsius cum ipso miseri-
"corditer ageremus. Nos igitur attendentes senectutem ac debilitatem ipsius,
"& comperientes per jam dicti literas Cardinalis eum super hoc absolutionis
"beneficium habuisse, ipsum à labore peregrinationis denunciavimus absolu-
"tum: injungentes eidem, ut juxta proprias facultates pro expensis, quas fu-
"isset

"issct in peregrinatione facturus, subsidium competens ab subventionem Ter-
"ræ Sanctæ transmittat. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta
"mandamus; quatenus eundem Archidiaconum à labore peregrinationis de-
"nuntietis penitus absolutum; & pensatis facultatibus & reditibus ejus, con-
"gruam pecuniæ quantitatem faciatis ab eo ad subventionem Jerosolimitanæ
"Provinciæ destinare; eum ad hoc, si fortè præsumeret contraire, per districti-
"onem ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compellatis. Datum Feren-
"tini, II. Non. Junii, Pontificatûs nostri anno VI." Item & literas revo-
catorias Judicibus ineptis directas. Item & literas contra spoliatores suos Cle-
ricos & de administratione Menevensis Ecclesiæ sibi tertiò concessâ. Item & li-
teras confirmationis Canonicarum duarum Menevensis Ecclesiæ & unius Ec-
clesiæ parochialis, quas Clericis suis in administratione concessâ contulerat.
Quæ poterunt omnes in Librorum utroque totiens dictorum reperiri.

Ad literas igitur has eliciendas à Cancellariâ, quod non absque gravamine
solito fieri potuit, ad debita solvendum tam Papæ quàm Hostiensi, nec non &
ad sustentationem habendam & viaticum in redeundo, creditores Curiæ, quæ
non modica est, inter angustias convenire restabat. Convenerat autem super
hoc mutuatores Bononiæ; & jam inter ipsos de contractu convenisse speravе-
rat; adeò ut nisi scribere & cautiones dare restaret. Ipsi verò per exquisitam
malitiam semper de die in diem distulerunt; donec campsores tam de Româ
quàm aliunde discesserant; & tunc quia soli jam fuerant illi, duris & gravis-
simis conditionibus & fœnore imposito ferè sortem adæquante, quia necessitas
legem non habet, cum ipsis contractum inivit. Ubi inter cætera gravamina &
illud accessit; quod terminus primò datus usque ad nundinas Trecenses in
Franciâ, usque Bononiam in Italiâ est artatus, & usuræ dilatatæ; adeò quòd
infra XV. dies, postquam urbem illam intraremus, pecuniam acceptam red-
di oportuit & usuram. Ad hæc etiam literas ejus omnes in pignus habuerunt,
necnon & literas Papæ testimoniales: Item sacramentum Archidiaconi, quòd
ab ipsis corpus ejus nonnisi per licentiam ipsorum, aut solutâ pecuniâ simul &
pœnâ, non discederet. Pœnam enim in partibus illis fœneratores palliato vo-
cabulo veroque nimis usuras vocant. Præterea Monachus ille, qui se Bangori-
ensem gessit Electum, interim peractis negotiis ut tunc poterant, cum com-
missione discesserat; & cùm pecuniosus esset, licèt ab Archidiacono suffultus
in tantum est & adjutus, ipsum tamen in Curiâ relictum curis afflictum & angu-
stiis in juvamine nullo respexerat. Talem ergo, qualem totum propemodum
Walliæ Clerum, sibi reperit istum. In Laicis enim, ut dicere consueverat
ipse, fidem invenit plurimam: In Clericis verò, quorum præcipuè negotia
gerebat, ferè nullam. Porrò quia plerunque ea quæ non vindicat homo, vin-
dicat Deus; & sicut interdum opera bona retribuit etiam in tempore, sic &
malis quandoque vices etiam in vitâ reddere solet: Monachus ille minùs dis-
cretè asque comitatu silvam penetrans, incidit in latrones; & tam pecuniâ suâ,
quam reportabat non modicam, sicut ipsemet postea confessus est, quàm lite-
ris suis & rebus omnibus spoliatus, infra biduum Curiam reversus est; & in-
trans hospitium Archidiaconi, fortunam suam exposuit & infortunium totum;
asserens istud sibi non præter meritum accidisse; quia quod socio & amico
bono Sanctoque Davidi Walliæ patrono mutuare noluit, hoc ultio divina to-
tum sibi per vespiliones ademit. Porrò per auxilium Monachi cujusdam Or-
dinis ejusdem, Pœnitentialis Domini Papæ, quem & ipse munusculis sibi sæpi-
ùs allexerat, literas alias & expensas in Franciam recuperavit. Adhæc etiam
ut undique Giraldum molestiæ premerent & angustiæ; palefridus ejusdem bo-
nus, quem solum de V. vel VI. adductis sibi reservaverat, subito mortuus in
stabulo repertus fuerat. Qui casus quidem molestiùs ob hoc emersit; quòd unà
cum pecuniâ creditâ in procinctu tunc erat cum creditoribus suis, quos sequi
necesse habebat, illico revertendi. Veruntamen Archidiaconus fortunæ injurias
omnes

omnes altâ mente contemnens, & ex contingentibus nichil omittens, sed inter casus adversos Ecclesiæ suæ commodis tam futuris temporibus quàm præsentibus vigilanter intendens, literas Commissionis super causâ Statûs tam adventûs primi quàm secundi & tertii in Registro Domini Papæ, quatinus ibi perpetuò reperiri possint, ascribi fecit. In ultimis enim cum additione tenor comprehenditur secundarum.

His ita sic decursis, Archidiaconus quæsito quali quali ut poterat equo venali, licentiam accipiens, quasi sub his verbis Papam convenit. Tempus est, Pater, quòd de cætero repatriemus. Proinde nunc, ut consuevimus, sub spe revertendi licentiam non petimus, sed tanquam ultimum huic Curiæ vale dicturi, nec unquam ampliùs ad ipsam reversuri. Cui Papa. Absit, inquit: quid ergo fiet de Menevensis Ecclesiæ dignitate? Certi sumus, quòd causam Statûs non ita relinques. Et Archidiaconus. Qui nostræ causam Electionis evacuavit, quique formam Commissionis super statu primò conceptam ob partis adversæ favorem deteriorando mutavit, causam ille Statûs extinxit. Curiæ commodis hactenus intendimus; propriis autem à modo commodis & quietibus intendemus. Nunquam tamen nisi nos Curia priùs deseruisset, causa Statûs à nobis deserta fuisset. Sed fracto podio nostro & fulcimine toto, nubibus adhærere non potuimus. Novit autem Deus, quòd in nostrâ promotione, si procedere posset, præcipuum Ecclesiæ nostræ, pauperculæ nimis & undique depilatæ solâque famâ & opinione solâque recordatione pristinæ dignitatis opimæ, profectum affectavimus; personæ verò nostræ in reparatione ruinæ tantæ toto vitæ residuo laborem immensum & immoderatum martiriumque ferè continuum. Papa verò visus ad hæc aliquantulum motus, respondit. Frater, provisum est tibi à Deo magis, ut credimus, in hoc facto, quàm spes; qui ab inquietudine tantâ te clementer eripiens, forsan ad longè ampliora reservavit. Archidiaconus autem ad hæc. Scimus, inquit, & certi sumus; quòd tam pia & pura circiter Ecclesiæ nostræ profectum intentio nostra, si non retribuitur in tempore, à Deo tamen retribuetur in æternitate.

Sic itaque sumptâ licentiâ, de Ferentino Romam per dietam unam, de Româ verò Bononiam quasi per dietas sex, unà cum ducibus & præviis creditoribus suis adventavit. Ubi de die in diem creditores urgentiùs ut eis pecunia solveretur instabant. Acciderat autem & ad gravamen accesserat, Clericos quosdam Hispanos, qui diebus eisdem pro sociis suis ibidem fide jusserant, non reddentibus illis nec istis reddere valentibus, captos à creditoribus & incarceratos. Unde Scolares Bononienses condixerant omnes & conjuraverant, quòd ibi pro nemine vades fierent aut sponsores. Proinde nichil aliud Archidiacono jam restare videbatur, cùm sponsorem de sociis & notis nullum propter incommodum invenire posset, nisi creditorum in custodiam se captivum dare. Inter omnes igitur angustias viæ totius una de majoribus ista fuit. Sciebat enim Archidiaconus, quantum sibi pecuniæ nuntii sui Trecas portare deberent: & quòd vix ad id quod tunc debebat absolvendum sufficere posset. Unde si per moram expectando nuncios à tam remotis fœnus in futurum excresceret, tam impositum quàm gravius etiam imponendum. Præsertim cùm exhausti jam essent per tot nimirum incommoda redditus ejus; cùm pecunia tanta reddi non posset; tam negotia prorsus perdita quàm personam quoque perpetuæ captivitati & perditioni datam, secum anxiè recolebat. Sed quoniam prope est Deus in angustiis, qui non deserit sperantes in se; venit ad Archidiaconum secretò primus Creditorum suorum & principalior, & inveniens ipsum in extremâ desperatione jam constitutum, ait illi: Noli diffidere, vir bone. Visitavit te Deus hac nocte in visione quam vidi. In magno namque statu & excelso gradu te conspexi. Unde securus sum per ea quæ mihi sunt data videre; quòd superatis angustiis in bonâ & summâ tranquillitate senesces. Ideoque ad nundinas Trecenses te

nunc mittemus. Tu verò nunc videas, quòd ex quo contra propositum nostrum & consilium totum in tuâ liberatione tam liberales erimus; tu nobis in debitis & pecuniis tam constitutis quàm constituendis cum effectu persolvendis providere non postponas. Et cúm Archidiaconus intimas ei super hoc gratias egisset; misso statim puero propter socios pariter & tabelliones, computatis in sortem pœnis prioribus & novis trans modestiam constitutis, celebratus est contractus cum solemnitate, quam in partibus illis adhibere solent, & securitate. Archidiaconus autem adeò de liberatione suâ tanquam de vita redditâ lætus existens, gravaminis omnis curas quanquam graves & grandes minimè in hoc articulo cordi apposuit; sed cum sociis ipsorum, quibus assignatus ab ipsis fuerat sub cautione juratoriâ quòd ab illis absque licentiâ non discederet, versùs Trecas iter arripuit.

Transmensis itaque primò Lumbardiâ & postmodum Alpibus, longas & hispidas Burgundiæ diætas mensurantes cùm Franciæ finibus appropinquaremus, quia nunquam sola venire solent sicut nec scandala sic nec infortunia, cunctis gravior cæterisque periculosior casus accidit. Cùm enim Castellionem super Sequanam jam prope & in conspectu haberemus; exiens à Castello Præpositus cum sequelâ suâ, ut Ducis Burgundiæ Senescallum adiret, nos & palmiferos, in quorum comitatu fuimus, itinerantes fortè fortuitò ex directo obvios habuit: qui cùm peregrinos nostros præcedentes jam præteriissent; Archidiaconum ultimò venientem, ut moris habebat, ultimus ipsorum juvenis, sc. uxoris Præpositi frater, sub filtro pluviali ipsum attentiùs intuens, quæsito statim nomine ipsius & audito, dixit ei, quòd parumper expectaret. Et revocatis sociis Præpositus accelerans, quæsivit quisnam esset. Et cùm responsum esset, quòd de Walliâ; quia de terrâ Regis Angliæ fuit qui Francorum Regem infestabat; jussit eum & alios omnes causâ ipsius capi & Castellionem duci; quod & factum fuit. Anxius igitur existens Archidiaconus de captione suâ, magis etiam anxius, quòd ejus occasione capti fuerunt socii & impediti, qui pace gaudere deberent peregrini, gravi premebatur utrinque dolore. Erant autem omnes ferè Normanni & de partibus Rothomagi. Dicebant tamen se de Gisortio & partibus illis esse, quos tunc temporis Rex Franciæ detinebat occupatos; quoniam de terrâ Regis Angliæ nec peregrini nec Clerici nec Monachi vel Ordinis cujusquam præterquam Cisterciensis in Francorum regno propter guerram inter Reges pacem habebant. Fuit autem inter palmiferos Presbiter unus revera Francus & non Normanus. Hìc audaciùs accedens ad Præpositum, & officioso propter sociorum liberationem utens mendacio, dixit & asseruit ipsos de Gisortii partibus esse, & palmiferos omnes, & Sepulchri Dominici peregrinos; præter Archidiaconum solum, quem de Româ venientem Papiæ primò repererant. Quod quidem postremò dictum verum fuerat. Hoc tamen absque mendacio præmisso nichil eis ad liberationem valuisset. Quibus auditis & fidem adhibens dictis, cunctos præter Archidiaconum & suos jussit Præpositus liberari. Sed cùm abscederent omnes præter Archidiaconum solum & puerum peditem unum; mirabantur prædones, dicentes hoc esse non posse; quòd Archidiaconus & vir tantus, qui ad Metropolim regendam pastor electus fuerat, incederet absque sequelâ. Unde & quosdam ex peregrinis pro servientibus Archidiaconi retinere volebant. Tandem verò cognitâ veritate per Presbiterum prædictum, dimissis aliis omnibus, Archidiaconum solum cum puero suo in domo Præpositi publicæ custodiæ commiserunt. Et cùm interrogarent eum, quem adversarium habuisset in Curiâ Romanâ; respondit quòd magnum sc. Cantuariensem Archiepiscopum, qui Clericos suos contra ipsum miserat. Et cùm inquirerent quos; nominavit Robertum Balbum & Johannem de Tinemuda. Qui cùm audirent Johannem nominatum; dixerunt. Johannem illum habemus; & illi grates scire potestis, quòd nunc detenti estis. Et cùm ille causam dicti inquireret; retulerunt ei, quemadmodum

modum cùm captus ab ipsis esset, dixit se adversarium habuisse Archidiaconum talem & Electum, nomen ipsius nobis indicans, & tam formam quàm staturam. Dixit etiam, quòd infra octo dies ipsum sequeretur. Subjecit autem juvenis ille Præpositi frater; quòd per descriptionem sibi factam tam [a] staturæ grandis quàm superciliorum grandium quoque & hirsutorum ipsum recognovit, maximè verò per supercilia. Quo audito, respondit Archidiaconus; satis Johanni sufficere debuisse, quòd in Curiâ Romanâ ad cassandum Electionem suam tam per linguam suam quàm per Domini sui pecuniam se adversarium exhibuit; licèt eum pauperem & undique depilatum nunc obiter capi non fecisset. Subjunxit etiam, unde ad risum cunctos commovit: quòd si superciliorum suorum hispiditatem ad nocumentum sibi tantum provenire posse novisset; silvositatem illam & eminentiam ferro vel igne minorâsset. Post hæc autem sacculum suum aperire & literas ac cuncta revolvi fecerunt. Literas autem hujus adventûs & instantium negotiorum nullas invenerunt; quoniam ipsas mercatores Bononienses, qui eas in pignus habebant, per aliam ad nundinas viam deportaverant; nec denarios invenerunt præter octo duniones, qui sterlingos duos non valebant. Tradiderunt autem sacculum seratum cum contentis uxori Præpositi; & equum suum modicum ac macilentum stabulario custodiendum reliquerunt; & ipsum Archidiaconum custodiæ servientis cujusdam deputârunt. Contigit autem istud feriâ sextâ; & in crastino Senescalli adventus ibidem exspectabatur; in cujus occursum Præpositus ibat.

Diem igitur illum totum duxit Archidiaconus absque cibo & noctem absque somno, in extremâ ferè desperatione constitutus; dum præ oculis haberet casûs hujus periculum absque remedio & captivitatem suam atque miseriam absque suffragio humano vel solatio. Sciebat enim generositatem suam & de Principibus terræ suæ ductam originem prædonibus adversario suggerente non incognitam, mentionem quoque nullam de suâ vel de patriæ paupertate factam; majorem hosti mendaci quam sibi veraci de se fidem habendam. Unicum autem ei solatium fuerat illud toties dictum fratris optimi consilium, & Gregorianum illud toties quoque repetitum & repetendum eulogium. *Adversitas quæ bonis votis objicitur, probatio virtutis est, non indicium reprobationis.* Quis enim nesciat, quàm prosperum fuit, quòd Paulus ad Italias vergebat? Et tamen vehemens naufragium pertulit; sed navis cordis in maris fluctibus integra stetit. Illud quoque Philonis sapientis ad mentem revocabat. *Ubi deficit humanum auxilium, recurrendum est ad divinum.*

Fixum igitur in animo propositum habebat; quòd si in crastino ad Ecclesiam ire propter divina percipienda permissus fuerit; ad ejus asilum atque refugium altari adhærendo atque Reliquiis se conferret. Manè itaque facto & Sole recens orto, de licentiâ custodis ad Cænobium Canonicorum, quod in eodem oppido fuerat, perrexit; ibique cum devotione magnâ divina percepit; à Deo Sanctoque Davide consilium pariter & auxilium in hoc articulo tam arcto humiliter & in lacrimis petens. Porrò quoniam Senescallus contra noctem venturus erat; statuit in animo, cùm pulsaretur ad vesperas, tanquam propter horam illam Ecclesiam petere, ibique refugii causâ tunc remanere. Reversus igitur ad hospitium & quasi carcerem suum, sumpto demum cibo & somno postmodum meridiano, Deo Sanctoque Davidi totum committens, post meridiem accessit ad ipsum Domina domûs, mulier bona & calamitatibus ipsius multùm compassa;

[a] Formam suam in ætate juvenili sic describit Giraldus in *Speculo Ecclesiæ* MS. Dist. 2. Cap. 27. *Baldwinum Episcopum Wigorniensem apud Blokeslejam adii. Eram autem tunc adolescens, staturâ procerus, facie quoque fragilique ac momentaneo naturæ bono, formæ nitore præclarus. Qui cum ad Episcopi latus ipso vocante fuissem adjunctus; sedens ad alterum latus Abbas quidam Cisterciensis Ordinis Serlo vocatus, cùm me parumper fuisset intuitus, ait. Putasne ullatenus mori posse tam pulchra juventus?*

& cum ipsâ miles quidam veniens de Senescallo; qui dixit ei, quòd Senescallus adversarium suum secum ducturus erat; & quòd placuit ei multùm, quòd nunc sciebat ipsum esse Clericum Cantuariensis Archiepiscopi. Hoc enim hactenus celaverat. Unde cùm suæ libertati nunc relinquendus esset; pecuniâ secum inventâ, quæ non modica fuerat, & equis perditis; dixit, quòd non credebat ipsum ante Ducis adventum, qui cum Rege Francorum in Normanniæ finibus expeditionem agebat, nunc liberandum; quinimo ad redemptionem non solum juxta suas sed magis juxta Domini sui facultates reservandum. Cum Archidiacono verò se credere dicebat Dominum suum misericorditer agere velle. Quibus auditis, paulatim Archidiaconus cor resumens & audaciam, secum firmavit & certum statuit; quòd ubi positus erat, nec aliud ibi refugium quærens, Dei misericordiam expectaret.

Vespere verò Senescallus advenit, & Tinemudum secum adduxit; sed ipso in aliâ domo relicto, statim ad Archidiaconum venit; ipsumque primum in publico de statu ipsius, gente & patriâ, & quomodo cùm Electus fuisset & vir magnus, tam pauper inventus esset, interpellavit. Et cùm respondisset ei Archidiaconus, quòd de paupere terrâ fuerat, & per opulentiam adversarii sui Romæ causas suas perdiderat: postea seorsim & secretiùs ipso vocato, de Tinemudo diligentiùs inquisivit, quisnam esset, & si dives an pauper & si Clericus Archiepiscopi Cantuariensis; obtestans etiam & adjurans, quatinus veritatem sibi per omnia revelaret. Archidiaconus autem ipsum revera Clericum Archiepiscopi illius esse & unum de carioribus sibi testatus est; & quòd centum marcarum vel plurium in Ecclesiis & Præbendis reditus habebat. Sicque soluto colloquio Senescallus recessit; dicens, quoniam in crastino quid de ipsis agendum foret consilium haberet. In crastino verò, Dominicâ sc. divinis manè perceptis & obsoniis postea sumptis, propositum est Archidiacono, quòd liber abiret; Tinemudo verò, quoniam Clericus erat illius, qui Consiliarius erat Regis Anglorum, hostis sc. & inimici Regis Franciæ, quòd apud ipsos usque ad Ducis reditum ab expeditione remaneret. Et statim reddita sunt Archidiacono sua, equus sc. & sacculus nullo retento. Tinemudus autem in principalem turrim adductus est. Quem cùm Archidiaconus liberè pertranseundo lamentantem cerneret & plangentem; ait illi: proverbialiter dici solet; quòd malè dolorem suum vindicat, qui dolori dolorem adjiciens ipsum augmentat. Insidias ut caperer mihi me describendo fecisti; & hæc captio mea, quam procurasti, facta est causa detentionis tuæ, & tibi quàm mihi deterior effecta. Scriptum est enim in Psalmo. [a] *Lacum aperuit & effodit eum; & incidit in foveam quam fecit.* A lacrimis tamen temperare debes; quòd Dominus tuus tam opulentus & tam potens te liberabit. Qui respondit. Immo si Dominum meum unquam novi; parum de meâ liberatione propter causam Status, quam suscitasti, cogitabit. Et Archidiaconus salibus insistens & lædoriis, seque ut poterat sic ulciscens: Consilium, inquit, meum est, quatenus pro perjuriis, quæ Dominus tuus tuo contra nos consilio, primo Gloverniæ, postea apud S Albanum, deinde nunc Romæ, fieri fecit; quorum omnium etiam ipse reus est, qui sciens & prudens, quanquam non in hoc prudens, hoc fecit; & tu patienter hæc omnia & tanquam pœnitentialiter injuncta sustineas. Sic igitur Archidiaconus toties afflictus & non derelictus, toties expertus & non desertus, toties instructus & non destructus, in gratiarum actiones Deo Sanctoque Davidi ex toto resolvitur. Sic enim, ut ait Apostolus. [b] *In omnibus tribulationibus patimur, sed non angustiamur; apporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; humiliamur, sed non confundimur; dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu in corporibus nostris manifestetur.*

[a] Psal. vii. 16.

[b] II Cor. iv. 8, &c.

His ita decursis, ad nundinas Trecenses parum inde distantes, tanquam ad portum post naufragium, hilaris & lætus accessit. Ubi post nubilos quoque fortunæ

tunæ vultus sorte sereniùs arridente, nunciis inventis, debitoque creditoribus Bononiensibus soluto, Parisios itinerando pervenit; ubi & virum venerabilem Dublinensem Archiepiscopum Johannem, à quo dilectus erat, perendinantem & propter Ecclesiæ suæ causas exulantem invenit. Quoniam autem Trecis pecuniam allatam in creditoribus exhauserat, per Archiepiscopum tam mutuum accipiens quàm conductum, Normanniæ Marchiam propter guerram instantem dubiam nimis & periculosam indemnis usque Rothomagum Deo duce transpenetravit. Cùm autem audiret Elyensem Episcopum, qui in partibus illis tunc erat, Rothomagum venisse diebus eisdem; accedens ad ipsum Archidiaconus circa vesperam, ab ipso gaudenter & in osculo susceptus est. Ubi post varios sermones Curiæque rumores auditos, retulit Episcopus duos Canonicos Menevenses advenisse cum literis de rato Capituli sui propter electionem faciendam, ipsosque jam Regem super hoc convenisse; & quòd Rex ad ipsum eos mittens, tanquam Judicem à Papâ super Electione constitutum, mandavit ei, quatenus ad ipsum quamcitiùs propter hoc faciendum & unum trium nominatorum assumendum adventaret. Unde & in crastino se propter hoc ad Regem apud Weldebos iturum dicebat.

Ut autem rei gestæ in Archidiaconi absentiâ series hìc texatur; sciendum quòd Archiepiscopus Cantuariensis susceptis literis Domini Papæ, quas Tinemudus per cursorem transmiserat ociùs, convocatis illico Canonicis Menevensibus apud Norhamtum coram & Justiciario propter electionem de novo faciendam, ostensæ sunt eis literæ Domini Papæ super cassatis electionibus priùs factis: & postea propositum est eis, quatinus personas aliquot juxta morem Anglicanæ Ecclesiæ primò nominent, & deinde cum assensu Regis vel Justiciarii sui unam illarum in Electum suum assumant. Ipsi verò post deliberationem super hoc habitam, responderunt se à priori nominatione duorum Abbatum & Giraldi Archidiaconi non recessuros. Quod audiens R. Foliotus, qui præsens aderat, prosiliit in medium; dicens se inter alios nominatum fuisse in illâ Electione primâ; & cùm illos eosdem nunc nominarent, se quidem excipi non debere. Et è contra Canonici dicebant istud aliud omnino factum esse quàm illud, & aliam nominationem sive de illis eisdem sive de aliis faciendam; & quòd nunquam ipsum in primâ nominatione tribus aliis nisi propter numerum augendum nominatorum, adjecerunt. Archiepiscopus autem & Justiciarius, quoniam Anglicus erat ille, quanquam aliàs nominari inter alios indignissimus, cæteri verò de Walliâ oriundi, nitebantur ad hoc, ut unus nominatorum esset ille. Quod cùm obtinerent; apposuerunt etiam, ut Giraldum Archidiaconum tanquam exosum Regi & Archiepiscopo & turbatorem pacis & tranquillitatis, ut dicebant, Ecclesiæ Cantuariensis, exciperent à nominatione. Ad quod Canonici propter suorum, quàm magis appetebant promotionem quàm Ecclesiæ suæ profectum, & præcipuè Abbatis Albæ Domùs, cui ferè cuncti consanguinitate juncti fuerant vel affinitate, facillimè inducti fuerunt. Factâ igitur nominatione trium illorum, duorum sc. Abbatum & Folioti, statim electi sunt duo de Menevensi Ecclesiâ pro Canonicis habiti, unus Walensis, sc. Samuel, & alter Anglicus Willelmus Presbiter de Keirmerthin; qui cum literis Capituli de rato ad unum illorum trium eligendum, in quem Rex consentiret, in Normanniam ad ipsum transfretarent. Archiepiscopus enim totum hoc per industriam exquisitam, ut in Archidiaconi absentiâ fieret electio, procuravit; literasque suas simpliciter factum Nominationis hujus protestantes, literas quoque Justiciarii consulentes, quatenus non in Abbates illos Walenses sed potiùs in R. Foliotum qui Anglicus erat & ex nullâ parte Walensis, & qui bis Romam propter honorem ipsius & Cantuariensis Ecclesiæ securitatem laboraverat, sicut asseruit, per eosdem, quid ferrent nescios, mitti fecit. Propter Judices autem, quibus commissa fuerat electionis cura, qui trans mare fuerunt, ad Regem ut coram ipso & Judicibus ante Giraldi Archidiaconi adventum electio fieret,

eret, missi fuerunt. Archiepiscopus autem priusquam iter arriperent, cùm jam de voluntate suâ effectui mancipandâ quasi securus existeret, sermone facto de tribus Nominatis in publicâ audientiâ dixit; quòd nulli dubium esse debuit, neutrum Abbatum illorum, quorum unus illiteratus, alter illegitimè natus erat, in Episcopum assumi posse. Unde consternatis ex hoc dicto Canonicorum Walensium animis, respondit unus eorum, sc. Samuel; quòd juraret, si opus fuerit, cum XL. viris probatæ opinionis, quòd Abbas Albæ Domûs de legitimo matrimonio natus fuerat. Respondit Clericus ad hoc Archiepiscopi, non ignorans Domini sui voluntatem, cujus nuncupatio Magister Simon, Quid valet hoc dictum; quia fama patriæ tota laborat in contrarium? Veruntamen ex hoc perpendi potest, quanta facilitas pejerandi pro lucro augendo sit nationis illius. Martinus autem frater Abbatis illius verbum illud Archiepiscopi graviùs aliis ferens, Magistro Simoni aliisque Clericis Archiepiscopi seorsum ductis ait. Siccine nos decepit Dominus vester? Ubi nunc promissiones ejus? Ubi tot juratoriæ cautiones? & etiam manuum suarum ad crucem suam bajulam propter firmanda promissa toties extensiones? Fortè Giraldus adhuc vivit. Certè si locum adhuc viderimus; memores dicti istius, præmunitiores quidem & creduli minùs, & non adeò ad decipiendum faciles erimus. Proh dolor! Utilia satis Ecclesiæ suæ ratione temporis & terræ tam ingenio sc. quàm eruditione Martinus hic & Abbas frater ejus, nisi corrupti, ut dictum est, fuissent & vanâ promissione decepti, fidei solum stabilitate fundati, instrumenta futura. Sed hæc hactenus.

Ad Missam autem Episcopi manè veniens Archidiaconus invenit ibi Clericos Menevenses; statimque post Missæ celebrationem & à Presbyterio descensionem, Episcopum in corpore Ecclesiæ sicut prælocuti vespere fuerant, ad consessum se recipientem in publicâ audientiâ sic convenit. "Audivimus "Canonicos Menevenses de electione tractâsse, & ad nominationem quoque "faciendam nobis non expectatis, immo quasi captatâ absentiâ nostrâ, pro"pere nimis & indiscretè processisse. Præsertim etiam cùm priores Electiones "cassatas fuisse, priusquam ad novam faciendam prosilirent, debuisset eis per "literas Domini Papæ vel saltem literas Judicum sibi directas constare. Ve"rùm quoniam minùs legitimè minùsque discretè actum esse dinoscitur, ne "juxta nominationem sic factam procedatur ad electionem, appellamus. "Item hi Clerici, quos hîc videmus paratos, ut dicunt, ad electionem pro "Capitulo Menevensi faciendam, Canonici non sunt. Unus enim filio suo "Præbendam cessit; & alter Præbendam à nobis auctoritate Apostolicâ da"tam per sæcularem potestatem violenter invasit. Item est etiam excom"municatus noster uterque. Quare electionem, si alia suppeterent, facere "non possent. Item tantùm unus Judicum adest, altero se non excusante "nec vices suas committente. Item nullus trium illorum Nominatorum "est ad eligendum idoneus. Quoniam unus eorum illiteratus, alter illegi"timè natus, tertius autem criminum multorum enormitate reprobandus. "Sic ergo ne vel isti eligant vel illi eligantur; prædictis rationibus appella"mus." Respondit Eliensis. Bene nos servavit adventus vester & magnis à curis liberavit. Eo namque die statuerat Rex electionem de Folioto fieri debere in præsentiâ suâ & Episcopi tanquam Judicis & auctoritatem adhibentis.

Equis igitur adductis proficiscentem Episcopum ad Regem versùs rupem de Weldebof comitatus est Archidiaconus similiter & Clerici Menevenses duo. Qui cùm illuc venirent; intravit Episcopus ad Regem, qui tunc in Capellâ Missam audiebat, & Archidiaconus cum ipso. Videns autem Rex Archidiaconum, ait Episcopo. Ecce qualiter vultu pallido & perdito negotio à Curiâ Romanâ reversus est Archidiaconus iste? Cui Episcopus. De pallore non mirum; qui tantos labores jam tertiò Romam adiens sustinuit; neque negotia perdita reputat, dum causam dignitatis Ecclesiæ suæ in optimo statu

statu reportavit. Judices etiam extra Provinciam Cantuariensem, quod antea impetrare non potuit, nunc habet. Respondit Rex. In hac causâ, quæ ad honorem & augmentum coronæ meæ spectat, de tertio Archiepiscopatu in regno meo reformando, Archidiaconum juvare deberem. Ad quod Episcopus sub risûs modici significantiâ. In hac, inquit, causâ contra vos essemus omnes, qui Cantuariensis Ecclesiæ Suffraganei sumus. Et Rex. O, si meum adjutorium haberet, quantum proficeret; qui sic Archiepiscopum vestrum & vos omnes solus & absque juvamine vexat? Missâ verò completâ, cæteris cunctis emissis, Rex tunc Episcopis duobus Eliensi sc. & Norwicensi paucisque sectariis suis secum in Capellâ retentis, cœpit Eliensem Episcopum super Electione statim faciendâ & Pastore Menevensi Ecclesiæ de uno trium illorum Nominatorum providendo arctiùs consulere; præcipuè verò immo præcisè de Folioto juxta consilium Archiepiscopi, ad cujus nutum timore magis quàm amore tunc cuncta fiebant, promovendo Regis propositum fuit. Eliensis autem appellationes ab Archidiacono interpositas & justas appellandi causas replicans ac recitans, Electionem ad præsens fieri non posse certis rationibus aperuit. Unde deliberatum ibidem erat; quatenus Rex Archiepiscopo & Justiciario scriberet, quòd quia propter superveniens impedimentum negotium tunc compleri non potuit, injunxit hoc in Angliâ coram ipsis de uno trium Nominatorum, quem magis idoneum reputarent, vel alio quolibet bono quem Canonici Menevenses adjicere vellent nominationi, compleri debere. Eliensis autem scriberet eisdem; quòd in adventu Collegæ sui Wygorniensis Episcopo scriberent ambo Capituli Menevensi, quatinus juxta tenorem mandati Apostolici ad electionem procederent de novo faciendam. Sic quoque deliberatum fuit. Sed Eliensi reverso, Clerici Capellæ fautores Archiepiscopi & Sigillarius Regis, qui sub Archiepiscopo militabat, sic formam corruperunt; ut electionem facerent de uno trium Nominatorum vel alio quolibet idoneo dictæ nominationi addito, excepto tamen Giraldo Archidiacono & Walensi quolibet. Eâ verò nocte venientes Clerici Menevenses ad hospitium Eliensis, & Archidiaconum ibi invenientes, retulerunt Episcopo qualiter post ejus discessum mutata est forma. Quibus Episcopus ait, quòd ipso præsente nulla fuit exceptio facta. Subjecit etiam, quòd multoties audierat de literis tam mari quàm terrâ perditis; innuens istas similiter vel simulatoriè perdi posse. Hoc autem propter Archidiaconum dicebat, cujus promotionem multùm affectabat. Invenit autem Archidiaconus ibidem juvenem sc. Katwathlanum filium Ivori cognatum suum Regi militantem in guerrâ suâ; qui ipsum abunde, quamdiu in partibus illis extitit, sumptibus suis exhibuit; eique mutuum ad absolvenda debita, necnon etiam sumptus usque in Walliam invenit. Archiepiscopus quoque Rothomagensis Walterus de Constantiis, vir eximius, ipsum cum honore suscepit; & donans eum munere competenti, donarium suum verbis adornans ait. Archidiaconus iste per ignaviam aut desidiam de jure suo vel Ecclesiæ suæ nichil amitteret; sed contra violentiam seu potentiam nimiam & exuberantem pecuniam vix se probitas quantalibet vix etiam æquitas ulla tuetur.

DISTINCTIO VI.

PEractis igitur his, quæ in partibus illis tunc peragi poterant, audiens Archidiaconus quòd Dominicâ proximâ post Assumptionem B. Mariæ Lincolniensis Electus Cantuariæ fuerat consecrandus; & quoniam Archiepiscopus

piſcopus eodem die R. Foliotum, ſi negotium juxta diſpoſitionem ſuam coram Rege proceſſiſſet, tanquam Menevenſem Electum confirmare propoſuerat; ad mare deproperans, tranfretare quàm citiùs & die præſcripto Cantuariam venire curavit. Cùm itaque Suffraganeorum plurimi conveniſſent, Archiepiſcopo apud Maideſtoun graviter ægrotante, qui etiam vices ſuas Suffraganeis tunc commiſerat, poſt multam contentionem & altercationem inter Londonienſem Epiſcoporum Decanum & Roffenſem Archiepiſcopi Cantuarienſis Capellanum ſc. Gilbertum, necnon & Wintonienſem Godefridum Suffraganeorum * Subdiaconum, tandem per concordiam amicabilem Lincolnienſis Electus ſc. Willelmus de Bleis à Londonienſi eſt conſecratus. In ipsâ verò Conſecratione conſidentibus Epiſcopis coram altari principali Pontificaliter inſignitis, cùm in publicâ audientiâ literæ legerentur Epiſcoporum Walliæ duorum Landavenſis Henrici & Laneluenſis Reineri, quibus abſentiam ſuam excuſabant & aſſenſum tamen Conſecrationi dabant; dixit Roffenſis Epiſcopus ad Giraldum Archidiaconum ibi cum aliis tunc ſedentem. Palam & publicè nunc videre poteſtis, quid faciunt Epiſcopi Walliæ, & quòd ſe Cantuarienſi Eccleſiæ ſubditos eſſe recognoſcunt. Ad quod Archidiaconus. Non diſplicet nobis, ſi faciunt illi quod facere debent. Veruntamen hæc equidem vis eſt; & nos non quid fiat ſed quid fieri debeat enucleare debemus. Ibidem etiam priuſquam ab Eccleſiâ diſcederent; coram Epiſcopis cunctis & Officialibus Archiepiſcopi totoque Clero Giraldus Archidiaconus appellationem ſuam coram Elienſi Epiſcopo factam in Normanniâ renovavit; rationes etiam replicando, & ſingulos tres Nominatos ſingulorum criminum objectione reprobando. Poſt hæc autem relictâ poſt tergum Cantiâ, versùs Oxoniam & intimas Angliæ partes profectus, citatorias Judicum literas tam Eboracenſium ſuper ſtatu & expenſis, quàm Elienſis & Wigornienſis ſuper electione & negotiis variis, nunciis illuc miſſis & aliis trans mare relictis, ſumptuoſis obtinere laboribus procuravit. Interim etiam audiens Archiepiſcopum, qui jam convaluerat, Suffraganeos ſuos Londoniam convocâſſe; ad renovandum jam tertiò coram ipſo, quod coram Elienſi primò & coram Suffraganeis ſecundò factum fuerat, Clericos ſuos cum literis ſuis illuc tranſmiſit; & ipſe tum demum nichil ex contingentibus omittens & tamen amittens, versùs Walliam acceleravit.

* l. Subdecanum.

"Venerabili Domino & Patri Huberto Dei gratiâ Cantuarienſi Archie-
"piſcopo Giraldus Archidiaconus de Brechene ſalutem. Notum facimus ve-
"ſtræ Paternitati; quòd appellationem, quam in Normanniâ fecimus coram
"Domino Elienſi Epiſcopo Judice noſtro, & poſtmodum Cantuariæ coram
"Epiſcopis & Suffraganeis & Officialibus veſtris, qui conſecrationi Domini
"Lincolnienſis intererant, & nunc quoque coram vobis tam literis his præſen-
"tibus quàm & vivâ voce noſtrorum palam & publicè renovamus: prohi-
"bentes & præſentiam Domini Papæ conſtanter appellantes; ne ad aliquam
"nominationem vel electionem procedatur; priuſquam literæ Judicum, qui-
"bus electionis faciendæ commiſſa eſt proviſio juxta formam mandati Apo-
"ſtolici, Capitulo Menevenſi tranſmiſſæ fuerint, vel etiam citra præſentiam
"noſtram vel aſſenſum, qui Canonicus ſum Eccleſiæ illius & Archidiaconus
"& cuſtos etiam à Domino Papâ conſtitutus. Præcipuè quidem appella-
"mus; ne dè quoquam illorum trium nunc nominatorum, cùm illegitimæ
"perſonæ ſint ad eligendum, electio fiat. Abbas enim S. Dogmaelis illitera-
"tus omnino eſt; ſicut tam per Judicum relationem quàm per teſtes etiam
"ſuæ partis quinque vel ſex Romæ probatum eſt; & ambitioſus, qui poſt
"electionem meam, quam non ignoravit, necdum caſſatam ſe ſupereligi
"conſenſit & ſuperintrudi. Adminiſtrationem etiam Epiſcopatûs Laicâ ma-
"nu ſuſcepit nondum confirmatus; ſicut etiam teſtes ſuæ partis plures proba-
"verunt; & eum, qui ipſam auctoritate Domini Papæ poſſedit, inde ſpoli-
"avit.

" avit. Abbas autem Albæ Domûs illegitimè natus & ambitiosissimus, & ob
" hoc Domûs suæ dilapidator & destructor effectus. R. verò Foliotus, qui
" paulò antè puer impurus, nunc adultus, in omnem libidinem pronus ac pro-
" fluus, & teste prole recente & adhuc in cunis vagiente sexûs utriusque cre-
" berrimâ incontinentissimus. Ad hæc etiam perjurus Ecclesiæ suæ & hostis
" publicus; quare nec in eâ promoveri debet ullatenus, nec etiam in aliquam
" beneficii ejus dein portionem dimitti; qui libertatem ipsius & dignitatem
" totis nuper impugnare nisibus non erubuit. Hæc autem singula probare pa-
" rati erimus locis & temporibus suis. Unde ne aliquis illorum eligatur; aut
" si eligi fortè præsumeretur, ne confirmatio vestra sequatur, appellamus.
" Valeat in Domino Paternitas vestra.

Thinemudus autem per auxilium Lugdunensis Archiepiscopi interim à captivitate qua tenebatur & carcere, quanquam non absque gravamine & redemptione gravi, vix elapsus, cùm in Angliam veniret, indignationem Domini sui propter pecuniam quam Romæ profuderat tantam, nec tamen causam Statûs extinxerat, incurrit; adeò quòd per XV. dies vel plures coram ipso comparere non prævalens, virorum interventu denique magnorum vix reconciliari valuit & reformari.

Interim autem Archidiaconus in Walliam veniens, ne nusquam turbatione, nusquam persecutione vacaret, invenit Archidiaconatum suum de Brechene per Judices illos de Marchiâ toties nominatos & notatos & ob favorem Archiepiscopi tam repentinos, valde turbatum. Ad sententiam enim suam effectui mancipandam & executioni mandandam Priores de Lanthotheni & Aberhotheni executores dederant; qui procuratores Archidiaconi archiadversario instigante per crebras citationes & edicta plurima jam peremptoria sic vexaverant; quòd nullum sibi remedium, nullum defensionis adminiculum; quin redditus Archidiaconi partium illarum omnes in manus adversariorum verterentur ad summam pecuniæ prædictam CLXX. marcarum adquietandam noverant de cætero providere. Archidiaconus autem, cujus intererat tum pro damno, quod non modicum inde proveniret, tum propter dedecus quidem & hostilem insultationem non mediocriter anxius existens, ad artem istam arte deludendam totius ingenii totius industriæ vires exercuit. Primum itaque diem post adventum suum, quoniam appellationis locus non erat, cùm ab executione non appelletur nisi modum executores excesserint, per procuratores suos quos deposuerat & novos qui citati non fuerant substituerat, delusit. Secundum autem, quo Archidiaconum ipsum citaverant, totumque negotium ad nutum Archiepiscopi consummare speraverant, sic delusit. Bladum Ecclesiæ de Landu & omnes proventus Archidiaconatûs per triennale spatium duobus Burgensibus de Aberhotehni privilegio cruciferorum, quia priusquam iter arripuisset ad Curiam, Crucem humero resumpsit, se pervendidisse & denarios propter Ecclesiæ suæ negotia præ manibus acceptos expendisse exquisitâ simulatione quasi pro certo proposuit. Interim autem mercatores bladum totum exportârunt; adeò ut executores ad diem secundum venientes nichil præter horrea vacua reperirent. Erant autem literæ citatoriæ tales.

" Viro venerabili Giraldo Archidiacono de Brechene G. de Lanthonei & I.
" de Brechene Priores salutem in Domino. Quia ad diem præfixum in Ca-
" pellâ S. Mariæ de Cruco-hel executioni faciendæ à viris venerabilibus Abba-
" te de Wigemore & Priore de Weneloch & Magistro A. de Brumfeldâ nobis
" comissæ de centum Marcis, in quibus auctoritate Apostolicâ Abbati de Sancto
" Domuele, & XL. Marcis O. Archidiacono de Kermerthin, & de XXX.
" Marcis Magistro R. Foliot, vos condempnaverunt, præsentiam vestram ex-
" hibere non curâstis; licèt non minùs in executione processisse potuissemus;
" tamen de benignitate vos duximus commonere; quatinus quàm celeriùs
" præfatis petitoribus pleniùs satisfaciatis: scituri, quòd nisi feceritis, nos

 " auctoritate

" auctoritate præfatorum Judicum in Vigiliâ S. Matthæi Apostoli in Ecclesiâ " de Landu, quod nobis ab eis injunctum est, plenius exequemur. Valete.

Sed mercatores cartas & munimenta triennalis conventionis, quibus præmuniti fuerant, prætendentes, cum viris discretis & viris peritis sibi adjunctis; quoniam in contractibus hujusmodi qui prior est tempore, prior erit & jure; tam executores quàm adversarios vacuos & confusos remiserunt. Et paulò post Judices illi repentini literas susceperunt à principalibus Judicibus Archidiaconi directas, potestatem ipsorum revocantes & quod actum ab ipsis perperam fuerat irritantes. Tunc etiam singuli adversarii majores tam excommunicatos quàm spoliatores Archidiaconi literas citatorias non absque labore quæsitas susceperunt.

Archidiaconus autem per montana de Buelth & Kerdigaun versus Meneviam interim tendens, O. Archidiaconum de Keirmerthin missum ab Archiepiscopo præcursorem ad impediendum literis cum ejus & Justiciarii Baillivo de Pembroch, sc. N. Avenel, directis accepit. Quibus ille susceptis, Meneviam præveniendo feriâ sextâ concito cursu properavit. Dominicâ namque sequente, ut coram Archidiacono Meneviæ comparerent, Canonici Menevenses mandatum susceperant. Unde cùm nocte Sabbati præcedente apud Haverfordiam hospitatus esset; ibidem parum ante diem visum est in somno Capellano de Leurenni Willelmo viro bono & honesto, cui rerum suarum in partibus illis Archidiaconus curam commiserat; quòd puer quidam extra parietem domûs hunc sermonem quasi sub cantûs modulo ingeminabat. *Videtis mirabilia, mirabiliora videatis.* Et cùm Presbiter corrigere vellet; clamans è contra, *Mirabiliora videbitis*, puer impatiens correctionis semper repetebat ut ante, *Mirabiliora videatis.* Tandem etiam hanc orationem altâ voce modulando pronunciavit. *Ecclesiam tuam Domine miseratio continuata mundet & muniat; & quia sine te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur.* In crastino verò cùm iter ageret versùs Meneviam Archidiaconus; retulit in publicâ commeantium audientiâ visionem suam Presbiter ille. Et statim Archidiaconus exponens ait. Aliquid fortè turbatum apud Meneviam per Ballivum illum prævenientem inveniemus: Unde mirabimur. Priusquàm etiam à patriâ discesserimus; aliquid fortè magis admirandum nobis occurret. Quòd autem quasi subjunctivè *Videatis* dixit & non *Videbitis*; ac si diceret, hoc videndo tanquam meritorium sustineatis. Oratio verò, quam in fine cantilenæ subjunxit, satis Ecclesiæ Menevensi juxta statum temporis illius competere videtur; quia multùm quidem ut muniretur indiguit & mundaretur.

Cùm itaque transcursâ Rosinâ provinciâ non roseâ, saxosam de Pepidiauc patriam Archidiaconus & sui vario viam sermone levando jam intrâssent; ecce filius Samuelis præscripti missus à patre rogavit Archidiaconum; ut fratrem suum, quem Scolarem de Franciâ secum assumpserat, patri remitteret. Quia si in comitatu suo Meneviam eum duceret, statim pater suus & proximi cuncti à publicis Officialibus spoliarentur. Retulit autem, qualiter Ballivus de Pembroch Canonicis ex parte Regis & Justiciarii pridie præceperat; quòd nullus eorum apud Meneviam Archidiaconum expectaret. Cui mandato proniùs & promptiùs ob hoc paruerunt; quòd priorem offensam subsequens beneficium, ut videbatur, complacavit. Cùm enim nunciis suis à Rege reversis literas sub formâ præscriptâ nominationis & electionis de novo faciendæ & exceptione de quolibet Walensi factâ suscepissent; mœsti fuerant & anxii valde; adeò ut Giraldum Archidiaconum & ejus adventum tunc omnes desiderarent; palàm asserentes, quòd ipsum, quàm citò veniret, iterum eligerent. Dignum enim præ cæteris omnibus eum honore tunc prædicabant & promotione, in illâ præsertim Ecclesiâ, pro cujus dignitate sub tanto discrimine laboraverat, & quam à tanto incommodo tantâque peste sc. à Folioto contra Regem & Archiepiscopum ac Justiciarium tam strenuè nuper in Normanniâ

niâ liberaverat. Hoc tamen non ideo dicebant, quòd vel Ecclesiæ suæ profectum appeterent vel Archidiaconi promotionem; sed ut hæc verba ipsorum ad Archiepiscopum per complices ipsius deferrentur; quatenus mandato fortè per hoc mutato vel temperato, suorum alicujus carnali, quo solo movebantur affectu, curare vel sic utcunque possent promotionem. Archiepiscopus autem de verbis ipsorum præmunitus & ut videbatur voluntate, literas eisdem tam suas quàm Justiciarii per O. Archidiaconum, & ipse per Ballivum de Pembroch destinavit; mandans quòd securè procederent ad electionem de quacunque personâ idoneâ cujuscunque nationis sive Walensicæ sive Hibernicæ sive alius cujuscunque, solâ exceptâ Giraldi personâ. Canonici autem ad hæc gavisi plurimùm propter suorum, ad quam anhelabant, promotionem, devotè mandatis obtemperantes, ne coram Archidiacono in Capitulo comparerent, villam & Ecclesiam illico reliquerunt. Archidiaconus autem per filium Samuelis obiter, ut diximus, his auditis, alterum ejusdem filium, ne occasione ipsius damnum incurreret, patri remisit; & continuò comites ipsius de partibus illis ferè cuncti, præter Willelmum de Leurenni, sc. Magistri Walterus & Galfridus de Haverfordiâ & alii, publicam timentes potestatem & imminentem persecutionem tantam, sumptâ licentiâ recesserunt. Archidiaconus autem eis in discessu dixit. Ecce somnium socii nostri; quia jam mirabilia videmus, & mirabiliora in brevi visuri sumus.

Accedens ergo ad Meneviam Archidiaconus, tanquam solo de partibus illis comitatus Acate, tantùm in Ecclesiâ Vicarios invenit & Samuelem Excanonicum ab aliis relictum ad audiendum quæ proponeret Archidiaconus & respondendum. Jam enim solito graviùs contra eundem couspiraverant omnes. Erat quippe quasi ibi partita de Wallensibus Menevensis Ecclesia, duos habens parietes valde diversos & etiam olim hostilitate contrarios, Jonæ sc. posteritatem & Johannis. Parietes autem duo; quorum unus à Johanne descendens propter Abbatem Albæ Domûs, qui ex ipsis erat, cujus carnaliter appetebant promotionem, Archidiacono se totis nisibus opponebat; & alter à Jonâ, qui hactenus Archidiaconi fautor extiterat. Post literas prædictas fraude plenas & deceptione transmissas de quolibet eligendo præter Giraldum Archidiaconum solum, facti sunt sub hoc tenore concordes & amici; quòd Roberto Jonæ filio in nominatione tribus illis adjuncto tantùm in alterutrum duorum eligendum, Abbatem sc. Albæ Domûs Petrum jam tunc apud Cistercium per operam Archidiaconi depositum, vel prædictum Robertum quanquam senio affectum & ferè decrepitum, sub sacramenti religione consentirent. Ob hoc igitur omnes tunc ibi residentes Archidiacono unanimiter & ex corde resistentes, quoniam coercionem timebant ejusdem propter auctoritatem sibi commissam & potestatem, per Samuelem & Vicarios ibi relictos appellârunt.

Archidiaconus autem jussit, quòd in ejus absentiâ & donec literas Judicum super hoc suscepissent, nominationem aut electionem nullam facerent; quoniam in statu, quo tunc erant, non poterat ipsos appellatio ulla tueri. Erant enim sui quotquot erant Excommunicati, & eo ipso ad electionem faciendam seu nominationem minùs idonei. Eâ verò nocte propter publicæ potestatis prohibitionem, qui ipsum ibi hospitio susciperet, aut etiam qui loqui cum ipso extra Ecclesiam ausus esset, præter viduam pauperculam, quæ quia bonis vacua fuerat audacior erat, non invenit. Unde & in urbis introitu cùm versùs Ecclesiam pedes descenderet; obvians ei matrona dixit. Multi Meneviæ dolentes sunt hodie, de Laicis loquens, quòd vos sicut decet & desiderant suscipere non possunt. Hoc itaque, sicut visio præmonuit, mirabile videri potuit; quòd tantam Menevensis Ecclesiæ columnam, qui propter ejusdem dignitatem patriæque totius honorem egregiè dimicabat, nec cives hospitio nec Canonici alloquio susciperent.

Recedens igitur in crastino Archidiaconus in finibus de Pembroch se suscepit. Cùmque diebus aliquot moram ibi fecisset; convocato partium illarum Clero

feriâ quintâ ante Festum S. Michaelis in Ecclesiâ de Karreu generale Provinciæ illius Capitulum tenuit. Ubi inter ipsa statim initialia Presbiter quidam somnium suum, quod eâdem nocte viderat, propalavit. Videbatur enim ei; quòd cùm Archidiaconus ibidem Capitulum teneret; venit quidam nuncians, quòd lupus equos suos in cœmiterio strangulabat. Nec mora: vidit lupum eundem Ecclesiam intrantem & ore aperto impetum in Archidiaconum facientem. Archidiaconus autem obviam illico procedens, primò capiti camum, postmodum ori frænum imposuit; deinde dorso sellam imponens & firmiter stringens, insiliit; & calcaribus urgens acutis, toto sequente Capitulo, lupum usque Meneviam equitavit. Nec mora. Ecce horâ eâdem supervenit vir quidam inter proceres patriæ non modicus, cui nomen Robertus Ricardi filius; qui solus inter magnates terræ illius Archidiaconum nec sanguine nec affinitate contingebat. Hic statim ut canis rabidus Ecclesiam intrare præsumens, Archidiaconum ore sacrilego contumeliis & conviciis afficere, & perditorem Regis ac regni vocitando minis acerrimis interminari præsumpsit; & tanquam furiosus ac mente captus protinus exiliens, hostium domûs in ipso cœmiterio effringendo, equos Archidiaconi duos, quia non plures ibidem invenit, cum suis omnibus ibi repertis violenter abduxit. Archidiaconus autem ipsum illico auctoritate Domini Papæ, qua fungebatur, publicè coram Capitulo vinculo anathematis innodavit. Sed ecce quàm citò visio de lupo & quàm evidenter evenit. Excommunicationis etenim onus camum & frænum & sellam attendas. Item visio quoque præmissa de mirabilibus visis & mirabilioribus videndis jam in hoc facto quoque completa fuit; cùm ille contumeliis affectus fuerit & rebus spoliatus in patriâ, pro cujus honore se tantis laboribus tantisque periculis exponebat; & in illis quoque patriæ finibus, unde originem duxit, & ubi minùs etiam id ei accidere posse credi potuit. Locum autem & occasionem facinori dedit amicorum & proximorum partium illarum, qui viri magni fuerant, fortè fortuitu tunc absentia. Causam autem Archiepiscopi simul & Justiciarii petitio pariter & promissio.

Archiepiscopus enim propter tantam pecuniæ summam Romæ inutiliter effusam, cùm causâ Statûs in statu fuerit statuque bono, dolens & præter modum anxius existens, adeò manum publicæ potestatis, quam ad nutum habebat, in Giraldum & suos solito sic duriùs aggravari fecerat; ut ubicunque repertus esset in regno, rebus omnibus & equitaturis literisque præcipuè tanquam publicus hostis spoliaretur, totaque sequela ipsius tam peditum quàm equitum, Clericorum pariter & servientium publicæ custodiæ traderetur, corpore Giraldi solùm intacto & illæso sed non indemni relicto. Ubi autem in Angliâ conflatum hoc fuerat ac statutum; ibi facinorosum istum tunc casus advexerat; ibique statim id se facturum in Walliâ pepigit; qui nunquam facinus aliquod abhorruit, nunquam turpitudinem ullam evitavit. Unde cùm Archidiaconi de cœmiterio equos abstraxit; homines ipsius & literas valde sollicitè quæsivit. Sed fortuna, quæ Giraldi negotia pervertere solet & non ex toto tamen evertere, Clericis suis secum in Ecclesiâ tunc existentibus, servientes omnes cum saginariis & sarcinis ac literis per aliquot inde miliaria, ubi versùs Meneviam eâ nocte jacere disposuit, prædone hoc ignorante, præmiserat. Tunc etiam Ballivo patriæ contra Giraldum & suos mandata plurima maliciosus ille portavit. Quorum unum fuit; quòd omnes amici Giraldi, familiares & proximi variis gravaminibus vexarentur & bonorum spoliationibus affligerentur: quod utique de minoribus ordinis utriusque viris illico factum fuit; majoribus, ut fieri solet, ac præpotentibus intactis penitus & illæsis. Nec mirum. Nam parcens corvis, vexat censura columbas. Diebus eisdem Miles quidam & vir linguæ dicacis, qui Devoniæ de partibus illuc nuper advenerat, in contumeliam Sancti Davidis & favorem Archidiaconi verba hujusmodi in publicâ audientiâ proferre præsumpsit. Archidiaconus iste miles esset bonus & strenuus;

nuus; si serviret Domino bono. Pugil hic egregius & propugnator; si validus ei patronus esset & protector. Porrò fatuè magis quàm discretè locutus est vir iste, tanquam ignorans quòd ille, qui vindictam sibi reservari jubet & retributionem, longanimis est expectator sed gravissimus ultor; suosque quos recipit & quorum operas acceptat & opera, nunc ad probandum nunc ad purgandum graviter interdum vexat; ut intellectum adaugeat.

Interim autem literæ venerunt Judicum Eliensis & Wigorniensis Capitulo Menevensi directæ super Electione de novo faciendâ tam per nuncios Archidiaconi de partibus transmarinis, quàm etiam Archiepiscopi, qui totis nisibus negotium accelerare contendit; quatenus infra duos menses post literarum susceptionem à Capitulo, quod ex toto corruperat ac deceperat, electio fieret. Alioquin sciens à Judicibus juxta mandati formam Apostolici pastorem Menevensi Ecclesiæ Judicum arbitrio præficiendum, proinde & per literas tam Justiciarii quàm suas Capitulo diem eligendi coram ipsis in Angliâ brevem admodum & arctum valde præfixit; & ut ipsos etiam animaret ad veniendum, per literas deceptorias tam Justiciarii quàm suas promissiones antea factas super Electione de quolibet sive de gremio Ecclesiæ suæ sive aliunde, excepto Giraldo Archidiacono solo, renovare curavit. Ut etiam Capitulum efficaciùs totum averteret à Giraldo, quinque vel sex tam de membris Ecclesiæ quàm ipso corpore, per quos in Ecclesiâ se meliùs partes & scismata facere posse cognoverat, cathedram Menevensem, si Giraldum amovere posset, sub firmâ sponsione & certâ cautione Clero promiserat. Unde quoniam ad proprios singuli profectus carnali prorsus affectione tendebant, factum est utique, ut ad communem Ecclesiæ patriæque totius utilitatem intentionis aciem non dirigerent. Unicam tamen Ecclesiæ personam excipimus, meritò tam impræsentiarum quàm in posterum laude dignissimam, sc. Henricum Roberti filium; qui utinam tam corpore sanus ac validus quàm mente & corde fuisset. Hic etenim inter residentes solus zelo Ecclesiæ suæ ab initio & usque in finem Giraldo firmiter & inseparabiliter adhæsit; nec unquam blanditiis ab ipso vel promissionibus, unquam minis aut terroribus seu rerum quoque spoliationibus, animo potuit alienari.

Videns itaque Giraldus Capitulum suum per astutiam Archiepiscopi corruptum penitus & in devium datum, illo solùm excepto; videns etiam & attendens, quòd nisi objectum ab ipso fuerit, Ecclesiæ Menevensi pastor inutilis præficeretur; zelo Ecclesiæ suæ & honoris patriæ, quibus revera magis quàm sibi se natum esse credebat, laborandum adhuc & viriliter decertandum sub quocunque discrimine disponebat. Accedens igitur ad nepotem suum & filium fratris optimi, Willelmum de Barri, juvenem indolis egregiæ & à paternâ virtute non degenerem, equis ab ipso sumptis & viæ necessariis, versùs Angliam iter accelerans, tam silvestria Demetiæ penetrans quàm Kereticæ montana solitâ vivacitate transcendens, per provinciam de Buelth usque Brecheniauc absque cunctatione descendit. Ubi quanquam rumores persecutionis in Angliâ & quasi conspirationis nuper in se suosque graviter adauctæ crebros ac certos cotidie susciperet; quoniam adversis frangi non potuit, animum ad difficilia præparans & obdurans, iter suum in Angliam & per Angliam in hunc modum ordinavit. Literas & originalia scripta per nuncium fidelem & paucis tamen cognitum ante faciem suam omni manè quasi per duo vel tria passuum millia præmittebat, & alium similiter cum pecuniâ suâ quasi per simile spatium illum evestigio subsequentem: quatinus ipso intercepto, si sic accideret, raptores argentum & plumbum non reperirent. Item publicas stratas & urbes populosas, quoad licuit, evitavit. Item per exquisitam industriam ac providentiam Clericum promptum habuit & præparatum; qui statim audiens captionem suam & detentionem, cum simplicibus necessariis ac literis ipsius jam paratis, ac si res accidisset, ad Curiam Romanam propter ejusdem liberationem festinum

num iter arriperet. Hac etiam oratione crebriùs dictâ & devotiùs repetitâ se præmunire curavit. *Omnipotens & misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude; ut mente ac corpore pariter expediti quæ tua sunt liberis actibus exequamur.* Sic itaque Giraldus contra casus adversos tali providentiâ præmunitus & armatus, de Walliâ in Angliam usque Londonias & Exessiam longis diætis & continuis acceleravit; ubi & Archiepiscopum inveniens apud Waltam & Canonicos Menevenses illuc convocatos, audacter intravit; & appellationem toties literis & nunciis factam, ne citra assensum ipsius ullatenus aut de quoquam trium illorum nominatorum Electio fieret, in publicâ audientiâ renovavit. Rogavit etiam Archiepiscopum; quatenus sententiam in spoliatorem suum Robertum filium Ricardi datam confirmaret. Ipse verò conscius rei tanquam instinctu ipsius atque favore perpetratæ, cavillationes quærens, & ne faceret quod petebatur & ad quod tenebatur, defensiones prætendit; & legi fecit literas adversariunculi cujusdam Archidiaconi, Prioris sc. de Pembroc Fullonis, testificantes prædictum prædonem in Capitulo coram ipso & aliis ante sententiam datam appellâsse. Verum autem hoc fuit, quòd facinorosus ille, quem nichil unquam puduit quod vel bonos mores vel etiam jura naturæ violaret, appellationis abutens remedio, statim intrans Ecclesiam appellavit; & continuo, tanquam de indemnitate per hoc securus, sacrilegium perpetravit. Archidiaconus autem Archiepiscopo respondit; quòd prædones publicos, sicut jure cautum est, nulla tuetur appellatio, quod ipse quoque ignorare non debuit; & quòd sententia auctoritate Domini Papæ data, etsi nulla minoris fulta fuerit confirmatione, nichilominus plenum sortitur effectum.

Interim autem cùm post dies octo ad electionem faciendam Londoniis Canonici convenirent; nichil ex contingentibus omittens Archidiaconus, quanquam suo suorumque periculo gravi, Deo sanctoque Davidi, pro quorum laborabat honore, totum committens, propriâ interesse personâ curavit. Feria itaque quartâ ante Festum S. Martini manè ad Archiepiscopum accedens apud Lameiam, præter appellationes super electione præter assensum ipsius atque præsentiam non faciendâ publicè renovavit: postmodum ad Justiciarium apud Westmonasterium ex alterâ ripæ parte transnavigavit: qui ut Archidiaconum aspexit, statim minis intonare cœpit. Sed tamen, quia vir modestus erat & moderatus: verùm quoniam, ut ait Solomon; [a] *Verbum exasperans suscitat furorem: responsio mollis frangit iram*: prudenti sermone mitigatus, procedens à Scaccario ad Capellam S. Caterinæ, ubi Canonici Menevenses propter electionem faciendam simul cum Clericis Archiepiscopi collecti fuerant, Archidiaconum secum adduxit. Juxta morem enim Anglicanæ tirannidis, quia coram Rege vel ejus Capitali Justiciario fieri solent Electiones, tam Canonicos quàm Clericos suos Archiepiscopus illuc mittens, se per industriam absentavit; quatenus quod extraordinariè facere parabant, sibi ascribi non posset; cum tamen per ejus omnia fierent machinationem. Inter cæteras enim, quibus abundabat, astutias, maximè in hoc abundavit; ut cùm omnia per ipsum fierent; mirâ tamen simulatione pariter & dissimulatione nichil facere videretur.

[a] Prov. XV. 1.

Inprimis itaque Justiciarius Archidiaconum seorsim ad se vocatum eum secretiùs convenit, dissuadens ei modis omnibus; ne in quenquam de Ecclesiâ suâ vel terrâ, qui proditores sui fuerant & perjuri, consentiret; sed sicut ipsi nec fidem Ecclesiæ suæ vel patriæ respicientes utilitatem ei & Ecclesiæ suæ defecerunt, ipsum excludentes à nominatione; sic talionem ipsis reddens, eos omnes excluderet ab electione. Et quoniam ei tam Ecclesia sua quàm etiam Curia Romana defecerat; aliquem nominaret extraneum virum probum & in nullo sibi contrarium, in quem consentiret; & perfidos illos adversarios suos prorsùs excluderet. Archidiaconus autem quoniam id ipsum intus agebat, facilè ad hanc suasionem aurem accommodans, & ne personæ suæ magis quàm

Ecclesiæ profectui studere videretur, duas ei personas de Normanniâ, quæ nostra majori ex parte adhuc fuerat, Decanum sc. Rothomagensem Ricardum, & Archidiaconum ejusdem Ecclesiæ Augensem Philippum, quorum uterque vir probus erat & discretus, & ex Trojano sanguine, sicut & nostrates, originaliter propagatus. Justiciarius autem, quia neutrum illorum se nosse dicebat, petiit; ut alias in Angliâ personas idoneas & sibi notas, quas nominare vellet, excogitaret. Post hæc autem, sumptâ de Justiciario licentiâ, Canonici Menevenses quinque vel sex, qui missi fuerant, Archidiaconum seorsim duxerunt; ipsum inducere nitentes, quatinus in aliquem de corpore Ecclesiæ suæ vel saltem de membris simul cum ipsis consentiret. Et cùm plures Archidiacono nominâssent, primò Canonicos, dehinc Abbates, postremò Priores; ipse memor nominationis quam fecerant apud Normanniam, à qua tam facilè ipsum excluserant, nec unquam cum ipso vel etiam cum Ecclesiâ fideliter steterant, omnes recusavit; rationes etiam ac causas irrefragabiles contra singulos assignavit. Tandem verò Priorem Lantoniæ Galfridum tanquam Menevensis Ecclesiæ membrum ei obtulerunt. Quem nichilomints recusavit, duas assignans causas; quòd Cathedram hanc ambierat ab initio, & quòd commensalis erat Archiepiscopi & tanquam ipsius de familiâ, Unde quæstionem super statu & dignitate Menevensis Ecclesiæ nunquam ab ipso suscitandam poterat esse perspicuum.

In crastino die sc. Dominicâ convenientibus illis ibidem coram Justiciario, temptavit adhuc animum ipse Archidiaconi, monens secretiùs, quatinus aliquos de Angliâ viros bonos nominaret, & nullos de Walliâ, quos proditores ejus esse dicebat & deceptores. Archidiaconus autem tunc ei duos, Decanum sc. Lincolniæ Rogerum & Archidiaconum Oxoniensem Walterum Map, nominavit, quos ipse viros bonos & honestos esse dicebat; sed aliquos, qui de Angliâ essent oriundi & Walliæ tamen magis intimi, morum gentis utriusque non ignari, ipsum nominare suadebat. Ipse verò duos alios, Decanum sc. Herefordensem M. Hugonem de Mapenor, & ejusdem Ecclesiæ Præcentorem Willelmum Foliot, tunc ei nominavit. Quos commendans ille, quæsivit quare Priorem Lantoniæ, qui vir probus erat & honestus, recusaret; cui præscriptas causas assignavit; illamque præcipuè, quòd quasi de familiâ fuit Archiepiscopi & ejus commensalis, ideoque nunquam ei quæstionem statûs Menevensis Ecclesiæ suscitaret. Cùm itaque multis ei verbis, ut Priorem illum nominaret, suasisset, nec persuasisset; negotium totum usque in crastinum est protelatum. Manè verò feriâ secundâ & S. Martini vigiliâ cùm loco præscripto convenissent; Justiciarius iterum Priorem Lantoniæ nominandum totis suadere nisibus non cessavit. In hunc etenim promovendum Archiepiscopi simul & Justiciarii tunc vota concurrerant. Ille namque medicum suum promovere, iste verò Prioratum Lantoniæ genero suo Henrico de Boum vacantem reddere contendebat. Porrò quoniam Archidiaconus ad consensum induci non potuit; cæteri Canonici Menevenses spe fraudati ad postulandum virum prædictum tam prece quàm pretio, præmiis quoque tam præmissis quàm promissis, sunt allecti. Quo facto, & à Justiciario, sicut moris est in Angliâ, concesso, quanquam Archidiacono contradicente & appellante, cæteri vocibus altis in canticum laudis eruperunt. Pauci tamen ibidem de corpore Menevensis Ecclesiæ vel nulli fuerant, quorum vota verè cum vocibus consonârunt. Archidiaconus autem Giraldus, finito cantico sedatoque tumultu, in hujuscemodi verba prorupit. Vocalia quidem vel mentalia cantata est hîc cantilena; quæ proculdubio discantabitur. Appellavimus enim contra personam istam, causas præscriptas assignando; & adhuc appellamus.

Cùm itaque Justiciarius per Capellam & Claustrum Monachorum versùs Capitulum, ubi ipsum Archiepiscopus expectabat, cum turbâ sequaci incederet

deret multâ; Archidiaconus, qui cum certo proposito contradicendi quoque coram Archiepiscopo & appellandi, ne vel Electionem talem confirmaret, vel sic Electum præsumeret ullatenus consecrare, cum aliis èvestigio sequebatur, subitò secum eundo recolere cœpit Curiæ Romanæ vices & vitia, cui nemo contra pecuniam inniti potest; cœpit & miserrimi Menevensis Capituli mores detestabiles, inconstantiam sc. & impudicitiam, falsitatem & fraudulentiam, animo revolvere; & quòd pro tali collegio seu consortio fortunæ pericula tanta viro prudenti & toties hæc experto minimè fuerant ampliùs attemptanda. Considerans quoque personam Electi, quòd nunquam, sicut alii, palam sibi præsumpserat adversari, & quod membrum fuit Ecclesiæ suæ; satisque pro victoriâ reputans adversarios omnes suo desiderio defraudâsse: subitò mutatus, palam in Capitulo sic proposuit aut proponere potuit. "Satis hactenus "certavi; satis & sufficienter nec inutiliter laboravi; qui jus Ecclesiæ nostræ "tanto sopitum quinimo quasi sepultum tempore in tantâ audientiâ resuscitavi; jusque proprium nec segniter nec ignaviter contra tot obstacula sum "prosecutus. Unde & huic Electioni à quibusdam ex nostris factæ de viro, "ut creditur, bono, ne pertinax & perpes contradictor inveniar, assensum "præbeo; si tamen socii & complices nostri, sc. Archidiaconus de Keirdigaun Mauricius & Canonici nostri, quorum nunc in Hiberniâ est conversatio, tres vel quatuor, consentire voluerint. Archiepiscopus autem & Justiciarius cum universo cœtu valde sunt admirati quidem & exhilarati; quòd voluntati ipsorum tam subitò & ex insperato condescendit; gratias referentes & rogantes, quatinus ad prætaxatos pleniùs alliciendum & quod bene cœperat jam optime perficiendum operam adhiberet.

Hîc itaque concione pariter & urbe relictâ, versùs Oxoniam Archidiaconus iter incunctanter arripuit. Nec mora: sed quasi per mille jam passus à Londoniis elongatus, duos ab Archiepiscopo missos evestigio sequentes, Honorium sc. Archidiaconum Rechemontanum & Johannem Tinemudum suscepit; qui ad pacis bonum & concordiæ plenè sc. & perfectè inter Archidiaconum & Dominum suum fideliter laborantes, tandem ad hoc pervenerunt; quòd super duos Episcopos, Eliensem sc. Eustachium ab Archidiacono electum, & Londoniensem Willelmum ab Archiepiscopo, tanquam arbitros tota inter ipsos controversia termino statuto sedanda poneretur, tam de statu Menevensis Ecclesiæ sc. quàm expensis; de quorum utroque citationem jam susceperat Archiepiscopus, necnon & super Electi sui confirmatione non impediendâ vel consecratione. Cùm ergo ad hoc die statuto, sc. in crastino S. Nicholai, Londoniis convenirent; quò tunc non solùm prænominati Episcopi duo sed & cuncti ferè Suffraganei propter Electum Menevensem consecrandum fuerant convocati; inprimis ad pacem formandam inter Archiepiscopum & Archidiaconum prædicti Episcopi duo sunt conversi. Post varias itaque deliberationes & consilia multa, demum quoniam in quæstione status solus extiterat, quia nec Ecclesia sua cum ipso stabat, nec Curiæ Romanæ, sicut expertus jam fuerat, inniti poterat; ad supersedendum huic causæ, quamdiu vixerit Archiepiscopus iste tam pecuniosus & tam potens, Archidiaconum induxerunt. Archiepiscopum autem prætaxatam à Papâ pecuniam expensarum nomine Archidiacono solvere compulerunt. Ad hæc etiam ut obligatior ei foret Archidiaconus, & ob hoc ipse de illo securior; LX. Marcarum reditus ecclesiasticos ut ei conferret, in fide consuluerunt. Quorum monitis obtemperans & consiliis, partem quidem fideliter absolvit; partem verò non longè pòst morte præventus persolvere non potuit. His igitur ita peractis, cùm ad consecrandum Electum suum Archiepiscopus accederet; primò convocatis Suffraganeis & Archidiacono Giraldo à Judicibus super Electione de novo faciendâ à Domino Papâ constitutis, Eliensi sc. Eustachio & Wigorniensi Malgero, porrectæ sunt literæ, quæ superiùs inter alias postremò impetratas poterunt in

inveniri. In clausulâ quasi penultimâ per operam Giraldi appositâ præcepit Papa Judicibus; quatinus provideant, ne ab Electo Menevensi cautio præstetur, quo minùs Ecclesiæ jura prosequi possit. Lectis autem literis ex parte Domini Papæ, Judices præceperunt tam Archiepiscopo ne talem cautionem exigeret, quàm etiam Electo quòd non exhiberet. Quibus ita completis, rite & absque impedimento celebrata est Consecratio.

Videns igitur & attendens per tot experimenta fidem in fratribus & Concanonicis suis ferè nullam, & honestatem minimam, de talium consortio, qui præter cæteros excessus multos toties tam Ecclesiæ suæ quàm sibi perjuri sunt, se de cætero fore, indecens esse dum cogitat; accedens ad Archiepiscopum, hunc animi sui conceptum, quem decoctâ sibi maturitate firmaverat, secretiùs eidem revelavit; rogans quatinus erga Episcopum Menevensem, qui nichil ei in hac novitate negaret, ut nepoti suo tunc adolescentulo, quem secum ad hoc duxerat, Archidiaconatus suus cum Præbendâ conferretur, diligentiam adhiberet. Adjiciens etiam, ut meliùs ad hoc induci possit, quòd securior hoc facto, cùm ipse de corpore Menevensis Ecclesiæ non fuerit, fieri posset; quòd controversiam ei super Statu de cætero non moveret. Archiepiscopus autem quanquam in primis hæsitans & circumventionem timens, tandem communicato cum suis consilio, se facturum id concessit: Dum tamen & de nepote, quòd nec ipse quæstionem Statûs ei suo in tempore suscitaret, securus existeret. Sic ergo factâ primùm ab Archidiacono resignatione, Menevensis Episcopus ad petitionem Archiepiscopi nepotem Archidiaconi de Præbendâ de Martru canonicavit, & de Brecheniauc Archidiaconum instituit. Consequenter etiam per nepotis præsentationem & petitionem Magistrum Giraldum ad perpetuam & liberam utriusque redditûs administrationem Episcopus suscepit; Archiepiscopo quidem id totum procurante & auctoritatem suam adhibente.

Plures autem facti istius causæ fuerant. Prima est assignata. Secunda verò quòd nunquam propositi ipsius fuerat in tali officio, ubi tot exactiones tot delinquendi emergunt occasiones, finalem mortis malleum expectare. Tertia est quæ superiùs est assignata; quòd illi veterano Archidiacono priori & prædecessori, quanquam non immeritò, dignitas illa quasi per violentiam, quia per Legationis potentiam, est sublata. Quarta verò, quòd in generali illâ Crucis signatione, priusquam ipse Regis ad instantiam & Archiepiscopi necnon & Justiciarii humero signum assumeret, Ecclesias suas & Præbendas, quas per amicorum operam vel per Curiæ sequelam non absque conscientiæ scrupulo adeptus fuerat in Angliâ sc. & Walliâ, in manu Archiepiscopi Baldwini resignavit. Et ipse custodiam earundem usque ad reditum ipsorum de Jerosolimis Archidiacono quasi per manum suam & indulgentiam permissivam assignavit. Unde revera custos earum tantùm & non rector exinde fuit. Urgens igitur inter alios hæc quoque causa videri potuit. Quinta verò nonnulla fuit, quòd ille Archidiaconi totiens præsignatus frater optimus, cùm primum Romanum iter arriperet, in ipso deductu & ultimo discessu non absque lacrimis ei supplicavit; quatinus hunc filium suum natu juniorem, cui & in baptismo nomen patrium dederat, & ejusdem intuitu ipsum literis addictum Clericatui assignaverat, in reditibus Ecclesiasticis, præcipuè quidem Archidiaconatu suo & Præbendâ, loco & tempore promovere curaret; eique dilectionem redderet, quam ab ineunte ætate erga fratrem frater habuerat. Pluries igitur ad nepotem hunc suum, quem quasi creavit & amplis reditibus beneficiavit, versibus his Virgilianis, quibus Æneas ad filium loquens introducitur, apostrophare solebat.

Disce puer virtutem ex me verumque laborem,
Fortunam ex aliis.

DISTINCTIO VII.

Quærens. LOngo nos ſermone, ſed à materiâ nec elongato nec tædioſo, quia bonorum verborum, ut ait Symmachus, difficilis eſt ſatietas, nec quicquam duriùs ſumitur quàm orationis placitæ citus tranſitus, de Giraldi laboribus & rerum gerendarum proſecutionibus juxta deſiderium noſtrum & petitionis affectum plenè recitâſtis. Sed ſicut ab initio diximus & admirati fuimus; ſic & nunc quoque poſt audita Giraldi propter Eccleſiæ ſuæ dignitatem certamina tanta, longè majori jam ſtupore percuſſi ſumus; quòd miſeri Meneveuſes Canonici virum talem, tam egregium, Eccleſiæ ſuæ patriæque toti tam proficuum, Sede vacante, non elegerunt; quinimo quòd invitum prorſus & renitentem totis viribus & niſibus non aſſumpſerunt.

Solvens. Hoc proculdubio feciſſent, quod vos aliique multi & magni viri ipſos non feciſſe mirantur; ſi Eccleſiam ſuam jure debito dilexiſſent. Porrò putaſne quòd Eccleſiam Menevenſem diligant? Eccleſiæ bona, quibus aluntur, illa quidem diligunt; Eccleſiam ipſam minimè, licèt ſub alis ejus nati & bonis ipſius educati. Res etenim non principales ſed acceſſorias, non ſubſtantias ipſas ſed ſubſtantiarum circumſtantias totis affectibus amplectuntur. Ad hoc autem argumentum ex hoc aſſumere potes; quòd poſt corruptionem & ſeductionem ab Archiepiſcopo factam, quoties coram ipſo ſuper quæſtione Statûs mentio fiebat; ut Archiepiſcopum dictis ſicut & factis placare poſſent, & ut Cantuarienſes exinde non Menevenſes apparerent; dicere in publica audientiâ conſueverunt, quòd deliratio fuit Archidiaconi Giraldi petitio & vana vexatio. Quod enim olim de jure Menevenſis Eccleſiæ Metropolitico dici ſolet, fabuloſum omnino fuerat & non hiſtoricum: unde & inter fabulas de Arturo connumerandum. Verùm animadverſio divina injurias Sancti ſui ſic in brevi poſtmodum vindicavit; quòd ferè majores cunctos tam Archidiaconos quàm Abbates necnon & Canonicos ſimplices Eccleſiæ Sancti Davidis proterviter adverſantes infra modicum tempus vel honore vel vitâ, quemadmodum ſatis eſt notum, virtus divina privavit. Nec mirum quidem, ſi miſeros illos & perpeti miſeriâ digniſſimos ultio divina conſumpſit; qui contra Eccleſiæ ſuæ Sanctique Davidis honorem & dignitatem tam irreverenter & impudenter ex adverſo ſtare præſumpſerunt; & humanam inſultationem & irriſionem aut divinam etiam ob hoc vindictam gravem incurrere nec veriti quidem nec verecundati fuerunt; propter quod & illum, quem præcipuum in diſtricto examine, ſi non demeruiſſent, patronum habere deberent & defenſorem, adverſarium fortem & aſperum ibi invenire meruerunt accuſatorem. Quique Electum ſuum & talem Electum, pugilem ſc. Menevenſis Eccleſiæ validum & propugnatorem egregium, ob partis adverſæ favorem publicis perjuriis abjuraverunt; & adulterinam Abbatis electionem longè poſteriùs factam priorem fuiſſe Sacramentis execrabilibus aſſeruerunt, & ſic ſpirituale matrimonium inter Electum & Eccleſiam eligentem legitimè contractum quoad Eccleſiam militantem, quæ falli plerunque ſolet, per falſa inſtrumenta & teſtimonia frivola dirimi facientes; pœnalis adulterii quoad triumphantem, quæ nec decipi poteſt nec irrideri, proculdubio rei tenentur.

Miſeri itaque Menevenſes immo miſerrimi, quia miſeriâ digniſſimi, paſſimque perjuri, & perpetuò infames effecti; nec Clerici dicendi, quia nec ordinem Clericalem nec Ordinum etiam ipſorum caracterem dignè ſortiti; & quoniam abſque regulâ prorſus & normâ ſine lege degentes, & fœdis concubinis ſuis turpiter adhærentes; non Canonici quidem ſed Concubinarii ſunt dicendi.

dicendi. Veruntamen eorundem Ecclesiam, circumscriptis dictis laboribus cunctisque propter Statum ejusdem factis, personali præsentiâ suâ & tam eruditione probabili quàm etiam libris suis egregiis toties ei gratuitâ liberalitate collatis Giraldus, in omnibus his ingratus quòd non more ipsorum morigeratus, multis variisque modis tam his quàm aliis pluries adornavit & honoravit. Ut quid autem hæc iterare & Giraldi merita, quæ longè ampliora sunt quàm ut explicari per nos queant, recitare curamus? Non enim honori Ecclesiæ suæ intendunt miseri illi nec miserandi, non libris, non ornatibus, aut etiam dignitatibus; sed propriis tantùm utilitatibus, filiis sc. & familiis atque focariis, totis indulgent affectibus. Non ergo libris intendunt sed liberis, non foliis sed filiis, non librorum lectioni sed liberorum dilectioni pariter & promotioni.

Propterea revocatis ad memoriam Giraldi gestis memoratu dignissimis, meritisque suis erga Menevensem Ecclesiam tantis & tam immensis, quod Romæ post cassatas Electiones, sicut supra dictum est, duas, & causam super statu Menevensis Ecclesiæ nichilominus in crastino contra spem omnium valdeque super hoc obstupentium denuo motam, & commissionem ad Judices extra Provinciam Cantuariensem & in formâ laudabili constanter impetratam, palam à multis & magnis in Curiâ viris dictum fuit; sic & adhuc & perpetim dici potest: quòd verè dignus honore foret & honorabili cathedrâ Archidiaconus iste; & quòd infœlix Ecclesia est illa, ad quam vocatus fuerat vir tantus, & pro cujus dignitate tam egregiè tamque devotè laboravit & adhuc quoque laborare disponit; quòd talem habere Prælatum non prævaluit. Miseri tamen Menevenses illa scientes, apud multos & magnos tam in Angliâ quàm Walliâ viros, se in hoc facto culpæ grandi & reprehensioni obnoxios, quatinus hoc factum suum saltem fuco falsitatis utcunque colorare possint, dicunt Giraldum malè morigeratum, & ob hoc ad Ecclesiæ suæ regimen impræsentiarum non vocatum. Sed ob hoc revera censent ipsum malè morigeratum, quia moribus ipsorum omnino contrarium. Item dicunt eundem esse severum rigidumque nimis & austerum. Unde & confingere solent ipsum quandoque cum comminatione dixisse vel scripsisse; quòd generationem illam pravam à loco sacro, si Præsul ipsorum esset, extirparet, & gremium Menevensis Ecclesiæ sordibus ejectis mundificaret. Item & hoc ipsum quoque quandoque dixisse confingunt; quòd si cathedræ Menevensi præesset, Ecclesiam illam Canonicis concubinariis malè fædatam & nimis enormiter dehonestatam in regulare Canonicorum consortium honestumque collegium totis convertere nisibus elaboraret. Sed id in utroque, quod vaticinando fortè futurum fore veluti mente præsagâ veriti fuerunt, hoc quasi jam comminando prolatum verbo fuisse confinxerunt.

Constat ex his igitur, quam ob causam Giraldo recusato talem eujus coercionem & rigorem non vererentur, quia corrigi nolentes sordibus suis dentibus & unguibus hærent, assumpserunt: tanquam hoc [a] Isaiæ verbum contra Giraldum proponentes. *Auferamus justum; quoniam inutilis est nobis.* Item inter cætera plurima Giraldo ad colorandum factum suum & culpam naturali vitio refundendum objecta, dicunt Giraldum malum os habere, detractionibus nempe & delationibus nimis obnoxium & assuetum. Hujus autem oblocutionis & objectionis exinde nacti sunt occasionem; quòd ipse tam dictis Episcopis quàm Canonicis quoque Menevensibus scribere nonnunquam & epistolas canonicæ commonitionis & caritativæ correptionis mittere consuevit. Unde quia juxta veridicam Comici sententiam, *Obsequium amicos, veritas odium parit*; quòd olim Jeronimum vitia Curiæ corripientem Romæ reddidit exosum, hoc absque dubio Meneviæ Giraldum. Et sicut Jeronimus Romam fugiens transmarinam studio suo Bethleemiticæ solitudinis regionem elegit; sic quoque Giraldus Meneviam miseram cum vitiis & vitiosis suis longè post terga re-

[a] Sap. XI. 12.

relinquens, terras alienas & longinquas sibi studiisque suis juxta ingenii sui modulos magis accommodas, quoniam in patriâ nemo propheta suâ, de cætero frequentare disposuit.

Ut autem ad Jeronimum respiciamus, & à magnis ad modica pro modulo similitudinis exempla sumamus; quod in Vitâ ipsius atque Legendâ reperitur, in medium hîc producere dignum duximus. Est autem clausula talis. "Hic itaque Romanæ Ecclesiæ Presbyter existens, dum per triennium jam "Damaso Papæ carus totique populo Romano valde venerabilis haberetur, "omniumque judicio dignus esse summo sacerdotio decerneretur; quidam "Clericorum Monachorumque, quorum ipse vitia descripserat, ad effugan- "dum ipsum ex urbe insidias paraverunt. Quod planè ad ineffabilem, ut "perpetuò claret, utilitatem provenit; ut sic Ecclesia Christi Jeronimo libe- "riori studio desudante, tam Hebraicam ad unguem & absque scrupulo du- "bietatis ullo veritatem, quàm etiam in Sacris Scripturis omnibus interpre- "tationem egregiam & explanationem sortiretur." Haud aliter Giraldus scribens & miserorum Menevensium, quanquam caritativè zeloque revera rectitudinis & non amaritudinis, vicia corripiens, factus est illis invisus; & ob hoc quoque quia moribus ipsorum, ut dictum est, omnino contrarius, non mediocriter exosus. Sicut ergo Jeronimus æmulorum quorundam invidiâ, quorum vitia corripiendo vitam corrigere voluit nec potuit, cùm esset dignitate dignissimus, simul ab urbe fuit & à promotione remotus; & ob hoc studium ejus universali Ecclesiæ tam proficuum: Sic & Giraldo pravorum nequitia correctionem omnem aspernantium, ideoque bonorum regimen exhorrentium, studii perutilis occasio fuit. Vacans enim à curâ pastorali; & à malorum consortio longè remotus, & in plenam animi libertatem elapsus, lectioni deditus & otio nobili, ad posteritatis gratiam sibi comparandam legendo, scribendo, totum mentis acumen applicuit.

Unde & juventutis suæ laboribus primis finales orbis occidui terras, nativitati suæ conterminas, Hiberniam sc. per *Topographiam Hibernicam*, & *Vaticinalem Expugnationis* ejusdem *Historiam*; Walliam quoque per *Itinerarium*, & *Kambriæ Descriptionem* illustravit. Nec enim inter Auctores & Scriptores egregios ultimum Historici locum tenent. Ad Historiarum nempe commendationem audiatur illa Senecæ tanquam hujus operæ descriptio. *Historia*, inquit, *est antiquitatis authoritas, testis temporum, via vitæ, vita memoriæ, nuncia vetustatis, lux veritatis.* Præter hæc etiam historica volumina quatuor; *Mundi Cronographiam* metricè scriptam, & *Symbolum* edidit *Electorum*, ad varia complendum diversorum desideria, sicut ex proœmio libri ejusdem patet, compaginatum. Necnon & *Legendas Sanctorum* multas; inter quas *Vitam Sancti Davidis*, & *Vitam Sancti Karadoci* egregiè tractavit. Et ad S. Karadocum canonizandum Sanctorumque catalogo connumerandum apud Curiam Romanam laudabili devotione laboravit. Item & *Libellum Invectionum* Romæ in Giraldum acriter inchoatum, & ibidem ab ipso respondente & Papâ monente completum. Item & *Speculum duorum*, opus commonitorium & consolatorium & quod sola peperit indignatio quasi querulum carmen emissum. Item & Librum de Cleri Ecclesiastici circa Sacramenta majora magisque necessaria instructione perutili & persuasibili, per exempla pariter & præcepta tam Philosophica quàm Theologica sive Canonica; cui *Gemma Ecclesiastica* titulus nomen imposuit exaratum. Item & *Librum de fidei orthodoxæ fructu fideique defectu*, quanta ferventem præmia, quanta frigentem supplicia manent, succinctâ dilucidâque brevitate declarantem. Item & *Librum de Principis instructione* toties promissum, ferè inter primos inchoatum, inter ultimos autem propalatum; diu nempe clausum & quasi sopitum, quando tutò prodire in publicum posset, tempora longa præstolatum. Item & præter hos

etiam

etiam libros plurimos edidit in hoc Catalogo non expressos; veluti *de Magni viri cujusdam promotionibus & persecutionibus*; quoniam semper extrema gaudii luctus occupat, & quoniam omnis mundana dulcedo multâ amaritudine respersa est; quatinus & timeatur in prosperis, & speretur in adversis, docens Opusculum non inutiliter elaboratum. Item sicut & *Librum de Gestis propriis*, necnon & *Dialogum*, inter ultimos ferè labores ipsomet auctore vel adjutore conscriptos.

Ad hæc etiam viri sancti & literatissimi Cantuariensis Archiepiscopi Baldewini monitis obtemperans, cotidie nova cudere novisque laboribus invigilare jugiter & insudare non cessavit: posteris lectionem, præsentibus livorem; illis delectationem, istis detractionem; illis laudandi, istis verò lædendi materiam præbens. Dictus enim vir ille memoriæ sanctæ & literaturæ tam eximiæ, cùm in primâ *Topographiæ* Distinctione, ubi de Avibus agitur earumque naturis, allegorias & moralitates assignatas coram se lectas audisset; quæsivit à Giraldo, utrùm aliquam ab Expositoribus & Agiographis nostris evidentiam ad hæc habuisset. Et cùm responsum acciperet, quòd omnino nullam, nisi quemadmodum ei Deus indulserat; statim adjunxit: certè eodem spiritu quo & ipsi. Et cùm Topographiam totam sibi lectam audîsset, cujus lectione delectatus admodum vix eâ satiari poterat aut fatigari; monuit & suasit, demumque Giraldo fideliter injunxit; quatinus gratiam stili talis tam elegantis, quam ex dono Dei revera magno perceperat, & quam omni terrenæ dignitatis honore transitorio longè cariorem habere debuerat, cujus nimirum effectus præterire non possunt seu perire, quinimo cum mundi ipsius perpetuitate contendunt, nullo vacuum tempore nullâ vacantem fore diei vel noctis horâ permitteret. Hæc itaque causa mentem antea docilem & à teneris annis literalibus studiis aptabilem valde & applicabilem, ad ampliùs studendum continuoque labore scribendum non mediocriter exacuit & instigavit.

Ad hujus autem Libelli, sc. *Topographiæ*, laudem licèt viri tanti sufficere commendatio posset; tamen ea quæ viri duo literati plurimùm & in Scripturis affatim eruditi super eodem senserunt & dixerunt; sc. Magister Robertus de Bello-fago Canonicus Salesbiriensis & Magister Galterus Mapus Archidiaconus Oxoniensis, hìc apponemus. Robertus enim, cùm in ejus præsentiâ de Topographiâ Hibernicâ nuper editâ, & paulò antè apud Oxoniam à Giraldo solemniter recitatâ, sermo fieret, ait. "Quod de hoc libro mihi videtur, paucis & palam edisseram; quòd si de cunctis Angliæ Clericis, ubi multi sunt boni, viginti meliores electi fuissent, quibus materia libri illius ad tractandum commissa fuisset, & per triennii spatium, quoniam tantum temporis se ad hoc Giraldus adhibuisse testatur, talem communi labore librum edidissent; dicerem eos revera laudabiliter & egregiè laborâsse." Rectè ergo inter meliores Angliæ numerari debuit, cujus labor solius viginti meliorum laboribus dignè potuit æquiparari. Galterus autem Mapus circiter id ipsum temporis de illo Giraldi labore dicere consuevit; quòd circumscripto residuo toto, inspecta proœmia sola & dignè pensata opus & operam commendatione dignissima reddere poterant. Unde & de proœmiis operum suorum solis, si simul conserta per ordinem essent, opus egregium fieri posse dicebat. Quòd si tantam à viris magnis viridis ætatis Opuscula laudem mereri poterant; quantò magis ea, quæ maturior ætas & instructior edidit & edit, sunt laude dignissima? Proinde cùm sex libros suos variis de materiis exaratos & editos sub his verbis, ut referre quandoque solebat, Papæ præsentaret. *Pater & Domine, cæteri præsentant vobis libras, & nos libros:* cùm alios quinque per mensem integrum juxta lectum suum ad inspiciendum Papa, cùm vacaret, habitos, sed postea Cardinalibus cum singulorum commendatione precariò concessos; *Gemmam Ecclesiasticam* solam præ aliis dilectam & commendatam à se discedere non permisit. Ad laudis autem cumulum tam laborantis

quàm

quàm laborum, tam operantis quàm & operum illud accessit; quòd nullam ætatem ad disciplinam amplectendum seram reputans, nullam ad perdiscendum longævitatem sufficientem existimans, non minùs in itinere quàm quiete, vel secum agendo vel cum aliis conferendo, nec ob corporis laborem animi exercitium excludendo, sed tam æstate quàm hieme lucubrando noctesque diebus continuando, quicquid temporis rebus agendis supererat urgentissimis, id totum usque in senium quoque vel legendo vel scribendo, tam in hospitiis quam in scolis, studio dabat.

Ut autem ad rei seriem revertamur; plurimum sibi successisse Giraldus multumque à Deo provisum fuisse dicebat; quòd ad curam hanc pastoralem Ecclesiæ pauperculæ nimis & undique depilatæ, homini suæ naturæ qui dispersa totis revocare nisibus vellet, & inter barbaros moribus bonis ex toto contrarios, martirio plenam vocatus non fuit. Unde & illud Jeronimi in libro Epistolari sæpiùs ad mentèm revocare solebat; quòd satius est & majus Episcopalem virum esse quàm Episcopum, magis Episcopo dignum quàm in cathedrâ collocatum. Illud enim virtutis est, hoc fortunæ; illud bonorum tantùm, hoc commune. Item & illud Augustini, &c. Proinde dicere Giraldus pluries assertivè solebat, se malle propter Ecclesiæ suæ dignitatem tam strenuè, carens ejusdem cathedrâ, laborâsse, & jura ipsius hactenus quasi sopita sive sepulta tam dilucidè suo labore declarâsse, & scalam ad ascendendum, si quis à modo Meneviæ validus emerserit, erexisse; quàm simpliciter, ut alii, & ignaviter ac prorsus inutiliter, veluti canes non latrantes sed tanquam in ore calamitum habentes, Ecclesiæ bonis incubare, nedum etiam eadem bona damnabiliter more aliorum dissipare.

Potuisset autem Giraldus, si per Principum potentiam promoveri voluisset, dudum inter alios cornutus incedere. Oblati nempe sunt ei Episcopatus in Walliâ duo, & ambo recusati; & in Hiberniâ tres Episcopatus & Archiepiscopatus unus; quos similiter omnes recusavit: sicut in libro, qui *de Invectionibus* intitulatus est, pleniùs continetur. Ecclesiam quoque Menevensem, si causæ dignitatis renunciare voluisset, pluries eidem oblatam fuisse satis est notum. Unde & eisdem diebus Clericus quidam mentis alienatæ, qui curiam Justiciarii Hiberniæ sequi solebat juventutem curiæ lubricis & ludicris verbis delectando, crebrò in audientiâ publicâ tanquam ad Magistrum Giraldum apostrophando, & pro ipso quoque statim respondendo, sermonem hujuscemodi proferebat. Magister Giralde, vis Episcopatum Gveisefordensem? Nolo. Vis Ossiriensem? Nolo. Vis Leclelinensem? Nolo. Vis Archiepiscopatum Cassiliensem? Nolo. Demum autem subjiciebat. Vis Episcopatum Menevensem? Et in continenti altâ voce & clamosâ respondebat, Volo. Et tunc in magnum se risum magnumque cachinnum resolvebat. Porrò quoniam interdum respondendum est stulto, ne sibi sapiens videatur; vel potiùs ad verba indiscreta, quoniam à discretis audita; alia prorsus & alia in his & in aliis ratio pactum reformat; sicut in sequentibus perspicuè declaratur. Omnes enim tam Walliæ quàm Hiberniæ oblatos honores diversis ex causis constanter recusavit. Primos sc. tum quòd adolescens adhuc fuerat, tum quòd pauperes erant & inter barbaros; cùm etiam quòd liberalibus adhuc disciplinis & maximè Theologicis studiis ampliùs indulgere volebat. Alios autem & ultimò præsertim oblatos, quòd nunquam ab Hibernicis vel etiam Walensicis alienigena quivis, quantumlibet bonus & idoneus, nisi per publicæ potestatis violentiam eligeretur. Sic autem promoti Choritæ sunt omnes & intrusores. Non enim in Angliâ vel terris adjacentibus eligere solet hodie Clerus, non Capitulum, non Conventus. Cùm enim ad Ecclesiam aliquam tres vel quatuor nominantur; ille revera solùm eligit, ut dictum est supra, quisquis canticum laudis tremulâ voce pronuntiet; Princeps sc qui quem voluerit nominatorum illorum assumit. Umbratiles enim tantùm & non substantiales nec etiam spirituales esse

solebant

solebant in finibus istis Electiones, usque ad finales sc. hos nostri temporis dies, quibus Anglicanam Ecclesiam oculo benigniore pietas divina respexit.

Proinde quoniam ad Menevensem Ecclesiam quamvis pauperculam vocatio ipsius & electio canonica prorsus fuerat & non coacta, sicut prædictum est; ad illam animum suum post multas & multorum instantias denique totaliter inclinavit; nec honestum quippe nec tutum reputans tali, prout videbatur, divinæ dispositioni resistendum. Scriptum enim noverat. Hoc velis, quòd Deus vult; alioquin curvus es. In hac etenim opinione quanquam erroneâ & deceptoriâ non solùm ipse sed & patria ferè tota propter circumstantias multas & causas quibus falli poterant, tunc temporis erat. Quòd autem Chorità sunt & non Aaronitæ dicto umbraculi modo nutu Principum assumpti, novit vir ille bonus & sanctus Cantuariensis Archiepiscopus Thomas; qui ob obsequium Curiæ Regisque potentiam se promotum attendens, in manu Papæ Alexandri III. dignitatem sic adeptam ultroneâ voluntate resignavit, dicens promotionem suam talem tam suæ persecutioni quàm ecclesiasticæ quoque perturbationi causam revera dedisse. Papa verò viri constantiam videns & religionem, factamque in ipso repente tantam dexteræ Excelsi mutationem, qui contra tyrannidem tantam se pro domo Domini Ecclesiæque libertate tuendâ sub tanto discrimine murum opposuit; de auctoritate suâ & gratiâ merâ quod resignaverat, totum ei cum integritate restituit. Quod nisi factum fuisset, frustra quidem super viciosum fundamentum ædificâsset.

Ut autem ad Giraldum his interpositis revertamur; sciendum quòd vacante Sede Lincolniensi post obitum sanctæ memoriæ Hugonis Episcopi primi, nonnulli de personis Ecclesiæ majoribus necnon & Canonicis de Giraldo sibi pastorem assumendo, si liberas eligendi habenas habere possent, pluries inter se animi sui desiderium exprimentes, mentionem tractando fecerunt. Item super Giraldo Romæ sublimando & in Cardinalem etiam assumendo, tam propter personæ idoneitatem quàm etiam literalis eruditionis copiam, memoratum nonnunquam in Curiâ fuit. Porrò inter plurima de Giraldo miranda memoriâque dignissima & hoc quoque memorandum adjicio; quòd licèt ad Pontificatûs apicem dictis ex causis non attigerit; cùm tamen reditus ecclesiasticos ducentarum marcarum aut plurium obtinuisset; tam amplâ manu & tanquam prodigâ Clericis & familiaribus suis eos dispergere & passim conferre curavit; quòd vix ad usus proprios & necessarios mediam illorum omnium partem sibi retinuit. Præsertim etiam illud ob hoc magis admirandum & approbandum occurrit; quòd longè majoris liberalitatis est signum & largitatis indicium ea profundere quæ ad usus proprios licitè possunt reservari, quàm illa quæ necessariò danda sunt & quæ ad usus proprios retineri nullatenus possunt. In summâ verò sciendum & indubitatâ veritate tenendum; quòd summa præcipuaque causa, quare Giraldus ad summos dignitatis gradus in regno Anglicano juxta personæ dignitatem & meritorum qualitatem promotus non erat, ista fuit; quòd principales Walliæ viros sanguinis propinquitate contingebat. Semper enim ipsum ob hoc Reges Angliæ suspectum habentes & latenter exosum, promotioni ipsius nequaquam assensum adhibere volebant. Hæc igitur causa simul cum illâ, quam diximus, quòd non nisi rectâ & regiâ viâ legitimâque semitâ & canonicâ incedere voluit, promotionis ejusdem impedimenta fuerunt.

Quærens. De Duobus Episcopis Menevensibus nostri temporis cæterisque duobus parum tempora nostra prævenientibus, de Giraldi quoque Electionibus duabus, & quamobrem tertia non provenit, causis evidentissimis, item de Giraldi laboribus egregiis, & juris utriusque tam Ecclesiæ suæ quàm personæ propriæ prosecutionibus, necnon & promotionem suarum impedimentis variis, nos satis apertè certificare curâstis. Nunc autem de duobus Episcopis subsequentibus

quentibus nostrisque diebus assumptis, eorumque tam electionis modum quàm regiminis morem & officii pastoralis executionem, duplicato beneficio quin veriùs etiam multiplicato, solitâ nobis liberalitate propalare velitis.

Solvens. Desiderio tuo laudabili & ingenio docili facillimum præbens assensum, sicut ab initio justis petitionibus tuis obtemperavi; sic & finales affectus tuos Deo dante plenè satis adimplere curabo. Summatim ergo superiùs penultimi Menevensis Episcopi nostris diebus præsidentis Gaufredi electionem tanquam in cursu sermonis explicuimus; nunc autem eandem evidentiùs & pleniùs evolvere & enodare curabimus. Hoc autem notum imprimis esse volumus & nulli dubium; quòd longè magis per Regis & Archiepiscopi potestatem quàm per meram & ultroneam Cleri Menevensis voluntatem assumptus fuit. Prior enim Gloverniæ Lantoniensis existens, quia per artem Medicinalem, quam profitebatur, Archiepiscopi Huberti, cujus nonnunquam ægrotantis curam gesserat, notitiam & familiaritatem sibi quamplurimam comparaverat; defuncto Menevensi Episcopo Petro, custodia Menevensis Episcopatûs ab Archiepiscopo statim ei commissa fuit; quatenus consensum Canonicorum & Cleri Menevensis ad ipsum, cùm locus affuerit, eligendum in Episcopum, per hoc faciliùs allicere posset. Hic tamen quàm citò Giraldum accepit apud Meneviam electum fuisse; ne cathedram illam inaniter ambire videretur, custodiam sibi commissam illico resignavit.

Porrò videns postea Giraldi promotionem propter lites inter ipsum & Archiepiscopum grandes per commissiones ad Judices multipliciter datas dilationem sumere non modicam, aleamque sententialem propter adversarios tot & tantos tamque potentes jam in dubium vergi posse; spem denuo resumens, ut & cornutus incedere quandoque valeret, nisibus totis anhelans, tunc operas suas medicinales ingerendo, tunc pixides pigmentarias crebriùs offerendo, Curiam Archiepiscopi, quatenus finem causæ videret, & fortè suæ promotionis eventum expectaret, assiduè ferè jam frequentavit. Cùm autem desiderii sui de die in diem spem conciperet ampliorem; lite diutiùs inter Archiepiscopum & Giraldum quasi per quinquennium & ampliùs perdurante; Monachus quidam de Meneviæ & Walliæ finibus Gloverniam veniens, dictum Lantoniæ Priorem in hunc modum convenit. "Mirum, inquit, si pauperculam Menevensis Ecclesiæ cathedram cupis, ut fertur, & ambis, præsertim etiam in terrâ barbarâ & gente hostili, qui Prior es domûs hujus tam nobilis & in loco tam pulchro & pacifico ædificiis egregiis munito, vineisque feracibus, viridariis ac pomariis amænè conserto; maximè verò cùm in Episcopatu Menevensi toto vix una sit domus ad Episcopum spectans; ubi vir probus, licèt privatus, nedum Episcopus aut Prælatus, honestè descendere queat." Ad quod Prior ille paucis ambitionem suam animumque singularem ac sæcularem respondendo declarans ait. Quicquid de domorum defectu dicas, quicquid de terrâ hostili & barbarâ nos terreas; longè tamen plus mecum valere quàm nostrum scias. Sed ecce verbum canonicæ professioni sive Monasticæ, quæ proprietatem omnem abhorrere tenetur, valde contrarium. Ex quo patet & hoc apertè, quòd is qui opus & officium Episcopale desideravit, parum advertit quid vel Episcopum deceat, vel quid ad ipsum de jure pertingat. Episcopus enim, ut dictum est supra, juxta Leonem Papam, Caus. XII. Quæst. II. rebus Ecclesiæ tanquam commendatis non tanquam propriis uti debet. Unde nec etiam testamentum juxta Canones Apostolorum de rebus Ecclesiæ condere potest. Qua igitur fronte, qua temeritate plectibili perenniter atque pænali nec verecundantur Episcopi nec verentur talia præsumere, rerum ecclesiasticarum, quarum dispensatores sunt tantùm, earum se gerere dominatores. Quinimo quàm longè gravius & ultione perenni dignius; quòd rerum Dominicarum

Deoque

Deoque sacratarum non solùm ordinatores esse præsumunt sed etiam dissipatores? Mirum igitur, immo stupore dignissimum; quòd Abbates & Priores omnes Monasteriorum in Angliâ grandium & opimorum, si per regiam, ut fieri solet, voluntatem ac violentiam ad cathedram Episcopalem Hiberniæ vel Walliæ miseram & macilentam per electionem umbratilem assumpti fuerint; tanquam ad ardua canonicè vocati, in paupertatem talem intrusi, promptis statim affectibus adquiescunt. Et ut propiùs exempla sumantur; sicut de duobus ultimis Episcopis Menevensibus, qui de Prioratibus in Angliâ copiosè ditatis & dotatis, quingentarum sc. Marcarum aut plurium, ad pauperculam Ecclesiam viginti Marcarum reditus annuos vix habentem & inter barbaras nationes & linguæ prorsus incognitæ, longèque cum curâ majori & quæstu minori statuque valde periculosiori, gratantibus animis translati fuerunt. Causam autem tam fatuæ translationis ambitûs talis, de bono sc. in malum, seu fortè de malo in pejus & periculosius, hanc proculdubio certam esse noveritis; quòd mitrati incedere, baculati quoque & annulati, salutari in foro, Dominumque vocari ac Rabbi, venerarique à populo & veluti vivi quodam modo Sancti in terris adorari, & ad benedictionem expeti, trans modestiam omnem & modum affectant, &c.

Processu verò temporis cùm per concordiam inter Archiepiscopum & Archidiaconum dictus Prior electus fuisset & confirmatus; tandem cùm ad consecrationem perventum fuisset; Eliensis Episcopus Eustachius & Wigorniensis Malgerus, quibus electionis illius & consecrationis, ut canonicè procederent, commissa provisio fuit, præsentes cum aliis Suffraganeis existentes, literas Domini Papæ sibi super hoc directas in publicâ audientiâ legi fecerunt; quarum antepenultima clausula per Archidiaconi diligentiam talis fuit apposita. *Attentiùs provisuri, ne idem Archiepiscopus aliquam ab Electo Menevensi recipiat cautionem, propter quam prosequi nequeat causam statûs Ecclesiæ suæ.* Quibus in publico lectis, præceperunt Episcopi illi auctoritate sibi commissâ tam Archiepiscopo ne dictam cautionem exigeret, quàm Electo ne talem nullatenus exhiberet. Dicebatur autem à multis, & inter majores etiam curiæ Archiepiscopi murmur exierat; quòd dicta cautio à Papâ inhibita ante Prioris electionem aut confirmationem Archiepiscopo curante clàm fuit exhibita. Argumentum autem ad hoc erat & manifestum indicium; quòd quoties de quæstione Statûs à Giraldo motâ coram Episcopo sermo fiebat, suadentes causam prosequendam, tanquam exacerbatus fronteque in rugas illico contractâ torvo lumine respiciebat; dissuadentibus autem vultum placabilem atque serenum ex consuetudine prætendebat. Item immurmurabatur etiam in Curiâ; quòd de illis in Clero Menevensi cunctis, quos per reddituum promissionem contra Giraldum Ecclesiamque suam propriam Archiepiscopus allexerat, ipsum super his adquietare dictus Prior ante electionem suam vel confirmationem sub firmâ cautione pepigerat. Hujus etiam indicium rei fuit evidentissimum, quòd quatuor archipiratis Ecclesiæ Menevensis, quibus tenebatur Archiepiscopus, & verè filiis spuriis nec adoptivè nec naturaliter insertis & quasi prorsus ingratis, quoniam in matrem propriam atrociter armatis, absque dubio vel hîc vel alibi, temporaliter sc. aut æternaliter, coercendis & extirpandis, primos ille Prior factus Episcopus reditus sibi vacantes juxta promissam conventionem conferre curavit; puero sc. prorsus indigno & immaturo Martini filio Canonicam, non canonicè quidem sed conventione collatam; item Folioto perfido foliisque caducis assimilando Ecclesiam de Landestephan; item Gutturnoso de Keirmerthin gurgulioni Episcopale manerium de Landewi apud Goer sibi & successoribus suis perpetuò collatum & confirmatum; item ventricosæ de Landu beluæ contra spem omnium, quoniam in omnibus indignissimæ, Præbendam Meneviæ. Postea quidem ad vehementiorem omnium admirationem atque stuporem Archileviticam

contulit eidem dignitatem; ostendens apertè, qualem erga Menevensem Ecclesiam affectum habebat, talem in eâ columnam constituendo. Sicut & aliam paulò post tanquam imaginem suam, quoniam filius imago patris, Ecclesiæ suæ relinquendo; & ipsam non minùs inhonestè quàm inutiliter inter statuas alias, eamque præ cæteris tanquam in eminenti speculâ, quatinus à cunctis ejus imago prospici possit, exaltando. Duas itaque statuas istas fictiles & fragiles & prorsus inutiles in Ecclesiâ suâ tanquam manu hominum factas, carne nimirum revelante non spiritu, præsumpsit erigere; unam sc. ad imaginem suam, alteram autem ad indaginem; istam ad explendam si fieri posset, & satiandam avaritiam suam & aviditatem; illam verò ad manifestandam apertis indiciis & ostentandam impudicitiam & carnalitatem suam. Porrò quàm sit illicitum & quàm inhibitum pactionem fieri ut quis eligatur, aut cautionem quamlibet emittere, in Decretis Gratiani, Caus. VIII. Qu. III. palàm aperitur. &c.

Sic itaque promotus, sed à verâ canonicâque promotione valde remotus, simulans in primis rigorem nimium & austeritatem, Baronibus & viris militaribus de terris Ecclesiæ suæ feodatis hominia sua semel & iterum immo pluries offerentibus se prorsus inexorabilem exhibebat. Demum autem, cùm speraretur ab omnibus, quòd ipse terras ab aliis alienatas esset revocaturus, & indemnitatem Menevensis Ecclesiæ summopere curaturus; demum ex insperato longè secius evenit. A singulis enim propter pecuniæ summam grandem multo cum gravamine datam non solùm hominia suscepit, verùm etiam ipsis cartas confirmatorias sigillo suo signatas indulsit; & ut majori in quantitate necnon & iniquitate pecuniam eliceret; detestabili damnabilique mercimonio, ne terras in perpetuum alienatas unquam Ecclesia repetere posset, simul cum confirmatione Capituli Bullas etiam Papæ singulis singulas super hoc certâ sub cautione promisit.

Item quicquid animi cupiditatem adimplere potuit aut avaritiæ morem gerere, totum hoc ardor insatiabilis perquirere per fas omne nefasque non cessavit. Simoniacas igitur actiones aut pactiones, quas per se vel canonicum suum Cubicularium, quo mediante dolos concinnabat, palliato vocabulo sub sequestrationis nomine componebat. Cùm enim sequestrationes fieri non debeant, præterquam in casibus jure expressis; quoties Ecclesias aliquas litigiosas esse noverat, aut non solùm Personis decedentibus verùm etiam Vicariis, statim Ecclesias in manu suâ sequestrabat; nec sequestrationem talem quanquam illegitimè factam nisi priùs unctis ad nutum manibus relaxabat. Novit hoc Eustachius de Stakepole in Pembrochiæ finibus; qui Ecclesiam, cujus personatum gessit apertè, Vicario tantùm defuncto, sic sequestratam per X. marcas extortas relaxavit & vix tandem ad manus suas revocavit. Item Philippus quoque de Warthreniaun Ecclesiam suam, procuratore suo & progenitore rebus humanis exempto, similiter sequestratam, post longas vexationes & obventionum Ecclesiæ distractiones, centum solidorum profusione vix redemit. Multos etiam alios per Episcopatum, quos longum esset enumerare, modis similibus damnificavit.

Item super Institutionibus novis in Personarum damna priorum malè perpetratis, & cartis novis in veterum præjudicia tam suarum quàm decessorum quoque suorum justè & legitimè præmissarum emissis seu prece seu pretio seu favore sive timore: Sicut de Clerico Falconis apud Lanpatern-Maur super Ecclesiæ Canonicos superstites instituto: inter Menevenses Episcopos se novum hic atque notabilem in his & similibus reddere non erubuit. Item tam Clericos Diocesis suæ plerosque quàm Laicos, qui Religionis habitum sumpserant & aliquamdiu portaverant, ad laicales tam habitus quàm actus redire, quosdam ex pastorali negligentiâ, quosdam autem non absque scandalo gravi turpi venalita-

te

te permiſit. Quid plura? Quicquid pecuniam accumulare quocunque diſcrimine potuit, id totis efficere niſibus non verebatur. Unde & dilapidationibus rerum ac terrarum Eccleſiæ ſuæ crebris & auditu horrendis ac miſerandis inſiſtere non ceſſavit. Veluti de terrâ de Landegoph, militaribus ſc. feodis duobus aut tribus Nicolao Avenello prædicto ſuperiùs XX. marcarum collirio cupidè diſtractis. Item & de feodo Præbendæ de [a] Breudi in laicale & militare obſequium pro ſimili collirio totidem argenteis marcis confecto, notâ nimis & inhoneſtâ causâ converſo. Item & de Manerio de Landewi apud Goer, & Eccleſiâ de Langavelack ibidem Menevenſium Antiſtitum propriâ & tanquam eorundem Sede ſecundâ, filio ſuo carnali fatuè nimis & fatuo collatis. Item & de villis de Lancadouch & Landegewith Menevenſi Eccleſiæ propriis; quas propter pecuniam aut pecuniæ materiam alienavit. Nec non & terris aliis de Stratewi cunctis non infructuoſis, quas nunquam poſt promotionem ſuam ſemel intravit aut viſitavit; ideoque per incuriam talem & negligentiam amiſſis & à potentibus patriæ viris penè irrevocabiliter occupatis. Item & de Manerio de Trullan apud Brechene in terrâ pacificâ conſtituto, potenti partium illarum viro pro bobus & vaccis ferè dimidiato. Sed nonne lapidatione digni forent tales rerum eccleſiaſticarum dilapidatores? Num etiam ſtercore bovino, ut ad duriora prorumpat indignatio & veritati non pareat, lapidari deberent & dehoneſtari, qui terras eccleſiaſticas fertiles & utiles, ſibi commendatas tantùm & non appropriatas, pro bobus & vaccis venundare & in perpetuum alienare nec verecundantur nec verentur [b].

Item & de Clericis Dioceſis ſuæ multifariâ per ipſum pecuniarum extorſione gravatis, & eiſdem quoque duplici tribulatione ſurgente per laicalem undique ſpoliationem afflictis, & à Paſtore diſſimulante lupoſque rapientes non arcente minimè defenſis. Item & ſuper exceſſibus aliis multis & magnis ac deteſtandis ad pecunias exaggerandum perpetratis notabilem ſe præbuit; ſicut in Epiſtolâ canonicæ commonitionis tertiâ ei a Giraldo caritativè directâ continetur. Præterea ſecundus hic Menevenſis Epiſcopus; qui Clericos ſuæ Dioceſis noſtris diebus tallagiis crebris, ne & tollagiis dicamus, gravandos inſtituit; deceſſoris ſui proximi nimis expreſſè veſtigia ſequens; ſed Monachum tamen Canonicus in actibus hujuſmodi vincere volens. Ille namque quolibet anno tertio Clerum Menevenſem deplumabat. Hic verò crebriùs atque crudeliùs, quia quolibet anno ſecundo, ad nutum & abſque miſericordiâ Clericos excoriabat. Item ſecundus hic quoque Menevenſis Antiſtes; qui circuitionis & hoſpitationis per Angliam & Walliam nimis aſſiduæ gravem cum ſcandalo notam incurrit. Et ut Monachum vincere per omnia poſſet; ut ſibi ſuiſque per ſuam Dioceſin hoſpitio ſuſceptis pulchra in diſceſſu dona darentur, hoſpitibus ſuis onus adjecit. Sed ecce quantæ modeſtiæ ſunt Monachi ſive Canonici de Monaſteriis in Prælatos aſſumpti; ex his & ſimilibus evidens eſſe poteſt. Qualiter autem ex Clero Menevenſi quidam aſſumptus in Præſulem Archidiaconus de Keirdigaun nec hoſpitando nec talliando maculam meruit; ſuperiùs dicta declarant.

Ad hæc etiam tanta de die in diem crevit in eo avaritia pariter & aviditas; quòd non ſolùm erga minores ſeu mediocres ſive minutos Dioceſis ſuæ Clericos, verùm etiam erga majores circa finalia tanquam delirans tempora cupiditatem ſuam exercere præſumpſit. Unde & erga Magiſtrum Giraldum, qui tantæ authoritatis & opinionis tam in Angliâ quàm Walliâ fuerat, invidiam olim con-

[a] Nota recens. *Præbenda de Browdy hodie eſt Epiſcopali dignitati ſubjecta.*

[b] Nota recens. *Quid dixiſſet hìc Author, ſi ſub anno Domini 1546. vixiſſet; quo tempore Epiſcopus Barlo cognomine manerium de Lamffey, in quo Epiſcopus reſidebat, cum ſaltubus & nemoribus adjacentibus, donavit ſeu vendidit Magiſtro Devereux?*

ceptam atque malitiam ampliùs occultare non prævalens, nepotem ſuum Archidiaconum de Brechene, quem in bonis eccleſiaſticis tam amplè beneficiari procuraverat, ab ejus conſilio pravis abſtraxit ſuggeſtionibus; & juvenilibus auribus ſenile venenum infundens, non abſque nævo & notâ infamiæ perpetuæ innaturalem ſimul & ingratum effecit. Dupliciter itaque juvenem ſenex damnificavit; dum maculàm ei tenaciter nimis hærentem & vix ſeparabilem, quia Pœna poteſt demi, culpa perennis erit, malè ſuſurrans infixit; & literaturæ fundamentum liberalibus doctrinis cunctis tam neceſſarium, quod ſi patruo ſicut deceret adhæſiſſet, copioſè quidem adeptus fuiſſet, funditus ei damno irreparabili ſenex ſeductor ademit. Item & corporalem ejuſdem Giraldi poſſeſſionem Eccleſiæ de Thinebech, quam canonicè adeptus fuerat, eccleſiaſticâ nempe ſub nubilo [c] Interdicti tempore cenſurâ ſopitâ & inde audaciâ ſumptâ, per tres annos aut quatuor lividè pariter & cupidè diſtulit; & avaritiæ ſuæ morem gerendo fructus interim cunctos & obventiones uſurpavit. Unde & quoniam piſces, qui in portu illo marino abundare ſolent, abſque ſalſamentis debitis avidè devorare ſolebat; Giraldus aliquoties ei ſcribere conſuevit; promittens quòd ſole ſereniùs orbem per Dei gratiam illuſtrante, piſcibus ſic uſurpatis & abſque ſapore voratis debita proculdubio ſalſamenta ſibi quandoque pararet; & per hiſteron proteron cum legitimis confecta receptionibus in Angliâ diſtemperaret. Quod quidem juxta promiſſa, relaxato demum Interdicti incommodo, facere cum effectu curavit; & ablata univerſa cum dedecore injuriantis reddi compulit & pudore.

Sciendum hoc quoque, quòd vacante dictâ de [d] Thinebech Eccleſiâ, ſtatim Epiſcopus hic Priorem de Pembroch, cui nomen Philippus, ſemel & iterum & ſæpiùs & anxiè ſollicitavit; rogans attentiùs & modis omnibus efflagitans, quatenus Eccleſiam illam cuidam Clerico ſuo conferret; ut ſic piſcibus illis per medium ad nutum ſuum uti poſſet. Et cùm Prior conſtanter ei reſponderet, ſe Magiſtro Giraldo ad primam conferendum Eccleſiam ſuam vacantem ſub firmâ ſponſione teneri; ille è contra periculum totum & onus expenſarum, ſi Eccleſiam illam Giraldus fortè repeteret, in ſe ſuſcepturum & ſubiturum ſub certâ ſecuritate promiſit; & præter hoc etiam mediam partem Decimarum omnium ejuſdem Eccleſiæ de piſcibus, qui ibi abundare ſolebant, Priori quamdiu viveret & Monachis ibidem ſecum degentibus ad uſum proprium percipiendam ſub firmâ cautione ſpoſpondit. Sed ecce quàm manifeſtam, qui Simoniacos in aliis reprimere deberet exceſſus, ut avaritiæ pariter & gulæ ſatisfieret, ſolita & aſſueta minus abhorrens, Simoniam committere paratus fuit? Proinde quoniam quod malè appetiit, aſſequi non potuit, Rectorem Eccleſiæ præpediendo & debitam ejuſdem inveſtituram differendo, piſcibus ejus & fructibus, quamdiu quidem auſus fuit, non minùs impudenter quàm imprudenter incubuit; quod ei tamen ad rumen pariter atque ruborem non longo poſt tempore venit. Item adeò infatuatus & quaſi mente captus ex morbi paralitici vehementiâ parum ante obitum fuit; quòd in magnos quoſdam & autenticos viros, citra judiciarium ordinem omnem, ſententiam excommunicationis intorſit; quod quidem, ſi compos tam corporis quàm mentis fuiſſet, attemptare nullatenus auſus fuiſſet; qui ſtatim ad confuſionem grandem ipſius & correptionem à Judice ſuperiori per operam Giraldi ſunt abſoluti.

---

[c] Vult Interdictum celebre tempore Johannes Regis ab Innocentio Papâ toti Angliæ denunciatum: quod ab anno 1208. die 10. Cal. April duravit annis 6. menſibus 3. diebus 14. teſte Matthæo Paris.

[d] Nota recens. *Jus Patronatûs Eccleſiæ de Tynby ſpectat hodie ad Monaſterium S. Albani, primo verò ad Priorem de Pembroch.*

Interim

Interim autem ex gulæ vitio irâque vindici divinâ, quæ temporalem interdum vinolentis & vitiosis pœnam infligit, subitò morbum paraliticum gravissimèque non solùm medietatem verùm etiam totum corpus inutile reddentem incurrit. Unde magis hoc admirandum ac miserandum; quòd quanto membrorum & corporis afflictio durior & diuturnior; tantò mentis & cordis ambitio immoderantior & ardentior: adeò sc. ut quo plùs crescebat in eo infirmitas, plùs eo ipso de die in diem augmentata videbatur aviditas. Unde & multorum ex hoc mentes stupor invasit; quod ubi locus moderantiæ magis & pœnitentiæ foret quàm aviditatis & avaritiæ, potiùsque parcendi tempus existeret quàm opprimendi; discurrentes undique tam Officiales quàm Ministeriales, modicitatem temporis & horæ potentiæ suæ tanquam uberiori rapacitate compensantes, quia non parcit populis regnum breve, rapinis atrocibus & pauperum oppressionibus insistere non cessabant. Verùm in hoc casu simul cum Cicerone dicere poterimus. *Quæ major amentia, quàm quo minus viæ restat, plus viatici quærere?*

Utinam autem cuidam Episcopo nostri temporis Wintoniensi, sc. Henrico, tam animi quàm atavi nobilitate conspicuo, similes essent Episcopi nostri; qui in senectute bonâ & sanctâ constitutus, biennio ante obitum suum integro, nichil omnino proprium penès se retinens, cunctas propemodum possessiones suas in caritatis opera largiendo disperserat; cotidianam tantùm refectionem suam tenuem admodum & exilem vix sibi cum paucis cubiculariis Monachis ac Clericis suis sive ministris suscipiendo, terras tamen Ecclesiæ suæ atque maneria cuncta, tanquam bonus & fidelis dispensator, posteris exemplum præbens, plena bonis & usque ad summum instaurata reliquit. Et sic in orationibus continuis, disciplinis cotidianis & crebris ac confessionibus & pœnitentiis, vitam hanc terminans, Cantuariensem qui paulò ante præcesserat rubris indutum roseisque coronis, puniceis coccineisque decenter ornatibus purpuratum, nive nitidior longèque lacte candidior, liliorum sertis undique septus, Wintoniensis fœliciter est secutus.

Ut autem ad priora revertamur; ingruente fortiùs & sæviente dicto morbi incommodo, revocans Episcopus ad memoriam, quòd Cisterciensis Ordinis habitum quandoque susceperat, eoque rejecto & ad sæculum ipso reverso post ànnos aliquot ad Canonicum regularis disciplinæ Monasterium de Lanthoneiâ apud Gloverniam procul à partibus suis natalique solo remotum convolavit, vitam corrigere volens; conscientiam serenare proponens, nuncios suos ad Legatum Angliæ tunc temporis Tusculanensem Episcopum & Ordinis Cisterciensis Monachum nomine Nicholaum destinavit, consulens ipsum & quærens, utrùm Ordinem priorem & habitum resumere posset, salvâ sibi nichilominus dignitate Pontificali. Quod cùm licitum fore responsum acciperet & salubre consilium; denuo per nuncios suos literas ipsius patentes super hoc facto authenticando & approbando postulavit. Sed quoniam ipsas impetrare non potuit; maluit periculum & pœnam Prælatus expectare, quàm privatus absque omni periculo securus existere. Mirum autem, quòd vir copiosè literatus & discretus, si non & cupiditate nimiâ fuisset excæcatus, & morbi vehementiâ jam infatuatus, tam Ordinis malè mutati quàm Cathedræ malè quæsitæ cauteriatam undique conscientiam habens, cum absque utroque salus esse nequiverit, nec ad Ordinem redire priorem nec Cathedram resignare voluit, præsertim etiam urgenter instante lethali articulo, damnabiliter usurpatam. O quàm duro commercio Pontificalis hæc in terris tam desiderata pompositas, tam malè quæsita, pejùsque ministrata, & baculi illius mitræque minacitas, & tamen hæc tota tam parum duratura potestas, sibi tragædicum exitum cum gehennali pœnâ fine carente comparabit. O quàm dissimilis hic memoratis nostris temporis Episcopis tribus & memoratu dignissimis; qui

con-

conſcientiam ſerenantes & ſcrupulum omnem eliminantes & maculam abſtergentes, adeptas per obſequium Curiæ dignitates finali fœlicitate reſignârunt.

Ut autem non à remotis & antiquis ſanctitate præclaris, quorum copia major, verùm à modernis & tanquam noſtri temporis Epiſcopis virtute conſpicuis, quorum quidem turba longè tenuior, præcipuèque duobus, dicto ſc. Wintonienſi & Thoma Cantuarienſi, exempla petantur: audiant Epiſcopi noſtri, qui tallagiis inſiſtunt & tolagiis, factum Wintonienſis illius. Cùm audiſſet vir ille bonus & ſanctus Presbyteros per Dioceſin ſuam poſt multas commonitiones & præceptiones de calicibus argenteis habendis, in ſtagneis paſſim celebrare; convocatis omnibus tanquam ad auxilium poſtulandum, dederat enim paulò ante quingentas marcas Regi Henrico ad expeditionem Tholoſanam, ſignificavit eis quòd in calicibus argenteis, quibus reſtaurare vel ex parte damna poſſet Eccleſiis olim per werras ſuas irrogata, petebat ſibi auxilium ferri. Quo promptiſſimâ à cunctis voluntate conceſſo; cùm ad diem ſtatutum ſinguli de ſingulis Eccleſiis ad minus calices congererentur: de pleriſque nimirum Eccleſiis optimis plures allati fuerant, conſecratis omnibus & benedictis, ad Eccleſias unde venerant cunctos remiſit; dicens: Quæ Deo & officio ſuo dare noluiſtis, mihi Monacho minimo & peccatori miſerrimo dare parati fuiſtis. Nunc autem ſaniori conſilio Deo donentur, & ejus obſequiis in perpetuum mancipentur. Idem etiam convocatis aliâ vice Clericis ſuis, tanquam aliquid quod pecuniarium acervum augeret petiturus, poſt publicam & ultroneam communiter omnium conceſſionem, nichil aliud ab ipſis quàm Orationum & Miſſarum munus exegit. Noverat enim vir ille bonus; quantum valeat multitudinis exoratio. &c.

Ut autem aliquid nunc in commune dicatur, quod ad utrumque pro parte referri poſſit, Cantuarienſem ſc. & Wintonienſem; ſciendum quòd cùm Wintonienſis Henricus inter Epiſcopos Angliæ Cantuarienſis Eccleſiæ Suffraganeos quaſi Subdecanus exiſtens, Decano Epiſcoporum Londonienſi ſc. ante promotionem Thomæ Cantuarienſis rebus humanis exempto, conſecrationis munus ei impenderet; ſtatim hoc completo dixiſſe memoratur. Frater cariſſime, duorum optionem nunc tibi do, & tanquam ludum partitum tibi conſtituo. Aut ſummi Regis gratiam proculdubio perdes aut terreni. Noverat enim Regis Henrici II. naturam Eccleſiaſticæ libertati ex toto contrariam. Quo dicto, ſic illico Thomas oculos & manus ad cœlum levando ſubjunxit. Et ego Deo opitulante vireſque mihi miniſtrante hanc partem firmiter eligo; quòd nunquam pro terreni Regis amore gratiam & favorem ſummi Regis àmittam. Hanc etiam optionem pariter & ſponſionem uterque lacrimarum profuſione, & Conſecrator quoque dextræ manùs benedictione, confirmavit. Proinde & audito tranſitu Martiris tam eximio & tam inſigni: Deo, inquit, ſummo patri gratias intimas ago; quòd datum eſt mihi tanto viro manus Conſecrationis impoſuiſſe. Ad hæc etiam illud quoque quaſi in commune de tam fælici copulâ adjici poterit; quòd hi duo contemporanei fuerunt ſed non coævi. Ultimi namque Wintonienſis tempora Cantuarienſis incathedrati videre prima & doluere poſtrema. Unde auditâ morte Martyris & modo mortis, ſacrum os ſtatim in hæc verba reſolvit. Per ordines, inquit, Dei verè Martyr, & verus ac magnus Martyr eſt iſte. Sed ecce quemadmodum juvenes cœlum rapiunt; & nos miſeri ſenes quid hic moramur inutiles? Et tamen cùm ille in fine Decembris, ſicut notum eſt ſatis, gladiis impiorum occubuerit, immo veriùs ad cœli palatia transvolaverit: iſte Septembri ſequente plenus dierum & bonorum rebus humanis exemptus eſt; tanquam ſine ſocio diutiùs in terris ſubſiſtere tædium ducens, & abſque compari ſtellâ ampliùs in tenebris lucere recuſans. De beato verò Martyre Thoma, cujus gloria Sole lucidiùs orbem irradiat, aliquid

etiam

etiam exempli causâ poſt tot nobiles Scriptores ſcribendo proponere præſumptuoſum videri poſſet & ſuperfluum. Qui tamen ea de Martyris illius laudibus & titulis, quæ quaſi ſpecialia quidem & nova Giraldi ſtilo paucis perſtricta ſunt verbis ſed dilucidis videre voluerit; Tractatum ejuſdem *de Copulâ tergeminâ, in Legendâ S. Remigii* Lincolnienſis Epiſcopi primi requirat.

Quærens. De penultimo noſtri temporis Menevenſi Epiſcopo ſatis nobis plenè & apertè diſſeruiſtis; nunc autem ſuper hoc poſtremo ibi promoto & promotionis modo ſolitâ ſi placet benignitate nos certificare velitis.

Solvens. In principio Tractatùs iſtius & circiter ipſa ſtatim initia ſuper hoc unde quæris ſummatim & ſuccinctè, nemine tamen tunc nominato vel expreſſè notato, pertranſivimus. Verùm quatinus ad evidentiam majorem nonnulla dictis dicenda nunc adjiciamus. Sciendum quòd Præſule Gaufredo rebus humanis exempto, cùm pluries Canonici Menevenſes in Eccleſiâ ſuâ ſuper Paſtore ſibi præficiendo tractatum habuiſſent; tandem ex dictâ ſuperiùs temporis occaſione nacti audaciam; quoniam & publicam poteſtatem tunc plurimùm enervatam & eccleſiaſticam libertatem per Dei gratiam viderant augmentatam; licèt ipſos tam literis ſuis Rex pro Anglico quodam quàm etiam vivâ voce rogâſſet, necnon & Archiepiſcopus illis pro Rege in juſtis ſuis petitionibus exaudiendo ſcripſiſſet; tamen in purum Walenſem eligendum, Abbatem ſc. pauperis Cœnobii cujuſdam in Menevenſi Dioceſi de ordine Canonico & Prato-monſtrato, conſenſerunt. Quem quidem quia virum bonum & ſimplicem noverant & de gente ſuâ oriundum, cæteriſque nationibus neque naturâ nec nutriturâ permixtum, quique ad nutum ipſorum omnia faceret, & morem patriæ gerens nec Clericorum in patrum Beneficia ſucceſſiones nec concubinarum in eorundem hoſpitiis cohabitationem abhorreret. Cujus etiam, ob innatam ſimplicitatem & quaſi remiſſam liberalitatem, nec correptionem in delictis expaveſcerent nec coercionem.

Sed utinam fraudati deſiderio ſuo, non juxta opinionem ſuam & pravam voluntatem tepidum eundem, ſed aut calidum potiùs aut frigidum inveniant; talemque in ipſo ſimplicitatem præter ſpem reperiant & obſtupeſcant, qualis fuerat in Job. Cujus quidem ſimplicitas non fatua fuit ſed recta magis & juſta, & abſque dubietatis & fallaciæ plicâ. Erat enim Job, ſicut ſcriptum eſt, [a] *vir ſimplex & rectus & timens Deum.* Unde ſi talis fuerit viri ſimplicitas, de quo nunc loquimur; tunc erit recta Deumque timens & pavens omnia opera ſua. Scriptum eſt enim. [b] *Beatus, qui ſemper eſt pavidus.* Non itaque dubium, quin omnis animo ipſius fœditas, omnis enormitas, omnis in Clero, ſi talis exiſtat, turpitudo diſpliceat. Publicas igitur in Clero & maximè in Eccleſiæ ſuæ gremio fornicationes, ſaluti pariter & honeſtati tam contrarias & tam inimicas, necnon & ſucceſſiones quas tantopere condemnant Canones, debito de jure falce paſtorali totis niſibus extirpabit. Quid enim turpius, quid inhoneſtius, aut quid indecentius, quàm in circuitu Eccleſiæ matris & quandoque Metropolitanæ, ubi ſanctorum virorum habitatio, ubi & eorundem adhuc reliquiarum ſancta repoſitio, ubi & Angelica ſpirituum bonorum frequens viſitatio; ibi nutricum & obſtetricum, ne & meretricum dicamus, habitacula, partuumque recentium & puerorum vagientium jugis incontinentiæ teſtium crebra & crepitantia cunabula? Quid plura? per cellas cælibum in loco ſacro quaſi lenonum & levium lupanaria fœda. Quid etiam horribilius aut damnabilius, quàm nocte torâ in cubiculo jacere concubinario, & manè facto aſtare in Eccleſiæ choro, tanquam re bene geſtâ, in veſte Canonicâ ſc. & honeſtâ, pullâ qui-

[a] Job 1. 1.

[b] Prov. 21. 14.

quidem exteriùs mundi contemptum & viciorum mortificationem falsò prætendente, & subtus stolâ candidâ munditiam in ipsis & pudicitiam mentiente. Unde ut paucis plurima concludam. Quid fœdius, quid detestabiliùs, quàm à turpi quotidie thoro & tanquam fornice tristi plectibili perpetim præsumptione ausos accedere, nec confessione compunctos nec corde purgatos, ad mensam sacram & fercula Christi; quæ revera sumentem vel sanctificant vel condemnant? Qua igitur fronte gregem intuens letali morbo correptum, curam adhibere pastoralem, animæque Medicus manum apponere medicinalem, per inscitiam aut incuriam dissimulabit? Si annuncianda populo Domini scelera ipsius Propheta testatur, alioquin sanguinem ejus de manu negligentis requirendum esse Pastoris; quantò magis verenda est hæc comminatio, ubi non solùm in populo & vulgo, verùm etiam in Clero defectus hic reperitur? Præsertim etiam Clero in ipso Cathedralis Ecclesiæ gremio constituto, & tanquam sub alis ipsius enormiter & enormiùs educato, paternaque scelera expressè imitato, & ab inquinamentis avitis in nullo mutato. Non hîc igitur in re tam apertâ vel dissimulationi locus est vel excusationi. Error etenim, cui non resistitur, approbatur. &c.

Quærens. Causas, cur hunc præ cæteris elegerint satis, evidentes assignastis. Ex quibus revera clarescere potest, quòd magis electores suas suorumque commoditates proprias & juxta morum suorum abusus enormes indemnitates, quàm Ecclesiæ suæ præsentibus temporibus aut futuris utilitates, attendebant. Nunc autem utrùm pura fuerit, quantum ad personam Electi, nullâque ex parte fermentata promotio, declarare velitis.

Solvens. Quantum ad humanum spectat examen, nichil apertè probabile; quanquam aliquid fortè notabile, præsumptionem quippe pariens non probationem, huic Electioni mendam infixit. Absit enim, quòd statim defuncto Episcopo Gaufredo vel etiam in extremis agente, capam holosericam, sicut fama fortè confinxit, aurifrigio ut fertur electo undique fimbriatam & vasculis aureis artificiosè confibulatam, Londoniis emerit & Ecclesiæ Menevensi præsentaverit. Donum quippe est in se pulchrùm, preciosum & præclarum; temporis tamen ratione suspectum; & tunc solùm & præter solitum evidentissimum videri potuit ambitionis indicium, & ut doni gratiâ dator in Pastorem citiùs assumeretur, efficax allectorium. Item quoniam sincera debet esse & pura, sicut dictum est supra, ex parte pactionali Electio: Absit, quòd Canonicis Walensicis ante Electionem suam succedendi jus sub firmâ cautione ...... filiorum suorum pollicitus sit promotionem. Argumentum tamen ad hoc, ut fertur & fama dispersit, unde dolendum, jam emersit, quòd Martini filium puerulum, qui cunctos Ecclesiæ Wallensicos tam Vicarios ferè quàm Canonicos sanguine sibi vel affinitate conjunctos habere dinoscitur, per patris cessionem pariter & intercessionem statim præ foribus & inter opera sua prima, spem certam cæteris ad impetranda similia præbens, Canonicare non erubuit. Ob causam similem alteri Martini ejusdem filio annis & ætate ········gogo, primam post promotionem suam Gaufredus Episcopus Canonicam ········· suspicionis & conventionis notam malè vitando, conferre ········corum & affinium cuneis in Ecclesiâ septus, ideoque novis Episcopis miris ······· Quòd si ad hoc efficaciter eniti non poterit; ad aliud remedium absque dubio recurret; quoniam ipsas Canonicis Ecclesiæ, quatinus vel bonis Ecclesiasticis alantur & sustententur, firmiorique fœdere sic more solito conjungantur, concubinariis amplexibus copulare curabit.

Absit

Absit quoque quòd Canonicis Anglicis maximè verò duobus illis plus cæteris in Angliâ circa confirmationem ipsius & consecrationem laborantibus, Archileviticas, cùm vacaverint, promiserit dignitates. Quàm sit autem Simoniacum, quàm illicitum & quàm inhibitum, Electioni cuilibet pactionalem præmittere cautionem; paulò antè in tractatu de promotione Gaufredi Episcopi per Canones expressos est declaratum. Verùm sicut dictum est ibidem, de quatuor illis, inquam, Archipiratis contra Giraldum & Ecclesiam suam allectis quibus Archiepiscopus Hubertus tenebatur, ex hoc pactum præcessisse revera patebat; quòd ipsos statim de primis reditibus vacantibus Gaufredus Episcopus beneficiaverit; qui nec obsequiis antè præstitis, nec ullâ sibi fuerunt familiaritate vel etiam consanguinitate conjuncti. Nec credat hoc etiam aliquis, quòd tam præpropere fuissent hi reditus ipsis vel propter mores eorum egregios vel propter Clericatus eximios, sc. ex merâ caritate, collati.

Caveat itaque qui nunc præest; quòd si filios Canonicorum suorum in Præbendis patrum immediatè ritu barbaro, ne & barbarismo dicamus, canonicare præsumpserit; aut si dictos Anglicos duos, tam initialiter officiosos & ad obsequendum promptulos, processu temporis Archilevitas effecerit; quòd pactio prava præcesserit, vehemens absque dubio præsumptio surget. Caveat & hoc etiam gubernator & non direptor & excoriator: sit rerum ecclesiasticarum dispensator non dissipator, congregator non disgregator, dilatator non dilapidator; & ut brevi eloquio multa concludam; sit compilando Prælatus, non depilando Pilatus; & juxta salutarem Pauli doctrinam non dominator in Clero, sed forma factus & tanquam imitabile cunctis exemplar datus. Item Pontificali per omnia pudicitiâ præditus & munditiâ verbique constantiâ, necnon & avaritiâ carens & cupiditatis intemperantiâ, tam Simoniacam quàm Gieziticam pravitatem tamquam pestem abhorreat; & decessoribus suis nostri temporis ferè cunctis valde dissonus in hoc & diversus existat. Illamque præcipuè Gieziticam pravitatem vilissimam de Ecclesiarum ornatibus cunctis post dedicationem illico spoliandis, stauroque servientibus extorquendo summopere vitet. Alioquin post consecrationis eulogium suspensionis maledictum, sicut locis quibusdam vidimus, consequenter immo & continenter intorquendum, maledictionem sc. statim dandam post benedictionem. Item & Gieziticam detestabilem ac turpissimam cartarum & literarum fieri in Curiâ suâ venalitatem evitet. Vidimus enim & abhorruimus duorum decessorum suorum propinquorum Notarios tam Monachos quàm Canonicos non solùm Cartas verùm etiam literas de simplici justiciâ cunctas pauperibus & egenis passim & absque delectu venditare nec verecundantes nec verentes. O quàm dissimiles hi beato Cantuariensi Martyri Thomæ; qui ut curiam suam ab hac ex toto peste purgaret, tam Cancellarium suum quàm Notarios cunctos sacramento constrinxit; quòd valens cnipulum Anglicum propter literas vel etiam cartas conficiendas aut consignandas à nemine reciperent? Non enim ignorabat, &c.

Item & juxta Apostoli doctrinam nemini citò manum imponat; nec absque examinatione canonicâ & perscrutatione debitâ quenquam ad Ordines admittat. Et sic Episcoporum Walliæ, Hiberniæ & Scotiæ, qui reprobatos in Angliâ & pro indignis habitos & ubique recusatos, passim & absque delectu, non autem absque delicto, cunctos ordinare præsumunt, opprobrium vitet. Propter hoc etenim quoniam & absque titulo sustentationis & absque testimonio natalium & conditionis, nec non & vitæ ac conversationis; item & absque scrutinio literaturæ sufficientis & eruditionis, tanquam fal-

cem in messem alienam fatuè mittendo. Neque suorum nec alienorum dignè meritorum qualitatem attendendo, æquè ad Ordines dignos & indignos omnes admittunt, tanquam in Ordinatorum multitudine laudem sibi multam acquirentes: accidit absque dubio, quòd in Parochialibus Ecclesiis tot inveniuntur Pastores inscii & penitus imperiti, verè mercenarii & per omnia minùs idonei, ideoque in jacturam animorum inæstimabilem duces cæci & cæcorum, proh dolor, duces effecti. Unde si dignis tantùm & bene morigeratis, decenter eruditis & literatis, manus imponerentur Episcopales; certè ut moribus & vitâ commendabiles essent necnon & literaturâ præstabiles, tam bonorum consortia ad mores informandum propensiùs appeterent, quàm Magistrorum quoque limina terere crebriùs non negligerent; scolasque & studia, ut eruditores existerent, ampliùs absque dubio Clerici frequentare curarent. Constat itaque tantum tamque dolendum in grave animarum discrimen dictum in Clero defectum in Episcoporum incuriam maximam plectibilemque perpetim injuriam redundare.

Item paupertati tam Ecclesiæ suæ quàm patriæ se conformet; & ad justas solummodo facultates, non undecunque congestas, impensas suas & sumptus adaptet. Scriptum est enim &c. Item terras Ecclesiæ suæ Walensicas suis cultoribus non infructuosas, ab Anglicis Episcopis montana & silvestria Walliæ perhorrentibus & incolas etiam ipsos exosos habentibus tanquam pro derelictis habitas, Wallensis Episcopus colat & diligat; & tam armentis quàm equitiis, pecoribus etiam & pecudibus, morem patriæ gerens, ipsas instaurando, fructus exinde pro terræ modulo, tanquam ex auri vel argenti proventibus, sufficienter eliciat. Quoniam quod auri massam ad usum æquiparat, auri valorem plenè & abundè repræsentat. Et sic usurpatos ex horum & similium defectibus dictos rerum damnabilium enormes abusus, licitis his providè ac prudenter utendo, fœliciter evitare valebit. Habeant igitur opulenti regionum opimarum Episcopi copiosas opulentias suas, & tam rhedas longas lateralesque clitellas quàm vecturas innumeras & familias multas & magnas, fortunæ suæ pinguissimæ morem gerendo, circumducant; & tantæ sequelæ suæ multitudinem pascant. [a] *Ubi nempe multæ divitiæ*, Ecclesiaste testante, *multi sunt qui comedunt eas*. Opus nimirum est &c. Pauperis autem Ecclesiæ & in terrâ paupere Præsul existens, modicus ipse modicamque familiam habens, modicis ipsam atque modestis alere prævalet impensis; & si modicitate suâ ac mediocritate contentus fuerit, satis habebit dapis, & curæ multo minus. Juxta moralem namque Poetæ doctrinam, Metiri se quemque suo modulo decet &c.

[a] Eccl'es V. 10.

Audiat hæc igitur ille, de quo nobis nunc sermo conseritur. Audiat, inquam, & exaudiat, doctrinamque salubrem ex mero caritatis fonte manantem mentis cubile fideliter reponat, cum effectu custodiat; nec solùm enim corde custodiat, verùm etiam operum prohibitione sequentium verè custoditam efficaciter ostendat. Ad illud itaque documentum hæc sequendo toto conamine tendat; ut auream sc. & aureolam gemmeamque coronam, pro talento exhibito proque lucro reportato Prælatis egregiis dupliciter debitam, fœliciter obtineat, &c.

Sciendum hoc autem, & finaliter hîc etiam adjiciendum; quòd *Metrica Cosmographia nostra* juvenilibus annis edita prodiit anno ætatis meæ quasi vicesimo. *Hibernica* verò *Topographia* & *Vaticinalis Expugnationis Historia* anno quasi tricesimo. *Itinerarium* autem nostrum & viri sancti Cantuariensis Archiepiscopi Baldwyni per hispida Walliæ loca, & *de Cambriæ descriptione* Libellus, anno quasi quadragesimo. *Symbolum* autem *Ele orum*, & *de Gestis Giraldi* liber, simul

ſimul cum *Invectionum Libello*, & *Duorum Speculo*, vindicis animi digeſtis ſtudio, anno quaſi quinquageſimo. *Legendæ* verò Sanctorum variis temporibus variæ; ſed ultimæ duæ, de duobus ſc. Epiſcopis Lincolnienſibus, ſignis & miraculis & vitæ ſanctitate conſpicuis, ſimul cum *Gemmâ Eccleſiaſticâ* ſacramentalis doctrinæ perutili pariter ac præclarâ, anno quaſi ſeptuageſimo. *Dialogus* autem præſens, unà cum libello *de Principis Inſtitutione* toties promiſſo, diu nimirum valde diligenter atque latenter hyemalibus lucubrationibus crebris juxta veritatem hiſtoricam & quæ veris parcere non novit ſeveritatem elaborato, ideoque tam ſerò prodire in publicum & proferre caput denique vix auſo; tanquam anno ætatis meæ ſeptuageſimo. Et circiter id ipſum temporis liber *de Eccleſiaſticis Ordinibus* ex variis noſtri temporis religionibus emanavit. Abhinc autem & annis etiam antea plurimis potiùs operibus bonis quàm opuſculis menſque manuſque totis per Dei gratiam niſibus invigilare propenſiùs & indulgere curavit.

Giraldi Cambrensis HISTORIA DE Vitâ S. DAVIDIS Archiepiscopi Menevensis.

Proœmium in Vitam S. DAVID Archiepiscopi Menevensis à Giraldo digestam.

VItam S. David Archiepiscopi, quem vulgares Dewi dicunt, *scolastico* declarare stilo, quanquam aliis occupatus plurimùm & *detentus* literarum studiis, Fratrum tamen & Concanonicorum victus instantiâ, vix tandem & invitus adquievi. Quoniam verò nec cursûs istius plana est via, nec materialis ad unguem area limâ veritatis videbatur exculpta; mihi quidem rerum *ista expolitio* valde fuisset importuna; nisi quoniam ipsis plurimùm, immò præter modum, visa est opportuna. Lectionis igitur antiquæ & propemodum jam antiquatæ, sicut nec verba, sic neque rerum hîc series, nec continentia requiratur. Correctionis quippe lege servata, Domino inspirante, qui interdum quæ abscondit à sapientibus, revelat parvulis; & superflua rescindi, & defectiva suppleri, & minùs exquisitè dicta mutari, in hac præsenti paginâ Lector inveniet. Hoc autem mihi scribendi fiduciam præstare potuit; quia cùm tribus in rebus à naturâ virtus videatur inserta; sicut non lapidum, non herbarum ita nec verborum, bajuli vitio virtus amittitur. Quòd etiam in Scevæ filiis infidelibus, sicut in Actibus Apostolorum legitur, per Jesum quem Paulus prædicavit adjurantibus & Spiritus malos ab obsessis ejicientibus est compertum.

LECTIO I. De miraculoso Viri Sancti conceptu.

BEatus itaque David ingenuis natalibus ortus, Kereticæ Provinciæ Principis filius, cui nomen Sanctus, Arthuri verò Regis avunculus, fuisse perhibetur. Cujus generatio sic erat. Prædictus enimverò Sanctus Keritici Regis filius, à quo & Keretica regio nomen accepit, regales interdum curas alternâ recreatione distinguens, saltibus feras excire, venantiumque studio delectari, ex industriâ disposuerat. Sed ipsa qua hoc anno nocte conceperat, in somnis angelica in hunc modum monita suscepit. Crastino die venatum

venatum ituro tria tibi divinitus occurrent munera; Cervus, quem canum odorâ narium sagacitate persequêris; & eodem in loco, prope fluvium sc. ubi cervus cæsus erit, piscem invenies, & apum examen cum melle congesto. Quæ quidem tria filii tibi nascituri naturam præsagiunt & proprietatem. Hæc Angelus. Et in crastino futuri eventûs verba prænuntia statim veritas est subsecuta. Cervus autem, sicut sumpto serpente & consumpto, resumptâ quasi juventute totus renovari videtur. Sic iste de cujus hîc agimus vitâ, calcatâ serpentis antiqui versutiâ, veterem ex toto exutus est hominem & indutus novum. Piscis verò aquaticam ejusdem vitam designare potuit. Sicut enim piscis aquâ vivit; sic iste vinum & siceram & omne quod inebriare potest respuens, magnumque Baptistam & Christi præcursorem laudabili æmulatione in hoc sicut in aliis multis imitari statuens, beatam Deo vitam in pane tantùm & aquâ perduxit. Unde & Brittannicè Dewi Deverur, hoc est, David vir aquaticus, est appellatus. Mel autem sapientiam ejus declaravit. Sicut enim ex favo mel elicitur; ita spiritalem sensum historico cepit instrumento. Elapsis igitur annis postea tridenis, prædictæ Kereticæ regionis Princeps in Demeticam divertens Provinciam, ad partes de Pebidiauc declinaverat. Ubi secum perlustrando & à comitantium turbis aliquantulum segregatus, obviam fortè puellam invenit pulchram & amabilem valde, cui nomen Nonnita. In quam ut oculos injecit, in cupidinem ejus medullitus exardens, statim equo dilapsus, virgineis ibidem amplexibus est delectatus. Ipsâ verò conceptûs horâ duo lapides magni, alter ad pedes, alter ad caput emerserunt. Tantæ nimirum geniture terra congaudens, tanquam sinum aperiendo, lapides ibidem illos emisit; ut & puellæ verecundiam pro velamine conservaret, & prolis nasciture solidam sanctamque constantiam designaret.

Lectio II. De Patricio qui triginta annis antè sedem sibi apud Meneviam elegerat, Angelo monente, in Hiberniam inde transmisso.

CONtigerat autem annis ante XXX. Patricium natione Britannum, Romanis disciplinis eruditum, virum virtutum meritis affatim insignitum, cùm ab Italiæ partibus, ubi diutinam moram fecerat, in natale Britanniæ solum reversus fuisset, ad Kereticam fortè regionem divertisse. In qua per aliquantulum temporis conversatus, Demeticam postmodum Provinciam petiit. Ubi demum perlustrando angularem de Pebidiauc terram intravit. Veniens igitur ad locum, qui Vallis Rosina vocatur, videns consideransque locum ab omni populari strepitu longè remotum, locum amœnâ solitudine super Hibernicum mare religioni & contemplationi idoneum, corde concepit, fixumque in animo ratumque devovit, se Deo ibidem usque ad extremum spiritûs halitum devotis obsequiis mancipandum. Sed cùm ista secum propensiùs meditando revolveret; hæc in contrarium Angelo proponente suscepit. Hanc tibi sedem, ò Patrici, non providit Deus, immo viro nondum nato nec nisi tridenis post hæc annis elapsis nascituro. Quibus auditis, vir sanctus vehementer admiratus, & ultra quàm credi potest animo consternatus & anxiè contristatus, ingemuit: Hæc secum deliberans & desperatâ mente proponens. Frustra diutinis abstinentiæ tædiis corpus afflixi; frustra jejuniis olim, frustra vigiliis & orationibus vexor; ex quo tot meritis nihil adhuc meritus; quia nondum natus antefertur. Sed hæc & hujusmodi animo revolvens, consolationis ab Angelo in hunc modum verba suscepit. Parce Patrici, parce mœrori. Spem potiùs erige, spem

ſpem reſume. Magna tibi in inſulâ Hibernicâ repoſita eſt corona. Nondum enim hæc natio ſalutis monita, nondum vitæ verba ſuſcepit. Gentis hujus Apoſtolum, gentis hujus prædicatorem & principem ſummum te conſtituit Deus. Ibi proficere debes, ibi ſedes à Domino tibi parata. Ibi ſignis & virtutibus radiabis, totamque gentem illam Deo ſubjugabis. Ego tecum ero; & hoc tibi ſignum. Totam Inſulam, quam intrabis, tibi ex hoc proſpectu ſtatim oſtendo. Et continuò in Zephirum oculos vertens, totam Inſulam ex loco, qui hodie ſedes Patricii dicitur, trans maris & montium tam interſtitia quàm obſtacula tanta, miraculosè proſpexit. Nec mora; paratis omnibus juxta monita navem ſcandens, reſuſcitato tamen priùs ibidem mortuo quodam, cui nomen Dunaudus [a], euro ad vota ſpirante, promiſſam fœliciter patriam intravit. Cætera verò vitæ ipſius inſignia qui audire geſtierint, Hibernica ſcripta requirant; & nos ad cœpta redeamus.

De Gilda Doctore ob præſentiam Nonnitæ prægnantis obmuteſcente.

CReſcente igitur utero prænotatæ puellæ & naturaliter intumeſcente, contigit ut Eccleſiam quandam in loco ſitam, cui nomen Kanmorva, i. e. urbs maritima vel caſtrum, orandi gratiâ more conſueto mulier intrâſſet, in qua Doctor egregius Gildas [b] ſermonem ad populum tunc fortè faciebat. Qua ingreſsâ ſtatim obmutuit, adeò ut nec unum prædicationis verbum ampliùs enuntiare valuerit. Interrogatus autem à populo, cur ita diutiùs interrupto ſermone taceret, reſpondit. Ego quidem communi loquelâ vos alloqui poſſum; prædicare verò, neſcio quo eventu, nullatenus poſſum. Sed vos extra egredientes, me ſolum hîc relinquite; ut ſi vel ſic priſtinum prædicationis officium recuperare poſſim, agnoſcam. Egreſsâ igitur foras plebe, Nonnita ſola in angulo quodam Eccleſiæ, ut erat verecunda ſimul ac devota, remanſit, verba ſalutis & avidè audire ſitiens, & ab orationum inſtantiâ vix recedens. Ipſe verò loqui temptans, ſicut primò ſic & ſecundò elinguis inventus non profecit. Tunc magis exterritus animoque conſternatus, in hæc verba prorumpens exclamavit. Adjuro, inquit, & per Dei virtutem omnipotentis obteſtor; ut ſi quis hîc latitat, in medium procedens appareat. Tunc ipſa capite demiſſo vultuque venuſto, reſpondit. Ego, mi præceptor & Domine, ancilla veſtra in hoc angulo latui, veſtræ ſanctitatis veniam petens. At ipſe divinâ, ut videbatur, providentiâ fretus: Et tu, inquit, foras egredere; populus autem totus Eccleſiam intret. Quo facto, ſtatim ex more prædicat, linguâ ſolutâ. Interrogatâ verò muliere, an prægnans exiſteret, verumque profeſsâ, ſtatim viro ſancto populoque per ipſum propatulo claruit; quòd ſcilicet paritura foret, qui honoris privilegio, ſapientiæ fulgore, ſermonis facundiâ cunctos Britanniæ Doctores incomparabiliter antecelleret. Sicut ex viri egregii vitâ ſubſequente veritas eventum declaravit.

---

[a] Illum Ricemarus in Davidis *Vitâ* Criumther appellat; additque ipſum per 12. annos juxta littus iſtud ſepultum fuiſſe, & à Patricio reſuſcitatum in Hiberniam unà cum illo navigaſſe, ac Epiſcopum demum evaſiſſe.

[b] *Gildas filius Cau, qui prædicabat in tempore Regis Triphini & filiorum ejus.* Sic Ricemarus.

Lectio

Lectio III. De ortu ejusdem miraculoso & eruditione.

INterea quidam in confinio Tyrannus habebatur, qui ex Magorum præstigiis audierat puerum in finibus illis nasciturum, cujus potestas totam patriam occuparet. Unde & statim quia terrenis tantùm inhiabat; putà qui solùm in infimis, tanquam Herodes alter, spem posuerat, magnis cœpit invidiæ stimulis exagitari. Notato itaque ex Magorum præsagiis & loco tanti partûs & tempore, singulisque diligenter observatis, urgente pariendi articulo prædictum Nonnitâ locum petente, tanta pluviarum inundatio tantaque fulgurum & coruscationum tempestas invaluit, quanta multis antè temporibus in partibus illis visa non fuerat. Locus autem, in quo mulier parturire parabat, tantâ lucis serenitate præfulgebat, quantâ solet amœna dies clarissimis æstivi solis radiis illustrata. Mulier verò inter ipsas parturiendi angustias, cùm in petrâ quadam, quæ propiùs astabat, urgente dolore manibus innixa fuisset; ipsa statim in medium divisa dolenti quodammodo matri condoluit. In eodem itaque loco Ecclesia sita est; in cujus altari hæc petra tanquam tabulæ vicem præfixa tenet, digitorum vestigiis tanquam in cerâ pressorum usque in hodiernum comparentibus. Nato itaque puero & in lucem emisso, statim divina non defuere Miracula. Ad baptizandi namque ministerium aquæ limpidissimæ fons illico prorupit; qui usque hodie in loco, qui Porteleis appellatur, cernentibus apparet. Igitur ab Ælveo Muvenensium Episcopo qui divinâ providentiâ eâdem illùc horâ de Hiberniâ venerat, baptizatus, cæci cujusdam oculis, cui nomen Movi, qui eum sub undâ tenebat, cùm sacro fonte respersi fuissent, pristina videndi facultas est restituta. Puer autem nutritus est in loco, qui Vetus Rubus dicitur, qui & Kambricè Henmeneu, Latinè verò Vetus Menevia vocatur. Sortitus est autem locus hic nomen ab Hybernico Muni, quod & Rubus sonat. Unde & Kilmuni Hybernicè adhuc hodie Ecclesia Menevensis appellatur. Puer itaque crescebat gratiâ plenus, literarumque addictus studiis, supra coætaneos perspicacis ingenii velocitate proficiebat. Adeóque gratiâ desuper perfusus fuerat; ut condiscipuli ejusdem niveam columbam tanquam eum docentem atque monentem se multotiens vidisse testarentur. Succedente verò tempore crescentibus quoque virtutum meritis, ad centesimum summopere fructum aspirans, carnemque ab omni libidine servans immunem, ad sacros gradatim Ordines provectus, tandem Sacerdotali dignitate est sublimatus. Exin profectus est in Vectam Insulam; ubi Paulinus Germani discipulus, divinis ex toto mancipatus officiis, gratam Deo vitam agebat; ut præceptoris ejusdem tam doctrinis instructus quàm exemplis informatus, longè efficaciùs & divinis Scripturis imbueretur, & ad patriam à viâ fœlici cursu transveheretur.

Belue dicitur in Hist. Glaston Helue apud Ricemarum.

De Paulino præceptore illius signo Crucis ab eodem illuminato.

COntigit autem eodem tempore, ut Paulino tam ætatis ingruentiâ quàm lacrimarum quibus abundabat affluentiâ oculorum penitus acie fraudato, convocatis in unum ex Magistri præcepto discipulis, singulisque ex ejusdem rogatu oculos ipsius Crucis impressione signantibus ac benedicentibus, tandem ab aliis omnibus hoc per ordinem completo, ad David usque perventum est. Qui adeò verecundus ac simplex naturaliter extiterat; ut cùm decennale studium ibidem jam complesset, vix Magistri faciem vel semel defixo lumine intueretur. Demum tamen cùm ad cunctorum instantiam

ſtantiam præceptoris oculos Crucis ſignaculo tangens ac benedicens conſignaret; ſtatim Paulinus priſtinæ lucis gaudia recuperavit. Tunc Dei virtus, quæ poteſtatem talem dedit hominibus, digne ab omnibus commendatur. Tunc David venerari cœpit à cunctis & magnus haberi, dicentibus ad invicem & cum admiratione conferentibus. Quis putas iſte erit? Etenim manus Domini erat cum eo. Nec multò pòſt tempore Angelus Domini Paulino apparuit, dicens. Tempus eſt, inquit, ut David commiſſum ſibi talentum non in terram fodiat nec abſcondat; ſed acceptam Domini ſui pecuniam laudabili potiùs fœnore multiplicatam in medium producat. Neque lucernam ſub modio ponat, ſed ſuper candelabrum; ut luceat omnibus, & vitæ viam aperiat univerſis. Abhinc ergo David ad ſalutaria Magiſtri monita, reverſus à ſtudio, verbum Domini cum effectu ſeminare, radicare cœpit & plantare; derivatiſque foras fontibus in plateas aquas ſpargens, multum in horrea Domini tempore meſſis fructum afferebat. Præter enim ſalutarem quam in populo doctrinam tam verbis quàm vitæ meritis infatiganter exercebat, duodecim admodum Cœnobia fecit. Primum apud Glaſtoniam; deinde Baduni, ubi calidos inveniens fontes, inutiles hactenus ac peſtilentes, ſuâ lavandis corporibus benedictione reddidit acceptos. Poſtea Croulan, & [a] Reptum; [b] Colvan, & Glaſcum. Ex hinc [c] Leonis Monaſterium; [d] Ragalan quoque in Wintâ; & Langevelach apud [e] Goer, ubi & altare miſſum à Domino poſtea ſuſcepit. Circa hæc eadem quoque tempora [f] Regi Ergin cui nomen proprium, quibus caruerat, lucis beneficia reſtauravit. 1 His ita patratis, poſt longa tam diſcendi primò quàm poſtea quoque docendi tempora, ad locum, unde diſceſſerat, [g] Meneviam ſcilicet, demum vir ſanctus repatriavit. Erat autem eodem tempore ibidem Epiſcopus avunculus ejus, vir venerabilis, cui nomen [h] Giſtlianus. Huic igitur Angelica, quæ jam ſuſceperat, monita nepos in hunc modum recitavit. Locus, inquit Angelus, in quo Deo ſervire proponis, non eſt ei acceptus. Modicum enim vel nullum ſibi futurum fructum inde providit. Veruntamen eſt alius non procul hinc locus, oſtendens Vallem Roſinam *, ubi ſacrum hodie Cimiterium extat, longè religioni & ſanctæ congregationi competentior. 2 Ex hoc nempe maximos ſibi divina providentia fidelium animarum theſauros elegit.

[a] Repetun *Ricemarus legit.*
[b] Colguan. *Id.*
[c] Leuminiſtre. *Id.*
[d] Raglam in regione Guent. *Id.*
[e] Guhir. *Id.*
[f] Pepiau regem Erging. *Id.*
[g] Veterem Rubum *Id.*
[h] Giuſtilianus fratruelis ejus *Id.*

Lectio IV. De Boia Tyranno ſanctæ Congregationi invidente, & Patre David Fratres confirmante.

QUodam igitur die tres fideliſſimi diſcipuli David ad ipſum veniunt; Aidanus ſcilicet, qui & Hybernicè Maidaucus; Eliud, qui & hodie Teliau dicitur; & Yſmael. Qui ſtatim multâ condiſcipulorum comitante catervâ, Magiſtrum ad locum perducunt prædeſtinatum: Accenſoque ibidem in nomine Domini rogo, fumus incontinenti tantus emerſit; ut totam Inſulam Britannicam necnon & Hybernicam circumgirans adimplere videretur. Quidam autem ex loci vicinia vir præpotens, cui nomen [i] Boia, viſo tali ſigno ſummâ qua reſidebat ab arce, zelo invidiæ ſtatim accenſus, tantâ turbatus eſt irâ & indignatione; ut & requiem reſpueret & refectionem. Ad quem uxor ejus accedens, tantæ turbationis cauſas inquirere cœpit attentiùs & inveſtigare. Ad quem ille. Vidi, inquit, fumum ex Roſinâ Valle ſurgentem; qui totam illico patriam circuiendo & implendo adumbrabat. Quo pronoſtico certum teneo, quòd ejus incenſor famæ gloriâ, quæ per fumum deſignatur,

[i] Baia vocatus Scottus. *Id.*

1 Hîc loci Ricemarus iſta interponit. *Duo quoque Sancti Boducat & Maitrun in provinciâ Cetgueli dederunt ſibi manus.*

* Addit Ricemarus. *Quem vulgari nomine Hoduant Britones vocitant.*

2 Ricemarus. *Omnis enim qui in cæmeterio illius loci ſanâ fide ſepultus fuerit, miſericordiam conſequetur.*

omnes

omnes Insulanos incomparabiliter antecellet. Cui conjux: Vade ergo, & servorum septus agmine, incensorem illum cunctosque ei adhærentes in gladio perimere non formides. Quod vir stolidus aggredi temptans, & effectui mancipare velle præsumens, statim cum suis universis febrium igne correptus, à conceptâ nequitiâ temperavit. Verbis tamen, minis & opprobriis, quia viribus non poterat, sanctam societatem impugnavit. Revertens igitur, & facultate nocendi privatus non voluntate, conjugem obiter obviam habuit vociferantem & clamantem. Væ, væ, quia morte subitaneâ jam pecora nostra cuncta periere. Virum itaque Sanctum statim adeuntes, humili devotione deploremus; ut & nostri simul & pecorum misereatur. Quo facto, terràque, quam possidebat Vir Sanctus, ei in perpetuum relictâ immuni, quæ mortua videbantur pecora, vitæ inventa sunt restituta. Per pecora nimirum & bestias, in quibus signa sunt data, bestiales temporis illius homines, & de bestiarum amissione plus æquo dolentes, sunt designati.

Nec sic tamen invidia quievit; nec sic malitia cessavit. Mulier enim muliebri non degenerans à naturâ, semper in nequitiam prona, semper in malum pertinax & obstinata, missis puellarum turbis, sanctam cohortem muliebriter demulcendo, crebris insultibus adeò molestare cœpit & fatigare; ut à loco discedere locumque deserere penitus Fratres unanimi consilio jam parâssent: Scientes quippe, quoniam hujusmodi genus hostis meliùs fugiendo vincitur quàm resistendo. Et quoniam juxta Jeronimi sententiam nulla securitas est vicino serpente dormire; quia etsi non percutit, certè sollicitare non desistit. Sanctus autem Pater titubantes in hunc modum discipulorum animos piâ consolatione confirmavit: docens & monens, quoniam per tribulationes & angustias artâ, quæ ducit ad vitam, incedendum est viâ: nec nisi per viæ laborem ad patriæ requiem pervenitur. Quis enim Israeliticæ plebis ad Terram Promissionis per Egypti deserta tendentis longos & periculis plenos labores ignorat? Quis Pauli ad Italiam vergentis, quanquam divinis afflati monitis, naufragosa pericula non advertit? Sed navis cordis in maris fluctibus integra & inconcussa permansit. Adversitas itaque, quæ bonis votis objicitur, probatio virtutis est, non indicium reprobationis. Virtus enimvero in infirmitate perficitur. Et sicut aurum igne probatur; sic fidei constantia tribulationibus frangi nescia, more sinapis, plùs excrescit; & inter angustias pressa diutiùs, nec oppressa, in robur perfectæ consummationis fortiùs exurgit. Debemus itaque non vinci à malo, sed vincere potiùs in bono malum. Quia si Christus pro nobis; quis contra nos? Sedatis igitur ad patris monita discipulis, mulier paulò pòst in insaniam versa, privignam innocuam interemit. Et sic divinâ indignatione percussa, debacchato discurrens impetu in brevi non comparuit. Boia quoque ab hoste interemptus, cui nomen Leschi, turreque ipsius misso cœlitus igne consumptâ, divinam ultionem non evasit.

Cessantibus itaque demum Deo propitio malignantibus insidiis, sancta Societas in loco divinitus ostenso Monasterium insigne construxit. In quo divinis ex toto mancipati obsequiis, à populari frequentiâ in angulari quadam solitudine super Hybernicum mare longè remoti; quatuor his curis, manuum scilicet labore, lectione, & oratione, & pauperum refectione, vitam fœliciter exegere. Unde & tanta tamque laudabilis Congregationis hujus longè latèque crevit opinio; ut nominis ejusdem, tanquam effusi olei, fragrantia multos per Insulam ad similia sanctæ conversationis opera efficaci exemplo provocaret. Multi quoque viri magnifici & terrenâ facultate præpotentes, inter quos nominatissimus extiterat * Dux Cornubiæ Constantinus, relictis omnibus ad locum hunc se conferentes, vitam in sanctâ societate finire fœliciter elegerunt.

* Regem vocat Ricemarus.

Lectio V. De Fonte limpidissimo Discipulorum instantiâ ad sacramentales usus à Patre David non procul ab Ecclesiâ dato.

Quodam verò die convenientes in unum Fratres communiter conqueruntur: quòd prope Monasterium ad Missarum solennia Dominicique corporis sacramenta lucidi limpidique fontis copiam non haberent. Aluni namque fluvius per vallis ima decurrens aquâ turbidâ fuerat & cœnulentâ & frequenter in æstate defectivâ. Quo Pater audito, ad locum Cœmiterii, ubi frequentiùs Angelicis frui consueverat alloquiis, statim accessit. Cúmque ibidem aliquamdiu devotis ad Dominum orationibus institisset; limpidissimæ fons aquæ eodem in loco subitò prorupit. Qui sacramentalibus ad plenum usibus idoneus & officiis, usque in hodiernum ibidem emanat: Antiquis aliquando vinum temporibus, nostris autem aliquotiens lac stillare diebus, indubitatâ veritate compertus. Sed & alias quoque fontium scaturigines circiter locum eundem discipulorum meritis ad Patris imitationem datas constat quamplurimas. Ubi Breudi quoque, ubi Ecclesia in honore S. David, quasi per milliaria quatuor à Meneviâ distans, fundata dinoscitur, ad instantiam viri cujusdam, cui nomen Terdi, pulcherrimum dulcis aquæ fontem piis similiter supplicationibus Pater emisit.

De Aidano discipulo, qui boves præcipites signo Crucis reduxit incolumes; & Swithuno ab Hybernicâ Meneviam ab eodem miraculosè transmisso.

Sed quoniam quicquid gratiæ spiritalis discipulis impenditur, in patris ac præceptoris proculdubiò redundat gloriam; nonnulla Discipulorum insignia interdum interserere præter rem non putandum. Aidanus igitur divinis eruditus disciplinis, tantoque dignus præceptore discipulus, cùm lectioni quandoque propensiùs intenderet, ex Præpositi præcepto lectionem relinquens, cum duobus bobus ad ligna deportanda perrexit. Erat autem silva, quam petebat, quasi *milliaribus distans* à Monasterio duobus, scilicet in valle de Saleuuach. Cùm itaque vehiculo impleto per prærupta montis latera reverteretur; bobus fortè cum rhedâ & sarcinâ totâ in præcipitium datis, vir Sanctus elevatâ manu signo Crucis & vehiculum integrum & boves illæsos mirâ virtute reduxit. Accessit & illud ad signorum cumulum; quòd cùm nubes interim in pluviam magnam resolutæ fuissent; librum tamen, quem præceptis obediendo nimiam ob festinationem apertum sub divo reliquerat, ab omni madore repperit prorsus immunem. Sanctus autem Aidanus, qui & Hybernicè Maidocus dicitur, virtutibus insignis, & divinis affatim eruditus disciplinis, exin licentiâ primùm à Patre dein Fratribus acceptâ, cum omni benedictione Hyberniam petit. Ubi cùm aliquamdiu signis & virtutibus claruisset; demum apud † Fernas nobile Monasterium construxit. In quo ad formam & regulam, quam apud Meneviam à pio Patre didicerat, collectis in unum Fratribus Domino deservire devovit. Processu temporis cùm nocte Paschali orationibus consueto more vir Sanctus insisteret; astitit ei Angelus dicens: Nescis Aidane, quòd patri tuo David crastinâ die à Fratribus quibusdam venenum ad prandium apponetur? At ille respondens, Nescio, inquit. Cui iterum Angelus: Mitte ociùs unum ex discipulis ad indicandum ei. At ille: Nec navem, inquit, paratam habeo; nec aura concordat. Et Angelus: Discipulum tuum Swithunum ad mare quàm citiùs mitte; & ego ei tam ventum quàm vehiculum ministrabo. Quo facto, cùm Swithunus ad mare perveniens usque ad genua jam intrâsset; assumptus à marinâ belluâ & miraculosè transvectus, Patri periculum indicavit. Cúmq; die Paschali completis Missarum Solennitatibus in Refectorio ad cœnam consedissent, Diacono ex more

† Guerwin. *Id.*

more miniſtrante panemque veneno confectum Patri apponente, ſurgens ‖ Swithunus, qui & Scolanus dictus eſt, & poſtmodum * in Wintonienſi, ut perhibent, cathedrâ ſublimatus ; Diacono cum confuſione repulſo ; Ego, inquit, hodie miniſtrabo. Sanctus autem Pater panem oblatum in tres dividi portiones fecit ; & unam partem cani & alteram corvo tradi præcepit. Quibus devoratis, cernentibus cunctis ſtatim expiravit uterque. Ipſe autem Pater tertiam ſumens partem, coram omnibus benedicendo comedit, intrepidus pariter & illæſus.

‖ Scutinus. *Id.*
* De Epiſcopatu Wincon. Ricemarus tacet.

Lectio VI. De Libro Evangelico imperfecto.

Contigit autem die quodam, cùm Evangelio Johannis manibus propriis ſcribendo operam daret ; quòd campanâ pulſante ſtatim ad horam exiliit ; & ad Eccleſiam nec clauſo quaterno nec folio completo feſtinavit. Mos enim erat Congregationi ibidem Deo militanti, cuicunque inſiſterent operi, quòd eodem illico ad campanæ pulſum non completo, communiter ad horam accelerarent ; divina ſic indicantes obſequia cunctis officiis anteponenda. Completâ autom horâ, cùm ad ſcriptorium ſuum locumque laboris vir Sanctus juxta conſuetudinem remeâſſet ; invenit columnam inchoatam aureis literis Angelico miniſterio conſummatam. Quo viſo Pater, quoad potuit, Miraculum ſuppreſſit ; & ab humanis librum aſpectibus clauſum nil penitus addendo removit. Unde & uſque in hodiernum in textum auro & argento decenter inſignitum concluſus, humanis interiùs aſpectibus non præſentatur. Nec legitur quiſquam à tempore Sancti uſque ad moderna ferè tempora auſus inſpicere vel libri ſignaculum aperire. Quidam etenim noviſſimis his diebus id attemptare præſumpſerunt ; quia ſemper caritas refrigeſcit, & devotionis de die in diem ampliùs amor ac fidei fervor Deique timor evaneſcit ; ſed incontinenti ſubitâ divinitus paſſione percuſſi, à temerariis auſibus ſunt revocati. Vocatur autem à Comprovincialibus Textus iſte Evangelium Imperfectum ; qui uſque in hodiernum ſignis clarus & virtutibus, in maximâ non immeritò reverentiâ à cunctis habetur.

Nil de hoc libro Ricemarus habet.

De S. Barroco ſuper mare equitante, & Brendano ſuper marinum cetum eidem obviante.

Mos erat illis diebus Hybernenſibus Romam peregrè proficiſcendo, Apoſtolorum limina præ locis omnibus magis frequenter devoto labore viſitare. Inter quos Abbas † Barrocus de Corcagiæ finibus ab eâdem peregrinatione Meneviam uſque reverſus, ibidem venti & navigii tempora præſtolabatur. In conſuetudine nimirum viri boni de Hyberniâ & autentici habebant ; quòd peregrè profecti vel in eundo vel redeundo B. David alloquiis frui, quoniam oleum effuſum erat nomen ejus, votivo deſiderio affectarent. Cùm itaque Barrocus circa Patrem David divinis alloquiis & ſanctâ contemplatione aliquamdiu moram feciſſet ; tandem de patriâ cogitans, gregiſque ſine paſtore pericula timens, quia navigationem ejuſdem aura contraria præpediebat ; equum Patris David, cui ad eccleſiaſticas utilitates inſidere conſueverat, de meritis viri Sancti valde præſumens, fiducialiter expetiit & obtinuit. Licentiam igitur à Patre ſuſcipiens cum benedictione, & equo viri Dei pro vehiculo pariter & navigio fungens, ſuper æquoreas abſque remo & velis tranſvectus undas, ſolo fidei gubernaculo ſuſtentatur. Cúmque longiùs in mare ſic equitando progreſſus fuiſſet ; apparuit ei S. Brendanus ſuper marinum cetum obviàm veniens. Qui ſalutatione præmiſſâ, quæſivit humiliter, & quis eſſet, qui ſuper aquas ſic equitabat, & unde veniſſet. Cui Barrocus cùm longæ peregrinationis tædia, Sanctique Patris David apud Meneviam ſolatia,

† Barre. *Id.*

equique sui cum benedictione vehiculum exposuisset; Brendanus acceptâ licentiâ præteriit; dicens, ad visitandum similiter virum Sanctum se suo quoque vehiculo divinitus indulto deproperare. Barrocus autem illæsus & indempnis trans mare vectus, Corcagiam venit; & Fratribus quæ gesta fuerant per ordinem narravit. Qui & equum in Cellæ ministerio usque ad obitum ejusdem tenuerunt. Post obitum verò ad tanti tam inauditi Miraculi perpetuam memoriam, equum fusilem modicum & portabilem virumque insidentem auro & argento egregiè distinctum fecerunt. Qui usque in hodiernum Corcagiæ in Ecclesiâ S. Barroci, signis clarus & virtutibus, in maximâ nimirum reverentiâ à Comprovincialibus haberi solet. His autem vehiculorum miraculis illud in Psalmo consonare potest. || *In mari via tua, & semita tua in aquis multis; & vestigia tua non cognoscentur.* Item & illud in Cantico Abbacuk. * *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Mirabilis itaque Deus in Sanctis suis, & magnus in omnibus operibus suis. Nec detestari debet, sed admirari, sed venerari, creatoris opera, quævis creatura. Multa nimirum, ut ait Jeronimus incredibilia reperies nec verisimilia, quæ nichilominus tamen vera sunt. Nichil enim contra naturæ Dominum prævalet natura.

|| Psal. lxxvi. 20.

* Abacuc. iii. 15.

Lectio VII. De Mandabnauco discipulo signo Crucis liberato, & apibus ab eodem in Hiberniam miraculosè transvectis.

Quodam autem die cùm quidam sancti Patris discipulus, cui nomen || Mandabnaucus, non procul à Monasterio unà cum Fratribus devexa montis cujusdam latera ferro cavaret & complanaret; quatinus viantibus ad deferenda necessitatum onera facilior foret accessus; quidam aliquotiens increpatus ab ipso, quòd nimis segniter laboràsset, iracundiæ furore succensus, ferrum, quod manu tenebat, in altum elevans, illud in viri verticem contorquere parabat. Quod videns à longè S. Pater David sacro Crucis signo dextræ manûs ad illos elevatione & ictum tenuit, & manum cum brachio ferire volentis arescere fecit.

|| Modomnoc *Ricemarus appellat.*

Cùm autem Discipulus idem post annos plurimos circa Patrem & obedientiæ regulis instructus fuisset, & vitæ meritis illustratus, cùm Hybernicam Insulam de Patris licentiâ petere jam paràsset, mare ingressum cuncta apum examina, quæ Meneviæ vel in ejusdem confinio fuerant, ipsum usque in navem ipsam sunt secuta. Ipse enim inter Fratres huic specialiter operi indulgebat; quòd alvearia ad enutriendos apum fœtus per examina disponebat. Quo viso, nolens Fratres possessionis suæ damno fraudare, ad terram rediit, patremque David revisitavit, apibus ad sedes suas undequaque reversis. Ad navem autem secundò reversus, apes eum undique sequentes denuo conspexit. Iterumque ad terram revertentem sicut primò sic & secundò sunt secutæ. Patrem autem & Fratres jam tertiò repetens, quoniam suis eos utilitatibus nullatenus sponte fraudare, sed ipsos potiùs indempnes esse volebat; tandem piis Fratrum orationibus & Patris benedictione Deo commendatus, transfretandi licentiam unà cum apibus communiter accepit. Ex quo factum est, ut apes, quæ nunquam antea in Hyberniâ, ut fertur, (a) visæ fuerant, ab eo quo tam miraculosè per ipsum transvectæ sunt tempore ibidem abundare, in Meneviâ verò ab illâ semper horâ deficere consueverunt.

(a) Rationem exhibet Ricemarus. *In Hiberniâ nunquam ad illud tempus apes vivere poterant. Nam si Hiberniensem humum aut lapidem mediis apibus immitteres; disperse atque fugaces nimium devitarent.*

De Beato David Jeroſolimam Angelicis monitis peregre profecto, & ibidem à Patriarchâ in Epiſcopum conſecrato.

Proceſſu verò temporis creſcentibus cum ætate virtutum meritis, nocte quadam in ſomnis aſtitit Angelus patri David, dicens & firmiter injungens, ut in craſtino manè iter Jeroſolimitanum incunctanter arriperet, duoſque ſibi ſocios & participes tanti laboris adjungeret; Eliud ſcilicet, qui nunc Teliaus vulgò vocatur, & Paternum; quorum amborum converſatio ſatis eidem nota fuerat. David autem admirans imperii maturationem, reſpondit. Quantum in me eſt, paratus ſum in omnibus obedire; ſed quos mihi comites tam feſtinos adjungis, trium dierum ſpatio & à nobis & ab invicem diſtant. Cui Angelus. Ne ſollicitus, inquit, ſuper eorum adventu; quia ſine difficultate tibi cras obiter occurrent. David autem ſummo manè parens imperiis, diſpoſitis ſtatim Fratrum neceſſitatibus, acceptâque eorundem benedictione, non magno apparatu non ſumptuoſo, continenter iter arripuit: Et non longo progreſſus itinere, præmiſſos ſocios ad eundem ſecum laborem promtos invenit. Ibant itaque gaudentes, Angelicis fulti ſolatiis; ibant & unanimes; puta quibus omnino fuerat tribus in corporibus tanquam animus unus. Nulla inter eos contentio, nulla diſparitas, nulla diſcordia. Tantùm in Pſalmis, Hymnis & Canticis ſpiritualibus diviniſque colloquiis dies & noctes conſummabant. Cùm autem primò trans mare Gallicum & poſtea Mediterraneum navigio vecti, diverſas nationum linguas audirent; more Apoſtolico omnium notitiam gratiâ divinitus indultâ omnes habuerunt; quatinus inter alienigenas Interprete non indigerent, & fide vacillantes verbo pariter & opere confirmarent. Appropinquantibus autem urbi Jeroſolimitanæ, nocte proximâ ante eorum adventum apparuit Patriarchæ in ſomnis Angelus dicens. Tres tibi viri ab occiduis finibus Catholici & amici Dei cras advenient. Quos cum gaudio magno & hoſpitalitatis gratiâ benignè ſuſcipias; & Abbatem ipſorum, cui nomen David, Chriſto in Epiſcopum & fidei fundatorem conſecrabis. Patriarcha verò poſt hanc viſionem tres ſedes honoratiſſimas ſummo manè parari juſſit; quibus tres perſonas honore digniſſimas honorificè ſuſcepit. Quos cùm diebus aliquot gratulanter ſecum & decentiſſimè tenuiſſet; Patrem David divinitus electum ſtatim conſecrando in Epiſcopum debitâ ſolennitate provexit. Quibus in hunc modum ritè peractis, quoniam eâ tempeſtate || Gentilium furor in Chriſtianitatem nimis invaluerat; Patriarcha monuit, & monitis obtinuit; ut ſecum in Orientis aliquamdiu partibus verbum Domini ſeminarent; quatinus & fidei domeſticos in fide confirmarent, & infideles atque rebelles ab erroris ſui pertinaciâ revocarent. His igitur omnibus juxta Patriarchæ monita aliquantis gratioſè temporibus & valde efficaciter exactis, cùm redeundi denique licentiam vix obtinuiſſent; quatuor eos muneribus Patriarcha donavit; Altari videlicet portatili conſecrato, Campanâ bajulâ, Baculo inſigni, & Tunicâ ex auro contextâ. Sed quoniam tam oneroſa quanquam honorifica tam longo labore ferre recuſabant; reverſi in patriam Angelico miniſterio ſua quiſque dona miraculosè recepit. David quidem in Monaſterio, cui nomen Langevelach, nolam & altare; quæ ambo uſque in hodiernum virtutibus clarent. Paternus autem & Eliud ſua ſuis Monaſteriis munera, ſignis quoque clarentia, ſuſceperunt. Unde & in perpetuam tanti Miraculi memoriam hæc Donaria de cœlo venientia vulgò vocantur.

|| Judæorum. *Ricemar.*

Lectio

Lectio VIII. De Synodo apud Breui contra Pelagianam Hæresin convocatâ, & patre David ibidem in Archiepiscopum sullimato.

Non longis autem post hæc temporibus Pelagiana labes & Hæresis detestanda per B. Germanum Antisiodorensem & Lupum Trecensem in Insulam transmissos olim extincta, recidivo morbo redivivâque malitiâ in fidei Catholicæ perniciem jam resuscitata, universali totius Kambriæ Synodo colligendæ occasionem dedit. Unde & collectis in Keretica regione apud Breui Episcopis & Abbatibus virisque Religiosis diversorum Ordinum multis, necnon & Laicis Principibus ac populis de universâ regione collectis; cùm à pluribus in publicâ audientiâ sermo factus populum Hæreticâ pravitate penè irrevocabiliter infectum ad fidei reducere tramitem non prævaluisset; tandem Paulinus Episcopus, cum quo David olim liberalibus disciplinis in pueritiâ studuerat, ut propter Episcopum nuper à Patriarchâ consecratum, virum sanctum, discretum pariter & disertum, qui nondum advenerat, communiter ab omnibus ad tantum Ecclesiæ discrimen mitteretur, verbis quidem suasoriis peroravit. Mittuntur itaque nuncii semel & secundò, nil proficientes. Erat enim vir Sanctus contemplationi deditus; de temporalibus rebus aut sæcularibus, nisi necessitate urgentiore compulsus, aut nichil aut param curans. Tandem verò duo mittuntur viri sanctissimi ac fidelissimi, Daniel videlicet & Dubricius. David autem eorum adventum in spiritu prævidens, magnos ad se viros in crastino venturos Fratribus prædixit. Advenerunt itaque manè viri prædicti, sicut & vir Sanctus præviderat; hospitio pro facultatibus honorificè suscepti & exhibiti. Quorum ob sanctitatem & Synodi pariter auctoritatem demum monitis obtemperans, unà cum ipsis die sequente versùs Sinodum iter arripuit. Illis itaque proficiscentibus, cùm ad loca *jam* pervenissent à Sinodo non remota; matrem invenerunt orbatam filio, quæ juvenculi corpus extincti luctuosa servabat. At ubi adventum viri tanti mater audierat; ad pedes ipsius se quantociùs toto corpore prosternendo, pro filii salute virum Sanctum sollicitavit. David autem, ut erat pietate spectabilis & humanitate, matris miseriæ condolens & lamentationi, confestim ad funus accedens, faciemque defuncti lacrimis rigans, invocato Christi nomine coram omnibus & puerum miraculosè suscitavit, & matri redivivum restauravit. Quæ statim salubri freta consilio, filium suscitatum Patri sancto ad Christi obsequia fideliter assignavit. David autem Evangelii textum, quem semper in pectore gestare consueverat, humeris pueri continenter imposuit; & secum ad Sinodum portare præcepit. Quo facto, Congregationem adeunt, cum gaudio suscepti maximo & gratulatione. Prædicationis igitur officium patri David ab omnibus injungitur. Qui stans in terræ planitie, cùm alii tamen ante prædicantes ibidem congestarum cumulum vestium ascendere consueverint; tam clarâ voce & gratiosâ cunctorum pariter tam remotissimorum quàm propè positorum auribus intonuit; ut omnes eum communiter in tantâ concione & salubriter audirent. Juxta illud. † *Aperi os tuum; & ego adimplebo illud.* Et alibi. || *Cùm steteritis ante Reges & Præsides; nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini.* Et subsequenter. *Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ubi & duo signa manifestis illico toti populo claruerunt indiciis. Quia nivea columba cœlitus emissa, quamdiu sermonem faciebat, dextro ejusdem insedit humero. Et terra sub pedibus prædicantis, ut præco veritatis cunctis evidentiùs præemineret, in collem excrevit. In cujus etiam vertice cacuminis Ecclesia postmodum sita fuit; quæ usque in hodiernum diem nomine Sancti David illustratur. Quibus ita patratis, sermone completo, tota cooperante gratiâ Hæresis evanuit, discussa penitus & deleta.

† Psal. lxxx. 11.
|| Marc. xiii. 9.

deleta. Pater autem David communi omnium, tam Cleri scilicet quàm populi, electione pariter & acclamatione, cui & honorem antea destinatione Dubricius cesserat: in Kambriæ totius Archiepiscopum est sublimatus.

Lectio IX.

Processu verò temporis & alia Synodus collecta est, cui nomen Victoriæ; in qua convocato denuo totius Kambriæ Clero, ea quæ in priori Synodo firmata fuerant, adjectis quoque quibusdam super Ecclesiæ commoditatibus, firmo rigoris examine sunt renovata. Ex his itaque duabus Sinodis omnes Kambriæ totius Ecclesiæ modum & regulam, Ecclesiâ quoque Romanâ auctoritatem adhibente & confirmante, susceperunt. Quarum Decreta, quæ ore promulgaverat, Præsul David suâ quoque sanctâ manu literis mandavit; suæque Ecclesiæ aliisque per Kambriam pluribus reservanda commendavit. Quæ quidem, sicut & alii quamplurimi nobilis Bibliothecæ thesauri egregii, tam vetustate quàm incuriâ, Piratarum quoque crebris insultibus, qui de Orcadum Insulis æstivo tempore longis navibus advecti maritimas Kambriæ provincias vastare consueverant, evanuerunt.

Prædictis itaque temporibus in Kambriæ finibus Ecclesia Dei floruit insignis, & multis de die in diem fructibus adolevit. Multis passim in locis Monasteria sunt constructa; multæ fidelium congregationes in variis ordinibus ad Christi obsequia sanctâ devotione collectæ. Cunctis autem pater David, tanquam in speculâ positus eminentissimâ, vitæ speculum erat & exemplar. Instruebat subditos verbo, instruebat & exemplo; efficacissimus ore prædicator, sed opere major. Erat enim audientibus doctrina, religiosis forma, egentibus vita, orphanis munimen, viduis fulcimen, pupillis pater, Monachis regula, sæcularibus via; omnibus omnia factus, ut omnia lucrifaceret Deo.

Lectio X. De Morte ipsius, quam prædixerat, & tam Angelicâ quàm etiam Dominicâ visitatione.

His itaque virtutum meritis, longéque amplioribus quàm pagina nostra valeat exprimere, cùm ad senium usque fœliciter perductus fuisset; centumque & quadraginta septem annorum curricula jam complevisset; à viâ tandem ad patriam tendens, & humanæ fragilitati morem gerens, morbo demum decubuit letali correptus. Multas autem Angelorum voces & visitationes tam in Ecclesiâ ipso præsente, quàm in ægritudinis lecto jam constituto, Fratres audierunt dicentium & canentium, diem suæ resolutionis imminere, & tempus instare, quo finito fœliciter temporalis vitæ cursu bravium susciperet; & de mundo gloriosè triumphans, ad palmam victoriosus perveniret. Se tamen mortem non visurum, priusquam videret Sanctum Domini ad se venientem, promiserunt. Fama verò delibationis ejus & ægritudinis extremæ tam visionibus quàm Angelicis revelationibus, variis tam Britanniæ quàm etiam Hyberniæ locis, multis viris sanctis innotescens, eosdem ad patris David visitationem advocavit. Adveniente verò die Dominicâ, validâ tam populum quàm Clerum prædicatione confirmans, participato coram omnibus corpore Dominico, quod & ipse consecraverat, finitâ divini obsequii solennitate & benedictione datâ, quasi populo valedicens, se tertiâ post feriâ ad Dominum à sæculo migraturum palàm prædixit. O quantus luctus omnium! & quanta præcipuè lamenta Fratrum tunc & Clericorum! Plangunt enim populi Patrem, Clerus Pontificem, pauperes sustentatorem, omnes vitæ ducem & doctorem.

Ab hac igitur horâ usque ad terminum præfixum, totum id residuum temporis Angelicis continuè ferè visitationibus & divinis solatiis consummavit; parum

rum

rum autem ante obitus horam Dominus Jesus fidelem suum juxta promissa sua quoque ipsius visitatione dignatus est. In cujus adventu non mediocri Pater exultans gaudio, cum lacrimis tamen quas lætitia gignit, hæc confidenter ingeminans verba. Domine tolle me post te. Et quasi Simeonis Cantico psallens; ‖ *Nunc dimittis*, inquit, *Domine servum tuum secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, &c.* In his itaque verbis & similibus primo Kalendarum Martii vir Sanctus Deo spiritum reddidit; & talari indutus tunicâ, vitæ temporalis cursum fœliciter complevit; & ad æternam palmam mundo pariter & hoste triumphato victoriosus ascendit; vocante Domino N. J. Christo; cui cum Patre & Spiritu Sancto honor, virtus & gloria in sempiterna sæcula. Amen.

‖ Luc. ii. 29.

Sepultum est itaque corpus ejus, & sicut tantum decebat thesaurum, ibidem à Fratribus honorificè reconditum. Ubi usque in hodierna tempora se Dominus in Sancto suo signis & prodigiis mirabilem ostendit. Quæ quidem alicujus in posterum fortè diligentiâ prioribus addita, renovato beneficio, nostrum quandoque volumen extendent.

Responsio.

Gloriose Præsul Christi David, suscipe vota servorum tuorum, & pro nobis intercede ad Dominum Magnum.

Deus, qui Ecclesiæ tuæ B[illegible] David Pontificem tuum mirabilem tribuisti Doctorem, conce[illegible] ut hunc apud te semper pium habere mereamur intercessorem, [illegible] Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

CARMEN

CARMEN

M. SIMONIS DE FRAXINO

Canonici Herefordensis,

M. Giraldo transmissum.

FONS sine fine fluens, flos Cleri, gemma sophiæ;
Wallia cui debet, quicquid honoris habet.
Cùm meritis operum magno sis major Homero;
Fert animus tanto mittere metra viro, &c.
Sume tamen mea scripta libens; quòd cùm tibi scribo,
Sis licèt absque pari, par tibi scribit amans.
Mente piâ zeloque bono peto, consulo, ne sis
Mente vagus, ne plùs esse planeta velis.
Ut sopor insomni, sitienti potus, egeno
Victus, ut est ægro sola petenda salus.
Sic tibi currenti per septem climata mundi,
Grata fatigatis, est cupienda quies.
Linque tuum natale solum: dolet Anglia dives,
Quòd speculum mundi Wallia pauper habet.
Sol apud Antipodes si lucet, quid juvat? & quid
Wallia si fuerit lucida luce tuâ?
Sol aliquid juvat, illa nichil: Sol sæpe relucet,
Lux tua te solo prætereunte perit.
Flos & honor Cleri, nostram te transfer ad urbem,
Sunt ubi Philosophi, summus habendus ibi.
Urbs Herefordensis multùm tibi competit, in qua
Proprius est trivii quadriviique locus.
Floruit, & floret, & in hac specialiter urbe
Artis septenæ prædominatur honos.
Hunc, ubi tot radiant artes, de jure teneris,
Cùm sis artis honos, artis amare locum.
Huc ergo venias; toti dominaberis urbi.
Serviet urbs flexo poplite tota tibi.
Philosophi sunt hîc; quorum tu gloria solus,
Solus & urbigenæ gloria gentis eris.
Forsitan eveniet, quòd honorem Pontificalem,
Qui tibi raptus erat, conferet hora brevis.
Sed quid honor prodest, cui cùm sit nomen honoris,
Non honor est sed onus, re sine nomen habens.
Non super hoc te cura premat, non excitet ira.
Quærere non debet exoneratus honus.
Si tibi Pontificis nondum datur infula; non est
Hanc meruisse minus quàm tenuisse decus.
Si nondum tibi mitra datur; tibi maxima laus est
Hanc meruisse, nec est hac caruisse pudor.

Hîc igitur vivas; ſic vitans gaudia vitæ,
Mortuus ut poſſis vivere morte carens.
Hîc poteris ſervire Deo regnumque mereri,
Quo ſine defectu gloria ſemper erit.

Ejuſdem Conqueſtio & Compaſſio pro Amico læſo, & in convicìantem Deteſtatio.

MAgiſtrorum omnium flos Archilevita,
Cui nullus hominum par eſt in hac vitâ,
Qui famoſo carmine te dampnavit ita,
Precor, ut letifera bibat aconita.

Te perſtrinxit Monachus oculo liventi.
Nec ob hoc ſis anxius: perflant alta venti.
Illi precor accidat turpia ſcribenti,
Parvo quod juraverat ruſtica deflenti, &c.

Pungitivam Monachus ſecum gerens acum,
A quo nunquam exeat, incidat in lacum,
Exul inops fugiat apud Eboracum,
Ubi nunquam videat Cererem vel Bacchum.

Eſt furor, eſt facinus, eſt fraus, eſt virus iniquum,
Non æquum reprobum te reprobare virum.
Neſcio quis Monachus furtivo lædere morſu
Et te mordaci carpere dente ſtudet.
Hoſtis honeſtatis, ſceleris fons, criminis auctor,
Non poterit laudes obtenebrare tuas.
Nulla poteſt labes Solem privare nitore;
Invida nec poterit lingua nocere tibi.
Vix referam Monachi mores; eſt ambitioſus,
Eſt & avarus, & eſt fictus, & abſque fide, &c.
Eſt homicida volens, qui te vivum ſepelire,
Qui voluit mortis anticipare diem.
Tu juvenis, tu mente ſenex, quem Neſtoris annos
Ante diem virtus præripuiſſe probat.
Cùm ſis Sol mundi, fieret ſors invida mundo,
Si ſineret mundum Sole carere ſuo, &c.

Addita-

Additamenta ad Legendam S. DAVIDIS ex Vitâ ejuſdem per RICEMARCHUM Epiſcopum Menevenſem ſcriptâ.

Annales breves Eccleſiæ MENEVENSIS ab Anglorum adventu ad annum MCCLXXVIII. authore Canonico Menevenſi.

Vita DAVIDIS II. Epiſcopi Menevenſis, authore Anonymo coætaneo.

Vita S. DUBRICII Archiepiſcopi Urbis Legionum, authore BENEDICTO Monacho Claudioceſtrenſi.

Vita S. TELIAVI Epiſcopi Landavenſis, authore GALFRIDO aliàs STEPHANO Landavenſi.

Hiſtoriola de fundatione & dotatione LANDAVENSIS Eccleſiæ, ex antiquo ejuſdem Eccleſiæ Regiſtro.

Requiſitio URBANI Landavenſis Epiſcopi ad Calixtum II. Papam in Concilio Remenſi.

Decretum HONORII II. Papæ de cauſâ Urbani Landavenſis Epiſcopi.

ADDITAMENTA

AD

Legendam S. Davidis,

Ex Vitâ ejusdem per RICEMARCHUM Episcopum Menevensem scriptâ.

Ad finem Lectionis IV.

EXpulsâ igitur Deo propitio inimicorum malitiâ, Monastica in Domino classis in loco quem Angelus præmonuerat, insigne construxit Monasterium. Perfectisque omnibus talem Cœnobialis propositi fervere rigorem sanctus decrevit Pater; ut Monachorum quisque cotidiano desudans operi manuum labore suam in commune transigeret vitam. *Qui enim non laborat*, ait Apostolus *, *non manducet*. Noscens enim quòd secura quies vitiorum fames & mater esset, Monachorum humeros divinis fatigationibus subjugavit. Nam qui sub otii quiete tempora mentesque summittunt, instabilem accidiæ spiritum libidinisque stimulos sine quiete parturiunt. Igitur impensiori studio pede manuque laborant. Jugum ponunt in humeris; suffossoria vangasque invicto brachio terræ defigunt; sarculos serrasque ad succidendum sanctis ferunt manibus. Cuncta congregationis necessaria propriis expendunt viribus. Possessiones respuunt; iniquorum dona reprobant; divitias detestantur. Boum nulla ad arandum cura introducitur. Quisque sibi & fratribus divitiæ, quisque est bos. Acto opere nullum audiebatur murmur, nullum præter necessarium habebatur colloquium. Sed quisque aut orando aut rectè cogitando injunctum peragebat opus. Peracto autem rurali opere, ad Monasterii claustra revertentes, aut legendo aut scribendo aut orando totam ad vesperum peragebant diem. Veniente autem vespere, cùm nolæ pulsus audiebatur, quisque studium deserebat. Si enim in auribus cujuscunque pulsus resonaret, scripto literæ apice vel etiam dimidiâ ejusdem literæ figurâ; citiùs assurgentes sua sinebant officia, sicque cum silentio sine ullâ colloquii fabulositate Ecclesiam petunt. Expletis Psalmorum canticis consonâ cordis & vocis intentione, genuflexionibus inserviunt, quoadusque sidera cœlo visa finitum clauderent diem. Solus autem Pater egressis omnibus secretam Deo pro Ecclesiæ statu fundebat orationem. Tandem ad mensam conveniunt; quique fessos artus acceptæ cœnæ refectione relevant, nec tamen ad saturitatem. Nimia enim satietas quamvis solius panis luxuriam gignit. Sed tunc pro impari corporum vel ætatum statu quisque cœnam capit. Non diversorum fercula saporum, non esculentiores pastus apponunt; sed pane & oleribus sale conditis pasti ardentem sitim temperato potionis genere restinguunt. Infirmis tamen vel ætate provectis vel etiam longo itinere fatigatis aliqua suavioris cibi oblectamenta procurant. Non enim omnibus æquali mensurâ pensandum est. Peractâ autem gratiarum actione, Ecclesiam canonicâ cum pulsione adeunt; ibique quasi per tres horas vigiliis, orationibus, genuflexionibus insistunt. Quamdiu

* 2 Thess. iii. 10.

diu autem in Ecclesiâ orarent, nullus oscitare, nullus sternutationem facere, nullus salivam foras jacere licenter audebat. His ita gestis, sopori membra componunt. Pullorum verò cantu expergefacti, orationi, genuflexioni dediti, totam deinceps diem insomnem à manè usque perducunt noctem. Sicque per cæteras noctes inserviunt. A nocte Sabbati quousque primò diluculum primâ diei Dominicæ horâ eluxerit, vigiliis, orationibus, genuflexionibus sese impendunt, exceptâ unâ tantùm horâ post Sabbati matutinas. Cogitationes Patri propalant; Patris licentiam etiam vel ad naturæ requisita adquirunt. Omnia communia; nichil meum vel tuum. Quisquis enim aut meum librum aut aliquid aliud pronuntiaret, protinus duræ subdetur pœnitentiæ. Vilibus induebantur vestibus, maximè pellinis. Indeficiens obedientia ad Patris imperium, nimia perseverantia in agendis actibus, probitas in omnibus. Nam qui sancti propositi conversationem desiderans, fratrum inire consortium postularet, priùs decem diebus præ foribus Monasterii quasi reprobatus necnon & verborum opprobriis confutatus remaneret. Si autem bene utens patientiâ ad decimum perstaret diem; acceptus priùs sub seniore qui portæ præesset constitutus serviebat, ibique per multum temporis desudans, fractusque multis animi adversitatibus, tandem fratrum merebatur inire consortium. Nichil habebatur superfluum; voluntaria diligebatur paupertas. Nam quicunque eorum conversationem cupiebat, nichil ejus substantiæ, quam mundo renuntians dimisisset, vel unum ut ita dicam denarium in usum Monasterii Pater acciperet sanctus; sed nudus veluti è naufragio evadens receptus, nequaquam inter fratres extollens sese elevaret, vel suâ fultus substantiâ æqualem fratribus non iniret laborem, aut religionis habitum aporians vi extorqueret quæ Monasterio reliquit, & fratrum patientiam commoveat in iram. Ipse autem Pater cotidianis lacrimarum fontibus exundans, thurificatis orationum holocaustomatibus redolens, geminæ caritatis ardore flagrans, debitam Dominici corporis oblationem puris sacrabat manibus, sicque ad Angelicum solus post matutinas horas pergebat alloquium. Hinc protinus frigidam petebat aquam; in qua diutiùs morando, rigans omnem carnis ardorem domitabat. Totam deinceps diem docendo, orando, genuflectendo, curam fratrum faciendo, necnon & orphanorum, pupillorum, viduarum, egentium, debilium, infirmantium, peregrinorum multitudinem pascendo immobilis & indefessus ducebat. Sicque incœpit, peregit, finivit. Reliquum autem ejus disciplinæ rigoris, quamvis ad imitandum necessariæ, proposita compendii brevitas vetat nos exponere. Sed Ægyptios Monachos imitatus, similem eis duxit vitam.

Ad Lectionem IX.

Expulsâ igitur hæresi, Catholicæ & Ecclesiasticæ regulæ decreta firmantur; quæ crebrâ atque crudeli hostium irruptione exinanita ac penè oblivioni data evanuerunt. Ex quibus quasi gravi somno expergefacti, bella Domini certatim quique peregere; quæ in vetustissimis Patris scriptis suâ sanctâ manu mandata ex parte inveniuntur. Deinde succedente temporum serie alia colligitur Synodus, cui nomen Victoriæ. In qua collectâ Episcoporum, Sacerdotum, Abbatum turbâ, ea quæ in priori firmaverant, adjectis etiam de aliquantis utilitatibus, firmo rigoris examine renovant. Ex his igitur duabus Synodis omnes nostræ patriæ Ecclesiæ modum & regulam Romanâ auctoritate acceperunt; quarum decreta, quæ ore firmaverat, solus ipse Episcopus suâ sanctâ manu literis mandavit. Per cuncta igitur totius patriæ loca Monasteria fratres construxerunt. Passim Ecclesiarum signa audiuntur, passim orationum voces ad sidera elevantur; passim virtutes ad Ecclesiæ sinum indefessis humeris reportantur; passim caritatis vota patenti manu egenis partiuntur. Sanctus autem David Episcopus cunctorum summus speculator, summus

ſummus protector, ſummus prædicator, à quo omnes normam atque formam recto vivendi itinere acceperunt, effectus eſt. Ipſe cunctis ordo, ipſe dedicatio, ipſe benedictio, ipſe abſolutio, correctio; legentibus doctrina, egentibus vita, orphanis nutrimentum, viduis fulcimentum, patriæ caput, Monachis regula, Sæcularibus via, omnibus omnia; quanta Monachorum examina ſeminavit? quantâ cunctis utilitate profuit? quantâ virtutum gloriâ claruit? Dederuntque univerſi Epiſcopi manus, & monarchiam atque bragminationem David agio.; & conſenſerunt omnes licitum eſſe refugium ejus, ut daret illud omni ſtuproſo & homicidæ & peccatori omnique maligno fugienti de loco ad locum, præ omni Sancto ac Regibus & hominibus totius Britannicæ Inſulæ, in omni regno & in unâquaque regione, in qua ſit ager conſecratus David agio. Et nulli Reges nec ſeniores neque Satrapæ ſed neque Epiſcopi, Principéſve ac Sancti audeant præ David agio refugium dare. Ipſe verò refugium ducit ante unumquemque hominem, & nemo ante ipſum; quòd ipſe eſt † cephal & prævius ac || bragmaticus omnibus Britonibus. Et ſtatuerunt omnes Sancti anathema eſſe & maledictum, quiſquis non ſervaverit illud decretum, ſcilicet refugium Sancti David. Sicque ad ſenium perductus, omnis Britannicæ gentis caput & patriæ honor canebatur; quod ſenium centum quadraginta ſeptem admodum annis complevit.

† i. e. Caput. *Gloſſa interlinearis in Codice.*
|| i. e. Princeps. *Eadem.*

ANNA-

ANNALES
Ecclesiæ Menevensis,

Authore Canonico Menevensi.

ANno CCCCXXXVIII. adventus Anglorum in Angliam sub Hors & Hengist, Gurtheirno existente Rege Britonum.

Anno DXLII. ultimo Leonis Imp. anno Arthurus pugnavit contra Mordredum nepotem suum juxta fluvium Cabulan, & eum cum omnibus interfecit. Sed ipse Arthurus graviter vulneratus ad sananda vulnera sua in insulam Avallonis perrexit; & Constantino cognato suo Britanniam regendam dimisit.

Anastasius Imp. annis xxiv. regnavit. De Episcopo Daniele Bangor.

Dunaud Rex moritur.

Synodus Urbis Legionum ordinata à S. David Menevensi Archiepiscopo.

S. David Menevensis Archiepiscopus in Domino quievit.

Anno DCLXXXIX. Cadwalladrus Rex Britanniæ misit Ivor filium suum cum xii. navibus ad regendas Britonum reliquias; & ipse Romam perrexit, ubi xii. Cal. Maii viam universæ carnis ingressus est anno ab *Incarnatione* Domini DCLXXXIX.

Anno DCCXXXVII. Beda Presbyter mortuus, qui hunc librum Cronicorum annuatim composuit.

Anno DCCLXX. Pascha mutatur apud Britones, emendante Elbodu homine Dei.

Anno DCCXCVIII. Offa Rex moritur. Maredud Rex Demetorum obiit. Bellum Rudlan.

Anno DCCCXI. Ellodu Episcopus Venedociæ obiit.

Anno DCCCXII. Combustio Meneviæ.

Anno DCCCXXXII. Sadurnven Episcopus Menevensis moritur.

Anno DCCCXLI. Novis est Episcopus Menevensis.

Anno DCCCLXXIII. Novis Episcopus moritur.

Anno DCCCCIX. Asser Episcopus Britanniæ fit.

Anno DCCCCXL. Adelstan Rex Saxonum obiit.

Anno DCCCCXLIV. Luvert Episcopus Menevensis moritur.

Anno DCCCCXLV. Morcleis Episcopus moritur.

Anno DCCCCXLVI. Eneuris Episcopus moritur.

Anno DCCCCXLVII. Eadmundus Rex Saxonum occiditur.

Anno DCCCCLXXXVI. Godisric filius Harald cum nigris gentibus vastavit Meneviam.

Anno M. Mareduc filius Owein moritur. Menevia vastatur à Gentilibus; & Morgeneu Episcopus occiditur.

Anno MXI. Menevia vastatur à Saxonibus, sc. Edrich & Umbrich.

Anno MXXXIV. Cnut filius Sveyn Rex Anglorum moritur.

Anno MXXXIX. Herbin Episcopus Menevensis moritur.

Anno MLXI. Grifut filius Leuuelin Britonum Rex cecidit. Joseph Episcopus Menevensis moritur.

Anno

Anno MLXV. Haroldus Rex Gothorum cum magno exercitu invasit regiones Angliæ; cui obviavit alius Haroldus filius Godwini, & eum interfecit. Sed iterum supervenit Willelmus quidam Normannorum Dux; & Haroldum Anglorum Regem vitâ & regno privavit.

Anno MLXXI. Franci vastaverunt Keredigiaun. Menevia vastatur à Gentilibus, & Bangor similiter. Bledud Episcopus Menevensis moritur. Sulgenius Episcopatum accepit.

Anno MLXXVI. Bellum Pullgudic, in quo Traharn Rex Venedociæ victor fuit, & tota familia Rees cecidit. In fine verò hujus anni Rees & Howel ejus frater à Cerdauc filio Grifud occiduntur. Sulgenus Episcopatum deserit; & Abraham accepit.

Anno MLXXVIII. Menevia à Gentilibus vastatur; & Abraham à Gentilibus occiditur. Sulgenus iterum Episcopatum accepit.

Anno MLXXIX. Willelmus Rex ad Sanctum David orationis causâ perrexit.

Anno MLXXXVI. Scrinium Sancti David de Ecclesiâ suâ furatur, & juxta civitatem ex toto spoliatur. Terræ motus ingens per totam Britanniam fuit.

Anno MLXXXVIII. Sulgenus Episcopus lxxv. ætatis suæ anno moritur. Menevia frangitur & destruitur à Gentilibus.

Anno MXCVI. Rikemarth filius Sulien Episcopus moritur.

Anno MXCVII. Willelmus Rex Anglorum improviso ictu sagittæ à quodam Milite in venatu percussus occubuit. Thomas Archiepiscopus Eboraci, i. e. Catyr Ebranc, moritur.

Anno MCXVI. Wilfridus Episcopus Menevensis moritur; cui successit quidam Normannus Bernardus nomine.

Anno MCXVII. Gelasius Papa obiit; Calixtus successit.

Anno MCXXVII. Daniel filius Sulgeni Episcopi moritur.

Anno MCXXXI. Dedicatio Ecclesiæ Sancti David.

Anno MCXXXII. Rex Henricus mare transiit, non ultra visurus Angliam. Robertus frater ejus obiit.

Anno MCXXXV. Henricus Rex Angliæ moritur.

Anno MCXLIII. Ducti sunt Monachi Ordinis Cistercienfis, qui modò sunt apud Albam Landam, in Westwalliam per Bernardum Episcopum; qui dedit eis locum apud Trefgarn in Denglethes.

Anno MCXLIX. Bernardus Episcopus Menevensis xxxiii. Episcopatûs sui anno mortuus est. Cui David Geraldi filius in Episcopatum successit. Uchdrit Landavensis Episcopus moritur. Robertus Herefordiæ Episcopus moritur. Cui Gilbertus Foliot successit.

Anno MCLIV. Stephanus Anglorum Rex obiit.

Anno MCLXVI. Robertus de Mulun Herefordiæ Episcopus Anglorum sapientissimus obiit iv. Cal. Marcii.

Anno MCLXXIII. Henricus Rex Angliæ de Hiberniâ redeuns orandi causâ venit ad Sanctum David xv. Cal. Maii. Ricardus Cant. Archiepiscopus electus est.

Anno MCLXXVI. David Menev. Episcopus obiit; cui successit Petrus.

Anno MCLXXVIII. Willelmus Rex Siciliæ duxit filiam Regis Angliæ. Petrus suscepit Episcopatum Menevensem.

Anno MCLXXX. Ecclesia Menevensis diruitur; & novum opus inchoatur.

Anno MCXCVIII. Ricardus Rex obiit. Resus filius Grifut Sutwalliæ Princeps moritur iv. Cal. Maii; cujus corpus apud Sanctum David honorificè humatum est.

Anno MCXCIX. Petrus Episcopus Menevensis obiit; qui opus novum Ecclesiæ Menevensis incœpit. Vixit autem Episcopus xxiii. annis, mensibus vii. diebus xv. cui successit Gaufredus.

Anno MCCIV. Galfridus Menevensis Episcopus in Octavis S. Andreæ Apostoli Londoniæ consecratur ab Huberto Cant. Archiepiscopo. Nam sex præcedentibus annis Sedes vacaverat propter controversiam Electionis inter Cantuariensem Archiepiscopum & Abbatem S. Dogmaelis, lite ad ultimum determinatâ in Curiâ Romanâ.

Anno MCCXI. Johannes Rex cum magno exercitu Nortwalliam adivit; & Lewelino Principi Venedociæ, cui Annam filiam suam in uxorem dederat, munitiones & oppida sua abstulit; & vix pacificatus Lewelin xxx. obsides Regi dedit, & ut perhibent septem millia averia cum equibus pluribus & canibus & avibus promisit. Episcopum autem Bangornensem, quòd ad eum venire noluit, in Ecclesiâ Bangornensi ante altare Episcopalibus indutum capi præcepit. Qui datâ pecuniâ vitam & membra, prout melius potuit, redemit. Rex factâ pace in Angliam rediit.

Anno MCCXIV. Relaxatio Interdicti per totam Angliam v. Non. Junii. Galfridus Menevensis Episcopus obiit; cui successit Gervasius. Johannes Rex transfretavit in Pictaviam. Consecratus est Gervasius Menevensis Episcopus.

Anno MCCXX. Translatio S. Thomæ Martyris Id. Julii. Nova Turris Menevensis Ecclesiæ die Lunæ ante Festum S. Martini, nemine mortuo vel læso, statim post Vesperas in ruinam improvisam versa est.

Anno MCCXXV. Primò constitutus est Præcentor in Ecclesiâ Menevensi. Et incœptùm fuit novum opus majoris Ecclesiæ S. Thomæ Haverfordiæ.

Anno MCCXXIX. Gervasius Episcopus Menevensis obiit; cui successit Anselmus Crassus, Thesaurarius Exoniensis.

Anno MCCXXX. Anselmus Crassus consecratus est Episcopus Menev.

Anno MCCXLVIII. Terræ motus magnus fuit in Britanniâ & *Hyberniâ*; quo terræ motu magna pars Ecclesiæ Menevensis corruit, & plura ædificia in patriâ, & rupes scissæ sunt, xi. Cal. Marcii. Anselmus Menevensis Episcopus obiit; cui successit Magister Thomas Wallensis. Fur quidam intravit Ecclesiam Menevensem; & eam vestibus, ornamentis, & cæteris rebus spoliavit; *& spolia in rupibus maritimis* abscondit. Custodes verò Ecclesiæ super hoc dolentes (impingebatur enim eis à quibusdam) Deum Beatumque David patronum loci suppliciter oraverunt; ut eos sicut erant innocentes demonstrarent. Quadam autem die non multum pòst, cùm post prandium Sacrista nomine Madauc de hospitio suo ad Ecclesiam iret, ostium Ecclesiæ aperuit, & locum in quo ornamenta erant intrans, furem in medio ornamentorum stantem & calicem aureum in manu tenentem invenit. Sacrista verò super hoc admirans ait: O fur infœlix, quid hìc facis? quod te infortunium huc adduxit? Tu vasa & ornamenta istius Ecclesiæ nuper amissa furtivè rapuisti. Fur confitens & non negans ait: Ego verè rapui. Prosiliens Sacrista abripuit ei cultellum, quem ad corrigiam suam habebat; & eum captum coram Clero & populo deduxit. Clerus & populus pro tanto miraculo plaudentes, Deum & Sanctum David hymnis & canticis collaudârunt.

Anno MCCXLIX. Consecratus fuit Thomas Wallensis Menevensis Episcopus viii. Kal. Augusti.

Anno MCCLV. Thomas Wallensis Menevensis Episcopus die Translationis S. Benedicti obiit. Cui successit Magister Ricardus de Karreu Theologus & Philosophus optimus.

Anno MCCLVI. Consecratus fuit Ricardus Menevensis Episcopus apud Romam à Domino Papâ.

Anno MCCLXXI. Ricardus de Carreu Episcopus Menevensis ivit in Franciam incontinenti post Pascha; & perendinavit apud Rungy prope civitatem Parisiensem.

Anno MCCLXXII. Rediit Ricardus Episcopus in Walliam circa Ascensionem Domini.

Anno MCCLXXIII. Henricus Rex Angliæ obiit. Cui Edwardus filius suus successit.

Anno MCCLXXIV. celebratum fuit Concilium Generale apud Lugdunum. Magister Johannes de Fekeham Archidiaconus Brechoniæ obiit; cui successit Magister Henricus de Villamlof. Coronatus est Edwardus Rex Angliæ.

Anno MCCLXXV. Incœptum fuit Feretrum Beati David in Ecclesiâ Menevensi.

Anno MCCLXXVIII. Magister Henricus de Villamlof Archidiaconus Brechoniæ obiit; cui successit Magister Adam Bareth Thesaurarius Menevensis. Cui Adæ successit in Thesaurariâ Robertus de Haverford Rector Ecclesiæ de Lanvenyth; & fuit installatus viii. Id. Septembris.

Anno MCCLXXX. Ricardus de Carreu Episcopus Menevensis Kalendis Aprilis obiit, & sepultus est in Ecclesiâ Menevensi prope altare S. Crucis à parte Australi die S. Ambrosii. Electus fuit Magister Thomas Bek iii. Non. Junii, & confirmatus prid. Non. Julii per Johannem de Pecham de Ordine Minorum in Abbatiâ de Stanlowe prope Cestriam, & consecratus pridie Non. Octobr. apud Lyncolniam.

Eodem anno electus est Magister Petrus de Exoniâ Archidiaconus Menevensis in Episcopum Exoniensem. Cui successit in Archidiaconatu Robertus Thesaurarius Menevensis. Cui Roberto successit in Thesaurariâ Willelmus de Burreche Canonicus Menevensis.

Anno MCCLXXXII. Willelmus de Burreche Thesaurarius Menevensis obiit iv. Kalend. Aprilis: cui successit Johannes de Barry.

Anno MCCLXXXIII. Mareduc filius Gurwared Archidiaconus de Kermerdyn obiit. Cui successit Magister Johannes de Alderby. Ecclesia de Langadauc facta est Collegiata.

Anno MCCLXXXIV. Visitavit Johannes de Pecham Archiepiscopus Cant. Dioceses Menevensem, Landavensem, Bangorem, Asaphensem. Incœpit autem visitare in Ecclesiâ Menevensi vi. Idus Julii. Eodem anno Dominus Rex Edwardus venit causâ peregrinationis apud Sanctum David unà cum Dominâ Reginâ Angliæ nomine Elianorâ die Dominicâ in crastino B. Katerinæ virginis.

Anno MCCLXXXVI. in crastino Annuntiationis Dominicæ concessum fuit subsidium magnum Thomæ Becke Episcopo Menevensi de totâ Diocesi suâ ad expedienda quædam negotia tangentia Clerum erga Magistrum Giffard nuncium Domini Papæ in regno Angliæ.

VITA DAVIDIS II.

Episcopi Menevensis.

Authore (ut videtur) Canonico Menevensi coætaneo.

CUM circa dignitatem Pallii Ecclesiæ Cathedralis Menevensis postulandum in Curiâ Romanâ diu laborâsset Bernardus Episcopus Menevensis temporibus Honorii, Lucii & Innocentii Paparum, quorum scripta adhuc in Menevensi continentur Ecclesiâ; ante diem à Papâ Eugenio præfixum diem clausit supremum. Vixit autem in Episcopatu xxxiii. annis & mensibus vi.

Successit ei in Episcopatu David, sed & ipse minùs canonicè electus. Cùm enim seniores Ecclesiæ & major & sanior pars Capituli alium virum discretum & honestum elegissent; venientes ad Archiepiscopum Theobaldum paucos de Capitulo seduxit, ut supra memoratum David eligerent; & tam ipse quàm sui corrupti pecuniâ Electionem canonicè factam cassarunt; & eum sub quo securos posset carpere somnos in Episcopatum consecravit, sumptâ ab eo sufficienti cautione, ne quæstionem de dignitate Ecclesiæ Menevensis in vitâ suâ moveret. Quid mirum si hoc procuravit? Procuraverat autem ante contra Bernardum Episcopum duos falsos testes, donando Papæ Eugenio xl. marcas ut eos reciperet. Quorum unus erat Monachus falsus, alter verò Laicus. Et cùm Bernardus Episcopus eos refutâsset, & allegâsset hujusmodi testes non esse recipiendos contra Episcopum; Papa Eugenius tale ei responsum dedit. Frater, inquit, non tibi quæro testes sed mihi. Sed cùm audientes caput tangere vel ei contradicere non auderent; inter se referebant Dominum Papam malè respondisse, & pejùs fecisse.

David igitur in Episcopatum veniens, nec in vitâ suâ quæstionem movit de dignitate, vel dispersa studuit revocare. Sed pauca quæ Prædecessor suus reliquerat, & ipse distribuit filiis & nepotibus & filiabus eas maritando. Waltero filio Wysonis dedit filiam suam; & terram juxta Lanwadeyn, propter quam pater suus excommunicatus fuerat, quietam clamavit. Ricardo filio Tancardi dedit feudum duorum Militum; & ille statim unum feudum Roberto nepoti suo dedit, & Episcopus filiam suam & feudum quod fuerat Hugonis de Wallyngford; & in augmentum dedit Broghes & Trefhennan. Aliud feudum dedit Arnaldo Dru cognatu suo, videlicet Castelkennan; quod quidem tenebat Bernardus Episcopus in die qua obiit in dominico. Dedit Mauricio fratri suo feudum Archeboldi & terram Aeyain filii Seisilf & terram de S. Dogmaele. Concessit etiam ei feudum de Lanrian; & Walterum Luugt seduxit, ut homagium faceret fratri suo Mauricio de feudo suo quod de Episcopis tenuerat. Fecit etiam eundem fratrem suum Senescallum de totâ terrâ suâ. Caducano avunculo suò dedit feudum, quod dicitur feudum Caducani. Et hæc omnia distribuit Canonicis contradicentibus & reclamantibus.

mantibus. Sed ut hæc liberiùs ageret; Sancto Thomâ Archiepiscopo in exilium detruso, à custodibus Capituli sigillum abstulit & librum possessionum, quod Graffium appellatur; & plura alia contra Capitulum in hunc modum injuriosè egit.

Cùm igitur post martyrium S. Thomæ Archipræsulis venerabilis Ricardus Archiepiscopatum obtinuisset; convocatis omnibus Cant. Ecclesiæ Suffraganeis, & Episcopus Menevensis supramemoratus, qui apud Archipræsulem valde diffamatus fuerat, evocatus ad Concilium iter arripuit. Archilevitæ autem & Canonici non immemores dilapidationis & oppressionis, quas ipsis & Ecclesiis fecerat, quatuor de discretioribus Capituli ad Concilium destinârunt, ut ipsum in præsentiâ Archipræsulis accusarent; & xxvii. capitula, quæ nunc longum est enumerare, contra ipsum in hunc modum proponerent, & maximè quòd sigillum & librum possessionum eis violenter abstulit, & quæ voluit & sicut voluit sigillo sigillari fecit absque assensu Capituli, appellatione ad Summum Pontificem & ad Archipræsulem ritè interpositâ. Sed cùm ei significatum esset à suis, quòd jam nuncii Capituli contra ipsum transmissi essent; statim reducens ad memoriam conscientiam cauteriatam, antequam venissent ad Archipræsulem, eis Londoniæ occurrit; & provolutus ad ipsorum genua, anxius orabat ne ampliùs procederent, sed quæcunque volebant proponerent, & se eis daturum & facturum promisit; & tactis sacro sanctis Reliquiis & fide confirmavit, ut infra quintum decimum diem post adventum suum ad Episcopalem Sedem omnia ablata eis restitueret. Nuncii autem Canonicorum redeuntes, convocatâ multitudine quæ gesta fuerant narraverunt; & habito Sigillo in possessione illud minutatim fregerunt; & quæ sigillo sigillata fuerunt, irrita in perpetuum sanxerunt. Librum possessionum cum omnibus Ecclesiæ privilegiis in thesauris suis reposuerunt. Totam Parochiam ad Ecclesiam Beati Andreæ redire fecerunt, cujus ostia clausa fuerant per Episcopum penè omnibus diebus vitæ suæ.

Redeunte autem Episcopo de Concilio, vi febrium correptus aliisque infirmitatibus, infra breve spatium intestatus decessit. Ministri autem pauci, qui circa ipsum conversabantur, omnimodam pecuniam tam in auro quàm in argento, quam tunc secum habebat, inter se diviserunt. Ministri autem Regis advenientes, omnes per wagium & per plegium posuerunt; & transcurrentes ad Ecclesiam Menevensem, inter Reliquias Sanctorum in quadam cistâ, cujus clavem idem Episcopus portabat, fractâ eâdem cistâ invenerunt ibidem ducentas marcas vel amplius malè repositas, sicut malè adquisitas, Canonicis nescientibus pecuniam ibidem esse repositam. Et quia ipse intestatus decessit; pecuniam in usus Ecclesiæ redire neque per Regem neque per Archiepiscopum facere potuerunt. Vixit autem in Episcopatu xxvii. annis. Eo autem de sæculo sublato, convenerunt omnes Ecclesiæ Clerici, ut tractarent de Electione faciendâ.

VITA

VITA S. DUBRICII

Archiepiſcopi Urbis Legionum.

Authore BENEDICTO Monacho Claudioceſtrenſi.

Incipit Prologus in Vitam S. Dubricii Archiepiſcopi.

SAnctorum Patrum converſationes & geſta ideo memoriæ pluribus antiquariorum editionibus traduntur; quatinus eorundem præclaris exemplis animati, mores illorum & vitam actuum & devotionum greſſionibus totis niſibus imitemur. Quippe cùm illorum digna laudum merita ſpiritus eorum in ſupernis vigere, & in Chriſto vivere & Chriſtum in illis crebris præclariſque miraculis teſtificantur. Quibus ego Benedictus habitu Cœnobii Apoſtoli Petri Claudioceſtriæ Monachus adhortatus, orationibus quoque & meritis beatiſſi Dubritii Archipræſulis confiſus, operæ pretium duxi lucubrationi inſiſtere, ipſiuſque actus vel rudi ſtilo digerere; quo indocti etiam edita intellectu prout gnari perciperent; peccatoreſque mei pares nullatenus inſcitiâ patrociniis tanti patroni carerent; cæterùm ejus apud Dominum præclara merita cognoſcentes ipſius ſuffragium obtinerent. Nam cùm in geſtis Sanctorum Patrum diutiùs operam ſtudio dediſſem, Sanctumque Dubricium omnium Sanctorum tunc temporis in Britanniâ degentium meritis & vitâ præſtantiſſimum, ſignis necnon & gratiâ ſanitatum celeberrimum; ægrè tuli ipſius geſta neſciri, cujus præ omnibus veterum præceptorum teſtimonio cognovi apud Dominum interventionis patrocinium prævalere. Quocirca quæ in autenticis Patrum digeſtis ſuper eodem Patre reperi, compilare & coadunare ſtilo non erubui.

Vita S. Dubritii Archiepiſcopi.

Caput I. Igitur quidam Regulus * Ertici regionis Pepiau vocatus, Britannicè verò Clavorauc cognominatus, quod Latinè Reumaticus ſive Spumoſus interpretatur. Hic dudum adversùs hoſtes in expeditionem profectus, atque cum trophæo ad propria regreſſus, præcepit filiæ ſuæ nomine Eurdil præ labore peractæ pugnæ caput ipſius abluere. Verum enimvero ubi juſſum patris eadem conaretur perficere; ex ipſius gravitate genitor animadvertit prægnantem exiſtere. Quamobrem Rex nimis irâ ſuccenſus, juſſit eam in quodam utre includi & in flumen præcipitari; ut quocunque ſors eam ageret, in alto fluvii demergeretur. Quod quia Deo minimè placuit, fieri nequivit. Jam priuſquam proles, quam in utero habebat, naſceretur; dignatus eſt Dominus miſericordiam & protectionem exhibendo, cujus meriti foret oſtendere: cùm genitrix ejuſdem nullo modo potuit undis ſubmergi. Nam quoties ponebatur in flumine, toties ad ripam illæſa denuo ferebatur. Unde pater indignans, quòd illam minùs compos eſſet fluctibus immergere, decrevit eam igne comburi. Cujus ad præceptum rogus illico præparatur ad ipſius interitum

* Ercychi. *legit Epitome iſtius Vitæ antiqua.*

interitum & ad aliarum terrorem puellarum; in quem prælibati Regis nata Eurdil viva flagrantibus incendiis mittitur. In craſtino autem manè dum funditus rebatur focis exuſta, miſſis à patre legatis ſcitum ſi quid oſſium genitæ inuſtum remaneret, invenerunt eam incolumem, filiumque quem in medio piræ pepererat tenentem in gremio, veſtibus illius atque capillis ab omni combuſtione illæſis. Pergrande namque ſaxum juxta quod enixa eſt filium in oſtenſionem nativitatis pueri ibidem poſitum eſt. Locus autem in quo puer ortus eſt, Britannicè Matle appellatus eſt; quòd in eo natus extitit beatus homuncio; qui modò per corruptionem Anglici idiomatis † Meddelega nominatur. Puer autem ut lavacrum regenerationis nactus eſt, Dubricius vocatur; Spirituſque Sancti gratiâ ſtatim repletur. Quis verò ejus genitor exſtiterit, hujus temporis hominibus omnino conſtat ignotum. Atque iccirco nempe quidam erronei eum fabuloſè patre carere mentiuntur.

† Ab aliis vocatur Maiſmail Lochou. *Epitome.*

Cap. II. Cùm itaque pater præmiſſæ puellæ miranda beneficia & ſigna, quæ Dominus erga illam & ipſum natum patraverat, à ſuis apparitoribus acceperat, quinimo mirandam pueri tantilli ſpeciem atque decorem Deique gratiam in eo præfulgidam, illos nimiùm intueri deſiderans, filiam cum nuper natâ prole confeſtim ad ſe adducere præcepit. Quibus ſibi præſentatis, infantulum paterno affectu continuò complectens; de cætero quidem ſuper omnes liberos & nepotes illum exorſus eſt diligere; illiuſque fundi in quo natus eſt effecit hæredem, qui Matle ab indigenis i. e. Bonus Locus vocitatur; eò quòd bonus ſeu beatus homo ibi ſatus fuerat. Porrò tranſactis paucis annorum curriculis, præfatus Rex Pepiau totius illius Inſulæ Dubricium conſtituit hæredem; ipſamque à genitricis ejus nomine ſc. Eurdil juſſit Miſerbdil exin nuncupari. Puerulus exinde diatim proficiebat ætate & ſapientiâ; opportunumque tempus diſcendi nactus, literis erudiendus traditur; qui paulò pòſt prudentiâ quidem unà cum divinorum dogmatum ſcientiâ magnanimiter claruit. Et licèt annis adoleſcens, vir tamen ſenſu & doctrinæ virtute canus in brevi effectus, eloquentiâ pariter & utriuſque Teſtamenti peritiâ, per univerſam Britanniam adeò celebris famâ præconabatur; ut ex omnibus ferè totius regni provinciis non modò rudes ſed etiam gnari diverſo dogmate informandi ædificandique gratiâ ad eum confluerent. Quorum primarii conſtant, ſc. S. Theliauus, Samſon diſcipulus ejus, Ubelinus, atq; Aidanus, cum aliis xvi. quorum (*b*) nomina huic hiſtoriæ inſerere ineptum duximus; exceptis aliis mille Clericis, quos vii. annorum curriculis liberalibus diſciplinis inſtituendos in territorio quod Hentlan vocatur, quod ſitum eſt ſecus littus Gui fluminis i. e. Waia, ſecum detinuerat, formam eis præbens in ſemetipſo religioſæ vitæ & caritatis perfectæ. Rurſus nempe Doctor itidem in nativitatis ſuæ ſolo, videlicet in inſulâ Miſerbdil, juxta ripam amnis qui Waia nuncupatur, aptam ſibi multitudinique diſcipulorum ſuorum ſedem ſilvis & piſcibus opulentam eligens, pluribus Studium illud regendo manſit, imponens loco nomen || Mothros, i. e. Locus Porcorum. Ibi multis dierum decurſibus ſanctiſſimè deguit; prædicans, docenſque Clerum & populum, ejus prælucente doctrinâ per totam Britanniam, prout lucerna ſuper candelabrum, remotâ qua-

|| Moch-ros. *Epitome.*

(*b*) Extat in eodem Codice MS. Vita S. Dubricii contractior, Hiſtoriolæ de primo ſtatu Landavenſis ſubjecta; quàm à Galfrido Landavenſi ſcriptam conjicio. Illam Benedictus præ oculis ſuis habuiſſe videtur, & exinde præcipuam operis ſui materiam deſumpſiſſe. Iiſdem enim plerunque verbis, ſæpe & eiſdem ſententiis utitur. Inibi ſedecim Dubricii diſcipulorum nomina reperiuntur, quæ Benedictus rejicienda duxit, viz. *Merchiguinus*, *Elguoredus*, *Guninus*, *Congual*, *Aitbody*, *Congur*, *Arguiſtil*, *Jnabiu*, *Conbran*, *Gorvan*, *Guernabiu*, *Jouan*, *Elhevarn*, *Judnou*, *Curdocui*, *Cinvarch*.

quo

que pravi dogmatis superstitione. Cuncto quoque tempore, quo verbum vitæ Brittonnibus prædicavit, sinceram fidem catholicamque eadem gens conservavit.

Cap. III. Cùm igitur B. Dubricius in doctrinâ simul & potenti facundiâ floreret, illustrissimorumque natalium suorum largitionibus locupletaretur; paradisi introitus insignis viri categoriis unà cum exemplis magis ac magis fideli populo patescens, indies dilatabatur. Nam cùm labor ampliùs crescebat in corpore; plus gaudebat pro tanto onere, manens retributionem cœlestis patriæ. Quippe manûs ejusdem impositione diversarum valetudinum languores crebriùs fugabantur; quicunque verò debiles & anxii ad eum veniebant, læti ac incolumes repedabant. Propterea non dubiæ fama sanctitatis illius & religiosæ in divinis mandatis devotionis priùs celebrem postea verò per universam Britanniam celeberrimum citò reddidit. Quamobrem ut orbita priscorum annorum ad id temporis volvendo pervenit, quo Pelagiana Hæresis totum penè viroso dogmate contaminaverat orbem; ad eam delendam S. Germanus Autisiodorensis & Lupus Trecacensis Episcopus ab Antistibus Galliæ destinantur; quo verbum Dei Brittonibus prædicarent, fidemque Catholicam letiferam Hæresin penitus extirpando redintegrarent. Corrupta namque fuerat Christianitas eorum, tum propter Paganos Saxones quos Rex Vortigernus illis associaverat, tum propter Pelagianam hæresin cujus venenum in ipsis pluribus serpserat diebus. Namque Brittones multoties directis internunciis à Galliæ Præsulibus patrocinium flagitabant; quia nec pravo dogmati Hæreticorum adquiescebant, nec illud tamen suis allegationibus tergiversatione pravorum renitente omnino abolere valebant.

Cap. IV. Verùm ut prænotati dogmatistæ eandem Hæresin funditus eradicaverant; Episcopos ad roborandam orthodoxam fidem in pluribus regionibus consecraverunt. Super omnes utique dextralis Britanniæ fines B. Dubricium Metropolitanum Archipræsulem ab Ambrosio Aurelio Rege totius Brittonum Monarchiæ, filio Constantini, fratre quoque Uther patris Arthurii Magni, necnon & ab omni Clero & populo illius Archidioceseos canonicè delectum consecraverunt. Supradictus itaque Rex Ambrosius dapsilis erat in dandis, sedulus in divinis obsequiis, modestus in cunctis, & super omnia mendacium vitans, mitis, pius atque benignus, fortis pede, fortior equo, & ad exercitum regendum eruditissimus. Defuncto igitur Tremorino Urbis Legionum Metropolitanæ tunc temporis Archiepiscopo; isdem Rex quo memoriale Procerum Britanniæ, quos Hengistus Saxonesque sui complices nefandâ proditione in monte Ambrii, qui nunc vulgò Stanhenges dicitur, trucidaverat, sc. cccclxxx. Consulum atque Baronum æternum fieret; pergrandes lapides, qui ibidem in horum memoriam usque in præsens positi sunt, ab Hiberniâ cum magnâ manu germano suo Uther illuc transmisso fecit illinc deportari. Qui cùm allati fuissent; nonnullos per diversas Britanniæ partes nuncios direxit, edixitque universis regni Magnatibus cum Clero pariter apud montem Ambrii in pago qui nunc Salesberia dicitur convenire; quò cum magno honore præmemoratorum virorum sepulturam repararent. Ad edictum ergo hujusmodi convenerunt Pontifices atque Abbates ex unoquoque ordine; prout illis indictum fuerat. Cúmque cuncti congregarentur, instante die præfinitâ, imposuit Aurelius diadema capiti suo, Festumque regio more celebravit, ac tribus sequentibus diebus celebritati vacavit. Destitutæ siquidem fuerunt hac tempestate duæ Metropolitanæ Sedes Pastoribus suis, Eboraci videlicet atque Urbis Legionum, quæ vulgò Caerligion nominatur. Quibus Rex communi consilio rectores restituere gestiens, Eboracum Samsoni illustri viro sanctitateque famosò contulit; Urbis verò Legionum Archi-

præsulatum

præſulatum inclito Dubricio, quem divina providentia eidem Sedi præelegerat. Cùmque hæc & alia in regno ſuo ritè diſpoſuiſſet; præcepit Merlino vati ſaxa circa ſepulturam erigere, quæ de Hiberniâ navigio attulerat: quod & factum eſt.

Cap. V. Igitur paucis annorum curſibus evolutis, inſignis Rex Ambroſius Aurelius veneno perimitur. Huic itaque Uther cognomento Pendragon, i. e. caput draconis, ejuſdem germanus in regno ſucceſſit; nec ipſe diu degens, in exitium penè totius Brittanniæ leto debitum pendidit. Quo defuncto, convenerunt ex diverſis Provinciis Magnates Brittonum in urbe Silceſtriæ, Dubricio Urbis Legionum Archiepiſcopo ſuggerentes, quatinus Arturum filium Uther Pendragon in Regem coronaret. Urgebat enim arcta neceſſitas; quòd prædicti Regis accepto obitu Saxones concives ſuos ex Germaniâ conciverant, Brittoneſque à patriâ radicitus evellere moliebantur. Subjugaverant enim ſibi totam partem Inſulæ, quæ à flumine Humbri uſque ad Katanenſium æquor protenditur. Venerabilis igitur Dubricius calamitatem patriæ dolens, aſſociatis ſibi Epiſcopis, Arturum Regem diademate inſignivit. Erat autem Arthurus xv. annorum, juvenis inauditæ virtutis atque largitatis. In quo quippe tantam gratiam divina bonitas præſtiterat; ut à cunctis ferè gentibus amaretur. In finibus itaque regiis initiatus, ex more largitati indulſit. Qui ut regiâ poteſtate potitus eſt, Saxones audacter pluribus præliis aggreditur; nec tamen illos à regno funditus exſtirpare valuit. Eapropter convocato Clero primatibuſque regni ſui, conſuluit eos quid potiſſimum contra Paganorum Saxonum irruptionem faceret. Communi tandem conſilio mittuntur Armoricam, i. e. Minorem Brittanniam, à Rege nuncii ad Hoelum Regulum illius patriæ, qui ei calamitatem Brittanniæ notificarent. Unde poſtquam ſupradictus Regulus agnovit, cum xv. millibus armatorum claſſem intravit, proſperiſque ventorum flatibus in portu Hamonis, qui nunc Hantonia vocatur, applicuit. Qui honorificè ab Arthuro ſuſceptus, communicatoque S. Dubricii conſultu ad urbem Lincolniam tunc temporis à Saxonibus obſeſſam cum magnâ manu proficiſcentes, ibidem cum illis prælium commiſerunt. Eâdem nempe die ceciderunt ex Saxonibus ſex millia virorum; qui partim fluminibus ſubmerſi, partim telis percuſſi occubuerunt. Unde cæteri perterriti terga fugientes verterunt; donec in nemus Colidonis perventum fuiſſet; illóque à Britannis obſeſſi, tandem inediâ ſunt in deditionem coacti. Arthurus autem trophæo potitus, omni auro eorum ac argento ſublato, obſidibus ſuſceptis ut ſibimet ···· annuatim perſolverent, fœderatos cum ſolis navibus repatriare permiſit. His ita geſtis, paucis interim diebus intervenientibus peractæ pactionis Saxones puduit; atque viribus aſſociatis ab inchoatâ profectione regreſſi, fœdus ſuum irritum fecerunt, urbemque Badonis obſidione vallant. Quibus ab Arthuro compertis, dimiſſâ Pictorum & Scottorum oppreſſione obſidionem diſpergere feſtinavit. Poſtremò conſpectis comminus hoſtium caſtris, hujuſcemodi [oratione] ſuos eſt adorſus. Quoniam quidem impiiſſimi Saxones fidem mihi dedignati ſunt exhibere; ego fidem Deo meo ſervans, ſanguinem civium meorum ulciſci conabor. Armate vos viri, armate; & proditores iſtos viriliter aggredimini, quos proculdubio ſuffragante Chriſto triumphabimus. Hæc illo proſequente, S. Dubricius Urbis Legionum Archiepiſcopus aſcenſo cujuſdam montis cacumine, excelſâ voce exercitum ſic affatur. Viri Chriſtianâ profeſſione inſigniti, maneat in vobis concivium veſtrorum pietas & patriæ, qui proditione Paganorum exterminati vobis in ſempiternum cedent opprobrium, niſi ipſos totis niſibus defendatis. Pugnate pro patriâ veſtrâ; & mortem ſi ſupervenerit, ultro pro eâdem patimini. Ipſa enim victoria eſt & animæ remedium. Quicunque etenim pro fratribus ſuis mortem inierit, vivam hoſtiam

am se præstat Deo; Christumque sequi haud ambigitur, qui pro fratribus suis animam dignatus est ponere. Igitur si quis vestrûm in hoc bello letum subierit; sit ei mors illa omnium delictorum suorum pœnitentia & remissio, dum eam hoc modo recipere non diffugerit. Nec mora: beati viri benedictione hilarati maturavit quisque armari se & ejus præceptis parere. Ipse quidem Arthurus loricâ tanto viro dignâ indutus, auream galeam simulachro draconis insculptam capiti adaptat; humeros etiam suos clipeo protegit, quo imago S. Mariæ Dei genitricis depicta constitit, quam sibi crebriùs in auxilium invocavit. Exin certè quasi leo cum suis in Saxonum cuneos irruens, adjutus B. Dubricii suffragiis eos debellavit; nomenque beatæ Dei Genitricis exorando multa millia prostravit; demum quoque Principibus & Ducibus eorum omnibus interfectis, miserabili modo paucos qui stragem evaserant, in deditionem compulit. Hoc utique modo isdem Rex almi Dubricii precibus & meritis in cunctis præliis victor extiterat; necnon & universa regna, quæ singulorum vocabulis indicare tædiosum foret, sc. ab Alpibus cum adjacentibus regionibus & insulis usque ad ultima Tile i. e. Islandiam obtinuerat; Regesque illorum & Principes aut suæ ditioni subegerat aut atrociter trucidaverat.

Cap. VI. Igitur quoniam ad ostendendum viri Dei meritum aliquantisper ab incœptâ recitatione digressi sumus; nunc ad propositam narrationem calamum infligamus. Beatus ergo Dubricius non modò Metropolitanam sedem Ecclesiæ Urbis Legionum copiosis possessionibus amplificavit; verùm etiam Landavensem Ecclesiam in honore S. Petri Apostoli consecratam prædiis & pluribus territoriis atque fertilibus agris, silvis utique & piscosis amnibus locupletavit. Patronus itaque isdem Cœnobium venerabilis Iltuti Abbatis, quod in Glamorcanti Provinciâ constructum est, Quadragesimali tempore visitavit, ut corrigenda corrigeret, ordinem verò sacrosanctæ religionis corroboraret. Ibidem namque nonnulli sanctissimi viri conversabantur; plures quoque & deteriores livore. Inter quos insignis Samson filius Amon morabatur; qui à B. Dubricio meruit ad sacros Ordines i. e. Diaconatûs atque Sacerdotii apicem provehi, ad ultimum verò divinâ revelatione in Episcopum consecrari. Quoties itaque sacris Ordinibus benedictionibus inolitis promovebatur; toties à beato Præsule ac S. Iltuto Abbate visa est columba candidissima cœlitus in capite ejus descendere, illicque dum sacrum compleretur officium absque discessu consistere. Ministeria nempe Cœnobii almi patris Iltuti diversa diversis fratribus congregationis ex more committuntur, quemadmodum res exigebat. Administratio siquidem promptuarii Samsoni venerabili viro pro præpollente Dei præ cæteris in illo gratiâ licèt renitenti vellet nollet injungitur. Qui die noctuque Cœnobitis atque hospitibus cum egenis ministrans, communi populo complacebat. *Sequitur miraculum de vasis Samsonis cura commissis; quæ vino ab hospitibus evacuata, iterum sunt divinitus repleta.*

Cap. VII. *Miraculum de filiâ Guidguetanai energumenâ à Dubricio sanatâ.*

Cap. VIII. Igitur cùm Basileus Arthurus totius patriæ statum in pristinam dignitatem restauràsset; duxit uxorem Guenwaram ex nobili genere Romanorum progenitam. Exin ubi Norwegiam, Daciam, Galliam, Aquitaniam, necnon & Andegaviam cæterasque provincias universas unà cum Estrusiâ i. e. Normanniâ suo dominio armis subjugàsset; denuo reversus est Parisiis, tenuitque curiam illic. Quò convocato Clero & populo, pacem regni legitimo ritu confirmavit. De cætero quidem pacificatis ibidem civitatibus & populis, incipiente vere Brittanniam reversus est. Cùm verò solemnitas Pentecostes appropinquàsset; post tantum triumphum oppidò exhilaratus affectavit

affectavit illico Curiam tenere ſeque diademate redimiri: Reges utique ac Duces ſibi ſubditos ad ipſam Feſtivitatem invitare, ut & illam honorificentiùs celebraret & inter proceres ſuos pacem firmaret. Idcirco namque conſilium cepit, ut in Urbe Legionum ſuum exequeretur propoſitum. In Glamorgantiâ etenim ſuper Oſcam amnem amœno ſitu locata, præ cæteris civitatibus abundans opibus, tantæ ſolemnitati congruebat. Duabus quippe eminebat Eccleſiis, quarum una in honore Julii Martyris conſecrata virgineo Deo dicatarum choro perpulcrè decorabatur: Alia planè in Beati Aaron ejus ſocii conſtructa nomine, Canonicorum conventu ſubnixa; tertia primariam metropolitanamque ſedem habebat. Omnibus denique in Urbe Legionum congregatis, inſtante feſtivitate Archipræſules ad Palatium ducuntur, qui Baſileum diademate regali laurearent. Beatus ergo Dubricius, quoniam in ſuâ Dioceſi Curia tenebatur, paratus divinorum celebrationi regalibuſque obſequiis, hujuſce rei curam ſuſcepit. Tandem verò Rex caput laureatus ad templum Metropolitanæ Sedis regio cultu decoratus conducitur. A dextrâ quippe lævâque bini Archipontifices ipſum tenentes agebant. Quatuor quoque Reguli, Albaniæ videlicet atquè Cornubiæ, Demeticæ & Venedociæ, quorum jus id fuerat, quatuor aureos gladios manibus ferentes illum præcedebant. Conventus etiam multimodorum ordinatorum miris modulationibus præcinebat. Ex aliâ ſiquidem parte Reginam ſuis nichilominus inſignibus diademateque redimitam Archiepiſcopi atque Pontifices ad Cœnobium velatarum virginum adducebant. Porrò peractâ proceſſione, tot cantus in utriſque fiunt templis; ut præ nimiâ dulcedine milites qui aderant neſcirent quod templorum potiùs priùs peterent. Catervatim ergo nunc ad hoc nunc ad illud ruebant; nec ſi totus dies celebrationi vacaret, tædium aliquod generaret. Primis denique tribus diebus Pentecoſtes inter colendum decurſis, quartâ aſciſcuntur cuncti qui Regi pro adipiſcendis honoribus obſequium præſtabant; ſingulique ſingulis poſſeſſionibus, civitatibus videlicet atque caſtellis locupletantur. Clerus verò ſe decentibus Eccleſiarum paſtoribus vacantium infulis quiſque quod ſibi competebat donantur.

Cap. IX. Beatus igitur Dubricius ad heremiticam vitam totis viribus anhelans, Archiepiſcopali faſce gliſcens abſolvi, priſtinæ dignitatis ſede ſe ſponte depoſuit. Cui ſucceſſit in Archiepiſcopatum agius David avunculus Regis; cujus vita virtutibus & miraculis claruit, ac totius bonitatis exemplum fuit. In loco verò S. Samſonis Dolenſis Antiſtitis Theliauus illuſtris Presbyter Landaviæ conſecratur, Hoelo Rege Armoricanorum Britonum annitente; cujus doctrina & mores illum commendabant. Epiſcopatus quoque Silceſtriæ Maugennio, Wintoniæ verò Duuiano, laudabilibus viris decernuntur.

Cap. X. Silentio namque non eſt prætereundum, quoniam dum reverendæ memoriæ Dubricius in Archiepiſcopali adminiſtratione perſtitit, ejus conſultu & orationibus adjutus Rex Arthurus proſperè in cunctis agebat, ac in omnibus bellis jugiter triumphabat; illiuſque Monarchia in ſummâ pace conſiſtebat. At ubi ſanctiſſimi Dubricii patrocinio deſtituitur; quoad vixit nunquam à pugnarum vexatione quievit, donec & ipſe bello occubuit. Eâdem quippe die qua S. Dubricius Archipræſulatûs curam deſeruit, xii. Legati Lucii Cæſaris venerunt, vectigal Britanniæ minaciter exigentes, epiſtolam Imperatoris ampulloſis verbis refertam Regi deferentes. Quibus Arthurus oppidò in iram laceſſitus, conſultu primitus habito, ad congrediendum cum Imperatore non modicum animatur. Quocirca ab omnibus Regibus, Ducibus, Conſulibus atque Baronibus ibi congregatis ad expugnandos Romanos auxilium rogat. Collectis inde equitibus clxxxiii. millibus ac ducentis, ex-

ceptis peditibus qui innumerabiles existebant, prostremò cum omni transfretavit exercitu Augustodunum proficiscens; ibique Imperatori necnon & immani exercitui illius occurrens, prælium mutuò commiserunt. Arthurus tamen quamvis suis omnibus ferè interemptis Magnatibus, excepto Walwano & Hoelo Rege nepotibus ac paucis aliis, triumphavit, Lucio Cæsare cum cunctis bellatoribus ejus enectis. Istis explicitis, festinantibus nunciis Arthuro innotuit Modredum nepotem suum, cui curam Brittanniæ commiserat, diadema nequiter sumpsisse, Gannumaramque Reginam nefariè sibi nupsisse. Quo audito Rex Arthurus furoris bile commotus, cum insulanis qui cædem evaserant Regibus continuò non minimum angustiatus repatriavit. Regressus namque tribus præliis inter se & Modredum nonnullâ strage gestis, ad ultimum verò consertis gladiis Arthurus à Modredo letaliter sauciatur. At ille robustiùs in Modredum irruens extemplò prostravit, atque cum multis suorum in Cocitum direxit: Sicque mutuis occubuere vulneribus. Hæc itaque de Arthuro prosecutus sum; ut cunctis liquidò pateat, quantis fœlicitatibus fortunatus extiterit, quamdiu B. Dubricii suffragiis suffultus extitit; quantisque cladibus & infortuniis ab eo desertus quoad vixit pessundatus subjacuit.

Cap. XI. Perspiciens igitur vir Dei Dubricius hujus sæculi curam cœleste regnum desiderantibus magnum generare detrimentum, quatinus expeditiùs ad beatam vitam à fallaci transiret, cunctis illecebris & curis sæcularibus exutus, anachoreticam vitam Archiepiscopali dignitate sponte depositus operæ pretium agere duxit. Unde cum pluribus sanctis viris & discipulis laboribus manuum suarum viventibus in insulâ Enli nonnullis annis à sæculo procul remotus deguit; & ad ultimum veram beatitudinem ærumnosâ egestate commutavit. Senio quidem confectus, Sanctique Spiritûs gratiâ repletus, diutiùs optatum perhenne gaudium uranicique regni præmium xviii. Cal. Decembris adipisci promeruit. Nam eâ die vinculis carnis absolutus, talentum sibi traditum Domino suo cum lucro reportavit. Prælibata ergo Enli insula, qua B. Dubricius ultimo dierum suorum tempore sanctæ religionis religiosæque sanctitatis vitam duxit, in extremitate regni sita propter longinquitatem & periculosum freti transitum antiquitus Roma Britannicè nominabatur ob loci sanctitatem; cùm inibi xx. millia & eo amplius, ut fertur, tam Martirum quàm Confessorum corpora humata requiescant, operiendo beatam immortalitatem & immortalis beatitudinis resurrectionem. Eadem quippe insula undique Thetide circumfusa orientali plagâ licèt eminenti promontorio, occidentali verò regione plana, arvi cespite dulciflui fontis latice opima. Salum insuper illic delphinis abundans; fundus serpente, buffone, ranâque carens; & quod commendabilius omnium extat, quia nullus illò juvenis defungitur, ast in senectam vivit. Porrò pauca de multis enucleavimus miracula; quippe cùm gesta sanctissimæ conversationis viri Dei membranis impressa vel ignibus hostium exusta seu civium exilio fuissent deportata. Quod verò postmodum diligenti studio antiquorum patrum sive Historiographorum editionibus de B. Dubricio reperimus, vel quorsum constat tumulatus infra sepulturam agiorum virorum Enli, quove sit inde postea translatus; necnon & quemadmodum seu à quo, quorum immo Principum diebus, Landaviam sit advectus; operam dedimus apicibus insinuare; quatinus meritis ipsius & precibus mereamur illius gloriæ participes existere; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

Cap.

Cap. XII. (c) Igitur anno Dominicæ Incarnationis DCXII. S. Dubricius olim Landavensis Episcopus sive Ecclesiæ Urbis Legionum, quæ nunc appellatur Caerleon, Archiepiscopus xviii. Cal. Decembris migravit ad Dominum. Anno verò MCXX. anno bissextili, sextâ feriâ, Nonis Maii, ex insulâ Enli, ab Urbano Landavensi Antistite translatus, favente Radulfo Cantuariensi Metropolitano, assensu quoque David Bangornensis Pontificis atque Griffudi Reguli Guinedociæ, quæ Anglicè Spauduna dicitur, totiusque Cleri & vulgi consultu, x. Calend. Junii, Dominicâ die, in suam Ecclesiam Landaviæ cum decenti processione sanctis Reliquiis ejusdem obviàm factâ honorificè receptus est, & in eâdem Basilicâ venerabiliter busto reconditus. Eodem verò tempore tota Glatmorgantia nimiâ siccitate afficiebatur. Nequaquam enim pluerat viii. septimanis in illâ provinciâ. Et in adventu sanctarum Reliquiarum beatissimi Dubricii pluvia copiosa valdeque populo salutaris effunditur. Demum iv. Non. Junii, quartâ feriâ, piæ memoriæ Urbanus Landavensis Episcopus prægrandis itineris labore paululum quiete refocillatus, atque pro tanti patroni Reliquiis indeptis non nihil gavisus, facto primùm jejunio deprecationibus insistendo *, convocatis Clericis suis, Elni scilicet Decano magnæ prudentiæ viro & Ysaac præstantis probitatis Capellano suo, cæterisque sancti altaris officialibus, sacrosanctas eximii Dubricii reliquias solo tenus deposuerunt. Quæ dum diligenter manibus præscriptorum Præsulum Urbani scilicet ac Davidis in tribus pelvibus limphâ coram arâ Petri Apostoli & Sanctorum Confessorum Dubricii, Theliaui, Odocei lavarentur; mirum in modum extemplò pignoribus almis undâ intinctis, eadem ebullire cœpit, ac si lapis oppidò ignitus immitteretur. Nec modò prodigium ebullientis aquæ admirati sunt; immò etiam cùm algida fuisset, repentè admodum calidam stupentes persensere. Quinimo quamdiu ossa ab illis abluebantur, calor laticis multiplicabatur, sonusque ferventis aquæ audiebatur. Verè mirabilis Deus in Sanctis suis. Tandem Episcopus unum os brachii exhilaratus remisit in aquam; & illapsum fundo tenus nullo se tangente quasi per unam horam huc illucque divinitus haud sine admiratione cunctorum movendo natavit. Quod cùm primùm prælibatus Præsul inspexisset; Decano protinus cum Capellano præmemorato ascitis, contemplari commotionem ossis jubentur; ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; intuendoque miraculum Deo gratias agant, qui suâ ineffabili pietate Sanctos suos mirabiliter glorificat. His ita peractis ad honorem & utilitatem Ecclesiæ Dei, S. Dubricii reliquiæ pariter in veteri Monasterio mausoleo reponuntur ante aram sanctæ Dei Genitricis ad Aquilonem. Postea planè Urbanus Antistes Monasterii angustam brevitatem perpendens tantis Patronis incongruam, decrevit illud dilatari. Quapropter Monasterio veteri diruto, majus construi cœpit in honore Apostoli Petri & sanctorum Confessorum Dubricii, Theliaui, Odocei anno MCXXI. Dominicæ Incarnationis, xviii. Cal. Maii, quartâ feriâ, acceptis sibi & Ecclesiæ suæ literis Domini Archiepiscopi cum impressâ benedictione & injunctæ pœnitentiæ condonatione cunctis ad inceptum opus beneficia & suppetias præstantibus.

* Advocavit Canonicos suos, fratrem scilicet Elni Decanum ejusdem Ecclesiæ. *Epitome.*

(c) Narrationem de Translatione Reliquiarum S. Dubricii Vita brevior ejusdem supra memorata non minùs ubertim quàm ipse Benedictus tractavit. Utriusque narrationes ita concordant; ut alter alterum descripsisse, levi tantummodo stili immutatione factâ, facilè videatur. Ista solummodo omisit Benedictus. *Et prædictus Antistes vir bonæ memoriæ videns loci parvitatem in longitudine xxviii. pedum in latitudine xii. altitudine xx. & cum duabus aliis ex utrâque parte admodum parvæ quantitatis & altitudinis, & cum porticu xv. pedum longitudinis & latitudinis, rotundæ molis; consilio Radulfi Cant. Ecclesiæ Archiepiscopi & totius Cleri & populi ejusdem cœpit Monasterium majus construere.* Narrationem istam Dugdalius in Monasticon suum transtulit; numeris autem alicubi transpositis vitiatam dedit.

VITA

VITA S. TELIAVI Episcopi Landavensis

Authore Galfrido aliàs Stephano Landavensi.

Incipit Vita S. Teliavi Episcopi, à Magistro Galfrido (i. e. Stephano) fratre Urbani Landavensis Ecclesiæ Episcopi dictata.

SAnctus iste, fratres carissimi, ab infantiâ Dei cultor extitit: nec mirum; cùm ante infantiam eum futurum sibi servum Deus prædestinâsset. Prædestinavit quem elegit, & elegit quem dilexit, dilectumque veræ confessionis palmâ coronavit. Militavit itaque vir Dei Deo, orationibus insistendo, & omnia quæ possidebat indigentibus erogando. Quid amplius? Sex opera misericordiæ diligenter executus; & nunquam Dei famulus ab ecclesiasticis vacabat institutis. Omnia sua non faciebat sua; & quæ non erant sua faciebat sua. Nichil enim reliqui sibi de suo relinquens, bene caduca pro æternis cambiebat. Talia equidem constat sancti viri fuisse rudimenta; in quibus perseverabat sine intermissione usque in consummationem vitæ. Egregius igitur Confessor fuit, qui præter virtutes quid confiteretur non habuit. Quippe in infantiâ bonus, in juventute melior, in senectute optimus. Sed ne tanti viri genus taceatur quasi nescitum; ex nobilibus illum parentibus credimus fuisse ortum; ut carnis nobilitas honestaret eum inter homines, qui jam animi nobilitate apud Deum erat acceptabilis. Post incrementum autem ætatis, virtutum & sapientiæ, congruo nomine Helios à sapientibus nuncupatus est. *Elios* autem Græcè, Latinè *Sol* interpretatur. Fulgebat enim ut Sol ejus doctrina, fidelium illustrando corda. Sed illiteratis hominibus extremum vocabuli corruptè proferentibus, adolevit quòd non Helios sed Heliud appellatus est.

A Sancto autem Dubricio Archipræsule, cujus proximus successor extitit, legimus illum in pueritiâ in sacris Scripturis fuisse eruditum; donec eum tandem vidit tantæ indolis puerum, ut non solùm illum crederet seipso in scientiâ non esse inferiorem, sed Spiritu Sancto cooperante Scripturarum nodos meliùs per se quàm aliquo sibi magistrante expediebat. Quo viso S. Dubricius, qui hucusque fuerat suus præceptor, quique jam intelligebat se non posse sibi magistrari, voluit ut sibi succederet in magisterio, cùm eum excederet doctrinâ & ingenio. Sed tanta eum gratia comitabatur, tantusque eum studii sacræ lectionis fervor incendebat; ut ille qui jam aliis magistrari poterat, etiam magistrum adhuc quærebat. Sed non more stultorum Philosophorum ut alios confunderet, immo ut Hæreticorum errores confundere posset. Confudit itaque multorum hæreses, multorumque correxit errores. Plusque simpliciter & catholicè tamen argumentando profuit fidelibus, quàm suis subtilibus

libus argumentis fecisset unquam aliquis Philosophus. Illi enim viam quærentes semper deviabant; ille verò viam veritatis nunquam præteribat, sed per eam gradiens quasi lucernâ præeunte nullo eum impediente ad eum qui est verum lumen tendebat. Quippe per eum gradiebatur qui est via; & ab eo docebatur qui est sapientia.

Beatus Theliawus auditâ sibi Paulini cujusdam sapientis viri famâ, eum adivit; & apud eundem aliquamdiu moratus, si qua eum Scripturarum secreta priùs laterent, conferendo ad invicem omnia sanè exposita intelligebant; ibique Sanctum David perfectissimæ vitæ hominem sibi associavit. Quos tanta conjunxit dilectio & Spiritûs Sancti gratiâ; quòd in agendis & non agendis rebus idem velle & idem nolle esset ambobus. In istorum autem Sanctorum diebus quidam populi de Scithiâ, qui sive à pictis vestibus sive propter oculorum stigmata Picti dicebantur, innumerâ classe ad Britanniam devenerunt; & capti amore terræ potiundæ, propter bonarum rerum copiam, qua super omnes insulas tunc temporis pollebat, magis fraude quàm viribus Brittannos invaserunt, & in eos miram tirannidem ad tempus exercuerunt. Nec mirum istam superari ab *illâ*. Nam Picta gens erat subdola & multis conflictionibus terrâ & mari exercitata. Ista autem quamvis viribus corporis esset prædita, tamen simplex & pacifica; & quia nondum esset à quoquam tentata, quasi bellandi nescia leviùs subjugari potuit. Siquis autem inde pleniùs scire desiderat; in historiâ Gyldæ Britannorum Historiographi reperiet. Cúmque quidam illius nefariæ gentis Princeps trucidando miseros incolas & comburendo ædes & templa Sanctorum à navalibus ubi appulerant usque Mynuensem civitatem processisset; ibi constitit, ibique suum palatium construxit. Qui videns Sancti David & Eliud aliorumque servorum Dei qui cum illis degebant vitæ probabilitatem, sicut pravorum semper consuetudo est bonis invidere, non solùm illis invidebat; sed etiam quòd illos tam attentos in Dei servitio videret, multa eis opprobria sæpe dicebat, ut sic eos à Christo separaret. Sed quia minis & verbis turpibus quod volebat efficere non potuit, multis machinationibus eos tentare conatus, vidit se nullo modo commodiùs quàm per muliebres blanditias illud efficere posse. Præcepit itaque mulieri suæ, ut ad Sanctos suas pedissequas dirigeret, & Sanctorum visibus se offerrent; ut fatuis motibus sui corporis & meritriciis blandimentis Sanctorum mentes à sancto proposito conarentur pervertere. Quæ dum dominæ suæ exequendo mandata se quasi insanas esse simularent; insanæ factæ sunt. Quo viso prædictus persecutor & domus sua tota fidem susceperunt, & ab eisdem in Christi nomine baptizati sunt.

Postquam Deus prædictas mulieres tali immedicabili opprobrio deturpavit; eosdem Sanctos per aliud opus mirabile & dignum memoriâ decoravit. Nam cùm Beatus Eliud & Maydocus in atrio Monasterii non figmenta Poetarum nec veterum Historias, immo Jeremiæ Prophetæ Lamentationes, ut amore cœlestis patriæ magis accenderentur, discuterent; supervenit quidam famulus, dicens ligna deesse quibus cœna fratrum præparari posset, &c. *Sequuntur nonnulla miracula.*

Videns Deus Sanctos suos tot decoratos esse virtutibus, indicavit eos promovendos esse ecclesiasticis dignitatibus. Misit enim Angelum suum ad Sanctos, qui nuntiaret eundum eis esse ad sanctam civitatem Jerusalem, ut ibi suæ militiæ donativa reciperent. Sancti verò, Eliud videlicet & David, Deo suo per omnia obedientes, non sunt ausi resistere divino nutui; sed Paternum virum Deo carum sibi associantes, & tres in Trinitatis nomine injunctum sibi iter incœperunt, sed non ut multi peregrinorum faciunt, multâ adunatâ pecuniâ, immo sine baculo & perâ, sperantes potiùs in illum, qui dat jumentis escam ipsorum & pullis corvorum invocantibus eum. Nec frustra sperantes:

Deus

Deus enim per fideles suos cuncta eis necessaria ministrabat in tempore. Illustrati siquidem erant luce cœlestis gratiæ; ita ut eorum adventus cunctis esset acceptabilis, & præsentia sanitatem præberet infirmis. Reliquerunt itaque per diversas provincias suæ sanctitatis vestigia, cunctorum sibi obviantium alleviando dolores. Cúmque persecutores in viâ obsisterent; non tantùm spolia illis pacificè concedebant, sed siquid prædæ ipsi immemores relinquerent, prædatoribus hilari vultu porrigebant. Illi autem videntes Sanctorum bonam simplicitatem, veniam supplicando commissorum, non tantùm reddebant eis sua, sed eos conducebant usque dum pervenirent ad tuta. Consummato tandem itineris cursu, Jerosolimam pervenerunt. Quibus civitatem introeuntibus, occurrit omnis populus psallendo in canticis & hymnis super adventu eorum; & ita cum celebri pompâ conducti sunt in templum Domini. Qui quamvis tanto itinere defatigati fuissent, non mollia strata quæsierunt ubi quiescerent; sed in nudo templi pavimento prostrati, triduo preces suas continuaverunt, adeò cœlestia contemplantes quòd terrenorum penitus essent immemores. Interea totus Clerus attentè expectabat, qui Sanctorum quam sedem oratione finitâ sibi eligerent; ut in electione sedium notarent, sicut cœlitus per Angelum præmoniti fuerant, quem illorum cæteris prælatum constituerent.

Erant in templo ab antiquis temporibus tres cathedræ senioribus constitutæ. Duæ diversis metallis & miro artificio fabricatæ, tertia cedrina nihil ornati habens extrinsecus præter hoc quod natura dederat. Quam humilem humilis Eliud elegit sibi in sedem, preciosiores concedens fratribus propter reverentiam. Quo viso omnes illi qui aderant ceciderunt in facies suas ante Sanctum Eliud, dicentes: Salve Sancte Dei Teliawe; & concede ut valeant nobis tuæ preces apud Dominum; quia hodie præ cæteris sublimatus es confratribus tuis, residens in sede Domini nostri Iesu Christi, in qua patribus nostris prædicabat regnum Dei. Et rogaverunt eum, quatinus ad instructionem virtutum parabolam eis diceret de Christo; ut sicut illum imitatus fuerat in cathedrâ residendo, eundem imitaretur in prædicando. Qui videns amorem divini verbi flagrare in cordibus eorum, miro modo sollicitabatur; non quòd nesciret quod doceret, sed dubitabat quod rogaverant qualiter eis expediret, cùm linguæ illorum penitus expers fuisset. Incœpit tamen Sanctus sacras Scripturas exponere, ut satisfaceret supplicanti populo; ita ut unusquisque circumastantium audirent illum suâ linguâ loquentem. Omnes autem qui eum audiebant prædicantem, tantâ dulcedine sermonis illius sunt affecti; quòd in quantum eum diutiùs audirent, magis magisque illum audire desiderarent. Sed tandem postquam refecti sunt universi saporiferâ illius doctrinâ; ne prædicandi officium videretur præsumere, si solus prædicâsset, ait populo: Audite jam à fratribus meis verba vitæ, qui me perfectiores sunt in vitâ & diligentiores in doctrinâ. Surrexerunt itaque Sanctus David & humillimus Dei servus Paternus, & prædicaverunt populo. Sic Sancti alternâ suâ prædicatione quasi diversis ferculis audientium mentes reficiebant; ut si qui eorum priùs in fide vacillarent, sanctæ Trinitatis fidem per gratiam prædicationis Sanctorum perfectissimè tenerent.

Post hæc, sicut nuntiatum fuerat per Angelum, ab universâ plebe electi, sublimati sunt Pontificali dignitate. Et quasi gratiæ in testimonium, quam ibi Domino largiente susceperant, data sunt eis tria munera preciosa, prout unicuique competebat. Paterno baculus & choralis cappa pretiosissimo serico contexta, eò quòd illum egregium cantorem videbant. Sancto autem David altare mirificum, nulli bene notum de qua materiâ fuerat compositum. Novissimè autem beato Pontifici Theliawo non extremum tamen donorum accessit Cimbalum, magis famosum quàm sit magnum, magis pretiosum quàm sit

sit pulchrum, & dulci sono videtur excellere omne organum. Perjuros damnat, infirmos curat; & quod magis videtur mirabile, singulis horis nullo movente sonabat, donec peccato hominum præpediente, qui illud pollutis manibus temere tractabant, à tam dulci obsequio cessavit.

Sancti Dei supradictis donati muneribus, & utriusque benedictione acceptâ, cum summâ prosperitate reversi sunt in regionem suam. In qua non diu commorari potuerunt propter pestilentiam, quæ ferè totam gentem deleverat. Pestis autem illa Flava vocabatur, eò quòd flavos & exangues efficiebat universos quos persequebatur. Interea dum ista pestis sæviret non tantùm in hominibus, sed etiam in feris & in reptilibus; Sanctus Eliud in jejunio & planctu clamabat ad Dominum, dicens: Parce Domine, parce populo tuo, qui non vis mortem peccatoris sed vitam; & ne des hæreditatem tuam in perditionem. Deinde irâ Dei ad tempus pacatâ oratione ejus aliorumque Sanctorum, cœlitus admonitus cum his qui residui fuerant de gente, recessit (*d*) in longinquas regiones, donec Deus eis innueret reditum in patriam. Et factum est ita. Deus autem, cujus misericordiâ plena sunt universa, non tantum gentis respiciens miseriam, quantum respiciebat Sanctum pro gente laborantem, concessit eis de exilio reverti, & ab ejusmodi periculo in perpetuum liberari. Qua concessione fidelis ductor Eliud non modicum exhilaratus, reliquias gentis diligenter recolligens, natalem solum repetivit, & habitavit ibi usq; in consummationem vitæ; principatum tenens super omnes Ecclesias totius Occidentalis Britanniæ secundùm traditionem patrum, qui eum Jerosolimæ consecraverant, sicut prædictum est. Sed gens citissimè crevit, quamvis de paucis, in magnam multitudinem. Et hoc nimirum fiebat, quia jam obediens facta est ad omne Sancti edictum. Sic sancta Ecclesia, quæ multo tempore fuerat dispersa, interveniente Theliawo Sanctorum sanctissimo fuit exaltata.

In nocte autem depositionis ejus magna dissensio orta est inter tres Cleros trium Ecclesiarum illius, singulis prætendentibus suas auctoritates & privilegia de habendo corpore. Sed tandem consilio discretorum hominum acquiescentes, institerunt jejunio & orationibus; ut summus arbiter Christus, qui est vera auctoritas & Sanctorum privilegium, evidenti signo innueret, cui illorum Sancti sanctum corpus digniùs esset committendum. Manè autem facto, quidam Senior respiciens ubi erat corpus, clamavit voce magnâ, dicens: Exaudita est, fratres mei, oratio nostra à Domino, qui neminem privat pro merito. Surgite & respicite quæ facta sunt à mediatore Dei & hominum Christo, ut nostra dissensio sedaretur, & ut in beati Confessoris Theliawi vitâ sic & in ejus morte fierent miracula. Ecce enim vident ibi tria corpora, quibus par erat quantitas in corpore, idem decor in facie. Quid amplius? In nullo discrepantia habebant totius compaginis lineamenta. Sic sedatâ lite, singuli cum suo corpore remeaverunt ad sua; & diversa in illis di-

(*d*) Author Vitæ S. Teliavi Registro Landavensi insertæ (ab Usserio citatus, Antiqu. Britann. cap. 5. p. 40.) refert Teliavum Archiepiscopum tunc Landavensem, peste coactum, ad Armoricas gentes concessisse, & apud Samsonem Archiepiscopum Dolensem annis septem mensibusque totidem commoratum, Landaviam demum repatriasse; pestem autem contigisse sub Mailgono Rege; qui juxta antiquissimum de Britannorum Legibus librum ab Humphredo Lhuydo citatum regnare incœpit anno circiter 560.

versis locis cum summâ reverentiâ sepelierunt. Ad cujus summi Pontificis tumbam frequentissimè ab omnibus suis languoribus curantur infirmi, cæcis illustrando visum & surdis largiendo auditum. Hæc & his plurima, fratres carissimi, operata est divina virtus pro sanctissimo Confessore Theliawo. Quare tanti viri Festivitatem cum toto mentis affectu celebrate, ecclesiam frequentate, & secundùm uniuscujusque facultatem de vestrâ substantiâ pauperibus erogate, in ejus nomine qui, &c.

Explicit Vita venerabilis Confessoris Theliawi; cujus memoria celebratur v. Idus Februarii.

HISTO-

HISTORIOLA
DE PRIMO STATU
Landavensis Ecclesiæ,
SEU
De fundatione & dotatione ejusdem.

Ex antiquo Ecclesiæ Landavensis Registro, quod TEILO appellatur.

De primo statu Landavensis Ecclesiæ, & Vita Archiepiscopi Dubricii.

ANno ab Incarnatione Domini * CLVI. Lucius Britannorum Rex ad Eleutherium duodecimum Sedis Apostolicæ Papam Legatos suos scilicet Eluanum & Meduuinum misit, implorans ut juxta ammonitionem ejus Christianus fieret; quod ab eo impetravit. Nam gratias agens Deo, quòd illa gens [quæ] à primo regionis inhabitatore Bruto Gentilis fuerat, tam ardenter ad fidem Christi festinabat, consilio seniorum urbis Romæ placuit eosdem Legatos baptizari, & catholicâ fide susceptâ ordinari, Elvanum in Episcopum, Meduuinum autem in Doctorem. Et propter loquentiam & scientiam quam in sacris habebant Scripturis, prædicatores ad Lucium in Britanniam reversi sunt. Quorum prædicatione Lucius & totius Britanniæ primates baptismum susceperunt; & secundùm jussum B. Eleutherii Papæ Ecclesiasticum ordinem constituit, Episcopos ordinavit, & bene vivendi normam docuit.

* CLVII. Cod. alter.

Quam Christianæ religionis fidem sine aliqua pravi dogmatis maculâ sinceram conservaverunt, usquedum Pelagiana Hæresis orta est. Ad quam confutandam S. Germanus & Lupus à Galliæ Antistibus ad Britannos missi sunt. Sæpe tamen antè missis Legatis à Britannis ad eos implorantibus auxilium contra tam execrabile periculum; quia pravæ doctrinæ Hæreticorum non adquiescebant, neque tamen confundere valebant. Postquam prædicti Seniores Pelagianam Hæresin extirpaverant; Episcopos in pluribus locis Britanniæ insulæ consecraverunt. Super omnes autem Britannos dextralis partis Britanniæ B. Dubricium summum Doctorem à Rege & ab omni parochiâ electum Archiepiscopum consecraverunt.

Hac dignitate à Germano & Lupo datâ, constituerunt ei Episcopalem sedem concessu Mourici Regis, Principum, Cleri & Populi apud † Podium Lantaf, in honore S.Petri Apostoli fundatam, & cum finibus istis || Ariugunua usque ad * Riufinion & à Gungleis usque ad mare, totum infra Taf & Elei cum piscibus & † Coretibus suis omnibus & cum omni suâ dignitate liberè ab omni regali & sæculari servitio, nisi tantùm oratione cotidianâ & ecclesiastico servitio pro animâ illius & pro animabus parentum suorum Regum & Principum Britanniæ & omnium fidelium defunctorum. Et cum isto privilegio, sine Consule sine Proconsule, sine Conventu, intus & extra, sine expeditione,

† Pagum. Sic Glossa interlinear.
|| Declivo.
* Declivum.
† Piscariis.

ditione, sine vigilandâ regione intus nec extra, & cum liberâ communione totius Episcopatûs in campo & in silvis, in aquâ & in pascuis, & cum totâ suâ curiâ in se plenariâ, liberâ & integrâ, ut regia, & cum suo refugio, non ad finitum tempus, sed sine termino, i. e. quamdiu voluerit, profugus maneat tutus sub ejus asilo, & cum datis corporibus & commendatis Regum totius provinciæ Landaviæ in perpetuo.

Parochiam verò quingentas tribus Sabariæ, Erting & Anertyc à Mochros super ripam Gui usque ad insulam Theithi. Et propter sanctitatem suam & prædicationem præclaram beati Pastoris & regalem parentelam suam plures Ecclesiæ cum suis decimis, dotibus, oblationibus, sepulturis, territoriis & liberâ communione eorum datæ sunt sibi & Ecclesiæ Landaviæ & successoribus suis omnibus à Regibus & Principibus totius regni dextralis Britanniæ & cum prædictâ dignitate.

Statutum est enim Apostolicâ auctoritate istius Ecclesiæ privilegium; ut cum suâ dignitate ab omni sæcularis servitii gravamine libera in posterum maneat & quieta. Quæcunque verò concessione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium vel aliis justis modis eidem pertinebunt; ei firma in posterum & integra conserventur. Quæcunque præterea in futurum largiente Deo justè atque canonicè poterit adipisci; quieta ei semper & illibata permaneant.

Decretum est itaque, ut nulli hominum omnino liceat prædictam Ecclesiam temerè perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia ei cum parochiæ finibus conserventur. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona contra hanc temere venire temptaverit; secundò tertióve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat; & à sacratissimo corpore ac sanguine Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ justa servantibus fiat pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud dictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Post hæc surrexit Rex circuiens totum territorium, & portans Evangelium in dorso, cum Clericis ferentibus cruces in manibus simul & reliquias; & aspersâ aquâ benedictâ simul cum pulvere pavimenti Ecclesiæ, in omnibus finibus territorii perambulavit; per totum datâ benedictione omnibus conservaturis eleemosinam cum omni prædictâ dignitate privilegii & refugii; maledictione autem incussâ violaturis in magno aut in modico, ut prædictum est.

Videns autem S. Dubricius largifluam potentum manum erga sibi commissam Ecclesiam, partitus est discipulos, mittens quosdam discipulorum suorum per Ecclesias sibi datas; & quasdam fundavit Ecclesias; & Episcopos per dextralem Britanniam coadjutores sibi ordinatis parochiis suis consecravit; Danielem in Episcopum Bangorensi civitati, & plures alios Abbates & Presbyteros cum inferioribus Ordinibus, Iltutum in Abbatem apud * Podum vocatum ab eo Lannildut.

* i. e. Pagum. *Glossa.*

Locus Mocros super ripam Gui, quem priori tempore beatus vir Dubricius prius inhabitaverat, dono & concessione Mourici Regis & Principum datus est Ecclesiæ Landaviæ & pastoribus suis in perpetuo; & ut ille prior locus posteriora semper servaret cum omni suo territorio & omni libertate liberè ab omni regali servitio in perpetuo.

Sciendum est nobis, quòd Pepiau Rex filius Erb largitus est Mainaur Garthpenni usque ad paludem nigram inter silvam & campum & aquam & jaculum Constantini Regis soceri sui trans Gui amnem, Deo & Dubricio Archiepiscopo sedis Landaviæ & Junapeio consobrino suo, pro animâ suâ & pro conscri-

conſcriptione nominis ſui in libro vitæ, &c. *Sequuntur plures donationes factæ Eccleſiæ Landavenſi; quæ in Monaſtico reperiuntur Tom. iii. pag. 189, &c. quibus locum in Collectione noſtrâ dare nolui; pauca ſolummodo majoris momenti, quæ in Monaſtico deſiderantur, appoſuiſſe contentus.*

Privilegium Oudocei Epiſcopi Landavenſis.

Privilegium Sancti Odocei alias Odothei Epiſcopi & Eccleſiæ ſuæ Landavenſis, datum ſibi & omnibus ſuis ſucceſſoribus in perpetuum à Rege Mourico cum duobus filiis ſuis & uxore ſuâ filiâ Gurganti magni, cum omnibus Principibus totius regni ſui, authoritate apoſtolicâ confirmatum, ut idem privilegium datum antea Sancto Dubricio Sanctoque Theliauo & ſuis ſuccedentibus, cum omni dignitate ſuâ & libertate; & circuierunt omnes cum Rege quatuor Evangelia in manu ſuâ tenentes & Sanctæ Eccleſiæ quaſi dotem confirmantes, ſanctâ cruce præcedente, & ſancto choro ſequente cum ſummo Paſtore pſallente, *Fiat pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus, Gloria & divitiæ in domo ejus; & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi, &c.* & cum aſperſione aquæ benedictæ per totum confinium, & confirmando idem privilegium datum antea Sancto Dubricio, id eſt, ſine conſule, ſine proconſule, ſine conventu intus nec extra, ſine expeditione, ſine vigilandâ regione infra nec extra, & cum totâ curiâ ſuâ plenariâ & liberâ & integrâ ut regia, & cum ſuo refugio non ad tempus ſed ſine termino, quamdiu voluerit. Profugus maneat tutus ſine protegente clypeo humano ſub ejus aſylo, & cum datis corporibus & commendatis Regum dextralis Britanniæ Landaviæ in perpetuo. Et ſicut Romana Eccleſia excedit dignitatem omnium Eccleſiarum catholicæ fidei; ita Eccleſia illa Landavia excedit omnes Eccleſias totius dextralis Britanniæ in dignitate & in privilegio & in excellentiâ, & cum totâ communione pervia incolis & habitaturis in campo & in aquis in ſylvis & in paſcuis cæteris & in aliis.

Privilegium Joſeph Epiſcopi Landavenſis.

Rytherch filius Jeſtyn Rex Morgannuc immò totius Gwalliæ, exceptâ tantum Inſulâ Enoniæ quam Jacob filius Idgwal per ſe tenebat, Ritherch dico virum pacificum & manſuetum, omnibus totius Regni tam Clericis quàm laicis, viduis & orphanis, jura ſua & hæreditates divinâ lege & humanâ concedentem, & maximè Eccleſiæ Dei & gubernatoribus ſuis, Epiſcopis videlicet, & omnibus de inferioribus gradibus; In cujus tempore nulla deſolatio in montibus nec in plano, niſi tantum tribus villis per totam Gwalliam in ſolitario, Landaviæ quidem & Sanctis ejus Dubricio, Theliavo & Oudoceo ac Joſeph Epiſcopo ejuſdem conceſſit Eccleſias ſuas & earum territoria per omnia in pace quieta tenenda, & cum ſuâ dignitate & omni privilegio conſolidata, & libertate totâ datâ incolis & habitaturis, & communione perviâ in campo & in aquis & in paſcuis, & ob reverentiam catholicæ fidei & jurejurando & manum mittendo, præſente Joſeph Epiſcopo & confirmante ſuper quatuor Evangelia antepoſitis ſacris reliquiis, & ita ut nunquam glebam unam ſciens ablaturus eſt aliqua in laicali aut tyrannico furore aut malo ingenio aut fraude ſubdolâ de territoriis Landaviæ; & cum toto privilegio dato ſibi à tempore Sanctorum Dubricii, Theliavi & Odothei, hoc eſt ſine ullo cenſu magno vel modico, ulli homini terreno, niſi tantùm oratione quotidianâ & Eccleſiaſtico ſervitio diurno, ſine conſule, ſine proconſule, ſine conventu infra patriam nec extra, ſine expeditione, & cum omni dignitate curiæ ſuæ plenariâ, & ut ſic dicam in omnibus ut regia; & vovens Deo & Sanctis Dubricio, Theliavo, Oudoceo, & in manu Joſeph Epiſcopi conſolidans & promittens omnibus ſucceſſoribus ſuis in perpetuo, ut nunquam dominaretur in

aliquâ

aliquâ re Ecclesiasticâ aut ejus possessionibus, nec etiam refugium violaturus, immò conservaturus in omnibus, & concesso eodem refugio territoriis omnibus ejusdem, & confirmato ab eo tali quale fuit Sancti Dubricii in priori tempore, videlicet quamdiu voluerit profugus Landaviæ, & eorum omnium maneat tutus sine protegente clypeo, nisi divino & sanctorum protectione, in ejus asylo & sine termino, &c. *ut supra.* Quicunque custodierit, custodiat illum Deus. Quicunque violaverit, maledictus sit Amen. *Sequitur Privilegium non absimile, Berthgwino Episcopo Landavensi ab Indhays filio Morcant Rege indultum*; *quod apud Monasticon habes pag.* 204.

Privilegium concessum Herwaldo Episcopo Landavensi per Griffidum Principem.

Pater & Filius & Spiritus Sanctus, tres in personis, unus in Deitate & essentiâ, creator & gubernator totius creaturæ visibilis & invisibilis & super omnia, formavit hominem ad imaginem & ad similitudinem suam, dividens prout vult singula, & cui omnia serviunt, in præsentiarum quibusdam tribuens regna & potestates cum septiformi dono sapientiæ & intellectûs, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis & timoris, inspiravit cor lapideum ingruente quadam infirmitate corporis Griffidi Regis Britanniæ, & ut sic dicam totius Gwalliæ de fine ad finem, & calefactum Sancti Spiritûs fervore. Videns igitur Rex, quòd potestas ejus, sicut flos fœni, & caro ut cinis, conatus pro transitoriâ substantiâ conquirere regnum floridum sine casurâ, & cœleste gaudium sine mœrore & tristitiâ, semotâ omni penuriâ, semetipsum tribuens sub jugo pœnitentiæ, & pœnitens fecisse quæ fecerat contra præcepta divina, promisit se emendaturum jejunio & oratione & eleemosynis cum diversis metallis pretiosis largitis ab illo Deo egenis viduis & orphanis, & non degenerans à prædecessorum nobilitate pietate & largitate, immo imitans & præcellens, rigorem & fortitudinem tum contra Anglos, tum contra Hibernienses occidentales, tum contra indigenas solito more bellicosos, tum contra Danos marinos, tum contra Insularum Orcadum habitatores, & semper versis dorsis in fugam & firmato fœdere ad libitum suum pacificatos, clamavit territoria omnia Landaviæ Ecclesiæ Petri Apostoli & sanctorum confessorum Dubricii, Teliai & Odocei de omni parochiâ ejusdem cum toto privilegio, ut melius fuit in tempore prædecessorum suorum, quieta & tranquilla ab omni regali servitio, nisi tantùm oratione quotidianâ pro animabus Regum & Principum Britanniæ, & firmata missis manibus super quatuor Evangelia, & in manu Herowaldi Episcopi consolidata, & coram omni populo suo in die Nativitatis Domini apud Ystum Gwy; & oblatâ villâ Penros in manu Episcopi & omnibus Præsulibus Landaviæ in perpetuo, & cum totâ communione omnibus incolis terrarum Ecclesiæ Landaviæ in campis & in sylvis, in aquâ & in pascuis, &c. *ut supra.*

.... In capite *venerabili* habetur, quòd à tempore antiquorum patrum Ecclesia Landaviæ in honore Sancti Petri Apostoli fundata, omnium aliarum Ecclesiarum Gwalliæ semper magistra existit in dignitate & omni privilegio; donec tandem per seditiones & tot bellorum flagitia & inveterato Herwaldo ibidem Episcopo & inde debilitato, & cœpit debilitari & ferè viduata pastore & annichilata indigenarum crudelitate & invasione supervenientis gentis Normannicæ. Semper tamen religiosi viri ad serviendum in eâ hæserunt, tum propter Anglorum viciniam, à quibus in Ecclesiastico quidem ministerio nihil discrepabant; quia apud eosdem fuerant nutriti & eruditi; tum etiam quòd ab antiquis temporibus, id est, à tempore Eleutherii, Episcopi illius loci, & post adventum Augustini in Britanniam insulam Dorobernensis Ecclesiæ Metropolitano ejusdem Archiepiscopo simul & Regi Anglorum

Anglorum semper fuerat subditus & per omnia obediens. Novissimè autem Willelmo Rege regnante maximâ Cleri parte jam deletâ, xxiv. tamen Canonicis Ecclesia erat munita. Et tunc postea Episcopatus tam laicali potestate, quàm Monachorum & Episcoporum Herfordiæ & sancti Dewi invasione grandi, desolatus & dispoliatus fuit.

Supradictus Rex Ergic, Peipiau nomine, fuit pater Sancti Dubricii; prout habetur in Chronicis apud Collegium de Warwick; & supra nomen dicti Regis patris Sancti Dubricii priùs recte scribebatur antiquâ manu; & quidam novellus voluit corrigere, sed scripturam antiquam corrupit & malefecit.

Additamentum recentius.

De Terrâ Ercig.

Tempore Etgwardi Regis Angliæ & Griffidi Regis Gwalliæ, consecravit Hergualdus Episcopus Landaviæ Henullam Dubric & Lantilio in uno cimiterio; & ordinavit Enianum filium Cincen in Presbyterum, hæredibus persistentibus territorii illarum Ecclesiarum sub Episcopo Hergualdo; & mortuo Eninan Presbytero, Joseph filium suum ordinavit in sacerdotem. Tempore Etguardi Regis consecravit Lantinoi; & in eo ordinavit Joseph filium Brein & sub titulo de Lansullug in sacerdotem. Tempore Haraldi Regis consecravit simili modo Lansanbregit; & in eâ ordinavit Goullgumis in sacerdotem, & post illum filium suum Jovanu.

Tempore Willelmi Regis & Willelmi Comitis & Walteri de Laci & Raul Debernai Vicecomitis Herfordiæ, antequam castellum de Minguy factum est, consecravit Lantiduic, & Ris in Presbyterum ordinavit; & mortuo illo filios suos Gurvil & Dumerth ordinavit. Eodem tempore consecravit Cilpedec, & Morcenovi in Presbyterum ordinavit; & mortuo illo filium suum Ennianu ordinavit tempore Catgen du & Regis filii Moriddic. Tempore Willelmi Regis & Comitis Willelmi & Walteri de Laci & Raul Debernhai Vicecomitis Herfordiæ factum est castellum de Minguy; & dedit Comes Willelmus medietatem castelli tribus Baronibus suis Hunfrai & Osberno & Willelmo scriptori; & eo mortuo successit ei Rogerius Comes, & per traditionem captus est à Rege cum suis traditoribus: illi tres cum multis aliis exhæreditati sunt. Posthæc datum est castellum Gueithnauco; & in tempore illius Hergualdus Episcopus consecravit Ecclesiam de castello Minguy; cui interfuit Caradocus Rex; & postquam Monachus effectus est, successit ei Willelmus filius Batrim. Terra Ercig, quæ istas Ecclesias & alias quamplures in se continet, semper subjecta fuit Ecclesiæ Landaviæ in omni subjectione & in tempore Sanctorum, qui priùs Episcopatus per Britanniam constituerunt, usque ad tempus Episcopi Hergualdi; & idem Hergwaldus seisitus fuit de illâ parochiâ in omni Episcopali subjectione, in Synodo, in chrismate, in consecratione, in ordinatione, & tempore Regum Angliæ Etguardi & Haraldi & Willelmi, Regum Galliæ Gruffudi filii Luielin, Gruffudi filii Rydderch, Caradoci fratris ejus, & Rys similiter, necnon Caradoci filii Gruffudi, & Rydderch filii Caradauc, qui duo Reges fuerunt in tempore Willelmi Regis, & ita sine aliqua calumniâ, donec per infirmitatem suam & discordiam fuit ab eo elongata; & ab illâ die semper per calumniam & injustè ab Ecclesiâ Herfordiæ retenta.

Quando Rex Willelmus conquisivit Angliam, tenebat Hergualdus Episcopus Episcopatum Landavensis Ecclesiæ ab ostio Gwy usque ad flumen Tynoi, cum omni Episcopali dignitate & subjectione. In cujus tempore regnabat Catgucaun filius Mourici Regis in Gladmorgant usque vadum trunci super Tywi. Caradocus vero Rex regnabat in ystratyw Gwent ynch Coed gwenulyng. Rydderch vero in Enyas & Gwent ystoed. Qui Reges prænominati servierunt Willelmo Regi, & in tempore illius fuerunt defuncti; quorum terras

terras prædictas cum parochiâ Ergcyg tenuit Hergualdus Episcopus in Episcopali subjectione; & in ejus tempore Sandess Presbyter celebrabat in Ecclesiâ Lanuharduen, post illum Daniel filius suus. In Lancaduc celebrabat Salurit Presbyter, post illum Clud in Penubre. Quas prædictas Ecclesias cum multis aliis consecravit Herwaldus Episcopus, simul & Clericos prædictos ordinavit; & in pago Guhir & Cetweli & Cantrof Dychan dominatus est Rex Catgucaun per multos annos usque ad mortem. Unde obsides accepit Cetimor, Torranc, Asser mab Rydderch, Garnuselum mab Well, Gollgun mab Lymarch, Auel mab Trystaun, Gulbrit mab Macchan, Mor mab Credic. In Ystradtyw consecravit Ecclesiam Sancti Michaelis, & Ecclesiam Lanucetgwin, & Lanbeder, & Methur yssui; & curam Ecclesiarum illarum commendavit Matgueith, & Isaac post illum, & Beato Presbytero, quos ipse Episcopus ordinaverat in Presbyteros, & quos tenuit in omni Episcopali subjectione tempore Regis & Comitis Willelmi & Walteri de Laci.

REQUI-

REQUISITIO URBANI Landavensis Episcopi versùs Calixtum II. Papam apud Remis.

Facta in Remensi Concilio anno 1119.

VEnerabili Calixto Apostolico & totius Christianitatis summo patrono Urbanus Landavensis Ecclesiæ Episcopus fidele servitium & orationes debitas. Ecclesia Dei nostraque sub Deo & vobis vestræ misericordiæ & pietati hanc dirigit epistolam, & suppliciter rogat, ut pro summo Rege Christo eam præcipiatis diligenter vobis recitari & à vobis misericorditer exaudiri. A tempore antiquorum patrum, dilectissime Pater & Domine, sicut chirographum sancti patroni nostri Teiliavi testatur, hæc Ecclesia prædicta, priùs fundata in honore S. Petri Apostoli, aliarum omnium Ecclesiarum Gualliæ semper magistra extitit in dignitate & in omni privilegio; donec tandem per seditiones & tot bellorum flagitia, & inveterato antecessore meo Herwaldo, & inde debilitata Ecclesia cœpit debilitari; & ferè viduata pastore, & annichilata indigenarum crudelitate & invasione supervenientis gentis Normannicæ. Semper tamen religiosi viri ad serviendum in eâ hæserunt, tum propter Anglorum viciniam, à quibus in Ecclesiastico quidem ministerio nichil discrepabant, quia apud eosdem fuerant tam nutriti quam eruditi; tum etiam quòd ab antiquis temporibus, id est à tempore Eleutherii Papæ sedis Romanæ, Episcopus illius loci, & post adventum Augustini in Britanniam insulam Dorobernensis Ecclesiæ Metropolitani, ejusdem Archiepiscopo simul & Regi Anglorum semper fuerat deditus & per omnia obediens. Novissimè autem Willelmo Rege regnante, maximâ Cleri parte jam deletâ, xxiv. tamen Canonicis Ecclesia fuerat munita: quorum in præsenti nulli præter duos in eâ remanent; & in dominio Ecclesiæ iv. carucæ & quatuor libræ; nec tantùm in territoriis oblatis nunc Ecclesia desolata & dispoliata, verùm etiam in decimis ablatis sibi & Clericis omnibus totius Episcopatûs tam Laicali potestate quàm Monachorum invasione, quàm etiam fratrum nostrorum Episcoporum, Herefordiæ videlicet & Sancti Dewi, territorii simul & parochiæ grandi invasione. Nunc precor vos, ut patrem, velut inermis armatum & debilis fortem; quatinus Ecclesiæ nostræ vobis commissæ succurratis; ut qui vos fecit, ipse vos manuteneat, & post laboris terminum perducat vos ad perenne solatium. Amen.

EPISTOLA
HONORII II. Papæ
de causâ Urbani Landavensis Episcopi.

HOnorius Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Willelmo Cantuariensi Archiepiscopo & Apostolicæ Sedis Legato & omnibus Episcopis per Angliam constitutis salutem & Apostolicam benedictionem. Frater noster Urbanus Landavensis Episcopus ad Sedis Apostolicæ clementiam veniens, se in conventu & ante vestram præsentiam super Episcopis Bernardo Sancti Dewi & Ricardo Herefordensi de parochiâ Episcopatûs sui ab eis detentâ querelam deposuisse asseruit. Ceterùm fratres ipsi nullum eidem querimoniæ suæ responsum reddentes, ordine transposito, eundem super aliis cœperunt impetere. Quod tam sacrorum statutis Canonum quàm legalibus sanctionibus obvium esse non extat ambiguum. In judicio namque & unius disceptatione negotii reus nisi per exceptionem actor effici nequaquam potest. Ipse verò ordine judicii postulans, ut priùs de his quæ objecerat sibi rationabiliter responsum daretur, à tuâ discretione, frater Archiepiscope qui pro judice residebas, expetiit. Quia verò quod optabat obtinere non potuit; magnum sibi gravamen sentiens irrogari, Romanam audientiam, quæ oppressis commune suffragium est, appellavit; & prænominatos Episcopos Bernardum & Ricardum, ut in nostrâ præsentiâ mediante Quadragesimâ suis responderent querimoniis, invitavit. Verùm ipse nobiscum aliquamdiu moratus est; invitati verò præfixo termino nec venerunt, nec responsales miserunt. Nos igitur ex communi fratrum nostrorum & Episcoporum & Cardinalium deliberatione, auditâ super hoc duorum testium assertione, eum de parochiâ unde conquestio fuerat, videlicet Herigin, Hstratewi, Goher, Cadweli, Cantrebocan, salvâ justitiâ Ecclesiarum Herefordensis & Sancti Dewi, investimus. Terminum verò tam Urbano Landavensi quàm Bernardo & Ricardo Episcopis proximam Quadragesimam statuimus: & tunc utraque pars expositis suis querimoniis in nostrâ præsentiâ rationibus, quod justitiæ ratio dictaverit obtinebit. Interim autem præcipimus; ut frater Urbanus parochiam illam, de qua disceptatio fuerat, integrè, quietè & absque alicujus contradictione obtineat. Tu ergo, frater Archiepiscope, supradictos Episcopos Bernardum & Ricardum parochiam ipsam occupare aut pervadere vel se vel Officiales suos nullo modo permittas. Datum Laterani xiii. Kal. Maii.

RADULPHI DE DICETO
Decani Londinensis
HISTORIA
DE
Archiepiscopis Cantuariensibus
A primâ Sedis fundatione ad Annum MCC.

HENRICI
Archidiaconi Huntindoniensis
EPISTOLA
DE
Episcopis & viris illustribus sui temporis.

RADULPHI DE DICETO HISTORIA DE Archiepiſcopis Cantuarienſibus

A primâ Sedis fundatione ad Annum MCC.

INprimis ſciendum eſt, quòd temporibus Britonum tres fuerunt Archiepiſcopatus in Angliâ; unus in urbe Londonienſi, cui ſubjacuit Loegria, Cornubia; alius in Eboraco, cui ſubjacuit Deira & Albania; tertius in urbe Legionum, id eſt, Kirlyim, quæ nunc dicitur Sancti David, cui ſubjacuit Kambria. Quorum nomina ad plenum non habemus; ſed aliqua ſunt ſuprà (*a*) poſita in Cathalogo Regum; de quibus aliqui ſubnectuntur.

Archiepiſcopi Londonienſes.	Archiepiſcopi Eboracenſes.	Archiepiſcopi Urbis Legionum.
Guitelinus, ſupra 10.	Samſon, ſupra 12.	Dubricius, ſupra 12.
Theonus, ſupra 13.	Piramus, ſupra 12.	S. David, ſupra 13.
	Cadiocenus, ſupra 13.	

Temporibus autem Anglorum, qui converſi fuerunt per B. Auguſtinum, Sedes Metropolitana poſita eſt apud Doroberniam, i. e. Cantuariam. Cui ſubjacent xvii. Epiſcopi. Eboracenſis verò tantùm habet ſub ſe tres; ſicut dictum eſt, ſupra 5. Tum Archiepiſcopatus Londoniæ, qui fuit tempore Britonum, & Urbis Legionum, ſubjecti ſunt Archiepiſcopo Cantuarienſi, & de Archiepiſcopatibus facti ſunt Epiſcopatus.

De Archiepiſcopis Cantuarienſibus.

AUguſtinus Anglorum temporibus à S. Gregorio Papâ directus in Angliam † anno Domini DXCVI. primus eſt conſecratus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Iſte Ethelbertum Regem Cantiæ ad fidem Chriſti convertit; qui dedit ei Sedem Epiſcopalem in Doroberniâ, i. e. Cantuariâ Metropoli ſuâ. Qui regio fultus amminiculo Eccleſiam ibi Romanorum fidelium anti-

† Codex malè habuit 569. tranſpoſito ſc. numero 596.

(*a*) Author Lectorem remittit ad Hiſtoriam quandam à ſemetipſo conſcriptam, in qua de Britonum rebus agebatur. Nil de ejuſmodi rebus habent quæ hactenus evulgata ſunt Radulphi Opera. In Codice autem noſtro MS. primum locum tenet Hiſtoria Anonymi de Regibus Britonum. In eâ reperiuntur omnia; quæ à ſe ſuperiùs dicta Radulphus hîc loci memorat. Verba iſthuc transferre nolui; ideo quòd ſingula ferè ex Galfredo Monumethenſi mutuata fuerint. Id tantùm adnotaverim, Archiepiſcopum Eboracenſem, quem Cadiocenum Radulphus vocat, Thadioceum à Galfrido appellari. Numeros puto denotare Hiſtoriæ ſuæ paginas; quæ quidem in Codice noſtro minùs conveniunt.

quo

quo opere tempore Britonum factam recuperavit, & in nomine S. Salvatoris consecravit. Gregorius autem hoc audiens, eidem scripsit congratulando de illius gentis conversione. Scripsit || etiam idem Papa Theodorico Regi Francorum, regraciando ei de bonis, quæ impendit B. Augustino & sociis suis, cùm ad gentem Anglorum proficiscerentur. Interea * vir Dei Augustinus ivit Arelas; & ab Ethereo ejusdem civitatis Episcopo genti Anglorum Episcopus consecratus est. Reversusque Britanniam, misit continuò Romam Laurentium Presbyterum & Petrum Monachum; qui B. Gregorio gentem Anglorum fidem Christi suscepisse, ac se Episcopum factum esse referrent. Beatus verò Gregorius misit † cum præfatis Legatariis plures cooperatores ac verbi Dei Ministros. Inter quos primi & præcipui erant Mellitus & Justus, Paulinus & Ruphinianus. Misit etiam literas; in quibus significat se ei Pallium undecimo anno Papatûs sui [direxisse.] Simul & insinuat; qualiter Episcopos in Britanniâ instituere debuisset, scribens in hæc verba. 'Quia || nova Anglia Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, & te laborante, perducta est; usum tibi Pallii in eâ ad sola Missarum solempnia agenda concedimus; ita ut per loca singula xii. Episcopos ordines, * quæ tuæ subjaceant ditioni; quatinus Londoniensis civitatis Episcopus semper in posterum à Synodo propriâ debeat consecrari; atque honoris Pallium ab hac sanctâ & Apostolicâ, cui Deo auctore deservimus, Sede recipiat. Ad Eboracum civitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinare; ita duntaxat, ut si eadem Civitas cum finitimis suis verbum Dei receperit, ipse quoque xii. Episcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur; quem tuæ fraternitatis volumus dispositioni subjacere. Post obitum verò tuum [† ita Episcopis, quos ordinaverit, præsit; ut Londoniensis Episcopi nullo modo ditioni] subjaceat. Sit verò inter Londoniæ & Eboracæ civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio; ut ipse prior habeatur, qui priùs fuerit ordinatus. Tua verò fraternitas Episcopos, quos ordinaveris, vel qui per Episcopum Eboracensem fuerint ordinati, sacerdotes etiam totius Britanniæ subjectos habeat. Hucusq; Gregorius. Augustinus || verò *Archiepiscopus* ordinavit Mellitum Episcopum in civitate Londoniæ, Justum in civitate Roffensi, & pro se Laurentium; ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam pastore destitutus vacillare inciperet; sequens Apostolum Petrum, qui Clementem [successorem] suum constituit. Defunctus est autem, cùm sedisset xvi. annis; sepultusque juxta Ecclesiam Petri & Pauli, quæ nondum perfecta nec dedicata erat. Ut verò dedicata est à successore suo Laurentio; in porticu illius Aquilonari decenter translatus est; in qua Archiepiscoporum corpora usque ad Theodorum sunt posita.

|| Registr. lib. 11. cap. 34.
* Beda lib. 1. cap. 27.
† Id. l. 1. c. 29.
|| l. *nova Anglorum*, ex Bedâ.
* l. Qui.
† Verba uncis inclusa, in Codice MS. desiderata, ex Bedâ restitui.
|| Beda, l. 2. c. 3, 4.

Laurentius missus à B. Gregorio cum B. Augustino ad convertendum gentem Anglorum, consecratus est à B. Augustino dum viveret. Beatus autem Gregorius Papa misit eidem Pallium, sicut & Prædecessori suo Augustino, & etiam successori suo Mellito; secundùm quod habetur in Cronicis: quod in facto dicimus impossibile; cum uterque sc. Laurentius & Mellitus, sedit annis v. & Augustinus xvi. annis. Et pro certo constat, quòd Gregorius tantùm sedit annis xiii. mensibus vi. diebus x. * Hinc Laurentius consuluit Mellitum & Justum, quos Edbaldus filius Ethelberti ab Episcopatibus suis ejecerat; ut Galliæ partes adirent; † quos [|| sequi volentem] Petrus Apostolus flagellis affecit. Supra 15. de hoc. Obiit autem Laurentius, cùm sedisset annis v. tempore supradicti Edbaldi Regis.

* l. Hic.
† Vide Bedam l. 2. c. 5, 6.
|| Verba ista ex Radulphi Abbreviat. Chron. p. 437. restitui.

Mellitus primò Londoniensis Episcopus. Hic laborat podagrâ. * Obiit autem, cùm sedisset annis v. & diebus xvi. Hujus Festum est viii. Cal. Maii.

* Beda, l. 2. c. 7.

Justus,

Justus, primò Roffensis. Huic Bonifacius Papa scripsit in hæc verba. ‘ Auctoritate B. Petri præcipimus; ut in civitate Dorobernìæ semper in po- ‘ sterum Metropolitanus totius Britanniæ locus habeatur; omnesque Provin- ‘ ciæ regni Anglorum præfati loci Metropolitanæ Ecclesiæ subjiciantur. Idemque Bonifacius eidem misit Pallium. Obiit autem, cùm sedisset annis iii. Hujus Festum iv. Idus Novembris.

Honorius || consecratus est à Paulino Eboracensi Archiepiscopo in urbe Lincolniæ in Ecclesiâ, quæ modò dicitur S. Pauli, sed temporibus Anglorum dicebatur S. Paulini. Ad quos Honorius I. Papa scripsit in hæc verba. ‘ Cùm Dorobernensis Antistes vel Eboracensis de hac vitâ transierit; is qui ‘ superest, habeat potestatem alterum ordinandi. Scripsit & idem Papa sibi, huic Archiepiscopo mittens Pallium in hæc verba. ‘ Tuæ jurisdictioni sub- ‘ jici præcipimus omnes Angliæ Ecclesias & regiones; & ut in civitate Doro- ‘ berniâ Metropolitanus locus & honor Archiepiscopatûs & caput omnium ‘ Ecclesiarum Anglorum semper in posterum reservetur. Obiit autem, cùm sedisset annis xxvi. & dies lv. * Vacavit autem Sedes Archiepiscopatûs post mortem suam anno uno & mensibus sex. Hujus Festum pridie Calendas Octobris.

|| Beda, l. 2. c. 18.

* Beda, l. 3. c. 20.

Deusdedit consecratus est ab Itamaro Roffensi Episcopo. Esset autem hoc Archiepiscopi Eboracensis; sed hostili violentiâ Paulino pulso & Cantiam reverso, nullus ei ibidem in Pontificali jure successit. Huic Honorius I. Papa pallium misit. Obiit autem, cùm sedisset annos x. Alii habent annos ix. menses iv. dies ii. Vacavit autem Sedes post mortem ejus annos iii. Hujus Festum pridie Idus Julii.

Theodorus, Tharso Ciliciæ natus, sæculari & ecclesiasticâ Philosophiâ præditus, Græcè & Latinè sufficienter instructus, ordinatus est Romæ à Papâ Vitaliano. Cui etiam tradidit Pallium; scripsitque ei in hæc verba. ‘ Commendamus tuæ sagacissimæ Sanctitati omnes Ecclesias in Insulâ Britanniæ ‘ positas. Sicque Cantiam venit. Is verò primus in Archiepiscopis Dorobernensibus erat: cui omnis Ecclesia Anglorum obedire consentiebat. Itaque perlustrans universa, ordinavit locis opportunis Episcopos; & ea quæ minùs perfecta reperit, his quoque juvantibus corrigebat. Hic Theodorus congregavit Synodum in Angliâ; ubi multa Ecclesiæ utilia constituit. Scripsit etiam Provincialem librum, mirabili & † tantâ discretione distinguens modum singularum culparum. In || loco autem, qui dicitur Heorford, Episcoporum congregavit Concilium; in quo Wilfridus Northumbrorum Episcopus per proprios Legatarios fuit: & etiam alii Anglorum Episcopi de termino Paschæ & aliis necessariis Ecclesiæ negotiis tractaturi. Hic Merciorum Provinciam in quinque Parochias divisit, sc. in Wygorniensem, Lichefeldensem, Leogorensem, Dorcestrensem; unicuique ordinans Episcopum proprium. Sicut autem testatur Beda, lib. 4. cap. 17. Iste Theodorus Concilium coegit centum Episcoporum & Doctorum plurimorum in loco qui dicitur * Helefeld: ut cujus essent fidei singuli, sciret. Interfuerunt Concilio illi Egfridus Rex Northanimbrorum, Ædelredus Rex Merciorum, Aldulphus vel Wlfus Rex Estanglorum, Clotarius Rex Cantuariorum. Obiit autem, postquam sedisset annis xxii. Vacavit autem Sedes post mortem suam annum unum. Translatio supradictorum Archiepiscoporum, sc. Augustini, Laurentii, Melliti, Justi, Honorii, Deusdedit & Theodori, & S. Adriani Abbatis, & S. Mildritæ, Idibus Septembris.

Beda, l. 4. c. 1, 2.

† L. *cantâ*, ex Radulphi Abbrev. Chron. p. 440.

|| Beda, l. 2. c. 5.

* L. Hethfeld.

Beda, l. 5. c. 8.

Brict-

Beda, l. 5. c. 9.

Brictwaldus, primò Monachus Glasconiæ, & Abbas de Raculf, consecratus est à Bregwino, aliàs Godwino, Metropolitano Walliarum. Huic Vitalianus Papa Pallium dedit. Sergius autem Papa successor suus de eo scripsit universis Episcopis Britanniæ. 'Vobis insinuamus, quòd dilectissimus frater 'Brictwaldus Cantuariorum Provinciæ Præsul, juxta ritum priscæ consuetudi- 'nis Primatum totius Britanniæ sortitus, cum sacro Pallii usu ac venerabilis 'Dalmaticæ, illic demandatus est; mandantes, ut eidem Archiepiscopo Pri- 'matum gerenti efficaciter obediatis. Obiit autem, postquam sedisset annis † xxvii. (aliter penè xxviii.) mensibus vi. Et nota, quòd usque ad hoc tempus fuerunt Cantuarienses Archiepiscopi Romani; sed exinde fuerunt Angli.

† L. xxxvii. & xxxviii.

Beda, l. 5. c. 24.

|| L. Aldulfo.

Tadwinus, qui fuerat Presbyter apud Brendene in Provinciâ Merciorum, consecratus est ab Hingwaldo Londoniensi Episcopo & Daniele Wintoniensi & || Ardulfo Roffensi & Aldewyno Lichefeldensi. Huic Gregorius Papa dedit Pallium, scribens ei in hæc verba: 'Præcipimus, ut omnis homo totius An- 'gliæ tibi obediat, & sciat te Primatem totius Insulæ. Obiit autem, cùm sedisset annis iii. Hujus tempore Beda obiit.

* *Rectiùs* tertio.
† L. Cicestriæ.
|| Librarii incuriâ Nothelmi & Cuthberti res gestæ erant invicem permixtæ, & omissum Cuthberti nomen.

Notelmus, Londoniensis Presbyter, Romæ consecratus est à Gregorio Papâ * secundo, ab eodemque suscepit Pallium. Qui Wilfredo cum pace domum reverso, Australibus Saxonibus, sc. † Cestriæ Edritum præfecit Episcopum ||.

[*Cuthbertus*,] ··············· Obiit autem cùm sedisset annis xvii. Hic autem primus in Ecclesiâ suâ sepultus fuit, & omnes Successores sui præter Jambertum.

Bregwinus, hic suscepit Pallium à Paulo Papâ. Obiit autem post annos iii.

Jambertus, primò Abbas S. Augustini Cantuariensis, Romæ consecratus à Paulo Papâ, etiam ab eodem Pallium suscepit. Tempore autem suo Offa Rex Merciorum contraxit inimicitias cum Cantuaritis; prædictum Jambertum Primatu spoliare, regnumque Merciorum Archiepiscopatu insignire affectans. Unde Epistolis ad Adrianum directis, hoc egit; ut Pallio Aldulphum Lichefeldensem efferret, ei subjugando sex Episcopos. Stetit autem hæc perversitas toto istius Jamberti tempore. Sed [obiit,] postquam sedisset annis xxvii. aliis xxviii.

Adelardus, primò Wyntoniensis Episcopus, suscepit Pallium ab Adriano Papâ. Impetravit autem à Papâ Leone tertio successore Adriani; ut Ecclesia Cantuariensis eodem privilegio gauderet, quo & solebat; sibique subjicerentur illi Episcopi, quos Offa Rex Merciorum voluit subjici Archiepiscopo Lichefeldensi. Scripsit autem Leo Papa sic. 'Tibi ô Adelarde tuisque suc- 'cessoribus omnes Anglorum Ecclesias, sicut à priscis temporibus fuere, in 'ipsâ tuâ Metropolitanâ Sede per tuæ subjectionis cognitionem irrefragabili 'jure concedimus obtinendas. Si quis contra hanc diffinitionis nostræ aucto- 'ritatem venire temptaverit; ex Apostolicâ authoritate statuimus; ut si Ar- 'chiepiscopus vel Episcopus fuerit, ex ordine Præsulatûs sit dejectus. Simili- 'ter Presbyter vel Diaconus vel alius quilibet minister sacri ministerii si fue- 'rit; ab ordine sit depositus. Si autem ex numero Laicorum fuerit, tam 'Rex quàm Princeps aut quælibet magna sive parva sit persona; sacræ com- 'munionis se noverit alienum. Obiit autem Adelardus, cùm sedisset annis xiii.

Wil-

Wlfredus, Romæ consecratus est à Leone Papâ III. Obiit autem, postquam sedisset annis xxxviii. aliis xxviii.

Feologildus, i. e. *Sundredus*, suscepit Pallium à Johanne Papâ. Obiit autem, cùm sedisset * annis iii. Vacavitque Sedes anno uno.

* l. Mensibus.

Cenodus, vel *Chelnothus*, suscepit Pallium à Gregorio VI. & ab eo consecratus est Romæ. Obiit autem, postquam sedisset annis xli.

Ethelredus, Romæ consecratus est ab Adriano Papâ secundo. Obiit autem, postquam sedisset annos xviii. Vacavitque Sedes post mortem suam duobus annis.

Pleimundus, Romæ consecratus est à Formoso Papâ. Hic consecravit Edwardum filium Aluredi in Regem Angliæ. Iste Pleymundus præsidebat Concilio, quod congregavit ibidem Rex Edwardus; in quo decretum fuit; quòd omnis regio Gewiseorum, i. e. Westsaxonum, quæ per vii. annos Episcopis fuerat destituta, iterum foret restituta; & quod olim duo habuerunt, in quinque diviserunt. Acto autem Concilio, Archiepiscopus Romam honorificis muneribus adiit; Papamque magnâ humilitate † placuit; Decreta aut Regis recitavit; quod Papæ summè placuit. Rediensque ad patriam, in urbe Cantuariensi uno die vii. Episcopos Ecclesiis ordinavit; sicut habitum est (*a*) supra. Hoc autem totum firmavit Papa; ut dampnaretur in perpetuum; qui hoc infirmaret edictum. Scripsit autem idem Papa Formosus super privilegiis Ecclesiæ Cantuariensis Episcopis Angliæ in hunc modum. 'Sicut ex rescriptis B. Gregorii Papæ ejusque Successoribus tenemus; in Doberniâ civitate Metropolitani Sedemque primam Episcopalem esse constat. 'Et sicut Papa Gregorius primo vestræ gentis Episcopo Augustino omnes Anglorum Episcopos esse subjectos constituit: Sic nos Pleymundo Archiepiscopo Cantuariensi ejusque Successoribus legitimis eandem dignitatem || con-'feramus. Obiit autem Pleymundus, postquam sedisset annos xxxiv.

† Placavit.

|| l. Confirmamus.

Athelmus, primò Monachus Glastoniæ, & pòst Wellensis primus Episcopus, suscepit Pallium à Johanne. Hic consecravit Athelstanum in Regem Angliæ. Obiit autem, cùm sedisset annis x.

Wlfelmus, primò Wellensis Episcopus, suscepit Pallium à Johanne Papâ. Obiit autem, postquam sedisset annis x.

Odo, primus Episcopus (*b*) Saresburiensis, i. e. Malmesbiriæ, suscepit pallium ab * Agapite Papâ. Ille verò, quòd Monachus non erat, constanter cœpit reniti. Nullum enim viderat ad illud tempus Archiepiscopum fuisse, nisi Monachali scemate indutum. Sed cùm voluntati Regis Adelstani Episcoporum omnium assensus accederet; tandem propositi sui rigore edomito, [mari] transito Monachalia indumenta suscepit. Et Angliam rediens; in Cantuariensi Archiepiscopatu apud Athelstanum & Edmundum & Edredum,

* l. Agapeto.

(*a*) Id supra retulerat in libro MS. ejusdem Codicis inscripto, *De Monarchis Angliæ*, f. 109.

(*b*) Non Scireburnensis, sed Wiltoniensis Episcopus, qui Sedem Ramesburiæ tenuit; & partem alteram Dioceseos, quæ nunc Saresburiensis vocatur, rexit. Odo autem non primus sed secundus fuit Episcopus Wiltoniensis juxta Malmsburiensem, f. 141. qui Ethelstanum illi priorem memorat. Sic etiam Florentius.

magnam gratiam optinuit. Edmundus verò frater Adelstani & Edredus similiter ab eo diversis temporibus in Reges consecrati sunt. Iste Odo in Northanimbrios profectus, patris Wilfridi Episcopi Reliquias à Ripensi Ecclesiâ transtulit Cantuariam. Iste Odo vocatur Sanctus. Consecravit etiam Edwinum filium Edmundi in Regem. Iste Odo erat clarus ingenio, & virtute laudabilis. (*c*) Qui cùm sedisset annis xxiv. mortuus est.

† *Elsinus* aliis dictus.

Gliso †, primò Wintoniensis Episcopus; qui dum Romam pro petendo Pallio tenderet, in Alpibus gelu constrictus defecit.

Brictelmus, primò Wellensis Episcopus, eligitur ad Archiepiscopatum. Sed Sedi propriæ restituitur communi consensu; eò [quòd] minùs utilis videretur; Dunstano ad illum vocato.

Dunstanus, tunc temporis [Abbas Glastoniensis, dum Regem Edwinum] ab erroribus revocaret, à Rege proscriptus mare transiit. A Rege autem Edgaro successore suo de exilio revocatus, Ecclesiæ Wigorniensis suscepit Præsulatum. Rex etiam Edgarus Londoniensem Ecclesiam proprio Pastore viduatam sibi commisit regendam. Et sic S. Dunstanus Londoniensem Ecclesiam commendàtam habuit, & non titulatam. Et tandem fuit Archiepiscopus Cantuariæ; ut dictum est. Hic etiam consecravit eundem Edgarum in Regem, & Edwardum Martyrem filium suum, & Egelredum filium Edgari ex aliâ uxore. De consilio autem S. Dunstani Rex Edgarus ditavit Ecclesiam Glesconiæ multis & magnis possessionibus; & à majoribus Ecclesiis Angliæ Clericos expulit & Monachos induxit. Johannes autem Papa XVI. scripsit Dunstano in hunc modum. 'Primatum tuum, in quo tibi ex more antecessorum vices Apostolicæ Sedis exercere convenit, ita ad plenum confirmamus; sicut B. Augustinum ejusque successores Dorobernensis Ecclesiæ Pontifices habuisse dignoscitur. Nota multa notabilia de eo supra, ubi (*d*) agitur de Regibus. *Iste Dunstanus* fuit nepos Athelmi Cantuariensis Archiepiscopi; de quo habitum est supra. Obiit autem S. Dunstanus, cùm sedisset annis xxvii.

Ethelgarus, primò Monachus Glastoniæ, & post Novi Monasterii Wintoniæ Abbas primus, & tandem Selisiensis, i. e. Cicestrensis Episcopus, suscepit Pallium à Johanne. Sedit autem tantùm anno uno & mensibus tribus.

Siricius, primò Wiltuniensis, i. e. Saresbiriensis Episcopus, suscepit Pallium à Johanne Papâ. Hic primò Monachus Glesconiæ fuit; qui factus Archiepiscopus, nutriculæ suæ septem dedit Pallia; de quibus in Anniversario

(*c*) Minùs sibi concordat Radulphus in supputandis Odonis & Prædecessorum annis. In Abbrev. Chron. enim Athelmum anno 914. Plegmundo successisse, Odonem anno 963. obiisse narrat; adeò ut Athelmus, Wlfelmus & Odo simul sederint 49. annos. In Indiculo Archiepiscoporum Cant. nonnisi 35. annos hisce tribus simul concedit. In hoc demum loco annos 44. iis tribuit. Medius quidem calculus veritatem attigit. Alii verò sibimet ipsis repugnant. Sive Odo enim anno 963. obierit, quod vult Radulphus, seu anno 958. quod veritas confirmat; Odo pallium ab Agapeto Papâ (qui Sedem iniit anno 946.) accipere nequaquam potuit, quod Radulphus prodit; modò ex ipsius calculo ille Sedem Cantuariensem annis 24. tenuerit. Sic enim Odo Archiepiscopatum inibit seu anno 939. seu 934. Et isto quidem anno inierit, necesse est; si Athelmus ab anno 914. exorsus sederit annos 10. & totidem Wlfelmus successor ejus. Quibus si annos 24. Odonis addas; iste anno 958. defunctus erit.

(*d*) Vult Librum modò citatum *de Monarchiis Angliæ*.

ejus

ejus tota antiqua ornatur Ecclesia. Obiit autem, cùm sedisset annos v. Hic expulsis à Cantuariâ Clericis, Monachos induxit.

Aluricus, suscepit Pallium à Johanne Papâ. Hic primò erat Wiltuniensis, i. e. Saresburiensis Episcopus. Obiit autem, postquam sedisset annos xi.

Elphegus, primò Prior Glesconiæ, pòst primus Abbas Bathoniæ, & deinde Episcopus Wyntoniæ. Suscepit Pallium à Johanne Papâ. Interfectus est à Danis Archiepiscopatûs sui anno septimo; cùm sedisset annis vi. & mensibus vii. Cujus corpus die sequenti Londoniam defertur; & ab Episcopis Londoniæ & Lincolniæ in Ecclesiâ S. Pauli sepelitur. Postmodum verò tempore Cnutonis Regis Cantuariam translatus est.

Livingus, qui & *Ethelstanus*, Wellensis Episcopus primò fuit. Hic suscepit Pallium à Benedicto IX. Papâ. Hic consecravit Edmundum Ferreumlatus, & postmodum Cnutonem Regem Daciæ. Obiit autem, cùm sedisset vii. annis.

Ethelnodus, aliàs *Egelnothus*, filius Egelmari Comitis, Decanus in Ecclesiâ quæ dicitur Cristeschirche in Hanteschire; & pòst, ut dicitur, Lincolniæ Episcopus fuit. Hic Ethelnodus *Bonus* appellatur. Romam verò ivit; quem Benedictus IX. Papa cum honore suscepit, & Pallium ei dedit. Iste fuit primò Monachus Glesconiæ. Rex autem Cnuto de consilio suo ad transmarinas Ecclesias multas pecunias misit; inter quas maximè Carnotum ditavit. Hic etiam consecravit Haraldum filium Cnutonis, & Hardecanutum similiter in Regem Angliæ. Obiit autem iv. Calend. Novembr. cùm sedisset annis xviii. Cujus obitûs die etiam Ethelricus Suthsexiæ Episcopus obiit. Petierat enim à Deo; ne post mortem patris Ethelnodi diu viveret.

Edsius vel *Elsius*, Regis Haraldi Capellanus, Wyntoniensis Episcopus, Pallium suscepit [|| ab Alexandro Papâ.] Hic consecravit Edwardum Sanctum filium Egelredi in Regem Angliæ. Idem Edsius posteriori anno in miserabilem morbum incidens, successorem suum Siwardum Abendoniæ [Abbatem] constituit; antè tamen cum Rege & Comite Godwino communicato consilio, ne ad tantum fastigium aspirare videretur indignus vel prece vel pretio. Sed ille Siwardus non (*b*) obtinuit. Obiit autem, cùm sedisset annis xi.

|| Ista ex ejusdem Indiculo Archiepiscoporum Cant. supplevi.

Robertus, primò Londoniensis Episcopus. Hic fuit primò Monachus & Abbas Gemeticensis, & postmodum Episcopus Londoniensis, & genere Normannus. Iste suscepit Pallium ab Alexandro. Hunc Anglici moderni * vituperatum, dicentes eum fuisse delatorem Godwini & filiorum ejus, & discordiæ seminatorem inter Regem & principes, & Archiepiscopatûs emptorem. Unde & ipse Robertus cum cæteris Normannis expulsus est ab Angliâ. Romam verò profectus, & de causâ suâ Sedem appellans Apostolicam, cùm per Gemeticum reverteretur, defunctus est, ibique sepultus in Ecclesiâ Beatæ Virginis, quam ipse sumptuoso opere construxerat. Sedit autem tantum annis duobus.

* l. Vituperant.

Stigandus, Haraldi Capellanus, primò Estanglorum Episcopus, & postmodum ejectus, & pòst Suthsaxonum, i. e. Cicestriæ Episcopus, & tandem Wyntoniensis Episcopus, Roberto adhuc vivente & ab Angliâ exulante, simplicitatem Regis Edwardi circumveniens, invasit Archiepiscopatum. Primò enim erat Episcopus Australium Saxonum; & spe excellentioris troni il-

(*b*) sc. Archiepiscopatum, in Chorepiscopatu ante Edsium defunctus.

lam Sedem deſeruit, & Wyntonienſem inſedit, illamque cum Archiepiſcopatu tenuit. Quapropter nunquam ab Apoſtolicâ Sede accipere Pallium meruit; niſi quòd Benedictus X, quidam pervaſor Apoſtolatûs ſibi illud miſit, ſcilicet pecuniâ ad concedendum corruptus; vel quòd mali gratificantur ſimilibus. Unde & tempore Regis Willelmi primi per Cardinales Romæ degradatus, & perpetuis vinculis innodatus, inexplebilis aviditatis nec moriens finem fecit. Sed quidem eo mortuo, reperta eſt clavicula in ſecretis; quæ ſeræ cubicularis ſcrinii appoſita innumerabilium theſaurorum dedit indicium. Unde anno Domini MLXX. in Octavis Paſchæ Concilium magnum Wyntoniæ celebratum, jubente & præſente Willelmo Rege, & Alexandro II. Papâ conſentiente; ubi iſte prædictus Stigandus degradatur tribus de cauſis. Primò quòd Epiſcopatum Wyntoniæ cum Archiepiſcopatu injuſtè poſſidebat. Et quòd Archiepiſcopo Roberto vivente non ſolùm Archiepiſcopatum ſumpſit; ſed ejus Pallio, quod Cantuariæ remanſit, dum injuſtè expulſus eſt ab Angliâ, in Miſſarum celebratione uſus eſt; & pòſt à Benedicto X. quem Romana Eccleſia excommunicavit, eò quòd pecuniis Sedem Apoſtolicam invaſit, Pallium ſuſcepit. In hoc Concilio Wlſtanus Wigorniæ Epiſcopus fuit, querelam deponens pro poſſeſſionibus Eccleſiæ ſuæ retentis ab Archiepiſcopo Eboracenſi. Stigandus autem ab eodem Rege in carcere poſitus eſt, ibique defunctus. In S. Edwardi Regis (*i*) Vitâ ſive Legendâ legitur; quòd venter ejus crepuit, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus. Hic primus in habitu Clericali Archiepiſcopatu functus eſt. Obiit autem, poſtquam ſediſſet annos xvii. Vacavit autem ſedes poſt depoſitionem ſuam per duos annos.

Lanfrancus, genere Longobardus, vir undecunque doctiſſimus, omnium liberalium artium divinarumque ſimul ac ſæcularium literarum ſcientiâ peritiſſimus, conſiliis quoque ac gubernatione rerum mundialium æquè prudentiſſimus. Primò Beccenſis Monachus, & poſtea Cadomenſis Abbas, conſecratus eſt à Giſone Wellenſi & Waltero Herefordenſi Epiſcopis Cantuariæ in Feſto S. Johannis Baptiſtæ. Pro Pallio Romam adiens, Thomam Archiepiſcopum Eboracenſem, quem ipſe factâ ſibi ſubjectionis ſuæ Canonicâ profeſſione Cantuariæ conſecraverat, & Remigium Lincolnienſem Epiſcopum, comites itineris [habuit.] Quò perveniens, Alexandro II. Papæ præſentatur. Cui Papa ad ſe intranti aſſurgens, eum ut greſſum figeret, dulciter hortatus eſt, ac deinde ſubdens: 'Honorem exhibuimus tibi, non quem Archiepiſco-'patui tuo ſed quem Magiſtro debuimus, cujus ſtudio ſumus in illis quæ ſu-'mus imbuti. Huic quod ad te pertinet, ob reverentiam B. Petri te exequi 'par eſt. Reſidente igitur illo, Lanfrancus progreſſus humiliat ſe ad pedes ejus; ſed mox ab eo ad oſculum erigitur. Demum in Angliam cum ſociis reverſus, Primas totius regni confirmatus. Cujus tempore religio per totam terram quampluribus aucta eſt in novis Monaſteriorum ædificiis; quorum ſtructoribus ipſe primum exemplum præbens, Eccleſiam Chriſti Cantuarienſem cum omnibus officinis, quæ infra murum ipſius Curiæ ſunt, cum ipſo muro ædificavit. Poſtmodum anno Domini MLXXII. Papatûs Alexandri xi°. regni Willelmi vii°. generale Concilium habitum eſt; & ventilata eſt cauſa de Primatu Cantuarienſis Eccleſiæ ſuper Eboracenſem. Et tandem diverſis Scripturarum autoritatibus probatum atque oſtenſum eſt; quòd Eboracenſis Eccleſia Cantuarienſi debeat ſubjacere, ejuſque Archiepiſcopi ut Primatis totius Britanniæ diſpoſitionibus in his quæ ad Chriſtianam religionem, in omnibus obedire. Sed quicquid ultra Humbram fluvium eſt & Dunelmenſis Epiſcopi ſubjectionem, Eboraci Archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus Ar-

(*i*) Reperiuntur iſta in Ailredi Rievallenſis libro 1°. de Vitâ S. Edwardi, p. 400.

chiepiſcopus

chiepiscopus Cantuariensis in perpetuum optinere concessit. Ita ut si Cantuariensis Archiepiscopus velit Concilium cogere, ubicunque ei visum fuerit, Eboracensis Archiepiscopus sui præsentiam cum omnibus sibi subjectis ad nutum ejus exhibeat, & ejus Canonicis dispositionibus obediens existat. Quòd autem professionem suam Archiepiscopo Cantuariensi facere cum sacramento debeat, Lanfrancus ex antiquâ consuetudine ostendit; Sed amore Regis, Thomæ sacramentum relaxavit; scriptamque tantùm professionem suam recepit, non in hoc præjudicando Successoribus suis. Si autem Archiepiscopus Cantuariensis obierit; Archiepiscopus Eboracensis veniet, & Electum cum cæteris Episcopis proprio jure consecrabit. Quòd si Archiepiscopus Eboracensis [obierit,] qui successurus ei eligitur, accepto à Rege Archiepiscopatûs dono, ad Archiepiscopum Cantuariensem accedet, & ab ipso ordinationem suscipiet. Huic Constitutioni consenserunt Rex Willelmus, & Hubertus Domini Papæ Legatus, & omnes qui interfuerunt. Ventilata est hæc causa priùs apud Wintoniam in Paschâ in Capellâ Regiâ, quæ sita est in Castello; sed postea apud Wyndeshoram finem accepit in præsentiâ Regis & Episcoporum & Abbatum, qui congregati erant apud Curiam in Festivitate Pentecostes. Hic Lanfrancus consecravit Willelmum Rufum filium Willelmi primi in Regem. Inter autem alia bona sua, xxv. Maneria Ecclesiæ Cantuariensi restituit; & Ecclesiam Roffensem instauravit; & Hernostum Monachum Beccensem in eâ Episcopum ordinavit. Abbatiam quoque S. Albani restituit in primum statum; in qua posuit Abbatem Paulum; qui ibi ordinem Becci instituit, sicut est usque hodie. Obiit autem ix. Calend. Junii, cùm sedisset annis xix. Vacavitque Sedes post obitum suum iv. annis, Rege Willelmo Rufo Ecclesiam Anglicanam opprimente.

Anselmus, primò Abbas Beccensis, suscepit Archiepiscopatum quarto anno oppressionis Anglicanæ Ecclesiæ anno Domini MXCIII. primâ Dominicâ Quadragesimæ, pridie Nonas Martii. Iste erat genere Longobardus, Augustæ civitatis indigena; patrem Gundulphum habuit, matrem verò Hermenbergam; literas edoctus à puero, Alpes transcendit, invigilans per triennium liberalibus disciplinis in Galliâ. Transiens autem in Normanniam, adhæsit [Lanfranco] Priori Beccensi, qui Scolas publicas jussu Abbatis Herlewini, velut præmissum, tunc temporis regebat. Cujus consilio habitum Monachalem suscepit, xxvii. ætatis suæ anno. Sed ipso Lanfranco in Cadomensis Cœnobii regimine assumpto ibidem facto Abbate, ipse Prior effectus est Becci infra triennium quo habitum suscepit. Postmodum defuncto Abbate Herlewino, ipse in Abbatem Becci consecratus est. Postremò Rex Angliæ Willelmus II. anno iv. post obitum Lanfranci ad extrema ferè perductus [est.] A suis igitur eidem suadetur; ut cogitet de Ecclesiâ Cantuariensi jamdiu viduatâ. Qui super hoc tractatum habens cum suis, consilio Procerum Abbatem Anselmum è Normanniâ celeriùs evocatum procuravit in Archiepiscopum sublimari. Ipse igitur licèt invitus concurrentibus Suffraganeorum votis consecratus est Archiepiscopus Cantuariensis pridie Nonas Decembris, ætatis suæ anno lx. à Walkelino Wintoniensi Episcopo vice Mauricii Londoniensis Episcopi. Postmodum Rex convalescens, instinctu malorum hominum concitatur contra eum; eò quòd Archiepiscopus spoliatis hominibus suis mille libras pro agendis munificentiæ suæ gratiis ei dare noluit, sc. quòd consecrationi suæ præbuisset assensum. Unde potiùs elegit indignationem Regis incurrere quàm periculum animæ ad confusionem in posterum & imprecationem multorum in Ecclesiâ Dei subire. Sed ad officium suum exequendum, à Rege licentiam petiit adeundi Papam Urbanum pro Pallio. At Rex ad nomen Urbani turbatus, dixit se illum pro Papâ non [habere;] nec suæ consuetudinis esse, ut absque suâ electione alicui liceret in regno suo Papam nomina-

re.

re. Scisma enim fuit tunc in Romanâ Ecclesiâ, Wiberto Ravennate Archiepiscopo per violentiam Imperatoris Henrici intruso. Hinc orta gravis dissentio inter Regem & Sacerdotium; & ita ut omnes Episcopi, excepto Gundulfo Roffensi, ex parte Regis tenentes, illi subjectionem & obedientiam denegarent. Denunciatum fuit igitur Archiepiscopo per internuncios; quòd nullam securitatem sibi & suis habere poterit, nisi protestaretur in medium, quòd Urbani Papæ non amplecteretur mandatum. Aliquot autem diebus elapsis, Walterus Albanensis Episcopus afferens Pallium Archiepiscopo iv. Idûs Junii, Papam Urbanum & Regem reconciliavit. [Rex] Anselmum in amicitiam specie tenus recepit. Verùm post aliquantum tempus à Gualis Rex victor [rediens,] revocatâ irâ propter Milites, quos sicut falsò à malignis dicebatur, [paucos & inertes] in expeditionem Anselmus direxerat, contra eum conturbatus. Unde Anselmus considerans talia pro nichilo posse oriri, eundi Romam à Rege tunc apud Windeshoram extante licentiam petiit; ut super his, quæ in animo gerebat, Sedem B. Petri consuleret. Rex autem eum licentiare noluit. Discedens autem à Curiâ venit Cantuariam, quid reportaret manifestans. Ascensuro Archiepiscopo Anselmo navem apud Doveram, Willelmus de Warwast familiarissimus Regis omnia sua spe recipiendæ pecuniæ perscrutatus est; nichilque eorum quæ credebat reperiens, eum cum suis abire permisit. Archiepiscopus autem nec verbum amaritudinis nec signum offensionis ei ostendit. Cùm autem transfretâsset; Rex confestim præcepit cuncta quæ illius erant ex quo venit in Archiepiscopatum Cantuariensem, in suum transscribi dominium; & irrita omnia fieri, quæ per eum statuta erant, ex quo venit in Archiepiscopatum. Cùm autem Romam venisset; ab Urbano Papâ maximo cum honore susceptus est. Profectus est autem postmodum cum Papâ ad Concilium Barense, quod idem Papa ibidem Calendis Octobris erat celebraturus. Ubi Græcorum negantium Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio idem Anselmus confutavit errorem. Postmodum aliud Concilium sub eodem Papâ habitum est Romæ; ubi ipse interfuit, tertiâ ebdomadâ Paschæ; in quo Papa excommunicavit omnes Laicos Investituras *Ecclesiarum dantes*, & ab eis accipientes, & taliter post adeptum honorem munus Consecrationis impendere præsumentes. Soluto Concilio, Archiepiscopus Lugdunum rediit, exilii sui anno tertio. Rex Willelmus obiit; cui frater suus Henricus successit, qui statim revocavit Archiepiscopum, & liberam rerum suarum administrationem habere permisit. Quùm autem de consilio vacantium Ecclesiarum per Angliam ab exilii sui tempore primo tractaretur; regni Majores contendebant Investituram Ecclesiarum pertinere ad Regem. In contrarium sentiebat Archiepiscopus, statuta supradicti Concilii recensens. Unde ex hoc turbatus est Rex; [&] per duos annos & dimidium eum in multis afflixit. Tandem ut Regis iram mitigaret in aliquo; sicut petebatur, consensit, ut cum Nunciis Regis Romam proficisceretur; & Regni negotia, quæ libertatem Ecclesiæ non opprimerent, procuraret cum eis. Romam igitur perrexit, habens secum Willelmum Wyntoniæ Electum; & Abbates depositos Ricardum Elyensem & Aldwinum Ramesiensem. Qui venientes Romam, invenerunt Urbano successisse Paschalem. Qui cùm adventum Archiepiscopi & Nunciorum Regis audisset, & causam intellexisset; nec Investituram Ecclesiarum nec quicquam aliud, quod Deum offenderet, Henrico Regi concessit. Contigit autem ibi Anselmum quædam contra Regem eloqui; in quibus Ricardum sibi suffragaturum existimabat. Ricardus verò pro Rege agens, omnes Archiepiscopi calumpnias refellebat. Cujus rei rumor adventum ejus in Angliam præveniens, Regis gratiam plenissimè ei restauravit. Infecto negotio, dum Lugdunum in redeundo attigisset; præfatus Willelmus de Warwast, unus de Nunciis Domini [Regis] ex parte Domini sui inhibuit Archiepiscopo, ne rediret in Angliam, nisi vellet

Vid. Malmsbur. de gest. Pontif. lib. 1. f. 125.

let ad instituta supradicti Concilii [non] respicere, [sed] secundùm consuetudinem * antiquitatis introductam modis omnibus conservare. Moratur igitur Lugduni; & Rex mox Archiepiscopatum in suum dominium redegit; & bonis suis denuo confiscatis, annus elapsus est & dimidius; postmodum à Rege rogatus, venit Normanniam. Cùm autem simul Becci convenissent; sub audientiâ virorum illustrium professus est Rex se nichil juris vel sibi vel hæredibus suis in posterum in Ecclesiarum Investituris vendicaturum, nec in Electionibus faciendis aliquod jus aliud quàm solum assensum; sicut Canonum censura præscribit. Quibus in hunc modum pacificatis, Anselmus rediit in Angliam. Priùs autem antequam Rex & Archiepiscopus reconciliati essent, Paschalis Papa scripsit literas increpatorias [Gerardo Eboracensi Archiepiscopo] eò quòd tenuit ex parte Regis contra Archiepiscopum Anselmum; & alias literas eidem, ut professionem suam eidem faciat; sicut & prædecessores sui fecerunt prædecessoribus nostris. Anselmus autem Archiepiscopus cum omnibus Episcopis Angliæ Concilium Londoniæ tenuit anno Domini MCII. ac plures Abbates tam Francigenas quàm Anglos, qui in honestate se non habuerunt, degradavit; sc. Abbates de Persore, de Tavestoke, de Rameseye, de Burgh, de Cernel, de Mideltoun. Prohibuit etiam Presbyteris diutiùs habere uxores. Quia verò Rex Henricus die Consecrationis suæ dederat Abbatiam Sancti [Edmundi] Roberto filio Hugonis Comitis Cestriæ † Monachos S. Ebrulfi, renitentibus Monachis S. Edmundi; Et idem Robertus eandem Abbatiam absque electione contra privilegia Monasterii accipere præsumpserat; in eodem Concilio ab eodem Anselmo dejectus [est.] Et Robertus Prior Monasterii, vir magnæ religionis, Abbatiam suscepit; & annis iv. transactis obiit. Cui successit Aleboldus Prior S. Nigasii de Mellente; qui perinde plusquam iv. annos vixit. Huic successit nepos S. Anselmi; & post xxvi. annos tempore Regis Stephani obiit pridie Calend. Augusti. In magno Concilio Londoniæ habito annuit Rex & statuit; ut ab eo tempore in reliquum nunquam per || devotionem baculi pastoralis vel annuli quisquam de Abbatiâ vel Episcopatu per Regem vel per quamlibet Laicam manum in Angliâ investiretur: concedente quoque Anselmo, ut nullus in prælatione electus pro homagio, quod Regi faceret, consecratione suscepti honoris privaretur. Girardus etiam Archiepiscopus pollicitus est sibi & successoribus suis tunc illam * [subjectionem & obedientiam ipsi & successoribus ejus in Archiepiscopatu exhibiturum] quam Herefordensis Episcopus sacrandus illi promiserat. Obiit autem Anselmus Archiepiscopus, cùm sedisset annis xvi. anno Domini MCIX. Et vacavit Sedes Archiepiscopatûs post mortem suam annis v.

* f. Antiquitus.

Vide Radulfi Abbreviat. Chron. p. 497.

Vide Malmsbur. f. 129.

† l. Monacho.

|| l. Donationem.

* Verba uncis inclusa restitui ex Radulphi Abbrev. Chron. p. 500.

Radulphus, primò Roffensis Episcopus, vi. Calend. Maii eligitur apud Windeshoram; & v. Calend. Julii suscepit Pallium ab Anselmo Domini Papæ Legato; & ipso die Theolphum Wigorniensem Episcopum apud Cantuariam consecravit. Obiit autem, cùm sedisset annis viii. & mensibus vi. Vacavit autem Sedes post mortem suam iv. mensibus. Iste Radulphus consecravit † Adoli in Reginam Angliæ apud Windeshoram.

† l. Adelam.

Willelmus de Turbine (g), Prior S. Osithæ de Chiche, electus apud Gloverniam in Purificatione B. Virginis. Consecratus est autem apud Cantuariam à Willelmo Wintoniensi Episcopo die xiv. Calend. Martii, vice Londoniensis Episcopi; quia Ricardus Londoniensis Episcopus laborabat Paralisi. Willelmus autem Archiepiscopus pro petendo Pallio Romam ivit; ducens secum

(g) Sic etiam à Johanne Bromtono cognominatur p. 1043. ab aliis *de Curboil* dictus.

Thur-

Thurstanum Eboracensem Archiepiscopum & Bernardum Menevensem; qui Pallium à Kalixto Papâ accepit. In reditu autem suo in Angliam duos Episcopos consecravit, sc. Lincolniensem & Bathoniensem; Episcopatum autem Roucestriæ dedit Archidiacono suo. Iste Willelmus congregavit Concilium apud Westmonasterium; ubi Thurstanus Eboracensis Archiepiscopus per nuncios & literas ostendit se interesse non posse rationabili causâ. Iste dedicavit Ecclesiam S. Trinitatis Cantuariæ præsente Rege Henrico. Iste Willelmus consecravit Stephanum nepotem Regis Henrici in Regem; licèt ipse primus fidelitatem fecisset Matildi filiæ Regis Henrici supradicti; ut filius suus Henricus II. post Henricum I. ‖ coronatur in Regem. (*b*) De hoc supra. Obiit autem Willelmus Archiepiscopus, cùm sedisset annis xiii. & mensibus ix. Vacavit autem Sedes post mortem suam annis duobus, mense uno, diebus xiii.

‖ l. Coronaretur.

Theobaldus, Abbas Beccensis, vir honestus & literatus, ab Episcopis electus est. Consecratus est ab Alberico Hostiensi Episcopo & Apostolicæ Sedis Legato; qui Romam proficiscens Pallium suscepit ab Innocentio II. Papâ in Concilio Romæ habito. Cùm verò postmodum ad Concilium, quod Eugenius Papa Remis celebravit, sine licentiâ Regis Stephani profectus fuisset; bonis omnibus spoliatus est. Postmodum verò mediante illo Rex Stephanus & Henricus Dux Normanniæ, qui postmodum Rex Angliæ, concordes effecti sunt, qui priùs discordes erant ab invicem. Obiit autem, cùm sedisset annis xxii. & mensibus iv. anno Domini MCLXI. & vacavit Sedes anno uno, diebus xvi. Hic etiam consecravit Henricum filium Matildis Imperatricis in Regem Angliæ.

Thomas, Regis Cancellarius, Cantuariensis Archidiaconus, Beverlaci Præpositus, in diversis Ecclesiis per Angliam Canonicus ascriptus, à totius Provinciæ Clero generaliter Londoniæ convocato apud Westmonasterium, præsente Henrico filio Regis & *Regni Justiciariis*, nemine reclamante electus est quartâ feriâ ante Pentecosten. Et Sabbato Pentecostes ordinatus in Presbyterum in Ecclesiâ Cantuariensi à Waltero Roffensi Episcopo, sequente die Dominicâ consecratus est ab Henrico Wintoniensi Episcopo vice Londoniensis Ecclesiæ tunc vacantis, Ricardo II. tunc defuncto. Pallium autem misit sibi Alexander III. Papa per nuncios quos sibi direxerat. Postmodum autem nuncium in Normanniam Regi direxit; renuncians Cancellariæ, & Sigillum resignans. Quòd Rex graviter accepit; eò quòd audierat Archiepiscopum Moguntinum sub Rege in Teutoniâ & Coloniensem in Italiâ sub Imperatore nomen sibi Cancellarii vendicare. Cùm autem Rex rediret in Angliam; obviàm Regi veniens, receptus est in osculum, sed non in plenitudine gratiæ; sicut vultus statim conversus omnibus qui convenerant patenter ostendit. Alexando Papâ celebrante Turonense Concilium, Thomas cum Suffraganeis suis sedit ad dextram in Concilio. Comes de Clarâ Rogerus vocatus ab Archiepiscopo xi. Calend. Augusti ad homagium sibi faciendum de Castello de Tunebrig & aliis pertinentibus ad Castellum, ei restitit; respondens, totum id Feodum in servitio militari persolvendo Regem potiùs attendisse quàm Archiepiscopum. Archiepiscopus vacantem Ecclesiam de Heyneford contulit Laurentio. Willelmus villæ Dominus venditans sibi jus patronatûs in eâdem Ecclesiâ, Laurentium expulit: unde Archiepiscopus eum excommunicavit. Quod quia minimè certiorato Rege fecisset; maximam Regis indignationem incurrit. Asserit namque Rex juxta dignitatem Regni; quòd

(*b*) De illo supra egerat in libro *de Regibus Normannorum*, f. 131.

nullus

nullus Capitaneorum, nullus militans Regi, nullus minister Regis; nullus sc. ut vulgariter loquar, de Rege tenens in Capite castellum, villam, vel prædium; citra conscientiam Regis esset excommunicandus aliquo [modo;] ne si super hoc certioratus non fuerit, ignorantiâ lapsus communicet excommunicato, Capitaneum suum venientem ad se vel invitans ad osculum vel recipiens in consilium. Unde Rex Angliæ nuncios ad Dominum Papam direxit; petens, ut confirmaret consuetudines Regni; sed non optinuit Archiepiscopo resistente. Anno MCLXIV. Rex Concilium apud Clarendonam [convocavit] viii. Calend. Februarii; ubi ad hoc animos Prælatorum inflexit, ut Regni consuetudines Archiepiscoporum & Episcoporum auctoritate firmarentur & scriptis. Quod Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, dum Papæ innotuisset, ab obligatione, quam inierat, absolutionem petiit & impetravit. Volens etiam, ut dicebat, maleficia cum debitâ severitate punire, & Ordinis dignitatem ad iniquum trahi compendium; & congruum esse considerans Clericos à suis Justiciariis in publico flagitio deprehensos Episcopis loci reddendos decreverat; ut quos Episcopus inveniret obnoxios, præsente Justiciario Regis exauctorarent, à manu Laicali contendebant protegere: Alioqui bis judicaretur in idipsum. Huic controversiæ præstitit occasionem Philippus de Broc, Canonicus de Bedeford; qui tractus in Curiam propter homicidium, in Justiciarium Regis protulit verbum contumeliosum. Quod cùm coram Archiepiscopo negare non posset; Præbendâ suâ multatus est, [&] pulsus à regno per biennium. Archiepiscopus autem Romam profecturus, inscio [Rege] navem ascendit, in quo plurimùm Regis offensam incurrit; sed vento contrario ejectus est in Angliam. Demum anno Domini MCLXV. tractus est Archiepiscopus in causam super actu, quem egerat in Cancellariâ. Præsentiam suam exhibuit apud Northamptonam iii. Idus Octobris. Decreverant enim hi qui convenerant, quòd à capite incipiens de omnibus rationem redderet: licèt ante Consecrationem suam liber & absolutus fuisset ab omni ratiocinatione de voluntate Regis & mandato. Sed cùm hoc probari non posset; adversùm Episcopos, ne eum injusto dampnârent judicio, appellavit; & ab eis itidem † appellatus est. Proceres autem Regni in eum nec confessum nec convictum, sed Privilegium Ecclesiæ protestantem & suum, sententiam extorserunt. Sic Archiepiscopus in arcto positus, multis affectus injuriis & obprobriis, & Episcoporum destitutus consilio; Crucem, quam manu tenebat, in altum erigens, discessit à Curiâ. Nocte sequenti Villam latenter egrediens, ab aspectibus hominum diebus se subtrahens, & noctibus iter peragens, post dies aliquot ad portum Sandvicum venit; naviculâ fragili subvectus in Flandriam. Statim enim Domino Papæ Senonis directi sunt Nuncii plures tam Episcopi quàm Comites ex parte Domini Regis; qui nichil ad votum vel propositum peregerunt. Cùm autem per dies plurimos moram fecisset apud Pontiniacum; transiens inde venit Viceliatum repentè. Et die Ascensionis ascendens in pulpitum, observatores & defensores ac instigatores Consuetudinum prædictarum accensis candelis excommunicavit; sc. Ricardum de Luci, Ricardum Pictavensem Archidiaconum, Jocelinum de Bailliul, Alanum de Nevilla, & plures alios. Isti absentes & non vocati & indefensi, sicut dicebant, missis ad Archiepiscopum nunciis, appellaverunt; & intraverunt Ecclesiam. Qui postmodum mandato Cardinalium Johannis Neopolitani & Willelmi Papiensis absoluti à Godefrido Episcopo S. Asaph. Alanum Londoniensis absolvit Episcopus, præstito juramento, quòd in eundo Jerusalem transiret per Dominum Papam, & staret ejus mandato. Dicti autem Cardinales à latere Papæ missi Regem & Archiepiscopum convenerunt apud Munmirail; & licèt Archiepiscopus eos in partem Regis inclinatiores sensisset, rem tamen in judicium eâ ratione illis publicè residentibus concessit deduci; ut secundùm ordinem Ecclesiasticum tam

† Appellatum.

ſibi quàm ſuis priùs fieret reſtitutio. Nec enim ſpoliatus ſubire judicium voluit; nec cogi potuit aliqua ratione. Quod cùm illi non vellent nec poſſent; infecto negotio redierunt ad Curiam. Rex interim Francorum Lodowicus in expenſis providit ei per iv. annos. Anno autem Domini MCLXVIII. Thomas Archiepiſcopus excommunicavit Alanum de Neville; quòd Willelmum Capellanum Archiepiſcopi tenebat in vinculis. Anno autem Domini MCLXIX. excommunicavit Gilbertum Londonienſem Epiſcopum; ſcripſitque Decano & Archidiacono & Capitulo Londonienſi, ne communicarent cum eo. Poſtmodum verò apud Baiocas duo Legati miſſi pro pace reformandâ, ſc. Vivianus & Gratianus. Quorum alter partem Archiepiſcopi, alter partem Regis, modis omnibus fovere proponebant. Sed ſicut penès Regem Gratianus gratiam non invenit; ſic nec penès Archiepiſcopum aliqua vivit in memoriâ Vivianus. Inde infecto negotio à Curiâ Regis, qui apud Baiocas erat, receſſerunt. Conſilio autem Regis Franciæ Archiepiſcopus ſcripſit Regi Angliæ, petens ut recipiat eum in gratiam. Unde Rex Angliæ & Archiepiſcopus in quali [quali] conveniſſent concordiâ; niſi quòd Rex Archiepiſcopo dare ſignum pacis oſculo denegâſſet & jurâſſet; omnem aliam ſecuritatem arbitrio boni viri paratus offerre, paratus præſtare. Anno autem Domini MCLXX. Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus, contra hoc quod priùs acceperat in mandatis, coronavit Henricum filium Regis. Poſtmodum habitum eſt colloquium apud Muntmirail inter Regem & Archiepiſcopum; ubi præſens fuit Rex Franciæ & Bernardus de Corilo, Prior etiam de Monte Dei. Poſt multa cùm perventum eſſet ad oſculum; quia dixit Archiepiſcopus: In honore Dei vos oſculor: ab oſculo quaſi conditionaliter involuto receſſit Rex. Nam ſemper Rex in verbis Archiepiſcopi conſcientiam [habentis] puriſſimam quaſdam clauſulas cauſabatur: ſc. nunc *Salvo ordine meo:* nunc *Salvo honore Dei:* nunc *Salvâ fide Dei.* Apud autem Ambazium ſingulis ad ſimplicem intellectum reductis, Rex & Archiepiſcopus concordiam inierunt die S. Mariæ Magdalenæ, procurante pacem Rothrodo Rothomagenſi Archiepiſcopo. Et hac ſecuritate rediens in Angliam, appulit Kalendis Novembris ad Sandvicum portum, exilii ſui anno vii. Rex autem ſcripſit filio ſuo Henrico; quòd pax inter ipſum & Archiepiſcopum facta fuit ad voluntatem ſuam; & præcepit, quòd ipſe & ſui pacem haberent. Porrò cùm Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus & Gilbertus Londonienſis & Jocelinus Sarum apud Doveram conſtituti eſſent, & ventum transfretandi expectarent; ecce in Vigiliâ S. Andreæ Apoſtoli ſubitò venit Nuncius Domini Papæ ferens his tribus ſingulas literas; quibus Interdictionis & Suſpenſionis virgâ percuſſi ſunt. Cùm autem Archiepiſcopus transfretâſſet; Reginaldus de Warrennâ & Gervaſius de Cormell Vicecomes Cantiæ & Ranulphus de Broks & plures armati acceleraverunt ad navigium; ut adventantibus vim inferrent. Sed Johannes Decanus Sarum conductus cum Archiepiſcopo ex mandato Regis redundaret, obviam eis proceſſit; denuncians eis ex parte Regis, ne eos in aliquo læderent; quòd hoc eſſet ipſum Regem notam perditionis incurrere. Cùm autem ad Eccleſiam Cantuarienſem veniſſet, & ibi cum magnâ devotione Cleri & populi ſuſceptus eſſet; Officiales novi Regis ad eum venerunt, denunciantes ei ex parte Regis, ut ipſos ſuſpenſos & excommunicatos abſolveret. Quibus reſpondit; quòd ſi Londonienſis & Sarum Epiſcopi jurarent ſecundùm forum Eccleſiæ ſe ſuo mandato pariturос; ipſos pro pace Eccleſiæ & reverentiâ Regis abſolveret. Quòd cùm Epiſcopis referretur; reſponderunt juramentum hujuſmodi non debere præſtari niſi ex voluntate Regis. Hæc omnia ſcripſit Archiepiſcopus ſtatim Summo Pontifici. Cùm autem Archiepiſcopus tenderet ad videndum novum Regem apud Wodſtok; honorificè ſuſceptus eſt à Londonienſibus. Et cùm hoſpitatus eſſet apud Suthwerk; xv. Calend. Januarii venerunt ad eum nuncii novi Regis, interdicentes

ex

ex parte ejus, ne progrederetur ad eum videndum, sed ad suam reverteretur Ecclesiam. Revertebatur igitur Cantuariam. Die autem Nativitatis Domini sermonem habiturus ad populum, ascendit ad pulpitum. Sermone completo, orationibus consuetis, sc. pro Papâ & pro Rege & pro pace & pro populi salute, fusis ad Deum, accensis candelis solempniter excommunicavit Nigellum de Satbevile violentum incubatorem Ecclesiæ de Herges & Vicarium ejusdem Ecclesiæ; Robertum quoque de Broks, qui equum quendam ipsius Archiepiscopi victualia deferentem ad ignominiam ejus decurtaverat. In crastino autem Sanctorum Innocentium circa horam vespertinam, dum cum Clericis suis resideret in thalamo; Willelmus de Tracy, Reginaldus filius Ursi, Hugo de Morvile, Ricardus Brito, de Normanniâ venientes, subitò thalamum irrumpunt; denunciantes ex parte Regis in Normanniâ moram facientis, ut Episcopos suspensos officio restitueret, excommunicatos absolveret. Quibus respondit, non esse Judicis inferioris ut superioris sententiam solvat; & quòd nulli hominum licet infirmare, quod Apostolica Sedes decrevit. Attamen si Londoniensis & Sarum Episcopi suo se mandato parituros jurarent; eos pro pace Ecclesiæ & reverentiâ Domini Regis absolveret. Illi irâ incandescentes, cum impetu recesserunt. Archiepiscopus verò cum Clericis suis intravit Ecclesiam, Vesperas decantaturus. Illi igitur quatuor interim militaribus armis induti, evestigio subsecuti sunt Archiepiscopum; Ecclesiamque irreverenter ingressi, cœperunt clamare: Ubi est proditor Regis? Ubi est proditor Regis? Ubi est Archiepiscopus? Cùm autem audisset nomen Archiepiscopi; à tertio gradu Presbiterii, quem jam conscenderat, eis obviàm egressus est, dicens: Si quæritis Archiepiscopum, ecce me in promptu habetis. Quibus acerrima proponentibus, ait: Ego mori paratus sum; vitæ præferens assertionem justitiæ & libertatem Ecclesiæ. Rogo tamen, ut mei non sint obnoxii pœnæ; sicut nec fuerunt imitatores culpæ. Letale igitur vulnus ab eis accipiens eâ corporis parte, sc. in coronâ capitis, quam olei sacri profusio Domino consecravit, inclinato capite percussus occubuit; cùm sedisset annis viii. mensibus vi. diebus xxviii. Et vacavit Sedes anno uno, (*n*) mensibus vi. & diebus iv. Anno autem Domini MLXXI. circa Pascha cœperunt irradiare Miracula B. Thomæ. Propter hoc autem nephandum opus anno uno exceptis novem diebus Cantuariensis Ecclesia cessavit à divinis. Sed in Festo B. Thomæ Apostoli, juxta mandatum Summi Pontificis, in statum pristinum est reformata per ejusdem Ecclesiæ Suffraganeos. Kalendis autem Septembris convocato Clero apud Wyndeshoram, actum est de consilio Cantuariensis Ecclesiæ; sed quibusdam causis intervenientibus suspensum. Sed postmodum vi. Nonas Martii apud Lamedam convenientes, in Rogerum Beccensem Abbatem concordaverunt. Sed Abbas electus hoc intelligens penitus contradixit.

Ricardus, primò Prior Doverensis, anno Domini MLXXI. electus est ab Episcopis Angliæ pridie Nonas Junii apud Westminster in Capellâ S. Katerinæ, Monachis Cantuariensibus Odonem Priorem suum habere volentibus.

(*n*) Parum sibi constat Radulphus & hìc & alibi. Si enim Ricardus electus fuerit anno 1171. prid. Non. Junii; Sedes vacavit duntaxat mensibus 5. diebus 5. Sin verò (quod in Abbrev. Chron. tradit p. 568.) Ricardus electus fuerit anno 1173. prid. Non. Junii; Sedes vacaverit annis 2. mensibus 5. diebus 5. Utrobique autem erravit; dum Ricardum Cantuariam *6*. Id. Junii advenisse scribit in crastino consecrandum. Dies enim *6*. Idus Junii in Sabbatum non incidit anno 1173. nec anno 1171. neque etiam anno 1172. quem Radulphum potius velle suaderet assignatum ab eo vacationis tempus. Magis igitur credendum Gervasio; qui electum anno 1173. 3. Nonas Junii, Cantuariam appulisse die Sabbati sequenti prodit.

Et ipſo die lectæ ſunt literæ Summi Pontificis de Canonizatione S. Thomæ. Cùm autem vi. Idus Junii Cantuariam veniſſet, ut ibi in craſtino conſecraretur; literæ Regis filii directæ ſunt, in quibus continebatur, quòd citra aſſenſum ejus & conſcientiam Electiones & Conſecrationes in regno fieri non debeant. Sic intermiſſis Conſecrationibus Archiepiſcopi & aliorum, ſc. Wyntonienſis, & Bathonienſis, & Elienſis, & Lincolnienſis Electorum, quique redierunt ad ſua: quamvis non [ſine] licentiâ Regis Henrici patris hoc feciſſent. Anno autem Domini MCLXXIII. Electus Cantuarienſis Ricardus, habens in comitatu Wyntonienſem Electum, Romam profectus eſt. Quo cùm veniſſet; ejus Electio iv. Nonas Aprilis confirmata eſt à Summo Pontifice Alexandro; & ab eodem conſecratus eſt Anagniæ. Anno autem Domini MCLXXIV. rediens in Angliam, venit Londoniam iii. Nonas Septembris. Sed ſub ipſo reditu ſuo Cantuarienſis Eccleſia conflagravit incendio Nonis Septembris. Electos autem ſupradictos conſecravit iii. Non. Octobris apud Cantuariam. Poſtmodum viſitans Eccleſiam de Waltham, Guidonem Decanum ejuſdem loci ſuſpendit. Veniens autem Glouceſtriam, S. Oſwaldi Clericos, quòd [ſe] aſſerebant à ſuâ juriſdictione exemptos, propter rebellionem ſuam gravi animadverſione percellebat. Inde graviter offenſus Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus ipſum per internuncios ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Anno autem Domini MCLXXV. Archiepiſcopus Cantuarienſis congregavit Concilium Londoniæ apud Weſtmonaſterium xv. Calend. Junii; in quo literæ Henrici Regis patris lectæ ſunt de pace factâ inter ipſum & filium ſuum. Rogerus autem Eboracenſis non interfuit, nec miſit qui ejus abſentiam excuſaret. Quòd verò Dioceſis Cantuariorum tantùm unum habuit Archidiaconatum ab antiquis patribus; iſte ibi tres inſtituit Archidiaconos. Anno Domini MCLXXVIII. controverſia diu habita inter Archiepiſcopum Cantuarienſem & Abbatem S. Auguſtini ita terminata eſt ab Alexandro Papâ; quòd Cantuarienſis Archiepiſcopus ipſum & ſucceſſores ſuos in Monaſterio S. *Auguſtini abſque* exactione obedientiæ benedicat. Sed anno Domini MCLXXIX. Abbas ejuſdem loci ab eodem Papâ mitram, chirothecas & annulum ſuſcepit apud Tuſculanum in ſignum emancipationis indultæ. Anno autem Domini MCLXXXIV. obiit Cantuarienſis Archiepiſcopus xiii. Cal. Martii apud Hallinges, villam Roffenſis Epiſcopi; cùm ſediſſet annis ix. & xlv. ſeptimanis, & v. diebus, ab Intronizatione vel Conſecratione ſuâ. Et vacavit Sedes anno uno.

Baldewinus, primò Epiſcopus Wigorniæ, & Monachus Ciſtercienſis, electus eſt anno Domini MCLXXXIV. de aſſenſu Suffraganeorum & etiam Monachorum Cantuarienſium apud Weſtminſter in Dominicâ tertiâ Adventûs. Huic Lucius Papa miſit Pallium. Intronizatus eſt autem in Sede ſuâ in Feſto S. Dunſtani anno Domini MCLXXXVI. Rurſus cum ſollempni recipitur Proceſſione apud S. Auguſtinum; familiaritaſque à diebus multis emortua revixit inter Eccleſias Cantuarienſes. Huic Urbanus Papa conceſſit Legationem; ut vice ejus fungeretur tanquam Legatus ab eo miſſus per omnes Eccleſias Cantuarienſis Dioceſeos. Huic Conradus filius Marchionis ſcripſit anno Domini MCLXXXIX. ut miſereretur Terræ Jeroſolymitanæ, populos commovendo, ut eidem terræ velint ſuccurrere, quæ jam data erat in manus Paganorum. Iſte etiam conſecravit Regem Ricardum in Regem Angliæ anno Domini MCXC. Profectus eſt jam dictus Archiepiſcopus in Terram [Sanctam] tempore quo Rex Ricardus iter arripuit; qui vices ſuas Ricardo Londonienſi Epiſcopo commiſit de communi conſilio Suffraganeorum. Habuit etiam in comitatu Hubertum Sareſburienſem Epiſcopum, & Ranulphum de Glanvil quondam regni Angliæ Juſticiarium; qui itineri rectè intendentes versùs Jeroſolimam, à ſiniſtrâ reliquerunt Siciliam; & poſt pericula multa apud

apud Cyprum applicuerunt circa Festum S. Michaelis. Dùm autem in Terrâ illâ ageret in extremis apud Acon; Hubertum Saresburiensem testamenti sui constituit executorem. Et sic mortuus est, cùm sedisset annis vi. & mensibus vi. & diebus xvii. Et vacavit Sedes annis iii. minùs xvi. diebus.

Hubertus Wauter ||, primò Saresburiensis Episcopus, de assensu Suffraganeorum & etiam Monachorum Cantuariensium electus est apud Westminster iii. Kalend. Junii. Huic Cœlestinus Papa misit Pallium per quendam Episcopellum nomine. Nonis autem Novembris sollempniter intronizatus [est.] Iste Hubertus anno Domini MCXCV. plenitudinem potestatis in officio Legationis communi favore omnium Cardinalium assecutus est ab eodem Cœlestino tam in Archiepiscopatu Eboracensi quàm proprio: Quod quidem prædecessori Baldewino non fuit collatum. Hic autem consecravit Johannem in Regem Angliæ. Obiit autem anno Domini MCCV. cùm sedisset annis xii. & vacavit Sedes annis tribus.

|| viz. Walteri filius.

Stephanus de Langetoun *, Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis titulo S. Crisogoni, suscepit Pallium à Papâ Innocentio III. anno Domini MCCVIII. Hujus tempore interdicta est Anglia tempore Regis Johannis. Cum ver Monachi Cantuarienses sine consilio Suffraganeorum † eorum Cantuariensis Ecclesiæ primò elegissent suum Priorem, & iidem Suffraganei elegissent Episcopum Norwicensem, sc. || Johannem II. sine consensu Monachorum; tandem causâ ad Sedem Apostolicam deductâ, convenerunt unanimiter in prædictum Stephanum Cardinalem de Angliâ oriundum. Unde & Papa scripsit Johanni Regi Anglorum; ut ipsum reciperet, & alioquin terram suam interdicto feriret. Quod & factum est; fuitque eodem anno sc. MCCVIII. generale Interdictum in Angliâ; & duravit usque ad annum MCCXIII. quo Archiepiscopus cum Legato venit in Angliam. Concessit etiam prædictus Papa Monachis Cantuariensibus; ut de cætero possent eligere Archiepiscopum sine Suffraganeis ejusdem Ecclesiæ. Anno autem Domini MCCXXII. celebravit Concilium apud Oxenford tempore Henrici Regis filii Johannis; ubi quidam Diaconus combustus fuit, & quidam rusticus qui se crucifixerat. Obiit autem, cùm sedisset annis xxi.

* Qui sequuntur, a manu recentiore accesserunt.

† l. Episcoporum.

|| Johannem de Grey.

Richardus II. *Grant* dictus Magister, consecratus est iv. Idus Junii anno Domini MCCXXIX. Obiit autem, cùm sedisset annis ii. & vacavit Sedes annis ii.

Edmundus de Abendoniâ, consecratus est in Archiepiscopum anno Domini MCCXXXIV. Iste sanctissimus fuit. Ortâ autem inter ipsum & Regem Henricum gravi dissensione super jure & libertatibus Ecclesiæ Cantuariensis, Monachisque suis alias commoventibus, post intolerabiles injurias, habitò super hoc Suffraganeorum consilio, excommunicavit occupatores injustè & perturbatores juris & libertatum Ecclesiæ Cantuariensis generaliter; & quosdam, de quibus legitimè constabat, specialiter. Nolens autem cum Rege contendere, sed magis maliciis cedere, mare transivit. Obiit autem ibidem, cùm sedisset sex annis; requiescitque apud Pontiniacum, anno Domini MCCXL.

HEN-

HENRICI,

Archidiaconi Huntindonienſis,

Epiſtola ad Walterum

De Mundi * Contemptu:

* *Codex alter legit* Appetitu.

Sive de Epiſcopis & viris illuſtribus ſui temporis.

WAltere quondam decus juvenum, quondam delitiæ rerum, nunc (proh dolor!) diutino † dolore decoqueris, nunc lamentabili dolore conſumeris. In ætatis noſtræ jocundabili flore librum tibi Epigrammaton poeticè compoſui; carmen etiam in || amore acceptabile contexui. Juvenis autem juveni juvenilia, nunc ſenex ſeni ſenilia deſtino. De contemptu igitur Mundi quædam tibi & mihi ſcripſi; in quibus te languens exerceas, & ipſe potiſſimùm ſæpe legendo recurram, nec diſſerendo rhetoricè, nec tractando philoſophicè: * id unum omnis pagina divina intonat, omnia Philoſophorum ingenia deſudant: ſed loquendo omnino ſimpliciter, ut pateat pluribus, i. e. minùs doctis, & de his quæ tu & ego vidimus, hinc jam ſenes contemnere contemptibilia diſcamus. Nihil igitur de Hiſtoriis, nihil de antè relatis, ſed quæ videndo ſcimus, quia tale teſtimonium nec aliud lex admittit, apponimus. Quòd ſi temporis noſtri poſteris nomina barbara videantur; vel quia tot apponuntur, aſper & obliquus tædeat tractatus; nonne ſaltem mihi & tibi proderit?

† Languore. || Amorem. * Et.

† Sit igitur primum Capitulum de his quæ in Eccleſiâ noſtrâ contigerunt. Igitur à pueritiâ omnia ferè vitia præter luxuriam pullulant || hinc, quia cacumen erigit rigidiſſimum, & principatum nimius amor præſentium. Cùm autem ætatis naturali bono mala multa pueritiâ vacuentur, velut in ſcientiâ levitas, mutabilitas, & alia; hoc prædictum, quod jocundius eſt cæteris & melle venenato * conditius, remanet & creſcit. Ætatis tamen magno proceſſu pungere videntur quæ mulcebant, & amaricare quæ indulcabant. Uſu tamen mali velut hamo inextricabili captæ mentes divitiis & deliciis fugientibus retinentur. Quod à meipſo didici. Cùm namque puerulus, cùm adoleſcens, cùm juvenis, Roberti Præſulis noſtri gloriam conſpicerem; ſc. equites decentiſſimos, adoleſcentes nobiliſſimos, equos pretioſiſſimos, vaſa aurea & deaurata, ferculorum numerum ferentium ſplendorem, veſtes purpureas & biſſinas; nihil nimirum beatius æſtimare potui. Cùm igitur † omnis, & ipſi etiam qui de mundi contemptu legebant in Scolis, ei obſequerentur; & ipſe quaſi pater & || dominus omnium æſtimatus, mundum valdè deligeret & amplexaretur; ſi quis tunc mihi hæc pulcherrima, quæ omnes admirabamur, contemnenda diceret; quo vultu, quo animo ferrem? Inſaniorem Oreſte, importuniorem Therſite judicâſſem. Nihil tanti viri tantæ beatitudini obeſſe poſſe puta-

† Sic. || Inter quæ. * Conditur. † Omnes. || Deus.

putabam, Vir tamen effectus, narrationem audivi de turpiſſimis omnino conviciis ad eum dictis; quæ ſi mihi nihil habenti in tantâ audientiâ dictâ fuiſſent, ſemimortuum me ducerem. Cœpi ergo illam inæſtimabilem beatitudinem minoris pendere. Quia verò multis ſæcularibus ſolent ante mortem acerbiſſima contingere; quid ante finem ei contigerit, ediſſeram. Qui Juſticiarius totius Angliæ, & ab omnibus ſummè formidatus fuerat, in ultimo vitæ ſuæ anno bis implacitatus eſt à Rege per quendam Juſticiarium ignobilem, & damno graviſſimo cum dedecore bis afflictus. Unde tanto ſtupore mentis angariatus eſt; ut cùm ego jam Archidiaconus ejus inter prandium juxta eum recumberem, lacrimas eum fudiſſe viderim. Cauſam quæſitus, Quondam, inquit, aſtantes mihi pretioſis induebantur. Nunc mulctæ Regis, cujus ſemper gratiæ ſtudui *, compegerunt eos agninis veſtiri. Tantâ verò poſt hæc deſperatione de Regis amicitiâ uſus eſt; ut cùm laudes egregiæ, quas Rex de eo abſente dixerat, ei recitarentur; ſuſpirans † dixit: Non laudat Rex quempiam ſuorum, niſi quem voluerit funditus || lædere. Rex namque Henricus, ſi dicere fas eſt, ſummæ ſimultatis erat, & * nimis inſcrutabilis. Poſt paucos exhinc dies apud Wodeſtoc, ubi Rex conventum hominum & ferarum ſtatuerat, cùm Epiſcopus loqueretur cum Rege & Epiſcopo Salesburienſi, qui ſummi erant in regno, percuſſus eſt apoplexiâ. Vivus tamen, ſed elinguis, in hoſpitium ſuum deportatus, præſente Rege mox expiravit. Rex magnus, cui ſemper ſervierat, quem valde dilexerat & metuerat, quem tanti ducebat, in quem adeò confidebat, nihil pluris in neceſſitate ſummâ fuit † mendico. Animadvertite igitur non fruſtra dictum: || *Maledictus, qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium ſuum.* Dum igitur puer vel adoleſcens vel juvenis conſpiciunt beatos, † percogitent quàm ſit eorum finis ambiguus, & in hoc etiam mundo marceſcere incœpturi ſint in miſeriis. Fuit autem Robertus Præſul mitis & humilis, multos erigens, nullum deprimens, pater orphanorum, deliciæ ſuorum; hoc tamen uſus eſt fine. Tractandum autem erat de præceſſore ejus Remigio, qui cum Willelmo Rege in Angliam venit, & bello interfuit: qui poſtea Epiſcopatum || Doreceſtriæ prædicto Rege largiente ſuſcepit; qui demum ſedem Epiſcopatûs à * Doreceſtriâ in Lincolniam tranſtulit; qui Eccleſiam noſtram fundavit, fundatam poſſeſſionibus variis ditavit, ditatam perſonis honeſtiſſimis infloravit. Sc. non loquimur niſi de auditis & viſis: eum autem non vidimus; Clericos autem venerabiles, quos in Eccleſiâ primos impoſuit, omnes vidimus. † Radulfum igitur ſacerdotem reverendum conſtituit Decanum. Reinerum verò, in cujus loco Gaufridus nepos ejus adhuc degit, Theſaurarium exhibuit. Reinerus vir adeo religioſus fuit; ut ſæpe in tumulo quem morti ſuæ præparaverat, Pſalmodiam exerceret & domui æternitatis || ſe aſſueſcens diutiùs orabat: ut cùm orare non poſſet, ibidem recumbens à Dei pietate viſitaretur. Fœlix exemplum viri clariſſimi. Nec tacendus eſt Hugo ſacerdos, vir memoriâ dignus, principium & quaſi fundamentum Eccleſiæ. Cui ſuccedit Osbertus, vir omnino comis & deſiderabilis. In quorum loco jam Willelmus extat, juvenis magnæ indolis. Guerno verò Cantor effectus eſt. Hujus in loco Radulfus impræſentiarum Cantor degit. Nec prætereo Albinum Andegavenſem, magiſtrum quippe meum. Cujus fratres honeſtiſſimi & conſocii mei; qui trino pollebant habitu, ſcientiâ profundiſſimâ, caſtitate clariſſimâ, innocentiâ ſummâ: occulto tamen Dei judicio leprâ percuſſi ſunt; ſed jam purgamento mortis mundati ſunt. Septem autem Archidiaconos ſeptem provinciis, quibus præerat, Remigius impoſuit, Ricardum Archidiaconum Lincolliæ, cui ſucceſſit Albertus Longobardus, cui etiam ſucceſſit Willelmus Baiocenſis, & nunc Robertus junior, omnium Archidiaconorum, qui in Angliâ ſunt, ditiſſimus. Cantebrigienſi

* *Adde* maximè.
† Dixerit.
|| Delere.
* Mentis.
† *Adde* ei.
|| Jer. xvii. 5.
† Præcogitent.
|| Dorkeceſtriæ.
* Dorkeceaſtriâ.
† *Adduntur.* Quorum paucos memorabimus paucis.
|| Suæ.

brigiensi & Huntendonensi & Hertfordensi Nicolaum: Quo nullus erat corpore formosior; nec moribus corpori multùm absimilis erat. Cujus circa transitum cùm Cantebrigensis provincia ab Episcopatu nostro separata, novum Episcopum suscepisset, duabus reliquis provinciis Archidiaconus & ipse successi. Nigellum verò Archidiaconum Hamtoniæ præposuit, cui successit Robertus; quibus modò Willelmus nepos Alexandri Episcopi nostri * egregius. Leicestriæ verò Radulfum; cui successit Godefridus: Quibus Walterus vir omnino laudandus. Nunc verò Robertus de Querceto, vir famâ dignus. Oxenfordiæ quidem præposuit † Alfredum. Cui successit Walterus superlativè rethoricus. Buchingeham præposuit Aluredum parvum; cui successit Gislebertus, versibus & prosâ & habitu curialissimus. Quibus successit Rogerus, jam Cestrensis Episcopus effectus. Postea Ricardus, nunc verò David frater Alexandri venerabilis Episcopi, à primo quintus. Septimum verò Archidiaconum Bedefordiæ præposuit Osbertum. Cui successit Radulfus, miserandè occisus. Quibus Hugo, || nunc verò Nicholaus, à primo quartus. Cæteri verò Clerici honestissimi, ne prolixitatis arguar, taceantur. * Cogita igitur, quomodo prædictæ personæ venerabiles exinanitæ sunt, & mox oblivione etiam † absorbendæ sint. Immò mente revolve omnes, quos in choro dextro, omnes quos in choro sinistro priùs vidimus. Nec unus quidem || superest. Amabant quæ amamus; optabant quæ optamus; sperabant quæ speramus: mors omnes dedit oblivioni. Cogitemus igitur, quia & nos similiter eadem manet oblivio. Curemus omni nisu quærere, quod duret, quod stabile sit, quod differat à somno; immò quod aliquid sit, quia hæc nichil sunt.

* Adde Nepos.
† Alwredum.
|| A primo tertius.
* Cogitaretur.
† Æternâ.
|| Jam.

Secundum Capitulum ad contemptum mundi est de his, quos in summis deliciis educatos vidimus summis miseriis tandem deletos. Ideo autem per capitula tibi scribo; ut quia diversorum nomina & gesta * ubique dispersa intermiscentur, *hinc* † aptior & dilucidior fiat tractatus. Vidimus igitur *Willelmum* filium Regis, vestibus sericis & auro consutis indutum, famulorum & custodum turbâ consertum, gloriâ quasi cœlesti coruscantem. Ipse unicus erat Regis & Reginæ filius; nec dubitabat se diademate sublimandum. Enimvero nescio quid magis afferebat ei certa spes in futurum regnandi, quàm patri suo ipsa essentia regni: quia pater magnum regnandi spatium jam præterierat, filio verò totum adhuc reservabatur. Pater etiam jam de amissione cum mentis angariâ cogitabat; filius verò tantùm ad habendum cum gaudio totus inhiabat. Displicebat autem mihi, & in animo || cladem futuram portendebat nimius circa eum cultus & nimius in ipso fastus; & dicebat animus meus: Hic adeò delicatus, * nutritus in cibum ignis. Ille autem semper de regno futuro de fastigio superbo tumidus cogitabat. Deus autem dicebat: Non sic impii, non sic. Contigit igitur ei, quòd pro coronâ auri rupibus marinis capite scinderetur; pro vestibus deauratis nudus in mari volutaretur; pro celsitudine regni maris in fundo piscium ventribus sepeliretur. Hæc fuit mutatio dexteræ excelsi. Ricardus etiam Cestrensis Consul, filius unicus Hugonis Consulis, summo splendore nutritus, summâ expectatione patris hæres eximius, adhuc imberbis, in eâdem nave deperiit, & eandem sepulturam habuit. Ricardus quoque filius Regis nothus, ab Episcopo nostro Roberto festivè nutritus, & in eâdem quâ degebam familiâ à me & aliis celebriter honoratus; cujus indolem mirabamur, & magna quæque expectabamus, in eâdem navi cautibus illisâ, cùm mare ventis careret, subitâ morte raptus est, & à mari voratus est. Cùm igitur Willelmus Regis nepos, filius sc. Roberti Ducis Normannorum, jam solus regius esset hæres, & omnium expectatione dignus judicaretur; & probitate ineffabili Con-

* Utique.
† Apertior.
|| Meo.
* Nutritur.

Consulatum Flandriæ adeptus esset, & vigore inexterminabili Theodoricum signis collatis superâsset; parvo ictu sanciatus † deperiit. Omnes qui eum regem futurum securi expectabant, & quosvis ad lubitum præjudicabant, illusi sunt. Si singula sequerer exempla; fieret Epistola codex magnus. Nunc autem Decanum nostrum Symonem non prætereo, qui filius Roberti Præsulis nostri fuit; quem genuerat dum Cancellarius Willelmi magni Regis esset. Qui, ut decebat, regaliter nutritus, & adhuc impubes, Decanus noster effectus, in summam Regis amicitiam & curiales dignitates mox provectus est. Erat autem celer ingenio, clarus eloquio, formâ venustus, gratiâ choruscus, ætate junior, prudentiâ senilis, sed superbiæ vitio respersus. Ex superbiâ crevit invidia, ex invidiâ odium, ex odio detractiones, jurgia, delationes. Bene igitur prophetavit de se dicens. Ego curialibus interponor, quasi sal anguillis viventibus. Sicut enim sal anguillas excruciat; sic delationibus suis omnes Regi famulantes distorsit. Sicut sal anguillarum destruitur humore, sic ipse omnium aspiratione || adnullatur. Hujus tamen prophetiæ partem priorem intellexit, alteram non prævidit. Verum tamen de se dixit nescius. Summus igitur in fastigio curiæ & regni, post dies in summum Regis odium devolutus est; & in carcerem positus, per latrinam aufugisse dicitur; & in exilium & miseriam juvenis intravit. Bene igitur in illo illud propheticum patuit: Qui in croceis nutriebantur, amplexati sunt stercora. Non igitur magni æstimemus, cùm nobiles pueros vel juvenes viderimus, tam formâ quàm divitiis & favoribus perradiare; cùm sæpenumero in summas miserias redigantur. * Nunc omnis expectatio stultorum dissoluta est; & quod nichili erat, ad nichilum † redigetur.

† In manu.
|| Adnullatus est.
* Tunc.
† Redigitur.

Tertius erit Tractatus ad hujus vitæ labentis despectum; quæ utinam despici posset à me, quantum animus optat meus, & dignitas exigit sua; de sapientiâ hujus mundi, sc. de hoc quod potissimum est in mundo. Illa namque pretiosior est cunctis opibus terræ; & omnia, quæ in mundo desiderantur, huic non valent comparari. Scriptum est tamen, || *Sapientia hujus mundi, stultitia * apud Deum.* Quod Apostoli signaculum visis || prosequitur exemplis. Fuit igitur Robertus Consul de Mellend in rebus sæcularibus sapientissimus omnium hinc usque in Jerusalem degentium. Fuit scientiâ clarus, eloquio blandus, astutiâ perspicax, providentiâ sagax, ingenio versipellis, prudentiâ insuperabilis, consilio profundus, sapientiâ magnus. Possessiones igitur magnas & varias, quas vulgò vocant honores, † & urbes & castella, vicos & villas, flumina & silvas, prædictis adquisierat instrumentis. Erant autem honores ejus non solùm in Angliâ, || sed etiam in Normanniâ * Franciâ. Pro lubitu suo igitur Reges Francorum & Anglorum nunc concordes uniebantur, nunc discordes præliabantur. Si adversùs aliquem insurgebat; contritus humiliabatur. Si prodesse volebat; gloriosus exaltabatur. Hinc thesauri copia, sc. auri & argenti, gemmarum & palliorum, incredibiliter ei confluxit. Cùm igitur in summo statu gloriæ suæ degeret; contigit quendam alium Consulem sponsam ei tam factione quàm dolosis viribus arripuisse. Unde & in senectute suâ mente turbatus & angariâ obnubilatus, in tenebras mœroris incidit; nec usque ad mortem se lætum vel hilarem sensit. Cùm igitur post dies dolori dedicatos † & in infirmitatem mortis prænuntiam incidisset; rogatus est ab Archiepiscopo & sacerdotibus, cùm ei confessionis purgatorium impenderent officium; ut terras quas vi vel arte multis abstulerat, pœnitens redderet, & erratum lacrimis lavaret. Quibus respondens ait. Si terras quas aggregavi, multiphariàm divisero; quid miser filiis meis relinquam? Cui contra

|| 1 Cor. iii. 19.
* Est.
|| Prosequar.
† *Deest.*
|| Verùm &.
* In.
† *Deest.*

tra ministri Domini. Sufficient filiis tuis hæreditates pristinæ, & quas justè terras adquisisti. Cætera redde. Alioquin animam devovisti gehennæ. Respondit autem Consul. Filiis omnia tradam: ipsi pro salute defuncti misericorditer agant. Eo defuncto filii ejus magis injustè congregata injuste studuerunt augere, quàm aliquid pro salute || patriâ distribuere. Liquet igitur summam viri sapientiam in fine, quò laus canitur, non solùm in summam stultitiam, sed in cæcam devenisse insaniam. Quid memorem Gislebertum cognomine Universalem, Episcopum Lundoniensem? Non fuit ad usque Romam par ei scientiâ. Artibus erat eruditissimus, theoriâ singularis & unicus: Famâ igitur celebris & splendidus. Quapropter dum scolas regeret in Nivernis Galliâ, ad summum Lundoniæ sacerdotium vocatus est, & exoratus * accessit. Qui magnâ expectatione susceptus, cœpit avaritiæ crimini deservire: multa perquirens, pauca largiens. Moriens siquidem nichil divisit. Sed infinitam thesauri copiam Rex Henricus in ejus † deliticiis invenit. Ocreæ etiam Episcopi auro & argento refertæ in fiscum regium allatæ sunt. Unde vir summæ scientiæ ab omni populo habitus est pro stultissimo. Quid etiam de || Randulfo Regis Cancellario? Qui cùm esset vir sagacissimus, astutus & callidus; omnem vim sapientiæ suæ convertit ad simplices * deheritandos & pecunias eradendas. Sed inter agendum decidit in languores interminabiles. Tunc verò quasi Deo renitens & naturæ victor, facinus cumulare, quos poterat devorare non destitit. Crescebat autem cum cruciatu cupiditas, cum infirmitate impietas, cum † dolore dolus; donec cùm ex equo || quo rueret super eum Monachus equitavit; & insolitâ morte demolitus est. Ex infinitorum silvâ exemplorum ad mundi sapientiam immò fallaciam discernendam jam dicta sufficiant.

|| Paternâ.
* Concessit.
† Deliciis.
|| Ranulfo.
* Dehæredit.
† Doloribus.
|| Corrueret.

Quarto subdetur loco virorum magni nominis fœlicitas; quam sc. se dedisse Regi * David Dominus ipse pronuntiat his verbis: † *Feci quoque tibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terris.* Ille igitur hanc fœlicitatem fœliciter habuit; nostri autem infœliciter. His namque temporibus non pervenitur ad magnum nomen nisi summis sceleribus. Thomas princeps magnus juxta Laudunum in Galliâ principans, magnus erat nomine; quia summus erat scelere. Ecclesiis igitur circumjacentibus hostilis, omnes in fiscum suum redegerat. Si aliquem vi vel dolo in captione suâ tenebat; non fallò dicere poterat: || *Dolores inferni circumdederunt me.* Cædes humana, voluptas ejus & gloria. Comitissam contra solitum in carcere posuit. Cui crudelis & spurcus, compedes & supplicia diebus, ut pecuniam extorqueret, stuprum noctibus inferebat, ut eam derideret. A carcere in lectum * homines crudelissimi quaquâ nocte ferebant. A lecto quaquâ die in carcerem † referebant. Pacificè loquens proximum, in corde non sine risu gladio transpungebat. Unde gladium sæpiùs sub clamide nudum ferebat, quàm vaginatum. Hunc igitur || homines timebant, venerabantur, adorabant. Fama omnis Galliæ circa illum. Crescebat indies * ejus possessio: crescebat thesaurus; crescebat servitus. Audire finem scelerati desideras? Gladio letaliter percussus, pœnitentiam recusans, & à corpore Domini collum retorquens, sic periit; ut bene dici posset: Conveniens vitæ mors fuit ista tuæ. Vidisti Robertum de Belesme: qui princeps Normannensis in † carcere positus, erat Pluto, Megara, Cerberus, vel si aliquid horrendius scribi potest. Nec curabat captos redimere sed interimere. Filioli sui oculos sub clamide positi quasi ludens pollicibus || extinxit; homines utriusque sexûs ab ano usque in ora palis transforabat. Erat ei cædes horribilis hominum cibus jocundus animæ. Erat igitur in ore

* Suo.
† 2 Reg. ii. 9.
|| Psal. cxvi. 3.
* Thomæ.
† Referebatur.
|| Ergo omnes.
* Ei.
† Carcerem.
|| Extraxit.

ore omnium positus, ut diceretur in proverbiis mirabilia Roberti de Belesme. Tandem veniamus ad finem; sc. ad rem optabilem. Qui cæteros carcere vexaverat, in carcere perhenni à Rege Henrico positus, longo supplicio sceleratus deperiit. Quem tantopere fama coluerat, dum viveret; in carcere utrùm viveret vel obisset, nescivit: diemque mortis ejus obmutescens ignoravit. Hos igitur duos inter multos descripsi. Nec jam ampliùs de gente * ipsius dæmonibus horrendâ loquendum duxi. * Ipsis.

Quintò tractabitur de summis hominum, qui sic sunt in rebus humanis, ut generalissima in prædicamentis. Reges verò gentium subditis suis quasi Deus sunt. Quibus omnes juramento se devoverunt, quibus stellæ cœli deservire videntur. Horum igitur cacuminum mundi tanta sublimitas est; ut in eos videndo cæteri non satientur, ut eis cohabitantes super homines æstimentur. Nec mirandum est, si ad eos inspiciendos mulierum turba † vel † *Desunt.* juvenum, vel etiam viri levitatis prosiliunt. Sed etiam sapientes & discretione graves ad videndum sæpe visos nescio quâ gratiâ mulcente impelluntur. Quid igitur est? Quid jocundius? Quid beatius esse potest? Vellem tamen unum ex eis tibi colloqui, & mentis suæ secreta funditus revelare. Longè aliter judicares. Cùm eos alii beatos judicent: ipsi dolore decoquuntur, timore detorquentur. Nemo in regno eorum par eis miseriis || par || Nemo. sceleribus. Unde dicitur: Regia res scelus est. Rex Henricus fratrem suum & dominum Robertum in carcerem perhennem posuit, & usque dum moreretur detinuit. Neptium suarum oculos erui fecit, & multos proditione cepit, multos * dolosè & subdolè interfecit, multa contra † sacramentum egit. * *Desunt.* Semper cupiditati & avariciæ deservivit. Quos terrores sensit, dum frater † Sacramenta. ejus Robertus in eum exercitus à Normanniâ in Angliam duceret? Concordiam quidem territus cum eo instituit; sed in eâ procerum optimos perjurare fecit; quia pacem fregit & fratrem cœpit. Quos terrores habuit, dum Consul Andegavensis castella ejus diriperet, nec ipse procedere auderet? Quos terrores || habuit, dum Baldwinus Consul Flandrensis Norman- || *Deest.* niam ipso præsente inflammaret; nec ipse procedere auderet? Quomodo mente contribulatus est, cùm filii ejus & filiæ & proceres pelago devorati sunt? Quibus curis * demollitus est, dum nepote suo Willelmo Flandriam * Demolitus. adipiscente, se diadema regni amissurum pro certo putaret? Hic tamen beatissimus Regum habitus est. Sed certè miserrimus est. Quid de Philippo Rege Francorum & Lodoveo filio ejus, qui temporibus nostris regnaverunt; quorum Deus fuit venter, immò funestus hostis fuit. Adeò namque voraverunt, ut seipsos pinguedine amitterent, nec sustinere se possent. Philippus olim pinguedine defunctus est. Lodoveus adhuc juvenis; pinguedine tamen jam mortuus est. Quid autem de felicitate eorum? Nonne Philippus à suis sæpe victus est? Et à personis vilissimis sæpe fugatus est. Nonne Lodovicus per Regem Henricum à Marcio campo expulsus est; & à suis, ut patet, sæpenumero fugatus est? Rex verò Norwagensis fratrem suum Regem nuper bello cepit, oculos capto eruit, mentulam abscidit, pedem dextrum ademit, filium ejus lactentem excapitavit, Pontificem ejus laqueo suspendit. Infelix æquè Rex uterque. Sed oppones: Cur igitur Regem Henricum in Historiâ tuâ tantis laudibus extollis; quem hìc tantis criminibus subvertis? Ad † quos respondeo. Regem sapientiâ magnum dixi, con- † Quod. silio profundum, providentiâ clarum, armis insignem, gestis sublimem, divitiis singularem: & tamen omnia quæ hìc apposui, vera nimis sunt, & utinam falsa essent. Sed forsitan adhuc dices. Triginta & quinque annis jam regnavit, & multò plura, si numeres, prospera sensit quàm adversa. Contra quod ego. Immò nec millesima pars fortunæ ejus prosperitati potest adhiberi.

beri. Ea namque quæ prospera videbantur, doloribus semper immixta erant. Cùm Regem Franciæ prælio vicit; quàm longâ turbatione mentis breve illud gaudium adeptus est? Breve dico: quia mox alius exercitus insurgens mentis febribus aliis eum conturbavit. Quòd si diuturnitatem vitæ & regni miraris, jam non per biennium regnaturum vir Dei prædixit. Nuper itaque videbis miseræ vitæ miserum finem. Quod utinam, si fieri potest, absit: sed tamen non aberit. Non igitur mireris Reges istos infelices; sed Deum solum fœlicem, & regna fœlicia suis dantem.

Sextus autem, qui & ultimus erit, Tractatus de regni Regis Proceribus habeatur, qui nuper potentissimi fuerunt, nec jam impotentes sunt. Jam || verò nichil sunt, nusquam sunt; & per excessum penè dici potest, nunquam fuerunt. Nunc etenim ferè nemo eorum recordatur. Omnis memoria eorum interire incœpit; mox nulla erit: ad nichilum devenient tanquam aqua decurrens. Audi igitur Waltere consors karissime sermocinationem de viris illustribus, sed tamen in audiendo tædiosum: licèt eos oculis nostris * inspeximus. Splenduit igitur temporibus nostris Lanfrancus Archiepiscopus, vir philosophus, vir perspicuus. Cui successit Anselmus, philosophus & sanctissimus. Vidimus post eos Radulfum, dignum tantâ celsitudine habitum. Postea verò sedit Cantuariæ Willelmus, cujus laudes dici nequeunt; quia non sunt .Impræsentiarum Tedbaldus, vir omni laude dignus. Fuit etiam temporibus nostris † Walchelinus Wintoniensis Episcopus; cui successit Willelmus Giffardus, vir nobilissimus. Hii quoque exinaniti sunt, & ad nichilum devenerunt. Nunc autem sedet in loco illorum || Henricus, nepos Henrici Regis; qui futurus est novum quoddam monstrum ex integro & corrupto compositum; sc. Monachus & Miles. Fuit etiam tempore nostro Ingulfus Præsul Rovecestrensis; post quem Radulfus; post quem * Arnulfus: deinde Johannes. Hii omnes exinaniti sunt. Nunc autem sedet † mox periturus. Tempore nostro Episcopus Lundoniensis Mauricius decessit; post quem Ricardus; post quem Gislebertus *magnus philosophus*. Nunc verò Robertus, *vir animo magnus. Et hii* exinaniti sunt. || Badoniæ verò Johannes medicus, & Godefridus. Nunc verò sedet ibidem Robertus: & hii jam nichil sunt. Wirecestriæ Samsonem vidi clarissimum: post hunc * Leulfum. Nunc autem ibidem Simonem videmus. Cestriæ verò vidimus Robertum Pontificem: deinde alium Robertum, qui cognominatus est Peccatum. Nunc autem sedet Rogerius, mox nichilum futurus. Norwiciæ sedit Herbertus, vir benignus & doctus; cujus extant scripta. Cui successit Everardus, vir crudelissimus, & ob hoc jam depositus. Nunc verò sedet ibidem Willelmus. Heliensis Episcopus primus fuit Herveus; cui successit Nigellus. Salesberiensis Episcopus fuit Osmundus; cui successit Rogerius, vir magnus in sæcularibus; nunc verò Regis † Justiciarius. Excestriæ verò sedit Robertus nuper mortuus, & pridem cæcus; nunc verò nepos ejus ||. In † Sicestriâ verò sedit Radulfus; in cujus loco sedet Pelochin, vir Gnatonicus, & ob hoc jam depositus. Dunelmiæ verò sedit Willelmus, qui occisus est; post quem Randulfus, qui totam raptor Angliam succendit. Quibus successit Gaufridus: impræsentiarum verò Willelmus. Vidimus autem Gerardum Archiepiscopum Eboracensem; post eum Thomam, post eos Turstanum omnino laudandum: sed nunc Willelmum ejusdem Ecclesiæ Thesaurarium. Lincolliæ verò tempore nostro Remigius deguit Episcopus. Cui successit Robertus, vir clementissimus. Quibus successit Alexander, vir fidelis & munificus. Hactenus de Episcopis. Nonne vidisti Hugonem Consulem Cestriæ, & Ricardum filium ejus, & Randulfum successorem eorum, & nunc alium Randulfum? & hii omnes exinaniti sunt. Vidisti virum nequissimum & sapientissimum

|| Enim.
*Inspexerimus.
† Walkelinus.
|| *Dest.*
* Ernulfus.
† Ascelinus.
|| Badæ.
* Teulfum.
† Jocelinus.
|| Item Robertus
† Siceastriâ.

simum in sæcularibus, de quo prædixi, sc. Robertum Consulem de * Mellend, & nunc filium ejus Robertum laude parvum. Nonne vidisti Henricum Consulem de Warewic, & filium ejus Rogerum, qui nunc degit, animis ignobilem? Vidisti Willelmum Consulem Warenniæ, & Robertum Consulem de Belesme, & Robertum Consulem de Moretoil: de quibus in Historiâ Anglorum locuti sumus; & Symonem Consulem Huntendoniæ, & Eustachium † Boloniæ, & alios multos. Et ipsa memoria tædiosa est. Qui cùm potentissimi & aspectu intento dignissimi viderentur; nunc nec pronuntiatione digni sunt. Sed & pellis ovina, in quâ depinguntur eorum nomina, perdita videtur omnino. Nec invenimus oculos, qui eam perlegere velint. Testis est hæc Epistola, quam pro nominibus potentissimorum & omnium assurrectione dignissimorum nemo tamen vel vix aliquis potest perlegere. Quid memorem Aldvinum dominum meum Abbatem Rameseiæ, & successorem || ejus Bernardum, & postea Remaldum virum callidum sed inclementem, nunc Walterum * virum elegantem? Et hii † ubi sunt? Turaldus Abbas Burgensis, & Ernulfus, & Mathias, & Godricus, & Johannes, & Martinus, quos omnes vidimus, exinaniti sunt, & ad nichilum devenerunt. Quæris autem, cur post mortuos & in fine vivos interponam, & jam ad nichilum devenisse dicam? Cujus causa hæc est. Sicut enim mortui ad nichilum devenerunt; ita & isti mox devenient: immò ut liberiùs dicam, jam devenerunt. Nostra namque, quæ dicitur, vita, ut Tullius ait, mors est. Ex quo incipis vivere, incipis mori. Prætereo viros clarissimos, sc. Radulfum || Basset, & filium ejus Ricardum, Justiciarios totius Angliæ, * & alios absque numero; quibus jamdudum magni † custamenti servicium impendere jocundum || esse mihi videbatur: nunc autem mortuis brevissimam scribendi operam vile videtur impendere. Cogita igitur Waltere, quàm nichil sit hæc præsens vita. Cùm namque videamus potentissimos, qui ejus divitias plenariè adepti sunt, nichil effecisse; ne & nos nichil efficiamus, quæramus aliud iter vitæ, in quâ beatitudinem speremus & adipiscamur. Surge frater, surge & quære; quia in hac vitâ quod quæsisti, nunquam invenisti. Nonne Rex Alexander, vir, ut ita dicam, plusquam potentissimus, parvo tandem veneno demolitus est? Non invenit quod quæsivit. Nonne & Julius Cæsar, vir æquè vel magis potens, cùm omnia subjugâsset, stilis exinanitus est? Quod quæsivit, non invenit. Quære igitur quod invenias; quære vitam post vitam: quia vita non est in hac vitâ. O Deus magne, quàm justè mortales * dicimus? Mors enim nostra, ex quo vivimus, continua est. Illa autem quæ dicitur mors, finis nostræ mortis est. Quicquid enim agimus, quicquid dicimus, ex quo actum est vel dictum, statim moritur. Memoria quidem eorum, ut circa mortuum, aliquamdiu vivit. Cùm autem & illa deperierit, jam quasi secunda mors facta omnia & dicta nostra omnimodè adnichilavit. Ubi est quod heri feci? ubi quod dixi? Ad nichilum devenerunt. Ubi & quod præterito anno, hodiernâ die feci vel dixi? Æternâ morte oblivionis absorta sunt. Optemus igitur in hac morte mortem; quia non evademus hanc vivendi mortem, nisi corporis † mortem; quæ sc. medius terminus est mortis & vitæ. Sed antequam Epistolam hanc perfinierim; nunciatum est amicum meum, cui scribebam, mortis legibus concessisse. O mortalium sors abjecta nascendi, misera vivendi, dura moriendi. O mors, quàm citò proruis? quàm || inopinatò irruis? quàm magnificè subruis? Ille igitur qui post mortem est medicus, donet tibi Waltere, antidotum suæ pietatis ad capescendam vitam continuæ sanitatis. Jam tibi quidem Epistola mitti non potest, sed Epitaphium; breve sc. monimentum cum lacrimis scribendum est.

* Mellent.
† Consulem.
|| Desû.
* Autem.
† Desunt.
|| Basseth.
* Et Galfridum Ridel, Justiciarium totius Angliæ.
† Constamenti.
|| Deest.
* Dicimur.
† Morte.
|| Inopinatè.

Henricus tibi ſerta gerens, epigrammata primùm,
Prælia mox Veneris, * germina deinde tuli.
Nunc Waltere tibi fero carmen funebre totus.
Alter ab Henrico qui tria ſerta tulit.
Dimidius perii: periit meus & decor & lux;
Formaque menſque viri, mens caritate pari.
Mens aſſueta † viris dare magna, tamen || pudibunda;
Mente minora ſuâ ſe tribuiſſe videns.
Mens aſſueta viri quantumlibet alta parare;
Sed cùm multa paret, xenia parva timet.
Mens aſſueta viri feſtivo tradere vultu,
Læticiâque pari congeminare datum.
Mens aſſueta viri dare ſic, ne danda rogentur,
Præveniens vocem, bina ferente, manu.
Nil medium nil par magnis vir ſummus habebat.
Summa Dei ſit ei gratia, grata quies.

* Gramina.
† Viri.
|| Pudibundè.

FINIS.

INDEX

INDEX
Archiepiscoporum & Episcoporum,
De quibus in hac secundâ Angliæ Sacræ Parte fit mentio.

Joſe-

FINIS.

Prostant Venales apud Ric. Chiswell.